








VE RI
TAS









**SALOMON GLASSIUS.**

S.S.Th.D.et P.P. in Academia Ienensi Post Eccles. et Scholar. in Ducatu Saxo-Gothano Superintend. Gener. et Consistorii Asses. natus Sondershusii XX Maii MDXCIII. denat. Gothæ XVII Iul. MDCLVI.

*Ph: Tideman Pinx:* *A: de Blois Sculp:*

# HILOLOGIÆ
# SACRÆ,

QUA

## TIUS SACRO SANCTÆ

eris & Novi Testamenti Scripturæ, tum stylus & Literatura,
tum sensus & genuinæ interpretationis ratio expenditur,

## LIBRI QUINQUE;

QUORUM

Generalis de Sacræ Scripturæ stylo & sensu; III. & IV. Grammatica
Sacra. V. Rhetorica Sacra comprehenduntur:

AUCTORE

## OMONE GLASSIO,

*olog. D. Ecclesiarum & Scholarum Superintendente, &c.*

ACCEDUNT

vissimæ, summa cura emendatæ, editioni, præter Ejusdem LOGICAM
RAM, Dictorum Biblicorum, Rerum & verborum, nec non
ocum Hebræarum Græcarumque INDICES locupletissimi.






AMSTELÆDAMI,

OANNEM WOLTERS, M. DCC. XI.

*Cum Privilegio.*




VIRO

*Eruditione & Sanctitate Conspicuo*

# GERARDO PUPPIO HONDIO,

*Ecclesiastæ Amstelædamensi facundissimo, Cognato dilectissimo,*

S. P. D.

JOANNES WOLTERS.

NOn spero, VIR admodum Reverende, Te ægre laturum, quod sustineam nomen

*tuum præfigere operi, quod ob eruditionem atque candorem, licet à Viro Lutheri partibus addicto compositum sit, nulli non erudito, quamcumque demum sequatur in sacris opinionem, fuit acceptum probatumque, imo habitum usque adeo necessarium, ut tuto vir doctus eo carere nequeat, quod vel iteratæ ejus affirmant editiones. Tibi vero potissimum, Cognate Venerande, quod hoc consecrem, variæ me impulerunt causæ, quarum haud ultima est sanguinis necessitudo arctior, qua nomine uxoris eundem tecum possum citare proavum, JODOCUM HONDIUM, maximi Atlantis una cum Mercatore conditorem, virum nemini, nisi qui hospes plane sit in studio Geographico, incognitum, cujus filia Elisabetha nupsit avo nostr JOANNI JANSSONIO, typograph per totum terrarum orbem celeberrim*

Pra

*Præter hanc, quam diligenter & ſancte mecum colere non dedignaris, neceſſitudinis familiaritatem, accendit me tua, qua quosvis tibi obligas, ſumma humanitas atque facilitas, quas comitantur ſingularis doctrina, candor atque pietas. Quæ virtutes te primo è* Zypa Auſtrali, Zardamum, *deinde* Neomagum, *poſtea* Hornam, *quam patriam ſalutas urbem, poſtremo* Amſtelædamum, *orbis compendium, provexerunt. In primis quoque hæſitanti mihi animum addidit amor ac ſtudium, quo diu noctuque indefeſſus perſequeris Philologiam Sacram, utpote melioris veriorisque Sacrorum Librorum interpretationis fundamentum præcipuum, ſi non potius unicum. Cujus amœnitate cum capiaris, atque exercitatione diligenti inclareſcas, non poſſum non mihi perſuadere, Te, quod initio rogavi, facile conceſſurum,*

*hoc*

*hoc sinceri erga te amoris mei testimonium monumentum omnibus locis, ubi hæc stud uti & eruditissimus auctor Glassius in hono & existimatione sunt, extare sempiternu Vale.*



# LIBRI I. ET II.

## EPISTOLA DEDICATORIA

*AD*

*SERENISSIMUM POTENTISSIMUMQUE PRINCIPEM AC DOMINUM,*

DOMINUM

# JOHANNEM GEORGIUM,

Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium Ducem, Sacri Rom. Imperii Electorem & Archimarescallum, Landgravium Thuringiæ, Marchionem Misniæ, Burggravium Magdeburgensem, Comitem de Marca & Ravensberg, Dominum in Ravenstein &c.

*ELECTOREM ET DOMINUM SUUM CLEMENTISSIMUM.*



*Nter omnia, quæ in orthodoxis, & Augustanam invariatam Confessionem sincerè amplexis piorum cœtibus, sacrosancta habentur, & diligenter excutiuntur, dogmata, principem jure merito locum obtinet ipsum dogma de* Scripturæ sacræ, *quam BIBLIA appellare vulgò solemus, dignitate summa, jure sublimi & autoritate præeminenti.*
*Est enim Scriptura hæc θεόπνευςος,* à Deo ipso inspirata, *verbo gen-* 2 Tim. 3: 16.
*tium Apostoli, utpote, quæ λόγια τῦ θεῦ,* eloquia Dei, *& ῥήματα* Rom. 3:2.
*τῆς ζωῆς αἰωνίυ,* verba vitæ æternæ, *immediato Spiritus sancti afflatu per Amanuenses* Joh. 6:68.
*DEI perscripta, nobis exhibet. Est* מקדש Sanctuarium ipsius DEI, *quo nomine à*
*Rabbinorum antesignanis vocari, Petrus Galatinus tradit: Est ψυχῆς τροφὴ,* animæ ci- Lib. 1. de arc. Cath.
*bus, Athanasio: imò* communis medica animarum officina, *Basilio: est κανὼν τῆς* ver. c. 1.
*ἀληθείας ἀκλινὴς,* norma veritatis invariabilis, *Irenæo: ἁπάντων ἀκριβὴς ζυγὸς καὶ γνώμων*
*καὶ κανὼν,* exquisita omnium rerum *(Theologicarum)* trutina, & norma, & regula,
*Chrysostomo: Est* divina statera, *Augustino: Athanasio verò* anchora & sustentacu-
lum fidei nostræ. *Quæ epitheta ἐγκωμιαςικὰ, & si quæ alia laudem Scripturæ sanctæ,*
*omnem humanæ laudis vim longè superantis, dici queunt, unius complexu vocis compre-*
*hendit Apostolorum Coryphæus, dum θεμέλιον* fundamentum *totius Jesu Christi Ecclesiæ* Eph. 2:20.
*vocare eam non dubitat:* Ædificati estis, *(Christiani omnes & singuli!) ἐπὶ τῷ θεμελίῳ,*
super fundamento Apostolorum & Prophetarum, Angulari lapide ipso Jesu Chri-
sto existente. *Quòd si in re tectonica in id potissimum cura omnis & cogitatio converti-*
*tur, ut fundamenta, quod substructum ædificio est, sua semper constet firmitas, soliditas*
*& τετραγώνου robur: Quæ non danda opera Christianis est, quæ non suscipienda in Domi-* Matth. 16: 18.
*no cogitatio atque cura, ut fundamento isti fidei ac salutis æternæ unico, solido & divino,*
*sua*

*sua apud omnes constet autoritas, dignitas, robur & praeminentia? idque eò magis, qu*
*potentiores sint πύλαι ᾅδου*, portæ inferorum, *qua fundamentum istud & consequenter*
*qua superstructa est, domum* DEI, *Ecclesiam veram, subruere & subvertere funditù*
*conantur, etsi in aternum id, quod malignè machinantur, ex Servatoris nostri promisso*
*effectura non sint. Si nimirum mentis accuratiore indagine paulisper circumtulerimus ocu*
*los, hoc unum humani generis ἄρχοντον hostem, cum omni sua potestate infernali (qua sun*
portæ illæ inferorum) *machinari fere videbimus, ut Scriptura θεοπνεύστου autoritatem*
*vel dubiam & invalidam piis mentibus reddere, vel ex Ecclesia pomœrio usum ejus plan*
*proscribere, atque ita omnem, ex animis pietatem, ex Christianorum cœtibus divinun*
*verumque cultum extrudere satagat. Unde aperto modò Marte quasi classicum canit, &*
*verbum illud salvificum adoritur, modò etiam occultis veluti agit cuniculis, & per insi*
*dias. De* priori *quis dubitet, qui, una quidem ex parte, horribilem Tyrannorum quo*
* Caput stillantes sudore, & manus cæde re-spersas. *rundam sævitiam, quâ * κάρα στάζοντες ἱδρῶτι καὶ χέρας ξιφοκτόνους, (phrasi Sophocleâ)*
*in extirpandis Scripturis sacrosanctis, occidendisque veræ Ecclesia (super Scripturas ista*
*adificata) membris, usi fuisse utriusque Testamenti tempestate leguntur; ex altera veri*
*parte, hareticorum veterum, Simonianorum, Basilidianorum, Marcionitarum, apud*
*Irenaum; Manichaorum apud Epiphanium, aliorumque blasphemam consideraverit hor-*
*rendamque vocem*, Libros Testamenti Veteris à malo quodam Deo dictatos, &
proinde in universum rejiciendos ac repudiandos esse: *nec non aliorum, qui modò*
*his, modò aliis, vel Veteris, vel Novi instrumenti Canonicis libris, Canonicam abrogar*
*autoritatem, impio planè ausu fuere annisi, quorum Catalogum in Cardinale Bellarmino*
Lib. 1. de V.D. 5,6. *reperire licet. Hos omnes à maligno Spiritu & animatos & armatos in publicum prodiisse,*
*apertoque Marte fidei nostra fulcrum basinque solidissimam oppugnâsse, quis in dubio ponere*
*ausit?* Sed *& per insidias & occultis technis Tartareus ille πειραστὴς iniquitatis mysterium*
*peragit, & aliud quasi agendo sacrarum literarum dignitatem insigniter labefactat. Per*
* & socios seu asseclas ejus. *Schwenefeldium* אנשי בית* *privatas, à Spiritu (uti sibi quidem persuadent) sancto in*
*corde unius cujuslibet dictatas speculationes (Scripturâ tamen, quam & ipsam recipere se*
*simulant, non penitus exclusâ) pro fidei fundamento, non sine insigni pietatis singularis*
*specie, introducit: At hoc ipso à certa & regia salutis via, atque fundamento ejus unico,*
*ad errorum devia & pracipitia, tandemque inferni barathrum, quàm misere homines*
c.2.§.6. *miseros abducit! Per Pontificios, quis crederet, omnem omninò scripto* DEI *verbo au-*
*toritatem Canonicam, summam & infallibilem detrahi, qui Jesuitarum scripta legit, tam*
*exegetica, quibus Scripturas dextrè non rarò interpretantur; quàm dogmatica, quibus*
*ex Scriptura suis frequenter robur & pondus conciliant assertis; qui item Bellarmini, do-*
*ctrina ejus προμάχου, expendit verba; qua in prafatione controversiarum ejus, sub finem*
*leguntur:* Convenit inter nos, & omnes omninò hæreticos, verbum DEI esse
regulam fidei, ex qua de dogmatibus judicandum sit, esse commune principium
ab omnibus concessum, unde argumenta ducantur, denique esse gladium spiritua-
lem, qui in hoc certamine recusari non possit: *Itemque qua in primo de Verbo*
DEI *libro ponit:* Sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apostolicis libris continen-
tur, nihil est notius, nihil certius, ut stultissimum esse necessum sit, qui illis
fidem esse habendam neget. *Et tamen per insidias id, quod dixi, reverâ agitur.*
*Expendantur modo doctrina Pontificia capita & hypotheses:* Omnem verbi DEI scri-
pti autoritatem ab Ecclesiæ præsentis autoritate dependere: Esse id obscurum,
ambiguum, & certum de se sensum reddere nescium: Esse mutilum, mancum
& imperfectum; cumque traditionibus complicatum, perfectam demùm nobis
credendorum faciendorumque reddi normam: Interpretationem ejus non ex ipso,
sed

sed ex Ecclesia, ex traditionibus, ex Pontificis Romani cathedra petendam esse: Pontificem hunc UNUM controversiarum omnium esse judicem, & eâ potestate, quâ proximè accedit ad DEUM: (*Ita enim Bellarminus in dedicatione operum suorum Sixtum V. salutat*:) Scripturæ in vernaculis linguis lectionem Laicis haudquaquam esse permittendam: *Et quæ sunt alia* φορτικὰ ἀνόσματα, *quibus dignitas Scripturæ sacræ summa quàm enormiter convellatur, sani veritatis cœlestis æstimatores non sine dolore vident. Expendantur præterea periculosæ Jesuitici Ordinis Patrum quarundam disputationes, quibus omnis Scripturæ sacrosanctæ dignitas ac majestas, non cuniculis ferè ampliùs, sed manifesto ausu detrahitur, quos inter nominasse sufficiat* Jacobum Gordonum Huntlæum, *Jesuitam Scotum, qui quando inter Scripturam & Ecclesiam (Romanam) ratione autoritatis* σύγκρισιν *instituit*, solam Scripturam non esse fundamentum fidei, *demonstrandum sibi proponit. Qui quidem titulus videri posset nihilominus Scripturæ, licet non* SOLI, *fundamenti fidei* αὔχημα *relinquere. Sed nihil minùs quàm hoc relinquit. Ex decem enim* κριτηρίοις *ac proprietatibus fundamenti fidei, quas capite præcedenti recensuerat, unicam duntaxat Scripturæ, conjunctim verò omnes singulasque modo perfectissimo, Ecclesiæ Catholico-Romanæ vendicat. Quin de proprietate ista fundamenti fidei unica, quam Scriptura ex mera gratia & liberalitate Jesuitica relinquit, satis tenuiter loquitur, quod scil. Scriptura habeat* veritatem. *Hoc autem* κριτήριον *ita descripserat*: Secunda proprietas (*fundamenti fidei, est*) veritas certissima & indubitata, ita ut neque possit fallere quenquam, neque falli ullâ in re ad salutem necessariâ. *Jam verò Ecclesiæ suæ & hoc tribuit in sequentibus, his verbis*: Secundam etiam (*Ecclesia*) habet proprietatem, videlicet indubitatam veritatem, quia illa non potest unquam in fide errare. *Cùmque proprietatibus fundamenti misere orbatam in theatrum quasi Scripturam produxisset, tandem ut nihil omnino ipsi concedere videretur, iterum Jesuiticam prodit liberalitatem*: Est quidem, *inquiens*, sacra Scriptura fundamentum & ratio credendi multorum dogmatum fidei, sed non omnium. Deinde, neque est illa primum omninò fundamentum istorum, nam Scriptura probatur per aliud generalius fundamentum, nimirum per autoritatem Ecclesiæ. Quare Scriptura est tantùm particulare fundamentum fidei, non universale: mediatum, non immediatum: SECUNDARIUM, non primarium. *Hoc si non est, quid est Scripturæ sacrosanctæ* θεοπνεύστου *pondus & majestatis axioma in solidum convellere? Nevè dubitatio restet ulla, expendantur, quæso, alia ejusdem Gordoni verba, quibus pontificiale secretum decretumque, quod moliuntur, apertissimè prodit; Responsurus quippe eorum, quos adversarios sibi præstituit, argumento, (quod tale*: Catholici probant Ecclesiam & ejus autoritatem per Scripturam; igitur Scriptura est potiùs fundamentum fidei, quàm Ecclesia: *) ita progreditur*: Probatio Ecclesiæ, quæ sumitur ex Scripturis, cùm contra hæreticos agimus, est ARGUMENTUM AD HOMINEM, & ex concessis: quo modo possunt etiam PRIMA PRINCIPIA cujusvis scientiæ probari, & quidem ex illis, QUÆ ALIOQUI MINUS FIRMA SUNT &c. Sic ex Talmud Judæorum probamus multa contra Judæos, quia ipsi illud recipiunt ut verbum DEI: sed non propterea est Talmud fundamentum fidei nostræ: quia istud est argumentum ad hominem, & ex concessis duntaxat. AD EUNDEM MODUM, quia hæretici ferè omnes admittunt Scripturas, & rejiciunt autoritatem Ecclesiæ, idcircò cùm contra illos disputamus, probamus autoritatem Ecclesiæ ex Scripturis, veluti ex concessis. At si agendum esset contra infideles, aut alios, qui non recipiunt Scripturas, tum ex autoritate Ecclesiæ probandæ essent Scripturæ, non contrà. *En Ecclesiam* PRIMUM

Epit. controv. 2. c. 11.

cap. 10.

cap. 11.

cap. 12.

c. 10. n. 2.

c. 13. n. 2.

c. 10. n. 11.

c. 14. n. 5.

*fidei principium! en probationem ejus ex Scriptura, argumentum tantummodò κατ' ἄνθρωπον, & alioqui MINUS FIRMUM! En parem ejusmodi probationem (horreo dicere) cum illa, quâ multa contra Judaeos ex Talmud probamus! en Scripturarum S.S. infirmitatem, quæ ex Ecclesia probanda, & autoritate hujus munienda, exque hujus cornu copia, inopia illarum supplenda!. O quò Spiritus tandem Jesuiticus homines abducit!*

In præfat. ad Lectorem. *Hæc igitur cùm ita sint, cumque Augustini sententia sit, (quam Bellarminus dignam judicat, quæ ab omnibus cognoscatur)* optandum esse, ubi hæreses vigent, ut, quicunque aliquâ scribendi facultate præditi sint, ii scribant omnes, etsi non modò de rebus iisdem scripturi sint, sed eadem etiam aliis verbis fortasse scripturi: *Non inutilem locari ab iis operam reor, qui contra βιβλιομάστιγας καὶ βιβλιομάχους quoscunque, literarum sanctarum autoritatem, omnia ea, quæ nominari in orbe hoc habitabili possunt, sive scripta, sive dicta, longissimè superantem, astruunt, & ab intentatis vindicare student criminibus. Quapropter & ego, dum in Hebræa Linguâ, quâ Scripturæ V.T. perscripti sunt fontes, enucleandâ, muneris ratione ita exigente, versor, cùm impuritatis contaminationisque labem eisdem Hebraïs fontibus à Jesuitici Ordinis viris sine omni culpa meritove adspergi, atque ita eorum, quâ in stabiliendis fidei nostræ dogmatibus pollent, autoritatem non parùm convelli, animadverterem, à meis non alienum esse duxi partibus, si penitiùs horis hanc in rem successivis inquirerem, & cujus ponderis objecta Pontificiorum, aliorumque essent, disquirerem. Id verò dum circa utrumque, Hebræum in Veteri, & Græcum in Novo Instrumento fontem, pro ingenioli modulo, & viribus à DEO clementer concessis, expedio, ex Autorum lectione, menti occurrerunt subinde alia, ad fontium doctrinæ nostræ orthodoxæ, fundamentique cùm dignitatem, tùm intellectionem non parùm facientia, quæ cùm in chartam conjecissem, & nonnullis, qui autoritate hâc in Academia pollent, submissè obtulissem, digna visa iisdem sunt, quæ uno systemate connexa, publicæ exponerentur luci.*

*Vestræ verò Celsitudinis, SERENISSIME ELECTOR, PRINCEPS CELSISSIME, DOMINE CLEMENTISSIME, sublimi & augusto, humilimâ subjectione, inscriptas Nomini, quascunque has prodire volui opellas, cùm, ut splendorem, quem in se habent omninò nullum, ex Illustrissima Celsitudinis vestræ luce mutuarentur, patrociniumque ac asylum, cujus omninò indigæ sunt, in ejusdem forti præsidio invenirent: tùm, ut me, Studiorumque meorum, (quæ in alma Sereniss. Celsitud. V. Academia Wittebergensi ante octennium formari cœpta, in S. S. Theologiæ hactenus versantur stadio) quantuloscunque progressus, Inclytæ Celsitudini Vestræ, subjectissimâ devotione commendarem. Cœpit sub Inclytorum V. Celsitud. Majorum, laudatissimæ memoriæ, munimine ac patrocinio, Lingua Hebræa sancta, in orbe Christiano, B. Lutheri, aliorumque Virorum Dei operâ, reflorescere, & sopita antehac, quasi ex cineribus erui: Eadem sub Inclyta Saxonica Ruta, & in Academiis præsertim Celsitudinis V. celeberrimis, vires hactenus, per Dei gratiam & benignitatem, sumsit, & incrementa toti Ecclesiæ saluberrima. Non ingratum igitur Celsitud. V. accidere reor, si ejusdem clientela & præsidio hujus etiam Salanæ Academiæ (quam quòd singulari Electorali gratia Celsitudo V. complecti hucusque semper voluit & adhuc complectitur, gratis animis humillimè omnes agnoscimus) Hebrææ Musæ sese devotissimè submittant, subjiciantque. Deum Ter Opt. Max. quotidianis invoco gemitibus, ut, Serenissimam Vestram Celsitudinem quam inter veræ Ecclesiæ Patronos ἀκρότητα καὶ κορυφὴν, summâ eminentissimaque in luce constituit, imposterum etiam ad annos usque Nestoreos gloriosè conservare, & sospitare eidemque omnia ea concedere affatim velit, quibus primæva Ecclesia, Tertulliano teste*

In Apologet. c. 30.

pr

*pro Imperatoris salute, summo supplicasse Numini consueverit*, vitam nimirum prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum & QUÆCUNQUE HOMINIS ET PRINCIPIS VOTA SUNT. *Scribebam Jenæ die 9. Novembr. Anno nati Messiæ 1623.*

Serenit. & Illustriss. Celsitud. Vestræ

*subjectissimus*

SALOMON GLASSIUS. L.

# DECANUS,
# SENIOR ET DOCTORES
## THEOLOGICI COLLEGII IN ACADEMIA JENENSI,

*L. S. P.*



Nter ἐγκλήματα, quæ Scripturæ præter omne meritum à Pontificiis i tentantur, haud postremum locum obtinet illud, quo statuunt, fon Hebræos in V. & Græcos in N. Testamen. hominum partim maliti partim incuriâ, corruptos esse, ut ad eos propterea provocari in co troversiis non satis tuto possit. Grandis profectò dica, quam tabulis D viventis scribunt, insignis injuria, quâ fidei nostræ fundamentum af ciunt, illudque convellere nituntur, audaciâ & impudentiâ tantâ, ut ea quidam ex ipsis sanioribus Pontificiis, utpote *Cajetanus*, *Johann Isaacus*, *Benedictus Arias Montanus*, *Sixtus Senensis*, *Guido Fabrici Marcus Marinus*, *Eugubinus Steuchus*, *Pagninus*, *Ludovicus Vives*, *Franciscus Lucas Br gensis*, *Franciscus Ribera*, Pererius, & ex parte ipse *Bellarminus*, abhorreant. Quod si eni fontes eo modo sunt corrupti, utique longe magis corruptæ erunt translationes, cùm rivi nunquam puriùs fluant ipsis fontibus, sicque non ampliùs purum & incorruptum habebim summum fidei nostræ principium. Si fontes corrupti sunt, in jus vocabitur Christus & Ap stoli, quod ob immane illud sacrilegium Judæos nequaquam taxaverint, cum ἁμαρτήματα ip sorum alia, longè minoris æstimanda, tàm graviter reprehendant. Si fontes corrupti sun periclitabitur provida Dei circa Ecclesiam cura & sapientia, quod corrumpi permiserit i lud, à quo fidei nostræ sinceritas atque integritas unicè pendet. Si fontes corrupti sunt, fru straneum erit studium atque inanis opera, quam exactiori sacrarum linguarum cognitio Theologiæ Candidati impendunt. Et quæ sunt hujus generis ἄτοπα καὶ ἀσύςατα complura ex hypothesi de fontium corruptione affatim promanantia. Inter illos διεφθαρμένες τὸν νῦν ἀ θρώπες, ut cum Apostolo loquamur 1 Timoth. 6. v. 5. qui sensus se habere corruptos demon strant, dum fontes Scripturarum corruptos esse clamitant, vel principem locum obtinere v luit Jacobus Gordonus Huntlæus Scotus, homo Jesuitici Ordinis, qui in stadio isthoc gnavit se exercuit, & multis in medium ex utroque Testamento adductis exemplis comprobatum d re voluit, Judæorum partim malitiâ, partim verò librariorum incuria, in locis quamplur mis fontes non ampliùs fluere limpidos, ut proinde ad Ecclesiæ Romanæ, h. e. ut ultima an lysis docet, Pontificis Romani judicium, in fidei controversiis, tanquam ad sacram anch ram, & unicam corruptelarum remedium, sit confugiendum. Indignum istud facinus pau pressiùs considerans Vir Reverendus & Clarissimus Dn. SALOMON GLASSIUS, SS. Theo Licentiatus, sacrarum Linguarum in hac Academia Professor publicus, Amicus & Colle noster honorandus ac dilectus, ad partes officii divinitus sibi commissi vel maximè pertine judicavit, Gordoni illius nodos Gordios gladio verbi cœlestis secare, & Scoti illius λόγυς σκ τεινὺς veritatis luce dispellere, id quod pio ac laudabili zelo aggressus, felicissime DEI b neficio absolutum dedit. Quantum enim in hac quæstione, ab aliis, quod nos quidem sci mus, nondum plenè & enucleatè pertractatâ, & aliis cognatis materiis, ad solidam Scrip ræ sacræ explicationem plurimum omninò facientibus, præstiterit, piè eruditi & pruden Lectores ex hoc scripto, nobis etiam tacentibus, facilè intelligent, ac nobiscum seriis gemi bus DEUM invocabunt, ut hoc salutare Spiritus sancti organum, magno Ecclesiæ emo mento olim futurum, diu salvum & incolume conservet, ut hujus generis scripta complur quæ partim confecta, partim affecta secum habet, inter quæ Grammatica, Logica & Rh torica sacra eminet, in commune Studiosæ juventutis commodum publicæ luci propediem e ponere possit. Vale, Lector benevole, & Collegæ nostri sanctis laboribus gratâ mente ute

Perscriptum JENÆ Calend. Novemb. Anno 1623.

LIB

# LIBRI III. ET IV.

# PRÆFATIO
## AD
# LECTOREM,
## PIETATIS AC ΦΙΛΟΛΟΓΙ'ΑΣ SACRÆ. STUDIOSUM.

*Cclesiam tantùm debere esse Grammaticam, hoc est, non debere fingere res no-
vas, aut nova dogmata gignere, sed ea, quæ à Spiritu sancto tradita sunt,
debere discere ex genuina significatione vocabulorum, quibus in tradenda do-
ctrina cœlesti Scriptura utitur;* graviter monet B. Chemnitius, Theologo-
rum illud decus & lumen omni commendatione majus. Qui etiam de vo- Part. 2. Loc.
cibus, quibus Justificationis nostræ gratuitæ doctrinam Scriptura sacra Theol. p.
proponit & explicat, inter alia sic loquitur: *Amissâ verâ Grammaticâ,* 217. Ib.
*statim extincta est lux purioris doctrinæ: & cùm nostro tempore restitueretur* p. 246.
*vera Grammatica enarratio vocabulorum in hoc Loco, rursus restituta est pu-
ritas doctrinæ. Nec possumus custodes esse doctrinæ hujus Loci divinitùs repurgatæ, nisi Grammati-
cam discamus & amemus.* Et hoc non de vocabulis solùm, nominatum fidei Christianæ arti-
culum & religionis sinceræ acropolin concernentibus, sed universim de tota Spiritus sancti li-
teraturâ, quâ codicem salvificæ doctrinæ perscribi curavit, verissimum esse, meritò fatentur
omnes, qui rectâ veritatis trutinâ rem tantam expendunt. Ex eoque quàm necessarium sit Tit. 1.
cuivis, *ἐπίγνωσιν ἀληθείας κατ' εὐσέβειαν* accuratiùs sectanti & ardentiùs desideranti, Gram- v. 1.
matices sacræ studium, haut difficulter patet. Tantundem sanè in rebus cœlestibus ac divi-
nis scimus, (dum per speculum in ænigmate cernere nobis, & ex parte cognoscere ac pro-
phetare in hac vitâ datur) quantum ex vocum phrasiumque, quibus Spiritui sancto mysteria 1 Cor. 13.
regni cœlorum proponere placuit, fœcundissimis significatis, & significantissimis idiotismis, v. 9, 12.
eruere possumus, id quod absque Philologiæ & Grammatices sacræ operâ fieri nequit. Cu-
jus equidem necessitatem, si non verbis, facto tamen negatum ire multos, qui in Theologiæ
studio versantur, certissimum, at summè dolendum est: in quos rectè convenit, quod vir
longè doctissimus Ludovicus Vives, in vivido illo de caussis corruptarum artium libro, scribit:
*Quidam oderunt magis hanc disciplinam* (Grammaticam) *quia ignotam sibi, quam contemnunt* lib. 2.
*tanquam vilem aut se indignam. Sed ne odisse existimentur, contemtum aut negligentiam præ se* p. 72.
*ostendunt, tanquam eam pro nihilo ducant, curâ rerum præstantiorum occupati, resque huc est
paulatim deducta, ut Grammatici nomen jam objiciatur pro convicio &c. Ignoscendum quidem
est inscitiæ linguarum, indocta tamen arrogantia castiganda.* Hæc ille, quæ si ad eam etiam,
de qua loquimur, Grammaticam sacram Biblicamque applicentur, verissimè dicta esse, cui-
vis pio rerum sanctarum æstimatori apparebit. De Johanne Dullardo quodam idem Vives Ibid. p.
refert, quòd ab eo sæpius ingestam sibi hanc vocem audiverit: *Quantò eris melior Grammaticus,* 73.
*tantò pejor Dialecticus & Theologus.* O verò quot in Scholis Theologicis Dullardus hic reliquit di-
scipulos, qui hoc quasi sufflamine quodam, à venerabili Linguarum studio, retracti, sponta-
neâ quadam inscientiâ insanire malunt, quàm cum piè eruditis rectè sapere, & minima illa
(uti ipsi quidem putant) consectando, ad maximorum in divino codice mysteriorum cognitio-
nem pervenire. Rectius profectò saniores Theosophiæ Magistri, qui, *quantò eris melior
Grammaticus, tantò melior Theologus,* suis inculcare discipulis, & ad studium linguarum ac-
curatiùs eos exhortari perquam sedulò, non desistunt. Quorum ego vestigiis insistens, & salu-
taria præceptorum meorum honoratissimorum, cumprimis Reverendi plurimùm & longè

omnium

omnium Celeberrimi, deque universâ Ecclesia & me etiam, indigno ejus ministro, perquàm
meritissimi Theologi, Domini D. Johannis Gerhardi (quem honoris, observantiæ & debitæ
gratitudinis causâ nomino) monita cupidè imbibens, in linguis, quibus Codex divini Canonis originaliter perscriptus habetur, non ultimum hactenus studium posui, & eò per Dei
ineffabilem gratiam profeci, ut vivum validumque in corde meo testimonium sentiam illius,
hom. 36. quod alicubi Magnus ille Theologus, D. Brentius ait: *Est sacra Scriptura veluti fons quidem,*
in 1 Sam. *in bono terræ loco scaturiens, quem quò altiùs foderis, eò magis exuberantem invenis: ita quò di-*
11. *ligentius sacram Scripturam perscrutaris, eò abundantiores aquæ vivæ, hoc est, doctrinæ pietatis,*
*venas reperies.* Certè ita est, nec unquam ejus profunditatem sapientissimam, & profundissimam sapientiam exhaurire in mortalitate isthac quisquam potest: unde non immeritò & *fontem & puteum* Cant. 4, 15. vocari, quidam veteres tradunt: Fontem quidem, *quia sic sapientiæ aquam generat, ut & potantes semper reficiat, & tamen manare non desistat.* Puteum verò, *quia magnâ inquisitione aliquando eget, sicut puteus in imis latens omnes se quærentes majori*
*labore exercet*, quæ Gregorii in allegatum Cantici Canticorum locum verba sunt. Id quod
in expo- non de rebus modò ipsis, mysteriis videlicet sublimibus, *ὑπὲρ κατάληψιν*, Justini verbo, po-
sit. fid. p. sitis; itemque de doctrinarum consolationumque divinarum copia & efficacitate mirandâ in-
304. telligi velim; sed & de verbis & loquendi charactere, qui majestate, gravitate, & *ἐνεργείᾳ*
quadam reconditâ, ab inspirante Spiritu sancto ita refertus, ut nunquam satis plenè cognosci, ne quead perfectam Philologiæ sacræ *σωματοποίησιν καὶ συγκεφαλαίωσιν* reduci à quoquam possit, quin potiùs exclamare hic compellantur doctissimi etiam linguarum sanctarum Magistri; *quantum est, quod nescimus!* & fateri necessum habeant, in Grammatica sacra, ubi ad summum in hac fragilitate ventum est, titulum ejus meritò scribi: *Verbum defectivum cujus cætera desiderantur*: usque dum videlicet in cœlestem Academiam pii verbi divini scrutatores translati fuerint, in qua *prophetiæ abolebuntur, & linguæ cessabunt, & scientia abolebitur (quâ ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus) & à facie ad faciem, sine speculo in ænigmate,*
1 Cor. *contemplabimur*, quæ D. Pauli Apostoli de beatissimo futuri seculi in æternitate statu, verba
13: 6. 9, sunt. Hæc igitur, ut dixi, *ἐν ἀνδρωπί*, lætus tamen & in Deo ovans, cognovi hactenus, &
12. indies cognosco magis magisque, & ob hæc fontem illum puteumque vitæ æternæ humillima
devotione veneror & admiror, & in eo jugi lectione ac meditatione me oblecto, interque varias hujus mundi pravissimi cruces atque mortes refocillo, adeoque, quamdiu Spiritus hos re-
Ps. 68: get artus, מִמְּקוֹר יִשְׂרָאֵל ex vena Israelis purissima, in Ecclesiis, laudum præconia Domino
27. Deo nostro psallere non cessabo, quòd mentem meam Spiritu suo clementissime direxerit, &
Ps. 23: 2, ab omnibus vanæ scientiæ lacunis sordidis, ad limpidum hunc vivificumque æternæ salutis
3, 6. fontem deduxerit: secundùm quas requiei aquas ut me porrò deducat, & his animam meam
quietam efficiat, & per orbitas justitiæ me ducat, propter nomen suum, atque sic bono & benignitate suâ me prosequatur omnibus diebus vitæ meæ, toto mentis affectu precor. Sed ad institutum præsens ut accedam; illorum, quæ in codice sancto, & aliquibus ejus interpretibus observavi (literaturam sanctam quod attinet potissimùm) partem aliquam, Grammatica isthac sacra comprehensam, publicæ luci nunc expono, non tàm sponte meâ proprioque consilio & ausu, quàm virorum Clarissimorum, quibus usus sum semper, & adhuc humili cum observantia utor præceptoribus, crebro instinctu hortatuque, ceu calcaribus quibusdam, ad hunc laborem adductus. De quo notari velim, non dari hic Grammaticam in Abstracto, seu certæ alicujus Linguæ, ejusque addiscendæ præcepta, apices & elementa *τεχνικῶς καὶ ἐπιτομικῶς* pertractantem: sed in Concreto, ut ita loquar, seu ad Scripturas sacrosanctas applicatam, earumque voces, phrases & sententias, eruendi sensus genuini (quem literalem vocant) causâ expendentem; adeoque ad usum quodammodò transferentem ea, quorum causâ in addiscenda Hebræa vel Græca Grammatica, à Philologiæ sacræ cultoribus industriis tantoperè desudatur. Quæ causa est, quòd Etymologiæ & Syntaxeos necessario aliàs & usitato illo discrimine, diversaque ratione non attenta primariò, ad eam, quam proposui, tractationis methodum omnia reducuntur: quodque consicta artis istius elementaris septa pro re natâ quandoque transiliuntur, & ad ea tractanda liberius excurritur, quæ alius potius quàm Grammaticæ considerationis videntur primâ fronte esse: & tamen, si res rectè pensitetur, per commodam *ἀναλογίαν* huc referri possunt, quin referri etiam necessum est, ut & integritas præstitutæ *ἐξηγήσει*, & sua libro utilitas integra ac intemerata constet. E. G. Concreti & Abstracti doctrina ad Logicam vel Metaphysicam propriè spectat, neque tamen injustè & inutiliter sub primum statim hujus Grammatices sacræ vestibulum ea proponitur ut Lectori sponte suâ patebit. 1 De Actione & causa Efficiente, an per se sit, an per accidens

dens (uti loquuntur) vel quâ ratione alicui agenti attribuatur, Logicæ διασκέψεως est: at in Grammaticâ sacra, ubi de activo verbo agitur, percommodè id, ex Scripturæ effatis quibusdam, proponi, fatebuntur omnes, qui veritatem ritè ponderabunt. Quò pertinet, occurrere quædam, hic pertractata, quæ ad Rhetoricam quidem sacram pertinere propriè videntur, ad complementum tamen huic Syntagmati præstandum silentio prætervehi, ordine sic exigente, non potuerunt. Taceo jam ea, quæ merè Theologica sunt, & utiliter tamen intermixta hîc, suo quæque loco, conspiciuntur. Quod si quis ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν me suspicetur dicatve, is suo sanè abundet sensu, interim tamen non unam tantùm; sed & alteram tituli partem attendere ipsum velim. *Grammaticam* voco, sed *sacram*, hoc est, ad Scripturam sacram Vet. & Nov. Test. exactè respicientem, & ejus ritè intelligendæ usui unicè consecratam ac inservientem. Is igitur ut obtineatur usus, quis tàm angustos tractationi huic ponet limites terminosque, quos ultra citraque verum (quod dicitur) non possit consistere? Grammatici profani officium ita Vives, citato antè loco, describit: *Porrò quid Grammaticus profitetur: non solùm literarum & vocum peritiam, quanquam neque hoc omninò parum; sed intelligentiam verborum & sermonis totius, cognitionem antiquitatis, Historiarum, carminum; denique veterum omnium scriptorum interpretationem. Quid potest hoc majus vel amplius in studiis dici? Quâ de causa illis permissum est, de Scriptoribus cujusque generis judicium &c.* Ex quibus, conveniente factâ ἀναγωγῇ, quid Grammatices sacræ tractationem suscipienti agendum sit (utinam verò dignè, uti decet, agi à quoquam id possit!) quamque amplissimus decurrendi quasi campus apertus ipsi sit, non obscurè conjici potest. Quid verò multis? sufficiat tuendo huic Grammaticæ sacræ titulo, quòd Spiritus sancti idiotismi, in Scripturis ejus divinis occurrentes, secundum *octo orationis partes*, vulgò sat tritas notasque, σαφῶς καὶ εὐπαρακολουθήτῳ μεθόδῳ disponuntur, etiamsi artis ἀκρίβειαν & subtilitatem quædam non attingant. Sed missis his, ad nominatam jam methodum progredior, in qua adornanda & contexenda quasi hujus Libri tela, ita versatus sum, ut totius tractationis una & perpetua sit συνάφεια, seu Canonum & Observationum connexio; ita ut facillimo labore, in synopticas tabellas redigi omnia possint, si quem istiusmodi παιδείας τρόπος delectet. Atque hic cohæsionis nexus, præpositis dicendorum titulis, vel voci, *continuatio*, subjicitur. Indicem duplicem addi curavi, quod auctarium quàm necessarium & utile sit in quibusque libris, commodè declarat Johannes Buxtorfius, Magni illius Buxtorfii filius, nominis & famæ ejus ἐξ ὁλοκλήρου hæres, in vestibulo præfationis super aureum opus Concordantiarum Hebræarum. Verùm ea tantùm in priorem Indicem relata sunt Scripturæ loca, quæ additam habent explicationem, vel succinctam, vel uberiorem. Quorum verò sensus ex ipso canone desumendus, quæque nudè allegata sunt, sine verbis Scripturæ additis (quorum numerus benè multus est) ea in Indice prætermissa sunt: & tamen hæc etiam in Synopsi quâdam ob oculos habere, tyroni non inutile foret. Si cui visum est, poterit hanc lacunam non difficili labore explere. Non prætereundum autem, cùm diversa capitum Biblicorum V. Test. & sic etiam thematum sive versuum in diversis codicibus sit distinctio (unde discrepantia quædam in allegatis locorum Scripturæ numeris non raro occurrit, dum modò hunc, modò alium in manu Codicem habui) in Indice ut plurimum eam, quæ in Benedicti Ariæ Montani Bibliis, cum versione interlineari, occurrit, distinctionem attendi. Tandem, quod antè leviter tactum, hic uberiùs paulò repetendum & monendum est, ad sacram hanc Biblicamque Grammaticam ritè intelligendam, inque usum convertendam, prærequiri, si non exactam & eminentem (quæ cuivis non obtingit) tamen mediocrem linguæ utriusque, Hebrææ & Græcæ, scientiam. Neque enim, ut supra dictum, illarum Linguarum principia & elementa hic traduntur; sed harum jam tùm cognitorum usus & applicatio in enucleandis Scripturarum divinarum sententiis ostenditur. Qui Theosophiæ suam locârunt in Domino JESU operam, & consecrârunt vitam, εὐνόως monenti mihi, alliisque, qui rectè sapiunt, patulas, quæso, promtè concedant aures mentesque; & Linguarum prænominatarum studium in pretio magno habeant, & ferventer tractent: certique adeo sint, frustrà rem omnem se occepturos ac gesturos, si earum Linguarum animos suos odium, vel addiscendarum tædium occupaverit. Quod ut aliquantò fiat luculentius, verba Erasmi Roterodami adscribam, præclari illius viri, & Argi oculatissimi in cernendis; simul & Aristarchi diligentissimi in taxandis Ecclesiæ Romanæ erroribus atque abusibus benè multis; quem nisi pusillanimitas & ἀνθρωπαρέσκεια in diversum rapuissent, sique, quod quidam non invenustè ait, *Placentiam* prætervectus, rectà *Veronam* cursum direxisset, nullum ferè salutarius, post θεόγλωσσον καὶ θεάνδρα Lutherum, Ecclesia habitura fuisset, omnis eruditionis Theologicæ ταμιεῖον. Ita verò ille in enucleatione adagii:

Chil. 1. cent 9. Adag. 55. *Illotis manibus vel pedibus: Proverbium*, inquit, *rectè usurpabitur in eos, qui vel audaciùs, v*
*parùm instructi rebus his, quibus oportuit, negotium invadunt: veluti, si quis divinas Liter*
*interpretari conetur, Græcæ, Latinæ, & Hebraicæ Linguæ, denique & omnis antiquitatis vac*
*& imperitus, sine quibus non stultum modò, verùm etiam impium est, Theologiæ mysteria tracta*
*da suscipere. Quod tamen, heu nefas, jam passim plerique faciunt, qui frigidis aliquot instruc*
*Syllogismis & puerilibus sophismatis, DEUM immortalem! quid non audent? quid non præc*
*piunt? quid non decernunt? Qui si possent cernere, quos risus, vel potiùs quem dolorem movea*
*Linguarum & antiquitatis peritis, quæ portenta proferant, in quàm pudendos errores subin*
*prolabantur; nimirum puderet illos tanta temeritatis, & vel senes ad prima literarum elemen*
*redirent. Multi rectè judicant, absque Dialecticæ præceptis, ut ne dicam Sophisticis cavill*
*Sapiebant mortales, & priùs, quàm Deus istorum, Aristoteles nasceretur. Nullus unquam sen*
*tentiam alicujus intellexit, ignarus sermonis, quo sententiam ille suam explicuit. Proinde Divi*
*Hieronymus, cùm constituisset arcanas interpretari Literas, ne illotis, ut ajunt, pedibus ve*
*nerandam aggrederetur, quæso, num Sophisticis nugis instruxit ingenium? num Aristotelicis decretis*
*num his etiam nugacioribus nugis? minimè: quid igitur? inæstimabili sudore trium Linguarum pe*
*ritiam sibi comparavit, quas, qui ignorat, non Theologus est, sed sacra Theologiæ violator; a*
*verè manibus pariter ac pedibus illotis, rem omnium maximè sacram non tractat, sed profanat*
*conspurcat, violat.* Hæc Erasmus, in amplissimo illo Philologiæ campo, *in quo erudit*
*multiplex, omnia grata, elegantia, aut ipsæ potius Gratiæ, sales, dicteria, gemmæ, lumina*
*denique Atticæ Musæ, copiæ cornu, Ilias bonorum*; ut Adagiorum illud opus Conradus Gesneru
Fol. 189. in Bibliotheca sua appellitat. B. Lutherus in eodem Argumento pertractando, & ad Lingua
rum sanctarum studium exhortando multus est, præsertim in Germanica ad Germaniæ civita
tom. 1. Ien. tes exhortatione, de Scholis erigendis, in qua alia inter ἀξιομνημόνευτα, *hanc vaginam sa*
*cram esse dicit* (linguas authenticas & originales intelligens) *in qua gladius Spiritus sancti re*
Germ. fol. 474. seqq. *conditus; hanc cistam, in qua κειμήλιον verbi nobile depositum; hoc vasculum, in quo potus vit*
Matth. 14. v. 20. *contentus; hoc penuarium, in quo cibus salutis asservatus; & secundum Evangelium, hos cophi*
*nos, in quibus panis cœlestis, & eorum fragmenta collecta habeantur.* Neque minùs emphatici
Joh. 6.13. &c. sunt, quæ in explicatione vocis Hebrææ למנצח ad Psalm 45. titulum ponit: *Etsi* (inquiens
tom. 3. Ien. Lat. f. 462. *lingua Hebrææ nullus alius esset usus, tamen pro gratiarum actione discenda esset, quòd pars qua*
*dam Religionis & cultus Dei est, eam linguam docere, vel discere, quæ sola, quicquid usquam*
*divini est, docet. Auditur enim in ea Deus loqui, audiuntur Sancti invocantes & maximas re*
*gerentes, ut studium, quod in hanc linguam discendam collocatur, missa quædam seu cultus De*
*meritò vocari posset. Quare seriò vos hortor, ne eam negligatis &c.* Et paulò post: *Scio,*
*quantum mihi contra hostes meos profuerit. Quare hac quantulacunque cognitione infinitis milli*
*bus aureorum carere nolim &c.* Sed nolo hæc uberiùs prosequi. Ad te, Lector benevole,
redeo, & ut oculo benigno hæc nostra adspicias legasque & לכף זכות lance æquitatis (quod
Hebræi ajunt) judices, rogo. Si tibi non ingrata ea vel infrugifera esse cognovero, plura
imposterum (præsertim etiam Rhetoricam sacram) pro ingenii viriumque divinitùs concessa-
rum modulo, elargiri suo tempore non gravabor. Sicque, quod unum reliquum est, in Do-
mino nostro Jesu Christo te rectè valere, mecumque sacrificia laudis ipsi ex intimis pectorum
penetralibus offerre jubeo, quod in verbi sui luce salvifica nos vivere & versari clementer con-
cesserit, (ò quanta & quàm ineffabilis hæc gratia, imò hæc gloria!) per quam, ut auream
justitiæ portam, omnibus piis verbi scrutatoribus ingredi datur in lucem æternæ beatitudinis,
Esa. 60: 19, 20. *in qua non erit ampliùs Sol in lucem diurnam, & quoad splendorem Lunæ, non illustrabit nos:*
*sed erit Jehova nobis lux perpetua, & completi erunt dies luctus nostri.* Huic benedicto Deo &
omnis benedictionis fonti, sit laus honor & gloria in secula seculorum, Amen. Sondere-
husi A. 1634.

*Ad Virum plurimùm Reverendum, Clariſſimum, Excellentiſſimum,*

# DN. SALOMONEM GLASSIUM,

SS. Theologiæ Doctorem &c.

προσφωνήματα.



INcola Sionici GLASSI clariſſime montis,
Et Solymæorum gloria magna Virûm!
Cui latices linguæ fœcundi pectus inundant,
Quâ ſua quis ſubiit promere ſenſa DEO.
Quod Sophiæ profunda ſacræ rimaris, & inde
Extrahis auriferos pervigil arte globos.
Extractosque bonus multorum exponis in uſus.
Nam commune bonum, pluribus eſſe ſolet;
Lætor, & opto tibi, vires DEUS addat & annos,
Ac reducis faciat tempora pacis agas,
Quo Philo-ſter Logiæ tandem ſyſtema ſacratæ,
Confectum genii ſedulitate tui.
Mnemoſyne titulum figat cui grata perennem:
*Glaſſius hoc Salomon nobile cudit opus!*

*Pro veteri, paterno, ſinceroque affectu fudit*

JOH. MAJOR, D. & p. t. Academiæ Salanæ Rector.

---

*ERgo meum tenue, ô GLASSI, ſuffragium, honorem,*
*Addis Grammaticæ, quam nunc meditaris, Hebrææ,*
*Quâ rectè ſancti cognoſcere verba Jehovæ,*
*Vir præclare, doces; quâ non limatior ulla*
*Orbe Lutherano viſa eſt: quam laudibus ornat*
*Theiologum Veneranda Trias Jenenſium, & amplis*
*Elogiis decorat: quam MAJOR, quamque GERHARDUS,*
*HIMMELIUSQUE, Viri tres, & tria lumina magna,*
*Concelebrare ſatis nequeunt? ô pondus amoris*
*Erga me! motus quo tàm ſublimia de me*
*Speras: tot mihi non ſuccurrunt aurea verba,*
*Queis operas laudare tuas, μελετήματα queiſve*
*Commendare queam digne; Clariſſime DOCTOR.*
*Ede igitur librum ſubito, & pro carmine noſtro,*
*Vino vendibili haut hedera ulla opus eſſe, memento.*

MATTHIAS HOE ab Hoënegg D. Aulæ Imperialis & Sacri Palatii Lateranenſis Comes, Sereniſſ. Saxoniæ Electori à Conſiliis Eccleſiaſticis, Confeſſionibus ſacris, & Concionibus Aulicis primariis.

---

GLASSI Theiologæ ſidus prælustre cathedræ,
Delitiumque DEI, delitiumque hominum!
Sæpius hoc mecum memori ſub pectore volvo;
Ac mentis trutinâ pendo, rependo meæ,
Quis tuus in ſtudiis ardor, quàm præpete curſu
Sectatus fueris Euſebiæ acropolin,
Cùm plures ageres mecum quàm quattuor annos,
Muſéi & menſæ portio cara meæ.
Jungebas noctique diem, noctemque diei,
Nec vacua à ſtudiis hora vel una fuit.
Luſtrabas patrum monumenta, libroſque ſacrorum,
Sive illos Latium, Græcia ſive tulit.
Nil erat occluſum, nil clauſum, nilque negatum,
Quicquid habet noſtræ Bibliotheca domus.
Hebræus Codex & Græcus fœderis almi,
Finis erat ſtudii, principiumque, tui.
Quos verò tulerit tàm rara induſtria fructus,
Edita jam pridem publica ſcripta docent.
Præripit his palmam, cedro digniſſima, ſacra
Grammatice, luci quæ modò viſa dari.
Hanc meritò ſtudii lucemque ducemque ſacrati
Dixero; qui leget hanc, ſat ſcio, dicet idem.
Perge tuam porrò ſcriptis extendere famam:
Perge placere DEO, perge placere bonis.

Φιλοφιλίας ἕνεκα fac.

JOH. GERHARD, D.

*TEmpore quæ longo, multoquærenda labore,*
*Nunc hinc, nunc illinc, ante fuere tibi,*
*GLASSIUS hæc junctim collecta redegit acutè*
*In parvum magnâ sedulitate librum.*
*Discentes debent, debent quoque multa Docentes,*
*GLASSI, pro tanta dexteritate, Tibi.*
*His, studiosa cohors, studiosè ac pectore grato*
*Utere: Tu GLASSI perge juvare bonos.*

JOH. HIMMELIUS, D.

---

IN sacris multum est, trutinare cacumina vocum,
Aptaque verborum significata dare.
Notitiæ rerum, quas pagina sancta repandit,
Felicem clavem dixero Grammaticam.
Hanc qui non didicit, sine lumine cœcus oberrat,
Qui non Grammaticus, non mihi Theologus.
Delitias habuit vocum penetralia summas,
Quem *Sanctum Nomen* Lingua Pelasga vocat.
Inculcant, urgent calidis conatibus artem
*Flacius Illyricus*, *Chemnitiusque* pius.
GLASSIUS hanc Trigam noviter supplere laborat.
Edens Grammaticam. Hâc utere, lector, ovans.

MICHAEL WALTHERUS, D.
Ecclesiarum in Comitatu Frisiæ Orientalis Superintendens generalis, & aulæ Auricanæ Ecclesiastes.

---

*QUis ergo tandem, Theologiæ jubar prælustre, GLASSI, chalcographis typis,*
*quam seriis votis tot annos*
*docta caterva virûm expetivit,*
*tuam videmus GRAMMATICAM SACRAM,*
*mentis sagacis, GRAMMATICAM, auream*
*scriptum, editam, nostra manuque*
*volvimus, atque avidi legendo*
*lustramus. o factum benè! gloria*
*fama perennis non deerit, polo*
*sol quamdiu splendet, feretque*
*posteritas Tibi sera grates,*
*Te Jova servet incolumem! à* λόγῳ
*cui nomen, Artem & RHETORICAM ex brevi*
*sistas aprico, SACRÆ opus quò*
*sic PHILO-sit-LOGIÆ absolutum.*

Fundeb. jure meritoque

PHILIPPUS Horst/ P. P

---

LInguarum solis ne cedat gloria Belgis,
Glassi, scriptorum dexteritate vetas.
Glassius esto dein; Belgas æquabis, & oras
Nostras ad coelos laude virente vehes.

*Amico dulcissimo F.*

JOH. MICHAEL Dilherr/ P. P

---

רת הספר שחבר איש בריתי
ין הקר בינתו נבחר עמיתי
היטב נקרא הוא מפתח לתורה
מקדש פותח הערה טהורה׃
חלק הטוב אוצר ומקור תבונה
מתוכו יביע חכמה אמונה׃
מימי העתו צפו הרבה כפישון
אחריו ישקו את־גדול וקטן׃
רו בחשך מאיר את־ נתיבה
נה אורו תזרח בכל־ ישיבה׃
תפיק מזן אל־ין בשרה ברוך אל
תוסיף אדני עוד הצליח בבית אל׃
שים גם על־ראשך יפה עטרה
גם איש השם תהיה בכל־כנסת׃

HUGO SCHUNCK, Archi-Diacon. Sondershus.

IN

## *IN LIB. V. SEU RHETORICAM SACRAM EPISTOLA*

### ΕΙΣΑΓΩΓΙΚΗ

### DE

# ELOQUENTIA SACROSANCTÆ SCRIPTURÆ IN GENERE,

### ET

# SIMUL NUNCUPATORIA,

*Ad*

*Reverendum plurimùm, Magnificum, & Præclarissimum Virum, Dominum.*

# D. JOH. GERARDUM,

Theologum incomparabilem, & de Ecclesia Christi universa benè meritissimum, Professorem publicum in Salana Academia primarium & celeberrimum,

*Dominum, Præceptorem, & in Christo patrem suum, toto animi affectu colendissimum.*



SApientia divina, in Scripturis sacrosanctis recondita, etsi plausibili illo & fucato eloquentiæ humanæ ornatu destituitur, nec *rapido levique* (uti per פחזות *rapiditatem levitatemque*, hoc dicendi genus Jerem. 23:32. denotari, haud inscitè Junius & Tremellius existimant) orationis cursu fertur, veræ tamen, gravis, genuinæ, adeoque divinæ, tantaque mysteriorum cœlestium majestate dignæ eloquentiæ expers non est, sed amico necessitudinis fœdere hanc sibi conjunctam possidet. Quod uti verissimum est, ita multorum, qui dulcedinem Suadæ illius cœlestis in cordibus suis degustârunt, testimoniis comprobatum dari potest. Inter eos verò, quorum hâc de re suffragia adducturus sum, primum meritò, *Vir Magnifice & Excellentissime*, apud me obtines locum, qui tot annos in explananda inculcandaque aliis Suadâ isthac cœlesti, cujus gustum *πίονι μέτρῳ* divina tibi benignitas concessit, tàm vivâ voce, quàm vividis scriptis, desudasti, inter quæ caput exserit aureus gemmeusque in harmoniam Euangelistarum quatuor, commentariorum thesaurus. Tuum igitur reliquis, basis velut cujusdam loco, substruam testimonium, quod in exegesi tomi primi locorum Theologi-

De eloquentia sacræ Scripturæ testimonia Doctorum.

Gerhard. logicorum extat, de Script. sacr. cap. 12. §. 306. 307. *Forma externa Scripturæ sacræ* (inquis) *est, tùm idioma linguæ Hebrææ, quo vetus, & Græcæ, quo novum perscriptum est Instrumentum: tùm sermonis ac styli, quo in Scriptura Spiritus S. utitur, proprietas, imo singularitas, simplicitatem & majestatem, miraculo verè divino, conjunctam habens. Sermonis genus, quo Scriptura est exarata, est simplex, nullam redolens humanam & fucatam eloquentiam, interim tamen est augustum, & ad percellendos hominum animos maximè efficax, 1 Cor. 2, v. 1. cùm venissem ad vos, non veniebam καθ' ὑπεροχὴν λόγου ἢ σοφίας, cum sublimitate sermonis vel sapientiæ,* (puta humanæ,) *annuntians vobis testimonium DEI* (hoc est, Euangelium) *v. 4. Et sermo meus, & prædicatio mea non fuit ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis* (in flosculis & schematibus Rhetoricis) *sed in demonstratione Spiritus & potentiæ,* (id est, in verbis spiritualibus, potenter & efficaciter corda moventibus) *Derogat sibi Apostolus eloquentiam humanam, non autem divinam, ac perstringit eos, qui πρὸς χάριν λέγοντες ἀνθρωπαρέσκειαν in suis concionibus affectabant, ac verborum lenociniis & phaleratis dictis plebem demulcebant, quique pro oratione sanctimoniâ & divinæ virtutis plena, comtam, calamistratam, papavere & sesamo sparsam, & ex mellitis verborum globulis contextam afferebant, ut Seneca loquitur, doctrinæ nucleum interim negligentes. Verè mirandum ac singulare est, in stylo Scripturæ conjungi tùm simplicitatem, tùm majestatem, ex quibus simul junctis styli illius proprietas ac singularitas oritur &c. Atque, ut verbo dicam, talis est Scripturæ character, qualem in aliis libris humanâ industriâ elaboratis nemo deprehendet.* Nunc, quod intendebam, prosequor. Augustinus, *in quem opulentus ille juxtà ac benignus Dei Spiritus dotes suas omnes largius effudit, quàm in ullum alium ex Antiquitatis doctorem,* censente Erasmo Roterodamo, in præfat. operum ejus, dum adhuc extra Christianismum, in errore Manichæorum versaretur, satis tenuiter de stylo & sermone sanctarum Scripturarum senserat, fatente ipsomet libr. 3. Confess. cap. 5. *Non sicut modò loquor, ita sensi, cùm attendi ad illam Scripturam; sed visa est mihi indigna, quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum ejus, & acies mea non penetrabat interiora ejus.* Verùm interiora hæc Scripturæ divinæ postquam penetrasset, & Christianus jam factus in ejus quasi penetralia se piâ meditatione abscondisset, longe rectius augustiusque tulit judicium. Ita enim lib. 4. de doctr. Christ. c. 6. eadem de quæstione disserit: *Hic aliquis forsitan quærit, utrum autores nostri, quorum scripta divinitus inspirata canonem nobis saluberrima autoritate fecerunt, sapientes tantummodo, an eloquentes etiam nuncupandi sint? Quæ quidem quæstio apud meipsum, & apud eos, qui mecum, quod dico sentiunt, facillimè solvitur. Nam ubi eos intelligo, non solùm nihil eis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes qui rectè intelligunt quod illi loquuntur, simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse. Sicut est enim quædam eloquentia, quæ magis ætatem juvenilem decet, est quæ senilem, nec jam dicenda est eloquentia, si personæ non congruat eloquentis: ita est quædam, quæ viros summa autoritate dignissimos planeque divinos decet. Hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa: ipsis enim congruit, alios autem, quantò videtur humilior, tantò altius non ventositate, sed soliditate transcendit. Ubi verò non eos intelligo, minus quidem mihi apparet eorum eloquentia, sed eam tamen non dubito esse talem, qualis est, ubi intelligo &c.* Cap. 7. pulchrè statim adductis exemplis docet, *in sacris literis inesse germanam eloquentiam, quæ sapientiæ adhæret velut inseparabilis comes,* ut in marginali hujus capitis titulo verba habent. De Gregorio Nazianzeno ita Budæus lib. 5. de asse & partibus ejus. p. 754. *Vir ille, summo ingenio præditus, summo studio literarum deditus*

Augustin. (margin) Nazianzenus. (margin)

*tur, multam ac diuturnam operam eloquentiæ & poëticæ dedit, ad quarum rerum amorem tota mente ferebatur: sed cùm tandem venisset ad studium sacræ Philosophiæ, & Sacramentum salutis humanæ intelligere cœpisset, cujus fuit unus Christus interpres & antistes, illicò ipse illa omnia literarum ornamenta in conspectum Domini abjecit, videlicet agnoscens & animadvertens, quicquid in literis Græcæ Philosophiæ ac Philologiæ vidisset, longè id abesse à divinis oraculis atque à sermone ipsius divinæ sapientiæ. Sacra enim scripta omnem haud dubiè elocutionem mentis humanæ vincere intellexit, quamlibetque figuris distinctam orationem, ac multiplici eloquio elaboratam, tamen præ divini sermonis vi ac fulgore, obscurari atque elanguescere.* Ex recentioribus optimè Matthias Flacius Illyricus, Flacius parte 2. clavis Scripturæ, col. 15. *Licèt non adsint illæ otiosæ delicatæque veneres aut illecebræ, illa externa dulcedo & blanditiæ, illa numerositas sonorum, seu nugæ illæ canoræ, in sermone sacrarum literarum, quæ in ostentatoriis oratorum aut poëtarum scriptis, tùm temporis in Græcia & Roma, maxima cum aviditate & admiratione audiebantur & celebrabantur, tamen sua gravi masculaque eloquentia ea minimè destituuntur.* Hæc ille, ad Pauli, divini Apostoli cumprimis scripta respiciens, cujus ex priori epistola ad Corinthios scripta, graviter simul monet, ne dum nostro gustui arridentem probatamque sapientiam (adde & *eloquentiam*, quæ illi adjungitur à Paulo 1 Cor. 2: 1, 4. & eandem cum ea sortem in mundo experitur) cum Græcis quærimus, & divinæ istius prædicationis aut doctrinæ apparente stultitiâ offendimur, ad quendam veluti offensionis lapidem impingamus, corruamus & pereamus. Cumque nullus mortalium suâ naturâ idoneus sit ad percipiendam sapientiam cœlestem (ejusque eloquentiam) atque omnes homines sint animales, non percipientes divina; quin potiùs contra deridentes simul & extremè odio habentes mysteria Dei; à Deo petendum esse, ut mentis oculi ab eo aperiantur, cor circumcidatur & illuminetur, atque ad tantam scientiam idoneitas donetur. De eadem eloquentiæ divinæ in ipsa simplicitate sermonis divinarum scripturarum sonantis tonantisque ratione, adversus βδελυρομάστιγας atheosque, pulcherrimè disserit vir illustris, Philippus Mornæus, in libro de veritate religionis Christianæ, c. 26. ex quo Mornæus. notabilia quædam huc transcribere placet: *Annon stylus* (inquit) *personis convenire & respondere debet? Annon eloquentiæ laus & virtus præcipua decorum? Annòn vel ex ipsis Rhetorices præceptis, unius eloquentia, alterius ineptia est? Causidicus causam aget eloquenter, moveatque affectus oportet, ut alium commoveat. Judex sententiam dicet graviter. Rex jubebit vetabitque simpliciter & purè. At si Rex persuadeat, aut contendat judex, subditi & causidici personam induunt, exuunt judicis & Regis. Itaque qualis erit lex Dei, Regis Regum, & Domini Dominantium? Volumus, credo, Deus noster utatur inductionibus, ut Plato; syllogismis, ut Aristoteles; Elenchis, ut Carneades; Epiphonematis, ut Cicero; argutiis, ut Seneca; deligat verò verba ad pondus, ad numerum, ad sonum, & vocabula longè petita, allegorias à vulgi auribus alienas inserat. Si fortè edictum regium eo orationis genere edatur, quis non ineptias scholasticas rideat? Et cujus non aures lacerentur, nedum mulceantur? Certè quò lex simplicior, eò etiam æterno Deo, rerum creatori, convenientior, quippe, quò simplicior est, eò vocem ejus, qui omnia potest, melius exprimit. Sed quod amplius est, quo simplicior, eò & populo accommodatior quoque: nam quæ omnibus promiscuè data est, cibi quotidiani, seu mavis, panis cibarii instar esse debet, ad omnium gustum, ad omnium palatum accommodati.*
„ *Quid si hæc Scriptura in illa humilitate plus altitudinis habet, in illa simplicitate plus*
„ *profunditatis, in illa nuditate plus illecebrarum, in illa ruditate plus vigoris & acumi-*
„ *nis, quam quas maximè laudamus & miramur? &c. Adeoque Scriptura simplicitas*

„ *efficax*

„ *efficax est, tùm ad humilium instructionem, tùm ad confusionem superborum. In Bi-*
„ *bliis habemus historias: In historia quid maximè laudamus? Veritatem; est enim historiæ essentia, veritas: veritatem verò quid magis indicat, quàm simplicitas? Stylum porrò, qui præterita revocet, & quasi rediviva ob oculos reponat. Hujusce rei quodnam argumentum majus, quàm si eosdem nos affectus legendo, quos illi, de quibus agitur, agendo sentiamus. Accedant jam ad illas nostras veteris testamenti historias: ut Isaac sacrificandus ducitur, ut Joseph à fratribus agnoscitur, ut Jephte filia occursu turbatur, ut David exitio Absolomi cruciatur; tùm certè, si fateri lubet, eam toto corpore formidationem, eam cordis commotionem, eos animi motus persentient, quæ non Oratorum Atheniensium Romanorumque actio, motus, gestus, non contentio laterum, non verborum ulla vis, si eandem historiam tractent, elicere aut inducere possint. Quòd si easdem narrationes apud Josephum legas, cui ob historiæ elegantiam, Titus Imperator statuam instituit, postquam omnia Rhetorices ornamenta adhibuit, gelidiorem te, quàm susceperit, di-*
„ *mittet. Nimirum non vult vera pulchritudo fucari; & quo magis nuda est, eò vehe-*
„ *mentius trahit; & quod aurifices dicere solent, quò gemma elegantior est, eo & auro*
„ *& opere indiget minùs, ut qui nostras Scripturas sublimibus & grandibus verbis imponere velit, perinde faciat, ac si hominem, aptâ partium compositione decorum, grallis incedentem inducat, quæ proceritati nihil addunt, naturali proportioni demunt plurimum. In Scripturis habemus etiam Prophetias, & in his minas, conciones, vehementes motus. In eo vero argumento Oratores tonant, & cothurnum induunt, quo in genere Latini Cice-*
„ *ronem mirantur. Testor hic, quicunque eâdem mente, eodem animi statu, utrumque*
„ *legerunt, quid ad Esaiam, Cicero? Et quid Ciceronis blanda illa insinuationes & pue-*
„ *riles ignorantiæ excusationes ad viva & gravia, venerandaque ipsa majestate, Esaiæ*
„ *exordia? quid denique longæ illæ, quanquam numerosæ, illius periodi, quibus sibi ipse*
„ *blanditur, ad illa hujus commata, tùm concisa, tùm planè incisoria, quibus tanquam*
Cic in Tusculan. „ *conduplicatis fulminibus contumacissimos quosque stupefacit ac terret? Sed inter Græcos Cicero ipse Æschinem in illa sua adversus Demosthenem oratione miratur, quo loco sese ille in furores & convicia effundit, fanatico, quàm mentis compoti propior: quid illa eloquentiæ, vehementiæ, sublimitatis, habent (lectores utrumque adeant, rogo) ad hæc nostri Esaiæ paucula verba: Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus*
„ *est. Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem prævaricati sunt contra me: Cognovit bos*
„ *possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël non cognovit, populus meus non*
„ *intellexit. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini malorum, filiis corru-*
„ *ptoribus: Dereliquerunt Jehovam, irasci fecerunt sanctum Israëlis, alienaverunt se re-*
„ *trorsum: Propter quid percutiemini adhuc? addetis perversitatem? Omne caput dispo-*
„ *situm ad infirmitatem, & omne cor infirmum: à planta pedis usque ad verticem non est*
„ *integri quicquam; sed vulnus & livor, &c. nec constricta, nec emollita oleo. Quantum pauca hæc ingenuitatis & eloquentiæ, humilitatis & grandiloquentiæ, rationis & affectus habent? Quantò verò magis, quibus tùm lingua ipsa, tùm naturalis accentuum*
Osorius Lusitanus. *concentus nota sunt? Itaque viri nostro tempore eximii, quorum laudi nihil ideo detractum puto, paraphrases tùm in hunc librum, tùm in alios ejus generis scripserunt, & verborum delectu egregias, & omnibus eloquentia humana numeris & coloribus absolutas; quas splendorem styli Prophetici non modo non obscurârunt, sed ut tenebræ lucem, eo magis conspicuum & illustrem fecerunt: adeo præcellit omnibus nativus Scripturarum color &c.* Tandem concludit: *Ausim ego profiteri, nec apud omnes aptè dicendi scribendive peritos tueri verear, Scripturas nostras scriptas fuisse, uti conveniebat & Deo, ut scriptori, & argumento, de quo scribitur, & iis, quibus illa scripta sunt; nullumque alium stylum tam*

*aptum,*

quum, nedum aptiorem, à quoquam eligi potuisse. Deo, inquam, quia princeps verè is noster est: Principes autem suasoria ratio non decet. Argumento, quia sacrosanctum, venerandum, grave: quæ autem ejusmodi, inquit Aristoteles, fuco & pigmentis non indigent. Lectoribus denique, quia promiscua illorum multitudo est: ab omnibus vero intelligi oportuit, qua omnium credere & observare, interfuit. Hæc Mornæus. Quibus viri in Philologia magni (de erroribus non dico) Theodori Bezæ, subjungo verba, quæ de Paulinis epistolis prolata, ad totum meritò Scripturæ sanctæ systema applicantur. Ita autem ille in annot. 2 Corinth. 11. ỳſ. 6. Quamvis nativa illa & germana mascula facundia ornamenta ei (Paulo) non defuerint, fateor tamen, illum fucata illius Rhetorices pigmentis uti noluisse; nempe ut vi spiritus hominum animos ad Christum raperet, non autem sermonis blanditiis adulatorum more alliceret. Sed cùm orationis ipsius totam indolem & χαρακτῆρα propiùs considero, nullam ego in ipso Platone similem grandiloquentiam, quoties illi libuit Dei mysteria detonare: nullam in Demosthene parem δεινότητα comperisse me fateor, quoties animos vel metu divini judicii perterrefacere, vel commonefacere, vel ad contemplandam Dei bonitatem attrahere, vel ad pietatis ac misericordiæ officia constituit adhortari: nullam denique vel in ipso Aristotele & Galeno, præstantissimis alioqui artificibus, magis exactam docendi methodum invenio. Placet & audire Johan. Henricum Alstedium lib 2. præcogn. p. 133. Multa præcipiunt Rhetores de triplici dicendi genere sive charactere, videlicet grandi seu sublimi, medio, & humili. Triplex ille character in sacris literis ita occurrit, ut omnino lectorem attentum in admirationem rapere queat triplicis istius characteris perpetua conjunctio. Quæ Critici in Homero, Thucydide, & Pindaro admirantur, singula ea in sacrarum Scripturarum stylo esse universa, planum fieri potest. Non tamen hoc ita accipi volo, quasi facundia carnis, quam vocant, in sacris literis sit quærenda, non autem eloquentia Spiritus. Hoc non volo: eloquentiam Spiritus non excludere eloquentiam in sua natura spectatam, planum reddi potest. Nam omnino hic oportet eloquentiam, quatenus est donum Dei, distinguere à corruptelis & maculis, quæ ipsi insunt, non aliqua sua natura, sed vitio hominum. Idem in lexico Theolog. p. 435. Ausim dicere, eloquentiam Paulinam, quoad nitorem & gravitatem, nullo modo esse inferiorem eloquentiâ Demosthenis. Scimus illum Athenis perorâsse coram Areopagitis, viris disertissimis. Tandem vir eruditissimus, Andreas Rivetus, succedat, qui in Isagoge ad Script. sacr. cap 28. de hoc eloquentiæ divinarum literarum argumento, verbis tàm suis, quàm aliorum, pererudita διατριβῇ disserit, illa duo cumprimis demonstrans, quæ in colophone his exponit verbis: Cùm duplex sit eloquentia, una oratorum, quæ ex ornatu & splendore verborum, in profanis etiam & gentilibus, admirabilis videri solet: altera ex ipsis sapientiæ fontibus manans, ab ipso dicendi scopo nunquam aberrans, apud omnes leniter, sincerè ac penetranter, maximo cum personarum, circumstantiarumque omnium decore loquens, & quæ oportet, ac quo modo & ratione oportet, proponens: Postremam illam, quæ vera est & præcipua, Scripturis sacris vindicamus, quæ in iis perpetuò & ubique elucet, quâ simpliciter & absolutè excellunt libri sacri: Alteram autem, quoad partes aliquas, ubi Spiritui sancto visum fuit, qui effecit, ne in ea desideraretur, quod inter homines eminere videtur; id autem ubique in ea excelleret, quod nulla unquam humana industria potest assequi. Quod de altera eloquentiæ specie, (quæ ex ornatu & splendore verborum admirabilis videri solet) in aliquibus partibus Scripturæ a Spiritu sancto adhibita ait, de Propheta Esaia, (ut mittamus alia) ex Johan. Francisci Pici, lib. 2. cap. 2. exam. doctrinæ gent. elogio declarat. Is verò ita: Legebam superioribus diebus per ocium, Tusculanam ipsam Ciceronis quæstionem, ubi maximo effert præconio verba Æschinis,

Beza. Alstedius. Rivetus. Picus.

*nis, adversus Demosthenem invehentis, tanquam magnam vim & artem continerent, eá-que diligenter examinavi. Nec multo pòst tempore desumsi in manus Esaiam Prophetam, Ebræo populo minantem. Nulla ferè similitudo. Adeò hic vehemens, sublimis, copio-sus, resonans, terrorem intutiens, & veram artem undique spirans.* Et Theodori Bi-
Bibliand. bliandri, qui de eloquentia sacrorum Scriptorum agens, in ratione discendi Ebraica, sic scribit: *Non neglecta est ab iis numerosa compositio orationis, ut præter vulgarem consuetudinem, multa ennunciarint in aurium gratiam. Cujus rei satis certam fidem Esaiæ voces bellæ, composita, & emblemata tessellata, cap. 25. posita facient, quæ sic meas aures demulcent, ut non putem, Isocratis tinnulam compositionem, majori suavi-tate blanditam, vel delicatissimis Græcis. Cumque cernam artis Rhetoricæ normas, ad quas exigitur compositionis lepor, allusionem & repetitionem vocum, similes exitus, pari-litatem syllabarum, non puto, me hic habere Midæ auriculas. Sic enim clarissimus in*
Esa. 25:6. *eloquio sacro Rhetor locutus est*: ועשה יהוה צבאות לכל־העמים בהר הזה משתה שמנים משתה
שמרים שמנים ממחים שמרים מזקקים *Veasa Jehova Zebaoth lechol haammim bahar hasseh mischte schemanim, mischte schemarim, schemanim memychajim, schemanim mesykkakim. Non puto quenquam sic jacenti aure, vel sacræ literaturæ adversum, quin fateatur, in hoc, & innumeris aliis id genus, Ebraico sermoni etiam esse suas veneres & gratias.* De altera verò nativa, & perpetua Scripturæ sanctæ eloquentia, Pici, comitis Mi-randulani, allegat verba, ex epistola ad Hermolaum Barbarum. *Non movent, non persuadent sacræ literæ; sed cogunt, agitant, vim inferunt. Legis rudia verba & agrestia*, (ex opinione videlicet sapientiam hujus seculi) *sed viva, sed animata, flammea, aculeata, ad imum Spiritum penetrantia, hominem totum, potestate mirabili transformantia.* Et alterius Mirandulæ, nepotis hujus, libro 2. exam. vanit. Doctr. gent. *Cùm apud nos rudis potiùs, quàm eloquens, Scripturæ oratio videatur, vim persuadendi maximam obtinuit.* De quibus duobus, Mirandulano patruo, & nepote, Italiæ & seculi sui ornamentis dicit, *quòd postquam omnes probatos autores perlegissent, in hisce Scripturis acquieverint, & postquam humanarum literarum eos satie-tas ceperit, his delectati sint, nec satiari unquam potuerint.* Duo insuper percommodè monet Rivetus: 1. Cùm Pontificiorum Scriptores quidam, de Scripturæ sacræ stylo, idem nobiscum fateantur, & Serarius proleg. cap. 23. quæst. 2. id Scriptu-ris sacris tribuat, *quòd personis, quæ dicunt, & audiunt, convenientissimè, approba-tissiméque, semper & ubique ad persuasionem, orationisque finem dicant, apud omnes leni-ter, sincerè & penetranter*: Mirum esse, cur homines à Scripturarum sacrarum le-ctione vocent & deterreant, iisque obscuritatem affingant, quæ certè cum elo-quentia illa reali & vera, convenire non potest. 2. Etsi proprietatem, empha-sin, & ornatum linguæ sanctæ originalis, versionis non semper ad vivum expri-mant, quod Hieronymus de Esaia fatetur, cujus eloquentiam postquam laudasset, tanquam *urbanam, & in qua nihil rusticitatis esset admixtum*, tandem hoc addidit, *præ cæteris omnibus, florem sermonis ejus in translatione non potuisse servari*, in prologo super Esaiam, ad Paulam & Eustochium: Hoc, inquam, etsi ita se habeat, Scri-pturam tamen non amittere eloquentiam nativam & veram, etiam in alias lin-guas & pergrinas verbotenus conversam: Imò qui codicibus sacris, profanum ser-monis fucum inducere voluerunt, simplici stylo non contenti, hos multum iis nativæ sinceritatis, & ad persuadendum efficacitatis detraxisse. Quod nimis verè dictum, doctissimi Gerhardi Vossii verbis illustrabo, qui instit. orat. lib. 4. cap. 1. tàm scitè, quàm piè: *Non probatur nobis*, inquit, *eorum diligentia, qui in sacrarum literarum translatione, ut præter cæteros puritati studuisse videantur, velis equisque fu-*

*giunt*

*giunt voces Ecclesiæ priscæ usurpatissimas, & idiotismos linguæ sanctæ, ab versionibus, imò perversionibus suis, furcillis expellunt. Non satisfacit illis Hebraismus hic, SERMO CARO FACTUS EST; sed malunt, quod tamen minùs exinanitionem Christi declarat: Sermo fuit corporatus. Itidem eos videre est pro baptismo substituere lotionem, pro angelo genium, pro fide confidentiam, pro Ecclesia Rempublicam, pro synagoga collegium; neque minùs ineptè in aliis multis, quæ jure in Castalione culpant viri docti. Si enim Apostoli Hebraismos istos in Græco sermone reservant, si doctissimi Græci Latinique Patres formis istis loquendi, à Spiritu Sancto adhibitis, orationem suam tanquam gemmis exornârunt, si hucusque Ecclesia Græcanicas istas voces N. Test. retinuit; si denique inusitatâ ignotaque hactenus loquendi ratione, Ecclesiæ glaucoma ob oculos objicitur: quid hominem istum ita transversum egit, ut contra Apostoli mandatum, istam sive κενοφωνίαν (vocum inanitatem) ut legêre Græca scholia, sive καινοφωνίαν, (vocum novitatem) quomodo legit Augustinus, Ambrosius, & vetus interpres, cum scandalo in Ecclesiam introductam vellt? Præsertim quando Hebraismi illi, ac voces Græcanicæ, ἐμφατικώταται sint, & vim ac majestatem quandam habeant, quam amittunt, cùm ad phrasin aliarum linguarum recudantur. Mero enim meridie clarius est, quod scribit Jul. Scaliger: Venere propriâ, quasique nativo cujusque linguæ decore severi sententias quasdam, subnixasque idiotismi fulturis sustineri, quas in aliam quasi coloniam si deducas, iidem sanè sint cives, gratiam pristinæ commendationis non retinebunt.* 1 Tim. IV. 20.

Hæc & alia Scripturarum sanctarum elogia, veriùs rectiùsque sonant in verorum Christianorum auribus pectoribusque, quàm aliorum, qui eas impuritatis styli, & solœcismorum (præsertim in N. Test. ob Hebraismos, quibus illud scatet) accusare non erubescunt. Quibus miror se aggregâsse, virum in Scripturis sacris interpretandis aliàs laude dignum, Erasmum dico Roterodamum, cui minùs hæc sana vox excidit, in annot. Act. 10. p. 316. *Qui fit, ut Apostolorum sermo non solùm impolitus sit, & incenditus, verum etiam imperfectus, perturbatus, aliquoties planè solœcissans?* Et paulò pòst: *Non ex orationis, sed ex mentis habitu metienda est Apostolorum autoritas. Neque magis pium hominem debet offendere in Apostolis sermo incultus, quàm corpus illorum, aut vestis plebeia.* Addit ibidem pro ratione, *Apostolos sermonem Græcum non ex orationibus Demosthenicis, sed ex populari colloquio didicisse.* At veri Christiani nôrunt, didicisse ipsos ex eo, qui & sapientiâ & eloquentiâ (quæ duo separari non posse, sed potiùs veram *eloquentiam*, & absolutè in se consideratam, *inseparabilem famulam esse sapientiæ*, ex Augustino lib. 4. de doctr. Christ. c. 6. & 7. non obscurè colligitur,) Demosthenem longissimè superat, Deo videl. Spiritu Sancto, qui mentes, linguam, & stylum eorum, ita ἀπταίστως direxit, ut cursum in oratione, mysteria sacrosancta exprimente, rectum, purum, & tantæ sapientiæ decentem, ubique servarent, ut ex Matth. 10: 20. Luc. 21: 15. 2 Petr. 1: 21. evidenter patet. Bene Lactantius lib. 6. de vero cultu, c. 2: 21. *Assueti dulcibus & politis sive orationibus sive carminibus; divinarum literarum simplicem communemque sermonem pro sordido aspernantur. Id enim quærunt, quod sensum demulceat. Persuadet autem quicquid suave, & animo penitus, dum delectat, insidet. Num igitur Deus, & mentis, & vocis, & linguæ artifex, disertè loqui non potest? Imò verò summa providentia carere fuco voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.* Quibus verbis, uti *fucum* humanæ facundiæ phaleratæ Scripturis sacrosanctis demit; ita *disertam* iis loquelam, ipsi innexam simplicitati puræ, & divinam eloquentiam, planissimè res divinas explicantem, rectè attribuit, simul & omnem ab iis *sermonem sordidum* (quem βέβηλοι homines perperàm

An in Scripturæ s. stylo dentur solœcismi?



eis

De Hebraismis in N. Test. lingua hellenistica.

eis affricare conantur) abesse declarat. Inspecie verò Hebraismos N. Test. à consueto in profanis scriptorib. sermonis genere discrepantes quod attinet, tantum abest, ut ob illas impuritatis, imperfectionis & solœcismorum, stylus Spiritus Sancti argui à Christianis debeat vel possit, ut piæ mentes potiùs primigeniam linguæ omnium antiquissimæ, certissimæ, perfectissimæ, indolem ex iis agnoscant, & in sua fide, *non persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed ἀποδείξει Spiritus & potentiæ superstructa*, 1 Cor. 2:4, 5. inde magis confirmentur. Quis enim fucatæ illi eloquentiæ hominum (quam ut purissimam optimamque ratio humana, à Deo & divinis semper in transversum, ob congenitum peccati malum, se flectens, judicat) hoc dictaturæ summæ jus concessit, ut ad eam ceu amussim exigi sacra scripta (de fontibus loquor, & lingua authentica) necessum sit, & quod cum ea non consentit, solœcismorum & impuritatis reum peragi? August. lib. 2. de doctrin. Christ. cap. 13. *Solœcismus qui dicitur, nihil aliud est, quàm cùm verba non ea lege sibi coaptantur, quâ coaptaverunt, qui priores nobis non sine autoritate aliqua locuti sunt.* Hæc ille, quæ si ad hellenisticam N. Test. linguam applicentur, liquidò patebit, cùm in illo verba eâ lege sibi coaptata sint, quâ coaptaverunt Prophetæ, qui priores Apostolis fuerunt, & non sine autoritate aliqua, sed inspiratione divinâ locuti sunt (horum enim loquendi modum N. Test. scriptores imitantur) sanctæ illi literaturæ, ob hanc causam solœcismos hautquaquam tribui debere. Placent proinde pii Senioris, M. Laurentii Fabricii, b. m. Professoris olim Wittebergensis, verba, quæ in præfat. Gymnasii Syriaci, à M. Christoph. Crinesio editi, leguntur: *In N. Test. non fluit purus Græcismus*, (hoc est, non adhibetur ea tantùm loquendi ratio, quæ Græcis aliàs in usu est) *sed permiscetur Græca lingua liquore Hebræi sermonis. Ea enim indoles est rerum sacrarum, ut proprietas primæ linguæ non solùm se diffundat per veterem Scripturam, sed etiam sese insinuet in Græcismum N. Test. Unde multis in locis N. Test. Græcismus, purè Græcis, est barbarismus, propter phrasin Græcis ignotam. Ecclesia autem non est barbarismus: agnoscit enim ea sermonem primævum, eumque in Scripturas N. Test. manare deprehendit.* Hæc ille, per *purè Græcos* intelligens illos, qui profanum tantùm Græcismum nôrunt & admirantur, sacri hellenismi vel ignari, vel ei infensi: id quod ex oppositione inter *purè Græcos*, & *Ecclesiam*, sive credentes Christianosque patet. Pulcherrimè etiam Daniel Heinsius, vir ad miraculum doctus, in prolegom. Aristarchi sacri: *Vellicare aliquid in illis* (scriptis Nov. Test.) *aut desiderare, non est eruditi, sed blasphemi hominis, ac malè feriati, & qui nunquam intellexit, quæ humana sit conditio, aut quanta debeatur reverentia ac cultus cuncta dispensanti Deo, qui non judicem, sed supplicem deposcit. De quo præclarè Hilarius: Cùm de rebus Dei erit sermo, concedamus cognitionem sui Deo, dictisque ejus piâ veneratione famulemur.* Igitur, ut concludamus hanc διασκέψεως nostræ partem, quemadmodum verissima atque optima sunt ea, quæ in sancto suo verbo Deus ad credendum proposuit, mysteria, etsi omnis humana ratio contrarium illis, in sua sapientia judicet: Ita, eloquentiam (sapientiæ rerum divinarum individuam comitem) quod attinet, quo stylo Deus ipse suis amanuensibus immediatè dictavit mysteria illa sua cœlestia, is pro eloquentissimo optimoque à fidelibus habeatur, & quid vesana ratio in contrarium judicet, securè rideatur.

Cæterùm quæ de eloquentia sacrarum literarum in medium hactenus attuli, ea dilucidiùs piorum Scripturæ divinæ amatorum conspectui exponi possunt, si κατ' εἶδος, *tùm* peculiares idiotismi, & character loquendi purissimus, quo uti Spiritus sanctus in exarando verbo suo salvifico voluit: *tùm* orationis lumina (tropos & figuras

figuras dicet) in sacris literis obvia, expendantur. Ex de *priori* quidem in Grammatica sacra, aliqua ex parte, (quis enim mortalium totam vim characteris sanctissimi simul exprimere valeat?) tractatum fuit. Superest igitur, ut de *posteriori* etiam, in Rhethorica sacra, pari simplicitate & studio disseratur. Rectè enim Budæus, loco supra allegato (utrumque verò ex citatione Cl. Riveti huc transcriptum) *in ea se opinione esse*, inquit, *ut existimet, tropos oratorios multò sublimiores efficacioresque in sacra lectione inveniri, quàm in priscorum Græcorum & Latinorum monumentis, posseque oratoriam phrasin fieri ea lectione multò locupletiorem.* Quod de tropis non solùm, sed reliquis etiam sermonis ornamentis asseri debet, modò hoc notetur, non præcepta eloquentiæ scriptores sacros secutos fuisse, sed sapientiam eorum sponte hanc eloquentiam fuisse secutam. Qua de re pulcherrimè Augustinus tractat lib. 4. de doctrin. Christi cap. 6. *Possem quidem*, inquiens, *si vacaret, omnes virtutes & ornamenta eloquentiæ, de quibus inflantur illi, qui linguam suam, nostrorum autorum linguæ, non magnitudine, sed tumore præponunt, ostendere in istorum literis sacris, quas nobis erudiendis, & ab hoc seculo pravo in beatum seculum transferendis, providentia divina providit. Sed non ipsa me plus quàm dici potest, in illa eloquentia delectant, quæ sunt his viris cum oratoribus gentilium poëtisve communia. Illud magis admiror, & stupeo, quòd istâ nostrâ eloquentiâ ita usi sunt per alteram quandam eloquentiam suam, ut nec eis deesset, nec emineret in eis: quia eam nec improbari ab illis, nec ostentari oportebat: quorum alterum fieret, si vitaretur, alterum putari posset, si facilè agnosceretur. Et in quibus fortè locis agnoscitur à doctis, tales res dicuntur, ut „ verba, quibus dicuntur, non à dicente adhibita, sed ipsis rebus velut sponte subjuncta „ videantur: quasi sapientiam de domo sua, id est, pectore sapientis, procedere intelligas, & tanquam inseparabilem famulam, etiam non vocatam, sequi eloquentiam.* Quod ipsum posteà cap. 7. exemplis, ex Rom. 5: 3, 4, 5. 2 Cor. 11: 16. usque ad finem; & Amos 6: 1. usque 7. per institutam analysin Rhetoricam, ingniter illustrat, ita concludens: *Non hæc humanâ industriâ composita, sed divinâ mente sunt fusa & sapienter & eloquenter, non intentâ in eloquentiam sapientiâ, sed à sapientia non recedente eloquentia. Si enim, sicut quidam disertissimi atque acutissimi viri videre ac dicere potuerunt, ea quæ velut oratoriâ arte dicuntur, non observarentur & notarentur, & in hanc doctrinam redigerentur, nisi priùs in oratorum invenirentur ingeniis: quid mirum, si & in istis inveniuntur, quos ille misit, qui facit ingenia?* Prolixiùs hæc ex Augustino declarare volui, ut eorum etiam occurrerem curiositati, qui præceptis Rhetorices ad SS. Scripturæ sermonem applicatis, indecentem εἰς ἄλλο γένος μετάβασιν committi, & summa imis, sacra profanis misceri ajunt, cùm scriptores canonici non ad certæ artis normam suum sermonem conformaverint. Verum hoc est; attamen Deus, linguæ & sermonis Artifex, per eos locutus, sapientiæ indivulsam comitem voluit esse eloquentiam talem, quæ & à profana (si modestiùs hæc se gerat) culpari haudquaquam possit, ut ab ejus præceptis aliena, & longissimè tamen eam, mirabili quadam ac augustâ singularitate antecellat, ut ex allatis Augustini verbis colligitur. Hæc igitur omnium optimè cognosci possunt, si artis Rhetoricæ præcepta serventur, & quantum ejus fieri commodè potest, exempla iis in scripturis crebrò occurrentia, applicentur, commonitione tamen subinde additâ, sicubi præceptorum illorum habitudinem styli sancti majestas excedat; quorum utrumque in concinnata hac, per Dei gratiam, sacræ Rhetorices συστάσει, observatum fuisse, industrii lectores facilè animadvertent. D. Theodorico Schnepffio, Theologo Tubingensi, eadem contra quosdam constituta adversaria

De tropis & figuris sacræ Scripturæ.

An præcepta Rhetorices ad sacras literas applicanda?

Schnepffius.

erat, ut ex verbis ejus, quæ in prolegom. comment. super Esaiam loquuntur, patet: *Equidem non ignoro, ait, me multos parum propitios habiturum, qui cum passim in hoc meo commentario, nomina artis adscripta viderint, exclamaturi sint, cœlum me terra miscere velle, sacra profanis: Prophetas nihil de argumentorum, amplificationum, figurarum ratione cogitasse: attulisse me lusum ingenii ad ea, quæ non ab arte, sed Domini Spiritu profecta sint: Sanctos illos homines, præsertim Apostolum Paulum, palam professos, se in dicendo nec ornatum, nec fucum spectasse, quod mundus facere soleat, qui omnia ad pompam & ostentationem comparata habeat; Denique totum meum institutum damnabunt.* His verò dum solidam & veram defensionem subjicit, inter alia eleganter: *Quis negaverit*, inquit, *in sacrosanctis illis scriptis ea exstare, quæ in omni oratione disertâ cernuntur, quamvis Prophetæ nec Rhetorum, nec Dialecticorum præcepta tenerent, cùm interim Domini Spiritum secum haberent, cujus beneficio & facundi homines, & eloquentes sunt: cujus etiam instinctu artes illæ inventæ traditaque sunt. An verò in oratione Ciceroniana ordinem & seriem argumentorum observare licet, in Esaia autem & Paulo non licet? Et admiratio, quæ primò artes peperit, ornamenta in Ethnicorum scriptis observavit, in sanctorum concionibus est neglectura? adeone enervatam & abjectam tantorum virorum orationem judicas, ut in ea nihil sit, quod laudem copiosæ, disertæ, & ad docendum & movendum compositæ dictionis mereatur? Ergò reprehendendus erit David, qui Psam. 45. & 49. statim ab initio, elegantiam & studium orationis elaboratæ pollicetur! Hoc enim vult, cùm inquit, linguam suam esse calamum scribæ velociter scribentis. Erit etiam accusandus Esaias, qui cap 5. canticum se instituere in laudem patruelis sui velle, scripsit? Quòd si luculenter demonstravero, nullas esse Rhetorum figuras, nulla ornamenta, quorum semina in Prophetis sparsa non conspiciantur, quis inficias ibit, ea in scriptis Propheticis observanda esse, ut de sententia ipsorum constet, & verborum pondera examinari possint? Sed ne longum faciam, Augustini summi Theologi eâ de re judicium, in libris de doctrinâ Christiana consulatur, an judicet, omnia artis adminicula, à commentatione sacrorum removenda esse. Loquantur conciones, lucubrationes, commentarii Basilii, Chrysostomi, Hieronymi, quorum in declamando & explicando summa industria, ex penetralibus artium petita, testatur, eos, qui illa salutaria instrumenta formandæ orationis, a rebus sacris excludunt, non modò in ipsas artes, sed sanctos illos scripturarum interpretes, injurios esse.*

Hæc ita contra utramque minùs rectè sentientium classem dicta sunto: Alteram quidem eorum, qui scripturarum sacrosanctarum eloquentiam elevare, & profanam præ divina illa, solùm admirari non erubescunt: alteram verò eorum, qui dignè quidem & augustè de eloquentiâ ea sentiunt, sed præcepta artis Rhetoricæ, qualia in usum autorum ritè intelligendorum conscripta circumferuntur, minùs congruè & dignè ad eandem transferri contendunt. Mediâ viâ qui & hic ambulat, recto incedit pede, & ad optatam agnoscendæ admirandæque sapientiæ in scriptis sacrosanctis eloquentissimæ, & eloquentiæ sapientissimæ metam, tutò pervenit: qui & primarius conscripti hujus libri finis ac scopus est.

Distinctionis sermonis proprii & tropici necessitas.

Veruntamen ejusdem instituti & alia accedit causa, non minùs gravis, distinctionis videlicet sermonis proprii à tropico figuratoque, in interpretatione scripturæ legitimâ, necessitas. Eâ enim neglectâ, non tantùm veris scripturæ sensus ignorabitur, sed etiam opinionibus portentosis absurdisque via aperietur. *Quandoquidem* (inquit eruditissimus Flacius) *superædificati sumus super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, & potiùs cœlum ac terra transibit, quàm unus apex aut jota de scriptura, nimirum valde religiosè in sacro textu oraculorum Dei versari debemus, ut nobi*

*hil temerè invertamus, addamus, aut minuamus; neve ibi vel fingamus tropum, ubi non est, vel etiam negemus, ubi est.* Duo igitur accuratè cavenda hîc sunt quasi præcipitia. 1. Ne, quæ propriè sunt intelligenda, figuratè accipiantur, juxta regulam, quæ colligitur ex Augustino lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10. & sequentibus; *Semper verborum proprietatem retinendam esse, nisi quædam urgens ratio tropum suadeat.* Quâ de re quædam libr. 2. Philologiæ sacræ pag. 166. sequentibus dicta sunt. Quòd si verò propriùs & maximè perspicuus sermo tropicè fuit aliquando intellectus, hæreticarum opinionum causa id existit, uti de Berengario, seculo post CHRISTUM natum undecimo, in doctrina de sacra cœna, constat, cujus sententiam hodie tuentur, qui Zwinglii ac Calvini sectantur autoritatem. Augustinus d. l. *Si animum præoccupavit alicujus erroris opinio, quicquid aliter asseruerit scriptura, figuratum homines arbitrantur.* 2. Ne, quæ figuratè sunt accipienda, propriè intelligantur, tunc enim *carnaliter sapitur*, judicio Augustini lib. 3. de doctrina Christ. cap. 5. ubi addit: *Ea demum est miserabilis animæ servitus, signa accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis, ad hauriendum æternum lumen levare non posse.* Hieronymus in comment. Esa. 11. circa finem: *Prudens & Christianus lector hanc habeat repromissionum Prophetalium regulam, ut quæ Judæi & nostri, imò non nostri, Judaizantes carnaliter futura contendunt* (proprio vocabulorum significatu accipiunt) *nos spiritualiter jam transacta* (figuratè & tropicè accipienda esse, & hoc sensu jam tùm impleta) *doceamus: ne per occasionem istiusmodi fabularum, & inextricabilium, juxta Apostolum, quæstionum, judaizare cogamur.* Hæc ille contra Judæos, qui verba Esa. 11. vs. 6, 7, 8. de beluarum concordia, in proprio verborum sensu accipiunt, & frivolè interpretantur, uti & alia multa in Prophetis. Benè igitur R. Mose Ben Maimon, insignis ille Hebræorum autor, qui ob insignem eruditionem, quâ polluit, à Judæis נשר הגדול hoc est, *aquila magna* vocatur, vulgatoque hoc dicto ab illis celebratur ממשה עד משה לא קם כמשה hoc est, *à Mose legislatore non surrexit, sicut Moses iste*, referente P. Fagio: Et de quo Cunæus lib. 1. de Republ. Hebr cap. 2. *nunquam ita magnificè quicquam de eo autore dici posse*, inquit, *quin id virtus superet ejus; cùm fato quodam & sorte nascendi primus solusque in illa gente rectè intellexerit, quid hoc sit, non ineptire* (quæ Maimonidis illius encomia adferre placuit, cùm aliquoties infrà autoritas ejus citata reperiatur) benè, inquam, ille circa initium libri, More Nebochim: *Clavis intelligentiæ*, inquit, *universorum, quæ Prophetæ dixerunt, est intelligere parabolas, metaphoras, similitudines atque ænigmata;* uti & à Galatino hæc adducuntur, lib. 5. de arcan. Cathol. verit. cap. 12. Quòd si verò tropicus & figuratus sermo propriè fuit aliquando intellectus, absurdissimarum opinionum monstra idipsum peperit, ut ex iis, quæ subjiciam, exemplis manifestum erit. In ipsa Christi, αὐτόπτης in his terris nobis facti, schola familiari & domesticâ, ruditatem discipulorum ejus, & præconceptam de regno Christi terreno, opinionem, inter alia ortum ex eo fuisse certum est, quòd vaticinia Prophetarum, quibus illi regnum Messiæ magnificè admodum describunt, & ad illustrandam amplitudinem ejus spiritualem, metaphoris ab externorum regnorum mundi conditione desumtis utuntur, ut propriè dicta cum reliquo Judæorum vulgo intellexerunt: qui error, quàm fixè animis ipsorum insederit, & quàm difficulter eradicari ab ipsomet veritatis Doctore potuerit, historia Evangelica satis apertè commonstrat. Eandem originem Chiliastarum error obtinet, in ipsis statim πρωτογόνου Ecclesiæ incunabulis, & sequentibus, quem & nostro hoc ævo à nonnullis, Christi de nomine gloriantibus, revocatum

Regulæ duæ perquam necessariæ.

1.

Chiliasm.

catum novimus, dum scilicet ea, quæ à Prophetis, de Ecclesiæ gloriâ & pace, verbis à rebus terrenis desumtis, sunt prædicta, propriè accipiuntur, atque ex iis, per suave somnium, Ecclesiæ status formatur ejusmodi: ut triumphos illa meros agat, & pace temporali, sine obturbantium afflictionum nube, fruatur; atque ita iter ad regnum cœlorum, afflictionibus consecratum, præcluditur, aliâ apertâ viâ, quam neque Christus instituit, neque suos docuit. (Quo de errore aliquot locis Hieronymus, in explanatione Prophetarum, agit; & inter alia in comment. Esa. 66. circa finem sic loquitur: *Mensem ex mense, & sabbatum ex sabbato, in quibus veniet omnis caro, ut adoret DEUM, ridiculè interpretantur χιλιασταί, quos nos dicere possumus milliarios: ut qui in vicino sunt, omni sabbato veniant in Jerusalem; qui longiùs, per menses, id est, Kalendarum orbe completo; qui valdè procul, per annos singulos, hoc est, diebus pascha sive tabernaculorum, juxta illud, quod in Zacharia dicitur* (cap. 14. ℣. 16) *ascendent ab anno in annum, ut adorent Dominum Regem exercituum, & celebrent festivitatem tabernaculorum. Et ut majorem risum præbeant audientibus, quod in ultimo ejusdem prophetiæ volumine scribitur* (cap. 14. ℣. 21.) *& non erit mercator ultrà in domo Domini exercituum in die illo; sic interpretantur, ut negociatores in mille annis esse desistant, quia omnia nascantur in omnibus locis, quo scilicet nec nos indigeamus folio amomo & pipere, nec Indi à nobis pulejum desiderent.* Porrò & Anthropomorphitarum stupor atque somnia hunc agnoscunt ortum, dum quæ tropicè, & ut vocant, ἀνθρωποπαθῶς, de ἀσάρκῳ & simplicissima DEI essentia, in Scripturis dicuntur, propriè illi accipientes, DEUM corporeum, visibilem, compositum, membris humanis constantem, introduxerunt. Ex eodem fonte magna pars fabularum, & portentosarum expositionum Judaicarum profluxit: quia enim hanc sibi regulam fixerunt: אין מקרא יוצא מידי פשוטו: *nullus textus elabitur manus suæ nuditatis*, hoc est, etiamsi tropicè sint quædam explicandæ voces, tamen propria significatio non est propterea dimittenda; igitur multos prophetiarum textus, qui per tropos vel allegorias explicandi, secundùm vocum proprietatem simul intelligunt, de quo legatur Clarissimus Schickardus prodromo בחינת הפרושים seu examinis interpretationum Rabbinicarum super Genesin, pag. 116. seqq. Placet verò in specie scripturæ loca quædam adjicere, impropriè & tropicè intelligenda, at propriè ab aliquibus, & id malè, intellecta atque exposita. Exod. 13. ℣. 16. *Et erit in signum in manu tua, & in frontalia inter oculos tuos.* Deuter. 6. ℣. 8. *ligabis hæc verba in signum super manu tua, & erunt in frontalia inter oculos tuos.* His verbis metaphoricè (vel ut alii, eodem sensu, statuunt, per similitudinem, ut ל pro כ sit) conceptis præcipitur Judæis, ut omni tempore & loco memores sint præceptorum divinorum, quemadmodum aliquis memor est signi, brachio vel manui adpositi; aut ornamenti, quod fronti appenditur. At Judæi sequioris ævi secundùm literam ea intellexerunt, quòd præcipiat DEUS quasdam membranas externas conficere, easdemque capiti & brachio alligare, quæ *phylacteria* Matth. 23. v. 5. appellantur. Hieronymus in h. l. Matthæi: *Dominus cum dedisset mandata legis per Mosen, ad extremum intulit: ligabis ea in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos. Et est sensus: præcepta mea sint in manu tua, ut opere compleantur, sint ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis. Hoc Pharisæi malè interpretantes, scribebant in membranis decalogum Mosis, id est, decem verba legis, complicantes ea & ligantes in fronte, & quasi coronam capiti facientes, ut semper ante oculos moverentur, quod usque hodie Indi & Persæ & Babylonii faciunt; & qui hoc habuerit, quasi religiosus in populis judicatur.* Et p. 93. *Non intelligentibus*

Loca scripturæ propriè & malè intellecta.

*hus Pharisæis, quòd hæc in corde portanda sint, non in corpore, alioquin & armaria & arca habent libros, & notitiam DEI non habent.* Esa. 19. de cultu spirituali, Novi Testamenti tempore DEO per Christum præstando, prophetia pulcherrima exstat, verbis concepta metaphoricis, à ratione cultus Levitici in Veteri Testamento (uti & alibi in Prophetis sæpiùs videre id licet) desumtis: v. 18. *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes labio Canaan, & jurantes per Dominum exercituum: civitas Solis dicetur unicuique.* v. 19. *In die illa erit altare Domino in medio terra Ægypti, & statua juxta terminum ejus Domino,* v. 20. *Et erit in signum, & in testem Domino exercituum in terra Ægypti, &c.* Hæc verba proprio significatu intellecta, magnæ molis atque operis, in novo exstruendo Templo in Ægypto, occasionem præbuerunt. Refert enim Josephus lib. 13. antiq. Jud. cap. 4. & lib. 7. de bello Jud. cap. 30. Oniam Pontificem, fugatum Hierosolymis, & profugum in Ægyptum, cum turba plurima Judæorum, concessione Regis Ptolemæi Philometoris, templum in Ægypto ædificasse, ad exemplar templi Hierosolymitani, ac voluisse videri se id facere ex vaticinio & autoritate Esaiæ, qui h. l. scribit, altare Domini in medio terræ Ægypti ædificandum. Sed *hic Pontificis conatus cassa temeritatis fuit*, ut Hieronymus loquitur, & vanâ in sapientiâ deceptus fuit; ideoque templum id ultrò tandem unà cum sacris suis periit. *Quo exemplo monemur* (inquit D. Brentius in comment. h. l.) *ut instituendis sacris, & interpretandis Prophetis, non fidamus nostrâ opinione, sed sequamur ducem Spiritum Sanctum, & ejus interpretationem, quam in Scriptura ipsa proposuit. Esaias enim, etsi utitur verbis de externo altari, & Leviticis sacris in Ægypto instituendis, tamen non intelligit futurum esse, ut externa templi Hierosolymitani sacra in Ægypto instituantur, & Ægyptii agnoscant Leviticam Judaeorum religionem, sed vaticinatur de temporibus Messia, seu Euangelii de Christo revelandi, & in Ægypto prædicandi. Quare etiam altare, & hostia, & mincha, & vota, & alia, quæ hic commemorantur, intelligenda erunt pro ratione & interpretatione Euangelii de Christo.* Observentur & hæc Novi Testamenti oracula Matth. 5. ℣. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam illorum est regnum cælorum.* Pauperes non propriè & corporaliter, sed spiritualiter, atque ita metaphoricè, Christus intelligit, eos nimirum, qui peccata sua seriò agnoscunt, deplorant, & ad Christum pro obtinenda peccatorum remissione suspirant. At perperam & sophisticè Julianus, propriè hæc verba Salvatoris accipiens, eo torquebat, *quod Christianis possessiones propria sint adimenda, ἵν᾽ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν εὐοδώτερον πορευθῶσι.* Male etiam Bellarminus, de paupertate propriè sic dicta, & ab hominibus sponte electa, ea verba accipit, lib. 2. de Monach. cap. 20. &c. Matth. 16. ℣. 6. inquit Christus ad discipulos suos: *Cavete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.* Fermenti autem voce metaphoricè acceptâ, intelligebat *doctrinam Pharisæorum & Sadducæorum*, uti ℣. 12. explicatio subjungitur. Discipuli id propriè intelligebant de fermento panum, sed frustrà & aliene, de non acceptis secum panibus, solicitudinem alebant, ℣. 7. Christus autem reprehendens eos, verum verborum sensum ipsis ℣. 11. explanat. Luc. 2. ℣. 36. quod metonymicè *de gladio emendo*, Christus asserit, propriè accipitur ab Apostolis, ℣. 38. sed malè. Johan. 2. ℣. 19. metaphoricè de morte & resurrectione sua Christus ad Judæos loquitur: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Loquebatur autem de templo corporis sui, ℣. 21. Judæi propriè locutionem interpretantes, de templo manu facto Hierosolymis, ℣. 20. posteà ψευδομαρτυρίας contra Jesum patientem productæ, ex eo argumentum præbuerunt, Matth. 26. ℣. 61. Marc. 14. ℣. 58. &c.

Templum Oniæ in Ægypto.

Alia exempla locutionum impropriarum, at absurde, ac si propriæ essent, acceptarum, videantur Joh. 3. ℣ſ. 3,4. ℣ſ. 10,11,14,15,32,33,34. cap. 6. ℣ſ 51, 52, 60. cap. 11. ℣ſ. 11,12,13. &c. Quibus appendicis loco adjungatur, quod de Minorita quodam, ex libro antiquo, *Lacryma Ecclesiæ* dicto, Wolffius commemorat, tom. 1. lectionum memorabil. centur. 14. pag. 644. quòd prædicârit, *Johannem Evangelistam Mariæ naturalem filium potius fuisse, quam JESUM*: cùm hæc verba in cruce, ex illius (Christi) ore processerint, qui mentiri nunquam potuit: *Mulier, ecce filius tuus*: Et ad Johannem: *Ecce mater tua*, Johan. 19 ℣ſ. 26, 27. At metaphoricè *filii* nomen, pro eo, qui sincero affectu & cura, veluti matrem complectitur; & vicissim *matris* nomen pro ea, quæ amore summo alterum, ceu filium complectitur, & matris loco reverenter ab eo colitur, accipiendum esse, res ipsa docet. Hæc sermonis proprii & figurati διάκρισις, ut à pio Scripturarum lectore eò faciliùs institui posset, pleraſque dictiones tropicas, & quæ eò reduci possunt debentque, locutiones atque phrases, justâ & usitatâ methodo dispositas dedi, quod equidem studium meum Ecclesiæ Christi sanctæ probatum iri, nullus dubito: ut quia labore isthoc nihil emolumenti temporalis externi quæro, sed solius verbi divini, in quo salus animarum nostrarum consistit, sanam vivificamque intelligentiam, hominum pectoribus instillandam. Quod si in aliquibus piis cordibus, aliqua ex parte, obtinuero, sat mihi præmii datum pro labore esse, gaudens gloriabor.

Quædam in Rhetor. controversa.

Cæterum à controversiis quibuscunque lubens abstinui, ne in immensum opus hoc excresceret (quàm amplus enim hic dicendi, plurimaque congerendi, campus apertus sit, facilè patet) nec etiam ea tractare ζητήματα volupe fuit, quæ ipsam Rhetorices quasi essentiam, & rectam troporum ac figurarum constitutionem divisionemque propiùs attinent; sed ea industriis artis hujus συζητηταῖς enucleanda relinquo; Pro certis interim quædam sumsi, quæ verisimiliora esse arbitratus sum, atque iis exempla sacra applicavi. Exempli gratiâ. Quando *materia pro materiato* (& vice versâ) ponitur, cùm illa erga hoc duplicem respectum sortiatur, alterum causæ, alterum partis essentialis; inter Rhetorices artifices controvertitur, an ad metonymiam causæ & effectus? an verò ad synecdochen partis pro toto (& vice versâ) hoc referendum sit? Tanti certè id non est, ut serram contentionis super eo rigidiùs trahere conveniat. Igitur susque deque habita quæstione illa, communiorum sententiam secutus ego, ad metonymiam retuli, cùm causæ & effectus notio, in exemplis adductis, præponderet, & non omnis materia (in formali sua ratione considerata) actu essentialis & constitutiva materiati pars sit, uti de materia transeunti patet; in *farina* respectu panis; in *terra & semine* respectu hominis &c. Quando *continens pro contento, & locus pro locato* ponitur, quæritur, an rectè ad metonymiam subjecti referatur? an verò ad metonymiam potiùs adjuncti reducendum sit? cùm continens & locus, ex sententia Aristotelis, non subjecti, sed accidentis rei notionem habeat. Locus enim corpori locato accidit, cùm commune sit corporum accidens, uti & tempus, quemadmodum l. 4. Φυσικ. ἀκροασ: à Philosopho docetur. Non eo hoc inficias, si tum ipsa locatio & situs, tùm nativus ille corporis locus, qui superficies corporis continentis aerisque ambientis est, locato æqualis secundum omnes dimensiones, intelligatur, ut ab Aristot. accipitur. Qua ratione locum & locationem inter adjuncta retuli, in cap. de ἀνθρωποπαθείᾳ p. 149. At cùm negari non possit, continens & locum, late acceptum, in se & ad se, contentum & locatum, ut subjectum adjunctum suum, continere

continere & complecti, E. G. *canistrum* panem; *mundum* homines; *navem* eos, qui eâ vehuntur; *urbem* incolas, &c. (Unde quidam non incongrue distinguunt inter species subjecti recipientis duas; propriam & analogicam: quarum *illa* est ejusmodi subjectum, quod accidens ita in se habet, ut in ipso intrinsece inexistat & hæreat: *Hac* est ejusmodi subjectum, cui aliquid inest per modum adhæsionis, circumdationis, assistentiæ, &c. qua ratione *cathedra* subjectum professoris est; *mensa* hospitis, &c.) ad metonymiam subjecti, cum plerisque exempla talia referre non sum veritus. Porrò cùm *abstractum pro concreto* ponitur, ad metonymiam adjuncti reducere quidam renuunt, quia illud hujus forma potiùs essentialis sit, E. G. *scelus* scelesti, *sanitas* sani, *sapientia* sapientis. At verò cùm in plerisque exemplis, ex scriptura sacra adductis, non dudum concretum in se, sed ipso subjecto connotato, per abstractum intelligatur (E. G. per אמונים *fidelitates*, ipsi fideles homines, Psalm. 12. ℣. 2. per *iniquitatem*, ipse vir iniquus, Job. 5. ℣. 16. per *captivitatem*, ipsa captivorum turba Esa. 49 ℣. 24. &c.) quod omninò illius adjunctum est, igitur ad metonymiam adjuncti hæc, & alia ejus generis referre nihil veritus sum. Nec veritas quicquam incommodi ex eo, judicio meo, patietur. De aliis verò ζητήμασι generalibus, utpote, *an tropus possit esse in copula Est? Et an in vocibus conjunctis? Et an in tota prædicatione seu attributione?* Præter alios, qui hæc enucleata dederunt, cum primis Dn. D. Meisnerus p. m. consuli potest, part. 1. Philosophiæ sobriæ p. 200 414. seqq. & Dn. D. Finck. Sched. part. 1. Schediasm. 45. & part. 3. Sched. 17. Unicum hoc, medio loco positam quæstionem quod attinet, monendum, cùm multis Rhetoricæ sacræ locis, exemplis troporum in singulis vocibus, addita conspiciantur exempla ejusmodi, quæ voces conjunctas, quin & totum quandoque sermonem concernunt, ἀναλόγως & per reductionem quandam, id fieri, non verò secundùm ἀκρίβειαν, qua in una tantum voce tropum residere, plurima & Rhetorum & Theologorum orthodoxorum pars statuit. Atque hoc semel iterumque attigi p. 2. 30. idemque ad subsequentia ejus generis omnia repeti volo, ne cavillationis ansam quisquam hinc arripere conetur. Et tantum in lectoris gratiam, atque introductionis vice in theatrum hoc elocutionis spiritus divini, præfari hîc non tàm volui, quam debui.

Ad Te sermonem nunc converto, *Vir Reverende plurimùm, Magnifice, & Præclarissime, Theologorum Princeps laudatissime, Præceptor, & Pater in Christo, affectu intimo devenerande!* tuoque & judicio dexterrimo, & patrocinio fideli hanc tertiam atque ultimam Philologiæ sacræ partem, unà cum præcedente secundâ, Grammaticam sacram continente, de cujus patrono constituendo curam Jubens hucusque distuli, humiliter submitto commendoque. Et hoc ut faciam, causas habeo numero multas, pondere graves, quæ cumprimis tùm libros hos, tùm meipsum concernunt. *Illos* quod spectat, en Te agnoscunt ii originem & fontem. Tuo enim hortatu factum, quicquid in Philologia sacra per me studio qualicunque conscriptum, & publicæ luci expositum hactenus est, ut in honorifica primæ partis allegatione atque commendatione, ipse fateris, in exeg. tom. 1. de Scriptura S. §. 325. Certe nunquam laborem hunc ad exantlandum, ob tenuitatis ingenii conscientiam, perductus fuissem, absque tuis, vir Excellentissime, monitis, non coràm solùm, sed per literas etiam factis, quorum veluti basis in tom. 1. locorum Theolog. de Scripturæ S. interpretatione, collocata conspicitur, dum de regulis ad sacram Grammaticam spectantibus, succincte agens, §. 197. hoc subjicis piæ mentis κέλευσμα: *Exsurgat verò aliquis linguarum peritus, qui absolutum quid* Dedicatio.

*hac in parte nobis præstet : sufficit hic fontes monstrasse.* Et §. 198. ubi de observatis quibusdam tractans, Rhetoricam sacram concernentibus, vocem tuam κελευστικὴν repetis : *Exsurgat hic aliquis, qui itidem absolutum quid nobis hic præstet, sufficit hic fontes monstrare.* Quo celeusmate procul dubio etiamnum excitabitur, qui satis ad hoc instructus, tàm sancto desiderio atque voto, divino adjutus spiritu respondeat satisfaciatque. Ego interim fontes abs Te monstratos, & ductum per Te mihi fidelissime, voce & scriptis, præstitum secutus, feci quantum potui, & de iis, quæ Grammaticam ac Rethoricam sacram concernunt, pro ingenii & donorum divinitùs concessorum modulo, quædam conscripsi, inque publicum emisi, imitatus in hoc quoque B. Hieronymum, cui in explanationis cap. 39. Ezechielis fine, cùm ad Templum arcanum, in cap. 40. & sequentibus descriptum, accedendum porrò sibi esse videret, atque hac de re secum consuleret, hæc vox exciderat: *In ædificatione Templi & ordine sacerdotum, terræque sanctæ divisione, &c. apertè imperitiam confitemur, meliùs arbitrantes interim nihil quàm parum dicere.* At sancta virgo Eustochium, ad continuationem laboris Hieronymum ἐργοδιωκτοῦσα, excusationem hanc ei in contrarium plane vertit, *referre putans, saltem parum quàm nihil dicere, quia in altero voluntas promta, in altero totius operis desperatio est; naturamque hujusmodi hominem esse commemorans, ut non tantam gratiam habeant pro his, quæ tribueris; quantum dolorem super his, quæ negaveris, &c.* Qua voce excitus ille, reliquam explicationis, in visione omnium difficillima, telam agressus, feliciter satis eam pertexuit absolvitque, uti hæc de seipso commemorat, in procemio lib. 12. in Ezech. ubi & hoc claudit epiphonemate: *Prima, ut ait sublimis Orator, quæque sectanti, honestum est, etiam in secundis tertiisve consistere.* Hæc inquam, & ego (si mea parva istis licitum est componere magnis) meditatus, & hoc viri in Ecclesia magni exemplum minimus ego in ea, secutus, malebam equidem primum nihil, quàm parum hîc dicere, de quo *tacendi mea perseverantia* (quæ phrasis & in Hier. d. l. existit) post primæ partis publicationem testari satis potest. Verum intervenêre tùm Reverendæ Tuæ Magnificentiæ, tùm cæterorum in illustri Salana Academia Dnn. Theologorum, Virorum Reverendorum plurimùm, & Excellentissimorum, *Dn. D. Johannis Majoris, & Dn. D. Johannis Himmelii*, præceptorum, compatrum, & fautorum meorum honoratissimorum ὑπομνήματα; quibus & meritò virum Clarissimum, *Dn. M. Philippum Horstium*, P. L. C. & Philosophiæ practicæ Professorem publicum, Facultatisque Philosophicæ Seniorem, amicum meum ἄνευ δόλε καὶ ἀπάτης sincerum ac dilectum, adjungo. Vestra, inquam, viri honoratissimi, monita effecerunt, ut præstare putarem, saltem parum quàm nihil dicere, & iis, quæ jam tribueram, promissa cætera addenda esse decernerem, tandemque honestum esse judicarem, cùm prima hîc dari, ἐκ τῶν ἀδυνάτων sit, in secundis etiam tertiisve (imò verò quartis quintisve) consistere. Non tamen dubito, quin & hæc, quæ dedi pauca & imperfecta, ad absolutam perfectionem (quoad ejus in hac rerum imperfectione fieri potest) in talibus consignandis evulgandisque contendenti, usum aliquem præstare; lectoribus verò piis & industriis, ad verbi interea divini intelligentiam sanam, nec non spirituale piæ eruditionis incrementum cedere aliquatenus possint, id quod à Deo supplicibus votis precor.

Tantum de libellis his Philologicis: Jam meipsum quod spectat, gratias tibi, Vir Magnifice, debeo immortales pro summa ac plusquàm paternâ, quâ me semper complexus es, benevolentia, ex quo fonte limpido quot beneficiorum in me

rivuli

rivuli dulces, per totum hoc, ex quo sancto studio addictus esse cœpi, tempus, derivati fuerint, recenserem equidem, nisi idem hîc mihi obtingere viderem, quod collectæ aquarum copiæ, quæ per exiguum canalem dum vult egredi, impetu ipso sistitur, & se includit: Pari ratione dum copiâ *εὐνοίας καὶ εὐεργεσίας* tuæ me non tàm affectum, quàm obrutum considero, recensendæ illi prædicandæque uti dignum est, imparem me invenio. Ad unam *Perillustris & Generosissimi Comitis ac Domini, Domini ANTONII HENRICI, sacri Rom. Imp. Quatuorviri, Comitis de Schwartzburg & Honstein, &c. Domini mei clementissimi* (cujus sub umbra hæc scribo) commendationem clementem, Anno 1616. d. 15. Junii, in convictum tuum promptè me admisisti, & cum fratrum Excellentissimorum patre, Dn. FRIDERICO, & Dn. WILHELMO, magni *Polycarpi Lyseri* p. m. filiis, SS. Theol. Doctoribus celeberrimis, tertium, in primo illo tuo & auspicatissimo ad Academiam Jenensem accessu, esse voluisti, qui fontis non Heliconii, sed divini dulcedinem, ex familiariori tuo consortio & informatione degustaret, & undis his vitalibus sitientem discendique cupidum restingueret animum. In hac mensa & convictu tuo per integrum quinquennium & semestre, me paternè aluisti, qua animum, qua corpus; sed hoc *συγκρίσει* parum adhuc est: Musei etiam & intimioris conversationis participem, per biennium & ultrà, fecisti, ubi præter vivæ vocis *δύναμιν* validam, mutorum quoque præceptorum copia suppetiit, in instructissima libris tam excusis, quàm manu propriâ scriptis Bibliotheca, ex cujus usu multo utiliter hausi, & tàm memoriâ, quàm scripto complexus sum, quorum mecum fructus, & grata etiam deprædicatio, durabit, quamdiu spiritus hos reget artus. De institutione fidelissima, privatim & in publico factâ; de crebris sub tuo Præsidio, maximo meo cum commodo, habitis disputationibus; de saluberrimis ad pietatis *ἀναζωπύρησιν* monitis; de promotione ad professorium SS. linguarum munus in Academia Salana, cujus fundamentum abs tua magnificentia positum; de supremi in Theologia gradus assignatione, cujus & ratione internæ qualiscunque *ἱκανότητος*, & ratione externi ritus, te autorem (post Deum Opt. Max.) mens mea agnoscit; deque aliis, non modio, sed horreo toto mihi admensis beneficiis, fusiùs non loquar, sed *σιωπῆς* sipario grato, ne modestiæ, qua polles, molestiam facessere videar, ea obtegam. Pro omnibus verò bonitati tuæ & amori quid rependam? In tenui meo loco fanoque, quod dignè illi respondeat, nihil reperire datur. Hoc unicum superesse video, ut, quod animum ab *ἀχαριστίᾳ* alienum, & ad gratias ferendum promptum geram, quacunque ratione declarem. Et ad declarandum quidem hoc, publicum dedicationis libellorum horum submissæ monumentum, in Eusebies Templo, ad *εὐχαριστίας* aram, honori tuo humiliter colloco consecroque, simul & omni observantia rogo, ut ex affectu meo levidense hoc & perquam exiguum æstimare, & aliis hoc etiam superaddere beneficiis velis, quò meæ tenuitatis munuscula chartacea, & hanc gratæ mentis significationem, tibi non ingrata fuisse cognoscam, simul & experiar, libros hosce meos, lucem, quam ex se non habent ullam, ex tui splendoris radiis mutuari ac sortiri, tuoque frui patrocinio adversus *μισοφιλολόγους* quosdam, qui de Philologicis istiusmodi sacris iniquè judicare, iisque ratione quavis detrahere solent. DEUM verò, *Patrem illum Luminum, à quo omnis donatio bona, & omne donum perfectum, è supernis descendit*, Jac. 1. ℣. 17. in omni prece mea animitùs invoco, ut Magnificam Reverentiam tuam, sanam & incolumen, virtute sua divina præstet, vegetum longævæ vitæ robur, reliquis mu-

neribus, ad beatam & tranquillam vitam abundanti modio divinitus ei concessis, clementissimè addat, & πᾶσαν πάσης εὐλογίας ἐκπλήρωσιν, quà animam, quà corpus, quà familiam, affatim suppeditet, donec post seros ætatis annos, corona justitiæ, ut certaminis boni decertati, cursus consummati, fidei servatæ, & laborum in Ecclesiæ emolumentum studio summo exantlatorum, brabeum, ex amica Christi manu, subsequatur. Cujus divino patrocinio Te, vir præclarissime, cum tota illustri Academia, voto cordis intimo commendo. Scrib. Sonderhusii, 20. Maji, Anno ἐνανθρωπήσεως τȣ Λόγȣ, 1636.

*Rever. V. Magnif.*

filii affectu ætatem colens

Salomon Glassius, SS. Theol. D.

Index

Index Generalissimus (antiquus) omnium quinque librorum.

# LIB. I. ET II.
# CONTENTORUM SYNOPSIS.

## LIB. I.

*De Scripturæ Sacræ stylo & literatura.*



## LIB. II.

*De Scripturæ SS. sensu.*



---

# LIB. III. ET IV.
# CONTENTORUM SYNOPSIS.

## LIB. III.

*Qui Grammatica sacra est.*



IV. DE

## LIB. IV.

*Qui Grammaticæ S. appendix est.*



---

## LIB. V.

# Rhetoricæ Sacræ.

# CONTENTORUM SYNOPSIS.



Index

*M. Joh. Crausii Fac. Phil. Jen. Adjuncti*

Index Generalis (novantiquus)

Synopticè exhibens

# Librum I. & II. seu Philologiam S.

## LIBR. I.

### *De Scripturæ S S. Stylo.*



****** Non

3. Futura

## LIBR. II

### *De Scripturæ SS. sensu dignoscendo & eruendo.*

*M. Joh. Crausii, Fac. Phil. Jen. Adjuncti,*

Index Generalis (novus)

Synopticè exhibens

# Librum III. & IV. seu Grammaticam S.

## LIBER III.

# TRACTATUS I.

## DE

# NOMINE.

*In qua recurrunt 1. Species, 2. Accidentia.*

## SPECIES.

*Concretum & Abstractum: Substantivum & Adjectivum.* 243

Canon.

Concretum & Abstractum. 1. Concretum significat qualitatem subjecto inhærentem.
2. Concretum ponitur pro abstracto.
3. (Concretum) denominativum prædicatur de suo subjecto, quando denominationis ratio vel desiit, vel adhuc futura est.

Substantivum. 4. Substantivum cum Substantivo ejusdem rei in genere, numero & casu convenit per appositionem, quæ cum regimine aliquando permutatur.
5. Substantivum idem eodem casu repetitum significat (1.) emphasin, evidentiam vel continuationem (2.) multitudinem (3.) distributionem (4.) diversitatem.

Adjectivum. *Adjectivum consideratur* vel quoad constructionem, *ubi ejus* (1.) *constitutio seu expressio per idiotismum* (2.) *ellipsis* (3.) *enallage.* Vel quoad comparationem per gradus, *ubi graduum* (1.) *periphrasis.* (2.) *enallage.*

1. constitutio. Adjectivum subjungitur suo Substantivo, exceptis numeralibus. it. כל & רב.
6. Adjectum exprimitur emphaticè per alterum ex duobus substantivis conjunctis sive synonymis, sive disparatis.
7. Adjectivum exprimitur emphaticè per Substantivum.
8. Adjectivum exprimitur per regiminis substantivum prius aut posterius.
9. Adjectivum exprimitur per Substantivum cum præpositione ל, ב, מ.

2. ellipsis. 10. Adjectivum exprimitur per adverbium Substantivo additum.
11. Adjectivum quandoque deest.
12. Adjectivum adest Substantivo subintellecto.

13. Ad-

13. Adjectivum singulare jungitur Substantivo plurali ad distributionem denotandam. 1. enallage.

14. Adjectivum duobus Substantivis subjunctum convenit posteriori, cum deberet convenire priori.

15. Comparativus exprimitur per praepositionem מן. (1.) Graduum periphrasis.

16. Superlativus exprimitur (1.) per continuam adjectivi repetitionem (2.) per Substantivum in genitivo seipsum regens. (3.) per adjectivum regens ablativum cum praepositione ב.

17. Superlativus exprimitur per voces יהוה, אל, [illegible], מלך, בכור. (2.) enallage.

18. Graduum in N. Test. est permutatio.

## II. ACCIDENTIA. 276

### (1.) *Genus.* (2.) *numerus.* (3.) *casus.* (4.) *regimen.*

19. Neutrum exprimitur modò per masculinum, modò per foemininum. Genus.

20. Masculinum & foemininum ejusdem nominis conjunguntur ad innuendam rei varietatem.

21. Neutrum ponitur pro masculino in sermone de persona.

(Pseudocanones duo: Foemininum ponitur pro masculino ad rei praestantiam indicandam. 2. Foemininum adhibetur, cùm quis facit quippiam indignum virili pectore & constantia.)

22. Singularis exprimit collectam multitudinem vel totam speciem. Numerus.

23. Dualis non infert semper dualitatem.

24. Pluralis ponitur pro singulari ad denotandam magnitudinem & excellentiam.

25. Nomina appellativa dominii ponuntur in plurali pro singulari.

26. Pluralis ponitur pro singulari in N. T. eminentiae caussa aut ex linguae usu.

27. Plurale ponitur pro uno ex pluribus.

28. Nominativus absolutè ponitur, ut vim integri membri absolvat. Casus.

29. Casuum datur enallage inter se (1.) nominativi pro vocativo; (2.) accusativi cum את pro nominativo.

*Regiminis [illegible], 1. idiotismus tum in genere, tum in specie. 2. pleonasmus. 3. ellipsis.* Regimen.
*4. enallage. 5. hypallage.*

30. Nomen rectum in genitivo ratione usus est varium, & denotat 1. caussam efficientem. 2. materialem. 3. finem. 4. effectum. 5. subjectum recipiens. 6. objectum. 7. adjunctum. 8. comparationem. (1.) idiotismus in genere.

31. Substantivum regit (1.) nomen cum praepositione. (2.) pronomen. (3.) verbum infinitum. (4.) adverbium.

32. Substantivorum Synonymorum rectio auxesin & evidentiam indicat.

33. Adjectiva nominalia & participialia regunt genitivum.

34. Nomen איש in regimine significat. 1. subjectum respectu adjuncti. 2. vice versa. 3. efficientem respectu effectus. 4. vice versa. in specie.

35. Nomen בעל in regimine significat 1. rei possessorem, 2. rei subjectum, 3. loci incolam, 4. rei alicui deditum.

36. Nomen בן vel בת in regimine, cum nomine rei inanimatae constructum, facit multos Ebraismos, & quidem

(1.) Cum

(1.) Cum nomine qualitatis vel adjuncti redditur per concretum seu adjectivum ei respondens, & nomen filii ferè πλεονάζει.
(2.) Cum nomine præmii vel pœnæ redditur per dignum vel destinatum esse.
(3.) Cum nomine ætatis seu temporis redditur per natum esse.
(4.) Cum nomine loci, urbis, populi redditur per civem, incolam, alumnum vel patronymicum.
(5.) Cum nomine rei continentis facit periphrasin.
(6.) Singulares habet locutiones. Non autem diminuit significationem rei, cui additur: contra Huntheum.

37. Nomen בית in regimine ponitur pro quovis continente, vase seu loco.

(2.) pleonasmus. 38. Duobus substantivis in regimine copulatis, significatio posterioris vel unicè vel imprimis attenditur, & prius πλεονάζει, ut sunt פנים, פה, בנים, יד, חק, vel קרב, דבר, קול, ימים.

(3.) ellipsis. 39. In regimine est ellipsis substantivi, vel prioris v. g. אלהי, אחר, איש, בית, item relativorum, pater, mater, uxor, filius, frater, & vocis alius cujuscunque ad genitivum commodè subintelligendæ; Vel posterioris.

(4.) enallage. 40. Nomen absolutum ponitur pro constructo & vice versa.

41. Nomina verbalia absoluta & constructa casum verbi sui & sic accusativum regunt pro genitivo.

42. Duorum substantivorum per copulam ET connexorum alterum exponitur per genitivum.

(5.) hypallage. 43. In regimine est hypallage vel vocum inversio.

# TRACTATUS II.

## DE

# PRONOMINE.

*In quo occurrunt* (1.) *articulus Græcorum præpositivus* (2.) *pronomen demonstrativum* (3) *relativum.*

### I. *Articulus Præpositivus.* 319

1. Articulus ὁ, ἡ, τὸ quandoque emphasin & vim demonstrativi vel relativi pronominis habet, cùm præponitur nomini casu vel convenienti vel inconvenienti.
2. Articuli ellipsis quandoque supplenda.
3. Articuli curiosa consideratio falsas hypotheses & errores facilè invehit.
4. Articulus & subjecto & prædicato præponitur.

*******

# TRACTATUS III.
## DE
# VERBO.

*Ubi occurrit* 1. *idiotismus, tum significationis; tum constructionis* 2. *enallage* 3. *ellipsis* 4. *pleonasmus.*

## I. IDIOTISMUS. 345

(α) Significationis.

*Quæ spectatur tripliciter* 1. generaliter, *idque vel absolutè citra respectum; vel cum respectu (a) actionis ipsius (b) causæ agendi (c) adjuncti (d) oppositi.* 2. specialiter *ratione verbi activi & passivi.* 3. specialissimè *quoad conjugationes Ebræas earumque significationes.*

1. Generaliter Absolutè.
1. Verbum simplex ponitur pro composito in V. & N. T.
2. Verbum unum ponitur pro duobus, brevitatis causâ, per metalepsin vel synthesin.

respectu (a) actionis.
3. Verbum completivum sumendum inchoativè, & vice versa.
4. Verbum intelligitur de rei significatæ continuatione, it. restauratione vel confirmatione.

(Canon generalis sequentes septem includens: Verbum, exprimens certam actionem vel effectum, quasi retro trahendum est, & de causa actionis vel effectus intelligendum)

(b) causæ agendi.
5. Verbum actionis seu effectus, intelligitur de agendi facultate seu potestate, & exponitur per possum & infinitivum.
6. Jure & debito -- Debeo ----
7. Voluntate & voto -- volo ----
8. Conatu -- conor ----
9. Consuetudine -- soleo ----
10. Occasione.
11. Permissione seu concessione.
12. Verbum potestatis accipitur pro verbo debiti & juris.
13. Verbum voluntatis accipitur non de nudo voluntatis arbitrio, sed causam & conditionem effectûs simul includit.

(c) adjuncti.
14. Verbum præter usitatam significationem, simul ejus qualitatem, adjunctum & conditionem indicat.
15. Verbum fiendi, essendi aut agendi sumitur pro rei notificatione seu prænuntiatione.
16. Verbum appellandi vel notificandi sumitur pro rei productione & essentia.
17. Verbum fiendi, essendi aut agendi sumitur pro rei cognitione.

18. Ver-

18. Verbum fiendi, essendi aut agendi sumitur pro rei opiniones & sic φαινομένως, seu reputativè intelligitur & vice versa.
19. Verbum affirmans sumitur pro contrario negante. (d) oppositi.
20. Verbum negans sumitur pro contrario affirmante cum emphasi.
21. Activum & effectivè & habitualiter significat. 2. specialiter.
22. Activum tribuitur. 1. δύναμιν activam conferenti. 2. actionem mandanti & procuranti. 3. consentienti & approbanti. 4. causam organicam tractanti. 5. rei actionem manifestanti. 6 signo actionem signanti. 7. per accidens concurrenti.
23. Activum significat Passivè. 1. in tertia persona sine nominativo expresso; 2. in infinitivo.
24. Passivum significat & activè & neutraliter.
25. Verbum in Kal significat simpliciter & leniùs.
26. Verbum in Piel significat intensius vel alterativè. 3. specialissimè.
27. Verbum in Hiphil significat (1.) continuativè seu translativè (2.) alterativè.
28. Piel & Hiphil præter significationem directæ & immediatæ efficientiæ etiam aliis modis se habent.
29. Hithpael significat reciprocè.

*Coronis de derivatione & compositione.*

30. Verbi significatio non à radice Kal, sed à conjugato nomine desumitur.
31. Verba Ebræa ex diversis conjugationibus, modis & temporibus composita occurrunt.

## (β) Constructionis seu Rectionis verborum. 395

*Quæ est vel verbi* in genere (1.) *cum nomine* (2.) *verbo finito* (3.) *infinito.* (*Quò pertinet constructio verbi Græci cum infinitivo*) *Vel* in specie *verbi passivi & substantivi.* In genere.

32. Verbum Ebræum crebrò & eleganter regit nomen conjugatum & cognatum ad emphasin intendendam, vel actionis effectum aut objectum innuendum. cum nomine.
33. Verba quædam Græca eleganter duos accusativos, alterum personæ, alterum rei asciscunt.
34. Verba duo cum vel sine copula Ebræis usurpantur, sicut Latinis verbum cum infinitivo. verbo finito.
35. Verborum duorum ejusdem temporis cum vel sine copula, prius Latinè per adverbium exponitur.
36. Verbum finitum infinitivo junctum adverbialiter exponendum, & infinitivus in tempus & personam finiti conjuncti convertendus est. infinito.
37. Verbum finitum quodvis regit suum infinitivum, majoris certitudinis & evidentiæ causâ.
38. Verbum μέλλω asciscit infinitivum, & periphrastice ipsam rem, infinitivo expressam, in futuro significat. verbi Græci.
39. Infinitivus cum vel sine articulo gerundii vicem sustinet, verbo finito additus.
40. Passivum cum nominativo pleonasticè adjunctum habet את. in specie.
41. Passivum vocandi cum dativo construitur.
42. Verbum Sum, sive expressum, sive intellectum, loco posterioris nominativi regit nomen cum præpositione.

## II. ENALLAGE. 405

1. *modorum* 2. *temporum* 3. *personarum* 4. *numeri* 5. *generis*.

modi. 43. Imperativus usurpatur pro futuro indicativi, pro subjunctivo, quandoque permissivè exponitur.
44. Infinitivus usurpatur pro præterito, præsenti, futuro, imperativo, participio & nomine.
45. Optativus Ebræis effertur (1.) per præteritum vel futurum cum particula לו (2.) per futurum sine particula (3.) per imperativum (4.) periphrasticè per formulam: *quis dabit*.
temporis. 46. Præteritum usurpatur pro plusquam perfecto, præsenti, futuro.
47. Aoristus Græcus usurpatur pro præterito, præsenti, futuro.
48. Præsens usurpatur pro præterito, futuro, paulò post futuro.
49. Futurum usurpatur pro præterito, præsenti, imperativo.
Personæ. 50. Personæ Ebræis commutantur inter se.
numeri. 51. Verbum plurale usurpatur pro singulari, sed rarò.
52. Verbum singulare jungitur nomini vel participio plurali distributionis causâ.
53. Verbum plurale jungitur nomini singulari.
generis. 54. Verbum numero respondet posteriori Substantivo regiminis, cùm deberet priori.
55. Verbum & nomen sæpe genere discrepant.

## III. ELLIPSIS. 425

56. Verbum deest in oratione, subintelligendum, idque vel finitum, vel infinitum, vel Substantivum.

## IV. PLEONASMUS. 427

57. Verbum Sum redundat in præterito sæpe, in futuro rarò.

# TRACTATUS IV.
## DE
# PARTICIPIO.

*Cujus observanda I. natura & conditio: II. enallage & significationis extensio, III. Peculiaris constructio.*

## I. NATURA. 428

1. Participia Ebræorum pro diversa conjugatione diversimodè se habent.

II. ENAL-

## II. ENALLAGE. 430

*Ponitur participium 1. pro nomine 2. pro verbo tum in genere, tum in specie, pro præsenti, præterito, futuro, infinitivo Græco 3. pro participio alio.*

2. Participium, tum activum, tum passivum, crebrò nominascit. (1.) nom.
3. Participium junctum verbo substantivo, convenit cum ipso in genere & numero, notatque tempus illud, cujus est verbum substantivum. (2.) verb.
4. Participium præsens sine verbo substantivo usurpatur pro præsenti indicativi. præs.
5. Participium usurpatur pro perfecto vel imperfecto, & tum subintelligitur verbum substantivum præteritum. præter.
6. Participium usurpatur pro futuro, & tum subintelligitur verbum substantivum futurum. futur.
7. Participium apud Græcos ponitur pro infinitivo. infinit.
8. Participium præsens usurpatur pro participio futuro, vel mox futuro. (3.) particip.

## III. CONSTRUCTIO. 435

(a) Cum nomine, tum antecedente diversi numeri vel generis, tum consequente (b) verbo Græco.

9. Participium Plurale respondet nomini collectivo singulari.
10. Participium genere quandoque discrepat à nomine præcedenti.
11. Participia, maximè pluralia, more & forma nominum regunt genitivum.
12. Participia quædam Græcorum eleganter cum verbis construuntur.

# TRACTATUS V.

## DE

# ADVERBIO.

*Cujus consideratio vel generalis vel specialis.* 439

### *Generalis.*

*Ubi 1. circumscriptio. 2. repetitio. 3. singularis constructio.*

1. Adverbium circumscribitur quandoque aliarum vocum positione vel combinatione.
2. Adverbium vel secum ipso, vel cum suo synonymo conjunctum, epitasin & emphasin significationis importat.
3. Adverbium Græcum, affectionem animi vel corporis significans, & cum verbo ἔχω constructum, ut nomen cum verbo substantivo exponitur.

### *Specialis.*

*Adverbia notant vel* circumstantiam, *ut adverbia* 1. *loci* 2. *temporis* 3. *numeri: vel* actionem, *ut adverbia* 4. *demonstrationis* 5. *confirmationis* 6. *negationis* 7. *dubitationis* 8. *exclusionis: vel* qualitatem, *ut adverbia* 9. *similitudinis* 10. *limitationis.*

1. *Loci.* ibid.

4. Adverbium loci, per conjunctionem copulativam aut aliam vocem repetitum, diversitatem loci significat.

2. *Temporis.* 443

*Quod est* (*a*) *indicativum, indicans tempus, sive determinatè,* ut heri, hodie, cras, semper, *& distributiva* indies, quotannis: *sive indeterminatè, ut* quum, quando, statim, cito. (*b*) *continuativum tum affirmativè,* adhuc; *tum negativè,* non amplius. (*c*) *exclusivum tum affirmans,* donec, usque; *tum negans,* non amplius.

(a) indicativum. 5. Adverbia temporis determinati & certi indeterminatè & indefinitè sumuntur, scil. *heri* pro præterito, *hodie* pro præsenti, *cras* pro futuro.

6. Adverbium *semper* ponitur pro *sæpe* vel *frequenter.*

7. Adverbia temporis distributiva *quotannis*, *indies* Ebræis eleganter exprimuntur.

8. Adverbium temporis indeterminati, *cum*, *quum*, *quando*, per conjunctionem כִּי *quia* exprimitur.

9. Adverbium temporis *statim*, *cito* moram temporis includit.

(b) continuativum. 10. Adverbium temporis continuativum ἔτι *adhuc*, & futurum & præteritum tempus respicit.

11. Adverbium temporis continuativum negans οὐκέτι *non amplius* quandoque nullum respectum ad antecedens tempus habet, sed simpliciter pro negativo *non* ponitur.

(c) exclusivum. 12. Adverbia *donec* & *usque* non semper tempus præteritum determinant, & futurum excludunt: sed & sæpius indeterminatè accipiuntur, ita ut sequens tempus omne includatur, ac proinde in prædicationibus affirmativis exponenda sunt per *semper*, in negativis per *nunquam*.

13. Adverbium *non amplius* non removet omne tempus futurum, sed pro aliquo temporis spacio quandoque sumitur.

3. *Numeri.* 455

14. Adverbia numeri *semel*, *primum*, *secundo*, *iterum*, *ter*, peculiariter usurpantur.

4. *Demonstrandi.* 457

15. Adverbium demonstrandi *ecce* sæpe notabilis Spiritus S. asterismus est, ad attentionem excitandam positus.

5. *Con-*

TRACTA-

# TRACTATUS VI.
## DE
# PRÆPOSITIONE.

*Ubi I Constructio II. Significatio.*

### *I. Constructio.* 482

1. Præpositiones quædam junguntur infinitivo, & explicantur per conjunctionem & verbum finitum.
2. Præpositio *ex* vel *de* cum *in* constructa, augmentum & continuitatem rei denotat.

### *II. Significatio.* 483

*Quædam significant* 1. terminum *vel locum motus aut quietis; ut* Ad, in, coram, ex, per, trans, post, super, subter. *Harum nonnulla etiam tempus notant* 2. *quædam* causam; *ut* pro. 3. *quædam* comitatum; *ut* cum. 4. *quædam* exclusionem; *ut* præter. 5. *quædam* distributionem; *ut Græc. ἀνὰ.*

3. *Ad* denotans motum ad locum Ebræis exprimitur per ה finale.

1. locales ad, in. 4. *Ad* ponitur pro *in*, & *in* pro *ad*: Sive; Præpositiones motûs ad locum & quietis in loco permutantur.

5. Præpositio motûs ad locum אל *πρὸς ad* sumitur pro *de*, *super*, *propter*, *contra cum*. (It. *εἰς* pro *πρὸς*) Modò etiam abundat, modo deficit.

6. Præpositio quietis in loco *in* sumitur pro *de*, *à*, *cum*, *per*, *propter*, *post*.

coram. 7. *Coram* Ebræis per præpositionem נגד & per nomen פנים *facies* cum præpositione effertur.

ex. 8. *Ex* motum ex loco vel materialen causam significans usurpatur pro *à*, *post*. It. est nota præeminentiæ.

per. 9. *Per διὰ* usurpatur. 1. *ἐμμέσως* de via vel medio. 2. *ταγματικῶς* de modo vel ordine. 3. *συνεχῶς* de tempore continuato. *ἐνυπαρκτικῶς* de nuda in essentia pro *in*. 5. *αἰτιολογικῶς* de omnibus causarum generibus.

trans. 10. *Trans* עבר *πέραν* & ulteriorem & citeriorem loci partem, hujusque vicina & proxima loca denotat.

post. 11. *Post* אחרי *κατὰ* & locum & tempus designat, poniturque pro *intra*.

super. 12. *Super*, על præter significationem propriam sumitur pro *juxta*, *versus*, *ad*, *coram*, *in*, *ex*, *erga*, *contra*, *propter*, *de*, *cum*.

sub. 13. *Sub*, *subter* תחת præter significationem propriam sumitur pro *in*, *vice*, *propter*.

2. causalis pro. 14. *Pro ὑπὲρ* significat *pro*, *super*, *de*.

15. *Pro ἀντὶ* significat *vice*, *in usum*, *hôc fine*, *igitur*, & in compositione *contra*.

3. comitativa, cum. 16. *Cum* Ebræis exprimitur per עם, עמד, את.

17. *Cum* Ebræis exprimitur per copulativam ו in oratione negativa aut negativæ æquipollente.

18. *Pr-*

# TRACTATUS VII.

## DE

# CONJUNCTIONE

*Quæ est vel* ENUNCIATIVA, *quâ enunciationis partes cohærent, tum affirmate, & hæc est* copulativa & conditionalis *seu connexiva; tum oppositè, & hæc est* disjunctiva & adversativa: *Vel* RATIOCINATIVA, *quâ enunciationis pars alia ex alia ratiocinando velut asseritur: Estque vel* causalis, *quâ antecedentis causa redditur; Vel* conclusiva *seu rationalis, quâ ex antecedente consequens concluditur.*



********

14. Adver-

# TRACTATUS VIII.

## DE

# INTERJECTIONE. 537

# LIBER IV.

## Appendix Grammaticæ S.

# TRACTATUS I.

## De Significatione septem vocularum præfixarum

מׄשׄהׄ וׄכׄלׄבׄ

*Ex quibus duæ sunt pronomina* ה *&* ש: *una adverbium* כ: *tres præpositiones* מ, ב *&* ל: *Et una conjunctio* ו,

# TRACTATUS II.
## DE
# FIGURIS GRAMMATICIS.

*1. ellipsi. 2. pleonasmo. 3. enallage. 4. hypallage. 5. synchysi.*

### IV. *Hypallage.* 585

21. Hypallage voces invertit.
22. Hypallage in quibusdam incerta est.

### V. *Synchysis.* 588

23. Synchysis datur in vocibus simplicibus.
24. - - - particulis.
25. - - - vocibus conjunctis.
26. - - - tota propositione.
27. - - - sermone continuo.
28. - - - narratione historica per prolepsin.
29. - - - narratione historica per hysterologiam.
30. Datur hysterosis historica, cùm in historiæ concisa repetitione quædam adduntur, quæ in ipso textu, ubi ex professo historia extat, non leguntur.

# TRACTATUS III.
## DE
# NOMINE PROPRIO.

*Ubi 1. formatio. 2. impositio. 3. peculiaris usurpatio.*

### I. *Formatio.* 595

*Quæ consid. (a) ratione ipsius nominis proprii, & quidem vel absolutè in lingua originali, vel comparatè in aliis linguis. (b) ratione accidentium externorum.* (a) nomen ipsum absolutè.

Observat.

1. Nomina in se pluralia vel dualia ex speciali impositione sæpe fiunt singularia & propria.
2. Nomina propria multa sunt ex simplicibus vocibus composita, quæ vel sine lineola Maccaph, vel cum ea connexa conspiciuntur.
3. Nominis proprii compositi quandoque prior, quandoque posterior pars solùm extat, alterâ parte omissâ.
4. Nomen proprium unum idemque variationi & mutationi in literis vel Syllabis obnoxium est, idque in literarum 1. additione & omissione, 2. permutatione, 3. transpositione.
5. Nominis proprii etymon nequaquam ex peregrina & aliena lingua deducendum est. comparatè.
6. Nomina propria debent retineri in versionibus, qualia leguntur in originali lingua, nec ut appellativa transvertenda sunt. Vicissim nec appellativa accipienda sunt ut propria.
7. Nomini proprio Ebræo quandoque (at irregulariter) ה demonstrativum: Græco verò tum articulus cum præpositione, tum pronomen τὶς *quidam* additur. (b) accidentia.
8. Nominis proprii ponitur quandoque periphrasis.

## II. *Impoſitio.* 609

*Eſt vel* prima, *reſpectu τῶν ἀνωνύμων, quando perſonis vel locis innominatis ſua primùm imponuntur nomina* : *Vel* iterata *illorum hominum vel locorum, quibus ſua jam ante indita fuerunt nomina.*

9. Nomina propria perſonarum plurima à Deo & Ebræis impoſita ſunt ab eventu vel ſtatu rerum 1. præterito 2. præſenti 3. futuro ſperato.

prima. 10. Nomina propria locorum quorundam itidem (1.) ab eventu ſeu re geſta leguntur fuiſſe impoſita, & tamen (2.) ante impoſitionem per prolepſin ſæpius in ſcripturis memorantur.

11. Diſtinctæ perſonæ & loci ſæpe ſunt uninomines.

iterata. 12. Perſonæ ſæpe ſunt polyonymi.

13. Loci ſæpe ſunt polyonymi, denominati ita vel ſimpliciter, vel emphaticè & propheticè.

14. Perſonis jam antè nomina ſua habentibus alia quandoque leguntur impoſita, aut ſuperimpoſita fuiſſe nomina vel cognomina (idque 1. à Deo ipſo. 2. à prophetis & aliis piis ſive in bonum, ſive in malum. 3. à Regibus infidelibus) ob certam rationem, in textibus ſcripturæ ut plurimum expoſitam.

15. Locorum quorundam nomina mutata, & nova ſuperinducta eſſe leguntur.
*Obſervationes duæ de nominibus 1. ἀναλόγοις propriis (ſive titulis Regum, qui pluribus ſuccedentibus tribuuntur.) 2. ἀπορητικοῖς propriis.*

16. Plures unius regni vel provinciæ Reges ſive Principes ſibi invicem ſuccedentes ſæpe uno eodemque utuntur nomine.

17. Nomina quædam dubiæ ſunt ſignificationis, propriane ſint, an appellativa.

## III. *Peculiaris Uſurpatio.* 649

(*a*) *Scriptura ipſius, quæ ponit* vel *nomen pro re ipſa, metonymicè*: vel *nomen unius pro altero ſimili, metaphoricè*: vel *nomen civitatis pro agro circumjacente, metonymicè.* (*b*) *interpretum.*

Scripturæ. 18. Nomen ponitur pro re ipſa.

19. Nomen proprium unius (ſive perſonæ, ſive loci) imponitur alteri ob ſimilitudinem vel typum.

20. Nomen proprium civitatis uſurpatur pro tractu circumjacente.

interpretum. 21. Ex nominum propriorum interpretatione & collatione ſuaves quidem alluſiones & utiles de ſapientia Chriſtiana commonefactiones deſumi quandoque poſſunt: Interim tamen ne vel coactæ, vel nimis crebræ eæ ſint (perinde ut allegoriæ) ſedulo videndum.

## Diſputatio de Prot-Evangelio. 655

*Finis Lib. IV.*

In-

# Index Generalis (novus)

Synopticè exhibens

Librum V. seu Rhetoricam Sacram.

# TRACTATUS I.

*De Tropis eorumque affectionibus.*

## PARS I.

*De 4. Speciebus Tropi, Metonymia, Ironia, Metaphora, Synecdoche.*

### CAP. I.



### CAP. II.



### CAP. III.

in genere. in specie. 2. Continens pro contento, locus pro locato, v.g. mons Carmel pro arboribus ejus.

3. Possessor pro re possessa, v.g. gentes pro regione gentium.

in genere. 4. Subjectum *occupans* seu objectum pro adjuncto occupato, seu eo, quod versatur circa objectum v.g. Christus pro doctrina de eo, Deus pro cultu ejus. in specie.

5. Signatum pro signo v.g. potestas in capite pro velamine.

## CAP. IV.

*Metonymia Adjuncti.* 693

Ponitur

internum. 1. Adjunctum *receptum* seu accidens (in genere) pro suo subjecto, abstractum pro concreto v.g. canities pro cano.

2. Contentum (in specie) pro continente, locatum pro loco v.g. scaturigo pro loco, in quo est scaturigo.

externum. 3. Tempus pro rebus in tempore factis seu existentibus v.g. festum pro hostia die festo immolata.

4. Opinio hominum pro ipsa re, v.g. Samuel pro Samuele putatitio seu spectro Diabolico; justus pro Φαινομένως tali. Alii hoc ad præcedens caput de metonymia subjecti referunt, quando res ponitur pro opinione.

in genere. 5. Adjunctum *occupatum* seu actus circa objectum pro objecto suo v.g. spes pro Deo, in quo speratur.

6. Signum pro signato v.g. Sceptrum pro regno.

in specie. 7. Nomen pro ipsa persona vel re v.g. nomen Dei pro Deo.

## CAP. V.

*Antiphrasis & Ironia.* 706

*Antiphrasis* est vocum per se consideratarum. In hac

1. Una eademque vox contrariam significationem obtinet v.g. ברך notat benedicere & maledicere.

2. Vox eam significationem obtinet, cujus contraria significatio est in radice seu themate v.g. קדש est puer meritorius, cinædus, à קדש sanctum esse.

*Ironia* est vocum in oratione certa positarum, tum in sermone Dei & Christi v.g. ecce, Adam factus est sicut unus ex nobis: tum in sermone sanctorum. Huc pertinent quædam prolata.

1. Simulanter & πειραςικῶς seu cum tentatione.

2. Dissimulanter & hypocriticè.

3. Fallendi animo, quæ manifestè falsa sunt.

In quibusdam Ironia videtur inesse, neque tamen inest.

## CAP. VI.

*Metaphora in genere.* 715

Adducitur 1. definitio, est similitudo brevis, ad unam vocem contracta. 2. differentia à similitudine. Hæc est collatio explicita; metaph. autem implicita. 3. dignitas:

gnitas: est tropus florentissimus. 4. tractandi modus: similitudinis ratio rectè inquirenda est, & in specie notandum, unam rem metaphoricè exprimere opposita v.g. leo Christum & Diabolum. 5. varietas: desumitur ab omnibus rebus. 6. distinctio: Plutarcho ratione rerum est quadruplex; Aliis ratione vocum triplex; H. l. proponitur duplici ἐξεργασίᾳ, *speciali*, cùm ad Deum transferuntur, quæ propriè sunt hominis aut aliarum creaturarum, per ἀνθρωποπάθειαν: Aut cùm non personis tribuuntur ea, quæ sunt personarum, per προσωποποΐαν, cap. 7, 8, 9. & *generali*, cùm à Deo & creaturis in tota natura obviis, aut à personis & rebus sacris metaphoræ deducantur. capp. 10, 11, 12, 13.

## CAP. VII.

*Metaphora translata ad Deum ab homine per συγκατάβασιν.* 717 Ἀνθρωποπάθεια.

Tribuuntur Deo hominum

I. Partes & membra v.g. anima, corpus, caput, facies, oculi, aures, nasus, os, cervix, brachium, manus, dextra, digitus, cor, viscera, sinus, pedes.

II. Affectus v.g. lætitia, tristitia, pœnitentia, ira, ultio, odium, Zelus.

III. Actiones, eæque (α) Facultatis intelligentis seu rationalis, sive *interna* v.g. cognitio experimentalis, ignorantia (interrogatio, deliberatio, scrutatio) recordatio, oblivio, cogitatio; sive *externa*, peractæ 1. *ore* v.g. sibilatio, efflatio seu spiratio, risus & subsannatio, osculatio, clamor, locutio (& in specie, increpatio, vocatio, præceptio, responsio, testificatio, inquisitio judicialis, numeratio, emtio, venditio) 2. *manibus* v.g. in genere labor & quies; In specie, abluere, & aliæ actiones ordine Alphabetico dispositæ. 3. *pedibus* v.g. conterere caput serpentis. (β) Facultatis animalis, & quidem. 1. *sensuales*, quinque sensuum externorum v.g. visio, auditus, odoratus. (gustus & tactus rarò Deo tribuuntur) it. somnus & vigilia. 2. *motus* atque situs localis v.g. adventus, ambulatio, descensus, equitatio, occursus, reversio, surrectio, transitio. 3. *actio* procreatrix seu generatio.

IV. Adjuncta tum *privativa* v.g. impotentia faciendi, luxatio, morbi, pestis, mors: tum *positiva*, eaque vel *interna*, ut respectus & status hominum varii v.g. cùm Deus dicitur agricola, artifex, bellator, consiliarius, medicus, pastor, pater, princeps, sponsus, testis: Vel *externa*, hæcque 1. inseparabilia, nempe locatio (unde stare, sedere) & tempus. 2. separabilia varia v.g. arma, arrhabo, calix, currus, divitiæ, fenestræ, furnus, hæreditas, liber, oleum, panis, sigillum, thesauri, vestitus, vexillum, virga.

## CAP. VIII.

*Metaphora translata ad Deum à creaturis irrationalibus.* 749 Ἀνθρωποπάθεια.

Desumuntur illæ

I. A bestiis, quarum Deo tribuuntur (1.) nomina v.g. agnus, leo, cerva auroræ, vermis, aquila. (2.) actiones v.g. rugire, volare, incubare. (3.) membra v.g. cornu, alæ.

II. A plantis, vel in genere, quando Messias vocatur germen, surculus, fructus terræ, lignum vitæ, radix Isai; Vel in specie, quando Messias vocatur cedrus, vitis, fasciculus myrrhæ, botrus copher.

III. Ab inanimatis universim, cùm Dei infiniti & immensurabilis quædam instituitur dimensio, & ipsi tribuitur altitudo & magnitudo.

*********

IV. A

IV. A cœlo cùm Deus dicitur lux, Sol (& ratione majestatis, sanctitatis, perfectionis: & ratione operationis inter homines) it. Christus dicitur lux, sol justitiæ; oriens ex alto, stella Jacobæa, stella matutina.

V. Ab Elementaribus. Dicitur Deus ab *igne* ignis, lucerna: Ab *aëre* faciens flatum vel halitum. Ab *aqua* scaturigo, A *terra* Christus dicitur lapis, petra, Deus dicitur baubulum, munitio, turris, templum, via, umbra.

## CAP. IX.

*Metaphora, quibus ut personæ proponuntur, quæ non sunt.* 761

Ea, quæ hominis sunt, tribuuntur

ἀνθρωποπάθεια. I. Membris quibusdam humani corporis v. g. intelligere, oblivisci tribuitur manibus.

II. Animalibus brutis v. g. gens locustarum, filius asini.

III. Terræ nascentibus v. g. præputiare arborem, occidere vitam.

IV. Inanimatis v. g. vox sanguinis, stellæ pugnantes, cœli enarrant gloriam, terræ ornatus & baltheus, cœli exaudiunt terram, ventus spirat, ubi vult. It. voces *filius*, *lingua* & verba quædam.

V. Regnis, provinciis ac civitatibus, quæ hominum consociatorum quasi corpus sunt. Introducitur enim totus populus 1. ut homo in genere 2. ut vir. 3. ut fœmina vel virgo.

σωματοποιΐα. VI. Accidentibus quibusdam, iisque corpus induitur v. g. peccatum cubat ad ostium, clamat: Vetus homo: Justitia testatur mihi.

## CAP. X.

*Metaphora deducta à Deo, Angelis, cœlo ac elementis.* 774

A Deo. Ejus nomen tribuitur Angelis, hominibus in terra præstantibus. Ex actionibus ejus creare, it. facere ad alia eximia ejus opera transfertur.

Ab Angelis. Nomen Cherubim it. Satanas tribuitur hominibus.

A cœlo: Accipitur id pro divina gloria, it. pro spirituali Dei regno. Solis ortus pro felicitate. Stellæ pro viris illustribus. Phosphorus pro Rege Babylonis. *Luminarium effectus duo sunt* 1. *mundi illuminatio*. Ponitur hîc lux pro vita, prosperitate, manifesto statu, gratia & benevolentia: Umbra pro præsidio ac defensione: Tenebræ pro malis. 2. *temporis distinctio*. Ponitur hîc dies pro temporis commoditate, pro cognitione Dei & tempore gratiæ: Mane pro prospero: Aurora pro subito ortu: Meridies pro rebus evidentibus: Nox pro tristibus.

Ab elementis. *Ab igne*: Hic ob claritatem, puritatem, splendorem, efficaciam agendi, penetrandi tribuitur Angelis, verbo Dei: ob vim combustricem tribuitur iis, quæ perditionem inferunt. Sic est ignis salitionis, probationis. Huc refertur flamma, candela, lampas, carbones, titio, fumus, uri, conflare. *Ab aëre* est ventus pro vanitate. Huc pertinent *meteora*; vapor (pro calamitatibus & evanescentia) nubes, tempestas, tonitru, filia vocis, fulgur, grando, pluvia, nix, ros. *Ab aqua*. Hæc sumitur in bonum & malum. Subjecta ejus sunt mare, torrens, flumen, rivus, fons, scaturigo, fons Siloah, puteus: Qualitates sunt fluere, frigidum esse. Actiones ejus sunt: erumpere, inundare, stillare. Actiones autem hominis circa aquam sunt effundere (in bonum & malum) abluere, mundare. *A terra*. Hæc (1.) cœlo opponitur, & ita sumitur pro statu peccati. (2.) hominibus domicilia præbet, & ita terra nova notat cœlum. Ejus pars elevata est mons (notat cœlum, regna, hostes elatos regni Dei) inspecie Basan,

Car-

Carmel, Libanus. Dehinc collis, petra, ſpelunca, vallis, deſertum, terræ inferiora, profundum, abyſſus, lutum, pulvis.

## CAP. XI.

*Metaphora deducta à mineralibus, plantis, animalibus.* 806

Ab inanimis ſeu mineralibus. Ponitur aurum pro ſerenitate; argentum pro re præſtanti; ferrum pro ſolido, duro; lapis pro ſtupore animi: Sal tribuitur Apoſtolis, Sulphur notat pœnas.

A plantis. Harum occurrunt (α) partes: ſemen, (pro verbo Dei) radix, ramus, folium, flos, fructus. (β) genera & ſpecies, planta, arbor, ſpina, arundo, abſinthium (quarum ſubjectum eſt ſylva, hortus) In ſpecie; 1. olea & oleum 2. vitis, vinea, vinum, muſtum, vinifeces, vindemia, racematio, torcular. 3. res frumentaria, ager, aratio, frumentum, triticum, meſſis, meſſores, trituratio, palea, ſtipula, ventilatio, molitura, fermentum.

Ab animalibus. Horum occurrunt (α) *partes* tum heterogeneæ, cornu, os, (unde mordere, devorare, lambere,) dens, labium, cervix, alæ, cor, cauda, calcaneum; Tum homogeneæ, os, oſſis, medulla, adeps, pinguedo, ſanguis, caro, lac. (β) *generalia nomina*, effecta & adjuncta, fera, beſtia, accumbere, rapere, paſcere, venari, illaqueare, mactare. (γ) *ſpecies*. Sunt autem terreſtria triplicia, 1. beluæ immites, in ſylvis ac deſertis degentes, leo, Ariel, unicornu, aper, urſus, lupus, pardus, vulpes, cerva. 2. manſueta, hominum eſui vel uſui inſervientia, equus, aſinus, (unde frenare) bos, vacca, canes, porci, oves, hirci. 3. ſerpentes, vermes & alia vilia, ſerpens, ſcorpio, aranea, talpa, vermis, pulex. His ſubjunguntur volatilia & aquatilia, aves, turtur, columba, crabrones, muſcæ, apes, piſces, cete.

## CAP. XII.

*Metaphora deducta ab homine, iisque, quæ illum attinent.* 832

Deſumuntur illæ ab hominum

Corpore ejuſque membris, quæ ſunt corpus, caput, facies, frons, oculus, (lacrima, collyrium) auris, naſus, nares, os, collum, humerus, brachium, ma- Eſſentialia.
nus, dorſum, lumbi, umbilicus, ſinus, genua, pedes, (claudicatio, calcatio) Similaria ſunt caro, ſanguis.

Vita, hinc vivere: ejus *integritate*, hinc ſanitas, ſanare: *oppoſitis*, hinc morbi, vulnera, ſtigmata, tabes, putredo, peſtis, venenum, mors: *Exercitiis*, ſeu actionibus vitalibus, conſiſtentibus in operatione quinque ſenſuum externorum, hinc ſentire, videre, cœcitas, albedo, rubedo; audire, ſurditas; odorari; guſtare, dulcedo, amarities; durities, mollities; ſomnus, vigilia.

Diſcrimine, & quidem 1. *à ſexu*, hinc vir, mulier, virgo. 2. *ætate*, hinc in- Accidentalia interna.
fans, lactens, puer, pueritia, virilis ætas, ſenectus, 3. *relationibus*, hinc ſponſus, ſponſa, maritus, vidua; pater, mater, filius, primogenitus, orphanus; Dominus, Rex, ſervus, pædagogus. 4. *gente*, ſeu familia, hinc Cananæus, Arabs, Edomæi, Moabitæ, Chaldæi, Sodoma, Gomorrha.

Actionibus (1.) neceſſariis ratione conſervationis tum individui v. g. edere, ſaturari, eſurire, bibere, inebriari; tum ſpeciei, ut generare, parere; (2.) contingentibus, vel (a) bonis & indifferentibus, tum immanentibus quæ ſitum motumque localem concernunt, ut ire, ſtare, cingere, induere: tum tranſeuntibus

in personas aut res, ut abbreviare &c. juxta seriem Alphabet. vel (b) mass, ut scortari, fascinare, furari, prædari, rapere.

externa. Subjectis continentibus. In genere locum ejusque dimensiones spectant altitudo, elevare, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum, latitudo, angustia. In specie circa habitationes hominum occurrunt (1.) illarum partes, ut fundamentum, paries, murus, sepes, gradus, columna, angulus, clavus, janua, vectis, clavis. (2.) species, ut urbs, munitiones, turres, domus, tabernaculum, penetrale, carcer, navis, sepulchrum.

Adjunctis (externis) h. e. variis instrumentis, vasis, utensilibus, quorum in communi vita usus est, juxta ordinem Alphabet. ut arma (& speciatim gladius, arcus, sagitta, clypeus, currus, equites) baculus, brabeum, calculus albus, calix, chirographum, corona, divitiæ, flagellum, laqueus, malleus, mensa, mensura, novacula, olla, onus, palus, perpendiculum, pila, (mortarium) pondus, rota, sigillum, sors, speculum, spolia, stipendium, tabula, tegmen, torques, vagina, vas, vestimentum, vincula, virga.

## CAP. XIII. 871

*Metaphora deducta à personis & rebus sacris, & divinum cultum quacunque ratione attinentibus.*

Ab hominibus Deo sacris vel *singulis*; Ita David, Salomo, Zerubabel pro Messia ponitur. Sic à Christo quædam ad Ecclesiam transferuntur: vel *conjunctis*, Ita ponitur populus Israel & Juda pro Ecclesia N. Test.

A locis Deo sacris. Ponitur terra Canaan, it: Jerusalem, Zion pro Ecclesia. Pertinent huc templum, tabernaculum, altare, propitiatorium, columna & firmamentum veritatis.

A ritibus & actibus sacris (1.) ἀμέσοις ipsi Deo immediate agenti ascribendis, ut sunt immissio visionum & somniorum, somnium Jacobæum de scala, concessio Mannæ (2.) ἐμμέσοις, hominibus cultûs sacri ergò à Deo præscriptis & imperatis; atque ad cultûs sacri exercitium pertinentibus: Sunt autem (a) de personis tum dirigente, summo sacerdote; tum ministrantibus, sacerdotibus, Levitis. (b) de actionibus sacris tum circa Deum, ut sunt sacrificia, primitiæ; tum circa homines, ut sunt circumcisio, præputium, aspersio, unctio. (c) temporibus, quæ sunt, sabbatum, pascha, festum tabernaculorum. In N. T. ritus sunt baptismus & cœna Domini.

## CAP. XIV.

*Synecdoche Generis.* 881

Conspicitur ea.

I. In signis universalitatis notandæ affirmativis & negativis, quæ sunt Omnis, quicunque, nullus, nemo, nihil, non. Quoad affirmativa; Universalis affirmativa locutio crebro ad speciem, cui propriè competit, est restringenda. Sive: Omnis sumitur pro plerisque; it. pro generibus singulorum. Quoad negativa; Universalis negativa itidem quandoque restringenda, ut particulariter neget.

II. In vocabulis, universalitatem pluralitatemve quandam significatu suo exprimentibus. Ponuntur autem

(1.) No-

(1.) Nomina latiora pro angustioribus, universaliora pro specialioribus v. g. aroma pro nardo, caro pro homine.

(2.) Nomen commune pro proprio κατ' ἐξοχὴν v.g. Dominus pro Christo, it. pro Imperatore.

(3.) Pluralis pro singulari v.g. Sara lactabit filios, id est, filium.

(4.) Verba generalia pro specialibus v.g. accipere pro emere.

## CAP. XV.

*Synecdoche Speciei.* 887

Conspicitur ea

I. In signis particularitatis notandæ, quale unicum est, nempe vox *multi* pro omnibus.

II. In vocibus particularitatem aliquam significatione exprimentibus.

Ponuntur autem.

(1.) Nomina angustiora pro latioribus; specialiora pro universalioribus v. g. vir pro quovis homine.

(2.) Nomen proprium pro communi v. g. Abraham & Israel pro quibusvis patriarchis.

(3.) Species rei pro genere v. g. arcus & hasta pro armis in genere.

(4.) Species numeri certa pro multitudine indeterminata in genere v. g. duplicia pro multis.

(5.) Singularis numerus pro plurali v. g. arbor agri i. e. arbores.

(6.) Verba specialia pro generalioribus v. g. ascendere pro venire.

(7.) Generale illustri quadam specie proponitur, tum in actionibus hominum v. g. misereri & mutuò dare, i. e. charitatem erga proximum exercere; tum in præceptis & monitis divinis ad homines v. g. honora patrem i. e. quemvis superiorem.

## CAP. XVI.

*Synecdoche Totius seu Integri.* 891

(Παρέργως notatur, τὸ omnis pro toto accipi)

Ponitur pro parte sua.

1. Persona integra v. g. homo pro anima. It. aliquid dicitur de multis conjunctim, quod tamen non spectat præcisè ad singulos.
2. Res tota v.g. Dagon pro trunco suo. It. in adjectivis v. g. nudus pro tali ex parte.
3. Locus v. g. mundus pro terra.
4. Tempus v. g. עולם pro parte perpetui temporis.

## CAP. XVII.

*Synecdoche partis seu membri.* 894

Ponitur pro toto suo pars

1. Hominis v. g. anima, corpus, it. caro, sanguis, caput, aliaque membra. Idem conspicitur in hominibus certa ratione conjunctis v. g. quando David nominatur, & Salomo simul intelligitur.
2. Rei v. g. ager pro regione.
3. Temporis v. g. annus pro tempore.

## PARS II.

*De tribus troporum Affectionibus, Catachresi, Hyperbole, Allegoria, hujusque cognatis: Proverbio & Ænigmate.*

### CAP. XVIII.

*Catachresis seu duritics.* 897

Occurrit hic catachrestica vocum
1. Acceptio seu significatio v.g. coquere pro assare.
2. Combinatio v.g. odor foetet in oculis Pharaonis,
3. Permutatio in N. T. v.g. αἰῶνες secula pro mundo, δωρεὰν pro μάτην frustra.

### CAP. XIX.

*Hyperbole seu Audacia.* 899

Habet duas species, auxesin & miosin.

Auxesis est 1. Rhetorica tum in singulis verbis v.g. bellum pro rixa privata: tum in phrasi conjuncta, v.g. cor exiit i.e. defecit. 2. Logica tum in hyperbolicis comparationibus; tum in hypotheticis quibusdam; tum in quibusdam aliis.

Miosis itidem est Rhetorica & Logica, Cui subjungitur miosis Grammatica, occurrens in formatione & significatione.

### CAP. XX.

*Allegoria & Continuatio tropi in genere.* 905

Est I. Simplex, desumta à rebus quibusque naturalibus v. g. in protevangelio Gen. 3. in benedictione Judæ Gen. 49. descriptione senectutis Eccl. 12. cantico canticorum &c.

II. Allusiva respiciens ad alia dicta vel facta v.g. Psal. XI. depluet super impios sulphur & ignem, alluditur ad excidium Sodomiticum. In specie, in actis & cultu N.T. crebro alluditur ad V.T.

### CAP. XXI.

*Paræmia & Continuatio tropi in specie respectu vulgaris usus.* 914

Pertinent huc
I. Sententiæ proverbiales integræ, quales in proverbiis Salomonis, & in V. Test. quandoque ex Judæorum libris desumuntur.
II. Phrases proverbiales v.g. mingens ad parietem, clausus & derelictus, contra stimulum calcitrare; salvari tanquam per ignem.

### CAP. XXII.

*Ænigma & continuatio tropi in specie respectu singularis obscuritatis.* 918

Ænigma strictè dictum in Scriptura vix unum est, nempe Simsonis; Latiùs verò acceptum, prout obscuriores & insigniores parabolas ac allegorias simul denotat, frequentius est, v.g. Psal 49: 6. cur timebo in die mala, peccatorum calcaneorum meorum circumdabit me. Prov. 26: 10. Magister format omnia &c. Est & hypænigma in una voce v.g. Christus vocatur נצר surculus, cum respectu ad Nazareth locum educationis.

TRA-

# TRACTATUS II.

## DE

# SCHEMATIBUS.

## CAPUT I.

*Figura dictionis.* 923

1. Epizeuxis 2. Anadiplosis 3. Climax 4. Anaphora 5. Epistrophe 6. Symploce 7. Epanalepsis 8. Epanodos 9. Polyptoton, cui cognatæ sunt 10. & 11. paronomasia & antanaclasis.

## CAP. II.

*Paronomasia seu Agnominatio.* 926

In specie notanda est in nominibus propriis, eorumque conjugatis, idque tum in impositionis ratione v.g. Seth: tum in prophetica prædictione v.g. Japhet, Jehuda, Salomo, Dimon, Thecoa, Gad, Meni, Cepha. Quandoque in alia lingua, quàm qua Autor scripsit, quærenda est.

## CAP. III.

*Antanaclasis seu Refractio.* 929

Est vel absoluta v.g. sine mortuos sepelire suos mortuos. Vel allusiva ad sermonem aliorum, v.g. qui solverit unum ex his minimis. Quandoque vox posterior ellipticè omittitur.

## CAP. IV.

*Figura sententiæ in Logismo seu extra collocutionem.* 932

I. Exclamatio, quæ adhibetur 1. in admiratione. 2. voto. 3. laudatione. 4. dolore. 5. commiseratione. 6. indignatione. 7. gaudio. 8. obsecratione. Huc refertur & epiphonema.

II. Epanorthosis triplex; 1. cum antecedens tollitur simpliciter, substituendo commodius & magis proprium. 2 cum corrigitur per expressam minorem comparationem, amplificando & significando illud illustriori ac significantiori voce. 3. cum corrigitur per conjunctionem *Si*. destructiva: amplificativa: conditionalis.

III. Aposiopesis: 1. in promissione. 2. comminatione. 3. querimonia. 4. juramento.

IV Apostrophe 1. ad Deum. 2. ad homines vivos & mortuos. 3. ad bruta. 4. ad res mutas: In specie, ad cœlum, & terram.

V Prosopopœia, quâ sermo tribuitur modò personæ veræ, tum apertè præmisso verbo dicendi, estque tunc (1.) sermo vel reipsâ prolatus sive bonus sive (2.) malus; vel (3.) prudenter fictus & efformatus ad aliud significandum. Tum

# LIBER PRIMUS

## DE

# SCRIPTURÆ SACROSANCTÆ STYLO AC LITERATURA

## TRACTATUS I.

## DE INTEGRITATE ET PURITATE HEBRÆI V. TEST. CODICIS.

## PROOEMIUM.



*Ulcius*, addo &, *puriùs ex ipso fonte bibuntur aquæ.* Fons omnis dulcedinis sanctæ & aquæ viventis scaturigo, est *Hebræa* Veteris, & *Græca* Novi Testamenti veritas, in quarum utraque, (etsi quid *utraque?* Una enim & simplex verbi cœlestis est veritas) *gustatur*, quia fons est, & *perspicitur*, quia lumen est, *quàm suavis sit DOMINUS, & quàm beatus, qui sperat in illo*, Psal. 34:9. Ab hoc fonte quæcunque deducuntur versiones, rivuli sunt & canales, dulcedine & puritate fonti ipsi neutiquam æquiparandi. Non *dulcedine;* Sæpe enim suavissimam vocum, phrasiumque emphasin satis assequi, vel certe exprimere non possunt. Nec *puritate:* ab humana enim proficiscuntur opella, quæ errori perquam obnoxia, & vel minus bona Interpres, vel minus fida interpretationis custos est. Dulcius igitur, imo dulcissime, purius, imo purissime ex Hebræo V. & Græco N. T. veritatis fonte, omnis doctrinæ, vitæ & consolationis hauritur bibiturque aqua.

Hunc à natura rerum, & ipsa veritate, imo summo JEHOVA monstratum ordinem, mirum, quàm confundant veritatis hostes, Pontificii. Ut palliandis suis erroribus folia suppetant ficulnea, Versionem Latinam, quam Veterem & vulgatam vocant, pro augusto authenticæ auctoritatis horto venditant: Et ut cum prætextu hoc fiat aliquo, ipsum fontem *Hebræi* in V. *Græcique* in N. T. Codicis, ut impure fluentem, ut insincere & turbide scaturientem, accusant. Perverso, uti dictum, ordine. Fontem dictum ipsi nobiscum fatentur, versionem illam rivulum esse (de rivuli impuritate jam nihil dicam) diffiteri non possunt; eccur igitur, malum! rivulum fonti, corruptelam integritati, ancillam Dominæ præponere, & hanc præ illa venerari non erubescunt? ἄνω ποταμῶν τοῦ τόγε, inquit ille apud Lucianum. Agnosce Lector, & detestare (detestaberis sane, si legeris) audax Gordoni Huntlæi, Jesuitæ Scoti pronunciatum, quod in epit. Controvers. tom. 1. cap. 8. his verbis effutit: *Non solum est ambiguus Hebraïcus textus, sed in multis etiam locis depravatus, quæ tamen loca in nostra vulgata editione adhuc correcte & integre extant, quippe quæ facta est ante illam depravationem. Quare non recte faciunt illi, qui rejecto vulgato & sincero textu, confugiunt ad textum Judaïcum jam depravatum.* Hæc ille satis tumide & immodeste. A qua immodestia Bellarminus vix latum unguem discedit, quando lib. 2. de verbo DEI cap. 11. §. 2. *Negari*, inquit, *non potest, quin sint fontes Scripturarum anteponendi rivulis versionum, quando constat, fontes non esse turbatos: nunc autem fontes multis in locis turbidos fluere jam ante ostendimus: & certe vix dubitari potest, quin sicut Latina Ecclesia constantior fuit in fide retinenda, quam Græca: ita etiam vigilantior fuerit in suis codicibus a corruptione defendendis.* Hæc Cardinalis.

Sane, quam constans Latina & Romana Ecclesia



clesia

clesia in fide retinenda fuerit, evidenter Romanæ Veteris Ecclesiæ, ejusdemque doctrinæ (quæ in Epistola ad Romanos à S. Paulo proponitur) collatio cum præsenti Roma ostendit, nec hujus loci vel instituti est, operosa narratione id pertexere: quam vigilans fuerit in suis Codicibus à corruptione defendendis, alibi etiam expenditur: Hac vice in nomine Jesu Christi demonstrare fert animus, quam male Bellarminus (& alii eandem terentes orbitam) probatum dederit, *fontes Scripturarum multis in locis turbidos fluere, & ob id vulgatam versionem à Concilio Tridentino Canonizatam, fonti authentico præponendam esse:* adeoqué de ἀφθαρσίᾳ seu ἀδιαφθορίᾳ, hoc est, de INTEGRITATE ET PURITATE HEBRÆI VETERIS; ET GRÆCI NOVI TESTAM. CODICIS, veritatis inquirendæ & stabiliendæ gratia, hanc visum fuit proponere ἐξέτασιν. Et ut à Vet. Testamenti Hebræo fonte faciam initium, ordine progrediar eo, ut 1. θέσιν, & veræ sententiæ cognitionem, 2. ἀντίθεσιν, & contrariæ sententiæ refutationem, producam.

## PARS I.

### *Θέσιν, seu veræ sententiæ expositionem tradens.*

AD θέσεως tractationem pertinet. 1. *Status controversiæ evolutio.* 2. *Sententiæ nostræ confirmatio.* De quorum utroque imposterum בנ״ה justo ordine agam.

### I. *Status controversiæ evolutio.*

AD statum controversiæ evolvendum & recte intelligendum sequentia notari velim θεωρήματα.

#### I.

*Non quæritur de particulari quorundam Codicum Hebræorum depravatione, nec de σφάλμασι, quæ Typographorum incuria, Correctorumque negligentia, in hujus vel illius editionis Codices irrepserunt.*

De hoc utrinque constare arbitror. Nec enim pro textus Hebræi in se considerati, corruptela statim est habendum, si in hoc vel illo Codice vel literæ, vel puncti, vel vocis occurrat depravatio; sive ea data opera, sive negligentia illata fuerit: Cum exemplarium aliorum & probatorum fides emendationem statim suppeditet. Sic Genes. 3:15. in Codice Bibliorum interlineari apud Christophor. Plantinum Ann. 1572. excuso, pro הוא *ipse*, in gratiam versionis vulgatæ, היא (fœmin) *ipsa*, ut typo exscriberetur, curatum fuit. Quæ corruptela insigni sphalmate typographico aucta insuper, הור pro הוא in lucem prodiit. Unde in secunda editione Anno 1584. vera lectio restituta, & masculinum הוא expresse positum. Sic Esa. 47:11. pro הֹוָה *perditio*, corruptissime יְהֹוָה legunt Biblia majora Basileæ edita, Opus Regium, quod vocant, ut & editio Witteberg. & Antverp. Sic in dictis jam Bibliis Basileens. Buxtorffii operâ editis, aliquot extant sphalmata insigniora. Ex quibus jam occurrunt isthæc. Exod. 39:14. pro פִּתּוּחֵי voce penultimâ reponendum & legendum עָשָׂר 1. Regum 1:48. pro voce quartâ & quintâ, עַל-הַמִּשְׁכָּב scribendum & legendum בָּרוּךְ יְהוָה 2 Reg. 1:2. vox quarta à fine אִר mutanda in אִם 2 Reg. 19:22. pro חֶפְרַת legendum חֵרַפְתָּ 2 Paral. 31:13. pro וּנְגִיד legendum, demta conjunctione. נָגִיד. Job. 20: ℣. 28. omissa sunt duo verba versus finalia: בְּיוֹם אַפּוֹ cap. 39:10. pro רֵישׁ legendum רֵים Eccl. 5:11. pro עֹבֵר legendum עֹבֵד Esai. 45:1. pro לִמְשׁוּחִי legendum לִמְשִׁיחוֹ Jerem. 2:25. pro יוֹאַשׁ legendum נוֹאָשׁ, Ezech. 46:11. pro יָדִי legendum יָדוֹ &c. Sic in edit. Francofurt. ad Oder. quæ in quarto complicat, Genes. 3:1. omissa est integra vox הַשָּׂדֶה cap. 30:20. pro זֶבֶד legitur זֶבֶב. Editio Veneta, formæ ejusdem, non pauca, præsertim in accentibus, contra ipsam Masoræ censuram ac fidem immutata habet, uti demonstratu facile. Nec tamen quisquam ipsius textus Hebræi in se, & in probatissimis exemplaribus asservati, corruptelam ex dictis elicere satagat. Huc pertinet, quod Justinus in Dial. cum Tryph. asserit, Jerem. cap. 11:19. Judæos ex textu Hebræo sustulisse illa verba: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium.* Hæc enim verba in omnibus exemplaribus, etiam Judaicis, nunc leguntur, (nisi quod τῷ *mittamus* respondet verbum נַשְׁחִיתָה *corrumpamus*, pro quo Chald. interpres, qui vertit, נִרְמֵי *projiciamus*, & vulgatus Latinus, legisse videntur נַשְׁלִיכָה) quod si facta tempore Justini aliqua hic fuit depravatio, illa meritò pro particulari habetur, quæ reliquis Codicibus non corruptis, adeoque textus nostri integritati præjudicari nihil potest. Frustra igitur Salmeron depravationem textus Hebræi ex hoc loco probare nititur.

2. Non

2.

*Non quæritur de irregulari vel scriptione vel punctatione vocum Hebraïcarum, quibus notæ vel adjecta visuntur Masoretica, vel non.*

[a] In textu V. Test. Biblico, in probatissimis etiam & accuratissimis Codicibus asservato, multæ occurrunt dictiones, quæ irregulariter tùm *scribuntur* (suis literis) tùm *punctantur*, quarum censura & correctio (quæ Masoretas agnoscit auctores) in margine ut plurimum adscripta visitur. Enumerabo paucula, & quid sentiendum hic, postmodum subjungam.

*In Irregulari* SCRIPTIONE occurrit literarum 1 *DEFECTUS*. Et quidem vel *literæ unius*: Tum *in principio*, 1 Reg. 15. ℣s. 18. מֶלֶךְ scribitur pro הַמֶּלֶךְ *Rex*. 1 Sam. 20: 2. עָשָׂה pro יַעֲשֶׂה *faciet*. Tùm *in medio* 1 Sam. 18: 1. ויאהבו pro וַיֶּאֱהָבֵהוּ *& dilexit eum*. 1 Sam. 17: 23. מִמַּעֲרוֹת pro מִמַּעַרְכוֹת *de aciebus*. Ariæni. Kethib retinens vertit, *de graminetis* 2 Sam. 21: 12. תְּלָוּם pro תְּלָאוּם *suspenderunt eos*, 2 Sam. 22: 8. וַיִּתְגָּעַשׁ pro וַיִּתְגָּעַשׁ *& commota est*. Tum *in fine*, Jos. 24: 3. וָאֶרֶב pro וָאַרְבֶּה *& multiplicavi*. Amos 8: 8. וְנִשְׁקְעָה pro וְנִשְׁקְעָה *& submergeretur*. Hag. 1: 8. וְאֶכָּבֵד pro וְאֶכָּבְדָה *honorabor*. Nehem. 12: 46. ראש pro רָאשֵׁי *capita*. Vel *literarum plurium*, adeoque totius dictionis, cujus puncta adsunt, deficientibus literis. E. G. Jud. 20: 13. ponuntur in textu puncta .., pro בְּנֵי *filii*. Ruth. 3: 17. ponuntur puncta .. pro אֵלַי *ad me*, 2 Sam. 8: 3. in fine ponuntur puncta .. pro פְּרָת *Euphrates*. 2 Sam. 16. ℣s. 23. ponitur Hirec pro אִישׁ *vir*. 2 Sam. 18: 20. scribitur Zere .. pro בֵּן 2 Reg. 19: 31. scribitur Scheva cum Camez .. pro צְבָאוֹת *exercituum*. Ibid. v. 37. ponuntur puncta .. pro בָּנָיו *filii ejus*. cap. 20: 13. ponitur . pro כָּל *omnis*. Psal. 96: 3. scribitur Segol .. pro אֶת Jerem. 31: 38. scribitur .. pro בָּאִים *venientes* cap. 50: 29. scribitur . pro לָהּ *illi*. Quorum omnium punctorum literæ extremitati sive margini textus ex censura Masorethica adduntur, cum nota ista: קרי ולא כתיב hoc est, *legitur* (hæc vel illa dictio) *& non scribitur* (in textu.) Huc pertinet Ezech. 9: 11. כַּאֲשֶׁר quod legendum (ut in margine adscriptum) כְּכָל־אֲשֶׁר *secundum omne, quod*. Camets Catuph in כתיב non exprimitur (ut in antecedentibus exemplis fit) sed irregularis punctatio aliam latiorem subindicat, cum aliàs Scheva simplex ante Scheva compositum initio vocis nunquam ponatur.

2. *REDUNDANTIA*. Et iterum vel *literæ unius*, tùm in *principio*, 2 Sam. 10: 9. בישראל pro יִשְׂרָאֵל. Jerem. 4: 5. scribitur ותקעו pro תִּקְעוּ *clangite*. Jerem. 50: 8. יצאו pro צְאוּ *egredimini*. Tùm *in medio*, Psa. 16: 10. חֲסִידֶיךָ pro חֲסִידְךָ *Sanctum tuum* 2 Paral. 5: 12. מַחְצְרִים pro מַחְצְרִים *clangentes* Mich. 1: 10. הִתְפַּלָּשְׁתִּי pro הִתְפַּלָּשִׁי *voluta te*. Tùm *in fine* Jerem. 3: 4. קָרָאתִי pro קָרָאת *vocasti*. Jos. 24: 8. ואבאה pro וָאָבִיא *& adduxi*. Vel *literarum plurium*, adeoque integræ dictionis, cujus literæ scribuntur, punctis vocalibus omissis, quæque propterea juxta notam Masorethicam in margine abjectam, est כתיב ולא קרי hoc est, *scribitur quidem, sed tamen non legitur*. Ejusmodi sunt, 2 Reg. 5. ℣s. 18. נא *quæso*. Jer. 38: 16. את *illum*. Jeremi. 39: 12. & 2 Sam. 15: 21. אם *si*. Jerem. 51: 3. ידרך *calcabit*. Ezech. 48: 16. חמש *quinque &c*. [b]

[b] De Anomaliis in textu Biblico.

3. *PERMUTATIO*, 1. *singularum literarum*, idque vel *literæ ejusdem* ratione diversi situs, Esai. 9: 7. Mem finale seu clausum ם in medio dictionis scribitur לםרבה pro לְמַרְבֵּה *ad multiplicationem*. E contrà Mem apertum, מ in fine scribitur Nehem. 2: 13. המ *ipsi*, pro הֵם. Job. 38: 1. מִן scribitur pro מִן *de*. Vel *literarum diversarum*. Prov. 20: 4. ישאל pro וְשָׁאַל *& petet*. Psal. 77: 12. אזכיר pro אֶזְכּוֹר *recordabor*. Jerem. 6: 25. תצאי pro תֵּצְאוּ *exibitis*. 1 Reg. 1: 47. אלהיך pro אֱלֹהִים *Deus*. 1 Sam. 14: 32. ויעש pro וַיַּעַט *& involavit seu subitò contendit*. 2 Paral. 11: 18. בן pro בַּת *filia*. 2 Reg. 25: 17. אמה pro אַמּוֹת *cubiti &c*. Ezech. 14: 4. בה pro בָּא *venienti*. cap. 25: 7. לבג pro לְבַז *in prædam*. (sicut legitur cap. 26: 5.) Amos. 8: 4. ענוי pro עֲנִיֵּי *pauperes*. 2. *Integrarum dictionum*, quæ aliis literis in textu scribuntur, aliis vero legendæ à Masoretis offeruntur. Pro voce שגל (quam pro obscœna habent) notant legendum esse שכב *accubuit, jacuit*. Deut. 28: 30. Jerem. 3. ℣s. 2. Zach. 14: 2. pro עפלים legendum טחרים *hæmorrhoides*, Deuteron. 28: 27. 1 Sam. 5: 6, 9, 12. Pro שיניהם legendum מֵימֵי רַגְלֵיהֶם *aquas pedum suorum*, h. e. urinam.

4. *TRANSPOSITIO*. Jos. 6: 12. הָלוֹךְ pro הוֹלֵךְ *eundo*. Jud. 16: 26. וְהֵימִשֵׁנִי pro וַהֲמִשֵׁנִי *& fac palpare me*. 1 Sam. 14. ℣s. 27. ותראנה pro וַתָּאֹרְנָה *& illuminati sunt*. 1 Sam. 19: 18. seqq. quinquies נוית scribitur (nomen loci) pro נָיוֹת Prov. 23: 5. יָעוּף pro יְעוּף *volabit*. Esra. 4: 4. מבהלים pro מְבַהֲלִים *conturbantes &c*.

5. *SINGULARIS RATIO*. Litera enim in textu 1. *quandoque* quantitate reliquas excedit. Deut. 4. ℣s. 6. שְׁמַע *audi*, ubi ע scribitur majusculum, & ibidem ד in voce אֶחָד *unus*. 2. *Quandoque* à reliquis exceditur, iisque minor est. Genes. 2: 4. בְּהִבָּרְאָם *in creando ipsos*, ubi ה minusculum scribitur. 3. *Quandoque invertitur*. Num. 10: 35. בִּנְסֹעַ *in proficiscendo*, ubi נ inversum legitur. 4. *Quandoque* suspenditur.

Jud. 18:30. מְנַשֶּׁה *Manasses*, ubi נ תלוי sive Nun suspensum qs. inter reliquas literas conspicitur. 5. *Quandoque* à dictione posteriori ad priorem, vel contra, surripitur. 2 Sam. 5: 2. הָיִיתָה-מּוֹצִיא pro הָיִיתָ הַמּוֹצִיא *fuisti educens*. Similia sunt Ezech. 42: 9. Job. 38: 2. Contra 2 Sam. 21. vers. 12. שָׁם הַפְּלִשְׁתִּים pro שָׁמָּה פְלִשְׁתִּים *quò Philistai*, (suspenderunt eos) 6. *Quandoque* una dictio in duas resolvitur, & notâ Masorethicâ unam esse notatur. 2 Paral. 34: 6. בְּחַר בָּתֵּיהֶם, pro בְּחַרְבֹתֵיהֶם *in desolatis locis suis*. Contrà duæ dictiones in unam contrahuntur, & nota Masor. duas esse, notatur. Psal. 55: 16. יַשִּׁימָוֶת, pro יַשִּׁי מָוֶת *mulctet mors*. Jerem. 6: 29. מֵאֵשְׁתַּם pro מֵאֵשׁ תַּם *ab igne consumtum est*. Et deficiente unâ literâ, Ezech. 8: 6. מֵהֶם pro מָה הֵם *quid illi*. Hactenus irregularis literarum scriptio.

*Irregularis* PUNCTATIO consistit partim in *punctis vocalibus*, partim *in accentibus*. In *punctis vocalibus*. Lev. 5: 21. scribitur בִּתְשׂוּמֶת pro בִּתְשׂוּמַת *in depositione*. 1 Sam. 7: 17. שָׁפָט pro שָׁפַט *judicavit*. Eccles. 3: 18. שְׁהֶם pro שֶׁהֵם *quod ipsi* &c. In accentibus anomalia occurrit Genes. 35: 22. cap. 33: 4. Exod. 20: 2. seqq. De quibus uberius disserentem consule Buxtorff. in thes. edit. 1. pag. 50. & seqq. & in Tiberiade lib. 1. cap. 17. Et de diversis Masorethar. lectionibus in genere Eliam Levitam in libro Masoreth Hàmmasoreth, tab. 2. Orat. 1.

De his igitur & aliis anomaliis atque Masorethicis notis quid sentiendum sit, & an corruptionis textus Biblici suspicio ex illis oboriri possit vel debeat; dispiciendum restat. Fiet autem id planum ex accuratiore *notarum Masorethicarum* (præsentem scopum quod attinet) consideratione.

a De notis Masorethicis.

1. a *Quædam* simplicem notant anomaliam Grammaticam, in voce textus aliqua obviam, ut quando pro קְרָאתִי notant legendum esse קְרָאת Jer. 3: 4. Est enim ' paragogicum, ut alias sæpe. Sic quando prò אֶזְכִּיר legendum esse notant אֶזְכּוֹר Psal. 77: 12. est enim ἀντίςοιχον alias frequentissimum. In his & similibus an aliqua corruptio? nulla omnino. Sicut enim ab omni corruptela alienæ sunt voces Latinæ, figura aliqua Grammatica (sive Prosthesis, Epenthesis, Paragoge, seu Apocope, Syncope, ἀντίςοιχον &c. vocetur) affectæ; Ita se res habet in civitate Hebræâ. Quis corruptelam somniat in *Induperator* pro Imperator, *Relligio* pro religio, *Olli* pro illi? Idem in Hebraïcis istis ferto judicium.

2. *Quædam* mysterii alicujus insinuandi, & profundioris sensus in scripta voce investigandi gratiâ, poni perhibentur. Ut quando Esa. 9: 6. pro ם clauso in לְמַרְבֵּה notant legendum esse מ apertum. Eo enim moneri lectorem, ut ם istud in medio positum consideret, & mysticum quid inibi insinuatum venetur. Ita enim R. Schammai in lib. Sanhedrin opinatur, per ם clausum Prophetam occulto quodam supputationis artificio significare numerum annorum à tempore suo usque ad tempus Messiæ: (*Alii* matris Messiæ *tùm* nomen, incipit enim ab M, *tùm* perpetuam virginitatem, est enim ם undique in media dictione clausum; *alii* mysterium vocationis gentium à seculo absconditum, de qua Propheta h. l. verba facit: *alii* arcanam Regni Messiæ dilatationem, juxta illud Luc. 17:20, 21. Calvinus in commentar. h. l. *Mihi utilis esse admonitio videtur; ne putarent fideles, externâ opulentia splendidum fore Christi regnum, atque ita mundanos triumphos vana spe haurirent; sed tantum inter varias pressuras sperarent arcanam dilatationem regni, quia promissa erat. Alii* demum, cum Luthero, horribilem illam clausuram, quod Judæi nunquam intellexerunt mirabilem hujus regni multiplicationem & administrationem, notari volunt.) Sic quando Neh. 2: 13. pro ם in voce הֵם legendum esse notant הֵם, voluisse ajunt, Prophetam civitatis & murorum rupturam, de qua inibi agitur, ipsâ literæ figura (quæ inferiori parte aperta est) pingere atque ob oculos ponere. Sic quando Psal. 9: 13. pro עֲנִיִּים notant legendum esse עֲנָוִים id non sine causa fieri ajunt, sed ut doceatur, Deum quidem non oblivisci clamoris *pauperum* seu afflictorum (quod notat vox עֲנִיִּים in textu scripta) sed non quorumvis, verùm eorum, qui *mansueti* sunt, (quod significat vox in margine adscripta עֲנָוִים) quique humilitate verâ ex fide profecta se Deo subjiciunt. Sic quando Hagg. 1: 8. pro אֶכָּבֵד notant legendum esse אֶכָּבְדָה *honorabor* τοῦ ה deficientis rationem mysticam insinuare Prophetam voluisse ajunt. Eam verò reddunt Thalmudistæ in Joma cap. 1. *Quid docet* ה *deficiens? Quinque res, quæ fuerunt in Sanctuario primo, & defecerunt in Sanctuario secundo, nempè Arca cum Propitiatorio & Cherubim, Ignis, Præsentia majest. Divina, Spiritus Sanctus, Urim & Thummim. Schikh. in* משפט המלך theor. 2. *Non inde probant hoc, sed rei notissimæ & alibi probatæ, suo more,* סימן *Symbolum memoriale, in recordationis facilius subsidium hinc parant.* Neque igitur ex hujus generis Masoreticis notis corruptela textui sacro illata inferri potest, non corruptionem illæ notant, sed uberioris explicationis fontem commonstrant.

3. *Quædam* vocum in textu mendosè scriptarum correctionem tradunt. Cùm enim textus sacri, à Scripturæ Mosaicæ primordio, ad solutam usque captivitatem Babylonicam, variè descripti fuerint, fieri facilè potuit, ut Scribarum incuriâ quædam σφάλματα orthographica, non

non quidem in sententiis, sed in aliquibus elementis irreperent, & continuatâ deinceps serie in plura diffunderentur exemplaria. Isti igitur incommodo ut remedium adhiberent Masoræ auctores (quos ab ipso Esdra & reliquis אנשי כנסת הגדולה *viris Synagogæ magnæ*, eruditè deducit *Buxtorff.* in Tiberiade seu Comment. Masoretico) voces in contextum plerorumque voluminum diu receptas reliquerunt integras (nec enim religionis causâ quicquam ausi mutare) sed emendationem earum *vel* ex fide aliorum probatorum exemplarium, vel suo eoque sano judicio, in margine indicarunt. Sentit equidem *Hugo Brugthonus* in Concent. Script. præfat. ad lectorem, & fol. 80. & qui ipsum sequitur, *Polanus* in Syntag. Theol. lib. 1. cap. 37. nullas marginales notas corruptionum factarum esse indices, sed utramque lectionem seu scriptionem, tàm textualem quàm marginalem, niti firmissimis rationibus. Sunt & alii, qui *mysteriorum insinuandorum gratiâ* omnia ita annotata esse sentiunt. Verùm in re manifesta quid dubiis opus est conjecturis? Certè in pluribus vocibus textualibus satis perspicuè sphalma deprehenditur, quod per correctionem marginalem tollitur. E. G. 1 Sam. 4: 13. in textu scribitur יך Masoretæ in margine reponunt, יד *Manum* sive *latus* significans. Priùs igitur mendosum esse quis non videt? Sic Ezech. 42: 16. in textu scribitur חמש־אמות & juxta notam Masoretarum legendum חמש־מאות *quingenti*, hic certè textualis vox mendosa est, uti sequentes quatuor versiculi ostendunt, in quorum singulis verba illa חמש־מאות repetuntur. Sic Zach. 4: 2. ut & Nehem. 7: 3. in textu scribitur ויאמר quasi esset tertia persona futuri. Masoretæ autem in margine notant legendum esse ואמר ut sit prima persona, *Et dixi:* quis hic non videt, mendosè legi ויאמר, cùm textus συνάφεια, & punctorum ratio, primæ personæ verbum requirat & τὸ σφαλματῶδες esse ostendat? Sic Jer. 51: 3. bis in textu continuè scribitur ידרך ידרך quorum alterum (punctis in textu destitutum) in vera lectione redundat: quis hic mendosè bis scriptam illam esse vocem ex negligentia Scribarum, inficiari ausit? Par est ratio aliorum complurium. Unde fit, ut ex nota marginali textus ipse in aliquibus editionibus Bibliorum deprehendatur correctus. E. G. 2 Sam. 8: 3. deest ultima vox פרת *Euphrates*, quæ per notam masorethicam in *margine* restituitur. At in Codicibus Regiis Plantini, itemque Basil. formæ minoris, Antverp. Francofurt, &c. in ipsum textum vox illa reponitur. Sic Jer. 50: 11. quater in fine dictionum scribitur pro ו hoc modo, תשמחי תעלזי תפשי תצהלי, Masoretharum autem nota marginalis ו finale his in dictionibus restituit, ad quam Complutenses & Munsterus sua correxerunt Biblia legentes in ipso textu תשמחו תעלזו תפשו תצהלו. Et observa hic obiter, ipsum B. Lutherum in versione Germanica alicubi notas secutum fuisse Masorethicas, uti constat ex Jos. 15: 47. ubi in Hebræo textu scribitur הגבול, Masorethica autem correctio marginalis legit הגדול (*mare*) *magnum*, quam secutus Lutherus vertit, *das grosse Méer.* Esa. 63: 9. לא צר *non angustia*, Keri, seu marginalis lectio habet לו צר *ipsi angustia*. Et sic Lutherus, *der ängstet ihn auch.* cap. 65: 4. ופרק *&* *frustum.* Marginalis nota habet, ומרק *& jus* (jusculum) perinde Lutherus, *Suppen.*

Ex hujus igitur generis Masorethicis notis, si quis corruptelas sacri Hebræi textus (prout nostris temporibus extat, & à nobis Christianis usurpatur) probare satagat, eum ἀῤῥωςία mentis laborare meritò dicemus, cùm illarum vocum, quæ olim mendosè erant scriptæ, emendationem, à viris doctissimis, & ex probatis authenticisque exemplaribus adornatam, notæ illæ exhibeant. Pro Bellarmino certè reliquisque Pontificiis hoc parùm facit, cùm is lib. 2. de V. D. cap. 1. ita loquatur: *Est ergo altera sententia*, (quam ipse approbat) *fuisse quidem Esdram librorum sanctorum instauratorem, non omnia iterum dictando, sed colligendo & ordinando Scripturas in unum corpus, quarum partes variis in locis invenerat, & etiam EMENDANDO, si qua depravata erant negligentiâ Scribarum, cùm toto tempore captivitatis negligenter lex servata sit, cùm non haberent Judæi templum & tabernaculum.* Similia habet Genebrardus lib. 2. Chronol. *Prophetis* (inquit) *succedit Synagoga magna, cujus Principes Esras, Nehemias, Mardochæus, Zorobabel, Jeschua. Hi præfuerunt Concilio, quod centum viginti homines, quorum alii nobiles, alii plebeji erant, de EMENDANDIS libris sacris, eorumque constituendo Canone, juxta præscriptum Cabbalæ (doctrina à Majoribus accepta) inierunt.* Et mox: *Ejus* (Esræ) *consilio & operâ præsertim libri sacri collati sunt & EMENDATI.* Hæc ille.

4. *Quædam* diversam vocis lectionem exhibent, ita ut & קרי & כתיב hoc est, *vox & in textu posita, & in margine adscripta*, sine ulla jactura veri sensus, recipi possit. Sic Genes. 10: 19. in textu scribitur צבים, in margine diversa traditur lectio, interposito Vau צבוים, quorum utrumque salvâ veritate stare potest. Sic 2 Sam. 12: 24. in textu scribitur ויקרא (in masculino) in margine ותקרא (in fœmin.) utrumque sano sensu stare potest. Nam & David & Bathseba Salomoni filio nomen indiderunt. Sic Thren. 3: 20. & תשיח quod in textu scriptum, & תשוח quod in margine positum est, retineri potest. Sic

Ezech. 36: 15. in textu scribitur תְּכַשְּׁלִי *offendere facies* seu *fines*; In margine autem legendum esse notatur transpositis literis mediis תְשַׁכְּלִי *orbabis*, quæ lectio confirmatur ex vers. 14. præcedente; neque tamen alterum, in textu extans, à sensu abludit, & confirmatur ỳs. 16. sequente. Huc pertinet illud Prov. 4: 3. ubi verba Salomonis ita habent: *Quia filius fui patri meo tener & unicus*, לִפְנֵי *coram matre mea*. Pro לִפְנֵי Masoretæ annotant aliam lectionem לִבְנֵי *inter filios matris meæ*. In aliis enim & probatis exemplaribus scriptum ita invenerunt, non autem ausi in כתיב seu *Scriptura* vel literulam mutare, ad marginem id notarunt. Hic quivis videt, sensui istius versus nihil officere, sive לִפְנֵי *coram* sive לִבְנֵי *inter filios*, legatur. Posset quidem quis suspicari, notam marginalem Masoreticam esse ipsius כתיב sive vocis in textu positæ corruptionem: *Cùm Salomon non fuerit dilectissimus filius inter multos fratres, respectu scilicet matris suæ Bathsebæ: sed unicus post infantem illum die septimo extinctum.* Verùm ex 1 Chron. 3: 6. aperte constat, plures ex Bathseba uxore Davidi natos fuisse filios, atque ita lectionem illam diversam non omnino esse repudiandam. Hùc refero locum Job. 13: 15. ubi in Hebræo legitur הֵן יִקְטְלֵנִי לֹא אֲיַחֵל. *Ecce occidet me, non expectabo* seu *sperabo*. Pro לא Masoretæ notant legendum esse לוֹ, quæ lectio affirmativè hunc parit sensum: *Ecce* (si) *occidat me, in eum sperabo*. Uterque sensus, & *negativè* & *affirmativè* expressus, satis est commodus. *Priorem Lutherus: posteriorem* Chaldæa paraphrasis, & Latina versio vulgata sequitur, *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo:* Atque ita in concionibus exhortatoriis ad fiduciam in Deo, in mediis ærumnis atque ipsa morte collocandam, multoties citari constat. Non incongruè nec alienè, si ad notam Masoreticam respectus (uti debet) habeatur. Sed & in hujus generis Masoreticis observationibus corruptelæ illatæ fundamentum à Pontificiis poni nequit: aliàs ex propria eorum hypothesi sequeretur, vulgatam versionem esse omnium corruptissimam, cùm ea magnam varietatem & lectionum diversitatem admittat, afferentibus & probantibus Bened. Ar. Mont. Franc. Lucâ Brugensi, Lovaniensibus, & aliis: Quod consequens Pontificii haudquaquam admittent.

5. *Quædam* denique ex religione profectæ, pro voce in textu posita aliam in margine substituunt, subjectis קְתִיב כְּתִיב seu scriptæ in textu voci, punctis קְרִי seu vocis illius, quæ in margine ab ipsis notata fuit. Ejus generis sunt quædam supra in medium producta. E. G. שֵׁינֵיהֶם *Urinas* significat sive lotium; hæc verò vox, quia in sermone vulgato obscœna apud Hebræos habebatur, igitur pro שֵׁינֵיהֶם (*urinas suas*) Esa. 36: 12. 2 Reg. 18: 27. honestatis causa Masoretæ substituerunt (qui & Chaldæus transtulit) מֵימֵי רַגְלֵיהֶם (*aquas pedum suorum*) quo per honestam circumscriptionem eadem urina denotatur: Has vocum literas margini adjecerunt, puncta verò voci textuali, demtis punctis naturalibus, subscripserunt, hoc modo שֵׁינֵיהֶם. Eadem ratio aliorum, de quibus supra. Sed & hic corruptelæ suspicio tolli facilè potest, si causam substitutionis & permutationis istius finalem quis rectâ secum perpendat lance. Ariamont. in præfat. Mazzor. verba sunt: *Neutra harum lectionum rejicienda, imò utraque simul & retinenda & componenda visa est. Quanquam enim altera magis sequacem apertamque sententiam redderet, utramque tamen simul plenam magis & significationis pondere graviorem reddere comperiebatur.* Verùm properandum ad reliqua, quæ de controversiæ statu dicenda restant. De notis autem Masoræ paulò prolixius hæc præmittenda fuerunt, *tùm* propter Wilhelmum Lindanum Pontificium, & ex parte P. Galatinum, qui hoc argumento sinceritatem & puritatem Scripturæ Vet. Testam. enervare satagunt, quos sequitur Gordonus Huntlæus controv. cap. 10. n. 11. seqq. ubi notas Masoreticas pro diversis Scripturas corrumpendi modis ἀπαιδεύτως venditat: *tùm* ut sacræ Linguæ Studiosis, quid de notis istis sentiendum sit, ὡς ἐν τύπῳ perspicuum evadat.

3.

*Hoc verò est quod quæritur: An textus Hebraicus Veteris Testamenti,* 1. *notis Masorethicis instructus & correctus, ( prout à nobis Christianis in probatis, etiam Judaicis exemplaribus asservatus, usurpatur, )* 2. *tùm ratione dictionum & sententiarum,* 3. *tùm ratione elementorum, ( sive literæ sint, sive puncta ) ab omni corruptela,* 4. *sive ea à librariis per negligentiam, sive a Judæis per malitiam illata esse dicatur, ita sit immunis, ut divina* NORMA, *canon ac regula esse possit & debeat, ad quam omnes omninò versiones linguarum cæterarum,* 5. *& præsertim versio Latina Vulgata, exigi, examinari & emendari debeant?*

Affirmativam orthodoxi tuentur, nixi rationibus solidis, quæ inferiùs producentur, si modo ad theorematis & quæstionis hujus enucleationem quædam adhuc, ad ductum numerorum in quæstione positorum, protulerimus. 1. De

textu Hebraico quæritur, *quatenus notis Masoreticis instructus est & correctus:* Iis enim sublatis, fatemur σφάλματα aliquibus in locis esse, uti superius dictum: quæ tamen notis istis tolluntur, & integritati ac veræ sinceræque lectioni restituuntur. 2. Veteris Testamenti literatura consideratur ratione vel *elementorum*, vel *complexarum vocum*. Elementa sunt tum *literæ*, (quæ Hebræis omnes Consonantes sunt) tùm *puncta vocalia*. Complexæ voces sunt vel *singulæ* & separatæ, vel *conjunctæ*, & in integras sententias redactæ. Eæque sententiæ sunt vel *historicæ*, vel *didacticæ*, pertinentes partim ad *Legem*, partim ad *Evangelium*. Quando igitur de puritate & integritate fontis Hebræi loquimur, primo intelligimus illam, quæ est *in vocibus complexis*, h. e. statuimus, nullam in dictionibus & sententiis Hebraici textus inesse corruptionem vel defectum. 3. Sed hic non subsistimus, verum & hoc addimus, *elementa quoque Hebrææ scripturæ*, h. e. & *literas* & *puncta*, ab omni defœcata esse corruptela. Et si ex HYPOTHESI in una alterave litera, in uno alterove puncto statuatur facta fuisse mutatio, ea tamen tanti ponderis non est, ut propterea fons ipse dici mereatur corruptus, rivulisve impurior: quemadmodum in vivam aquarum scaturiginem incidens lapillus, ipsam propterea nec coinquinatam, nec rivulis exinde deductis impuriorem reddit. Bellarminus ipse hoc fatetur lib. 2. de verbo Dei cap. 2. in fine: *Cæterum* (inquiens) *non tanti momenti sunt ejusmodi errores, ut in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ sacræ* (fontis Hebræi, de eo enim loquitur) *integritas desideretur. Plerumque enim tota discrepantia variarum lectionum in dictionibus quibusdam posita est, quæ sensum aut parùm aut nihil mutant &c.* 4. Corruptio dici potest facta esse vel *incuriâ & inscitiâ* librariorum: vel *injuriâ & malitiâ* Judæorum. Utrumque Hebræo Veteris Testamenti fonti Pontificii (etsi diversimodè, ut in antithesi dicetur) attribuunt: utramque, potissimùm verò posteriori modo factam, nos ab eodem abesse longum, statuimus. 5. Puritatem fontis Hebræi asserentes, ad versionem potissimùm Latinam, quàm *vulgatam* vocant, respectum habemus. Illam enim, cùm permultis scateat mendis, ad Hebræam (in N. T. ad Græcam) veritatem, utpotè canonicam, purissimam & ab omni corruptela immunem, exigendam, & ex illa emendandam & judicandam esse affirmamus; Pontificii negant. Posito sic & evoluto controversiæ statu, ad κατασκευὴν progressum sine mora facimus.

## II. *Sententiæ veræ confirmatio.*

DIstinctè hic agendum, & *tria* ordine probanda: 1. Non esse depravatam V. Test. Scripturam Hebræam *per malitiam*, & in odium Christianæ fidei, à Judæis. 2. Nec per *inscitiam & incuriam*, à librariis. 3. Et ea propter esse *normam* necessariam, ut aliarum, ita cum primis *Versionis Latinæ vulgatæ*.

### Κατασκευὴ I.

IN confirmando primo membro argumenta suppeditat solida ipse Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 2. reliquos Papistas manifestè refutans. Ad *duo* autem principalia argumenta omnia reduci possunt, quorum prius à temporis ratione, *posterius* à Judæorum conditione deductum est. De illis igitur ordine agemus, & exceptionibus aliorum subnexis quid respondendum sit, commonstrabimus.

## ARGUMENTUM I.

### *A temporis ratione.*

TRactat id Origines volum. 8. explanat. Esa. referente Hieronymo in cap. 6. Esa. & ipse Hieronymus ibid. cujus verba sunt hæc: *Quod si aliquis dixerit, Hebræos libros à Judæis esse falsatos, audiat Originem, quid in 8. volum. explanationum Esaiæ huic respondeat quæstiunculæ: Quod nunquam Dominus & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent. Sin autem dixerint, post adventum Domini Salvatoris, & prædicationem Apostolorum, libros Hebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator & Evangelistæ & Apostoli ita testimonia protulerint, ut Judæi posteà falsaturi erant.* Proponemus argumentum hoc Schemate: Si Scripturas Hebræi corruperunt, vel id fecerunt ante Christi Adventum, ejusque & Apostolorum ministerium, vel posteà. At non ante. 1. quia Christus & Apostoli nunquam eos de tàm insigni crimine reprehenderunt, cùm tamen leviora non tacuerint. 2. Quia Christus auditores suos ad Scripturam Mosaicam & Propheticam, non frigide & ἐπιπολαίως, sed accuratè, in ipso etiam fonte Hebræo perscrutandam (ea enim emphasis est vocis ἐρευνᾶν) ablegavit, Joh. 5: 39. Quin & *Scribas* ac Pharisæos, *in cathedra Mosis sedentes*, ac Mosen *singulis Sabbathis in Synagogis legentes & explicantes* (Actor. 15: 21.) audiri jussit Matth. 23: 2. At Christum ad Scripturas corruptas depravatasque

tasque sine ulla præmonitione suos ablegâsse & invitâsse auditores, plane improbabile est. 3. Quia Christus & Apostoli ex Mosaicis & Propheticis V. T. libris dogmata sua probarunt, & infideles Judæos ex iisdem in doctrina de Messia confutarunt, uti ex Evangelica historia, & Apostolicis partim actis, partim Epistolis, constat. Atqui si à Judæis corrupti fuissent isti libri, nunquam sine necessaria præmonitione ad illos isti provocassent. 4. Quia Paulus dicit, *Judæis concredita esse τὰ τοῦ θεοῦ λόγια* Rom. 3: 2. at si fuissent malæ fidei custodes, Apostolus id nequaquam dissimulasset. Nec post Christi & Apostolorum ministerium id factum: quia testimonia, quæ à Christo & Apostolis ex V. T. allegantur, eo modo, quo citata sunt, in Mose & Prophetis inveniuntur; nec potest ostendi tempus, quo corruptio illa contigerit, uti ex sequentibus patebit. Ergò nunquam Scripturas suas Hebræi corruperunt.

[a] Gordoni Huntlæi discursus.

Huic à temporis ratione desumto argumento, [a] Gordonus Huntlæus Jesuita Scotus, ut ostendat, *quando & qua ratione Judæi corruperint Scripturas*, in Epit. Controv. 1. cap. 9. opponit distinctionem inter *quatuor* diversa *tempora*. 1. *Synagoga Judaïca ante & usque ad Christum*, & toto eo tempore incorrupta fuisse Hebræa Biblia concedit. 2. *Ab ascensione Domini usque ad tempora Hieronymi & Augustini*, & hoc quidem tempore Judæos corrupisse ait versionem LXX. Interpretum, uti testetur Justinus contra Tryphonem: quia nempe ex illa Christiani argumenta contra Judæos desumebant. Nondum tamen aggressos fuisse Judæos depravationem Hebraici textus, quod iste ignotus ferè fuerit Christianis. Et hoc tempore factam fuisse translationem Latinam ex Hebræo textu, dum ille esset adhuc integer & incorruptus. 3. *A morte sancti Hieronymi usque ad tempus compositi Thalmud*, & ibi ait (1) intra paucos annos exortam fuisse maximam depravationem & diversitatem exemplarium, fatente Elia Levita Judæo; ita ut (2) necessum habuerint Judæi, in Tiberiade civitate Palæstinæ, anno Christi 508. convenire: (3) ibidem puncta, distinctiones & accentus (4) à duobus Judæis, R. Aaron filio Aser, & R. Jacob filio Nephtali, non sine insigni dissidio fuisse inventa & introducta. (5) Postquam ad arbitrium corrupissent vetus Testamentum, severe interdixisse, ne ullus aliis Bibliis uteretur, & ne mutatio posthac institueretur aliqua in corrupto textu, cavisse sedulo per opus Masoreticum. 4. *A facto Thalmud usque ad nostram ætatem:* & hoc tempore *valdè superstitiosè*, ait, *Judæos observare sua corrupta Biblia &c.* Hactenus Gordoni discursus, qui ne turbare quempiam & dubium reddere possit, ordine respondebo. Et de *primi* quidem & *secundi* temporis decursu dubitatio nulla, modo notetur. 1. Quod Judæi Hebræum textum non corruperint, ejus rei falsam allegari causam, quòd nempe iste ignotus ferè fuerit Christianis. Falsò. Cur nec tum temporis, nec imposterum id fecerint, ejus vera causa reddetur infra. 2. Nullam esse consequentiam in illo, quod attexitur, nempè; Ex Hebræo textu integro & incorrupto factam fuisse vulgatam translationem Latinam: Ergo & ipsam (hoc enim intenditur) esse adhuc integram & incorruptam. Præterquam enim quod (circa antecedens) ipse Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 9. non concedit, totam versionem Latinam vulgatam ex Hebræo translatam esse: Certe consequentiæ ratio apparet nulla, uti *tùm* infiniti ferè errores, menda & corruptelæ: *tùm* discrepantiæ ab Hebraica veritate (quod etiam Santes Pagninus Pontificiis objicit) satis evincunt. Ex fonte incorrupto ac puro impuri & corrupti possunt promanare rivuli, impuritate ipsâ non à fonte, sed à sordibus aliunde illatis existente.

Sed missis hisce ad *Tempus in ordine* TERTIUM devenimus, circa quod sequentia noto ψευδοθεμέλια, quibus destructis, totum per se corruit ædificium Gordonianum.

1. *Post mortem Hieronymi intra paucos annos exortam fuisse maximam sacrorum Bibliorum depravationem.* Resp. 1. dicitur hoc quidem, at non probatur. Nec adductum Eliæ Levitæ Judæi Germani testimonium, præfat. 3. libri Masoreth Hammasoreth, quicquam efficit: cum ejus auctoritate stare non cogamur, ut qui non unam d. l. fovet falsam hypothesin, uti mox dicetur. 2. ipse Bellarminus assertationem istam refutat. Postquam enim lib. 2. de verbo Dei cap. 2. ex Augustino verba quædam pro puritate textus Hebraici adduxisset, hanc sibi format objectionem: *Dicet aliquis, generalem istam depravationem Hebraicorum Codicum post Augustin. & Hieron. tempora accidisse.* Respondet autem: *At Augustini rationes omni tempore locum habent. Deinde si post illorum Patrum tempora depravatio ista contigisset, quæ causa reddi posset, cur Psalmorum interpretatio Hieronymiana ita cum textu Hebraico, qui nunc extat, in omnibus conveniret? & tamen de psalmorum depravatione præcipua querimonia est. Num ita Hieron. vertit, sicut Judæi falsaturi erant?* Hæc ille.

[b] De conventu Tiberiensi.

2. *Judæis circa annum Christi 508.* [b] *Tiberiade civitate Palæstina ad occurrendum huic incommodo* (corruptionis Scripturæ) *convenisse.* Resp.

1. Aucto-

1. Auctores sententiæ hujus quidam inter Rabbinos sunt, & præsertim R. Aben Ezra (qui vixit circa ann. Christi 1150.) quem sequitur Elias Levita, Judæus Germanus, in præfat. 3. libri Masoreth Hammasoreth, ubi etiam R. Jonam Grammaticum (qui paulo post 1000. à Christo nato annum floruit) pro sententia suâ adducit: Sed in diversum reliqui ferè omnes abeunt, nec de conventu hoc quicquam in Judæorum libris historicis invenitur, quem, si factus fuisset, in historia minimè præteriissent, cum suarum laudum buccinatores sint eximii. Imo de Schola *Tiberiensi* historiæ ratio apertè reclamat. Ea enim post mortuum *R. Jehuda sanctum*, circa annum Christi 230, studia literarum in Judæa dissipata, & Scholas in Babyloniam translatas esse edocet. Et licet ad tempus usque Hieronymi (circa ann. 400.) *qui Tiberiade doctum Judæum ascivisse se* ait, *cujus operâ in interpretatione usus fuerit*, in præfat. 108. ad Dominionem & Rogat. reliquias doctorum virorum ibi fuisse probabile sit: Ultra tamen istud tempus Tiberiadis ne memoria quidem, multò minus tam celebris ibidem institutæ Synodi ulla alicubi mentio habetur. 2. Demus ex hypothesi, convenisse tum temporis hac in urbe Judæos, nulla tamen corruptio sacri Hebræi textus evinci exinde potest: vel ipso Gordono teste, qui *convenisse* ait, *ut tanto incommodo occurrerent*. Quodnam istud incommodum? *Depravationis & diversitatis exemplarium Biblicorum*, uti paulò antè loquitur. Corruptionem igitur & diversitatem (ex hypothesi) sustulerunt, nequaquam intulerunt. Et egregiè sibi controdicit Jesuita, quando paulò post de hoc Judaico conventu ita loquitur: *Postquam jam ad arbitrium corrupissent* (Judæi) *Vetus Testamentum, severè interdixerunt, &c.*

3. [a] *In eodem conventu Tiberiensi à Masora auctoribus inventa fuisse puncta, distinctiones & accentus.* Respon. Falsum hoc est, uti videre est ex his, quæ sequuntur. 1. Institutus fuit ex sententia Eliæ Levitæ conventus iste, *post absolutum Thalmud Babylonicum*, uti ex ipsius verbis apparet, quæ præfat. 3. d. libri extant. וּמֵאָז וְהָלְאָה הָיָה לְשׁוֹן הַקֹּדֶשׁ הָלוֹךְ וְחָסוֹר עַד זְמַן בַּעֲלֵי הַמָּסוֹרֶת וכו׳ hoc est: *Hinc* (ab absolutione, Thalmud, de quo loquitur ibidem) *& deinceps fuit lingua sancta eundo & deficiendo* (id est, cœpit degenerare paululum) *usque ad tempus Magistrorum Masoreth, qui fuerunt viri Tiberienses ex Masia sapientissimi &c.* 2. Jam verò in ipso Thalmud (etiam *Hierosolymitano*, quod posteriori Babylonico 276. annis habetur antiquius) rerum præcipuarum in Masorethico opere (quod Tiberiensibus post-Thalmudianis adscribitur) contentarum, mentio injicitur, uti exemplis aliquot adstruit Buxtorff. in Tiberiad. lib. 1. cap. 8. Quin & Masoræ auctores, (qui inventores ab Elia statuuntur punctorum) in ipso Thalmud vocantur ראשונים q: d. *antiqui*, qui longè ante vixerunt. lib. Kidduschim cap. 1. fol. 30. De quibus etiam in lib. Schabbath cap. 15. fol. 112. ita loquuntur: אִם רִאשׁוֹנִים בְּנֵי מְלָכִים אָנוּ בְּנֵי אֲנָשִׁים וְאִם רִאשׁוֹנִים בְּנֵי אֲנָשִׁים אָנוּ כַּחֲמוֹרִים: hoc est: *Si prisci fuerunt filii Regum, nos sumus filii hominum vulgarium: & si prisci fuerunt homines vulgares, nos sumus velut asini.* 3. Porro: Masoræ auctores, qui, uti jam probatum, Thalmudico opere longè antiquiores, judicium de punctis, distinctionibus & accentibus, jam antè in textu sacro extantibus, ferunt, ut plurimis ad oculum demonstrari exemplis potest; Ergò ipsi punctorum, distinctionum & accentuum non fuerunt auctores; multò minùs tam recens Judæorum Tiberiade convenientium illa ipsa sunt inventum. Et ex his simul liquet, quàm monstrosam Scotus Jesuita confusionem inducat, dum *Punctorum inventionem*, *Masoræ coordinationem, & Thalmudi compositionem* in unum eundemque temporis articulum reducit, cum tamen Thalmudistæ Masoræ, ut longè vetustioris, mentionem faciant, & Masora de punctis jam antè extantibus suum ferat judicium.

4. *Punctorum auctores & inventores fuisse R. Aaronem filium Aser, & Jacob filium Naphtali, qui in punctatione ipsi inter se dissidebant.* Resp. 1. Auctor Chronici Schalscheleth Haccabbala f. 37. sapientes istos binos ad *tempus dissipationis Scholarum Babylonicarum*, hoc est, ad annum (æræ nostræ Christianæ) 1037. reponit. Hoc si verum, sequitur aut quod nimis recens sit punctorum inventum, & longè recentius quàm opinatur cum Elia Gordonus: aut quod dissensio [a] Judæorum istorum circa puncta quædam & accentus, longè post tempus eorundem inventionis contigerit. Et sanè ipse Elias d. lib. præfat 3. post vocalium inventionem, dissonantiam hanc contigisse notat: אֵין סָפֵק שֶׁנִּכְתְּבוּ אַחַר שֶׁהוּכְרוּ הַנְּקוּדוֹת וְהַטְּעָמִים וְזֶה קַל לְהָבִין *Non est dubium, quin* (dissidia inter Ben Ascher & Ben Naphthali de punctis & accentibus) *scripta sint, postquam inventa* (fundata) *sunt puncta & accentus: Et hoc facile est ad intelligendum.* 2. Etsi autem fatemur, antiquius omninò duobus istis Judæorum sapientibus, assignandum esse tempus (vixerunt enim, quando Scholæ tùm *Babyloniæ*, tùm *Judææ* adhuc superfuerunt, & Judæorum utrobique fuit multitudo, qui horum duorum ceu Antesignanorum dissidentes sententias secuti sunt, quod post annum à nato Christo 230 vel præter propter

[a] An puncta Hebræorum recens inventa.

contigit) non tamen punctorum auctores ut ipsos statuamus, necessum est: tùm quod Elias, uti dictum, fateatur, post fundationem punctorum & accentuum dissonantiam illam fuisse scriptam; tùm quod res ipsa ostendat, non in punctis & vocalibus primitùs textui adscribendis, sed in iisdem jam antè adscriptis, eos dissensisse.

5. *Post corruptionem Veteris Testamenti factum fuisse opus Masorethicum, & eodem cautum fuisse, ne mutatio posthac in corrupto textu institueretur.* Respon. Falsissimum hoc, & ipsi Jesuitæ adversum, quem superius, ad avertendam corruptionem textus Hebræi, conventum Tiberiensem institutum esse, audivimus concedentem. Repetimus ergò id, quod in argumento primo fuit positum: Si post Christi & Apostolorum ministerium, tempore Tiberiensis conventus, facta fuit à Judæis corruptio Biblici textus, quomodo ea, quæ à Christo & Apostolis ex Vet. Testamento allegantur, in Mose & Prophetis etiamnum incorruptè inveniuntur? Et Judæos, utut infensissimi sint doctrinæ de Jesu Christo hostes, à crimine tamen isto esse alienissimos, è contra vero Biblia sua, non quidem corrupta, (ut in quarti temporis notatione adserit Huntlæus) sed incorrupta & pura, valde etiam superstitiosè observare, mox demonstrabitur. Hæc de argumento primo, à temporis ratione desumto, sequitur

## ARGUMENTUM II.

### *A Judæorum conditione.*

SI Judæi quocunque tempore, & *noluerunt*, & *non potuerunt* Scripturam Vet. Testam. Hebræam corrumpere, sequitur, quod ea nullo modo ab illis sit corrupta & depravata. At prius verum est. E. & posterius. *Major*, ex principiorum ad actionem aliquam necessariorum & sufficientium negatione colligens, suâ luce radiat. *Minor* bimembris est, ordine demonstranda, 1. quod Judæi *noluerint* Scripturas corrumpere; 2. quod *non potuerint*: seu, quod in actione hac (ἐπιδόξῳ scilicet corruptione textus Hebræi) defuerint agendi (Judæis) & *voluntas* & *facultas*.

Prius evincit 1. *Textuum sacrorum consideratio.* Si Judæi (quocunque tempore) falsare voluissent divinas Scripturas in odium Christianorum, sine dubio præcipua vaticinia *vel* sustulissent, vel certè punctis accentibusque ita adfecissent, ut nostra de Jesu Christo orthodoxa sententia ex iis elucere & probari haud amplius possit. Hoc autem minimè omnium fecerunt, uti firmissimâ ἐπαγωγῇ & inductione probatum dari facillime potest. Quid illustrius de Christi Messiæ nostri dici potest exhibitione, quam istud Es. 7:14. Ecce העלמה *Virgo* concipiet &c. Es. 9:6. *Quia parvulus natus est nobis &c.* Quid de passione ejus acerba & resurrectione gloriosa, splendidius dici potest, quàm quod in Esa. 53. dicitur: itemque in Ps. 22. nec tamen corruptelam vel his, vel permultis aliis Scripturæ locis, ullam fuisse à Judæis illatam, deprehendere possumus. Nec est, ut quis istud כארי Psal. 22:17. nobis objiciat. Illud enim verbum, quod à corruptela sit liberum inferiùs probabitur. Hoc loco monemus, ipsos Masoræ auctores (quos corruptionis istius Auctores esse statuit Gordonus) in sua marginali nota tale quid annotare, quod luculenter evincit, de Christo patiente intelligendum esse versum.. Quin & istud addendum hoc loco, *ex texto Hebræo* (uti ipse Bellarminus fatetur) *Judæos fortiùs constringi & vexari sæpius posse, quàm ex versione Latina.* Ut Psal. 2:12. Latini Codices habent: *Apprehendite disciplinam*, quæ lectio nihil magnificum de Christo prædicat: Hebraici verò fontes nos ad Filium DEI deducunt, ejusque amplissimum Imperium in omnes celebrant, *Osculamini Filium.* Idem judicium de multis aliis. Fatetur certè Johannes Isaacus, Professor olim Coloniensis lib. 2. contra Lind. plus quàm *ducenta* argumenta contra Judaicas opiniones ex Hebraico textu fortiùs colligi posse, quàm ex Latina translatione. Ita & Andradius lib. 4. defens. *Qui* (inquit) *Hebræa piè & religiosè tractant, multò in illis ampliora de Christo testimonia, quàm in Latinis Græcisque offendunt.* Vide Witack. de Script. q. 2. cap. 9.

2. *Chaldaicarum paraphrasium collatio.* Si Judæi (quocunque tempore) voluissent falsare textum Hebraicum, multò magis id ipsum tentassent in Thargumim seu paraphrasibus Chaldaicis. At posterius non est. E. nec prius. *Major* certa est. Multa enim in paraphrasibus istis habentur, ex quibus doctrina de Messiæ tùm *divinitate*, tùm *officio*, ut & passione ac subsecutâ exaltatione, λευκοῖς ἐλέγχοις comprobata dari, è contrà verò blasphema Judæorum κακοδοξία refutari & refelli potest. Quin & multa expressè ad Messiam referuntur, cujus appellatio in textu Hebraico non semper extat. Quod si igitur animus ipsis fuisset corruptionem textui sacro inferre, certè intulissent etiam istis ª Thargumim: & intulissent eò magis, quò noverunt certiùs, probationes ex Thargumim (sibi authenticis) contra se à Christianis allatas, repudiare se minime omnium posse. *Minor* etiam patet. Etsi enim fatendum est, temporum injuriâ per tot seculorum decursus, tot librariorum transscriptiones, Thargumim depravata esse,

ª An Thargumim corrupti sint?

esse, (nulli enim librorum extra Hebræum Codicem, illa, de qua loquimur, puritatis felicitas contigit) quod editionum, Regiæ, Venetæ, Basileensis collatio, ad oculum ostendit: Judæorum tamen invidiâ & studio quicquam in illis corruptum esse, dicere prohibemur; aliàs & hic vaticinia de Christo constuprassent, & vocem משיחא quæ quandoque additur sustulissent, quorum tamen neutrum dici salvâ veritate potest. E. G Gen. 49: 10. *Non auferetur Sceptrum de Juda, donec veniat Schilo.* Hic inter Judæos plerique ringuntur, & strenuè allaborant, ut de Messia sermonem ibi non esse, evincere possint. Sed contra militat Chaldæa translatio (eaque trina) quæ adpositâ voce משיחא omne dubium tollit, & Judæos contra propriæ conscientiæ stimulos (est enim Thargum iis sacrosanctum, & parem cum Scripturæ sacræ textu Hebræo auctoritatem obtinet) calcitrantes manifestè refellit. Sic Es. 52: 13. *Ecce intelligit* עבדי *Servus meus &c.* Judæi recentiores (vetustiorum enim alia mens & sanior) à Christo ad populum Israel hoc illustre caput suis expositionibus detorquent, unde R. Schelomo verba versus istius primi ita παραφράζει הנה באחרית הימים יצליח עבדי יעקב צדיקים שבו hoc est (sensus est) *Ecce in postremo dierum prosperabitur servus meus Jacob; justi* (nimirum) *qui in eo* (sunt.) Et R. David Kimchi ita annotat: הפרשה הזאת נאמרה על גלות ישראל hoc est, *Caput hoc dictum est de captivitate Israelis.* En hominum cœcitatem & perversitatem, quam tamen manifestè retundit Thargum Jonathæ, quod ita transfert: הא יצלח עבדי משיחא *Ecce prosperabitur Servus meus Messias.* Sic Gen. 3: 22. in verbis Jehovæ (*Ecce Adam factus fuit sicut unus ex nobis*) mysterium distinctionis & pluralitatis personarum latere Judæi pernegant. Contra verò expressè militat interpretatio Thargum Hierosolymitani, quæ ita versum istum transfert: ואמר מימרא דיי אלהים הא אדם דבריית יתיה יחידי בגו עלמי היך מה דאנא יחידי בשמי מרומא hoc est, *& dixit verbum Jehovæ, Ecce Adam, quem creâsti, est unigenitus in mundo, sicut ego Unigenitus sum in cœlis excelsis.* Quibus verbis distinctio Patris à Filio in Divinitate dilucidè insinuatur. Hæc igitur & plura alia Chaldaicæ paraphraseos testimonia Judæi (qui illam pro authentica habent, & Codici Hebræo tantùm non planè exæquant) incorrupta reliquerunt, atque ita omnem malitiosè corrumpendi voluntatis suspicionem longissimè à se removerunt.

3. ᵃ *Judæorum erga sacros libros religio.* Gordonus hanc non negat quidem, interim tamen ad postremam ætatem, & modernos Judæos tantùm restringit, uti suprà dictum. Audiamus verò quid prisci hac de re senserint. *Scribit Philo* (verba sunt Bellarmini) in libro de egressu filiorum Israel ab Ægypto, citatur etiam ab Eusebio lib. 8. c. 2. præparat. Euang. *usque ad sua tempora per spacium amplius quam duorum millium annorum, ne verbum quidem fuisse unquam in Lege Hebræorum mutatum, & quemlibet Judæum centies potius moriturum, quam ut patere-tur, Legem in aliquo mutari.* Hoc Judæorum circa asservanda & religiosè custodienda sacra Biblia studium subinde ad successores, non sine insigni Dei providentia, per manus quasi devolutum & traditum fuit. Hinc (uti tradit Polanus in Syntag. lib. 1. cap. 37. p. 77. quem vide) *ab ipsis Judæis sancitum est Legibus, eum, qui aliquid in Bibliis mutet, peccatum committere inexpiabile. Quin & hoc adjecerunt, si quis vel ex ignorantia, vel malitia & impietate, unum vocabulum mutet, ne totus mundus pereat, & in* תוהו ובוהו hoc est, *in primum chaos rude indigestumque vertatur, periculum esse; quia nempè propter solam Scripturam sacram DEUS creârit hunc mundum: ut ostendunt plurima loca in Thalmud, Bereschith Rabba, Tanhuma & aliis libris.* De curiositate & solicita superstitione Thalmudistarum, circa volumen legis describendum & asservandum, vide CL. Dn. Schikhardum in Bechinat Happeruschim. disputat. 1. §. 4. Quod autem Gordonus hoc studium invaluisse apud Judæos tùm censet, *postquam jam ad arbitrium corrupissent Vetus Testamentum*, in eo principium apertissimè petit, imò Scripturam nostram Vet. Testam. falsissimâ prægravat suspicione, uti superius ostensum.

POSTERIUS (quod *nec potuerint* Judæi Scripturas corrumpere) his confirmari rationibus potest. 1. Augustinus ex *exemplarium Biblicorum multitudine* id probat, lib. 15. de Civitat. Dei c. 13. *Absit* (inquiens) *ut prudens aliquis Judæos, cujuslibet perversitatis atque malitiæ, tantum potuisse credat in Codicibus tàm multis, & tàm longè latèque dispersis.* In quem locum Ludovicus Vives ita commentatur: *Hoc responderi potest his, qui falsatos corruptosque ab Hebræis Vet. Testam. Codices objiciunt, ne veritas sacrorum librorum ex illis fontibus petatur.* 2. Potissima ratio à *singulari Providentia divina* deducitur, de qua ita Justinus Philosophus & Martyr, in serm. ad gentes: *Quod si quis* (inquit) *obstinatus neget, hos Judæorum libros ad se pertinere, qui usque hodiè in ipsorum Synagogis asservantur, dicatque nos frustrà inde pietatem discere, audiat ipsam Scripturam, quod hæc doctrina non illorum, sed nostra sit: Servari autem etiam nunc apud Judæos nostram religionem, DEI erga nos est providentiæ, qui, ne maledicendi occasionem præbeamus iis, proferendo illos ex Ecclesia nostra, malumus illos è Judæorum Synagoga proferri, ut ex lectione manifestè appareat, nostram esse doctrinam, quicquid scripserint viri doctissimi.* Quo respicit etiam Augustinus in Ps. 40. (Hebr.

ᵃ De Judæorum studio circa textum sacrum.

(Hebr.41.) quando *Judæi* (inquit) *capsarii nostri sunt, studentibus nobis Codices portant.* Bellarminus itidem hoc argumento utitur: *Non verisimile est* (inquiens) *DEUM id passurum fuisse, ut verba tot illustrium Prophetarum generaliter falsarentur, præsertim cùm ad hunc finem Judæos disperserit per totum orbem terrarum, & circumferre eos voluerit libros legis & Prophetarum, ut inimici nostri Christianæ veritati testimonium præberent.* Id quod longè certius & modestius est assertum, quàm istud Gordoni Jesuitæ, qui controv. 1. c. 9. §. 3. & c. 10. §. 15. ita loquitur: *Divinâ providentiâ effectum est, ut statim post factam vulgatam editionem depravaretur textus Hebraicus; ne videlicet rejectâ communi versione, confugeret quispiam ad textum Hebraicum, ut jam faciunt adversarii.* Huic providentiæ divinæ considerationi adjungi potest 4. *Christi asseveratio* Matth. 5:18. *Amen dico vobis, donec prætereat cœlum & terra, unum Jota & unus apex non præteribit ex lege, donec omnia fiant.* Lucæ 16: 17. *Facilius est cœlum & terram transire, quàm legis unicum apicem cadere.* Loquitur ibi Christus de perpetuitate Legis moralis (quæ in Mose & Prophetis continetur) argumentum autem ejus format ἀπὸ τοῦ μᾶλλον, hoc modo: Ne jota quidem vel apex præteribit. Ergò multò minus præteribit aliquod præceptum vel aliqua pars legis divinæ. Ex quo ita nos argumentamur: Si providentia divina in custodia legis suæ & verbi sui eousque progreditur, ut ne unum jota vel unus apex sive punctum de lege tolli possit, sequitur quod corrumpere Legem, Veterisque Testamenti scripta universim nequaquam Judæi potuerint. At prius verum ex assertione Christi. Ergo & posterius. Et hactenus quidem probatio membri primi; succedit

### Κατασκευὴ II.

Alterum τοῦ κρινομένου membrum est, quòd nec *per inscitiam vel incuriam* à librariis textus V. Test. Hebræus fuerit depravatus. Hic verò *distinguendum* esse videtur inter tempus Masoretharum labores antegressum, inter & tempus, eosdem insecutum. In illo, per tot librariorum transcriptiones, textui sacro quædam illata fuisse menda, non negamus, uti supra etiam dictum. Postquam autem Masora non sine divino ductu conscripta fuit, potuisse hactenus, vel posse ad consummationem usque seculi *universale erratum* corruptelamque textui Hebræo inferri, quin statim animadverti & puritati pristinæ restitui queat, fortiter negamus. Et hoc ut probatum demus, non multis opus est rationibus. Expendatur modo *Masoræ* natura, quam nitidissimè describit Buxtorffius in tractatu suo, quem hac de re edidit: Ex quo paucula hùc transcribemus.

1. Est autem [a] *Masora* (מָסוֹרֶת seu מַסֹּרֶת hoc est, *traditio*, specialiùs hic accepta) doctrina critica, à priscis Hebræorum sapientibus, circa textum Hebræum sacræ Scripturæ, ingeniosè inventa, quâ versus, voces, & literæ ejus numeratæ, omnisque ipsorum varietas notata, & suis locis cum singulorum versuum recitatione indicata est, ut sic constans & genuina ejus lectio conservetur, & ab omni mutatione aut corruptione æternum præservetur & valide præmuniatur.

[a] De Masora.

2. *Auctores* ejus esse Judæos, Tiberiade tempore Thalmud confecti congressos, ex Elia Levita superius afferentem vidimus Gordonum Huntl. Quorum tamen sententiam temporis ratio non admittit. Rectius est, originem ejus ad אַנְשֵׁי כְּנֶסֶת הַגְּדוֹלָה *Viros Synagogæ seu Consistorii magni* (cujus præses Esra Sacerdos, Legis divinæ peritissimus, Esr. 7:6. Symmystæ & σύνεργοι Haggæus, Zacharias, Malachias, Nehemias, Zorobabel, Sacerdos Jeschua, aliique primarii Sacerdotes & Levitæ, Ducis Zorobabelis ex Babylonia comites, numero centum viginti) reducere, Esr. 7:10. Et hæc communis Hebræorum est sententia (quibus in historicis istis fides, si firmis nitatur rationibus, denegari non potest) fatente ipso Elia præfat. 3. libr. Masoreth Hammasoreth. Et ita etiam sentit Rab. Jacob Ben Chajim, qui Danieli Bombergo Typographo Veneto, de re literaria, præsertim Hebræâ, meritissimo, fidus parastates existens, Masoram ex variis manuscriptis libris in eum ordinem, quem hodie in impressis libris videmus, labore incredibili digessit.

3. *Annotationes criticæ sive Masorethicæ* concernunt *versus, voces & literas*. *Versus tùm* integri numerati, & singulorum librorum medius indicatus fuit: *tùm* variæ ipsorum affectiones in vocibus & literis consideratæ. Ut quod 22. versus esse notantur, quibus occurrit לֹא אָרֹךְ וְלֹא קָצִיר *neque longa neque brevis* (litera) hoc est, neque ו neque י. Quod duo versus notantur in Lege, quorum singulæ voces exeunt in ם nempe Gen. 32: 15. Num. 29: 33. Quod unus notatur versus, omnes alphabeti literas, etiam quinque finales continens. Soph. 3: 8. In *vocibus* Masorethæ notàrunt 1. genuinam ipsarum scriptionem & lectionem, ubi diversitas aliqua occurrebat. 2. Ubi cum literis quiescentibus fuerint scriptæ plene, vel absque iis defectivè. 3. Situm & locum ipsarum in principio, medio vel fine versus, & quam formam vel per se, vel propter accentum aliquem habuerunt. 4. Structuram & conjunctionem ipsarum cum aliis vocibus, vel compositionem cum literis servilibus. 5. Significationem, ubi amphibolia & ambiguitas id requisivit. 6. Sæpè notàrunt voces vocalibus & accentibus differentes, ubi peculiaris quædam observatio aut differentia id postulare videbatur. Exempla singulorum ut adducantur, chartarum angustia non permittit. *Literarum* 1. notata *qualitas* in figura, quando videl.

videl. præter communem usum aut *majuscula* aut *minuscula*, aut *inversa*, aut supernè *punctata* fuit. 2. *Quantitas* in numero.

3. Ad *formam* pertinet, Masoræ in nostris Biblicis exemplaribus exscriptio & dispositio. Est autem Masora duplex: *Magna & parva*. Magna tùm *finalis* est, quæ in fine Bibliorum ponitur: tùm *textualis*, quæ conjunctim cum ipso textu in superiore in inferiore, interdum etiam marginali ejus orâ proponitur. Masora *parva* est, quæ literis numeralibus, vocibus decurtatis & symbolicis, notatis insuper diversis lectionibus, ad latus textus breviter & succinctè describitur. Ex illa excerptæ quædam notæ maximè necessariæ Bibliis vulgò usitatis in margine adjiciuntur.

4. Causam *finalem* & utilitatem ejus exprimit Elias Levita præfat. 3. d. l. *Post laborem illum* (inquiens) *quem præstiterunt Masoretha, impossibile est, quòd inciderit aut incidere possit in posterum varietas aut* שִׁנּוּי *mutatio quedam ullo modo in ullis libris Scripturæ. Non enim frustrà dixerunt Rabbini nostri*: מָסוֹרֶת סְיָג לַתּוֹרָה *Masora est sepes legis*. Ex Christianis id agnoscunt Joh. Reuchlinus in speculo oculari: Bened. Arias Montanus in præfat. Bibl. Marcus Marinus Brixianus, in Arca Noë: Nicol. Fullerus Britannus in miscell. sacris lib. 3. c. 13. hac de re ita loquitur: *Quo consilio* (veritatem Hebraicam intemeratam custodiendi) *excogitata est à peritissimis Judaeorum magistris, subtilis quadam ars & curiosa, quam Masoreth dixerunt, hoc est, traditionem, vel rationem accuratissimam tradendi per manus posterorum Scripturæ sanctæ Canonem, purum semper integrumque. Cujus beneficio, non vocabula duntaxat, sed ipsas etiam literas in numerato habent: Adeò ut nulla, ne minima quidem mutatio invehi queat, ab hominibus aut indoctis, aut oscitantibus, aut temerariis, quin è vestigio facilè deprehendatur. Unde non ineptè ab ipsis dicitur* סְיָג לַתּוֹרָה *quasi septum veteris instrumenti, ad omnem inde labem metumque depravationis submovendum & propulsandum*. Hæc ille. Ex quo patet, quantum divinæ bonitatis argumentum sit, quòd sepe isthac Masorethicâ sacra sua Biblia circumdari, & ab omni corruptelâ & errore præmuniri, industria sapientissimorum hominum voluit.

Dabimus ejus rei quædam exempla. Gen. 19:2. in textu scribitur הִנֶּה. Alias semper scribitur cum Zere הִנֵּה præter hunc locum. Igitur Masorethæ, ne quis Sægol istud, mutaret in Zere, adscripserunt hæc verba: כָּל הִנֵּה שֶׁהוּא כְּמוֹ הֵן קָמֵץ בְּמא (h.e. בַּר מִן אֶחָד פַּתָּח וְהוּא זֶה) *Omnia* הִנֵּה *significationis* הֵן *ecce, sunt cum Camez* (parvo, id est, Zere,) *excepto uno, cum Patach* (parvo, hoc est, Segol) *quod est hoc ipsum*. Ibid. ỳs. 23. scribitur in textu יָצָא *prodibat*. Masoreth parva annotat: ג׳ סְבִירִין יָצְאָה *tria putantur esse debere* יָצְאָה hoc est in trib. locis (quorum duo reliqui allegantur in Masora magna textuali) putare aliquis posset, in textu scribi debere יָצְאָה quia scilicet שֶׁמֶשׁ Sol (quod præcedit) plerunque fœmininè usurpatur, Jer. 15: 9. Exod. 22: 3. Temeritatem igitur correctionis hac notâ præcavere voluerunt Masorethæ, ne quispiam sciolus audaciùs quicquam in sacra Scriptura mutare attentet. Possent alia sexcenta dari, nisi chartæ parceremus. Cape etiam correcti sphalmatis specimen hoc unicum. In Bibliis Venetiis excusis, quæ in quarto complicant, Gen. 3: 19. ita scribitur אַתָּה & cap. 9: 26. אֱלֹהֵי accentu utrobique posito in ultima syllaba. Mendosè id fieri, Masora ostendit, quæ ad utramque vocem in margine notat, vocem esse מלעיל hoc est, accentum in penultima debere poni. Igitur ne situs quidem in minutissimo accentu variari potest, quin statim Masorâ Inspectâ mendum deprehendatur. Par ratio aliorum est, quæ majoris momenti sunt & ponderis.

Præter hoc stupendum & incredibile Masoretharum studium, *quòd ab omni mendo universali & errore immunes & defæcati ad nos divinâ gratiâ transierunt sacri Hebræi libri*, aliis etiam causis atque mediis acceptum meritò ferimus: videlicet,

1. *Curiosis Judæis*. Quàm diligenter quantaque curiositate ante hæc tempora Biblia sacra ab ipsis descripta fuerint, quamque attentis opus Masoretarum semper respexerint oculis, manuscripti eorum ostendunt Codices. Est in Bibliotheca hujus Academiæ publicâ manu in Regio membranæ folio elegantissimè scriptus Codex (vetustissimus sane, uti ex quibusdam indiciis colligitur, licet certum scriptionis ejus tempus nuspiam adscriptum habeatur) quem diligenter majori ex parte perquisitum, ne punctulo quidem à codicibus aliis discrepare, animadvertere potui: nisi hoc, quod prima scriptio aliquam interdum dictionem omiserit: quam tamen secunda cura & iterata lectio statim complevit. Est utique virtus in hoste etiam laudanda, estque Judæorum sedulitas hic omni laude dignissima, quam nec Paulus Apostolus dissimulare potuit, quando de Judæorum Synagogâ Rom. 3: 2. inquit, ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια θεοῦ, *quòd illorum fidei commissa & concredita sint eloquia seu oracula DEI*: quibus ex verbis apparet, singulari DEI providentiâ Judæos ejusdem quasi constitutos fuisse χαρτοφύλακας. Quò respicit dictum Augustini superius allegatum, *Judæos esse Capsarios nostros, & studentibus nobis Codices portare*.

2. *Christianis Linguæ sanctæ peritis*. Cùm in superioribus retrò seculis studium linguæ sacro sanctæ, unà cùm Scriptura V. Test. Hebræâ & authenticâ, non vilesceret modò, sed apud plerosque planè sopitum jaceret, (paucis exceptis, atque unico ferè Hieronymò) mirabiliter tamen Dei providentia per tot seculorum decursum, in-

corruptum suum verbum in Judæorum reliquiis conservavit: donec tandem, reflorescente ævo meliori, & revirescente Euangelii doctrina, B. Lutheri divinitùs adjuti & confortati operâ, studium etiam linguæ istius reflorescereт. Quo factum est, ut authenticus V. Test. textus civitate quasi Christianâ diu exulans, iterum eâ donaretur & reciperetur, inque interpretatione, explicatione & vindicatione sacri contextus à Judæorum ψευδερμηνείαις, à multis deinceps studium poneretur laudatissimum. Nec adhuc dum deferbuisse illud, præclari *Drusii*, *Buxtorffii*, aliorumque labores satis superque evincunt. Hos igitur omnes novos quasi Masorethas, Deique χαρτοφύλακας esse, ejusque verbum linguâ authenticâ perscriptum, ab omni corruptela, *partim* fidâ interpretatione, *partim* verò & præcipuè *sedulâ in novis, quæ fiunt, editionibus emendatione*, conservare, quis negatum iverit?

3. *Piis magnatibus*. Inter eos enim quod aliqui (paucos enim esse constat) portas verbo divino suas eo usque pandunt, ut Hebræa quoque eaque authenticâ linguâ Codices sacros emendatissimè & elegantissimè typis excudi, idque suis sumtibus curent; nunquam satis deprædicari potest. Quis non magnificaret & elogiis dignè extolleret *Philippi II.* Hispaniarum Regis studium, quo sumtibus immensis tàm nitidum nobis dari & vulgari curavit Opus Biblicum? ex quo, licet à Pontificiis editum fuerit, Pontificia dogmata solidè non tantùm refelli, sed vulgatæ quoque Latinæ editionis errata & menda satis deprehendi, & ob oculos poni possunt.

4. *Doctis & sedulis Typographis*, qui studium omne huc conferunt, ut ab omni labe pura ex suis officinis Scriptura Hebræa prodeat. Quos inter ceu stellula eminuit quondam *Daniel Bombergus* Typographus Venetus: uti tum operis magni Veneti, tum aliorum librorum Hebraicorum ab ipso, maximis sumtibus & labore immenso adornata editio, in toto terrarum orbe evidenter testatur. Atque ô utinam & alii hæc sequerentur vestigia, & hanc diligentiam æmularentur, in excudendis Scripturæ non fontibus solùm, verùm etiam versionibus. Utinam cautio adhiberetur ea, cujus exemplum extat apud Euseb. hist. Eccl. l. 5. cap. 18. de Irenæo. *Cum enim is propter quosdam Ecclesiasticarum sanctionum corruptores composuisset opus de Ogdoade seu Octonario, in quo libro se primos post Apostolos successores vidisse significat*; sub finem ejus hæc adjicit verba: *Adjuro te, qui hunc librum descripturus es, per Dominum nostrum Jesum Christum, & gloriosum adventum ejus, quo venturus est ad judicandum vivos & mortuos, ut conferas quod transcripsisti, & castiges ad exemplar, unde descripsisti, accuratè & adjurationem hanc ut itidem describas, & exemplo tuo apponas.* Hæc ibi. (Vide etiam Hieron. in Catalogo script. Ecclesiast. tom. 1. f. 127. Ut & Erasmum in fine indicis prioris super opera Hieronymi) Ejusmodi certe juramento astringendi essent hodièque Typographi, quoties sacra Biblia non in fontibus solum, sed & versionibus, excudenda ipsis committuntur.

### Κατασκευὴ III.

Ex iis, quæ hactenus dicta & demonstrata sunt, facilè patet, quàm absurdum & malè sanum, imò impium & in sanctissima Dei verba blasphemum sit Concilii Tridentini decretum, & commune dogma Pontificiorum, *quod vulgata versio Latina debeat in Ecclesia DEI esse authentica*. Sane si aliis, quæcunque sint, versionibus Latina illa versio proponeretur (salvâ textus Hebraici in Vet. & Græci in Nov. Testament. auctoritate) tolerari forsan idipsum posset. Et videtur Bellarminus hoc sentire, dum lib. 2. de verbo DEI cap. 10. §. Alterum, ita loquitur: *Concilii Tridentini Patres fontium nullam mentionem fecerunt, sed solùm ex tot Latinis versionibus, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam cæteris anteponerent.* Verùm latet anguis in herba, & ex cap. sequente fraus omnis innotescit. In illo enim objectioni sibi propositæ; (*Magis credendum esse, quod verbum DEI illud sit, quod habetur in fontibus Hebraicorum & Græcorum Codicum, quàm quod habetur in rivulis versionum*) ita respondet: *Negari non potest, quin sint fontes Scripturarum anteponendi rivulis versionum, quando constat* (nota limitationem) *fontes non esse turbatos. Nunc autem fontes multis in locis turbidi fluunt.* Hæ Bellarmini præmissæ sunt, ex quibus liquidò fluit Jesuitica conclusio talis: *Ergo fontes Scripturarum non sunt anteponendi rivulis versionum, & versioni illi, de qua agit, vulgatæ Latinæ.* Ex quo patet, non reliquis solùm versionibus, sed ipsi etiam fonti versionem Latinam præponi, & pro authentica norma venditari, ad quam ipsi etiam Hebræi Codices exigendi sint & judicandi; id quod ex portentoso Gordoni effato patet dilucidiùs, quando Contr. 1. c. 8. in princ. ita loquitur: *In multis locis depravatus est textus Hebraicus, quæ tamen loca in nostra vulgata editione adhuc correctè & integrè extant, quippe quæ facta est ante illam depravationem. Quare non rectè faciunt illi, qui rejecto vulgato & sincero textu, confugiunt ad textum Judaicum jam depravatum.* Verè hoc est Soli obloqui, & cum Anaxagora, nivem esse nigram, persuadere hominibus velle, uti patet

1. *Ex fontis Hebræi & versionis vulgatæ collatione.*

*te.* (1.) Hebræum Vet. & Græcum Nov. Test. textum Bellarminus aliquoties vocat *fontes Scripturarum:* Versiones verò *rivulos*. Jam verò natura ipsa docet, à rivulis ad fontem & originem, nequaquam verò à fonte ad rivos, si res dubia occurrat, recurrendum esse. (2.) Hebræus textus Deum ipsum omniscium & ἀναμάρτητον auctorem immediatum agnoscit: Versio verò Latina varios homines, etiam hæreticos: (*quædam* enim habet ex Hieronymo, *quædam* ex Luciano, *quædam* ex Theodotione, *quædam* ex alio quodam Interprete innominato, dicente Bellarmino libr. 2. c. 11. ubi *Theodotionem hæreticis annumerat*, & omnes istas versionis vulgatæ ῥαψῳδὰς errori obnoxios esse ait.) Judicet jam Ecclesia, an textum, prout Deum ipsum auctorem habet infallibilem, an, prout ab hominibus variis, hæreticis, errori obnoxiis, profectus est, præferre, & authenticum habere velit? (3.) Hebræum V. Test. textum ab omni corruptione Judæorum, & mutatione librariorum liberum esse, hactenus argumentis solidis ostensum. E contra *in vulgata versione Latina se octo millia errorum annotasse atque emendasse*, affirmat Isidorus Clarius Brixianus, Papista: Qui etiam (referente Witakero) *miserum deplorat & squalidum illius editionis in utroque Testamento habitum, hominumque doctorum negligentiam miratur, qui nondum ei errores tantos adimendos curaverint*. De eadem versione Andreas Masius celebris Papista in præfat. comment. Jos. ita loquitur: *Latinam existimo illam quidem, ut vulgo etiam creditur, D. Hieronymi esse, sed quin jam olim idem illud ei acciderit, quod de Græca diximus, mihi nulla est dubitatio.* De Græca autem inter alia sic fuerat locutus: *Quæ vitia, quàm multa, quàm fœda, quàm mendosa in ea sint, incredibile dictu est.* Judicet jam iterum quivis integræ mentis homo, an textus Hebraicus versioni Latinæ præferri, an verò auctoritate authenticâ postponi & cedere debeat? (4) Quin ex hypothesi, *errores textus Hebræi*, quos statuit Bellarminus, *non tam multi sunt, nec tanti momenti, ut in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ sacræ integritas desideretur: plerumque enim tota discrepantia variarum lectionum in dictionibus quibusdam posita est, quæ sensum aut parum, aut nihil mutant*, asserente ipso lib. 2. c. 2. in fine. Errores verò vulgatæ versionis longe plures, & tanti omninò momenti sunt, ut in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, ejus integritas & puritas meritò desideretur: Quin & ejusmodi, ut sensu genuino mutato, alienus sæpè & heterodoxus inferatur, uti vel ex duobus sequentibus (multa enim hic congerere supersedeo) exemplis patet. Gen. 3. pro הוא *ipsum* (semen) vulgata *IPSA* legit, tanto opere, quod ibi celebratur, ad *Mariam* traducto: quæ lectio ipsum etiam Bernhardum fefellit, qui: *Maria* (inquit) *abstulit opprobrium matris Evæ, & Patri pro Matre satisfecit, quod promittitur Gen. 3. ipsa conteret. Cui servanda est victoria, nisi Mariæ?* hom. 2. Sic Eccl. 9:1. pro: *Et amorem & odium nescit homo*, (quo notatur, ex rebus externis elici non posse argumentum divini amoris aut odii) Vulgata substituit: *Nescit homo, utrum amore an odio dignus sit:* quibus verbis dubitationis suæ dogma egrigrè stabilire Pontificii allaborant. Sed cautelam hîc adfert Mercerus, Theologus Parisiens. in comm. h. l. *Cavendum est, Lector* (inquiens) *ne cum vulgato Interprete aut erres, vel cum Sophistis occasionem errandi sumas, qui docent, non debere nos esse certos in conscientia de amore DEI: hoc est, apertè contra Scripturas, & fidei nostræ caput de remissione peccatorum.* Utri igitur auctoritas authentica tribuenda sit, iterum cordati Christiani judicent.

2. *Ex ipsa Bellarmini assertione.* Proponit sibi lib. 2. cap. 11. objectionem hanc, *quod Patres passim doceant, ad fontes Hebræos & Græcos à versionibus esse recurrendum, Hieronym. in lib. contra Helvid. & in Epist. ad Marcell. quæ incipit, Post priorem Epistolam: Et in Comm. Zach. 8. Augustinus lib. 2. de doct. Christ. c. 11. 12. 15. & Epist. 19. imò quòd ipsum jus Pontificium hoc requirat à suis, quando dist. 9. Can. Ut veterum* (ex Hieronym. epist. 28. quæ est ad Lucinum) *ita loquitur: Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est: Ita novorum veritas Græci sermonis normam desiderat.* His, inquam, auctoritatibus responsurus; *quatuor temporibus*, inquit, *licere nobis recurrere ad fontes Hebræos & Græcos*, ut illi patres moneant, 1. *quando in Latinis Codicibus error est librariorum*, 2. *quando Latini Codices variant, ut non possit certò statui, quæ sit vera vulgata lectio.* 3. *quando verba aut sententia in Latino est anceps*, 4. *ad energiam & proprietatem vocabulorum intelligendam:* (Canus lib. 2. cap. 15. alias insuper, præter dictas, fontium perspectorum commoditates affert: 1. *quando cum infidelibus disputamus.* 2. *ut plures sensus inveniamus.* 3. *ut idiomata, phrases & proverbia linguæ alienæ cognoscamus.* 4. *ut quædam loca intelligamus, quæ sine linguarum scientia explicari nequeunt.* 5. *ut quædam vocabula rectè interpretemur, quæ in usu sunt, ut Anathema, Maranatha, & similia* &c.) Hoc dum ita agit, *partim* Concilii Tridentini decreto de versione Latina repugnat: *partim* etiam nostram sententiam de authentia fontium inscius confirmat. *Prius* patet sic: Concilium Tridentinum definit & vult, *ut lectio Latina vulgata in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus aut expositionibus pro authentica habeatur, & ut eam nemo rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.* Ex quo decreto Melchior Canus lib. 2. locor.

cap. 13. quatuor elicit conclusiones, quæ in illo δυνάμει lateant. 1. *Editionem veterem & vulgatam fidelibus esse retinendam in his omnibus, quæ ad fidem & mores pertinent.* 2. *Omnes de fide ac moribus quæstiones per eam esse definiendas.* 3. *In disputationibus NON ESSE AD HEBRAICA ET GRÆCA EXEMPLARIA PROVOCANDUM.* 4. *In his, quæ sunt fidei & morum, non esse Latina exemplaria ex Hebraicis & Græcis corrigenda.* Hæc mens Concilii, expositore Cano. Bellarminus contrà in certis casibus à versione illa ad fontem recurri posse & *debere*, (id enim volunt verba Canonis Pontificii, & reliquorum allegatorum Patrum) concedit, eo ipso ostendens, pro authentica in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus aut expositionibus haberi illam nequaquam debere. Quicquid enim ad aliud ceu normam & regulam exigitur & corrigitur, id non authenticum, sed normæ authenticæ subjectum: non Canonicum, sed Canoni alteri subditum: non norma, sed normatum est. Concilium Tridentinum *quemlibet prætextum* excludit, seu nullo omninò prætextu rejici eam versionem debere sancit: Bellarminus verò *prætextum erroris librariorum* admittit, & hoc prætextu vulgatam versionem rejici, & ex fonte emendari posse concedit. En igitur Cardinalem Concilio Oecumenico egregiè contrarium. *Posterius* etiam patet. ita enim ex Bellarmini & Cani Confessione argumentatur: *Quæ editio corrupta* est (verba sunt Witakeri de Script. quæst. 2. cap. 9. Melchiori Cano respondentis) *vitiosa, ambigua, & Spiritus sancti nec sensum explicat, nec majestatem assequitur, nec satis in se Lucis habet ad Scripturæ phrasin sententiamque illustrandam, ea non est authentica. Latina vulgata editio talis est, idque ipsa adversariorum confessione: illa igitur non est authentica: & consequenter Hebraica ac Græca est authentica, quia non modo illis vitiis & incommodis caret, quibus Latina abundat, iisque Privilegiis ornatur, quæ Latinæ nullo modo conceduntur: sed etiam, qui Latinam, tanquam authenticam urgent, ii ad Hebraicam & Græcam confugere, & provocare, tanquam ad judicem superiorem subinde coguntur.* Hæc de sententiæ veræ confirmatione.

## PARS II.

*Ἀντίθεσιν seu contrariæ sententiæ refutationem tradens.*

HActenus veram de puritate & integritate textus Hebræi Vet. Test. sententiam argumentis solidis communivimus: Superest ut ad contradicentium nos convertamus castra: in quibus militant potissimùm Pontificii, qui ut variis in vulgata versione Latina corruptionibus crustam obducant, contra puritatem fontium pleno impetu furunt ac fremunt, ita ut de illis rectè dici possit, quod Irenæus lib. 3. advers. hæres. c. 2. de sui temporis hæreticis dicit: *Cùm ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant,* (Sixtinus Amama in Antibarb. Bibl. p. 706. *Gnomonum peccata fatui in Solem rejicere solent: Ita Pontificiorum nonnulli, quod vulgatæ versionis auctor peccavit, fontibus, tanquam si illi corrupti essent, solent transscribere.*) Abeunt autem hi puritatis fontium Scripturæ sacræ hostes in duas classes. 1. *Quidam* sentiunt, *Judæos in odium Christianæ fidei studiose depravâsse & corrupisse multa Scripturæ Hebraicæ loca.* Ita docet Jacobus de Valentia Episcop. Christopolitanus, præfat. in Psalmos; Melchior Canus lib. 2. locor Theologor. c. 13. Lindanus l. 1. de opt. genere interpretat. c. 1. Humfredus Parlamentarius lib. 2. de ratione interpretandi, p. 219. *Quæ Christum verum Messiam promittunt & annunciant, ab istis* (Rabbinis) *turpissimè conspurcata sunt.* Citatur à Jesuita Petro Lanssellio, in calumniarum Casauboni dispunctione, annexâ operibus Justini Philosophi & Martyris, edit. Paris. 1615. Illis tribuit Bellarminus *zelum bonum, sed non secundùm scientiam.* 2. *Quidam* vero molliùs incedentes sentiunt, *Scripturas Hebraicas non esse quidem in universum depravatas operâ vel malitiâ Judæorum, nec tamen esse omnino integras & puras, sed habere suos quosdam errores, qui partim irrepserint negligentiâ vel ignorantiâ librariorum; partim ignorantiâ Rabbinorum, qui addiderunt puncta.* Hanc sententiam tuetur Bellarminus lib. 2. de verbo Dei c. 2. ubi præcedentem etiam errorem argumentis solidis jugulat & convincit. Inter recentiores audaciùs se gerit *Gordonus Guntlæus* Jesuita Scotus, qui in controv. Theol. epitome, Coloniæ excusa, controv. 1. c. 8. & seqq. utrumque errorem amplectitur, & *Scripturas Hebræas partim Judæorum malitiâ, partim librariorum incuriâ, variis mediis depravatas esse*, evincere conatur: quin & eo usque progreditur audaciæ & blasphemiæ, ut *providendentiâ divina illam factam esse depravationem asserat, & ex vulgata versione Latina textum Hebræum corrigendum esse & restituendum*, asserere non dubitet. In antitheseos igitur hujus refutatione ita progrediemur, ut 1. *rationes*, vel *conjecturas* potiùs, quibus utraque dissentientium pars nititur, & 2. *pleraque Scripturæ dicta*, quibus corruptelæ vel à Judæis vel à librariis, illatæ esse videntur, censuræ & considerationi subjiciamus.

## SECTIO I.

*Dissentientium rationes vel conjecturas exhibens.*

RAtiones & conjecturæ, vel pro *priori* vel pro *posteriori* dissentientium opinione militare,

tare, atque ita corruptelas Hebraici Vet. Test. contextus *partim* à Judæis per malitiam, *partim* à librariis per incuriam, & iisdem Judæis per inscitiam illatas, stabilire videntur. De utrisque ordine agemus & distinctim.

## ARTICULUS I.

*De rationibus seu Conjecturis, Scripturam V. Test. a Judæis esse depravatam.*

Rationes vel conjecturæ adducuntur potissimum quatuor.

I. *Judæi Christianorum eorumque fidei jurati hostes sunt. Ergò procul dubio Scripturas Vet. Testamenti, in ipsorum odium corruperunt*, Respon. 1. Conjecturam hanc Philonis refutat assertio, (quam recitat Euseb. lib. 8. præparat. Euang. c. 2.) ad *sua usque tempora* (vixit autem paulò post Christi ascensionem) *per spacium amplius quàm duorum millium annorum ne verbum quidem unquam fuisse in Lege Hebræorum immutatum, & quemlibet Judæum centies potius moriturum, quàm ut pateretur Legem in aliquo mutari.* 2. Non igitur ad hostium religionis nostræ virulentiam, sed ad Dei, religionis nostræ suique verbi assertoris potentissimi, providentiam hic respiciendum: ut egregiè Augustinus ostendit in Psal. 56. his verbis: *Propterea Judæi adhuc sunt, ut libros nostros portent in confusionem suam. Quando enim volumus ostendere, Christum esse prophetatum, proferimus Ethnicis istas literas: Et ne fortè illi duri ad fidem dicant, nos Christianos composuisse illos libros, & unà cum Evangelio confinxisse, hinc illos convincimus, quòd omnes illæ literæ, quibus Christus prophetatus est, apud Judæos sunt. Proferimus ergo Codices ab inimicis Judæis, ut confundamus inimicos infideles. Codicem portat Judæus, unde credat Christianus.* Hæc ille, de integritate Canonis Hebræi V.T. verba faciens, quæ tamen hûc ratione commoda applicari possunt. 3. Conjecturæ isti opponimus etiam experientiam. Dicta illa V. Test. quibus nostram de Jesu Christo doctrinam stabilimus, & è contra Judæorum blasphema dogmata confundimus, integra adhuc in Codice Hebræo extant, luce suâ abundè radiantia. Reliqua, quæ mutata vel depravata esse feruntur, religionem fideique articulos directè non attingunt, uti fatentur ii, quibus dicam istam Judæorum turbæ scribere volupe est. 4. In illis igitur suspicio vel conjectura planè expirat: In *his* ejusdem nulla causa est. 5. Tandem igitur, quemadmodum Scripturis V. Test. ne perirent & abolerentur, contra *Tyrannos*, (vide 1 Maccab. 1: 51. 59. 60.) ita ne eædem depravarentur aut corrumperentur, contra *Judæos*, capsarios nostros (uti Augustinus loquitur,) divina bonitas clementissimè prospexit & cavit.

II. *Judæi, qui* [a] *religionis nostræ hostes, punctorum auctores sunt: Non igitur dubium, quin falsa quandoque, odio Christianorum, posuerint puncta.* [a De punctorum origine.] Respons: 1. Posito, nunquam verò concesso antecedenti, non tamen necessariò consequens exinde educi potest. Unde enim falsa ista punctatio probari posset, nisi ex vanis conjecturis, & quibusdam exemplis, quæ à corruptela omni libera esse, inferiùs ostendemus. 2. Sed ad rem. Puncta recens Judæorum, & quidem post-Thalmudicorum, esse inventum, uti quidam inter Pontificios opinantur, falsa est hypothesis, id quod multis ostendi argumentis posset, nisi sufficienter ab aliis id ostensum jam antè esset. Vide Flac. part. 2. Clav. tract. 6. col. 629. Hafenreff. in Templo Ezech. p. 170. D. D. Gerhard. Præceptorem meum honorandum, in exegesi tom. 1. Locorum Theol. de Script. sacra cap. 15. Polan. in Syntag. l. 1. cap. 37. D.D. Mich. Waltherum amicum meum & fautorem dilectum, in disp. valedictoria JENÆ habitâ, ubi quæstionem isthanc plenissimè tractat & decidit. Excipit Gordonus contr. 1. cap. 8. §. 2. hoc unicum: *Hieronymum punctorum mentionem nusquam facere, & p. c. ejus tempore nondum extitisse.* Resp. 1. Quænam verò consequentiæ hîc ratio? an ignorantia Hieronymi tam valida & potens est, ut rei ipsius negationem certò inducat? Absit hoc. Hieronymus nec Thargumim seu Chaldaicarum paraphrasium ullam mentionem facit. Ergone istæ tùm temporis nondum extiterunt? Ita quidem Francisc. Riebera in Obad. n. 110. existimat, sed aliud de paraphrasium istarum cana & veneranda antiquitate res ipsa loquitur. Nec Masoræ operis Hebræorum Critici Hieronymus usquiam meminit, & tamen de existentia ejus ante ipsius tempora rei evidentia dubitare nos non permittit. 2. Cognitionem suam Hebrææ Linguæ Hieronymus acceptam fert Judæo cuidam, sicut ipse testatur, scribens ad Pammachium & Oceanum: *Quo labore* (inquit) *quo precio Barrabanum Judæum nocturnum habui Præceptorem: timebat enim Judæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum.* Ab hoc igitur suo Præceptore illum, quo usus fuit, nactus forsan est Hebræum Codicem (characteribus perquam minutis exscriptum, sicut ipse conqueritur proœm. in 7. comm. Ezech.) qui, quod punctis caruit, eo ipso punctorum in exemplaribus publicis & authenticis existentiæ & scriptioni præjudicare nihil potest. *Ut privata* (h. e. privatis in ædibus ad usum quotidianum descripta)

*exemplaria carerent punctis, fecit rei difficultas: ut publica* (i. e. quæ publicè in Synagogis & in templo prælegebantur) *iis non carerent, fecit religionis necessitas.* 3. Quin Hieronymum punctorum nullam facere mentionem, in dubium ab aliquibus vocatur non sine omni conjectura. In cap. 3. Jonæ *accentuum* mentionem injicit: *Satis miror*, inquit, *cur ita translatum sit, cum in Hebræo nec literarum, nec syllabarum, nec accentuum, nec verbi sit ulla communitas.* Ubi voce accentuum puncta vocalia ipsum intelligere & res ipsa evincit, & in notis ad indicem Operum Hieron. tit. *Hebræus*, expresse asseritur. Vide Walth. d. l. §. 21. Gen. 19:33. vox בְּקוּמָהּ puncto irregulari supra scripto notatur. Id punctum agnovit Hieronymus, unde in quæst. in Gen. ita scribit: *Appungunt desuper, quasi incredibile, & quod rerum natura non capiat, coire quempiam nescientem.* At si jam tum punctatio extitit irregularis, quidni etiam regularis, cum hanc illa præsupponat. lib. 8. comm. in Ezech. 27. tom. 5. p. 212. ita loquitur: *Frequenter Hebræa nomina pro diversitate accentuum, & mutatione literarum vocaliumque, vel maximè, quæ apud illos habent proprietates suas, variè interpretantur.* In Epist. ad Euagr. *Non refert*, inquit, *utrum Salem an Salim nominetur, cùm vocalibus in medio literis perrarò utantur Hebræi.* Ex quo patere ajunt, novisse Hieronymum, aliquando Judæos punctis in sacro Codice uti; (etsi non vocalia puncta, sed *vocales literas*, quales sunt ו & י ibi intelligere videtur.) Clarissimè verò id liquere dicunt, ex quæstione in Gen. cap. 47. vers. ult. ubi de voce מִטָּה loquitur: *Hoc loco quidam frustrà simulant, adorasse Jacob summitatem Sceptri Joseph, quod videlicet honorans filium, potestatem ejus adoraverit, cum in Hebræo aliter legatur: Et adoravit Israel ad caput lectuli.* Cùm autem מטה & sceptrum & lectum significet, eaque diversa significatio ab Hieronymo non potuerit aliter, quàm additis punctis discerni (מַטֶּה enim sceptrum, מִטָּה lectulum significat) exinde igitur, puncta tum temporis Hieronymum non ignorâsse, colligunt. Adde his, quòd in comm. Hos. 13. f. 22. e. de voce ארבה (quæ & אַרְבֶּה *locusta*, & אֲרֻבָּה *cataracta*, legi potest) ait, posteriorem lectionem esse Hebraicam veritatem. Unde verò hoc, nisi à punctorum discrimine.

III. *Justinus* in Dial. cum Tryphone, *Eusebius* lib. 4. hist. c. 18. *Orig.* hom. 12. in Jer. *Chrysost.* hom. 5. in Matth. & *Hieron.* in Epist. 89. ad August. in c. 5. Mich. & in c. 3. Gal. *suspicantur, Judæos quædam erasisse ex Hebræis Codicibus, quædam in odium Christianorum corrupisse.* Resp. Justinus, Eusebius & Origenes non de textu Hebræo, sed de Græca LXX. Interp. versione: Chrysost. verò & Hieronym. de Interpretibus Judæis, scil. Aquilâ, Symmacho & Theodotione loquuntur, qui in suis interpretationibus de Hebræo in Græcum multa perperam posuerunt, in odium Christianæ fidei, & in reprehensionem LXX. Interpretum. Hæc ex *Bellarmino* libro 2. de verbo Dei cap. 2. ubi contra alios Papistas latiùs ea deducit.

a De Tikkun Sopherim.

IV. [a] *Ipsi Judæi fatentur, multa à sapientibus priscis fuisse mutata; quas correctiones vocant* תקון סופרים *correctionem Scribarum.* Tractat hoc argumentum potissimùm Galatinus lib. 1. de arcan. Cathol. verit. c. 8. ubi statuit: סופרים sive *Scribas multa in sacrosanctis Scripturis* (non correxisse, sed) *depravasse.* 2. *Non quidem malo animo; sed propter rationes probabiles*, de quib. infrà. 3. *Interim minùs rectè, & contra expressum Dei mandatum, Deut. 4. & Prov. 30. egisse.* 4. *Textus istam falsationem à Jeremia cap. 7. 9. & 23. prædictam esse.* 5. *Factum verò fuisse tribus modis*: (1.) *Literarum mutatione*, (2.) *Punctorum falsorum adjectione.* (3.) *Notarum textualium, seu* כתיבים & קריים *annotatione.* 6. *Has depravationes omnes ex Thalmud Judaico restitui posse, & restituendas esse.* Hæc Galatinus. Resp. 1. *In genere.* Pontificii hoc argumento uti facilè non possunt. Bellarminus in lib. 2. de verbo Dei c. 2. ostendit, *vulgatam Latinam versionem in plerisque ita habere, sicut Scribæ isti correxisse vel depravâsse dicuntur.* Ex quo ita infert: *Ex quo apparet, imprudenter quosdam, dùm se Hebræos oppugnare credunt, Ecclesiam ipsam oppugnare. Si enim illæ correctiones Scribarum sunt Hebraici textus corruptiones, sequitur apertè, vulgatam quoque editionem esse corruptissimam, quam tamen nobis Ecclesia pro versione authentica tradidit.* II. *In specie*, ut ad singula ex Galatino proposita membra respondeatur, necessum non est. Si enim ipsum fundamentum, quod in *membro primo* proponitur, subrutum fuerit, reliqua omnia facillimè, uti patet, concident.

PRIMUM igitur istud membrum assumimus, ad quod respondit jam olim Bellarminus alleg. l. & asseruit, *aut fortè non esse verum, ullam emendationem Bibliorum factam fuisse à Scribis, cùm origo ejus sententiæ sit Thalmud, liber fabulosissimus: aut si Tikkun Sopherim non est fabula, non esse corruptionem, sed veram emendationem, non factam à quibuscunque Scribis, sed ab Esdra, & aliis sanctis Prophetis, qui post reditum à captivitate libros sacros reparaverunt.* Quam sententiam sequentibus *probabilem* reddimus (neque enim certâ & infallibili ἀποδείξει agi hic potest) rationibus.

1. *A Christi silentio.* Statuit Galatin d. l. *nefandissima illa Scribarum sacrilegia* (ita enim eo

loco indigitantur) *longè ante Christum natum fuisse facta, cum Jonathas Uzielis filius, Scriptura Interpres Catholicus, atque R. Hillelis, qui Christum per centum ferè annos antecessit, auditor, has Tikkun Sopherim, in multis in sua translatione secutus fuerit.* Repetimus verò nos & opponimus argumentum superiùs productum: Si ante Christum exhibitum Judæi vel Scribæ Scripturas sacras ullo modo depravâssent, utique de tàm insigni crimine à Christo acriter fuissent reprehensi, cum is leviora non tacuerit vel tolerarit. Atqui hoc factum non est. Ergò nec illud. Scribas, quos tanti criminis accusat Galatinus, *sedere in Cathedra Mosis* (i. e. destinatâ lectioni Mosaicorum & Propheticorum librorum) Christus asserit Matt. 23:2. quod si ulla Legis vel S. Scripturæ facta ab ipsis vel ipsorum Majoribus fuisset depravatio בִּכְסֵא הַוּוֹת *in cathedra perversitatum* potiùs Psal. 94: 20. sedere eos affirmâsset. Jubet ipsos audiri, *quatenus in Cathedra illa Mosis sedent.* ℣. 3. quod si legis divinæ vel ipsi, vel majores fuissent corruptores, ab eis potiùs jussisset cavere, sicuti *à fermentò Pharisæorum* h. e. falsâ doctrinâ & interpretatione suos avocat Matt. 16: 11. 12. Rectiùs igitur de Scribis judicium format Lud. Viv. in l. 8. de civ. Dei c. 39. *Scribæ erant* (inquit) *qui sacrorum librorum literam tantùm docebant, nec ab ea recedebant* VEL CULMUM LATUM.

2. *A Judæorum studio* in asservanda sacri Codicis integritate, de quo Philonis, superiùs adductam, repetimus testificationem, *usque ad sua tempora per spacium ampliùs quàm duorum millium annorum, NE VERBUM QUIDEM fuisse unquam in Lege Hebræorum mutatum, & QUEMLIBET JUDÆUM centies potius moriturum, quàm ut pateretur, Legem IN ALIQUO MUTARI.* Si Philoni, Judæo erudito, de ulla depravatione Scripturæ, à Scribis ante sua tempora intra bis mille annos facta, constitisset, tàm magnificè industriam eorum in textu sacro asservando haudquaquam deprædicasset. Elias Levita Germanus in Thisbi sive Lexico Rabbinico lit. ת, cùm ex sententia Rabbinorum de Tikkun Sopherim quædam attulisset, ita tandem subjungit: אֲבָל לֹא שֶׁהֵם שִׁנּוּ דָּבָר מֵהַתּוֹרָה חַס וְשָׁלוֹם *Verum non ac si ipsi* (Scribæ) *VERBUM mutassent de Lege: Absit hoc ut fiat!*

3. *A rationum futilitate.* Afferuntur à Galatino factæ à Scribis depravationis rationes ejusmodi, quæ inspectæ solummodo, (nam operosè ut refutentur, indignæ sunt) commentum apertè produnt. *Scribæ* (inquit) sive sapientes, multa (1.) *tanquam absurda, & tanquam ea, quæ apud gentium nationes nefas erat vel somniare de divinis Scripturis abraserunt* (at de *mutatione* facta quæstio instituta erat, non de Scripturæ *mutilatione*, vel quorundam *abrasione*, nec ejus rei ullum à Galatino profertur vel proferri potest exemplum) *tanquam ii, qui adhuc divini consilii celsitudinem super humani generis salute plenè non perpendebant:* (2.) *aut quia timebant, divinas Scripturas propter talia à suis & ab aliis infidelibus irrisum iri:* (3.) *aut quia suspicati sunt, Judæis ignaris atque simplicibus ex hujusmodi, impiæ credulitatis scandalum generari.* Hæc ille. Ecquis verò tàm stipes est, & ejusmodi frivolis rationibus inductos fuisse putet Scribas, homines inter Judæos sapientissimos & religiosissimos, ut depravationem Hebraicæ Scripturæ adornarent? Et videtur ipse Galatinus, dum hæc scriberet, (præsertim rationem tertiam) quid scriberet, nescivisse.

4. *A Scribarum auctoritate.* Quinam isti סופרים sive Scribæ sunt, quos corruptores Bibliorum Hebræorum Galatinus constituit? An Esras, Scribarum reliquorum Caput & Dux? Negat hoc, ex ratione ea, quia non dicantur חקון עזרא *Tikkun Esra*, sed חקון סופרים *Tikkun Sopherim*, aptationes sive correctiones Scribarum? (obiter noto, hanc rationem esse nullius planè momenti: *tùm*, quòd in Collegio isthoc Esras solus non extiterit, sed adjunctos sibi habuerit reliquos אנשי כנסת גדולה quibus conjunctim, non excluso, sed incluso Esrâ Duce, חקון illas attributas esse, dici posset: *tùm*, quòd in Masora parva Num. 12: 12. expressè חקון עזרא vocantur:) An aliorum Scribarum post Esræ tempora? Galatinus nihil certi definit: Nos autem ita progredimur. Aut Sopherim sive Scribæ isti fuerunt Viri & membra Synagogæ magnæ, aut non. Si fuerunt, (ut ipse fateri videtur; dum in fin. cap. 8. R. Mosis Hadarschan verba adducit & adprobat) quomodo ab ipsis facta fuisse dicitur Scripturæ corruptio, cùm in Thalmude ipso (cui plus nimio Galatinus tribuit) lib. Joma. fol. 69. 2. de Viris Synagogæ magnæ dicatur שֶׁהֶחֱזִירוּ עֲטָרָה לְיוֹשְׁנָהּ *quod restituerint* (non quod corruperint) *coronam* (Legis divinæ) *in pristinum statum*, quod repetitur in Chronico Juchasin fol. 13. Si non fuerunt: quomodo privatæ istæ correctiones fieri potuerunt auctoritatis publicæ? quomodò à Viris Synagogæ magnæ (quorum officium hoc erat) tàm nefario ausui non est contradictum? quomodo in omnia omnino exemplaria privata istorum hominum censura vel corruptela tanto cum applausu irrepere potuit? Utrumvis statuas, difficultatibus implicabere non minimis.

5. *A sententiæ istius incertitudine.* Tum *in genere.* Elias Levita in Thisbi, חקון סופרים seu correctiones Scribarum dicit esse שְׁמוֹנֶה עֶשְׂרֵה de-

*decem & octo* (Fagius reddit, *duodecim & octo*, ex quo numerus iste in Lexicon Schindleri rad. תקן transsumtus fuit. Utrumque falsò, nisi magis videatur mendosè) Galatinus ex R. Schelomone *quindecim* Tikkun facit mentionem, (etsi allegato loco Rabbi Schelomo ח״י *octodecim* numeret.) Idem octodecim illis plura exempla addit, & tandem: *Tam multa*, inquit, *profectò sunt* (errata à Scribis illata textui sacro) *ut omnia dici sit ferè impossibile.* Contra verò Marinus Brix. in præfat. Arcæ Noæ: *Judæi* (inquit) *de his* (Tikkun Sopherim) *aliam sententiam habentes, id totum rident: nam illis ratum & firmum est, Scripturam sacram à Prophetis, ut nunc habetur, descriptam, nunquam immutatam fuisse, nec deinde immutandam &c.* Tum *in specie.* Incertum enim in aliquibus exemplis est, ex quibus vocibus, & quomodo facta fuerit ista corruptio, ut specialis textuum consideratio docebit. Cujus igitur roboris hæc sit sententia, incertitudo isthæc liquido ostendit.

6. *A* קריים *marginalium collatione. Tertium* corruptionis Scribarum modum Galatinus consistere ait in קריים seu *marginalium lectionum adscriptione:* E. G. quando pro voce יִשְׁגָּלֶנָּה (in textu posita, quam כתיב, *scriptum* vocant) in margine notant legendum esse יִשְׁכָּבֶנָּה (quod vocatur קרי sive *lectio*) Deut. 28: 30. &c. Quid de hujus generis Masoreticis notis sentiendum sit, suprà dictum: hac vice *primum* corruptionis modum (qui ex Galatini hypothesi *in nuda literarum textus mutatione* consistit) ex tertio isthoc ita evertimus: Si Scribæ in ipso textu sacro quicquam vel mutare vel depravare attentâssent, utique קריים seu lectiones marginales nuspiam constituissent, sed voces, quas margini adposuêre, ipsi inseruissent textui, sublatis illis, quas in textu reperiebant. At posterius factum non est. Ergo nec prius. Consequentia in majore patet: si enim in una dictione isthanc sibi sumere licentiam ausi fuissent, ut illam mutatis literis in IPSO TEXTU corrumperent: eccur non fuissent ausi in cæteris? quænam hic discrepantiæ ratio? E. G. Eadem licentiâ, qua pro אֹתִי Mal. 1: 13. scripsissent (in ipso textu) אותו eadem, inquam, pro יִשְׁגָּלֶנָּה in textu scribere potuissent, יִשְׁכָּבֶנָּה nec opus fuisset, hanc vocem posteriorem margini adscribere, textus literis manentibus integris. Par est ratio aliorum. Inverso igitur ordine, ita rursus progredimur: si Sopherim sive Scribæ ita fuêre religiosi, ut nihil quicquam in textu sacro mutare fuerint ausi; sed, si quam vocem restituendam putarent, eam adscripserint margini, textu relicto integro, sequitur, quod Tikkun Sopherim, & perversiones ipsarum vocum textualium, quales Galatinus somniat, non dentur. At prius verum est. Ergo & posterius. Utriusque præmissarum veritas ex iis elucet, quæ supra de notis Masorethicis fuêre latiùs dicta.

7. *A Chaldaica translatione.* Si quædam in locis Scripturæ factæ fuissent à Scribis & mutationes & depravationes, eas utique non fuissent secuti Chaldæi paraphrastæ, qui certè verum Scripturarum sacrosanctarum sensum exprimere voluerunt. Jam verò in omnibus qui accusantur, locis Chaldæa paraphrasis textui nostro respondet. Excipiendus hic locus Hab. 1: 12. ubi Chald. habet: מֵימְרָךְ קַיָּם לְעָלְמִין *verbum tuum vivit in æternum:* quæ translatio exprimit Hebræum לֹא־תָמוּת *non morieris*, quod pro לֹא־נָמוּת *non moriemur*, (ut in nostris exemplarib. est) legendum esse Galatinus ait. Vide infra, ubi in specie de Tikkun Sopherim agitur, n. 10. Videtur quidem in duobus locis, nempè Num. 12: 12. & Jer. 2: 11. Chaldæa paraphrasis ita legere, sicut Galatinus ex Thalmud restituit: Verùm id non ex hac proficiscitur causa; aliàs ubique correctiones istas Thalmudicas fuisset secuta: sed ex eo, quod sensum potiùs, quàm verba exprimere voluit.

8. *A sensus in Codicibus nostris integritate.* In omnibus locis, quæ dicuntur fuisse immutata vel depravata, sensus literalis est integer, sibi constans, optimè fluens, adeoque talis, ut depravationis factæ ne suspicio quidem exinde suboriri possit, ut ex mox dicendis patebit. Quid igitur somnio isto & delirio opus? Tandem igitur contra delirium istud argumentum depromimus

9. [a] *A locorum, in quibus Tikkun Sopherim constituuntur, speciali consideratione.* Expendam autem breviter eo ordine, quo in Masora magna textuali ad Ezech. 8: 17. (in exemplari manuscripto & vetusto in Bibliotheca hujus Academiæ publica asservato) recensentur.

[a] Loca Scripturæ, in quibus Tikkun Sopherim constituuntur.

I. Gen. 18: 22. verba Hebræa ita habent: וְאַבְרָהָם עוֹדֶנּוּ עוֹמֵד לִפְנֵי יְהוָה *Et Abraham adhuc stabat coram DEO.* Ad vocem עוֹדֶנּוּ Masora parva notat ח״י מלין תקון סופרים *octodecim voces* (sunt) *correctiones Scribarum.* In prædicta verò Masora textuali manuscripta ita legitur: הָיָה צָרִיךְ לוֹמַר וַיְיָ עֹדֶנּוּ עֹמֵד לִפְנֵי אַבְרָהָם *Necessarium est dicere* (vel legere) *Et Dominus adhuc stabat coram Abrahamo.* Galatinus ex R. Mose Hadarschan itidem notat, scriptum ibi antea fuisse: *Et DEUS stabat adhuc coram Abraham.* Resp. (1.) Mosi illi tantundem credimus, ac Galatino, nisi firmâ ratione immutationem istam factam esse ostendat. Ostendit autem ex *Midras Thillim* in Ps. 18. ubi ita legatur: *Et dabis mihi clypeum salutem tuam.*

*De Abraham patre nostro loquitur, de quo scriptum est; Et erat Abraham sedens, & divinitas astabat ei. R. Berachias in nomine R. Levi dixit: Quæsivit Abraham pater noster, ut staret: Dixit autem ei DEUS sanctus & benedictus, sede, optimum quippe signum est hoc filiis tuis, qui sedentes erunt, ego verò stans coram eis: sicut dictum est, DEUS stetit in congregatione vel cœtu DEI.* Hæc ibi. Atque hoc nunc impletum fuisse, ait Galatinus, *cùm Apostoli, qui filii Abraham erant secundum carnem, & cœtus atque congregatio DEI, sedebant, & Christus verus DEUS coram eis stabat, pedes eorum lavans, & abstergens linteo, quo precinctus erat.* Ibidem ex Midras Thillim R. Samuelis filii Hiya, & R. Jordan in nomine R. Hannina, (qui à R. Simone id acceperint) auctoritas adducitur. Quæsote, homo Christiane, edisseras, num incerta ista Rabbinorum vel traditio, vel expositio certum te reddere possit, in textu Gen. 18:22. factam fuisse quandam verborum immutationem? (2.) Et quænam, obsecro, immutationis istius de industria à Scribis factæ foret causa? Affer illas, quas in genere Galatinus producit (de quibus ratione præced. 3.) nulla certè conveniens erit, multò minùs sufficiens. Elias Levita in Thisbi factæ mutationis causam dat istam, *quod soliciti fuerint Scribæ;* שֶׁמָּא יֵרָ לֹא הָיָה דֶּרֶךְ כָּבוֹד כְּלַפֵּי הַשְּׁכִינָה *ne forte hoc non sit via gloriæ coram divinitate*, hoc est, ne gloriæ divinæ aliquid detraheretur, si nempe legeretur: *Et Jehova stabat adhuc coram Abrahamo.* Quasi verò statione isthac DEI, κατ' οἰκονομίαν factâ, gloriæ divinæ in se quicquam decederet! Et si ita est, cur non mutarunt Scribæ versum præcedentem, ubi DEUS inquit: *Descendam sanè & videbo &c. ut sciam.* Magis enim hoc gloriæ divinæ detrahere videtur, quòd videlicet DEUS *descendat*, ac si non esset omnipræsens: quòd *descendat ad videndum, ut sciat*, ac si non esset omniscius. Quod si igitur hic, & in multis aliis, (ubi eadem esset mutationis ratio) nihil immutatum fuit, quid in v. 22. ac si ibi depravatio fuisset facta, suspicione tantâ textus sacer gravatur? (3) Cap. 19: 27. verba c. 18: 22. repetuntur, prout nos legimus. Ita enim habet textus: *Et surrexit Abraham mane,* (& ivit) *ad locum,* אֲשֶׁר עָמַד שָׁם אֶת־פְּנֵי יְהוָה *ubi steterat coram Domino.* Chald. eadem omninò verba habet, quæ cap. praced. An & hic à Scribis facta mutatio? (4) Sententia hujus versûs est integra, concinna, & sibi optimè constans, ut nihil opus sit integritatem aliundè arcessere, uti per se patet.

II. Num. 11:15. Verba Mosis sunt: *Et si ita tu facies mihi, occide me quæso occidendo, si inveni gratiam in oculis tuis, ut ne videam* בְּרָעָתִי *in malo meo.* Masora parva annot. חד מן י"ח מלין תקון סופרים *Una de octodecim dictionibus, Tikkun Sopherim.* Magna verò textualis dict. loc. addit ברעתך הצ"ל *In malo tuo, necessum est dicere.* Atque ita scriptum olim ante factam depravationem fuisse, Galatinus ex Rabbi Hadarschan probat. Resp. (1.) Quænam verò immutationis hic factæ vel levis conjectura? Omninò nulla. (2.) Et an non sensus verborum sibi magis constat, si lectio nostra בְּרָעָתִי retineatur, quam si alia ex Thalmudica ratione accersatur? Conqueritur enim Moses de malo *suo*, non *DEI*, de onere *suis*, non *DEI* incumbente humeris, uti ex v. 11. 14. patet.

III. & IV. Num. 12: 12. de Mirjam leprosâ factâ, Aaron ad Mosen ita loquitur: *Ne quæso sit similis mortuo, qui cùm egreditur ex utero* אִמּוֹ *matris suæ, jam exesum est dimidium* בְּשָׂרוֹ *carnis ejus,* (nempè הַמֵּת *mortui*, hoc est, fœtus putrescentis in utero.) „Masora parva ad vocem אמו annotat: י"ח תקון עזרא *octodecim* (sunt) *correctiones Esræ.* Textualis verò d. l. & Galatinus ex libro Siphre, *matris nostræ & carnis nostræ* legendum esse docent, atque אמו mutatum ex אִמֵּנוּ; & בשרו ex בְּשָׂרֵנוּ. Resp. Sententia ex verbis textus nostratis suâ sponte fluit; altera illa coacta est, contorta & valdè obscura. Utrum igitur hic mutatum vel depravatum habeamus textum, conjectura sumi facillimè potest.

V. 1. Sam. 3: 13. de Eli ad Samuelem Jehova ita loquitur: *Et nunciavi ei, quod judicans ego domum ejus usque in seculum: propter iniquitatem, quâ scivit,* כִּי־מְקַלְלִים לָהֶם *quod male dicentes sibi, filii ejus, & non tristis fuit in eis.* Galatinus de hoc loco nihil: sed Marcus Marinus Brixianus in arca Noe, rad. קלל *Videtur* (inquit) pro לָהֶם *legendum esse* לְאֵל *Deo.* Et in præfat. *Scriptum erat* (inquit) לְאֵל *Deo, sed Scribæ substituerunt* לָהֶם. Masora verò textualis d. l. pro לָהֶם dicit legendum esse לי Resp. (1.) Quis non videt meras has esse conjecturas, non probationes? (2.) Sensus phraseos nobiscum extantis satis perspicuus. Trem. vertit, *quia maledictionem inferentibus sibi* (filiis suis &c.) Sicut enim בָּרֵךְ & *verbis & re benedicere*: Ita oppositum קלל *& verbis & re ipsâ maledicere: atque ita maledictionem inferre* significat, uti exempla ostendunt. B. Lutherus naturalem verbi significationem (קלל *levis fuit*) secutus, vertit & omnium quidem optimè, *hielten sich schändlich*, q. d. præcelluerunt levitate. (3. Potest illa filiorum Eli (si ita vertatur) maledictio etiam ad *Deum* referri, ita ut vox אֱלֹהִים vel אֲדֹנָי subintelligatur: *Quia maledicentes sibi* (sc. אֶת הָאֱלֹהִים *DEUM*) *filii ejus.* Solet enim Pronomen demonstrativum nominibus & qui-

busdam verbis non sine emphasi addi. Gen. 12: 1. לֶךְ לְךָ *ito tibi de terra tua*. Exod. 18: ℣. ult. *Et abiit sibi ad terram suam*. Ezech. 37: 11. *Excisi sumus nobis &c.* Atque hanc interpretationem amplecti videtur Osiander vulgatæ vers. emendator. (4.) Potest addi hoc, si objecti maledictionis fiat mentio, id exprimi *vel* per accusativum, idque sine aut cum præpositiva particula אֶת Gen. 8: 21. Exod. 21: 17. c. 22: 27. Lev. 24: 15. &c. *vel* per ablativum, præfixo ב addito, Esa. 8: 21. Nuspiam autem per Dativum cum præfixo ל ea constructio occurrit. Ergò & hîc lectum olim fuisse לוֹ לְאֵל vel probabile non est. (5.) Et tandem, quam mutationis istius de industria factæ causam habuissent Scribæ? num divinæ Majestati quicquam decederet, num piarum aurium adeò offensivum hoc foret, si de filiis Eli diceretur, *ipsos maledixisse Deo?* Ita verò mutandi fuissent reliqui etiam loci Scripturæ, ubi blasphemiarum à filiis Belial profectarum fit mentio.

VI. 2. Sam. 16: 12. Verba Davidis exulis sunt: *Forte videbit Dominus* בְּעֲוֹנִי Masora קרי seu marginalem adjicit notam: legendum nempè esse בְּעֵינִי *in oculo meo*, sc. lacrymante, h. e. in lacrymis oculi mei. Galatinus olim scriptum fuisse ait בְּעָנְיוֹ *in humilitate* vel *mansuetudine sua* (ut ad DEUM referatur:) Scribas autem mutâsse in בְּעֵינִי *in oculo meo*. Masora verò textualis d. l. ait בעינו היה צריך לומר *In oculo ejus necessarium est dicere*. Resp. 1. Iterum incertitudo commentum prodit. In ipso textu mutatum hic nihil, sed pro ו medio legi debere י in margine notatum deprehendimus. 2. Si utique mutationem factam hîc statuere placeret, satius esset, asserere, legi debere בְּעָנְיִי *in afflictione mea* (ut ad Davidem referatur, quomodo Lutherus vertit, *Vielleicht wird der HERR mein Elend ansehen*. Et occurrit eadem phrasis Gen. 29: 32. Ps. 31: 8. Ps. 119: 153.) quàm בְּעָנְיוֹ *in afflictione ejus*, ut ad DEUM referatur, quo sensu nuspiam in Scripturis usurpari videtur. Interim neutram hîc accipimus mutationis factæ rationem, sed בְּעֵינִי legendum esse, & notâ Masorethicâ & sensus commoditate, & textu antecedente, 2 Sam. 15: 30. & Chaldæa paraphrasi (quæ vertit, *forsan revelabitur coram Domino*, דִּמְעַת עֵינִי *lacryma oculi mei*) adducti, constantur asserimus.

VII. & VIII. 1 Reg. 12:16. & 2 Paral. 10:16. de populo Israelitico dicitur וַיֵּלֶךְ יִשְׂרָאֵל לְאֹהָלָיו *& ivit Israel ad tabernacula sua*. Masora manuscripta ad vocem לְאֹהָלָיו itidem annotat: יח מלין תקון ספרים (Nota, Masora Numerorum initialis edit. Basil. remittit nos ad 2 Sam. 20: 1. illis verbis אִישׁ לְאֹהָלָיו יִשְׂרָאֵל sed mendosè) Et legendum esse לֵאלֹהָיו Masora textualis ibidem ostendit. Galatinus in eodem versu, licèt non in eadem voce תיקן illam constituit. Præcedit enim: *Quæ nobis portio in David & non* (est nobis) *possessio in Filio Isai:* לְאֹהָלֶיךָ יִשְׂרָאֵל *ad tentoria tua Israel*. Pro לְאֹהָלֶיךָ *ad tentoria tua*; scriptum olim fuisse לֵאלֹהֶיךָ *ad Deos tuos*, Galatinus ex R. Mose Hadarschan ostendit. Duplex igitur h. l. erit Tikkun Sopherim. Resp. 1. Nos incertum dimittimus, & certum retinemus. Correctio ista Scribarum h. l. facta probari sufficienter nequit. Ergò verbis in nostrate textu positis, meritò acquiescimus. 2. Est n. phrasis ista (*ire ad tentoria sua*) quando de discessione & separatione totius populi vel exercitus agitur, satis in Scripturis frequens, Jos. 22: 6. 7. Jud. 7: 8. c. 20: 8. 1 Sam. 4: 10. 2 Sam. 18: 18. c. 20: 1. 22. 2 Reg. 14: 12. &c. Contrà verò non agebatur hîc de separatione populi à DEO *suo* (vel defectione ad Deos alienos) sed *à Rege & Magistratu*: non erat negotium istud *Ecclesiasticum* & spirituale, sed *Politicum* & civile. 3. Et quinam isti Dii sunt, qui hic intelliguntur? An verus DEUS Israelis? At hoc impertinens. An Dii fictitii & idola Jerobeam? At hæc nondum extabant, uti ex seq. vers. 28. patet. E. non Deos, sed tentoria sive tabernacula intelligi, & hanc veram & incorruptam esse lectionem, planum est.

IX. Ezech. 8: 17. verba DEI sunt: *Et ecce ipsi mittunt* אֶת־הַזְּמוֹרָה אֶל־אַפָּם *fætorem ad nasum suum*. Pro אַפָּם olim scriptum fuisse, & etiamnum legi debere אַפִּי *nasum meum*, ait Masora textualis d. l. Galatin. d. l. quem sequuntur Vatablus in annotat. h. l. Schindl. in Lex. col. 492. Resp. (1.) Significationem vocis זְמוֹרָה qua *fætorem* notare dicitur, amplectitur etiam Chaldæus Interpres, qui vertit בַּהֲתָא *pudendum*. Quò ferè respicere videtur Symmachi versio: *Quasi emittentes sonitum in similitudinem cantici per nares suas*. Hieronym. lib. 3. comment in cap. 9. *Symmachi hæc interpretatio fœdum raucumque sonitum de naribus procedentem, in DEI contemtum significat.* (2.) Sed enim certum est, ejus significati nullum occurrere exemplum aliud. Et ipse R. Mardochai Nathan. in Concord. Hebraic. significationem istam non novit: sed reliquis exemplis, ubi *palmitem* notat, sine ulla distinctione admiscet. Idque ostendit derivatio. Est enim à זמר *putavit, imputavit, &c.* (3.) Hæc igitur *palmitis* sive *sarmenti* significatio si locum (uti debet) inveniat, altera, qua *fætorem* significare dicitur, pari facilitate rejici potest, quæ à Thalmudidistis affertur: atque ita suspicio depravati vel mutati textus in voce אַפָּם facilè evanescet, cùm de admonitione palmitis ad nares non *DEI*, sed *Judæorum* idololatrarum propheta loqua-

loquatur. (4.) Rem ipsam quod attinet, Hieron. d. l. ita interpretatur: *Significat viginti quinque viros instar idolorum applicare ramum ad nares suas: haud dubium quin palmarum, quas Græco sermone τὰ βαΐα vocant, ut per hoc eos idola adorare significet. Sic Job inter ceteras virtutes etiam hoc habuisse se dicit, quod nunquam aspiciens Cœlum, & Solem, & Lunam, & astra fulgentia, osculatus sit manum suam, i. e. adoraverit creaturas.* Lutherus in annot. margin. h. l. ait *fuisse hunc cultus idololatrici modum, qualis hodiè est Sal, aqua, & res aliæ exorcisatæ.* Piscator *in honorem Solis* (cujus cultus idololatricus versu præced. memoratur) *id factum esse*, in annot. ait. Ita & Arias Montanus in lib. Jeremias, sive de actione p. 8. *Applicabat ramum ad nares, certâ vani cultus cærimonia ad ortum Solis adorantes, quasi odoris suavitatem Soli tribuentes & adscribentes.* Junius & Tremell. paulùm discedunt, vertentes: *Adeoque ecce ipsi admittunt palmitem ante faciem suam*: Et hoc ita explicant; *Ipsi in causa idololatriæ tantoperè æstuant & feruntur in superstitionem præcipites, ut vel ineptissimum quodque lignum occupent in fabricandis idolis, potiùs quàm ut idolo careat: Est enim sarmentum lignorum omnium ad fabricationem incommodissimum ineptissimumque. Confer. 15. v. 2.* Hæc illi. Etsi Junius in edit. posteriore aliter vertit & explicat: *Ecce jam præmittunt plantarum surculos ante faciem suam, hoc est, jam ramos omni fructu ὀπώρας onustos, quasi primitias Soli & suis idolis hoc loco offerunt. Vide Jer. 44. & Hos. 2.* Confer eundem in comment. Ezech. tom. 1. operum col. 855.

X. Hab. 1: 12. Verba Prophetæ sunt: *Nonne tu ab æterno es? Jehova DEUS meus* (est) *sanctus meus* לא נמות *non moriemur.* Ubi Masora textual. d. l. לא תָמות הצל *non morieris, necessum est legere.* Et ita Galat. d. l. Resp. Si scriptum ita olim in textu fuisset, quæ causa scribas movisset, ut datâ operâ verbum istud pervertérent? Certè immortalitatis divinæ evidens id fuisset argumentum. (2.) Cùm igitur causa vel probatio mutationis factæ adferatur nulla, lectionem nostram ut sanam, primævam, authenticam & integram accipimus, utpote quæ textui etiam quàm optimè convenit. Quod enim Ps. 118: 17, 18. David de se solo, Propheta h. l. de populo DEI asserit, quod nempè DEI paterna manus nos ob peccata castiget, non tamen morti totos tradat. Sensus utrobique, uti contextus ostendit, idem. Conf. 1 Cor. 10: 13.

XI. Malach. 1: 13. *Et dicitis: Ecce quæ fatigatio.* והפחתם אותו *Et exsufflâstis illud, ait Jehova Zebaoth.* Pro אותו olim fuisse scriptum אותי R. Schelomo in h. l. & ex eo Galat. d. l. contendunt, ut sit sensus, *afflixistis me* (Jehovam.) Afflictionem enim eâ voce notari, ex Job. 31: 20. cap. 31: 39. constare ajunt. Hieron. etiam in comment. h. l. *In Hebræo* (inquit) *legi potest; Et exsufflâstis me, hæc dicendo: non sacrificio, sed mihi, cui sacrificabatis, fecistis injuriam.* Resp. (1.) Demus, voce isthac afflictionem quandoque notari: interim tamen de ipso DEO tam durâ catachresi (notaret enim vi etymi *ejusmodi afflictionem, quâ anima nimiâ quasi compressione extinguitur & efflatur*) Scripturam fuisse olim usam, verisimile non est. (2.) Præsertim cùm de sacrificiorum offerendorum negligenti omissione ibi agatur, quâ tantum abest, ut DEUS (tam duriter) affligatur, ut Esa. 1: 11, seqq. sacrificiorum multitudinis (sine vera fide oblatorum) pertæsum se esse, testetur. (3.) Nostram proin lectionem meritò statuimus primævam & authenticam, utpote quæ textui quàm optimè congruit. Accusatur enim eo loco, ut dictum, Judæorum in cultu sacrificali nimia negligentia, quam ita Spiritus S. effert: והפחתם אותו *& exspirâstis illud*, i. e. spiritu seu flatu ex ore emisso contemsistis illud: Luth. rectè: *Und schlagets in den Wind.* Quam interpretationem præter totum contextum ostendunt luculenter versus 6. & 7. *Sacerdotes despiciunt nomen meum, & dixistis, in quo despeximus nomen tuum?* (Respondet Dominus vers. 7.) *Offerentes super altare meum panem pollutum, & dixistis, in quo polluimus Te? Cum dicitis, mensa Domini DESPECTA est &c.* Confer etiam v. 12. Quando enim post solutionem captivitatis Babylonicæ, Judæi templum novum priori illi magnificentia & splendore multum cedere videbant, Esr. 3: 12. tum sacrificia ipsa eos flocci fecisse simul, nec ita ut olim curâsse, ex hoc loco apparet.

XII. Zach. 2: 8. *Quia qui tangit vos, tangit pupillam* עינו *oculi sui*, עיני היה צריך לומר ait Masora textualis d. l. hoc est, *necessarium est, ut legatur* עיני *oculi mei.* Resp. Cur vero facta ista fuit mutatio? an ideo, ne ad DEUM referri possit pupilla oculi? Ita verò mutandus etiam fuisset locus Deut. 32: 10. Et annon ipsa hæc vox עינו ad DEUM referri potest percommodè? *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi ejus*, nempè DEI, sicut legit Hieron. in comment. Nihil addo prætereà, cum res clara sit, & depravationis conjectura nulla.

XIII. Jerem. 2: 11. Verba DEI sunt: *Populus meus mutavit* כבודו *gloriam suam, in id quod non prodest* (h. e. in idolum inutile.)

XIV. Hos. 4: 7. כבודם *gloriam eorum in ignominiam commutabo.*

XV. Psal. 106: 20. *Et mutaverunt* כבודם *gloriam suam in formam bovis comedentis herbam.*

Prim.

Tribus hisce in locis pro כְּבוֹדוֹ & כְּבוֹדָם legi debere, כְּבוֹדִי *gloria mea*, Masora textualis d. l. tradit: De prioribus duobus idem sentit Galatinus, ultimum præterit. Resp. in *primo* loco per כְּבוֹדוֹ *gloriam suam* (populi Israel) æquè verus Israelis DEUS intelligitur, ac si כְּבוֹדִי esset scriptum. Nullâ igitur mutatione fuisset opus. In *altero*, non potuit vera lectio esse כְּבוֹדִי *gloria mea*, illam enim DEUS in ignominiam in æternum non mutat: sed intelligitur *gloria Judæorum*, h. e. felicitas, opulentia, regni splendor &c. illam ob peccata se sublaturum, Deus minatur. In *tertio* loquitur Psaltes Regius. Quod si ibi כְּבוֹדִי legendum, sensus foret, quòd *Psaltis gloria* fuerit mutata ab Israelitis in similitudinem bovis: Aut si per *gloriam ipsius Psaltis* verus DEUS intelligitur, perinde is intelligitur, per כְּבוֹדָם *gloriam eorum*, nempè Israelitarum. Unde Chaldæus reddit: *Et mutaverunt* יַת אִיקַר רִבּוֹנְהוֹן *gloriam Domini sui*. Et hoc textui magis quadrat. Quivis igitur videt, nullam in his locis factam esse à Scribis mutationem, quòd si facta sit, non esse depravationem, sed veræ lectionis restitutionem.

XVI. Joh. 32: 3. ita legitur: *In tres amicos illius accensa est ira ejus* (Elihu) *eò quod non haberent præsto, quod responderent*, וַיַּרְשִׁיעוּ אֶת־אִיּוֹב *& tamen condemnabant Jobum*. Pro אֶת־אִיּוֹב Masora textualis d. l. tradit legendum esse אֶת־הַדִּין *judicium* seu *justitiam*. Galatinus verò olim scriptum fuisse, & legi nunc debere, DEUM. Resp. Incertitudo, cujus ponderis hæc sint, satis prodit. Sententia per se satis perspicua, & restitutionis nullius indigens.

XVII. Job. 7: 20. Verba Jobi sunt: *Peccavi, quid faciam tibi, ô custos hominum, quare posuisti me scopum tibi? & ero* עָלַי *super me*, seu *mihimet ipsi in onus*. Pro עָלַי olim fuisse עָלֶיךָ *super te*, Masora d. l. tradit, & Galatinus. Resp. Si vera hæc lectio foret, nullam omninò Scribæ habuissent causam, eam imminutandi. Incertum igitur & hic dimittimus, certum retinemus, h. e. lectionem nostram, quæ non aliena est, amplectimur.

XVIII. Thren. 3: 20. *Recordando recordatur* וְתָשׁוּחַ עָלַי נַפְשִׁי *& meditatur apud me anima mea*. Pro עָלַי Masora ait legi debere עָלֶיךָ; Galatinus ex R. Rahmon pro עָלַי נַפְשִׁי olim scriptum fuisse ait, עָלֶיךָ נַפְשְׁךָ *super te anima tua*. Resp. Occurrit hic diversa lectio. Si כתיב retineatur תָּשִׂיחַ sensus est, quem paulò ante expressi; Sin קרי, legendum est תָּשֹׁחַ *incurvata* seu *depressa est apud me anima mea*, quomodo Chaldæus vertit: וְיִתְצְלֵי עָלַי נַפְשִׁי אַל כְּנִיפָא & *inclinata est apud me anima mea ob afflictionem*. Utraque lectio sententiam gignit planam, integram & incorruptam, quare ut ad Tikkun Sopherim confugiamus, necessitas apparet nulla.

Atque hæc sunt 18. illa Tikkun Sopherim, seu correctiones Scribarum, quæ in Masora manuscripta textuali ad Ezech. 8: 17. enumerantur. Plura exempla addit Galatinus alleg. lib. 1. cap. 8. quæ tamen nomine תקון ספרים propriè loquendo non veniunt.

1. Mich. 1: 10. הִתְפַּלָּשְׁתִּי ubi in margine Masorethæ notant, legendum esse הִתְפַּלָּשִׁי *voluta te*. Depravandi studio hoc adpositum esse Galatinus clamat, & הִתְפַּלָּשְׁתִּי legendum esse, h. e. *involutus sum* seu *involvam me pulveri seu cineri;* ac si filius DEI ibi loqueretur, & pulverem h. est, humanam & fragilem naturam se aliquando assumturum, promitteret. Resp. Nequaquam corruptio hæc est, sed mendi, quod irrepserat, emendatio, & veræ lectionis restitutio, & pertinet ad classem tertiam notarum Masorethicarum, de quibus superiùs latè dictum. Verum hoc esse, patet ex ipso contextu, in quo prophetia de imminentibus malis *verbis adhortatoriis* v. 10. & 11. describitur, qualis etiam adhortatio v. 10. in illo imperativo est. Contra verò expositio Galatini (utut res ipsa vera sit) huic textui planè non quadrat, uti contextus & scopus ostendit.

2. Deut. 28: 30. in textu scribitur יִשְׁגָּלֶנָּה *constuprabit eam;* in margine verò id ita pervertitur, quod legi debeat יִשְׁכָּבֶנָּה *cubabit cum ipsa*. Et quæ hujus generis sunt alia. Resp. Si corrumpendi sacrum textum animum habuissent, ipsum כתיב seu vocem in textu positam penitus sustulissent, substitutis literis aliis: quod tamen factum non est. Quid autem de hujus generis קריים seu annotationibus criticis sentiendum sit, supra class. 5. declaratum fuit.

3. Psalm. 22: 17. כָּרוּ *foderunt*, depravârunt in כָּאֲרִי *sicut leo*.

4. Hos. 9: 12. pro בְּשָׂרִי *caro mea*, substituerunt בְּסוּרִי *in recedendo me*. Resp. An his in locis corruptelæ insint, inferius in examine locorum Scripturæ, σὺν Θεῷ, dispicitur.

Hactenus igitur novem rationibus probabiliter evicimus, non dari *Tikkun Sopherim* seu correctiones Scribarum, aut si dentur, non esse tamen depravationes, sed veras emendationes. Cui nostræ assertioni, si quis Masoræ auctoritatem opponat, quæ de Tikkun istis Sopherim expressè testatur; ei hoc modo respondemus: *Aut* Masora ista, de Tikkun Sopherim testimonium perhibens, longe ante Thalmud conscripta fuit: *aut* circa vel post conscriptum Thalmud. *Si prius*, correctionem aliquam factam fuisse (quæ tamen non sit depravatio, uti vult Galatinus) videtur non esse improbabile; *Sin posterius*, non testari illam puto, quid factum revera sit, sed

quid factum esse Hebræorum Rabbini tradant. Dari autem in Masora quasdam particulas, quæ primævam ejus originem (de qua suprà) non attingunt, sed circa tempora conscripti Thalmud adjectæ sint, patet ex nota Masorethica Deut. 32: 6. ad הַלַיהוָה & locis aliis. Concludo hanc controversiam verbis R. Eliæ Levitæ in Thisbi: זֶהוּ מָה שֶׁנִּרְאָה לִי בָּזֶה וּמִי שֶׁיִּמְצָא טַעַם טוֹב מִזֶּה יִבְחָרֵהוּ׃

Antequam ad alia progrediar, ex Cl. [a] Buxtorffii literis, Basileæ Cal. Sept. 1623. ad me scriptis, de Tikkun Sopherim, quædam placet adducere. Ita autem ille: *Tertium quæsitum tuum, de Tikkun Sopherim, 18. voces hanc censuram subiisse, Masora passim notat. Recensio locorum in vestibulo libri Numerorum, & Psal. 106. Utrobique non nisi 16. recensentur, sed in Num. 12: 12. duo exempla occurrunt, ut notat R. Salomon. Deest ergo unus locus mihi, quem à nullo Judæo hactenus expiscari potui, nec magnus ille Mercerus eum invenit. Galatinus hoc thema non intellexit, & aliena exempla admiscet. Sic & alii, qui corruptiones ista esse putant. Nec ullum hactenus ex nostris sive Euangelicis sive Catholicis vidi, qui explicârit, qui fuerint Scribæ isti, & quales* תיקנים *ipsorum. Quàm antiquæ hæ notæ de Tikkun sint, liquidò mihi nondum constat. Antiquior ipsorum memoria est in libro* ספרי, *qui ante Thalmud Babylonicum fertur conscriptus. Dissentiunt tamen Hebræi de ejus auctore & tempore. In Thalmud neutro ulla planè istius Tikkun mentio fit, cum aliàs* עיטור סופרים *longè minoris negotii in Thalmud commemoretur. Si aliter ista loca fuissent aliquando scripta, Onkelos & Jonathan id vel semel expressissent. Nec Josephus reticuisset, qui contrarium Hebræis adscribit, nullam scil. unquam literam mutatam fuisse in lege ab Hebræis popularibus suis, lib. 1. contra Appionem. Thalmudistæ in Levit. 27. vers. ult. diversis locis notant, nec Prophetæ ulli licitum fuisse vel minimum in Lege mutare vel innovare. Quomodo ergo Scribæ quidam vulgares hanc audaciam sibi arrogâssent, textum sacrum in litteris & sensu corrigere? In silentio itaque omnium, in aurem tibi dico, Sopherim hosce fuisse ipsos auctores sacros, Mosen & Prophetas, qui nunquam aliter scripserunt, quàm hodiè scriptum legitur. At sapientes Hebræorum nasutiores, animadvertentes inconvenientiam quandam in istis locis, scripserunt, aliter istos auctores loqui debuisse & secundum cohærentiam propositi textus, sic vel sic scribere, sed pro eo maluisse sic scribere, & id sic efferre, ut illud hodiè in textu est. Veluti Gen. 18: 22. legitur scriptum; Et Abraham adhuc stabat coram Domino. Itanè? ubi legitur, inquiunt sapientes, quod Abraham venerit ad Dominum, & steterit coram eo? Contrarium dicitur in præcedentibus, DEUS scilicet venit ad Abrahamum, & dixit ad eum: Num ego celo ab Abrahamo &c. Clamor Sodomæ & Gomorrhæ magnus est, &c. Ideoque Moses scribere debuit: Et Dominus adhuc stabat coram Abrahamo. At ita serviliter de DEO loqui non decuit Mosen, unde* תיקן *correxit & mutavit stylum sermonis, honoris majoris causâ, & dixit: & Abraham adhuc stabat &c. Hinc R. Salomo adjicit,* היה לו לכתוב *scribendum ipsi (Mosi) erat, (seu) scribere debebat, & Dominus stabat: non quòd aliter sic scripserit antea, & postea id ab aliis Scribis correctum sit, aut corruptum. Hinc R. Aben Ezra ad aliquot loca irridet nasutos, inquiens, nullo Tikkun opus fuisse, id est, nihil esse, quod nasuti isti sapientes putârint, auctorem debuisse aliter ibi loqui vel scribere. Vide & eum Job. 32: 3. Habet vel mysterium prolixè explicatum, in quo & multi Hebræorum impegerunt.* Hucusque Buxtorffius.

[a] Buxtorffii de Tikkun Sopherim sententia.

## ARTICULUS II.

### *De conjecturis, Scripturam à* librariis *per incuriam esse corruptam.*

CONjecturis (neque enim rationes dici merentur) adversarii ducuntur hisce quatuor. I. *Est interpretum* [b] *LXX. versio.* Gord. Huntl. contr. 1. c. 9. §. 18. *Præterea alia quam plurima esse errata in Hebræo textu, compertum est ex interpretatione septuaginta Interpretum. Nam cùm illi habuerint correctissima Biblia Hebraica, necesse est, ea quæ jam extant esse valdè corrupta, quia in plurimis locis differunt à versione LXX. Interpretum &c.* Resp. 1. Imprudens hoc est assertum, & temeraria collectio. *Hebræus textus & LXX. Interpretum versio discrepant, E. Hebræus textus jam est corruptus.* Nos potiori jure hoc invertimus & concludimus. *E. versio LXX. Interpretum est corrupta*, ut quæ non fons, sed rivulus est ex fonte originali deductus, & corruptionis periculo valdè expositus. 2. Veram esse collectionem nostram, testem adducimus *Hieronymum*, qui suo jam tum tempore *versionem illam nimis extitisse corruptam* asserit, in præfat. in Pentateuch. in Epist. ad Suniam & Fretellam (quæ est 135.) in quæst. Hebr. in comment. Prophet. & alibi. In præfat. Paralip. inquit: *Si versio LXX. pura haberetur, ut ab eis edita fuerit, frustra se laboraturum in Bibliis transferendis.* Ibidemque conqueritur, *pro varietate regionum diversa ferri exemplaria, & germanam illam antiquamque translationem corruptam esse atque violatam.* 3. Quin audiat Gordonus Cardinalem Bellarminum, lib. 2. de V. D. c. 6. §. *de postrema*, ubi versioni huic tale

[b] De LXX. Græca versione an sit corrupta.

dat elogium: *Licet non ignorem nonnullos in ea sententia esse, ut existiment, interpretationem 70 Seniorum penitus interiisse: multo probabilius censeo, illam adhuc superesse, SED ADEO CORRUPTAM ET VITIATAM, ut omnino ALIA esse videatur; ita ut jam tutum non sit, Hebraicos vel Latinos textus ex Græcis Codicibus emendare.* Et hoc ipsum aliquot d. l. probat argumentis. 4. *Satis constat & hoc* (inquit ibid. Bellarminus) *editionem illam à Judæis multis in locis fuisse corruptam, ut Justinus affirmat in Dialogo cum Tryphone. Constat item, eandem editionem sæpe sæpiùs emendatam ab Origine, Luciano, Hesychio, Hieronymo; nihil autem emendatur, nisi quod antè vitiatum est. Nec credibile est, eam editionem, quæ primis trecentis annis tot maculas contraxerat, reliquis annis mille ducentis inviolatam atque integram servatam. Denique constat, tempore B. Hieronymi, ut ipse scribit in epist. 89. ad August. quæ est 11. inter epistolas August. omnes ferè Græcos Codices ex versione Septuaginta habuisse admixta multa ex Theodotione, asteriscis præfixis: Deinde paulatim asteriscos excidisse: interiisse etiam editionem Theodotionis: inde autem necessariò orta est confusio, ut jam nemo judicare possit, quid in iis libris sit 70. quid verò Theodotionis.* Hæc & plura lectu non inutilia, Bellarminus. Simile ferè judicium de versione Græca est Andreæ Masii, Pontificii Bibliorum commentatoris celebris. Is in præfat. lib. Jos. ita loquitur: *In nulla sua parte* (interpretum 70. versio) *vitium non fecit; Nam ut nihil dicam de corruptis ubique verbis, verborumque complexionibus: quæ vitia quàm multa, quàm fœda, quàm mendosa in ea sint, incredibile dictu est: quis aut nostrâ aut avorum nostrorum memoriâ, ullum vidit Codicem, in quo superessent asterisci atque obelisci? quibus notis passim appositis Origenes illam interpretationem utilissimè distinxerat atque illustrârat.* 5. Audiat etiam Jesuita Gordonus seipsum. Ita enim c. 11. §. 8. loquitur: *Quia nunc depravata est ista versio Septuaginta in multis locis, partim à Judæis, partim ab hæreticis (quod etiam sæpius conqueritur S. Hieronymus) non possumus jam ei fidem adhibere in omnibus.* 6. Adde & hoc, si Galatino fides non sit deroganda. Interpretes LXX. datâ operâ & studio versionem ab Hebræo textu discrepantem adornasse. Ita enim is loquitur lib. 1. de arc. Cath. verit. c. 8. *Septuaginta Interpretes multa, teste Thalmud, Ptolemæo Regi transferre omiserunt, & plurima mutaverunt, ne divina arcana gentilibus, tunc indignis, nota fieri contingeret.* Hæc ille. A quibus quædam in Hieronymo non abludunt. Vide epist. 104. præfat. ad Desiderium, & epist. 117. ad Paulam & Eustochium. Atque hæc omnia, quæ dicta sunt, versionem hanc valde suspectam reddunt, authenticum verò fontem Hebræum à depravationis suspicione liberant.

II. *Masoræ conscriptio.* Idem Gordon. d. l. *Denique* (inquit) *menda hæc Bibliorum Hebraicorum apertè prodit ingens illud Masoreth Judæorum, in quo continentur infinitæ correctiones & variæ lectiones,* Resp. 1. Tantum abest, ut Masorethicum opus mendorum Biblicorum sit κατασκευαστικὸν, ut potius quorumcunque mendorum sit προφυλακτικὸν, uti superius ostensum fuit. 2. In hoc opere nil nisi correctiones somniat Jesuita, cùm tamen fere minimum hoc sit inter illos, quos Masorethæ præstiterunt, labores. Inter quos eminent *librorum sacrorum partitio, textus in sectiones majores & versus distinctio, eorundem versuum, quin & vocum & literarum dinumeratio, insolitæ formæ & punctationis annotatio,* & alia: quod omne eo fine factum, ut ne vel apex imposterum posset mutari aut excidere. 3. Factas tùm esse vocum in Hebræo textu mendosè scriptarum correctiones, concedimus; sed *nec* infinitæ illæ sunt, *nec* menda in Hebræo textu esse confirmant, sed eum potius à mendis repurgatum & correctum exhibent. Id quod collatione factâ cum Thargumim, Elias Levita orat. 3. libri Hammasoreth adstruit, his verbis: *Summa sit; illi* (Masorethæ) *redegerunt legem & totam Scripturam in formam suam stabilem, & absque omni dubio, nisi ipsi venissent, facta fuisset lex quasi duæ leges, nec essent duo libri inter omnes libros Scripturæ, qui inter se concordarent, sicut aliorum libris accidit. Etenim quot mutationes, quot varietates reperiuntur in Thargum &c.* Confer quæ suprà, in status controversi evolutione, theor. 2. de notis Masorethicis fuêre dicta. 4. Præsupponit Jesuita, *Masoreth esse opus Judæorum Tiberiensium* quingentis post Christum natum annis convenientium: quam hypothesin falsam esse; è contrà verò primos Masoræ auctores fuisse Viros Synagogæ magnæ, Esdram & reliquos viros sapientes (quorum ministerio quod DEUS integritatem fontis æternæ nostræ salutis, contra quosvis hostium insultus tueri, & ad nos propagare voluit, infinitæ ejus bonitati, & paternæ providentiæ acceptum est ferendum) supra demonstratum fuit.

III. *Punctorum constitutio.* Bellarm. lib. 2. de V. D. c. 2. in fin. *Habet Scriptura suos quosdam errores, qui irrepserunt partim ignorantia Rabbinorum, qui addiderunt puncta. Cum enim possint dictiones Hebraicæ variis modis legi, si punctis careant, non est mirum, si aliquando ipsi quoque in notatione punctorum à vero aberraverint.* Resp. 1. Si Bellarminus velit suam thesin φυλάττειν, non potest de erroribus, V. T. textui illatis,

illatis, ex punctis quicquam suspicari. Paulo enim pòst ita loquitur: *Puncta extrinsecus addita sunt, nec textum mutant: Itaque possumus, si volumus, puncta detrahere, & aliter legere.* Argumentor ita: Id quod textum non mutat sive adsit, sive absit, ex ejus præsentia error textus probari non potest. Atqui juxta Bellarminum puncta textum non mutant, sive adsint, sive absint. E. ex eorum præsentia, seu additione error textus Hebræi probari non potest. 2. Quod si non κατ' ἄνθρωπον, sed κατ' ἀλήθειαν agatur, negamus nos, puncta à Rabbinis recens esse addita, sed coæva esse ipsis literis, argumentis adducti validissimis, asserimus, qua de re quædam superiùs in medium adducta sunt. 3. Posito, sed nunquam concesso, puncta recentius textui esse addita, nulla tamen exinde errorum, punctatione illatorum, suspicio oriri posset. Ajunt enim Rabbini, qui hanc fovent opinionem, *punctatam sic esse Scripturam, prout punctatores à majoribus per Cabbalam, (factâ gradatim regressione usque ad Prophetas & Mosen) acceperant.* Vide Eliam Levitam dictâ præfat. 3.

IV. *Literarum similitudo.* Idem Bellarminus d. l. *Partim errores irrepserunt negligentiâ vel ignorantiâ librariorum, præsertim cùm in Hebræo facile sit errare, ob literas quasdam simillimas, quales sunt* ב & כ: ד & ר: ה, ח & ת: ו & י. Resp. 1. Potuisse & adhuc posse ob literarum istarum convenientiam errata quædam textui sacro inferri, concedimus: Quod autem id *universali mutatione* (de *particulari* enim, deque hoc vel illo codice non loquimur) factum haudquaquam sit, in examine locorum Scripturæ, σὺν Θεῷ, ostendemus. 3. Præcavetur enim & huic periculo labore Masorethatum, qui omnes dictiones (quin & literas) numerarunt, & quoties singulæ in textu Hebræo hac vel illâ formâ extent, annotârunt. 3. Consideretur verò coronidis loco hic iterum injustissima Bellarmini temeritas, qui *ob quosdam errores, qui ob literarum similium permutationem, & punctorum* (quæ tamen textum ipsum non mutant) *additionem irrepserunt*, & quidem ob errores ejusmodi, *qui tanti momenti non sunt, ut in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ sacræ integritas desideretur* (sicuti ipse loquitur) ob tales, inquam errores, *Vulgatam editionem Latinam* (quæ rivulus est, isque impurus, & corruptissimus, uti alibi ostenditur) fonti Hebræo præponere, atque ita (ut proverbio dicitur) inventis frugibus glandes præferre Arcadicas, in Concilii Tridentini gratiam, non veretur. Quantò rectiùs *Bened. Arias Montanus*, Vir cognitione linguarum θαυμαστὸς (qui etiam inter patres Concilii Trident. ceu egregia gemma inter quisquilias eminuit) format judicium, dum in præfat. Biblior. Hebr. *Orthodoxorum Patrum testimoniis* confirmat, *sicubi in Bibliorum interpretatione dubium occurrat, ad Hebraicam veritatem in Veteri, & Græci sermonis fontem in Novo testamento esse examinandum:* Nec verbis probat hoc solum, sed & re ipsâ præstat, & errores vulgatæ translationis ex Hebræo fideliter monstrat. Quâ in egregia opera prædecessorem fidelem habuit *Santem Paginum, Virum ex D. Dominici familia, ob insignem pietatem, sacræ Theologiæ cognitionem, & summam denique linguarum peritiam, maximè conspicuum*, quo elogio Ariæmont. ipsum ornat. Is enim versionem vulgatam infinitis ferè locis juxta Hebraicam varietatem correxit., qua in parte magnam etiam apud Pontificios saniores laudem reportavit, & *meruit, ut ejus interpretatio veluti omnium tutissima* (verba sunt Ariæ Montani) *Hebraico textui adnecteretur*, & publicâ quidem Regis Philippi Hispani auctoritate. Sed hæc ad superiorem διδασκαλίαν de vulgatæ editionis auctoritate pertinent.

## SECTIO II.

### *Dictorum Scripturæ V. T. quibus corruptela inesse videntur, vindicationem continens.*

UT duplicis generis rationes & conjecturæ sunt, quibus adversarii suam palliare sententiam nituntur: Ita distinctâ quoque dictorum Scripturæ classe instructi incedunt: *Quidam* talia afferunt loca, quæ Judæorum fraude & malitia ajunt depravata fuisse: *Quidam* verò talia, quibus librariorum inscitiam, incuriam & negligentiam corruptelas intulisse perhibent. Utraque classe veritatem præfirmatam adoritur & oppugnat Jesuita *Gordonus Huntlæus*, qui in epitome sua Theol. controv. 1. exemplis adductis probare satagit: (1) *Puncta Hebræorum malè posita esse in variis locis*, cap. 8. (2) *Textum Hebraicum variis in locis corruptum esse ex incuria librariorum*, cap. 9. (3) *Quod Judæi pleraque loca Scripturæ ex industria corruperint*, cap. 10. Moderatiùs incedit Bellarminus, *quinque* tantùm Scripturæ loca producens, quibus *Scripturas Hebraicas* (non quidem depravatas operâ vel malitiâ Judæorum, quam sententiam apertè & solidè refellit, sed tamen) *non esse omninò integras & puras, sed habere suos quosdam errores*, (ex librariorum negligentia, & Rabbinorum ignorantia illatos) probatum dare conatur lib. 2. de V. D. cap. 2. Sunt & hinc inde alii, qui loca quædam Scripturæ (quocunque id factum fuerit modo) mendosa &

corrupta nobiscum extare dictitant. Quorum omnium vel clamoribus, vel querelis, ut aliquantum satis fiat, Hebræam V. T. Scripturam perlustrabimus, & singula, quæ suspicione ista gravantur, loca exactiùs in timore & auxilio Domini pensitabimus, ordine servato eo, quem Codices nostri in dispositione librorum Biblicorum vulgariter tenent. In scrutinio vero isthoc præter alia accuratè pensitanda occurrunt; 1. Ipsa textus *viscera*, *circumstantiæ*, *cohærentia*. 2. Opus Judæorum *Masorethicum*, quod cujus sit ponderis & momenti in asservando sacro textu, suprà dictum. 3. *Paraphrases Chaldaicæ*, de quibus ita Fr. Lucas *Brugensis*, celebris Pontificius, in tract. de usu Chald. paraphr. part. 1. *Hæ paraphrases antiquissimorum Hebraicorum exemplarium loco, usui nobis esse possunt, ut cum, ut fit, corruptelæ arguitur Hebraicus, qui hodiè est, textus, ex Græcorum, qui aliter legisse conspiciuntur, interpretatione, his Paraphrasibus adversarii redarguantur.* Sed ad rem!

## I. *Gen.* 4: *v.* 8.

POst verba: וַיֹּאמֶר קַיִן אֶל־הֶבֶל אָחִיו *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum:* videntur desiderari illa: *Egrediamur foras*, quæ extant in Thargum Hierosolym. & Septuaginta Interpretibus, ut & vulgatâ versione: Sine quibus sensus est mancus & mutilus. Cornel. à Lapide in comment. h. l.

Resp. 1. Thargum Hierosolymitanum (seu fragmentum potius ejus) in paraphrasi h. l. perhibet, Cainum cum Abele contendisse de vitâ æternâ, de extremo judicio, & providentiâ divinâ. Verba ex Chaldæo conversa ita habent: *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum; Veni, & egrediemur ad superficiem (seu facies) agri. Et fuit, cum egressi fuissent ambo ipsi ad facies agri, respondit Cain, & dixit ad Abel fratrem suum: Non est judicium, & non est judex, & non est seculum aliud (futurum) & non dabitur præmium bonum justis; & non vindincta sumetur ab improbis, & non in miseratione creatum est seculum; & non in misericordia Ipse (DEUS) gubernat. Nam cur (quæso) acceptatur oblatio tua à Te in beneplacito, & a me non acceptatur in benevolentia? Respondit Habel, & dixit ad Cain: Est judicium, & est judex, & est seculum aliud, & est donum præmii boni (dandum) justis, & vindicta sumetur ab improbis, & in miseratione creatum est seculum, & in misericordia ipse gubernat; Utique in fructibus operum bonorum (seu bonos) ipse (DEUS) gubernat: Quod si fuerint opera mea recta præ tuis, accipietur oblatio mea à me in beneplacito, & à Te non accipietur in beneplacito. Et fuerunt ambo ipsi rixantes in agro, & surrexit Cain adversus Habel fratrem suum, & occidit eum.* Hucusque Thargum: Ex quo patet, quod auctor ejus paraphraseos itidem suspicatus fuerit in textu Hebraico aliquid deesse, quod colloquii istius inter Cainum & Abelem narratione (forsan ex traditione majorum accepta) supplere voluit. Huc pertinet narratio etiam illa, quam Philo *in lib. quod deterius potiori insidietur*, refert, *Abelem à Caino ad disputationem de sacrificio & religione fuisse provocatum, cumque sciret, Cainum esse Sophistam, & se artibus eloquentiæ non esse instructum, non debuisse provocanti obtemperare, sed tergiversari.* Sed *prior* narratio apocrypha ac incerta est, annumeranda reliquis, quæ in Chaldaico illo Thargum paraphrasticè textui adduntur, (qualis est & illa, quando ejusdem capitis versum 13. in quo verba Caini desperatoria extant, Hierosolymitanus ita παραφράζει: *Et dixit Cain coram Domino: Plura sunt delicta mea quam ut feram; sed est potestas coram te ad remittendum & condonandum ea mihi.*) *Posterior* aliena est & improbanda: Quis enim persuaderi sibi patietur, Abelem *vel* adeò temerarium fuisse, ut ambitiosè cum fratre eloquentiæ certamen iniret; *vel* tàm stupidum, ut non potuerit fidei suæ rationem reddere, atque orthodoxam doctrinam contra fratrem Sophistam tueri?

2. Hieron. in quæst. seu tradit. Hebr. in Genes. *in Samaritanorum, & in suo volumine extitisse* testatur: *Transeamus in campum.* Verum ipsemet *superfluum hoc esse* dicit.

3. Masorethæ ad h. l. hæc annotant verba כח̋ פסו֜ פסק֜ במצע֜ פסוק quæ additis vocalibus quidam hunc gignere sensum putant כ̋ח פַכוּ פְּסוּקִ֜ בְּמִצְעִ֜ פָּסוּק *Viginti octo desunt versus in medio hujus versus!* ac si Masorethæ ad colloquium istud Caini cum Abele (in Hierosolymitano Thargum extans) quod constare ajunt 28. versibus, respectum habuissent, illudque innuissent Genes. 4. desiderari. Sed antiquior fortean est nota illa Masorethica Hierosolymitano Thargum: Nec narratio ista brevis 28. versib. constare potest, ut consideranti planum est. Rectiùs proinde punctis affecta ita marginalis nota legitur: כ̋ח פְּסוּקִים פִּסְקִין בְּמִצְעוּת פָּסוּק (Nota, quod virgula obliqua, extremæ Vocis literæ imposita, vocem decurtatè scribi, apud Masorethas indicat, ita igitur פס֜ non erit vox integra, uti & reliquæ) h. e. *Viginti octo* (nam duæ priores literæ numerales sunt, cujus index duæ virgulæ impositæ) *versus sunt, qui desinunt in medio versu*, scilicet quoad sensum: seu qui in medio versus (adjacentum Athnachta) integram periodum absolvunt;

vunt, plerumque sensum pariunt, etsi sequentia non adjungantur. Genes. 35: 22. eadem occurrit nota, nisi quod pro כח scribitur כה qui numerus forsan verior, observante Magno Buxtorffio in clavi Masoræ cap. 11. Patet igitur ex dictis, defectum aliquem nec ex Chaldæo, nec ex libris Hieronymianis, nec ex Masorethis probari posse.

4. Cumque nec ex versionum rivulis (Græca & & Latina) fonti integritatem quandam conciliare tutum sit: Igitur in Hebræo textu corruptelam vel defectum nullum: in versionibus verò tàm Græca quàm Latina, redundantiam à textu alienam, & ab utraque præcidendam, agnoscimus. Quod si quis verbum וַיֹּאמֶר obvertat, quod ad sequentia (quæ hîc desint) respicere videatur: Respondemus, Illud *vel* respicere ad præcedentia, *quod Cain retulerit Abeli, quid DEUS secum fuerit locutus* (Ita Hieron. in quæst. Hebr. *Et dixit Cain ad Abel fratrem suum. Subauditur, ea, quæ locutus Dominus.* Et R. Aben Ezra sensum esse ait, שאמר לו כל התוכחות שהוכיחו השם *quòd dixerit ei omnes reprehensiones, quibus reprehendit eum Dominus.* Atque ita vox וַיֹּאמֶר accipitur Exod. 19: 25. *Vel* absolutè positum esse pro דִּבֵּר sensu eo, *& locutus est* (familiariter) *Cain cum Abele fratre suo.* Antea enim Cainus iram suam non occultaverat, sed vultu & verbis ostenderat: Nunc autem post DEI objurgationem, hypocritarum more, furorem sub specie amicitiæ occultare, & blandè cum fratre colloqui cœpit, quò faciliùs ipsum in rus pertrahere, atque ita incautum opprimere posset. Et vocem אָמַר pro דִּבֵּר absolutè accipi, patet etiam ex locis aliis, Psal. 4: 5. Psalm 139: 20.

## II. Gen. 6: v. 3.

IN Hebræo legitur לֹא־יָדוֹן רוּחִי בָאָדָם *non contendet Spiritus meus in homine.* Hieronym. vertit, *non* PERMANEBIT *Spiritus meus in homine.* Legit igitur יָלוֹן à rad. לון *pernoctavit, permansit.* Ergo pro ל in nostris exemplaribus ד mendosè irrepsit. Ita Lindanus, & Corn. à Lapide, ex Leone Castro lib. 3. apol.

*Resp.* 1. Polanus in Syntag. lib. 1. cap. 37. utroque modo exponi posse Hebræam vocem, asserit: & qui verterunt, *non permanebit*, radicem constituisse נדן, cujus Kimchi in lib. radic. mentionem faciat: qui verò verterunt, *non contendet*, radicem דין. Sed prioris radicis exemplum ex Scripturis proferri nullum poterit. נָדָן quidem vaginam significat, sed radix ipsa, *permanendi* significatione inusitata. Nec punctorum ratio id admittit, pro יָדוֹן enim legendum esset יִדּוֹן. 2. Sixtus Senensis lib. 8. Bibl. Sanct. hær. 13. circa fin. lectionem יָדוֹן retinet, דון autem & *judicare* & *manere*, seu *veluti judicem sedere*, significare contendit. Sensum igitur versionem vulgatam Latinam sequi ait: *Non permanebit, vel sedebit ut judex, Spiritus meus in homine*: *quod perinde est, ac si dicas: Non judicabit Spiritus meus in homine.* 3. R. Aben Ezra in comm. ad ipsam *vagina* significationem hoc quosdam retulisse ait: יש אומ׳ שהו׳ כמו וישב חרבו אל נדנה כי הגוף לרוח בנדן h. e. *sunt, qui dicunt, quod hæc vox est instar ejus* (quod 1. Paral. 21: 27. legitur) *Et convertet gladium suum in vaginam suam*: *Quia corpus spiritui seu animæ est quasi vagina*, (conferri potest locus Dan. 7: 15.) Sequitur illos Pagninus, qui vertit: *Non erit ut in vagina Spiritus meus in homine.* Cajetan. etiam interpretatur: *Non vaginabit Spiritus meus in homine.* Quasi dictum sit ad similitudinem gladii reconditi in vagina, quo quamdiu in vagina est, non utitur quis ad incidendum vel percutiendum. 4. Sed tàm contra Lindanum, quàm Pagninum & Cajetan. nostra lectio יָדוֹן immota consistit: *Non contendet Spiritus meus* (verba Jehovæ) *in homine seu cum homine*, h. e. non contendam in perpetuum cum hominibus per prædicationem verbi mei, per quod Spiritus sanctus arguit mundum de peccato, Joh. 16: 8. Luth. in versione ab effectu ad causam progreditur: *Die Menschen wollen sich meinen Geist nicht mehr straffen lassen*, q. d. Ergò neque Spiritus meus ampliùs contendet cum illis, uti in marginali glossa id exponit. Quod si quis versionem Latinam vulgatam obvertat, respondemus; 1. Ex rivulis judicare fontem temerarium & præposterum. 2. Hieronymi ætate jam tùm יָדוֹן in textu legebatur. Ita enim is in quæst. Gen. *Et dixit Dominus Deus, non permanebit Spiritus meus in hominibus istis in æternum, quia carnes sunt. In Hebræo scriptum est: Non judicabit Spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam caro sunt &c.* 3. Sequitur vulgatus Interpres Interpretes Græcos, qui habent: μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μȣ: Hi verò *vel* à נדן (vagina) significationem deduxerunt, legentes ידון cum Biblia habuerint punctis destituta: *Vel* id intenderunt, quod ex Senense superius adductum: *Vel* demum, quod probabilius, pro ידון legerunt יָלוֹן errore ejusmodi, quomodo Psal. 19: 5. pro קַוָּם legerunt קוֹלָם; neutra tamen lectione puritati fontis Hebræi quicquam præjudicare possunt. Conf. Nicol. Fuller. lib. 5. Miscell. sacr. cap. 5.

### III. Gen. 8: v. 7.

IN Hebræo legitur, *Corvus egrediebatur, & revertebatur:* Sed LXX. Interpretes & Vulgata, & omnes Patres legunt, *non revertebatur.* Ita Melchior Canus, Scriptor Pontificius.

Resp. 1. Etiamsi contrarietas inter Hebræum textum & versiones esset evidens, non tamen ad ipsum fontem, sed ad versiones causa ejus referenda esset, nisi præposterè velimus agere. 2. Sed bené! contrarietas in Hebræo & versionibus hic nulla, etiamsi sit diversitas. Quâ de re præstat audire Bellarminum lib. 2. de V. D cap. 2. Canum his refellentem verbis: *In Hebræo non habetur, ET REVERTEBATUR, sed* יצא יצוא ושוב *& exiit exeundo & redeundo, donec siccarentur aquæ: Quod non significat, corvum rediisse intra arcam, sed volitasse circa arcam eundo & redeundo, ut aves solent, & fortasse etiam redeundo ad tectum arcæ, & inde abeundo, idque sæpius, donec siccarentur aquæ: Cum quo benè cohæret, quod egrediebatur, & non revertebatur, nimirum intra arcam.*

### IV. Gen. 11: v. 12.

ARphaxad dicitur genuisse *Sale*, cùm tamen LXX. habeant, *Arphaxad genuisse Cainan: Cainan genuisse Sale.* Atque ita Luc. 3: 36. generationes recensentur. Videtur igitur per corruptelam nomen *Cainan* ex Hebræo textu excidisse, & restituendum esse ex LXX. versione, & ex N. T.

Resp. Varias variorum responsiones affert Torniellus in annal. an. mundi 1694. Nos ad *textum Hebraicum* nomen istud, istamque generationem pertinere negamus, (de loco Luc. 3. 36. inferius tract. 2. σὺν Θεῷ, tractabimus;) permoti rationibus hisce. 1. Omnes Codices Hebræi generationem τοῦ *Cainan* tacent, nec potest ullum aliquod exemplar in contrarium produci. 2. Nec Masorethæ de facta vel hic vel reliquis in locis (ubi itidèm apud 70. interpretes nomen Cainan habetur) mutatione quicquam norunt vel observant. *Si quis obvertat*, potuisse post Masoretharum tempora excidere, cum ex nostra sententia illi sint antiquissimi, & ab Esdra ducant originem. Respondeo (1) quomodo v. ex tot locis (de quibus paulò post) simul exsculpi potuisset. (2) Si hoc ita esset, ex ipsa Masora restitutio fieri posset. (3) Quin observare licet in notis Masorethicis, tùm temporis τὸν *Cainan* à textu longùm abfuisse. 1. Paral. 1: 24. generationum sibi invicem succedentium fit ἀνακεφαλαίωσις, subsequuntur verò se ibi eo ordine שֵׁם אַרְפַּכְשַׁד שָׁלַח *Sem, Arphachsad, Sale.* Græci & hic addunt *Cainan*, legentes: Σὴμ, ΑρΦαξὰδ, Καϊνὰν, Σαλά. Sed in hoc versu Hebræo textui non fuisse inscriptum nomen *Cainan* tempore Masoretharum, patet ex nota addita, quæ talis: ב׳ פסו׳ ראי׳ת בכל׳ מליהון ש׳ן h. e. *duo sunt versus, in quorum singulis dictionibus extat litera* ש: (En profundam hominum istorum diligentiam in indagatione textus Hebræi!) ex quibus unus est versus iste. Quod si tùm in textu extitisset nomen *Cainan*, literà ש destitutum, notam dictam adponere haudquaquam potuissent. Præcavetur igitur istâ notâ omni sublatæ vocis suspicioni. Quæ autem ratio est versus hujus, eadem reliquorum, in quibus Græca editio nomen istud immiscet. 3. Si facta quædam esset nominis prædicti ex Hebræo textu sublatio, *aut* Judæorum malitiæ, *aut* librariorum negligentiæ ea adscribenda foret. At neutri causæ adscribi potest. *Non priori*, nullam enim omninò expungendi causam Judæi habuissent *Non posteriori: Tum*, quòd non sola nomina in genealogia illa Genes. 11. recensentur, sed cuilibet generationi integra assignatur periodus, quam ejusmodi per negligentiam excidere potuisse, verisimile non est: *Tum*, quod non unus tantùm locus est, ubi generatio Cainan in Hebræo tacetur; apud Græcos reperitur, vide Genes. 10: 24. 1 Paral. 1. 18: 24.. &c. ex quibus locis simul per incuriam potuisse, & quidem unum idemque nomen excidere, itidem verisimile haud est. 4. Neque Jonathanis, neque Onkelosii paraphrasis Chaldaica nomen illud legunt, quæ tamen versiones sunt antiquissimæ. Nec Hieronymus mentionem ejus facit, quando genealogiam istam tractat. quæst. in Gen. tom. 3. p. 381. g. uti & Epist. 126. ad Euagrium. 5. Repugnat etiam chronologia, & annorum vera supputatio, quæ additione annorum Cainan mirè turbatur, uti à Chronologis ostenditur. Hæc igitur cùm ita sint, ad asserendam versionis LXX. veritatem hoc unicum supererit, utdicatur, ab ipso Mose generationem Cainam datâ operâ fuisse omissam, ut sic Arphaxad genuerit Sale non immediatè, sed mediante Cainan, (sicut Matth. 1: 8. Joram genuit Oziam non immediatè, sed mediantibus Ochozia, Joâ & Amaziâ.) Ita quidem sentire videtur Torniellus d. l. ubi ait, *potuisse Spiritum sanctum sive ob aliquod grande peccatum ipsius Cainan, sive mysticâ aliquâ de causâ; nobis adhuc ignota, Mosis mentem permovisse, ut in hac generationum serie Cainan consultò præteriret, atque sic, quemadmodum decem generationes ab Adam ad Noe numeraverat, totidem*

*tidem duntaxat à Sem ad Abrahamum recenseret &c.* Sed hoc si ita esset, (1) unde LXX. Interpretes suæ versioni id inseruissent, cùm nullum in Hebræo textu ejus nominis uspiam extet vestigium? an Prophetico Spiritu præditos fuisse istos homines dicemus? Ita quidem & Torniellus & Bellarminus lib. 2. de Verb. Dei c. 6. statuunt; rectiùs Hieron. præf. in Pentat. LXX. Interpretes *non vates, sed Interpretes fuisse* asserit. (2) In recensendis vitæ Patriarcharum annis versio Græca ab Hebræo textu ubique ferè hoc capite dissentit, & chronologiam nimioperè turbat: ita, ut (computatis annis τοῦ Cainan) 742. annis Græca versio Hebræum fontem excedat. Quid verò hic dicendum? an in omnibus etiam istis Mosen dicemus divinitus permotum, ut chronologicam veritatem contra scopum suum occultaret, usque dum post multa secula Senes ἑβδομήκοντα eam producerent? חס ושלום. Vide de hac discrepantia Senens. lib. 5. Biblioth. sanctæ annot. 83. (3) Nititur Tornielli opinio incertis conjecturis, imò frivolis. *Potuisse taceri* (ait) *Cainan, vel ob aliquod grande ipsius peccatum, sive mystica de causa nobis ignota.* At si aliorum hominum nefariis & magnis peccatis implicatorum (quales fuêre *Cain* fratricida, *Lamech* polygamiæ auctor, *Nimrod, Onan, Zimri*, Num. 25: 14. &c.) nomina silentio non involvit Spiritus sanctus: quomodo τοῦ *Cainan* silentio præteriri peccatum causa esse potuisset, præsertim cùm nuda ibi tractetur genealogia? Mysteria verò, & nobis quidem incognita, extra Scripturæ ductum quærere & asserere prohibemur: Ait, *generationum ἰσότητα forsan in causa fuisse, ut Cainan taceretur: ut ita decem ab Adam ad Noe* c. 5. *& decem à Sem ad Abraham* c. 10. *constituerentur.* At ob ejusmodi rationem (quam nec ulla necessitas, nec propositi Mosis ratio indicat) Mosen generationem aliquam omittere, ac seriem temporum turbare datâ operâ voluisse, omni verisimilitudine caret.

Quæ cum ita sint, quæritur jam, quomodo Cainan Græcam versionem intraverit? Quidam respondent, per librarios irrepsisse, sicut & Gen. 10: 24. 1. Paral. 1: 18, 24. Id quod probabilius reddunt ex eo, quod Gen. 10: 22. Cainan inter filios etiam Semi ponitur, præter Hebraicam veritatem, qui tamen 1. Paral. 1: 17. rursus expungitur. Potuisse ergò etiam inter filios Arphaxad irrepere. Ego ita sentio, Interpretes istos certum annorum mundi usque ad sua tempora numerum, ex traditione quadam sibi proposuisse, quem cùm textui Hebræo minùs conformem esse viderent, numeros annorum vitæ Patriarcharum Gen. 11. in versione sua variè mutârunt, uti collatio ostendit: atque insuper ad complendum propositum sibi numerum τὸν Cainan cum suis, quos vixit, annis, inseruerunt. Potest etiam dici, non ab auctoribus, sed correctoribus & librariis illa omnia esse profecta. Et quid in his laborare multùm opus est? Sufficiat Hebræam veritatem à corruptione vindicasse, etsi quid de versione Græca factum sit, cognitum habere non possimus.

### *V. Gen.* 18: *v.* 22.

Verba in nostro textu ita habent: *Et Abraham adhuc stabat coram* DEO. Mutatum esse hic textum, imò depravatum à Sopherim sive Scribis, Galatini est assertio. De qua quid sentiendum sit, superiùs suo loco est propositum.

### *VI. Gen.* 49: *v.* 10.

In Prophetia Patriarchæ Jacobi de Christo, ubi vulgata editio habet, *Non auferetur Sceptrum de Juda*, &c. *donec veniat, qui mittendus est:* olim in Hebræo erat שלוח *Schiloah, missus* (h. e. mittendus, præteritum pro futuro, more Prophetarum) sed Judæi illud corruperunt, & mutarunt in שילה &c. Ita Gordon. Huntl. contr. 1. c. 10. Quò referantur verba Flaccii in Clave Script. parte 1. c. 1143. *Ego, si primam non amplecterer* (vocis *Silo* explicationem, quod scilicet idem sit, ac *Salvator, felix, prosper, fortunatus, faustus, augustus, cui prosperè debeant succedere omnia, contra peccatum, mortem, Diabolum, adeoque omnes portas inferorum*, ut in præced. loquitur,) *mallem amplecti Hieronymi expositionem, atque dicere, tempestate ipsius scriptum fuisse* שילוח *Siloah: posteà verò, cum Judæi hac & similibus vocibus à Christianis urgerentur, nec haberent, quod respondere possent, pro malitiâ & pervicaciâ suâ depravâsse, facta literarum mutatione, sicut &* כרו *depravarunt Ps.* 22. *& multas alias.*

Resp. Præterquam, quòd analogia Grammatica huic commento reclamet (cum in præterito passivo non שלח Schiloah diceretur, sed שׁלוּח *missus*) negamus talem à Judæis in hoc vaticinio factam esse depravationem, his inducti rationibus; 1. Quia omnes expositiones Thargumicæ locum hunc de Messia exponunt. Onkelos vertit: *Donec veniat* משיחא Jonath. & Hierosolymitanum: *Donec veniat* מלכא משיחא *Rex Messias.* Quocunque igitur ausi fuissent corrumpere modo, semper sibi reluctari vidissent Thargumim, quæ de Messia locum explicant. 2. Quia fortiùs Judæis χριστομάχοις adversatur nomen שילה quàm שלוח *missus.* Non igitur pro-

babile, corruptelam ejusmodi eos adornâsse, quâ magis retundi ipsimet possunt. Antecedens patet ex nominis שִׁילֹה significatione: *nihil enim prorsus apud Hebæos significare*, Salmeronis in præfat. tom. 1. in N. T. nihili effatum est. Quidam à שִׁיל deductum esse volunt, cum affixo ה pro ו posito, (sicut dicitur eod. cap. versu seq. עִירֹה *pullum suum*, & סוּתֹה *operimentum suum*, pro עִירוֹ, סוּתוֹ. Et alibi אָהֳלֹה *tabernaculum ejus*, Gen. 13: 3. עֶזְרֹה *auxilium ejus*. 12: 14. שִׁירֹה *canticum ejus*, Psal. 42: 9.) & vertunt, *secundina ejus*, h. e. (metonymicè) filius, fœtus ejus, scil. Judæ; quò respexisse videtur Jonathan, qui ita habet: *Donec veniat* מַלְכָּא מְשִׁיחָא זְעֵיר בְּנוֹי *Messias parvulus filiorum ejus*. Quæ expositio, cùm ad primum promissionis in Paradiso factæ fontem Gen. 3: 15. nos reducat, mirificè adblanditur Luthero comm. in Gen. c. 49. Nec displicet quibusdam ex Rabbinis. R. Bechai שִׁילֹה בְּנוֹ שֶׁיֵּלֵד כְּשִׁלְיַת אִשָּׁה כְּדֶרֶךְ כָּל־הַנּוֹלָדִים *Schilo i. e. filius ejus, qui nascetur ex secundis mulieris, juxta viam omnium, qui nascuntur.* R. David Kimchi in lib. Scheraschim (citante Galatino lib. 4. c. 4.) *Est Prophetia de Messia: derivaturque* שִׁילֹה *à vocabulo* שִׁלְיָה *quod est sacculus quidam, in quo manet infans in utero matris, qui aliquando in Scriptura pro embryone in matrice sumitur.* Sunt etiam, qui observant, שִׁילֹה habere literam ultimam ה quâ notari solet affixum Pronomen fœmininum, habere autem simul punctum Hollem, quo significatur Pronomen masculinum. Haberi igitur dicunt respectum & ad Matrem Domini, & simul ad Judam, ex cujus familia Messias promittitur nasciturus. Quantum autem Judæorum perfidiæ hæc expositio officiat, cuivis patet. Alii à שָׁלָה deducunt, quod significat *pacificum, felicem & fortunatum esse*, ut ita שִׁלֹה (formæ קִיטוֹר & קִמּוֹשׂ significet *Salvatorem felicem, prosperum & augustum*, cui prosperè debeant succedere omnia, contra Mundi sapientiam, contra peccatum, mortem, Diabolum, adeoque omnes portas inferorum &c. Sed & hoc significato stante, quantum ponderis & momenti pro asserenda veritate contra Judæos, hæc vox obtineat, nemini obscurum est. Contrà verò alterâ voce שלח magis pro perversa sua sententia potuissent uti, & quò uti possent, pro litera ה quosdam Judæos legisse ח nonnulli annotant. Rectè Galatinus l. 4. cap. 4. *Judæi nostri temporis latam habent viam fugiendi negandique veritatis*, (si scilic. legatur שלח missus vel mittendus:) *Objicere enim facilè possunt, Prophetiam hanc non de Messia, sed de aliquo alio intelligendam esse. Et præsertim de Nabuchodonosor, Babylonis Rege; qui ad innumera eorum, Patrumque peccata puniendа, & ad urbem Jerusalem templumque destruendum, atque ad populum captivandum, mittendus erat &c.* 3. Nullum potest ostendi tempus, quo facta isthæc corruptio fuerit. *Aut* enim facta est ante Christi adventum: *aut* à Christi ascensione usque ad tempora Hieronymi: *aut* à morte ejus usque ad tempus compositi Thalmud: *aut* demùm post conscriptum Thalmud usque ad nostra tempora. Hanc enim temporis distinctionem ipse Gordonus cap. 9. proponit, uti superius de hac re dictum. At nec primo, nec secundo, nec quarto temporis articulo contigit, ex hypothesi Jesuitæ, quæ examinata fuit supra: Nec *tertio* temporis articulo (post Hieronymum usque ad Thalmud) factam hic fuisse depravationem, apparet ex hisce, (1) Ex LXX. Interpretum versione Græca, qui vocem שִׁילֹה vertunt τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ (*donec veniant*) *quæ reposita sunt ei*, quomodo legunt Cyprian. adversus Judæos, August. contr. Faust. vel ut alii ex priscis Græcis legunt, ἕως ἂν ἔλθῃ, ᾧ ἀπόκειται, *donec veniat, cui repositum est*, (scil. regnum: quò respicere Onkelos videtur, ita παραφράζων דְּדִילֵהּ הִיא מַלְכוּתָא *cujus est regnum*: Scalig. Græcum explicat, *in quo res abstrusæ & reconditæ sunt*, animadvers. Chron. Euseb. pag. 50. Hanc autem versionem non ex literis vocis שלח sed שילה deduxerunt, (neque enim ח, quod Hebræis nunquam serviens litera est, pro suffixo Pronomine habere potuerunt.) Pro שִׁילֹה enim mutatis punctis legisse videntur שֶׁלֹּה seu שֶׁלּוֹ *quæ ei sc. reposita sunt*. Ex quo patet; horum Interpretum tempore, longè ante Hieronymum (factam enim esse Græcam versionem multis annis ante Maccabæos. Gordonus ait c. 11. §. 4.) non ח sed ה ultimam in hac voce fuisse literam. Et per consequens tempore Hieronymum sequente illa mutatio nequaquam contigit. (2.) Eodem modo (nempè שֶׁלֹּה sive שֶׁלּוֹ legisse videntur Parapraстæ Chaldæi. Onkelos enim, uti dictum, ita παραφράζει: *Donec veniat Messias, cujus est regnum*: eodem ferè modo Hierosolymitanus. Paraphrastas autem illos Hieronymo esse longè antiquiores apud plerosque in confesso est. (3.) Masora hanc vocem iis adjungit, quæ vel שלה vel שלו alibi scribuntur; de lectione verò שלח nihil novit. Masorethas autem Hieronymo non minùs esse vetustiores longè, suprà demonstratum extat. (4.) In ipso Thalmud nomen שילה Messiæ attribuitur, uti patet ex Codice Sanhedrin cap. 11. fol. 98. *R. Jochanan dixit: Messiæ quod est nomen: Qui de schola R. Schela responderunt,* שִׁילֹה *juxta illud; Donec veniat Schilo.* Quam igitur causam Thalmudistæ habuissent שלח in שלה convertendi, si pro Schilo ipsum Messiam

ſiam intellexerunt? Sed videamus etiam, quid in contrarium Huntlæus afferat.

1. *Vulgatam* profert *verſionem*, *quæ legit*, *Donec veniat*, *qui mittendus eſt*. Reſp. 1. Lacuna cedat fonti, non fons lacunæ. 2. Si vulgatæ verſioni Hebræa veritas ad verbum reſpondere deberet, dicendum foret, אֲשֶׁר יֵשׁ לְהִשָּׁלַח *qui mittendus eſt*, (nam שִׁלֹּהַ apud Hebræos nihil tale ſignificare, ex ſuperioribus conſtat:) An autem voces iſtas in textu olim extitiſſe Gordonus afferet? Non puto.

2. *Nomen Schiloah eſt unum ex propriis nominibus Meſſiæ, quod etiam habetur rectè ſcriptum Eſa. 8: 6. Et Job. 9: 7. Siloe interpretatur Meſſias.* Reſp. 1. Ex loco Eſa. 8. ad Gen. 49. argumentari, & ex illo corruptionis hunc arguere, eſt à baculo ad angulum. 2. Unde verò probatum dare poterit Jeſuita, nomen Schiloah ut proprium Meſſiæ nomen uſurpari? In Eſaia certè & Johanne ſenſu literali de Meſſia nequaquam agitur, etſi ſi quis piè venetur applicationem typicam, (ita ut Siloah, quæ vox à *mittendo* nomen habet, in qua cœcus oculos abluens viſum recepit, ſit typus Chriſti, qui à Patre cœleſti in hunc mundum miſſus eſt, ut à peccati immundicie nos abluat, & oculos cordis noſtri aperiat,) nequaquam reluctemur. 3. *Siloe interpretari* (exponi) *Meſſiam* Joh. 9: 7. falſum. Ita enim habent verba: *Et dixit ei* (Jeſus) *vade*, *lava in piſcina Siloam*, ὁ ἑρμηνεύεται ἀπεσταλμένος, *quod ſi interpreteris*, *ſonat*, *miſſus*. Nequaquam autem hîc de Meſſia ſermo eſt, ſed nuda nominis *Siloam* etymologia, quod *miſſum* ſignificet, traditur.

3. *Chaldæam paraphraſin & Græcam verſionem* adducit. Reſp. Utramque à noſtris ſtare partibus, paulo antè fuit dictum.

4. *Finalem cauſam* addit, cur ita depravare hunc textum Judæi voluerint, *ut nempè ex nomine Meſſiæ faciant nomen civitatis Silò*, *& ita hanc Prophetiam trahere poſſint*, *vel ad Regem David*, *vel Saul*, *vel Jeroboam*, *vel Nebucadnezar*, *&c.* Reſp. Hæc omnia non factam depravationem, ſed malam nominis ad objectum ἑτερογενὲς applicationem arguunt, &c.

## VII. Exod. 2. v. 22.

DEeſſe videntur in Hebræo hæc verba, quæ in verſione Græca & Hieronymiana integra extant: *Alium quoque genuit*, *& vocavit nomen ejus Elieżer*, *dicens*: *DEUS Patris mei auxiliatus eſt mihi*, *& liberavit me è manu Pharaonis.* Bellarminus, lib. 2. de V. D. cap. 2.

Reſp. (1.) Quis nos certos reddet, Hebræo textui hic aliquid eſſe addendum, cum pari, imò majori facilitate ſtatuatur, Græcis & Latinis Codicibus eſſe detrahendum. (2.) Hebræus textus verſiculum illum habet ſuo loco, videl. c. 18: 4. (3.) Ex iſto loco LXX. Interpretes & verſionis Latinæ auctor Capiti 2. Exodi eum inſeruerunt, cùm viderent prioris Moyſis filii, Gerſonis, ibidem inſtitui narrationem, quam mutilam & imperfectam judicarunt eſſe, ſine mentione poſterioris, Eliezeri. (4.) Ineptè autem inſeri iſti loco, patet ex argumento Moſis, & continuatione hiſtoriæ. *Gerſom enim* (verba ſunt Fr. Junii in animad: ad Bellarm.) *prior Moſis filius multis annis præceſſit Eliezerem fratrem*, *quibus annis Iſraelitæ reſpexerunt ad DEUM*, *& ad illos viciſſim DEUS*: *Eliezer verò ſub finem annorum illorum natus eſt*, *& adhuc fuit ἀπερίτμητος incircumciſus*, *cum ſeſe Moſes ad reverſionem in Ægyptum accingeret.* (5.) Cajetanus fatetur, verſiculum illum eſſe ſupervacaneum: Lovanienſes obelo ſive veru ipſum notant: unde & B. Lutherus per parentheſin tantùm inſeruit.

## VIII. Num. 3. v. 39.

INſtituitur hoc capite recenſio Levitarum, quæ per tres filiorum Levi familias deducitur. *Gerſonitarum* ſeorſim recenſentur 7500. v. 22. *Cahathitarum* 8600. v. 28. *Meraritarum* 6200. v. 34. Qui computati & collectim ſumti producunt 22300. In verſu autem 39. ubi Moſes ſummam infert, emergunt duntaxat 22000. ita ut 300. deficiant. In hoc igitur, vel in præcedentium potiùs numerorum aliquo, error & mendum inerit.

Reſp. Tres diſcrepantiam hanc conciliandi à diverſis dantur modi. (1.) Quidam in v. 39. numerum poni dicunt, בְּדֶרֶךְ קְצָרָה ut Hebræi loquuntur, ſeu per *rotundationem* & abbreviationem, aliàs non infrequentem, quâ omiſſo numero minori ponatur ſaltem major: ita ut millenarii h. l. exprimantur, ſilentio involutis centenariis. Sed infirmam eſſe hanc reſponſionem, ex v. 46. conſtat. Ibi enim numerus primogenitorum Iſrael (qui 22273. v. 43.) cum numero Levitarum antea recenſitorum ita confertur, ut ducentis ſeptuaginta tribus hunc ille ſuperet. Ex quo patet, Levitarum præcisè & accuratè computando fuiſſe 22000. Si enim 300. plus extitiſſent, quomodo à primogenitis 273. ſuperari potuiſſent? (2.) Alii igitur ad verſ. 28. confugiunt, ubi Cahathitæ numerantur 8600. Pro hoc

hoc numero si 8300. legantur, detractis 300. calculus omnis erit expeditus. Ajunt igitur in Hebræa voce שש quæ *sex* notat, sphalma sive mendum esse: scriptum enim fuisse שלש quod *tria* significat, sed incuriâ librariorum, quandocunque etiam & quomodocunque id factum fuerit, literam ל ex textu excidisse. Et sanè si responsio isthæc recipiatur, nihil *vel* Pontificiorum sententiæ accedere, *vel* Scripturæ integritati decedere videtur. *Non illud:* quia vulgata versio perinde legit, ut Hebræus textus: quod si hoc argumento fontem Hebræum accusare velint, eandem dicam versioni Latinæ scribi debere & posse, fateantur. *Neque hoc:* Esset enim mutatio isthæc 1. in historia, non dogmate: 2. & quidem in numerali saltem voce: 3. quâ ipsi historiæ veritati nihil, vel parum decederet: 4. non igitur tanti momenti, ut puritati vel integritati fontis quicquam officiat. Quemadmodum enim in vivam aquarum scaturiginem incidens lapillus, ipsam propterea coinquinatam non reddit: ita multò minus literæ unius in textu Hebraico defectus fontem divinum coinquinatum & impurum constituet. Interim tamen, cùm 1. omnia omninò, quotquot produci possunt, Hebræa exemplaria constanter שש in v. 28. legant: 2. omnes versiones, Chaldæa, Græca, Latina, in dicto numero consentiant. 3. Masorethæ (qui exactissimi & verè θαυμασοὶ Scripturæ sacræ fuerunt numeratores, inde סופרים dicti) nihil quicquam de hac voce annotârint: & ut tandem 4. à minima etiam unius literæ corruptela Hebræum fontem vindicemus, igitur ad tertiam respondendi rationem accedemus, & quid ponderis habeat, perpendemus. (3.) Ostendit hanc ex difficultate proposita elabendi januam R. Aben-Ezra in comment. Num. 3. (quam tamen ipse non approbat, meliorem interim non commonstrat) & Lyranus in commentario: *Illi trecenti* (inquit hic) *qui hic tacentur* (v. 39.) *fuerunt primogeniti, & ideò non debebant hoc numero includi, quia ista numeratio ultima* (v. 39.) *erat illorum, qui poterant accipi pro primogenitis aliarum tribuum, quod non poterat fieri de primogenitis Levitarum, quod ex se ipsis erant obligati Domino, ratione primogenituræ &c.* In v. 39. igitur talis constituenda erit ellipsis: *Omnes visitati Levitarum* (חוץ מהבכורים *præter primogenitos*, seu exclusis & non simul computatis primogenitis, quorum trecenti) *quos visitavit Mose & Aaron super os Domini ad familias eorum, omnis masculus à filio mensis & supra, duo & viginti millia.* Probabilior hæc sententia redditur ex vers. 13. ubi permutationis istius (quâ pro primogenitis Israelitarum Deus Levitas sibi vindicat) hæc redditur ratio: *Quia meum est omne primogenitum: in die quâ percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificavi mihi omne primogenitum in Israel: ab homine usque ad animal, mea erunt, ego DOMINUS.* Ex quo patet, *OMNEM* omninò masculum primogenitum (de masculo enim sexu intelligendum hoc esse, evincit textus Exod. 13. vers. 15.) non ex reliquis solùm tribubus, sed ex tribu etiam *Levi*, Dominum sibi consecrâsse, & ad cultus sacri exercitium vindicâsse. Id enim universalis particula, tùm hic, tum in propria sede Exod. 13. vers. 2. ostendit. Jam permutatio instituitur talis, ut pro primogenitis in reliquis tribubus, DEUS Levitas accipiat. Ex quo constat, primogenitos Levitarum excipi, nec potuisse pro primogenitis in reliquis tribubus sumi, ut qui jam antè vi primogenituræ obligati & consecrati erant Domino. Si quis obvertat, 1. ἄτερ γραφῆς, *hæc dici, & nuspiam discrimen inter primogenitos Levitarum & alias Levitas insinuari.* Resp. In historicis & numericis ejusmodi qualescunque ex Scripturis desumtæ conjecturæ sufficere possunt. 2. *Non esse verisimile, inter 22300 homines, trecentos tantùm fuisse primogenitos.* Resp. Imò computatio analogica ostendit, ad hunc numerum, præter propter, Levitarum primogenitos reducendos esse. Si enim 603550. Israelitæ, jam ad maturam ætatem provecti, Num. 1. vers. 46. primogenitos inter se continent 22273. Num. 3:43. Certè 8580. Levitæ in matura ætate constitui, Num. 4: 47. primogenitos ferè 300. continent. Sed nolumus hæc minutiùs persequi. Tantum etiam de hoc loco.

## IX. Num. 11. v. 15.

PRo ברעתי *in malo meo*, scriptum olim fuisse ברעתך *in malo tuo*, & à Scribis factam esse depravationem istam, Galatinus asserit. Ut &

## X. Num. 12. v. 12.

PRo אמו *matris suæ* & בשרו *carnis ejus* olim scriptum, & nunc legendum esse אמנו *matris nostræ*, & בשרנו *carnis nostræ*, idem contendit. Quid verò de his Tikkun Sopherim seu Scribarum correctionibus statuendum sit, superiùs fuit dictum.

### *XI. Deut. 23.*

INter v. 17. & 18. apud Græcos interpretes interseritur hic versus: Οὐκ ἔςαι τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ισραὴλ, καὶ ἐκ ἔςαι τελεσκόμενος πρὸς πᾶσαν εὐχὴν ἀπὸ ὑιῶν Ισραήλ. Quem versum *ex Hebræo textu à Rabbinis, ut adularentur Cesari, fortassis fuisse expunctum; tempore Christi autem in Hebræo textu fuisse: & ad eum à Pharisæis respectum haberi, quando à Christo quærunt,* ἔξεςιν, *licetne censum dare Cæsari, an non?* putat Salmeron. tom. 8. tract. 59. p. 463.

Resp. 1. Salmeronis *fortassis* solvitur per *non fortassis*. 2. Imò planè non fuisse quid expunctum hoc loco à Rabbinis, persuadet *tùm* diligens & scrupulosa illa Codicis divini observatio, cujus mentionem supra fecimus; *tùm* tributorum Cæsari Romano dependendorum aversatio: Cùm enim inviti planè & coacti jugo Romanorum se subjici passi fuerint, & tributa eis dependerint, quis credat, eos in gratiam Romanorum voluisse illa verba Legis expungere, quibus ab illo jugo manifeste fuissent exemti? quidni summo studio ea custodivissent & observassent? 3. An vulgatam etiam Latinam versionem (quæ versu isto caret) corruptionis hîc arguet Salmeron, quam tamen ipse cum Concilii Tridentini Patribus anathematis sub fulmine cononizavit? 4. Nihil ille versiculus Græcus habet, quod non vel v. 17. vel 18. apud Hebræos (quibus versibus spurius iste interseritur) contineatur. Τελεσφόρος Salmeron vertit, *tributum pendens*: qua significatione posita (apud probatos auctores autem nuspiam ea occurrit) non intelligeretur tributum simpliciter & absolutè acceptum, sed *meretricium*, seu oblatio meretricia, (quæ vers. 18. אֶתְנַן זוֹנָה *donum meretricis*, itemque מְחִיר כֶּלֶב *precium canis* vocitatur.) ut Barradius tom. 3. Concord. Euangel. l. 8. cap. 12. observat. Τελεσκόμενος quid sit, Casaubonus, Vir doctissimus, exercitat. 23. ad annal. Baron. §. 36. fatetur sibi non constare. Hesychius explicat πληρέμενος, τελειέμενος, *completus, absolutus*, quæ significatio totum locum obscurum reddit. Theodor. quæst. 28. in Deut. Τελεσφόρον dicit *eum esse, qui sacris imbuit;* τελεσκόμενον verò, *qui sacris imbuitur*. Neutrum huic scopo, quem venatur Salmeron, congruum. 5. Recte igitur Casaubonus monet, quòd totus iste versus, τῦ πονηρῦ κόμματος ὢν, de sacro Codice delendus sit, præsertim cum nec veritas Hebraica eum agnoscat, neque paraphrasεων Chaldaidaicæ, Syriacæ, Hierosolymitanæ Auctores, neque Latina vetus versio: quodque pro Intrepretis imperiti hallucinatione potiùs, quàm pro pericope Scripturæ sit habendus: unde rectè etiam in Codicibus Regiis omissus est.

### *XII. Deut. 27. v. 26.*

VErba Hebræa ita sonant: *Maledictus, qui statuerit verba Legis istius ad faciendum ea.* LXX. Interpretes vertunt: ἐπικατάρατος πᾶς ὁ ἄνθρωπος, ὅςις οὐκ ἐμμενεῖ ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις τῦ νόμυ τύτυ &c. *Maledictus* OMNIS HOMO, *qui non permanserit* IN OMNIBUS *sermonibus Legis hujus &c.* Quos ferè sequitur Apostolus Gal. 3. v. 10. De particulis autem istis universalibus ita Hieron. comment. in Epist. ad Galat. loquitur: *Incertum habemus, utrum LXX. Interpretes addiderint; OMNIS HOMO; & IN OMNIBUS, an in veteri Hebraico ita fuerit, & posteà à Judæis deletum sit. In hanc me autem suspicionem illa res stimulat, quòd verbum OMNIS, & IN OMNIBUS, quasi sensui suo necessarium ad probandum illud, quòd quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sint, Apostolus Vir Hebrææ peritiæ, & in Lege doctissimus, nunquam protulisset, nisi in Hebræis voluminibus haberetur: quam ob causam Samaritanorum Hebræa volumina relegens, inveni* כל *quod interpretatur OMNIS sive OMNIBUS, scriptum esse, & cum LXX. Interpretibus concordare. Frustra igitur illud tulerunt Judæi, ne viderentur esse sub maledicto, si non possent omnia complere, quæ scripta sunt: Cùm antiquiores alterius quoque gentis literæ id positum fuisse testentur,* Hæc ille.

Resp. Tempore Chaldæi Paraphrastæ Onkelos, universales istas particulas à textu Hebræo abfuisse, ex paraphrasi certum est: nec illas habent Aquilæ, Symmachi, Theodotionis versiones, quas Hieron. ibidem adducit. Quæritur ergò de Tempore LXX. Interpretum, an tunc in textu Hebræo extiterint? Hieronymus primùm dubitat, postmodùm verò conjecturis quibusdam nixus affirmat. Id verò ut amplectamur, induci nondum possumus, suffulti argumentis, quæ in genere superiùs producta. Conjecturæ certè Hieronymianæ leviores sunt, quàm ut certitudinem conceptæ suspicioni conciliare ullam possint. I. *Apostolus* (inquit) *nunquam ita protulisset, nisi in Hebræis voluminibus haberetur*. At (1). quàm multa ex LXX. Interpretum versione, quæ Hebræo nec tunc undiquaque conformis erat, Apostoli in N. T. allegent, notum est. (2) Ipse Hieronymus sibi respondet, quando paulò ante verba allegata inquit, *Apostolum, ut in cæteris, sensum magis testimonii posuisse, quàm*

*verba*. Infinita certè propositio in materia necessaria, universali æquipollet, uti Logici docent. Talis igitur cùm sit propositio Mosaica, eam explicitò universalem, additione notarum universalitatis, Apostolus ἐμφάσεως ergo reddidit. II. *In Samaritanorum Hebræis voluminibus*, inquit, *se* כל *invenisse scriptum*. At pari facilitate illi Codices rejici possunt, quâ ab Hieronymo proferuntur: cùm in illis ex interpretatione Græca potuerit esse insertum. Et ipse Hieron. Samaritanorum Codicibus non ita multum tribuit. Vide suprâ ad Gen. 4. Resp. 2. III. *Causam* affert, *cur Judæi voluerint* כל *istud tollere*. At conjectura hæc est, uti constat, non ratio. Certè plura omninò à Judæis removenda ex Scripturis fuissent, si suspicioni illi indulgere velimus: Et curiosa apud Judæos observantia Codicis Biblici longè aliud persuadet. IV. *Antiquiores alterius gentis* (ait) *literæ, id positum fuisse testantur*. Samaritanorum Codices intelligit, uti arbitror: qui quàm non possint hanc rem firmiter probare, jam ante fuit dictum. Hæc igitur cùm ita sint, cumque sensus dicti versiculi sibi pulchré constet, & cum Apostoli allegatione conveniat, incorruptum illum & integrum esse, salva tanti viri auctoritate, meritò statuimus.

### *XIII. Deut*. 32. *v*. 42.

VIdetur hic deesse integer versiculus, qui extat in versione Græca, nempè: Ἐυφράνθητε ὐρανοὶ ἅμα ἀυτῷ, καὶ προσκυνησάτωσαν ἀυτῷ παντες ἄγγελοι θεȣ̃. Et videtur is versus in Hebræo omissus allegari Hebr. 1. v. 6. Justinus contra Tryph. Aug. lib. locut. Deut. n. 16. tom. 3. Theodor. libr. quæst. in Deut. q. 4. idem agnoscunt.

Resp. (1.) Non ex Deuteronomio, sed ex Psal. 97: 7. fit allegatio Apostolica, Hebr. 1. 6. Ibi n. extat הִשְׁתַּחֲווּ לוֹ כָּל־אֱלֹהִים *Adorate eum omnes Dii*. LXX. reddunt: προσκυνήσατε ἀυτῷ πάντες ἄγγελοι ἀυτȣ̃. Pro אלהים igitur Angelos versio Græca reponit, uti etiam fit Heb. 2: 9. Confer Ps. 8: 6. (2.) Et Mosis argumentum, quod tractatur d. l. istiusmodi non est, ut conveniat allegationi & scopo Apostolico, contra verò argumentum Psal. 97. eidem est convenientissimum. (3.) Non ergò in Hebræo textu detractionem, sed in Græca versione superfluam additionem agnoscimus, perinde ut Deut. 23: 18. de quo loco paulo antè dictum. (4.) Tales additiones Græcæ occurrunt etiam tùm alibi: Gen. 11: 12. (ubi integra periodus de generatione Cainan inseritur; vide supra suo loco:) Gen. 46: 20. (ubi integer versus de nepotibus & pronepotibus Josephi Patriarchæ, præter Hebraicam veritatem additur. Vide infrà in vindicatione locor. Nov. T. Act. 7: 14.) Proverb. 18. (ubi post versum 22. sequitur hæc sententia: ὃς ἐκβάλλει γυναῖκα ἀγαθὴν, ἐκβάλλει τὰ ἀγαθά. Ὁ δὲ κατέχων μοιχαλίδα, ἄφρων καὶ ἀσεβὴς: quæ in vulgata quoque extat versione, sed in fonte non habetur) Psal. 14: 3. Psal. 37: 28. Psal. 149: 13. (vide suis locis infra) Prov. 12: 11. (ubi etiam latinam vulgatam versionem vide) *Tum* hoc ipso capite, versu sequenti 43. Quando enim Hebræus textus habet: *Personate gentes populum ejus*; Græca versio addit καὶ ἐνισχυσάτωσαν ἀυτῷ πάντες ὑιοὶ θεȣ̃, *& roborentur in eo omnes filii DEI*. Quando Hebræus habet: *Et vindictam reddet angustiatoribus suis*; Græca addit: καὶ τοῖς μισȣ̃σιν ἀυτὸν ἀνταποδώσει. Et demum Colophonem versui adnectit talem καὶ ἔγραψε Μωυσὴς τὴν ᾠδὴν τάυτην, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, καὶ ἐδίδαξεν ἀυτὴν τȣ̀ς ὑιȣ̀ς Ισραὴλ: quæ verba in Hebræo hic non extant, sed Deut. 31. v. 22. ex quo loco in illum transcripta repetuntur. (5) Verum igitur Pagnini est judicium, quod de LXX. versione cap. 9. Isagog. profert: *Nos summo studio* (inquit) *curâ & diligentiâ LXX. Interpretationem cum Hebræa contulimus, & tot invenimus addita, demta, depravata, immutata, & ab Hebraico prorsus aliena, ut mihi persuadere nequeam, illam esse LXX. Interpretum*. (6.) Patres allegatos quod spectat, id, quod asserunt, ex nimia versionis istius Græcæ admiratione fit, quâ auctores illorum in Canonicæ & Propheticæ auctoritatis fastigium tantùm non planè collocare non verentur, cum Hebraicam veritatem non callerent.

### *XIV. Jos*. 9. *v*. 4.

DE Gibeonitis dicitur: *Et fecerunt etiam ipsi callidè & abierunt* ויצטירו *& legatos se finxerunt &c*. Pro qua voce Schindlerus legendum esse dicit ויצטידו *& viatico se instruxerunt* (quod verbum extat v. 12.) ut sit locus depravatus ex literrarum דר similitudine. Quod confirmat cùm Targum, tùm tota narratio. Et v. 11. & 12. Masius: *Per anagrammatismum, errore librariorum, sic scriptum est*. LXX. καὶ ἡτοιμάσαντο *& paraverunt*. Hieron. *Et tulerunt sibi cibaria*. Hæc ille in Lexico pentaglotto rad. ציר col. 1528.

Resp. (1). Negamus, tale ἀντίςοιχον σφαλματῶδες hîc esse: quin Targum potius & cæteros translatores, literarum similitudine, ut & v. 12. præposterâ collatione deceptos, ita vertisse dicimus, ut & aliàs sæpè factum. (2) Ita igitur progredimur. Lectio verbi in nostris

ſtris Bibliis d. l. extantis convenit, *tum* grammaticæ lexicæque analogiæ; *tum* veritati ipſius hiſtoriæ: fruſtra igitur mendoſum id eſſe exiſtimatur. Antecedentis membrum *primum* patet, ציר enim *legatum* notare, ſuper quo ceu *cardine* (quod alias etiam ציר notat,) negotium volvitur, ex Prov. 13: 17. c. 25: 13. Eſa. 18: 2. Jerem. 49: 13. Obad. v. 1. &c. patet, à qua voce ἀναλόγως verbum in Hithpael (licèt ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων illud ſit, perinde ut & alterum. v. 12. הצטיר) formatur, cujus ſignificatio eſt, *legatum ſe fecit*, *vel finxit ac ſimulavit*; confer Grammat. ſacr. tract. 3. de verbo can. 29. *Poſterius* etiam patet, quia legationis inſtitutæ ſimulationem tota præ ſe fert hiſtoria, quod luce meridiana clarius: & ipſa calliditatis civium iſtorum, v. 4. memoratæ, formalis ratio in hac fictione conſiſtit, cujus modus poſt exprimitur, quod legati ſaccis veteribus ſuper aſinis ſuis, & utribus vini veteribus ſciſſis ac colligatis, & calceaminibus veteribus ac maculoſis in pedibus ſuis, & veſtibus veteribus ſuper ſe, & pane viatici ſui ſicco mucidoque inſtructi, in caſtris Joſuæ comparuerint, v. 4: 5: 6. (3) Maſora aliter legendum eſſe, quam ſcriptum extat, non annotat; ſed tantum hoc, *vocem illam non extare amplius*: quod & alteri voci v. 12. huic (excepta una literâ) ſimili, adponitur: quæ nota Maſorethica falſa eſſet, ſi utrobique eadem vox eſſet. (4.) Rabbini eadem ratione, ut ſuperiùs dictum, explicant, ut ex R. Salomonis, Kimchi & Ralbag Peruſchim patet.

Videamus autem, num Schindleri conjecturæ quicquam valeant. 1. De tranſlationibus quid habendum ſit, antè dictum: ex iis textus originalis non corrigendus, ſed contra ex hoc illæ. 2. Eadem auctoritatis Andr. Maſii conditio, qua, cùm ratione firmâ deſtituatur, haudquaquam tenemur. 3. Unicum ſupereſt, conſideratione dignum, quòd *tum totâ narratione*, *tum* verſ. 11. & 12. confirmari conjecturam ſuam, Schindlerus dicit. At *prius* non eſſe, quin contrarium potiùs ex narratione hiſtorica patere, antè dicta oſtendunt. *Poſterius* ejuſdem omninò ponderis. Contrarium, inquam, ex pericope verſ. 11: 12. patet, quæ ita incipit: *Dixerunt ad nos ſeniores noſtri, & omnes habitatores terræ, dicendo &c.* En manifeſtam legationis inſtitutæ notionem: cui de ipſis legatis narratio reſpondet, verſ. 4. *quod* ויצטירו *legationem in ſe ſuſceperunt, ſeu legatos ſe ſimularunt &c.* Sequitur verſ. 11. *Dixerunt dicendo* (ſeniores noſtri &c.) קחו *Sumite in manu veſtra viaticum ad viam, & ite in occurſum eorum &c.* Cui mandato reſpondet, quod in recenſione hiſtorica dicitur verſ. 4. ויקחו *& ſumſerunt ſaccos veteres aſinis ſuis, & utres vini veteres &c.* Quod autem verſ. 12. dicitur: *Hic panis noſter, quem calidum* הצטידנו *in viaticum ſumſimus de domibus noſtris in die, qua egreſſi ſumus, ut veniremus ad vos, & nunc ecce ſiccus eſt & mucidus &c.* illi inquam, non reſpondet verbum, quod verſ. 4. ſignificati ejus eſſe dicitur: Sed id quod verſ. 5. ſubjungitur: *Et omnis panis* צידם *viatici eorum ſiccus erat, & mucidus.* Primitiva hic ponitur vox, quæ v. 12. derivativi cujuſdam verbi additione circumſcribitur. Omnia igitur cùm tàm benè cohæreant, & in Hebræis Codicibus vulgò receptam lectionem comprobent, alteram illam Scindleri, verſiones quaſdam ſequentis, conjecturam, & de corruptela ſuſpicionem, meritò deſerimus.

## XV. *Joſ.* 21. *v.* 36, 37.

NUmerantur quatuor civitates refugii, Levitis datæ, quæ erant in tribu Ruben. Qui duo verſus in *antiquis* Bibliorum exemplaribus deſunt. In *noſtris* autem ex 1 Paral. 6: 78, 79. (al. v. 63, 64.) additi extant.

Reſp. I. Certum eſt, aliquando in textu h. l. hos verſus defuiſſe. Nec enim adfuerunt 1. tempore *R. Kimchi*, (qui circa annum Chriſti 1190. floruit) uti patet ex ejus comment. ad v. 7. Nec 2. tempore *Thalmud* conſcripti, uti ex eodem Kimchi patet d. l. Nec 3. tempore *Jonathanis* Paraphraſtæ Chaldæi, qui ante Chriſtum ſcripſit, & iſtos verſus non habet. Nec 4. tempore *Maſorethârum*, uti ex Maſora magna textuali, ut & finali ad vocem ארח conſpicitur. Nec 5. in ullo *exemplari vetuſto* & correcto extitiſſe teſtatur Kimchi his verbis: ולא ראיתי שני פסוקים אלו בשום ספר ישן מדויק אלא מוגה במקצתם: hoc eſt, *Et non vidi duos iſtos verſus in aliquo libro vetuſto & correcto, ſed in quibuſdam correcti* (additi) *fuerunt.* Et teſtatur Maſius, *quòd in Maſora affirmatè ſcriptum ſit, in antiquiſſimis ſacrorum Bibliorum Hebraicorum exemplaribus non extare.* Nec demum in exemplari *manuſcripto*, ſanè vetuſto, in Bibliotheca Academiæ hujus leguntur.

II. E contra verò leguntur iſti verſus, 1. in Codice *Chaldæo* manuſcripto Complutenſi, quem in ſua Bibliotheca fuiſſe Andr. Maſius teſtatur: Uti & in Chaldæo operis Regii, quod Plantinus dedit, extant. 2. In verſione *Græca*, quæ tamen ex 1. Par. 6. potius facta videtur eſſe. 3. In verſione vulgata *Latina*, de qua tamen notandum, (α) ex Græca fuiſſe expreſſam, & ita propius accedere ad 1. Paral. 6. (β) Hos duos verſus civitatibus tribus Gad poſtponi, cùm in Hebræis noſtris præponantur. (γ) In decem

manuſcriptis, ex obſervatione Lovanienſium, non extitiſſe. 4. In quibuſdam *exemplaribus vetuſtis*, de quibus R. Kimchi, vide paulò antè. 5. In pleriſque codicibus, noſtris temporibus excuſis. In Bibliis autem Venetæ & Baſileenſis editionis, quæ Maſoræ reſpondent, exſcripti verſus non ſunt.

III. Ad materiæ neceſſitatem hos verſus requiri patere videtur *Tùm* ex v. 7. ubi Meraritis datæ dicuntur urbes ex tribu Ruben, Gad, Zabulon (quæ ſpeciatim verſ. 34. & ſeqq. enumerantur.) *Tùm* ex verſ. 39. ubi ſumma urbium Meraritis datarum, (quod fuerint duodecim) redditur, quæ ſumma confici non poteſt, ſi quatuor illæ civitates Rubeniticæ abſint. Confer etiam v. 40. *Tùm* denique ex 1 Paral. 6: 36, 37. ubi eædem urbes commemorantur.

IV. Etſi igitur difficultas hìc deprehenditur non vulgaris, (quam enucleandem eruditioribus relinquo,) pro Gordono tamen Huntlæo Jeſuita, qui hoc exemplo integritatem textus Hebraici infringere ſatagit, nihil quicquam facit. *Aut* enim Codices veteres defectus; *aut* recentiores redundantiæ inſimulat. Si *prius* (quod intendit) fateatur recentiores correctos extare, & corruptelam iis ineſſe nullam, cùm in iis (teſtante ipſo Jeſuita) verſus iſti extent. *Sin poſterius*, tranſigat cum verſione Latina, quæ verſus iſtos itidem legit. Coronidis loco notandum, malè Jeſuitam aſſerere, *quod Chriſtiani animadvertentes manifeſtum hunc defectum, propriâ auctoritate verſus iſtos duos addiderint ex LXX. Interpretibus, & vulgata editione.* Reſp. 1. At in vetuſtioribus etiam quibuſdam Hebræis Codicibus, iiſque Judaicis extitiſſe, manifeſtè ex R. Kimchi verbis, ſuprà adductis, patet. 2. Ex LXX. Græcâ verſione, uti & Latinâ vulgatâ, reſtitutos eos textui fuiſſe, dici non poteſt, uti collatio cum Hebræo oſtendit. 3. Ex 1 Par. 6: 78, 79. autem reſtitutionem fuiſſe factam, concedere quimus; at cum & is liber fontis Hebræi pars ſit, pro pericope aliena in libro Joſuæ verſus iſti haberi non poſſunt.

## *XVI. Jud.* 16. *v.* 31.

DE Simſone legitur, quod *viginti annis Iſraelitas judicaverit.* Teſtatur autem M. Marinus Brixianus, in præfat. Arcæ Noæ, quòd in Codicibus Biblicis, quæ tempore Thalmud Hieroſolymitani extitêre, *quadraginta anni* ſcripti fuerint. *Ajunt ſiquidem* (in Thalmude) *Samſon viginti annis tantum judicavit. Quare igitur quadraginta annis judicaſſe Scriptura ſacra aſſerit? Ut hinc ſcil. apertè ſcias, timorem ejus per viginti annos continuos poſt mortem in Philiſtaos perſeverâſſe.*

Reſp. 1. Omnia omninò exemplaria conſtanter legunt viginti, 2. Nec Maſora diverſi quid annotat. 3. Chaldæus Interpres (qui Thalmud antiquitate longè præit) legit עסרין שנין *viginti annos:* totidem etiam LXX. Interpretes habent. 4. Ipſi Thalmudiſtæ ajunt d. l. Samſonem *viginti annis* judicâſſe. Unde hoc ſcivêre? an ex Scriptura? utique igitur in Scriptura extitit. An ex traditione? cur igitur Scripturam traditioni non prætulêre? 5. Pro commento igitur Judaico viginti illi anni ſuperflui meritò habentur. Cujus futilitatem ratio addita prodit: *Demortuum Simſonem viginti annis Philiſtaos terruiſſe.* Scilicet juxta illud: *Mortui non mordent.* Plura non addo.

## *XVII. Jud.* 18. *v.* 30.

IN vulgata editione dicitur, quod *Gerſom fuit filius Moyſi.* Idem habent Septuaginta in libris correctioribus, teſte Theodoreto. Et tamen in Hebræo textu, qui jam circumfertur, dicitur, quòd *Gerſom fuit filius Manaſſis.* Nam Judæi interpoſitâ unâ literâ Nun, mutarunt nomen *Moſis* in nomen *Manaſſis*, ne ſcil. videretur Moſes habuiſſe impium nepotem, Jonathan filium Gerſomis, Huntlæus contr. 1. cap. 10. §. 5.

Reſp. 1. D. Lucas Oſiander in annot. Bibl. ait, *hunc Jonathanem non fuiſſe ex tribu Levi, ſed Manaſſe: neque enim Danitas magnopere curaſſe Legem DEI, quæ expreſsè ſolos Levitas Sacerdotio deputabat.* Sed hic Jonathan idem fuit adoleſcens, quem in Sacerdotem ſibi adſcivit Micha c. 17: 7, 10. uti connexio & ſeries textus in cap. 17. & 18. oſtendit: Atqui is adoleſcens לוי *Levita* fuit, uti c. 17: 7, 9. cap. 18: 3. expreſſè dicitur, (additur quidem c. 17: 7. quod fuerit ממשפחת יהודה *de cognatione Juda*, Tharg. מזרעית יהודה *ex poſteritate* (ſemine) *Juda*. Græc. *ἐκ τῆς συγγενείας* Ἰȣδὰ (Jun. & Trem. planè omisêre) ſed id non reſpectu *patris*, ſed *matris*, ipſi competere planum eſt;) quare ex tribu *Manaſſe* ortus fuiſſe dici nequit. 2. Jun. & Trem. Jehonathanem hunc *pronepotem Moſis ex Manaſſe* conſtituunt, ita ut Manaſſes iſte (cap. 18: 30.) nepos ſit Moſis ex Gerſom. Sed in textu *Gerſom filius Manaſſe*, non verò Manaſſes filius Gerſomis dicitur. Igitur iſta quoque ſententia conſiſtere nequit, 3. Rabbini per Manaſſen iſtum *Moſen* intelligunt, cujus nepos *Jehonathan* ille fuerit. Quod ſi de נ interpoſito quæratur? Quidam cum Gordono à poſterioribus Judæis textui additum fuiſſe reſpondent.

dent. R. Schelomo Jarchi in comment. מִפְּנֵי כְבוֹדוֹ שֶׁל מֹשֶׁה כָּתַב נוּ״ן לְשַׁנּוֹת אֶת הַשֵּׁם וּנְכתְּבָה תְּלוּיָה לוֹמַר שֶׁלֹּא הָיָה מְנַשֶּׁה אֶלָּא מֹשֶׁה: *Propter excellentiam Mosis scriptum fuit Nun, variato nomine: Et scripta est* (illa litera) *suspensa, ad innuendam, quod* (is) *non sit Manasses, sed Moses.* Quidam verò ad ipsum Prophetam seu Scriptorem libri Judicum Nun istius originem referunt. In lib. Thalm. Bava Bathra fol. 109. 2. *Volunt, Prophetam studio noluisse Gersomum appellare filium Mosis, quia ignominiosum fuisset id Mosi, habuisse filium impium, sed vocat eum filium Manassis, litera tamen נ sursum elevatâ, in signum, eam adesse vel abesse posse, ut sit vel filius* מְנַשֶּׁה *Manassis*, vel משה *Mosis*; *Manassis, studio & imitatione impietatis; Mosis prosapiâ.* Hæc *posterior* sententia, præter alia, hoc incommodo laborat, quòd à Spiritus sancti consuetudine alienum est, ob alicujus è posteris impietatem, ipsius Principis familiæ nomen immutare. Cumque Jehonathan iste multis seculis præcesserit Manassen Regem Judæorum, insignem illum idololatram, quomodo propter imitationem Filius ejus esse dici posset, cùm posterior priorem tempore imitetur, non prior posteriorem, quem nunquam agnovit? Nec *prius* Rabbinorum assertum curiosa textus Biblici in veteribus Judæis observantia facile admittit. 4. Masorethæ in Masora parva unam esse hanc literam נ notant, ex ד׳ אתיו תלוין *quatuor literis suspensis* (scribitur enim in textu hoc modo מְנַשֶּׁה) & reliqua tria loca in Masorâ Magnâ textuali, addunt, nempè מִיַּעַר *de sylva*, Psalm 80: 14. רְשָׁעִים *impii*, Job 38: 13. & 15. rationem autem ejus literarum suspensionis tradunt nullam; (curiosas verò, superstitiosas, & ex parte blasphemas Judæorum rationes parum nos curamus.) Malè igitur Gordonus ex elevata seu suspensa illius literæ scriptione, & ex circello addito (qui notam designat Masorethicam) probare conatur, *Judæos deditâ operâ τὸ* נ *interposuisse.* Hæc enim ratio si probat, asserendum Jesuitæ simul erit, in Psalm. 80: 14. voce מִיַּעַר & voce רְשָׁעִים Job 38: 13, 15. τὸ ע paulò altiùs scriptum, esse superfluum, & à Judæis posterioribus temporibus fuisse additum: cujus falsitatem res ipsa Sole meridiano clarius ostendit. 5. Sepositis igitur, quæ allatæ sunt, opinionibus, simpliciter nos cum Marco Marino asserimus, *Gersomum*, cujus filius; & *Manassen* cujus nepos Jehonathan iste dicitur, fuisse *Levitas*, atque ita Gersomum istum fuisse alium à filio Mosis; Manassen alium à *Manasse* tribus suæ Principe, etiamsi idem utrobique nomen sit: id quod alias etiam & crebrò fieri, negari non potest. Atque hoc stante, corruptionis suspicio facile evanescit. Suspensionem autem literæ נ quod spectat, sicuti montium excelsitas ipsius terræ rotunditati: ita literæ hujus elevatio Scripturæ sanctæ puritati nihil quicquam detrahit.

## *XVIII. Jud. 19: v. 2.*

Hebraicè jam habetur in omnibus Codicibus, quòd *uxor illius Levitæ fornicata fuerit contra illum vel apud illum.* LXX. verterunt καὶ ἐπορεύθη ἀπ' αὐτοῦ, juxta Roman. edit. Juxta Antverp. verò καὶ ὠργίσθη αὐτῷ. Vulg. *Et reliquit eum.* Chald. *Sprevit aut contempsit maritum.* Error iste in Hebraico textu originem habuit ex mutatione unius literæ in aliam simillimam, ח in ה; זנה *fornicari*, זנח *relinquere* significat, Huntlæus cap. 9. §. 10.

Resp. 1. Detur, interpretes Græcos (quos secutus est Latinus) pro זנה legisse זנח, (qualis lectionis diversitas in versione ista crebrò animadvertitur) tamen authentico textui, & probatissimorum plurimorumque Codicum fidei, eo ipso nihil detrahitur. Namque 2. זנה habent omnia omninò, quæ produci queunt, exemplaria Biblica. Masora etiam, pervetusta sanè, verbum istud additâ nota ita munivit, ut in זנח זנה mutari, vel ex זנח mutatum fuisse, asseri non possit. Ait enim ב׳ חד ר״פ וחד ס״פ *bis hæc vox* (ותזנה cum ו conversivo, nam sine eo sæpiùs extat) *reperitur; semel in versus initio, semel in versus fine.* (qui locus est Esa. 57: 3.) 3. Unde autem illa in versione Græca diversitas, quod *aliqui* Codices legunt ὠργίσθη, alii ἐπορεύθη ἀπ' αὐτοῦ? Si *prior* versio vera (quæ communiter recepta, & quam Plantinus, in opere illustri Regio, alteri illi prætulit) sequeretur, aliam esse verbi ותזנה corruptionem, quàm eam, de qua somniat Gordonus: זנח enim nullibi *irasci* significat. 4. Quin & altera illa versio, καὶ ἐπορεύθη ἀπ' αὐτοῦ, verbo תזנה non satis congruit. זנח enim non *discedere ab aliquo*, vel *relinquere neutraliter*, sed *rejicere, repellere, removere*, activè significat, uti exempla evincunt. Pellex autem ista juxta versionem Græcam non repulit, & ejecit maritum; sed ipsa à marito discessit. His igitur & aliis rationibus moti vocem hanc, ut ab omni corruptela liberam & immunem, à Gordoni intentato crimine meritò absolvimus. 5. Rem ipsam & significatum verbi hujus quod spectat, Jun. & Tremell. ita reddunt: וַתִּזְנֶה עָלָיו פִּילַגְשׁוֹ *Et scortata est cum eo concubina ejus:*

Non

*Non enim* (in gloss. addunt) *justa uxor erat, donec parentum consensu confirmatum est matrimonium*, *Exod.* 22: 16. *quo confirmato, pater illius dicitur Levitæ Socer. infra v.* 4. Constructionem autem verbi hujus cum præpos. עַל (*ut scortari cum aliquo* significet) ex Ezech. 16: 15, 16. ostendunt. De qua interpretatione liberum cuivis relinquimus judicium. Nobis ista textui videtur accommodatior, ut עַל vel per *penes*, *juxta* (quomodo Luth. vertit, *Da sie batte neben ihm geburet*,) vel per *contra* vertatur: *& scortata erat contra eum* (maritum.) Lasciviorem enim se forsan *contra maritum*, contraque fidem conjugalem ipsi datam, seu *apud eum* gessit, quam rem cum Levita ægrè ferret, & eam objurgaret, malitiam illa malitiæ addens aufugit ab ipso, posteaque pœnas delicti sui DEO dedit gravissimas, vers. 25. & quidem per id, per quod peccaverat, juxta regulam communem, Sap. 11: 17. 6. Videtur hùc respicere Chaldæus interpres, וּבְסַרַת *& sprevit*, seu *vilipendit eum &c.* maximus enim contemtus ista contra fidem marito datam lascivia; (etsi & hîc paraphrastes pro תזנה legisse תזנח videri possit, cùm & alibi literarum similium permutatione usus fuisse deprehendatur, quo ipso tamen fontis veræ lectioni nihil derogatur.) 7. Quin Josephus etiam, (de quo Gordonus ait, *quod nihil omnino de fornicatione scribat, cum tamen latè hanc historiam persequatur*,) non omninò nullam dictæ rei mentionem injicit, dum lib. 5. antiq. c. 2. ita loquitur: *Vir è plebe Levitica duxit uxorem &c. hanc cum vehementer ob formam amaret, parum respondere in amore ægrè ferebat. Hinc orto dissidio mulier continuas expostulationes non ferens, relicto marito mense quarto ad parentes revertitur &c.* En abitus causa, mariti objurgatio, hujus autem à Josepho ea statuitur causa, quod maritus ægrè tulerit, parùm ipsam in amore respondisse. Quo ipso lasciviam & animum meretricium Juvenculæ pellicis haud obscurè innuit.

### XIX. 1 *Sam.* 3: *v.* 13.

DE filiis Eli dicitur, כִּי־מְקַלְלִים לָהֶם *quod maledicentes sibi* (fuerint.) Pro לָהֶם alii לָאֵל *Deo*, alii לוֹ *illi*, legendum, & olim sic scriptum fuisse, contendunt. Resp. Quid de illa Tikkun Sopherim, seu correctione Scribarum sentiendum sit, expositum fuit supra.

### XX. 2 *Sam.* 5: *v.* 8.

DEsunt in Hebræo illa duo verba, quæ habentur in vulgata editione: *Proposuerat premium*, nimirum David, ut constat ex 1 Paral. 11: 6. ubi habetur integra sententia. Huntl. cap. 9. §. 11.

Resp. 1. Quomodo pro duabus istis Hebræis vocibus quæ latinè sonant; *Proposuerat præmium*, per incuriam subrepere potuerit vox וַיֹּאמֶר quæ in textu extat, alius viderit me oculatior? Nulla enim vel literarum vel punctorum utrobique esset conformitas. 2. Chaldæus Hebraicum textum ad verbum ferè exprimit: uti & Interpretes Græci. Ex sola autem vulgata editione Latina velle veritatem Hebraicam æstimare & corrigere, hominis est vesani & malè sani. 3. In Hebræo non corruptio est, sed ellipsis, quam ἀνανταπόδοτον, & ἀποσιώπησιν sive reticentiam, vocare possis: R. Schelomo in comm. h. l. מִקְרָא קָצַר *Scripturam concisam* vocat. 4. Completur autem illa ellipsis 1 Paral. 11: 6. ex quo ceu parallelo, noster hic explicari debet. 5. Vulgatum autem Interpretem quod spectat, non verba, sed sensum is secutus fuit: & quia ellipticum sermonem hic deprehendit, complere illum hoc modo conatus est, ut וַיֹּאמֶר redderet per *constituerat premium*. Ipse Gordonus vulgatam versionem vindicaturus, *illam sæpè sensum potius exprimere, quàm singula verba transferre* astruit c. 15. §. 3.

### XXI. 2 *Sam.* 8. *v.* 4.

VErba ita habent: *Cepit David ex eis* (Syris) *mille & septingentos equites.* Pro quo 1 Paral. 18: 4. traditur: *Cepit autem David ex eis mille currus, & septem millia equitum.* In alterutro horum numero videtur inesse corruptio.

Resp. Planè nulla. Cohæret uterque textus satis congruè. In *priori* Samuelis loco ad vocem אֶלֶף *mille*, subaudienda vox רֶכֶב *currus*, quæ in loco Paralipom. suppletur. Est autem ejusmodi substantivi ellipsis in sacro textu non infrequens, Psal. 73: 10. Psal. 38: 8. &c. Per *septingentos* autem *equites*, non singuli, sed *equitum decuriæ* (*Schwader Reuter*) intelligendæ: Septingentæ autem equitum decuriæ, equites divisim consideratos exactè constituunt septies mille, qui numerus in Paralipom. exprimitur. Eadem ferè conciliationis ratio est inter 2 Sam. 10: 18. & 1 Chron. 19: 18.

XXII.

## XXII. 2 Sam. 16. v. 12.

PRo בְּעֵינִי *in oculo meo*, scriptum olim fuisse, בְּעָנְיוֹ *in humilitate* vel *mansuetudine sua*: & à Scribis corruptam fuisse hanc vocem, putat Galatinus. Cui quid respondendum sit, superius ostensum.

## XXIII. 2 Sam. 17. v. 25.

AMasæ parens dicitur fuisse הַיִּשְׂרְאֵלִי *Israelita*. At 1 Paral. 2. v. 17. dicitur fuisse הַיִּשְׁמְעֵאלִי *Ismaelita*. Quarum alterutra vox depravata esse videtur.

Resp. 1. Omnes sacri textus versiones nostris Codicibus Hebræis hîc ferè respondent: Nec Masora diversum quid suadet. 2. Utrumque salvâ veritate, salvâ textus sacri integritate, consistere potest. Vel enim *religione* Israelita, *gente* verò & prosapia Ismaelita fuit, uti Junius & Tossanus volunt: Vel, quod probabilius: *prosapia Israelita* fuit: cognomen autem *Ismaelitæ* contraxit לְפִי שֶׁגָּר בְּאֶרֶץ יִשְׁמְעֵאל *quod diu in illis regionibus peregrinatus sit*, uti R. Schelomo, & R. David Kimchi, & ex iis Marcus Marinus in Arca Noæ annotant. (Sic Cerethæi 2 Sam. 8: 18. Uria *Chittæus* 2 Sam. 11: 3. Ithai *Gittæus* 2 Sam. 15: 19. ab habitationis loco dicuntur.) Kimchi addit: וַאֲדוֹנִי אָבִי ז״ל כָּתַב כִּי כְּשֶׁהָיָה בְּאֶרֶץ יִשְׁמְעֵאלִים קוֹרִין אוֹתוֹ יִשְׂרְאֵלִי שָׁם וּכְשֶׁהָיָה בָּא מִשָּׁם לא״י (לְאֶרֶץ יִשְׂרָאֵל) קוֹרִין אוֹתוֹ יִשְׁמְעֵאלִי: h. e. *Et Dn. parens meus* (*memoria ejus sit in pace*) *scripsit, quod quando* (*Jether*) *fuit in terra Ismaelitarum, vocaverint ipsum ibi Israelitam*: *& quod quando rediit exinde in terram Israel, vocaverint ipsum Ismaelitam.* Plura ibi addit, quæ Rabbinorum somniis cæteris annumeranda.

## XXIV. 2 Sam. 21. v. 8.

QUinque filiorum Michal filiæ Saulis, hic fit mentio. Pro *Michal* autem legi debere *Merab*, constare videtur *tùm* ex 1 Sam. 18: 19. ubi Merab filiæ Saulis maritus dicitur *Adriel Meholathita*, qui idem h. l. dicitur maritus Michalis, additis tantum vocibus, quod fuerit *filius Barsillai*: *tum* ex 2 Sam. 6: 23. ubi dicitur, *quòd Michali non fuerit filius usque ad diem mortis*: At h. l. quinque ejus memorantur filii. Unde pro Michal substituendum esse nomen Merab, & ita corruptelam fuisse factam patet. D. Lucas Osiand. in paraph. bibl.

Resp. 1. Conjectura factæ aliquando mutationis afferri potest nulla: Cumque mitiori consilio & interpretatione commodâ textus ea dissonantia placari possit, ecquid suspicione ista opus? 2. Tremellius igitur & Junius, uti & Piscator, ad nomen Michal subaudiunt vocem *sororis*; *Quinque filios* (*sororis*) *Michal filiæ Saulis.* Qualis ellipsis v. 19. *Goliathi Gittæi* scil. fratrem, uti constat 1 Chron. 20: 5. 3. Dn. D. Frantz. de interp. Script. orac. 128. ita conciliâre videtur, quòd sterilitas 2 Sam. 6: 23. Michali non tribuatur simpliciter & absolutè, sed *respectu certi temporis*; ab eo nempe tempore, quo (ad Davidem ab Abnere reducta, 2 Sam. 3: 16.) Davidem ante Arcam Domini saltantem irrisit, cujus pœna sterilitas subsequens fuisse videtur 2 Sam. 6. Eandem autem Michalem ante reductionem ad Davidem habuisse maritum *Adrielem filium Barsillai Meholathitam* (qui alius fuit à marito Merab, qui non dicitur *filius Barsillai*, sed simpliciter *Adriel Meholathita*, 1 Sam. 18: 19.) & ex eo quinque istos produxisse filios. Quia verò huic obstare videtur, quod David Michalem pristinam uxorem non ab Adriele filio Barsillai Meholatitha, sed *à Paltiele filio Lais* repetit, 2 Sam. 3: 15. cui eidem (Davidi exulanti à Patre Saule erepta) elocata & tradita esse dicitur, 1 Sam. 25: 44. igitur respondere posse ait: Paltielem, à quo David uxorem reduxit, fuisse alium â Paltiele (cui primitus post Davidem nupsit, ejus nempe fratrem: Ut ita Michal 1. Paltielem filium Lais, 2. Adrielem filium Barsillai, 3. post mortem hujus, prioris fratrem (quod per legem Dei licebat, Deut. 25: 5.) atque ita intra annos 7. vel 8. alienos tres habuerit maritos. 4. Optima, meo tenui judicio, ex Jonathane Chaldæo desumitur interpretatio, qui ita convertit, יַת חַמְשַׁת בְּנֵי מֵרַב דְּרַבִּיאַת מִיכַל בַּת שָׁאוּל דִּילֵידַת לְעַדְרִיאֵל וגו׳ h. e. *& quinque filios Merab, quos educaverat Michal filia Saul, quas pepererat Adrieli &c.* Unde patet, in Hebræo subaudiendam esse vocem מֵרַב hoc modo: *Et quinque filios Michal, filiæ Saulis, quos peperit* (מֵרַב *Merab*) *Adrieli &c.* Græci interpretes hoc ita exprimere voluerunt: καὶ τοὺς πέντε υἱοὺς τῆς μιχὸλ θυγατρὸς Σαὺλ, τοὺς τεχθέντας τῷ Ἀδριὴλ *& quinque filios Michal filiæ Saulis, qui geniti sunt* (scil. ab uxore ejus Merab.) *Adrieli*, R. Schelomo ita loquitur: מֵירַב יָלְדָה וּמִיכַל גִּדְּלָה לְפִי נִקְרָא עַל שְׁמָהּ וְהַמְגַדֵּל יָתוֹם וִיתוֹמָה בְּתוֹךְ בֵּיתוֹ כְּאִילוּ יְלָדוֹ וְנִקְרָא עַל שְׁמוֹ: h. e. *Merab genuit*, (hos filios) *& Michal educavit, quare à nomine ejus ita vocantur: Qui enim educit pupilum vel pupillam*

*lam in domo sua*, (est) *ac si genuisset eum*, *&* *vocatur à nomine ejus*. Eodem ferè modo R. Jeschajah & R. David Kimchi, qui exemplum ferè simile adducit ex Ruth. 4: 17. יֻלַּד־בֵּן לְנָעֳמִי *natus est filius Noomi*; cùm tamen propriè nurui ejus Ruth fuisset genitus: Noom verò filiolum *sinu suo fovit & eduxit*, uti versu præcedenti dicitur.

## XXV. 2 Sam. 22. v. 11.

EXtat hîc vox וַיֵּרָא *& visus est* (super alis venti:) pro qua Psalm. 18: 11. in eodem Cantico est וַיֵּדֶא *& volavit*. Librariorum igitur corruptela ר pro ד irrepsit.

Resp. 1. Tempore Auctorum Masoræ, qui antiquissimi, lectum fuisse וַיֵּרָא patet ex nota annexa: *vocem istbanc bis reperiri*, cum ad alteram וַיֵּרָא in Psal. 18: 11. adnotent ל *non amplius extare*. 2. Sensus in utroque loco integer est, & sibi pulchrè respondens, uti per se liquet: Unde igitur hæc factæ corruptelæ suspicio? 3. Idem est quidem hoc canticum cum Psal. 18. interim tamen quibusdam in dictionibus, & ut quidam asserunt, in 49. locis ab eo (absque ulla tamen depravatione) variat, quibus accensenda vox וַיֵּרָא. 4. Illa vocum variatio ita se habet, ut mutuas sibi quasi in explicando tradant operas. 2 Sam. 22: 8. *fundamenta* שָׁמַיִם *cœlorum commovebantur*. Id Psal. 18: 8. ita effertur: *fundamenta* הָרִים *montium commovebantur*. Per *cœlos* enim altissimi montes intelliguntur, quibus quasi cœlum videtur incumbere. Psal. 18: 5. *Circumdederant me* חֶבְלֵי *dolores mortis*, pro quo 2 Sam. 22: 5. dicitur, מִשְׁבְּרֵי *contritiones mortis*. 5. Interdum etiam ita se habet, ut variatâ unicâ literulâ sensus idem fit. 2 Sam. 22: 43. *Sicut lutum platearum* אֲדִקֵּם *comminuam eos*: Pro quo Psal. 18: 43. אֲרִיקֵם *evacuabo eos*, permutatione literarum ד״ר, sensu tamen eodem. 2 Sam. 22: 46. וְיַחְגְּרוּ *& constringentur ex claustris suis*: Pro quo Psal. 18: 46. וְיַחְרְגוּ *& movebuntur &c.* per metathesin literarum גר sensu itidem eodem. His igitur annumeranda vox, de qua nobis sermo. 6. Et pertinet huc tandem, quod דָּאָה *milvus* (à volatus pernicitate ita dictus) Deut. 14: 13. dicitur רָאָה iisdem literis permutatis, ubi tamen corruptelam nemo facilè agnoscit.

## XXVI. 2 Sam. 23. v. 8.

ALiquot videntur hic corruptæ voces, si collatio instituatur cum 1 Par. 11: 11. Et corruptionem inibi Lutherus etiam ponit in marg. notâ.

I. In *priori* loco is, qui Heroum Davidicorum ducit agmen, nominatur יֹשֵׁב בַּשֶּׁבֶת תַּחְכְּמֹנִי In *posteriori* verò יָשָׁבְעָם בֶּן־חַכְמוֹנִי Resp. 1. Masorethæ ad utrumque ut integrum & incorruptum suas adponunt notas. 2. Non potuit facilè ex incuria talis in Samuele fieri literarum permutatio, ut ex collatione vocum & literarum apparet: de industria autem ut Judæi corrumperent, nullam omninò habuêre causam. 3. Quæ cùm ita sint, videndum de verborum sensu. Thargum Jonathæ (cui ex parte adstipulatur Latinus Interpres) verba loci Samuelis ad ipsum *Davidem* refert. Ita enim paraphrasis ejus Latinè reddita habet: *Et hæc nomina robustorum, qui fuerunt cum Davide heroe*, (qui fuit) *caput exercituum*, יָתֵיב עַל־כּוּרְסֵי דִינָא *sedens super solium judicii*, *& omnes Prophetæ & Seniores circumstant eum*, *unctus in unctione sanctâ*, *electus*, *& tener*, *pulcher formâ suâ*, *& decorus adspectu suo &c.* וְכֵן דַּעַת רז״ל כִּי זֶה הַפָּסוּק עַל דָּוִד inquit R. David Kimchi, hoc est, *Et hæc est sententia Rabbinorum*, *quorum memoria sit in benedictione*, *quòd hic versus agit de Davide*. Ubi statim adjicit, alios de *Joabo* intelligere hunc versum: Ipse verò de *principe quodam exercitus Davidici* exponit, cui nomen עֲדִינוֹ הָעֶצְנִי (de quo paulò post) de quo narrat, *quòd fuerit sapiens præter fortitudinem suam*, וְהָיָה יוֹשֵׁב בַּשֶּׁבֶת סַנְהֶדְרִין וְחַכְמֵי יִשְׂרָאֵל וְהָיָה רֹאשׁ לָהֶם וְזֶהוּ שֶׁאָמַר רֹאשׁ הַשָּׁלִשִׁי וְהוּא כְּמוֹ הַשָּׁלִישִׁים hoc est: *Et fuit sedens in sessione* (cathedræ) *Sanhedrin*, *& sapientum Israel*, *& fuit caput ipsis*, *& hoc est quod dicit*, *caput Principum*. Et ita ferè R. Levi Ben Gersom, & Rab. Jeschaiah in h. l. quorum hic תַּחְכְּמֹנִי ita interpretatur, שֶׁהָיָה חָכָם מִכֻּלָּם *quòd fuerit sapiens præ omnibus illis*. R. Salomo etiam תַּחְכְּמֹנִי cujus liber Samuelis meminit, putat patrem esse τȣ̃ *Jesabeam*, qui בֶּן־חַכְמוֹנִי *filius Hachmoni* dicitur in altero loco. Ita ipse in comment. Paral. Sed in comment. Samuelis, totam pericopen ad Davidem refert, his verbis: *Hæc sunt nomina heroum*, *qui Davidis*; (ישב בשבת) *qui sedit in residentia Sanhedrin*; *& ipse* (vocatus est) תַּחְכְּמֹנִי *Tachkemoni*, *& ipse* רֹאשׁ הַשָּׁלִשִׁי *caput trium*, *pater* (princeps) *in pulchritudine*, *in sapientia*, *& in fortitudine*. *In tribus istis rebus ipse fuit caput*, *sic dictum est* (1 Sam. 16: 18. de Davide) *sapiens verbo*, *& vir formosus*, *& fortis viribus*; 4. Utut autem hæc sese habeant,

habeant, לְפִי הַפְּשָׁט *simplicissimè* res expediri posse videtur, si dicatur, *esse varietatem quandam propriorum nominum*, ut idem, qui dicitur *Jaschabbam Ben-Hachmoni*, propter certam rationem, nobis incognitam, vocatus fuerit *Joscheb Basschebeth Tachkemoni*. (Et nomen quidem *Ben-Hachmoni* & *Tachkemoni* quod attinet, certum est, parenti τοῦ Jaschabham nomen proprium fuisse, זַבְדִּיאֵל *Zabdiel*, uti ex 1 Paral. 27: 2. constat. Idem autem Zabdiel à sapientia, qua polluit præ cæteris, חַכְמֹנִי forsan nomen apud vulgus sortitus fuit, sicut à virtutibus & officiis alii quoque in sacris literis cognomina sortiti fuisse leguntur, Nehem. 10: 1. Daniel. 1: 7. Genes. 41: 45. Marc. 3: 17. Actor. 1: 23. &c. Jeschabham igitur, qui filius Zabdiel, aliàs Hachmoni dicti, fuit, 2 Sam. 23. simpliciter nomine patronymico vocatur תַּחְכְּמֹנִי *Chachmonites*) Ejusmodi autem polyonymiæ & propriorum nominum variationes obviæ crebrò fiunt in textus sacri lectione: quæ si toties ejusdem inferrent corruptionem, quàm larga, bone Deus! corruptelarum in agro isto purissimo foret seges! חס ושלום Absit hoc, absit longissimè!

II. In *priori* loco dicitur הוּא עֲדִינוֹ הָעֶצְנִי. In *posteriori* verò הוּא עוֹרֵר אֶת־ חֲנִיתוֹ *ipse tollens hastam suam*. In priori verò quid עֲדִינוֹ quid הָעֶצְנִי vocabula insolita? Resp. 1. A diversitate, imò & raritate vocum, ad inferendam depravationem argumentari non licet. 2. R. Kimchi pro *proprio* illas voces habet *nomine*, uti paulo ante dictum. 3. R. Schelomo contortâ utitur (forsan Thalmudicâ) glossa: עֲדִינוֹ הָעֶצְנִי כְּשֶׁעוֹסֵק בַּתּוֹרָה כּוֹרֵךְ מְקַשֵּׁר עַצְמוֹ כְּתוֹלַעַת כְּמוֹ מַעֲדַנּוֹת כִּימָה וּכְשֶׁיּוֹצֵא לַמִּלְחָמָה קָשֶׁה כָּעֵץ hoc est, (Sensus horum verborum est:) *Quando occupatus fuit* (David, de quo putat hic agi) *in lege, involvit & colligavit seipsum sicut vermiculus, quemadmodum* (dicitur Job. 38: 31.) מעדנות *ligamina Pleiadum, & quando exivit ad prælium, durus* (*fuit*) *ut lignum*. Putat igitur עדינו habere significationem *colligationis*, sicut vox cognata מעדנות hoc sensu venit in Jobi loco, (nimirum apud priscos Hebræos; aliàs enim juxta Aben Ezram & R. Levi *delicias notat*.) Vocem autem העצני ab עֵץ *lignum* deducit. R. Kimchi: *In hora quâ fuit* (David) *occupatus in lege, oblectavit seipsum* (מְעַדֵּן עַצְמוֹ) *sicut vermiculus: Et in hora, quâ egressus fuit ad prælium, induravit seipsum ut* עֵץ *lignum*. Non abludit valde vulgata Latina, quæ ita legit: *David sedens in cathedra sapientissimus Princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus &c.* (Lyranus causam appellationis reddit, *quia licet vermiculus in se sit mollissimus, perforat tamen lignum durum: Sic David in se mansuetissimus, contra hostes rebellantes fuit fortissimus*. Glossa interlin. ex Psalm. 22. adducit: *Ego sum vermis, & non homo.*) Sed videt quivis, cujus ponderis hæc sint. 4. Simplicissima videtur esse illorum sententia, qui vertunt: *Huic volupe seu gratum erat* (ad verb. *Ipse, voluptas ejus*) *lignato sive hastato* (hostiliter invadere) *octingentos* (à se) *vulneratos* seu *confossos vice una*. Germanis ita posset hoc efferri: *Dem kam eine Lust an, seinen Spiesz* (*aufzuheben*) *wider acht hundert, die von ihm auf einmal verwundet oder geschlagen wurden.* עֲדִינוֹ igitur ab עֵדֶן *voluptas*: עֶצְנִי ab עֵץ *lignum* deducitur. (Similis posteriori vox est Lev. 16: 21. עִתִּי *paratus, tempestivus, oportunus*, ab עֵת *tempus.*) Atque sic idem hoc loco dicitur, quod 1 Paral. 11: 11. neque quicquam vel incommodi hinc metui, vel corruptionis illatæ cogitari jure potest. Nec obstat, voces illas aliàs in Scripturis esse incognitas. Nam dantur multa μονήρη seu monadica, hoc est, quæ semel tantùm occurrunt in Hebræo sermone, vocabula, quibus accensenda etiam ista duo, de quibus agimus. Nec obstat ellipsis verbi *hostiliter invadendi*, vel alterius cujusdam, nam & id non est alibi planè infrequens. 1 Reg. 22: 36. *Quisque in civitatem suam & quisque in terram suam*, subintellige יָשׁוּב *revertatur*.

III. In *priore* loco 800. in *posteriore* 300. fit mentio, ab Heroë isto cæsorum. Resp. 1. R. Kimchi conciliationem dat istam, *quod duo prælia contigerint, in quorum altero octingenti, in altero trecenti fuerint cæsi*. 2. Alii illam, quod alterum de *filio*, alterum de *Patre* intelligendum sit, quam R. Kimchi itidem attingit in comment. Paral. R. Salomo in h. l. *In Samuele scribitur* תחכמוני; *hic fuit pater illius* (qui vocatur in Paral. Jasabeam filius Hachmoni) *& pulchra fuerunt vires patris præ viribus filii, sicut scriptum est, de illo; super octingentos confossos una vice*. 3. Alii hanc, quod 300 ab ipso *immediatè*, reliqui eadem strage à *consortibus ejus* sint prostrati. 4. Alii demum istam, quod contra exercitum 800. viris constantem insurrexit, & ex illis *trecentos* occiderit, reliquis *quingentis* in fugam profligatis. Quorum primum videtur simplicissimum.

## XXVII. 2 Sam. 24. v. 24.

ET *emit David aream & boves* (ad holocaustum, ab Arauna) *argenti Siclis quinquaginta*. At 1 Par. 21: 25. *Siclorum auri sexcentorum* fit mentio. Videtur in duobus hisce locis vel inesse contradictio, vel in alterutro corruptio.

Resp. Neutrum inest, uti ex conciliationis amico apparet foedere. 1. Quidam verò id quærunt in *diversitate Siclorum*, quorum alios *communes*, alios *Regios*, alios *sanctuarii* fuisse ajunt. Sed hoc rei nummariæ computationi exactiori non quadrat. 2. Rabbinorum aliqui ad *contributionis rationem* confugiunt. Ex singulis enim tribubus collectos & contributos fuisse *Siclos quinquaginta* perhibent, ex quibus summa confecta fuerit *sexcentorum siclorum auri*, Vid. R. David Kimchi in comment. 3. Ex *materia* emtionis seu *objecto* optima fluit conciliatio. Primum enim David (inter angustias sævientis pestis sacrificaturus Domino) *boves, ligna & aream emit*, *quinquaginta siclis argenti*. Postquam verò in primo illo sacrificio (quod igne coelitus delapso accendebatur, & luis pestiferæ sanationem individuam habebat comitem) intellexisset, hunc ipsum esse locum, quem Dominus ædificandæ domui suæ elegisset: jam exiguâ illâ areâ, quæ altari cesserat, contentus esse noluit, sed *totum montem Morijah* emit longè clariùs, nempè *sexcentis siclis auri*. De emtione *priori* in loco Samuelis: de *posteriori* in loco Paralipom. agitur, uti circumstantiæ ostendunt. Apud Samuelem enim *area & bovis*: In Paralipom. verò הַמָּקוֹם *illius loci* (hoc est totius montis Moriah) fit mentio: Et in capitis Paralipom. sequentis initio additur, *quod David dixerit: Hic est* (locus) *Domus Dei*: quo ipso ad montem totum, jam à se emptum, non obscurè respicit. Conferatur etiam 2 Paralip, 3: 1. Et ita quoque R. Kimchi & R. Levi Gersonis sentiunt.

## XXVIII. 1 Reg. 4. v. 26.

Et *erant Salomoni quadraginta millia præsepia equorum*. Pro quo 2 Paralipom. 9: 25. *quatuor tantùm millia* numerantur. Alterutri igitur numero corruptela illata fuerit.

Resp. 1. Vulgata quidem loco etiam posteriori habet *quadraginta millia*, sed falsò: in Hebræo enim (cui Græca versio respondet) אַרְבַּעַת אֲלָפִים *quatuor millia* tantùm commemorantur. 2. Tutiùs in commoda conciliatione, quàm corruptelæ suspicione, explanationis hic asylum ponitur. Conciliationem verò Jun. & Tremell. dant istam: *Status ordinarius à Schelomone constitutus est, de alimento præstando huic equorum numero (quadraginta millium) ad omnem necessitatem: è quibus sexdecim millia quatuor millibus curruum aptabantur, de quibus 2 Chron. 9: 25. reliqui, id est, viginti quatuor millia ad duodecies mille equites pertinebant*, (de quibus in utroque loco agitur,) *quorum quisque habebat binos, ut fit in ordinariis Principum copiis*. Hæc illi: Quorum expositioni favent ipsa utriusque textus verba. In *priori* ita habent: *Et erant Salomoni quadraginta millia præsepium equorum* לְמֶרְכָּבוֹ *ad vectaria sua* (seu ad expeditionem curruum suorum) וּשְׁנֵים & *ad duodecies mille equites* (ellipsis præfixi ל pro וְלִשְׁנֵים) q. d. his duobus usibus, expeditioni scil. curruum & equitum, quadraginta illa millia equorum inservierunt. In *posteriori* v. textu ita sonant verba: *Et erant Salomoni quatuor millia præsepium equorum*, וּמַרְכָּבוֹת & *currus*, (h. e. tot fuerunt Salomoni currus, quibus certus equor. numerus inserviit) & *duodecies mille equites* (quorum usui reliquus equorum numerus fuit destinatus.) 3. Alii hanc ineunt rationem, ut loco *priore* præsepia equorum singula: in *posteriore* septa præsepium, quorum singula decem equos continuerint: seu quod eodem redit, in *priore* minora pro singulis equis: in *posteriori* majora pro denis equis equilia sive septa intelligi asserant: ut ita 4000. *equilia majora* 40000. *minora* conficiant. Ejusque conjecturam ex ipsa vocis utrobique usurpatæ varietate capiunt. In *priori* loco usurpatur ארוה in *posteriori* verò אֻרְוֹת quorum *priori* equilia simpliciter, *posteriori* equilia talia, in quibus decem equi ordine suo interdistincti continebantur, (in cujus signum Jod, numeri denarii nota, inserta sit) denotari ajunt. Id cujus firmitatis sit & ponderis, viderint alii. Benjamin Tudelensis in Itinerario (in quo res memorabiles, quas, totum ferè terrarum orbem notatis itineribus dimensus, vel ipse vidit, vel à fide dignis suæ ætatis hominibus accepit, breviter ac dilucidè describuntur: Vixit autem ante quingentos ferè annos) p. 43. *Jerosolymis in domo, quæ fuit Salomonis, visuntur præsepia equorum à Salomone constructa, ædificium firmissimum, lapidibusque constans maximis, cujusmodi fabrica nullum in tota terra visitur exemplum*. Allegatur etiam hoc à Schindlero in Lexico col. 43.

## XXIX. 1 Reg. 5. v. 11.

Viginti *Cororum olei* fit mentio, quos Salomo Hiramo dedit: Pro quo 2 Paral. 2: 10. *viginti millia bathorum olei* ponuntur. Quæ mensuræ planè diversæ, & computatio minùs sibi respondet. Putat igitur Georgius Agricola, lib. 1. de mens. p. 144. pro כר mendosè scripto, in loco priore, legendum esse בַּת, cui si ellipseos complementum (adscitâ nimirum, ex membro immediatè præcedente, voce אֶלֶף *mille*) accedat, res omnis salva est, & conformitas sibi constat. Conjecturam suam firmat

mat ex eo, quia Josephus l. 8. antiq. c. 2. & LXX. ita vertant. 2. quia nuspiam alibi in scripturis כּר *Cor* liquidorum sit mensura &c.

Resp. 1. Hac de difficultate cùm inter alia ad Cl. Buxtorffium Cal. Sept. 1623. scripsissem, respondit his verbis: *Miror Hebræos hanc* (discrepantiam) *non tangere. Corus de oleo etiam legitur Ezech.* 45: 14. *Scio plures discrepantias in numeris, in his libris occurrere, quæ diverso respectu dicta, conciliari solent. Sæpe una vox duobus versus membris communis est. Sic* אלף *pertineat hîc ad utrumque membrum, per communem ellipsin, ut ibi: spes pauperum peribit in seculum: pro, non peribit: subaudito* לא *ex præcedente membro, Psal.* 9: 19 Hæc ille; quæ vera sunt, si corruptionem statuere, & בת pro כּר legendum esse, cum Agricola dicere velimus: nequaquam vero, si lectio communis כּר retinenda sit, nisi cum Vatablo dicere velimus, Corum & Bathum eandem fuisse mensuram: cujus contrarium ex Ezechiel. 45: 11, 14. patet, Chomer nimirum, qui & Corus vocatur, continere decem bathos.

2. Hæc igitur responsio cùm non satisfaciat, inquirere hac de re perrexi, & per occasionem ad D. Joh Rothmalerum, Superintendentem Rudolphopolitanum, amicum meum singularem, de ea sermonem feci; qui penitùs textus circumstantias expendens, hunc in modum respondit: *Videntur hi loci* (1 Regum 5: 11. & 2 Paralip. 2: 10.) *haudquaquam esse paralleli, quod persuadet ipsa lectionis diversitas, & rerum, quæ utrobique leguntur, disconvenientia. Nam.* 1. *in libro Regum dicuntur dati* 20. *Cori olei contusi: In paral. bati* 20000. 2. *Illic triticum datur & oleum; Hic præterea etiam bordeum additur, & vinum.* 3. *Illic triticum datur* מכלת *in cibum; hic triticum* מכות *contusum.* 4. *Illic Hiramo & domui ejus; hîc servis cæsoribus & putatoribus lignorum. Unde colligitur, non planè eadem esse, quæ hic & illic leguntur, licèt cognata sint quodammodo: sed describi in libro Regum, quid Salomo permiserit Hiramo, petenti de fructibus terræ Israeliticæ exportare ad alendam suam familiam, in commeatum annuum, nempè* 2000 *Coros tritici, &* 20 *Coros olei. Unde triticum dicitur in cibum domui ejus datum fuisse, sic enim petierat Hiram vers.* 9. *Tu vicissim facito voluntatem meam, dando cibum familiæ meæ: non gratis, sed justo precio coëmendum & exportandum: quod ex Josepho colligere licet, qui lib.* 8. *antiq. cap.* 2. *tradit, Hiramum scripsisse Salomoni: Faciam quod mandâsti &c. Tu verò contra concedas nobis fructus exportare, quorum in locis hisce maritimis nulla nobis copia datur. In Paralip. vero describitur, quod Salomo dederit iis, qui in Libano lignis cædendis, & deportandis occupati erant, nempè tritici, olei, hordei, & vini mensuras* 20000. *quas ex promisso Salomonis v.* 10. *pro servis cæsoribus & putatoribus lignorum, non pro familia sua Hiram vers.* 15. *postulat &c.* Hæc vir doctissimus, in quibus omnino acquiesco. De loco Josephi adducto observandum obiter, quantâ cum evidentiâ veritatem à se dictorum stabiliat. Cùm enim Hirami scriptam ad Salomonem epistolam verbotenus posuisset (cujus clausula: *Tu verò hanc nobis gratiam repones, exportandi ad nos ut frumenti potestatem facias, quo, utpote insulares, maximè indigemus,*) hæc subjungit verba βεβαιωτικά: *Harum literarum exemplaria hodiè quoque durant, tàm in nostris, quàm Tyriorum annalibus: Et si cui libuerit hæc certius cognoscere, impetrata à publicorum commentariorum conservatoribus visendi copiâ, comperiet eorum scripta consonare cum his, quæ à nobis produntur. Quod ideò admonui, ut qui hæc legunt, sciant, nos nihil veris affingere, neque verisimilia quædam & ad delectationem accommoda narrationi nostræ interserere, atque deinde postulare, ut lector, nihil amplius disquirendo, fidem nobis habeat: quandoquidem in hac commentatione à decoro discedere absque nefario scelere non licet. Quapropter non recusamus, quin scripta nostra rejiciantur, nisi talia sunt, ut eorum veritas validissimis argumentis approbari possit.*

## *XXX.* 1 *Reg.* 7. *v.* 26.

Capacitas maris fusilis, à Salomone fabrèfacti, dicitur fuisse *bis mille bathorum.* Sed 2 Paralip. 4: 5. *ter mille bathi* memorantur. Cumque ratio Matheseos ostendat, priorem numerum esse verissimum: mendosè igitur *tria millia* pro *duobus millibus* loco posteriore irrepsisse videntur.

Resp. 1. Non facile pro אלפים potuit שלשת אלפים irrepere Scribarum negligentiâ, uti voces ipsæ ostendunt: Nec Masoretharum indefessa sedulitas quicquam corruptelæ admisisset. Alia proinde hic conciliationis ineunda via est: 2. Eam in *diversitate Bathorum* quidam quærunt. Verùm vix diversitas illa ostendi poterit. Græci interpretes *priori* loco δύο χιλιάδας χόεις: *in posteriori*, μετρητὰς τρισχιλίους ponunt. 3. Alii ita conciliant; quòd totius quidem vasis capacitas tanta fuerit, ut si *ad summum compleretur*, ter mille bathos caperet: duo autem millia bathorum fuisse *ad usum* illatos: De *actu* igitur loqui historiam Regum; de *potentia Paralipομένων.* Cujus conjecturam aliquam ex

2. Paralip. 4. v. 5. desumunt, ubi in Hebræo ita legitur: מַחֲזִיק בַּתִּים שְׁלשֶׁת אֲלָפִים יָכִיל *comprehendens bathos, ter mille capiebat*, quasi diceret, tota capacitas ter mille caperet. 4. Alii demum dicunt, *bis mille bathos* fuisse mensuram liquidorum: *ter mille bathos* aridorum. Vas namque quod capit *bis mille bathos* liquidorum, capere potest *ter mille bathos* aridorum: cumulus enim aridorum, mensuræ superingestus, dimidio totius respondere solet, *Ein aufgehaufft Simri gibt anderthalb gestrichens*, quæ sunt verba Doct. Hafenreff. in explicat. Templi Ezech. p. 62. Et hoc fœdere duo ista loca copulat Rab. David Kimchi, in comm. qui ex versione Chaldaica idipsum probat, quæ ita transfert; תְּרֵין אַלְפִין בַּתִּין בִּרְטִיבָא מַחְסִיל *duo millia bathorum in humido capiens seu comprehendens.*

### XXXI. 1 *Reg.* 12. *v.* 16.

PRo voce לְאֹהָלָיו *ad tabernacula sua*, scriptum olim fuisse לֵאלֹהָיו *ad Deos suos*; pro לְאֹהָלֶיךָ verò לֵאלֹהֶיךָ, & Tikkun Sopherim, seu correctionem depravationemque à Scribis fuisse factam, Galatinus existimat, de quo quid habendum sit, expositum est superiùs.

### XXXII. 2 *Reg.* 24. *v.* 8.

JEhojachin dicitur fuisse *octodecim annorum*, cùm regimen suum auspicaretur. At 2 Paralip. 36: 9. dicitur fuisse annorum tantùm *octo*. In loco igitur posteriori vox עֶשְׂרֵה *decem*, per incuriam librariorum videtur esse omissa. Piscator in annotat. Paralip.

Resp. 1. Hebræi Codices lectionem receptam constantissimè retinent, nec vel unus in contrarium adduci potest: Græci itidem, & Latina versio vulgata, à fonte non discrepant. Ineundum igitur & hìc conciliationis fœdus. 2. Id juxta Jun. & Tremell. notam ejusmodi est, ut 2 Paral. 36: 9. per *Illum*, qui regnare cœpit, *Pater Jehojachini* intelligatur. 3. Satius est, in *diversitate auspicii Regii* solutionem indagare. Probabile est, Jojakimum (qui undecim annis imperium obtinuit) in principio Regni sui Filium suum Jehojachin, in consortium Regni secum adscivisse, propter crebras in regno Judæ tùm temporis mutationes. Patre autem Babylonem abducto, Jehojachin regno solus & plenariè fuit potitus. Quo observato, *octo* is annorum fuerit, cùm regnare cum Patre adhuc vivo & integro inciperet: *octodecim* annorum, cùm regnum, Patre in captivitatem abducto, auspicaretur. *Priorem* terminum exprimit historia Paralipom. *Posteriorem* historia Regum. Quæ sententia veterum quoque Rabbinorum est, uti ostendunt comment. R. Davidis Kimchi, qui causam, quod Jojakim in initio Regni sui filium in Imperii consortium adscivit, adfert istam: *Fortassis* (inquit) *fuerunt ipsi* (Jojakimo) *filii alii: Et propterea, quia vidit, quod regnum suspensum esset in manibus alienorum* (Ægyptiorum, 2 Paral. 36: 3. 4.) *non novit, an ab iis deturbandus* (*forsan*) *à regno sit: veluti contigerat fratri suo* (*Jehoachaz*, 2 Paral. 36: 2, 3, 4.) *propterea regnare secum fecit filium suum Jehojachin, qui regnaturus erat pro eo & post ipsum &c.*

### XXXIII. 1 *Paral.* 23. *v.* 3.

LEvitæ dicuntur numerati *à triginta annis, & ultra*: pro quo ℣. 24. 27. *viginti annorum* tantùm fit mentio. Corruptus igitur numerus prior, & ita in marg. glossa sentit Luth. (in Germ. c. 24. ℣. 3.)

Resp. 1. Numer. 4: ℣ſ. 3, 30. 35. tempus inchoandi ministerii Levitarum expressè determinatur, annus nempè ætatis TRIGESIMUS cap. 8: ℣ſ. 24. anni VIGESIMI QUINTI fit mentio. At ibi corruptionem in alterutro numero nemo statuit. Spacium enim *quinque* annorum Levitis in tyrocinium & exercitium primùm venientibus fuisse datum, probabile est: Ita ut viginti quinque annos nati reliquis accensi ministrare tenerentur: annoque demùm trigesimo munus suum plenè exequi inciperent. Vel, ut Osiander existimat, grandioribus ætate præcipua & graviora officia in Templo Domini demandabantur: ad mediocria negocia admissis iis, qui vicesimum quintum ætatis annum compleverant. 2. Pari ratione in loco præsenti habendum. Triginta annorum fit mentio juxta divinam constitutionem Numer. 4. Quod verò posteà de recensitis Levitis à viginti annis & ultra dicitur; id de Levitis in genere, intermixtis tyronibus commodè intelligi potest, qui paulatim manu quasi ducti & assuefacti iis sunt, quæ posteà essent (ubi ad justam ætatem pervenissent) ordinariè peracturi, *Man hat sie allmehlich anbracht*, 3. Junius & Tremellius aliud instituunt conciliationis fœdus. A versu enim 24. (1. Paral. 23. *Hi ipsi Levitæ &c.*) usque 28. putant esse digressionem, & quasi parenthesin, quâ ostendat Esdra (libri auctor) *se in hoc &*

tribus

*tribus sequentibus capitibus rationem habere legitimæ numerationis à Davide factæ, postquam adducta fuit arca*, 1 Paral. 16. ℣. 37. *ad stabiliendum cultum Dei: non autem alterius illegitimæ, quam hic multis nominibus damnet, de qua* 2 Samuel. 24. 1 Paral. 21. & cap. 27. ℣. 24. (Putant itaque, simul à Davide per Joabum numeratos fuisse Levitas: cujus contrarium extare videtur 1 Paral. 21. ℣. 6.) Improbationis igitur argumentum in numero isto annorum Levitarum ponunt, *quòd nempe Levitas eâdem ratione, quâ reliquos Israëlitas numeraverit (atque ita à quiete publica ad tractanda arma hoc pacto avocaverit) ab anno nempè vigesimo*, Numer. 1. ℣. 3. 1 Paral. 27. ℣. 23. *ac non ex præstituto Legis*. Numer. 4. ℣. 3. Unde etiam verba illa ℣. 27. בְּדִבְרֵי דָוִיד הָאַחֲרוֹנִים reddunt, *in actis Davidis posterioribus, hoc est, in posteriore illa recensione per Joabum facta*: sequitur: *Numerus Levitarum fuit horum (nempe) à nato viginti annos & deinceps.* Breviter: de alia numeratione & alio ætatis Levitarum termino agi in ℣. 3. de alia verò ℣. 24. & 27. &c.

## XXXIV. 2. *Paral*. 2. *v*. 10.

ET ecce cæsoribus lignorum dedi חִטִּים מַכּוֹת *triticum excussum*. Pro quo 1 Reg. 5. ℣. 11. dicitur חִטִּים מַכֹּלֶת *triticum in cibum*. Depravata igitur vox prior, & ex מַכֹּלֶת librariorum incuriâ factum est מַכּוֹת, ל in ו mutato. Schindl. in Lex. col. 73.

*Resp*. 1. Tempore Masoræ conscriptæ מַכּוֹת fuisse lectum, ex addita apparet nota ל *non ampliùs extare hanc vocem*: quod de altera etiam מַכֹּלֶת 1 Reg. 5. annotant. 2. Ex diversitate vocum in textibus parallelis corruptio inferri nequit (uti suprà ad 2 Samuel. 22. ℣. 11. fuit dictum) nisi absurdus forsan emergat sensus: id quod hoc loco minimè contingit. 3. Est enim חִטִּים מַכּוֹת *triticum percussionis*, seu *contusum*, idem quod *farina*, cujus certa mensura operariis à Salomone quotannis constituta fuit. R. Kimchi ר״ל חִטִּים טְחוּנִים *vult dicere, triticum commolitum*. R. Schelomo paulò aliter: מַכּוֹת כְּתִיתִין לְהוֹצִיא חִטִּים מִן הַשִּׁבֹּלֶת hoc est, *Vox* מַכּוֹת *idem est ac* (triticum) *contusum, dum triticum ex spicis educitur*, (atque ita trituratur.) Radix est vel נָכָה *percussit*, vel כָּתַת *contudit, contrivit*. 4. Quemadmodum igitur paulò post 2 Paral. 2. vers. 10. *olei* à Salomone erogati fit mentio, quòd 1 Reg. 5. ℣. 11. per שֶׁמֶן כָּתִית *oleum contusum* exponitur: ita è converso 1 Reg. 5. ℣. 11. *tritici* simpliciter fit mentio, quod 2 Paral. 2. ℣. 10. per *triticum contusum*: seu in farinam redactum explicatur. 5. Quod si quis huic interpretationi obvertat *statum vocis absolutum*, חִטִּים, quæ debuisset in regiminis statu efferri, חִטֵּי si constaret genitivum sequi מַכּוֹת *percussionem*, Respondemus, vel esse *hypallagen*, qualis illa Ezech. 24. ℣. 17. אֵבֶל מֵתִים pro מֵתִים אֵבֶל *luctum mortuorum*: ita h. l. pro מַכּוֹת חִטִּים *excussiones tritici*, id est, excussum triticum (ita sentiunt Jun. & Tremellius:) Vel esse *enallagen* nominis absoluti pro constructo, quæ in Scripturis frequens. Exod. 28:17. טוּרִים אֶבֶן pro טוּרֵי *ordines lapidis*. Jud. 5:13. לְאַדִּירִים עָם pro לְאַדִּירֵי *magnificis populi*. 2 Reg. 3:4. אֵילִים צָמֶר pro אֵילֵי *arietes lanæ*. Sic h. l. pro חִטֵּי מַכּוֹת *triticum excussionis*, h. e. excussum. 6. Et observa demum, quæ paulo ante ad locum 1 Reg. 5: 11. sunt notata: Quæ Φροντίδες δεύτεραι καὶ σοφώτεραι si hîc applicentur, & de parallela horum locorum sententia, & de factâ in altero eorum corruptelâ suspicio, facilè evanescet.

## XXXV. 2 *Paral*. 4. *v*. 3.

ET *similitudo* בְּקָרִים *boum sub eo, undiquaque circumdantium eum &c.* Pro quo 1 Reg. 7: 24. פְּקָעִים dicitur, h. e. *colocynthidæ*, seu *figura colocynthidarum*. Ex פְּקָעִים igitur per incuriam librariorum prodiêre בְּקָרִים *boves* propter literarum similitudinem & similem sonum. Schindl. in Lex col. 1472.

*Resp*. 1. In templi Salomonis exædificatione multa occurrunt, quorum accuratam rationem (cùm minutissima etiam describantur) invenire non satis possumus: neque tamen ad corruptionis accusationem statim in iis procurrendum est. 1 Reg. 6: 34. simili literarum permutatione צְלָעִים & קְלָעִים in ejusdem membri repetitione (qua distributio innuitur) ponitur, unde & Pagninus utrumque *latera* reddit: nec tamen à quoquam corruptionis iste textus insimulatur: Priori voce per צְלָעִים *latera*, synecdochicè *valvæ*; posteriori per קְלָעִים *sculpturas*, meton. *valvæ incisæ* intelliguntur. Idem igitur utriusque sensus 2. Hoc loco non per incuriam quandam, sed de industria positam esse vocem בְּקָרִים ex ipsis verbis elucet: Quando enim 1 Reg. 7:24. פְּקָעִים fit mentio, in Paral. non simpliciter בְּקָרִים positum reperitur, sed דְּמוּת בְּקָרִים *similitudo boum*. Sic eodem versu pro פְּקָעִים in loco Regum repetito, in Paral. singularis בָּקָר scribitur. 3. Versiones tùm Græca, tùm vulgaris Latina, lectionem receptam sequuntur, nec conjectura corruptionis alias (præter discrepantiam à loco parallelo, ex qua educi nihil tale posse, paulò ante dictum

dictum fuit) afferri potest. 4. Sensum igitur versiculi quod attinet, duæ feruntur interpretationes. (1.) Jun. & Tremell. de *bobus illis fusilibus* intelligunt, quorum in sequenti versu fit mentio: *præmitti autem etiam illorum mentionem* innuunt, *ideo, quia boves illi pertigerint duos ordines colocynthidum, de quibus* 1 *Reg.* 7. *v.* 24. Quorum expositioni favet, quod de figura boum istorum dicitur, fuisse תַּחְתָּיו לוֹ *sub eo*, nempè mari sive lacu fusili, cujus mentio v. 2. præcessit, h. e. quod mare fusile bobus illis incubuerit. De פְּקָעִים autem seu colocynthidis. 1 Reg. 7. v. 24. dicitur, fuisse מִתַּחַת לִשְׂפָתוֹ *desubter, ad labium ejus*: non simpliciter sub ipso mari, sed sub labio ejus in quo circumquaque fusæ erant. (2.) Alii de ipsis פְּקָעִים seu *colocynthidis* intelligunt, de quibus 1 Reg. 7. v. 24. LXX. in genere vertunt ὑποστηρίγματα *suffulcimenta*; Chaldæus, צוּרַת בֵּיעִין *figura ovorum*; quem R. Kimchi allegat, & ita infert: א״כ נצטרך לפרש כי גופם היה עגול כדמות ביצים ופניהם היה דמות פני בקרים: *Quod si ita est* (uti Jonathan Chaldæus vertit) *necessum est intelligere, quod corpus seu substantia eorum* (Colocynthidarum) *fuerit rotunda instar ovorum: & facies* (anterior pars) *illarum fuerit similitudo faciei* (similis capitibus) *boum.* Hæc ille. Ita igitur locus Paralipom. priorem in Regum historia, iret illustratum.

### XXXVI. 2 *Paral.* 16. *v.* 1.

*Anno trigesimo & sexto regni Asa, ascendisse Baesa, Rex Israel, contra Juda, & ædificâsse Ramah*, dicitur. At 1 Regum. 15. v. 33. *anno tertio Asa, Regis Juda, regnare cœpisse Baesa super Israel viginti quatuor annis*, asseritur. Ex quo sequitur, finem regni Baesa incidere in annum regni Asa vigesimum sextum vel vigesimum septimum: Quod etiam 1 Reg. 16: 8. confirmatur, ubi Ela, filius Baesa, (post mortem patris, v. 6.) dicitur regnare cœpisse *anno vigesimo sexto regni Asa.* Quomodo igitur ejusdem anno trigesimo sexto Baesa potuit ascendere contra Judam, & pugnare? Hic igitur Annius, Lucidus, Cajetanus, Canus, & alii ajunt, numerum annorum esse corruptum, & pro 36. legendum esse 26. testante Alstedio in chronologia tit. 56.

Resp. 1. Omnes Codices, Hebræi, Græci & Latini, ad unum consentiunt in numero 36. ecqui igitur universalis istiusmodi corruptela irrepere potuerit? præsertim cùm inter integras numerales voces (quibus, non verò nudis literis sive ziphris, sacer perscriptus est Codex) עשרים *viginti vel vigesimus*, & שלשים *triginta vel trigesimus*, tanta non sit convenientia, ut librariorum transmutationi erroneæ potuerit posterior illa esse obnoxia: datâ autem operâ corruptam esse, & quidem tam latè ac universaliter, multò magis verisimilitudine caret. 2. Satius proinde est, de commoda hîc solutione & conciliatione, quàm de mendi suspicione, solicitum esse. Quærit autem eam Rab. David Kimchi in 1 Reg. 15: 22. ubi verbis: *Anno tertio Asa &c.* non definiri ait initium regni Asæ, sed bellorum ejus, (cùm ob Reges Israel potissimùm libri Regum scripti sint,) omitti autem annos decem primos regni, quibus terra à bellorum tumultibus quievit, 2 Paralip. 14. v. 1. Ita igitur *anno Asa tertio*, respectu videlicet initii bellorum cum Israele, *factus est Rex Israelis Baesa*, quod 1 Regum. 15. v. 33. dicitur: is autem est annus decimus tertius respectu initii ipsius regni Asæ. Et quando ascendit Baesa Rex Israel contra Judam, & ædificavit Rama, fuit ejusdem regni annus 23. qui regni Asæ trigesimus sextus; vigesimus quintus autem vel sextus bellorum ejus fuit &c. Ex Genebrardo, ut videtur, clariùs hanc conciliandi rationem Alstedius dicto loco proponit; *Annorum numerus*, (inquit) 2 *Paral.* 16. *v.* 1. *intelligendus hoc modo: Anno* 36. *regni Asa, id est, regni, bellorum tumultibus commoti: Quia, ut legimus* 2 *Paral.* 14. *vers.* 1. *decem annis pacatam habuit Rempubl. qui quidem decem anni non numerantur in libro Regum. Et propterea semper ibi addendi vel intelligendi sunt, nimirum, quando legimus: Baesa cœpit regnare anno tertio regni Asa, debet intelligi, anno* 13. *regni Asa; sed tertio, ex quo cœpit bellis vexari. Et cùm legimus, anno Asa* 26. *cœpit regnare Ela; debet intelligi anno* 36. *regni Asa, sed* 26. *ex quo cœpit bellicis tumultibus perturbari.* 3. Ex *Seder Olam* (Chronico Judæorum) à Rab. Salom. & R. Kimchi (in h. l. & 1 Reg. 11. vers. 39.) affertur solutio, quòd 36. illi anni sint numerandi à morte Salomonis, qui fuit 16. regni Asa. Additur traditio, quòd cùm Salomo duceret in uxorem Regis Ægypti filiam, (qui fuit quartus annus regni ejus,) decretum divinum fuerit factum, dividendum seu discerpendum esse regnum David 36. annos, totidem videlicet, quot annos fuit gener Regis Ægypti: & ita futurum erat, ut anno 16. regni Asa, (in quo finiuntur 36. illi anni) regnum discissum in integrum restitueretur. Verum quia Asa contra DEUM peccavit, innitendo Regi Syriæ in bello contra Baesa, 1 Regum. 15. v. 18. seqq. igitur factum idipsum non esse. Et hanc esse causam,

cur

cur 36. annus 2 Paralip. 16. v. 1. memoretur. 4. Etsi autem traditio hæc Judaica non multi ponderis est, attamen ipsa computatio, cui declarandæ adhibetur, sat aperta & firma videtur esse. *Planior* (inquit Alstedius dicto loco) *& simplicitor est expositio eorum, qui dicunt, numerum, qui ponitur 2 Paralip. 16. intelligi: Anno 36. regni Asa, nempè ex quo divisum fuerat regnum Salomonis: qui annus erat 16. regni Asa, & 36. scissi divisique regni. Quia enim celebris & adhuc calida erat illa divisio regni, cœperunt anni regum Juda ab ea divisione supputari. Et ita verissimè dicitur: Anno 36. regni Asa, h. e. regni Salomonis divisi, quod ad Asa jure hereditario pervenerat.* 5. Junius & Tremellius eandem rationem ineunt, nisi quòd biennio, à computatione præcedenti annorum regni Asæ distant. Sic enim loquuntur in notis ad 2 Paral. 15. v. 19. (quo cum versus primus cap. 16. cohæret:) *Bellum enim non fuerat usque ad annum trigesimum quintum regni Asæ, h. e. regni Juda diviso populo, quod tunc obtinebat Asa: nam regna modò à populis denominantur, modò à personis regnantibus. Est autem hic annus decimus quartus, ex quo regnabat Asa: Nam Rehabeam 17. annis règnavit: Abija tres: quibus si hos 15. addas erunt triginta quinque à lacerato regno. Sic versu proximo sequente.* (cap. 16. vers. 1.) Hæc illi. Sequuntur hanc interpretationem Funccius in Chronologia, & Helvicus in theatro historico &c.

### *XXXVII. 2 Paral. 21. v. 2.*

JOsaphat vocatur *Rex Israel*, cùm tantùm fuerit *Rex Juda*, ut habent Septuaginta, & vulgata editio &c. Item c. 28. v. 19. Achas Rex *solius Judæ*, dicitur *Rex Israël*, mutato nomine *Juda* in nomen *Israël*, ut patet ex LXX. Interp. & vulgata editione. Gordonus Huntl. c. 9. §. 12. & 14.

Resp. 1. In c. 21. 4. eod. sensu dicuntur *Principes Israelis*, cùm tamen intelligantur *Principes Juda*, uti contextus ostendit. An & hìc corruptio? At & Græci & Latinus Interp. nomen *Israelis* ibi retinent. 2. Non igitur in adductis locis statuenda corruptio, sed agnoscenda nominis *Israël pro Juda* usurpatio. 3. Id per synecdochen quidam explicant, quòd sc. Josaphat fuerit Rex duarum tribuum Israelis, Juda & Benjamin, & multorum, qui ex 10. tribub. ad Asam patrem Josaphati defecerant, 2 Par. 15: 9. De *Achazo* dici posset, Regem Israelis vocari, *non regimine* & statu, *sed imitatione* & idololatrico cultu. Videtur n. Scriptura ipsa v. 2. suppeditare explicationem, ita loquens: *ambulavit* (Achaz) *in viis Regum Israëlis: atque etiam fusiles* (imagines) *fecit Baalim.* 4. Utut autem sit, à Scripturæ filo haudquaquam alienum est post schisma, quod Jeroboami tempore accidit, nomen *Israelis* decem tribus complectens, pro *Juda*, tribum Juda & Benjamin continente, poni. 2 Paral. 12. v. 6. *Humiliaverunt se Principes Israel & Rex*, ubi de Rehabeamo Rege Juda, & ejus Principibus sermo est. Vulgatus hìc nomen *Israel* retinet. Græca exemplaria variant. Nam alia οἱ ἄρχοντες Ισραὴλ legunt; & alia οἱ ἄρχοντες Ἰούδα. Non inscitè autem Drusius lib. 16. observ. c. 19. *hanc posteriorem lectionem ex scholio marginali, ut fit, in contextum irrepsisse* notat. Idem de controverso loco 2 Paral. 21. v. 2. dici potest. Aliud exemplum Mich. 1. v. 14. *Domus Achzib* (erunt) *in mendacium Regibus Israel*, h. e. Juda. Nam Achzib est ex oppidis tribus Judæ; ut videre licet Jos. 15. v. 44. Sed in re manifesta quid multis opus est testibus?

### *XXXVIII. 2 Paral. 22. v. 2.*

ACHazia Rex Juda dicitur *quadraginta & duorum annorum fuisse, cùm regnare inciperet.* At 2 Regum 8. v. 23. *viginti duorum* saltem annorum fit mentio. Quæ non possunt simul consistere; & prior numerus difficultate insuper laborat hac, quòd ætas Patris Jorami his exprimitur verbis, 2 Paral. 21. v. 20. *Triginta & duos annos natus erat* (Joram, pater Achaziæ) *cùm regnare inciperet, & octo annos regnavit in Jerusalem.* Hi quadraginta anni si cum ætate filii, in initio regni ejus computentur, patet, aut filium duobus annis natu majorem fuisse patre Joramo, cùm regnare inciperet, (quod absurdissimum,) aut numerum illum 42. annorum falsum, adeoque corruptum esse. Undè & Cajetanus, Torniellus, & Osiander, mendum hic irrepsisse afferunt, & numerum in Paral. positum, correctione & conformatione cum numero in libro Regum expresso, dignum judicant. Alsted. chronol, tit. 56. *Ego concedo in sententiam eorum, qui putant, in Paralip. notas olim numerorum vitiatas, inde in alia exemplaria & linguas manasse, & pro* כב 22. *positum* מב, 42. *quæ notæ absimiles non sunt. Si quis aliquid melius invenerit, illud sequatur.*

Resp. 1. R. Salomo ex *Seder Olam* putat, quadraginta duos illos annos numerandos esse non à nativitate Achasiæ, sed à tempore facti à Deo decreti de exscindenda domo Davidis

unà cum domo Achabi; ob affinitatem nimirum cum Achabo contractam, 2 Paral. 18. v. 1. hoc est, ut ipsi explicant, quia Josaphat sororem Achabi, filiam Amri duxit. Id verò decretum factum à Deo ait, duobus annis ante nativitatem Patris Jorami, hoc est, trigesimo primo anno Asæ, quo Amri plenè regnare incepit, 1 Regum. 16. v. 23. & quo anno forsan Asa Rex filio suo Josaphato filiam Amri in uxorem dedit. Verùm 1. incertum hoc decreti facti tempus est, & ex Scripturis firmiter probari nequit. 2. Ipse R. Salomo dicit, in Scripturis non legi, Josaphatum uxorem habuisse filiam Amri. Affinitas autem Josaphati cum Achabo memoratur alia 2 Reg. 8. ỷ. 18. quòd nimirum filiam Achabi dedit filio suo Joramo in uxorem. 3. R. Kimchi hoc רָחוֹק מִדֶּרֶךְ הַפְּשָׁט *remotum à via simplicitatis*, hoc est, longè petitum & coactum esse, inquit. 4. Manifeste Achazia dicitur בֶּן *filius quadraginta & duorum annorum*, quæ phrasis ætatem illius personæ exprimit, ut ex collatione aliorum Scripturæ exemplorum dilucidè patet: & alteram illam explicationem contortam maximè respuit. II. Ipse Kimchi sic explicat: Joram patrem Achaziæ diutiùs vixisse, quâm quadraginta annos. Recenseri autem tantùm octo regni ejus annos, quibus scilicet regnavit בְּחֶזְקָתוֹ *in fortitudine sua*. Postquam autem per Arabes cecidit, necnon morbis divinitus oppressus fuit, 2 Paral. 21. ỷ. 16. seqq. anni isti non memorantur, qui fuerunt viginti. His igitur, pro patre adhuc vivo, rex constitutus fuit Ahasias. Et tum, cùm vivente Patre regnare inciperet, erat 22. annos natus, quod in libro Regum dicitur: Post mortem autem Patris erat 42. annorum, cùm solus regnare inciperet, & non nisi uno anno post Patrem regnavit; de quo numero agitur in libro Paralip. &c. Hæc solutio, si non istis gravaretur difficultatibus, quòd 1. eadem sententia, de ætate & tempore regni Jorami disertè tribus repetitur vicibus, nempè 2 Reg. 8: 17. 2 Par. 21: 5, 20. nullibi autem longioris in regno exacti temporis vel minima comparet conjectura: 2. Pro annis istis viginti, qui cladi per Arabes illatæ, & morbis Jorami deputantur, biennium dilucidè exprimitur 2 Par. 21: 19. 3. Chronologia Regum Judæorum, ejusque cum Regum Israeliticorum tempore συςοιχία, nimis turbari videtur; & difficillimâ ratione viginti integri anni seriei historico-chronologicæ innectuntur intexunturque, quam unius alteriusve anni discrepantia perplexam sæpè reddit. Si non, inquam, dictis his gravaretur sententia ista difficultatibus, admitti eandem non esset inconsultum, præsertim cùm Lutherus eam quoque sequatur: cujus hæc sunt in supputat. annor. mundi, tomo 4. Lat. Jen. fol. 722. verba: *Hic incipit Joram impiè regnare, cùm regnasset octo annis benè, donec patris memoria viguit*, (at 2 Paral. 21. v. 20. ipsis octo his annis additur in textu: וַיֵּלֶךְ בְּלֹא חֶמְדָּה *& ambulavit absque desiderio*, hoc est, sine applausu populi terræ, atque ita inglorius,) *& regnat cum eo filius Ahasia istis* 20. *annis, ipse* 22. *annorum*, 2 Reg. 8. *Isti* 20. *anni utriusque, Joram & Ahasia tacentur ob malitiam eorum; adduntur autem ætati filii ejus, Ahasiæ, ne fiat error in historiis. Hieronym. Lyra*, 2 Par. 22. *Alioqui sequeretur, Ahasiam esse* 2. *annis natu majorem patre suo Joram*. Vide etiam fol. 749. utraque facie. III. Junius & Tremellius (secuti ferè R. Levi Ben Gerson in comment. h. l.) nodum ita solvere conantur, quòd locus libri Regum enarrat ætatem Achaziæ, quâ cœperat regnare; locus verò libri paralipom. numeret totum tempus, ex quo domus Homri seu Amri usque ad regnum Achaziæ regnare cœperat. Numerum igitur 42. non cardinalem sed ordinalem statuunt, & verba tanquam trajecta essent, (qualis etiam trajectio 1 Sam. 20. ỷ. 16. Esd. 10. ỷ. 17. Nehem. 12. ỷ. 22. occurrit,) in ordinem restituere, hac translatione, & his notis nituntur: ỷ. 1. *Ita regnavit Achazia filius Johorami, Rex Jehudæ*. ỷ. 2. *Cujus matri nomen Athalia nata Homri* (nam filia erat Achabi, filii Homri, cujus nomen hic ad totam familiam pertinet, in qua ipse primus regnavit, 1 Reg. 16: 25.) *agentis quadragesimum secundum annum*. (nam tot anni numerantur, ex quo Homri plené adivit regnum, usque ad regnum Achaziæ. Homri enim regnavit octo annis solus, Achab cum Achazia filio viginti duobus, & Joram à Jehu sublatus, duodecim:) *cùm Achazia regnaret, qui anno uno regnavit Hierosolymis*. Hanc solutionem D. D. Waltherus in Harmon. Biblica sentit, tantisper arripiendam esse, donec excogitetur melior. Nos non immerito *inexplicabilem hanc esse quæstionem*, cum Hieronymo arbitramur: Sique locus iste mendo forsan obnoxius esset, & nulla conciliationis debitæ dari posset ratio commoda, ad illud confugimus ultimo, quod suprà ad locum Numer. 3: 39. Resp. 2. fuit monitum, ac repetimus adductam ibi similitudinem, leviter inflexam: ut in vivam aquarum scaturiginem incidens lapillus, ipsam propterea coinquinatam non reddit: ita multò minùs dictionis unius in textu Hebrææ immutatio (cujus exacta satis ratio dari nequit) fontem divinum coinquinatum & impurum constituet.

XXXIX.

## XXXIX. 2 *Paral.* 26. *v.* 7.

TRansfpofitis duabus literis *Ain* & *Mem* mutârunt *Ammonitas* in מְעוּנִים vocem omnibus planè incognitam, ubi LXX. Interpr. & vulgata editio habent *Ammonitas*, & rectè, ut patet ex fequente verfu. Huntl. c. 9. §. 13.

Refp. 1. Detur per הַמְּעוּנִים *Ammonitas* hoc loco intelligi, num propterea corruptio vocis inferri poterit? Quis nefcit, crebram effe propriorum nominum quoad literas (quandoque tranfpofitas) variationem? *Tiglath-Pilefer*, & *Tiglath-Pilnefer*, 2 Reg. 15. ℣. 29. 1 Paralip. 5. ℣. 6. annon unum idemque funt, uti & *Timnath-heres*, & *Timnath-ferah*, Jud. 2: 9. Jof. 24: 30. עַמִּיאֵל & אֱלִיעָם 2 Samuel. 11: 3. 1 Par. 3: 6. Quin fine ulla corruptelæ fufpicione in aliis etiam vocibus literarum ejufmodi *μετάθεσις* contingit. 1 Reg. 10: 11. אַלְמֻגִּים (nomen alicujus ligni, five *cedrinum*, five *thyinum* fit: q. d. *non putrefcentia ligna*) quod 2 Paral. 9: 10. אַלְגּוּמִּים fcribitur. Pfal. 18: 46. וְיַחְרְגוּ *& movebuntur*, quod 2 Samuel. 22: 46. legitur וְיַחְגְּרוּ *& conftringentur.* Joël. 1: 6. מְתַלְּעוֹת *dentes molares*, quod Pfal. 58: 6. מַלְתְּעוֹת fcribitur. Plura exempla vide in Avenarii Grammatica lib. 3. pag. 389. feq. 2. Sunt, qui per הַמְּעוּנִים non Ammonitas intelligunt, fed aliter explicant. (1) Junius & Tremellius pro appellativo habent, vertunt enim, *indigenas. Auxiliatus eft* (inquiunt) *ei Deus contra Philiftaos &c. hoc eft, omnes finitimos, è quibus Philiftæi regno Juda ab occidente erant: Arabes à meridie: Ammonitæ ab oriente: Indigenæ verò (Meunim) ubique fparfi. De quibus* Jud. 10: 12. (2) Alii ut proprium nomen certi & peculiaris populi accipiunt, à loco fuo, ubi habitârunt, ita denominati, etiamfi in Scripturis nulla forfan ejus fiat aliàs mentio. (3.) Sunt qui vocem cum proximè præcedentibus connectunt hoc fenfu: *Contra Arabes, qui habitabant in Gur-baal, &* (qui habitabant in) *Hammeunim.* In duas autem hi abeunt fententias. *Quidam* propriè fumunt, *quidam* appellativè. *Illi* pro loci proprio habent nomine: neque obftare ajunt, quòd alibi ejus non fiat mentio: nam & locus, qui præcedit, *Gur-baal*, nufquam forfan memoratur alibi. *Hi* verò vertunt, *in habitaculis* feu *tentoriis* (מָעוֹן enim in pl. מְעוֹנִים id fignificat) conftat enim, populos Arabiæ defertæ in tentoriis habitare confueviffe, Jud. 8. ℣. 11. Pf. 120: 5. Cant. 1: 5. Efa. 13: 20. unde *Scenitæ* dicti funt. Confer etiam 1 Par. 4: 41. Utrique expofitioni favet (1.) quòd *Ammonitarum* in verfu feq. fiat demum mentio. (2.) quod non repetitur præpofitio עַל contrà; quæ nominibus populorum antecedentium præponitur. (3.) quòd non adeft accentus diftinctivus, qui ab immediatè præcedentibus hanc vocem disjungat. Quamcunque autem quis amplectatur expofitionem vocis הַמְּעוּנִים nullam tamen corruptionem in illa ftatuere neceffum eft; quin faciliori potiùs viâ & rectiùs in verfionibus, quæ in diverfum ab Hebræo fonte (ad quem exigi omninò debent) abeunt, faba hæc cudi poteft. 2. Græci interpretes legunt hîc *Μιναίους*, uti & 1 Paralip. 4: 41. Cui voci magis cum *Meunim*, quàm *Ammonim* convenit. Ammonitas alibi vocant Ἀμμονίτας Genef. 19: 38. Falfum igitur, quod Jefuita afferit, LXX. Interpretes vertiffe *Ammonitas.* Et an ob verfionem hanc Græcam in verbo etiam præcedenti בְּגוּר בַּעַל corruptelam ftatuet Jefuita? Pro ea enim illi legunt *ἐπὶ τῆς πέτρας.* Pro גור legentes צור *rupes, petra* &c. & vocem בעל planè omittentes. Fruftrà igitur & hîc nofter eft Huntlæus.

## XL. *Efdr.* 1. *v.* 10.

NUmerantur vafa facra à Cyro reftituta: *Phialæ aureæ triginta: argenteæ, mille: fecefpitæ feu cultri viginti novem: pelves aureæ, triginta: argenteæ, quadraginta decem.* Hebræus textus addit כֵּלִים אֲחֵרִים אָלֶף *vafa alia mille.* His in unum redactis producuntur 2499. qui numerus repugnat fummæ in ℣. 11. collectæ, 5400. In vocibus igitur iftis numeralibus errata inerunt.

Refp. Præcipua duntaxat & nobiliora vafa in præcedentib. enumerantur: cæteris vilioris precii ftudiosè omiffis: quæ tamen in tota collectione accenfentur. Rectè igitur Jun. & Tremell. verba Hebræa ℣. 10. (quæ paulò antè adducta) ita vertunt: *inftrumenta alia per millia* (Die andern Gefäß waren bey tausenden) & annotant: *Non pro ratione formæ, fed promifcuè per numerum millenarium tradebantur minora utenfilia: quorum omnium fumma generalis* ℣. 11. *exponitur.*

## XLI. *Efdr.* 2.

DEfcribitur numerus revertentium è captivitate Babylonica, qui calculus ab illo, qui Nehem. 7. proponitur, multoties difcrepat. *Filiorum Arach* apud Efdram funt 775. v. 5. apud Nehemiam 652. v. 10. *Filiorum Zatthu* apud Efdram 945. v. 8. apud Nehemiam 845. v. 13. *Filiorum Bani* apud Efdram 642. v. 10.

apud Nehemiam 648. v. 15. *Filiorum Azgad* apud Esdram 1222. v. 12. apud Nehemiam 2322. v. 17. & sic deinceps. In numeralibus igitur vocibus corruptelas inesse, suspicio oboritur ingens.

Resp. 1. Sixtus Senensis Biblioth. sanct. lib. 2. tit. Census, hac de re ita loquitur: *In ea familiarum enumeratione & capitum censu, tanta est & nominum & calculi diversitas, ut fatendum sit, vel Nehemiæ catalogum esse ab Esdræ catalogo diversum; vel si idem sit, vehementer fuisse corruptum incuriâ & imperitia librariorum, quod & in aliis divinæ Scripturæ catalogis evenisse, crebrò conqueritur Origenes.* 2. Verùm *posterius*, corruptos nempe esse à librariis hic numeros, ex eo vanitatis arguitur, quod nequaquam numeralibus literis, notis sive signis, quas Ziphras vocant, (quæ corruptelis nimis expositæ) sed integris vocibus, numeri in Hebræo textu proponantur: quo ipso corruptelis inferendis via vel maximè obstruitur. Quis V. G. pro אֶלֶף מָאתַיִם *mille ducentis* Esr. 2. v. 12. irrepere scribarum negligenti calamo potuisse אַלְפַּיִם שְׁלֹשׁ מֵאוֹת *duo millia tracentos*, Nehem. 7. v. 17. persuadere sibi poterit? Par ratio numerorum aliorum est. 3. Quæ cùm ita sint *prius* sententiæ Senensi membrum potiùs amplectendum videtur, de *distincta* videlicet *recensione*. Bis ea, (uti verisimile) facta est, *unâ vice* in Babylonia, *altera* in Judæa. In Babylonia numerati sunt, quos Esdra recenset, cùm institueretur profectio. Inter eos verò multi mutato consilio & pœnitudine ducti non reversi sunt in Judæam, (id quod non sine divino nutu factum: sed *ut hac occasione plures ex Chaldæis & vicinis gentibus Deus ad Ecclesiam suam adduceret: atque sic potiùs barbari Judæorum conversatione conversi, quàm Judæi Chaldæorum barbarie infecti sunt, sic gubernante Domino*, ut verbis utar Cl. Dn. D. Balduini in explicat. Zach. 2.) sed in Babylonia remanere maluerunt, licet nomina sua catalogo revertentium ab initio adscribi passi fuerint: vel etiam quidam ex illis in itinere mortui sunt. Inde igitur fit, ut in *posteriori* recensione, quæ apud Nehemiam est, numerus quandoque proponatur minor, quàm in Esdra. 4. Sed in quibusdam apud Nehemiam numerus extat major, ac in Esdrâ. Probabile ergò est iterum, quòd nonnulli primo profectionis tempore nomina sua dare recusarint, & in Judæam redire noluerint; postmodùm verò mutato consilio unà cum reliquis ascenderint. Ex quo factum, ut una familia jam auctior sit reddita apud Nehemiam, quàm apud Esdram.

### *XLII. Job. 7. v. 20.*

PRo עָלַי scriptum olim fuisse עָלֶיךָ, & à Scribis in Codicibus nostris depravatum extare, putat Galatinus: uti & Job. 32. v. 3. vox אֶת־אִיּוֹב eorundem corruptrices pertulisse manus, idem asserit. Sed quid hîc sentiendum, superiùs, ubi ex professo de Tikkun Sopherim tractatum fuit, aperuimus.

### *XLIII. Psal. 4. v. 3.*

IN Hebræo ita legitur: עַד־מֶה כְבוֹדִי לִכְלִמָּה *usque quò gloria mea in ignominiam.* At LXX. Græca versio habet: ἕως πότε βαρυκάρδιοι, ἵνα τί; quam sequitur Latina: *Usquequò gravi corde, ut quid &c.* Bellarminus igitur versioni Latinæ suppetias & vindicias hîc laturus, in accusationem fontis Hebræi vertitur, & *valdè verisimile esse* ait, *corruptum esse textum Hebræum vitio librariorum, ut mutatis punctis, ultimaque voce in duas resoluta, & כ in ב conversa, legendum sit,* עַד־מֶה כִּבְדֵי לֵב לָמָּה *sicut Græci legerunt.* lib. 2. de verb. Dei c. 13.

Resp. 1. Patet vel ex unico hoc exemplo, quàm periculosa sit assertio, quæ *antiquitatem punctorum vocalium*, ipsis literis coævam convellit & pernegat: ita enim mutatis punctis ex quolibet ferè quidlibet extrui & inferri potest. 2. Cæterum præsentem Psalmi textum Chaldæus Paraphrastes perinde, ut in Hebræo nunc est, convertit: מְטוּל מָה אִיקָרִי לְאַתְכְּנָעוּתָא *usquequò honor meus in vituperium?* Græcis verò quàm frequens sit, ab Hebræo discedere, in trivio notum. 3. Sensus verborum Hebræorum, prout nobiscum extant, argumento & scopo Psaltis ad amussim convenit. Hostibus enim suis (quos amicè vocat בְּנֵי־אִישׁ *filios viri*, h. e. homines εὐγενεῖς, uti usurpatur Ps. 49. v. 3. Ps. 62. v. 10. Luther. Liebe Herren / ut videl. intelligant, non ex hostili & malevolo; sed amico & benevolo hæc proferri animo: confer exemplum Pauli Act. 22: 1, 2.) inter alia exprobrat calumnias & obtrectationes, quibus infestabatur: *Quousque gloria mea* (inquit) *in ignominiam*, scilicet futura est, hoc est, annon satis diu illam gloriam, quæ singulari Dei gratiâ mihi obtigit, vos ignominiosè traduxistis? 4. E contrà verò Bellarmini expositio talis est, qualis Latina versio, hoc est, violenta & contorta: *verba enim hæc esse Dei* arbitratur, *de hominibus conquerentis: quòd neglectis æternis diligant temporalia.* At verò non Dei, sed Davidis hîc loquentis, hæc esse

ver-

verba, ostendit textus συνάφεια: de inimicorum enim calumniis hîc conqueritur, quos ad agnitionem consilii & mirificæ protectionis Dei revocat, v. 4. se exaudiri à Deo petit, ut Deus elevet super se lumen vultus sui, v. 7. unde in corde gaudeat, v. 8. ac in animo securus sit, v. 9. Quæ omnia cùm non Deo, sed Davidi conveniant, verba etiam, de quibus quæstio instituta, ad eundem pertinere, convenientissimè asseritur. 5. Hieronymus, fatente Bellarmino, vocem posteriorem legit, uti in codicibus nostris Hebraicis extat: לִכְלִמָּה enim vertit, *ignominiosè*: licèt pro כְּבוֹדִי vel legisse כְּבִירִ (dum vertit: *inclyti mei*) vel, quòd verisimilius, quodque à Bellarmino conceditur, abstractum כְּבוֹדִי *gloria mea*, pro concreto, *gloriosi* seu *inclyti mei*, accepisse videatur, quæ metonymia in Scriptura non infrequens. Istius igitur utpotè Hebraicè præclare docti auctoritati plus tribuendum, quàm reliquis (quos Bellarminus allegat) Patribus, qui Græcam docti linguam, versionem Græcam admirabundi secuti sunt. 6. Ecquid verò כְּבִירִ quod ex Bellarmini hypothesi hîc substituendum? Respondet, *esse vel participium passivum à* כבר *vel nomen verbale.* At neutrum salvâ veritate Hebraicâ asseri potest, vel debet. *Non priùs:* כבר enim in Kal. verbum est ex illorum classe, quæ פעלי עומדים *verba stantia* sive neutra appellitant, quæ Pahul seu participio passivo carent. *Non posterius*; esset enim in singulari כָּבֵר sicut גָּדֵל *grandescens*, 1 Sam. 2. v. 26. יָשֵׁן *dormiens*, 1 Samuel. 26. v. 7. דָּבֵק *adhærens*, Proverb. 18. v. 23. at in plurali constructo non diceretur כבדי, sed כְּבֵרֵי sicut אֲבֵלֵי *lugentes*, Esai. 61. v. 3. יְשֵׁנֵי *dormientes*, Daniel. 12. v. 2. vel כְּבֵדֵי uti legitur Ezech. 3. v. 5, 6. Nusquam igitur versio & expositio Bellarminiana invenit, ubi tutò pedem figat. 7. Sed & istud reprehensione dignum, quod Hieronymi etiam versionem, (quæ nostro textui ferè conformis) Cardinalis suo scopo accommodat. Dicit enim, *Deum homines temporalibus deditos (quos in vulgata vocet graves corde, quia tales sint vitio suo) secundùm Hebræum textum, ut modò se habet, vocare gloriam suam, seu inclytos suos, quia tales sint beneficio divino, si in eis imaginem cœlestem, non vitium proprium consideremus.* Quæ quàm jejuna sint & ridicula, cuivis apparet. 8. Tandem igitur concludimus, non Hebræo textui, sed versionibus, a textus puri litera alienis, quicquid vitii affertur, imputandum jure meritò esse.

## XLIV. *Psal.* 8. *v.* 4.

IN verbis Psaltis Regii: *Quoniam videbo cœlos tuos, opus digitorum tuorum; lunam & stellas, quas præparasti:* Pro שָׁמֶיךָ *cœlos tuos*, ab initio שִׁמְשְׁךָ *Solem tuum* scriptum fuisse (quia scilicet lunæ & stellarum mentio subjungitur,) D. Brentius in comment. h. l. suspicatur.

Resp. De hac re in Rhetorica sacrâ, tract. 1. cap. 9. ubi de metaphoris, à Sole, luna, stellis, agitur, quædam allata vide.

## XLV. *Psalm* 14.

POst versum 3. desunt octo versiculi, qui habentur in Codicibus Græcis, & vulgata versione Latina; In illis: Τάφος ἀνεῳγμένος ὁ λάρυγξ αὐτῶν, ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιοῦσαν, ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν, ὧν τὸ ςόμα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει, ὀξεῖς οἱ πόδες αὐτῶν ἐκχέαι αἷμα, σύντριμμα καὶ ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν, καὶ ὁδὸν εἰρήνης οὐκ ἔγνωσαν, οὐκ ἔςι φόβος θεοῦ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. In hac: (1.) *Sepulchrum patens est guttur eorum:* (2.) *Linguis suis dolosè agebant:* (3.) *Venenum aspidum sub labiis eorum:* (4.) *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est:* (5.) *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem:* (6.) *Contritio & infelicitas in viis eorum:* (7.) *Et viam pacis non cognoverunt:* (8.) *Non est timor Dei ante oculos eorum.* Et citantur hi versus à Paulo Rom. 3. v. 13. seqq. Guil. Reinhold, Apostata Anglus, in scripto, quod Witackero opposuit.

Resp. 1. Hieronymus in præfat. super 16. lib. comment. in Esa. latè ostendit, hos versus non pertinere ad Psal. 14. sed ab Apostolo allegari ex variis Scripturæ locis. Nam *primus & secundus* habentur Psal. 5. v. 10. *tertius* Psalm 140. v. 4. *quartus* Psalm. 10. v. 7. *quintus, sextus & septimus* Esa. 59. v. 7, 8. *octavus* Psalm. 36. v. 2. Et in comment. hujus Psalm. *In Hebrais Codicibus* (inquit) *hi versus non habentur. Quæritur ergo, quomodo Apostolus hoc usus sit testimonio in Epistola, quam ad Romanos scripsit? Respondemus, Apostolum de Deuteronomio ac Psalterio & cæteris Scripturarum locis hoc testimonium texuisse.* 2. Dicti versus non in omnibus Græcorum Bibliorum exemplaribus occurrunt, nec in hexaplo habebantur, Diodoro, Cyrillo, Didimoque testibus, in iis autem, in quibus extant, transsumta sunt ex Paulo Rom. 3: 3. Nequaquam igitur in Hebræo defectus, sed in versionibus,

Græca & Latina, redundantia hic agnoscenda. Conjunge Bellarminum lib. 2. de verb. Dei cap. 2. Polan in Syntag. libr. 1. cap. 37. quorum uterque quod de *Anglicano quodam exemplari Hebræo* in contrarium à Lindano producitur, evidenter refellit.

### XLVI. *Psal.* 16. *v.* 2.

FÆmininum verbum secundæ personæ extat: אָמַרְתְּ לַיהוָה *dixisti Domino*. Quem locum suspectum reddunt de mendo 1. Interpretes Græci, qui vertunt, εἶπα τῷ κυρίῳ. 2. Hieronymus, qui interpretatur, *dicens Deo*. 3. Liber manuscriptus, qui habetur in Gallia, quem se vidisse testatur Eduardus Livelæus apud Cantabrigenses L. S. Professor Regius. Ita Drusius quæsit. per Epist. 79. Quibus addendum, quod & Syrus interpres, & Pagninus, & Lutherus in prima persona reddunt, ac si scriptum fuisset אָמַרְתִּי *dixi*.

Respondet ipse Drusius d. l. hac ratione: Sincerum esse (hunc locum) probatur 1. Ex Scholiis Hebraicis, quæ *animam* subaudiunt, ut plenum sit: *Dixisti anima mea*, quod idem cum illo: *Ego dixi*: Sensum ergò expresserunt Græci & Hieron. 2. Ex fide codicum omnium impressorum, qui hilum non variant. 3. Ex censura Masorethanum, qui nos admonent, de septem locis hujusmodi, in quibus אָמַרְתְּ scriptum cum Scheva sub Thau. 4. Ex interprete Chaldæo, qui ita reddit: *Dixisti tu anima mea coram Domino, Deus meus es tu*. Quod librum manuscriptum attinet, quantæ fidei sit, nescio, non enim vidi. Hoc scio, non semper iis fidem habendam esse. Docet hoc liber Clementis Angli, quem mendosissimum esse, & ipse testari possum, & alii mecum, qui eum viderunt. Hæc Drusius. Adde, aliàs etiam animam suam alloqui Davidem Psal. 42: 6, 12. Psal. 43: 5. Psal. 116: 7. &c. In hoc autem Psal. 16. Messias loquitur (ut ex allegatione Act. 2: 25. seqq. cap. 13: 35. patet) & animam suam, in passione summè contristatam, Johan. 12: 27. Matth. 26: 38. alloquendo consolatur atque erigit.

### XLVII. *Psal.* 19. *v.* 5.

UBi habent LXX. Interpretes, habet & vulgata versio, legit etiam S. Paulus (Rom. 10. v. 18.) *In omnem terram exivit sonus eorum*: jam adversarii (Lutherani) cum Judæis legunt ex Hebræo corrupto: *In omnem terram exivit linea eorum* &c. Error iste inde ortus est, quòd litera ל abraso vel deleto capite (in קוֹלָם) mutata sit in literam ו (קַוָּם) Quæ sunt verba Huntlæi cap. 9. §. 7. Eundem locum profert Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 2.

Resp. 1. Masoræ conscriptæ tempore antiquissimo, adeoque ante LXX. versionem factam, in textu fuisse קַוָּם ostendit nota addita ל *non amplius extare*. (קוֹלָם autem tùm versu præcedenti, tùm in aliis Scripturæ locis aliquoties legitur:) hanc verò lectionem Notâ illâ custoditam constanter nos retinemus: quam Chaldæus etiam Interpres sequitur, qui vertit מְתַח עִנְיָנְהוֹן *extensio negotii eorum*. 2. Interpretes autem Græcos quod attinet, ut aliàs ab Hebræo sæpiusculè discedunt, ita hoc loco, dum *vel* קוֹלָם legendum esse putârunt, *vel* ex vers. præced. vocem istam repetierunt. 3. Porrò ex Græca ista versione verba illa allegavit Paulus (quod ipsi perfrequens, monente Hieronymo q. 46. in Genes.) non ut fontem Hebræum vel contaminatum & impurum, vel non authenticum, vel non consulendum esse ostenderet: sed *partim* quia Græca versio tunc erat usitatissima & receptissima; *partim*, ut ad insignem nos deduceret anagogian. Quod enim in Psalmo de cœlestium corporum motu dicitur, id egregiè Apostolus ad cursum Euangelicæ prædicationis accommodat. Apostolus ex LXX. Interp. reddit, φθόγγος αὐτῶν, *sonus eorum*, ut de præconio Apostolorum in Psalmo (sensu mystico) sermonem esse innuat: Quod autem apud Paulum dicitur *sonus eorum*, id in Psalmo est, *Linea* seu *Canon eorum*, ut innuatur, Apostolicam prædicationem & scriptionem, Ecclesiæ fideique & vitæ Christianæ unicam amussim, & certissimam ac sufficientissimam esse normam: quò respicit Apostolus, quando Galat. 6. v. 16. vim dictionis קַו exactissimè exprimit. 4. Eadem est sententia Genebrardi Papistæ in Schol. ad hunc Psalmum, in quibus ait, *nomen Hebraicum significare quidem lineam, sed septuaginta Interpretes respexisse ad sensum, quem Apostolus sit secutus*. 5. Quæ Huntlæus profert contra objectionem nonnullorum, qui dicunt, vocem Hebraicam קַו rarò scribi sine litera Vau: Ea nobis minimè adversantur, cum infirmitatem objectionis ejus ultrò agnoscamus.

### XLVIII. *Psal.* 22. *v.* 17.

UBi vulgata editio habet egregiam illam Prophetiam de crucifixione Christi: *Foderunt manus meas & pedes meos*: in omnibus libris Hebraicis, quibus Judæi utuntur, imò in ipsis Bibliis Regiis Antverpiæ excusis, corruptè

ruptè scribitur ad hunc modum: *Sicut Leo manus mea & pedes mei.* Nam Hebræum verbum כרו (seu ut nonnulli volunt כארו) id est, *foderunt*, mutarunt Judæi in כארי quod significat *sicut Leo.* Huntlæus cap. 10. §. 1. seqq. Bellarminus libr. 2. de verbo Dei cap. 2. idem inculcat, uti & Galatinus libr. 1. c. 8. Et Forsterus in dictionario Hebr. fol. 394. cujus verba hæc sunt: *Ego in ea sum sententiâ, quòd sentiam vocem hanc à Judæis mox à Christi passione depravatam, quando à Christianis hic locus illis objiceretur, ac prophetiam hanc in Christo impletam convincerentur, sicut plures in Scriptura locos aut obscurâsse, aut omninò depravâsse verisimile est.* Huc pertinent verba Lansselii Jesuitæ, in calum. Casauboni dispunctione, (quam ita vocat,) annexa operibus Justini Matyris, edit. Paris. 615. *Masoretha nunquam admiserunt Christianos bene legere, sed impensè conabantur istâ lectione* כארי *mysterium passionis Christi expungere, & hoc artificio nube oblivionis obruere: nam nisi legatur* כרו *foderunt, nullus inde elicere poterit demonstrationem aliquam, qua crucifixio Christi à Davide prædicatur.*

Resp. In hujus loci enodatione & vindicatione *tria* nobis agenda sunt. 1. Infirmitas assertionis Huntlæi ostendenda. 2. Sententiæ quorundam Interpretum expendendæ. 3. Vera sententia solidaque responsio aperienda.

I. Ad infirmitatem assertionis Huntlæi ostendendam observa; 1. Ipsi Bellarminum (quem alicubi tantoperè laudat & extollit) adversari lib. 2. de V. D. c. 2. qui depravationem hîc quidem agnoscit, eam verò *non Judæorum malitiæ* (quod assertum solidè refellit) *sed librariorum incuriæ, Judæorumque inscitiæ* adscribit. Fortius adhuc ipsi adversatur Genebrardus in not. ad hunc Psal. ubi non audet dicere, hunc locum malitiâ Judæorum esse corruptum, sed duntaxat *variæ lectionis esse* ob literarum י' similitudinem. 2. Sibi ipsi eum contradicere: ait enim *IN OMNIBUS libris Hebraicis, quibus Judæi utuntur, corruptè scribi* כארי *sicut Leo.* At §. seq. *Scio* (inquit) *non paucos libros Judæorum habere in ipso textu* כארו h. e. *foderunt.* Nec sublevat eum, quod de marginali קרי seu lectione adfert: De כתיב enim seu scriptione *in ipso TEXTU* primum illud asseruerat, cui contradictorium sui oblitus mox adjungit. 3. Quod Judæi de industria hanc vocem corruperint, ejus nullam adduci vel rationem vel conjecturam: versiones enim quas adfert, idem istud dicere, quod in nostris extat Hebræis codicibus, infrà faciemus ratum.

II. Cùm vox כָּאֲרִי regulis Grammaticorum non congruat; igitur diversis variorum subjecta est opinionibus, quas breviter expendemus.

I. *Quidam* corruptionem factam â Judæis fuisse & testantur; & Judæis ob idipsum dicam scribunt. Et ad assertionis istius probationem pertinent 1. testimonium R. Mosis Hadarschan, adductum à Galatino lib. 1. de arcan. cathol. verit c. 8. Is enim expresse affirmare dicitur, *Scribas ita correxisse & mutâsse in* כָּאֲרִי. 2. Quod Masora textualis Num. 24. ℣. 9. ad vocem כָּאֲרִי notat: כארי ידי ורגלי כארו כתיב h. e. *In Ps. 22. ubi habetur vox* כארי, *Scriptum est* כארו *foderunt.* 3. Quod R. Jacob Ben Chajim (collector operis Masoretici Veneti) in Masor. finali lit. אר asserit: *se in parte exemplarium correctorum invenisse* כתוב *scriptum*, כארו *quod tamen in marginali* קרי *seu notâ legendum esse notetur* כארי. 4. Quod Genebrardus in h. l. doctissimorum Judæorum testimoniis probat, *optima & antiquissima exemplaria habere* כארו, quod etiam testantur Andrad. lib. 4. defens. fid. Christ. Joh. Isaac. contr. Lindan. l. 2, Galat. 1. c. 8. Pagninus, Vatablus & Mullerus in h. l. 5. Quod *Biblia Complutensia* (edita cum privilegio Papæ Leonis X. Ao. 1520. procurante Cardinali Ximenio) legunt כָּאֲרוּ. 6. Quod nec Grammaticæ, nec sensui verborum vox כארי convenit, uti ex Joh. Isaaco defens. verit. Hebr. lib. 2. asserit Gordonus d. l.

Atque hæc sententia nihil omninò habet incommodi. Si enim Pontificius ex ea inferre velit, Scripturam Hebræam â Judæis falsatam esse, & fontes nostros turbidos fluere: responderi potest, 1. Falsationem Judæos quidem attentâsse, sed non omninò perfecisse, quin potiùs maturè ex ipsismet fraudem esse detectam. Benè Helvicus append. 3. Elench. Judaic. quæ est disp. 14. tom. 4. Giss. §. 45. *Possem optimo jure respondere, vos (Judæos) falsâsse Scripturam, idque possem probare ex vestris ipsorum Scriptoribus, ex quibus veram Scripturam restituerem &c.* 2. Etsi in codicibus quibusdam perfecerint, non tamen in *omnibus*, uti ex dictis apparet; atque ita corruptela particularis foret, quæ in controversiam hic non venit, uti in vestibulo, quando de statu controversiæ dici cœpit, monitum fuit. 3. Etsi etiam nostri codices plerique corruptam istam vocem in textu habeant: sensum tamen manere integrum, illæsum, orthodoxum & Christianum, ex ipso etiam Masoræ (quæ apud Judæos sacrosancta) consensu. De quo plura inferiùs. Verum enim verò contrà militare videntur; 1. *Miranda Judæorum priscorum sedulitas*, in asservanda sacri textus puritate & integritate, cujus suprà facta mentio uberiùs, & de qua Dn. Helvicus etiam d. l. testatur. 2. *Eorum, quæ à Scri-*

*Scribis correcta & depravata*, *atque ita Tikkun Sopherim dicuntur*, *futilitas*: quæ superiùs ostensa similiter. Quibus accensenda omninò videtur vox ista, כארי: atque ita quid de R. Hadarschan (qui Christianis hoc tempore incognitus, manuscriptum tamen inter Judæos haberi, testis est Helvicus alleg. log.) testimonio, à Galatino adducto, habendum sit, patere videtur. 3. *Masoræ auctoritas*. Etsi enim ad Num. 24. ℣. 9. dicitur, כְּתִיב sive scriptum in textu esse כארו: tamen *de quibusdam* modò & Masoræ quidem auctoribus non probatis codicibus ibi agi, patet, *partim* ex Masora ejus loci parva, ubi ad כָּאֲרִי ita notatur ד׳ ב׳ קמצין וב׳ פתחין h. e *quater vox illa extat*, *bis cum Kametz*, *& bis cum Patach*: ubi certè vocem כארי in Ps. 22. ℣. 17. extantem reliquis adjungunt, ubi כארי legitur, atque ita hanc lectionem ut genuinam approbant: *partim* ex R. Jacob Chajim annotatione, qui etsi in quibusdam exemplaribus testatur se reperisse scriptum כארו statim tamen addit: *notam marginalem* (quam קרי vocant) *in illis fuisse additam*, *quæ legere jubeat* כארי *Jod in fine*: (Jam verò, uti in vestibulo nostræ tractationis dictum, marginalis lectio textuali scriptioni præferenda est omninò: nec dubium est, quin nota illa ex antiquissima Masoræ traditione desumta, vocem istam non corruperit, uti Gordonus vult, sed restituerit.) Quin idem R. Jacob hoc etiam addit: *se sanè perquisivisse* (*in Masora*) *illas dictiones*, *quæ scribuntur per Vav in fine dictionis*, *& leguntur per Jod*, *& non invenisse* (*hanc vocem* כארי) *in numerum illorum redactam*: *partim* ex Masora parva ad Psal. 22. ℣. 17. ubi vocem כארי cum illa, quæ Esa. 38. ℣. 13. consentire scriptione, dissentire verò ab ea sensu, apertè confirmat: *partim* denique ex Masora finali initio lit. א fol. 2. col. 2. ubi כארי in Psal. 22. & Esa. 38. inter illorum refertur Alphabetum, sive Catalogum, quæ eandem scriptionem, diversam verò significationem obtinent. 4. *Codicum Biblicorum*, *qui legunt* כארו *qualitas*. Utut enim antiquitate pollere illi dicantur: recentiores tamen sunt ipsa Masora, quæ כארי legit, & genuinam isthanc lectionem multis modis, uti dictum, munit & confirmat. Et nota demùm, nullius esse momenti, quod ex Isaaco Huntlæus adducit, vocem כארי nec Grammaticæ, nec sensui verborum convenire. Utique enim si significet *sicut Leo*, Grammaticæ convenire ex Es. 38. ℣. 13. si verò *foderunt* significet (uti h. l. significat) sensui verborum pulchrè convenire, ex nota Masorethica clarissimè conspicitur. Hæc igitur primæ de hoc loco controverso sententiæ consideratio.

2. *Quidam*, inter quos Augustinus Episcopus Nebiensis in suo psalterio quinquelingui, & Polanus in Syntag. lectionem τοῦ כארי & significationem, *sicut Leo*, retinent, & verbi כָּרוּ *foderunt*, sive alicujus alterius, sensui conformis, ellipsin statuunt: cujusmodi verborum ellipses sunt usitatissimæ in Scriptura, præsertim in querelis, ut Psal. 120: 7. *Ego pacem* (subintellige, *diligo*,) *at cùm loquor*, *ipsi ad bellum* (supple, *conclamant*.) Sensus igitur esset, *sicut Leo manus meas & pedes meos*, videlicet *perforârunt*: ut ita similitudine ista queratur Dominus, manus & pedes sibi tanquam leonis dentibus esse perforatos. Hoc verò probant 1. *ex Masora*, quæ in margine notat, ב׳ בתרי לִשָּׁנֵי id est, *duo esse in gemino significatu*. In gemino significatu, hoc est, ut non tantùm significet, *sicut Leo*, sed etiam verbum aliquod includat. 2. *Ex Chaldæo*, qui significationem utramque complectitur, נָכְתִּין הֵיךְ כְּאַרְיָה אִידַי וְרַגְלַי hoc est, *perfoderunt* (momorderunt) *sic velut Leo manus meas*, *& pedes meos*. Hæc illi. Et videtur sanè Chaldæus ad unguem id exprimere in versione, quod ex Masora à Polano adductum fuit: uti & Esa. 38: 13. ubi vocem כָּאֲרִי *sicut Leo*, (quæ itidem בתרי לִשָּׁנֵי hoc est, ut Polanus vertit, *gemino significatu esse* in Masora dicitur) similiter verbo subintellecto vertit: כְּאַרְיָא דְּנָהֵים *sicut Leo qui rugit*. Verùm alienam esse & falsam Masorethicæ notæ eam interpretationem, ad oculum paulò pòst demonstrabimus, unde ex ea nihil roboris huic sententiæ accedit.

3. *Quidam* putant esse compositam vocem ex כאר *fodit*, & אֲרִי *Leo*, sensu eo: *sicut Leo foderunt*, quod Avenarius itidem ex translatione Thargumica probat, quæ utramque significationem connectit. Et dari quidem ejusmodi compositas voces in textu Hebræo, licet rarò, certum est: Huic autem compositio dicta competere non videtur: esset enim τὸ כ & præfixa servilis, & verbi כאר radicalis litera. Insolens autem est, unam eandemque literam duplex istiusmodi habere officium.

4. *Quidam*, inter quos Dn. D. Gesnerus in comment. probabilius esse ajunt, si legatur unico punctulo addito כָּאֲרֵי ut sit pluralis numerus in regimine pro כָּאֲרִים & exponit, *perforantes* vel *perforantium manus meas & pedes meos*. Quam lectionem à quodam Caspare Amone didicisse se ait Wolffgang. Fabr. Capito, in stit. Heb. lib. 1. cap. 13. Sed punctationis ratio hoc non admittere videtur. Si enim esset à כרה, participium legendum esset כֹּרֵי: Si à כאר Benoni haberet כֹּאֲרֵי. Sin habeatur pro nomine Toar (quod minùs probabile) qualia

sunt

sunt גֹּדֵל *crescens*, דָּבֵק *adhærens* &c. Pluralis esset כָּאֲרִים in regim. כָּאֲרֵי vel כָּאֲרִי non כָּאֲרִי.

5. Ipse aliquando in eam deveni sententiam, lectionem כָּאֲרִי *sicut Leo*, retinendam, & cum præcedentibus ita connectendam esse, ut ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ex membro præcedente repetatur verbum הִקִּיפוּנִי id autem non reddendum, *circumdederunt me*, ut sit ab inusit. יָקַף; sed *transfixerunt me*, ut sit à נָקַף *excidit*, *perfodit*, quo significatu occurrit Job. 19: 26. ut totius versus hic sit sensus: *Circumdederunt me canes, congregatio malignantium perfoderunt seu transfixerunt me: sicut Leo* (sc. transfixerunt me) *manibus meis & pedibus meis*. Nec sanè infrequens est ejusmodi verbi ex vicino repetendi ellipsis, ut Psal. 45: 4. *Accingere gladio tuo super femur, fortissime:* (accingere) *gloriâ tuâ & decore tuo*. Verùm quia *partim* Masoræ auctoritatem, *partim* etiam plerasque mihi obstare videbam versiones, lubens hâc sententiâ cessi.

III. Vera igitur & prædictis præferenda sententia (quæque non *Jesuitis* modò, ratione *puritatis*, sed *Judæis* etiam, ratione *significationis*, satisfacere potest) hæc videtur esse, כָּאֲרִי genuinam esse & incorruptam hujus vocis scriptionem; de cujus & *significatione* & *formatione* adhuc quædam ut subjungantur, necessum est.

1. *Significatio* patesit *tùm* in genere *tùm* in specie.

*In genere* ex Masora opere laudatissimo, vetustissimo, & Judæis celebratissimo. Tradit ea κατ' ἄρσιν, non significare hîc vocem istam, *sicut Leo*. Id quod patet (1.) *Ex Masora parva*, quæ ad Psal. 22: 17. ita notat, ב׳ קמצין בתרי לישני שויתי עד בקר h. e. *Hæc vox occurrit cum Cametz* (sub כּ) *sed in diversa significatione*; (& alter locus est Esa. 38: 13. in quo versu hæc extant verba) *posui usque ad manè*. Ex qua nota colligere in promptu est, cùm Esa. 38: vox ista indubitatò significet, *sicut Leo*, in Loco Psal. 22. aliâ, & diversâ significatione præditam esse. Polanus aliam hujus notæ Chaldaicæ profert versionem, uti paulò antè dictum, sed apud Masorethas חרי לישני non esse *duplex unius vocis* eodem loco positæ; sed *diversum duarum vocum*, scriptione convenientium, & diversis locis extantium *significatum*, tàm clarum est, quàm Solem lucere in meridie. Id quod ex sequenti observatione Masoræ magnæ ad oculum patet. (2.) Ex *Masora magna finali* in pr. lit. א fol. 1. col. 8. Proponitur ibi א״ב מן ב״ב ותרויהון בתרי לשני h. e. *Alphabetum constans ex binis vocibus, quæ diversam habent significationem:* h. e. ejusmodi vocum geminarum, quæ scriptione conveniunt, significatione differunt. E. G. אָמִיר occurrit Esa. 17: 6. & Hos. 4: 7. sed diverso significatu: ibi enim *ramum summum*: hîc verò *mutabo* significat. הָאָבְנָיִם extat Exod. 1: 15. & Jerem. 18: 3. sed distincto significatu: ibi enim *sellam parturientium*: hîc *rotam* sive *tabulas figulorum* designat. שִׂטְנָה legitur Gen. 16: 21. & Esd. 4: 6. sed distincto significatu: ibi enim *nomen proprium loci* est: hîc verò *adversationem* seu *accusationem* notat. Voces ejusmodi dicto in alphabeto seu catalogo ponuntur octo & nonaginta. Illis autem immiscetur vox כָּאֲרִי quæ fol. 2. col. 2. dicitur occurrere Esa. 38: 13. & Psal. 22: 17. Ex quo promptum est inferre, aliam significationem in Esaia; aliam in Psalmo obtinere. Jam verò *priori* loco *sicut Leo* sine dubio notat: Ergò aliud quid *posteriori* in textu designabit.

*In specie* igitur, quænam illa significatio sit, haud difficulter colligitur (1.) *Ex Psalmi scopo*, loquitur is, uti constat, de Christi passione & crucifixione, & in versu quidem 17. passionis istius nominatim fit mentio, quam in manibus pedibusque Salvator noster sustinuit: quænam autem ista sit, complementum Joh. 19: 18. & cap. 20: 25, 27. ostendit, quod sc. *manus ac pedes ejus fuerint in cruce transfossi*. Pulchra sunt B. Lutheri hac de re verba, comm. in Psal. 22. tom. 2. Lat. Jen. fol. 252. edit. an. 57. *Nobis* (inquit) *qui in Christum credimus, & hunc Psalmum totum de Christo dictum, auctoritate Evangelicâ tenemus, facile est probare, legendum*, foderunt, *non*, sicut Leo. *Nos enim non rem gestam è Scripturarum mysteriis, sed Scripturarum mysteria è re gesta, h.e. veterem Scripturam Euangelio illustramus, & non è contra, & illius sensum hujus sensu comparamus, & in Christum ceu duos Cherubim in propitiatorium spectare facimus, sicut dicit Jer. 23. In novissimis intelligetis consilium ejus. Et ad Mosen; posteriora mea videbis. Cùm ergò certum habeamus, Christi manus, & pedes esse perfossos in cruce, nec minus certum, hunc Psalmum in Christum quadrare, tùm sensus mirè consentiat, ac omnino exigat, foderunt legendum esse, præsertim cùm nullus etiam Grammaticæ rigor huic resistat, absque contentione & cunctatione legimus, foderunt.* Hæc ille. Vide ibid. hanc in rem plura eruditissimè. (2.) Ex *loco parallelo* Zach. 12: 10. *videbunt, quem transfixerunt*, quem Johannes cap. 19: 37. ad crucifixionem Christi disertè accommodat. (3.) *Ex significationis verbi hujus analogia*: Convenit enim quàm proximè cum radice כרה quæ *fodere*, *transfodere* significat, nec alia facilè vox ostendi potest, (vocem אֲרִי *Leo*, cum præfixo si excipias, cujus significationem ex Masorethica nota hîc nequa-

quaquam obtinet) cujus ad analogiam magis se accommodet. (4.) *Ex versionum antiquissimarum fide.* Chald. נָכְתִּין *mordentes* (in metaphora persistens respicit ad vocem præcedentem כְּלָבִים *canes*) participio ferè æquipollenti vertit; Septuaginta Græci ὤρυξαν, *foderunt*: Hieron. *fixerunt.* Vulgata: *foderunt.* (5.) Demum *ex allegata suprà Masorethanum nota* ad Num. 24: 9. quæ innuit, in quibusdam codicibus scriptum fuisse, כארו, quæ vox radicem כרה *transfodit*, agnoscit.

2. Significatione igitur prædictâ stante, quæritur de ejus *formatione?* Rectè verò habetur pro tertia plurali præteriti in Cal, à radice כָּרָה Analogicè esse כָּרוּ sed hoc instar aliarum vocum (quæ in append. Hebr. Instit. expenduntur) à regula deflectit, & anomaliam admittit, quæ tamen haudquaquam corruptio. Vide quæ in vestibulo, de irregulari scriptione vocum Hebraicarum dicta sunt. Igitur (1.) א per epenthesin insertum est, sicut in רָאֲמָה *exaltabitur*, Zach. 14. v. 10. Existimat quidem non nemo, א istud ex prisca Judæorum scriptione irrepsisse, cum enim puncta olim non fuissent addita, ideò ne nimium difficilis lectio evaderet, post quamlibet vocalem magnam unam ex literis אוי ipsos solitos fuisse addere: quas literas proinde *matres lectionis* appellare quidam non dubitant. Sed nititur hoc sententiâ illâ de recentiori punctorum vocalium inventione, quam nos non amplectimur, sed simplicem hìc agnoscimus epenthesin. Sunt etiam, qui radicem כּוּר vel כָּר constituunt, & imitatione Arabismi (quâ in linguâ verba quiescentia in Secunda radicali, *concava* quæ dicuntur, mediam radicalem ו in tertiis personis perpetuò mutant in literam א vicariam, de quo videatur Erpenii Grammat. Arabica;) כָּאֲרוּ pro כָּרוּ positum esse, autumant. Quò referenda verba Forsteri in Dictionario Hebræo pag. 373. כּוּר *fodit, perfodit, excidit; congruit significatione cum verbis* קוּר & כָּרָה, כָּרַת *nisi quòd, ut forma, ita modo significandi inter se differant. Sed quia verba habentia in medio Vau literam quiescentem, eam aliquando solent commutare in Aleph; ut pro* קוּם *scribitur* קָאם *Oseæ* 10. *pro* לוּט *scribitur* לָאט *2 Sam.* 19. *& pro* רוּם *legitur* רָאם *Zach.* 14. *Sic Psal.* 22. *pro* כָּרוּ *scribitur* כָּאֲרִי & hoc pro כָּאֲרוּ (ut jam sequitur.) (2.) Pro ו in fine posita est י quæ literæ facilè inter se permutantur. Esr. 10. v. ult. נָשְׂאֵי *acceperunt*, pro נָשְׂאוּ Exempla alia benè multa vide apud Avenarium lib. 3. Grammat. p. 585. Marc. Marinus Brixianus in Arca Noë fol. 332. col. 4. illam literam non *Jod*, *sed Vau deminutum* vocat: *& ideò positum* existimat, *ut clarè innuat clavorum Christi stigmata.* Quò facit quòd in codicibus Regiis cum Jod punctato scribitur כָּאֲרִי quasi esset *Jod Schurec* loco Vau Schurec positum, ut & alibi contingit, vide aliquot exempla Jerem. 50: 11. De alio mysterio literario nos Forsterus edocet, dictionar. Hebr. pag. 394. his verbis: *Qui aliter sentiunt, & ita à Prophetâ vocem hanc (כארי) ut in textu legitur, scriptum contendunt, multas variasque adducunt rationes, quarum aliquot Sanctes Pagninus in scholio super hunc Psalmum commemorat. Et inter illos Bernhardus Zieglerus, Doctor Theologiæ, ac linguæ Hebraicæ in celeberrima Academia Lipsiensi Ordinarius Professor, hanc quoque addit, quòd Spiritus sanctus istis literis tacitè voluerit numerum annorum præfinire, quando Christus crucifigendus esset, videlicet inde ab ista Prophetia post 1230. annos, quæ supputatio, cùm tempori respondeat, (nam totidem esse annos à Psalmo scripto ad Christi passionem) consultò ita scriptum sit, nec tamen concedit, ut exponatur, sicut Leo, sed ac si* כָּרוּ *foderunt, esset scriptum.*

## *XLIX, Psal.* 32. *v.* 4.

TEmpore Hieronymi legebatur: *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*: quod Hebraicè ita esset: נֶהְפַּכְתִּי לְשָׁדִּי בְּחָרְבוֹנֵי קוֹץ. At nunc legitur נֶהְפַּךְ לְשַׁדִּי בְּחַרְבֹנֵי קַיִץ id est, *Convertebatur præstantissimus humor meus in siccitates æstivas.* Textus igitur Hebraicus hodiè extat corruptus. Lindanus, & Bellarminus lib. 2. de V. D. cap. 13.

Resp. 1. Impura filia (versio vulgata) purissimam matrem (fontem Hebræum) in jus hìc vocat, & impuritatem suam in eam transferre nititur, sed conatu frustraneo. Cedat filia matri: agnoscant, propter discrepantiam hanc, in rivulis potiùs alienam καὶ πονηροῦ κόμματος versionem, quàm in fonte ipso corruptionem inesse. 2. Hebræum Textum, sicut apud nos legitur, exactè refert translatio Thargumica. Ita enim habet: אִתְהֲפַךְ רוּטְבִי הֵיךְ שַׁרְבָּא דְקַיְטָא hoc est, *conversa est humiditas mea, perinde ut siccitate æstivâ.* 3. Græca verò versio (ex qua Latinam fuisse deductam, inquit Bellarminus) quàm sæpè à purissimo Hebræo fonte discedat, in meridiano Sole positum est. 4. Hieronymus Latinam quidem hujus loci versionem, sicut nunc habetur, explicat (*Conversus sum*, inquit, *in ærumna, id est, in assidua tribulatione flagellorum tuorum: Dum configitur mihi spina, hoc est, stimulus conscientiæ peccatricis*) Interim tamen in translatione, quam juxta Hebraicam veritatem confecit, *posterius* membrum ita convertit: *Cùm exar-*

*exardesceret æstas jugiter*, quo ipso magis lectioni nostræ Hebrææ accedit: *Prius* verò membrum, prout in vulgata extat, ferè retinet: *Versatus sum in miseria mea.* 5. Et quomodo tandem ex בְּחָרְבִּי significationem istam (*dum configitur mihi*) Bellarminus exsculpet: חרב certè non *configendi*, sed *exsiccandi* itemque *desolandi* significationem obtinet: Nec formationis ratio quadrat. 6. Brentius in comment. h. l. lectum ab interprete fuisse ait, הרכוני, quod significat *consignationes* seu *stigmatisationes.* Quod suo loco relinquimus; חרך Chald. *adussit*, *ambussit*, significat. Vox autem posita nuspiam, meo judicio, legitur.

## L. *Psal.* 37. *v.* 28.

DEsunt in omnibus Bibliis Hebraicis illa verba: *Injusti punientur*: quæ habentur apud 70. Interpretes, & in editione vulgata. Atqui constat, hæc olim fuisse in Hebræo. Nam cùm alterni versus sequantur ordinem alphabeti, deest sola litera *Ajin*, quæ olim fuit in illis verbis: Nomen enim *injusti*, apud Hebræos incipit à litera ע vocat enim *injustos* עוילים Job. 19: 18. Nulla enim est ratio, cur Psalmista in integro Alphabeto unicam literam prætermitteret. Huntlæus cap. 9. §. 16.

Resp. 1. Hieronymus in versione, quam ad veritatem Hebraicam confecit, verba ista non habet. Nec ea legit Chaldæus Paraphrastes. Et utut in quibusdam Græcis Codicibus legantur, certum tamen est, in quibusdam etiam non haberi. Ex sola autem vulgata Latina, virgulam ipsi fonti inferre velle censoriam, eique corruptionis intentare crimen, quid aliud est, quàm amussim ad materiam, vel perpendiculum ad columnam exigere velle? 2. Nec *vel* contextus, *vel* versuum ordo, *vel* alia necessitas eà verba in Hebræo postulat. Ait quidem Jesuita, *sine illis deesse literam* ע *in Psalmo Alphabetico ordine conscripto.* At hæc necessitas nulla est, satis enim constat, Psalmistam Regium numerum ordinemvè literarum in hymnis ejusmodi non ita curiosè observâsse. In Psal. 25. nullus versiculus incipit à Vav: deest etiam ibidem litera ב, pro qua duo versus ab א incipiunt: deest item litera ק, pro qua duo versus à ר incipiunt. Nec tamen corruptionem hîc quisquam somniat: & si quis somniaret, somnium id esset, & evanida suspicio. 3. Si omninò series alphabetica in hoc Psalmo constare debeat, non tamen sequitur, *Ajin* illud in voce עוילים quærendum esse: posset enim constitui in v. 27. voce tertia, עשה *fac*, quæ ab ע incipit. *Non posset obverti*, vocem eam non esse versus initialem: nec enim in illa voce, quam Jesuita substituit, novus incipit versus, sed ad vers. 28. pericope illa in Græca & vulgata Latina translatione pertinet. *Nec posset obverti*, non esse literam initialem vocis, cum præfixum ו sit adnexum: Nam & vers. 39. qui à ת incipere deberet, voci ותשועת præfixum istud additur. 4. Posset etiam dici, quemadmodum Psalm. 25. duo versus ab א omisso ב: duo a ר omisso ק, incipiunt: Ita in Psal. 37. duos versus à צ (v. 28. & 52.) incipere, omissâ literâ Ajin. Sed uti dictum, necessitas seriei hujus Alphabetariæ tanta non est, quantam sibi Jesuita fingit: & proinde nec corruptio aliqua exinde concludi potest. Coronidis loco conjecturam Dn. Brentii in comm. h. l. adferre hîc placet, de supplemento literæ ע in hoc Psalmo: *Fortasse* (inquit) *nisi me conjectura fallit, sic scriptum fuit v.* 29. עֵינֵי צַדִּיקִים *oculi justorum: Sed scriba quispiam offensus absurditate, ut putavit, sententiæ* (*quid enim oculis cum hæreditate terræ?*) *scripsit, omissis oculis: Justi hæreditabunt terram. Solet scriptura aliquoties visu oculorum delectationem & voluptatem significare. Dixit Psaltes suprà, pios hæreditare terram; nunc addit, etiam oculos eorum hæreditare terram, significans, pios frui eâ magnâ animi delectatione &c.* Sed nulla hujus conjecturæ apparet ratio evidens: Et modus loquendi analogiæ scripturæ non respondet. Reliquenda igitur cum aliis de corruptelà illatâ suspicionibus.

## LI. *Psal.* 42. *v.* 6.

EXpecta DEUM, *quia adhuc confitebor ei*, (*propter*) *salutes* פָּנָיו *faciei ejus.* Ex versu ultimo hujus, & sequentis Psalmi, videtur h. l. legi debere פָּנַי וֵאלֹהָי *vultus mei, & DEUS meus*: ut ex sequenti ℣. 7. prima vox אלהי ad finem ℣. 6. retrahatur, eique ו præfigatur, quæ dictionem ultimam ibi claudit. Sic & LXX. τȣ̃ προσώπȣ μȣ, καὶ ὁ θεός μȣ.

Resp. 1. Consentiunt in receptâ lectione omnes Codices. 2. Interpretes Hebræi aliam non agnoscunt. 3. Paraphrasis Chaldaica itidem legit: *Ob salutes, quæ ab eo. DEUS meus, in me &c.* 4. Aquila Ponticus, cujus interpretamentum laudatur in notis ad edit. Rom. προσώπȣ αὐτοῦ. Θεός μȣ &c. 5. Hier. *Vultus ejus, DEUS meus &c.* Scriptura igitur codicum vulgarium Græcorum corrupta est, & legendum sine copula καὶ, ut patet partim ex libris emendatioribus, partim ex Hieronym. Epist. ad Suniam & Fretelam.

Hæc omnia ad verbum Drusius quæs. per Epist. 103.

## LII. *Psal.* 45. *v.* 5.

VErba Hebræa וְעַנְוָה־צֶדֶק Junius ita reddit: *Et proloquere justitiam*, ( in editione nimirum Hanov. Anno 1603. nam in altera antiquiore Françofurt. ad Mœn. An. 1579. extat: *mansuetudinis justitiæ, hoc est, mansuetæ justitiæ.*) Unde apparet, ipsum judicâsse forsan, pro illis verbis legendum esse וְעַנְוַת צֶדֶק quam lectionem Piscator Herbornensis ut genuinam approbat. Altera igitur וְעַנְוָה־ reproba erit & corrupta.

Resp. 1. Lectio illa vulgata & recepta, nec absurda, nec inepta & inconcinna est: perperam igitur alia quædam substituitur, quam omnium exemplarium refellit conformitas. 2. Expressit autem ea verba optimè ad sensum Beat. Lutherus, ita: Und die Elenden bey Recht zu behalten Notandum autem *primò*, statum absolutum pro constructo esse in voce עַנְוָה־ positum pro עַנְוַת quod & Maccaph virgula innuit, & aliàs fieri non infrequens est, Exod. 28. v. 17. Deut. 16:21. Jud. 5:13. &c. vide Dn. Buxtorff. in thes. Grammat. l. 2. c. 4. p. 346. ubi hoc ipsum Psal. 45. exemplum adducit. *Deinde*, abstractum sæpius poni pro concreto, ut hîc צֶדֶק *justitia*, pro צַדִּיקִים *justi*, quod quidam per ellipsin nominis אִישׁ exponunt, Buxtorff. d. l. p. 342. Sensus igitur est: *Et* ( עַל־דְּבַר *propter* ) *afflictionem justitiæ* ( seu *justorum* ) scilicet avertendam & tollendam, quod idem est cum eo, quod Lutherus sua in translatione dicit. 3. Nec tamen rejicimus versionem aliorum non minùs commodam, qui cum præcedentibus ita conjungunt: *Equita supra verbum veritatis* וְעַנְוָה־צֶדֶק *& mansuetudinis justitiæ, hoc est, mansuetæ justitiæ*: vel etiam: *mansuetudinis* ( *&* ) *justitiæ*, quò respexit Lutherus, quando verba illa in prima versione, Anno 1524. Witteberg æ publici juris facta, ita translata exhibet. Fahre einher mit Warheit/ Sanfftmuht und Gerechtigheit/ quam tamen versionem Φροντίδες Lutheri δεύτεραι mutârunt, & tùm ad sensum, tùm ad idioma Germanicum magis accommodârunt. 4. Hanc, quam jam explicavi, verborum Hebraicorum lectionem mirum, quàm frivolis inductus rationibus Piscator rejiciat. *Prima ratio* est lineolæ Maccaph præsentia. At quomodo illa lectionem receptam destruere possit, ne verisimilis quidem potest dari conjectura, præsertim si priorem, quæ Lutheri est, versionem tueamur. Conjungit enim lineola illi ut aliàs, sic hoc etiam loco duas voces, sese mutuò respicientes, & indivulsè cohærentes. *Altera ratio* est, conjunctionis copulativæ ו absentia ante vocem צֶדֶק. Verum, si *priori* Lutheri expositioni locus datur, copulâ nullâ opus: si *posteriori*, copulam deesse sæpè, vel pueris notum est.

## LIII. *Psalm.* 53. *v.* 6.

DEUS *dispersit ossa* חֹנָךְ *castrametantis contra te &c.* D. Brentius vertit: *DEUS dissipat ossa hypocritæ* ( quod & Osiander amplectitur, ) & hanc voci Hebrææ applicat censoriam virgulam: Non ignoro, pro eo, quod nos transtulimus, *hypocritæ*, apud Hebræos haberi חֹנָךְ quod alii transferunt, *obsidentis seu oppugnantis te*, videlicet ô Jerusalem, à verbo חנה quod significat *obsidere aut oppugnare*. Sed quid huic loco cum oppugnatione urbis Jerusalem? Arbitror ergò initio scriptum fuisse חָנֵף quod significat *hypocrytam*: scribam autem quendam legisse alterum pro altero, & errorem ejus in alia exemplaria dimanâsse. Cùm igitur in his versiculis tractetur de Sacerdotibus, Pharisæis & hypocritis, qui impiâ suâ doctrinâ seducunt Ecclesiam DEI, visum est ad hunc modum transferre: *DEUS dissipat ossa hypocritæ.* Illud enim est supplicium impiorum Sacerdotum & hypocritarum, quòd DEUS dejiciat & pessundet omnem auctoritatem, dignitatem, virtutem, (hoc enim est *dissipare ossa*) ac potentiam ipsorum, &c.

Resp. 1. Fatendum est, & explanationem hanc concinnam, & erroris istius in permutatione literarum ךף facillimam potuisse occasionem esse. Verùm quò minùs irrepsisse istiusmodi mendum statuamus, movet nos consideratio (1.) punctorum, quæ utrobique variant: & scribam unum pro altero legisse, existimare prohibet. (2.) Masoræ, quæ notâ additâ errore vocem חֹנָךְ munit, *non ampliùs extare, & defectivè scribi* (sine ו interposito) monens; id quod de altera voce חנף dici non potest. (3.) Significationis non minùs perquàm congruæ in voce חֹנָךְ *obsidentis te*, vel *castrametantis contra te.* Quid enim impedit, quo minus de Hierusalem cœlesti, quæ Ecclesia est, hæc dici, & pulcherrimâ hac metaphorâ divinam tutelam & defensionis adversus hostes beneficium insinuari, asseramus? 2. Lutheri versio eôdem tendit, etsi in metaphoræ explicatione variet, ita enim cum marginali scholio habet: Gott zerstreuet die Gebeine der Treiber.

Treiber. Das sind die / so mit Gesetzen und Gewalt die Leute wollen from machen / in eigen Wercken / wie die Hauptleute das Kriegsvolck treiben. Vides vocem צבא (quæ in nostris Bibliis extat, & ab exercitu ductam metaphoram complectitur,) non minus ad Pharisæos hypocritas applicatam, ut alterius istius permutatione, quam Brentius vult, non sit opus. 3. Nostram insuper lectionem confirmat Chaldæus interpres, qui vertit: *DEUS dispergit fortitudinem exercituum improborum.* Quò autem respexerint LXX. qui vertunt: ὁ Θεὸς διεσκόρπισεν ὀςᾶ ἀνθρωπαρέσκων; Et vulgata: *DEUS dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent;* (quod & Syrus interpres sequitur: *DEUS dispergit ossa eorum: quoniam ii, qui placent hominibus, pudefacti sunt;*) non satis patet. 4. Allegoriæ, seu matephoræ continuatæ magis convenit nostra lectio, quàm Brentii altera. Ex Psalmo enim 141: 7. patet, phrasin, *ossa dispergi*, occisionis & violentæ mortis ἐξηγητικὴν esse, (confer Psal. 44: 23.) dum igitur de exercitu hostili ea usurpatur, & de eo dicitur, *DEUM ossa ejus dispersurum*, quid aliud quam hostium Ecclesiæ deletio & extrema pernicies, quin æterna damnatio intelligenda quàm commodissimè? Quod idem etiam locum habet, si Chaldæi interpretamentum sequi & per *ossa* intelligere *fortitudinem* velimus. Quod exercitui bellico aptissimè quadrat. 5. Convenientia loci hujus, cum paralelo altero Psal. 14. (idem enim Psalmus est, variatis tantùm quibusdam verbis & phrasibus,) stante nostra explicatione, congrua est. Eam verò Musculi verbis, comment. in h. l. proponere placet: Verbis utrinque quidem non convenit, mens tamen eadem est utrobique, nam utroque Psalmo minatur impiis supplicium, & pollicetur populo DEI presso liberationem. Quod ergò Psal. 14. rationis vice, quare pavore sint corripiendi impii, populi DEI voratores, posuit; *Quoniam Dominus in generatione justorum est:* respondet ei quòd hîc dicit: *Quoniam Dominus conteret ossa obsidentis te.* Ita scilicet exponitur, quomodo illic dixerit, *Dominum esse in generatione justorum*, nempe ut protectorem illorum, contra reprobos. Hoc autem non potest fieri, nisi contrita impiorum potentiâ, quæ per *ossa* hîc intelligitur. Fluit aliud ex alio. Punientur reprobi, conteretur illorum robur, pavore olim horrendo pavebunt, meritò correpti supplicio: quare? Quia ut Psalmus 14. habet: *Dominus est in generatione justorum.* Ergò non deseret eos, sed prorsus liberabit, contritis impiis &c.

## LIV. Psal. 72. v. 17.

*Erit nomen ejus in seculum: ad faciet Solis* ינון *filiabitur nomen ejus.* Quidam putant Davidem scripsisse יכון *stabilietur nomen ejus*, probantes id ex Græca & Chaldaica versione, quarum illa διαμένει vertit; hæc יתקן *parabitur.* Potuissent addere interpretationem Hieronymi: *perseverabit nomen ejus.*

Resp. Ex eo non sequitur, quod illi volunt: Nam etiam ינון significat *perseverare.* Propriè est *sobolem procreare*, quod *sobolescere* dicunt. Sed latiùs accipitur. Nam cùm semen humanum, seu sobolis procreatio, permanentiam & consistentiam familiæ adferat, in genere vox ea *perdurare* significat. Nihil igitur mutandum in Scripturâ receptâ. Neque argumentum valet: Græci reddunt διαμένει; Ergò legerunt יכון cùm etiam ינון hoc denotet: sensum ergò expresserunt. Hæc ferè Drusius quæsit. per Epist. 84. Adde his, posito, Græcos legisse יכון & eam vocem versione sua expressisse, non tamen exinde sequi, in textu Hebræo corruptelam esse: quin rivulo potiùs quàm fonti id rectissimè tribuitur.

## LV. Psalm. 95. v. 10.

Septuaginta Interpretes, vulgata editio, & Apostolus Hebr. 3: 10. habent, *Semper errant corde.* Sed adversarii jam vertunt ex Hebræo corrupto: *Populus errantium corde.* Causa hujus erroris est, quod Judæi transmutârunt literam *Daleth* in literam *Mem.* Nam עד significat *semper* & עם est *populus* &c. Huntlæus c. 9. §. 9.

Resp. 1. Frivola Jesuitæ conjectura hæc est, & vix recensione digna. Quasi verò non idem sensu exprimeretur, dum à Psalmista dicitur, quod *Israelitæ fuerint populus errantium corde;* dumque interpretes sensum secuti vertunt: *semper hi errant corde.* 2. Magis frivolum, quod subjungit, *hunc locum forte ex industria corruptum esse à Judæis, in gratiam patrum Judæorum, ne viderentur semper errâsse.* Ita enim totum potius sustulissent locum, ne viderentur illi ullo modo errâsse. 3. Sed maximè frivolum est, quod ex עד factum fuisse עם asserit. Vocula enim עד pro *semper*, non usurpatur absolutè: sed *vel* locum, tempus, aliamve rem, cum nomine, cui adjungitur, consignificat, exponi solita per *ad usque*, &c. *vel* cum אשר, כי conjuncta per *donec*, *usque dum*, explicanda est, uti collatio Scripturæ usus per-

 petui

petui ostendit. Legitur quidem Esa. 26: 4. עדי־עד *usque in seculum*, sive *semper*, sed hoc à simplici voce עד diversum est. Esa. 57: 15. inhabitans עד *aeternitatem*: sed ibi nominaliter accipitur. Job. 20: 4. Nonne hoc nosti מני־עד *à seculo*, h. e. *semper*: sed & hîc non absolutè, sed ἐν προσθέσει usurpatur. 4. Breviter dicendo, quæ adferuntur, non factam in voce Hebræa corruptionem, sed diversam interpretum, sensu tamen hîc manente integro, translationem comprobant.

## *LVI. Psalm.* 96. *v.* 10.

JUdæi, teste Justino in Dial. cum Tryphone, nobilem illam Prophetiam de Messia crucifigendo, & *à ligno* paganis regnaturo, mutilârunt. Nam cum in Psalmo sit, *Regnavit à ligno DEUS*: τὸ ἀπὸ ξύλȣ, inquit, ἀφῄκαν οἱ Ιȣδαῖοι, *A LIGNO sustulerunt Judæi.* E. textus Hebraicus non est purus & integer. Wilh. Lindanus, qui ad Psalterium quoddam Hebræum Anglicanum provocat.

Resp. 1. Verba ista Tertullianus etiam lib. adv. Judæos cap. 19. lib. 3. advers. Marcion. 19. & 21. August. tom 8. enarr. in Psal. 95. & alii legunt; habentur item in Psalmodia Romana: sed nec Chaldæus, nec Græci, nec Latinus Interpretes, nec demum interpretatio Hieronymi ea agnoscunt. Damnet igitur & illas Lindanus. Non autem dubium est, quin Ecclesia à Justino monita, verba hæc, tanquam peculium suum (modo germanum ac genuinum fuisset) quasi postliminiò recuperare, & in pristinas sedes restituere studuisset: quod quia factum non est, Lindani assertio labascit. 2. Nusquam autem Justinus scripsit, à Judæis textum Hebraicum esse corruptum, sed textum Græcum LXX. Interpretum. Verba Justini hæc sunt: *Ac quod illi multos ac integros locos illarum* ἀπὸ τῶν ἐξεγήσεων τῶν γεγενημένων ὑπὸ τῶν παρὰ Πτολομαίῳ πρεσβυτέρων, *ex translatione eorum, qui cum Ptolomæo fuêre, seniorum sustulerint, in quibus clarè hunc ipsum crucifixum DEUM & hominem esse, eumque in cruce pendere & mori, pronunciatum esse ostenditur, scire vos volo.* 3. Si porrò de versione illa Græca, quam Justinus agnovit, quæratur; Fullerus pulchrè respondet, lib. 3. miscell. sacr. c. 13. *Additum arbitramur* (inquiens) *in Græca quadam Psalmorum translatione, vel translationis potiùs exemplari uno aut altero, quod viderat Justinus. Id autem quoniam authentico non congruebat, jure optimo non admittebant Judæi, partim denuntiationis divinæ religione obstricti, partim muneris sui ratione (quod à DEO* χαρτοφύλακες *& oraculorum DEI custodes constituti fuerunt, Rom.* 3: 2.) *permoti &c.* Et p. p. quomodo in versionem istam hæc verba irrepserint; ostendit his verbis: *Cùm lector quispiam paulò attentior animadvertisset, Prophetam ibi spiritualis regni pomœrium in universas gentes proferendum significare, horum Scripturæ sacræ verborum* (ὁ κύριος ἐβασίλευσεν) *apposuit è regione, in ora libri sui voces illas* ἀπὸ τοῦ ξύλȣ *quasi* ἐξηγητικάς. *Porro cum annotatiuncula illa librario non injuriâ arrideret, ratus eam variam esse lectionem, in textum fidenter transtulit. Hunc deinde alii fortè (ut solent) imitati sunt. Tandem vehementer probata piis fidem auctoritatemque conciliavit.* 4. Rectè proinde Faber (cujus verba August. Justinianus Episc. Nebiensis in Psal. V. Lingg. allegat) *non esse illa verba de Hebraica veritate, sed Christianâ devotione addita*, judicavit. 5. Psalterium Hebræum Anglicanum, ad quod Lindanus provocat, (mentionem ejus facit quoque Schindlerus, rad. מלך) quod attinet, gravissimam ejus animadversionem Benedictus Arias Montanus, in libello de variâ lect. lib. Hebr. & Masoreth (qui habetur in apparatu operis Regii Hispanici) instituit, & inter alia sic loquitur: *Cùm Psalterium istud videremus, non potuimus non vehementer dolere gravissimo & doctissimo Viro* (Lindanum forsan intelligit) *qui ex alienâ fide scripserit & docuerit, sic turpiter esse impositum; cum primis enim neque liber antiquus est, neque ab aliquo, qui Hebraicam linguam cognôrit, scriptus, sed à Scriba Latinas eleganter pingendi literas non ignaro, octoginta aut ad summum centum abhinc annis depictus, adeò corruptè, ut vix ullum verbum integritatem suam retinere videatur. Contuli me ad Psal. 96. ibi non modo non reperi illud testimonium, à ligno, verum totum illum dimidium versum desideravi, videl. dicite in gentibus, quia Dominus regnavit &c.*

## *LVII. Psal.* 145.

POst versum 13. deest in omnibus Hebraicis Bibliis integer versus, qui habetur apud LXX. Interpretes, & in vulgata editione, videlicet: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Porro satis constat, olim versum hunc fuisse in Hebræo textu. Nam cùm singuli versus illius Psalmi incipiant à singulis literis per ordinem alphabeti, deest sola litera *Nun*, quæ erat in principio hujus versus, quia vox, *fidelis*, in Hebræo incipit à נ videl. נאמן Huntl. cap. 9. §. 17. Mollerus in h. l. p. 1361.

Resp.

**Resp.** Patet responsio ex iis, quæ ad locum 50. fuère dicta, quibus adde, (1.) versimile videri, quòd Græci Interpretes, cum versum à litera נ trahentem initium non invenirent, & defectum aliquem suspicarentur, versum sequentem 17. in locum illum retraxerint, primo saltem & quarto verbo immutato. Versus ille sic habet: צַדִּיק יְהוָה בְּכָל־דְּרָכָיו וְחָסִיד בְּכָל־מַעֲשָׂיו *Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* Pro vocabulo primo צדיק ponatur נֶאֱמָן; pro quarto דְּבָרָיו דְּרָכָיו & emerget versus 14. in Græco adscititius: πιςὸς κύριος ἐν πᾶσι τοῖς λόγοις ἀυτοῦ, καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις ἀυτοῦ. Qui planè ejusdem cum v. 17. sensum obtinet. (2.) R. Schelomonem omissæ à Davide literæ נ hanc reddere caussam: *Vidit David* (inquit) *in illa* (litera נ) *ruinam difficilem* (de qua Esa. 24: 20.) נָפְלָה *Cecidit, & non addet surgere filia Israel: propterea transiit* (ad literam ס quæ à סמך *fulcivit*, deducitur) *& fulcivit eam Spiritu sancto* (inquiens) *sustentat Dominus omnes* הַנֹּפְלִים *cadentes v.* 14. Hæc ille.

## *LVIII. Prov.* 18. *v.* 1.

לְתַאֲוָה *Secundum desiderium quærit separatus.* Quidam olim scriptum fuisse putant, לְתֹאֲנָה *occasionem quærit separatus*: Uti ex LXX. editione pateat, προφάσεις ζητεῖ ἀνὴρ βϐλόμενος χωρίζεσθαι: Et ex locis parallelis, Jud. 14: 4. Dan. 6: 5.

Resp. Ut demus ita legisse Interpretes illos, tamen ex eo non sequitur, ita olim scriptum fuisse in libris Ebraicis: potuerunt enim errare in his literis, ut in multis aliis errârunt. Certè Aquila & Symmachus legerunt תאוה. Vertunt enim, εἰς ἐπιθυμίαν. Cæterum Jud. 14: 4. non legitur לְתֹאֲנָה sed תֹאֲנָה simpliciter, quod cum verba בקש constructum significat *occasionem quærere*. In Daniele verô est בעין עלה *quærentes sunt causam*. Hæc etiam Drusius habet quæsit. per. epist. 84.

## *LIX. Esa.* 9. *v.* 6.

UBi dicitur, quod *Christus vocabitur, Pater futuri seculi &c.* LXX. Interpretes habent, *Vocabitur*, passivè; sic Chaldæus Interpres, sic & vulgata editio. At mutatis tantùm punctis Judæi ex passivo fecerunt activum, *Vocabit*, ut videlicet omnia illa præclara epitheta auferantur à Christo, & tribuantur DEO Patri: Christo verò relinquatur tantùm, quòd sit *Princeps pacis*: ita hunc locum legentes: *Admirabilis, Consiliarius, DEUS fortis, Pater futuri seculi, vocabit nomen ejus* (*scil. Messiæ*) *Principem pacis.* Huntl. contr. 1. cap. 8. in quo *puncta Hebræorum malè posita esse in variis Scripturæ locis*, probare contendit. §. 5. Eundem locum producit Bellarm. lib. 2. de V. D. cap. 2.

Resp. 1. Negamus in punctis hujus verbi ויקרא factam esse depravationem, sed idiotismum linguæ sanctæ hîc agnoscimus, *quo futurum activum sine supposito sæpè passivam habet significationem*, uti loquitur Riebera in Mich. 2. num. 17. Tertiæ enim personæ verba activa apud Hebræos sæpissimè usurpantur indefinitè, nullo nominativo expresso, atque propter id *vel* verbum activum passivè interpretandum: *vel* ei commodæ vocis nominativus subaudiendus est. Gen. 16: 14. Idcirco קָרָא *vocavit puteum istum*, h. e. vocabitur puteus iste. Luther. man hies ihn. Vel, *vocavit* sc. quisque Nehem. 2: 7. *Epistolas tradant mihi*. h. e. tradantur mihi epistolæ: vel *tradant* scilicet, Scribæ tui. Alia exempla sunt Job. 3: 3. Mich. 2: 4. Hab. 3: 17. Et in Novo Test. Luc. 12: 20. Act. 13: 19. Apoc. 16: 15. &c. 2. Quid ad hæc Scotus Jesuita? *Quorsùm* (inquit) *ista, de quibus nemo quæstionem movit? neque enim reprehendimus Christianos, qui verbum activum* (*vocabit*) *à punctatoribus malè positum exponunt per verbum passivum* (*vocabitur*) *sed punctatores ipsos reprehendimus, qui cùm debuissent hîc posuisse puncta verbi passivi, noluerunt id facere, sed ex industria adjecerunt falsa puncta verbi activi &c.* Verùm (1.) ignorationem elenchi dum Jesuita nobis impingit, ipse manifestam committit principii petitionem. Hoc ipsum enim est in controversia, an ista punctorum falsatio à Judæis facta sit: si enim commode ex idiotismo Hebrææ linguæ locum hîc habere potest significatio passiva, quænam ratio nos movet, ut ad factæ depravationis punctorum confugiamus asylum? (2.) Quin falsâ etiam Jesuita nititur hypothesi, puncta nimirum Hebræorum non esse literis coæva, sed multis pòst seculis à Judæis excogitata, qui proinde in suâ punctatione falsâ hîc puncta posuerint. Quam hypothesin ut erroneam, & in sacri codicis auctoritatem multis modis injuriam, rejicimus & explodimus. (3.) Judæis istis, qui ex hypothesi Jesuitæ puncta addiderunt, cognita probè fuit ista loquendi apud Hebræos consuetudo, paulò superiùs notata. Non igitur verisimile, ipsos pro punctis verbi passivi posuisse puncta verbi activi: neque enim hoc ipsos quicquam juvisset, cum facilè suspicari potuissent, Christianos, divinitatis Messiæ assertores, ad prædictum idiotismum sese collaturos: quin po-

potius alia ratione textum depravassent, si studio huic fuissent intenti. (4.) Num & cætera loca, ubi *activum* verbum pro *passivo* ponitur, à Judæis punctatoribus depravata esse, Jesuita asseret? At quanam quæso conjecturâ vel levi probatum id dari poterit? Par igitur ratio præsentis loci. 3. Quomodo verò Huntlæus probat, debuisse hîc esse puncta verbi passivi, quæ fuerint de industria à punctatoribus depravata? Quatuor nimirum nititur fulcris, sed stramineis. (1.) *Versione Græca* 70. Interpretum, *Chaldæa*, & *Latina* vulgatâ, qui legunt: *Vocabitur*. Respond. Hoc nondum probat in authentico Hebræo textu pro punctis verbi passivi posita esse puncta activi: sed hoc tantùm, idiotismum Hebraicæ ling. dictos Interpretes ad sui sermonis idioma accommodâsse, & sensum verbi, non ipsam strictè dictionem attendisse. Sicut Job. 3: 2. quando Hebræa veritas habet: *Maledicta sit nox illa, qua* אָמַר *dixit* &c. Vulgata ad sensum reddit *in qua dictum est*. Mich. 2: 4. Hebræa ad verbum sonant: *in die illa* ישׂא *tollet super vos parabolam*. LXX. Interpretes idiotismum illum attendentes verbum activum passivè reddunt: ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ληφθήσεται ἐφ᾽ ὑμᾶς παραβολή. Ita & vulgata: *In die illa sumetur super vos parabola*. Verba Habac. 3:17. גָּזַר *abscindet ex ovili gregem*; Vulgata ita transfert: *abscindet de ovili pecus*. (2.) *Auctoritate Judæorum antiquiorum, quos passivè hoc verbum intellexisse, ex Galatino lib.* 3. *c.* 19. & 26. probat. Resp. Nulla consequentiæ ratio: Judæi prisci intellexerunt passivè. Ergo legerunt verbum יקרא punctis Niphal sive verbi passivi. Damus enim instantiam à Christianis interpretibus, qui passivè hunc locum exponunt, & tamen puncta activi verbi sarta tecta retinent, observato idiotismo Hebræo, cujus facta mentio superiùs. Idem de priscis Judæorum Interpretibus sentiendum. (3.) *Expositione Judæorum recentium, qui activè legunt & interpretantur*. Res. Verum est, à veterum orthodoxâ Cabbalâ Rabbinos recentiores multùm descivisse, unde R. Kimchi h. l. ita exponit: פי׳ הקב״ה שהוא פלא יועץ ואל גבור אבי עד קרא שם הילד הזה שר שלום וגו׳ hoc est, *Sensus est: DEUS benedictus, qui est Admirabilis, Consiliarius, DEUS fortis, Pater æternitatis, vocavit nomen pueri istius, Princeps pacis*. Ita & R. Schelomo, qui Regem Ezechiam per puerum istum nasciturum intelligi, apertè innuit. Verùm non factam in punctis vocalibus depravationem, sed perversam hominum occœcatorum interpretationem hoc ipsum arguit: Uti etiam alibi, quod de Messia dicitur, ad subjectum aliud ἑτερογενὲς applicare non verentur. (4.) *Collatione aliorum Esaiæ locorum, ubi puncta verbi passivi* יִקָּרֵא *posita sunt*. Cap. 1: 26. cap. 14: 20. cap. 32: 5. cap. 35: 8. cap. 44: 5. cap. 56: 7. cap. 62: 4. Resp. Concedimus, phrasin istam per *passivum* verbum Prophetæ huic non esse infrequentem: concedatur autem nobis vicissim, phrasin alteram per verbum *activum*, passivâ significatione gaudens, à filo & stylo Scripturæ non esse alienam: Id quod ad tuendam verbi hujus punctationem sufficit. Et notetur coronidis loco, Masorethas, punctorum non inventores, sed in textu jam antè exantium censores antiquissimos, punctationem istam activi verbi ita munire, ut, quin vera illa & genuina sit, dubitari non possit. Notant enim ad h. l. verba illa וַיִּקְרָא־שְׁמוֹ *sexies ita conjuncta reperiri*, quorum loca in Masora magna textuali ad Gen. 35. v. 8. recensentur. Inter quæ locus etiam Esa. 9. v. 6. habetur. Vicissim autem 2 Sam. 18. ad v. 9. in Masora textuali notatur, וַיִּקָּרֵא (passivum futurum cum Vau conversivo) *quinquies in Scriptura reperiri*. Inter illa vero loca, quæ ibi recensentur, præsens textus Esa. 9: 6. nequaquam habetur.

## *LX. Esa.* 40. *v.* [illegible]

IN Hebræo est: וְרָאוּ כָל־בָּשָׂר יַחְדָּו *Et videbunt* (h. e. videbit) *omnis caro pariter*. At Lucas cap. 3. vers. 6. verba hæc ita allegat: καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ θεοῦ, quæ extant etiam apud LXX. Interpretes in dicto Esaiæ textu. Quare ista verba: τὸ σωτήριον θεοῦ, in Hebræo desunt.

Resp. 1. Neque in vulgatâ versione hæc verba extant, utique igitur ipsa quoque corrupta fuerit, si ex absentia horum vocabulorum corruptio probari potest. 2. Et Chaldæus etiam Paraphrastes conformem textui Hebræo translationem exhibet. 3. Si verba Euangelistæ expendantur, patebit verbis istis paucis totum versiculum quintum Esaiæ 40. voluisse ipsum comprehendere. Verba Prophetæ ita habent: *Et revelata est gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quòd os Domini locutum est*. Lucas id omne paucioribus exprimit verbis, dum pro *gloriâ Jehovæ se revelaturâ, ut ab omni carne videatur*, hæc substituit verba: *Videbitque omnis caro salutare ejus*. Notum enim est, N.T. Scriptores non verba semper, sed crebrò sensum dictorum T.V. referre, in quo consuetudo eorum agnoscenda, nequaquam verò Hebrææ veritati corruptionis crimen intentandum est.

### *LXI. Esai.* 49. *v.* 24.

VErba Hebræa sunt: וְאִם שְׁבִי צַדִּיק יִמָּלֵט *Et an captum justi eripietur?* Suspectus hic locus quibusdam est de mendo, quare legendum potius censent שְׁבִי עָרִיץ *captum robusti*, cùm 1. antiquus ita verterit Interpres: *quod captum fuerit à robusto:* cumque 2. in sequenti versu verba respondentis Domini quæstioni vers. 24. propositæ παραλλήλως congruant. In illo autem dicitur וּמַלְקוֹחַ עָרִיץ יִמָּלֵט *captura robusti eripietur.* Musculus in comment. h. l. *Apparet ex versu sequenti, ubi habetur istorum repetitio, per modum responsi positum hic esse per errorem* צדיק *pro* עריץ *quem lapsum facilè accidere potuisse, intelligunt, qui literarum istarum formas haud multum dissimiles inter se considerant.*

Resp. Ratiunculæ istæ tanti ponderis non sunt, ut suspicionem istam confirmare possint. Contra enim producimus 1. *Consensum omnium Hebraeorum codicum*, qui ὁμολόγως habent צדיק 2. *Paraphrasten Chaldeum*, qui vertit ואם דשבו זכאין ישתיזב *an id, quod captivârunt innoxii sive justi, eripietur?* 3. *Eusebii auctoritatem*, qui de hoc loco ita scribit: Ἀντὶ τοῦ ἀδίκως (sic habet Græca editio vulgata) ἡ ἑβραϊκὴ λέξις δικαίως περιέχει, h. e. *pro injustè, Hebraica dictio justè habet.* 4. *Sensus in recepta lectione integritatem & concinnitatem.* Est enim שְׁבִי צַדִּיק dictum *vel* κατὰ δόξαν, ut intelligatur *captura* sive *captiva turba tyranni, qui se prædicat justum dominum* ac possessorem eorum, quos bello cepit; interim tamen est עָרִיץ *robustus perfractor, violentus & injustus hostis*, uti in versu seqq. explicatio subjungitur. Quo sensu Pharisæi dicuntur *Justi*, Matth. 9: 19. Luc. 15: 7. quia scilicet *tales sibi esse videbantur*, ut explicatur Luc. 18:9. *Vel* κατ' ἀλήθειαν, ut intelligatur *captivitas justi* scilicet militis, hoc est, quam miles aut Imperator aut Princeps justè cepit, (R. Kimchi הוא שבי צדיק כי בצדק ובמשפט לקחו *Hæc est captivitas justi, quia in justitia & judicio cepit illam*) hoc sensu: *captivi justo bello capti num liberari poterunt?* Et convenit sanè hæc expositio pulchrè rei ipsi. *Sive* enim textum hunc Propheticum de captivitate Judæorum corporali & Bobylonicâ; *sive* de captivitate hominum spirituali & diabolica, (quem sensum Christus ipse Matth. 12: 29. Luc. 11: 21, 22. ostendit) deque divina liberatione ex *utraque* intelligamus, verissimum utrobique est, captivitatem illam fuisse *justam*, si non respectu *termini à quo*, seu captivantium, respectu tamen *termini ad quem*, sive captivorum, qui ob peccata, atque ita justissimè pœnâ illâ afficiuntur: ut & respectu DEI justè in homines peccatores animadvertentis.

### *LXII. Esa.* 53. *v.* 8.

VUlgata habet: *Propter scelus populi meî percussi eum.* Ita Septuaginta, ita Chaldæus in singulari numero &c. At in omnibus Hebraicis libris addita est litera מ inter duas ultimas literas, ut sit לָמוֹ *illis*, non לוֹ *illi.* Atque secundùm hanc lectionem populus Israël, & non Christus dicitur percussus propter peccata nostra. Huntl. c. 10. §. 6.

Resp. 1. Quidam Interpretes *singulariter*, quidam *pluraliter* vocem eam interpretantur: utrique vero de Messia Salvatore nostro intelligunt. *Singulariter* accipiunt Pagninus, Tremell. & Junius: Vatablus, Ariæmont. Schindlerus, & qui primo nominandus erat loco, B. Lutherus in versione Germanica, quorum versio hunc habet sensum: *Propter scelus populi mei plaga fuit illi* (seu *super illo*) scilic. *Messia.* Hi igitur vocem לָמוֹ *vel* pro singulari habent, quomodo accipi videtur Genes. 9: 26, 27. Esa. 44: 15. (Si enim affixo ם plurali interdum affixum ו singulare per paragogen à fine additur, ut tamen significatio maneat pluralis: quid obstabit, quò minus affixo singulari ו per epenthesin possit addi litera מ sine ulla corruptela, ut tamen significatio maneat singularis. Ita מ epenthetικῶς etiam inseritur in מִמֶּנִּי & מִכֶּם, מִמֶּנּוּ, ut & in nomine נִמְבְזָה *contemtibile*, pro נְבְזָה 1 Sam. 15: 9.) *Vel*, quod probabilius, per enallagen pluralis pro singulari explicant. Et jucunda sanè est D. Brentii observatio, numero isto plurali de solo Christo usurpato denotari, ipsum in passione, quæ Esa. 53. describitur, vicem gerere totius generis humani, & plagam in Messia omnibus omninò hominibus fuisse impositam, ita tamen, ut solus Christus pro istis eam sustinuerit. Confer. 2. Cor. 5. v. 15. Qui *pluraliter* לָמוֹ accipiunt, posterius ejus versus membrum ita connectunt: *Succisus est de terra viventium propter iniquitatem populi mei, quibus plaga scil. debebatur*, seu *destinata erat.* Quæ expositio non minus plana & simplex est: לָמוֹ enim plurale voci collectivæ עַם h. e. *populus*, respondet, sicut Num. 16: 3. *Omnis hic cœtus*, כֻּלָּם *omnes illi sancti sunt.* Et ex idiotismo Hebrææ linguæ sæpè duplex relativum ponitur. (Esa. 5: 28. *Cujus sagitta*

*ejus acuta*:) inter quæ prius, quòd fere אֲשֶׁר est, interdum deficit. Job. 3: 13. *Aut cum principibus* זָהָב לָהֶם *aurum ipsis*, pro אֲשֶׁר זָהָב לָהֶם *quibus aurum ipsis*, h. e. *quibus aurum* (*est*.) Quod exemplum loco præsenti exactè congruit. 2. His ita igitur se habentibus, cuivis liquidum evadit, quid de Jesuitæ assertione sit habendum. Textum sanè ejusmodi, qui de Messia & intelligi potest, & omninò debet, corruptionis à Judæis illatæ, idque sine solida ratione arguere, audax nimis est pronunciatum. Certè si Judæis mens ea constitisset, non tam in voce לָמוֹ quàm in aliis evidentioribus operam eam, vel malitiam potiùs posuissent: quin in Chaldaica paraphrasi potiùs v. 1. nomen מְשִׁיחָא sustulissent, quæ impiæ eorum blasphemiæ διαῤῥήδην contrariatur. 3. Videamus etiam, quàm solidis assertio Jesuitica fundamentis nitatur. (1.) *Vulgata legit in singulari, percussi eum*. Resp. In singulari etiam nostrorum interpretum quidam exponunt, uti suprà dictum, sine ulla depravationis suspicione. 2. *Septuaginta legunt in singulari*. Resp. Idem hîc esto responsum. Nota autem, versionem istam ab Hebræo multùm discrepare, ita enim habet: *ἀπὸ τῶν ἀνομιῶν τοῦ λαοῦ μȣ ἤχθη εἰς θάνατον, propter peccata populi mei adductus fuit in mortem*. Pro נֶגַע igitur legisse videntur נָגַע *adductus fuit* (נָגַע enim *pertingere* seu *pervenire* alicubi significat) pro לָמוֹ verò לָמוּת seu לָמוּת *ad moriendum*. Quod si ergò quicquam ex versione Græca probari posset, longè alia corruptionis ratio foret statuenda. (3.) *Chaldæus Interpres in singulari legit*. Resp. falsum hoc. Paraphrasis ita habet: חוֹבִין דְחָבוּ עַמִּי עַד לְוָתְהוֹן יִמְטוּ h. e. *iniquitates, quas perpetrârunt populus meus, ad ipsos pervenerunt*. Ex quo patet, ad populum quidem Dei à Jonathane Chaldæo hæc verba referri (sicut & pleraque alia in hoc capite, ita tamen, ut mentionem Messiæ subinde intermisceat, imò & ipsum esse primarium scopum hujus capitis, ostendat initio, his verbis: הָא יַצְלַח עַבְדִּי מְשִׁיחָא *Ecce prosperabit servus meus MESSIAS*) falsum tamen esse, quod Gordonus ait, *in singulari* Chaldæum hæc verba interpretari. (4.) *Secundum hanc lectionem populus Israel, & non Christus dicetur percussus propter peccata nostra*. Resp. An hoc ita sit, ex superiori explicatione constat. (5.) *Recentiores Judæi non de Christo, sed de Judæis hoc caput (& hunc versum) intelligunt, quod scil. illi patiantur ista omnia propter peccata Christianorum*. Resp. Hæc non factam depravationem, sed perversam explicationem & malam applicationem arguunt. Et possunt Judæi ex ipso contextu firmissimè refelli, quod etiam Galatinus lib. 8. c. 15. præstitit, ubi tamen hujus corruptelæ ne syllabâ facit mentionem. Quin etiamsi in singulari scriptum esset לוֹ, nondum tamen eorum satisfactum esset pervicaciæ; sicut enim præcedentia, quæ de uno aliquo in singulari loquuntur, ad totum populum accommodant, ita perinde agerent in pronomine isto singulari.

## LXIII. *Esa*. 53. *v*. 9.

IN Hebræo ita legitur: *Et dedit cum impiis sepulturam suam, & cum divite* בְּמֹתָיו *in mortibus suis*. Quam vocem Forsterus in Lexico p. 95. à Judæis non ita diu post gloriosam Christi resurrectionem & ascensionem in cœlum, depravatam esse asserit. Anteà enim fuisse punctatam (ait) בָּמוֹתָיו *excelsa ejus*, & denotari ea non vulgare, aut vulgaris hominis sepulcrum, quale etiam fuit malefactorum, & nomine קֶבֶר notatur, sed excelsum seu monumentum, & quasi sacellum divitis alicujus hominis, qualis Josephus fuit, in quo Christi corpus fuit repositum, testantibus Euangelistis. Quando autem Christiani hoc vaticinium in Judæos torquere cœperunt, probantes Christum sepeliri oportuisse in monumento divitis, & in hoc JESU Nazareno completum asseverant, nec obstinati haberent, quo tam clarum & evidens testimonium in illo suspenso diluerent refutarentque, hanc datâ operâ vocem, sicut plerasque alias, Nicolao Lyrano, Paulo Burgensi, Porcheto & nonnullis aliis fide dignissimis testibus, depravârunt. Hactenus Forsterus.

Resp. Ut viri doctissimi, & de Repub. Hebræo-Christiana præclarè meriti, pium in integritate verbi cœlestis asserendâ zelum & studium haudquaquam improbamus vel reprehendimus: ita in hoc nostrum quoque ipsi adjiceremus calculum, nisi & quæ hactenus dicta sunt, & quæ jam dicentur, diversum ut sentiamus, suaderent. 1. Judæos datâ operâ quædam de JESU Nazareno dicta corrupisse, vix permittere videtur incredibile eorum in minutissimis etiam punctis conservandis, & superstitiosum ferè studium, de quo plura superiùs. 2. Masora parva ad hanc vocem notat ל׳ וחסר *non amplius extare in universis Bibliis, & esse Holem in medio sine* ו *scriptum*. Ex quo patet, ante tempora Messiæ exhibiti jamdum fuisse ita scriptum, (Masorethas enim eo floruisse tempore, ex supra dictis præsupponimus,) veluti nunc legitur:

legitur: aliàs enim cum reliquis tribus, ubi scribitur במותי nempè 2 Reg. 18: 22. 2 Paral. 32: ℣. 12. Esa. 36: 7. locum istum Es. 53: 9. conjunxissent. 3. Ita etiam scriptum fuisse tempore Jonathanis Paraphrastis Chaldæi, ex ejus paraphrasi apparet, quæ quidem à sensu textus deviat, lectionem tamen vocis hujus בְּמֹתָיו apertè confirmat. Ita enim ea habet: *Et tradidit impios in Gehennam, & opulentos divitiis, quas corraserunt* במותא דאבדנא *in mortem perditionis.* 3. Quin eò minùs de corruptione istius vocis Judæi accusandi, quò minus ipsis, fatente Dn. Forstero, favet. Si enim inde inferre velint, Christum mansisse in illis mortis cruciatibus, antecedentia verba, *Et e judicio sublatus est, & generationem ejus quis enarrabit &c.* eos evidentissimè refutant. Rem ipsam, & loci hujus sensum quod spectat, pro duplici vocis בְּמֹתָיו significatu, duplex etiam sententiarum inter Interpretes divortium. 1. Quidam vertunt, *excelsa sua*, seu *monumenta sua*, hoc est (per enallagen) *monumentum suum.* Et *κριτήριον* veri Messiæ hic constituunt, quod is in divitis monumento, id est, sepulchro augusto & magnificè extructo sepeliendus sit. Quod in JESU Nazareno Servatore nostro impletum fuisse Evangelistæ narrant. Josephi monumentum, in quo Christum condiderunt, fuit in horto vicino isti loco, ubi crucifixus fuit, Johan. 19: 41. Idipsum Propheta Spiritu prævidens, *dedit* (inquit) *cum impiis sepulchrum suum*, h. e. in loco illo, ubi impii morti traduntur, sepeliri voluit: *Et cum divite monumentum suum*, quasi dicat, per correctionem: interim tamen non tàm vili קֶבֶר sive sepulchro illatus fuit, uti forsan latrones cum ipso crucifixi: sed splendido & magnifico, quod erat Josephi, hominis opulenti & divitis. Ipse Forsterus eò tandem abit, *quod ideò datâ operâ irregulariter ita punctata sit ea vox cum Scheva, cùm aliàs legatur cum Camez* בָּמוֹתָיו *ut ea irregularitate significaretur, quod illud Christi monumentum, etsi sacellum fuerit seu excelsum, tamen non in eum usum, quo alia excelsa fuerunt exstructa, ut in illis sacrificaretur; sed in quod reponendum erat corpus Christi &c. quemadmodum in prophetiis talia multa sunt, quæ punctorum irregularitate aliud quoddam mysterium subindicant.* Psal. 2: 7. יְלִדְתִּיךָ *genui te*, pro יְלַדְתִּיךָ Esa. 26: 19. נְבֵלָתִי *cadaver meum* pro נִבְלָתִי &c. 2. Alii vocem istam vertunt, *In mortibus suis* (est enim בְּמֹתָיו pluralis cum affixo) sed in explicatione loci inter se paulùm discrepant. Junius & Tremellius hunc versum 9. ad *populum*, cujus in versu præcedente fit mentio (per quem Judæos crucifixores intelligunt) referunt, hoc sensu: *Et exposuit* (populus) *improbis sepulcrum ejus, & diviti in mortem suam. Improbis, hoc est, gentibus, quæ olim improborum nomine solebant designari, ut Actor. 2: 23. quemadmodum etiam gentiles dicuntur peccatores, Galat. 2: 15. Sepulcrum, hoc est crucifigendum, trucidandum & sepeliendum ipsum, synecdochicè. Diviti, hoc est, Pontio Pilato præsidi Judææ, idque in mortem suam, id est, eâ lege, ut sanguis ipsius super populum & super filios ejus recideret, & reposceretur à DEO, si quid ea in repeccatum esset, ut Matth. 27: 25. quamobrem etiam in mortes dicitur plurali numero &c.* Hæc illi: quorum expositio, præterquam quod contortior videtur esse, hoc insuper laborat incommodo, quod particula אֶת vix uspiam ut nota dativi in Scripturis usurpatur. Lutheri versio & explicatio hæc est: *Et tradidit* (Christus) seu *exposuit cum improbis sepulcrum suum, & cum divite* (exposuit se) *in mortes suas;* Und er ist begraben / wie ein Gottloser / und gestorben wie ein Reicher / *instar divitis, hoc est, impii. Est obscurus* (*Ebraismus* inquit in explic. h. l. tom. 3. Jenens. Lat. fol. 427.) *quòd divitem ponit pro impio. Fortasse autem inde natus tropus est, quòd divites plerumque sunt impii, sicut in Euangelio Christus vocat Mammona inquitatis. Item: difficile est divitem ingredi regnum cœlorum. Significat igitur Propheta, Christum mortuum esse sicut seditiosum & seductorem. Cùm autem talis mors per Prophetam sit prædicta, certum argumentum est, nostrum Christum esse Messiam.* Nostram de hoc difficili loco sententiam expositam vide in Grammatica Sacrâ, ubi de concreto loco abstracti posito agitur: Et latiùs in Postillæ Propheticæ parte prima, sub colophonem, ubi integri capitis 53. Esaiæ explicatio traditur.

## LXIV. *Esa.* 62. *v.* 11.

Vulgata editio habet: *Ecce Salvator tuus venit.* Sic Septuaginta Interpretes, sic Chaldæus interpres, quin & Hieron. in illa verba testatur, quod suo tempore in Hebræo textu legebatur, *Jesus, id est, Salvator:* Sed jam mutatis punctis legunt Judæi, *Ecce salus tua venit*, quam salutem referunt ad ipsum Deum Patrem, non ad Christum &c. Huntlæus cap. 8. §. 9.

Resp. 1. Si corruptio hoc in loco statuenda, non in punctis solùm, uti vult Jesuita, sed in tota dictione, & ita etiam in literis eam factam fuisse, dicendum est. *Salvatorem* enim vox Hebræa מושיע significat: Posset quidem es-

ſe in Cal Benoni ישע ſed in hac conjugatione radix iſta non occurrit. 2. Negamus autem, quicquam corruptelæ pulcherrimo huic loco à Judæis acceſſiſſe, quin potius ex conſideratione textus, & ex ipſa abſtractiva voce ישע Judæos eò fortiùs refelli poſſe ſtatuimus, cùm (1.) Meſſias, de quo ibi agitur, non Salvator in concreto, ſed ipſa *SALUS* in abſtracto dicatur, q. d. in ipſo omnem ſalutem eſſe poſitam, eumque uberrimum perennemque gratiæ ac ſalutis eſſe fontem. (2.) Nomen ישע majorem convenientiam cum nomine Jeſu habeat, quam מושיע Salvator: & abſtracto quidem illo ad nomen JESU ſalutiferum reſpectum haberi, non eſt dubium. 3. Ex his igitur patet, cujus ratiunculæ Huntlæi, quibus corruptelam, quam ſomniat, ſuffulcire conatur, momenti ſint & ponderis. 1. *Interpretes* (inquit) *Salvatorem reddunt, non ſalutem, ut eſt in Hebræo.* Reſp. Senſum expreſſere potiùs, quàm vocem: & quia de Chriſto Servatore ſermonem hîc eſſe viderunt, ideò, ut res eſſet apertior, reddiderunt *Salvatorem*. Deliberet autem Jeſuita, an locum etiam Eſa. 45: 8. corruptum dicere velit, cùm vocem ישע Latinus Interpres, *Salvatorem* ibi vertat? Locum item Jerem. 23: 6. ubi vocem צדקנו *juſtitia noſtra:* Vulg. reddit *Juſtus noſter.* 2. *Hieronymus teſtatur, ſuo tempore in Hebræo lectum fuiſſe, JESUS, id eſt, Salvator.* Reſp. Hæc ſunt Hieronymi verba: *Quid eſt autem, quod jubentur magiſtri atque doctores Sion filiæ nunciare? Ecce Salvator tuus venit, qui in Hebraico dicitur JESUS.* Quibus verbis nihil certè innuit aliud, quàm literas Hebraicas vocis ישע cum nomine JESU convenire, & de eo ſermonem ibi eſſe. Neque ignotum eſſe potuit Hieronymo, nomen ipſum JESUS (Hebr. ישוע) nunquam in Scripturis V. T. de Meſſia uſurpatum reperiri. 3. *Judæi ideo mutàrunt puncta, ut ſalutem illam ad DEUM Patrem referant.* Reſp. Etiamſi in Hebræo eſſet מושיע Salvator, de DEO Patre tamen hac quoque ratione explicare locum poſſent: & eo fortiùs, quod alibi etiam nomen *Salvatoris* de Deo Patre uſurpari dicunt, Eſa. 43: 3, 11. &c. Ex quo liquet, non in falſa punctatione, ſed in alieniori acommodatione cauſæ ſuæ patrocinium eos ponere. 4. Tandem ſubjungit: *Non deſunt ex Judæis, qui contendunt legendum eſſe, ſalvatus tuus, quorum verba Galatinus refert, lib. 6. cap. 1.* Reſp. Quid hoc ad rhombum? Quoſdam Judæos vertiſſe, *Salvatus tuus*; refert d. l. Galatinus, quod tamen *neque* ſententiæ noſtræ aliquid præjudicat, cùm non de hujus vel illius interpretatione, ſed de punctorum depravatione quæſtio nobis ſit: *neque* ipſi dictioni Hebrææ conforme eſt: *Salvatus* enim in Hebræo non eſt ישע ſed נושע in Niphal, ut ex Zach. 9. v. 9. apparet.

## LXV. Jer. 2. v. 11.

VErba Dei ſunt: *Populus meus mutavit* כבודו *gloriam ſuam in id, quod non prodeſt.* Pro quo Galatinus legendum eſſe cenſet כבודי *gloriam meam.* Scribarum enim corruptelâ locum iſtum in noſtris codicibus reperiri affectum. De quo, uti & locis conformibus Pſal. 106: 20. Hoſ. 4: 7. vide ſuprà in conſideratione Tikkun Sopherim, num. 13. ſeqq.

## LXVI. Jerem. 23. v. 6.

VUlgata habet: *Hoc eſt nomen, quod vocabunt eum* (id eſt, quo vocabitur Chriſtus) *DOMINUS JUSTUS NOSTER.* Judæi ut eludant argumentum noſtrum (quod ex voce יהוה ad probandam Chriſti divinitatem deſumimus,) mutato unico puncto ex יקראו vocabunt, fecêre יקראו *vocabit eum*, ut ad Deum Patrem nomen יהוה referre poſſint. Huntlæus cap. 8. §. 10. Bellarminus legendum eſſe dicit יקראוהו *vocabunt eum*, lib. 2. de V. D. cap. 2.

Reſp. 1. Occurrit hîc eadem Hebrææ linguæ conſuetudo, cujus ſuprà in explicatione loci. Eſa. 9: 6. facta fuit mentio: quâ ſcil. tertiæ perſonæ verbum activum vel *paſſivè*, vel per *ellipſin* nominativi, commodè ſubintellecti, interpretandum eſt. יקראו igitur explicandum eſt, vel *vocabit eum* h. e. vocabitur, vel: *vocabit eum* ſcil. quiſque, Luther. Daß man ihn nennen wird. Quid? quod nominativus, quem verbum iſtud refert, manifeſtè præcedit. Ita enim cohærent verba: *In diebus ejus* (germinis juſti Davidis) *ſalvabitur Juda, & Iſrael habitabit in confidentia: Et hoc eſt nomen ejus* (germinis iſtius) *quod vocabit* (Juda & Iſraël) *eum, Jehovah juſtitia noſtra.* 2. Si in plurali legatur יקראו obſcurior erit ſenſus: deficit enim tum relativum (niſi Bellarmini lectionem recipere velimus) unde ſenſus emergit iſte: *Et hoc eſt nomen ejus, quo vocabunt Jehovam juſtitiam noſtram.* In Hebræo enim nulla adeſt diſtinctio inter *vocabunt*, & *Jehovah*. Textui proinde magis congruum, ſi interpoſito relativo, *vocabit eum*, (ſicuti in noſtris codicibus habetur) quaſi in aperta luce ponatur, quis ſit

sit ille, qui eo nomine vocandus sit: nempè צמח צדיק *germen illud justum*, cujus in v. 5. mentio præcedit. 3. Eccur verò Huntlæus Bellarmini non amplectitur sententiam, legendum nimirum esse יקראוהו *vocabunt eum?* ea enim versioni vulgatæ magis accedit; sed ostendit incertitudo illa & fluctuatio, quam ficulneo uterque fundamento nitatur. 4. Quod ut magis fiat conspicuum, age paucis Gordoni ratiunculas expendemus. (1.) *Versiones* adducit; sed frustrà: Non enim ex iis fons dijudicandus, sed ex hoc potiùs illæ. Et de Græca LXX. Interpretum versione nota, nostram lectionem ab ea comprobatam dari: ita enim legit: *καὶ τῦτο τὸ ὄνομα ἀυτοῦ, ὃ καλέσει ἀυτὸν, Κύριος Ιωσεδέκ.* Hieronymus etiam legit, *vocabit eum.* Chaldæus paraphrasi hîc utitur ejusmodi: *Et hoc est nomen ejus, quòd ipsi vocabunt eum: Fient nobis justitiæ à coram Jehova in diebus ejus.* Ex quo patet, non verba eum reddidisse, sed verborum sensum. (2.) *Judæos*, ait, *ideò sic depravasse, ut nomen Jehova ad Deum Patrem referre possint.* At ex Rabbinis, tùm antiquiores tùm recentiores plerique, retentâ lectione nostrâ, ad Messiam nomen istud יהוה צדקנו referunt. Testimonia *antiquiorum* vide apud D. Helvic. elench. Jud. 2. quæ est disp. 5. tom. 4. Giess. §. 9. *Ex recentioribus* R. David Kimchi verba ita habent: יקרא *vocabit eum. Sensus est: Israel vocabit Messiam hoc nomine, Jehova justitia nostra &c.* Licet divinitatem ejus alio enervare modo satagant. Ita enim in R. Kimchi sequitur: *Ideo* (vocandus est Messias hoc nomine) *quia in diebus ejus erit justitia Jehova nobis, juramentum perpetuum non recedet. Et hæc scriptura est instar illius, quando Moses doctor noster (pax sit super ipso) altare vocat* יהוה נסי *Dominus vexillum meum &c.* Vides quò labantur homines occœcati. Sed transeamus ad alia.

## *LXVII. Jerem.* 31. *v.* 32.

IN Hebræo est ואנכי בעלתי בם quod Vulgata & Vatab. reddunt, *Et ego dominatus sum eis:* Chald. ואנא אתרעיתי בהון *& ego delectatus sum in eis,* בעל enim *amare, maritali amore complecti,* significat: At Epistola ad Hebræos c. 8. vers. 9. sensu prorsus contrario hæc verba allegat: *Κἀγὼ ἠμέλησα ἀυτῶν, & ego neglexi seu neglectui habui eos.* Videtur igitur in voce Hebræa inesse corruptelam.

Resp. Apostolus verba hæc desumsit ex versione Græca 70. Interpretum, quæ tùm temporis erat omnium famigeratissima. Isti autem interpretes *vel* pro בעלתי legerunt געלתי, געל enim *fastidire* significat, (quo ipso tamen textui authentico nihil decedit:) *Vel*, quod magis probabile, verba Hebræa legerunt in sensu interrogativo, quem etiam reddidit Tremellius, hoc quidem modo: *Ipsi irritum fecerunt fœdus meum, & ego conjugio junctus mansissem eis?* Hæc indignantis DEI verba, evidentiæ ergò, categoricâ negatione Græci Interpretes, & secutus eos Apostolus Heb. 8: 9. exprimunt.

## *LXVIII. Jerem.* 33. *v.* 16.

VUlgata editio ita habet: *Hoc est nomen, quod vocabunt eum,* (videlicet Christum) *Dominus Justus noster.* Et ita olim legebatur in Hebræo textu: Sed jam ita habetur in eo: *Et iste, qui vocabit eam,* (videlicet Jerusalem.) *Deus justitia nostra.* Huntl. d. l.

Resp. 1. Non credimus corrupto Jesuitæ judicio, qui prætoria auctoritate, ubicunque visum est, corruptelas in textu Hebræo sine ulla ratione statuit. Ipse Cornelius à Lapide Jesuita in comment. h. l. Gordonum refutat, & ὁμόψηφον adducit Franciscum Lucam, uti fatiùs ostensum in Post. Prophet. part. 3. p. 493. seqq. 2. Undecim manuscripti vulgatæ editionis codices, quibus usi Lovanienses, textui Hebræo respondent, dum ita legunt: *Hoc est, quod vocabit eam, Dominus justus noster.* Quam quidem lectionem Lovan. margini adjiciunt; Codex autem Vatabli & alii in ipso textu retinent. An igitur & illam Jesuita corruptionis accusabit? Et si hoc velit, quibus indiciis suum probatum dabit somnium? 3. Nos igitur sine omni depravationis suspicione textum purè & liquidè in Hebræo fluentem ita vertimus, & ad Messiam applicamus: *In illis diebus salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit tutò: Et iste, qui convocabit eam* (Judam seu Jerusalem) *est JEHOVAH justitia nostra,* (convocat autem eam, & colligit sibi per verbum Ecclesiam Christus Mediator.) *Hanc interpretationem* (verba sunt Dn. D. Helvici) *ex simplici litera & genuina significatione vocum desumtam esse, nullus diabolorum negare unquam poterit.* Sed & illa interpretatio nequaquam vel à textu discedit, vel contorta & absona est, quam prænominati vulgatæ versionis codices videntur amplecti, hoc sensu: *Et hoc est, quod vocabitur* (hoc est, prædicabitur) *illi* (Hierosolymis) seu, *in illa, Jehova justitia nostra,* h. e. Euangelicæ prædicationis in N. T. tempore hoc unicum erit argumentum, gratuitum nimirum reconciliationis nostræ, & remissionis peccatorum, per Jehovam justitiam nostram, seu Messiam acqui-

rendæ, beneficium. Confer 1 Cor. 2. v. 1. 2. Constat enim (1.) verba tertiæ personæ activa quandoque sumi impersonaliter, ut supra inculcatum fuit. *Vocabit* igitur, erit idem ac *vocabitur*, man wird predigen. (2.) קָרָא sæpè significare idem, quod *annunciare*, *prædicare*, vel ore vel scriptis. Jos. 8: 34. Levit. 25: 10. Esa. 40: 2. 3. c. 61: 1. Neh. 6: 7.

## LXIX. *Thren.* 3. *v.* 20.

Recordando recordatur, & *meditatur apud me anima mea*. Galatinus hic Tikkun Sopherim seu correctionem Scribarum constituit, cui quid respondendum sit, dictum suprà suo loco.

## LXX. *Ezech.* 5. *v.* 7.

Verba ex Hebræo conversa ita habent: *Propterea quod multiplicaveritis* (improbitatem) *plus quàm gentes quæ circum vos sunt: in statutis meis non ambulâstis, & judicia mea non fecistis: & secundùm judicia gentium, quæ circum vos sunt,* לֹא *non fecistis.* Hic ultimum istud לֹא superesse in textu videtur, uti ostendit 1. *oppositio inter statuta DEI gentium:* Illa observanda, hæc non: illa Judæi non observârunt: hæc observârunt. 2. *Locus parallelus Ezech.* 11: 12. ubi tota pericope repetitur, omisso duntaxat ultimo לֹא. 3. *Lutheri versio*, quæ omisit, sondern nach der Heyden Weise thut / die um euch her sind.

Resp. 1. Ex nota Masoretharum προφυλακτικῇ לֹא illud ad textum necessario pertinet. In Masora enim finali litera ל fol. 41. col. 7. catalogus versuum quadraginta septem præponitur, in quorum singulis ter repetitur dictio לֹא *solitaria*, h. e. sine præfixo copulativo ו. Inter illos versus vigesimum nonum obtinet locum ille, de quo jam agimus, Ezech. 5. quod si igitur unum לֹא hic superesset, bis duntaxat ea dictio in eo occurreret, & ita Masorethica nota labasceret. 2. Chaldæus Paraphrastes itidem legit: לָא עֲבַדְתּוּן *non fecistis*. 3. Nec repugnat ipsi textui, in quo comparatio minorum instituitur, sensu eo, quem in versione sua Junius & Tremellius exhibent, his verbis: *Ac ne quidem secundùm jura gentium, quæ circumstant vos, facitis. Jura gentium, id est, ea ipsa, quæ gentes sine lege benè observant: nam frequentes fuerunt cædes & rebelliones Regum, post fidem datam deficientium* 2 *Reg.* 24. & 25. Hæc illi. 4. Ostendit hanc explicationem ipse contextus: Versu enim præcedente sexto impietate Judæi gentibus præponuntur. 5. Locum parallelum c. 11. v. 12. quod attinet, ubi לֹא istud omittitur, conciliationem ostendit Apostolus Rom. 1: 18. & c. 2: 14. In loco enim *priori* Ezech. 5: 7. intelliguntur statuta gentium rectæ rationi, & legi naturæ conformia: in *posteriori* cap. 11: 12. statuta impia, à naturæ lege & recta ratione (quæ *in injustitia κατέχεται detinetur*) deflectentia. 6. Lutherus autem versionem suam cum loco altero parallelo, modò adducto, conformavit.

Antequam hinc digrediamur, explicandus paucis est locus in Ezechiele alius, ubi itidem τὸ לֹא redundare videtur. Is est cap. 3: 6. (in edit. Tremell. & Jun. c. 2: 16.) Verba ita habent: *Non ad populos multos ignoti sermonis & impeditæ linguæ, quorum non intelligas verba:* אִם־לֹא *si non ad eos misero te, ipsi audient te.* לֹא hic redundare patere videtur 1. *ex versione Chaldaica*, quæ ita habet: אִלוּ לְוָתְהוֹן שְׁלַחְתָּךְ אִנוּן יְקַבְּלוּן מִנָּךְ *si ad eos misero te, ipsi accipient à te, seu auscultabunt tibi.* 2. *Ex ipso contextu*, in quo sibi opponuntur, missio ad Israelitas, & missio ad gentiles. *De illis*, inquit Jehova, quod Prophetam missum non sint audituri: *De his*, quòd, si à Deo ad eos mittetur (non, si non mittetur) ipsi missum sint recepturi & audituri. 3. *Ipse Lutherus* etiam omisit: Wenn ich dich gleich zu denselben sendete / wurden sie dich doch gerne horen / etc.

Resp. (1.) Iterum textum liberat annotatio Masorethica, cujus in loco præcedente facta fuit mentio. In catalogo enim versuum Biblicorum, qui voculam לֹא ter repetitam continent, reperitur etiam versus iste Ezech. 3: 6. non igitur לֹא istud temerè irrepsit, sed ad textus integritatem (quam assertum quovis modo eunt Masorethici labores) pertinet. (2.) Tremellius igitur & Junius ἐρωτητικῶς interpretantur: *Nonnè si ad eos mitterem te, ipsi auscultarent tibi?* videlicet potiùs quàm Israelitæ: ut sit dictum κατά τι, ad exaggerandum obfirmationem Judæorum. (3.) Potest etiam ratione commodissimâ ita explicari, quod vocibus אִם־לֹא *elliptica jurandi formula* insinuetur, qualis occurrit Esai. 5: 9. & suppletur ellipsis ista in juramento divino Esa. 14: 24. Notum enim est, quod in jurandi formulis, si absolutè ponatur particula אִם, neget, Psal. 89: 36. sin cum particula negandi, אִם־לֹא affirmet. Sensus igitur hujus loci foret: (Juro) *si non* (si) *misissem te ad eos, ipsi audirent te*, quasi dicat, utique,

utique, si misissem te, audirent. Sequitur in v. 7. antithesis: *At populus Israel non vult audire te &c.* Confer Matth. 11:21,23. (4.) Chaldæus Interpres, & Lutherus, sensum, non verba respexerunt. Idem enim quoad sensum ipsorum interpretatio dicit, quod Hebræus textus.

*LXXI. Ezech.* 8. *v.* 17.

VErba DEI sunt: *Et ecce ipsi mittunt fœtorem* אֶל־אַפָּם *ad nasum suum.* Pro אַפָּם olim scriptum fuisse, & etiamnum legi debere אַפִּי *nasum meum*, sententia est Galatini lib. 1. c. 8. Corruptionem enim Scribarum hic esse ait. De quo quid statuendum sit, vide suprà, ubi de Tikkun Sopherim agitur.

*LXXII. Ezech.* 34. *v.* 16.

VErba Hebræa ita habent: וְאֶת־הַשְּׁמֵנָה וְאֶת־הַחֲזָקָה אַשְׁמִיד *pinguem verò & fortem disperdam.* LXX. Interpretes ultimam vocem vertunt, Φυλάξω, Hieron. & Vulg. *custodiam:* Luth. will ich behüten; sensu planè contrario. Est igitur in Hebraica voce corruptela, & pro אַשְׁמִיד legendum אֶשְׁמוֹר *custodiam.*

Resp. Diversam ab illa, quæ in nostris est Hebraicis codicibus, lectionem prædictos secutos esse Interpretes, concedimus: at proinde vitiosam esse alteram lectionem, quæ habet אשמיד negatum imus. Illam enim non *Chaldaica* modo comprobat Paraphrasis, quæ habet אֵשֵׁיצֵי perdam: sed *scopus* etiam Prophetæ, & *contextus* subsequens. *Scopus Prophetæ* est, Pseudoprophetas & Pseudodidascalos populi Judaici arguere, pios verò & credentes consolari. *Illos* in præced. v. 2. seqq. *Pastorum* nomine vocaverat: posteà verò v. 16. seq. *ovium fortium, pinguium, refractariorum, arietum* item & *hircorum* nomine & similitudine proponit, ut jam sequetur. *In contextu subsequenti* observa (1.) quòd ea ovis, quæ in v. 16. dicitur שְׁמֵנָה וַחֲזָקָה *pinguis & fortis*, in v. 20. dicatur שֶׂה בְרִיָּה *pecus pinguis.* Jam verò in v. 20. per *pecudem pinguem* non bona, sed mala & refractaria intelligitur ovis. E. eadem in v. 16. intelligitur, & p. c. non promissionis & consolationis, sed comminationis illa verba sunt, quæ lectionem verbi אַשְׁמִיד requirunt. *Minor* patet ex collatione v. 20. cum v. 17. Quemadmodum in v. 20. ait Dominus: *Judicabo inter pecudem pinguem & pecudem macilentam:* Ita eâdem sermonis structurâ in v. 17. ait: Ecce *judico inter pecudem & pecudem, arietes & hircos.* En quod in v. 20. dicitur *pecus pinguis*, in v. 17. dicitur *pecus* (nempè) *arietes & hirci:* (illa enim verba, לָאֵילִים וְלָעַתּוּדִים *arietes & hircos*, ut appositionem &, ἐξήγησιν pertinere ad posteriorem vocem לְשֶׂה quæ præcedit, ostendit præfixi ל identitas) *arietum* autem & *hircorum* nomine non pii, sed impii plerumque intelliguntur. (2.) Quod v. 18. 19. ostendat, in præcedentibus non piarum modò ovium consolationem, sed impiarum etiam reprehensionem contineri. *An parum vobis est* (ait Propheta v. 18.) *quod pascua bona pascimini, & residuum pascuorum vestrorum conculcatis pedibus vestris* &c. Vide & seqq. ubi tota descriptio, ab ovibus desumta, impiis in populo DEI accommodatur. (3.) Quòd v. 17. verba adversativo sensu subjuncta (*vos autem oves meæ, sic dicit Dominus* &c.) doceant, de aliis vocibus in verbis immediatè præcedentibus fieri mentionem, nempè refractariis, à quibus ad oves legitimas bonasque fit ἀποστροφή. (4.) Quod v. 16. mox subjungatur, אֶרְעֶנָּה בְמִשְׁפָּט *pascam illas in judicio*, quo ipso non pastio gratiæ, sed iræ & internecionis intelligitur, quod Psalm 2: 9. dicitur ποιμαίνειν ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, *pascere* (in Hebræo tamen est *confringere, conterere*, radice non admodum à רָעָה dissimili) *virgâ ferreâ.* Et idipsum collatio v. 4. docet, quemadmodum enim pastores improbi ibidem arguuntur, quod durè dominentur ovibus, & tyrannicè: ita in v. 16. talionis vice minatur DEUS, se *illos pastores* (quos jam metaphoræ ratione mutatâ *ovium malarum* voce introducit) *iterum pasturum in judicio*, h. e. irâ & pœnâ. Sensus igitur scopo & contextui conformis hic est: Illas oves pinguiores & robustiores, quæ reliquas & quidem debiliores impetunt & stabulo depellunt, (v. 21. id dicitur, *latere & humero depellere, & cornibus petere oves infirmas, donec dispergantur foras*) ex grege tollam. Neque tamen versionem LXX. quæ & Lutheri est, propterea planè rejicimus, sed textum tantùm originalem à corruptione vindicamus. Descriptionem *ovium pinguium* & *fortium* illa accipit in bonum (ut v. 3. videtur accipi) & pro אשמיד ut dictum est, legit אֶשְׁמוֹר *custodiam.* Potest etiam dici, quod Lutherus vocem אשמיד retinuerit, verba autem illius versus legerit in sensu interrogativo, ita: *Pinguem verò & fortem disperdam?* (absit imò) *pascam eas in judicio:* quæ deinde ad sensum ita vertit: Was

fett und starck ist / wil ich behüten / und ihr pflegen / wie es recht ist. Vide suprà de loco Jerem. 31: 32.

*LXXIII. Daniel.* 8. *v.* 14.

MAnifestatur Danieli Prophetæ tempus à *profanatione Templi* ad ejus *repurgationem*. Tempus illud est *bis mille trecentorum dierum* (עד עֶרֶב בֹּקֶר *à vespere ad manè*, i. e. dierum vulgarium.) Conficiunt autem isti dies *annos integros sex*, & *dies centum ac decem*. Jam verò ex collatione 1 Macc. 1: 57, 62. & cap. 4: 52, 53. uti & Josepho lib. 12. cap. 7, 11. patet, *tres* duntaxat *annos* solidos inter eam profanationem & repurgationem intercessisse. Ad hoc igitur solvendum dubium in Osiandri Bibliis Hebræus textus in suspicionem mendi vocatur: *In Hebræo* (habetur ibi) *puncta negligenda sunt: & hoc loco pro Alphajim legendum Elaphim, quod mille, & non duo millia significat. Sic textus eventui consonat.*

Resp. (1.) Omnes in universum codices constanter legunt אַלְפַּיִם *bis mille*. (2.) אֲלָפִים *millia* significat, quæ *bis mille* excedunt, V. C. *Tria, quatuor millia &c.* Nudum verò numerum millenarium, ein tausend / exprimit vox singularis אֶלֶף Gen. 20. cap. 16. (3.) Cumque certis conjecturis aliis punctorum corruptio ostendi nequeat, lectionem receptam meritò hic retinemus, & à depravatione pronunciamus liberam. (4.) Veram cum eventu conciliationem quod attinet, Josephus Scaliger libr. 6. de emendat. temporum pag. 280. *Hoc ænigma solvant* (inquit) *qui meliore erunt ingenio. Nam ego in toto Daniele nihil obscurius reperio.* Solvit autem id, ut videtur, feliciter Cornelius Bertramus, cujus sententiam ut eruditissimam D. Helvicus adprobat. *Judicat ille* (verba sunt Helvici) *verba Danielis, A vesperi ad manè, intelligenda esse non conjunctim, pro νυχθημέρῳ, sed divisim, de bino sacrificio quotidiano duorum agnorum, de cujus cessatione vaticinabatur. Itaque numeranda esse sacrificia quotidiana* 2300. *bina singulis diebus. Sic fiunt dies integri* 1150. *dimidium scil. numeri Prophetici. Hoc modo fiunt anni tres, & dies* 55. *Colligamus jam hos ex libris Maccabæorum. Triennium habemus* 1 *Macc.* 1: 62. *& cap.* 4: 52, 53. *Dies decem habemus* 2 *Macc.* 1: 57. *Restant dies* 45. *qui tribuendi sunt primæ profanationi ab Antiocho promulgatæ, & executioni mandatæ, v.* 45, 47, 48, 49. *&c. Certum enim ex his versibus est, præcessisse aliquod tempus, quo sublatum est juge sacrificium, ædificationem altaris idololatrici v.* 57. *Ii sunt* 45. *dies, qui ad numerum Danielis complendum restant* &c. Alias hujus loci interpretationes vide apud Helvicum in vindic. loc. Script. p. 324. seqq.

*LXXIV. Daniel.* 9. *v.* 25.

DIstinctionibus suis Judæos textum Hebraicum depravâsse, probat Huntlæus ex Dan. 9: 25. *Præclarum* (inquit) *illam Prophetiam de tempore adventus Christi, conantur Judæi detorquere ad Zorobabel, qui vixit post captivitatem Babylonicam, & ut hoc præstent, separant septem hebdomadas à sexaginta duabus per accentum Athnach, qui unam sententiam distinguit ab alia.* Hæc ille c. 8. §. 12.

Resp. 1. Edisserat nobis Jesuita, quomodo Zorobabeli duci accommodari meliùs possit textus, præsente accentu Atnach, quàm eo absente. Certè Zorobabel ante 70. hebdomadum inchoationem vixit, ut ex Esr. 2. v. 2. constat, (est enim is, quo duce solutio captivitatis Babylonicæ, & reditus populi tempore Cyri primùm contigit,) neque demùm ab exitu sermonis de ædificanda Jerusalem usque ad ipsum fuerunt septem hebdomades, hoc est, 49. anni. 2. Posito autem, Judæos ad Zorobabelem verba isthæc referre, nondum tamen eo probatum dari potest, distinctionem hîc falsam & vanam eos posuisse, ut ad ducem istum referre possint: præsertim cùm optimè ii cognitum habuerint, Atnach non semper distinguendi officio tàm appertè fungi, uti vel primus Bibliorum versus ostendit, itemque Psal. 36: 8. Psal. 84: 3. Prov. 6: 26. 3. Quin si viscera textus penitùs introspiciantur, planum evadet, accentum illum distinctivum hîc maximè necessarium requiri: Id quod ostendit *partim* ipsa phrasis: distinctim enim ponuntur *septem* hebdomadæ, & *sexaginta duæ* hebdomadæ, quod si nulla inter illas 7. & 62. hebdomadas statuenda esset distinctio, conjunctim potius *sexaginta novem* fuisset dictum, uti vers. præced. *septuaginta*. Partim res ipsa & textus connexio. *Septem* enim illæ hebdomades, & *sexaginta duæ*, non ad unum, sed ad *duos terminos*, tempore & re ipsâ distinctos, referri videntur. *Priores* ad completam murorum Hierosolymitanorum exædificationem qui terminus hoc ipso versu 25. enarratur: *posteriores* ad Christi Sancti sanctorum excisionem. v. 26. Ne igitur hebdomadum illarum fieret confusio, distinctionis

notâ

notâ certè opus fuit. Nolo autem exactam scrupulorum, qui circa septuaginta istas hebdomadas occurrunt, enodationem hic instituere, sed lectorem ejus rei cupidum ad rerum Chronologicarum Scriptores, & præsertim D. Helvic. in vindic. locor. script. p. 327. & seqq. remitto.

## *LXXV. Hos. 9. v. 12.*

INterpretes LXX. habent: διότι καὶ οὐαὶ αὐτοῖς ἐστιν, ἡ σάρξ μου ἐξ αὐτῶν, *propterea & va eis est, caro mea ex ipsis*: ubi in Hebræo est, בְּשׂוּרִי מֵהֶם *cùm recessero ab eis.* Hunc locum Galatinus lib. 1. cap. 8. unum ex illis esse censet, quos in Vest. Test. Scribæ corruperunt. Si enim significaret, *cùm recessero ab eis*, sicut in vulgata legitur, deberet scribi ס, בְּסוּרִי, nam סור significat *recessit*. Contrà בָּשָׂר *carnem* denotat, ut ita legendum sit בְּשָׂרִי *caro mea.* Et insinuari h. l. videtur sublime incarnationis τοῦ λόγου mysterium, quòd Judæi in odium Christianorum, hac punctorum falsatione, videntur voluisse tenebris involvere. Hanc sententiam de corruptelâ h. l. illatâ latè defendit Lyranus in comm.

Resp. 1. Quod LXX. reddiderunt, σάρξ μου, *caro mea*, ostendit equidem, aliter ipsos h. l. legisse, ac nostri codices habent, sed nondum tamen inde sequitur, à Judæis factam esse eam, cujus insimulantur, depravationem. *Facilius fuit* (inquit Drusius ad Os. 9.) *erràsse septuaginta: Hieronymum hunc Theodotionis & LXX. errorem retinuisse, aut certè postmodùm versionem eorum corruptam fuisse, uti hoc manifestò constat ex Just. Martyre in dial. cum Tryphone. Euseb. lib. 5. histor. Eccl. cap. 25. Orig. hom.* 12. *in Jerem.* 2. Hæc ille, qui in eo, quod de Hieronymo refert, castigandus. Vertit enim is, ut in Hebræo est: *Sed & va eis, cùm recessero ab eis*: ut videre est in comment. super h. l. ubi παραλλήλως adjicit versionem τῶν LXX. *Quia & va eis est, caro mea ex eis.* Et ita porrò annotat. *Quærens causam hujus diversitatis, hanc videor mihi reperisse: Caro mea, linguâ Hebræa dicitur* בשרי. *Rursum si dicamus, recessio mea, sive declinatio mea, dicitur* בשורי. *LXX. igitur & Theodotion pro eo, quod est, recessio mea*, & *declinatio mea, verterunt, caro mea.* Rectè Francisc. Riebera in com. h. l. *Mihi videtur* (inquit) *nihil minùs Judæos cogitâsse, quàm ut hunc locum depravarent, sed si intellexissent ita, illustraturos potiùs & confirmaturos fuisse, quid enim illis potuit esse gloriosius, quàm Deum sumere ex illis carnem? In hoc ipsi gloriabantur, ubique hoc jactabant, hoc se beatos putabant, quòd ex sua gente nasciturus esset Messias. Cur igitur delerent in Scriptura? Aut si id facere volebant, cur non illustriora loca delebant, quibus Christus ex semine Abrahæ & ex domo Davidis nasciturus prædicabatur?* 4. Galatinus h. l. refert inter Tikkun Sopherim, de quibus quid sentiendum sit, suo loco satis declaratum. 5. Rectè proinde & hunc locum ab intentato corruptionis crimine absolvimus, & incorrupte legimus בְּשׂוּרִי מֵהֶם *in recedendo me ab eis*, seu *cùm recessero ab eis*, quem sensum textus apertè requirit, uti expendenti patet, quemque Chaldæus Interpres pulchrè exprimit his verbis: בְּסַלְקוּתִי שְׁכִנְתִּי מִנְּהוֹן *in auferendo* seu *subducendo me*, hoc est, *dum subduxero divinitatem* (gloriam) *meam ab iis.* Nec obstat, litera שׂ in hac voce extans, cùm aliàs per ס, סור dicatur. Est enim ἀντίστοιχον istud frequens, quô literæ unius organi, ejusdemque soni, ut εὐμετάβλητοι, inter se permutantur. 1. Par. 15. v. 22. pro יָשַׂר *principatum tenebat*, legitur יָסֹר Eccles. 1. v. 17. שִׂכְלוּת *stultitia*, pro סִכְלוּת Thren. 2. v. 6. שֻׂכּוֹ *tugurium ejus*, pro סֻכּוֹ 2. Sam. 1. v. 22. נָשׂוֹג *adversus fuit*, pro נָסוֹג, &c.

## *LXXVI. Amos. 9. v. 12.*

VErba Hebræa ita habent: לְמַעַן יִירְשׁוּ אֶת־שְׁאֵרִית אֱדוֹם *ut possideant reliquias Edom.* Sed Act. 15. v. 17. hæc ita redduntur: ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸν Κύριον. In Hebræo igitur pro יִירְשׁוּ legendum יִדְרְשׁוּ *requirant*, pro אֶת־שְׁאֵרִית legendum הַשְּׁאֵרִית *reliquiæ* (in nominativo) pro אֱדֹם legendum אָדָם *hominum*: & addenda demum vox יְהוָה, *Dominum.*

Resp. Verba citantur ab Apostolo ex versione Græca τῶν ἑβδομήκοντα, quos dicto modo in textu Hebræo legisse verisimile, neque tamen in Hebræo textu, qui constanter lectionem in vestibulo positam retinet, statuenda quædam corruptio. *Nec solicitè laborandum est*, (verba sunt Dn. D. Helvici,) *quomodo Scriptores N. T. cum Hebræo conveniant, quia ex Græca versione tum temporis usitatissima allegabant: neque quomodo Græca cum Hebræo conveniant, certum enim, illos sæpè ab Hebræa veritate discessisse, cujus rei plerumque causa est, tùm defectus punctorum, quibus illi destituti aliter legerunt, quàm authentica exemplaria requirebant; tùm deceptio* in

*in literis, quando unam pro alia legerent &c.*

### *LXXVII. Habac.* 1. *v.* 12.

VErba Prophetæ sunt: *Nonnè tu ab æterno es? Jehova DEUS meus, Sanctus meus,* לא נמות *non moriemur.* Pro quo Galatinus legendum esse censet לא תָמוּת *non morieris*: & corruptam hanc vocem à Scribis esse ait. Sed de hac & aliis Scribarum correctionibus, quantum sufficit, suo loco dictum.

### *LXXVIII. Zach.* 2. *v.* 8.

COnstituitur & hîc Tikkun Sopherim, pro עֵינִי enim, hoc est, *oculi mei*, in textu nostro scriptum, & corruptè quidem, haberi עֵינוֹ *oculi sui*. De quo itidem vide superiùs.

### *LXXIX. Zach.* 4. *v.* 2.

VErba in Hebræo ita habent: שִׁבְעָה וְשִׁבְעָה *Septem & septem infundibula lucernis, quæ* (sunt) *in summitate illius.* Ubi alterum שִׁבְעָה *septem* in Hebræo redundare videtur, uti *tùm* ex præcedentibus apparet, quando *septem lucernæ in lychnucho* memorantur, quibus *septem infundibula* respondent: *tùm* ex LXX. Interpretibus & Hieronymi versione, quî *septem* tantùm infusoria ponunt. Riebera in Zach. 4. num. 6, 7.

Resp. 1. Antiquissimis Masoretharum temporibus, adeoque longè antè vel vulgatam vel LXX. Græcam versionem, in textu conjunctim voces illas שִׁבְעָה וְשִׁבְעָה extitisse, nota Masorethica ostendit ad Jud. 19. v. 19. Ibi enim traditur, in Biblиis octo versiculos esse, דְּאִית בְּהוֹן ג״ מִלִּין קַדְמָאָה וּבַתְרָאָה נְסִבִין ו״ וּמְצִיעָתָא לָא נְסִיב ו״ *in quorum singulis una dictio ter repetitur, primâ quidem & ultimâ vice cum Vau præfixo: media autem sine Vau.* V. C. Jud. cap. 19. vers. 19. וְגַם גַּם תֶּם Ezech. 41. vers. 11. וּפֶתַח פֶּתַח וּפֶתַח &c. Inter illos recensetur quoque versus iste Zach. 4. vers. 2. in quo habetur, וְשִׁבְעָה שִׁבְעָה וְשִׁבְעָה. 2. Hanc nos observationem longè præferendam esse ducimus conjecturæ Jesuiticæ, à Græca LXX. versione desumtæ: quàm sæpè enim à textu authentico & incorrupto ea discedat, aliquoties hactenus inculcatum est. 3. Ex eo minùs corruptelæ hîc quicquam deprehendimus, quò magis lectio nostra textui accedit. Quis enim absurdum esse judicet, Prophetæ divinâ visione ejusmodi lychnuchum oblatum fuisse, cujus lucernis singulis, *bina infundibula*, atque ita septem infundibula superiùs responderint, quibus ex utroque latere oleum lucernis adfundebatur, ne extinguerentur. Tremellius quidem & Junius σύγχυσιν verborum hîc statuunt, quam in versione sua ita evolvunt: *Septemque infundibula septem illis lucernis &c.* Sed priorem nos interpretationem non sine ratione præferimus. 4. Atque eam Chaldæa quoque comprobat Paraphrasis, quæ hoc versu ita habet: *Et dixit mihi* (Angelus:) *quid tu vides? Et dixi, video, & ecce candelabrum, totum aureum, & lecythus ejus supra summitatem* (*caput*) *ejus: Et septem lucernæ, quæ erant in eo: Septem autem & septem* (instrumenta) *ex quibus effundent oleum in lucernas, quæ supra caput ejus.* Nec est, quod obvertat Jesuita, *Chaldæam Paraphrasin æquè mendosam esse, ac Hebræus textus: Cùm recentior sit, & post Hieronymi demùm tempora lucem videre cœperit, ut à quo nulla omninò ejus injiciatur mentio.* Quis enim hoc argumento persuaderi sibi patietur tàm recentem Chaldaicarum Paraphrasium genituram & originem? de quarum antiquitate & Judæorum historiæ, (quibus fides abrogari hîc nequaquam debet, nisi LXX. Interpretum versionis quoque historiam vocare in dubium velimus, quæ ex Hebræorum libris primitùs hausta) & multa alia testantur. Esto autem, nec Hieronymum, nec Originem etiam, nec ullum ex Patribus earum mentionem injicere, an propterea tùm extitisse negandum est? Si nimiam Græcarum versionum auctoritatem, quæ Hebraicæ ferè veritati tùm temporis præferebatur, teste Augustino, Epist. 10. si Chaldaismi ignorantiam, si demùm persecutionum apud priscos assiduitatem, quibus pressis non licebat huic studio vacare, quis secum perpendat, Patres, aliàs canitie & doctrinâ præstantes, ob neglectum Chaldaismi studium, atque sic ob non injectam etiam ejus mentionem, facilè excusabit, & longè rectiùs de antiquitate illorum Thargumim feret judicium.

LXXX.

### LXXX. Zach. 9. v. 9.

VUlgata ita habet: *Ecce Rex tuus veniet tibi Justus & Salvator.* Ita Septuaginta, ita Chaldæus: sed jam in omnibus Bibliis Hebraicis habetur: *Justus & Salvatus.* Mutarunt enim hic Judæi & puncta, & unam aut alteram literam. Huntl. cap. 10. §. 9.

Resp. 1. Tempore Masoræ conscriptæ, sanè antiquissimo, scriptum in textu fuisse נושע, apparet ex Masorethica nota ad h. l. uti & ex Masora textuali magna Esa. 45. v. 17. 2. Nec ulla necessitatis ratio, ut corruptelam hic statuamus, cùm *passiva* etiam verbi significatio Christo verissimè competat. Vel (1.) *quia operis perfectio in operantem redundat, quia igitur ipse genus humanum salvat, ideò salvatio ad ipsum tanquam generis humani Salvatorem redit*: quem sensum ex R. Menahem Rakenad. super Gen. 3. elicit Galatinus lib. 3. cap. 23. Hæc enim Menahemi verba: *Salus Israel est salus DEI sancti & benedicti, ut dixit R. Barachias Sacerdos, quia scriptum est Zach. 9. Justus & Salvatus, & non, justus Salvator ipse.* Vel (2.) quod textui & rei ipsi magis accedit, *quia Christus non solùm est Salvator, sed etiam ipse est salvatus*, hoc est, quia passione & morte suâ nos redimere voluit, & in miseriæ nostræ abyssum se demisit, ideò ipsum priùs servari oportuit, ut servatus ipse etiam nos servare seu salvare posset. Confer Esa. 63. v. 5. Neque dubium, quin Propheta singulari consilio passivam vocem adhibere voluerit. Vaticinatur enim de Christo super asina Hierosolymorum ingrediente urbem: propter cujus adventum Ecclesiam vult triumphare & tripudiare. Cæterùm huic gaudio obstare poterat miseria illa & humilitas, in qua tùm temporis Salvator noster constitutus erat: Hoc igitur scandalum aversurus Propheta, verbo passivo נושע utitur, q. d. *Rex tuus venit tibi justus, humilis, pauper:* noli autem ob id animo concidere, noli offendi exteriori schemate: Ecce enim *salvatus est*, id est, ex hac pauperie & misera conditione ad cœlestem & sublimem gloriam tàm certò tandem evehetur post suam passionem & mortem, ac si jam tùm dicto modo salvatus & glorificatus esset. Quin & in suâ passione & agone cum hostibus truculentissimis, ipse נושע *salvatur*, & ut Esa. 63: 5. habetur, *auxilium fert ipsi brachium ejus & excandescentia ejus suffulcit ipsum*: ut certissimo & gloriosissimo potiatur triumpho, &c. 3. Ex Interpretum versione, quæ activè transfert, *Salvator* (Chald. פריק *Liberator*) non potest concludi, corruptionem in hac voce fuisse factam, sed hoc tantùm, eos vocem נושע ut activam accepisse. Sunt enim & inter nostrates, qui pro hemantico nomine vocem istam habent, & conferunt cum מושיע ut utraque *servatorem, liberatorem & opitulatorem* significet. Vide Schindl. in Lex. col. 818: Et ad hujus sententiæ comprobandam veritatem facit ratio sanctæ linguæ, in qua non tantùm *participia sæpiùs in nomina degenerant*, (רעה enim & *pascentem* & *pastorem* notat, quarum significatio utraque conjungitur Jer. 23. vers. 2. אהב & *amantem* & *amicum*,) sed *participia* etiam *præterita, quæ passive significant, quando nominascunt, activam adsumunt significationem.* V. C. Prov. 6: 5. יָקוּשׁ *auceps* (proprie *laqueo captus*) Ps. 137: 8. שדודה *vastatrix*, (proprie *vastata.*) Et apud Rabbinos רָכוּב *eques*, כָּפוּר *abnegator* &c. Quod si id verum de participio præterito in Kal, eccur participia passiva Niphal non eâdem frui sorte possent, cùm æqualis utrobique ratio? 4. Cùm igitur præter versiones pro suspicione sua Jesuita nihil aliàs præsidii afferre possit, incorruptum & ab omni mendo liberum hunc quoque textum Propheticum pronunciamus.

### LXXXI. Zach. 9. v. 11.

DE Christo apertissimè dicitur in vulgata & LXX. Interpretum versione: *Tu in sanguine Testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Judæi adjectâ minima literâ ' & mutatis punctis, detorquent totam hanc sententiam ad Synagogam Judæorum. Huntlæus cap. 10. §. 10. Franciscus Ribera in comment. h. l. num. 49.

Resp. 1. Diversam à textu Hebræo versionem (quæ tamen sensu cum eodem convenit) Judaicamque detorsionem agnoscimus, ex neutro verò corruptionem aliquam à Judæis factam exsculpi posse, palàm profitemur: cùm de Christo Redemtore nostro percommodè accipi verba possint, atque etiam debeant. 2. Malo autem Galatini, quàm meis, id exponere verbis. Is, nulla corruptionis mentione injectâ (quod utique fecisset, si quicquam corruptionis hic latere putâsset, cùm corruptelarum diligens alias sit æstimator) ita loquitur: *Quod autem non nisi per sanguinis Messiæ effusionem & à peccatis mundandi essent fideles, & ab inferno liberandi, patet per illud Zach. 9. Etiam Tu per sanguinem pacti tui, emisisti captivos tuos*

*de puteo, in quo non sunt aquæ. Ad cujus dicti intellectum notandum est, quòd hæ dictiones, Tu & Tuos, hîc positæ, fœminini sunt generis: ideò eas ad aliquod fœmininum, cujus mentio præcesserit, referri oportet. Ad quod autem fœmininum sint referendæ, ostenditur ibidem, cùm paulo ante hæc verba sic dicitur: Exulta valdè filia Sion, jubila filia Jerusalem. R. Salomo exponit: Etiam tu Ecclesia Sion & Jerusalem salvaberis cum Messiâ, sicut ipse justus est & salvatus. Per sanguinem pacti tui, hoc est, per meritum sanguinis pacti, qui effusus est super vos in Sinai.* Huc usque Galatinus lib. 8. c. 20. Vide, quæ de hoc loco eruditè disserit Dn. D. Balduinus, Præceptor meus honorandus, in comment. pag. 601. seqq. 3. Requirit lectionem nostram, eamque à corruptionis injuria liberat, ipsa textus cohærentia: Quemadmodum enim in v. 10. verba Jehovæ, DEI Patris, à Propheta producuntur: וְהִכְרַתִּי *& exscindam currum ab Ephraim, & equum à Jerusalem, & exscindetur arcus belli: Et loquetur* (Messias, cujus insigne κριτήριον v. 9. posuerat) *pacem gentibus, & imperium ejus à mari ad mare, & à flumine ad usque fines terræ* (quæ exactè conveniunt cum Esa. 2: 4. Psal. 72: 8.) Ita in v. 11. idem DEI Patris, (vel DEI Filii etiam, cujus cum Patre una essentia, una actio, una loquela) sermo continuatur, personæ primæ verbo: שִׁלַּחְתִּי *emisi.* Et quemadmodum v. 9. ἀποστροφὴ fit ad *Judam & Jerusalem*: ita eadem ἀποστροφὴ in v. 11. continuatur. 4. Quin suavissima etiam fluit ex nostro textu consolatio, quod scilicet sanguis Christi *sanguis fœderis Ecclesiæ* dicitur: (בְּדַם בְּרִיתֵךְ *in sanguine fœderis tui*, scilicet ô Jerusalem spiritualis!) Eo enim sanguine redemti sumus, quo fœdus novum inter Deum & homines sancitum est: qui propter homines propterque Ecclesiam (quam præcipuè fœdus illud attinet, cùm *fœdus Ecclesiæ* dicatur) effusus est, Act. 20: 28. quique in sacra cœna in remissionem peccatorum sub vino membris Ecclesiæ bibendus exhibetur: Et videtur ipse Christus ad istum locum respexisse, quando de poculo Eucharistico ita loquitur: Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη, ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, Luc. 22. vers. 20.

*LXXXII. Mal. 1. v. 13.*

ET *dicitur: Ecce quæ defatigatio,* וְהִפַּחְתֶּם אוֹתוֹ *& exsufflâstis illud, ait Jehovah Zebaoth.* Pro אוֹתוֹ olim fuisse scriptum אוֹתִי Galatinus contendit, & Tikkun Sopherim seu correctionem & depravationem Scribarum hîc statuit. Cui quid respondendum sit, suprà dictum, ubi de hac re ex professo egimus.

ATque hæc sunt Scripturæ V. T. loca, digna nobis visa, à quibus corruptionum illatarum suspicio & macula abstergeretur. Occurrunt quidem hinc inde alia, in quibus fontes non purè fluere à diversis asseritur, sed ex his, quæ hactenus hac de quæstione dicta, facilis illorum erit solutio. In genere notandum, suspicionem isthanc apud quosdam oriri. I. *Vel ex punctorum anomalia & variatione.* Sic vocem לְהָדֵק *comminuendo*, 2 Paral. 34: 7. corruptam, & veram lectionem esse לְהָדַק putat Marinus in Arca Noë, cùm tantùm punctorum sit anomalia, aliàs non infrequens; ut infinitivus scilicet puncta sui retineat præteriti. Sic vocem סִכּוּת Amos. 5: 26. Ribera corruptionis arguit; debere enim legi סֻכַּת *tabernacula*: cum tamen prior etiam vox *tabernaculum* significare possit, quomodo in singulari effertur Act. 7: 43. II. *Vel ex literarum quarundam permutatione.* Sic qui 1 Paral. 11: 27. dicitur חֶלֶץ הַפְּלוֹנִי *Helez Pelonites*, is 2 Sam. 23: 26. vocatur חֶלֶץ הַפַּלְטִי *Heles Paltites.* Depravatum igitur alterutrum esse, Schindlerus æstimat: cùm tamen proprii tantùm nominis sit variatio, ob literarum permutationem facta. Forsan etiam ideò פְּלוֹנִי dicitur, quod prosapia illius nesciretur, dicitur enim פלוני aliàs de eo, cujus nomen nescitur. Sic Gen. 47: 21. pro הֶעֱבִיר *transire fecit*, quidam fuisse olim scriptum הֶעֱבִיד *servire fecit*, suspicantur, (ut LXX. Interpretes Græci vertunt: κατεδουλώσατο) cùm ejus mutationis factæ ratio nec ex Masora, nec alia probabili conjectura afferri possit: sensusque vocis הֶעֱבִיר ex Exod. 32: 13. intelligi possit plenissimè: quod nempe Josephus populum recensuerit, & in oppida subcertis præfecturis distribuerit, ut ita solutio annuorum redituum esset eò facilior. Huc pertinet, quòd quidam corruptam vocem scribi æstimant Esa. 28. v. 11. בְּלַעֲגֵי שָׂפָה *cum ridiculis labio*: pro quo mutata litera ג in ז legendum esse ajunt בְּלַעֲזֵי *cum barbaris linguâ.* At hoc nodum est in scirpo quærere. Et sensus utro-

utrobique idem. III. *Vel ex N. T. collatione*: quandocunque enim loci in N. T. allegati à V. T. occurrit discrepantia, protinus ad corruptionem in V. T. factam quidam prosiliunt: quo in genere excellit Fr. Ribera Jesuita, in commentariis suis super Prophetas minores. At ex Græca LXX. Interpretum versione sæpiùs allegationes in N. T. fieri, hos autem à textu Hebræo discedere certum est. Ex neutro verò corruptio locorum V. T. exsculpi potest, uti inferiùs latiùs dicetur. IV. *Vel ex veteri vulgata versione:* si enim ab Hebræo illa discrepat, in fonte potiùs quàm impuro rivulo impuritatem quærere quidam conantur. Sic Gen. 3: 17. vocem בַּעֲבוּרֶךָ *propter te*, in suspicionem mendi vocat Bellarminus lib. 2. de V. D. c. 11. quia scilicet in vulgata Latina vertitur, *in opere tuo. Potuit* (inquit) *fieri, ut in Hebræo esset* בעבודך *& librariorum vitio mutatum sit Daleth in Resch.* Sic Ps. 68: 23. vocem מִמְּצֻלוֹת *de profundis* corruptam, & pro ea legendum esse בִּמְצֻלוֹת *in profundis*, seu *in profundum*, statuit Sanctius Jesuita iu explic. Psalmi 68. subnexa comment. Cant. Cantic. p. 397. quia scilicet vulgatæ versioni posterior lectio magis congruat. Sic Ps. 73: 10. Latina ita habet: *Et dies pleni invenientur in eis.* In Hebræo וּמֵי מָלֵא יִמָּצוּ לָמוֹ *& aquâ pleni* (scilicet poculi) *exprimentur eis.* Corruptionis igitur insimulat Hebræum fontem Lindanus, qui legi debere censet: וִימֵי מָלֵא יִמָּצְאוּ לָמוֹ ita Latinæ conformis fit textus Hebr. Sed hoc verè esse, *principem* subditorum, *patrem* filiorum, *præceptorem* discipulorum obedientiæ & subjectioni mancipare, ex superioribus constat. V. *Vel ex falsa Scripturæ locorum allegatione*: Sic Marinus in præfat. Arcæ Noæ vitium suspiciosè (dubitanter tamen) ponit in voce שָׂכִיר *mercenarii*, Job. 7: 1. Cur? *quia Abraham quidam Bar Hyab Hispanus allegatum hunc locum legat.* קָצִיר Item in voce לְשַׁמִּין *ad audire faciendum.* Ps. 26: 7. Cur? *quia liber, Rabboth dictus, alleget, legatque* לִשְׁמֹעַ *ad audiendum.* Sed quis mentis tam vesanæ erit, ut falsum hanc Judæorum allegationem receptæ & constantissimæ ipsius Scripturæ lectioni præponere, exque illa in hanc virgulam sibi censoriam arrogare ausit? VI. *Vel demum ex vano somnio & nihili suspicione.* Sic vaticinium illud *de emto agro ex precio proditionis Judæ dato* (cujus mentio Matth. 27: 9. habetur) in Jeremia olim extitisse, sed malitiâ Judæorum ex textu sublatum esse, quosdam suspicari ex Euseb. lib. 10. ἀποδέιξ. ἐυαγγ. c. 5. apparet. Vide quæ suo loco infrà tract. 2. de allegatione Jeremiæ, Matth. 27: 9. habentur. Sic Salmeron loca Zach. 12: 10. & Amos 2: 6. corruptionis rea peragit, cùm in illo non habeatur אֵלַי *ad me*, quod in LXX. Interpp. occurrit: in hoc verò legatur צֶדֶק *justitia*, cùm debeat esse צַדִּיק *justus.* Sed nescius est, quid loquatur. Omnia enim, Judaica etiam exemplaria constanter in priori אֵלַי, in posteriori צַדִּיק legunt. Quod si diversa Jesuita exemplaria vidit, particularis illa est corruptio, quæ in quæstionem hîc non venit. Huc pertinet, quòd Brentius Es. 2: 6. pro מִקֶּדֶם *præ oriente* putat scribendum & legendum esse מִקֶּסֶם *divinatione* (pleni sunt.) Cùm tamen nulla factæ mutationis conjectura subsit, nec ulla etiam ejus statuendæ necessitas. Geminum huic est, quòd Esa. 7: 16. pro אַתָּה *tu* legendum esse עַתָּה *nunc*, Schnepfius in comment. conjicit; sed frustrâ; nec enim terra Juda ibi intelligitur (quod ipse sentit) nec verbum קָץ passivè usurpatur, hoc sensu, *terra quæ nunc affligitur à duobus Regibus*: Sed intelligitur terra duorum Regum hostilium, *quam Tu* (inquit Propheta ad Achaz regem Juda) *fastidis.* Rursus Esa. 15: 9. pro אַרְיֵה *leonem*, Brentius forsan scriptum quondam fuisse אֶרֶץ *terra*, suspicatur, cùm mox sequatur אֲדָמָה *humus*, ut sit sensus: Addam majora mala his, qui in terra Moab servabuntur, & iis, qui reliqui erunt in humo seu regione ejus, ex priori devastatione. Sed præterquam quod insuetum est, in constructione regiminis, genitivum præcedere; altera & usitata lectio sensu fluit commodissimo; *disponam* (inquit per prophetam Dominus) *in Dimone additamenta* (amplius sanguinem Moabitarum fundam) *evadentibus* (verò) *Moabitis* אַרְיֵה *leonem* (disponam) & residuo terræ h. e. faciam ut Moabitarum quicunque fugerint extra terminos suos, aut in iis remanserint, sint unguibus dentibusque ferarum expositi, ut de Israëlitis dicitur 2. Reg. 17: 25. *Leo* Synecd. pro feris animantibus. Porrò Thren. 4. vers. 14. *Risui factus sum* לְכָל עַמִּי *omni populo meo.* Pro hoc Piscator putat legendum esse עַמִּים *populis*; propterea quòd populus ipse Israel loquens inducatur, & de contemtu inter populos conquerens. Sed bene habet! Populum suum Israël vocat, vel qui eandem cum eo habeat originem, quales erant Moabitæ, Ammonitæ, ex Loto; Edomæi ex Isaaco, Nebathæi, Kedareni, ex Ismaële &c. Vel qui ipsi hactenus paruerat. 2 Sam. 8. 1 Reg. 4: 21. Hic enim omnis populus regni Judaici eo modo, quo dictum, cùm debebat malis ejus dolere, vehementer lætari atque exultare ipsius vastatione atque exilio visus est. Ps. 137. Ezech. 35. &c. Sic Hos. 14:

pro שְׂפָתֵינוּ פָּרִים scriptum olim fuisse putant פְּרִי eò quòd Apostolus vertat, *καρπὸν χειλέων* Hebr. 13: 15. atque ם additum à Scribis, existimantibus, compendium Scripturæ hic adhibitum fuisse, sicut hodiè sæpè in Sophe Theboth, in pluralibus apud Rabbinos ם omittitur. Verùm vel per enallagen status absoluti pro constructo; vel per ellipsin præfixi ב in voce שְׂפָתֵינוּ (ut Junius & Tremellius reddunt: *Rependemus juvencos labiis nostris*, id est, gratias maximas, quæ ex ritu legitimo olim figurabantur Sacrificiis Lev. 3. Ps. 51: 21. qui *fructus ille labiorum est, confitentium nomini DEI*, Heb. 13: 15.) commoda fieri potest explicatio, ne opus sit, textum authenticum emendare. Tandem Jan. Drusii verba, in quæsitis per Epist. 84. addere placet de loco Amos. 8: 14. *Vivit* דֶּרֶךְ *via Bersabe.* Quidam judicat (inquit) legendum pro דֶּרֶךְ, צוּרְךָ unius literæ immutatione, auctoritate fretus græcæ versionis: nam in ea haberi, *ὁ θεός σου.* צור autem (*Petra*) DEUM significat, non דרך. Hoc verum est, sed an propterea Græci sic legerunt? mihi non sit probabile. Magis inclino, ut credam eos sensum expressisse. Nam חי דרך באר שבע etiam hodiè quidam interpretantur, *Vivit* (DEUS) *Bersabe:* quod dem cum illo, *vivit DEUS Bersabe.* Latinus Legit דרך Chald. explicat נמוסי *ritus, leges, cultus Bersabe.*

*Tantùm de puritate & integritate Scripturæ Testamenti Veteris.*



TRA-

# TRACTATUS II.

# DE INTEGRITATE ET PURITATE GRÆCI N. T. CODICIS.

## PROOEMIUM.

B. Hieronymus explicans illud Psalm. 42. vers. 8. *Abyssus Abyssum invocat*, non injucundè mysticam tradit interpretationem: *Abyssus* (inquit) *abyssum invocat, cùm vel vetus Testamentum novum annunciat, vel novum vetus in testimonium vocat. Vetus annunciat novum, cùm dicit Moyses: Prophetam vobis suscitabit DEUS de fratribus vestris. Novum verò vetus in testimonium vocat, cùm dicit Paulus: Bibebant de sequenti petra: Petra autem erat Christus. Propter profunditatem enim intelligentiæ dicuntur abyssus.* Hæc ille. Fons quidem limpidus, scaturigo abundans, imo abyssus inexhausta est sermo cœlestis, utroque Instrumento seu Testamento quacunque linguâ traditus: interim tamen si de *formali*, Scriptura nempè; quâ utrumque ad nos divinitùs pervenit, loquamur, diversimodè de doctrinæ istius divinæ abysso sentiendum: Continetur ea sermone & linguâ originali, quâ primitùs perscripta: continetur & in variis variarum linguarum tralationibus. Quod si σύγκρισις hîc instituatur, fatendum omninò est, originalem linguam, *Hebræam* quidem in veteri, *Græcam* verò in novo Testamento, ad reliquas, in quas translatio ab Interpretibus fit, ut fontem & scaturiginem ad deductos inde se habere rivulos. Sicuti autem natura ipsa docet, rivulos aquarum, si contingat cœno eos contaminari, ex fonte, unde promanarunt, defœcandos & depurandos esse: Ita hîc se res omninò habet: versionum rivulos (ab hominibus suam sortitos originem) sæpissimè contingit impuritate quadam affici: ad fontem igitur & originalem linguam statim recurrendum, exque illo reducenda puritas, & inquirenda veritas. Id quod Hieronym. Epist. 135. ad Suinam & Fretelam, his comprobatum dat verbis: *Sicut in N. Test. si quando apud Latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo novum scriptum est instrumentum: ita in V. T. si quando inter Græcos Latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem; ut quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis.* (Falsissimum proinde est, quod Sacrobosc Jesuita in defens. decret. Concil. Trident. p. 1. cap. 4. asserit, *quod nec S. Hieronymus suo tempore tutum existimârit, ad Hebraica exemplaria recurrere.* Cujus asserti falsitas & ex prædicto, & ex aliis Hieron. locis evidenter ostendi potest.) Et de Veteris quidem Testamenti, in originali Hebræa asservati Linguâ, puritate atque auctoritate hactenus pro modulo â DEO concesso disseruerim: superest, ut ad Græcum Novi Testamenti fontem limpidum accedam, pariquè sedulitate PURITATEM ejus & INTEGRITATEM contra quosvis turbidarum mentium βιβλιομάστιγας ostendam, ut ita verum deprehendatur esse illud Hieronymi (Græcum N. T. textum cum versione Latina conferentis) lib. 1. adv. Helvid. cap. 4. *Multo purior manare credenda est fontis unda, quàm rivi.* Tenebo autem ferè eum ordinem, quo tractatu præcedenti fui usus, ut 1. θέσιν & *veræ sententiæ cognitionem.* 2. ἀντίθεσιν & *contrariæ sententiæ refutationem*, σὺν Θεῷ πκλάμῳ producam.

### PARS I.

*Θέσιν seu veræ sententiæ expositionem tradens.*

AD θέσεως tractationem & hîc pertinet 1. *status controversiæ evolutio*; 2. *Sententiæ nostræ confirmatio.* De quorum utroque justo ordine & breviter.

I. *Status*

*I. Status controversiæ evolutio.*

AD statum controversiæ evolvendum, & rem omnem rectè percipiendam sequentia notari velim.

I.

*Non quæritur de particulari quorundam codicum Græcorum depravatione; nec de σφάλμασι & mendis, quæ Typographorum incuriâ, Correctorumque negligentia, in hujus vel illius editionis codices irrepserunt.*

De hoc utrinque satis constat, nec multa ut chartæ complendæ gratiâ congerantur, necessum est. Extant sanè Græci codices, tàm mendosè, locis etiam & civitatibus celeberrimis exscripti ac evulgati, ut vel valdè imperitis asinis, vel negligentissimis fungis ac stipitibus officinas eas Typographicas usas fuisse correctoribus revisoribusque, conjectura facillimè sumi possit. Majori certè hic opus erat curâ, majori sedulitate in re tanti momenti: ne turpi duntaxat lucro sanctissimum DEI Præpotentis verbum apud istiusmodi homines inservire, piæ mentes augurari possint.

2.

*Non quæritur de discrepantiis & diversis diversorum codicum (uti vocant) lectionibus, quorum complures dari in aprico positum est.*

a De diversis N. T. lectionibus.

Ut vera [a] de *diversis lectionibus* N. T. sententia perspicuè & solidè declaretur, ad sequentia membra quatuor animus intendatur, necessum est. 1. Est diversitatum commoda *distinctio*. 2. Causarum, quibus adscribi debent, *enumeratio*. 3. Earundem diversitatum *discretio*, seu quomodo dignosci & probari possit, utra alteri præferenda? 4. Earum *vindicatio*, seu, an corruptio textus sacri N. T. ex illis probari possit?

*I. MEMBRUM.*

AD quatuor classes reduci posse omnia arbitror, quæ in Græcis N. T. codicibus discrepant.

I. *Additio*. Interdum enim in aliis codicibus aliquid additur, quod in iis, quibus communiter utimur, non habetur. Est autem additio ea vel *singularum dictionum*. Matth. 1: 11. Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν &c. in aliquibus interseritur: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰακείμ: Ἰακείμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν. cap. 4: 10. ὕπαγε Σατανᾶ. Regii codices & alii quidam addunt, ὀπίσω μου. Joh. 7: 39. οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον. Quidam addunt, ἐπ' αὐτοῖς: Alii δεδομένον. Actor. 4: 27. συνήχθησαν γὰρ ἐπ' ἀληθείας. In aliquibus additur, ἐν τῇ πόλει ταύτῃ. cap. 11: 17. ἐγὼ δὲ τίς ἤμην δυνατὸς κωλῦσαι τὸν θεόν. Quidam addunt, τοῦ μὴ δοῦναι αὐτοῖς πνεῦμα ἅγιον. cap. 14: 10. ἀνάστηθι &c. In codic. Regiis & aliis additur, σοὶ λέγω ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ, ἀνάστηθι &c. 2 Petr. 1. vers. 10. σπουδάσατε βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν καὶ ἐκλογὴν ποιεῖσθαι. In aliquibus, additis quinque vocibus ita legitur: σπουδάσατε ἵνα διὰ τῶν καλῶν ἔργων βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν καὶ ἐκλογὴν ποιῆσθε. Apoc. 1: 2. ὅσα τε εἶδε. Quidam addunt: ἅτινά εἰσι, καὶ ἃ χρὴ γενέσθαι κατὰ ταῦτα &c. Vel *integrarum sententiarum*. Luc. 6: 5. ὅτι Κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, καὶ τοῦ Σαββάτου. In nonnullis additur: τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ θεασάμενός τινα ἐργαζόμενον τῷ σαββάτῳ, εἶπεν αὐτῷ, ἄνθρωπε, εἰ μὲν οἶδας, τί ποιεῖς, μακάριος εἶ. εἰ δὲ μὴ οἶδας, ἐπικατάρατος καὶ παραβάτης εἶ τοῦ νόμου. Joh. 6: 56. ἐν ἐμοὶ μένει, κἀγὼ ἐν αὐτῷ. Aliqui addunt: καθὼς ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν τῷ πατρί. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ λάβητε τὸ σῶμα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ὡς τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτῷ. Act 5. vs. 15. ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν. Quidam addunt: ἀπηλλάσσοντο γὰρ ἀπὸ πάσης ἀσθενείας, ἧς εἶχεν ἕκαστος cap. 6: 10. καὶ τῷ πνεύματι, ᾧ ἐλάλει. Nonnulli addunt: διὰ τὸ ἐλέγχεσθαι αὐτοὺς ὑπ' αὐτοῦ κατὰ πάσης παῤῥησίας. μὴ δυνάμενοι οὖν ἀντοφθαλμεῖν τῇ ἀληθείᾳ, (v. 12.) συνεκίνησαν &c. cap. 14: 7. κἀκεῖ ἦσαν εὐαγγελιζόμενοι. In quibusdam additur: καὶ ἐκινήθη ὅλον τὸ πλῆθος ἐπὶ τῇ διδαχῇ. ὁ δὲ Παῦλος καὶ Βαρνάβας διέτριβον ἐν Λύστροις. cap. 16. vers. 35. 38. similes additiones habentur. 1 Joh. 2: 23. Πᾶς ὁ ἀρνούμενος τὸν υἱὸν, οὐδὲ τὸν πατέρα ἔχει. In aliquibus additur, ὁ ὁμολογῶν τὸν υἱὸν, καὶ τὸν πατέρα ἔχει.

II. *Omissio*. Contra enim in aliis codicibus aliquid omittitur, quod in nostris habetur. Estque iterum omissio vel *singularum dictionum*. Matth. 3: 11. αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί. Quidam codices καὶ πυρὶ non habent cap. 5: 22. ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῇ (frustra) illud εἰκῇ August. 1. retract. cap. 19. testatur à suis libris abfuisse; uti nec Lutherus vertit. cap. 6: 4. 6. 18. ἐν τῷ φανερῷ,

quæ verba in aliquibus desunt. c. 9: 13. Illud εἰς μετάνοιαν in quibusdam (uti & Syrâ editione) non habetur &c. Vel *integrarum sententiarum*. Matth. 5: 32. καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ, μοιχᾶται. Hanc pericopen *in nonnullis codicibus Græcis, ut & Latinis, non haberi*, testatur Augustinus lib. de adulterinis conjug. c. 10. *quasi ex cap.* 19: 9. *hûc esse potuisset assumta*. cap. 18: 11. ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλός. Hunc versum in nonnullis codicibus non haberi, quidam annotant. cap. 27: 35. ἵνα πληρωθῇ &c. Hæc verba usque ad finem hujus versus in multis codicibus non legi, annotat Brugensis. 1 Joh. 5: 7. ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι, (alii εἰς τὸ ἕν εἰσι.) Hæc verba itidem in quibusdam Græcis codicibus, uti & in Syriaca paraphrasi non leguntur, uti infrà latiùs dicetur.

III. *Mutatio*, eaque vel *in ipso textu*: vel *in textus distinctione*. In *textu* mutatio occurrit vel *dictionum* vel *sententiarum*. In *dictionibus* obveniunt 1. *Nomina propria*. Illorum in diversis codicibus dantur quandoque variationes. Matth. 1:14. Ἀχεὶμ in aliis Ἀκεὶμ, in aliis Ἀχεὶν scribitur. c. 2: 1. εἰς Ἱεροσόλυμα: quidam legunt Ἱερουσαλὴμ. c. 11: 21. χοραζὶν, χωραζὶν, χοροζάιν in diversis scriptum extat codicibus c. 15. v. ult. μαγδαλὰ scribitur, in aliis μαγαδὰν. Marc. 2. 14. quidam λευὶν, quidam λευεὶ, alii λευὶ legunt. c. 5: 1. γαδαρηνῶν, alii γεργεσηνῶν, rursus alii γερασηνῶν habent. c. 7: 26. quidam συροφοίνισσα legunt: Regii σύρα φοινίκισσα, alii συραφοίνισσα, alii demum συροφοινίκισσα. Joh. 1: 28. Regii codices, βεθανίᾳ cum Syro legunt, alii βηθαβαρᾷ Actor. 20: 4. in aliquibus Σώπατρος, in aliis σωσίπατρος extat. 2 Tim. 4: 19. in quibusdam πρίσκαν, in aliis πρίσκιλλαν. 2. *Dictiones aliæ*. Illæ considerari possunt tùm ratione *orationis partium*: tùm ratione *significationis*. Ratione orationis partium vel *in genere*, vel *in specie*. In genere occurrit variatio seu mutatio *Numerorum*. Matth. 3: 8. ποιήσατε οὖν καρποὺς ἀξίους τῆς μετανοίας. Pro quo alii codices cum Regiis singulariter legunt, καρπὸν ἄξιον. cap. 10: 10. μηδὲ ῥάβδον: alii ῥάβδους, c. 11: 16. ἐν ἀγοραῖς, alii cum Reg. ἐν ἀγορᾷ. Marc. 5: 11. πρὸς τὰ ὄρη, Regii codices & alii πρὸς τῷ ὄρει. Luc. 2: 22. τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν. Reg. & alii, αὐτῆς: alii αὐτοῦ. Joh. 4: 25. οἶδα ὅτι μεσσίας ἔρχεται, alii οἴδαμεν. Act. 7: 51. ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ, alii ταῖς καρδίαις ὑμῶν. c. 25: 2. ὁ Ἀρχιερεὺς, alii οἱ Ἀρχιερεῖς Rom. 8: 26. ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν; alii τῇ ἀσθενείᾳ &c. *In specie* variatio occurrit partim in *nomine* (cui ut appendix *pronomen* additur) partim in *verbo*. In *nomine* variatio est 1. *Generis*, Matth. 12: 6. μείζων ἐστὶν ὧδε: Quidam codices in neutro legunt μεῖζον. Joh. 12: 32. πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν. Alii in neutro: πάντα. 2. *Casuum* Matth. 2: 2. προσκυνῆσαι αὐτῷ, alii αὐτόν. cap. 8: 8. μόνον εἰπὲ λόγον, Regii cum aliis, εἰπὲ λόγῳ. Joh. 5: 2. ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα (in nominat.) Alii κολυμβήθρᾳ (in dativ.) cap. 17: 11. οὓς δέδωκάς μοι. Alii ᾧ δέδωκάς μοι ut ad ὄνομα *nomen* referatur) Rom. 4. vers. 11. καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς, alii περιτομήν. c. 5: 17. καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης, alii τὴν δωρεάν. c. 13: 3. οἱ γὰρ ἄρχοντες οὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν, ἀλλὰ τῶν κακῶν: alii: τῷ ἀγαθῷ ἔργῳ, ἀλλὰ τῷ κακῷ (ubi numerorum simul est variatio.) In *Verbo* variatio est. 1. *Generis*, ut in aliquibus *activè*, in aliquibus *passivè* oratio efferatur. Matth. 7: 24. ὁμοιώσω αὐτὸν ἀνδρὶ φρονίμῳ. In aliis passivè: ὁμοιωθήσεται. cap. 25: 41. τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ. Alii: ὁ ἡτοίμασεν ὁ πατήρ μου &c. 1 Cor. 1: 15. ὅτι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβάπτισα, Alii, ἐβαπτίσθητο, alii, ἐβαπτίσθη. Ephes. 3: 3. ὅτι κατὰ ἀποκάλυψιν ἐγνώρισέ μοι τὸ μυστήριον. Alii ἐγνωρίσθη μοι. 2. *Temporum*. Matth. 13: 24. ἀνθρώπῳ σπείροντι. Alii σπείραντι. cap. 15: 31. καὶ ἐδόξασαν τὸν θεὸν Ἰσραήλ. Alii, ἐδόξαζον. Marc. 2: 15. καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ. Alii ἠκολούθουν. Johan. 8: 49. καὶ ὑμεῖς ἀτιμάζετέ με. Alii ἠτιμάσατε. cap. 16: 14. ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται. Alii λαμβάνει. cap. 17:20. περὶ τῶν πιστευσόντων, alii πιστευόντων &c. 3. *Modorum*. Actor. 6: 3. οὓς καταστήσομεν, Alii: καταστήσωμεν. Sic vers. 4. προσκαρτερήσωμεν. Alii προσκαρτερήσωμεν cap. 25. vers 26. σχῶ τι γράψαι. Alii σχῶ τὶ γράψω. 1 Cor. 5: 13. καὶ ἐξαρεῖτε τὸν πονηρόν. Alii ἐξαίρετε. Alii ἐξάρατε &c. cap. 15: 49. φορέσομεν καὶ τὴν εἰκόνα τοῦ ἐπουρανίου, alii φορέσωμεν. Heb. 13: 15. Δι' αὐτοῦ οὖν ἀναφέρωμεν θυσίαν. Alii ἀναφέρομεν. 1 Petr. 5: 10, αὐτὸς καταρτίσαι ὑμᾶς, στηρίξαι, σθενῶσαι, θεμελιῶσαι. Alii αὐτὸς καταρτίσει ὑμᾶς, στηρίξει, σθενώσει, θεμελιώσει. 4. *Personarum*. Matth. 1: 23. καὶ καλέσουσι τὸ ὄνομα αὐτοῦ &c. Alii καὶ καλέσεις (ubi simul variatio numerorum est.) Actor. 27: 19. ἐῤῥίψαμεν, alii ἔῤῥιψαν. Eph. 5: 22. αἱ γυναῖκες, τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν ὑποτάσσεσθε, alii ὑποτασσέσθωσαν. 1. Joh. 4: 3. ὁ ἀκηκόατε, alii, ὅτι ἀκηκόαμεν. 2 Johan. v. 8. ἵνα μὴ ἀπολέσωμεν, ἃ εἰργασάμεθα, ἀλλὰ μισθὸν πλήρη ἀπολάβωμεν. Alii ἵνα μὴ ἀπολέσητε ἃ εἰργάσασθε, ἀλλὰ μισθὸν πλήρη ἀπολάβητε. Hactenus variatio ratione partium. Ratione *Significationis*, variatio Græcor. codicum est in *Synonymia dictionum*; ea autem est vocum tùm *conjugatarum*, tum *diversarum*. 1. Vocum *conjugatarum* (quæ unam eandemque originem a-

gnoscunt) Matth. 5: 48. ὁ πατὴρ ὑμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς; alii ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ȣράνιος, quod unum idemque est. cap. 11: 16. ὁμοία ἐςὶ παιδαρίοις, alii παιδίοις. cap. 17: 5. ἰδȣ, νεφέλη φωτεινὴ. Alii φωτὸς. cap. 26: 7. ἀλάβαςρον μύρȣ ἔχȣσα βαρυτίμȣ, alii πολυτίμȣ. Ebr. 8: 6. νυνὶ δὲ διαφορωτέρας τέτευχε λειτȣργίας. Regii cum aliis quibusdam: τετύχηκε λειτȣργίας. Apoc. 10: 2. καὶ εἶχεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτȣ̃ βιβλαρίδιον, alii βιβλίον, alii βιβλιδάριον. cap. 22: 11. καὶ ὁ ῥυπῶν ῥυπωσάτω ἔτι. καὶ ὁ δίκαιος δικαιωθήτω ἔτι. Alii cum Regiis, καὶ ὁ ῥυπαρὸς ῥυπαρευθήτω ἔτι. καὶ ὁ δίκαιος δικαιωσύνην ποιησάτω ἔτι. Huc pertinet variatio verborum *simplicium* & cum præpos. *compositorum*. Matth. 8: 17. αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε. Regia editio cum aliis habet: ἀνέλαβε. Act. 28: 3. ἔχιδνα ἐκ τῆς θέρμης ἐξελθοῦσα. Alii ἀπὸ τῆς θερμης διεξελθοῦσα. Ib. v. 16. ὅτε δὲ ἤλθομεν, alii εἰσήλθομεν. Sic & alibi sæpiùs. 2. *Vocum diversarum* synonymia vel *simpliciter* talis est, vel *ratione sensus*. Ad *priorem* classem pertinent, Matth. 22: 10. καὶ ἐπλήσθη ὁ γάμος. Alii νυμφών. cap. 23: 8. εἷς γάρ ἐςιν ὑμῶν ὁ καθηγητής. Alii διδάσκαλος. cap. 26: 26. καὶ εὐλογήσας ἔκλασε. Alii εὐχαριςήσας. ibid. vers. 52. ἐν μαχαίρᾳ ἀπολοῦνται alii ἀποθανοῦνται. Apocal. 21: 21. ὡς ὕαλος διαφανὴς, alii διαυγής. Ad *posteriorem* classem pertinent Matth. 2: 11. εὗρον τὸ παιδίον. Reg. & alii, εἶδον τὸ παιδίον. c. 7: 14. ὅτι ςενὴ ἡ πύλη (*quia angusta est porta*) alii cum Reg. τὶ ςενὴ ἡ πύλη *quam angusta est porta*!) cap. 9: 36. ὅτι ἦσαν ἐκλελυμένοι (destituti:) Regii cum aliis, ἐσκυλμένοι (vexati.) cap. 10: 10. ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐςίν. Alii τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ ἐςιν. Luc. 14: 15. μακάριος ὃς φάγεται ἄυτον. Reg. & alii ἄριςον (*prandium*) Joh. 8: 4. ἄυτη ἡ γυνὴ κατειλήφθη ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένη. Reg. cum aliis, ταύτην εὕρομεν ἐπαυτοφώρῳ μοιχευομένην. Eph. 3: 9. τίς ἡ κοινωνία τοῦ μυςηρίȣ, alii cum Regiis, τίς ἡ οἰκονομία τοῦ μυςηρίȣ &c. Huc usque mutatio dictionum. Mutatio seu variatio *sententiarum* seu *integræ sententiæ* occurrit Matth. 11: 23. καὶ σὺ Καπερναȣ̀μ, ἡ ἕως τοῦ ȣ̓ρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδȣ καταβιβασθήσῃ. In aliis interrogativè legitur, καὶ σύ Καπερναȣ̀μ, μὴ ἕως τοῦ ὀυρανοῦ ὑψωθήσῃ; ἕως ᾅδȣ καταβήσῃ, cap. 19: 17. τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεὸς. In aliis ita legitur: τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ, εἷς ἐςὶν ὁ ἀγαθός. Superest adhuc mutatio seu variatio, quæ occurrit in *Textus distinctione*. Qualis est Joh. 1: 3. καὶ χωρὶς αὐτȣ̃ ἐγένετο οὐδὲ ἓν, ὃ γέγονεν. v. 4. ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν. &c. Quidam codices ita olim distinxerunt: καὶ χωρὶς ἀυτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν, ὃ γέγονεν, ἐν ἀυτῷ ζωὴ ἦν. Act. 2. v. ult. ὁ δὲ Κύριος προσετίθει τοὺς σωζομένȣς καθ' ἡμέραν τῇ ἐκκλησίᾳ cap. 3: 1. Ἐπὶ τὸ ἀυτὸ δὲ Πέτρος καὶ Ιωάννης &c. Quidam ita distinguunt; ὁ δὲ Κύριος προσετίθει τȣ̀ς σωζομένȣς καθ' ἡμέραν ἐκκλησίᾳ ἐπὶ τὸ ἀυτὸ, (cap. 3: 1.) Πέτρος δὲ καὶ Ιωάννης. &c. 1 Cor. 7: 33. ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμȣ, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί, μεμέρισαι ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος v. 34. ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίȣ &c. Alii codices ita distinguunt: πῶς ἀρέσει τῇ γυναικὶ, καὶ μεμέρισαι, καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος, καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίȣ, (ubi simul transpositio quædam vocum est.) Gal. 4. ult. ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας. cap. 5: 1. τῇ ἐλευθερίᾳ ȣ̃ν ἡ χριςὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε στήκετε, καὶ μὴ πάλιν &c. Alii ita distinguunt: ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας τῇ ἐλευθερίᾳ ᾗ χριςὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, ςήκητε οὖν καὶ μὴ πάλιν &c. Heb. 3: 9: καὶ εἶδον τὰ ἔργα μȣ τεσσαράκοντα ἔτη. v. 10. διὸ προσώχθισα &c. In aliis ita distinguitur: καὶ εἶδον τὰ ἔργα μȣ. τεσσαράκοντα ἔτη προσώχθισα &c. Apoc. 9: 10. καὶ κέντρα ην ἐν ταῖς οὐραῖς ἀυτῶν, καὶ ἡ ἐξουσία ἀυτῶν ἀδικῆσαι &c. In aliis ita distinguitur: καὶ κέντρα, καὶ ἐν ταῖς οὐραῖς ἀυτῶν ἐξȣσίαν ἔχȣσι τοῦ ἀδικῆσαι &c.

IV. *Transpositio*. Vel *singulorum vocum* Matth. 15: 14. ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν. Alii ita transponunt: τυφλοί εἰσι ὁδεγοὶ τυφλῶν. Marc. 5: 5. ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ ἐν τοῖς μνήμασιν ἦν. Regii & alii codices transponunt: ἐν τοῖς μνήμασιν καὶ ἐν τοῖς ὄρεσι ἦν. Actor. 7: 3. ἐν φλογί πυρός. Alii ἐν πυρὶ φλογός. 1 Cor. 9: 1. ȣ̓κ εἰμὶ ἀπόςολος, ȣ̓κ εἰμὶ ἐλεύθερος. Alii transponunt: ȣ̓κ εἰμὶ ἐλεύθερος, ȣ̓κ εἰμὶ ἀπόςολος (quod gradationi Apostolicæ videtur magis respondere.) 1 Cor. 15: 51. Codices nostri legunt: πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Alii verò codices (ex quibus vulgata Latina versio facta) teste Hieronymo Epist. 152. ad Minerium & Alexandrum, legunt: πάντες μὲν κοιμηθησόμεθα, ἀλλ' ȣ̓ πάντες ἀλλαγησόμηθα. 1 Petr. 3: 21. ᾧ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα. Regii & quidam alii transpositis vocibus (& uti videtur & rectiùs) legunt: ᾧ ἀντίτυπον νῦν καὶ ἡμᾶς σώζει βάπτισμα. Vel *totius sententiæ*. Matth. 23: 8. πάντες δὲ ὑμεῖς ἀδελφοί ἐςε. Hæc verba in quibusdam codicibus transferri in vers. 9. & poni proximè post hæc verba: εἷς γάρ ἐςιν πατὴρ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς ȣ̓ρανοῖς (ubi melius videntur convenire) testis est Burgensis. Rom. 14. v. ult. post verba: πᾶν δὲ ὃ ȣ̓κ ἐκ πίστεως, ἁμαρτία ἐστὶν, in quibusdam codicibus attexi tres ultimos versus capitis ultimi 16. qui claudunt hanc Epistolam, testatur Casaubonus, & ante ipsum Origines comment in Rom. 16: 25.

## II. MEMBRUM.

a Unde & ex quibus causis varietas ista exemplarium in Græco Novi testamenti textu provenerit, sæpe mecum hactenus mirabundus inquisivi. Tandem verò causas ejus rei reperire licuit duplicis generis. 1. Causam *genericam*. 2. Quasdam *speciales*. Generica diversitatis istius causa videtur esse Critici ejusmodi Operis (quale in Veteris Testamenti Hebræo textu datur, *Masora* dictum) defectus. De Masora Veteris Testamenti superiùs dictum & probatum fuit, post conscriptionem ejus, ne jota quidem vel punctum ex contextu excidere, vel in eo mutari posse, quin statim id ex illa deprehendi & pristinæ puritati restitui possit. Tali verò exactissimâ censura & contextus Græci revisione in Novo Testamento caremus, quare mirum haudquaquam est, per tot tam variorum descriptiones, multum varietatis Græcum textum contrahere potuisse, quod idem Chaldaicis Vet. Testamenti paraphrasibus propter Masoræ defectum olim accidisse, Elias Levita præf. 3. libri sui Masoreth Hammasoreth, oct. ה conqueritur.

2. *Speciales* causæ reduci possunt tùm ad *Orthodoxos*, tùm ad *Hæreticos*. Quæ ab orthodoxis Novi testamenti descriptoribus seu librariis desumuntur causæ, positæ esse videntur, 1. In *Transcriptione* (1.) partim quidem *ex aliis locis parallelis*: quando enim deficere quippiam in exemplari, ex quo descripsêre, rati sunt, statim ex loco parallelo complere istud fuisse annisos, verisimile est. Matth. 24: 41. quidam codices addunt hæc verba: *δύο ἐπὶ κλίνης μιᾶς, εἷς παραλαμβάνεται, καὶ εἷς ἀφίεται.* Hæc Lucæ Euangelistæ propria esse, ex cap. 17: 34. certum; ex illo autem loco, Matthæi textui inserta fuisse, probabile est. Huc pertinent verba Matth. 27. v. 35. *ἵνα πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν* &c. usque ad finem versus, quæ in multis codicibus non leguntur, translata autem huc forsan sunt ex Johan. 19: v. 24. Sic Marc. 15. v. 3. post verba, *καὶ κατηγόρουν αὐτοῦ οἱ ἀρχιερεῖς πολλά*, in codicibus Regiis, aliisque sequitur, *αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο*, quod nec Syrus, nec pleraque exemplaria Græca agnoscunt. Additum proinde ex Matth. 27. v. 12. videtur. Luc. 9. vers. 35. in quibusdam inseruntur verba, *ἐν ᾧ εὐδόκησα*, ex Matth. 17. v. 5. Sic Luc. 11. v. 15. quidam addita habent verba: *καὶ ἀποκριθεὶς εἶπε, πῶς δύναται σατανᾶς σατανᾶν ἐκβάλλειν*; quod ex loco Marci parallelo cap. 3: 23. acceptum. Roman. 14: 11. *ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ*; Regii codices cum aliis addunt, *ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων*: quæ verba ab aliis absunt, & ex Philip. 2. v. 10. (qui locus huic ferè parallelus est) transsumta esse videntur. Inde igitur diversitates in *additione*. Matth. 27: 33. pro verbis *ὅς ἐστι λεγόμενος*, quædam exemplaria legunt, *ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον*, quod ex Marc. 15: 22. huc repositum. Inde igitur diversitas in *mutatione*. (2.) Partim etiam *ex marginali annotatione*. Matth. 1: 22. *διὰ τοῦ προφήτου λέγοντος*· Quædam exemplaria addunt nomen Ἡσαΐου: quod primò quidem in margine à librario scriptum, postmodùm verò ab aliis, qui ad textum pertinere rati sunt, ipsi textui insertum fuisse probabile est, Luc. 10: 22. ante hæc verba: *πάντα μοι παρεδόθη* &c. plerique Græci codices cum Syro legunt, *καὶ στραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητὰς εἶπε*; Regii autem Codices & alii ea verba non agnoscunt: (uti nec Matth. 11: 27. leguntur:) videntur igitur in textum relata ex alicujus ad marginem adnotatione, volentis docere, eadem hîc subaudienda, quæ mox vers. 23. exprimuntur. Luc. 22: 47. post verba: *καὶ ἤγγισε τῷ Ἰησοῦ φιλῆσαι αὐτόν*, codices Regii (Syrum secuti) hæc addunt verba: *τοῦτο γὰρ σημεῖον δεδώκει αὐτοῖς, ὃν ἂν φιλήσω, αὐτός ἐστι*. In plerisque autem Codicibus Græcis hîc non extant: Verisimile igitur est, ex prioribus Euangelistis Matth. 26: 48. Marc. 14: 44. huc ad marginem commentarii loco adscriptum, & in textum tandem relatum fuisse. Idem de superioribus etiam exemplis judicari potest, quod scilicet additio non immediatè ex locis parallelis, sed ex margine textus (cui *ἐξηγήσεως χάριν* forsan adscripta erant verba) fuerit facta.

a Causæ diversarum lectionum.

2. In *Expositione*. Eaque vel per *vocem eandem*, *ἐμφατικωτέρως* expressam. Quandoque enim majoris *ἐμφάσεως* gratia vox mutata fuisse deprehenditur. Matth. 25: 20. *ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς lucratus sum super illa.* Alii *ἐμφατικωτέρως* legunt, *ἐπεκέρδησα, super lucratus sum.* Rom. 4: 1. pro *τὸν πατέρα* quidam codices legunt *τὸν προπάτορα*, cum emphasi majori. Jacob. 5: 11. pro *πολύσπλαγχνος*, alii *ἐμφατικωτέρως* legunt *πολυεύσπλαγχνος*. Huc pertinet istud Matth. 7: 14. *ὅτι στενὴ ἡ πύλη*, *quia angusta est porta:* quod majoris emphaseos gratiâ, demta una litera, ita mutatum in regiis codicibus legitur: *τί στενὴ ἡ πύλη*, *ô quam angusta est porta!* Et illud Marc. 1: 44. *ὅρα μηδενὶ εἴπῃς*: quod abjectâ unâ voce *ἐμφατικωτέρως* in aliis ita legitur: *ὅρα μηδενὶ μηδὲν εἴπῃς*: Apud Græcos enim duæ negationes fortiùs negant, Apoc. 22: 11. *καὶ ὁ δίκαιος δικαιωθήτω ἔτι.* Alii significantius & explicatiùs legunt: *δικαιοσύνην ποιησάτω ἔτι* &c. Vel per *voces diversas*, Sic Matth. 21: 30. pro verbis *ἐγὼ κύριε*, quidam

legunt *καὶ κύριε*, quidam *ὑπάγω κύριε*, alii demum, *ἐγὼ κύριε*, *ἐγὼ ὑπάγω*, quæ omnia verisimile est fuisse substituta ab iis, qui veræ lectionis, *ἐγὼ κύριε* (à se non satis intellectæ) expositionem quandam tradere voluerunt. Cap. 25. v. 16. pro *ἐποίησεν ἄλλα πέντε τάλαντα*, aliqui codices legunt, *ἐκέρδησεν ἄλλα πέντε τάλαντα*, quæ mutatio procul dubio *ἐξηγήσεως* ergo facta, cùm notior & clarior sit phrasis posterior priori. Capite eodem. v. 29. pro verbis *ὃ ἔχει*, Regii & quidam alii habent: *ὃ δοκεῖ ἔχειν*, quod putat se habere. Lectio igitur posterior ut *ἐξηγητικὴ* (ex Luc. 8: 18.) priori substituta fuisse videtur.

3. In *correctione*, quæ facta est 1. *ad normam versionis Latinæ*. Sic Matth. 17: 2. ubi Græca exemplaria conformiter legunt, *ἐγένετο λευκὰ ὡς τὸ φῶς*, *erant candida ut lux:* Codex unus legit, *ὡς χιὼν sicut nix*, quemadmodum & latina versio habet. De hoc igitur suo codice ita Brugens. *De hac varietate aliud dicere nequeo, quàm quod secundùm illud exemplar Latinæ editioni contra alia omnia sæpè consonet, & aliquando erroribus potius ejus editionis inolitis, quàm germanæ lectioni.* Hæc ille. Marc. 1: 38. pro verbis: *εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις*; idem codex legit, *εἰς τὰς ἐγγὺς κώμας, καὶ εἰς τὰς πόλεις*, planè sicut Vulgata Latina legit: *in proximos vicos & civitates.* De hoc iterum Brugensis: *Sed jam diu discimus, exemplar illud pro audacis scribæ arbitrio discrepare frequenter à cæteris, & fere quidem ad Latinam editionem mutatum*, Marc. 7: 4. *καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς*. Brugensis iterum: *Addit exemplar secundum ὅταν ἔλθωσιν, secutum errorem plerorumque Latinorum codicum.* Nec dubium, quin ex hac causa aliæ etiam provenerint varietates & discrepantiæ. 2. *Ad difficultatis evitationem.* Quandoque enim vox seu phrasis, cum incommoditate quadam conflictari librario visa fuit, ac proinde alia, commodior visa, ei substituta, unde diversitas lectionis orta. E. G. Marc. 1: 2. in multis codicibus, uti & à Syro legitur, *ὡς γέγραπται ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ*. Nostri autem legunt *ἐν τοῖς προφήταις*. Hæc igitur lectio de industria videtur fuisse supposita, ad evitandam difficultatem, quæ ex lectione altera (*ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ*) oriri videtur; subjungitur enim non Esaiæ modò, sed Malachiæ etiam de Johanne Baptista testimonium. Sic Marc. 6: 3. *οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων, ὁ υἱὸς Μαρίας*. Quidam notant, in antiquis aliquot libris legi, *οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς καὶ Μαρίας*; *nonne hic est ille fabri filius & Mariæ?* Quæ lectio posterior emendatio Lectoris imperiti forsan fuit, persuasi, artem fabrilem non potuisse decere Christi majestatem. Sic Marc. 8: 10. *εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθά*. Quædam exemplaria legere dicuntur *εἰς τὰ ὅρια Μαδεγαδά*. *Prius* igitur Marci ipsius esse putatur: *posterius* eorum, qui arbitrati sunt Marci Euangelium à Matthæi dissidere, si unum *μαγδαλὰ*, seu *μαδεγὰν*, seu *μαγαδὰν*, alterum *Δαλμανουθὰ* diceret. De hujus generis diversitatibus ita *Erasmus* loquitur in annot. 1 Cor. 15. p. 356. *Quoties veteres fatentur, lectionem esse diversam, semper mihi suspectior (verior, voluit, nisi fallor, dicere) esse solet ea, quæ primâ specie videtur absurdior, ut consentaneum sit, lectorem vel parum eruditum, vel parum attentum, offensum absurditatis imagine, mutâsse Scripturam.* Hactenus de variarum lectionum causis, quæ ab Orthodoxis desumuntur.

Sed enim *Hæreticis* etiam quibusdam hujus rei culpam impingi posse, non sine ratione quidam existimant. Præterquam enim quod inimicas sæpè manus Scripturis Nov. Testam. immittere non fuêre veriti, ut infrà latiùs dicetur: certè, quod illustre illud dictum 1 Joh. 5: 7. in quibusdam codicibus legitur, in quibusdam non, Arianorum adscribendum videtur dolo, qui cum splendorem veritatis in illo lucentem nec tolerare, nec etiam obscurare possent, plenaria sublatione & detractatione suæ causæ consuli posse judicârunt. Sane apud Socratem lib. 7. Hist. Eccles. c. 32. expresse habetur, *παλαιοὺς ἑρμηνεῖς veteres interpretes significasse, quod sint quidam, qui Epistolam Johannis primam depravaverint*, (*ῥᾳδιουργήσαντες τὴν ἐπιστολὴν*) *quò in Christo hominem à Deo separarent.* Vide plura de hoc aureo dicto apud Reverendiss. & Clariss. Dom. D. Gerhardum, Præceptorem & Fautorem meum honorandum & cumprimis dilectum, disput. 1. ex 1 Johan. 5. v. 7. instituta.

## *III. MEMBRUM.*

*Examen diversarum lectionum.*

CUm tanta Græcorum Novi Testamenti codicum sit difformitas, jure meritò quæritur, *quænam lectio alteri in singulis discrepantiis præferenda sit?* Ad hoc igitur ut respondeatur, distinctè videtur progrediendum esse. Aut enim varietas est in *singulis dictionibus*, aut in *integris sententiis*, quæ vel *adduntur*, vel *demuntur*, vel *mutantur*. In varietate *prioris* generis, utraque plerumque lectio à textu haudquaquam discedit, utraque proinde retineri potest, atque etiam debet, nisi gravis obstet ratio, quod retineri non debeat. Benè Fr. L. Brugensis in præfat. variar. lect. *Major* (inquit) *varietatum pars in verbis potius consistit, quam in rebus, magisque ad exactam, quam*

ad

*ad necessariam facit corrigendi rationem.* Hæc ille. Atque hujus generis diversitates sunt plerunque illæ, quæ inter codices Regios & alios, quibus communiter utimur, intercedunt. Quid enim quæso interest, quid veritati decedit, sive cum Regiis exemplaribus Matth. 3. v. 8. legam καρπὸν ἄξιον in singul. sive cum aliis καρποὺς ἀξίους in plurali. Sive cum Reg. 2: 11. legam εἶδον, *viderunt*, sive cum aliis εὗρον *invenerunt*. Sive cum Reg. 9. vers. 36. legam ἐσκυλμένοι *vexati*, sive cum aliis ἐκλελυμένοι *destituti* seu *dissoluti*. Sive cum Regiis 1 Cor. 2. vers. 1. legam τὸ μαρτύριον τοῦ θεοῦ, sive cum aliis τὸ μυστήριον τοῦ θεοῦ: cum sensu amicum utriusque lectionis in prædictis exemplis sit foedus? Par esto ratio aliorum. In varietate generis *posterioris* (quò pertinet etiam varietas lectionum in singulis dictionibus, in quibus gravis ratio obstat, quò minus utraque lectio retineri debeat) quodam examine, & discernendi modo, sive Lydio lapide videtur esse opus, utra alteri præferenda: quænam retinenda, quænam verò repudianda sit?

Lydius verò lapis potest dari quadruplex, ἡνωμένως non διῃρημένως usurpandus. 1. *Exemplarium antiquorum & probatorum fides.* Cùm enim post tot seculorum decursus Euangelistarum & Apostolorum autographa (quibus primitiva Ecclesia decorata erat) non amplius in Ecclesia hodiè extent, ex quibus de lectionis certitudine & veritate judicium desumi possit, ideò secundâ navigatione utendum, hoc est, recurrendum ad antiquissima & probatissima exemplaria, quæ ex autographis illis, in veteri Ecclesia asservatis, dubio procul sunt descripta, & quæ cum illis congruunt, acceptanda, quæ verò dissonant, repudianda. Præcipuè autem ad hanc ἐξέτασιν & Lydium lapidem recurrendum est, quando illustre & emphaticum Novi Testamenti dictum (ex quo præcipuus fidei nostræ articulus confirmari potest) in aliquibus codicibus legitur, in aliquibus non. Quale dictum est 1 Joh. 5. vers. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo* &c. In aliquibus Græcis exemplaribus id non legi, suprà dictum est. Quod si quæratur, an Scripturæ. Nov. Testament. Canonicæ pars sit, & an exemplaria, quæ legunt, præferenda iis sint, quæ omittunt? ex anti[illegible]te certè & fide exemplarium probatorum [illegible]quirenda ejus rei veritas. Legi verò in antiquissimis & probatissimis Græcis codicibus, latè & diligentissimè ostendit noster Dn. D. Gerhardus, disput. allegatâ 1. §. 16. & seqq. In aliis locis, quæ fidei articulos principaliter non spectant, si varietas occurrat, vel utraque conjungenda & acceptanda (si salvâ textus veritate & συναφείᾳ possit) vel alterutri lectioni palma ex codicum fide dignorum pluralitate deferenda. E. G. Johan. 6: 56. post verba κἀγὼ ἐν αὐτῷ, quædam exemplaria totam legunt pericopen, suprà adductam: καθὼς ἐν ἐμοὶ πατὴρ &c. Sed reliquorum codicum constanti omissione, hæc verba ad textum non facile pertinere (licet nec textui, nec analogiæ fidei adversentur) ostenditur. Par ratio aliorum est.

2. *Doctorum veterum allegatio & interpretatio.* Quod eam potissimum varietatem concernit, quâ in aliquibus codicibus leguntur, quæ in aliis omittuntur. Hic si ea, de quorum αὐθεντίᾳ quæritur, verba à priscis Ecclesiæ doctoribus (& iis præsertim, qui in Græcia floruerunt, quibus Græcorum exemplarium fides magis fuit cognita) interpretentur & explicentur, dubium non est, quin & vetustis codicibus, adeoque ipsis Scriptorum sacrorum autographis conformia, & Scripturæ Nov. Testam. genuina pars sint. V. C. Matth. 18. ỹs. 11. totus versiculus, ἦλθε γὰρ &c. à nonnullis Græcis codicibus abest. At præter aliorum codicum etiam antiquissimorum fidem exponunt illum Interpretes Græci, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & alii, unde de canonica ejus auctoritate dubitari amplius nequit. Sic Matth. 5: 22. particulam εἰκῆ *frustra*, ab Augustini codicibus Græcis abfuit, sicut ipse testatur lib 1. retract. cap. 19. Sed cùm non potiora tantùm exemplaria, unà cum Syro Interprete, illam legant, sed tractatores etiam Græci interpretentur, dubium non est, ad textum pertinere. Similis ratio est classici loci 1. Joh. 5: 7. qui à quibus & quantis ex vetustate doctoribus allegetur, tractetur, explicetur, ostenditur apud D. Gerh. d. l. 20. seqq.

3. *Scripturæ conformitas, fideique analogia.* Ea enim lectio alteri præfertur meritò, quæ & Scripturæ & fidei analogiæ magis congruit. E. G. *In singulis dictionibus.* Matth. 6: 4. 6. 18. verba, ἐν τῷ φανερῷ; à suis, quæ consuluit, Græcis exemplaribus abfuisse, testatur Augustinus lib. 2. de serm. Domini in monte, & in v. 18. in omnibus Parisiensium Græcis codicibus, numero sedecim, non fuisse scriptum, testatur Burgensis, (uti & in Regiis codicibus obelo notatur;) Verùm præterquam quòd multi antiqui Græcorum libri in v. 4: 6. verba illa legunt & tractatores Græci interpretantur; accedit hoc, quod textui apprimè sunt conformia, in quo fit oppositio inter eleemosynam, orationem, jejunium, occulta: & inter remunerationem Dei manifestam. Cùmque eadem oppositio sit in vers. 8. igitur ad textum

ibi quoque pertinere perspicuum evadit. Marc. 3: 16. ante verba: *Et imposuit Simoni nomen Petrus:* quidam codices Græci legunt πρῶτον Σίμωνα, *primum Simonem*, scilicet fecit (ex v. 14.) quam lectionum alteri (quæ hæc verba omittit,) præferendam esse, videtur ostendere textus ipsius συνάφεια; aliàs enim versiculi sequentes à particula καὶ incipientes, non habebunt verbum, cum quo connecti possint. Et præterea Matth. 10: 2. eadem particula πρῶτος additur. Neque est, quod quispiam miretur, post πρῶτον non sequi δεύτερον, τρίτον & similes particulas, cùm sæpè ocurrat ejusmodi dicendi genus. Matth. 10: 2. Actor. 26: 20. Rom. 1: 8. cap. 3: 2. Sic Hebr. 12: 1. plerique codices legunt, τὴν εὐπερίςατον ἁμαρτίαν. Regii verò codices & quidam alii habent ἀπερίςατον. Si quæratur, quænam lectio præferenda? à superiori ἐξετάσει si abierimus, videndum est, quænam significationis suæ ἐμφάσει textui sit conformior? Significat autem ἀπερίστατον, *quem nihil circumstat, qui circumstantiis caret, desertum* itidem, qui nulla circumstantium, à quibus auxilium ei ferri possit, coronâ cingitur, item *quem nulla circumstant pericula*, &c. quæ significationes neque peccato, quod deponi jubetur, neque textui huic conformes sunt. Econtra verò εὐπερίστατος ἁμαρτία exponi potest peccatum, *quòd facilè circumsistit, hæret, atque amplectitur, quasi nolens abjici.* Erasmus vertit, *peccatum tenaciter inhærens:* Beza & Piscator, *ad nos circumcingendos* (& in cursu proinde impediendos) *proclive.* Optimè B. noster Chemnitius, tom. 1. locor. de peccato orig. cap. 1. περίστασις (inquit) *significat* θλῖψιν πανταχόθεν εἰς ἀδημονίαν εἰσάγουσαν, juxta Varinum, hoc est, mala quæ undique ingruunt: significat ergo εὐπερίστατος ἁμαρτία *peccatum, quod undique omnes vires, membra & totum hominem occupat. Et particula* εὖ *usurpatur* ἀντὶ τοῦ ἰσχυρῶς, *sicut annotat Varinus. Rectè ergò redditur, peccatum tenaciter inhærens, Luth. pulchrè reddit,* die Sünde/ die uns immer anklebet. Ex his igitur patet, quod ea lectio quæ habet, εὐπερίστατος, præferenda sit alteri, ἀπερίστατος legenti, quæ vox quidem vertitur, *circumstans*, sed significationem illam habere non posse, τὸ μόριον στερητικόν α ostendit. Simili ratione Matth. 5. v. 22. particulam εἰκῆ ad textum pertinere, ex eo comprobatum dari potest, quod iram, quæ à Christo prohibetur, pulchrè determinat & limitat, ne omni, justâ etiam irâ ac zelo interdictum sibi esse, Christiani existiment. *In integris sententiis.* Johan. 1. v. 3. in aliquibus talis textus est distinctio: καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν. ὃ γέγονεν, ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν; atque ita Augustinus & Cyrillus etiam distinguunt. Constatque, Macedonianos ita distinguentes, inde conclusisse, *quod Spiritus sanctus sit creatura, licet omnia vivificet.* Contrà verò alii codices plerique post vocem ὃ γέγονεν distinctionem sistunt, & v. 4. ab istis inchoant, verbis ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, quæ lectio quàm & fidei analogiæ, & textui huic (qui de λόγῳ agit, in quo vita omnis residet) conformis, & ea propter alteri præferenda sit, cuivis patet. Eadem est ratio dicti 1 Johan. 5: 7. quod scopo & contextui Apostolico, fidei item analogiæ esse convenientissimum, late ostenditur prædictâ D. Gerh. disputatione §. 28. seqq. & §. 42. ideoque pro parte Scripturæ N. Testam. authentica habetur meritissimè.

4. *Syriaca paraphrasis seu versio.* De ea testatur Tremellius in præfat. super Nov. Test. Syriac. *quòd majori ex parte ex archetypo Græco (eoque antiquissimo) fidelissimè expressa sit.* Unde Burgens. in præfat: super Nov. Testam. comm. num 6. *Hoc teneo* (inquit) *indubitanter, Syriacum N. Test. textum vetustissimi exemplaris Græci, & quidem ex primis, loco habendum ac venerandum esse.* Juvat etiam audire Dn. D. Frantz. tract. de Interp. Script. part. 1. p. 47. *Ex omnibus versionibus* (inquit) *Novi Testamenti primum locum habet, & certissima, felicissima & divina omninò est Syriaca versio, ab Apostolicis viris absque dubio fidelissimè comportata, qui verba Christi & Apostolorum recentia adhuc mentemque optimè noverant. Hac enim linguâ Christus ipse fuit usus, unde illam fermè sapientes æquiparare fonti Græco Novi Testam. volunt, & spondeo immensas utilitates illis, quotquot N. Test. Syrum cum Græco conjungere non fuerint gravati.* Vide etiam p. 56. Observa autem hìc 1. ἐξέτασιν hanc, quæ ex Syra paraphrasi instituitur ad diversitates dignoscendas, esse ultimam, & non nisi cum superioribus, præsertim prima, pondus obtinere. Potest quidem *unius exemplaris vetusti* vicem gerere, uti Burgensis inquit, interim tamen multa vetusta exemplaria unico illi meritò præjudicant. Ex eo sequitur, quod in Syriaca paraphrasi non habetur, non statim pro heterogenea & aliena Scripturæ parte esse habendum, cùm locum 1 Johan. 5. v. 7. Syrus non verterit, quem tamen canonicum esse, superiora evictum dant κριτήρια. Contrà verò orationis Dominicæ clausula, quæ habetur Matth. cap. 6. vers. 13. & à Bellarmino aliisque pro aliena & apocrypha habetur, apud Syrum Interpretem extat. Ex quo patet, in antiquissimis Græcis codicibus simul extitisse, aliàs in Syriacam linguam convertere eam Interpres non potuisset: atque ita Canonicæ clau-

clausulæ istius auctoritati magnum accedit pondus.

Pontificii prædictis diversarum lectionum ἐξετάσεσι addunt *vulgatam Latinam versionem*, cui quicquid in Græcis Nov. Testam. (sicut & Hebræis Veteris Testamenti, uti superiùs ostensum) codicibus non congruit, hoc ferè repudiant, & corruptionis illatæ insimulant. Ita enim Huntlæus contr. 1. cap. 13. §. 1. *Nos textum Græcum N. Testam. depravatum esse affirmamus, præsertim ubi dissentit à vulgata nostra editione.* Sed reprobus est iste, qui pro Lydio venditatur, lapis. Non enim ex versione authenticus textus, non ex rivulo fons, sed contrà versio ex authentico textu, rivulus ex fonte dijudicari debet, nisi currum præmittere nos equis, videri velimus. Et constat versionem istam permultis, ut in Veteri, ita Novo quoque Testamento scatere mendis, uti ab aliis ostensum jam antè fuit, & de Nov. Testament. versione confirmat Brugens. Commentator Pontificius, qui in not. ad cap. 17. Matth. Græcum, v. 2. *errores insolitos* ei tribuit. Quomodo igitur mendosa versio, fonti puritatem (quæ ei ausu nefario derogatur) conciliare possit? Sed de his alibi plura.

## IV. MEMBRUM.

Tandem igitur non injuriâ quæritur *quid de dictis Græcorum Codicum Novi Testamenti varietatibus & diversis lectionibus sentiendum sit, numque corruptio textus ex illis probata dari possit?* A Pontificiis quibusdam duo exinde educuntur asserta. 1. *Probationis infirmitas.* De dicto enim 1 Johan. 5. v. 7. quia in aliquibus libris extat, in quibusdam non, ita Erasmus in hoc loco p. 768. *Cùm constet, & apud Græcos & apud Latinos olim variâsse lectionem, nihil hoc telum adversus Arianos valebit.* Bona verba, Erasme! nimis præcipitanter à te conclusum. An ad probandum id esset inefficax, quod (etiamsi in omnibus codicibus non legatur) ex probatissimis & antiquissimis exemplaribus Scripturæ canonicæ pars esse, manifestè deprehenditur? Hæretica rabies, uti probabile, lucem illam sustulit: sed Christianorum sedulitas & fides maturè fraudem detexit, & loco suo locum restituit. Verùm de hoc propriè isthic non agimus. 2. *Corruptio textus Græci, & impuritas.* Quia enim 1 Cor. 15. v. 51. diversa occurrit lectio, per vocularum quarundam transpositionem, de qua suprà suo loco: igitur Pontificiorum aliqui codices nostros, qui alteram lectionem (ab altera illa, quam Latina versio sequitur, discrepantem) retinent, corruptionis reos peragunt, Melch. Canus lib. 2. Locor. Theol. cap. 13. Staplet. in antid. 1 Cor. 15. & in relect. princip. fid. contr. quæst. 3. at. 2. Eandem in variis lectionibus alii orbitam terunt Bellarminus lib. 2. de verb. Dei cap. 7. Huntl. contr. 1. cap. 12. Sed hos βιβλιομάστιγας refellit. 1. κατ' ἄνθρωπον, *versionis vulgatæ collatio.* Si enim ex diversa lectione corruptio textus Græci probari potest, sequitur, quòd editio Latina sit corruptissima, quæ præter vitiositatem innumeram, (propter quam corruptissima meritò dicitur) magnam insuper lectionum varietatem admittit, sicuti ad oculum à Franc. Luc. Brugensi in not. ad varias lect. in Lat. & ab aliis ostenditur. Hoc verò posterius per anathema Tridentinum Pontific. Paterculi dicere prohibentur. 2. κατ' ἀλήθειαν, *varietatum Græcarum consideratio.* Damus earum ex superioribus jam classem triplicem. 1. *Quædam* ita comparatæ sunt, ut utraque sine ulla veri sensus jactura commodè retineri, & in textus explicatione conjungi possit. 2. *Quidam* ita, ut una alteri ob institutam ἐξέτασιν, & discretionem (de qua membr. 3.) præferenda sit, licet neutra fidei analogiæ simpliciter repugnet. 3. *Quædam* verò ita, ut una retinenda, altera, quæ vanitatis coarguitur, simpliciter repudianda sit.

Ex *prima* classe [a] corruptio inferri nequit. 1. Quia incertum est, utra inter duas diversas lectiones ab ipsis librorum sacrorum Scriptoribus profecta sit, cùm ambæ commodæ sint & textui conformes. Ergo neutra etiam rejici, neutra de corruptela accusari potest. 2. Illud in sermone vel Scriptura propriè depravari & corrumpi dicitur, quod sententiam menti dicentis vel scribentis contrariam, facta symbolorum (hoc est literarum, dictionum, phrasium) mutatione inducit. Id verò de hujus farinæ diversitatibus dici nequit, uti luce meridianâ apparet clarius. 3. Antiqui Doctores Ecclesiæ diversitatis variæque lectionis quandoque mentionem faciunt, de corruptione verò exinde stabilienda ne per somnium quidem cogitant.

[a] An corruptio ex diversis lectionibus probari possit?

Nec ex *secunda* classe (ad quam pertinet diversitas 1 Cor. 15. vers. 51.) corruptio inferri potest, quia non potest dari ratio, cur una potius retineri, altera corruptionis simpliciter insimulari debeat: cum utraque analogiæ fidei sit conformis. In loco 1 Cor. 15. vers. 51. dant quidem Pontificii prænominati rationem hanc, quod altera (quam genuinam esse ducunt, πάντες μὲν κοιμηθησόμεθα, ἀλλ' οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα) in Latina versione extet: sed hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, & matrem filiolæ (etiam immorigeræ) subjectioni mancipare.

re. Vide de hoc loco plura apud Dom. Doct. Gerhardum tom. 8. locor. de resurrect. §. 115. seqq.

Nec demùm ex *tertia* classe (ad quam pertinet discrepantia codicum, quorum quidam legunt dictum 1 Johan. 5. vers. 7. quidam non) corruptio inferri potest. Loci enim ejus omissio non universalis est & omnium omninò codicum, legitur enim in plerisque tum vetustioribus probatis, tùm recentioribus: sed particularis quorundam. De *particulari* verò corruptione nequaquam hîc, sed de *universali* sermonem nobis esse, præcognito 1. superiùs fuit dictum. Tantum de diversis Nov. Testam. lectionibus, quarum explicationem dedimus paulò prolixiorem, ut sacrarum literarum Studiosis, quid de illis habendum sit, innotescere possit.

3.

*Hoc verò est quod quæritur: An textus novi Testamenti Græcus, in probatis codicibus (licet diversitate lectionum aliquantum discrepantibus) asservatus, à corruptelis, sive ea ab Hæreticis per injuriam & malitiam, sive à librariis per incuriam illata esse dicantur, ita sit immunis, ut exactissima norma, & certa regula esse possit, ad quam omnes omninò versiones, & præsertim versio vulgata Latina (ut ad fontem rivuli) exigi, examinari, & sicubi opus, corrigi possint & debeant?*

Nos affirmamus, Pontificii negant, ut antithesis ostendet. Videbimus, pro utra parte stet veritas. Sit ergò membrum.

## II. Sententiæ nostræ confirmatio.

DUpliciter thesis nostra confirmari debet & potest. 1. ἁπλῶς *absolute*, ut ostendatur, *Græcum Nov. Testam. textum à corruptelis esse immunem atque liberum*. 2. σχετικῶς *relatè*, ut ostendatur, *ita esse liberum, ut versionum, & præcipuè vulgatæ Latinæ norma meritò sit & amussis*. Possemus sanè utraque κατασκευῇ supersedere, & in exemplorum eorum, quibus adversarii (qui alio pro sua sententia argumento non utuntur) corruptelas inesse statuunt, vindicatione acquiescere: sed tamen, ut tractatio sit plena, propositam hanc subire provinciam non detrectabimus.

Κατασκευὴ prior.

ARgumentum pro integritate & puritate fontis Græci Nov. Testam. *PRIMUM* deducimus *à fontis Hebræi in V. Testam. collatione*. Si Hebræo Vet. Testam. textui sua illibata constat integritas & puritas, eadem constabit etiam Græco N. Testament. textui. At prius verum est. E. & posterius. Connexio *majoris* pari utriusque ratione nititur. 1. *Ratione causæ materialis*. Uterque textus Deum immediate inspirantem agnoscit auctorem. 2. *Ratione causæ materialis*. Uterque divinam voluntatem patefacit, uterque summa & eadem fidei nostræ mysteria πρώτως & primò (in respectu ad versiones) proponit. 3. *Ratione causæ formalis*. Uterque divinam & Canonicam in Ecclesia auctoritatem obtinet: uterque sancto & incontaminato sermonis genere perscriptus est. 4. *Ratione causæ finalis*. Uterque controversiarum, dogmatum, fidei & vitæ Christianæ canon est norma & certissima regula, Deut. 4: 2. Galat. 6: 16. uterque Christum Mediatorem, & salutis viam nobis κυρίως seu principaliter (respectu versionum) commonstrat. Joh. 5: 39. 1 Joh. 1: 4. *Minor* ex tractatu primo, quo ejus veritas stabilita, patet. 1.

*SECUNDUM* deducimus *ex providentiæ divina ratione*. Si DEUS per Verbum N. Test. à se manu Apostolorum exaratum, usque ad finem seculi Ecclesiam sibi certò colligit, conservat, & contra omnes hostes communit, utique etiam authenticæ ejus Verbi editioni à corruptelis immunitatem certò præstat & concedit. At prius verum est. E. & posterius. *Consequentia*, normæ & normati, canonis & ejus quod ad canonem exigitur, analogiâ nititur. Doctrina etenim pura & illibata, (quâ Ecclesiam sibi DEUS in Spiritu sancto colligit, conservat, communit) puram etiam & illibatam requirit Scripturam, ad quam ceu Lydium lapidem & infallibilem normam exigi, appendi & examinari possit ac debeat. Tolle puritatem verbi DEI scripti, & ultrò collabescet doctrinæ ex verbo desumtæ puritas: quæ contumelia in Deum ipsum Scripturarum auctorem vergit. Augustin. lib. 11. contr. Faust. Manich. cap. 2. *Quæ auctoritas literarum aperiri, quis sacer liber evolvi, quod documentum cujuslibet Scripturæ ad convincendos errores exeri potest, si hæc vox admittatur, Scripturas esse corruptas? Minor* ex omnibus N. Test. libris luce meridianâ elucet clariùs. 2.

*TERTIUM* argumentum suppeditat *priorum Doctorum, in asservando & vindicando Græco authentico textu, industria & sedulitas. Etsi multa* 3.

*multa depravare conati sunt hæretici*, (verba sunt Bellarmini lib. 2. de verbo Dei cap. 7.) *tamen nunquam defuerunt Catholici, qui eorum corruptelas detexerint, & non permiserint, libros sacros corrumpi.* Si quis observat *varietatem lectionum*, quam prohibere & avertere cura piorum Doctorum non potuit. Resp. Lectiones istas diversas (plerasque saltem) non esse corruptiones textus sacri, uti ex superioribus patet. Quod si quædam illarum *vel* menda librariorum, *vel* corruptelæ hæreticorum aliorumve fuerunt, utique & his obviam itum fuit Patrum industriâ. Utriusque dabimus exempla, (1.) Matth. 13: 35. in multos codices irrepsisse nomen *Esaiæ*, pro quo deinde fuerit nomen *Asaphi* substitutum, annotat Hieron. libr. de opt. gen. interpretandi ad Pammachium. Neutrum tamen nomen illic hodiè legitur, quod emendationi piæ vetustatis tribuendum, Sic Luc. 9: 31. ubi nostri codices legunt, τὴν ἔξοδον ἀυτοῦ, olim in aliquibus extitisse τὴν δόξαν ἀυτοῦ, *gloriam ejus* ex Chrysostomo & Euthymio constat. At concorditer postea exemplaria Græca legerunt, & adhuc legunt, τὴν ἔξοδον ἀυτοῦ, nec mansit varietas hic lectionis. Ex quo patet, piæ antiquitatis curâ mendum hoc vetus fuisse agnitum, & ex Scripturis remotum. Sic 1 Cor. 13. vers. 3. pro *καυθήσωμαι ardeam*, in aliquibus exemplaribus fuisse olim scriptum *καυχήσομαι glorier*, ex Hieronymo constat. Mendum verò hoc (probatis exemplaribus & textui adversum) posteà fuisse textu motum, codicum Græcorum *συνασμονία* ostendit. (1.) Verba Johan. 4. vers. 24. *πνεῦμα ὁ θεός Spiritus est DEUS*, ab aliquibus exemplaribus olim, fraude Arianorum, abfuisse, ex antiquitate constat: quod tamen Doctorum piorum studio deprehensum, & textui ita restitutum fuit, ut diversa isthæc lectio jam modò exspiraverit. Sic quod Luc. 22. de *sudore Christi sanguineo & confortatione Angeli* legitur, olim non in omnibus fuisse codicibus tàm Græcis quàm Latinis, ex Hilario lib. 10. de Trinit. pag. 155. & Hieronym. lib. 2. adv. Pelag. cap. 6. apparet. Quod Lucæ 19. v. 41, *Christus super civitatem Hierosolymam flevisse dicitur*, itidem à quibusdam, *non intelligentibus verbi hujus finem, ac vim & robur*, sublatum fuisse, testis est Epiphan. in ancor. p. 954. De historia *adulteræ*, Joh. 8. vers. 1. eadem Augustini lib. 2. de adult. conjug. ad Pollent. cap. 7. est sententia, à quo non alienus est Hieronym. lib. 2. adv. Pelag. cap. 6. At verò piorum Patrum sedulitate & curâ effectum, ut in nostris codicibus constanter ex olim ἐλλείπεσαι Euangelii partes, extent & legantur. Eadem ferè ratio dicti 1 Joh. 5. v. 7. de quo superiùs plura.

*QUARTUM* demùm argumentum desumitur *à rationis solidæ, pro contrariæ sententia, defectu.* Nihil illa invenit præsidii, nisi in dictis quibusdam, quibus corruptelas inesse, somniat potiùs quàm confirmat. At à suspicione ejusmodi ea longum abesse, faciemus infrâ, Deo volente, ratum.

## Κατασκευὴ posterior.

TExtum Nov. Testam: Græcum versionibus, & præsertim vulgatæ Latinæ, præferendum, & ita quidem esse, ut pro norma, canone & regula ipsarum haberi in Ecclesia DEI debeat, non opus multâ est probatione. Ostendit id 1. *Utriusque, & textus Græci, & versionis Latinæ σύγκρισις* (1.) *Ille* fons est, *hæc* ex fonte reductus rivulus, Bellarmino non diffitente. An verò fons rivulo, an hic illi præferendus sit, naturam ipsam Pontificii quærant arbitram. (2.) *Ille* Deum *ἀμέσως* inspirantem agnoscit auctorem: *Hæc* verò homines, eosque incertæ & dubiæ auctoritatis, uti ex Bellarmino libr. 2. cap. 9. apparet. (3.) *Ille* à corruptelis liber est, uti tùm ex dictis, tùm ex dicendis in antithesi constat. *Hæc* verò *errores* habet *insolitos*, teste Brugensi, quales sunt, Matth. 26: 67. Alii autem *palmas* in facies ejus dederunt, pro *alapas* (quomodo verbum Græcum rectè conversum est Joh. 19: 3.) Luc. 8: 49. Venit quidam *ad Principem* Synagogæ, pro à *Principe*. Lucæ 15: 8. *Evertit* domum, pro *Everrit*, seu scopis mundat, (quomodo vox Græca rectè vertitur Luc. 11: 25.) Luc. 16: 22. *Et sepultus est in inferno.* vers. 23. *Elevans autem oculos suos* &c. pro: *Et sepultus est. In inferno autem elevans oculos suos.* Joh. 1: 30. Post me venit vir, qui ante me *factus est*, pro *fuit*. Rom. 12. vers. 19. Non vosmetipsos *defendentes*, pro *ulciscentes*. Heb. 11. v. 34. *Effugaverunt* aciem gladii, pro *effugerunt*. Rom. 14. v. 6. ubi desunt verba: *Et qui non sapit* (seu curat, φρονεῖ) *diem, Domino non sapit.* 1 Petr. 2. vers. 23. Tradebat autem judicanti se *injustè*, pro *justè*. Apoc. 14. vers. 3. Et nemo poterat *dicere* canticum, pro *discere* &c.

*a* Errores versionis vulgatæ in N. T.

Duo video hic excipi posse. 1. In Latinis etiam exemplaribus lectionum esse diversitatem, sicuti in Græcis: Quemadmodum autem in his ex lectionum diversitate arguere ad corruptionem non licet (uti superius dictum,) ita nec in illis. Resp. 1. Longè dispar ratio. In Græcis si diversitates occurrunt, pleræque simul salvâ veritate salvoque textu recipi possunt. At in versione Latina sæpe alterutra le-

*b* Exceptiones. 1.

ctio necessariò falsa est, quæ à Græco discrepat, præsertim quando contraria dicuntur. E. G. *Effugaverunt* & *effugerunt*, Hebr. 11. vers. 34. simul stare non possunt, cùm sensu non minùs, quàm Barac & Sissera inter se pugnent: hic *fugit*, ille *fugat*. 2. Quin & aliqua menda in Latinis ita comparata sunt, ut diversitas lectionis non occurrat. Quæ enim quæso exemplaria produci queunt, ubi pro *injustè*, 1 Petr. 2: 23. *justè* legatur! Sic & in aliis.

2. 2. Ex discrepantia Latinorum codicum à codicibus nostris Græcis, corruptionem inferri non posse, cum ex aliis codicibus Græcis, à nostris lectione discrepantibus, Latina versio adornata esse possit. Resp. Sanè quædam loca in versione vulgata ita comparata sunt, ut, licet primâ fronte textui Græco minus convenire videantur, pro corruptis tamen & incongruè conversis haberi statim non debeant: *partim* quia sensum Interpres quandoque secutus est, non strictè verba: *partim* quia aliam à codicibus nostris lectionem apprehendit. Sed interim hoc quoque certum est, de omnibus locis Latinæ tralationis, quos mendorum accusamus, hoc dici nequaquam posse. Producant enim Pontificii vel unicum codicem Græcum, eumque probatum & veterem, qui in exemplis suprà positis versioni Latinæ lectione consentiat. Huntl. præstare hoc conatur, dum controv. 1. cap. 13. §. 9. ad quæstionem, *nunquid illicitum sit recurrere ad textum Græcum?* ita respondet: *Id licitum & utile esse, dummodò id fiat, ut melius intelligatur vulgata editio, non autem ut illa oppugnetur;* (scil. date puero panem, ne ploret! mater justa & pia filiolam degenerem ne reprehendat, neque corrigat, ne forsan illa confundatur,) *& dummodo recursus fiat ad correctissimum & antiquissimum exemplar Græcum, cujusmodi est illud, quod Romæ asservatur in Bibliotheca Vaticana, quod cum vulgata in omnibus consentit.* Hæc ille. Producant verò nobis Pontificii illud exemplar, & in patrocinium versionis suæ Latinæ, publicæ luci id committant, & tum palinodian fortassis à nobis expectent. Vereor autem, ne exemplar istud sit (si modò sit) ejus farinæ, cujus exemplar secundum Brugensis, de quo notis ad Matth. 17: 2. inquit, *quòd Latinæ editioni contra alia omnia sæpè consonet, & aliquando erroribus potiùs ejus editionis inolitis, quàm Germanæ lectioni.* Et in Marc. 1: 38. *Jamdiu discimus, exemplar illud pro audacis Scribæ arbitrio discrepare frequenter à cæteris, & fere quidem ad Latinam editionem MUTATUM.* Deprehendit id olim Erasmus, (allegante Huntlæo d. l.) *qui, cùm objectum ei fuisset, quòd à correctissimo illo Bibliothecæ Vaticanæ exemplari, in multis differat ejus versio: Respondit, exemplar illud Vaticanum ante paucos annos confectum esse tempore Concilii Florentini, cùm facta est concordia Latinæ Ecclesiæ cum Græca.* En igitur ejus antiquitatem! Ait quidem Gordonus, *divinando potiùs quàm probando Erasmum hæc protulisse, & aliud loqui exemplaris ejus antiquitatem.* Sed ipse de Erasmi sententia non tam divinando, quam somniando judicat, & petitionem principii, antiquitatem nunquam à se probatam jactando, manifestè committit. Hactenus κατασκευῆς posterioris argumentum primum. Alterum exhibet

2. *Ipsa Pontificiorum πρᾶξις.* Utut enim illi θεωρητικῶς de impuritate & corruptione textus Græci, deque authentia versionis vulgatæ plausibiliter disserant: tamen ubi ad πρᾶξιν ventum est, ubi errores vulgatæ inoliti ostendendi, ubi incommoditas tralationis commonstranda, ad Græcos recurrere fontes, ex iisque puram quasi haurire aquam non dubitant. An non Brugensis in notis ad varietatem Latinam illud, *sic esse legendum, Græca clamant*, non semel ingeminat? quoties Lovanienses, ita in Græcis exemplaribus legi, annotant? quoties & alii inter Pontificios ex Græcis Latina emendant, atque ita nobis, & veritati præbent testimonium? Ad Matth. 6. vers. 5. ubi Latina (*Qui amant*) Græca (ὅτι φιλοῦσι *quia amant*) legunt, ita Maldonatus in comment. hoc loco. *Hoc loco nostram potiùs, quam Græcam versionem, judico esse corrigendam.* Ad Luc. 22. v. 20. ubi Latina (*sanguis, qui pro vobis fundetur*,) Græca, in præsenti (*qui funditur*, ἐκχυνόμενον) legunt, ita Stapletonus promt. fer. 3. hebd. sanct. §. 4. *Illa verba sunt legenda in præsenti tempore, juxta omnes Evangelistas in textu Græco.* Ad Joh. 1. v. 30. ubi Latina (*qui ante me factus est*) Græca (γέγονε *fuit*) legunt, ita Faber in comment. Hebr. 1. *Non aliam expositionem voluit infelix Arius, ut suam contra nos evomeret insaniam, & nos EX INTERPRETE concluderet, qui non potuit ex veritate.* An hoc non est, versionem Latinam ad Græcam corrigere? Ad Eph. 2. v. 10. ubi Latina, (*creati sumus in Christo Jesu in operibus bonis*) Græca, (ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς, *ad bona opera*,) legunt, ita Vega. opusc. de meritis & justif. pag. 803. q. 6. *Non satis commodè vertit vulgatus Interpres: commodius esset non sic vertere, ne inde quis ansam sumeret operibus imputandi suam creationem in Christo: nihil enim magis Paulo alienum fuit, qui ubique eam gratiam operibus nostris abrogat, & uni Christo ex asse adscribit.* Ad Hebr. 4. v. 2. ubi Latina (*in iis quæ audiverunt*) Græca (τοῖς ἀκούσασιν, *qui audiverunt*) legunt, ita Riebera in hoc loco num. 5. *Sine dubio legendum est in vulgata* (*qui:*)

non

*non enim aliter in Græca intelligi possit.* Ad Hebr. 11. vers. 34. ubi Latina (*effugaverunt*) Græca (ἔφυγον, *effugerunt*) legunt, ita idem Ribera in h. l. *Latine, fugaverunt aciem gladii, debet esse effugerunt, secundùm proprietatem Græcæ vocis.* Ad Apoc. 14. vers. 3. ubi Latina (*nemo potest dicere canticum novum*) Græca (μαθεῖν, *discere*) legunt; ita idem Ribera in hoc loco. *Ideoque non in Græcis hoc loco error est, sed in Latinis.* Quin prodeat tandem apertissima saniorum Pontificiorum confessio. Motus in Epist. ad M. Dorpium, allegante Mortono: *Ecclesia credit translationi Latinæ, sed MAGIS archetypo credit: Euangelium in Latinis esse verum, QUATENUS cum GRÆCIS CONSENTIT.* Vives in Schol. ad August. de civ. Dei lib. 15. cap. 13. *Linguæ, inquit Augustinus, potiùs credatur, unde in aliam facta est translatio, ut CODICIBUS GRÆCIS. Sic Augustinus: Hoc Hieronymus clamat, ratio docet, nullus SANIORIS JUDICII repugnat; sed frustrà bonorum ingeniorum consensus, veluti moles opponitur.* Acosta Jesuita lib. 2. de Christo revelato cap. 15. initio: *Quid ergò amplius Latino aut Græco concedendum est, quàm ut tunc habeatur interpretatio bona, CUM CONCORDAT ORIGINALI LINGUÆ? auctoritas autem divina tota* (N B.) *penes illam linguam sit, in qua sacer Scriptor edidit primum.* I nunc Gordone, & assere, *licitum esse quidem ad textum Græcum recurrere, dummodo tamen id fiat, ut meliùs intelligatur vulgata editio, non autem ut oppugnetur.*

## PARS II.

*Αντίθεσιν, seu contrariæ sententiæ refutationem exhibens.*

DUas iterum veritatis divinæ hostes hîc abeunt in sententias, I. *Quidam* Scripturam Nov. Testam. Græcam ab hæreticis corruptam, & à falsariis depravatam esse dictitant. Quem errorem Sixtus Senensis lib. 7. Bib. sanct. hær. 1. p. 576. *Manichæis, Helvidio* & *Anabaptistis* adscribit. De *Manichæis* verba Fausti apud Augustin lib. 33. contr. Faust. cap. 3. recitat: *Multa* (ait Faustus Manichæus) *à Majoribus vestris eloquiis Domini nostri inserta verba sunt, & quæ nomine signata ipsius, cùm ejus fide non congruant, nec à Christo, nec ab Apostolis scripta, sed multò post eorum assumtionem à nescio quibus, & ipsis inter se discordantibus Semi-Judæis per famas, opinionesque comperta sunt: qui tamen omnia eadem in Apostolorum conferentes nomina, vel eorum, qui secuti Apostolos viderentur, errores & mendacia sua secundum eos, se scripsisse mentiti sunt.* Ex eod. Augustino d. lib. cap. 7. ita loquitur: *Quæ autem essent illa falsò in Nov. Testamentum immissa, & à Manichæis repudiata, idem Faustus multis in locis docuit, asserens duo genera mendaciorum fuisse Nov. Testam. inserta: primo, omnia testimonia Vet. Testam. quæ in Novo Testam. reperiuntur: secundò, omnes eas Scripturas, in quibus Christum verè fuisse hominem, ac verè humana perpessum legeretur. His duobus exclusis, cætera, quæ ad divinitatem Christi pertinebant, Manichæi libenter accipiebant, & verissima esse fatebantur.* De Helvidio & Anabaptistis Senensis ita porrò loquitur: *Helvidius quoque iisdem temporibus Græca Novi Testamenti exemplaria esse multis in locis falsata affirmavit, ut D. Hieronymus in libro, quem adversus illum conscripsit, testatum reliquit. Temporibus autem nostris, quibus omnia revocantur in dubium, execrabiles Anabaptistæ ac Servetiani, hunc jam toties profligatum errorem magno Ecclesiæ malo instaurârunt, fatentes quidem, libros aliquos N. Test. ab Apostolis scriptos, sed posteà ab hæreticis falsatos, ac multis erroribus contaminatos fuisse, semperque eosdem errores usque ad hunc diem in N. Test. perdurâsse.* Hæc ille.

2. *Quidam* non hæreticorum quidem malitiâ, sed librariorum tamen negligentiâ, corruptam esse Nov. Testam. Scripturam Græcam, astruunt. Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 7. *Non esse Græcos codices in universum, atque omninò corruptos, facilè demonstrari potest &c. Quod autem non sint ubique incorrupti, sed aliqui interdum errores irrepserint, saltem negligentiâ librariorum, & non sit tutum, semper Latina ad Græca corrigere, aliquot exemplis planum fiet &c.* Eadem ferè Theodori Bezæ sententia, qui in not. ad Actor. 7. vers. 16. ita loquitur: *Ista in numerorum notis vel nominibus propriis errata non ipsorum auctorum culpâ, quorum & mentem & calamum in his tradendis Spiritus sanctus certissimè gubernavit, sed descriptorum partim negligentiâ, partim inscitiâ, aut etiam per aliquorum sciolorum audaciam admissa sunt.* Utramque sententiam audacter Jesuita Gordonus amplectitur, id quod controv. 1. cap. 12. §. 1. ita edisserit: *Quod attinet ad Nov. Test. Græcum textum, qui jam circumfertur ab Adversariis, in quo etiam illi singulare suum perfugium collocant, dubium non est, quin ille in variis locis sit corruptus, partim incuriâ librariorum, partim fraude antiquorum hæreticorum, & consequenter non adeò idoneus est ille textus ad gignendam fidem, ut existimant Adversarii, nisi accedat Ecclesiæ auctoritas.* Hæc Gordonus. Et de *prima*

M 2 quidem

quidem sententia, quatenus *Manichaeos* agnoscit auctores ac defensores, hac vice animus non est agere: cùm ad illam potiùs quaestionem haec pertineant, quae est de *divina* & *canonica* Scriptorum N. Test. & potissimùm Euangelistarum *auctoritate*, quam Manichaei, quaedam recipiendo, quaedam verò pro lubitu repudiando, mirè labefactant: Helvidii & Anabaptistarum, uti & Servetianorum error cum Gordoni Jesuitae sententia ferè idem est, unâ igitur fideliâ duo isti parietes dealbari posse videntur. Quare, quibus & *Gordoni Jesuitae* (Anabaptistis conformis) & *Bellarmini*, aliorumque sententiae tùm conjecturis nitantur, tùm Scripturae N. Test. dictis probationis ergò utantur, distinctis jam considerabimus sectionibus.

## SECTIO I.

### *Rationes seu conjecturas sententiae contrariae expendens.*

DUo potissimùm veritati à Gordono (nam Bellarminus scripturae dictis duntaxat agit) objiciuntur.

1. *Antiquorum Patrum auctoritas.* Ita enim d. l. scribit: *Primum argumentum sumitur ex antiquis Patribus, etiam ex illis, qui proximi fuerunt Christo. Hi enim saepius conqueruntur, Graecum textum N. Test. suâ jam aetate fuisse depravatum, quare multò magis nunc nostra aetate erit ille corruptus. De hac enim corruptela conqueruntur S. Irenaeus lib. 1. c. 29. Tertull. lib. 5. contra Marcion. Origenes in cap. ult. ad Rom. v. 25. Dionysius Corinthiorum Episcopus, & alii apud Eusebium lib. 4. hist. Eccl. c. 22. & 23. & lib. 5. cap. ult. Denique unus Theodoretus scribit, se meminisse in suo Episcopatu plusquam ducentos libros corruptos ab Haereticis, quos tamen Catholici existimabant incorruptos. Vide Theodoret. lib. 1. de haeres. in cap. de Tatiano.* Prodeat etiam (nam responsio eadem est) argumentum secundum.

a De haereticis, an quaedam falsaverint?

2. *Haereticorum iniquitas.* Huntl. ibid. *Apud Graecos ortae sunt omnes ferè antiquae haereses, ut Manichaeorum, Valentinianorum, Arianorum, Macedonianorum, Nestorianorum &c. qui omnes conabantur variis artificiis pervertere Scripturas, praesertim N. Test. ut testantur Patres citati.*

Resp. ad utrumque. 1. Haereticos antiquos vel quoscunque alios, N. Test. Scripta falsare voluisse, vel depravâsse, quidam apertè negant. Sic enim Th. Morus in Epist. ad M. Dorp. pro defens. Erasmi p. 411. (citante ὁμοψήφῳ Mortono in Apol. cathol.) *Profecto, ut vere dicam, videtur mihi neutiquam credibile, ullam gentem ad depravandos libros Graecos unquam conspirare voluisse, ut ne dicam, nec potuisse quidem. De Judaeis Hieronymus viderit: Graecos certè ab hac falsitatis suspicione liberat vel illud, quòd in his, de quibus iis nobiscum fuit controversia, eorum libri nobiscum consentiunt: nec de litera unquam, sed de sensu literae quaestio fuit: nunc igitur, quid comminisci quisquam possit, cur alia falsarent, cùm ea nobis reliquerint, quae vel sola falsare voluissent?* (refutat autem, nisi fallor, Anabaptistas, qui, referente Senensi, objiciunt, *Graecos codices, quos nunc habemus, fuisse vitiatos à Graecis, postquam se ob suas contentiones ab Ecclesia Rom. separaverunt.*) His succinere videntur verba Senensis lib. 7. Bibl. Sanct. haeres. 1. p. 580. *Dicimus, eum Graecum codicem, qui nunc in Ecclesia legitur, eundem illum esse, quo Ecclesia Graeca temporibus Hieronymi, & longe antea usque ad tempora Apostolorum usa est, verum, sincerum, fidelem, & nullo falsitatis vitio contaminatum, sicut continuata omnium Graecorum Patrum lectio lucidissimè ostendit &c.* 2. Sed enim nimis manifesta sunt Doctorum Ecclesiae veterum & fide dignorum testimonia. De *Marcione* Irenaeus lib. 1. cap. 29. ita loquitur: *Id quod est secundum Lucam Euangelium circumcidens, & omnia, quae sunt de generatione Domini conscripta auferens, & de doctrina sermonum Domini multa auferens &c. suasit discipulis suis, non Euangelium sed particulam Euangelii tradens eis, similiter autem & Apostoli Pauli Epistolas abscidit, auferens quaecunque manifeste dicta sunt ab Apostolo &c.* De eodem Origenes in Rom. 16. vers. 25. *Caput hoc* (pericopen hanc, *Ei autem, qui potens est vos roborare secundùm Euangelium meum &c.*) *Marcion, à quo Scripturae Euangelicae atque Apostolicae interpolatae sunt, de hac Epistola penitùs abstulit, & non solùm hoc, sed & ab eo, ubi scriptum est, Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est, usque ad finem, cuncta dissecuit.* De Tatiano Theodor, lib. 1. haeret. fab. tit. de Tatiano, ita loquitur: *Is composuit Euangelium, quod dicitur per quatuor, amputatis genealogiis, & aliis, quaecunque ostendunt, Dominum natum esse ex David secundum carnem. Eo autem usi sunt, non ii solùm, qui sunt illius sectae, sed ii etiam, qui dogmata Apostolica sequuntur, compositionis fraudem non cognoscentes, sed simplicius eo tanquam libro compendioso utentes.* Apud Euseb. lib. 4. c. 22. Dionys. Corinthiorum Episcop. ita loquitur: *Fratribus ut scriberem rogantibus, scripsi Epistolas. Has etiam Apostoli Diaboli zizaniis, alia eximentes, alia verò adjicientes, repleverunt, quibus condemnatio est reposita. Non*

*est itaque mirum, quòd & Dominicas Scripturas nonnulli sunt corrumpere conati, cùm & eas, quæ tales non sunt, depravare sunt aggressi*, cap. 23. *Nihil pejus est hæreticis, qui & tùm temporis in morem zizaniorum sinceram Apostolicæ doctrinæ sementem vitiârunt.* Confer D. Gerhardi disp. 1. ex dicto 1 Joh. 5. §. 6. 3. Nos *duplici distinctione* rem omnem expediemus. I. Distinguendum est inter hæreticum Scripturas corrumpendi *conatum*, & inter ejus *complementum*. De *priori* ob auctoritatem Patrum dubitari non potest: *Posterior* credi non debet. Divinâ enim providentiâ singulari factum, ut id, quod intenderet hæretica turba, nunquam potuerit plenè perficere. Omni quippe tempore floruerunt orthodoxi Ecclesiæ Doctores, qui memores gravissimæ comminationis Apoc. 22. v. 18: 19. hæreticorum fraudes & corruptelas detexerunt, & non permiserunt, libros sacros corrumpi. De *Marcionis* nefario ausu antè dictum: sed illum detexit, & veritatem puritatemque Scripturarum contra ipsum asseruit Irenæus, & Tertullianus, uti & Epiphanius hæret. 42. ubi corruptelas istas Marcioniticas ordine examinat. *Ariani quoque* (inquit Bellar. lib. 2. de verb. Dei c. 7.) *abstulerunt ex Evangelio Joh. 4. Spiritus est Deus: sed indicavit & notavit B. Ambr. lib. 3. de Spir. S. c. 11. & nostri codices Græci omnes hoc testimonium habent.* Par est judicium de hæreticis cæteris. II. Distinguendum inter *particularem* quorundam Græcorum codicum corruptionem: & inter *totalem* omnium. *Prior* negari non potest; *posterior* concedi non debet. Etsi enim hæretici in iis, quæ secum habuêre, exemplaribus quædam addere, quædam detrahere, quædam mutare forsan non sunt veriti: reliquis tamen omnibus quæ Christiani orthodoxi per totum terrarum orbem in sua habuêre potestate, quicquam corruptionis & falsationis intrudere eos potuisse, verisimile omninò non est. Et hoc ipsum nobis suppeditant verba Origenis, qui cùm de pericopes Rom. 16: 25. *Ei autem qui potens est &c.* ablatione Marcioniticâ conquestus fuisset (ut suprá dictum) statim subjungit: *In aliis verò exemplaribus, h. e. in his, quæ non sunt à Marcione temerata, hoc ipsum caput* (hanc pericopen) *diversè positum invenimus &c.* Et licet Christianorum etiam codices depravationibus hæreticis quandoque fuerint obnoxii, diligenti tamen piorum Doctorum curâ effectum est, ut sublatis iis codicibus, universalis falsatio nunquam invehi potuerit. Unde Theodoret. de Tatiano loquens (ut suprà) ita subjungit: *Ego quoque inveni plusquàm ducentos hujusmodi libros* (Euangeliórum depravatos) *qui in honore habebantur in nostris Ecclesiis: quos cum omnes simul coëgissem, deposui, & loco eorum posui.* 4. *Euangelistarum Euangelia &c.* Idem procul dubio & alii præstitêre Ecclesiarum vigiles. 4. Ex dictis igitur liquet, frustrà esse, & ἀγνοίᾳ τοῦ ἐλέγχου turpiter à scopo deviare Gordonum Jesuitam, quando & Patrum antiquorum querimoniam, & hæreticorum conatum, puritati Græci N. T. text. objicit. *Querelam* sane illorum Patrum non ignoramus, sed tamen *medelam* etiam sacro textui ab iisdem adhibitam, contra nefarios ausus, gratis animis agnoscimus & deprædicamus. *Conatum* hæreticorum ratione quorundam codicum novimus & damnamus: *Complementum* verò & plenariam corruptionem negamus, & quòd illata ea non fuerit, divinæ providentiæ acceptum grato corde & ore ferimus.

## SECTIO II.

*Dicta Scripturæ Nov. Test. Græcæ, quibus corruptela inesse, vel quibus ipsa Nov. Test. Scriptura corrupta esse videntur, expendens.*

DUæ hic locorum Scripturæ Nov. Test. occurrunt classes: 1. *Quædam* olim à damnatis hæreticis in dubium vocata fuerunt. Sic *genealogias Matthæi*, hoc est, primum & secundum ejus caput, in quibus Christi generationes enumerantur, rescindebant Ebionitæ, teste Epiphanio lib. 1 hær. 30. verba Christi Matth. 5. vers. 17. *Nolite putare, quia veni solvere Legem aut Prophetas, non veni solvere sed adimplere:* Itemque ea, quæ Matth. 8. vers. 11. narrantur, *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob in regno cœlorum*, oppugnabat & tanquam suppositia abjiciebat Faustus Manichæus: *Illa* quidem, quia Legem, quam Manichæi negant, confirment: *hæc* verò, quia approbent Patriarchas Vet. Test. quos Faustus tanquam flagitiosissimos execrandis calumniis insectabatur. Videatur August. lib. 17. contra Faust. cap. 1. & lib. 33. cap. 1. & 2. Has & alias hujus farinæ suspiciones cum suis auctoribus, profligatis jamdiu ex Ecclesiæ pomœrio hæresibus, sepultas hac vice, quin ad orcum damnatas esse jubemus. Videri & legi de iis potest Sixtus Senensis lib. 7. Bibl. sanct. hær. 2. & seqq. 2. *Quædam* nostro tempore in dubium vocantur, ab iis præsertim, qui cùm ex Novi Testam. Scripturis Græcis arguuntur, in accusationem ipsarum vertuntur, quasi non

rectè habeant, & corruptæ sint. *Bellarminus* quinque vel sex producit ex Græcis Novi Testamenti codicibus exempla, quæ materiem corruptelarum illatarum esse autumat. lib. 2. de verb. Dei cap. 7. *Huntlaus* audacior est, aliquot afferens loca, quæ in Græco textu vel *abundare*, vel *deesse*, vel *mutata ac depravata esse* somniat, contr. 1. cap. 12. Sunt & hinc inde alii, qui loca quædam in suspicionem corruptionis vocant, quæ omnia ordine eo, quo tractatu priori usi fuimus in medium allata, divino adjuvante Spiritu examinabimus, atque ita, cujus ponderis tantum de depravatione Græci Nov. Test. textus ἔγκλημα sit, expendemus.

### *I. Matth.* 6. *v.* 13.

ADversarii aliquando addunt verbo Dei scripto (in Græcis codicibus) quod scriptum non est: Verbi gratia, Matth. 6. v. 13. addunt illa verba: *Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria, in secula:* quæ vix ullus Patrum legit ante Chrysostomum, qui fuit quadringentis annis post Christum. Sunt verba Huntlæi c. 12. §. 3. Idem urget Bellarm. d. l. §. ult.

Resp. Quia quædam, imo pleraque exemplaria Græca hanc δοξολογίαν legunt, quædam verò, quibus usus est Interpres Latinus, non: igitur Lydium hîc applicemus lapidem, quem ad dignoscendam in varietatibus ejusmodi veritatem suprà posuimus, & statim pura emicabit veritas. 1. *Exemplarium antiquorum & probatorum fidem* quod attinet, certum est, in antiquissimis & probatis codicibus pericopen hanc & orationis Dominicæ clausulam haberi. Uno Parisiensium codice excepto, cæteros libros omnes additam habere, testatur Brugensis. In vetustissimo codice Græco reperiri, testis est Robbert. Stephanus. Legunt eam codices Aldi Manutii correctissimi, & alii. Quid multis? Hæc verba *IN OMNIBUS Græcis codicibus* inveniri, non Erasmus solùm, sed Bellarminus etiam d. l. constare fatetur. Quod si hoc, unde constabit, eos esse falsatos, cùm fuerint priusquam Latini codicés omnes? 2. *Doctorum veterum allegationem* quod spectat, Chrysostomum, Theophylactum, Euthymium, & alios enarratores Græcos eam partem legere, fatentur Maldonatus & Brugensis. Habeat igitur illos quoque Jesuita sibi *adversarios*, cùm tales agnoscat omnes, qui pericopen illam legunt. In contrarium quidem pro versione Latina adducuntur Latine tractatores, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus &c. sed de Græcis codicibus vetustis sermo nobis est. Græcorum igitur Patrum, ut supra dictum, potior habenda est ratio, cùm iis Græcorum exemplarium fidem optimè fuisse perspectam atque cognitam, dubium non sit. 3. *Scripturæ conformitatem fideique analogiam* quod attinet, satius certè est, addi δοξολογίαν illam, quam omitti. Est enim conformis *tùm* locis Scripturæ aliis, & cumprimis gratiarum actioni à Davide prolatæ 1 Paral. 29. vers. 11. ex qua desumsisse Christus clausulam illam δοξολογικὴν omninò videtur. Paulus 2 Tim. 4. vers. 11. reddens ultimam petitionem de liberatione ab omni malo, coronida εὐχαριστικὴν addit hanc: *cui gloria in secula seculorum, Amen*: quo ipso ad orationis Dominicæ clausulam respexisse non obscurè deprehenditur. *Tùm* ipsi orationi Dominicæ, ad cujus integritatem & sufficientiam pertinet: De quo Jesuitam edoceat Catech. Trident. §. De partibus & gradibus orat. *Sunt* (inquit illa) *orationis Dominicæ partes duæ: postulatio & gratiarum actio: nam ad Deum accedimus, ut cultum ei venerationemque adhibentes, ab eo vel aliquid impetremus, vel de acceptis beneficiis gratias agamus.* Et ibid. §. Pars Rom. Catechismi. *Omnes autem necessariæ precationis numeros continet Divina illa formula, quam nos Christus docuit. Ne igitur* (verba sunt Mortoni) *Deum altera cultus sui parte, quæ in gratiarum actione consistit, privemus, adhibenda videtur hæc doxologia: Quamvis enim illa petitio,* (Sanctificetur nomen tuum) *gratiarum speciem aliquam complectatur, tamen in his verbis*, quia tuum est regnum &c. *facultatem ad celebrandas Dei laudes non petere, sed præstare videmur, atque etiam hymnum Angelicum quodammodo imitari.* 4. *Syriacam* demum *paraphrasin* quod attinet, legi in illa δοξολογίαν nostram, extra dubium est positum: quare in vetustissimis codicibus Græcis, quos vetustissimus Interpres secutus est, extitisse necessum est. Ex quibus omnibus patet, nos legendo & usurpando illam clausulam, nequaquam *verbo Dei scripto aliquid addere, quod scriptum non est*, cùm exemplarium antiquiss. fidem, cùm præclarissimos Scripturæ expositores, cùm fidei analogiam textusque conformitatem, cùm denique Interpretum Syrum, ceu duces hîc sequamur. Sed expendamus etiam rationes, quæ in contrarium hîc producuntur.

1. *Versio Latina.* Præter unum Parisiensem, nullum codicem Latinum hanc clausulam habere, testis est Fr. Brugens. Resp. 1. Quis verò nos, quóve argumento certos reddet, eam potiùs in Græcos codices irrepsisse, quàm ex Latinis excidisse? Constanti versionis Latinæ

tinæ omiſſioni, nos conſtantem ipſius fontis lectionem opponimus, & hanc illi prævalere jure meritò concludimus. *Quæ enim cedò* (verba ſunt Dn. D. Helvici) *editio fuit prior? quæ poſterior? quæ mater? & quæ filia? qui fons? qui rivulus? Materne è filia, an verò filia naſcitur è matre? rivuſne fluit è fonte, an fons è rivo?* 2. Formula orationis Dominicæ Luc. 11. verſ. 2,3,4. in latino deſcripta, multa omittit. Pro: *Pater noſter, qui es in cœlis*, ſimpliciter legit, *Pater*. Nec habet petitionem tertiam, *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra*: Nec ſeptimam: *Sed libera nos à malo.* Excuſent igitur & hic vulgatam Latinam, Græcos verò codices (quæ orationem illam Dominicam integre, & conſtanter quidem legunt) de corruptione facta, ſi poſſunt, accuſent: Aut, quia hoc non poſſunt, fateantur, ex verſione Latina Græcum fontem corrigi non debere.

2. *Latini expoſitores*, qui orationem Dominicam exponunt, & tamen nullam eorum verborum mentionem faciunt. Reſp. 1. Hi Patres Latini non expoſuerunt, quia non habebant in verſione ſua Latina, vel communi uſu, nec viſum eſt illis utile commoveri de ea re Eccleſiam ſuam, poſtquam diu fuiſſent omiſſa, quemadmodum & *Hieronymus* dicebat olim in cauſa ſimili, nimirum cum ageretur de verſione LXX. *Quod enim ſemel aures hominum occupaverat, & naſcentis Eccleſiæ roboraverat fidem, juſtum erat etiam noſtro ſilentio comprobari.* Ita Polanus in Syntag. lib. 1. cap. 38. 8. Sunt alii inter Græcos, qui eam pericopen legunt & explicant, quos Latinis opponimus, quin & præponimus, ut quibus Græca exemplaria procul dubio fuerunt optimè cognita. 3. Quod Hieronymus & Auguſtinus illa verba omittunt: Chryſoſtomus verò ipſis σύγχρονος explicat, ex eo conſtat, diverſitatem codicum jam tum fuiſſe. Utri autem parti deferenda ſit palma, ex ſuperiori ἐξετάσει luculenter apparet. 4. Ex antiquioribus Patribus Jeſuita Huntlæus antè probare conabatur, jam tùm ipſorum tempore Græcum Novi Teſtamenti textum fuiſſe corruptum, quomodo igitur pro corruptela poſterioribus ſeculis facta antiquitatem illam producere nunc audet? Nos enim proprio gladio ſententiam hanc configere poſſemus, dicendo, antiquos illos Patres, qui allegantur, corruptos codices habuiſſe, præſertim cùm facilius ſit pericopen illam ex textu excidiſſe, quàm ei præter neceſſitatem fuiſſe additam.

3. *Græcorum Liturgia. Verba iſta non eſſe de textu, probatur ex eo* (inquit Bellarminus) *quòd Græci in ſua liturgia recitant quidem hæc verba, ſed non continuant cum oratione Dominica.* Reſp. 1. An hæc vel illa pericope ſit canonicæ Scripturæ pars, de eo non ex incertis Liturgiis, ſed ex aliis κριτηρίοις judicium deſumi debet. 2. Nota autem aſſertionis iſtius vel contrarietatem, vel incertitudinem. Quomodo cum oratione Dominica non continuetur illa clauſula, Huntlæus ita explicat. *Iſtis verbis reſpondebat populus Sacerdoti poſt orationem Dominicam in liturgiis Græcorum.* Arias Montanus autem (qui eàdem ratione pro debilitanda clauſulæ ejus auctoritate utitur) ait, *Græcos etiam hodiernâ die dicere, Sacerdoti duntaxat licere illa verba proferre. Ita enim reſpondere ſolet in Miſſa, quando chorus dixit, ſed libera nos à malo.* Utri jam credendum! An populo ſeu choro, an Sacerdoti ſoli ea verba vendicanda? Utut autem ſit, ex neutro id, quod intenditur, concludi poteſt. Non ex *priori*, neque enim abſurdum vel inſolitum, reſponſum populi, cum Sacerdotis voce præeuntis oratione, ſenſu continuari, uti vel noſtratium Eccleſiarum ritus oſtendit. Nec ex *poſteriori*, niſi benedictionem etiam ſacerdotalem Num. 6. v. 24. ſeq. deſcriptam, canonica partium Scripturæ ἐνδιαθήκων auctoritate exuere quis velit, cùm ſolis Sacerdotibus licuerit illa verba in Sanctuario proferre &c. Nondum igitur conſtat, verba illa ex liturgiis Græcorum irrepſiſſe in quædam Nova Teſtamenta Græca uti Jeſuita gloriatur.

4. *Antiqui aliqui codices.* Beza in ſuis annotationibus anni 1598. fatetur, omnia hæc verba deeſſe in vetuſtiſſimis aliquibus codicibus Græcis Huntl. Reſp. 1. Præjudicat illis concentus reliquorum codicum Græcorum conſtantiſſimus. Nec dubium, quin primis quidem temporibus diverſitas exemplarium hic fuerit: quæ progreſſu temporis ita ſublata, ut conſtanter verba illa in Græcis fuerint retenta, & pro canonica & genuina parte à priſcis Patribus agnita. 2. Quod de ſuo exemplari Pariſienſi Græco (quod pericopen illam non habet) dicit Brugenſis, *ad Latina fuiſſe caſtigatum*, quidni de antiquis etiam Bezæ (ſi qui fuerunt) codicibus aſſeri poſſit?

5. *Collatio Lucæ.* Is verba hæc, orationem Dominicam enarrans, non ſubjungit, cap. 11. verſ. 4. Reſp. 1. Nec ſubjungit Lucas vocem finalem *Amen*, quæ tamen Matth. 6. etiam apud Latinos habetur. 2. Uſitatiſſimum eſt, unum Euangeliſtam præterire, quod alter ſuâ narratione Euangelicâ exponit, ut vel unica collatio Matth. 6. v. 33. cum Luc. 12. verſ. 31. declarat. Quando enim Hic ſimpliciter ait: ζητεῖτε τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, Ille addit: καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ. Alia exempla conſultò prætermittimus. Concludat igitur hanc

hanc διάσκεψιν Laurent. Valla, de oratione Dominica, ubi de clausula δοξολογητικῇ ita loquitur: *Nihil hîc erat à Græcis additum, sed à Latinis detractum.* Huntlæum verò cum gregariis monemus, ut de Pontificiarum superstitionum, corruptelarum & abominationum infinitarum horrendâ mole abroganda prius cogitet, quam de pericope antiquis codicibus, & Scripturis conformi, ex alia Scripturæ parte desumta, & à veteribus tractatoribus Græcis allegatâ & explicatâ conqueratur. Sed id ingenii est illis, qui secundùm verbum Christi sunt ὁδηγοὶ τυφλοὶ, οἱ διϋλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες, Matth. 23: 24.

## II *Matth.* 23. *v.* 35.

Zacharias à Judæis inter templum & altare interfectus, dicitur à Christo filius *Barachiæ*, cùm tamen 2 Paral. 24: 20. ubi hoc factum describitur, filius *Jehojadæ* appelletur. Erroneè igitur in Matthæo *Barachiæ* scribitur.

Resp. De Zacharia hoc, quem Christus inter templum & altare occisum, Judæis exprobrat, sententiarum occurrit divortium, penitiori consideratione non indignum.

1. Quidam Zachariam *parentem Johannis Baptistæ*, de quo Lucæ 1: 5. intelligunt: Orig. tract. 19. in Matth. Basil. homil. εἰς τὴν ἁγίαν τῦ χριστοῦ γέννησιν folio 233. Theophyl. comment. in Matth. folio 101. &c. Ex recentioribus Baronius tom. 1. annal. anno Christi 1. Toletus in Luc. 11. annot. 10. Flaccius in clave script. part. 1. p. 1193. in voce: *Templum.* Et ad verba Christi alludens Epiphanius in lib. de vitis Prophetarum (de quo tamen libello, an auctoris ejus sit, meritò dubitatur,) de Zacharia hoc ita loquitur: Ζαχαρίας ἄλλος προφήτης καὶ ἱερεύς. ἗τος ἦν ὑιὸς Ἰωδαὲ τοῦ ἱερέως, πατὴρ δὲ Ἰωάννȣ τοῦ βαπτιστοῦ, τοῦτον ἀπέκτεινεν Ἡρώδης ὁ βασιλεὺς, ἐχόμενα τοῦ θυσιαστηρίȣ καὶ τοῦ οἴκου Κυρίου ἐξεχέετο τὸ αἷμα αὐτοῦ εἰς τὰ πρόθυρα τοῦ ναοῦ Κυρίου. *Alius Zacharias, Propheta & Sacerdos, hic filius erat Jojadæ Sacerdotis, parens Johannis Baptistæ. Eum Rex Herodes interfecit prope aram & domum Domini, & sanguis ejus in vestibulo templi Dominici effusus est.* Causam occisionis Theophylactus dict. loc. ita exponit: Λόγος ἔχει παραδοθεὶς ἡμῖν, ὅτι τόπος τις ἦν ἐν τῷ ναῷ, ἐν ᾧ ἵσταντο αἱ παρθένοι. ὁ τοίνυν Ζαχαρίας ἀρχιερεὺς ὢν, καὶ μετὰ τὸ τεκεῖν τὸν Χριστὸν τὴν θεοτόκον ἔστησεν ἐν τῷ τόπῳ τῶν παρθένων. ἀγανακτήσαντες δὲ ἐπὶ τούτῳ οἱ Ἰȣδαῖοι, ἀπέκτειναν αὐτὸν, ὡς μετὰ τῶν παρθένων τάξαντα γυναῖκα γεννήσασαν. *Sic habet narratio nobis tradita, quod locus quidam in templo fuerit, in quo stabant virgines. Cùm igitur esset summus Pontifex* (Lucas simpliciter *Sacerdotem* appellat) *Deiparam, Christo jam edito, in loco virginum statuit. Quamobrem Judæi indignati ipsum occiderunt, quod mulierem, quæ peperisset, inter virgines collocasset.* Ex quo patet, à Theophylacto Epiphanium discrepare, qui hujus facinoris culpam in Herodem transfert, quam opinionem etiam fictitium illud Jacobi Proteuangelium (in orthodoxogr. Patrum part. 1. fol. 84.) recenset, additâ plausibili hac ratione, *quòd Zacharias Johannem filiolum recens editum occultârit, ac Regi ejusque satellitibus,* (Matth. 2: 16.) *indicare noluerit, quamobrem inscia plebe, solius Regis jussu,* παρὰ τὰ πρόθυρα τῦ ναοῦ καὶ θυσιαστηρίȣ, καὶ περὶ τὸ διάφραγμα, *propè vestibulum templi & aræ, circa interseptum occisus sit, ejusque sanguis induratus instar lapidis vestibulo adhæserit &c.* Hæc de Johannis Baptistæ parente sententia, si sola & vera esset, (& nisi narrationum apocrypharum incertitudo eam labefactaret) non textui solùm apprimè conformis esset, in quo duas προφητοκτονίας quasi extremos terminos Christus constituit: *Abelem*, primò, & *Zachariam* ultimò & recenter occisum: (unde ad Judæos tùm præsentes sermo à Salvatore dirigitur, ὃν ἐφονεύσατε *quem occidistis vos*:) Sed ab omni etiam errore vel mendó locum Matthæi oppidò liberaret. Quis enim præter Barachiam, alius fuerit Zachariæ istius pater (Johannis Baptistæ avus) nuspiam alibi traditur. Οὐδὲν δὲ θαυμαστὸν (verba sunt Theoph. d. l.) εἰ καὶ ὁ πατὴρ τοῦ προδρόμȣ εἶχε πατέρα Βαραχίαν ὀνόματι, ὥσπερ καὶ ὁ ἐν τοῖς δώδεκα προφήταις, Βαραχίȣ λέγεται υἱός. εἰκὸς γὰρ, ὥσπερ τὰ τούτων ὀνόματα συνέδραμον, ἕτω καὶ τὰ τῶν πατέρων αὐτῶν. *Non autem mirum est, si pater præcursoris habuerit patrem Barachiam, sicut & ille, qui è duodecim Prophetis est,* (quin addi etiam posset tertius, de quo Es. 8, 2.) *Barachiæ filius dicitur. Verisimile enim est, quod sicut ipsi cognomines fuerunt, ita & patres ipsorum.* Idem ex sententia Hippoliti Martyris apud Nicephorum traditur, teste Sanctio. Vocat quidem Epiph. d. l. Zachariam hunc filium Ἰωδαὲ, quod cum illo Hieronymi convenit, qui lib. 4. in Matth. tom. 9. fol 34. *In Euangelio,* ait, *quo utuntur Nazareni, pro filio Barachiæ, filium Jojadæ reperimus scriptum.* Sed Theophylacti verbis, Euangelistæ consonis, potior adhibenda esset fides. Hæc de sententia prima quæ ab Hieronymo d. l. hanc reportat laudem: *Hoc quia de Scripturis, non habet auctoritatem, eâdem facilitate contemnitur, qua probatur.*

2. Quidam Zachariam, inter XII. Prophetas

phetas minores penultimum, à Christo intelligi asserunt. Chrysost. homil. de Joh. Baptista tom. 2. Tertull. in Scorp. c. 8. Gloss. ordinar. Ex recentioribus Gualtherus comment. in Matt. Sanctius Jesuita in c. 1. Zach. qui rationes adducit has: Quia Christus de Prophetis loquitur, quos dicit à se missos, & apertè Luc. 11. dicit, *omnium Prophetarum sanguinem exquirendum esse ab Abel &c.* Loquebatur autem de eo, qui notis erat Judæis illis temporibus. Alii verò, præter Zachariam Prophetarum minorum penultimum, neque numerabantur in Prophetis, neque ita vocabantur. 2. Quia ibi Prophetæ pater exprimitur Barachias, quod aliis ab hoc Propheta non convenit. Verùm præter nominis conformitatem sententia hæc nihil invenire præsidii videtur, & proinde eandem, quam antecedens, ab Hieronymo sustinet censuram.

3. Quidam Zachariam, *filium Jojadæ*, intelligunt, de quo 2 Paral. 24: 21. narratur, *quod lapidatus fuerit in atrio domus Domini.* Ita Hieronymus l. 4. in Matth. tom. 9. fol. 34. quem Lutherus in gl. marg. & è recentioribus plerique sequuntur, & rectissimè: neque enim *vel* Christi verborum scopus, *vel* mortis Zachariæ genus, *vel* occisionis locus, *vel* demum nomen parenti ejus utrobique assignatum, quicquam isti sententiæ obstat. 1. *Non verborum Christi scopus.* In ℣. 34. ingratitudinem erga Euangelii præcones à se mittendos Judæis exprobat: In versu igitur 35. quasi retrogreditur, & duorum justorum, jam olim Scripturâ V. T. teste occisorum mentionem facit: *cùm*, ut facti indignitatem flagitiique turpitudinem extollat: *tùm* ut poenæ gravitatem, suppliciique Judæos manentis magnitudinem ostendat. *Prius*, dum non impiorum modò Patrum sive majorum προφητοφονέων (uti ℣. 30. & 31.) mentione occisi Zachariæ: sed ipsius etiam Caini, ἀδελφοφονέος, mentione occisi Abelis, similes eos esse docet. Quin indignitatem flagitii exaggerat etiam istud, quod Zachariam occisum esse ait *inter templum & altare*, q. d. rebus vacans divinis, & in loco divino cultui mancipato, & Dei edisserens λόγια, Propheta ille fuit interfectus, perinde ut vos missos à me verbi cœlestis κήρυκας tractaturi & sublaturi estis, juxta id, quod Matth. 10: 17. Apostolis suis Salvator prædicit, ἐν ταῖς συναγωγαῖς ἀυτῶν μαστιγώσουσιν ὑμᾶς, q. d. tantus erit furor hostium Euangelii, ut cùm vos (Apostoli) illud prædicaveritis in Synagogis seu conventibus Ecclesiasticis, & locis cultui DEI destinatis, præfecti illorum statim vos flagellaturi sint, nec delaturi, detracturique ad judices civiles. *Posterius*, dum ejusmodi martyrum nefariè occisorum mentionem facit, qui *sanguinis sui effusi ultionem* à DEO in Scripturis ipsis leguntur efflagitasse. De *Abele* dicitur Gen. 4: 10. *Vox sanguinum fratris tui clamat ad me de terra.* Ex quo desumtum istud Hebr. 11: ℣. 4. *Per eam* (fidem) *mortuus Abel adhuc loquitur*, i. e. anima ejus licet mortui, in conspectu DEI vivens, tùm sui, tùm aliorum post se injustè effusi sanguinis vindictam tacitè quasi expetit: vel, *adhuc loquitur*, scilicet in Scriptura Genes. 4: 10. quæ testatur, eum jam mortuum adhuc fuisse locutum, cùm sanguis ejus vindictam à DEO peteret. De *Zacharia* verò 2 Paralip. 24: 22. asseritur, quod moriens dixerit, *Videat Dominus & requirat.* Ille primus, hic ultimus est, qui vindictam in Scripturis V. T. exegisse leguntur. Innuit igitur horum duorum mentione Christus, quod sicut ipsi, ita & omnes reliqui à Judæis interfecti, vel adhuc interficiendi, sui vindictam & à DEO tacitè exposcant, & certò impetraturi sint: juxta illud Apocal. 6: 9. *Vidi* (inquit Johannes) *animas interfectorum propter verbum DEI, & propter testimonium, quod habebant* ℣. 10 *Et clamabant voce magna dicentes: Usque quo Domine, qui es sanctus & verax, non judicas ac vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?* ℣. 11. *Et datæ sunt singulis stolæ albæ, & dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec complerentur conservi eorum, qui interficiendi essent, sicut & illi.* Cæterùm quod de Zacharia filio Jojadæ dixi, ad ejus verba ultima ἐκδίκησιν divinam expetentia, respectum à Christo haberi, id ex Luc. 11: 50, 51. liquidissimum evadit, ubi verbum דרש quod 2 Par. 24: 22. Zacharias usurpat, exactè per ἐκζητεῖν exprimitur. Verba Zachariæ sunt: יֵרֶא יְהוָה וְיִדְרֹשׁ *Videat Dominus & requirat.* Illi quasi responsi loco Christus apud Lucam reponit: ναὶ λέγω ὑμῖν, ἐκζητηθήσεται ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης, *profectò dico vobis, requiretur* (ad petitum Prophetæ hujus morituri) *à natione hac.* Tantùm de scopo. 2. *Nec mortis Zachariæ genus.* In Paralip. εἰδικῶς id exprimitur: וַיִּרְגְּמֻהוּ אֶבֶן *& obruerunt eum lapidè.* Christus generaliùs id effert: ὃν ἐφονεύσατε, *quem occidistis*, (quædam exemplaria habent ἐφόνευσαν, *occiderunt*,) vel, uti apud Lucam habetur, τοῦ ἀπολομένου, *qui periit.* Nec sine ratione. Generalitate enim eâ innuit, vindicandum esse sanguinem Prophetarum, & verbi cœlestis præconum (quorum omnium vicem vindictæ efflagitatione sua gessit Zacharias) quocunque tandem mortis genere fuerint è medio sublati. 3. *Nec occisionis locus.* Hunc Sanctius commen. Zach. 1. num. 16. repugnare ait: quod Zacharias filius Jojadæ *in atrio* lapidatus

pidatus dicatur, non *inter templum & altare.* Sed frustrà: Non enim pugnant hæc, sed amicissimè pòtiùs conspirant, cùm non in interiori templi parte, sed exteriori atrio sub dio, altare holocausti æneum fuerit repositum, uti ostendunt (1.) *Expressus textus*, Ezech. 8: 16. *Et introduxit me in atrium domus Domini interius, & ecce in ostio Templi Domini, inter porticum & altare, quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis:* quo pertinent reliqua loca, ubi ad facies אולם sive *porticus* altare istud situm fuisse dicitur. 2 Chron. 8: 12. cap. 15: 8. Fuit autem אולם *porticus, vestibulum*, pars templi exterior, in qua erant domus portæ. (2.) *Altaris ejus descriptio*, 2 Paralip. 4: 1. longitudo ejus & latitudo *viginti cubitorum*, altitudo *decem cubitorum* fuisse dicitur. Tantæ molis ara ipsi certè templo inferri non potuit, cujus latitudo viginti cubitorum non fuit amplior: quomodo igitur in templo locari potuisset altare, ejusdem cum templo latitudinis? (3.) *Altaris usus*, sacrificiorum nimirum incensio & combustio. Flammæ istæ holocaustorum, quæ super altare decem cubitos altum evolàrunt, totam certè domum, auro undique obductam brevi non tantùm fuligine & fumo obduxissent, sed & ipsam fusis incendiis absumsissent: (4.) denique *Analogia tabernaculi fœderis* (cujus in locum, exædificatum a Salomone templum successit) ejus enim altare holocaustor. positum fuit *ad ostium tabernaculi*, Exod. 40: 29. Luth. **für der Thür der Wohnung der Hütten des Stiffts.** Si ad ostium, E. non intra, sed extra tabernaculum. Certum igitur ex his est, altare æneum non in ipsa domo seu templo, ad capiendum illud nimis angusto, fuisse situm, sed ante domum Domini, in Sacerdotum atrio, sub dio, ubi & sacrificiorum faciendorum major commoditas, & innocens flammarum libertas fuit. (Philo in lib. περὶ θυόντων de hoc altari idem asserit, quod nempè ἐν ὑπαίθρῳ παρὰ ταῖς τοῦ νεὼ προβάσεσιν ἵδρυται, καὶ γέγονε πρὸς χρείαν τὴν τῶν ἐναίμων, *sub dio situm fuerit, prope templi vestibulum, ejusque usus positus in victimarum immolatione sit.*) Inter istud igitur θυσιαστήριον *holocaustorum altare*, quod in exteriori Sacerdotum atrio situm, (non θυμιατήριον seu *altare thymiamatos*, quod in sanctuario positum erat) & inter τὸν ναὸν, *templum*, (vel ut Lucas habet, τὸν οἶκον, *domum Domini*) strictè & propriè ita dictum, occisus fuit, dicente Christo, Zacharias: quod idem est cum illo, 2 Paralip. 24. ubi בחצר בית יהוה *in atrio* (nempè Sacerdotum, ubi altare existebat) *domus Domini lapidatus esse* asseritur. 4. *Nec demum nomen Parenti Zachariæ utrobique assignatum.* 2 Paral. 24. Zacharias ille dicitur filius *Jehojadæ*: Matth. 23. filius *Barachiæ*. Quæritur igitur, an per errorem posterius nomen Christo exciderit? Absit hoc! absit longùm ab illo, *in quo reconditi sunt thesauri sapientiæ ac scientiæ.* An Scribarum, duos ejusdem nominis Prophetas confundentium, errore fortè irrepsit? Eò quidem abeunt nonnulli, sed fundamento certo destituti. Neque enim ullum ex antiquitate exemplar Græcum produci potest, in quo *vel* nomen Barachiæ, sicut in Luca, omissum, *vel* pro eo *Jojadæ* nomen scriptum fuerit: (Euangelium autem Nazarenorum, in quo pro filio Barachiæ filium Jojadæ Hieronymus scriptum reperisse testatur, auctoritatis est dubiæ & incertæ) & Barachiæ nomen Syrus etiam hîc legit Interpres, qui ex antiquissimis codicibus versionem suam desumsit. An verò errore forsan Euangelistæ id nomen primitùs fuit positum? Absit & hoc à sanctis illis DEI amanuensibus qui φερόμενοι πνεύματι ἁγίῳ *Spiritu sancto ducti* (qui ab omni errore immunes eos præstitit) suam conscripserunt historiam. Absit vox Socini Photinianorum primipili, de auctorit. Script. p. 104. *Fieri potest, ut verissima ea omnia essent, quæ de Euangelistis & Apostolis historia affirmat, & tamen ipsi nonnunquam hac in parte LEVITER ERRASSENT.* Absit vox Erasmi Roterodami minus cauta, qui *falsitatis saltem crimen, non autem memoriæ lapsum, ab Euangelistarum & Apostolorum scriptis abesse*, statuit. His ita se habentibus superest illud unum, quod & verissimum videtur, Patrem Zachariæ istius διώνυμον fuisse, & *Jojadam & Barachiam* dictum, uti etiam Lutherus in gl. marg. sentit. Certè nihil, in V. præsertim T. frequentius, quàm uni eidemque vel personæ vel loco duo, vel plura etiam imposita fuisse nomina, uti alibi docetur. Et potest διωνυμίας hujus conjectura non levis afferri ex Chaldæa paraphrasi Thren. 2: 20. ubi Zacharias iste in atrio domus Domini interfectus (qui exempli vice adducitur) appellatur זכריה בר עדו *Zacharias filius Iddo*, quod nomen aliàs Zachariæ Prophetarum minorum penultimi avus gerit, Zach. 1: 1. Quod si igitur non absurdum est, Jojadam Zachariæ parentem, nomen simul habuisse עדו *Iddo*, ex traditione Thargumica: nec absurdum erit, eundem ברכיה *Barachiam* simul fuisse dictum, ex traditione ipsius Salvatoris: atque ita τριώνυμον illum habebimus Jojadam. Sed sufficiant hæc de loco Matth. 23: 35. Plura qui desiderat, adire potest Zehnerum in not. ad Epiph. de vitis Prophetarum p. 124. seqq. & pag.

a Altare holocausti in Templo, ubi situm?

pag. 136. & Sanctium in comm. Zach. 1: num. 9. seqq.

### *III. Matth. 27. v. 9.*

ALlegantur ab Euangelista, verba quædam ex Zacharia cap. 11: 12. desumta. Nominatim autem non ipse, sed *Jeremias* Propheta exprimitur, per errorem, uti apparet, & mendum.

Resp. Ita quidem sentiunt Calvinus & Beza, ut & nonnulli alii apud Eusebium lib. 10. demonstr. Euang. cap. 5. fol. 299. Facit ad hoc (1.) quod in Syriaca versione Prophetæ nullius expressa sit mentio; (2.) quodque Augustinus lib. 3. de consensu Euang. cap. 7. scribit, *suo tempore in quibusdam Latinis codicibus non reperiri JEREMIÆ nomen*, tametsi hanc sententiam minùs probet Augustinus. Et Lyranus annotat, *in libris antiquis nomen istud abesse*. Brugensis veterem manuscriptum producit Latinum codicem, in quo itidem absfuerit. (3.) Quòd Matthæo in more positum est, Scripturas V. T. hoc modo allegare, ut Prophetæ nomen in specie non exprimat, sed in genere tantùm moneat, extare hac de re vaticinium Propheticum, cap. 1: 22. c. 2: 5, 15, 23. c. 13: 35. c. 21: 4. c. 27: 35. (4.) Quòd nomen Ιερεμίȣ ex margine in contextum facilè irrepere potuerit, idque ex negligentia librarii, compendium scripturæ non intelligentis: cum scilicet adscriptum esset abbreviatè Ζȣ̃, hoc est, Ζαχαρίȣ, & [lectum] esset Ιȣ̃, hoc est, Ιερεμίȣ. (5.) Vel quòd hoc etiam modo nomen Jeremiæ à librariis potuerit inseri, quòd apud LXX. Interpretes, quorum editio olim erat in vulgari usu, extet Jeremiæ 32. clara historia de agro, quem Jeremias jussu Domini emerit à suo patruele: Zachariæ autem prophetia, ut apud illos legitur, plurimum ab Euangelistæ testimonio distet. Sed cùm omnes omninò codices Græci constanter nomen *Jeremiæ* legant, cumque *durum valdè sit, & à quo, nescio quomodo, pietas abhorret, tamdiu in sacris literis alienum inveterâsse nomen, & in re purissima illam quasi labem adhæsisse*, uti loquitur Sanctius Jesuita: ideò solutio hæc minùs concinna eruditis judicatur: præsertim cùm conjecturarum, quæ allatæ sunt, nulla evidens appareat certitudo. Nam (1.) potest quidem versio Syriaca antiquissimi exemplaris Græcis vicem subire, uti superiùs fuit assertum: interim consensui Exemplarium plurimorum præjudicare sola nihil potest. Et potuit Interpres nomen *Jeremiæ*, quod forsan in codice ejus Græco extitit, omisisse, quia inconcinnè positum ei fuit visum. (2.) Non de Latinis, sed Græcis quæritur codicibus, an in iis nomen Ιερεμίȣ vel scriptum vel omissum fuerit. Et ipse Augustinus fidei codicum illorum Latinorum parum tribuit. (3.) Nec discrepat à more Euangelistæ, ut speciatim nomen illius Prophetæ exprimat, ad cujus vaticinium nos remittit, cap. 3: 3. cap. 4: 14. cap. 8: 17. cap. 12: 17. Et in cap. 1: 22. quædam exemplaria Græca nomen *Esaiæ* adscriptum habent. (4.) Si ex margine nomen id textui fuisset additum, quidam sanè codices puritatem suam retinuissent, nec additio tàm catholica potuisset introduci. Et voces has abbreviatè fuisse eo, quo dicitur, modo scriptas, conjectura levis est: nec tanta literarum ζι est conformitas, ut invicem permutari facilé quiverint. (5.) Si à librariis simpliciter fuit insertum, in quibusdam id factum codicibus: quomodo autem omnes occupare potuerit, quo minùs à doctoribus Ecclesiæ priscis mendum fuerit agnitum, equidem non video. Explosâ igitur hac de corruptelâ opinione, duæ sunt sententiæ aliæ: quæ vindicias nomini isti Jeremiæ ferunt: utramvis accipias, non sine pondere esse cognosces.

1. Altera Augustini est, asserentis, Euangelistæ divinâ providentia unius Prophetæ nomen pro alio occurrisse, ad innuendum, uno eodemque Spiritu Prophetas impulsos fuisse. Sed audiamus ipsum loquentem: *Quid* (inquit) *intelligendum est, nisi hoc actum esse secretiori consilio providentiæ DEI, quâ mentes Euangelistarum sunt gubernatæ? Potuit enim fieri, ut animo Matthæi Euangelium conscribentis, pro Zacharia Jeremias occurrerit, ut fieri solet: quod tamen sine ullâ dubitatione emendaret, saltem ab iis admonitus, qui ipso adhuc in carne vivente hoc legere potuerant, nisi cogitaret, recordationi suæ, quæ sancto Spiritu regebatur, non frustra occurrisse aliud pro alio nomen Prophetæ, nisi quia ita Dominus hoc scribi constituit. Cur autem ita constituerit Dominus, prima illa causa utilissima debet facillimè cogitari, etiam sic esse insinuatam, ita omnes sanctos Prophetas uno Spiritu locutos, mirabili inter se consensione constare, ut hoc multò amplius sit, quàm si omnia Prophetarum uno unius ore dicerentur: & ideo indubitanter accipi debere, quæcunque per eos Spiritus sanctus dixit, & singula esse omnium, & omnia singulorum. Cum igitur & quæ dicta sunt per Jeremiam, tam sint Zachariæ quam Jeremiæ, & quæ dicta sunt per Zachariam, tam sint Jeremiæ quàm Zachariæ, quid opus erat, ut emendaret Matthæus, cum aliud pro alio sibi nomen occurrens, à se scriptum relegisset, ac non potius sequens auctoritatem Spiritus sancti, à quo mentem suam regi plus nobis ille*

*ille utique sentiebat, ita hoc scriptum relinqueret, sicut eum admonendo constituerat ei Dominus? Ad informandos nos, tantam verborum suorum inter Prophetas esse concordiam, ut non absurde, imò congruentissimè etiam Jeremiæ deputaremus, quod per Zachariam dictum reperiremus.* Hæc ille lib. 3. de conf. Euang. cap. 7. ex quo aliqua desumta leguntur in glossa ordin. *Et prabet hac explicatio* (verba sunt incomparabilis nostri Theologi, D. Gerhardi, in harm. de passione c. 8. pag. 364.) *utilem observationem contra Jesuitas, qui Scripturam imperfectionis accusant, & necessitatem traditionum ex eo probant, quod ex ipsis Scripturis constare nequeat, quis cujusque libri Canonici sit auctor, quasi vero plerique libri non habeant nomen auctoris adscriptum, ac quasi magni intersit, secundarium & intermedium auctorem scire, cum de primario & principali auctore, Spiritu scil. sancto constet.*

2. Altera *Sanctii* est, in comment. Zachar. c. 11. asserentis, testimonium hoc Matt. 27. ex duobus sine dubio colauisse, ex Jer. cap. 32. & Zach. c. 11. & unum tantùm (sine omni errore vel mendo) citari Jeremiam. Cui sententiæ 1. quædam supponit, 2. explicationem subjungit. *Supponit* duo (1.) Satis notum est, in Nov. Testam. ex duobus testimoniis diversorum etiam librorum, unum sæpè testimonium solitum esse conflari. Exempla sunt Act. 1: 10. ubi ex diversis Psalmis Petrus unum fecit testimonium, nempè ex Psal. 69: 26. & ex Psal. 109: 8. Sic 1 Petr. 2: 7. ex Psal. 118: 22. & Esai. 8: 14. nnam quasi contexit sententiam. Rom. 3: 10. seqq. ex distinctis Scripturæ locis unum quasi coagmentatur testimonii corpus. Imò Christus ipse Matth. 21: 5. ex Esa. 62: 11. & Zach. 9: 9. item Matth. 21: 13. ex Esa. 56: 7. & Jerem. 7: 11. testimonia sua combinavit. Confer. Rom. 9: 33. (2.) Illud etiam usitatum, ut, cùm verba aut testimonia duorum sunt, aut altero omisso, alterius tantùm nomen exprimatur, aut totum testimonium quasi uuius tantùm esset, significetur. *Prioris* exemplum est, Marc. 1: 2, 3. ubi prior testimonii pars Malachiæ est, posterior Esaiæ, & tamen omisso Malachia unius nominatur Esaias. *Posterioris* Matt. 21: 5. ubi testimoniis duorum Prophetarum connexis, in singulari tamen dicitur ab Euangelista: *Ut adimpleretur, quod scriptum est per Prophetam, dicentem* &c. Præsuppositis hisce explicat. 1. *causam*, cur à Matthæo Jeremias potiùs nominari debuerit? Rationem enim voluit reddere Euangelista non tàm precii, quo Christus emtus est à principibus Synagogæ, quàm agri eo precio emti. De agro verò nihil dicit Zacharias, quare eo loco nominandus non fuit: dixit verò Jeremias c. 32. ubi ante captivitatem, imminente jam urbi Chaldæorum exercitu, jussus est à DEO agrum emere, in cujus emtione aliquid celari mysterii, ipse cognovit. 2. *Analogiam*, quomodo ager à Jeremia emtus fuerit typus ejus, qui triginta argenteis ex Christi venditione redactis, à principibus Synagogæ emtus, quique ager figuli vocatus est. Analogiam verò quærit, (1.) *in agri utrobique emti usu*. De agro apud Matthæum dicitur, quòd cesserit εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις, *in sepulturam peregrinis*. In eo typus quidam præcessit in emtione agri Jeremiæ. Jussus est enim agrum emere eo tempore, quo ipse captus erat, neque aliqua, aut saltem pertenuis spes emergendi è carcere, & cùm civitas gravi obsidione premeretur à Chaldæis. Quare nulli usui videbatur futurus ager ille emtori suo, qui venturus statim erat in hostium potestatem. Quod significavit ipse Dominus, nam cùm dixisset Jeremias: *Ecce munitiones extructæ sunt adversus civitatem, ut capiatur, & urbs data est in manus Chaldæorum, & tu dicis mihi, eme agrum argento* &c. Respondit Deus: *Ecce ego tradam civitatem istam in manus Chaldæorum*. Ex hoc patet id, agrum istum non tàm emtum esse domino, aut domesticis, quàm externis & peregrinis, quod etiam Threnor. 5. vers. 2. Jeremias testatur, his verbis: *Hereditas nostra versa est ad extraneos, domus nostra ad alienigenas.* Quomodo verò ager iste pro *sepultura* sumi potuerit, conjectura affertur ea, quia ager erat in *Anathoth*, quæ assignata fuit Levitis, Jos. 21: 18. In iis autem civitatibus non habebant Levitæ agros pro serendis fructibus, sed tantùm suburbana ad alenda jumenta, ut ibidem dicitur, & verisimiliter hortum pro sepultura, Hebræorum more, qui in agris sepeliebantur, ubi proprium erat & domesticum sepulchrum, sicut Joseph ab Arimathia hortum habuit civitati vicinum, & in eo sepulchrum, in quo Christus positus fuit. (2.) *In appellatione*. Vocatur ager apud Matthæum à Pontificibus emtus ἀγρὸς τοῦ κεραμέως *ager figuli*. Ejus præfiguratio quædam in agro Jeremiæ cap. 32. Postquam enim in oculis omnium Judæorum, qui sedebant in atrio carceris, emtus fuisset ager, & facta nomina, dixit Baruch ministro suo Jeremias: *Sume libros istos, librum emtionis hunc signatum, & librum hunc, qui apertus est, & pone illos in vase fictili, ut permanere possit diebus multis*, v. 14. Typicam fuisse eam in vase fictili instrumentorum repositionem, patere videtur ex eo, quod similia monumenta extra hujusmodi vasa, in scriniis & arculis in multa secula integra serventur. Hæc omnia

Sanctius

Sanctius d l. ubi vide plura. Etsi autem fatendum est, quædam, quæ allata sunt, contortiora esse, & duriusculam analogiam: nihilominus tamen patere videtur hoc, agrum à Jeremia emtum, (præter scopum & finem principalem, qui fuit *consolatio piorum Israëlitarum*, argumento eo, quòd reducendi aliquando ex Babylonicâ captivitate in patriam terram, ibique agros & fundos emturi & tranquillè possessuri sint) typum simul fuisse ejus, cujus à Matthæo fit mentio, quòd ostendit, *tùm* Jeremiæ expressa allegatio, *tùm* quod in loco Zachariæ ne verbulo quidem agri pro triginta argenteis emti, fit mentio: utique igitur ad aliam historiam V. Test. typicam respexisse Euangelista videtur, ubi ager aliquis emtus esse dicitur, qualis est ista Jerem. 32. Ad analogiam autem inter typum & antitypum ostendendam sufficerent ista duo, 1. quod ager Jeremiæ cesserit peregrinis, ager apud Matthæum in *sepulturam peregrinorum* emtus fuisse dicatur. 2. Quod agri à Jeremia emti monumenta in *vase figuli* fuêre reposita, ager autem apud Matthæum expressè ἀγρὸς κεραμέως *ager figuli* appellatur. Et præberet hæc quoque explicatio utilem nobis doctrinam, quòd scilicet in V. T. Scripturis multa sint, quæ prima fronte res Novi Testamenti respicere minimè videantur: propiùs autem & accuratiùs inspecta, omninò typi sint & figuræ bonorum futurorum: Scrutandas igitur esse veteres illas Scripturas, quæ testimonium de Christo (nobis etiam non opinantibus) sæpè perhibent. Joh. 5: 59.

## IV. *Marc.* 13. *v.* 32.

VErba Christi sunt: *De die autem illa & hora nemo novit, neque Angeli in cœlo,* ὀυδὲ ὁ ὑιὸς, *neque filius; nisi Pater.* Verba illa, ὀυδὲ ὁ ὑιὸς, *neque filius*, non ipsum Marcum auctorem habere, sed ab Arianis olim textui fuisse inserta, & sic depravatam N. T. Scripturam, *Augustini* sententia est, *Hieronymi* in cap. 24. Matth. itemque *Ambrosii* lib. 5. de fide cap. 7. Et rem ita se habere, vel inde colligitur, quod *Marcus* abbreviatorem Matthæi egit, apud quem tamen verba illa non leguntur.

Resp. 1. Magna fuit Patrum veterum diligentia in asservando codice N. T. sacro, uti suprà ostensum. Eam igitur Arianorum fraudulenta verborum istorum interpolatio quomodo, quæso, potuisset effugere? 2. Et quo pacto in omnes omnino codices corruptio isthæc (si quæ facta esset) irrepere potuisset? cùm multi in Orthodoxorum potestate permanserint, qui de hæreticorum dolis satis edocti, in avertendis cauti erant? 3. Nescio quomodo pietas abhorreat ab hoc, in codicibus nostris Græcis, non aliquibus, sed universim omnibus, tàm veterem inolevisse, & ab *Arianis* quidem, perniciosissimis hæreticis, illatum errorem, nec potuisse hactenus per tot seculorum decursus animadverti, & ex sacro textu instar πονηρȣ̃ κόμματος abscindi. 4. Orthodoxi Patres & Ecclesiæ doctores, Scriptuarumque interpretes, tùm antiqui, tùm moderni, verba illa legunt, interpretantur, limitant: quòd si aliena esse constat, satius esset tolli, quàm explicari. 6. Et quid Pontificiis sine urgente necessitate suppeditamus telum, quo sententiam nostram de puritate fontium authenticâ impetere validè possint.

Hæc igitur & alia, quæ produci poterant, ἀυθεντίαν horum verborum, & capitis 13. Marci puritatem satis videntur evincere. Expendendum restat, cujus ponderis sint tùm auctoritates, tùm conjecturæ in contrarium allatæ? Auctoritates adducuntur.

1. *Augustini*, asserentis, *Arianos apud Marcum interpolâsse nomen Filii, ut hac insertione impugnarent divinitatem Filii DEI.* Resp. Si de loco Augustini constaret, facilior foret ex ejus contextu responsio. Parum autem huic suspicioni Augustinum adhibere fidei, ex eo claret, quod operosè verborum illorum tradit explicationem, quâ omninò supersedisse verisimile est, si pro alienis reputasset. Lib. 1. de Trinit. cap. 12. tom. 3. locum illum ex professo explicans ita loquitur: *Et de die & horâ nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater. Hoc enim nescit, quod nescientes facit, id est, quod non ita sciebat, ut tunc discipulis indicaret, sicùt dictum est ad Abraham: Nunc cognovi quod timeas DEUM, id est, nunc feci, ut cognosceres, quia & ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit.* Et paulò pòst: *Hoc ergò inter illos nesciebat, quod per illum scire non poterant. Et hoc solùm se scire dicebat, quod eos per illum scire oportebat.* Et in Ps. 6. tom. 8. ita explicat: *Hoc ideò dictum est, quia per Filium hominis hoc non discunt, non quod apud seipsum non noverit, sed secundum illam locutionem: Tentat nos DEUS, ut sciat, hoc est, scire nos faciat.* Hæc ille, nullam corruptionis ab Arianis illatæ mentionem injiciens.

2. *Hieronymi*, in comment. Matth. 24. referentis, *hæc verba* (neque Filius) *in perpaucis exemplaribus Græcis haberi.* Resp. Verba Hieronymi ita habent: *In quibusdam LATINIS codicibus additum est, neque Filius; Cum in Græcis, & maximè Adamantii & Pierii exemplaribus, hoc non habeatur adscriptum: sed quia in nonnullis legitur, differendum videtur.* Apparet igitur,

igitur, non de textu Marc. 13: 32. ipsum loqui, sed de parallelo Matth. 24: 36. (uti & allegatio innuit.) *Priori* nostra exemplaria Græca constanter verba ista, ὐδὲ ὁ υἱὸς, legunt: *posteriori* constanter omittunt, quod autem in quibusdam Græcis olim verba in Matthæo extiterunt (etsi non tàm de Græcis, quàm Latinis Hieron. loqui videatur codicibus) id *diversæ lectionis* fuit, non *illatæ corruptionis*. Vera hæc esse insuper Brugensis comprobat, qui in notis ad Euang. Matth. Lat. h. l. ita annotat: *Neque Angeli cælorum. Quod quidam libri addiderunt olim, adduntque hodiè, neque Filius; D. Hieronymus secutus meliora exemplaria sustulit, nostram hanc corrigens editionem* (*Latinam.*) *Quare legendum hîc non est secundum Matthæum, etsi à veteribus tractatoribus non paucis hîc explicetur, sed relinquendum est Marco proprium.*

3. *Ambrosii*, lib. 5. de fide cap. 7. *verba illa ab hæreticis interposita esse* asserentis. Resp. Sanè is Arianos d. l. refutans, de textu nostro Marci ita loquitur: *Primùm veteres non habent codices Græci, quod nec Filius scit. Sed non mirum si & hoc falsârunt, qui Scripturas interpolavêre divinas. Qua ratione autem videatur adjectum, proditur, dum ad interpretationem tanti sacrilegii derivatur.* Verùm Ambrosii opinionem manifestè refutant illi, qui verba ista, *neque Filius*, antequam vel Arius in lucem editus, vel nomen Arii notum esset, allegant & explicant. Ità enim Tertullianus (qui plus centum annis ante Arium vixit) lib. adv. Praxeam cap. 26. *IGNORANS ET IPSE* (loquitur autem de Filio DEI Christo) *diem & horam ultimam soli Patri notam: disponens regnum discipulis, quomodo & sibi dispositum dicit à Patre; habens potestatem legiones Angelorum postulandi ad auxilium à Patre, si vellet &c.* Et ante ipsum Irenæus (150. annis Ario antiquior) lib. 2. advers. hæres. cap. 48. hæc eadem verba allegat, explicat, illustrat. *Irrationabiliter* (inquit) *inflati, audaciter inenarrabilia DEI mysteria scire vos dicitis. Quandoquidem & Dominus ipse Filius DEI, ipsum judicii diem & horam concessit scire solum Patrem, manifestè dicens: De die autem illa & hora nemo scit, neque Filius, nisi Pater solus. Si igitur scientiam diei illius, Filius non erubuit referre ad Patrem, sed dixit, quod verum est, neque nos erubescimus, quæ sunt in quæstionibus majora secundum nos, reservare DEO. Nemo enim supra Magistrum est.* Huic veterum allegationi addimus meritò Syriacam paraphrasin, quæ longè ante Arii memoriam ex vetustissimo codice Græco facta est, verbis istis, ולָא בְּרָא *neque filius*, manifesto insertis.

Hactenus auctoritates veterum Patrum: Conjectura pro infringenda verborum istorum αὐθεντίᾳ, ista unica adfertur, quod *Marcus sit abbreviator Matthei*, apud quem verba illa non leguntur. Resp. Rectè Perkins. de rat. conc. pag. 20. *Hieronymus* (inquit) *statuit, Marcum confecisse epitomen Euangelii à Matthæo scripti: sed ab initio tractandi ratione est dissimilis, in progressu alium ordinem sequitur, partim res uberius tractando, partim novas interserendo* &c. Id verum esse, pii Scripturarum tractatores norunt. Atque hæc de verborum istorum αὐθεντίᾳ & canonicâ auctoritate: Explicationem præter alios quære apud Dn. D. Gerhardum, in exeg. tom. 1. de persona & offic. Christi §. 279. & tom. 9. locorum theolog. de extremo judicio §. 31. & 76.

## V. Marc. 16. v. 9. seqq.

Pericopen Marci à cap. 16: 9. usque ad finem, *Anabaptistæ* (referente Sixto Senense lib. 7. biblioth. hær. 3.) rejiciunt, & repudiant, eò quod cæteris Euangelistis contraria de resurrectione & apparitione Christi referat. Et testatur Hieronymus Epist. 105. ad Hedibiam, quæst. 3. hunc locum à plerisque Græcis libris suo tempore abfuisse. Et Euthymius h. l. *Quidam*, inquit, *interpretum asserunt, hoc loco completum esse Marci Euangelium.* Nec Victor Antiochenus partem illam enarrat, citante Brugense. Ergò nostri codices additione istius capituli falsati sunt.

Resp. 1. Omnes hodiè, tàm Græci, quàm Latini & Syriaci libri hoc capitulum legunt. *Et testor* (inquit Beza) *in omnibus vetustis codicibus, quæ nobis videre contigit, hoc caput inveniri.* Patres & Græci & Latini citra hæsitationem agnoscunt, allegant, exponunt. Irenæus lib. 3. advers. hæres. cap. 11. Athanasius in Synopsi divinæ Scripturæ, in summa Euangelii secundum Marcum: Augustinus lib. 3. de consensu Euangel. cap. 24. Beda lib. 4. comment. sub finem: Et demum Theophylactus in proprio commentario. Cumque ad integritatem descriptionis pertinere appareat, nec styli à reliquis Marci capitibus diversitas deprehendatur ulla, nec dubitationis causa præter adductas (de quibus inferius) subsit, pro parte Scripturæ canonica & authentica id meritò habemus, & veneramur.

2. Fuit autem & suspicio de incerta hujus pericopes auctoritate, & ejusdem à codicibus quibusdam absentia, procul dubio ex eo orta, quod hæretici quidam (Manichæi, uti verisimile est) illis verbis v. 14. *quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*, adjecerant hæc verba: *Et illi satisfaciebant, dicentes, seculum istud iniquitatis & incredulitatis substantia*

*tia est, quæ non finit per immundos Spiritus verum DEI apprehendi virtutem: idcirò jam nunc revela justitiam tuam*, Hieronymo teste lib. 2. advers. Pelagian. c. 6. Quæ cum spuria ac proinde omittenda esse facilè deprehenderentur, factum est, ut & cætera ab imperitis hac occasione omissa sint. Quia autem illis omissis mutilum censebatur hoc Euangelium (ut verè erat) eo quod non aptè finiretur: hinc alii quidam congrui finis loco adjecerunt πάντα δὲ τὰ παραγγέλματα, τοῖς περὶ τὸν Πέτρον συντόμως ἐξήγγειλαν. μετὰ δὲ ταῦτα καὶ ἀυτὸς ὁ Ἰησοῦς, ἀπὸ ἀνατολῆς καὶ ἄχρι δύσεως, ἐξαπέστειλε δι' αὐτῶν τὸ ἱερὸν, καὶ ἄφθαρτον κήρυγμα τῆς αἰωνίου σωτηρίας, h. e. *Omnia autem, quæ ipsis fuerant nunciata, continuo Petro & iis, qui cum illo, renuntiârunt. Posteà vero etiam ipse Jesus ab oriente ad occidentem usque, promulgavit per eos sacram illam & incorruptam prædicationem æternæ salutis.* Quæ omnia adulterina sunt, & ab alio prorsus auctore, quàm Marco profecta. Hæc Brugensis notis ad Marci cap. 16. Græcum. Omnibus igitur apocryphis istis resectis, & repudiatis iis, quibus, vel Canonicæ Euangelii particulæ ademtæ, vel aliæ additæ erant, exemplaribus, pia antiquitatis sedulitate factum est, ut purum & incorruptum, quin & integrum Marci (ut & reliquorum) habeamus legamusque Euangelium.

3. Nec in contrarium quæ objiciuntur, ullius sunt momenti. Quod enim de contrarietate inter Marci & reliquorum Euangelistarum descriptiones affertur, utut primâ fronte applausum videatur mereri, in recessu tamen nihil est, uti Euangelistarum harmonia, quam præ aliis nitidissimam, quoad descriptionem passionis & resurrectionis Dominicæ, dedit Excellentiss. Dn. D. Gerhardus, liquidò evincit. Quod de quibusdam exemplaribus, hanc pericopen non legentibus, adducitur, non plus præcedenti efficit. Facit enim *tùm* aliorum eorumque vetustissimorum, & nostrorum quidem omnium exemplarium conformitas: *tùm* Ecclesiæ Doctorum non minùs antiquissimorum auctoritas: *tùm* Scripturæ analogiæque fidei concinnitas: *tùm* demùm versionis Syriacæ ex vetustissimo exemplari Græco expressæ, dignitas, (de quibus κριτηρίοις suprà de diversis lectionibus,) ut exemplaribus ejusmodi (si quæ fuerunt) rejectis, nostrorum codicum sartam tectam retineamus lectionem.

## *VI. Luc. 1. v. 35.*

Omittunt verba, ἐκ σοῦ, *ex Te*, & simpliciter legitur: διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον, pro διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, *propterea nascetur ex Te sanctum*. Prior lectio hæreticorum est corruptio. Huntlæus cont. 1. c. 12. num. 7. Athanasius Epist. ad Epictet., Corinthiorum Episcopum, hæc verba urget adversus hæreticos illos, qui Christi corpus non ex virginis corpore formatum volebant. Verisimile est igitur, ab hujus farinæ hominibus erasum aliquando fuisse illud, EX TE. Brug. in var. lect. lat.

Resp. 1. Diversa hîc lectio & in Græcis & in Latinis occurrit codicibus, uti Lovaniensis ostendit Bibliorum editio, quæ verba, EX TE, obelò notata in VIII. manuscriptis Latinis, & quibusdam Græcis non legi, in margine innuit. Quod si igitur ex lectionis diversitate Græcus textus corruptionis reus peragi potest, idem de Latina editione erit ratum certumque. 2. Sed benè habet! Legunt hæc verbula, correctissima exemplaria Græca fatente Gordono: Ergò si corruptela quædam hîc latet, (si modò corruptela est, & non simplex potiùs discrepantia, sine dolo malo facta) non universalis ea est, sed particularis, quam in controversiam nequaquam venire, ex superioribus constat. 3. Cumque (uti dictum) codices antiqui, & Ecclesiæ doctores, inter quos Athanasius d. l. ea verba legant, eaque mysterium incarnationis τοῦ λόγου clariùs exprimant; & præterea in Syriaca extent versione: ideoque non inviti codices, qui *legunt*, aliis, qui *omittunt*, præferimus, & hæc ad illa corrigenda esse concedimus, ut suprà Memb. 4. de divers. lection. pluribus in genere explicatum fuit.

## *VII. Luc. 3. v. 36.*

In genealogia Christi, Sale dicitur filius *Cainan*: Cainan filius *Arphaxad*. Genes. 11. autem Arphaxad non Cainan, sed *Sale* immediatè genuisse dicitur. Cainan igitur iste in Luca superfluus est, & per errorem irrepsit: unde à Beza iterum extruditur.

Resp. Quinque reperio hac de re sententias. (1.) Prima eorum est, qui dicunt, Euangelistam generationem hanc ex Septuaginta editione adjecisse: cur autem id egerit, satius esse reverenter admirari, quàm anxiè disquirere, exemplo Bedæ in præfat. Act. Apostol. scribentis in hunc modum: *Maximè miror, & propter ingenii tarditatem vehementissimo stupore perculsus, nescio perscrutari, qua ratione, cum in Hebraica veritate à diluvio usque ad Abraham decem generationes inveniantur, ipse Lucas, qui Spiritu sancto calamum regente nullatenus falsum scribere*

*scribere potuit, undecim generationes juxta Septuaginta Interpretes, adjecto Cainan, in Euangelio ponere maluerit.* Sixtus Senensis bibl. lib. 7. hær. 4. in fin. (2.) Altera eorum est, qui *Aloysium* Veronensem Episcop. (quem d. l. Senensis allegat) & *Torniellum* secuti, neque hic, neque Genes. 11. quicquam à veritate alienum agnoscunt, sed potuisse fieri dicunt, ut generationem Cainan, quam Lucas in Euangelio posuit, & LXX. in catalogo posteritatis Sem Genes. 11. recensuêre, Moses instinctu divinitatis permotus prætermiserit, & ob occultam nobis rationem Cainan nomen silentio præterierit, sicut & quorundam nomina Euangelista Matthæus in Genealogia Servatoris nostri taciturnitati involvit. Ita etiam Huntlæus contr. 1. cap. 13. §. 3. (3.) Quidam non hic, sed Genes. 11. errorem constituunt, & Hebræum textum propter omissionem τοῦ Cainan corruptionis accusant, ut suprà suo loco dictum fuit. (4.) Quidam contrà non Genes. 11. sed hoc in loco errorem esse volunt commissum, non vel ex Lucæ ἁμαρτήματι μνημονευτικῷ, vel ex librariorum incuria; sed ex eo, quod Euangelista ut in cæteris, ita etiam in hoc secutus est editionem LXX. suis temporibus toto orbe receptissimam. (5.) Quidam denique non Euangelistæ auctori, sed librariis seu descriptoribus culpam ejus mendi impingunt. Lucam enim nomen istud nequaquam posuisse: sed posteriori tempore ex Græcis Interpretibus id insertum fuisse. Quò facit, quod Beza in *vetustissimo suo codice* hoc nomen omissum esse testatur, & quod Scaliger proleg. ad Chron. Euseb. *in vetustissimis exemplaribus Euangelii secundum Lucam illum Cainan non extare* asserit. Et quod demùm Irenæus, scriptor vetustissimus, lib. 3. cap. 33. à generatione Domini usque ad Adam, *Septuaginta duas* generationes in Luca numerat: qui numerus, si *Cainan* absit, sibi constat; præsente eo, fallit.

In difficultate hac enodandâ ut cautè progrediamur, consideranda proponimus sequentia. 1. Certum est, LXX. Interpr. Genes. 11. & alibi inserendo τὸν Cainan, errâsse, & Mosen peculiari divinitatis instinctu nequaquam τὸν Cainan in genealogia omisisse, uti suprà in recensione locorum V. T. contra Torniellum ostensum fuit. Et hoc secundæ oppositum est sententiæ. 2. Certum & hoc est, Genes. 11. Hebræo textui nihil quicquam inesse erroris vel corruptelæ, quod itidem superiùs est suo loco evictum. Et hoc contra tertiam est sententiam. 3. Certum & hoc, Nov. Testam. Scriptores multa ex LXX. Interpretum versione allegare, etiamsi quoad singula verba cum textu Hebræo ea non consentiat, quod Hieronymus etiam in quæst. super Genes. q. 26. monet. Cumque apud LXX. nomen istud aliquoties legatur, ideò *quarta* non omninò improbanda videtur sententia; pro qua facit & hoc, Lucam generationes non exactè numerâsse, (instar Matthæi, tres constituentis tesseradecadas) sed scopo suo satisfactum existimâsse, si genealogiam istam ad Adamum usque Protoplaston deduceret, quam ex LXX. Interpretibus eò etiam deduxit. Opponitur huic apud Senens. lib. 6. annot. 143. ab Ambrosio quodam, *ita non excusari Spiritum sanctum, quod permiserit suum amanuensem hominum auctoritate duci, aut etiam ductum errare, & ita egregiâ providentiâ errorem relinquere in Euangelio.* Sed benè habet! Idem Spiritus sanctus, cujus impulsu Lucas scripsit, per Paulum organum suum electum monet, non nimis indulgendum esse *genealogiis*, sed eas ita tractandas, ut non ferantur quæstiones nunquam finiendæ, & inutiles, sed ut servire possint ædificationi Ecclesiæ in fide, 1 Tim. 1: 4. Tit. 3: 9. Cùm igitur ex genealogia Christi à Luca contexta certi simus, Salvatorem nostrum, verum hominem ex Davidis, & Abrahami prosapia fuisse natum, quin ad ipsum humani generis primum Parentem originem suam κατὰ τὴν σάρκα referre: in aliis certè, quæ scopum hunc principalem non attingunt, nec ædificationem juvant, debemus esse faciles, & *PRIMÆ* potiùs superiùs propositæ sententiæ conformes nos gerere, quàm de errore suspicionem ac litem perperam movere. Vide plura in hanc sententiam apud Franciscum Junium tom. 1. in annal. Gen. col. 167. & in Parallelis col. 1442. seq. 4. Quid de Bezæ & Scaligeri antiquis sit habendum codicibus, (quorum sententia *quinta* mentionem facit) aliis dijudicandum relinquo. Certe per multa hactenus secula exemplaria Græca in ponendo τὸν Cainan mirè conspirant, & legit eum Syra paraphrasis, ad antiquissimorum codicum fidem facta: Nec puto ex antiquitate (præter Epiphanium κατὰ μελχισεδεκιανῶν quem Junius d. l. allegat) dari posse, qui genealogiam Christi enarrans τὸν Cainan omittant. 5. Inter nos & Pontificios locus hic controversus non est, (nam & in Latinis constantissimam sibi sedem fixit *Cainan* iste;) Anabaptistis autem, qui exinde totius Euangelii Lucæ convellere auctoritatem satagunt, aliis obviam iri modis commodè potest. Vide Senens. lib. 7. hær. 4.

VIII.

### *VIII. Johan.* 7. *v.* 39.

UBi vulgata habet: *Nondum erat Spiritus datus*, Adversarii legunt ex suo textu Græco corrupto, *Nondum erat Spiritus sanctus &c.* quæ est depravatio Macedonianorum & aliorum hæreticorum, qui negabant, Spiritum sanctum esse verum Deum. Huntl. contr. 1 cap. 12. §. 8.

Resp. 1. Est hic diversa lectio, quædam enim exemplaria verbis, ὄπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, addere voculas, ἐπὶ αὐτὲς, ex Casaubono constat; in Vaticano exemplari additum esse δεδομένον, testis est Brugensis: Syrus etiam addit אתיהבת *datus*. Verùm ex ejusmodi discrepantiis, corruptio alterutrius probari non potest, nec una ex altera oppugnanda, sed omnes conjungendæ (si ab analogia textus non discedant, qualis hæc præsens est) & ex conjunctis ferendum est judicium, sicuti de diversis lectionibus plura hanc in rem dicta superiùs fuêre. 2. Quomodo verò Jesuita probatum dare poterit, lectionem hanc quæ τὸ δεδομένον omittit, à Macedonianis & aliis hæreticis Scripturæ corruptoribus profectam fuisse? Omittitur certè illud verbum etiam à Græcis Scripturæ tractatoribus, qui tamen contra Macedonium aliosque πνευματομάχες feliciter decertant: & quam nihil pro delirio ipsorum textus hic faciat, collatio aliorum Scripturæ locorum (quibus noster hic explicatur) ostendit.

### *IX. Johan.* 8. *v. ult.*

VUlgata Latina legit: *Jesus autem abscondit se, & exivit de templo.* Codices verò Græci verbis, Latinæ versioni respondentibus (Ἰησοῦς δὲ ἐκρύβη, καὶ ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ) addunt hæc; διελθὼν διὰ μέσε αὐτῶν, καὶ παρῆγεν ὅτω. Hæc verba superfluere, & ita corruptam esse hanc capitis 8. clausulam, Huntlæus Jesuita existimat cap. 2. §. 3. Subscribit Beza in annot. h. l. qui *assentiri se* ait *Erasmo, qui priorem partem putat ex Luc. 4. v. 30. irrepsisse in contextum, culpa librariorum, qui in margine descripta invenerunt: deinde ut hæc cum proximo capite* (cujus initium, *καὶ παράγων*) *cohærerent, additum fuisse*, καὶ παρῆγεν ὅτως.

Resp. 1. Sanè esse quædam in nonnullis exemplaribus Græcis, vel ex aliis locis parallelis, vel ex marginali annotatione textui à librariis inserta, suprà, quando de causis diversarum lectionum disseruimus, dictum fuit. Verùm id contingit, ubi exemplarium Græcorum, & lectionis est diversitas, ita ut in his verba quædam extent, quæ in aliis non leguntur. Jam verò omnes, qui nunc extant Græci codices, clausulam illam legunt: Nec Brugensis quicquam diversitatis, (ipse diversitatum diligentissimus annotator) annotat. Et fatetur Beza, in vetustis omnibus Græcis codicibus extare. Nec dissentit Syrus vetustissimus interpres, qui verba ista transtulit: ועבר בינתהון ואזל & *transiit inter eos, & abiit*. Excipit quidem Beza unicum vetustissimum suum codicem Græcum, qui, mirum, ni ad Latinam versionem vulgatam correctus est, instar ejus, cujus superiùs ex Brugense mentio non semel facta. 2. Age vero prodeant Bezæ rationes & conjecturæ, quibus adductus nigro carbone & obelo verba isthæc notat. (1.) Cum Erasmo auctoritatem producit *Chrysostomi & Augustini*, qui istius appendicis non meminerunt. Sed hic codices Latinos cum secutus sit, mirum non est, non meminisse: Ille licet non singula verba ponat, sensum tamen clausulæ istius satis luculenter exprimit, ita eam enarrans: εἶτα Φεύγει πάλιν ἀνθρωπίνως καὶ κρύπτεται, ἱκανὴν διδασκαλίαν αὐτοῖς παραθέμενος, καὶ τὰ αὐτοῦ πληρώσας, ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, καὶ ἀνεχώρησεν ἐπὶ τὴν ἴασιν τοῦ τυφλοῦ. h. e. Francisco Aretino Interprete, *Fugit ergò iterum* (Jesus) *ut hominem præstaret, & absconditur, cùm satis eos admonuisset: & impleto officio suo, exivit de templo, & se ad sanandum cæcum contulit;* homil. 54. in Joh. En quod Græca nostra habent, διελθὼν διὰ μέσε αὐτῶν, id à Chrysostomo per τὸ, Φεύγει πάλιν, *fugit iterum:* quod nostra legunt, καὶ παρῆγεν ὅτως: id ille per τὸ, καὶ ἀνεχώρησεν ἐπὶ τὴν ἴασιν τοῦ τυφλοῦ, *& se ad sanandum cæcum contulit*; exprimere ad sensum videtur. (2.) *Latinam veterem* producit versionem. Sed Pontificium hoc est, Græcorum fontes ad Latinorum rivulos corrigere. (3.) *Videntur ista* (inquit) *parum probabiliter cohærere. Nam si sese occultavit, quomodo per ipsos medios transiit?* Imò verò, Beza! contrarium ex textu fluit: Nam si ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, *exivit de templo*, quomodo non per ipsos medios transiit! Exitus enim iste ex templo transitum per homines in templo præsentes certò præsupponit. Illud igitur, ἐκρύβη, *occultavit se*, transitum non tollit, sed certo modo afficit, quod scilicet transitus fuerit non manifestus, & Judæorum oculis expositus, sed occultus. Quin ut inconstans est Calvinista? Statim enim adjicit: *Nihilominus tamen dici potest, & ab iis, qui in templo erant, sese subduxisse, ac deinceps per eos medios, quos foris reperiit, transivisse.* Hæc de Beza. Posset

O

ſet demùm opponi verſio Lutheri Germanica, quæ clauſulam illam omittit. Sed is, ut alibi, ſic hoc loco ſenſum reſpexit, non ſingula verba, cumque ea, de quibus jam agimus, verba præcedentium ſint ἐξηγητικὰ, igitur omittenda cenſuit, præſertim cùm nec in Latinis codicibus reperiret.

*X. Actor. 7. v. 14.*

SEptuaginta quinque animarum fit mentio, qui ex Jacobi Patriarchæ familia in Ægyptum deſcenderint. At Gen. 46. v. 27. *Septuaginta* tantùm memorantur animæ. In numero igitur apud Lucam erratum eſt ex librariorum incuria. Ita Eugubinus in recognit. V. T. ſuper cap. 46. Gen. citante Sanctio in comm. Actor. Ita etiam Calvinus, Beza & Paræus.

Reſp. 1. Sanè licet ſphalma hoc in loco γραφικὸν admitteremus, tamen nec doctrinæ ſalutis veritas & auctoritas, (quæ non in vocibus numeralibus, ſed ſententiis, fidei noſtræ articulos exprimentibus, principaliter ſita eſt,) nec ſententiæ noſtræ contra Pontificios munitæ firmitas (quæ potiſſimum σχετικὴ eſt, reſpectum ad *vulgatam Latinam verſionem* habens, quod ea fonti Græco non præponenda, ſed poſtponenda, & ad illum corrigenda ſit, ſicubi à veritate diſcedit. Hîc autem Græca cum Latinis conſentiunt) quicquam labefactari videretur. Neque enim diffiteor, probabilem valdè Bezæ mihi ſententiam videri, qui ex conjectura Cornelii Bertrami, Collegæ ſui in Eccleſia Genevenſi, Lucam putat non πέντε, ſed πάντες ſcripſiſſe, ut ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πάντες Latinè vertendum ſit, *Qui omnes* (id eſt, ſimul conjuncti) *erant animæ* (id eſt, capita) *ſeptuaginta*, perinde ut Moſes Geneſ. 46. verſ. 27. eandem univerſalitatis notam exprimens, inquit, כל *Omnis anima domus Jacob, quæ ingreſſa eſt in Ægyptum ſeptuaginta.* Librariorum autem incuriâ ex πάντες, ut facile fieri potuit, πέντε in hoc textu prodiiſſe: & ex eodem mendo (cum invaluiſſet) Græcam V. T. quæ LXX. Interpretibus adſcribitur, verſionem poſtmodùm fuiſſe depravatam, ibique (additâ quarundam perſonarum mentione) pro *ſeptuaginta* fuiſſe ſcriptum *ſeptuaginta quinque*, ut ita Moſi cum Stephano & Luca conveniret. Hæc, niſi fallor, Bezæ eſt ſententia, non improbabilis, ut dixi. Libet etiam hûc adſcribere alia ejuſdem verba, de quibus judicium Lectori permiſſum eſto. *Neque verò hujus erroris* (inquit) *obſervatio quenquam debet offendere, vel in dubium revocare verbi divini auctoritatem, cùm ex Hebræa veritate emendetur, & ſalva nihilominùs tùm doctrina, tùm etiam hiſtoriæ ipſius fides permaneat: & res ipſa clamet, non uno loco, temporis injuriâ, perſecutionum acerbitate, adverſariorum veritatis fraude, hæreticorum audaciâ, paſtorum denique inſcitiâ & oſcitantiâ, numerorum notas labefactari, & alia perículoſiora in ſacros libros invehi potuiſſe: quæ tamen eruditi & ſancti homines tùm ex aliorum locorum collatione, tùm ex fidei analogia, partim animadverterunt & emendârunt, partim etiam poſteris obſervanda & corrigenda reliquerunt, ſic proſpiciente ſuæ Eccleſiæ Domino, ut quamvis integri non pauci libri interciderint, & errata irrepſerint, tamen ſalutis doctrinam totam his ipſis libris certiſſimè & veriſſimè comprehenſam habeat Eccleſia, & ad finem uſque ſeculorum ſit habitum.* Hæc ille. Etſi autem tot Scripturæ N. T. Græcæ errata, quot in annotationibus ſuper N. T. paſſim producit, haudquaquam admittamus, (in pleriſque enim vanas & fundamento certo deſtitutas eſſe Bezæ ſuſpiciones, & in præcedentibus oſtendi, & porrò, DEO volente, oſtendam) tamen, ubi res videtur eſſe adeò aperta, & correctio ex fonte V. T. Hebræo adeò plana, ecquis tàm ſuperſtitioſè incautus eſſet, ut ex unico hoc vel altero etiam mendo (in voce numerali occurrente, nec veritatem hiſtoriæ in V. T. multò minùs fidei aliquem articulum labefactante) vel puritatem vel auctoritatem totius N. Teſt. Scripturæ convelli exiſtimaret? Repeto in ſuperiori tractatu adductum ſimile; *Ut unus vel alter lapillus in purum fontem incidens, ipſum impurum & contaminatum non ſtatim reddit: ita una & altera vox mendoſa fontis Scripturarum limpidam puritatem haudquaquam infringit.* 2. Verùm enim verò videtur hæc ſententia quibuſdam improbanda (1.) quòd & in tranſlatione LXX. Gen. 46. & in c. 7. Actuum omnes omninò codices conſentiant, nec poſſit vel levis ex antiquitate conjectura afferri, aliter olim, quam nunc, utrobique fuiſſe lectum. De c. 7. Act. Beza ita: *Sic legitur in omnibus codicibus, quos inſpeximus, & jampridem ita ſcriptum fuiſſe, apparet, ex Syra & Arabica editione, itemque Hieronymo & Auguſt.no &c.* (2.) Quòd & alia ſint in hoc 7. cap. quæ Hebræo textui non ſatis primâ fronte convenire videntur: in quibus omnibus, ſi menda librariorum ineſſent (cum eadem ſit ratio) caput hoc foret omnium corruptiſſimum, (3.) Quòd improbabile ſit, ſphalma hoc per tot ſeculorum decurſus à nemine ex antiquitate fuiſſe deprehenſum & correctum. Superiùs in ſententiæ noſtræ κατασκευῇ priore, arg. 3. oſtenſum eſt, quædam ab antiquis Doctoribus deprehenſa fuiſſe in N. Teſt. erronea, quæ textu movere, eumque cor-

correctiorem exhibere non dubitarunt. At de *septuaginta quinque* animarum corrupto numero altum apud eos silentium. Si pro Beza excipere quis velit, ob admirationem Græcæ LXX. versionis (quæ summo apud veteres habita fuit in precio, quæque 75. animas legit) ausos non fuisse corrigere: Resp. Esset hoc contra ipsum Bezam, qui post corruptelam cap. 7. Act. & ad ejus quasi normam, Græcam istam versionem depravatam esse ait. Quod si in tanta LXX. illa versio fuit (uti certè fuit) auctoritate, quomodo non ex illa quoque (quem facillimè animadvertere potuerunt,) errorem introductum sustulissent? (4.) Quòd non nisi summâ necessitate compulsis, ad corruptionis in Scriptura sacra factæ suspicionem desilire liceat: Hic verò talis necessitatis articulus nondum urget, cùm alia conciliationis via supersit. Istorum igitur sententia est, LXX. Interpretes consultò Hebræum textum Gen. 46. ita transtulisse, ut in nostris legitur codicibus, & LXXV. posuisse animas sive capita: quos secuti suâ in oratione Stephanus, & scriptione Lucas, itidem 75. posuerint. Adscribam verba Dn. D. *Frantzii* in tract. de interp. Script. part. 1. p. 38. quæ ita habent: *Omnino apparet ex collatione locorum N. Test. cum locis V. Test. versionem LXX. temporibus Apostolorum fuisse in manibus Judæorum & gentium, & tritiorem familiarioremque quàm fontes Hebræos. Et quia Apostoli citare tunc temporis non ex fontibus Hebrais, sed ex versione Græca LXX. sententias & alia voluerunt suis de causis, idcircò quandoque retinent versionem LXX. utut eam reperirant non correctam. Noluerunt ex levioribus suspicionem quamcunque apud infirmos movere.* Hæc ille. Quod de versione LXX. Græca circa Gen. 46: 27. dictum, ita habet: Gen. 46: 20. præter ea, quæ in textu Hebraico extant, Græci codices hæc addunt: εγένοντο δὲ υἱοὶ Μανασσῆ, ὃς ἔτεκεν ἀυτῷ ἡ παλλακὴ ἡ Σύρα, τὸν Μαχίρ. Μαχὶρ δὲ ἐγέννησε τὸν Γαλαάδ. υἱοὶ δὲ Εφραὶμ ἀδελφοῦ Μανασσῆ, Σουταλαὰμ, καὶ Τaάμ. υἱοὶ δὲ Σουταλαὰμ, Εδέμ. *Fuerunt autem filii Manasse, quos peperit ei concubina Syra, Machir: Machir autem genuit Galaad. Filii autem Ephraim fratris Manasse, Sutalaam & Taam: Filii autem Sutalaam Edem.* (atque horum etiam mentionem facit Hieronymus in quæst. Hebr.) v. 22. ubi Hebræus textus ait: *Prognatorum ex Rachel esse animas quatuordecim*: LXX. Interpretes δεκαοκτὼ, *octodecim* memorant. v. 27. ubi *omnes animæ Ægyptum ingressæ de familia Jacob*, (computatis iis personis, quæ jam antè in Ægypto extiterant, Josepho cum duobus filiis) dicuntur fuisse שִׁבְעִים *septuaginta*, Græci ἑβδομήκοντα πέντε *septuaginta quinque* ponunt: qui numerus etiam Actor. 7. vers. 14. exprimitur. Quod si de ratione, quibus ducti Interpretes Græci eum numerum posuerint, quæratur, (1.) Augustinus ad incognitum nobis mysterium confugit: *Nec septuaginta Interpretes* (inquit) *mihi in hoc numero errâsse videntur, qui propter aliquam mysticam significationem quadam veluti Propheticâ libertate horum numerum complere voluerunt;* quæst. 152. in Genes. Sed quale illud sit in numero mysterium, non explicat, & in numeris ejusmodi, qui non sunt Prophetici, quique in fonte Scripturarum non extant, mysteria quærere inconveniens. (2.) D. Gesnerus in cap. 47. Gen. *Res magni momenti*, inquit, *non est, neque instituto Mosis hæc additio quicquam adversatur. Certum enim est, inter alias causas numeratæ hujus genealogiæ, etiam hanc esse non postremam, quod Moses ostendere vult, quomodo DEUS è mira paucitate populum Israeliticum in incredibilem multitudinem adauxerit. Sive proinde LXX. sive LXXV. proseminario tanti exercitus, quantus ex Ægypto egreditur, constituatur, comparationi nihil prorsus adimit. Ideo etiam LXX. Interpretes utrumque numerum usurpârunt* (nempe LXXV. numerant Gen. 46: 27. LXX. autem Deut. 10. v. ult.) *tanquam rem ἀδιαφόρως se habentem, & sententiæ Scripturarum nihil detrahentem.* (3.) Sanctius in c. 7. Act. num. 37. hanc dat rationem: *Septuaginta Interpretes*, inquit, *ideò videri possunt addidisse plures ex Josephi familia, quò magis Ptolomæo Ægyptiorum Regi Judæorum genus commendarent, cujus rogatu operam tunc dabant sacris Bibliis in Græcum convertendis. Videbant enim Regi, Ægyptiisque aliis futurum esse gratum, quicquid de Josepho, tàm utili quondam Ægyptiorum rationibus, afferri posset. Multos ergò numerant ex Josephi familia, ut ex ea plures esse inter Judæos suspicaretur Rex, & ideò majori studio atque benevolentia res complecteretur Judaicas.* Hæc altera de numero Stephani est sententia, quæ cujus sit momenti & ponderis, aliis relinquo expendendum. Confer Sanctium d. l.

## XI. *Actor. 7. v. 16.*

VErba ita habent: *Translati sunt in Sichem* (Patriarchæ) *& positi in monumento, quod emit Abraham precio argenti à filiis Emmor* τοῦ Συχέμ. At ex Gen. 33: 19. & Jos. ult. v. 32. certum est non Abrahamum, sed *Jacobum* à filiis Hemor agrum emisse. In nomine igitur *Abrahami* mendum aliqui agnoscunt, existimant enim, nullum nomen proprium hîc fuisse scriptum, sed ἀπὸ κοινοῦ ex versu præceden-

te ad verbum ὠνήσατο repetendum fuisse nomen *Jacobi*, quod aliquis non attendens inseruerit nomen Abrahæ, nimirum quia tale quid, emtionem scil. sepulcreti, de Abrahamo Gen. 23. vers. 16. narrari videret. Ita Drusius, Tossanus, Beza.

Resp. Est & hic sententiarum divortium, quod expedire paucis, visum est. 1. Quidam erratum agnoscunt, idque Stephano ipsi tribuunt, qui, dum totâ mentis intentione in causam raptus fuerit, memoriâ lapsus commutârit nomina, & res diversas in unam confuderit. Ita (citante Sanctio) Beda & Rabanus, sed obscuriùs: clariùs Canus lib. 3. de locis cap. ult. ubi dicit, *Lapsum quidem Stephanum, non tamen Lucam, qui fideliter scripsit, quæ à Stephano dicta sunt.* Et sane inusitatum non est, â Scriptore canonico tradi aliquid, quod ab aliis dictum est minùs sapienter ac verè: neque enim tunc Scriptor tàm probat dicta, quam refert. Sic Jud. 11:26. Jephte *trecentos annos*, dicit, *terram ab Hebræis possessam*, cùm tamen verum id non sit. In Scripturis quippe res duplices continentur. *Quædam* dicuntur ἱςορικῶς, recitativè: *quædam* verò ἐξηγητικῶς, assertivè & approbativè. Ut posterioris generis narrata semper vera sunt: ita priora non semper. Ubi tamen iterum distinguendum inter ipsam historiam, & rem historicè narratam. *Illa* vera est, *hæc* non semper. August. contr. Priscillianistas, c. 6. duplici id declarat exemplo: *Dictum est* (inquit) *à Judæis Domino Christo*: (Joh. 8: 48.) *Nonnè verum dicimus, quia Samaritanus es & Dæmonium habes? Quam vocem tanto ampliùs detestamur, quantò nobis Christus est charior. Emissam tamen à Judæis dubitare non possumus, qui Euangelicam narrationem verissimam credimus. Ita nec Euangelistæ derogamus fidem scribenti: & Judæi vocem blasphemantis execramur.* Et paulò post. *Neque enim, quia ille, cujus cœci nati oculos Dominus aperuerat, ait: scimus, quia peccatores DEUS non exaudit*, (Joh. 9: 31.) *ideò istam sententiam pro Euangelica auctoritate sic debemus accipere, ut ipsis in Euangelio verbis Domini resistamus: qui eum, qui dixit, Domine propitius esto mihi peccatori, magis justificatum descendisse de templo, quam Pharisæum justitias suas commemorantem atque jactantem, divinâ voce firmavit.* Verùm an, quæ dicta sunt, Apostolis Apostolicisque viris, seriò res sacras concionando tractantibus, & maximè hoc loco *Stephano* tribui possint, non tàm dubitatur, quàm certò statuitur, non posse. De Stephano enim Act. 7: 55. dicitur, *quòd fuerit* (& hæc locutus sit) *plenus Spiritu Sancto.* Nevè quis obvertat forsan, *non esse hanc descriptionem summi illius assistentiæ Spiritus sancti gradus, quo Scriptores canonici extra omnem memoriæ lapsum, & omne erroris periculum constituti sunt*: observetur sedulo, cap. 6: 10. de Stephano dici, quod tantâ sapientiâ, Spiritu sancto Ductore, sua prolocutus fuerit, ut præcipui inter Judæos *non potuerint ipsi* ἀντιςῆναι *resistere*. Ponatur, perperam quædam ipsum protulisse, certe ei facilè contradixissent adversarii, qui neque æquis auribus Stephanum audiebant, neque antiquitatis Biblicæ ignari erant. Coactus quidem fuit vir sanctus in eum locum, & in eas angustias, ut aliis non memoria solùm, sed mens etiam ipsa excidere potuerit: At quis hoc de Stephano suspicetur, quem in eo motu ac turbine bonus gubernator Spiritus sanctus, & sapientiâ suâ afflabat, & ductu moderabatur?

2. Quidam librariorum hìc agnoscunt mendum. *Ego verò* (verba sunt Bezæ in h. l.) *jampridem existimavi, & adhuc existimo, subaudiendum esse* ἀπὸ τοῦ κοινοῦ *à præcedente versiculo Jacobi nomen, pro quo nomen Abrahami ab aliquo annotatum, qui deesse rectum* (casum) *ante verbum* ὠνήσατο *videns,* ἁμαρτήματι μνημονικῷ *deceptus fuerit, in contextum irrepsisse.* Et sanè, si de mendo apertè constaret, cùm id ex collatione historiæ Veteris Testamenti emendari facilè possit, *nec doctrinæ Christianæ*, (ut inquit Beza) *nec historiæ fidei quicquam eo derogaretur.* Verùm incerta, si non omninò nulla, hæc de mendo est suspicio. Nec enim ullus ostendi potest codex, qui nomen *Abrahami* hìc non legat. Mendum autem ab uno alteròve descriptore illatum in omnes omninò codices tàm constanter irrepere potuisse, vero non est simile. Alia igitur hujus nodi evolvendi insistenda via est.

3. Sunt, qui à Stephano loquente omnem memoriæ lapsum, & à textu à Luca exarato omne librariorum sphalma longùm removent: nomen autem *Abrahami* positum certâ ratione salvant & vindicant. Duplex autem hìc iterum sententia.

1. Franciscus Junius in parall. lib. 1. Col. 1465. integrum versum explicat distributivè, quasi dixisset Stephanus: *Et translati sunt* (Jacob & Patres nostri, quorum mentio vers. præced. antegressa:) *& positi sunt*, pars in *Sichem*, pars verò *positi sunt in monumento, quod emerat Abraham precio argenti.* Verba autem sequentia, παρὰ τῶν υἱῶν Εμμὸρ τοῦ Συχὲμ, ita interpretatur, ac si articulo expresso legeretur παρὰ τὸ τῶν υἱῶν Εμμὸρ τοῦ Συχὲμ, q. d. *præter illud monumentum, quod Jacob à filiis Emmor patris Sichem legitur comparâsse Gen.* 33. Fundamentum hujus explicationis desumit (1.) inde,

inde, quòd Hieron. in Epitaph. Paulæ narrat, *XII. Patriarchas ad Sichemum sepultos:* Josephus verò lib. 2. antiq. cap. 4. *ad Hebronem:* quia scilic. pars hic, pars illic fuit sepulta, prout posteris commodum fuit visum. (2.) Utrumque locum Israëlitæ reduces ex Ægypto in religione summa habuerunt, prout de *Abrahami* monumento Jacob ipse caverat, Gen. 47. De Jacobi verò possessione mulier Samaritana testis est Joh. 4. vers. 5: 12. & alii id confirmant Scripturæ loci. (3.) Ellipsis illa articuli etiam occurrit. Matth. 1. vers. 11. Ιωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ιεχονίαν καὶ τὰς ἀδελφὰς αὐτοῦ (τὰς) ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος.

2. Concinnior (meo judicio) illorum est sententia, qui *Abraham* patronymicè sumi asserunt, pro *Abrahamide*, h. e. pro *Jacobo* Abrahæ nepote: Non quidem, ut Abraham sit *casus Genitivi*, & supplendum sit *filius* seu *nepos*, (uti Vatablus, & Salmeron existimant:) hoc enim paulò contortius: sed ut sit *casus recti*. Nam patrum nomina sine ulla mutatione pro posteris, & quidem non pro tota tantùm posteritate & gente, sed pro una etiam singulari persona interdum usurpari, in Scripturis inusitatum non est. Et hùc quidam referunt dicta, quibus *David* pro *Messia* ex Davidis prosapia nasci turo usurpatur, Ezech. 34: 23. Jerem. 30: 9. Potest etiam adferri locus Genes. 48: 15. ubi *Joseph* pro duobus filiis *Ephraim* & *Manasse* expressè usurpatur. Sed propiùs accedunt, & positum canonem insigniter illustrant duo loca sequentia. 1 Reg. 12. vers. 16. cùm sermo esset de *Rehabeam* nepote Davidis, dixit infensus populus: *Quæ nobis pars in David, aut quæ hæreditas in Filio Isai? Vide domum tuam David.* Et 1 Reg. 15. vers. 6. cùm *Jeroboam* bellum gereret cum *Abia* filio Rehabeam (uti ex collatione 2 Paral. 13. v. 3. seqq. apparet) bellum tamen dicitur gessisse cum ipso *Rehabeam:* qui cap. præced. 14. jam tum traditur fuisse mortuus. Sicut igitur *David* pro nepote *Rehabeamo: Rehabeam* pro filio *Abia* d. l. ponitur: ita *Abraham* pro nepote *Jacobo* Actor. 7. usurpari inconveniens dictu haudquaquam est. Coronidis loco observandum propono & hoc. Gen. 49. vers. 30. Jacob Patriarcha *agri Hephronis Chittæi* emtionem *Abrahamo* avo tribuit, & rectè: sed cap. 50. vers. 5. Josephus emtionem ejusdem *ipsi Jacobo Abrahami nepoti* assignat, his verbis: *Pater meus* (Jacob) *jurare fecit me, dicendo: Ecce ego morior: in sepulchro meo*, אֲשֶׁר כָּרִיתִי לִי *quod comparavi mihi* (id enim significatum radix כרה etiam obtinet, 2. Par. 16. vers. 14. Hos. 3. vers. 2. unde Chald. reddit דְאַתְקֵינִית *quod paravi*) *in terra Canaan: ibi sepelies me.* Quod si igitur non absurdum est, emtionem *agri Ephronis Chittæi ab Abrahamo factam* tribui nepoti *Jacob:* nec inconveniens erit, emtionem *agri in Sichem à Jacobo factam*, tribui *Abrahamo* avo. Est enim parentum cum liberis conjunctio adeò arcta, ut pro uno quasi moraliter censeantur. Quare quæ filii faciunt, parentibus, & rursus, quæ faciunt patres, filiis nonnunquam tribui, insolitum non est.

## XII. *Actor. 15. v. ult.*

Aliquando (adversarii) temerè auferunt à verbo DEI, ut ex v. ult. Actor. 15. illa verba: *Præcipiens* (scil. S: Paulus) *custodire præcepta Apostolorum.* Huntlæus cap. 12. §. 4. Resp. 1. Occurrit iterum vetus ille μισαυθεντογραφῶν κοκκυσμὸς, quicquid à versione vulgata dissentit, id repudiandum statim & rejiciendum esse: cujus axiomatis malè sani falsitas ad nauseam usque demonstrata hactenus fuit. 2. Verba illa in nullo omnino codice Græco (unum si exceperis, cujus Beza meminit) leguntur, nec extant in Syriaca paraphrasi: cui constantissimæ συμφωνίᾳ versio Latina, (quæ quàm turbidè fluat, luculenter evictum) num præjudicare poterit? 3. Leguntur eadem ferè verba c. seq. 16. vers. 4. in Græcis etiam codicibus, ex quo tùm in vulgatam versionem Latinam, tùm in codicem Bezæ Græcum, c. 15. vers. ult. transcripta & repetita esse, vero simile. 4. Sed & inter codices Latinos sunt, qui eâ pericope carent, ut ex obelo Lovaniensium constat.

## XIII. *Rom. 11. v. 6.*

Vulgata ita legit: *Si autem ex gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia.* In Græcis autem codicibus hæc præterea adduntur: εἰ δὲ ἐξ ἔργων, ἔτι οὐκ ἐςὶ χάρις. ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔτι ἐςτὶν ἔργον, i. e. *Si autem ex operibus, non amplius est gratia: alioquin opus non amplius est opus.* Hanc pericopen in Græco per corruptelam redundare, Bellarm. l. 2. de V. D. c. 14. & Rhemenses Jesuitæ in præfat. N. Test. allegante Mortono apolog. Cath. part. 2. l. 1. c. 7. existimant.

Resp. 1. Summo consensu pars illa in Græcis exemplaribus, uti & Syriaca paraphrasi legitur. Frustrà igitur, quod in unico rivulo (versione Latina) non habetur, fontis propterea pars esse negatur. 2. Theophylactus & Oecumenius Græcam lectionem sequuntur. 3. Et

planè necessaria ea est explendæ operum & fidei antithesi, quam cùm alibi, tùm h. l. Apostolus magno fervore inculcat. Quo pertinent Salmeronis verba in h. l. *Videtur congruere* (hæc textus particula) *ad explendam fidei & operum antithesin, & sensui nihil nocet, quia sensus est: si ex operibus, i. e. meritis, jam non ex gratia: alioquin id quod est ex operibus, non esset ex operibus.* 4. Concludat proinde Cajetanus comm. in h.l. *In Latina editione* (inquiens) *deest una integra sententia, quæ priori è regione respondet.*

## *XIV. Rom. 12. v. 11.*

UBi vulgata legit: *Domino servientes*, Græci non habent κυρίῳ, sed καιρῷ δουλεύοντες, *Tempori servientes.* Ex κυρίῳ igitur per corruptelam factum est καιρῷ. Bellarminus lib. 2. de V. D. cap. 7.

Resp. 1. Ponatur, corruptionem voci καιρῷ inesse, & pro ea legendum κυρίῳ: particularis tamen illa foret, (quæ hic non attenditur,) nequaquam universalis. Audi enim, *ita* (κυρίῳ) *in probatissimis quibusque Græcis codicibus vetustis, & Græcis scholiis legitur. Sic quoque vertit Syrus: & ita legunt Chrysostomus, & Theophylactus, & Basilius in Ethicis, definitione* 68. *& Clemens.* Hucusque verba Bezæ. Bellarminus addit *Hieron. in Epist. ad Marcellum, quæ incipit, post priorem Epistolam, ubi dicit, in emendatis Græcis codicibus haberi non* καιρῷ, *sed* κυρίῳ. Quid igitur inde Jesuita, quæso, lucratur? Legamus sanè κυρίῳ, non ob vulgatæ versionis, sed ob codicum Græcorum probatissimorum, & interpretum, qui ita legunt, auctoritatem. 2. Sed enim, diversa hic est lectio, (annotata etiam à *Glossa ordin.* sine ulla textus Græci contumeliâ) quæ corruptionem haudquaquam infert, nisi vulgatam quoque corruptissimam dicere velint, quæ tota scatet ejusmodi discrepantiis. 3. Si quis lectionem, quæ καιρῷ habet, & in aliquibus codicibus nostris locum obtinet, præferre velit, ab Ambrosio sat reportabit munimenti: is enim comment. in h. l. tom. 5. p. 230. ita loquitur: *In Græco dicitur sic habere, DEO servientes, quod nec loco competit, quid enim opus erat, summam hanc ponere totius devotionis, quando singula membra, quæ ad obsequia & servitia DEI pertinent, memorat. In omnibus enim his, quæ enumerat, plenum DEO servitium exhibetur. Servire tempori quid sit, alibi solvit, cùm dicit, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Toletus Jesuita comment. in Rom. 12. eandem lectionem (καιρῷ) præferret alteri, nisi vulgatæ versionis auctoritate reprimeretur. *Fateor* (inquit) *& antecedentibus & consequentibus accomodata, documentum valdè utile contineret, sed communis veterum Interpretum sensus, cum vetere Interprete legendum censet.* Quomodo autem illud, τῷ καιρῷ δουλεύοντες, intelligendum sit ex vers. 15. patet, *ubi gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus* pii jubentur. Alii καιρὸν pro *occasione* accipiunt, quòd velit Paulus non studiosè omnem juvandi occasionem captare. Eph. 5. vers. 16. exponitur per ἐξαγοράζεσθαι τὸν καιρὸν, q.d. redimere commodam temporis occasionem, metaphorâ à mercatoribus deducta &c.

## *XV. 1 Cor. 7. v. 33.*

UBi vulgata legit: *Qui cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat, quæ Domini sunt &c.* Græci codices longè aliter habent: nam illud, *divisus est*, conjungunt cum sequentibus, sic: μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, *divisa est uxor & virgo.* Quam lectionem B. Hieron. lib. 1. contr. Jovinian. affirmat, non esse Apostolicæ veritatis Bellarminus lib. 2. de V. D. cap. 7.

Resp. Est & hic diversa lectio in Græcis codicibus, ratione *distinctionis*, & vocum quarundam *transpositionis*, quæ superius quoque suo loco adducta & attacta. At corruptelam alterutrius (si utraque absurditate careat) hinc inferre non licet, ut multoties inculcatum. Cùm autem in ejusmodi discrepantiis, Lydio adhibito lapide, una alteri præferri & possit & debeat, ut superiùs itidem monitum, age, conferamus & eam, quæ hic occurit, diversitatem, & utra majoris sit auctoritatis, patescet. 1. *Prima* lectio, quæ vulgariter in nostris est codicibus Græcis, ita habet: v. 33. ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί. μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος. v. 34. ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου &c. h.e. *At qui duxit uxorem, curat ea quæ sunt mundi, quomodo placiturus sit uxori. Discretæ sunt, ea quæ est uxor, & ea quæ est virgo. Quæ est innupta, curat ea, quæ sunt Domini.* Hanc *in omnibus vetustis codicibus Græcis* (*duobus exceptis*) *invenisse se* testatur Beza: est etiam Syri Interpretis. Et *consentiunt Græca scholia, Theophylactus, Hieronymus ad Helvid. item ad Eustoch. de servanda virginitate: Basilius in lib.* περὶ τῆς ἐν παρθενίᾳ ἀληθοῦς ἀφθορίας, attestante eodem Beza. Et nititur tandem textus per se incoactè fluentis σαφηνείᾳ. In vers. 32. & 33. diversa *cælibum & maritorum* studia enarrat: cui ἀντιθετικῶς

τικῶς statim diversas *uxorum & virginum* curas subjungit, deque iis (uxoribus & virginibus) dicit, μεμέρισται, quod Oecumenius ita exponit: οὐ τὴν αὐτὴν ἔχουσι φροντίδα, ἀλλὰ μεμερισμέναι εἰσὶν ταῖς σπουδαῖς, *non eandem habent curam, sed separata sunt studiis.* 2. *Altera* lectio, quam vulgata Latina sequitur, ita habet: ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικὶ, καὶ μεμέρισται. καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου &c. hoc est, *qui cum uxore est, solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt.* Hanc Robertus Stephanus in duobus deprehendit codicibus Græcis, & sequuntur eam *Hieronymus* lib. 1. contra Jovinian. ita à seipso dissentiens: *Ambrosius* lib. de viduis, August. lib. de bono vidui. *Divisum autem esse* (quod marito tribuitur) hîc est in varias partes ac diversas curas distrahi, cùm partim curare illum oporteat, quæ sunt conjugii, partim quæ sunt Domini. Etsi autem neque hac in lectione quicquam incommodi latet, quivis tamen videt, priorem ob codicum Græcorum, & Interpretum, pluralitatem præferendam esse. Quando igitur Bellarminus *Hieronymi* auctoritatem adducit, asserentis, lectionem nostrorum codicum Græcorum non esse Apostolicæ veritatis: Respondemus 1. Cur ergò lectionem alteram, quæ Apostolicæ veritatis non esse dicitur, ipse Hieronymus all. 11. secutus est? 2. In libb. contra Jovinian. auctoritas ejus suspecta est, cùm ipse conjugio sit iniquior. 3. Lectio Apostoli sensum omninò verum exprimens, non potest non Apostolicæ veritatis esse. Talis verò est lectio nostra Græca, uti negari non potest.

### *XVI.* 1 *Cor.* 15. *v.* 47.

Legendum est: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis*, ut vulgata Latina versio habet. At Græci constanter legunt, *secundus homo Dominus de cœlo*, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Quam depravationem mansisse, vitio Scriptorum, ex corruptionibus Marcionis, patet ex Tertulliano lib. 5. in Marcion. Bellarminus lib. 2. cap. 7.

Resp. 1. Ex eo ipso, quod Græci codices *tam constanter* (fatente Bellarmino, atque idem de antiquorum codicum consensu asserentibus Erasmo & Beza, nec refragante Syro & Arabe Interpretibus) receptam lectionem comprobant, vulgatam versionem, ut rivum, à fontis constanti lectione descedentem, meritò repellimus & suspectam habemus. 2. Neque enim ea lectio à textu discedit, sed eidem potiùs δύναμιν addit & robur: *Multò enim vehementior est* (verba sunt Bezæ) *antithesis terreni & Domini, quàm terreni & cœlestis, cùm multæ sint res cœlestes creatæ; Dominus autem dicatur, qui summum in omnes imperium obtinet. Deinde si statim opposuisset terrenum cœlesti, non emineret illa tanta qualitatum diversitas, sed varius tantùm situs videretur significari. Hoc verò semel explicato, tùm demum licuit cœlestem terreno planè ac perspicuè opponere, ut factum est duobus sequentibus versiculis.* 3. Depravationis hic quicquam inesse, *ex Marcionis corruptionibus* reliquum, tantum abest, ut ex Tertulliani allegato loco probari possit, ut contrarium potiùs exinde colligatur. Iisdem enim verbis, quo nos legimus, & ex propria quidem mente, verba ea Apostoli citat. Agit quidem de Marcionitica quadam depravatione, sed ea non versum 47. sed 45. attinet, ubi pro vocibus ἔσχατος Ἀδὰμ, *novissimus homo* (sicut nobiscum incorruptè legitur) Marcion posuerat ἔσχατος κύριος, *novissimus Dominus*, quem ob id Tertullianus reprehendit. Epiphanius hær. 42. omnes Marcionis corruptelas notavit, ut Bellarminus etiam paulò antè testatur. At is corruptelam hanc, quam Cardinalis somniat, ne verbo attingit. 4. Attende verò, Bellarmine, quid de vulgata versione hic loquatur Salmeron Jesuitarum primipilus: *Græcè legimus* (inquit) *secundus homo de cœlo, ipse Dominus: putârunt nonnulli* (hæreticos significat) *ob antithesin perfectam legendum esse: secundus homo* (sic Latinè) *de cœlo cœlestis: & inde corpus suum attulisse, ut Valentinus, Marcion, & Manichæus delirantes dixerunt, quibus se & quartum addidit Welfenedius, insignis nostri seculi hæreticus &c.* Et Alphonsus de Castro lib. 4. tit. Christus: *Valentinus ait, Christum de cœlo carnem traxisse, quia Paulus ait: Primus homo* (secundùm textum Latinum) *de terra terrenus, secundus de cœlo cœlestis.* Hæc ille, citante Mortono. Quæ igitur lectio hæreticorum pravitati faveat, cordatiores edisserant.

### *XVII.* 1 *Corinth.* 15. *v.* 49.

Marcion hæreticus contendebat, legendum esse, *portabimus*, non *portemus*, ut probaret corpora nostra futura cœlestia post resurrectionem, & non vera corpora. Contrà Tertullianus lib. 5. contra Marcion. docet, legendum esse *portemus*, non, *portabimus*, præceptivè,

ceptivè, non promissivè: ita & Chrysostomus. Sed adversarii cum Marcionistis volunt legendum esse, Φορέσομεν, *portabimus*, non Φορέσωμεν, *portemus*, juxta ipsorum textum Græcum coruptum. Huntlæus c. 12. §. 6.

Resp. Occurrit & hic diversitas lectionis, ex qua corruptelam inferri posse, gratis dicitur. Nam 1. A Marcione ex Φορέσωμεν factum esse Φορέσομεν, nec Tertullianus d. l. nec alius quisquam asserit. Probabilius est, cùm in aliquibus exemplaribus Marcion *futurum* inveniret, voluisse hac sententia ad suum errorem stabiliendum abuti, cui ex auctoritate aliorum exemplarium obviam iverunt dicti Patres. 2. Utraque lectio salvo contextu locum habere potest, potissimum autem ea, quæ communiter in Græcis codicibus recepta est. Si cum Tertull. & Chrysost. legamus Φορέσωμεν, *portemus*, in v. 49. nova incipit Apostoli sententia, exhortatoria ad pietatis studium, cujus adhortationis ratio v. 50. subjicitur, quòd *caro & sanguis regnum DEI possidere non possint* &c. Sin cum Syro & Arabe Interpretibus, nostrisque codicibus, Φορέσομεν legamus, hoc est, *portabimus*, tùm sententia & argumentum Pauli, quod tractat, continuatur, (Theophylactus *Portabimus, ut sit prædicentis futuram immortalitatem: Et portemus, ut sit adhortantis ad vitæ puritatem.*) Quam lectionem alteri illi præferendam esse, *tùm* antecedentis & sequentis textus συνάφεια, *tùm* particula connexiva καὶ in v. 49. *tùm* v. 58. in quo demum conclusio exhortatoria ab Apostolo ex tractatione de resurrectione infertur, liquidò ostendit. 3. Erasmus diligens Scripturæ Nov. Test. indagator, diversæ lectionis hic mentionem facit, corruptionis verò factæ nullam, quin eam, quæ Φορέσομεν in futuro legit, alteri non obscurè præfert. *Non magni* (inquit) *refert ad sententiam, nisi quod futurum tempus aptius erat huic loco, in quo Paulus agit de resurrectione futura.* Et p. p. *Neque verò periculum est, si legamus, portabimus, ne videamur cum Arianis sentire, qui negabant nos à resurrectione carnem habituros: Habebimus carnem & eandem, sed non talem.* Hæc ille.

### *XVIII.* 1 *Tim.* 4. *v.* 3.

SCopus Apostoli est, docere, hæreticos quosdam docturos *prohibitionem matrimonii, & abstinentiam à certis cibis.* At in Græco textu contrarium videtur asseri, κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων &c. *prohibentium contrahere matrimonium, &* (*prohibentium, si* ἀπὸ κοινοῦ repetatur τὸ κωλυόντων) *abstinere à cibis* &c. Isidorus Pelusiota igitur lib. 4. Epist. 112. contendit probare, pro ἀπέχεσθαι legendum esse ἀντέχεσθαι, quod contrarium significat, nempè *accipere. Vide* (inquit) *ne fortè hoc loco circa unam literam unumve apicem commissum sit erratum*, κωλυόντων γαμεῖν ἀντέχεσθαι βρωμάτων.

Resp. 1. Cùm præter nudam conjecturam ab Isidoro nihil afferatur, cumque ad scopum Apostoli phrasis explicari commodè possit, quid ad corruptelæ suspicionem progredi opus est? 2. Explicationem autem istam ex Epiphanio, citante hunc locum adversus Cataphrygas, ostendit Beza (cui Erasmi versio respondet) cognatæ scilicet significationis subaudiendum esse verbum, nempè κελευόντων *jubentium*, qualis verbi ellipsis 1 Cor. 14: 34. occurrit, οὐ γὰρ ἐπιτέτραπται αὐταῖς λαλεῖν, ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι, *non enim permissum est illis* (mulieribus) *ut loquantur, sed* (scilicet δεῖ αὐτὰς, *oportet eas*, seu κελεύονται *jubentur*) *ut subditæ sint.* Et in illo Homeri, σῖτον καὶ οἶνον ἔδοντες, *cibum & vinum edentes*, pro *edentes cibum & bibentes vinum.* Syrus interpres eodem intellexisse modo videtur, dum verbo in Hiphil posito utitur, מַפְרְקִין *facientium*, (seu *jubentium*) *abstinere.* 3. Oecumenius in h. l. aliter explicat, & Atticum loquendi genus agnoscit in phrasi κωλυόντων ἀπέχεσθαι. Verba ejus ita habent: οὐκ ἔςι σφάλμα καλλιγραφικὸν, τὸ ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ὡς ἐνίοις ἔδοξεν, οὐδὲ παρόραμα Ἀποστολικὸν, ἀλλὰ καὶ ὀρθῶς εἰς τὴν Ἀτθίδα συνήθειαν διαπεφρασμένον. ὥσπερ τοὶ, ἐκώλυσεν αὐτὸν, μὴ ποιεῖν τὰ ἄτοπα, οὐ λέγει, ὡς εἰς ἀτοπίαν αὐτὸν προύτρεπεν, καὶ τὸ ἀπέτρεπεν αὐτὸν μὴ προσκρούειν φίλοις, οὐχὶ φίλοις προσκρούειν, ἀλλὰ τοὐναντίον. καὶ πάλιν, ἐκώλυσε μὴ κλέπτειν, οὐχ' ὅτι ἐπέτρεπε τὴν κλοπὴν. καὶ ἐκώλυεν ἀπέχεσθαι ἀῤῥητοποιίας, ἀντὶ τοῦ, ἀπῆγεν ὑπὸ τῆς τοιαύτης πράξεως. οὕτως καὶ, ἐκώλυον ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ἀντὶ τοῦ, ἐκώλυον ἀπὸ τῆς βρώσεως, h. e. *Non est error Scribarum in voce* ἀπέχεσθαι, *sicut quibusdam videtur, nec est hallucinatio Apostolica; sed eleganter, etiam consuetudine Atticâ, illud est prolatum: sicut cum dicitur, probibuit eum à non faciendo inconvenientia, sensus non est, quod ad inconvenientia facta ipsum hortatus fuerit. Item, quando dicitur: Avertit eum à non lacessendo amicos, non* (*Affirmativè*) *à lacessendo amicos, sed contrà. Et iterum quando dicitur, probibuit à non furando, non est sensus, quod permiserit furtum. Et, probibuit abstinere à nefandis factis, pro abduxit à tali actione. Sic etiam: probibuit abstinere à cibis, pro, probibuit à cibo.* 4. Isidorus suam, quam protulit de voce ἀπέχεσθαι (uti & de qui-

quibusdam aliis, in hac & sequenti epistola) conjecturam non tuetur mordicus, sed insignem præ se fert modestiam, cum pari pietate conjunctam, quando in fine epist. 112. ita loquitur: τοῖς ἐντευξομένοις παραινῶ, ἄνευ φιλονεικίας συνιδεῖν. καὶ εἰ μὲν ὀρθῶς εἴρηται, τῷ θεῷ χάριν εἰδέναι, εἰ δὲ μὴ, τῷ γεγραφότι συγγνώμην νεῖμαι, τῷ μὴ ἀποφηνομένῳ, ἀλλὰ τοῖς ἐντευξομένοις ἐπιτρέψαντι τὴν ψῆφον, h. e. interprete Cl. Rittershusio: *Lectores obtestor, ut ad ista, quæ attuli, remoto contentionis & contradicendi studio attendant: & si quidem rectè dicta sunt, DEO gratiam habeant: sin minus, scriptori veniam tribuant, qui nihil præfractè definivit, sed lecturis calculi & judicii libertatem permisit.* Hæc Isidori vox, mea quoque, in omnibus quæ hoc in libello dicuntur, sincerè esto.

### *XIX.* 1 *Joh.* 4. *v.* 3.

UBi vulgata habet: *Omnis Spiritus, qui solvit JESUM, ex DEO non est, & hic est Antichristus*, & ita legit antiquissimus Irenæus lib. 3. cap. 18. jam adversarii legunt ex suo Græco corrupto: *Omnis Spiritus, qui non confitetur JESUM CHRISTUM in carne venisse, non est ex DEO.* Quæ est depravatio Nestorianorum, qui solvebant Christum, ut testatur Socrates, lib. 7. hist. Eccl. cap. 32. Ita Huntlæus cap. 12. §. 5. ex Anglo-Rhemens.

Resp. 1. Beza, qui in diversitatibus notandis accuratus est & nimiopere cautus, de lectione nostrorum codicum Græcorum ita annotat: *Sic legi in omnibus Græcis exemplaribus, quæ quidem mihi inspicere licuit: & apud Syrum Interpretem.* Proferant Jesuitæ, si possunt, vel unum Græcum codicem, qui Vulgatæ Latinæ (quam tamen quoad sensum non planè rejicimus) sit ὁμόψηφος. 2. Sic etiam citat hunc locum *Cyprianus* adversus Judæos cap. 7. *Omnis Spiritus* (inquit) *qui negat Jesum Christum in carne venisse, de DEO non est, sed de Antichristi Spiritu.* Vixit Cyprianus circa annum Christi 250. annis centum septuaginta ante Nestorii vel auditum nomen: Ergò pro depravatione Nestorianorum illa lectio haberi (uti Huntlæus existimat) non potest. 3. Nititur etiam lectio ista more hujus Apostoli, cui familiare est, eandem sententiam ex collatione contrariorum amplificare. Vide paulò infra tract. 4. sect. 3. observ. 2. Agnoscit id Cajetanus, qui in comm. h. l. ita scribit: *Omnis qui solvit, id est, qui non confitetur, sicut in priori versu confessio Christi attestatur Spiritui divino, ita non confessio Spiritui non divino. Et Græca lectio magis convenit phrasi Johannis, cui peculiare est contrariam sententiam succinere priori, quod genus fuit illa: Qui habet filium, habet vitam, qui non habet filium, non habet vitam. Rursus: Qui confitetur, ex DEO est, qui non confitetur, ex DEO non est.* 4. Superest, ut duplici, quæ adducitur, auctoritati respondeamus. Et *Socratem* quidem, quem pro se adducit Jesuita, satis Cypriani refellit auctoritas, qui longè ante exortam Nestorianorum hæresin lectionem nostram Græcam comprobat. *Irenæum* quod attinet, Græcè is nobiscum non habetur. Interpres autem Latinè scribens Latinam secutus fuit versionem. Et posito, Græcè etiam sic Irenæum legisse, nihil certè infertur hinc aliud, quam fuisse tunc exemplarium diversitatem, quæ nec corruptelam infert, nec veritati noxam adfert. Quod si verum fatendum, & Græca lectio probanda est, nec est Latina ratione sensus improbanda, cùm mutuas sibi ἐν ἐξηγήσει tradant operas.

### *XX.* 1 *Johan.* 5. *v.* 13.

UBi vulgata Latina à Græcis nostris codicibus dissentit, hos ipsos redundantiæ insimulat Bellarminus l. 2. c. 14. sub fin. Nam cum dictum sit (inquit) *Hæc scribo vobis, qui creditis in nomine Filii DEI:* quorsum adjicitur: *ut credatis in nomine Filii DEI?* Quid enim erat opus monere, ut facerent, quod jam fecerant? Sic ille.

Resp. 1. Diversa hîc ab eruditis notatur in Græcis codicibus lectio, quarum alterutram cum Interpres Latinus fuerit secutus, excusatus hîc sanè is esto, modò & nostræ lectioni sua concedatur integritas, & incorrupta veritas. 2. Injustò quippe lectionem illam Bellarminus de inconvenienti accusat sensu. Sicut enim Apocal. 22: 11. dicitur: δίκαιος, δικαιωθήτω ἔτι, *qui justus est, justificetur adhuc* (qui fide justitiam veram coram DEO consecutus est, fide ea ut quotidiè crescat, solicite det operam:) ita Johannes d. l. ait, se scripsisse Epistolam suam *credentibus, ut illi credant*, hoc est, fidem & gratiam DEI non excutiant, sed solicitè per Spiritum sanctum in ea pergant. Hûc quidam referunt istud Rom. 1: 17. *de fide in fidem*, de fide minore in majorem. B. Chemnitius ex diverso scriptionis Apostolicæ fine, non minùs conformiter, explicationem loci Apostolici 1 Johan. 5. vers. 13. petit. Ostendit (inquit) Johannes, se

scripsisse & propter illos, qui *jam credebant*, ut in fide confirmati scirent se habere vitam æternam: & propter illos, qui *adhuc credituri erant*, ut crederent in nomen Filii DEI.

*a Alia Scripturæ N. T. loca expensa.*

ATque hæc sunt Scripturæ N. T. loca, quæ accuratiore (quantum pro ingenioli modulo, proque viribus à DEO clementissimè concessis fieri potuit) indagine judicavi digna. Sunt quidem hinc inde alii, qui fontem Græcum quandoque turbidè fluere asserunt, quorum in classe excellit *Theodorus Beza*: Ejus enim ut accuratissimas in annotatis & interpretatione N. T. operas maximoperè (ut dignæ certè sunt) eruditi commendant: ita sine solida & sufficienti fieri ratione arbitror, quod multa Scripturæ N. T. Græcæ loca multasque dictiones in suspicionem mendorum & corruptelarum illatarum vocare non veretur: quo nomine etiam haud injuste à Jesuita Huntlæo contr. 1. c. 13. cum suo Calvino vapulat. Enumerabo coronidis vice *partim* ipsius, *partim* etiam aliorum de corruptelis quorundam locorum conjecturas, quæ cum sint leviculæ, non multa refutatione, sed brevius & quasi parentheticis ornata producam notis.

Matth. 8: 30. deesse particulam οὐ *non*, & pro μακρὰν *longe*, legendum οὐ μακρὰν *non longè*, putant Beza, Piscator, Huntlæus: cum vulgata Latina ita legat; cumque Luc. 8: 32. *sues* dicantur fuisse ἐκεῖ, *ibi*. Quasi verò συγκριτικῶς utrumque non possit esse verum. *Non procul fuerunt*, habito respectu ad spacium nimis remotum: μακρὰν verò seu *procul*, ad spacium nimis propinquum. Ambulavit Christus in Regia *via*, uti ex Matth. 8: 28. constat: à qua aliquantum abfuisse, (licet in conspectu adhuc fuerint,) *gregem suum*, ex Marc. 5: 11. constat, ubi dicitur, quod paverit se πρὸς τὰ ὄρη *ad montem*, nempè finitimum. Mirum verò, per tot seculorum decursus sphalma hoc textus Græci, quod somniat Beza, non fuisse à quoquam deprehensum, (ait enim *Latinæ versioni repugnare fidem omnium Græcorum exemplarium*) usque dum is sues Gadarenos propiùs adiret, & accuratiùs contemplaretur.

Matth. 9: 13. verba postrema, εἰς μετάνοιαν, *in pœnitentiam*, in Græco esse superflua, suspicatur Bellarminus lib. 2. de V. D. cap. 14. Cur? *quia in plerisque Latinis codicibus particula illa non habetur*. Quæ ratio, modò nominetur, futilitate suapte concidit.

Matth. 10: 2. de voce πρῶτος (quæ Simonis Petri nomini additur) Beza ita loquitur: *Quid si hoc vocabulum ab aliquo additum est, qui Petri primatum vellet stabilire? nihil enim sequitur, quod cohæreat.* Idem tamen se quasi refutans subjungit: *Reperimus tamen ita scriptum in omnibus exemplaribus, & Theophylacto Romano, qui diserte admonet, primos idcircò recenseri Petrum & Andream, quòd essent πρωτόκλητοι.* Qui idem etiam Beza in Marc. 3: 16. affirmat, *illa verba* (πρῶτον Σίμωνα) *quæ in pluribus Græcis codicibus non extant, addenda esse ad textum*, & reprehendit Erasmum, quod hanc lectionem non admittat: ubi etiam addit: *Ego verò non dubito, quin hæc sit germana lectio.* Neque tamen est, ut Gordonus Jesuita exclamet, *hæc verba apertè probare primatum S. Petri*. Cui Theophylacti opponimus observationem, quæ paulò ante adducta: itemque hoc, quod Gal. 2: 9. *Jacobus Petro* præponitur, ne scil. primatum potestatis supra reliquos, ut *inferiores* (ordinis enim, inter potestate *pares*, primatum concedimus) in sancto Apostolorum collegio somniare quis præsumat.

Matth. 10: 10. μηδὲ ῥάβδον *neque baculum*. Osiander lib. 2. harm. cap. 19. ait, corruptam esse vocem μηδὲ. & olim scriptum fuisse εἰ μὴ *nisi*, uti legitur Marc. 6: 8. Sed quid hac conjecturâ (quæ fundamento certo destituitur) opus est, cùm alia conciliationis inter duo illa loca (in quorum *priore* baculi gestatio prohiberi; *posteriori* concedi videtur) ratio abundè suppetat? Prohibuit nimirùm Dominus Apostolis ejusmodi baculos, quibus armorum vice uterentur, & vel vim inferrent aliis, vel illatam aliunde propulsarent: Concessit autem illis baculos sive virgas leviores, quibus in eundo gressum firmarent. Flacius: *Quando vetat Apostolis baculos gestare, indicat, eos debere expeditos, sine armis sine commeatu ire, fidentes DEO, quod ipse sit eos aliturus: Quando verò jubet accipere baculum ac peram, futuras difficultates hac voce denotat.* Confer Rhetor. sacr. tract. 1. cap. 4. num. 6. circa finem.

Matth. 16: 20. *Tum dixit discipulis suis, ne cui dicerent, quod ipse esset JESUS CHRISTUS.* Hic vocem *JESUS* Græco textui additam olim à librario quopiam sciolo fuisse, *Brugensis* suspicatur, & abundare videtur Bezæ cum Erasmo: certè sine ulla ratione. Unde ipse Brugens. fatetur, *esse hanc lectionem Latinorum codicum plerorumque, & quidem optimorum quorumque, quibus & Græca pleraque exemplaria suffragentur, & D. Hieronymi commentarius.*

Matth. 20: 7. καὶ ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον, λήψεσθε, *& quod fuerit justum accipietis.* Hæc verba in Græcis Syricisque exemplaribus superfluere, existimat *Brugensis*, quia scil. Latinis desunt. Bella scil. ratio! *In omnibus vetustis exemplaribus legi*, annotat Beza, & nituntur textu parallelo vers. 4.

Matth. 27: 10. ἔδωκαν, *dederunt*, errore fortassis

tassis librariorum mutatum esse ex ἔδωκα, *dedi*, Beza ait, & qui ipsum sequitur, Piscator. Cùm tamen pluralis etiam numerus, (qui in Arabica quoque versione extat) verbis Prophetæ, quæ ibi citantur, satis sit congruus, uti docet Dn. D. Gerhard. harm. de passion. cap. 8. p. 367. Syrus (qui vetusta exemplaria Græca procul dubio hic fuit secutus) legit, ἔδωκα, *dedi*. Igitur pro diversa lectione hoc haberi posset, cùm neutra à veritate abeat.

Matth. 27: 53. *Et egressi ex monumentis* μετὰ τὴν ἔγερσιν ἀυτοῦ, *post resurrectionem ejus* (Christi) &c. Glycas historicus ἀυτῶν emendat pro ἀυτοῦ, citante Casaubono exerc. 1. ad annal. Baronii cap. 28. ut resurrectio non Christi, sed ipsorum sanctorum intelligatur. Et ita etiam Arabs Interpres legit: cujus defensionem suscipit D. Kirstenius in notis ad h. l. Omninò autem receptam lectionem retinendam esse, & temporis eam esse notationem, assertum vide in harm. passionis Jesu Christi, à D. Gerhardo adornata cap. 18. p. 853.

Marc. 2: 26. de voce *Abjathar* (quæ videtur repugnare historiæ 1 Sam. 21: 1. ubi Pontifex iste vocatur *Achimelech*, *Pater* τοῦ *Abjathar*) ita Beza: *Mirum est, totam hanc particulam in illo meo vetustissimo codice non legi, ut ex albo, ubi malè fuerit hoc annotatum, videri possit in contextum irrepsisse & quidem jam olim, cùm multos ex veteribus hic locus torserit, & Syrus etiam Interpretes hæc legat.* Cæterum videtur hic Beza non de solo nomine Abjathar, sed de integro versu 26. loqui. Cujus unico exemplari consensum reliquorum omnium, ceu confertam nubem opponimus. De repugnantia autem inter hunc & V. Test. locum metus est frustraneus. Nam, ut ibidem Beza rectè habet: Ex 1 Par. 24: 2, 3. (uti & 2 Sam. 15: 35. 1 Par. 15: 11.) apparet, duos fuisse Pontifices, qui vicissim fungerentur Sacerdotio, quamvis unus præcipuus esset, alter verò ab eo secundus, ut liquet ex 2 Reg. 25: 18. Præterea & patrem & Filium binomines fuisse, & utrumque modò Achimelech, modò Abjathar dici, clarissimè patet ex 1 Paral. 24: 3. Item 2 Sam. 8: 17. 1 Paral. 18: 16. cap. 24: 6. &c.

Marc. 15: 25. crucifixionis Christi tempus dicitur fuisse ὥρα τρίτη, *hora tertia*. Joh. 19: 14. *hora fermè sexta* determinatur. Hieronymus igitur in Psal. 77. (quem Cajetanus sequitur) *priori* loco scriptorem pro *hora sexta* posuisse *tertiam*: Theophylactus è contra *posteriori* loco pro *hora tertia* posuisse *sextam*, existimant. *Ibi* deceptum scriptorem fuisse similitudine numeralium characterum in Græcis codicibus, & scripsisse Γ pro ϛ: *hic* verò scripsisse ϛ pro Γ. Verum non notis numeralibus, sed integris dictionibus in utroque SS. Scripturæ Testamento numeri exprimuntur: igitur ista de corruptela suspicio facilè expirat. Quomodo autem loci isti duo conciliari debeant & possint, accuratè exponit Harmonia D. Gerhardi de passione Christi, cap. 11. p. 459. seqq.

Luc. 2: 14. Pro ἐυδοκία legendum esse ἐυδοκίας in Genitivo, post longam dissertationem Beza autumat; ut ἄνθρωποι ἐυδοκίας sint *homines complacentiæ*, h. e. per Hebraismum, homines dilecti vel complaciti. At ita sine ratione pro *tribus* hymni Angelici membris, *duo* supponuntur. Posito autem, antiquissimum Bezæ codicem ἐυδοκίας legere, cui Origenes & Chrysostomus sua lectione astipulantur, tum pro diversa lectione hæc discrepantia habenda, cùm utraque sine veritatis jactura retineri possit.

Luc. 3: 24. & seqq. auctoritate codicis sui antiqui fretus Beza, *fieri potuisse*, ait, *ut ipsis Euangelistarum temporibus Judæi genealogiam istam depravârint, quasi fidem cæteris de Christo narrationibus abrogaturi: quæ fraus à plerisque non animadversa, facilè obtinuerit.* Conjecturam probat ex eo, quod in codice eo, cui multum omninò tribuit, *hæc genealogia, sicut apud Matthæum descendendo, sic hoc loco ascendendo, iis tantum adjectis, quos Matthæus tessaradecadibus constituendis prætererat, ad Salamonem, non ad Nathanem; cæteris sursum ad Adamum usque invariatis, deducatur, hac videlicet serie:* ὑιὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἰακὼβ, τοῦ Ματθὰν, τοῦ Ἐλεάζαρ, τοῦ Ἐλιοὺδ, τοῦ Ἀχεὶμ, τοῦ Σαδὼκ, τοῦ Ἐλιακεὶμ, τοῦ Ἀβιοὺδ, τοῦ Ζοροβάβελ, τοῦ Σαλαθιὴλ, τοῦ Ἰεχονίου, τοῦ Ἰωακεὶμ, τοῦ Ἐλιακεὶμ, τοῦ Ἰωσίας, τοῦ Ἀμὼς, τοῦ Μανασσῆ, τοῦ Ἐζεκία, τοῦ Ἀχὰζ, τοῦ Ἰωαθὰμ, τοῦ Ὀζεία, τοῦ Ἀμασία, τοῦ Ἰωὰς, τοῦ Ὀχοζίου, τοῦ Ἰωράμ, τοῦ Ἰωσαφάτ, τοῦ Ἀσά, τοῦ Ἀβιά, τοῦ Ῥοβοάμ, τοῦ Σολομὼν. At verò ipsis Euangelistarum temporibus, iisque non animadvertentibus, nec, qui reliquis Apostolis omnibus vitâ superior fuit, ipso Johanne, aliisque ex cana antiquitate Patribus, factam fuisse à Judæis talem tantamque depravationem, quæ omnes omninò codices (solo illo excepto, ac remanente integro, qui in Bezæ tandem pervenit manus) subitò occupaverit, non dicam, improbabile, sed ferè impossibile videtur esse.

Luc. 4: 9. quando Diabolus Christum affatur ita: *εἰ ὁ ὑιὸς εἶ τοῦ Θεοῦ* &c. Bezæ articulus ὁ suspectus est. At sine ulla ratione: nodus in scirpo hic quæritur.

Luc. 22: 20. Verba, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον (quæ suæ heterodoxiæ Sacramentariæ mi-

nùs favere vidit, quibus etiam & *manifestum Solœcophanes* tribuit, quin & *excusari Solœcismum posse* tandem ait) Beza in dubium vocat: *Cùm enim essent* (inquit) *ad marginem annotata ex Matthæo & Marco, postea in contextum irrepserunt, quod eò quidem faciliùs est admissum, quod cùm in superiore versiculo adscriptum esset, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, hoc est, quod pro vobis datur, simile quippiam visum fuit adjiciendum, ubi agitur de sanguine.* Quin alibi etiam contra *Claudium Santesium* totum versum 20. in dubium vocare eum, asserit *Huntlæus* Jesuita cap. 12. §. 6. Quæ omnia annotâsse sufficit: refutatione enim, cùm res aperta sit, & exemplaria omnia conformia, indigna sunt.

Johan. 18: 1. *πέραν τȣ̃ χειμάῤῥȣ τῶν κέδρων.* Articulum *τῶν* errore irrepsisse, & mutatum esse ex singulari *τοῦ*, Calvinus & Beza arbitrantur. Maldonatus: *Manifestus hic*, ait, *in libris omnibus Græcis error est.* Resp. *Articulus additus indicat* (ait Erasmus) *Cedron non esse nomen Hebraicum, sed cedrorum. Opinor torrentem ita dictum, quod hinc cedros haberet, quemadmodum dictus est mons olivarum.* Nonnus etiam hanc lectionem amplectitur, addito epitheto *ἐυτρέμυνον*. Sed cùm de appellatione vallis & torrentis קִדְרוֹן *Kidron*, (quæ non à cedris, sed à nigredine & obscuritate sic dicebantur) res aperta sit, igitur pumicem hunc criticum articulo isti nequaquam denegamus. Interim tamen fieri potuit, ut consultò *τῶν* fuerit positum, habito respectu non ad significationem; sed pluralis terminationem, sicuti eadem vox à LXX. Interpretibus 1 Reg. 15. vers. 13. scribitur. Confer D. Gerhard. harm. passion. cap. 1. p. 15.

Johan. 21. vers. 16. pro *πρόβατα*, *oves*, olim fuisse, *προβάτια*, *oviculas seu agnos*, & jam in Græco corruptum esse textum, probat Bellarminus lib. 1. de P. R. cap. 16. Sed his minutiis quid vulgatam versionem suffulcire juvat? Sint oves, sint oviculæ, perinde est. Textui suus constat utrobique sensus: Constet & Græco fonti sua, cùm contrarium probari nequeat, intemerata puritas.

Actor. 7. vers. 43. vocem Ῥεμφὰν mendosè scriptam esse, pro Ῥέμμαν, quod fuit *idolum Syrorum*, 2 Reg. 5. vers. 18. Beza arbitratur. Alii pro *Chevan* positam esse ajunt. Verùm quodcunque idolum intelligatur, notum est, propria nomina peregrina apud Græcos variâ transmutatione scribi & efferri. Ex illo autem depravatio inferri nequit. De loco hoc vide Christ. Agricol. Rhoetum in propugn. Antipistor. & ex eo Alsted. lib. 2. præcogn. Theolog. pag. 223. Videatur etiam Janus Drusius in præteritis N. T. lib. 5. pag. 171. Et demum Grammatica nostra sacra, lib. 4. tract. 3. observ. 17.

Actor. 9. vers. 7. quando Græca habent: *Viri autem illi, qui cum Saulo iter faciebant, constiterant muti, ἀκȣ́οντες μὲν τῆς Φωνῆς, μηδένα δὲ θεωροῦντες, audientes quidem vocem, neminem autem videntes:* Laurent. Valla depravatum hunc locum suspicatur, & legendum esse potius: *θεωροῦντες μὲν τὸ Φῶς, μεδένα δὲ ἀκούοντες, videntes quidem lumen, neminem verò audientes*: ut ita cum cap. 22. vers. 9. ipsi conveniat. Sed & hæc suspicio frustrà est, & vanum somnium. Conciliatio locorum commoda non deest. cap. 9. vers. 7. vox intelligitur *Sauli* (vers. 5, 6.) quam attoniti comites audierunt: cap. 22. vers. 9. vox *Christi*, quam non audierunt (attinebat enim hæc visio solum Saulum) unde emphaticè ibi additur, *τὴν δὲ Φωνὴν οὐκ ἤκουσαν τȣ̃ λαλοῦντός μοι.* Sic cap. 9. v. 7. *neminem viderunt*, nempe propter summum fulgorem, quo oculi ipsorum perculsi: cap. 22. v. 9. *lumen ipsum viderunt*, quod eos circumfulsit. Nulla igitur utrobique contrarietas.

1 Cor. 15. vers. 5. ubi *duodecim Apostolorum* fit mentio, quibus Christus apparuerit, cum tamen *undecim* tantùm fuerint, uti vulgata legit, Beza per erratum scribi *τοῖς δώδεκα* pro *τοῖς δέκα, decem*, arbitratur, ut ita designetur apparitio illa, quæ narratur Joh. 20. vers. 19, 24. cum à collegis suis Thomas abesset. At quo indicio hæc conjectura probatur? planè nullo. Quidni potius integro servato textu Græco, respondetur simplicissimè, respectum haberi ad ordinationem DEI, qui Apostolos duodecim esse voluit, ac proinde hanc dodecada postmodum redintegravit.

Hebr. 11. vers. 37. quando de piis martyribus dicitur, *ἐπειράσθησαν, tentati sunt*, Beza de hac voce ita: *Non possum aliter statuere*, (inquit) *quam ex margine irrepsisse in contextum, ubi quispiam pro ἐπρίσθησαν perperam annotârit ἐπειράσθησαν. Quorsum enim istud de tentatione, post acerbissimarum pœnarum capitalium commemorationem, quas etiam postea subjicit? Sed & istud non habet Syrus Interpres. Quod si quis est conjecturæ locus, legendum putarem ἐπυρώθησαν, ustulati sunt.* Hæc ille. Piscat. *ἐπυράσθησαν*, substituit, id est, *cremati sunt.* At si *ἐπυρώθησαν*, pro altero illo legendum, certè non irrepsit in contextum ex margine, ut vult Beza. Et quod utrique conjecturæ, undéve conciliatur pondus? 1. *Syrus*

*In-*

*Interpres* (inquit) *istud non habet.* At is tam densæ & confertæ codicum Græcorum nubi præjudicare nihil potest. 2. *Tautologiam sapere videtur, cum paulò ante præcesserit, ἐμπαιγμῶν καὶ μαςίγων πεῖραν ἔλαβον. Henr. Steph.* At verè nihil hic tautologicum. Nam in versu præced. πεῖρα accipiunt de *ludibriorum & flagellorum experimento & sensu*: versu verò 37. πειράζεσθαι *de usu illorum tormentorum*, nempè *fidei, patientiæ & fortitudinis Spiritus exploratione*, uti πειρασμός accipitur Galat. 4. v. 14. 1 Petr. 4: 12. Jac. 1: 2, 12. Adde, quòd de *tentatione* etiam *Diabolicâ*, & interioribus gravibusque afflictionibus, & ut Scriptura loquitur, *ignitis Maligni telis*, quibus pii illi Martyres æquè, ac externis cruciamentis expositi fuère, intelligi commodè possit. Certè ita vox ea accipitur 1 Thessal. 3: 5. 1 Cor. 7: 5. Unde Satanas ab opere quasi sibi proprio ὁ πειράζων appellatur Matt. 4: 3. 1 Thess. 3: 5. Et afflictio ejus πειρασμὸς Matth. 6: 13. Luc. 11: 4. c. 22: 46. 1 Tim. 6: 9. &c.

*Tantùm etiam de Puritate & Integritate Græci Novi Testamenti Codicis.*



# TRACTATUS III.

# DE RELIQUIS LITERATURÆ SANCTÆ κριτηρίοις, VIRTUTIBUS SEU QUALITATIBUS IN GENERE.

a Ordo & distinctio totius libri hujus primi.



E stylo & literatura Scripturæ sacræ θεοπνεύστου dupliciter agi potest: 1. *Absolutè* & generaliter, ratione totius Scripturarum sacrarum voluminis. 2. *Limitatè* ac specialiùs, respectu certarum Scripturæ partium & librorum. In *Priori* consideranda venit Literaturæ sanctæ tùm *puritas & integritas*, partim quidem *Hebrea* in Veteri, partim verò *Græca* in Novo Testamento: Tùm *distincta qualitas*, nempe ejus 1. certitudo & claritas, 2. simplicitas, 3. efficacia, 4. evidentia, 5. plenitudo, 6. brevitas, 7. cohærentia, 8. verecundia & castitas, 9. proprietas. In *posteriori* ratio styli, 1. *Prophetici*, 2. *Novi Testamenti* generaliùs, 3. specialiùs *Johannei*, & 4. *Paulini*, præ aliis perpendenda obvenit. Cùm igitur divini Spiritus auspicio utriusque & V. & N. T. PURITATEM & INTEGRITATEM distinctis tractatibus huc usque consideraverim, & ab illis, quæ obstare videbantur, vindicârim: consequens est, ut ad cætera, quæ huc spectant, recto pede progrediar, & pari ea sedulitate pertexam. Et *hoc* tractatu quidem de *distinctis styli sancti qualitatibus*: *sequenti* vero de speciali & limitata ejusdem consideratione, בגוה agendum restat. Cumque hanc orbitam in plerisque diligenter jam antè triverit, & glaciem quasi fregerit *Matth. Flacius Illyricus*, Scripturæ explanator dexterrimus, in Clavis suæ parte altera, tract. 5. igitur vestigia ejusdem curiosè premam, quæque ex usu maximè fore videbuntur, excerpta in justum redigam ordinem, additis subinde, quæ diligenti observatione Φιλογλώττων digna sunt.

## SECTIO. I.

### *De styli & literaturæ sacræ certitudine & claritate.*

INter rationes, quibus Bellarminus Scripturæ sacræ obscuritatem probatam dare vult, occurrit etiam illa, quam *à styli seu modi dicendi, in Scripturis usitati, ambiguitate* desumit. Ita enim lib. 3. de V. D. c. 1. loquitur: *Si verò modum dicendi consideremus, inveniemus innumerabiles rationes difficultatis. Primo sunt in Scripturis plurima, quæ prima fronte videntur contraria &c. Secundò sunt verba & orationes ambiguæ, ut Joh. 8. petentibus Judæis, Tu quis es? Respondit Christus: Principio qui & loquor vobis. Mirè enim torquent hîc se omnes Interpretes, nec adhuc scitur, quid illud sit, principium qui: & in Græco adhuc res est obscurior, ubi principium est accusativi casus, τὴν ἀρχὴν.* Gordon, Huntl. Jesuita eodem ferè progreditur modo, & contr. 1. c. 7. specialiùs probare instituit, *Textum Hebræum esse valdè ambiguum*. Non verò Scripturæ modò *obscuritatem*, sed ejus etiam *imperfectionem* exinde elicere satagit. Ita enim loquitur: *Sancta hæc lingua ita divinitùs constituta est, ut vel sola ejus natura evidenter convincat, verbum scriptum minimè sufficere ad certam fidem è Scripturis eliciendam; sed* pra-

*preterea necessariam planè esse traditionem, & doctrinam non scriptam. Adeò enim est ambigua lingua ista, ut nulla sit ferè sententia, quæ non possit in diversos, imò etiam contrarios sensus verti, nisi adsit traditio & doctrina vivæ vocis, quæ ostendat verum & certum sensum.* Hæc ille. Verùm si Scripturas sacrosanctas ita accusâsse sufficiat, quis textus erit innocens, & ab ambiguitate immunis? Videbimus ergò, an vis quædam tanto insit Jesuitæ ἐγκλήματι. Ut commoda ratione fieri id possit, *tria* constituemus hîc membra, ut 1. sit τῦ κρινομένυ θέσις, seu *status controversiæ constitutio.* 2. τῆς θέσεως κατασκευὴ, *sententiæ nostræ probatio.* 3. τῦ ἀντιθεμένυ λύσις, *objectorum Jesuiticorum solutio.*

## *MEMBRUM I.*

UT nostra de certitudine atque claritate (quorum unum cum altero necessariò cohæret) styli, à Spiritu sancto in Scripturis usurpati, sententia fiat dilucidior, sequentia velimus observari. 1. *Distinguendum* inter voces singulas, in se ac per se consideratas, & inter easdem connexas, & certâ periodo digestas. Demus, voces, præsertim Hebraicas, separatim consideratas (præcipuè si absque punctis scribantur) varias habere significationes, & esse ambiguas: quid hoc ad easdem connexas, quid ad integram periodum & contextum? In hoc enim ex scopo, ex antecedentibus & consequentibus, ex circumstantiis, ex additis punctis, (quæ Gordonus in suo hoc discursu perperam negligit) & aliis adminiculis fit manifestum, reliquis significationibus remotis, unâ certâ aliquâ standum esse. Capiatur hujus rei exemplum ex literatura Romana. Vox *Vulpes* solitariè considerata & *animal terrestre*, & *hominem astutum* significat, & ista est ὁμώνυμος atque ambigua. At in propositione, *Herodes est vulpes*, Luc. 13: 32. perspicuum est, remota altera significatione, quâ animal terrestre & quadrupes notat, manere tantum alteram istam, metaphoricam, ubi ambiguitas omnis est sublata. Par vocum Hebraicarum in Vet. & Græcarum in Nov. Test. à Spiritu sancto usurpatarum, est ratio. 2. *Distinguendum* inter necessaria fidei dogmata, quos *articulos fidei* vocare solemus, & inter historicas aliasve Scripturæ sacræ pericopas. *Articuli fidei*, in propriis suis sedibus, non obscuris, nec ambiguis sed perspicuis, propriis, & ab omni ambiguitate alienis verbis in Scriptura proponuntur, quos etiam quivis sedulus Scripturæ lector intelligere, & ex iis ad salutem æternam doceri ac informari sufficienter potest. Interim tamen quasdam in aliis locis, ex verbis & phrasibus oboriri difficultates, non negamus, quibus tamen ratione mox proferenda medela adhiberi potest. Igitur 3. *distinguendum* inter Scripturæ sacræ literaturam *solitariè*, & inter eandem *cum legitimis Scripturarum interpretationis mediis* consideratam. Obscura & ambigua primâ fronte quædam in Scripturis haberi, non inficiamur, si nimirum solitarié & seorsim textus inspiciatur: at si debito modo consideretur, si legitima interpretationis media adhibeantur, si præter fontium intuitionem, & idiotismorum cognitionem, ordo & connexio, & circumstantiæ, attendantur, si alii loci paralleli conferantur &c. tùm demùm obscuritati & ambiguitati præsentissimum paratum est remedium. Videri quidem possit hoc ipsum velle Huntlæus, quando inquit, *textum Hebraicum esse ambiguum, nisi adsit traditio & doctrina vivæ vocis, quæ ostendat verum & certum sensum.* Sed latet anguis in herba: per vivæ enim vocis doctrinam non intelligit sanam, à viris θεοδιδάκτοις, adminiculo vivæ vocis, ex ipsa Scriptura factam interpretationem, sed, ut in præcedentibus loquitur, *doctrinam non scriptam*, hoc est, totam errorum Pontificiorum, quas traditiones & verbum DEI non scriptum appellare solent, sentinam. 4. *Distinguendum* inter literaturam Scripturæ sacrosanctæ, respectu DEI, & respectu hominum, consideratam. Voces & orationes, si quæ videntur ambiguæ atque obscuræ, tales sunt, non ratione DEI, qui illas dictavit, nec respectu ipsius Scripturæ, quæ est vox DEI; sed *respectu hominum*, qui sensum Scripturæ & loquelam DEI non semper assequuntur, quod tamen non culpa ipsius Scripturæ fit, sed culpa hominis naturâ cœci, studio pigri, hoc est, qui nec illuminationem Spiritus sancti debito modo petit, nec Scripturas debito studio legit ac meditatur. 5. Demum addimus, licet in quibusdam, iisque paucis Scripturæ locis certus verborum sensus apodicticè monstrari, & dicto modo erui non possit, sufficere tamen, si unam interpretationem alteri non refragari, sed plures illas analogiæ fidei congruas, textuique conformes esse, ostendatur. Neque tamen hinc consequitur, *plures ejusdem loci Biblici dari sensus.* Nam unus quidem proprius & immediatus verborum Scripturæ sensus est, (ut alibi σὺν Θεῷ probatum dabimus) interim à nobis is ipse non semper erui potest: quo in negotio secundâ, uti dicitur, navigatione utendum, & duæ vel etiam plures interpretationes sibi invicem conformes conjungendæ sunt. Quo pulcherrima Augustini verba pertinent, lib. 3. de doctrina Chri-

a Observationes de styli Scripturæ S. certitudine.

Christiana, c. 27. *Quando ex eisdem Scripturæ verbis, non unum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiamsi latet, quid senserit ille, qui scripserit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati, ex aliis locis sanctarum scripturarum doceri potest; id tamen eo conante, qui divina scrutatur eloquia, ut ad voluntatem perveniatur auctoris, per quem Scripturam illam sanctus operatus est Spiritus: Sive hoc assequatur, sive aliam sententiam de illis verbis, quæ fidei rectæ non refragatur, exsculpat, testimonium habens à quocunque alio loco divinorum eloquiorum.* Hisce præmissis accedimus ad probationem nostræ sententiæ.

## *MEMBRUM. II.*

QUibus argumentis Scripturæ perspicuitatem *in genere*, iisdem certitudinem & claritatem literaturæ sive styli Scripturæ sacræ *in specie*, demonstratam dare possumus. Scripturæ enim claritas ex claritate verborum sive literaturæ (quæ est rerum ipsarum χαρακτὴρ καὶ ἀπεικόνισμα) dependet: claritas autem literaturæ sanctæ sine ejusdem certitudine, vel, ut ita loquar; ἀνομωνυμία (quod ab ambiguitate ea libera est ac immunis) consistere non potest. Hac vice argumenta deducimus:

1. *Ex disertis Scripturæ testimoniis*, perspicuitatem sui clarissimè attestantibus. Deut. 30. v. 11. *Præceptum, quod ego præcipio tibi hodiè* לא נפלאת Tharg. לָא כְּפְרִשָׁא *non separatum est à Te* (à scientia, intelligentia & cognitione tua, ut non possis illud percipere,) *& non* רחיקה *longinquum est.* (Hebræi obscura & ambigua, vel quæ aliàs non intelliguntur, vocant *longinqua*, quia captum excedunt: quæ verò probè intelliguntur, vocant propinqua.) Qui locus Rom. 10: 8. repetitur, & ad doctrinam Euangelii accommodatur. Psal. 19. 9. *Mandatum Domini* (h. e. verbum DEI, quod jam Scripturis expressum habemus) בָּרָה *purum vel sinctum, illuminans oculos.* At quæ obscura, quæ impura, quæ ambigua, quomodo ea illuminare, h. e. clarum rerum ad intelligendum propositarum cognitionem subministrare possent? Psal. 119. vers. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Prov. 6. vers. 20. Salomon hortatur ad studium verbi cœlestis, ratione ducta ab effecto, quia est peccatorum παραφυλακτικόν, vers. 22. neve quis de obscuritate conqueratur, addit v. 23. *Mandatum lucerna est, & lex lux.*

2. *Ex causa efficiente.* DEUS, Scripturæ auctor, perspicuè & sine ambiguitate in ea nobis loqui & potuit & voluit. E. de tali perspicuitate ac certitudine non est dubitandum. *Antecedentis* pars prior apud omnes in confesso est, quòd nempè hoc ipsum præstare DEUS potuerit: Est enim ipsa sapientia. Lactant. lib. 6. instit. c. 21. *Num DEUS & mentis & vocis & linguæ artifex disertè loqui non potest? Imò verò summa providentia carere fuco voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.* Pars posterior, quòd etiam voluerit eo sermonis genere ad nos uti, liquet ex eo, quia ob nostram ad salutem æternam informationem ea scribi voluit, Rom. 15. vers. 4. ac in Scripturis *vitam æternam* nos jubet *quærere* Joh. 5. vers. 39. Quod si alicubi in iis, quæ salutem ἀμέσως & fidei dogmata non concernunt, obscurius loquatur, *fastidium lectoris detergere, eumque exercere* (verbo Augustini) dicendus est.

3. *Ex evidenti dicto Apostolico*, 2 Pet. 1. v. 19. ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον, *habemus firmum seu firmiorem propheticum sermonem.* Quod si sermo propheticus (V. T. & Apostolicus N. T. qui cum illo exactissimè congruit Actor. 26. vers. 22.) ex mente ipsius Apostoli Petri, adeoque Spiritus sancti, βέβαιος *firmus* est, utique etiam ab ambiguitatibus erit liber, secus enim si foret, βέβαιος dici non posset: illud enim *firmum* demum in sermone & Scriptura est, quod est planum & perspicuum, & ex quo certa sine ambiguitate sententia colligi potest.

4. *Ex sufficienti inductione.* Si totum evolvamus Scripturæ codicem, nulla ejus pericope, nullus occurit textus, cujus non ex ipsis Scripturæ verbis (adhibita debita interpretationis viâ) clarus & sine ambiguitate possit erui sensus. Quæ in sacris traduntur literis, sunt vel *fidei dogmata*, ad salutem scitu necessaria; vel *præcepta moralia*; vel *historia*; vel *Prophetiæ*. At in omnibus sermonem Spiritus S. usurpat talem, qui ab ambiguitatibus est immunis. *Dogmata fidei* claris & perspicuis proponi in Scriptura verbis, negari nequit. De *præceptis moralibus* ita Gillius Jesuita lib. 1. comment. Theol. tract. 7. de loc. Theolog. c. 6. n. 5. *Ipsa Scriptura est adeò clara, ut expositione non egeat, qualia magna ex parte sunt præcepta moralia: nam quid difficultatis est in percipiendo sensu illius sententiæ, Deut. 6. Dominum DEUM tuum adorabis, & illi soli servies? Historiarum* stylus quin planus & apertus sit, non audent inficias ire ipsimet Pontificii, alias nihil de sacris historiis haberemus certi. *Prophetiarum* stylus planus non minus est; quod si alicubi difficultas occurrit, ea non sermonis vel loquendi generi, sed rebus ipsis est adscribenda; quas DEUS occultas esse voluit, donec constitu-

tum

tum πληρώσεως advenerit tempus. Sufficiant verò hæc de sententiæ nostræ probatione.

## *MEMBRUM. III.*

TExtum Hebraicum in V. T. (de quo solo agit) esse valdè ambiguum, Huntlæus tùm per *causas*, tum per *exemplum* declarat, controv. 1. vers. 7.

### *I. Causa ambiguitatis excussa.*

CAusas ambiguitatis profert octo, de quibus in genere monemus. 1. Cùm causas illas ὁμωνυμιῶν in Vet. Testam. tantùm stylo locum habere asserat; fateatur ergò sermonis genus, quo Spiritus S. in N. T. scriptis utitur, planum, perspicuum, & ab ambiguitatibus liberum esse, præsertim cum N. T. (dicente sæpiùs Luthero) sit *instar Solis, quæ V. T. ceu Lunam splendore suo illustrat*. 2. Pleræque inter enumeratas causæ ita sunt comparatæ, ut ad Græcum quoque & Latinum sermonem possint accommodari. Si igitur ad probandam sermonis ambiguitatem eæ sunt ἱκαναὶ & sufficientes, nihil vel in Scriptura Nov. Testam. vel in quibusvis Scriptoribus & Ecclesiasticis & profanis occurret, quod non sit ambiguum, & p.c. Ecclesiæ etiam sive Pontificis Rom. vox (quam ambiguitatum Scripturæ sacræ evolvendarum normam Pontificii constituunt) ambigua erit & obscura, ut nihil quicquam certi ex illa colligi possit. Quod si hoc diffitentur, fateantur etiam, causas illas à Jesuita enumeratas (de quibus postmodum in specie) ad probandam Vet. Testam. Scripturæ ambiguitatem non esse sufficientes. 3. Iis autem omnibus (quæ ambiguitatem quandam inducere posse videntur) remedium adhiberi potest ac debet per legetimæ interpretationis adminicula, ut in speciali examine fiet manifestum; ad id igitur recto pede nunc progrediamur.

1. *Prima causa est multiplex significatio omnium ferè vocum, tum verborum, tum nominum, tùm dictionum: nulla est enim radix, nulla dictio, nulla litera significans apud Hebræos, quæ non habeat diversas significationes &c.* Resp. Quæ in genere sunt monita, si speciatim ad singulas applicentur causas, facile patescet, quid sit statuendum. 1. Quod hìc de Hebræa lingua asserit Huntlæus, idem de Latina, & multo magis de Græca literatura verum est, ut sciunt omnes dictarum linguarum gnari. Affert Jesuita exempli loco unicam literam ו (quæ dictionem significativam vocibus præfixa refert) quam ait significare *Et, quia, vel, neque, super, quantò magis, in, ad, cum, nunquid, si, antequam, postquam, nunc, quando, sic, sed, quamvis, ut, ne fortè*. At eadem πολυσημία (alias voces quamplurimas ut jam prætervehamur) videre est in particula Græca ἀπὸ, quæ *à vel abs, ex, de, per, absque, post, præ, usque, &c.* significat. Eadem *tum* aliarum Græcarum, *tum* Latinarum vocum est ratio. Quod si verò dicta Præpositio ἀπὸ, & aliæ voces, in literatura Græca & Latina adhiberi sine ambiguitate possunt, (quam tollunt contextus & circumstantiæ) idem utique de Hebraico sermone verum. 2. Esto igitur, sint in vocibus Hebræis ambiguitates, verum tamen est, in vocibus separatis eas occurrere, non complexis, seu in contextu, ut ex membri 1. observat. 1. manifestum. Ibi enim ostendit contextus, circumstantiæ, & alia, reliquis significationibus remotis unâ aliqua standum esse. 3. Licet interdum duobus vel pluribus modis uno in loco vox exponi possit, sufficit tamen, nullam illarum expositionum fidei analogiæ textuive contrariari, ut d.l. observ. 5. assertum est.

2. *Secunda causa est, quòd plurima sint verba apud Hebræos, quæ in diversis conjugationibus habent contrarias omninò significationes. V. G.* תאב *in 1. conjug. Cal significat desiderare, appetere; in 2. Piel significat abominari, detestari.* שרש *in 1. significat radicare seu radicem ponere; in Piel, eradicare seu radicem evellere.* חטא *in 1. significat peccare: in Piel, expiare* seu *mundare à peccato.* Resp. Præter ea, quæ ex dictis hùc afferri possunt, monemus hoc unicum ex eo ipso, quod Jesuita affert, palam fieri, textum Hebraicum (præsentem scopum quod spectat) non esse ambiguum. Fatetur ille κατηγορικῶς, *verba allata seu radices, in diversis conjugationibus, diversas habere significationes*. Ex eo igitur nos concludimus, Si, E. G. verbum תאב usurpetur in Cal, tunc non *abominandi*, sed *desiderandi* significationem eo in loco obtinebit: In ea enim conjugatione hoc significatum juxta concessionem Jesuitæ habet. Contra si in Piel usurpatur, certus sum, non *desiderandi*, sed *abominandi* significatione præditum esse: quia in ea conjugatione id significat. Par de verbis שרש & חטא sit judicium. Dices: Incertum interim manet, an in Cal, an verò in Piel aliave conjugatione verbum usurpetur, ex quo nascitur ambiguitas, ut scil. dubitandum sit, quæ inter contrarias illas significationes sit amplexanda & retinenda. Resp. Qui non planè ἀναλφάβητος est in Hebraico sermone, conjugationes per sua signa διακριτικὰ distinguere satis

tis novit, ut longioribus haud sit opus conjecturis. Jesuita eò forsan respicit, quod propter absentiam & remotionem punctorum vocalium (quæ literaturæ Hebraicæ partem essentialem esse non concedit) illa conjugationum διάκρισις fieri non possit. At in eo principium petitur, cùm puncta vocalia & textui Hebræo Vet. Testam. essentialia, & literis ipsis coæva esse, firmis demonstrari argumentis possit.

3. *Tertia causa est, quia sunt non pauca verba, quæ in eadem conjugatione, eodemque modo scripta, habent contrarias omninò significationes, quæ proinde in multis locis discerni aut saltem certè dignosci nequeunt nisi solâ traditione. V. G.* ברך *significat benedicere & maledicere.* סכן *significat thesaurizare & depauperare.* (N. B. non in eadem conjugatione: *prior* significatio in Cal, in qua communiter prodesse notat: *posterior* in Piel, Esa. 40: 20. & in Niphal Eccles. 10. vers. 9. locum obtinet, frustrà igitur hîc est Gordonus.) Alia & verborum & nominum exempla ibidem à Jesuita adducuntur. Resp. 1. Idem apud Græcos & Latinos quandoque usu venit, quod apud Græcos ostendit vox εὐτραπελία, quæ quandoque virtutis nomen est, *festivitatem*, *urbanitatem*, *leporem* significans: quandoque verò vitii, *scurrilitatem*, *dicacitatem* notans, quo sensu Eph. 5. vers. 4. usurpatur. Sic ἅγιος *sanctitatem* significat, pro *scelere* tamen usurpari, seu etiam pro *sordibus*, auctor est Suidas, ut & ἀγὴς pro *scelerato & sordido*, & καθαγίζω quod *consecrare* aut *sanctificare* significat, pro *polluere* aliquando sumi, ex Sophocle docet Hesychius. Apud Latinos idem observare licet in voce *sacrum*, quæ interdum in bonam, interdum in malam usurpatur partem, modò *id quod DEO est dicatum & consecratum*, modò *rem execrandam & abominandam* significans, ut in illo Maronis: *Auri sacra fames*, & Horatii in epod. od. 7. *Sacer nepotibus cruor*. Hæc cum ita sint, meritò quæritur, an ambiguæ etiam sint illæ voces, quando in oratione aliqua usurpantur? Nequaquam, sed res ipsa & circumstantiæ ostendunt, alterâ significatione remotâ remanere alteram, ut locus Eph. 5. vers. 4. anteà adductus ostendit. 2. Par ratio illarum radicum Hebraicarum est, quando in V. T. usurpantur. In se si spectentur, diversas, imò contrarias habent significationes: at ipsa textus συνάφεια (non verò traditio Ecclesiæ, ut vult Jesuita, præter & extra Scripturam) ostendit, cui significationi sit inhærendum.

4. *Quarta causa est, quia vox eodem modo scripta potest descendere à diversis radicibus, quæ dissimiles habent significationes. V. G.* ישנו *potest descendere vel à radice* ישן *quod significat dormire, vel à radice* שנה *quod significat mutare vel commutare &c.* Resp. 1. Idem apud Latinos quandoque contingit. V. G. *Amare* potest & ab *amo*, vel ab *amarus* descendere: *leget*, & à *lego*, *legis*, *legere*; & à *lego*, *legas*, *legare* &c. quâ autem significatione standum sit, ex textu, in quo usurpatur, discendum. Æque hic, ישנו quâ significatione polleat, docet loci inspectio. 2. Quin ambiguitatem etiam tollit ratio Grammatica. Si enim ישנו sit à ישן, punctatio ejus talis est, יְשְׁנוּ *dormiunt*, Jer. 51. vers. 57. vel in futuro יִשְׁנוּ *dormient*, ubi ׳ radicalis litera in Zere, sub ׳ litera Ethan posito, implicitè quiescit. (Prov. 4. ℣. 16. scribitur quidem יִשְׁנוּ sed ibi Hirec non breve, sed longum est, ut accentus additus notat, in quo ׳ radicale quiescit, formâ huic verbo peculiari, dicitur enim & in 1. persona אִישַׁן Psal. 13. vers. 4. & d. l. verba sequentia ἐξηγητικὰ ostendunt, *dormiendi* significationem hîc retinendam esse:) Sin radicem agnoscat שָׁנָה *mutavit*, simpliciter scribitur שָׁנוּ *mutarunt*, quæ vox in Bibliis haud occurrit, nisi quod 1 Sam. 21. vers. 14. literis iisdem, at punctis mutatis, scribitur וַיְשַׁנּוֹ *& mutavit ipsum*, ubi tamen anologia Grammatica docet, esse futurum Piel, à radice שָׁנָה cum affixo.

5. *Quinta causa est maxima similitudo quarundam literarum, item distinctionum & punctorum, quæ proinde facillimè inter se commutantur, ex qua mutatione diversi omninò proveniunt sensus, ut de unico puncto hîc ostendemus.* שכר *quando habet punctum in dextra parte, significat inebriari seu ebrium esse: at verò* שכר *cum puncto in sinistra parte, significat mercari aut mercede conducere.* Resp. Dum Scripturæ Vet. Test. textum ambiguitatibus involvere satagit Jesuita, eundem inscius iis exolvit & liberat. Sequatur enim proprium ductum, & quando vox שכר cum dextro puncto occurrit, interpretetur per *inebriari*: si cum sinistro, per *mercede conducere*: & omnis ab istis locis aberit ambiguitas. Hypothesin quæ semper præsupponitur, puncta scilicet non esse essentialem & σύγχρονον Hebraici textus partem, ut falsam vanamque remotam esse cupimus.

6. *Sexta causa est, quod literæ etiam valdè dissimiles, & similiter puncta dissimilia inter se commutantur, ita ut una litera ponatur sæpè loco alterius dissimilis, & unum punctum alterius loco, quæ omnia multùm variant sensum.* Resp. Si addita fuissent, ut in prioribus, exempla, faciliùs de hoc posset fieri judicium. Uno verbo, si talis permutatio punctorum & literarum occurrit, dignotio etiam ex analogia Grammatica non est difficilis.

7. *Septima causa est, sæpè subaudiantur & omit-*

*mittuntur non tantùm literæ, sed integræ dictiones, quarum defectus mutat valde sensum.* Resp. Neque hic adnexa sunt exempla, ex quorum consideratione certitudo styli Biblici eò melius asseri potuisset. 1. Si Jesuita hoc vult, in verbis deficientibus ac quiescentibus sæpè quasdam omitti literas, quæ ad radicem ipsam pertinent, dicimus ineptum esse, ex hoc ambiguitatem quandam Hebraico textui impingere velle, cùm id ipsum analogia Hebraici sermonis requirat. 2. Sin hoc vult, literas י״ & alias interdum excidere. E.G. in עלם *seculum*, דוד *David*, iterum inepta ad ambiguitatem textus concludendam fit illatio, ut sponte patet. 3. Si hoc vult, ה demonstrativum quandoque abesse, E.G. לַמֶּלֶךְ *ad Regem*, iterum nulla est consequentiæ ratio. Illius enim ה הידיעה seu demonstrativi nota est punctum sequenti literæ impressum, quod *Dages forte* vocant. 4. Si hoc vult, dari quasdam voces in Scripturis V. Test. quæ solis scribuntur vocalibus. E.G. Ruth. 3. vers. 17. habetur ֵ ֵ pro אֵלַי *ad me*, (alia exempla posita vides superiùs tract. de notis Masorethicis) iterum nullâ ratione causa hoc est ambiguitatis. Etsi enim non adsunt illæ voces quoad literas, adsunt tamen quoad puncta essentialia, quibus si ex observatione Masoretharum suæ adduntur literæ, omnis aberit ambiguitas. Quin Jesuitæ, qui punctorum vocalium antiquitatem non concedit, illæ voces habendæ sunt pro absentibus: quomodo ergò ambiguæ esse possunt, cùm non entis nullæ sint affectiones. 5. Si hoc velit, præfixas particulas interdum deficere, quod fieri Pagninus lib. 1. Inst. Hebr. cap. 25. seqq. ostendit, iterum nihil efficit. Ellipsin enim istam textus diligens consideratio explet. 6. Si demùm hoc velit, (quod velle ipsum ferè videtur) in Scriptura V. Test. inesse quarundam vocum defectum, & ita corruptionem: διαῤῥήδην hoc ipsum inficiamur, ad superiorem de puritate textus Hebraici tractationem Lectorem remittentes.

8. *Octava causa est, sæpè redundant tàm literæ, quàm integræ dictiones.* Resp. Si quæ sunt literæ πλεονάζοντες, vel *in principio* per prosthesin, vel *in medio* per epenthesin, vel *in fine* per paragogen, eæ ipsarum literarum significationi nihil officiunt: sin verò aliæ literæ significativæ (quales sunt voces præfixæ, seu literæ משה וכלב) πλεονάζουσι, tùm idiotismus Hebraici sermonis expendendus, & ex textus συναφείᾳ sensus congruè eruendus est. Possunt & dictiones quædam dici πλεονάζειν, E.G. Exod. 25: 29. אֲשֶׁר יֻסַּךְ בָּהֵן *quibus libabitur in eis*, pro, *in quibus libabitur*, ubi unum relativum redundat: sed id itidem ex modo loquendi Hebræis usitato provenit, nec quicquam ambiguitatis Hebraico textui infert. Tantum de ambiguitatum causis.

### II. *Exemplum ambiguitatis expensum.*

EXemplum ambiguitatis in textu V. Test. Hebraico antequam proferat, Jesuiticum suum repetit emblema, hisce verbis: *Hinc est, quod nulla ferè sit sententia V. Test. in Hebræo textu tàm aperta, quæ non possit verti in varios, imò & impios sensus, si auferatur traditio & auctoritas Ecclesiæ.* Resp. 1. Distinguendum *inter* hæreticas contortasque Scripturarum detorsiones, & *inter* Scripturæ textuum ambiguitatem. De hac, non de illa quæstio nostra instituta est. Non negamus, posse τοὺς ἀμαθεῖς καὶ ἀστηρίκτους στρεβλοῦν τὰς γραφὰς πρὸς τὴν ἰδίαν ἀυτῶν ἀπώλειαν, ut Petrinâ phrasi utar, 2. c. 3. 16. (cujus rei egregium specimen à Gordono editum mox in theatrum prodibit,) sed ex eo non sequitur, quod sequi putat Jesuita, Scripturam nempe V. T. in se esse ambiguam. 2. Distinguendum *inter* sanam Scripturæ interpretationem, & *inter* Papisticam traditionem. Si qui videntur esse loci ambigui, ii non ex Papistica traditione & auctoritate Ecclesiæ (ut loquitur Huntl.) sed ex vera Scripturæ interpretatione (qua ex ipsis Scripturis, & per eas exponuntur Scripturarum loca) lucem accipiunt. Videamus autem quid porrò Africa apportet novi! *Quod ut manifestius fiat* (inquit) *uno exemplo id ostendemus, in* 1. *versu capitis Gen. qui quamvis sit perspicuus juxta vulgatam nostram versionem, tamen perverti potest variis modis, si solam Hebraicam literam attendamus, semotâ auctoritate Ecclesiæ.* Resp. Verba Gen. 1: 1. in se & seorsim considerata πολύσημα forsan sunt, at verò in illo loco certam & ambiguitate omni alienam significationem ipsis remanere, adeoque versum illum non esse ambiguum, ostendit (non *Ecclesiæ auctoritas*, sed) Mosaicus scopus textusque subsequens, ut & totius Scripturæ analogia & collatio. Quod ut fiat clarius, consideremus detorsiones Jesuiticas. 1. *Prima* (inquit) *perversio est: In principio creârunt Dii gentium cælum & terram, constat enim* אלהים *sæpe significare Deos gentium &c.* Resp. Possit sanè vox ista Deos gentium alibi denotare, attamen hoc in loco non denotat, sed *verum Deum*, qui solus cœli & terræ creator est. Id quod non auctoritas Ecclesiæ, sed ipse Spiritus S. in scripturis loquens & Scripturas per Scripturas explicans, nos docet. Jerem. 10. vers. 11. *Dii gentium dicuntur cælos & terram non fecisse.* Qui au-

autem hoc loco dicitur *Elohim*, creat cœlum & terram. E. per hunc אלהים non intelliguntur Dii gentium. Præterea subsequentia docent, quis hic Deus sit intelligendus. 2. *Secunda* (ait) *perversio. In principio creârunt Angeli cœlum & terram.* Resp. Eadem hîc militat responsio. Angelos non intelligi, sed Deum verum, non Ecclesia Papalis ex suo traditionum myrothecio, sed Scriptura ipsa ostendit. Is enim Elohim creare dicitur cœlum & terram, qui cap. 1. 26. qs. consultans ait, *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* At ibi non Angeli (ad quorum imaginem homo non est conditus) sed verus Deus intelligitur. Ergò & cap. 1: 1. Et cum res eodem modo in sequentibus sese habeat, sufficiat verba Jesuitæ cum levi censura adnexa enarrare. Pergit igitur & inquit. 3. *Tertia perversio, in principio creârunt Magnates seu judices cœlum & terram, satis enim constat, vocem* אלהים *& Angelos & Magnates seu judices significare.* 3. *Quarta perversio, in principio succidit vel destruxit Deus cœlum & terram, nam* בָּרָא *significat succidere vel destruere, Ezech. 23. v. 47.* (at ista significatio in Piel, secunda conjugatione, locum tantummodò habet, ostendente id addito exemplo: Hic verò non in secunda, sed in prima conjugatione Cal בָּרָא ponitur. Nec est, ut Huntlæus puncta demendo liberè quærat homonymias: falsa enim ista Pontificiorum hypothesis, puncta esse inventum Judæorum recentius. Præterea significationem istam *destruendi*, locum hic habere non posse, totus contextus cap. 1. ostendit, non enim de mundi nondum existentis *destructione*, sed *creatione* agitur. Pudeat verò tandem Jesuitam tam puerilis, putidæ & febriculosæ contra Scripturarum sacrarum certitudinem probationis!) 5. *Quinta est, propter primitias (id est, pingues fructus vel bona terræ) elegit Deus cœlum & terram, nam* ברא *in secunda conjugatione Piel significat eligere Ezech. 21. vers. 19.* (eadem hic militat responsio, quæ ad præced. data est.) *Ubi Sanct. Hieronymus notat, hanc vocem etiam posse significare, conjicere vel divinare. Atque ita, 6. Sexta perversio erit. In principio divinabat vel conjiciebat Deus de cœlo & terra:* (at nihil tale in adducto Hieronymi loco invenire licet, & refragatur ipse vocabuli usus.) 7. *Septima perversio. In principio renovavit Deus cœlum & terram, nam* ברא *significat etiam renovare Psalm. 103.* (*vel secundùm Hebræos* 104.) *vers.* 30. quando verò tandem ineptiarum terminus? Audi adhuc unum, & acumen Jesuiticum mirare & detestare!) 8. *Octava perversio. In principio creatus est Deus ex his cœlis & ex hac terra. Nam tertia persona præteriti primæ conjugationis potest sumi passivè:* (at ne erres, Gordone! Tertia persona præteriti activi tùm demùm passivè usurpatur, si non adsit certus nominativus, qui verbum activum respiciat, ut congeries exemplorum ostendit: hîc verò expressè habetur nomen אֱלֹהִים. Confer autem isti primo versui, capitis 2. vers. 2. qui talem perversionem claritate suâ omninò tollit:) *particula* אֶת *aliquando significat ex, ut videre est 2 Reg. 18. vers. 32.* Hæc omnia Huntlæus. Miramur autem, cur non eam quoque addiderit versus ejus depravationem, cujus per jocum *Lutherus* (non verò ex propria mente & serio, quod ipsi iniquissimè affingit quidam *Conradus Andreæ*, Jesuita ψευδώνυμος, in suo contra Lutheri Scripta sycophantico libello,) mentionem fecit. Ita autem ille tropos Sacramentariorum, quos in verbis SS. cœnæ fingunt, falsè & scitè excipit: Gleich als wenn ich zuvor leugne/ dasz Gott Himmel und Erden geschaffen hatte/ und spreche mit Aristotele und Plinio sampt andern Heyden/ die Welt ware von ewig her. Es kame aber einer/ und hielt mir Mosen fur die Nasen Gen. 1. Im Anfang schuff Gott Himmel und Erden/ wolt ich den Text also machen/ Gott der solt so viel heissen als Guckuck/ schuff aber/ so viel als Frasz/ Himmel und Erden/ so viel als die Graszmücken mit Federn und mit allem. Dasz Mose Wort nach des Luthers Text also lautet/ Im Anfang frasz der Guckuck die Graszmucke mit Federn und mit allem/ und muste nicht heissen/ Im Anfang schuff Gott Himmel und Erden. Hæc Lutherus, qui tamen rectè subjungit, Treffliche Kunst ware das/ welche auch die Lotterbuben wol kondten. Verba extant tom 3. Jenens. Germ. pag. 381. b. edit. Anno 56. Tantum etiam de exemplo pro ambiguitate textus Hebræi à Jesuitâ (sed non Jesuiticâ, quam præ se ferunt, subtilitate) adducto, ex quo hoc unum disci potest, quàm pulchris ii homines polleant donis, à Spiritu, sed maligno, profectis, in Scripturarum sacrarum adornanda στρηβλότητι & perversione. Quò referendum, quòd Jesuitæ quidam symboli etiam Apostolici verba (quibus quid planius, & magis perspicuum?) ex vana sensuum à se confictorum deliratione, ut partim captiosa, fallacia, impia, partim ambigua traduxerunt. *Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Tota hæc propositio* (inquiunt) *captiosa est & fallax,*

*fallax, in quantum omittit, JESUM Christum filium esse naturalem & consubstantialem Patri. Sic enim periculosa est, & doctrinam inducit hæreticam &c. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine. Tota hæc propositio* (inquiunt) *æquivocatione laborat, quæ inducere potest in hæresin, propter ambiguas particulas, DE, & EX. Et quia ordinariè de habitudine importat principii componentis, juxta quam innuit, Dominum nostrum de substantia Spiritus sancti factum esse, & ita Spiritum sanctum verè dici posse Patrem Christi, ideò propositio in hoc sensu falsa est, dolosa, hæretica, & divinarum originum confusionem atque eversionem inducens &c. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Hæc propositio* (inquiunt) *ambigua est, & aliquo sensu hæretica &c. Credo in Spiritum sanctum. Hæc propositio* (inquiunt) *malignè proposita est, & ex affectata brevitate meritò suspecta haberi potest. Subdolè enim Spiritus sancti divinitatem, ejusque à Patre & Filio processionem tacet. Proinde Arianam hæresin redolet, schismati Græcorum obliquè favet, individuamque Trinitatem dissolvit &c. Sanct. Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem. Propositio hæc* (inquiunt) *multiplici periculosa æquivocatione & affectata obscuritate errorem tegit. Imprimis enim ambiguum & obscurum est, quid sit credere Sanctam Ecclesiam Catholicam. Et si sensus est, adhibendam esse fidem definitionibus Ecclesiæ, cum exclusione definitionum, quæ fieri possent à solo ejus Capite, quasi Papa extra Concilium nihil definire possit, quod sit de fide; propositio est temeraria, scandulosa, & summo Pontifici vehementer injuriosa &c.* Et sic per omnes symboli Apostolici articulos. Habentur autem hæc in appendice libelli Alphonsi de Vargas Toletani, quam vocat *Relationem ad Reges & Principes Christianos, de stratagematis & Sophismatis Politicis Societatis JESU, ad Monarchiam Orbis terrarum sibi conficiendam*: Anno 1641. Additurque antè dictis hæc censoria notio: *Hem, ista est prudentia & justitia, quâ se Jesuitæ venditant, ut qui suas novitates Romanis & Parisiensibus Censoribus probare non possunt, merito & prudenter in eo facere se jactitant, quòd ipsa Spiritus sancti verba, nunquam nisi cum veneratione & horrore quodam tractanda, ad incudem vocant, & ingeniorum suorum lascivia ac petulantiæ subjiciunt, vereque obscœnarum Harpyarum instar, contactu immundo fœdare non dubitant.*

## SECTIO. II.

### *De styli sacrarum literarum simplicitate.*

ANtequam de simplicitate literaturæ sacræ disseramus, priùs, quid per eam intelligendum sit, dispiciendum. *Simplex sermo* sive stylus multis modis dicitur. 1. Qui rudis, rusticus, ineptus & barbarus est, quali homines prorsus imperiti, ut sunt rustici ac pastores, utuntur. Ejusmodi absit, ut Scripturis sacrosanctis tribuamus simplicitatem. Vocat quidem Chrysostomus homil. 46. in cap. 23. Matth. *verba divina rustica & incomposita:* sed illud (ut quædam alia) καταχρηστικῶς καὶ ἀυξητικῶς, seu ut Bellarminus lib. 2. de Miss. cap. 10. §. 17. loquitur, *per excessum* ab illo est prolatum. 2. Simplex etiam is sermo dicitur, qui non quidem ineptus planè & rusticus, interim nec ornatus & elegans est. Sed neque hoc sensu simplicitatem stylo Spiritus Sancti assignamus. *Etsi enim non adsunt* (verba sunt doctissimi Flacii part. 2. cl. p. 15.) *illæ otiosæ delicataque veneres aut illecebræ, illa externa dulcedo & blanditiæ, illa numerositas sonorum, seu illæ nugæ canoræ in sermone sacrarum literarum, quæ in ostentatoriis Oratorum aut Poëtarum Scriptis, tunc temporis in Græcia & Roma, maximâ cum aviditate & admiratione audiebantur & celebrabantur: tamen suâ gravi masculaque eloquentia minimè destituuntur.* 3. Simplex etiam dicitur sermo, qui à tropicis modificationibus & figuris est alienus. Sed neque hæc simplicitas stylo sacrosancto competit. Utut enim troporum ac figurarum oratoriarum luxuries nimia ab eo absit, suis tamen non destituitur figurarum quasi coloribus & luminibus, ut alibi ostendetur. 4. Simplex dicitur, qui apertus est & minimè fucatus, malitiosus aut fraudulentus, sed qui ex ipsismet rebus quasi nascitur, & sine fuco simulationeque profert, quod proferendum est. Talis est, de quo Euripides dicit, ἁπλοῦν εἶναι τῆς ἀληθείας λόγον, *veritatis sermonem esse simplicem & apertum, nec variis indigere explicationibus & ambagibus: sed injustam causam, cùm per se sit morbida, necessariò indigere astutis pharmacis.* 5. Simplex demum dicitur, qui communis ac omnibus usitatus est, quique, cùm res grandes & præclaras describat, ad captum legentium se attemperat. Atque his duobus ultimis modis Scripturæ sacræ stylum & literaturam dicimus simplicem. Est enim is 1. sincerus

cerus & sanus, veritatem simpliciter aperteque proferens, cujus vel unicum τεκμήριον posset esse illud, quod sacri Scriptores propria etiam errata, peccata & infirmitates humanas, tam apertè edisserunt, ut in Mose, Matthæo, Paulo, & aliis videre est. 2. Communis & usitatus, cumque divinas res & mysteria incomprehensibilia enunciet, ita tamen quorumvis hominum captui sese mirabiliter attemperat, ut rudes etiam & rustici homines certam de mysteriis fidei sententiam haurire, ex iisque ad salutem æternam erudiri possint. Et hoc est, quod Græci Patres sæpius dixerunt, *Spiritum Sanctum in sacris literis συγκαταβαίνειν ἡμῖν, condescendere nobis, & ad nostrum captum sese attemperare.* Orig. lib. 4. contra Celsum: *Sacra Scriptura pro auditorum viribus utilitate dimetitur, quæ denunciat.* Hilarius in Psalm. 126. *Sermo divinus secundum intelligentiæ nostræ consuetudinem, naturamque se temperat, communibus rerum vocabulis ad significationem doctrinæ & institutionis aptatis. Nobis enim; non sibi loquitur, atque ideò nostris utitur in loquendo.*

[b] Generum dicendi in libris sacris diversitas.

Observa autem, 1. genus istud dicendi, sacrosanctis literis innatum, esse ita simplex & planum, ut tamen peculiares locutiones suas habeat, quæ aliis in Scriptis prophanis non occurrunt. Cujus rei ratio est, quod peculiare etiam & ab omni humanæ rationis captu alienum objectum Scriptura sacra tractat, ac de divinis agit mysteriis, quæ peculiari quandoque loquendi genere (quod tamen à quovis industrio Scripturæ lectore intelligi potest) proponit. Huc pertinet, quod Paulus 1 Cor. 2: 13. postquam simplicitatem sui sermonis asseruerat, inquiens, se mysteria divina loqui non διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου: posteà ait, se πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνειν, *spiritualibus spiritualia comparare.* hoc est, ad res spirituales exprimendas uti etiam verbis spiritualibus, qualia scilicet ἀνθρωπίνη σοφία *humana illa sapientia* (quam opponit) *non novit.* Quod diximus, stylum Scripturæ simplicem peculiare illud loquendi genus non excludere, id alii ita efferunt, quod duplex sit loquendi consuetudo in verbis Scripturæ, quam Spiritus sanctus observat: Una *vulgaris*, altera *peculiaris.* Illa circa communem loquendi usum stylumque versatur, de qua Hilarius loco anteà allegato loquitur: & Augustin. lib. 1. de Trinit. cap. 12. *Nullo locutionis genere utitur Scriptura, quod in consuetudine hominum non inveniatur: quia utique hominibus loquitur.* Peculiarem autem loquendi consuetudinem duplicem constituunt: *Locutionis & dictionis.* Illa est, cùm Scriptura res quasdam aliter circumscribit, quàm vulgaris loquendi ratio postulat. Sic *tegere pedes, cognoscere uxorem*, & hujus generis alia, sæpiùs tàm in Hebræo, quàm Græco codice occurrunt. Sic Scriptura suis utitur phrasib. in significandis fidei mysteriis. E. gr. *Exire à Patre* est humiliari, pati & mori: *adscendere, seu vadere ad patrem*, est depositâ servi formâ in pristinum τὸ εἶναι ἴσα θεῷ exaltari. *Sedere ad dextram Dei*, est potenter in cœlo & in terra dominari. Sic *consepeliri & crucifigi cum Christo*, phraseologia Scripturæ propria est, quæ metaphoricè ex mortis & sepulturæ Christi similitudine ἀναλογικῶς explicari debet. Ita *bibere calicem* est tribulationes & mortem ipsam pati. Idem esto judicium de aliis Scripturæ phrasibus, quæ ex ipsis Scripturis exponendæ sunt. *Dictionis* verò phraseologia Scripturæ propria, circa idiotismos linguarum originalium occupatur &c.

[b] 2. Scripturæ stylum ita esse simplicem, ut tamen non sit uniformis, h. e. ut evidens ejus, ratione diversarum Scripturæ partium & librorum, sit discrepantia. Si enim quis sermonis genus attendat, quo utitur Esaias Propheta, & illud, quo Jeremias, Ezechiel, & alii Prophetæ utuntur, observabit prius posteriore grandius, sublimius, & majestatis plenius; posterius priore humilius, simpliciusque esse. Igitur quod Rhetores de triplici dicendi genere sive charactere, vel *grandi* seu sublimi, *medio & humili*, præcipiunt ac monent, ad genus dicendi, sacris Scriptoribus usitatum, ratione commodâ applicari potest, ubi triplex istud genus diligentem & admirabundum lectorem plurimum afficit & oblectat. Eamque ob causam Melanchton Davidis Psalmicum loquendi genus censet *Atticum* esse (ἀναλογικῶς.) Lutherus Salomonis dictionem *grandem*, Esaiam *grandiloquum* & *Ciceronianum*, Paulum μεγαλοφωνότατον Theodoretus & Augustinus, &c.

3. Scripturæ stylum ita esse simplicem, ut tamen legitimam Scripturæ interpretationem non tollat, sed præsupponat. Ut enim per assertionem perspicuitatis Scripturæ non excluditur pium studium, in lectione & meditatione Scripturæ adhibendum, nec adminicula ad Scripturæ interpretationem necessaria: ita de simplicitate sermonis sacri idem esto judicium. Simplex est Scripturæ character, ita tamen ut non socordem & pigrum; sed sedulum, attentum, καὶ τῷ πνεύματι ζέοντα requirat lectorem. Cujus rei ratio *tum* rerum, quæ sub styli involucro latent, divinitas; *tùm* ipsius styli cum simplicitate conjuncta Majestas; *tùm* etiam styli in aliquibus singularitas.

His ita sese habentibus, de *causis* hujus simplicitatis, & de quibusdam τορίσμασι pauca quædam attexenda

*Cau-*

a Causæ simplicitatis hujus.

a *Causæ*, propter quas Scripturas simplici, perspicuo, & ab omnis humanæ eloquentiæ lenociniis alieno sermonis genere Deus exarari voluit, sunt istæ:

1. *Rerum in Scripturis contentarum veritas*, *ἁπλῶς ὁ λόγος ἀληθείας*, & infucata Veritas infucatum sermonis genus amat, ut superiùs annotatum est. Jam verò res Scripturæ sunt ipsa veritas. Joh. 17: 17.

2. *Rerum earundem sublimitas*. Mysteria, quæ in Scripturis proponuntur, *ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ νοῦν, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν* (verbis Justini Martyris) sunt posita, utique igitur non obscuro, perplexo, & difficili; sed facili, plano & simplici sermonis genere fuêre proponenda, ut ne penitùs intelligentiam humanam effugerent.

3. *Legentium qualitas*. Scripturæ non solùm in usum eruditorum, sed etiam rudiorum sunt exaratæ, quare loquendi genere omnibus obvio utuntur. Et quemadmodum Esaias divinitùs jubetur *accipere volumen magnum, & prophetiam suam ei inscribere* בחרט אנוש *stylo hominis*, hoc est, manifesto, & verbis humanis, literisque notis, ut omnes, etiam *νήπιοι* & simplices, possent id, quod erat scribendum, intelligere: ita totius etiam Scripturæ sacræ sermonis charecterem talem Spiritus Sanctus esse voluit, ut cujusvis intelligentiæ esset in plerisque obvius.

4. *Effecti dignitas*. Si grandiloquis humanæ sapientiæ verbis conscriptæ essent Scripturæ, tùm earum in conversione hominum efficacia non divinæ virtuti, sed verborum lenociniis tribueretur. Causam hanc subinnuit Paulus 1 Cor. 1. v. 17. c. 2. v. 4. 5. c. 4. v. 20.

Exinde autem, quod tam simplici sermonis genere Scriptura exarata est, *duo* contra Pontificios deducimus *πορίσματα*.

a 1. *Si Scripturæ stylus adeò simplex est; sequitur, quòd Scriptura ipsa non sit obscura*. Ratio: A verbis enim in cognitionem rerum provehimur, & ubi planis perspicuisque verbis loquens quispiam utitur, loquentis sensus non potest esse obscurus & dubius. Erasm. in annot. Act. cap. 10. p. 317. *Placebat Spiritui Sancto sermonis simplicitas, sed pura tamen & integra, & iis vacans incommodis, quæ solent auditorum intelligentiam impedire*. Objiciat quis, quædam nihilominùs in Scripturis obscuro & perplexo sermonis genere proponi, ut in Ecclesiaste, Jobo, Epistolis Pauli (2 Pet. 3: 16.) aliisque libris videre est. Resp. 1. Pleraque illorum non concernunt dogmata fidei. 2. Et pauca sunt, à quibus ad scripturam universam nullus consequentiæ nexus. 3. Quin & ea seduli & industrii lectoris non refugiunt intelligentiam, quam hoc modo Spiritus Sanctus exercere voluit. Benè Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 7. *Magnificè & salubriter Spiritus sanctus Scripturas sanctas ita modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de obscurioribus illis eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur*. Et tract. 45. in Joh. *Pascit*, inquit, *Deus manifestis, exercet obscuris &c.*

2. *Si Scriptura tàm perspicuo & simplici stylo res sacras proponit, sequitur, quod ab ejus lectione quacunque, etiam vernaculâ linguâ; nemo hominum excludendus sit*. Ratio: Ideò enim בחרט אנוש seu *stylo hominis*, (ut iterum verbis Propheticis utamur) Scriptura exarata, ut rudes etiam & plebeji certam de fundamentis salutis suæ sententiam exinde haurire possint. Hùc spectat Lactantii aureolum illud lib. 6. de vero cult. cap. 21. *Num Deus vocis & linguæ artifex disertè loqui non potest? Imo verò summa providentiâ carere fuco voluit ea, quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur*. Et Hieronymus ad Paulin. (citante Flacio) *in Scriptura simplicitas & quasi vilitas verborum idcircò apparet, quò rudis & rustica concio faciliùs instrueretur, & non solùm docti, verùm etiam indocti pro suo singuli captu proficerent*. Vide de Scripturæ styli simplicitate plura apud Illyricum part. 2. clav. tr. 5. col. 463. seqq.

## SECTIO III.

### *De styli sacrarum literarum efficacia.*

b Efficacia duplex Script. sacrosanctæ.

a πορίσματα.

b Simplicitati literaturæ sanctæ conjuncta est summa *ἐνέργεια* & efficacia, quam *δεινότητα* sive *δείνωσιν* vocant. De qua antequam agatur, notandum est, duplicem in sacrosanctis Scripturis distingui posse *δεινότητα* sive efficaciam: *Una* rerum est, *altera* verborum, quæ rerum signa sunt *καὶ σύμβολα*. *Prior* innata illa verbi cœlestis vis est, quâ seduli ejus tractatores *trahuntur à Patre*, (Joh. 6: 44.) hoc est, excitantur, moventur, convertuntur, illuminantur, renovantur, & hæredes salutis æternæ scribuntur. Illa enim tractio per verbi cœlestis seu Scripturæ sacræ meditationem fit, ut ex ejus cap. v. 45. colligitur. Breviùs loquendo, est *δύναμις θεοῦ εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι*, Rom. 1. vers. 16. quâ *sermo Dei vivus est & efficax, & penetrabilior quovis gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ simul ac Spiritus, compagumque & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis*, Hebr. 4: 12. *Posterior* sermonis ipsius qualitas

qualitas est, quòd nempe is ita comparatus est & conformatus, ut vi quasi quadam lectorem insigniter moveat. Græcis illa efficacia styli appellatur δεινότης, (Isocr. δεινότης ἡ ἐν τοῖς λόγοις), alii vocant δείνωσιν vel δεινολογίαν (etsi hæc *exaggerationem* in genere; in specie verò orationem talem denotat, quæ dicente Quintil. *rebus asperis, indignis, invidiosis vim addit*) eamque scriptores collocant in *rebus* & *elocutione*. *Res* vocant, non primariam, quæ tractatur, materiam, sed quæ exponendæ ei adjunguntur: quando videl. ad tractationem alicujus rei adhibentur grandia quædam aut terribilia, potentia, præstantia, preciosa, valdè grata, & quoquo modo efficacia, ut sunt Deus, ejusque virtutes, Cœlum, Sol, Terra, Mare, elementa, mors, vita, bellum, fulmina, tonitrua, terribiles feræ, angeli eorumque virtutes, diaboli eorumque malitia, infernus ejusque pœnæ, aliaque hujus generis innumera. *Elocutio* consistit in flosculis & luminibus oratoriis, in illustribus tropis, in locutionibus quoad dictiones vel sententias figuratis &c. Et ut ad Scripturæ sacræ stylum revertamur, ejus δεινότης nihil aliud est, quàm divina, quâ is pollet, eloquentia. Ejus ad cognitionem facit consideratio tùm *rerum*, quibus ipse quasi sermo coloratur & elegans redditur; tùm *elocutionis luminum*, quibus sermo Spiritus sancti abundat.

Ad *prius* membrum pertinent sequentia:

1. Quod Scriptura *argumentis* agit potentibus & efficacissimis. Argumenta arma nervosque orationis esse, monent Rhetores. Tali verò laudis genere excellit præcipuè Scriptura, & præsertim N. Test. quod fiet perspicuum illi, qui Paulinas accuratè pervolverit Epistolas, in quibus singula sæpè verba singula sunt rationum validissimarum pondera. Cogita modò, quomodo is Apostolus, quibusque argumentis, articulum de *gratuita Justificatione*, quæ fit per fidem, Rom. 3. Gal. 2. & 3. & de *resurrect. mortuorum* 1 Cor. 15. stabiliat.

2. Quòd elegantibus & nervosis utitur *epithetis*. Ut quando rei præstantiam excellentiamque vult ob oculos ponere, dicit esse *rem Dei*, vel *è Deo*, h. e. divinam. Sic *luctationes Dei*, Gen. 30. vers. 8. *Terror Dei* Genes. 35. v. 5. *Trepidatio Dei*. 1 Sam. 14. vers. 15. *Sopor Domini*, 1 Sam. 26. vers. 12. *montes Dei*. Psal. 36. vers. 7. *arbores Domini* Psal. 104. v. 16. *Flamma Dei*, Cant. 8. vers. 6. quâ epithetorum formâ rei, cui adjunguntur, præstantia declaratur. Sic *benedictus Domino*, Ruth. 2. vers. 20. h. e. omnibus modis, excellentissima ratione benedictus. Hûc pertinent epitheta hyperbolica ac metaphorica, ut quando *cor hominis* dicitur *lapideum*, *adamantinum*, *cervix ferrea*, *frons ænea* &c. 1 Cor. 13. vers. 1. Paulus dicit, *loqui linguis Angelorum*, id est, disertè & jucundissimè loqui.

3. Quòd egregiis utitur *exaggerationibus*. Sic in calamitatum pœnarumque denunciatione adhibetur quandoque species tristis cœli & terræ, omniumque elementorum, Joël. 2: 2, 10. Esa. 13: 11, 13. Sic Psal. 11: 6. pœna impiis infligenda hisce proponitur verbis: *Pluet Deus super impios laqueos, ignem, sulphur & spiritum procellarum:* quod multò efficacius dicitur, quàm si simpliciter dixisset: Deus puniet eos, aut impii peribunt. Psal. 7: 13, 14. *Deus* dicitur *acuere gladium*, *intendere arcum*, *superimponere ei sagittas*, *fabricare tela*, ubi efficaciter pœnæ divinæ ante oculos pinguntur. Jud. 5: 20. *Stellæ* dicuntur *pugnâsse cœlitùs contra Sisseram*, quod multò movet magis, quàm si scriptum esset, grandinem à cœlo fuisse immissum super Sisseræ exercitum. Alibi etiam, in descriptione pœnarum divinarum, fit mentio emphatica *mortis* & *inferni* Esa. 5: 14. cap. 14: 9. seqq. *animalium crudelium*, *leonum*, *draconum* &c. Es. 13: 21, 22. Contrà verò in describendis rebus lætis *prata*, *flumina*, *montes* & similia, *gestire* dicuntur *præ lætitia* Esa. 14: 8. Psal. 114: 4, 6. &c. Act. 6: 15. *Stephani facies* dicitur *fuisse quasi facies Angeli*, pro eo, quod aliàs dicitur, fuisse faciem plenam dignitate & gravitate.

4. Quòd non tantùm verbis mirè emphaticis, sed & *rebus* quasi ipsis loquitur. Id quod contingit (1.) *illustribus V. Testam. typis*: hîc enim ipsæ veluti res loquuntur, utpote tabernaculum, templum, sacrificia, terra Canaan, urbs sancta, aliæque V. Test. picturæ, qualarum quis sit usus, docet Paulus 1 Cor. 10: 6. (2.) *Visionibus*, prophetis aliisque sanctis Dei hominibus divinitùs factis, quò *somnia* etiam θεόπεμπτα pertinent. (3.) *Operibus* & actionibus Prophetarum, quibus divino mandato certum aliquid adumbrârunt quasi & significârunt, ut quòd *Jeremias jugum portat* primò quidem *ligneum* Jer. 27: 2. posteà verò *ferreum*, cap. 28: 13. quòd *vas fictile in Gebinnom confringit*, cap. 19: 1. seqq. *Ezechiel oppugnationem Hierosolymæ in latere adumbrat*, Ezech. 4: 1. seqq. *parietem perfringit*, cap. 12. & complura alia. Quò pertinet actio Christi, quâ *maledicit sterili ficui*, Matth. 21: 19. Marc. 11: 13, 14, 20. indicans nimirum, Israelitas esse sterilem ficum, ideoque maledictioni divinæ fore subjectos. (4.) *Insignibus parabolis*, quibus res quasi κατ' ὀφθαλμὸς προγράφεται, & ut præsentissima ostenditur.

5. Quòd per *effecta* res describit. Effecta siquidem

quidem sunt γνωριμώτερα ἡμῖν, ideoque nobis evidenter & efficaciter rei naturam ob oculos ponunt. Hoc modo describitur pestis Psal. 91: 6. ubi *circumvolare & grassari die ac noctu* dicitur. Sic Psal. 2: 1. seqq. depingitur furor hostium ab effectis & actionibus, ut & potentia ac eminentia Christi vers. 4, 5, 9. Talis est etiam descriptio Satanæ, 1 Petr. 5:8. excidii à Deo Babyloni inferendi Esa. 13:7. seqq. Vide Flacium part. 2. colum. 472.

6. Quòd generalem doctrinam inculcatura, *speciale* ac particulare exemplum proponit Exod. 23. v. 5. generalis doctrina *de diligendis inimicis*, particulari exemplo *de sublevando collapso inimicis asino* traditur. Sic & Luc. 3: 11. Matth. 6: 1, 5, 16. doctrinam de bonis operibus, speciali quorundam operum recensione Christus proponit, per *eleemosynam* v. 1. omnia officia proximo exhibenda: per *orationem* v. 5. cultum Dei quemcunque: per *jejunium* v. 16. omnia exercitia, quibus carnem domamus, intelligens. Confer Tit. 2: 12.

7. Quòd egregia virtutum, vitiorum aut factorum præstantium, laudatorum aut turpium *exempla* proponit, quæ ipsa legentium animos insigniter movent & afficiunt.

Ad *posterius* membrum pertinet, quòd sacrosanctæ literæ abundant 1. illustribus *metaphoris* & aliis figuratis locutionibus. Augustin. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 6. *Figuratæ locutiones sacræ Scripturæ suaviùs & jucundiùs nos afficiunt, quàm si eadem sententia planis verbis diceretur.*

2. *Hyperbolicis* locutionibus, quibus res ipsa justo altiùs, ἐνεργείας, ἐμφάσεως, καὶ δεινότητος ergò, extollitur. Sic de maximo Nabalis terrore, post auditum sibi imminens periculum, Scriptura loquens, his utitur verbis: *Et mortuum est cor ejus in medio ejus, & ipse factus est in lapidem*, 1 Sam. 25: 38. quòd multò significantius est, quàm si diceretur nostro more, valdè perterrefactus est & attonitus redditus &c.

3. Sermonis ad certum objectum conversione, quam Apostrophen vocant: eaque fit *partim* ad animalia bruta & res inanimatas; Deut. 32: 1. Esa. 1: 2. Psal. 114: 5. Quò pertinet, quod per prosopopœiam inanimatis tribuitur sensus & actio, Genes. 31: 48. *Testis est acervus iste, & statua ista inter me & te.* Hab. 2: 11. *Clamabit lapis ex pariete, & laquear de tabulato ei respondebit.* Genes. 4: 10. *Sanguis Abel* dicitur *clamare in cœlum*, perinde ut Hebr. 11. ℣s. 4. *mortuus Abel loqui* dicitur. Sic Rom. 8. ℣s. 19, 22. *totam rerum naturam congemiscere piis, & liberationem à vanitate solicitè expectare*, asseritur. *Partim* ad homines vivos, in quo ipso movendi vis maxima est posita, quando sc. à θέσει ad hypothesin, à generali de virtutibus vel vitiis, vel pœnis aut beneficiis Dei doctrinâ, ad specialem accommodationem per apostrophen fit transitus. Omnia enim magis movent, cùm nostra fiunt, & nos attingere cernuntur. Exemplis res fiet clarior. Roman. 2. Paulus omnes Judæos internæ hypocriseos, & non verè præstitæ legis accusans, ita subitò loqui incipit, ac si sanctulum aliquem Pharisæum, propriâ justitiâ tumentem, ex caterva reliquorum sibi proponeret, eumque corriperet. vers. 17. *Ecce tu Judæus cognominaris* &c. Galat. 4: 1. in genere de libertate Christiana loquens Apostolus, posteà ℣s. 3. in specie applicat sermonem ad seipsum & auditores in prima persona: ℣s. 6. specialiùs ad auditores in secunda persona digreditur. Tandem ℣s. 7. specialissimè unum veluti ex auditoribus apprehendit, & alloquitur. Vide etiam Rom. c. 12: 20. cap. 13: 3, 4. cap. 14: 10. Galat. 6. ℣s. 1. &c.

4. *Asynthetis*, quæ ipsa movent multis de causis, quia plura esse videntur, quia singula novo quasi impetu in animum lectoris irruunt, quia commotum dicentis animum ostendunt. 1 Cor. 6: 11. *Et hæc eratis quidam, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini Jesu.* Exod. 15: 9. *Dixit inimicus, insequar, apprehendam, dividam spolia, implebitur eis anima mea, evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* Movent è contrà & polysyntheta, quale cumprimis illud Christi est Joh. 10:27. *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me*, vers. 28. *& ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

5. *Interrogationibus*, quæ & ipsæ commotum dicentis scribentisvè animum subindicantes, auditoris animum commovent. Cujus rei egregium exemplum Roman. 8. occurrit. vers. 31. *Quid ergò dicemus ad hoc? si Deus pro nobis, quis contra nos?* ℣s. 33. *Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui justificat.* ℣s. 34. *Quis est, qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est &c.* vers. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio &c.* Vide & 1 Cor. 4: 7. cap. 9: 1, 4, 5, 6, 7, 8, 10. seqq. Quò pertinent etiam *exclamationes* Psal. 8: 2, 10. Rom. 7: 24. cap. 11. ℣s. 35. aliæque figuræ, quas figuras sententiæ vocant.

6. *Repetitionibus*, de quibus Augustinus in Psal. 74. *Firmamentum esse sententiæ in repetitione, multis Scripturarum locis docemur.* 1 Joh. 1. ℣s. 1. *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus &c.* ℣s. 3. *quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis.*

7. *Gradationibus*, Johan. 1: 1. Rom. 5: 3. cap. 8: 30. cap. 10: 14. 2 Petr. 1: 5, 6, 7. Jacob. 1: 3, 4. &c. Sed de his qui plura desiderat, adeat Illyrici clavem Scripturæ nunquam satis laudatam, part. 2. tract. 5. col. 466. seqq. ex qua pauca hûc descripta & ordine disposita.

## SECTIO IV.

### *De styli sacrarum literarum evidentia.*

PEr *Evidentiam* literaturæ sive styli Scripturæ sacræ hoc loco non intelligimus ejus claritatem & perspicuitatem, quâ ab omnibus diligenter eam scrutantibus intelligi potest; sed specialiùs *virtutem eam, quâ res quasi ante oculos spectandæ proponuntur.* Græci vocant τὸ πρὸ ὀμμάτων ποιεῖν. Latini *subjectionem*, deque ea virtute Aristot. agit lib. 3. Rhet. ad Theodecten cap. 11. ubi talis ejus extat descriptio: λέγω δὴ πρὸ ὀμμάτων ταῦτα ποιεῖν, ὅσα ἐνεργοῦντα σημαίνει: Et tali sermone animus non solùm movetur, sed res ipsæ etiam illustrantur, dum veluti coràm spectandæ proponuntur, ac ita quædam *αὐτοψία* & *intuitiva* (ut in Scholis loquuntur) *notitia* efficitur. Horat.

*Segnius irritant animos demissa per aures,*
*Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ*
*Ipse sibi tradit spectator.*

Sunt autem & sacræ literæ in hoc sermonis genere copiosissimæ. Quod ut eò melius agnosci possit, ut in sect. præced. ita hîc quoque ad duo membra, ea quæ hûc pertinent, referemus. 1. Ad *res*, quæ sermonem sacrum hac virtute afficiunt, eumquè *evidentem* reddunt. 2. Ad *ipsam sermonis qualitatem* & varietatem, ex qua evidentia ejus elucescit.

Ad *prius* membrum pertinet

1. Quòd illustria *exempla* Scriptura adducit, qualia sunt, *diluvii*, Genes. 6. seqq. *incendii Sodomorum*, Genes. 19. *miraculorum in Ægypto & deserto editorum*, Exod. 4. & seqq. & quamplurima alia. Hûc pertinet, quòd in pœnarum gravissimarum divinitus inflictarum descriptione ad supplicium Sodomorum habetur respectus, Psal. 11: 6. &c.

2. Quòd *similitudines* elegantes, & in oculos incurrentes adhibet. Ut quando pius confertur cum *arbore irrigua, & fructus in tempore suo proferente*, Psal. 1: 3. Psal. 92: 13. Jer. 17: 8. Impius è contrà cum *gluma, quam dispellit ventus*, Psal. 1: 4. Esai. 53: 2. Christus pingitur per *germen de veteri trunco Jesse*, ut & c. 11: 1. Esai. 59: 5. impiorum cogitata conferuntur cum *telis aranearum & ovis basilisci.* Esa. 64: 19. justitiæ nostræ comparantur *panno sive vesti menstruatæ.* Psal. 37: 35, 36. impiorum superbia ac potentia mox funditùs interiens confertur cum *lauro virente, & mox penitus succisa.* Psal. 90: 6, 7. & Psal. 103: 15, 16. humana fragilitas pulchris describitur similibus.

3. Hûc pertinet, quòd crebrò utitur *parabolis*, quibus res non obscura redditur, sed πρὸ ὀμμάτων ποιεῖται, & oculis quasi spectanda subjicitur. Et *proverbiis* sive adagiis, qualia sunt, *canis redit ad suum vomitum, sus ad volutabrum*, 2 Pet. 2: 22. *Quâ mensurâ mensi fueritis, remensurabitur vobis*, Luc. 6: 38. *Modulum fermenti inquinat totam massam*, 1 Cor. 5: 7. *Si cæcus cœcum ducat, uterque in foveam cadit* Luc. 6: 39. *Qui parcè seminat, parce metet*, 2 Cor. 9: 6. *Medice cura te ipsum*, Luc. 4: 23. *Durum est contra stimulum calcitare*, Act. 9: 5. & quæ sunt alia.

4. Quòd & *typicis actionibus*, veluti picturis, & *propheticis operibus ac visionibus* nos instruit. *Prioris* exempla sunt omnes V. Test. typi, ut quòd in *serpentis ænei erectione*, Israëlitis in deserto, quin & nobis omnibus Christus κατ' ὀφθαλμοὺς προεγράφη, *ante oculos descriptus est*, verbo Pauli Galat. 3: 1. Quem typum Christus ad se applicat Joh. 3: 14. &c. *Posterioris* exempla sunt, quòd *Jeremias gestat jugum; Ezechiel oppugnat sculptam Hierosolymam.* Item (visiones quod attinet) quòd Deus *Jeremiæ ostendit baculum amygdalinum, & ollam bullientem*, quod Danieli & Johanni Apostolo varias visiones offert, futurarum rerum imagines ac figuras. His omnibus enim quasi realis sermo continetur.

5. Quòd rem per causas, effecta, antecedentia, connexa & consequentia aliasque per circumstantias exponit. Sic Psalm. 7: 13, 14. singula accuratè enumerantur, *evaginare & acuere gladium, intendere arcum, superimponere sagittas, fabricare tela &c.* ut Deus puniens plenariè ante oculos ponatur. Hûc pertinent omnes historiarum in Scripturis descriptiones. Sed de hoc in cap. seq. etiam agendum erit.

6. Huic conforme est, quòd sermonem interdum in *Comicum quendam actum* à totius mundi theatro spectandum figurat. Cujus evidens exemplum est Psalmus 2. ubi *primò* Psaltes veluti prologus summam enarrat ℣s. 1. 2. *deinde* producit loquentes impios vers. 3. *tertio* Messiam vers. 7. *postmodum* Deum patrem vers. 7, 8, 9. *postremò* rursus instar epilogi prodiens clausulam addit, totamque actionem concludit. Hûc perti-

pertinent graves & suaves *dialogismi*, qui & ipsi modo Comico rem oculis subjiciunt. Sic Psalm. 24. vers. 8. seqq. Christus triumphator cum *Angelis*: Esa. 63. v. 1. seqq. idem cum *Ecclesia* colloquens, velut in theatrum producitur. Qua in re excellit etiam liber *Cantici Canticorum*, qui suavis quidam inter Christum & Ecclesiam dialogismus est. Hûc quoque pertinet, quod in narrationibus historicis aliorum sermones ita subjiciuntur oculis, ac si illos loqui corâm videremus & audiremus. Vide colloquia *Abrahami cum Jehova* Gen. 18. v. 22. seqq. c. 22. v. 1. seqq. *Dei cum Abimelecho*. Genes. 20: 3 seqq. *Abimelechi cum Abrahamo*, ibid. v. 9. seqq. Sic & *Paulus* suum certamen & colloquium cum *Petro* describit, quasi cum ipso adhuc colloqueretur Galat. 2: 11. seqq.

7. Quòd res brutas hominibus anteponit, & illarum mentione hos objurgat. Esa. 1. v. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem non cognovit &c.* Jerem. 8. vers. 7. *Ciconia sub cœlo novit tempora sua, & turtur & grus & hirundo observant tempus adventus sui: at populus meus non novit jus Jehovæ &c.*

Ad *posterius* membrum pertinet, quod Scriptura sacra utitur 1. Adverbio demonstrandi הִנֵּה, ἰδὲ, *ecce*. Quæ particula quamvis interdum semiociosè & explendi tantùm gratiâ poni videatur, (Exod. 31. v. 6.) plerumque tamen est *notabilis Spiritus Sancti asterismus*, rem evidentem faciens, & ad attentionem excitans.

2. *Metonymicis* locutionibus, ut quando internos animi motus signis externis exprimit. Sic cum Deum *nos amare, curare, nobisque benedicere ac benefacere* significare vult, id exprimit per *respicere*, Psal. 25: 16. *accedere* vel *adesse*, Psal. 91: 15. Matt. 28. v. ult. *Manu ducere*, Psal. 23: 2. Psal. 48: 15. Sic *illuminare vultum suum super aliquem* Num. 6. v. 25. Psal. 67: 2. est cum læta & exporrecta fronte intueri, & p. c. placatum & propitium esse. Contrà *iram* exprimit per *avertere faciem, nolle respicere* &c. Tale est verbum Paulin. Rom. 8: 12. ἀποκαραδοκία, quâ voce *gestus expectantium aliquid exerto capite* exprimitur. Hûc pertinet, quòd vera animi obedientia & fides interior describitur externis actionibus, quæ evidentiores sunt, & in oculos hominum incurrunt. Ut quando Christus ait Joh. 10: 27. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Et Joh. 8: 47. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Tò *audire* tanquam externa nota ponitur pro interna fide & obedientia. Nam verba illa activa non tam actualiter, quam *habitualiter*, seu de continuata proprietate sunt accipienda.

3. Evidentibus *metaphoris*. Ut quando ii, qui constituti suntin rebus secundis, dicuntur *plantari, florere, crescere, fructificare*: qui in adversis, *jacere, prostrati, fracti, contriti esse, arescere, marcescere* &c. Sanguis Christi dicitur nos lavare 1 Joh. 1: 7. & Deus dicitur *lavare sordes Sionis* Esa. 4: 3. h. e. peccata remittere & tollere. Hûc pertinet, quando in divinis attributis & actionibus Scriptura nobis συγκαταβαίνει, *condescendit*, h. e. de Deo verbis, ab hominibus aliisque terrenis desumtis, utitur. Eo enim rebus suâ naturâ invisibilibus, evidentiam quandam & quasi αὐτοψίαν tribuit. Ut quando Deo assignat *oculos* Psal. 34: 16. *palpebras* Psal. 11: 4. *aures* Psal. 31: 3. *faciem* Psal. 31: 21. *dextram* Psal. 118: 15. *uterum* Esa. 46: 3. It. *pœnitentiam* Gen. 6: 6. *spem* Esa. 5: 4. *zelum* Esa. 9: 7. *cognitionem* Gen. 22: 12. *partum* Esa. 66: 9. *thronum regium* Psal. 9: 8. &c.

4. *Prima* & *secunda personæ* pronominib. His enim res evidentior eò redditur magis, quò certas personas attingere cernitur propiùs. Sic in describenda missione Messiæ dicitur: *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis &c.* Esa. 9: 6. Item: *Natus est vobis hodie Salvator mundi*, ait Angelus ad pastores Luc. 2: 11. 1 Cor. 11: 24. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.*

5. *Prosopopœiis* rerumque inanimatarum, quasi vivæ essent, productionibus: Ut cùm *cœlum & terra audire, loqui ac testari* jubentur. Deut. 30. 19. cap. 32. v. 1. Esa. 1. 2. Confer Psalm. 114. v. 3. seqq. Psalm. 85. v. 11: 12. 1 Cor. 13. v. 4. seqq.

6. *Temporum* mutationibus: utpote tempore *præsenti* pro futuro: *Præterito* pro futuro, quorum omnium exempla proponentur suo loco. Quæ autem in præsenti dicuntur, quasi ante oculos collocantur, & evidentiam rerum pariunt.

7. Vocibus *verbalibus* pro realibus: h. e. *dictum* pro facto, *appellare* pro facere, *vocari* pro esse seu fieri sumitur. Evidentior enim res videtur esse, quando jam tum facta dicitur appellari, vocari, quàm quando simpliciter esse vel fieri dicitur. Esa. 7. v. 14. *Vocabitur nomen ejus Immanuel.* Introducitur quasi cœtus piorum Messiam circumstantium, eumque suum Immanuelem appellantium. 1 Cor. 5. vers. 1. *Qualis scortatio nec inter Ethnicos nominatur*, hoc est, in usu est, non existit &c.

8. Referendum hûc demum, quòd Scriptura rem, quam propositura est, non tàm eloquitur, quàm certis adhibitis gestibus & affectibus agit, & quasi in Comœdia viva repræsentat. Exemplum Dn. D. Franzius ex Esa.

1. v. 5. 6. proponit his verbis: *Assuefacias te, Lector, ad morem Spiritus sancti, qui Scripturam suam non scribit aut nudè recitat, sicut tu eandem nude scribes & recitabis; sed ita eam tibi vult propositam, quasi ex ore ejus eandem coram audires. E. G. ista verba:* Super quid percutiemini adhuc? *ista inquam verba profert in forma & affectu interrogantis, & interrogantis cum vehementi affectu, & post eam interrogationem prolatam quiescentis & tacentis. Debinc, quasi capite concusso, ut solent irati, & manus ambas projiciendo, vehementibus affectibus addit:* Addetis pravitatem, **Ihr werdet doch durch neue Straffe nicht besser werden.** *Simili modo cum actione externorum gestuum & organorum recitanda sunt & æstimanda illa verba:* A planta pedis usque ad verticem non est in eo perfectio: *quam sententiam cum exclamatione & vehementi condolentia protulit, & post eam prolatam quiescit. Inde cum novo gestu, capite iterum velut inclinato ad singulas particulas incipit:* Vulnus est, livor est, plaga recens est. *Similis locus est, ubi Deus & Propheta plus est intentus in affectus rerum, quàm in Syntaxin verborum, Ezech.* 18: 30. Unumquemque juxta vias suas, (*sic enim incipit, quasi uno inspecto ex toto cœtu: mox verò faciem quasi circumfert in circulo astantium, & quasi digito monstrat, non unum ampliùs sed omnes, dicens*) judicabo vos, domus Israel, dixit Dominus Deus &c. Vide plura de hac sacrarum literarum evidentia apud Flacium, part. 2. clav. tract. 5. colum. 474. seqq.

## SECTIO V.

### *De styli sacrarum literarum plenitudine.*

PLenitudo illa, quàm Græci *μέςωσιν* vocant, nihil aliud est, quàm *quòd res plenè, quantum omninò desiderare possis, exponitur.* Id verò fit partium & specierum enumeratione, causarum explicatione, circumstantiarum recitatione, antitheseos additione, aliisque illustrationum modis. Hac *μεστώσει* & *plenitudine* utuntur Prophetæ & Apostoli, quoties auditores patheticè accusare volunt ob peccata, & velut confundere: item quoties DEI beneficia aliásve res præclaras graphicè, vivisque, quod ajunt, coloribus depingere volunt. Exempla tot produci possent, quot sunt capita Biblica. *In historicis* quàm plenè & per omnes circumstantias descriptæ sint historiæ *diluvii* Gen. 12. & seqq. *Abrahami* Gen. 12. & seqq. *Isaaci & Jacobi*, c. 26. seqq. *Josephi & fratrum*, c. 37. seqq. ex diligenti earundem lectione patere potest. Par aliarum historicarum narrationum ratio. *In propheticis* idem observare licet. Esa. 1: 2. & seqq. exactè & plenitudine omnimodâ *defectio rebellioque Israëlitarum*, tum & *pœnarum divinarum gravitas* describitur, cap. 10: 28. *expeditio Babyloniorum contra terram sanctam* vivâ quasi imagine & plenitudine depingitur, & ut cap. 13. *Babyloniorum πανολεθρία, & excidium.* Lege & expende alia in hoc & aliis Prophetis capita, & rem ultrò fateberis. Præcipuè autem in N. Test. scriptis hæc ipsa *μέστωσις* occurrit. Rom. 1. vers. 21. *vanitas, cæcitas & impietas gentilium* egregiâ verborum copiâ depingitur, mox per species plenè exponitur, *quomodo sint vani & stulti facti, & quomodo gloriam Dei commutaverint, & quomodo tandem sint etiam puniti à Deo, ac in reprobum sensum traditi.* Rom. 2. vers. 17. seqq. post verba: *Ecce tu cognominaris Judæus, & acquiescis in lege, & gloriaris in Deo:* plenè ac copiosè exponitur Judæorum hypocrisis. Rom. 3. vers. 10. seqq. plena occurrit descriptio *corruptionis humanæ*, enumeratis etiam partibus vitæ, ut *notitiæ, cogitationum, sermonis, actionum aut operum, pedum & viarum.* Mox etiam vers. 24. seqq. *justificationis nostræ gratuitæ* ratio plenè omnino exponitur, ut nihil quicquam desiderari possit. cap. 4: 17. & seqq. *in Fide Abrahami* tale pleni sermonis exemplum itidem est obvium. Confer etiam Rom. 8: 31, seqq. c. 11: 33. seqq. 1 Cor. 4: 7. usque 14. Eph. 1: 3. & per totum. Col. 1: 12. seqq.

## SECTIO VI.

### *De styli sacrarum literarum brevitate.*

MIrandum in literatura sacra *brevitatis* cum *plenitudine* illa, de qua sect. præced. dictum, temperamentum est, ut vel hinc etiam singularitas sermonis Spiritus sancti, & ejusdem dignitas elucescat. Et quod Cicero de *Thucydide* dixit, *eum adeò esse rebus plenum refertumque, ut propè verborum numerum numero rerum æquet:* id multò rectiùs de stylo sacrosanctæ Scripturæ asseri potest, cujus non rarò singula verba, singulas aut etiam plures sententias *δυνάμει* insitâ complectuntur. Plutarchi in Phocione laudata similitudo est, quæ non incongruè ad literaturam sacrosanctam referri potest: ὡς ἡ τοῦ νομίσματος ἀξία πλείςην ἐν ὄγκῳ βραχυτάτῳ δύναμιν ἔχει. ὅτω λόγυ δει-

νότης

*νότης πολλὰ σημαίνων ἀπ' ὀλίγων: Qemadmodum numismatis æstimatio & præstantia tanto major est, quantò in minore massa plus valoris continet: Sic orationis illius vis & acumen majus est, quæ plurima paucis significat.* De illa miranda brevitate ita Chrysost. hom. 24. in c. 6. Genes. tom. 1. oper. *Divinorum eloquiorum natura in paucis verbis multas sententiarum affert divitias, ineffabilem diligenter scrutari volentibus thesaurum largitur.* Et alibi: *In sacris* (inquit) *literis etiam parva dictio sæpè totum nobis sermonem contexit.* Consistit autem illa brevitas.

1. *In rerum descriptione.* Hic enim (1.) ea potissimum ἀκριβῶς Scriptura sacra enarrat, quæ ad rem faciunt, ad peregrina & inutilia haud digreditur, uti videre est in historia πρωτοκτισίας, lapsus Adamici, diluvii, incendii Sodomæ, eductionis ex Ægypto, actionum & miraculorum Christi ac Apostolorum. Utitur quidem interdum digressionibus, sed non prolixis, multò minùs ociosis aut dispendiosis. (2.) Ex magno actionum rerumque gestarum cumulo *summas rerum*, uti vocant, & principaliora capita proponit, ita tamen, ut nihil omittat eorum, quæ sunt necessaria. Qua in re non accusanda Scripturæ sacræ imperfectio, (quod quidam Pontificiorum agunt, dum ex eo, quod non omnia Christi dicta & facta literis consignata sunt, Joh. 20: 30. elicere volunt, Scripturam esse imperfectam,) sed agnoscenda Spiritus sancti grata brevitas & concisa dictio, à quo *electa sunt, quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur*, ut loquitur August. tr. 49. in Joh. in princ. (3.) Ita narrationes suas adornat, ut ex alio aliud haud difficulter colligi possit. Sic *per nomenclaturam subitò ab Adamo omnibus animantibus (imò omnibus rebus) impositam*, ejusdem congenitam sapientiam, felicissimam memoriam, plenam possessionem, summam denique felicitatem cognoscendam nobis proponit: *per maledictionem generis humani* magnitudinem peccatorum, corruptæ religionis, ac morum. Exod. 14: 15. dicit Dominus ad Moysen: *Quid clámas?* Unde ardens ejus oratio præcessisse indicatur. Joh. 3: 3. Christus de mediis salutis Nicodemum informare incipit. Ex eo igitur Nicodemi quæstio de eadem materia ad Christum facta haud obscurè colligitur. Ibidem urgendo, *oportere omninò hominem regenerari*, ostendit naturam hominis ante istam regenerationem esse omnimodo peccato infectam & coinquinatam &c.

2. *In styli conformatione;* dum scil. adhibentur concisæ (1.) *Voces*, de quibus rectissimè Chrysostomi illud usurpari possit: *Talis Scripturæ mos est, ut & in parvis verbis plurima sæpè multitudo sensuum* (sententiarum & doctrinarum) *inveniatur. Divina enim sunt doctrina, non humana, & propter hoc omnem illam videre licet secus se habere, quàm humanam.* Et illud, quod Rabbini dicunt: אֵין בַּתּוֹרָה אֲפִילוּ אוֹת אַחַת שֶׁאֵין תְּלוּיִים בָּהּ הָרִים גְּדוֹלִים: h. e. *In lege sive Scripturis non esse literam, à qua non pendeant magni montes doctrinarum.* Præ aliis autem ille Laconismus cernitur, *tùm* in vocibus *metaphoricis*, quæ non raro ingentem rerum copiam complectuntur: ut cum Christum vocat *agnum Dei, vitem, Solem justitiæ, panem vitæ, germen Davidis, Leonem de tribu Juda:* cùm Christianos vocat *oves, membra Christi, palmites, bonas arbores.* Una enim ejusmodi appellatione plura omninò continentur, quæ diligenti Scripturarum lectori cognoscenda, & ex natura rerum, à quibus appellationes desumuntur, eruenda relinquuntur. *Tùm* in nominibus *propriis*, quibus res longè maximas significat. Ut voce *Jesus* & *Messias*, totum officium Christi Salvatoris indicatur. *Abelis* nomen à matre filio inditum Gen. 4. indicat, qualis sit natura lapsi destructique hominis post lapsum. Nomen *Immanuel* Es. 7. *tùm* Divinitatem Salvatoris, *tùm* sanctissimum ejus manifestat officium, in reconciliatione Dei positum. Eadem aliorum nominum propriorum est ratio. *Tùm* in vocibus *compositis*, ubi unica Hebraica, eaque ex diversis *vel* verbis, *vel* conjugationibus, *vel* operationibus composita voce, plura sæpe comprehenduntur, quæ in aliis linguis παραφράζειν oportet, ut ἔμφασις ejus exprimatur. Sic Zach. 10: 6. dictione וְהוֹשְׁבוֹתִים (quæ composita est ex יָשַׁב *sedit*, & שׁוּב *reversus est*, in Hiphil) & divinæ reductionis in patriam, & tranquillæ collocationis seu securitatis beneficium Deus promittit. Vide & alia in auctario Institutionum Gram. Hebr. (2.) *Phrases*, quæ ita comparatæ sunt, ut maximam & divinam planè redoleant sapientiam, & plurima in se contineant. Tales sunt, *morte mori*, Gen. 2: 17. *conterere caput serpentis*, Gen. 3: 15. *benedicere alicui*, Gen. 12: 3. *sedere ad dextram Dei*, Heb. 8: 1. *bibere calicem*, Matth. 20: 22. &c. (3.) *Gnomæ* & sententiæ, quo pertinent sententiæ (1.) *legales*, seu præcepta Decalogi, quæ synecdochicè concepta, mirâ brevitate res longè maximas in se continent, ita ut *præcepta affirmantia* negativa prohibentia, & contrà; *delicta crassiora* & externa, peccata interiora omnemque concupiscentiam, itemque peccatorum illorum causas, occasiones &c. comprehendant. Sic *homicidium* in quinto præcepto prohibitum, complectitur etiam *iram in corde, malevolentiam in vultu, calumniam in ore*, docente Christo Matth. 5: 22. Summatim dicendo, mandato-

rum illa decade continetur omne id, quod est ἀνομία 1 Joh. 3: 4. cujus ἀνομίας in mundo numerus est inæstimabilis. Hûc pertinent etiam *accusationes legales*, quales sunt: *Omnis cogitatio cordis humani tantùm mala omni die*, Gen. 6: 5. *Cogitatio cordis humani mala est ab infantia sua*, Gen. 8: 21. *Quis potest mundum dare de immundo conceptum semine?* Job. 14: 5. *Fraudulentum cor super omnia & mortiferum est, quis cognoscat ipsum?* Jer. 17: 9. quæ verbis concisæ, at rebus ipsis valdè graves sunt. (2) *Euangelicæ*, quæ odorem promissionum salutis per & propter Christum factarum, ceu parvi quidam flosculi exhibent, de quibus usurpare commodè possis illud, quod D. *Bartholomæo* tribuitur, & extat apud Dionysium de myst. Theol. cap. 1. *Theologia & plurima est, & minima, Euangeliumque & latum & magnum, rursusque concisum*. Talia apopthegmata Euangelica sunt Gen. 3: 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis*. Gen. 12: 3. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Esa. 7: 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabit nomen ejus Immanuel*. cap. 9: 6. *Puer natus est nobis, & filius datus est nobis &c.* Mat. 11: 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*. Joh. 3: 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret &c.* Rom. 3: 24. *Justificamur gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quæ est in Christo Jesu &c.* 1 Tim. 1: 15. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus; quòd Christus Jesus venit in mundum peccatores salvos facere*. Et quæ his similia occurrunt. (3.) *Sacramentales*, & substantiam & fructum Sacramentorum exprimentes, quales sunt, Gen. 17: 7. *Ero Deus tuus, & seminis tui post te*. Mat. 28: 19. *Baptizate eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Marc. 16: 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur &c.* Joh. 3: 3. *Nisi quis renatus fuerit desuper, non potest introire regnum Dei*. Tit. 3: 5. *Salvos nos fecit* (Deus) *per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti*. Matth. 26: 26. *Hoc est corpus meum*. vers. 28. *Hic est sanguis meus N. Testamenti*. 1 Cor. 11: 24. *Hoc facite in meam commemorationem &c.* Quæ omnia ubi debito modo perpenduntur & evolvuntur, thesaurum rerum divinarum longè pulcherrimum continere, pius animus experitur. (4.) *Proverbiales*: quales sunt; Ezech. 16: 44. *Quales mater, talis filia*. cap. 18: 2. *Patres comederunt uvam acerbam, & filiorum dentes obstupuerunt*. Matth. 13. vers. 4. *Colatis culicem, & deglutitis camelum* &c.

3. *In sermonis cohæsione*. Aliquando enim una sententia servit *tùm* præcedentibus, *tùm* sequentibus, & utrisque jungenda est, ut sensui sua constet integritas. Rom. 6: 10. *Quod mortuus est* (Christus) *peccato mortuus est semel, quòd autem vivit, vivit Deo*: Est tùm ratio præcedentis (*Christum non amplius moriturum*, vers. 9.) tùm antecedens collationis sequentis sententiæ, vers. 11. debuisset enim aliàs repeti: *Sicut igitur Christus ipse mortuus est quidem peccato, vivit autem Deo: ita & vos statuite, vos esse mortuos peccato, vivere autem Christo*. Sic 1 Thess. 4: 13. *Nolite dolere de mortuis, sicut illi, qui spem non habent*. v. 14. *Si enim credimus, quod Christus mortuus est & resurrexit: Ita & Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo*. Illud: *Si credimus, quòd Christus mortuus est & resurrexit*, absolvit & præcedentem sententiam (*quòd non debeamus nimioperè dolere*) & incipit sequentem (*quòd Deus exuscitaturus sit etiam Christi membra*) &c.

4. *In ellipseôn usurpatione*. Sæpissimè enim brevitatis studio, & non sinè elegantia occurrunt in sacro sermone ellipses (1.) *singularum vocum*. Psal. 21. vers. 12. *Cogitdrunt cogitationem, non potuerunt*, pro, quam non potuerunt perficere, Rom. 8: 3. *Quod impossibile erat legi, in quo erat infirmata per carnem, Deus misso filio &c.* scil. præstitit &c. (2.) *Plurium verborum & sententiarum*, quod contingit præcipuè *in promissionibus*, 1 Par. 4: 10. *Si benedicendo benedixeris mihi*: Subaudi, hoc aut illo modo gratum me geram. In *comminationibus*. 2 Sam. 18: 12. *Cavete vobis, ne quis puerum Absalom*, sc. afficiat incommodo, vel lædat. In *juramentis*. Ps. 89: 36. *Semel juravi per sanctitatem meam, si Davidi mentiar*, ubi deest ἀπόδοσις seu pœna, quasi juramentum non servantibus posita. Præsertim autem hûc pertinet, quòd in *collationibus similium* προτάσει posita ἀπόδοσις sive alterum comparationis membrum *vel* planè omittitur, & subintelligendum relinquitur: *vel* uno & altero verbulo innuitur. *Prioris* exemplum 2 Tim. 2: 20. *Posterioris* Rom. 5. v. 12, 14. de quibus omnibus suo loco plura.

5. *In typorum, allegoriarum & parabolarum tractatione*. In istis enim sub parvis involucris amplissimam sæpiùs doctrinam Scriptura abscondit. In *typis* enim verba & de *typo* (in sensu literali) & de *antitypo* (in sensu mystico) intelligenda sunt, ut & in allegoriis. In *parabolis* accommodatio ad rem superiorem & mysticam plerumque omittitur, & concisâ aliquâ gnome sive epiphonemate innuitur. Matt. 18. vers. 35. cap. 19. vers. 30. cap. 20. vers. 16.

Atque hæc de Laconismi, in literatura Spiritus S. conspicui, ratione & conditione dicta sufficiant. Voluit autem hoc dicendi genere

nere

nere Spiritus S. tùm ipsi *Scripturæ*, tùm *Scripturæ lectoribus* consulere. a *Illi* propter sententiarum, mandatorum, mysteriorum, aliarumque rerum sacrarum gravitatem, cui brevis nervositas, & nervosa brevitas, accommodatissima est, testante id etiam Phalereo, cujus verba quære apud Illyric. part. 2. clav. tr. 5. col. 484. *His*, qui facit 1. *ad attentionem*, omnis enim brevitas auditorem reddit attentum; dum enim breviter dicta faciliùs comprehendere valet, eadem etiam majori cum alacritate perdiscit. 2. Ad *facilem comprehensionem*. Memoria enim multitudine obruitur: brevitate & delectatur & sublevatur maximoperè. 3. *Ad excitandum Scripturæ scrutationem* & meditationem, quâ ea, quæ breviter & succinctè dicta, & a Spiritu S. in Scripturis consita sunt, in uberrimam quasi doctrinarum messem dilatantur. Plura vide apud Flacium d. l.

## SECTIO VII.

### De styli sacrarum literarum cohærentia.

Cohærentia ista est *virtus styli sacri, quâ omnia aptè inter se sunt connexa, & suavissimè cohærent*. Est autem duplex: Una *Generalis*, quâ omnia, quæ in Scripturis narrantur & traduntur, ita aptè cohærent, ut nihil quicquam veræ contradictionis sacrosanctis literis insit, utque nihil ἀνακόλουθον, hiulcum & fragosum occurrat. Atque hujus cohærentiæ scrutinium, interpretationis legitimæ adminiculum est grave & solidum, ut quædam hac de re dicentur suo loco. Altera *specialis*, quarundam Scripturæ partium & capitum, quæ continuato quodam εἱρμῷ, & sermonis vinculo quasi conglutinantur. Aristot. 3. Rhet. cap. 9. vocat id λέξιν εἰρομένην καὶ τῷ συνδέσμῳ μίαν, *dictionem tractam & copulatione unam*, quam in Herodoti scriptis commendat: alii in Homeri poëmatis. Hinc veteres tria dixerunt esse impossibilia: *Eripere Jovi fulmen, Herculi clavam, & Homero versum*. Putabant nimirum, tantam in Homero esse omnium connexionem, ut ne unicus quidem versus salvâ cohærentiâ subtrahi possit. Id ipsum longè rectiùs dici potest de literatura sacræ Scripturæ, in qua utplurimùm oratio est pendens seu connexa, ut loquuntur Rhetores, quâ ita connectuntur inter se cola & sententiæ, ut omnia cohæreant, utque nusquam plenè possimus respirare, donec ad finem illius orationis pervenerimus. Exemplum illustre hujus cohærentiæ est c. 1. ad Coloss. in quo sequentes sententiæ ita præcedentibus quasi alligatæ annexæque sunt, ut sine quiete aut respiratione necesse sit lectorem uno, continuatoque cursu pergere, donec tandem totum caput absolvens ad metam quasi perveniat. Alia exempla præ aliis illustria suppeditant Rom. c. 1. & 2. 2 Cor. c. 6. 2 Tim. 1. v. 8. seqq. 1 Petr. c. 1. &c. Vide Flac. part 2. tract. 5. colum. 493. seqq.

a Causa brevitatis in stylo S. Sacræ.

*Objicitur* contra hoc, esse in Scripturis quasdam sententias, quæ non satis aptè cum reliquo textu cohæreant. V. G. (1.) Gen. 48. v. 7. *Et ego cùm venirem de Padan, mortua est apud me Rachel in terra Canaan, in via, cùm adhuc esset milliare terræ usque ad Ephrath. Et sepelivi eam ibi, in via Ephrath, ipsa Bethlehem.* Hæc verba in sermone Patriarchæ Jacobi, præcedentibus non videntur aptè cohærere, uti collatio ostendit. (2.) Es. 38: 21. *Dixit autem Esaias, sumatur palatha ficuum; & conficiatur emplastrum, quod imponatur ulceri, & revalescet.* v. 22. *Dixitque Ezechias, quodnam est signum, me ascensurum esse in Domum Jehovæ.* Hi duo versus cum antecedentibus nullo modo cohærere videntur, in quib. carmen Ezechiæ Eucharisticum post recuperatam sanitatem in Jehovæ laudes decantatum enarratur: duobus autem istis versibus continentur, quæ ante illam sanationem contigerunt. (3.) Jer. 40: 1. *Verbum quod factum est ad Jeremiam à Jehova &c.* Quod cum sequentibus minùs cohæret, in quibus nullius in specie verbi divini fit mentio, sed quædam tantummodò historica enarrantur. (4.) Joh. 18: 24. *Misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.* Quæ verba non cum immediatè præcedentibus, sed cum v. 13. cohærere, & incuriâ Scribæ in eum locum reposita esse videntur. (5.) 1 Tim. 5: 23. *Noli amplius aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Quæ verba nec cum præced. nec cum seqq. cohærent, Similiter & v. 24. & 25. non satis cum præcedentibus connecti posse videntur.

Resp. I. *In genere.* 1. Pauca illa exempla (dato, esse ἀνακόλουθα) toti Scripturæ ejusque cohærentiæ nihil præjudicare possunt vel debent. Quemadmodum enim quædam in Scripturis obscuriùs dicta occurrunt, 2 Pet. 3: 16. quæ tamen ipsius Scripturæ claritatem & perspicuitatem non tollunt: ità h. l. se res habet; cohæreant sanè quædam, eaque paucissima,

non

non satis aptè: in majori tamen Scripturæ sacræ parte, laudatus τῆς λέξεως σύνδεσμος obvius est, & satis conspicuus. 1. Quæ per ὕστερον πρότερον (quod aliquoties fit) in Scripturis recensentur, non statim pro non cohærentibus sunt reputanda. In Grammat. sacrâ multâ ὑστερολογίας sacræ adducentur exempla, ubi quædam narrantur, quæ tamen prius contigêre, quàm eo ordine & tempore, quo narrantur: Cum ista igitur Scripturæ cohærentia, ejusdem idiotismus & consuetudo conjungenda est. 3. Quin & in adductis exemplis cohæsionis ratio satis commoda dari potest, ut ex responsione speciali patebit.

II. *In specie.* 1. Ad locum Gen. 48:7. connexio cum præcedentibus satis est commoda. Adoptaverat sibi Patriarcha duos ex Josepho nepotes. Ejus adoptionis causa his verbis redditur, q. d. cùm ex Rachele primaria mea uxore plures potuerim suscipere liberos, si superstes mansisset, æquum est; ut defectum illum ex te ejus filio suppleam. Pro liberis itaque, quos illa mihi dare potuisset, tuos adopto, postquam mater tua magno meo cum luctu & damno, partus doloribus superata occubit. Fr. Junius inquit, *velle Jacobum his verbis exponere causam duplæ hæreditatis in Josephum collatæ, videl. quod primogenitus ex justa uxore esset. Deinde, velle etiam designare primariam hæreditatem ad Ephraimum perventuram, quam designationem jam olim fecisse Rachel morte & sepulturâ suâ videbatur.* Gloss. ord. *Fortè prophetice Jacobum hîc commorare,* ait, *Rachelem esse sepultam in Bethlehem: quia ibid. nasciturus erat Christus, quasi idipsum hîc in Spiritu prævideri Jacob &c.*

2. Ad Esai. 38:21. 22. Resp. 1. Schnepff. in h. l. putat, *illa verba ad marginem fuisse annotata ex libris Regum, cùm prætermissa sunt in recitatione historiæ propheticæ: posteà autem ad calcem historiæ fuisse adjecta.* 2. Simpliciùs asseritur, ab ipso Propheta per ὕστερον πρότερον fuisse appositos hos duos versus, ut breviter exprimerent id, quod fusiùs dictum erat in libro Regum. 3. Bene igitur Junius, Tremellius, Vatablus, & alii vocem, ויאמר, in utroque versu occurrentem, vertunt in plusquam perfecto; *Et dixerat,* ut ita ὑστερολογία illa magis conspici possit. 4. Sed & connexio dari potest cum præcedentibus commoda. Dixerat Ezechias in ode suâ Eucharisticâ vers. 16. *Fecisti, ut revalescerem, & vivificâsti me.* vers. 20. *Jehova ad servandum me* (præsto mihi fuit.) Voluit igitur Propheta breviter vers. 21. attexere, quo medio & remedio à Deo Rex sanatus fuerit. vers. 22. ideò additur, ut gloriosa promissionis divinæ, Ezechiæ Regi factæ, completio redderetur illustrior. Decantaverat Deo Rex, post sanitatem receptam, psalmum eucharisticum, idque in templo, ut probabile redditur ex vers. 20. ideò addit Propheta vers. 22. *dixeratque Ezechias, quodnam est signum, me ascensurum esse in domum Jehovæ?* quasi dicat, dubitabat quidem Ezechias de promissione divina sanitatis recuperandæ, ideoque signum sive σφραγῖδα ejus flagitabat: at ex carmine prædicto certitudo & complementum ejus promissionis satis perspicuum.

3. Ad Jer. 40: 1. Resp. Principio isti capitis 40. respondet contextus cap. 42: 7. seqq. quæ autem inter duo ista loca interseruntur, continent Prophetiæ istius occasionem, nempe quod Gedaliâ interfecto, reliquiæ Judæorum proficisci volebant in Ægyptum: id quod Jeremias per istam Prophetiam dissuasit. Potiùs igitur exacta hîc connexio & σύνδεσμος sermonis Prophetici, ejusque ἀφορμῆς seu occasionis, agnoscenda.

4. Ad Joh. 18. vers. 24. Resp. Si accuratè textus expendatur, apparebit & hîc certa ratio, propter quam huic ipsi loco verba illa de adductione Christi ad Caipham, Euangelista inserere voluerit. Dixerat in præcedentibus, *alapam à ministro Pontificis Christo fuisse inflictam;* ut igitur facti hujus atrocitatem indignitatemque magis exprimeret, subjunxit: *Annas miserat eum vinctum, ligatum & constrictum ad Caipham,* q. d. stabat Christus coram judicio constrictus illis vinculis, quæ Annas ipsi injici curaverat, indignissimè igitur cum ipso actum, & afflicto afflictio maxima addita fuit, ignominiosâ illâ maxillæ percussione.

5. Ad 1 Tim. 5. vers. 23. Resp. 1. vers. 24. cum vers. 22. cohæret, ubi præcipit Apostol. Timotheo, *ne citò alicui manus imponat,* q. d. Quamvis quorundam peccata sint manifesta, propter quæ ab Ecclesiasticis officiis eos excludere in proclivi est, tamen aliorum peccata sunt occulta, quæ temporis progressu in lucem proferuntur, ideò ad ordinationem non est temerè & præcipitanter accedendum. 2. Simili ratione cohæret vers. 25. cujus sensus est, quòd illi, quorum pietas ac probitas perfecta est, citò possint ad ministerium ordinari. Quod verò reliquos attinet, qui non sunt adeò noti, quamvis & ipsi pii sint, tamen potest eorum ordinatio aliquandiu differri, donec ipsorum probitas magis perspecta fiat. 3. Versus autem 23. privatam admonitionem continens per parenthesin quasi interseritur,

ut in

ut in familiaribus epistolis fieri assolet, ubi non semper exactus rerum scribendarum ordo observatur. 4. Aliter autem sese res habet in iis Epistolarum Paulinarum partibus, quibus *fidei mysteria & dogmata* tradit: in quibus cohærentia illa sermonis præcipuè elucet.

## SECTIO. VIII.

### *De styli sacrarum literarum verecundia, & castitate.*

NEque hæc literaturæ sanctæ proprietas silentio prætermittenda est, quod scil. ab omni ἀκαθαρσίᾳ, αἰσχρότητι καὶ εὐτραπελίᾳ (quæ vitia à Christiano homine longùm abesse jubet Apostolus Eph. 5: 3, 4.) aliena est, & res alioqui obscœnas, & castarum aurium offensivas, *vel* verecundis verbis exprimit, *vel* aliàs verecundè circumscribit. Rhetores id vocant εὐφημισμὸν ac ὑποκαλισμὸν, & describunt, quòd sit *appellationis, quæ est mali ominis, aut alioqui auribus odiosa, mutatio in aliam, quæ sit boni ominis, aut certè non itidem aures offendere possit.* Eustathius, εὐφημισμὸς, inquit, ἐςὶ τὸ σχῆμα, ἀγαθῇ κλήσει περιςέλλον τὸ φαῦλον. R. Kimchi de Hebræa V. T. lingua scribit, *nullum vocabulum proprium in lingua illa deputatum esse ad aliquam turpitudinem aut fœditatem, sed per aliquas circuitiones exprimi.* Neque verò mirum est, Spiritum sanctum, qui omnis καθαρότητος, pudicitiæ & castitatis auctor & conservator est, tali etiam sermonis genere in Scripturis voluisse uti. Videamus autem hujus rei exempla quædam.

I. Utitur honestis *verbis* & *phrasibus*, quibus res obscœnas exprimit. Sic (1.) vocem רַגְלַיִם quæ pedes significat, pro omni eo quod est infra alvum, & interdum pro pube seu genitali usurpat. Quod significatum occurrit Gen. 49. v. 10. *Legislator ex inter pedes ejus* מִבֵּין רַגְלָיו, quod explicandum ex Deut. 28. vers. 57. ubi de muliere vorante fœtum suum dicitur, *& in secundinam sive teneram prolem suam sæviet præ fame, quæ egreditur* מִבֵּין רַגְלֶיהָ *ex inter pedes ejus*, (unde rectè Tharg. locum Gen. 49. vers. 10. exponit, מִבְּנֵי בְנוֹהִי *à filiis filiorum ejus.*) Esa. 7. vers. 20. *In die illa radet Dominus novaculâ mercede conductâ caput*, וְשַׂעַר רַגְלַיִם *& pilum pedum:* quâ loquelâ proximè pubes, & deinceps per metaphoram infimæ sortis ac conditionis homines intelliguntur. Exinde deducta quibusdam videtur esse phrasis, Jud. 3. vers. 24. מֵסִיךְ הוּא אֶת־רַגְלָיו *tegit ipse pedes suos*, quæ extat etiam 1 Sam. 24. vers. 3. pro eo, quod nos *ventrem purgare* seu *exonerare* dicimus, Tharg. עָבֵד הוּא יָת צֹרְכֵּהּ *facit ipse necessitatem suam*. Etsi alii phraseos originem, & commodiùs quidem, exinde arcessunt, quia in illa flexione crurum & femorum, vestis, quæ ante vix genua attingebat, terram usque pertingit. Sanctius in Esa. cap. 6. n. 11. addit locum Exod. 4. vers. 25. *Tulitque Sephora petram, & circumcidit præputium filii sui*, וַתַּגַּע לְרַגְלָיו *& tetigit pedes ejus &c.* ubi per *pedes* illud filii membrum intelligit, à quo per circumcisionem aliquid detrahitur, quasi Sephora partem illam circumcisam stillantem sanguine tetigisset, ostendissetque Mosi marito, inquiens: *Sponsus sanguinis mihi es*, id est, vide, quàm carè mihi steterit connubium cum Hebræo contractum. Addit itidem verba Esa. 6. vers. 2. ubi dicitur, quod *Seraphim duabus alis texerint pedes suos*, quasi Seraphim humanâ formâ apparentes, præ reverentia divini Numinis illud membrum obtexerint, quod *pedum* nomine significari anteà dictum est. (2.) Pro pube seu inguine usurpatur vox בָּשָׂר caro. Gen. 17. vers. 13, 23. Lev. 15. vers. 2, 19. Ezech. 16. vers. 26. cap. 23. vers. 20. (3) Verbum יָדַע *quod cognoscere, sentire, experiri* significat. pro conjugali seu maritali cohabitatione accipitur. (Pro quo Syri verbum חֲכַם usurpant, *sapiens, peritus fuit*, Mat. 1. vers. 15. Luc. 1. vers. 35.) Gen. 4. vers. 1. *Et Adam* יָדַע *cognovit Evam uxorem suam*. cap. 19. vers. 8. *Quæ non* יָדְעוּ *cognoverunt virum.* Sic 1 Reg. 1. vers. 4. Jud. 11. vers. 39. Luc. 1. vers. 34. usurpatur. Gen. 19. vers. 5. de scelere Sodomitarum execrando idem verbum usurpatur, (ut & Jud. 19. vers. 22.) quod per consimilem εὐφημισμὸν in Epist. Judæ vers. 7. ita circumloquitur Apostolus: quod *Sodoma & Gomorrha & finitimæ civitates fuerint* ἐκπορνεύσασαι, καὶ ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας, *exfornicatæ & retrogressæ post carnem diversam:* ubi verecundè notatur flagitium Sodomitarum ἀρσενοκοιτῶν. Confer Rom. 1. vers. 27. (4.) Ejusdem verecundiæ exemplum est in phrasi בּוֹא *venire*, & קָרַב *appropinquare ad mulierem*, quarum utraque concubitum notat, & usurpatur, *prior* quidem Gen. 6. vers. 4. c. 19. vers. 31. cap. 38. vers. 9. 2 Sam. 11. vers. 4. Psal. 51. vers. 2. (Jud. 51. vers. 1. explicatur per *venire ad uxorem in cubiculum:*) *posterior*, , Gen. 20. v. 4. Lev. 18. vers. 6. Esa. 8. vers. 3. (5.) Quomodo scelus Onani execrandum honestè & verecundè describatur, vide Gen. 38. vers. 9. (6.)

1 Cor. 7. verſ. 3. conjugale debitum phraſi perquàm verecundâ circumſcribitur, quando ait Apoſtolus: *τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλομένην εὔνοιαν ἀποδιδότω, ὁμοίως καὶ ἡ γυνὴ τῷ ἀνδρὶ*, *Uxori vir debitam benevolentiam reddat, ſimiliter autem & uxor viro.* Perinde ut Plutarch. in lib. de amore, *Obſequium, quo mulier viro ſuo copiam ſui facit, à veteribus dici χάριν*, annotat.

II. Quod turpe eſt & indecorum, *κατ' εὐφημισμὸν per antecedentia & conſequentia* declarat. *Prioris* exemplum eſt Deut. 27. verſ. 20. in phraſi גַּלֵּה כְּנַף *diſcooperire alam alicujus*, ſive *fimbriam*, extremitatem veſtis inferiorem (quod vox כְּנַף ſignificat, Deut. 22. verſ. 12.) quæ ex antecedente intelligendum relinquit conſequens, & honeſtam circumſcriptionem concubitus continet. Conformis huic phraſis aliquibus videtur eſſe Ruth. 3. verſ. 2. פָּרַשְׂתָּ כְנָפֶיךָ *extende alas tuas ſuper ancillam tuam*, (etſi hic protectio, quâ maritus protegit uxorem, metaphoricè idque haud incongruè intelligi poſſit.) Sic Levit. 18. verſ. 6. & ſeqq. phraſis גַּלּוֹת עֶרְוָה *revelare nuditatem alicujus*, aliquoties pro maritali conſuetudine accipitur, perinde ut Gen. 49: 4. de inceſtu Rubenis cum noverca dicitur: *Aſcendiſti cubile patris tui.* Utrobique per antecedens relinquitur intelligendum conſequens, quod cum fœditate quadam conjunctum eſt. *Poſterioris* exempla in Scripturæ locis ſunt, ubi *purificatio* pro impuro & coinquinato (cujus illa conſequens eſt) accipitur, & id quod immundum ac pollutum eſt, ita circumſcribitur, quod *mundetur* ſeu *ſanctificetur.* Deut. 22: 9. *Ne ſeras vineam tuam mixtis, ne fortè* תִּקְדַּשׁ *ſanctificetur plenitudo ſeminis, quam feciſti, & proventus vinearum*, hoc eſt, ne ejuſmodi ſint, ut ſanctificari debeant aut mundari. Unde Tharg. habet, תִּסְתָּאַב *polluatur.* Tali *εὐφημισμῷ* apud Latinos *peccatum*, quod aliquid turpe & fœdum eſt, *piaculum* dicitur, quod aliquid ſanctum & expiatum importat, quia commiſſum peccatum expiari aut ſolet aut certè debet. Eodemque artificio Cicerone *legati* dicuntur *redemti*, quia turpe erat, neque perſonam conſularem decebat, illos dici captos. Vide Sanctium in Eſa. cap. 23. num. 49.

Objicitur contra hanc Scripturarum Sacrarum verecundiam

1. *Contineri quædam in Scripturis turpia & obſcœna, quibus hominum mentes offendi poſſint.* Pontificiis id inter alia pro cauſa venditatur, quòd Laicos à lectione Scripturæ ſacræ in vernacula & vulgari lingua arcent. Ita enim Bellarminus lib. 2. de Verbo DEI cap. 15. *Si populus rudis audiret, linguâ ſuâ vulgari legi ex Canticis Canticorum: Oſculetur me oſculo oris ſui. Et, Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me: Et illud Oſeæ: Vade, fac tibi filios fornicationum: nec non adulterium Davidis, inceſtum Thamar, mendacia Judith, & quemadmodum Joſeph fratres ſuos inebriavit; Sara, Lea, & Rachel dederunt ancillas viris ſuis in concubinas, & multo alia eorum, qui in Scripturis magna cum laude commemorantur, vel provocaret ad hujuſmodi imitanda, vel contemneret ſanctos Patriarchas, ut olim Manichæi, vel putaret, mendacia eſſe in Scripturis.* Reſp. 1. Diſtinguendum inter res ipſas, & rerum narrationem ſive deſcriptionem, quæ ad ſtylum ac ſermonem Scripturæ pertinet. Etiamſi turpia quædam hominum peccantium facta in Scripturis contineantur, illa tamen non turpibus, ſed verecundis & honeſtis proponuntur verbis: quâ de verecundiâ ſtyli nobis unicè ſermo eſt. 2. Neque tamen ob narrationem hiſtoricam ejuſmodi factorum, tantum (quod Bellarminus vult) ſcandalum metui vel debet vel poteſt. Nam (1.) ſic DEO ipſi Scripturarum auctori ea culpa impingeretur, qui *Scripturas ab omnibus legi & cognoſci* vult, Joh. 5:39. 2 Tim. 3:15. 1 Theſſ. 5:27. quique tam verecundo ſermonis genere Scripturas extare voluit, ut in lectione etiam eorum, quæ in ſe turpia ſunt, omne præcaveretur ſcandalum. (2.) Illa Sanctorum delicta ſcripta ſunt non ad imitationem, ſed *tum* ad cautionem ſtantium, *tùm* ad conſolationem & emendationem lapſorum: *ut ruina præcedentium ſit admonitio ſequentium*, ut loquitur Chryſoſtomus homil. 34. in Matth. *ut audiant, qui non ceciderunt, ne cadant; qui ceciderunt, ut ſurgant: non ſit delectatio minorum lapſus majorum, ſed ſit tremor minorum, lapſus majorum*, quæ ſunt verba Auguſtini in Pſalm. 40. Pulchrè Sixtus Senenſis lib. 8. Biblioth. ſanctæ p. 611. oſtendit, *vitiorum illorum, quæ in Scripturis annotantur, conſideratione, fidem, eruditionem, timorem ac ſpem in nobis augeri*, quæ omnia rudi populo explicanda, nequaquam verò Scripturæ lectioni ipſis interdicendum erat. (3.) Tollantur autem prius in Antichriſtiana Eccleſiâ, publica (quæ Roma mater meretricia fovet) lupanaria, & notoria ſcandala, antequam de avertendo ſcandalo, ex Scripturarum ſanctiſſimarum lectione metuendo, inſtituatur querimonia. 3. Cæterum videtur Bellarminus ſtatuere, in ſtylo etiam & ſermone literarum ſacrarum quiddam obſcœni reperiri, unde verba quædam Cantici Canticorum & Oſeæ adducit. Sed vana iſthæc eſt ſuſpicio. Verba Canticor. 1. verſ. 1. *Oſculetur me oſculo*

*lo oris sui:* & cap. 2. vers. 6. *Lava ejus sub capite meo, & dextra illius amplexabitur me*, scandalosa forsan & impura sint τοῖς μεμιασμένοις coinquinatis, *quorum & mens & conscientia inquinata est*, Tit. 1: 15. non verò iis, qui rectis oculis depuratâ mente in Cantico illo deliciantur. Quin & scandalum hoc ipse Bellarminus amovere novit, quando lib. 1. de Verbo DEI cap. 5. contra hæreticos quosdam de de hoc Cantico scribit: *Nimirum hæc est prudentia Spiritus sancti, ut explicaret DEUS benevolentiam suam in genus humanum, & quàm ardenti charitate per mysterium incarnationis Ecclesiam, quasi sponsam aliquam, sibi Christus copulaverit, multò antè cani voluit carmen nuptiale.* 4. Verba Oseæ cap. 1, 2. prout à Bellarmino adducuntur (quâ ratione possent videri cum obscœnitate conjuncta) non habentur in textu originali & authentico, sed ex vitiosa versione, quam *vulgatam* appellant, desumta sunt. Ita enim in Hebræo est: *Vade, accipe tibi uxorem fornicationum*, וְיַלְדֵי *& filios fornicationum.* Vulgatus interpres de suo addidit: *Fac tibi.* Lutherus rectiùs: **Gehe hin / nim ein Hurenweib und Hurenkinder.** Quomodo autem illa mulieris meretricis & liberorum meretriciorum acceptio ritè exponenda sit, alibi expenditur. Relinquat igitur Bellarminus & hic versionem suam vulgatam, eamque ad purum & castum fontem exigat, tùm & suis Scripturam ritè explicet, & amota erit omnis scandali occasio.

a 2. *Esse quasdam voces in Vet. Testam. obscœnas, pro quibus proinde Masoretha alias honestiores substituerunt.* E. gr. Pro voce שְׁגֵל quæ *concumbere, rem cum aliqua habere*, denotat, in margine notant legendum esse vocem שָׁכַב *accubuit, jacuit*, Deut. 28. vers. 30. Jerem. 3. vers. 2. Zach. 14. vers. 2. pro voce עֳפָלִים *vitia sedis, mariscas, hamorrhoides* significante, ajunt legendum esse טְחֹרִים Deut. 28. vers. 27. 1 Sam. 5. vers. 6, 9, 12. Pro voce שֵׁינֵיהֶם quæ *urinas eorum* denotat, legendum substituerunt מֵימֵי רַגְלֵיהֶם *aquas pedum suorum.* Pro voce חוֹרִים & חֲרָאִים quæ *stercora ex foramine seu ano egredientia* notat, legendum esse צוֹאָתָם *egestionem suam*, 2 Reg. 18. vers. 27. Esai. 36. vers. 12. Pro voce מַחֲרָאוֹת quæ *foramina, quibus excipiuntur stercora, cloacas, latrinas*, significat, in margine scribunt 1. legendum esse מוֹצָאוֹת *egressiones.* 2 Reg. 10. vers. 27. Pro voce חֲרִיוֹנִים quæ *stercora columbarum* notat (quasi חורי יונים *foramina columbarum*, seu quod ex columbis per foramina egreditur) notant legendum esse דִּבְיוֹנִים q. d. *quod* דב *fluit*, ex יונים *columbis*, 2 Reg. 6. vers. 25. De his traditio, quæ legitur in codice Thalmud. Megilla cap. 3. ita ait: כל־המקראות הכתובין בתורה לגנאי קורין אותן לשבח *Omnes voces, quæ scriptæ sunt in lege obscœne, legunt eas honestè*, Resp. Verba illa in textu Hebræo posita non in se, sed ex communi & profano apud Judæos usu, & opinione obscœna fuerunt: Pro iis igitur, ut aliæ, communi usu pro honestioribus habitæ, legerentur, à Judæorum piis Doctoribus cautum, ac proinde in margine eæ dictiones vicariæ à Masorethis positæ fuerunt. Perinde ac si quis hodiè Paulinum illud Philip. 3. vers. 8. **Jch achte es für Dreck /** verecundiæ causâ, neve juniores offendat, in solenni Ecclesiæ conventu efferret: **Jch achte es für Kot /** & sic publicè semper legendum esse, margini annotaret; retentis nihilominùs in scripto textu formalibus Lutheri verbis.

## SECTIO IX.

### *De styli sacrarum literarum proprietate.*

PRoprietate isthac duplex styli sancti ἀυχημα intelligimus.

1. *Divisim* varios vocum, phrasium, locutionumque idiotismos, quæ toti Scripturæ, præsertim autem Veteris Testam. libris insunt, quales Hebrææ linguæ idiotismi in aliis linguis (prout à profanis excultæ habentur Scriptoribus) non occurrunt, quosque sua in lingua nemo Interpretum satis commodè verbotenus exprimere valet. De hac proprietate aliàs, DEO clementer vires largiente, tractabitur. (a De masoretharum vocibus in margine substitutis.)

2. *Complexim* singularitas literaturæ sacræ illa intelligitur, quæ ex hactenus enumeratis ejus qualitatibus simul conjunctis oritur. Quia enim Scripturæ sacrosanctæ character & sermo eâ (de qua hactenus actum) puritate & integritate, eâ certitudine & claritate, eâ simplicitate, eâ efficaciâ, eâ evidentiâ, eâ plenitudine, eâ brevitate, eâ cohærentiâ, eâ verecundiâ & castitate, eâ demùm, cujus priori loco mentio facta est, proprietate pollet, inde evidens ejus, ab omnibus aliis styli sermonisque humanâ industriâ elaborati generibus, *singularitas* emergit. Quidam breviter id ad *simplicitatem* & *majestatem* styli revocant. Chrysost. homil. 46. in Matth. *Omnia verba divina, quamvis rustica sint & incomposita*, (intelli-

ligit autem *simplicitatem*, quam κατα χρηστικῶς his nominibus appellat) *viva sunt, quoniam intus in sensibus suis habent positam veritatem DEI, quasi sanguinem in venis inclusum, & ideò vivificant audientem: omnia autem verba secularia, quoniam non habent in se virtutem DEI, quamvis sint composita & ingeniosa, mortua sunt, quoniam in venis suis non habent virtutem DEI, proptereà nec audientem salvant.* Cæterùm singularitatem illam sacri sermonis ii demùm percipiunt, qui piâ & devotâ meditatione in ejus quasi viscera & penetralia se abscondunt, secuti Augustinum, qui de *seipso* Manichæo adhûc existente, & obiter ac per transennam quasi Scripturas legente, ita loquitur, lib. 3. confess. c. 5. *Non eram ego talis, ut intrare in eam* (Scripturam) *possem, aut inclinare cervicem ad ejus gressus. Non enim sicut modò loquor, ita sensi, cùm attendi ad illam Scripturam, sed visa est mihi indigna, quam Tullianæ dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum ejus, & acies mea non penetrabat interiora ejus. Veruntamen illa erat, quæ cresceret cum parvulis, sed ego dedignabar esse parvulus, & turgidus fastu grandis videbar.* At idem ex Manichæo Christianus jam factus, ac degustatâ Scripturæ sermonis suavitate, longè aliter sentit: *Eò mihi venerabilior* (inquit) *& sacrosanctâ fide dignior apparebat auctoritas, quò & omnibus ad legendum esset in promptu, & secreti sui dignitatem in intellectu profundiore servaret, verbis apertissimis & humillimo genere loquendi se cunctis præbens, & exercens intentionem eorum, qui non sunt leves corde, ut exciperet omnes populari sinu, & per angusta foramina paucos ad te (ô DEUS) trajiceret, multò tamen plures quàm si nec tanto apice auctoritatis emineret, nec turbas gremio sanctæ humilitatis hauriret*, lib. 6. confess. c. 5.

*Tantùm de proprietatibus styli sacrarum literarum genericis.*



TRA-

# TRACTATUS IV.

# DE STYLO SEU LITERATURA SCRIPTURÆ SACROSANCTÆ IN SPECIE.

## SECTIO. I.

### *De stylo Prophetico.*



HActenus in stylum Scripturæ sacræ genericam instituimus ἐξέτασιν: superest, ut *in specie* de eodem ad certas Scripturæ partes restricto agamus. Et propositam quidem superiùs in vestibulo Tractatus tertii, distinctionis cynosuram secutis, occurrit primò omnium *stylus Propheticus*. Nota autem 1. Per *Prophetas* hîc non generatim V. T. Scriptores immediatos intelligi, (quo sensu Prophetæ ab Hebræis dividuntur in רִאשֹׁנִים & אַחֲרֹנִים *priores & posteriores*) sed *in specie*, tùm Prophetas posteriores, 4. majores, & 12. minores, qui κατ' ἐξοχὴν tales vocantur, ob futurorum prænunciationem: *tùm* Mosen etiam, Davidem, & in N. T. Johannem, quatenus oracula de futuris proponunt. 2. Prophetias & oracula considerari, non prout à Prophetis vivâ voce facta, sed prout scripto comprehensa; & ad nos propagata sunt: non prout à Prophetis eduntur, sed prout à posteris leguntur. De hoc igitur Prophetico sermonis genere sequentes annotamus canones & aphorismos.

### Canon I.

*Modi Prophetiarum seu vaticinia proponendi, sunt varii.*

QUemadmodum divina Majestas πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *multifariam multisque modis* Prophetis sese olim revelare voluit, quorum modorum aliqui Num. 12. vers. 6. 8. recensentur (ex quo loco *quinque patefactionum divinarum genera* ab aliquibus colliguntur: 1. בַּמַּרְאָה *per visionem*, cùm rem in visionibus revelatam intuemur. 2. בַּחֲלוֹם *in somnio*, quod contingit dormientibus. 3. בְּחִידֹת *in ænigmate*, cum aliud videtur, aliud innuitur, ut erat, cùm librum Ezechiel comederet: qualis etiam fuit Apocalypsis Johanni facta. 4. בִּתְמֻנַת *in figura* seu idea, cùm rerum imagines intuemur. 5. פֶּה אֶל־פֶּה *per allocutionem divinam*, qui modus omnium præstantissimus, cum Angelis Mosi fuit communis.) Ita variis etiam modis per Prophetas ad homines loqui, eosdemque de futuris informare dignatus fuit, ut & hic varietas eos delectare, majoremque ad attentionem atque zelum inflammare posset. Modi isti ad duplex genus *Verborum* scil. & *signorum*, referri possunt. 1. Quandoque futura denunciant *apertis verbis*, quæ sunt vel *propria*, vel *figurata & symbolica*. Huc pertinent omnia vaticinia de Christo ejusque regno, de Ecclesiæ N. T. collectione, amplitudine, felicitate, & è contrà calamitatibus & persecutionibus: de populorum, quicunque illi sint, eversionibus, & summatim de divinis præmiis ac pœnis, quorum vaticiniorum benè multa in Prophetis occurrunt. *In specie* ad verbale hoc prophetandi genus pertinet, quòd quandoque verbis *optandi & imprecandi*, quandoque verbis *præteriti temporis*, quandoque verbis *à V. T. ritu desumtis* utuntur, de quibus in canonibus seqq. 2. Quandoque futura prænunciant *certis signis*, quæ scri-

ſcriptis etiam ſuis poſteritati reliquerunt exarata (quo reſpectu ad ſtylum ſeu loquendi modum Propheticum ea h. l. reducimus.) Ad ſigna illa pertinent

a 1. *Nominum propriorum impoſitio*, quâ ſæpiùs varios futuroſque ſucceſſus à ſanctis vatibus proponi videmus. Sic Eſa. 7. verſ. 3. in filii Eſaiæ nomine, שְׁאָר יָשׁוּב *Schear Jaſchub*, (quod

a Vaticinatio per nomina propria.

ad verbum ſonat: *reliquiæ revertentur*) futura in populo DEI liberatio prophetice deſignatur, quòd ſcil. populus, malè ab hoſtibus vexatus, ad priorem ſtatum & gloriam ex captivitate ſit rediturus. Item, quod tempore Chriſti exhibiti quidam ex Judæorum populo ad Meſſiam ſint convertendi, ut ex collatione Eſa. 10. verſ. 22. cum Rom. 9. verſ. 26. apparet. Sic Eſa. 8. verſ. 1, 3. nomen imponitur puero recens nato (quem eſſe filium Eſaiæ Prophetæ, ex uxore progenitum, verſ. 3. probabile eſt) מַהֵר שָׁלָל חָשׁ בַּז (quod ad verbum ſonat, *properando ad ſpolia feſtinat ad prædam*) quo ipſo calamitas Iſraëlitarum, per regem Aſſyriorum infligenda, prædicitur, cujus complementum 2 Reg. 16. verſ. 9. deſcriptum extat. Hoſ. 1. verſ. 4, 6, 8. itidem nomina certa Prophetæ filiis & filiæ imponuntur, iiſque futura deſignantur. Joël 3: 2. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat.* Joſaphat ſignificat judicium DEI. Symbolicè igitur exprimitur locus judicio deſtinatus.

2. *Viſionum Propheticarum oblatio.* Viſiones illæ in duplici iterum differentiâ ſunt conſtitutæ. *Quædam* additam habent convenientem interpretationem: *Quædam* eâ interpretatione carent. Ad *priorem* claſſem pertinent viſiones Danielis *de quatuor Monarchiis* cap. 7. ſeqq. Jeremiæ cap. 24: 1, 4. ſeqq. de bonis & malis ficubus &c. & aliæ. Fit autem illa interpretatio *vel* ſimpliciter, viſionis expoſitione: b *vel*

b Vaticinatio per alluſionem.

alluſiva ratione. Neque enim hic ſilentio prætermittendum eſt, viſiones quaſdam Propheticas ita eſſe comparatas, ut per jucundam paronomaſiam vel alluſionem, (in ſermone Hebraico) earum fiat explicatio. Sic Jerem. 1. ℣. 11. *Et dixit Jehova ad me, quid vides Jeremia? & dixi, video virgam* שָׁקֵד *amygdali.* verſ. 12. *Et dixit Jehova ad me, rectè vides: Quia ego* שֹׁקֵד *vigilans* (ero) *ſuper verbum meum, ut faciam illud.* Ibid. verſ. 13. *Et factum eſt verbum Domini ad me ſecundò, dicens, quid tu vides? & dixi, ollam* נָפוּחַ *bullientem ego video, & facies ejus à facie* צָפוֹנָה *aquilonis.* verſ. 14. *Et dixit Jehova ad me,* מִצָּפוֹן *ab aquilone* תִּפָּתַח *pandetur omne malum.* Sic Amos 8. verſ. 2. *Et dixit* (Jehova) *quid tu vides Amos? & dixi, caniſtrum* קַיִץ *fructuum æſtivorum: Et dixit Jehova ad me: Venit* הַקֵּץ *finis ſuper populum meum Iſraël.* *Ad poſteriorem* claſſem pertinent viſiones Ezechielis cap. 1: 3, 8, 9. ſeqq. & Johannis in ſuâ Apocalypſi. Explicatio autem talium viſionum, *vel* ex ipſis facili ratione erui poteſt, qualis eſt ea, quæ Eſa. 6. verſ. 1. ſeqq. deſcribitur: *vel* ex vaticinii complemento, & eventu deſumenda, ideoque difficilior eſt, qualia ſunt vaticinia Apocalyptica.

3. *Actionum Propheticarum expeditio.* Sæpiuſculè enim certis factis, divinitùs injunctis & expeditis, ſuam de rebus futuris ſententiam proponunt. Quales ſunt, quòd Eſaias *nudus divino juſſu incedit* cap. 20: 2. quòd Jeremias divino mandato jugum *tùm* ligneum *tùm* poſteà ferreum, in collo geſtat, cap: 27. verſ. 2. cap. 28. verſ. 13. ſeqq. de quibus ſuo loco fuſiùs.

## Canon II.

*Inter alias Prophetiarum formas occurrit etiam iſta, quod futura a Prophetis prænunciantur formâ optandi, imperandi, atque imprecandi.*

EXempla dari poſſunt duplicis generis. *Quædam* divinorum beneficiorum & gratiæ; *quædam* ſuppliciorum & iræ prænunciationem concernunt. Ad *priorem* claſſem pertinent vota ardentiſſima prophetarum, quibus Meſſiæ (quem præcipuè reſpexêre) adventum in carnem exoptavêre. Gen. 49. verſ. 18. *Domine expecto ſalutare tuum.* Quo ipſo non optat ſolùm Jacob ſed & prophetat. Confer. v. 10. Targum Hieroſolymitanum: *Dixit pater noſter Jacob, non redemtionem Gideonis filii Joas expectat anima mea, quæ boraria eſt; nec redemtionem Simſonis, quæ redemtio temporaria eſt, ſed redemtionem, quam dixiſti in verbo tuo, quod ventura ſit ad populum tuum, filios Iſraël, illam redemtionem tuam expectat anima mea.* Targum Jonathæ poſt mentionem redemtionis Gideonis & Simſonis ita pergit: *Sed redemtionem tuam reſpicio & attendo, Jehovah, quia redemtio tua eſt redemtio æterna.* Quænam autem ea ſit, alia lectio (in exemplari Judaico Hanoviæ excuſo) his verbis tradit: *Sed redemtionem Meſſiæ filii David, qui liberavit filios Iſraël, & educet ex captivitate, & redemtionem tuam expectat anima mea.* Pſalm. 14. verſ. 7. *O ſi quis det è Zione ſalutem Iſraëlis! reducente Jehovâ reducem turbam populi ſui, exultabit Jacob, lætabitur Iſraël.* Ad *poſteriorem* claſſem pertinent Propheticæ vel *juſſiones*, quibus ſimul id, quod jubent, certò certiùs eventurum indicant. Eſa. 47. verſ. 1. *Deſcende*

*stende & sede super pulverem, virgo filia Babel, sede in terra &c.* vers. 5. *Sede tacita, & ingredere tenebrositatem, filia Chasdim*, q.d. verè hoc tibi divino supplicio eveniet, quod jubeo. Vel *imprecationes*, quibus non ex privato odio vel affectu mala hostibus suis exoptant, sed divino potius instinctu mala, prophetico more, ipsis prænunciant. Psal. 79. vers. 6. *Effunde æstum tuum in gentes, quæ non agnoscunt Te: & super regna, quæ nomen tuum non invocant.* v. 12. *Redde vicinis nostris septuplo in signum ipsorum; opprobrium ipsorum, quo affecerunt Te Domine.* Psal. 69. de rejectione & induratione Judæorum (ut constat ex allegatione Apostolica Rom. 11. vers. 9, 10.) ut & de supplicio Judæ proditoris (ut constat ex Act. 1. vers. 20.) similis extat prophetia imprecandi formâ concepta: vers. 23. *Sit mensa eorum ante eos pro laqueo, & pro retributionibus, pro tendicula ipsis.* vers. 24. *Obtenebrentur oculi eorum, ut non videant, & fac, ut lumbi eorum jugiter nutent.* vers. 25. *Effunde super eos indignationem tuam, & æstus iræ tuæ assequatur eos.* vers. 26. *Sint castella eorum desolata, in tentoriis eorum ne sit habitator.* vers. 28. *Appone pœnam ad pœnam iniquitatis eorum, & ne veniant in justitiam tuam.* vers. 29. *Deleantur de libro viventium, & cum justis ne conscribantur.* Psal. 109. vers. 6. seqq. similis de Juda legitur imprecatio Christi, ut patet ex allegatione Act. 1. vers. 20. De his ita August. in Psal. 78. *Non malevolentiæ voto ista dicuntur* (Psal. 79. vers. 6. *effunde iram tuam, &c.*) *sed Spiritu prævisa prædicuntur. Sicut de Juda proditore, quæ mala illi fuerant pro suis meritis eventura, ita prophetata sunt* (Psal. 109. vers. 6.) *quasi optata sint. Quemadmodum enim Propheta non imperat Christo, quamvis modo imperativo pronunciet, quod dicit; accingere gladio tuo circa femur potentissime* (Psal. 45. vers. 4.) *ita non optat, sed prophetat, qui dicit: Effunde iram tuam &c.* Hæc ille. Hûc pertinet execratio illa hostium, à Jeremia divino instinctu profecta, 18. vers. 21. *Trade filios eorum fami, & fac, ut diffluant per gladium, fiantque uxores eorum orbæ ac viduæ; & viri eorum interfectione moriantur.* Augustinus in comment. Psal. 5. hûc etiam refert verba illius Psalmi vers. 11. *Reos fac istos, ô DEUS, decidant de consiliis suis. Prophetia est* (inquit) *non maledictio, non enim optat, ut eveniat, sed cernit, quid eventurum sit. Contingit autem illis, non quia videtur optâsse, sed quia tales sunt, ut meritò contingat. Sic enim & quod posteà dicit, Lætentur omnes, qui sperant in te, per prophetiam dicit, quoniam cernit esse lætaturos.* Et p. p. *Per prophetiam dictum, non per malevolentiam, intelligitur, cùm hoc dictum sit, quod necessario talibus eventurum est, qui in peccatis, quæ memorata sunt, perseverare voluerint.* Idem in Ps. 34. (Hebr. 35.) supra verba vers. 4. *Confundantur & revereantur requirentes animam meam. Hic prophetia est* (inquit) *& quæ figura optandi dicuntur, animo prophetandi explicantur. Illud fiat: & illud fiat: nihil est aliud, quàm hoc & hoc futurum est &c.* Alii imprecationes istas Propheticas hoc modo mitigant, ut asserant, earum auctores zelo divinæ justitiæ & vindicandæ gloriæ DEI, & siti spirituali expurgandæ Ecclesiæ ab infidelibus & perversis hominibus, qui illi bellum indixerunt, inflammatos, ejusmodi punitiones à Deo efflagitâsse. Hieron. in cap. 1. Thren. *Quando sancti viri deprecatorio more contra hostes suos rogant, non voto malitiæ, sed Spiritu prophetiæ, hoc, quod præsciunt, futurum prædicunt: vel etiam contra spirituales nequitias orant, quas incorrigibiles esse sciunt, ut justam à Domino recipiant sententiam &c.* Si dicas, sanctos istos viros hoc modo non observare præceptum illud morale, Levit. 19. vers. 17. 18. quod à Christo repetitur Matth. 5. vers. 44. Resp. Dist. 1. inter hostes *privatos* & *publicos*: 2. Inter eosdem *corrigibiles* & *incorrigibiles*: 3. Inter *vindictam privatam*, & divinum pro asserenda gloria DEI *zelum*, 4. inter imprecationes ex *humano affectu*, & ex divini *Spiritus impulsu* profectas. De quibus alibi fusius.

## Canon III.

*Quædam in Scripturis sanctis prophetantur, tanquam ita dicenda, ut sunt in prophetis, quæ tamen non necesse est dici, neque id voluerunt prophetæ.*

ITa Riebera in Mich. 4. qui hæc producit exempla. Psal. 22. vers. 19. *Partiti sunt vestimenta mea sibi &c.* Non legimus Christum ore suo protulisse hæc verba, sed cùm illo tacente milites diviserunt, & sortem miserunt, impleta est Scriptura, ut dicitur Johan. 19. vers. 24. *Dixit Dominus Jesus in cruce priora ejusdem* Psalmi verba: *DEUS meus, DEUS meus, quare me dereliquisti?* Totum psalmum non dixit, & totus psalmus in eo impletus est, quia de eo scriptus erat, & verba illa, quæ in ejus persona dicta erant, ipso tacente implebantur, cùm fiebant. Mich. 4. vers. 2. non opus erat, ut gentes dicerent totidem verbis: *Ascendamus ad montem Domini &c.* impleta autem est hæc prophetia, & impletur quotidè, cum gentes ad DEUM illum convertun-

vertuntur, quem adoraverunt Judæi. Scholastici ita id efferrent: *Qui convertebantur, dicebant, ascendamus in montem Domini &c. in actu exercito, non in actu signato.* Hæc ille: Similia ex Esa. 3: 6, 7. Hos. 6: 1. produci queunt. Item Ps. 2: 3. Confer Act. 4. vers. 25, 26, 27. &c.

## Canon IV.

*Prophetæ vaticinia rerum futurarum explicare solent verbis tùm præteriti temporis, tanquam si narrarent res transactas: tùm præsentis, quasi res præsentes & coram assistentes nunciarent.*

AUgust. lib. 14. de Civ. Dei c. 18. *More solito tanquam præterita narrantur, quæ futura prophetabantur, quoniam quæ ventura erant, in prædestinatione & præscientia DEI velut facta erant, quia certa erant.* Et in Psal. 3. tom. 8. col. 17. *In prophetia benè miscentur futura præteritis, quo utrumque significetur. Quia ea, quæ ventura prophetantur, secundùm tempus futura sunt, secundum scientiam vero prophetantium jam pro factis habenda.* Idem in Psalm. 44. (lat. 43.) tom. 8. col. 393. *Omnia ista* (in Psalm. 22.) *tanquam præterita dicuntur cùm futura sint, quia DEO & futura tam certa sunt, tanquam præterita sint. Nobis enim ea, quæ præterierunt, certa sunt, quæ futura, incerta sunt. Novimus enim aliquid accidisse, & non potest fieri, ut non acciderit, quod accidit. Da prophetam, cui tam certum sit futurum, quàm tibi præteritum; & quàm tibi quod meministi factum, non potest fieri, ut non sit factum, tàm illi, quod novit futurum, non potest fieri ut non fiat.* Rabbi Schelomoh super c. 42. Es. *Omnis lingua prophetica loquitur de futuro, tanquam de præterito: Et hoc ideò, quia dictum DEI habetur pro facto*, juxta veterem Thalmudistarum sententiam notante Galatino lib. 8. de arcan. Cathol. verit. c. 4. Exempla in omni scriptorum propheticorum genere sunt ubivis obvia. Psalm. 22. illustre hujus rei exemplum exhibet, in quo passio & crucifixio Christi, verbis præteriti simul & præsentis temporis ita κατ' ὀφθαλμὸς προεγράφη, ac si coràm tùm fuissent ea omnia facta. Alia exempla vide Esa. 9. vers. 6. cap. 53. vers. 4, 5. &c. Adscribam hac de re pientissimam & solidissimam Dn. D. Frantzii meditationem ex lib. de interp. Script. orac. 47. p. 662. quam ita proponit: *Sic de omnibus Prophetis est sentiendum, 1. quòd nimirum DEUS ipsis plurima futura in visione aut somnio nocturno exhibeat, in competente forma, quoad personas post aliquot secula nascendas, & quoad staturam earundem, & quoad alias circumstantias, tam accuratè, quàm verè posteà ipsæ personæ hanc aut aliam sortiuntur reipsa staturam & formam. 2. Quòd DEUS tam potenti virtute istas visiones Prophetis imprimat, ut nec ampliùs quiescere, nec ullius hominis auctoritatem ipsi vereri possint, sed citra omnem metum & citra omnem moram, ab interno ipsis indito quasi singulari stimulo agitati & rapti, festinent eloqui, quæ viderunt. 3. Quod tàm firma impressione res futuræ ipsis induntur, ut jurent, quasi non fuissent in visione, sed in rei veritate omnia ipsis præsentia, unde tandem fit, ut cùm eloquuntur talem visionem, non tempore futuro, Grammatico, sed præterito utantur. E. G. Zacharias Propheta cap. 9. vers. 9. aliquot centum annis ante nativitatem Christi à DEO accipit visionem divinam, & in illâ visione divinâ DEUS ipsi exhibet personam & faciem Christi Jesu, sicut in eâ personâ & facie tandem Christus apparuit in Judæa, docuit, & miracula fecit. Simul DEUS exhibet Zachariæ in visione Judæos, Caipham, Hannam, & reliquos Christo admodum infensos, & offensos externâ persona Christi: Exhibet eidem in visione divina tunc temporis Christi factum illud, nimirum quòd, ut tandem lucrari posset hostes, super asina inequitat in urbem, & accedit templum, & ibi ultima sua maxima facit miracula. Exhibet DEUS eidem discipulos & alios pueros &c. accinentes Hosianna. Imò exhibet eidem in visione personas, staturas, formas crucifigentium Messiam. Hæc omnia in Spiritu, in somnio divino accuratissimè, DEUS Zachariæ Prophetæ exhibuit, ut omnino ipse juraret, tunc temporis ea ipsa in opere fuisse completa &c. Sic DEUS Esaiæ nativitatem Christi in tali visione divina exhibuit; sic crucifixionem Christi eidem spectandam in ipsâ personâ & facie Christi obtulit. Unde in præterito dicit Esa. 9: 6. Puer natus est nobis. Filius datus est nobis. Et c. 53: 2. Aspeximus eum & non erat aspectus &c.* Hæc D. Frantzius, quæ hunc canonem pulchrè illustrant. Vide eundem quoque disp. 4. de sacrific. th. 26. seqq.

Canon

## Canon V.

*Prophetis est in more positum, de rebus & cultu N. T. uti phrasibus sui temporis, seu, quæ ex V. T. conditione, cultu & ritu desumuntur.*

UT Apostoli in N.T. futuram beatitudinem cœlestem, verbis symbolicis ac figuratis, à rebus hujus seculi petitis, describunt: Ita quoque prophetæ, beneficia Nov. Test. verbis à statu Nov. Test. petitis describere consueverunt.

Esai. 19. vers. 21. de conversione Ægyptiorum ad Christum Propheta his verbis utitur: *Servient* (Domino) *sacrificiis & oblationibus, & vovebunt vota Domino & solvent.* Ubi metaphoricè cultus N. T. verbis V. T. cultum denotantibus exprimitur. Vide etiam Esai. 2: vers. 2. cap. 56: 4, 5, 7. cap. 60: 1, 7. cap. 66: 20, 21. & Jerem. 33. vers. 17, 18. Sic Joel 2. vers. 28. Spiritus sancti χαρίσματα in N.T. piis ac fidelibus conferenda, exprimuntur vocibus V. T. *Propheticas visionis, somnia, vaticinia,* significantibus. Vide D. Brentium in Act. 2. p. 46. seqq. Confer Act. 2. vers. 17. Sic Zach. 6. vers. 13. de Ecclesia N. T. & Christo, ut *de templo & Sacerdote summo* V.T. loquitur Propheta. Cap. 13. vers. 3. spiritualis hæreticorum jugulatio, & hæresium gladio spiritus profligatio, verbis *configendi* & *confodiendi* describitur, qui Pseudoprophetas occidendi ritus V. T. tempore in usu fuit positus, (ne quis fortè cum Sciop. in Apoc. cap. 4. n. 10. ex illo prophetico loco probare præsumat, *hæreticos nostro etiam tempore capitali esse afficiendos supplicio*, de quo vide Dn. D. Gerh. tom. 6. de Magistr. §. 350.) Cap. 14. vers. 16. cultus divinus & DEI agnitio V. T. *festorum* involucro describitur &c. Hùc pertinet locus Mal. 1. vers. 11. ubi cultus N. T. & gentium ad Ecclesiam vocatio vocatur *oblatio munda:* & ad illum locum, adque hunc propheticum loquendi morem respicit Apostolus Rom. 15. vers. 16. ut & aliis locis, quibus spiritualium N. T. sacrificiorum mentio fit, Rom. 12. vers. 1. Phil. 4. vers. 18. 1 Petr. 2. 5. Apoc. 5: 8. cap. 8: 3. Plura lectio Prophetarum suppeditabit. Cæterum addendum huic canoni, quòd ex ipsis N T. scriptis eruendum sit, in quo cultus iste, verbis Propheticis descriptus consistat. Et hìc peccant Pontificii, quando ea, quæ de *sacrificio mundo* Mal. 1. vers. 11. leguntur, de sacrificio Missæ interpretantur, cùm tamen hujus nulla omninò in Scripturis Nov. Testam. mentio fiat. Vide Chem. in Exam. Conc. Trid. part. 2. p. 343

Huc referri non incommodè potest, quòd prophetæ felicitatem bonorum spiritualium, & gratiam N. T. comparare soleant cum terrena fertilitate, quam Israëlitæ tempore V. T. in terra Canaan experti erant, illamque per hanc significare, ut dicant, Christum in N. T. daturum abundantiam olei & vini, copiam pecorum, & pascuorum, aurum & argentum, domus & palatia; per quæ non hæc ipsa materialia, terrena & transitoria, sed spiritualia & cœlestia beneficia, in regno Messiæ expectanda, significantur, quia illa erant horum typus ac figura. Exempla sunt Esai. 35: 1, 2. c. 65: 13. Joel 3: 18. (23.) Amos. 9. 13. Zach. 3: 10. &c.

## Canon VI.

*Prophetico sermoni frequens est personanarum loquentium mutatio.*

TRadit hanc regulam Hieron. in cap. 8. Jerem. his verbis: *Personarum mutatio, & maximè in Prophetis, difficilem intellectum facit, quæ si suis locis & caussis, temporibusque reddantur, plana fient, quæ videbantur obscura.* Et in cap. 2 Nahum. *Hinc vel maximè obscuri sunt Prophetæ, quod repentè, dum aliud agitur, ad alios persona mutatur.* Et Augustin. in Psal. 45. (Latin. 44.) tom. 8. col. 404. *Mutationes personarum repentinæ, & omnino ex improviso, inveniuntur in sanctis Scripturarum libris, & si quis advertat, plenæ sunt paginæ divinæ.* Exempla in propheticis scriptis ubivis obvia: Seligemus ex conferta sylvula paucissima. Psal. 2. vers. 1. loquens introducitur Ecclesia N. T. de Christi hostibus infensissimis graviter conquerens. (Confer. Act. 4. vers. 24. seqq.) mox vers. 3. loquuntur ipsi impii & hostes: vers. 4. iterum vel Ecclesiæ, vel ipsius Psaltis verba enarrantur: vers. 6. loquens introducitur DEUS Pater: vers. 7. DEUS Filius, moxque iterum Pater: vers. 10, conclusio Regii Psaltis tandem subjungitur. Esai. 3. vers. 1. *Dominus exercituum amoturus est scipionem & baculum &c.* vers. 4. *Et daturus sum pueros principes eorum &c.* Prioribus verbis Propheta loquitur de Jehova: posterioribus ipse Jehova per Prophetam. Sanctius in comment. h. l. de Propheta itidem hæc verba exponit, hoc sensu: *Ego dabo*, h. est, prædico dandos esse ipsis pueros

in principes, juxta idiotismum, in Grammat. sacrâ tract. 3. can. 15. propositum. Sed prior explicatio simplicior, & consuetudini Scripturæ propheticæ conformis est Esai. 34. vers. 16. *Quærite ex libro Jehovæ, & legite, unum ex his non defuturum est, unum alterum non desiderabunt: nam os meum est, quod præcepit, & Spiritu suo idem congregabit ea.* Verba priora, *Os meum est, quod præcepit*, Jehova loquitur: Sequentia verò Propheta. Sic Esai. 51, vers. 1. loquens introducitur Jehova: vers. 3. Propheta; vers. 4. iterum Jehova; vers. 9. Propheta, vers. 12. vicissim Jehova, & ita consequenter. Esai. 53. vers. 1, 4, 14. simile quid observare licet, & Jerem. 31. vers. 2, 3. Hos. 14. vers. 9. Hûc pertinet totum שיר השירים *Canticum Canticorum*, in quo vicissitudo & mutatio personarum loquentium continuata.

## Canon VII.

*Prophetarum mos est, ut sermonem suum crebrò intercidant, eâ ratione, ut quædam alia inserentes paulo post ad sermonem priorem redeant.*

GRegor. hom. 7. in Ezech. *Consuetudo prophetiæ est, nunc ista, nunc illa conspicere, & ab aliis in aliud subitò verba derivare,* Exemplum Gregorius ibid. adducit ex Psal. 7, *Sicut Psalmista* (inquit) *cùm de Domino loqueretur, dixit: DEUS judex justus, fortis & patiens, nunquid irascetur per singulos dies? Nisi convertamini, gladium suum vibravit, arcum suum tedendit, & paravit illum: & in ipso paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit: Repentè subjungit: concepit dolorem, & peperit iniquitatem, lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit; Ecce cùm Domini narraret justitiam, quasi non mutatâ voce repentè peccatoris intulit culpam.* Plura cumulare exempla opus non est, quia *quisquis in Prophetis usum lectionis habet, quam crebro ista faciant, non ignorat*, ut ibid. Gregor. concludit.

## Canon VIII.

*Prophetæ à typo ad antypum sæpè transeunt, & cùm de aliis rebus sermo ipsis est, ad Christum Scripturæ nucleum convertuntur, & de eo in sensu literali prophetant.*

CAnon hic diligenti scrutinio & consideratione dignus est, propter Calvinum & alios, qui manifesta de Christo Prophetarum oracula aliud detorquent, vel de Christo *typicè* duntaxat, de aliis verò rebus *in sensu literali* agere existimant. Exempla hac vice producimus hæc, (1.) Gen. 49. cùm de benedictione Judæ temporali ageret Patriarcha προφητεύων, subitò oculos mentis altiùs extollit, & de Messia vers. 10. hisce vaticinatur verbis: *Non auferetur sceptrum de Juda, & legislator de pedibus ejus, donec veniat Schilo, & ipsi erit aggregatio populorum* vers. 18. à temporalibus iterum ad cœlestia se erigit, verbis istis: *Domine expecto salutare tuum.* (2.) Esa. 1. luculenta de peccatis pœnisque populi Judaici extat concio: mox cap. 2. ad Christi adventum & regnum spirituale prophetia flectitur: posteà cap. 2. vers. 6. seqq. ad cœptum de incredulitate populi sermonem fit regressus cap. 4. initio iterum *de Christo surculo & fructu terræ pretioso* agitur. (3.) Esai. 7. vers. 1. seqq. cùm de longè aliâ re, de obsidione scil. Hierosolymæ, ejusque divinâ solutione, à Propheta instituereretur narratio, subitò tamen Euangelica *de Christo à virgine nascituro* pericope vers. 14. interseritur: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabit nomen ejus Immanuel* vers. 15. *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum,* (4.) Esai. 9. vers. 6. post denunciationem judiciorum DEI in Syros, Israëlitas ut & Judæos, & piorum consolationem in cap. 8. factam, egregium de Christi navitate, potestate & officio attexitur vaticinium: mox ad priorem pœnarum Israelitis impiis eventurarum recensionem Propheta regreditur cap. 9. vers. 8. seqq. (5.) Esai. 43. vers. 25. post factam liberationis ex captivitate Babylonicâ promissionem, suavissimum de Christo Redemptore subjungitur oraculum: *Servire me fecisti in peccatis tuis, fatigas me in iniquitatibus tuis.* vers. 26. *Ego ego ipse, delens prævaricationes tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* (6.) Jerem. 23. vers. 1, 9. seqq. de eâdem captivitate Babylonicâ & liberatione

ne ex illâ agitur, cui pericope Euangelica de missione Messiæ in carnem intertexitur, vers. 5. *Ecce dies veniunt, (dictum Jehova) quibus excitabo Davidi germen justum: is regnabit Rex & secundabitur, ac exercebit jus & justitiam in terra.* vers. 6. *Diebus ejus servabitur Juda, & Israel habitabit securè, & hoc nomen ejus, quo vocabitur, Jehova justitia nostra.* Conf. c. 33. v. 14. seqq. ubi eadem styli prophetici ratio, idem ordo. (7.) Zach. 9. vers. 9. post denunciationem pœnarum, hostibus populi DEI infligendarum, evidens de Christi ingressu in urbem Hierosolymorum proponitur prophetia. Ex allatis autem exemplis quibusdam videre est, à mentione corporalis liberationis è captivitate Babylonicâ, ad spiritualis liberationis, per Christum factæ, mysterium Prophetas dilabi, id quod fit, 1. *ob beneficii istius fundamentum:* Liberatio enim illa, ut & reliqua beneficia corporalia, propter promissionem de Messia, ex Israelitis orituro, contingebant. Esa. 48. vers. 4. *propter servum meum Jacob vocavi te* (Cyrum) i. e. propter promissionem Jacobo datam, quod *in semine ejus* (Christo) *benedicenda sint omnes gentes terræ*, te Cyrum liberatorem populi mei constitui. Confer. c. 37. vers. 35. &c. 2. *Ob ejusdem typum:* quia liberatio ista corporalis, per Cyrum præstita, fuit typus spiritualis liberationis per Christum præstandæ, quâcum etiam in quibusdam pulchre ipsi convenit. 3. *Ob ejusdem usum.* Voluerunt enim Prophetæ animos auditorum excitare, ne toti defixi essent in corporale istud beneficium ac si in eo vera salus consisteret, sed ut ad promissionem de Messia corda elevarent, quæ totius Scripturæ V. T. Sol est & nucleus. Tantum de stylo Prophetico.

## SECTIO II.

### *De stylo Novi Testamenti in genere.*

QUæ de stylo sacrarum literarum in genere superiùs dicta sunt, ea huc quoque referenda. De puritate textus Græci tractatu 2. actum. Hac vice paucula hæc ut addantur, operæ precium videtur esse.

### Canon I.

*Lingua Græca, ut originali & authentico, Novum Testam. ad nos transmissum est, idque non sine ratione.*

RAtiones sunt istæ. 1. Quia tempore Christi & Apostolorum inter gentium linguas ea fuit omnium præstantissima. 2. Quia etiam vulgatissima. Etsi enim Romanorum monarchia tùm longè lateque patuerit, tamen linguam Latinam nondum ita diffusam fuisse, testis est Cicero pro Archia. Ariæmont. in præf. Bibl. *Græca* (inquit) *sive Eliensis lingua, cùm vel ob cæterarum nationum cum Græca familiaritatem & commercia, vel propter studium, quòd in eâ addiscendâ plerisque adhibitum est, compluribus nationibus nota & familiaris fuerit, aptissima & maxime commoda fuit, quâ divina mysteria patefierent.* 3. Quia hac linguâ tota gentilium Philosophia conscripta erat, igitur DEUS in exaranda suâ sapientiâ, eam ipsam retinere voluit linguam, quò illam faciliùs redargueret. 4. Quemadmodum ante Christum doctrina sancta eo sermone conscripta fuit, qui erat proprius & patrius quasi Ecclesiæ: sic post Christum scripta sunt omnia Græce, ut ad Ecclesiam ex omnibus nationibus colligendam faciliùs pervenirent. Confer Witacker. de Script. sacra, quæst. 2. c. 5. Huic nostro asserto obstare videtur

b I. Quòd quidam ex veteribus *Matthæi Euangelium Hebraicè* ab ipso scriptum esse statuunt. Iren. lib. 3. c. 1. Athanas. in synopsi p. 141. Eusebius libr. 3. hist. Eccles. cap. 24. Hieron. in procem. comment. in Matth. quibus adstipulantur Baronius in ann. 34. n. 165. Bellarm. lib. 2. de V. D. c. 7. Kirstenius, in vitis Euangelistarum quatuor, ubi ex antiquiss. codice MSto Arabico hoc ipsum evincit, p. 29. *Et certè* (subjungit) *singulari DEI omnipotentis consilio factum esse puto, quod lingua Hebræa primum Euangelium conscriptum fuerit, ut populus, DEO præ omnibus terrarum gentibus charissimus, Exod. 19. vers. 5. ad quem solum se Salvator noster missum esse dicit Matth. 15. vers. 20. &c. in ultimo judicii die eo minus excusationis habere possit &c.* Resp. 1, Detur, Hebraicè Matthæum scripsisse, attamen testantur iidem Patres citati, Græcè Euangelium illud ipsis Apostolorum temporibus editum, & tanquam authenticum Ecclesiæ commendatum fuisse, atque sic nullam id omninò authenticæ auctoritatis patitur jacturam. Casaubonus

b An Matthæus Hebraice scripserit?

bonus exer. 15. ad Annales Ecclesiasticos Baronii cap. 12. pag. 388. *Matthæum Hebraicè scripsisse, nos quidem non negamus, multis veterum id affirmantibus: sed primitivam Ecclesiam, jam inde ab ipso primo illius exordio, Euangelio Matthæi Græcè scripto esse usam, & Græcum textum pro authentico habuisse, omni asseveratione nos confirmamus. Auctorem textus Græci fuisse Jacobum fratrem Domini, Athanasius gravis auctor memoriæ prodidit: Johannem Euangelistam alii dicunt, ut legitur in vitâ Matthæi, & apud Theophylactum: Sunt qui Barnabæ Apostolo, sunt qui Lucæ & Paulo idipsum attribuunt. Quæ diversitas sententiarum, ut de vero auctore certò pronunciare nos vetat: ita illud certissimè demonstrat: ipsis Apostolorum temporibus, ab uno illorum, aut illorum auspiciis, vel potiùs Spiritus sancti, cujus ipsi erant organa, Græcum textum ex Hebraico esse confectum. Constat sanè, Ecclesiam DEI hunc ipsum textum inter libros Canonis sacri relatum, pari cum cæteris libris veneratione esse prosecutam: quod neque in Syriacâ versione, quam tamen antiquissimam esse non dubitatur, neque in ulla aliâ reperitur esse factum. Verùm textum Hebraicum Thomas fortasse & alii Apostoli in Orientis regiones ulteriores detulerunt. Is certè, quem vidisse ait Hieronymus, cujusque meminit Epiphanius, non fuit ille γνήσιος textus Hebraicus, quem scripserat Matthæus, sed apographum quoddam illius, miris modis corruptum: quod propterea in nullo usu Ecclesiis illorum locorum & temporum fuit, sed in paucissimorum virorum eruditorum bibliothecis latebat, ut ostendit Hieronymus, proprium hæreticorum, Ebionitarum & Nazaræorum, Catholicæ Ecclesiæ damnatum: quæ, ut verè ait Dionysius Carthusianus, in secundum caput Johannis, Hebraicum illud Euangelium inter falsa semper computavit. Quare error est periculosissimus, ne dicam hæresis, obtentu Hebraici contextus, qui jam inde à principio reperiri desiit in orbis nostri notis Ecclesiis, Græci auctoritatem velle elevare.* Lege etiam, quæ exerc. 16. cap. 115. hac de re contra Baronium (qui Græco Matthæi Euangelistæ textui, præ Euangelio illo hæreticorum Hebræo, detrahere non veretur) eruditè disseruntur. Obiter hîc nota, circumferri Matthæi Euangelium Hebraicè exaratum ex Munsteri editione: de quo sanum illud à Kirstenio fertur judicium, *non esse αὐθεντικόν. Nam non levia* (inquit) *quædam in rebus ipsis hic textus continet errata, ac mendis variis scatet: imò sæpè ne Grammaticè quidem scriptus est. Suppositítius itaque est, & à Munstero nobis obtrusus.* 2. Verum enim verò sunt, qui probabilius esse statuunt, Græco sermone Matthæum etiam primitùs suum perscripsisse, & posteritati tradidisse Euangelium. (1.) Quia tùm Græca lingua erat ipsis etiam Judæis haud incognita, quorum usui eum scriptione suâ potissimùm inserviisse, volunt quidam; quin alii quoque Apostoli Græcè scripserunt, non modò, quæ cunctis promiscuè, sed & quæ Judæis peculiariter inscripta erant, quod Jacobi & Petri Epistolæ, item Epistola ad Hebræos testantur. (2.) Matthæi vocatio ad Apostolatum videtur requisivisse, ut doctrinam de Christo Græcè scriberet, quia non Hebræos modò, sed Græcos etiam de Christo erudire debuit, voluitque, id quod per linguam Hebræam effectum dare potuit, utpote Græcis incognitam: potuit autem per Græcam, quippe passim in orbe Romano variis gentibus, adeoque ipsis etiam Hebræis notam. (3.) Matthæi stylus cum Marci stylo planè consentit, non admodum dissentiens à dictione Johannis. (4.) Quicquid ab antiquis illis scriptoribus profertur, dicitur solùm, non probatur. *Non mihi fit verisimile*, (ait Erasm. in cap. 8. Matt. pag. 34.) *Matthæum Hebraicè scripsisse, cùm nemo testetur se vidisse ullum illius Hebraici voluminis vestigium, siquidem illud, quod Nazaræorum vocant, nec Hebraicè scriptum, testatur Hieronymus, sed Chaldaicè, formulis duntaxat Hebraicis, inter apocrypha censetur.* Ex duabus his, utram quis sententiam amplectatur, Canonicæ Græci textus Matthæi auctoritati nihil derogari, ultrò fatebitur.

II. Quod Baron. in annal. an 45. Bellarm. lib. 2. de V. D. c. 7. & Gretser. in defens. Bell. l. 2. c. 7. statuunt, quibus assentitur Kirstenius in vitis Euangel. p. 36. *Marcum non Græcè, sed Latinè scripsisse.* Resp. Nullum extat hujus rei apud veteres vestigium, præterquam apud Damasum in vita Petri, cui ob copiam fabulosarum rerum, quas continet, parum fidei tribuitur. Et similitudo præterea styli cum Matthæo testatur, utrumque Græca linguâ scripsisse.

III. Videtur etiam obstare hoc, quòd ex Francisco Alvarezio in Æthiopico itinerario cap. 81. refert Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. sanct. pag. 40. *Apostolorum librum, quem ipsi in Hierusalem simul congregati scripserunt, Christianos Æthiopes in Æthiopicâ lingua, pari cum divinis voluminibus honore venerari.* Itemque quod D. Kirstenius in præfat. Gramm. Arab. p. 5. refert: *Esse scripta Apostolorum, quæ in alia lingua nulla, quam Arabica habentur. Multas enim* (pergit) *D. Pauli Epistolas, aliorumque Apostolorum scripta Arabes habere dicuntur, quæ nondum in aliis extant linguis. Sic meus Præceptor Arabs ajebat, illis hâc linguâ scriptum esse concilium illud Apostolorum, Hierosolymis habitum, cujus mentio fit Act. 15. & alia non pauca.*

Resp.

*Resp.* Libros N. T. eos, quos codicibus nostris comprehensos divina Majestas Canonem fidei religionisque esse voluit, Græca linguâ primitùs & originaliter fuisse scriptos, apud Virum istum, cujus modò injecta mentio, in confesso arbitror esse. An verò præter istos libri extent alii, ab Apostolis Arabicâ linguâ originaliter scripti, penes Auctorem fides esto. Quod si extant, ad libros certo Canonicos, eos exigendos, & ita *omnia probanda, quod bonum tenendum*, juxta Pauli monitum, *esse*, nequaquam verò in sublime Canonicæ auctoritatis fastigium collocandos eos esse, omnes, scio, cordati mecum judicabunt. Certum interim est, in ejus linguæ, quam quisque excolendam commendandamque sibi sumsit, multa dici quandoque laudem. Idem, quod dixi de Alvarezii libro Apostolorum sentiendum.

## Canon. II.

*Novi Testamenti stylo Hebraica loquendi ratio sæpius intermixta est.* Seu quod idem est: *In N.T. plurimi dantur Hebraismi.*

E*A enim indoles est rerum sacrarum* (verba sunt Cl. Fabricii Hebr. ling. Witeb. Prof. præfat. Gymnasii Syriaci, M. Christophori Crinesii) *ut proprietas prima linguæ non solum se diffundat per veterem Scripturam, sed etiam sese insinuet in Græcismum N. T. Unde multis in locis N.T. Græcismus, purè Græcis, est barbarismus, propter phrasin Græcis ignotam. Ecclesiæ autem non est barbarismus, agnoscit enim ea sermonem primævum, eumque in Scripturas N.T. manare deprehendit.* Exempla ut congerantur multa, necessum non est, cùm eorum Sylvulam alibi σὺν Θεῷ producturi simus. Causa ejusmodi sermonis mixti est; 1. *Scripturæ N.T. auctoritas.* Quemadmodum, quod ad res ipsas, sancti Dei viri N. T. tempore *nihil extrà dixerunt vel scripserunt, quàm ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moses*, quod colligitur ex Act. 26. vers. 22. 1 Petr. 1. vers. 10, 11, 12. idque ad conciliandam N. Test. doctrinæ auctoritatem, ut & demonstrandam utrisque Testamenti συμφωνίαν ac convenientiam: Sic etiam in styli & sermonis qualitate ad Hebraicum V. T. sermonem accommodare se voluerunt, propter eandem rationem. 2. *Scriptorum sacrorum qualitas.* Fuerunt illi ex Judæorum populo plerique oriundi, hinc quia Græcâ lingua N. T. ab ipsis perscribi divina providentia voluit, tale sermonis genus usurparunt, quod cum utraque lingua convenientiam haberet. Hûc referri potest, quod Drusius refert l. 4. præt. p. 129. *Hellenistas* sive Græcienses (quorum fit mentio Actor. 6. vers. 1.) dici Judæos, qui extra terram Israel inter gentes habitabant (Joh. 7:35. dicuntur διασπορὰ ἑλλήνων. Jac. 1:1. δώδεκα Φυλαὶ ἐν τῇ διασπορᾷ, alias תפוצת ישראל *dispersio Israelis*) quique Græcâ linguâ utebantur, & Græca Biblia in Synagogis legebant; hosque peculiarem dialectum habuisse, in qua plurimi Hebraismi. Vide etiam Scalig. animadv. Chron. Euseb. p. 122. & 124. Ad illam sermonis dialectum ea quoque referenda forsan fuerit, quæ in N. T. scriptione adhibetur.

## Canon III.

*Sed & eidem Chaldaica seu Syriaca loquendi ratio quandoque intermixta est:* seu quod idem: *In N. T. aliquot dantur Chaldæo-Syrismi.*

EXempla quædam congessit Angelus Caninius de locis script. N. Test. Hebr. cap. 12. ex quo paucula adducemus. In Orationis Dominicæ petitione quinta: *καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* nobilis illa phrasis, *dimittere* seu *remittere debita*, Syriacâ locutione posita est, pro *delicta condonare*; quæ nec Græcis, nec Latinis in usu posita, quin etiam nec Hebræis: Nam *parcere* quidem & *ignoscere* Hebr. dicitur סלח vel נשא עון h. e. *perferre delictum*: Syriacè v. שבק *dimittere*. Porrò qui *peccat*, Hebr. חוטא dicitur, Syr. חָיָב *debitor*. Et *peccatum* Hebr. חטא, Syr. חוֹבָא *debitum*. Et conjunctim phrasis שבק לחובין *demittere debita*, pro *delicta condonare*, in Chaldaico Targum usurpatur. 1 Reg. 8. vers. 34, 36, 39. Gen. 50. vers. 17. Quid enim, quæso, aliud est *peccatum*, quàm debitum quoddam, quo nos obstringimur, rationem aliquando, nisi pœnitentiæ lacrymis tabulas inducamus, reddituri: Sic *mortuos* vocare *κεκοιμημένους dormientes*, 1 Thess. 4: 13. ob spem resurrectionis, pium est, sed Syriacæ tantùm linguæ proprium, quæ שכיבין *dormientes* pro *mortuis* usurpat, sicut Homerus ὑπνώοντας. Sic *Deum* nomine *Cœli* intelligere Syriacum est, sive Chaldæum, uti ex Dan. 4:23. constat. Id imitatur Matthæus cap. 21:25. *Baptismus Johannis unde erat, à cœlo, an ab hominibus?* (confer quæ in expl. Joh. cap. 17. p. 16. dicta hâc de re sunt.) Sic in salutatione Angelica Luc. 1:28. legitur κεχαριτωμένη σὺ ἐν γυναιξί.

Quod verbum ipse Euangelista fabricatus est, cùm apud Græcum auctorem nullum extet. Nec enim ullum erat verbum, quod responderet Syriaco participio רְחִימְתָא quod eam significat, quæ *gratiosissima* atque *acceptissima est*.

## Canon IV.

*Ut in sermone conjuncto seu phraseologia, ita etiam in singulis vocibus quandoque contingit quædam in N.T. γλωττοσύγχυσις.*

Hûc pertinet, 1. quòd præter nomina *Hebraica*, (qualia sunt *Jesus*, *Immanuel*, Matth. 1. vers. 21, 23. *Abaddon* Apoc. 9. vers. 11.) multæ voces merè *Syriacæ* in N. T. occurrunt, quarum præcipuæ hæ sunt:

1. Matth. 5. vers. 22. Christus voce ῥακὰ utitur, *Qui dixerit fratri suo ῥακὰ Raca, reus erit concilio.* Quidam Græcam hanc dictionem esse putant, Græci enim hominem nihili vocant ῥάκος, *à veste detrita rejiculaque sumto convicio*, ut indicat August. super h. l. At meliùs in Syriacâ linguâ origo ejus quæritur. Apud illos enim רֵקָא significat vel hominem *κατάπτυστον*, *conspuendum* (ut exponit Theophylactus) à רק ex Hebr. רָקַק *expuit*; vel hominem *vacuum*, *inanem*, videlicet cerebro & judicio, ex Hebr. ריק in Hiphil הֵרִיק *evacuavit*: quomodo exponunt Hieron. lib. 2. ad Pelag. & in Matt. Hilar. in Matt. Auctor. oper. imperf. in Matt. hom. 11. Et dicitur esse *convicium non acre, sed familiare, ut cum major minorem pro auctoritate familiariter objurgat*, ut loquitur Angel. Caninius in disquis. locor. N. T. c. 7. Confer Drus. in præterit. ad h. l. Vocis ipsius emphasin Hebræam ex collatione locorum, Jud. 9: 4. 2 Sam. 6: 20. 2 Paral. 13: 7. Prov. 12: 11. eruditè educit D. Franzius de interp. Script. orac. 139. ריק *nimirum esse hominem illum, qui est ex genere talium nebulonum, qui tantùm versantur in otio, qui militiam aut simile genus vitæ eligunt & expetunt, ubi licet scortari, prædari, necare, quos in publico nullius levitatis pudet, qui ad extremum redactus est gradum temeritatis, qui animam venalem habet, qui est expers omnis fidei, indignus honestorum hominum familiaritate & conversatione, multorum scelerum ignominiâ marcidus, ad cujus mentionem alii honesti expuere* (ריק *enim radix eam significationem obtinet*) *debeant, ubi omnis spes emendationis sit frustranea & vacua &c.*

2. Matth. 6: 24. Luc. 16: 9, 16. extat vox מָמוֹנָא μαμμωνᾶ: quam quidam ex Hebr. הָמוֹן quæ inter alia *copiam opum* significat, deducunt. Quidam ab Hebr. מום *vitium vituperium*, eò *quòd quæstus immodicus & illicitus vituperio & reprehensione dignus sit.* Alii ex אמן *firmus fuit*, facta contractione pro מַאמוֹנָא cùm in *divitiis* (hoc Syriaco nomine denotatis) robur animi homines mundani collocare soleant. Cui derivationi favet translatio Græca Psal. 37: 3. in qua verba Hebræa וּרְעֵה אֱמוּנָה *& pascere fide*, transferuntur, καὶ ποιμανθήσῃ ἐπὶ τῷ πλάτῳ αὐτῆς, *& pasceris in divitiis ejus.* Confer. Drus. ad voces Hebr. N. Testam. & Buxtorff. Jun. in Lexico Chad. & Syr.

3. Matth. 27: 6. vox κορβανᾶν extat, quæ Syriaca est, קֻרְבָּנָא, δῶρον, *munus & oblationem* significans. Hebr. קָרְבָּן à rad. קָרַב *appropinquavit*, in Hiphil, *appropinquare fecit, obtulit.* In loco autem allegato per *gazophylacium* exponenda est, sive ærarium templi, ubi reponebatur pecunia sacra, quæ offerebatur ad cultum DEI. Unde Syrus supplevit, reddens בֵּית קֻרְבָּנָא *locus oblationum.* Marc. 7: 11. itidem vox κορβᾶν, *munus* significans, obvia est.

4. Marc. 5: 41. ταλιθὰ κοῦμι, Syricè, טַלְיְתָא קוּמִי quarum dictionum *prior* malè à quibusdam codicibus in *Tabitha*, ex Act. 9: 40. mutatur, qui error etiam in Hieron. opera irrepsit. Alii pro eâ substituunt תַּבִּיט *respice, extolle oculos*, à הִבִּיט *aspexit*, at quomodo hoc cum Marci interpretatione convenit, qui vertit *puella?* Est igitur merè Syriaca dictio, *puellam*, κοράσιον, significans; à mascul. טְלֵה seu טְלִי *infans, puer, adolescens.* *Posterior* in utraque linguâ, Hebræâ & Syrâ locum obtinet, estque imperat. fœm. à קום *surrexit.*

5. Marc. 7: 37. Christus ad surdum balbutientem dixisse fertur, ἐφφαθὰ, quod est, *adaperitor.* Syr. est אֶתְפְּתַח, quod Euangelista expressit, quasi pronunciatum fuisset אֶפְּתַח abscissâ à tergo litera gutturali ח, quæ Græcis ignota. Est autem imperativus in Ethpahel seu 2. conjung. passiva, à פתח *aperuit*, Hebr. פָּתַח. Vide in Buxtorff. Grammat. Chald. & Syr. libr. 1. cap. 8. p. 65.

6. Marc. 15: 34. uti & Matth. 27: 46. verba Psal. 22: 2. Syriacè ita exprimuntur: Ἐλωὶ ἐλωὶ λαμμὰ σαβαχθανὶ, h. e. *DEUS meus, DEUS meus, quare me dereliquisti*, quarum vocum nomenclatura ex linguæ Syriacæ analogiâ plana est. Est enim אֱלָהִי ab אלה vel אֱלָהָא *DEUS*, cum affixo 1. pers. שבק autem *relinquere* seu *dimittere* significat.

7. Rom. 8. vers. 15. Galat. 4. vers. 6. Marc. 14. vers. 36. vox Syra אַבָּא ἀββᾶ, quæ *patrem* significat legitur.

8. 1 Cor. 16. vers. 22. dictiones μαρὰν ἀθὰ extant: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum*

*sum Christum*, *sit* ἀνάθεμα μαρὰν ἀθὰ. Voce *anathematis* Paulus extremum exitium designare solet. *Maranatha* quidam unicam vocem Syriacam esse putant, quæ sonet idem, quod apud Hebræos τὸ חֵרֶם, qua voce generalis quædam notatur devotio. Aliis legendum videtur *Mabarem Attha*, מַחֲרֵם אַתָּה *tu sis maledictus*. At ita מֻחְרָם potiùs legendum esset in passivo, מַחֲרֵם enim non *maledictum*, sed *maledicentem* sonat. Commodiùs ut duæ voces, vel vox ex duabus composita accipitur, Syr. מָרַן אֲתָא hoc est, *Dominus noster venit*: Hanc enim ajunt esse formulam, quâ extrema excommunicatio peragebatur, ut sit expressa in Epist. Jud. v. 14. ἦλθε κύριος: quasi sensus sit: Ecclesia de hujus hominis salute desperat, idcircò eum judicio Domini Christi jam jam venturi committit. Seu: *Dominus veniat*, scilic. ultor, divina vindicta & maledictio eum conficiat. Tremell. in not. ad h. l. *His verbis extremi anathematis formula attingitur, quia extremæ Christi, mundi judicis, condemnationi, absque spe veniæ, addicebatur peccator.* Thalmudistæ ejusmodi anathema vocant שַׁמַּתָּא, quod ex duobus, propter frequentem ejus usum, videtur coaluisse, nempè ex השם & תא quod idem est, ac *Domine veni* &c. הַשֵּׁם *nomen*, ita vocant Hebræi nomen τετραγράμματον, *Jehova*, quod superstitiosè ajunt esse ἀνεκφώνητον, idque crebrò pro ipso *DEO* usurpant. תָּא imperat. est ab אֲתָא *venit*. Vide Buxtorff. in Epit. Hebr. instit. p. 58.

9. Huc pertineat nomina quædam propria. Joh. 1: 43. Tu vocaberis κηφᾶς; Syr. כֵּאפָא *petram* sive *lapidem* denotat. Confer. Matth. 16. vers. 18.

Joh. 5. vers. 2. nomen piscinæ *Hebraicè* (i. e. Syriacè, ea enim lingua tùm erat populo Judaico vernacula, & *Hebraica* dicitur propter cognationem, quam cum ea obtinet, filia matris nomen sibi attribuente) dicitur βηθεσδὰ Syr. בֵּית חֶסְדָּא h. e. *domus benignitatis*: בֵּית enim *domum*, חֶסְדָּא aliàs *opprobrium* apud Syros, hac verò in compositione *benignitatem* notat, ex Hebr. חֶסֶד *beneficentia*, *misericordia*. Ita autem locus iste dictus putatur, quòd in eo DEUS benignè potentiam & misericordiam suam exerceret in curandis quibusvis morbis. Alii tamen legunt & בֵּית אֶשְׁדָּא & explicant *domum effusionis*, à sanguine victimarum effuso ut Caninius, seu, ut alii, quod pluviales aquæ in eam effundi fuerint solitæ, ab Heb. אֶשֶׁד Syr. אֶשְׁדָּא *effusio*, *decursus*. Anton. Nebrissensis in quinquagenâ suâ seu quinquaginta locorum Scripturæ explicatione cap. 5. de loco Bethesda ita loquitur: *Sunt, ut Euseb. & Hieron. scribunt, in eâ domo duo lacus, quorum unus hybernis pluviis adimpleri solet; alter mirum in modum rubens, quasi cruentis aquis antiqui in se operis signa testatur. Nam, ut inquiunt, hostias in eo lavari solitas tradunt* Atqui 2. Par. 4: 6. *ubi de templi ædificatione agitur, non in lacu, sed in conchis æneis lavari consuevisse hostias traditur. Credibile igitur est, post templi eversionem non in conchis illis, quæ à præfecto Regis Assyriorum erant jam jam Babylonem translatæ, sed in piscinâ illâ lavari solitas esse hostias.* Hæc ille.

Act. 1: 19. nomen Ἀκελδαμὰ extat, quod *agrum sanguinis* notat, Syris חֲקַל דְּמָא, apud quos חַקְלָא *agrum*, *campum*, דְּמָא verò *sanguinem* significat, ex Hebr. דָּם.

Apocal. 16. vers. 16. extat vox ἑρμαγεδδὼν, (apud Aretam, ἑρμαγεδὼν scribitur) quam aliqui compositam esse vocem putant, ex duabus Hebraicis הַר־מְגִדּוֹ *mons Megiddonis*, qui locus lugubri Josiæ Regis clade, quam à Pharaone Necho sustinuit, celebratus est, 2 Reg. 23. vers. 29. 2 Chron. 35. vers. 22. Zachar. 12. vers. 11. (quo in loco בִּקְעַת־מְגִדּוֹן *convallis Medigge* vocatur;) ut ita eventus prælii valdè luctuosus illis Regibus, de quibus vers. 14. significetur. Alii censent, legendum esse *Garon baromah*, i. e. *excisio excelsæ sive Romæ, ut sit sensus, omnes, qui Christi regnum evertent, & Antichristo adhærebunt, conventuros in eum locum, ubi vetus illa & excelsa Roma olim fuit, nunc autem est nova & restituta, veteris illius eversio & excisio, & illa ipsa plaga, ubi antiqua illa & vetus urbs Roma eversa jacet. Ideò autem maximè eò, qui Antichristo serviunt, confluent, quòd illic sedem fixam, ex DEI decreto, erat habiturus, atque etiam nunc habet, Antichristus*: quæ sunt verba D. Silberschl. de Antichrist. p. 24. qui hanc etiam nomenclaturam approbat. Sed vox גָּרוֹן significatione *excisionis* non venit, nisi legatur, (uti legendum videtur esse) *Gadon*, à גָּדַד Chald. *exscindere*. Alii exponunt, Harma *collis* (הָרָמָה à רוּם, *altum esse*) & Gedon i. e. *multitudo* (à גדד unde גדוד Hebr. *turma*, *exercitus*) ut sensus sit, quod DEUS Reges idolatricos Antichristo servientes, & contra Ecclesiam pugnantes, in talem locum collecturus sit, in quo cladem ingentem sustineant, vel ubi corpora defunctorum cumuli instar sint projicienda. Sed commodissima videtur Drusii etymologia, qui nomen illud compositum esse ait, ex חרמא *excidium* (חָרְמָה vocatur urbs, in quâ Judæi Chananæos ad unum omnes interfecerunt, eamque ita appellârunt:) & גְּדוֹן vel גְּדוֹן contractè, i. e. *exercitus eorum*: ut ita locus appellationem sortiatur ab eventu, copiarum scilic. deletione. Vide plura hac voce apud Dn. D. Hoë, Theologum eminentissimum, in lib.

lib. 5. comment. super Apocal. pag. 148. seqq.

Atque hæc ferè Syriaca nomina sunt in N. T. literaturâ occurrentia. Πόρισμα ex hoc & præced, Canone deductum hoc sit, quod ad legitimam N. T. interpretationem omninò linguæ non solûm Græcæ, verum etiam Hebraicæ atque Syriacæ cognitio requiratur: aliàs adulterinus & pravus sensus sæpè pro vero auditoribus obtrudetur. Hactenus de γλωττοσυγχύσει Syriaco-Græcâ, sequitur Latino Græca, de quâ Canone sequenti.

## Canon V.

*In N. T. sermone multa vocabula Latina, Græca donantur civitate, & usurpantur quasi Græca essent:*

EA ordine alphabetico disposito ita numerant: Ἀσσάριον, *Assarius*, Matth. 10: 29. δηνάριον, *denarius*, Matth. 18: 28. Ἰοῦςος, *Justus*, Actor. 1. vers. 23. cap. 18: 7. κεντυρίον *centurio*, Marc. 15: 39. 44, 45. κῆνσος *census*, Matth. 17. v. 25. κοδράντης *quadrans*, Matth. 5. vers. 26. κολώνια, *colonia*, Actor. 16. vers. 12. κȣστωδία *custodia*, Matth. 26. v. 65, 66. λεγεὼν *legio*, Matth. 26. v, 53. λέντιων, *linteum*, Johan. 13. vers. 4. λιβερτῖνος *Libertinus*, Actor. 6. v. 9. λίτρα *libra*, Johan. 12. v. 3. (quam vocem Latinum vocabulum esse, putat Galenus, at verè Græcam esse, ait Drusius lib. 4. præter p. 136. quâ etiam à Græcis desumta utuntur Hebræi, ליטרא. Videatur Elias Levita in Thisbi p. 183.) μίλιον *miliare*, Matth. 5. v. 41. (alias etiam μιλιάριον scribitur) μάκελλον *macellum*, 1 Cor. 10. v. 25. μεμβράνα *membrana*, 2 Timoth. 4: 13. μόδιος *modius*, Matth. 5: 15. ξεστὸς *sextarius*, Marc. 7. vers. 4. 8. πραιτώριον, *prætorium*, Matth. 27. v. 27. ῥέδη *rheda*, Apocal. 18. v. 13. σεμικίνθιον *semicinctium*, Actor. 19. vers. 12. σικάριος *Sicarius*, Actor. 21. v. 38. σȣδάριον *sudarium*, Luc. 19. v. 20. (de quo tamen an Latinum sit, non sine ratione dubitat Drus. l. 4. præter. ad Johan. 20. v. 7. cùm 1. apud Syros & sapientes Hebræos sit usitatum, סודר & סודרא: cumque 2. significatio utriusque dissentiat; Latinis enim *sudarium* est linteum proprié ad sudores detergendos, quod Pollux appellari scribit καψιδρώτιον: Syris autem & Hebræis *velamen* denotat, *quo mulieres caput operiunt.*) σπεκȣλάτωρ *speculator*, Marc. 6. v. 27. ταβέρνη *taberna*, Act. 28. v. 15. τίτλος *titulus*, Joh. 19. v. 19. Φραγέλλιον *flagellum*, Joh. 2, v. 15. unde Φραγελλȣ̃ν *flagellare*, Matth. 27. vers. 26.

Hûc κατ᾽ ἀναλογίαν referri potest, quòd in Syriaca etiam N. T. editione multa vocabula ex Græca, itemque Latinâ linguâ assumuntur. Sic dicitur נָמוּסָא νόμος, *lex*, Luc. 10. v. 26. אֶוַנְגֶּלִיוֹן εὐαγγέλιον, *Euangelium*, Rom. 1. vers. 1. 16. אֶוכַרִיסְטִיָא εὐχαριστία *gratiarum actio*, seu *sacra synaxis*, Acto. 2. vers. 42. אֶסְטְרַטִיוּטָא στρατιώτης, *miles*, Matth. 8. vers. 9. אֶיקָא εἰκῆ, *temerè* Matth. 5. vers. 22. כִּימוּנָא χειμὼν, *tempestas*, Actor. 27. vers. 18. כִּלִירַכָּא χιλίαρχοι, *tribuni militum*, Joh. 18. vers. 12. לֶסְטָיָא λησταὶ, *latrones*, Luc. 10. vers. 30. פַּרַקְלִיטָא παράκλητος, *consolator*, *advocatus*, Joh. 14. vers. 16. Et ex Latino, אֶסְטַדְוָתָא *stadia*, Matth. 14. vers. 24. insuperque alia, quæ hîc recensere necessum haud est. De hac linguarum μίξει ita Drus. lib. 6. præter p. 204. *Ut ex Oriente plurima nomina translata fuerunt in Occidentem: sic è contrario ex Occidente Græca multa traducta sunt in Orientem, ab eo tempore, quo Alexander eam partem orbis, Græcis colonis & disciplinis replevit.*

## Canon VI.

*Peregrinis vocibus sæpius in N. T. additur Græco idiomate explicatio.*

SEu, ut alii loquuntur, in N. test. sæpè res una & eadem, duobus nominibus diversorum idiomatum explicari solet, quò res diversarum linguarum hominibus nota sit. Sic Matth. 1. vers. 21. sacrosancto nomini *Jesus*, quod Hebræum est à ישע *salvavit*, additur interpretatio: *ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* ibid. vers. 23. nomini *Emmanuel*, (quod itidem Hebræum est, ab עִמָּנוּ *nobiscum* & אֵל *DEUS*) explicatio subjungitur. μεθ᾽ ἡμῶν ὁ θεὸς, *nobiscum DEUS* Marc. 5. v. 21. ταλιθὰ κȣ̃μι, explicatur statim *puella surge*, Marc. 7. vers. 34. ἐφφαθὰ, exponitur per ἀνοίχθητι, *adaperire.* Marc. 15. v. 34. ἐλωῒ, ἐλωῒ, λαμμᾶ σαβαχθανὶ, ita redditur, ὁ θεός μȣ, ὁ θεός μȣ, ἐις τί με ἐγκατέλιπες. Joh. 1: 42. vox Hebræo-Syra *Messias*, per χριστὸς exponitur. Similiter vers. 43. vox κηφᾶς per πέτρος, cap. 20. vers. 24. θωμᾶς (Syr. תָּאוֹמָא) exponitur per δίδυμος, (Syr. תָּוּאמָא Hebr. תְּאוֹמִים *gemelli.*) Act. 9. vers. 36. ταβιθὰ interpretatur δορκάς *caprea.* (Syr. טְבִיתָא ex Hebr. צְבִיָּה quod mutato pro more צ in ט, *capream* significat) Act. 1. v, 19. ἀκελδαμὰ exponitur, quod notet χωρίον ἅιματος. Rom. 8. vers. 15. voci

voci Αββὰ statim additur vocula ἐξηγητικὴ, ὁ πατὴρ (August. dicit, *ideò id fieri, ut Scriptura testetur, DEUM pertinere ad Judaeos & Graecos.* Cui rationi obiter addi potest, quod quidam suavi allusione dicunt, *Abba* voce, quae retrò eodem modo legitur, usum esse Apostolum hîc & aliàs, ut innueret, DEUM piorum esse patrem, etiamsi ab iis aversus esse videatur, in cruce & calamitatibus. Alii putant geminationem hanc ejusdem vocis, Syriacè & Graecè prolatae, emphaseos gratiâ esse factam, ut significetur, pios perpetuò DEUM Patrem suum ingeminare ac vocare, prout ardor invocationis devotorumque gemituum idem saepius ingeminare solet. Optimè Hieronymus, *interpretationis gratiâ Graecam vocem adjectam esse.*) Apoc. 1. vers. 7. ναὶ καὶ ἀμὴν conjunguntur, quorum prius posterioris Hebraei est explicatio. cap. 9. vers. 11. vox Hebraea ἀβαδδὼν per Graecam ἀπολλύων exponitur &c. Dictum est autem in Canone, *saepiùs* idipsum fieri, neque enim ubique peregrinis vocibus tales interpretationes adduntur. Sic voces ῥακὰ Matth. 5. vers. 22. μαμμωνᾶ, cap. 6. vers. 24. κορβανᾶν, cap. 27. vers. 6. βηθεσδὰ Joh. 5. vers. 2. μαραναθὰ: 1 Cor. 16. vers. 22. Αρμαγεδδὼν, Apoc. 16. vers. 16. additâ expositione destituuntur, & ex linguae Syriacae analogia explicandae sunt.

*Observatio VII.*

DE distinctione capitum in N. T. (ut obiter & ὡς ἐν παρόδῳ id adjiciam) notant quidam hoc, quod ea non extiterit ab initio N. Test. neque enim à Doctoribus, qui temporibus Apostolorum fuêre proximiores, allegantibus aliquod ex N. Test. testimonium, ullam capitis, sed solùm totius libri mentionem fieri, ad Bernhardi usque tempora. Effulsisse autem illam distinctionem circa annum Christi 1220. ex annotatione Balaei, cent. 3. cap. 87. Centur. Magdeb. col: 687. & 114. ajunt. Notandum & hoc, quod habet Casaubonus in not. ad Euang. Matth. Veteres singulos libros Euangelistarum in τίτλους, singulos τίτλους in sua κεφάλαια divisisse: *Illi* majores, *hae* minores constituebant partes. Unde in collectis à Suida legitur, esse in Matthaeo titulos 68. capitula 355. In Marco titulos 48. capitula 136. In Luca titulos 83. capitula 348. In Johanne titulos 18. capitula 252. &c. Quâ de distinctione plura vidêri possunt in praefatione N. T. Graeci ab Henrico Stephano in forma XII. typo elegantissimo editi.

## SECTIO III.

### *De stylo Johannis Apostoli & Euangelistae.*

NOn abs re fuerit, annotare quaedam; quae huic Scriptori prae aliis *vel* valdè usitata, *vel* etiam propria videntur esse. Sunt autem ferè sequentia.

1. Saepè adhibet *exegeses*, & quidem iteratas, eorum, quae aliquantò obscuriùs erant dicta. Sic Joh. 1. vers. 7. primùm est propositio, *Johannes venit in testimonium:* posteà statim addit explicationem, *ut testaretur de luce, ut omnes crederent per ipsum.* Tertiò sequitur etiam altera ac uberior explicatio, vers. 8. *Non erat ille lux illa, sed ut testaretur de luce illa &c.* Ibid. vers. 12. *Quicunque acceperunt eum, dedit eis potestatem, ut filii DEI fierent.* Jam exponit, qui sint accipientes Jesum: *Ii, qui credunt in nomen ejus.* Exponit etiam pleniùs, quinam sint accipientes & credentes, vers. 13. *Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex DEO nati sunt.* Referri hoc posset ad styli *plenitudinem*, de qua tract. 3. sect. 5. & *evidentiam*, de qua ibid. sect. 4. superiùs dictum.

2. *Antitheses* usurpat permultas, illustrationis & confirmationis causa. Antitheses illae sunt tùm *rerum*, tùm *verborum* & *sententiarum*. Rerum. Sic Johan. 1. vers. 5. opponuntur *tenebrae luci*, vers. 13. *nati ex DEO natis ex hominibus.* vers. 17. *Christus Mosi.* vers. 20. *Christus Johanni.* cap. 3. vers. 18. *credentes in Christum incredulis.* 1 Johan. 1. vers. 6, 7. *ambulantes in tenebris ambulantibus in luce.* vers. 8. *mendacibus veraces.* cap. 2. vers. 15. *amor mundi amori DEI*, cap. 3. vers. 8, 9. *filiis Diaboli filii DEI.* vers. 14. *diligentes odio habentibus fratrem.* c. 4. v. 5, 6. *filii mundi filiis DEI &c.* Verborum & sententiarum. Johan. 1. vers. 20. *Et confessus est, & non negavit, & confessus est, non sum Christus.* cap. 15. vers. 19. *Si de mundo essetis, mundus proprium diligeret: quia autem ex mundo non estis &c.* vers. 16. *non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* vers. 24. *Si opera non fecissem &c. nunc autem viderunt &c.* cap. 16. vers. 16. *paululùm non videbitis, & iterum paulùm videbitis me.* vers. 20. *vos flebitis, mundus autem gaudebit.* Confer 1. Johan. 1. vers. 5. 8, 9, 10. cap. 2. vers. 9, 10. cap. 5. vers. 2, 3.

3. *Repetitiones* etiam crebras. Joh. 8. v. 21, 24. ter repetitur, *in peccatis vestris moriemini.*

1 Joh. 1. verf. 8. 10. cap. 2. verf. 9, 10, 11. item verf. 12, 13, 14. 2 Joh. verf. 1, 2.

4. *Appendices* ſæpè adhibet, quas Latini per voculam *Nempè* annectunt. Joh. 1. verf. 12. *Quotquot acceperunt eum, dedit eis poteſtatem filios DEI fieri*, (nempè) *iis qui credunt in nomen ejus.* verf. 46. *De quo ſcripſit Moſes in lege, & Prophetæ, invenimus*, (nempè) *Jeſum Filium Joſeph ex Nazareth*, cap. 3. verf. 13. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui de cœlo deſcendit* (nempè) *Filius hominis, qui in cœlis eſt*, cap. 14. verf. 26, 27. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis*, (nempè) *Spiritum illum veritatis.* 1 Joh. 3. verf. 24. *In hoc cognovimus, quòd habitat in nobis*, (nempè) *ex Spiritu, quem nobis dedit*, cap. 5. verf. 4. *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum*, (nempè) *fides noſtra.*

5. *Antecedens* ponit pro *relativo*, quod quidem toti Scripturæ, ac omninò Hebraico ſermoni uſitatum eſt, huic autem Apoſtolo magis, quàm aliis. Joh. 15. verf. 19: Si de *mundo* eſſetis, *mundus*, quod ſuum eſt, diligeret: quia verò de *mundo* non eſtis, ſed ego elegi vos de *mundo*, propterea odit vos *mundus.* 1 Joh. 4. verf. 3. Et nunc jam (Antichriſtus) in *mundo* eſt. verf. 4. major eſt, qui in vobis eſt, quàm qui in *mundo.* verf. 5. Ipſi de *mundo* ſunt, ideò de *mundo* loquuntur, & *mundus* eos audit. verf. 6. Nos ex *DEO* ſumus, qui novit *DEUM*, audit nos, qui non eſt ex *DEO*, non audit nos &c. verf. 7. Charitas ex *DEO* eſt, & omnis qui diligit, ex *DEO* natus eſt, & cognoſcit *Deum.* verf. 8. qui non diligit, non novit *Deum*, quoniam *Deus* charitas eſt.

6. Demonſtrativa locutio *hic*, *hæc*, & *hoc eſt*, & *in hoc eſt*, crebrò occurrit, evidentiæ & certitudinis gratiâ. Exempla *prioris.* Johan. 1. v. 19. *Hoc eſt teſtimonium Johannis.* verf. 30. *Hic eſt, de quo dixi.* cap. 3. verf. 19. *Hoc eſt judicium, quia lux venit in mundum &c.* cap. 6. verf. 29. *Hoc eſt opus DEI, ut credatis in eum, quem miſit ille.* verf. 39. *Hæc eſt voluntas ejus, qui miſit me.* verf. 50. *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.* cap. 17. verf. 3 *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum DEUM &c.* 1 Joh. 2. verf. 25. *Hæc eſt promiſſio, quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitam æternam.* cap. 3. verf. 23. *Hoc eſt mandatum ejus, ut credamus &c.* cap. 5. verf. 3. *Hæc eſt charitas, ut mandata ejus cuſtodiamus.* verf. 6. *Hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem &c.* verf. 14. *Hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum.* Exempla *poſterioris.* Johan. 15. verf. 8. *In hoc glorificatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis.* 1 Johan. 3. verf. 10. *In hoc manifeſti ſunt filii DEI & filii Diaboli.* verf. 16. *In hoc cognoſcimus charitatem DEI &c.* verf. 19. *In hoc cognoſcimus, quoniam ex veritate ſumus.* cap. 4. verf. 2. *In hoc cognoſcitur Spiritus DEI &c.* verf. 9, 10. *In hoc apparuit charitas DEI.* verf. 13. *In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus.* verf. 17. *In hoc perfecta eſt charitas nobiſcum.* cap. 5. v. 2. *In hoc cognoſcimus, quoniam diligimus natos DEI.*

b Appellatio τοῦ Λόγυ.

[b] 7. Inter Scriptores Nov. Teſt. ſolus Johannes ferè Chriſtum vocare ſolet Λόγον. Id quod fit Joh. 1: 1, 14. 1 Joh. 1: 1. cap. 5: 7. Apoc. 19: 13. Cæterùm appellatio τοῦ Λόγυ non Johannis demùm tempore nata, ſed antiqua, & Judæis etiam non incognita fuit. In Chaldaico enim Thargum frequentiſſima fit mentio מימרא דיי τοῦ Λόγυ ſeu *verbi Jehovæ*, per quem *Meſſiam* priſcos illos Paraphraſtas intelligere aſſerunt, Gen. 3: 8. Pſal. 2: 12, Pſal. 27: 1. &c. quæ loca diligenter collegit D. Selneccerus in peculiari hac de re libello. Cùm igitur Johanni certamen eſſet contra Cerinthum & Ebionem Judæum, & ille potiſſimùm ſuis conſulere vellet popularibus, ideò Filium DEI eo nomine vocare voluit, quod tùm temporis erat pervulgatum. (Obſervandum hic obiter, quòd in Alcorano quoque Chriſtum vocari *verbum DEI*, nomine proprio, annotat Johan. Druſ. l. 4. præt. ad Joh. 1: 1. ex Rabbi Samuele Iſraelita, in Epiſt. ad R. Iſaac Magiſtrum Synagogæ. Idem Druſius in annotat. Joh. 1. hæc quoque ponit: *Amelius Philoſophus Platonicus lecto hoc principio, queſtus eſt, Johannem Euangeliſtam in ſuum librum transtuliſſe Magiſtri ſui myſteria, & quæ erant Platonis arcana, ſua, propriaque feciſſe: Per Jovem (inquiens) Barbarus iſte cum noſtro Platone ſentit, Verbum DEI in ordine principii eſſe conſtitutum.* Ex quo patet, ad Gentilium quoque ſapientum, appellationem iſtam τοῦ λόγυ, quodammodò perveniſſe aures.) Rationes appellationis videantur apud Scripturarum Interpretes. Non autem temerè ſuprà dictum eſt, à ſolo *ferè* Johanne Filium DEI vocari Λόγον. Afferuntur enim à quibusdam alii duo loci, quibus appellatio illa Chriſto tribuatur. *Prior* eſt Act. 20. verf. 32. ubi Paulus abituriens hiſce verbis ſuis valedicit: *Et nunc commendo vos DEO* καὶ τῷ Λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ, *& verbo gratiæ ejus.* Ubi Chriſtum intelligi volunt ex eo, quòd DEO in operatione aliqua ad extra conjungatur, ipſique Epiſcopi Epheſini commendentur. Quæ expoſitio etiamſi nihil ſecum trahat incommodi, nihilo tamen minùs & *de verbo Euangelii* (quod Luc. 4: 22. Λόγος τῆς χάριτος appellatur) exponi poteſt, utpote quo annunciatur gratia DEI, & per quod in fide fideles illi poterant confirmari & conſervari

ad

ad vitam æternam. *Posterior* locus est Hebr. 4:12. ζῶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, *vivus sermo* DEI &c. quam appellationem subsequentemque descriptionem propriè & accommodatissimè ad *Christum* referri statuit Riebera Jesuita comment. Hebr. 4. num. 15. proque hac sententia allegat Cyprianum, Augustinum, Theodoretum, Oecumenium, Cyrillum, Ambrosium, Thomam, Lyranum, Cajetanum &c. Alii his utuntur argumentis: 1. Quia locutio est generalis, non restricta ad sermonem Euangelicum. 2. Quia vocatur Λόγος ζῶν, quòd non tantùm effectivè, sed & formaliter intelligendum. 3. Quia Apostolus dehortatur ab incredulitate, argumento petito à vitâ & visione Λόγȣ. Confer. Psal. 2. vers. 11. Exod. 23: 21. 4. Quia tribuit illi Λόγῳ conspectum & oculos, atque addit, πρὸς ὃν ἡμῖν λόγος, *de quo nobis sermo*. Sermo autem Apostolo in tota hac Epistola de Λόγῳ ȣσιώδει, & DEI Filio. 5. Quia illatio v. 14. subnexa innuit, Christo ipsum locutum esse, sunt tamen, qui de *sermone Euangelii* hunc etiam locum interpretantur. Augus t. lib. 20. dè civ. DEI c. 21. *Sermonem* DEI *dicit Scriptura gladium bis acutum, propter aciem geminam Testamentorum duorum.* Vide & eundem Epist. 58. Ambros. lib. 3. de virgin. Primas. in c. 1. Apoc. & videtur id probare Λόγȣ hujus descriptio: dicitur enim *esse efficax, penetrabilior gladio ancipiti &c.* quæ omninò pertinent ad virtutem divinam cum verbo prædicato conjunctam. Confer Eccles. 12: 11. Rom. 1:16. Tantum de stylo Johannis. Sequitur

## SECTIO IV.

### *De stylo Pauli Apostoli.*

IN genere duplex de stylo hujus Apostoli, ex ipsis ejus scriptis, elici potest judicium. Prius *simplicitatem*, posterius gravitatem & *efficaciam* concernit: *Prius* ab ipso Apostolo, *posterius* ab ejus adversariis profectum. *Prius* extat 1 Cor. 2: 1. & cap. 1: 17. ubi eloquentiam sermoni suo derogat, sed humanam, non verò divinam, quam ex munere Spiritus sancti habuit & adhibuit. Ut enim *sapientiam seculi hujus sprevit, sapientiam* DEI *locutus est in mysterio, principibus seculi absconditam*, 1 Corinth. 2. vers. 6, 7, 8. ita *eloquentiam* etiam *mundi* sprevit, *eloquentiâ* autem DEI ejus mysteria πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνων, vers. 13. elocutus est. Caruit quidem ambitiosâ illâ, fucatâ & ostentatrice loquacitate, instar meretricis se superfluè ornante ac jactante: verùm non caruit istâ gravi & seriâ dicendi facultate, quâ res cœlestes perspicuè ac commodè explicare potuit, quæque propriè Apostolum Christi decuit. *Posterius* extat 2 Corinth. 10: 10. ab adversariis prolatum, à Paulo non dissentiente (ut videtur) approbatum, quod nempe Paulinæ Epistolæ sint βαρεῖαι καὶ ἰσχυραί, *graves & validæ*. *Priori* voculâ *vel* potentia & robur, *vel* acerbæ objurgationes & expostulationes: *posteriori* verò δείνωσις & efficacia sermonis intelligitur, de quo vide fusiùs disserentem Matthiam Flacium Illyricum part. 2. clav. col. 499. & Bezam in annot. ad 2 Cor. 11:6.

In specie huc pertinet

1. Quod mirificis quibusdam ac plus quàm maternis blandimentis auditores ad se allicit. 1 Corinth. 4: 14. *Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo.* v. 15. *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres: nam in Christo Jesu per Euangelium ego vos genui.* vers. 16. *Rogo ergo vos, imitatores mei estote.* 2 Corinth. 2: 4. *Ex multa anxietate & oppressione cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non ut tristitiâ afficeremini, sed ut cognosceretis charitatem, quam habeo abundantissimam erga vos.* Gal. 4: 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* vers. 20. *Vellem autem nunc adesse apud vos, & mutare vocem meam, quoniam inops sum consilii de vobis.* Sed hoc artificii genus Johanni etiam suis in Epistolis non infrequens est, ut ex 1. c. 2: 1, 12, 18, 28. c. 3: 2. & aliis locis videre est.

2. Quod vice versâ in objurgationibus gravitatem cum lenitate prudentissimè temperat. *Gravitas* insignis verborum elucet ex Galat. 3. vers. 1. *O stulti Galatæ, quis vos fascinavit, ut non crederetis veritati, quibus præ oculis Jesus Christus antè fuit depictus, inter vos crucifixus?* vers. 2. *Hoc solùm à vobis discere cupio, ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei?* vers. 3. *Sic stulti estis, ut cùm Spiritu cœperitis, nunc carne consummamini &c.* Vide & 1 Cor. 1: 12, 13. cap. 3: 3. seqq. item vers. 16, 17. cap. 5: 1. seqq. cap. 6: 1. seqq. *Lenitas* apparet ex eo, quòd quasi iterum placatus dulcibus eos affatur verbis, 1 Cor. 4: 24. seqq. cap. 6: 11. &c.

3. Quod peculiaria quædam verba ac formulas loquendi usurpat. E. gr. *Connasci, consepeliri cum Christo, concrucifigi, convivere, conformari, conregnare, conglorificari, resurgere cum Christo, baptizari in ejus mortem, crucifigere*

*corpus peccati, resurgere in novam vitam, veterem hominem corrumpi, eundem exuere, & novum induere, mortificari & vivificari, lex membrorum & in membris, lex Spiritus, secundùm carnem aut Spiritum vivere, servire mente aut Spiritu, peccato aut legi DEI, animalis homo, sensus carnis, venditum esse sub peccatum, peccatum regnare, condelectari lege DEI, corpus peccati*, & quæ his sunt similia.

4. Quòd vocibus quibusdam novâ significatione & sensu utitur. Notat istud Gregor. Nyssen. orat. in illud 1 Corinth. 15. *Tunc etiam ipse filius subjicietur ei &c.* his verbis: *Solet sapientia magni Pauli ad id, quod visum fuerit, ad arbitrium suum verbis uti, & ad suæ sententiæ seriem atque complexum, verborum significationes adaptare, etiamsi ad alios quosdam intellectus consuetudo abusum dictionum trahat. Nam unde sumsit usum verbi ἐκένωσεν, id est, exinanivit seipsum* (Phil. 2:7.) *& illud, gloriationem meam nemo inanem reddet* (1 Cor. 9. vers. 15.) *&, ne inanis reddatur crux Christi* (1 Cor. 1. v. 17.) *ex quo usu hæc ad suum traduxit sermonem? Quis item judicabit eum, quod dixerit ἱμειρόμενοι ὑμῶν, i.e. cupidi vestri, & erga vos propensi?* (1 Thessal. 2:8.) *per quam dictionem dilectionis habitum & affectum ostendit. Quomodo per dictionem, μὴ περπερεύεται, i.e. perperam agere, & procacem ac temerarium esse* (1 Cor. 13. vers. 4.) *charitatem à superbia vacuam demonstrat? Studium item contentionis & ulciscendi cupiditas, quo pacto per verbum ἐριθείας ab eo significatur?* Rom. 2. vers. 8. Galat. 5. vers. 20. *cùm perspicuum sit omnibus, quod ex ἐριθευγίας, id est, lanificio, ἡ ἔριθος, id est, ancilla, propriè quæ lanam tractat, ex ipsa Scriptura nominatur, atque exercitium & studium lanæ nomine ἐριθείας significare solemus: attamen omissis frigidis etymologiis, quibus verbis ei visum est, animi sui conceptum exprimit atque exponit. Paulò post docet, per subjectionem filii, de qua* 1 Cor. 15. vers. 28. *intelligi non servilem ejus humilitatem, sed salutem, felicitatem, incorruptionem & regnum æternum, quod Filius à Patre quasi ipsi unitus & gloriosissimè subjectus accipiet.* Hæc ille.

5. Observant aliqui, Paulum verba quædam usurpare juxta phrasin & morem provinciæ suæ, puta *Tarsis* & *Cilicia*, cum ipse Tarsensis & Cilix fuerit. 1 Cor. 4: 3. *Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Ubi *diem* posuit pro *judicio*, ex Cilicum phrasi, nam dies dici reis consuevit. (Sed hoc non Cilicum, sed Hebræorum idioma esse, qui *diem Domini* vocant judicium, ait Drusius in annot. N.T. parte alterâ pag. 181.) Sic Col. 2:18. usus est verbo καταβραβεύειν, quod linguâ Tarsensium significat *insidiosè alteri palmam præripere.* Hieron. Epist. 151. ad Algas. q. 10. *Hisce & aliis multis verbis usque hodiè utuntur Cilices. Nec hoc miremur in Apostolo, si utatur ejus linguæ consuetudine, in qua natus est & nutritus, cùm Virgilius, alter Homerus apud nos, patriæ suæ* (*Mantuæ & Mantuanæ linguæ*) *sequens consuetudinem, sceleratum frigus appellet,* (*sceleratum*, i. e. *horrendè intensum, mordax & noxium.*) Annotat autem hoc Cornelius à Lapide in præfat. super Epist. Pauli n. 64. Plura de stylo Paulino vide Flac. d. l.

a De Subscriptionibus Epistolar. Paulin.

a 6. Coronidis loco de *subscriptionibus Epistolarum Paulinarum* (quæ locum exaratæ Epistolæ, & personarum Epistolam perferentium nomina plerumque exprimunt) observat Theod. Beza hoc, *eas non agnoscere auctorem Apostolum, sed posterioribus temporibus à quibusdam non satis considerate additas, & ea propter suppositias esse; quasdam etiam falsas.* Id quod ad finem singularum Epistolarum satis luculenter evincit. In subscriptione prioris ad Timotheum *Phrygiæ Pacatianæ* fit mentio. Ex qua ita colligit Theodorus: *Quod autem ad Phrygiam Pacatianam attinet, nusquam hoc epitheton apud illius ætatis Scriptores legitur, sed apud recentiores illos, qui Romani Imperii jam inclinantis provincias descripserant, adeò, ut ex hoc etiam loco constare possit, multo post has scriptas Epistolas tempore istiusmodi subscriptiones additas fuisse ab aliquibus plerumque vel indoctis, vel certè non satis attentis.*

b De στίχοις in subscriptionibus Apostolicis.

b Est & aliud in subscriptionibus istis Epistolicis, trutinâ exactiori non indignum. In quibusdam enim N. T. editionibus sub calcem plerarumque Epistolarum Apostolicarum, literæ quædam exprimuntur numerales, quot videlicet στίχοις singulæ scriptæ sint Epistolæ. E. gr. Sub 1. ad Corinth. ἐν στίχοις ωό (870.) scilicet ἐγράφη, *scripta est ea Epistola.* Et ita in sequentibus. 2. Ad Corinth. ἐν στίχοις φλ' (530) Epist. ad Galat. ἐν στίχοις σλγ' (233.) Epist. ad Ephes. ἐν στίχοις τιβ (312.) Epist. ad Philipp. ἐν στίχοις σή (208.) Epist. ad Coloss. ἐν στίχοις σή (208.) Epist. 1. ad Thess. ἐν στίχοις ρλγ' (133.) 2 ad Thess. ἐν στίχοις ρϛ' (106.) Prior ad Timotheum, ἐν στίχοις σλ' (230) Posterior ad Timoth. ἐν στίχοις ρόβ (172.) Ad Titum, ἐν στίχοις λζ (37.) Ad Philemon. ἐν στίχοις λζ (37.) Ad Hebr. ἐν στίχοις ψγ' (703.) Epist. Jacobi ἐγράφη ἐν στίχοις σμβ' (242.) Prior Petri, ἐν στίχοις σλϛ' (236.) 1 Johannis ἐγράφη ἐν στίχοις σογ' (273.) 2 Johannis ἐν στίχοις λ' (30.) 3 Johannis dicitur esse στίχων λβ' (32.) Epistola Judæ στίχων οά (71.)

(71.) De στίχοις igitur istis, deque illorum numero quid sentiendum? στίχος in re literaria *versum* significat seu *periodum:* itemque *lineam.* Sed Epistolarum versus intelligi non possunt, quia ad positos τῶν στίχων numeros haudquaquam ascendunt. Quod si conjecturæ hic indulgendum est, denotari illâ subscriptionum parte arbitror *lineas*, quot nimirum unaquæque Epistola in autographo habuerit, nempè fuerunt in Epist. 1. *ad Corinthios* lineæ 870. in 2. *ad Corinthios* lineæ 530. In *Epist. ad Galatas* lineæ 233. & sic in cæteris. Solent nobiscum etiam quædam scripta, linearum numero in margine annotato (præsertim metrica) exarari & typis excudi. Non igitur dubium est, quin ἀυτογράφων etiam Epistolarum Apostolicarum lineas, in numerato primitivæ Ecclesiæ pii Doctores habuerint, numerumque in orâ Epistolæ per *quinarios* vel *denarios* assignaverint, (quem in unam collectum summam ad calcem Epistolarum singularum posuerunt) itemque in descriptionibus suis sedulâ hac usi fuerint cautelâ, ut singulis ἐν ἀυτογράφῳ lineis, singulæ ἐν ἀπογράφῳ responderent, donec progressu temporis (præsertim post artem inventam typographicam, quæ exactissimam illam ad ἀυτόγραφον exscribendi rationem imitari nequit) mos ille exolesceret. Sed in re dubia conjecturam modo pono, certam ab aliis expectabo sententiam: Ut etiam, cujus adpositæ illæ numerales notæ sint antiquitatis, & an Bezæ suprà positam subire mereantur censuram, eruditioribus relinquo trutinandum.

*FINIS LIBRI PRIMI, DE SCRIPTURÆ SACRÆ STYLO ET LITERATURA.*



# LIBER SECUNDUS.

# DE SCRIPTURÆ SACROSANCTÆ SENSU,

Tùm dignoscendo,

Tùm eruendo.

## PARS I.

### *De Scripturæ Sensu Dignoscendo.*



Ensus vocabulum genericè acceptum (uti nostro huic scopo congruit) nihil aliud est, quàm *id, quod oratione, tùm oretenus prolata, tùm scripto comprehensâ, significatur, seu intelligendum offertur.* Quemadmodum enim rerum mente comprehensarum ἀπεικόνισμα & character est *oratio*, vel ore prolata, vel Scripturâ exhibita, unde Philos. περὶ ἑρμην. cap. I. ἔστι μὲν (inquit) τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ: Ita vicissim, quod illa oratione prolata vel scripta significatur, seu à mente dicentis (ei convenienter respondens) ἀπεικονίζεται, *sensus vocis, orationis, vel Scripturæ alicujus dicitur.* Græcis *sensus dicitur* διάνοια (quæ tamen vox aliàs πολύσημος) unde Plutarch. in symp. VII. sapient. διάνοιαν δὲ τοιαύτην εἶχε τὰ γεγραμμένα, *hunc sensum vel hanc sententiam habebant scripta.* Ita Basilius: ὀλίγα γὰρ ἦν τὰ ῥήματα, πολλὴν διάνοιαν παριστῶντα, *pauca enim erant verba, sed multum in sensu* (seu recessu) *habebant.* Scripturæ igitur sacræ sensus nihil aliud est, quàm id, quod DEUS ipse *Scripturarum auctor in Scripturis, & per Scripturas* (intelligo autem Scripturas tàm quoad verba, quàm quoad res contentas) *tanquam per expressissimum divinæ mentis ἀπεικόνισμα hominibus cognoscendum atque intelligendum exhibet.* De sensu isthoc Scripturarum tractatio instituetur duplex: 1. *Generalis*, quæ tùm veram & genuinam, tùm Pontificiorum aliorumque discrepantium sententias, ad veritatis trutinam revocabit & appendet. 2. *Specialis*, quæ de sensu Scripturæ, tùm *literali*, tùm *mystico*, paulò accuratiùs, & quantum potest fieri, breviter differet. Jesus Christus in veritate sua nos dirigat & confirmet!

## TRACTATUS I.

### De sensu Scripturæ in genere.

### SECTIO I.

#### *Sententiam veram exponens.*

UT nostra, de sensu Scripturæ sacræ in genere, sententia explicetur, esto Thesis generalis hæc:

*Scriptu-*

### *Scripturæ sacrosanctæ sensus duplex est: Literalis & spiritualis seu mysticus.*

a Explicatio theseos.

a PONTIFICII non minùs duplicem isthunc Scripturæ attribuunt sensum, sed quid de illorum sententiâ habendum, & quomodo à nostrâ hac discrepet, inferiùs sect. 2. dispicietur. Inter Calvinianos plerique, *unum* tantùm *simplicem & uniformem Scripturæ sacræ* agnoscunt *sensum*, qui *literalis* est; *mysticum* autem ad sensus istius unius diversam accommodationem referunt, quorum sententiæ, quia inter orthodoxos etiam suis non destituitur Patronis, uti nequaquam simpliciter contradicendum esse arbitramur, ita quò minùs per omnia illi subscribendum sit, subjectæ rationes ostendent. Neque verò hac thesi id assertum itur, ac si in omni omninò Scripturæ textu, & in singulis locis, duplex iste agnoscendus & amplexandus esset sensus. Ita quidam inter Pontificios opinantur, adducti loco Pauli 1 Corinth. 10. vers. 11. *Omnia in figuris contingebant illis*; quos tamen ipse Bellarm. lib. 3. de verb. Dei cap. 3. & Azorius lib. 8. instit. moral. cap. 2. refutant. Sed de Scriptura sacra sermo est *in genere*, quòd illa, non quidem in omnibus, sed tamen in aliquibus locis & textibus, quos ipsa Scriptura sacra digito quasi exerto monstrat, non *literaliter* modò sit explicanda, sed præter literalem sensum, qui ex verbis eruitur, *mysticum* etiam admittat, hoc est, quod ipse Spiritus sanctus mysterium aliquod & rem spiritualem, in textu tali, literaliter prius intellecto & exposito, intendat, eamque eruendam esse, commonstret. Petrus Cunæus in tract. de Republ. Hebræor. l. 3. cap. 8. hac de re sic loquitur: *quod eorum, quæ sacris libris continentur, sit duplex significatio; Una nuda, quæ* פשוט *rectè dicitur; altera obscura latensque, quam vel* אגדתא *vel* דרש *appellare licet, quia eruenda, vestigandaque est.* Ibidem Rabbinorum adducit verbum: אין מקרא יוצא מידי פשוטו אבל יש לו פשוטו עם מדרשו ואינו יוצא מידי כל אחד מהן *Nusquam Scriptura est absque sensu simplici: sed habet pariter, ut mysticum, ita & simplicem: his duobus non est ut careat.* Et sensum quidem latentem seu mysticum paulò antè appellat Cabbalam. *Ego veram* (inquit) *Cabbalam appello mysticum intellectum earum rerum quæ in sacris libris latent. Is intellectus, cùm anteà penes vates fuisset, sed non vulgandus mortalium seculis, tandem divino munere Apostolis & Euangeliorum concessus Scriptoribus est, uti, quod diu latuerat, publica voce illorum proderetur universis. Itaque Cabbalam cum vulgo eam dico, non quam alii aliis tradidère, sed quam cœlitùs acceperunt viri sancti: Est enim* קבלה *acceptio &c.*

b Definitio sensus utriusque.

b Ex his igitur, quæ modò dicta sunt, utriusque sensus definitio (quæ hic levi penicillo quasi attingenda, suo infrà loco accuratiùs explicanda est) haud difficulter erui potest. Est enim *Sensus literalis is, qui proximè & immediatè per ipsa verba, sive sint propria, sive modificata, significatur*, ut: *Jonas tribus diebus & tribus noctibus fuit in visceribus piscis.* Jon. 2:1. Hic *sensus literalis* est, qui proximè ex ipsis verbis eruitur, ut *Jonas* intelligatur Propheta ipse, qui suam descripsit historiam: Per *piscem* cete iste à DEO creatus, ad deglutiendum Jonam, &c. *sensus mysticus* est, *qui non significatur proximè per ipsa verba, sed per rem ipsis verbis significatam.* Sic sensus mysticus in textu paulò antè allegato est is, *quod Christus tribus diebus & tribus noctibus futurus sit in sepulchro, in morte sua.* Hunc enim sensum mysticum & typicum à Spiritu sancto, in illa ipsa historia literaliter intellecta, fuisse intentum, ostendit ipse Christus Mat. 12. vers. 39, 40. Hactenus theseos explicatio: Eam verò probatam damus.

c Probatio.

c 1. *A definitione.* Scripturæ sensus, ut paulo superiùs notatum, est *id, quod DEUS Scripturarum auctor in Scripturis & per Scripturas hominibus cognoscendum atque intelligendum exhibet.* Jam verò in multis Scripturæ textibus non id modò, quod ex verbis immediatè colligitur, sed & sublimius quiddam & mysticum hominibus cognoscendum atque intelligendum DEUS exhibet, uti ex re ipsa & Scripturæ exemplis constat. Ergò præter sensum literalem, qui ex verbis colligitur, mysticum etiam dari, qui ex rebus ipsis hauritur, negari nullâ ratione potest. *Breviùs:* quod ipse Spiritus sanctus intendit & intelligit in Scripturæ textibus, id sine omni dubitatione est illorum textuum sensus, uti constat. At præter literam seu historiam ipsam, mysterium sæpè Spiritus sanctus intendit & intelligit in Scripturæ textibus. E. non solùm historia, sed & per historiam illam insinuatum mysterium Scripturæ sensus sit, necessum est.

2. *A Scripturæ exemplis*, ex quibus seligam hac vice unicum. *Æneum serpentem à Mose, divino mandato, contra morsus serpentinos in deserto erectum*, Num. 21. vers. 8, 9. legitur. Et id historico & literali sensu ita verum est, prout ex ipsis Scripturæ verbis cognoscitur. Quæritur jam, *an DEUS hac constitutione, an Spiritus sanctus historiæ illius scriptione, nihil senserit aliud, quàm quod ex verbis in textu positis historicè eruitur?* Certè & res ipsa & Salvatoris expressa confirmatio Johan. 3: 14, 15.

14, 15. certos nos reddunt, Spiritum S. in illa historia intellexisse & sensisse simul hoc, *quòd Messias debeat in cruce exaltari, ut vivant homines per ipsum*. Si dicatur, *Christum istius historiæ ad se fecisse tantùm accommodationem*, respondeo, accommodationem fecisse concedo, quæritur autem, an illam faciat præter ipsius Spiritus sancti, in scripta illa historia Num. 21. loquentis, intentionem? Certè dici id haudquaquam potest. Sequitur ergò, quod Christus ad se talem fecerit accommodationem, ut simul eo ipso sensum Spiritus S. mysticum, quem in historia illa intendit, explicet, & illam ipsam Scripturam mysticè interpretetur. Par ratio est aliorum, de quibus in speciali sensus mystici diexodo plura, DEO volente, dicentur. Ex dictis autem offert se argumentum pro nostra sententia aliud.

3. *Ab absurdo*. Si id, quod in V. T. est mysticum ac typicum, non est ipsius Scripturæ V. T. sensus, sequitur, omnia, quæ in N. T. ex umbris veteribus adducuntur, & ad Christum umbrarum corpus applicantur, citari & applicari præter loquentis in V. T. intentionem. At consequens est absurdum. E. & antecedens. *Consequentia in majore* per se patet. *Subsumtum* non minus evidens. Cur enim Scriptores sacri in N. T. citant Mosis & prophetarum ex V. T. verba? Certè ob hanc causam, ut fidem suis scriptis faciant. At quam fidem facient, si malâ fide usurpent auctorum dicta? si intentionem vel sensum eorum aut torqueant, aut, quod pejus est, pervertant? Adde, quod ipsi profitentur plerumque, se illos testes citare, & factum esse illud, quod illi quondam vaticinati erant. Subjiciam iterum exemplum, quod erit instar omnium. *Melchisedec* fuit typus Christi, & præ aliis quidem typis valdè illustris. Typum illum proponit, explicat, & ad Christum applicat Apostolus Heb. 7. Illa autem Apostoli applicatio vel fit præter & citra Scripturæ V. T. seu, quod idem est, Spiritus sancti, in ea & per eam loquentis, intentionem; vel non. *Prius* asseri nequit, cum Heb. 7: 3. Melchisedec emphaticè dicatur ἀφωμοιωμένος τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, *assimilatus filio* DEI, i. e. typus Christi: quod prædicatum certè non tùm temporis tantum, cùm Epistola ad Hebræos scriberetur, sed & longè antè, cum ipse in vivis esset, cumque de ipso historiam contexeret Moses Gen. 14. Melchisedeco competit. Manet igitur *posterius*, quòd scil. applicatio Apostoli sit Scripturæ de Melchisedeco loquentis, & Spiritus sancti intentioni conformis, ex quo id, quod probare institui, evidenter sequitur.

4. *A Scripturæ interpretationis ratione*. Consistit illa in duobus. 1. *In veri sensus enarratione*. 2. *In accommodatione ad usum*. *Illa* est, quâ Scripturæ explicandæ eruitur & indicatur propositum seu scopus, unâ cum themate, de quo agitur, & argumentis, quibus vel declaratur vel confirmatur. *Hæc* est, quando ex Scriptura jam explicata profertur accommodatio, eaque quintuplex. 1. πρὸς διδασκαλίαν ad *doctrinam*. 2. πρὸς ἔλεγχον, ad *redargutionem*. 3. πρὸς ἐπανόρθωσιν, ad *correctionem*. 4. πρὸς παιδείαν, ad *institutionem*. 5. πρὸς παράκλησιν, ad *consolationem*; qui fines sive usus Scripturæ indigitantur à Paulo 2 Tim. 3: 16. & Rom. 15: 4. Jam verò si textus quidam Scripturæ typicus, e. g. historia *Jonæ* interpretanda est, tunc typi evolutio non certè ad accommodationem ac usum pertinet, sed ad partem priorem, quæ est veri sensus enarratio. Antequam enim in historia ista latentes doctrinæ, redargutiones, institutiones, consolationes, eruantur, videndum & interpretandum est, de quo textus Propheticus agat, an tantùm *literaliter* de Jona, an simul *mysticè* de Christo intelligendus sit? Quod quando ex collatione Matth. 12. vers. 39, 40. expeditum, ad alteram interpretationis partem expeditior patet aditus.

## SECTIO II.

### *Sententiam aliorum expendens.*

INnter illos, quorum ad trutinam veritatis exigenda sunt placita & opiniones, occurrunt, 1. *Pontificii*, 2. Quidam ex antiquitate *Patres*. 3. Judæorum *Rabbini*.

### Articulus I.

#### *Sententiam Pontificiorum expendit.*

POntificios circa doctrinam de sensu Scripturæ errare contendimus, 1. quoad ipsam eorum sententiam. 2. Quoad sententiæ finem & scopum. *Primum* quod spectat, erronei sunt;

1. *Varios Scripturæ sensus, nullo adhibito discrimine assignando*. Bellar. lib. 3. de V. D. c. 3. facit primò distinctionem *in sensum literalem sive historicum, & spiritualem sive mysticum*. Hactenus, si rectè intelligatur, non malè. Posteà *literalem* definit & dividit, neque id malè. Post-

Postmodum *spiritualem* dispescit in *allegoricum*, *tropologicum*, & *anagogicum*. *Allegoricum* vocat, *cum verba Scripturæ, præter literalem sensum, significant aliquid in N. T. quod ad Christum vel Ecclesiam pertineat*, Gal. 4. vers. 22. *Tropologicum* appellat, *cum verba aut facta referuntur ad aliquid significandum, quod pertinet ad mores* 1 Cor. 9. vers. 9. *Anagogicum* vocat, *cùm verba aut facta referuntur ad significandam vitam æternam*, *Heb.* 4: 3. Thomas in comment. Gal. 4. lect. 6. hoc dat exemplum: *Per hoc, quod dico, fiat lux, ad literam de luce corporali, pertinet ad sensum literalem. Si intelligatur, fiat lux, id est, nascatur Christus in Ecclesia, pertinet ad sensum allegoricum. Si verò dicatur, fiat lux, id est, ut per Christum introducamur ad gloriam, pertinet ad sensum anagogicum. Si autem dicatur, fiat lux, id est, per Christum illuminemur in intellectu, & inflammemur in affectu, pertinet ad sensum moralem.* Similia his leguntur apud *Lyranum* in prol. Bibl. *Sixt. Senens.* lib. 3. Biblioth. sanct. p. 138. & seqq. *Salmer.* proleg. 7. *Cornel à Lapide* in encomio Scripturæ, præfixo commentario in Pentat. *Becan.* Theol. scholast. part. 2. tom. 2. tract. 1. cap. 3. q. 3. Cujus divisionis integritatem & adæquationem ita colligit *Christ. Gillius* Jesuita comm. Theol. lib. 1. tract. 7. cap. 3. num. 10. *Veritas, quam divinæ literæ per figuras rerum tradunt, ordinatur vel ad rectè operandum vel ad rectè credendum: si ad rectè operandum, est sensus moralis vel tropologicus: si verò ad rectè credendum; opus est iterum distinctione ex parte credibilium. Ut enim auctor est Dionys. c. 4. cælest. hier. status præsentis Ecclesiæ est medius inter statum Synagogæ Ecclesiæ triumphantis: & ideò V. T. fuit figura Novi, utrumque verò status beatifici: & ita sensus mysticus ordinatus ad credendum, fundatus in figuratione N. T. per Vetus, dicitur allegoricus: quatenus autem fundatur in eo modo figurationis, quo Vetus ac Novum sunt typus Ecclesiæ triumphantis, est anagogicus.* Hæc ille. Noti aliàs sunt versiculi de hac distinctione sensuum:

*Litera gesta docet: quid credas, allegoria:*
*Moralis, quid agas, quò tendas, anagogia.*

Verùm ut de *appellationum* incommoditate nihil dicam (*Anagogia* rectiùs diceretur ἀναγωγὴ *subvectio, elevatio;* nam ἀναγωγία propriè *defectum disciplinæ*, juxta Budæum, item *dissolutam vitam, & animum juvenis indomitum* notat, ab ἀνάγωγος *intractabilis, contumax, dissolutus vitâ*) hac vice monemus hæc. 1. Inconcinnè *Tropologia* & *Anagogia* contradistinguuntur *allegoriæ*: cùm hujus sint quædam species. Certe enim 1 Cor. 9. vers. 9. Hebr. 4: 3. propriè & accuratè loquendo, tractatio Apostoli est allegorica. Variant tantùm subjecta, & materia, de qua utrobique sermo. At si ratione materiæ quæritur inter *allegoriam, tropologiam & anagogen* differentia, cur non itidem alia species statuitur ejus spiritualis sensus, qui agit de Ecclesia militante, de Christo, de Baptismo? &c. 2. Malè confunduntur *allegoriæ in ipsa Scriptura monstratæ, & ab Interpretibus illatæ.* Adducuntur quidem à Bellarmino ad declarandam suam sententiam exempla Scripturæ: sed res ipsa ostendit, in unum chaos tam ἐγγράφως quàm ἀγράφως allegorias ipsum congerere. Sic d. c. 3. §. 7. probaturus, *in Testamento etiam novo reperiri sensum spiritualem*, adducit Augustinum, qui tract. 122. in Joh. allegoricè exponit *capturam illam piscium, quando scindebatur rete*, Luc. 4. anagogicè autem *illam, quando rete non scindebatur*, Johan. 21. Et similiter tract. 124. in Joh. allegoricè exponit, quod dictum est Petro, *sequere me;* & anagogicè, quod dictum est de Johanne: *si eum volo manere* &c. Gillius d. l. in historia *ingressus Christi super asina in sanctam civitatem* hos assignat sensus mysticos: *Moralem* (inquit) *assignavit Chrysost. in Matth. 21. cùm ait, eo facto Christum nobis regulam reliquisse, ne majora requiramus, quàm necessarius usus exigat. Hieron. tetigit allegoricum cùm dicit, factum Apostolorum vestimenta sua ponentium super asinam Christo sessuro, significare, opus esse animæ dogmatibus Apostolicis, ut super eam Christus sedeat. Denique idem Hieron. Remig. & alii tradunt anagogicum, cùm ajunt, illum Christi ingressum in terrestrem Jerusalem fuisse figuram introitus in cœlestem.* Hæc Jesuitæ, eo ipso à nostra superiùs exposita sententia quàm longissimé discedentes. Quando enim duplicem Scripturæ sensum statuimus, illos tantùm Scripturæ intelligimus textus, quos ipsa Scriptura ostendit, præter literalem, sensum continere mysticum. De Patrum verò quibuscunque allegoriis (ut Bellarm. asserit d. l. §. 8.) *licet ædificent, cùm non sint contra fidem aut bonos mores, non possumus esse certi, à Spiritu sancto esse intentas.* Et sic nequaquam pro ipso Scripturæ sensu, (quod volunt Pontificii) sed pro diversis tantùm accommodationibus ad distinctas materias sunt habendæ, quas accommodationes, si congruæ fuerint, & fidei analogiæ conformes, ut utiles acceptamus; sin contortæ & alienæ, rejicimus.

2. *Multos literales sensus eidem Scripturæ textui attribuendo.* Et hoc ipsum est, quod potissimum in Pontificiis reprehendimus. Unicum enim cujuslibet loci sensum esse literalem, infrà in speciali declaratione probatum

dabitur. Romanenses verò, dum varietatem sensuum literalium introducunt, Scripturæ claritatem & certitudinem, quantum in ipsis est, elidere satagunt.

Hæc de Pontificiorum circa hanc rem sententiâ. Placet etiam adducere, quæ pro stabilienda illa proferunt, fundamenta & rationes.

a Fundamenta sententiæ Pontificiæ.

a I. Bellarm. l. 3. de V. D. c. 3. §. 2. id exinde probat: *Scriptura DEUM habet auctorem. E. illius proprium est, continere duos sensus literalem sive historicum, & spiritualem sive mysticum.* At quanta hîc sit consequentiæ vis, ostendunt *Natalis Comitis* Mythologiæ, *Palæphati Prienensis Apiston*, h. e. de non credendis historiis liber, *Sabini* commentarius in Nasonis Metamorphoseos libros, & alii τῶν μύθων ἀλληγορηταί: Continent enim illæ mythologiæ duos sensus, etiam ex mente Pontificiorum, & tamen à DEO per immediatam illam inspirationem (quam Scripturis tribuimus) haudquaquam sunt profectæ. Quin si vis argumenti solida, à toto ad partes argumentari licebit, quæ sunt toti homogeneæ, hoc quidem modo: *Qualibet Scriptura particula, quivis textus DEUM habet auctorem. E. & quibuslibet inerit duplex sensus, literalis & mysticus*, quod consequens Bellarminus ipsemet haud concedit. Sic enim loquitur lib. 3. de V. D. cap. 3. §. 8. *Non invenitur spiritualis sensus in omni sententia Scriptura, nec in Testamento veteri, nec in novo. Illud enim: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, Deut. 6. & Mat. 22. & similia pracepta, non habent nisi unum sensum, id est, literalem* &c.

2. Cornel. à Lapide, postquam suam exposuisset de varietate sensuum Scripturæ sententiam per ἐκφώνησιν subjungit: *Vide hîc fœcunditatem sancta Scriptura.* Ex *fœcunditate* igitur, quæ scripto DEI verbo tribuitur Esa. 55. vers. 10, 11. sensuum multiplicitatem, cum quibusdam aliis, probando educere satagit. Verum fœcunditas illa & ubertas Scripturæ sacræ canonicæ in aliis potiùs consistit. Dicitur quippe *fœcunda* (1.) *ratione sui* & ὑποστατικῶς, quia est inexhausta sapientiæ divinæ scaturigo, mysteriis plurimis, ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν constitutis, referta. (2.) *Ratione nostri* & ἐνεργητικῶς, quia ritè tractata, intellecta, & cordium tabulis digito DEI inscripta, centuplos fructus ad vitam æternam profert, Matth. 13. vers. 18. Esa. 56. vers. 10, 11. inde *semen incorruptibile* dicitur, *per quod renascimur*, 1 Petr. 1. vers. 23. λόγος ἔμφυτος, seu *sermo insititius, qui potest salvare animas nostras*, Jacob. 1: 21. Non tamen negandum, ad fœcunditatem Scripturæ pertinere ἑπομένως etiam hoc, quod præter sensum literalem sæpè reconditum secum habet sensum mysticum, qui præviâ ipsâ Scripturâ ex illo textu, ceu ex fœcunda aurifodina, erui debet & potest.

3. Cornel. d. l. ex 1 Sam. 20. vers. 20. ita colligit: *Quemadmodum Jonathan signum fuga Davidi daturus, jaciens sagittam ex condicto, puerumque eam collecturum ultro progredi jubens, duo significabat: prius proximè, ut puer sagittam tolleret, alterum remotiùs, Davidi fugam esse capessendam: Ita in Scripturis se res habet, ut detur sensus literalis proximè; & mysticus, remotius à Spiritu sancto significatus.* Sed hoc simile vix ad præsentem scopum quadrat. Neque enim verba Jonathanis duplicem habebant sensum, alterum proximum, alterum verò remotiorem, sed uniformem: Ex condicto autem illud Jonathæ factum, & de progrediendo ulteriùs mandatum, Davidi mentem Saulis aperiebant, cui alias cum illo ipso facto mandatoque nihil intercedebat convenientiæ. Quod si verò, ut levi hujus rei obumbratione, hoc simili quis velit uti, nequaquam refragamur.

b Scopus sententiæ Pontificiorum.

b Alterum quod attinet, finem videlicet & scopum sententiæ Pontificiorum, duplicem eundem reperio, uterque malus est & omninò perversus. I. Suam de *obscuritate Scriptura sacra* pseudohypothesin exinde probare satagunt. Bellarminus lib. 3. de V. D. c. 9. *Scriptura varios sensus recipit, nec potest ipsa dicere, quis sit verus. Ergò* (concludit exinde) *obscura est, nec potest sui ipsius esse judex.* Sic Becanus d. l. q. 8. inter *causas obscuritatis Scriptura* ponit etiam hanc, *quòd una res sæpè est figura vel typus alterius rei, per illam significata.* Unde *triplicem*, ait, *oriri obscuritatem; 1. quia non statim constat, qua res, cujus rei figura sit. 2. Quia una res aliquando est figura rerum diversarum, etiam repugnantium. 3. Quia aliquando fit, ut res aliqua, qua est figura alterius, repræsentet illam in uno, & omninò dissimilis sit in alio.* Quæ omnia exemplis illustrat. Sed Resp. 1. Mirum non est, obscuritatis Scripturæ causam Pontificiis inde enasci, quod non statim ipsis constet, quæ *res, cujus rei figura sit:* cùm in sensu mystico ἐγγράφῳ, qui in Scripturis ipsis explicatur, non acquiescant, sed Interpretum etiam, proprio ausu confictos, & invectos, solicitè attendant typos. Ita enim *Jonam fuisse typum non solum Christi, sed & populi Judæorum, qui Christo erant contrarii*, ex Augustino Epist. 49. q. 6. Becanus ibid. asserit: *Nam sicut Jonas dolebat de pœnitentia Ninivitarum*, Joh. 4. vers. 1. *ita Judæi posteà doluerunt de vocatione gentium.* At illatus est hic typus in Scripturam, nequaquam verò ex Scriptura elatus & enatus, quæ sensum istum typicum nuspiam commonstrat. 2. Tantum igitur abest,

est, ut obscuritas hinc in Scripturis sacris sequatur ulla, ut potius *claritas & perspicuitas ejus* consistat etiam in hoc, quod quando Spiritus sanctus alicubi mysticum quid intendit, id alibi vel explicitè, vel implicitè, (utroque modo clarè & perspicuè) enucleet & exponat, modò Salvatoris jussui obsequentes, Scripturas ἐρευνῶμεν, Joh. 5. vers. 39. & Christum, ut dulcissimum nucleum, in iis sedulò cum timore Domini investigemus. Atque hic scopus est Pontificiorum prior. II. Suum *de judice controversiarum* dogma illi sententiæ superstruere attentant. Bellarmini in d. l. c. 3. discursus hic est: *Quia Scriptura sensum admittit multiplicem, indiget proinde interpretatione. Illa proficisci debet ab eo Spiritu, quo factæ sunt Scripturæ*, 2 Pet. 1. *Spiritus iste non nisi (idque certò) in Ecclesia invenitur, id est, in Concilio Episcoporum, confirmato à summo Ecclesiæ totius Pastore, sive in summo Pastore cum concilio aliorum Pastorum.* At verò, ut *priora duo* (Scripturam indigere interpretatione, illamque interpretationem debere ab ipso Spiritu sancto in Scripturis loquente proficisci, 2 Petr. 1. vers. 20.) ultrò concedimus, imò & urgemus & propugnamus; ita *posterius* illud, ceu reprobam caudam, & absurdam impiamque consequentiam assui, imò ex prioribus posterioris falsitatem suapte sponte pervideri asserimus, ut alibi hæc probandi locus sese aperiet latior.

## Articulus II.

*Patrum sententiam expendit.*

PIæ antiquitatis, quo à sensu literali historico ad mysticum in Scripturæ interpretatione ascendit, studium haudquaquam improbamus, interim tamen ei nondum per omnia assentiri possumus: *tùm* propter nimium hac in re excessum, *tùm* propter alieniora argumenta.

a I. *Nimius excessus* in Origine deprehenditur, qui *triplicem* quidem Scripturæ agnoscere videtur sensum, hom. 2. in Gen. *historicum, allegoricum & tropologicum. Tu si facis arcam* (inquit) *si Bibliothecam ex sermonibus Propheticis & Apostolicis, vel eorum, qui eos rectis fidei lineis secuti sunt, congregas, bicameratam & tricameratam facito eam, ex ipsa narrationis historias disce: ex ipsa mysterium magnum, quod in Christo & Ecclesia impletur, agnosce: ex ipsa etiam emendare mores, resecare vitia, purgare animam, atque exuere eam omni vinculo captivitatis intellige &c.* Interim tamen misso sensu literali & historico, *allegorico & spirituali* nimiam operam impendit, ut Hieronymus in Epist. ad Pammach. justè de eo conqueratur, *quòd ita allegorizet, ut historiæ auferat veritatem.* b Augustinus etiam quiddam excessus pati videtur, quando lib. 1. de Gen. ad lit. c. 1. ex 1 Corinth. 10: 11. sic ratiocinatur: *In narratione rerum factarum quæritur, utrum omnia secundum figuratum tantummodo intellectum accipiantur, an etiam secundùm fidem rerum gestarum asserenda & defendenda sint. Nam non esse* (omnia) *accipienda figuraliter, nullus Christianorum dicere audebit, attendens Apostolum dicentem, Omnia autem hæc in figura contingebant illis &c.* c Hieronym. in Epist. ad Hedib. quæ est 150. pag. 12. *Triplex* (inquit) *in corde nostro descriptio & regula Scripturarum est. Prima, ut intelligamus eas juxta historiam; secunda, juxta tropologiam,* (Bellarmin. lib. 3. de V. D. c. 3. ait, Hieronymum in h. l. nomine *Tropologici sensûs* intelligere etiam *allegoricum*, & contra in c. 4. Amos nomine *allegorici* comprehendere etiam *tropologicum*) *tertia juxta intelligentiam spiritualem. In historia eorum, quæ scripta sunt, ordo servatur. In tropologia de litera ad majora consurgimus, & quicquid in priore populo carnaliter factum est, juxta moralem interpretamur locum, & ad animæ nostræ emolumenta convertimus: In spirituali θεωρίᾳ ad sublimiora transimus, terrena dimittimus, de futurorum beatitudine & cœlestibus disputamus, ut præsentis vitæ meditatio umbra futuræ beatitudinis sit.* d Gregor. expos. mor. in Job. lib. 16. cap. 9. *Super omnipotentem deliciis affluere, est in amore illius Scripturæ epulis satiari. In cujus nimirum verbis tot delicias invenimus, quot ad profectum nostrum intelligentiæ diversitates accipimus, ut modò nuda nos pascat historia, modo sub textu literæ velata medullitus nos reficiat moralis allegoria, modò ad altiora suspendat contemplatio, in præsentis vitæ tenebris jam de lumine æternitatis intermicans.* Augustinus lib. de util. cred. ad Honorat. c. 3. (tom. 6. operum pag. 92.) paulò aliam adhuc Scripturæ exponendæ rationem tradit. Statuit enim eam quadruplicem: 1. Secundùm *historiam*, cùm videl. docetur, quid scriptum aut quid gestum sit, *quid non gestum*, sed tantummodò scriptum quasi gestum sit. 2. Secundum *ætiologiam*, cùm ostenditur, quà de causa aliquid dictum vel factum sit. 3. Secundùm *analogiam*, quà utriusque Testamenti congruentia demonstratur. 4. Secundùm *allegoriam*, cùm docetur, non ad literam accipienda esse, quæ scripta sunt, sed figuratè intelligenda. Hanc lib. de vera relig. cap. 50. subdividit in allegoriam *historiæ*, allegoriam *facti*,

a Origenes
b Augustinus.
c Hieron.
d Gregorius.

*facti*, allegoriam *sermonis*, & allegoriam *Sacramenti*.

a ἐκλογ-εις.

a De hac Patrum sententia notandum: 1. Alios aliis sensisse hac in re rectiùs, ut ex collatione apparet. Benè Hieron. in comment. Esa. 13. *Hæc dicimus, non quòd tropologicam intelligentiam condemnemus, sed quòd spiritualis interpretatio sequi debeat ordinem historiæ: quod plerique ignorantes, lymphatico in scripturis vagantur errore.* 2. Quando *sensus mystici & allegorici* faciunt mentionem, non illas tantùm intelligunt allegorias, quæ in Scripturis explicantur, sed quas ipsimet etiam sensui literali superstruunt, præter Scripturæ explicationem. Id verò dum faciunt, in eruendo sensu literali interdum satis negligentes sunt & tepidi. 3. Neque tamen eo fine *historicum, allegoricum, tropologicum & anagogicum* Scripturæ sensum statuunt, ut Scripturas obscuritatis cujusdam reas peragant, (quod faciunt Pontificii) sed iidem, quos superiùs allegavimus, perspicuitatem earundem (respectu etiam idiotarum) pulchre dant comprobatam. Origenes in Matth. 4. *Scripturæ sunt fons Jacob: siquidem in Scripturis bibunt docti, ut Jacob & filii, ac simplices & rudes, ut pecora ejus.* Idem: *Plato & Græcorum sapientes similes sunt Medicis iis, qui solis lautioribus prospiciunt, neglecta plebejorum multitudine. Judæorum autem Prophetæ & Christi discipuli, qui humanam sapientiam valere jusserunt, cibos curant saluberrimos, eaque compositione verborum utuntur, eoque apparatu, qui humanam sapientiam valere jusserunt, cibos curant saluberrimos, eaque compositione verborum utuntur, eoque apparatu, qui sit accommodatissimus ad captum IDIOTARUM.* August. lib. 2. de Doct. Christ. c. 6. *Ita Spiritus sanctus magnificè & salubriter Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret: nihil enim ferè de istis obscurioribus eruitur, quod non planissimè alibi reperiatur.* Idem lib. 2. contr. Donatist. cap. 6. *Nulla obscuritas est in Scripturis, sed si manu mentis tuæ Scripturarum januam pulsaveris, paulatim incipiens colligere rationem dictorum, aperietur tibi non ab alio, sed à DEI VERBO, quia solus Jesus in Evangelio suo mysteria legis revelavit.* Gregor. Magnus: *Scriptura fluvius est, in quo elephas natare possit, agnus ambulare.* 4. Multò minùs ideò id faciunt, ut interpretationem Scripturarum *Pontifici Romano*, cum concilio aliorum pastorum unicè & in solidum deferant, quod Pontificiis est propositum. Sed contra hanc heterodoxian seriò potius pugnant. Audiamus unum atque alterum: Gregor. Magnus (ipsemet Papa Romanus) lib. 18. moral. cap. 4. *Qui verè loqui desiderat, è sacris literis sumere debet, quid loquatur: & omne quod loquitur,* AD DIVINÆ AUCTORITATIS FUNDAMENTUM REVOCET. Augustinus (in præcipua fidei quæstione, pro *gratiæ divinæ necessitate*, contra Pelagianos contendens) ita loquitur lib. de grat. & lib. arbitr. c. 18. *Illa causa judicem requirit, & quis erit judex? JUDICET APOSTOLUS, quia in Apostolo loquitur Christus &c.* Confer eundem super Psal. 23. Et hæc de sententia quorundam Patrum, qui pro illa stabiliendâ

b Argumenta Patrum.

b II. *Alienioribus quandoque utuntur argumentis*, quæ paucis expendenda.

1. Augustinus lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 1. quem sequitur Bellarminus lib. 3. de verbo DEI cap. 3. §. 2. Becan. part. 2. Theol. Scholast. tom. 2. tract. 1. cap. 3. quæst. 3. pro duplici Scripturæ sensu comprobando adducunt dictum 1 Cor. 10. vers. 6. *Hæc autem in figura facta sunt nostri.* Et. vers. 11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis.* At verò (1.) ex illo loco nihil aliud doceri potest, quàm quòd Paulus veterum historiam ad Corinthios accommodet, & doceat, illa, quæ veteribus acciderunt, esse typos, hoc est, imagines, & tabulas, ut in iis videre possint, quid fugere & quid sequi debeant, item quomodo Deus erga peccatores sit affectus. Luth. serm. de X. leprosis §. ultrà: *Paulus non de figuris, sed de exemplis loquitur: hortatur enim, ut in timore Dei ambulemus, ne tale quiddam nobis contingat.* (2.) Quid per ista verba v. 6. intelligatur, ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν, ostendit vers. 11. ubi exempla Israelitarum priscorum dicuntur esse scripta πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν, *ad commonefactionem nostram*, & ad cautelam, ne, ut vers. 6. habetur, simus ἐπιθυμηταὶ κακῶν &c. Jam verò νουθεσία non sensus mysticus sed sensus Scripturæ accommodatio est, ad usum, uti patet ex 2. Timot. 3. vers. 16. ubi Scripturæ usus proponitur quadruplex & recensetur etiam παιδεία, *institutio in justitia*, quæ cum νουθεσία illa unum & idem.

2. Hieronymus in Epist. ad Hedib. adducit dictum Salomonis Prov. 22. ℣. 20. *Præcipitur*, inquit, *nobis à Salomone, dicente: tu autem describe ea tripliciter, in consilio & scientia, ut respondeas verbum veritatis his, qui proponunt tibi.* Posteà subjicit ea, quæ superiùs adducta sunt, de triplici Scripturarum sensu ac intelligentia. At verò hic à dicti Salomonis tùm *verbis* tùm *scopo* deviatur. A *verbis* quidem, 1. neque enim ea sunt Salomonis *præcipientis*, quid nos debeamus facere in Scripturarum interpretatione, sed *asserentis* & indicantis,

quid ipse fecerit; inquit enim הֲלֹא כָתַבְתִּי לְךָ *an non descripsi tibi* &c. 2. Vox שָׁלִשִׁים per *tripliciter* exponit Hieron. ut & Targ. תְּלָתָא זִמְנִין *tribus vicibus*, sed analogia vocis hujus ostendit, ita esse vertendum: *Nonne scripsi tibi* magna, *in consiliis & scientiâ:* vel eodem sensu, *nonne scripsi tibi* (verba) ducum sive Principum, hoc est, præstantissima documenta, in consiliis & scientia, hoc est, quæ tùm in consiliis dandis tibi prodesse, tùm scientem te & prudentem efficere possunt. Est enim שָׁלִשִׁים plurale (camez, quod aliàs in scheva verti debuisset, retinet ad differentiam vocis שְׁלֹשִׁים quæ *triginta* significat) à שָׁלִישׁ quod *magnum Ducem*, *Principem*, propriè *tertium à Rege* denotat, & per metaphoram ad quævis, excellenti in dignitatis gradu constituta, transfertur. Et ex his patet simul, à *scopo* etiam & *vero sensu* sapientis Hieronymiana interpretatione discedi; neque enim de expositione Scripturarum ibi agitur, quomodo sit adornanda, sed commendantur Proverbia Salomonis, in illo libro tradita.

3. Hieron. ibid. adducit dictum 1 Thess. 5: 23. *Quos Christus* (inquit) *tales invenerit, ut & corpore & animâ & Spiritu integri conserventur, & perfectam habeant triplicis in se scientiæ* (triplicis Scripturæ Sensus) *veritatem, hos suâ pace sanctificabit, & faciet esse perfectos.* At & hic à scopo & contextu Apostolico quantum discedatur, ex collatione verborum Apostoli est satis manifestum, nec quicquam addi ulterius necessum est.

## Articulus III.

*Rabbinorum placita expendit.*

Audaciùs se gerunt Hebræorum Magistri, quos *Rabbinos* vocant, & præsertim ii, quibus *Cabbalistarum* nomen, ob secretioris sapientiæ, & Scripturas interpretandi scientiæ (quam *à Mose per manus accepisse se* ajunt) persuasionem, assignatur. Rectè quidem illi duplicem Scripturæ sensum, literalem, & arcanum sive mysticum, statuunt, uti ex veteri eorum dicto, in principio hujus libri allegato patet, minus autem rectè, quod

1. *Pro mystico & Cabbalico ipsius S. Sanctæ Scripturæ sensu habent*, quicquid ipsorum cerebella, *sæpè* superstitiosè, *sæpiùs* nugaciter & frivolè, *sæpissimè* inutiliter suppeditant, imò quibuscunque ferè per nocturna somnia deliriis aguntur. Cunæus lib. 3. de Repub. Hebræorum cap. 8. *Nimium ineptiunt plerique* (Judæi) *qui inter eos interpretati legem sunt, superciliosi Magistri, qui errores erroribus tegunt, ne perpluant, & discipulos suos magna mercede unum hoc docent: Nihil sapere. Qui plurimos sui similes, h. e. putidos & nugatores effecerint, ii primas tenent, & nomine admodum insolenti sese appellitant* מרביצי תורה *quasi tu barbarè dixeris, qui efficiunt, uti lex recubet, h. e. quiescat inter eos, & sedem habeat in sola gente Judaicâ. Est tamen* (additur ibidem) *eorum factio quædam cordatior, ii sunt Karraitæ, qui spretis hominum placitis, Thalmudica præcepta pro nugamentis habent, & nihil admittunt, nisi sacri codicis contextum. Sed id hominum genus cæteris Judæis invisissimum est &c.*

2. *Mysticum sensum* (& quidem eum, quem ipsi Scripturis inferunt) *literali multis parasangis anteferunt. Literalem* vocant דבר קטן *rem parvam: spiritualem* verò דבר גדול *rem magnam. Illum* conferunt candelæ, quæ minimo quadrante emitur; *hunc* verò margaritæ in obscuris ædibus latenti, quæ tandem per hujusmodi candelam, i. e. per literalem sensum, à quærentibus invenitur. Prov. 25. 11. habentur hæc verba: *Poma aurea in cancellaturis argenteis, verbum dictum secundum ambas facies ejus.* (Cancellaturæ argenteæ sunt retiacula argentea, in quibus oculi sunt minutissimi, penetrabiles tamen visu.) Quem locum mysticè hunc habere sensum dicunt, *quòd verbum dictum secundùm ambas facies suas, i. e. secundum interiorem & exteriorem sensum sit instar pomi aurei in retiaculo argenteo: & preciosum quidem esse sensum exteriorem, & bonum velut argentum, interiorem verò multò esse meliorem, instar auri, si conferatur ad argentum.* Confer Weidn. in loc. fid. Christ. tract. 1. p. 73. & Salm. tom. 1. proleg. 7. p. 69.

3. *Sensum mysticum & Cabalisticum nimiopere multiplicant.* Tradunt quidam inter ipsos Rabbinos, sibi septuaginta modos explicandæ legis esse, (Aben-Ezra in Rythmica præfatione super Pentateuchum, circa finem: כי שבעים פנים לתורה *quoniam septuaginta* (non *septem*, ut Munsterus ex hoc auctore asserere dicitur) *sunt moduli* (interpretandæ *legis seu Scripturæ*.) Et hæc causa forsan est, cur puncta in codicibus suis Biblicis adscribi non admittant, ut nempè sensuum copia abundantior ipsis suppetat; quod non diffitetur R. Menahem, cujus verba sunt, ספר תורה שיש בו הרבה פנים אינו ונקוד h. e. *Liber legis, in quo sunt multæ facies* (sensuum) *non* (debet) *esse punctatus.* Fusiùs id declarat R. Bechai super illud Num. 11: 15. וְאִם־כָּכָה אַתְּ־עֹשֶׂה לִּי ubi pro עֹשֶׂה existimat posse legi עָשָׂה ob mysterium aliquod ea voce innuendum: *Nam consonæ* (inquit) *sine punctis*

*vocalibus varias & ornatas intelligentias habent, quâ de causa præceptum habemus de non addendis vocalibus libro legis, quod unicum duntaxat sensum haberent dictiones cum illis; sine ipsis verò, varias & miras significationes emittunt.* Sed de variis Cabbalicarum interpretationum modis infra, in capite de allegoriis in specie, agetur prolixiùs: hoc loco, in genere quæ annotata sunt, sufficere possunt.

# TRACTATUS II.

## De sensu Scripturæ in specie.

## SECTIO I.

### *De sensu literali.*

DUplicem Scripturæ in universum considerata esse sensum, superiùs dictum, & rationibus suffultum est; jam de utroque uberiùs agendum εἰδικῶς & *in specie:* Et de sensu literali quidem 1. ὁριςικῶς, ejus naturam & definitionem indagando; 2. διαιρετικῶς, distinctionem ejusdem proponendo; 3. κανονικῶς, regulas quasdam & canones expendendo.

### Articulus I.

*Definitionem ejus proponens.*

DEfinitio est tùm ὀνοματώδης *nominis*, tùm πραγματώδης *rei. DEFINITO NOMINIS.* I. Apud Hebræos literalis sensus vocatur משמע *auditus*, (quæ appellatio proximè ad verborum voce vivâ prolatorum, consequenter ad eorundem scripto exhibitorum sensum literalem pertinet,) inde phrasis לפי משמעו *secundum auditum ejus*, & כמשמעו hoc est, *ut verba sonant*, in proprio & nativo literali sensu. Vocatur etiam פשטא & הפשט à Syr. פשט *extendit, pandit*, q. d. explicatio simplex & literalis sensus. Item משל hoc est, *exemplum* seu *parabola:* forsan ideò, quod juxta hypothesin Cabbalicam nusquam non in litera textus occurrat, quòd sit parabola alterius, & quod Cabbalisticum simul contineat sensum. a Sensus literalis quis vocetur. Respectu habito ad sensum mysticum appellatur, דבר קטן *res parva*, ut paulo antè dictum. II. Apud Græcos usitata est 1. appellatio νοῦς, quod contractum ex νόος est, & propriè *mentem, animum*, translativè verò *cogitationem, voluntatem, consilium*, & quòd huc spectat, *sensum verborum*, vel prolatorum, vel scriptorum, significat. Unde Aristoph. νοῦν δ᾽ ἔχει τίνα, *quis est horum verborum sensus*, quid hæc verba sibi volunt? Lucian. καὶ ἴσως οὗτος ὁ νοῦς ἦν τῷ λελεγμένῳ. Synes. Epist. 103. ἀλλὰ σὺ κακῶς ἐξεδίζω τὸν νοῦν τῆς ἐπιστολῆς. Hac significatione videtur accipi 1 Cor. 2. vers. 16. *Quis enim cognovit* νοῦν Κυρίου, *mentem Domini*, & mox: *nos autem* νοῦν Χριστοῦ, *mentem Christi tenemus.* Sive autem consilium Dei de salute nostra, sive sensum verbi divini in literas redacti, illa voce intelligamus, res eodem redit, consilium enim Dei, & id omne quidem in Scripturis nobis revelatur; Scripturas igitur qui scrutatur & intelligit, νοῦν *mentem* Christi tenet, hoc est, sensum verborum Christi accuratè percipit, & eo ipso consilium ejus exactè novit. Proximè autem ad *sensum verborum Scripturæ* eâ voce respici, videtur patere ex vers. 14. ubi dicitur, quòd *animalis homo non percipiat ea, quæ sunt Spiritus Dei*, hoc est, quod Scripturas & mysteria fidei in eis proposita non intelligat, neque sensum earum teneat. Et vers. 15. ubi dicitur, quòd *homo spiritualis omnia dijudicet*, quòd de vera & salutari Scripturarum intelligentia accipiendum esse constat. 2. Occurrit etiam vox διάνοια, de qua in vestibulo sect. 1. 3. Usitata quoque est vox ῥητοῦ, quo Theologi uti hac in causa solent, etsi strictiùs aliquantò vocabulum istud accipiendum esse, quam terminus *sensus literalis*, paulo post dicetur. III. Appellatio Latina *sensus literalis* synecdochica est, à litera, quæ vocis constituendæ primum elementum est. Ut enim, per *ampliationem synecdochicam, litera* pro integra oratione, vel ore prolata vel scriptâ, sumitur, unde & ipsa artium συστήματα, *bonæ literulæ, literæ ingenuæ* dici consueverunt: ita & *sensus literalis* per eandem synecdochen dicitur is, qui proximè in oratione aliqua vel Scriptura, à dicente vel scribente intenditur ac spectatur, ut fusiùs mox dicetur. Est etiam usu trita appellatio *sensus historici*, sed ea stricta nimiopere & angusta est, cùm ad eam tantùm Scripturæ sacræ partem pertineat, quæ historias continet, sensus autem literalis in omni Scriptura invenitur, sive historica, sive dogmatica, sive prophetica sit.

a *DEFINITIO REI.* De natura & definitione *sensus literalis* Scripturæ sacræ, quædam inter auctores discrepantia est, quam tamen amicum distinctionis fœdus facilè conciliat.

1. Literalem sensum quidam vocant *eum, qui ex verbis Scripturæ propriè & sine ullo tropo intellectis elicitur*, seu quem ipsa verborum proprietas

prietas præ se fert. Et hac acceptione sensus literalis à sensu tropico seu figurato (quem verba translatè & tropicè in textu accepta gignunt) ut distincta species dispescitur, cujus utriusque (& literalis & figurati) generale quidam nomen, instar generis constituunt, sensum videl. *Grammaticum*, (quod tamen aliquantò fieri videtur incommodiùs, *tùm* quod genus hoc ab altera specie planè dissentit, cum qua debebat consentire: sensus enim tropicus seu figuratus ad Rhetoricam pertinet, a qua Grammatica, ut distincta ars, sejungitur: *tùm* quod *Grammaticus* & *literalis sensus* æquè latè patere videntur, γράμμα enim *literam* significat, unde γραμματικός *literalis*: sed de appellationibus pugna non fit adeò pertinax.) Et ita sentire videntur quidam ex Patribus. Hieron. enim in cap. 11. Esa. citat illud ibidem: *Habitabit lupus cum agno*, quod secundum literam falsum esse ait. Gregorius lib. 4. moral c. 1. & 2. adducit illud Job. 3. vers. 3. *Pereat dies, in qua natus sum*, quod absurdum esse ait, si secundum literam intelligatur. August. lib. 3. de doctrin. Christ. cap. 5. *Cavendum est*, (inquit,) *ne figuratam locutionem ad literam accipias. Ad hoc enim pertinet, quod ait Apostolus: Litera occidit, Spiritus autem vivificat.* Lyranus in 3. prol. Bibl. similiter sensum literalem negat *in iis, in quibus occurrit metaphora.* Isti sententiæ *Bellarminus* etiam Witakero de Script. quæst. 5. cap. 2. Mortono part. 2. apol. Cathol. lib. 5. c. 1. & quibusdam aliis, addictus esse videtur, cùm lib. 3. de verb. Dei cap. 3. §. 2. literalis sensus hanc tradat descriptionem, *quòd sit is, quem verba IMMEDIATE præferunt.* Verùm §: 4. & 9. (ubi literalem sensum in *simplicem* & *figuratum* distinguit) satis seipsum explicat, quòd scilic. per vocem illam, *IMMEDIATE*, non intelligat *immediationem*, (ut ita dicam) *absolutam*, respectu vocis sive sententiæ absolutè consideratam, sed *limitatam*, ratione vocis sive sententiæ, prout in textu Scripturæ ponitur, consideratam. Utut autem hæc sese habeant, videtur prior hæc de sensu literali sententia, simpliciter & absolutè loquendo, consistere non posse. Sensus enim literalis Scripturæ, quin etiam Spiritus sancti, in Scripturis ad nos loquentis sensus sit, nemini potest esse dubium. Quod si igitur sensus literalis est is, qui ex verbis propriè acceptis extruitur, & verò sensus is est ipsius Scripturæ & Spiritus sancti, sequitur, quòd *Herodes* propriè loquendo sit *Vulpes*; ita enim dicitur Luc. 13. vers. 31. quod *manus ac pedes, si nos scandalizent, abscindendi, oculi eruendi sint*; Matth. 5. vers. 29, 30. quòd *pii* propriè loquendo *ambulare debeant super aspides & basiliscos, & conculcare leones & dracones*; Psal. 91. vers. 13. quod *lupi cum agnis, pardi cum hœdis* propriè in N. Test. *habitaturi sint*, juxta vaticinium Esa. 11. vers. 6, 7, 8. cap. 65: 25. Atqui hæc omnia ἄτοπα & absurda. Ergò etiam prius illud, ex quo hæc sequuntur. *Consequentiæ ratio* est manifesta, is enim dictorum, quæ allegata sunt, sensus ex proprietate sermonis colligitur. Is autem sensus, stante hac hypothesi, literalis, & ipsius Scripturæ, ac consequenter Spiritus sancti, sensus est. *Si regeras*, sensum istum literalem (si absurda contineat, & aliàs in fidei articulos impingat) esse deserendum, & amplexandum figuratum: Respondeo; si hoc, utique *sensus literalis* dici non meretur. Loquimur enim jam de sensu *locorum SCRIPTURÆ*: Sensus autem locorum Scripturæ nihil aliud est, quàm id, quod Scriptura (vel Spiritus sanctus in Scriptura) sentit. Si igitur à sensu illo, quem ita appellant, literali discedendum, utique Scriptura ita non sentit, & p. c. sensus alicujus loci vel textus dici non debet.

2. Sunt igitur alii, qui literalem sensum Scripturæ vocant eum, *quem intendit PROXIME Spiritus sanctus*, & qui ex verbis rectè, juxta dicentis scopum, antecedentium & consequentium cohærentiam, Scripturæque analogiam eruitur, sive verba ista sint propria & à tropis libera; sive sint tropis affecta. Quâ de re placent verba Clariss. Dn. D. Hunii contra Parac. & Weigel. cap. 2. §. 35. *Literam* (inquit) *non dicimus primum & immediatum vocum ac phrasium Grammaticè acceptarum sensum, sed eum, quem verba prout in textu usurpantur, per se ac primò possunt reddere. Sic enim sensus literalis in illo Esa. 11. vers. 6. Habitabit lupus cum agno; non istorum brutorum, sed gentium ac Judæorum conjunctionem exponit.* Quidam ita loquuntur, quòd *sensus Scripturæ locorum literalis semper & ubique sit unicus, modus autem significandi istum sensum duplex proprius & improprius.* Lyranus in prol. Bibl. pag. 5. hac de re sic loquitur: *Sensus sacræ Scripturæ ad hoc, quod literalis dicatur requiritur, quod sit intentus ab auctore sacræ Scripturæ, qui est DEUS. Cujus ratio est, nam sensus literalis cujuscunque Scripturæ est ille, quem auctor intendit, cùm voces sint earum, quæ sunt in anima, passionum notæ, ut in 1. peri hermenias. Sed constat, quòd auctor S. Scripturæ est DEUS, & sic patet, quòd sensus literalis, de quo agitur, est ille, qui à DEO intenditur, & per voces in litera contentas signatur.* Et in Jer. 31. super verba: *Confluent ad bona Domini super*

*per frumento & oleo &c.* *Per hæc* (inquit) *parabolice intelliguntur bona spiritualia, quæ non capiuntur ab hominibus, nisi sub similitudine corporalium: propter quæ Scriptura Vet. & Novi Testam. frequenter parabolicè* (metaphorice) *loquitur & est ibi sensus literalis non ille, qui per voces immediatè significatur, sed qui per res significatas intelligitur.* Et in fine comm. ad Ezech. *Visiones ædificationum, quas tradit Ezechiel, communiter sunt metaphoricè intelligendæ, & ideò processus exponendi hujusmodi visiones sensu mystico, censeri debet proprius & literalis, secundum modum loquendi ipsius Prophetæ, sicut in his, quæ parabolice dicuntur, sensus literalis est non ille, qui per literam significatur, sed qui per res ipsas, quas litera significat, intelligitur.*

ὁ ἐκλέκρισις. a 3. Nos ita progrediendum esse censemus. 1. Sensus literalis terminus sumitur vel *strictè* & impropriè; vel *latiùs* & propriè. *Strictè* ita dictus literalis sensus potest nominari is, quem priore loco descripsimus, qui nempè immediaté ex *propria* verborum significatione colligitur. Sic sensus literalis istius loci: *Super aspidem & basiliscum ambulabis*, diceretur is, qui ex verbis propriè intellectis oriri potest, ut *aspis* intelligatur animal quoddam noxium sicut & *basiliscus: ambulare* significet, pedum adminiculo super re aliqua ire, eamque calcare. Notandum verò, stante hac vocis acceptione, potiùs dici debere, *sensum literalem verborum in se consideratorum*, quàm *sensum literalem Scripturæ*, sive ipsorum locorum & textuum Scripturæ, sive verborum, prout in textu Biblico sunt posita & disposita. Alii dicunt, sensum, qui consistit in propria significatione verbi per metaphoram translati, non esse literalem, sed solùm Grammaticalem, & solùm primum literæ corticem tenere, scriptoris verò sententiam non assequi. *Latiùs* & propriè acceptus sensus literalis est is, qui posteriori loco descriptus fuit, nempè qui & Spiritus S. intentioni, & contextui, & Scripturæ analogiæ respondet. Et ita literalis sensus est etiam in illis, quæ figuratè sunt accipienda. Sic sensus literalis dicti: *super aspidem & basiliscum ambulabis*, est hic: In maximis quibusque periculis & calamitatibus tutus ac salvus eris. Id enim Spiritus S. in eo loco intendit, ut ipsa contextus συνάφεια ostendit. 2. Distinguendi sunt termini à Theologis usurpari soliti, nempè *sensus literalis* & τὸ ῥητόν. Etsi enim interdum pro ἰσοδυναμοῦσι adhibentur, accuratè tamen loquendo PRIOR opponitur sensui Scripturæ mystico, & est, uti dixi, is, quem proximè intendit in Scripturarum verbis & textibus Spiritus S. POSTERIOR terminus τοῦ ῥητοῦ opponitur τῇ διανοίᾳ (ut vocant) quando nempè verbum vel oratio, si propriè accepta absurdum aliquod evidens (non verò φαινόμενον & rationi nostræ apparens) contineat, vel Scripturæ analogiæ repugnet, tropice & figuratè est intelligenda, & commoda (ut loquuntur) διάνοια quærenda. Sic quia verba, *super aspidem & basiliscum ambulabis* &c. proprietate sermonis retentâ piis non competunt, ideò ῥητῷ sive ea significatione, quam propriè voces significant, repudiatâ, metaphorica (vel allegorica potiùs, quæ metaphorica continuata est) amplexanda est, ut antê dictum. Differunt igitur isti duo termini, ut latius & angustius. Omne ῥητὸν est sensus literalis: sed non contrà, omnis sensus literalis est τὸ ῥητόν; Seu ita: Quicquid κατὰ ῥητὸν & sine tropo explicari debet, est sensus literalis, & à Spiritu S. intentus; sed non contrà: Quicquid sensu literali & à Spiritu S. intento constat, id propriè & sine tropo explicandum est.

## Articulus II.

*Distinctionem sensus literalis continens.*

Ex his, quæ dicta sunt, distinctio sensus literalis sponte fluit, ut ferè repetitione haud sit opus. SENSUS literalis est, qui proximè à Spiritu sancto, vel Christo in Scripturis loquente, intenditur. Estque vel *proprius* vel *figuratus*. Cum enim voces cujusque literæ sive textus vel propriè vel improprie accipiantur, necessum est, sensum literalem etiam duplicem esse. *Sensus literalis proprius est*, qui oritur ex verbis in propria & nativa significatione acceptis. Sic in verbis Cœnæ; *Accipite & comedite: Hoc est corpus meum*: sensus literalis proprius est, quia nulla hìc occurrit vox modificata seu tropo affecta. *Accipere* acceptionem propriè dictam, quæ ore vel manu fit: *comedere* comestionem propriam, quæ ore fit: *HOC*, propriè istud, quod à Christo Apostolis manducandum præbebatur: *EST*, proprie prædicati cum subjecto connexionem, & substantiæ Sacramenti Eucharistici expressionem: *CORPUS* propriè ipsum Dominicum corpus in hypostasi τοῦ λόγου gloriosissimi subsistens: *MEUM*, propriè & pronominaliter, significant. *Sensus literalis figuratus* est, qui nascitur ex verbis tropice & modificate acceptis, cùm nempè in litera seu textu Scripturæ, qui explicandus est, tropus aliquis occurrit, & tum dicitur quæri apta & concinna διάνοια, sicut in textu, cujus sensus literalis est proprius, dicitur spectari τὸ ῥητόν. Sic quando Joh.

ſo Joh. 6. Chriſtus de *pane vitæ comedendo* concionatur, ſenſus literalis eſt tropicus, neque enim *panis* propriè dictus, ſed caro Chriſti vivifica, quæ metaphoricè panis dicitur; neque *comeſtio* propriè dicta, & quæ ore corporis fit, ſed ſpiritualis, quæ fideli corde expeditur, ſeu quod idem eſt, ipſa in Chriſtum fides intelligitur. Utrumque ex Chriſti ſcopo, contextus συναφείᾳ & Scripturæ ἀναλογίᾳ, abundè comprobatum dari poteſt, de quo alibi fuſiùs.

## Articulus III.

*Canones de ſenſu literali exhibens, & explicans, generales.*

REgulæ & canones, ad Scripturæ interpretationem de ſenſu literali neceſſarii ita diſtingui poſſunt, ut quidam ſint *generales*, quidam *ſpeciales*. *Illi* loquuntur de *ſenſu literali in ſe*: *Hi* de ſenſu literali *reſpectu* factæ ſuperiùs diſtinctionis, in *proprium & figuratum*. *Prioris* generis canones producimus iſtos

## Canon I.

*Senſus literalis Scripturæ textuum non parvi pendendus, ſed maximo in pretio habendus, & ſolicitè eruendus eſt.*

OPpoſitus eſt hic canon Theophraſteo-Weigelianæ Matæologiæ interpolatoribus, qui repudiato in univerſum ſenſu Scripturæ literali, ſpirituales ſolos (uti vocant) eoſque pro lubitu confictos, Scripturis impertinenter inferre non dubitant. Inde ſenſum literalem provenire ajunt *ex homine veteri*, *ex naturali mundi Spiritu*, *ex Antichriſto*. Weigel. dial. p. 81. libell. diſp. pag. 29. 30. Poſtill. part. 2. pag. 243. *imo plus cauſari damni & impedimenti, quam commodi, & idcirco Chriſtianis fugiendum*; idem Poſtill. part. 3. pag. 85. & uno verbo pro *cortice* habet, *ad interiora non penetrante*, & literæ inſiſtentes contemtim appellat Buchſtabler / Buchſtabliche Lehrer / Diener des Buchſtabens / Weigel. Poſtill. part. 2. pag. 34. 199. 225. 226. 233. gulden Grieff. p. 55. 56. Vide D. Thummium contra Theol. Weigel. err. 12. ſeq. Iis autem opponimus, 1. *expreſſum Petri effatum*, Scripturam non eſſe ἰδίας ἐπιλύσεως ſeu *propriæ interpretationis*, 2. Epiſt. 1. verſ. 20. Utique igitur non pro lubitu interpretatio myſtica Scripturis inferenda, ſed ex ipſa Scriptura ſenſus verus & genuinus eruendus eſt. 2. *Apertiſſimum Chriſti verbum*: ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς, *ſcrutamini Scripturas*. Joh. 5:39. cui conſonat illud Pauli. 1 Timo. 4:13. πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει, *attende lectioni*. Quibus incentivis non ad vanas extra & præter Scripturam, (in explanatione ejus) cogitationes, & ſuavia quæcunque ſomnia; ſed ad diligentem ipſorum textuum literis exhibitorum perſcrutationem inflammamur. Nullum enim dubium, quin Spiritus ſanctus, ſeu fideliſſimus Eccleſiæ Doctor, à ſe ſcripta ſic voluerit intellecta, prout ipſe textus, ad *dicentis ſcopum*, *antecedentium & conſequentium cohæſionem*, *Scripturæque panharmoniam ac analogiam*, accuratè expenſus, ſonat, ut nullo modo neceſſum ſit, ad ſenſus myſticos, pro arbitrio confictos, & Scripturæ illatos, confugere.

## Canon II.

*Unus tantùm eſt cujuſque tùm vocis, tùm contextus Biblici, literalis ſenſus.*

a CAnon iſte *tùm* quibuſdam Calvinianis, *tùm* verò & potiſſimum Pontificiis eſt oppoſitus. I. *Calviniani* quidam ſentiunt in verbis Cœnæ, vocem Chriſti præceptivam, *EDITE*, duplicem habere ſenſum & ſignificationem, alteram, ut denotet *manducationem oralem*, alteram verò, ut notet *manducationem ſpiritualem*, ſignificeturque & τὸ φάγειν & τὸ πιςεύειν: φάγειν ratione *panis Euchariſtici*, πιςεύειν ratione *corporis Dominici*, quæ Goclenii ſunt verba part. 1. miſcell. pag. 111. Similia habent Conſid. commonefact. p. 220. Bucanus loc. 48. Huic ſententiæ *prior* canonis pars ex adverſo repugnat: Quod *unius vocis* unus tantum ſit literalis ſenſus. Intellige autem vocem *verè UNAM*, h. e. in oratione *ſimplici* poſitam, qualis eſt oratio, de qua quæritur, euchariſtica. In oratione enim ſive enunciatione *conjuncta*, unam vocem (quæ tamen potentiâ duarum vicem gerit) ratione duplicis ſubjecti, duplicem etiam ſuſtinere ſenſum ſive ſignificationem, non eſt abſurdum, ut Joël 2:13. קִרְעוּ *Scindite cor veſtrum, & non veſtimenta veſtra*. Ubi oratio conjuncta diſcreta eſt, quæ in duas has reſolvitur: *Scindite cor veſtrum: Non ſcindite veſtimenta veſtra*. Vox igitur *Scindite* actu quidem una vox eſt, potentiâ autem duæ, & proinde duplex ſignificatum, reſpectu duplicis ejuſque diverſi ſubjecti, gerere non abſonum eſt: *prius* proprium, reſpe-

a Contra Calvinianos.

ctu vestimentorum, *posterius* metaphoricum, respectu *cordis*, quod *scindi dicitur*, quando sensu peccatorum & iræ DEI est anxium & contritum. Benè Alsted. lib. 2. præcog. Theol. cap. 100. *Scriptura sacra non est ambigua, sed qualibet vox & phrasis in eadem sententia & constructione eadem, uno & eodem loco, habet unicam tantùm significationem, unicum sensum, non plures. Nam tum demum est enunciatio vera, cùm unum dicitur; sed unum non dicitur, cum voci seu phrasi eidem duplex affingitur significatio in eodem loco.* Et id rectè opponit *Pontificiis*, qui fingunt, verbum *facite* in verbis Cœnæ significare primò *sacrificare*, seu offerre Deo, secundò *panem & corpus Christi accipere*. Vide de hoc plura apud Dn. D. Gerh. tom. 5. de Cœna, cap. 16. §. 180. & Dn. D. Meisn. Sobr. Philos. part. 1. sect. 1. cap. 5. quæst. 6.

II. *Pontificii* ad unum ferè omnes (excipiendus enim *Michael Medina*, lib. 6. de recta in Deum fide cap. 25. qui diversum sentit, secutus in hoc, annotante Gillio Jes. lib. 1. tract. 7. cap. 4. n. 1. Alensem 1 p. quæst. 1. n. 4. à 2. ad ultimum: Albert tract. 1. sum. quæst. 5. m. 2. ad quintum. Henric. in sum. art. 16. quæst. 2. ad secundum & quæst. 3.) *unius Scripturæ loci textusve plures quandoque literales esse sensus* asserunt. Azor. inst. moral. lib. 8. cap. 2. §. undecimo quæritur &c. *Hæc est communis Theologorum opinio, ejusdem literæ posse plures literales sensus esse.* Bellarm. lib. 3. de V. D. c. 3. §. 7. *Non est improbabile, interdum plures literales (sensus) in eadem sententia reperiri.* Similia leguntur apud Thom. 1. part. q. 1. art. 10. Lyranum prol. 2. super Bibl. Cornel. à Lapide in præf. super. Pentat. can. 35. Hector. Pintum in Esa. 53. Rieberam, comm. in Hebr. c. 1. num. 27. Gretser. in defens. Bellar. l. 3. de V. D. cap. 3. col. 1196. & Becanum part. 2. Theol. Schol. tom. 2. tract. 1. cap. 3. q. 5. qui cæteris hac in re aliquantò modestior, cùm non solùm de exemplis Scripturæ, quæ pro pluralitate sensuum literalium adducuntur, ita loquatur, quòd *videantur* in illis plures esse sensus, quòd *putentur* habere duplicem sensum: sed & quædam proponat notanda, quæ cum ad refutationem Pontificiorum faciant egregiè, paucis hûc describemus. *Ne erremus* (inquit Becanus) *aliqua notanda sunt:* b 1. *Hactenus ab Ecclesia non esse definitum, plures esse sensus literales sub eadem litera.* (Per *Ecclesiam* concilium à Pontifice confirmatum intelligit: cujus statutis cum hoc dogma, de pluralitate sensus literalis Scripturæ locorum, non sit propositum & definitum, statuendi hic non obscurè concedit libertatem.) *Multa esse*

a Argumenta pro unitate sensus literalis.

b Becani discursus.

*Scripturæ testimonia, quæ antiqui Patres variè interpretantur secundum literam, sed inde non sequitur, plures esse sensus literales in illis testimoniis. Nam sæpè fit, ut plures illi sensus, qui à variis assignantur, inter se pugnent. Fieri autem non potest, ut hæc pugna à Spiritu S. fit.* (Hæc observatio locum & usum habebit inferiùs.) 3. *Multa etiam esse testimonia, quæ ex Hebræo textu diversimodè translata sunt. Nec inde sequitur, plures esse sensus literales in eadem litera; sed tantùm plures esse sensus literales, secundum varias ejusdem loci translationes &c.* 4. *Inter antiquos Patres vix alium esse, præter Augustinum* (lib. 12. confess. cap. 30. & 31.) *qui disertè affirmat, plures sensus literales sub iisdem vocibus contineri. Agnoscunt quidem plures sensus, sed unum literalem, alterum mysticum.* Hucusque Becani hypotheses, ex quibus de Pontificiorum communi sententia, an vera sit, ipsum dubitâsse, non obscurè colligi & deprehendi potest. Opponitur autem Pontificiorum sententiæ pars Canonis *posterior:* quod unius Scripturæ loci seu contextus *unus* tantùm sit *literalis sensus*. Quæ thesis *partim* confirmanda, *partim* à contrariis rationibus, quæ opponuntur, solvenda & vindicanda est.

## I. Theseos confirmatio.

a CONfirmatur autem sequentibus argumentis.

1. *A sensus & significationis natura.* Forma unius rei essentialis non est nisi unica. At sensus literalis seu significatio est forma verborum in Scripturas relatorum. Ergò sensus literalis verborum in Scripturas relatorum, sive quod idem est, vocum & textuum Scripturæ sacræ non nisi unus est.

2. *A veritatis unitate.* Plus uno in una eademque sententia verum esse nequit, verum enim & unum convertuntur. Jam verò in Scripturæ sacræ verbis & sententiis summa & divina proponitur veritas, Psal. 119. vers. 142. Joh. 17. vers. 17. Ergò in Scripturæ sacræ verbis & sententiis plus uno verum esse non potest. Esset autem plus uno verum, seu continerentur multæ veritates in eadem voce vel textu, si plures statuerentur in iis literales sensus.

3. *A scripturæ sacræ claritate.* Quodcunque varios admittit sensus literales, variasque significationes, illud in se & per se est obscurum. At Scriptura sacra non est in se & per se obscura. Ergò Scriptura varios sensus literales, variasque significationes non admittit. *Minorem* quidem ut falsam traducunt Pontificii, sed

sed expressissimis Scripturæ ipsius, de se testantis, effatis stabilita dari potest. Vide Psal. 19. vers. 9. Psal. 119. vers. 105. Prov. 6. vers. 23. 2 Cor: 4, 3, 4. 2 Pet. 1. vers. 19. quorum dictorum ἔμφασις alibi expenditur.

4. *A Scripturæ sacræ certitudine*, 2 Petr. 1. vers. 19. Scripturæ Propheticæ (ut & Apostolicæ, quæ cum priori exactissimè consentit, Actor. 26. vers. 22.) tribuitur *βεβαιότης firmitas*. At βεβαιότης illa & certitudo cum pluralitate sensuum literalium in uno eodemque Scripturæ loco stare minimè potest. Quicquid enim pluribus, quàm uno, constat sensibus & significationibus, illud est ambiguum; quicquid ambiguum, illud incertum, *nec definitam parit sententiam;* attestante etiam Philosopho libr. 1. de cœlo cap. 11. Hoc argumento utitur etiam Medina Pontificius l. d.

5. *A Scripturæ fine.* Si Scripturæ sacræ nos debent σοφίσαι, *sapientes reddere*, instruere & informare, tùm in fide, tùm in vita, sequitur, quòd ab illis omnem oporteat abesse ambiguitatem, & consequenter, sensuum literalium varietatem. Atqui prius verum est. Ergò & posterius. *Majoris* connexio firma est, quæ enim verba & effata multis sensibus & significationibus simul & semel sunt prædita, illa certo certiùs sunt ambigua: Quæ autem ambigua, illa σοφίσαι, *instruere*, (præsertim modo illo perfectissimò, qui 2 Tim. 3. vers. 16, 17. innuitur) ecqui possent? Imò tantùm abest, ut illa sapientes reddant, ut potiùs erroribus dent ansam & materiem, juxta illud: *Errorum genitrix est Æquivocatio semper. Minor* ex 2 Tim. 3. v. 15, 16, 17. Joh. 20. v. 31. & aliis ex locis firmiter probatur.

## II. Antitheseos refutatio.

HActenus sententiam orthodoxam confirmavimus, restat, ut quæ ab adversa parte objiciuntur, perlustremus & diluamus. Pugnat autem ea tùm *ratiunculis* quibusdam, tùm *Scripturæ exemplis*. Rationes sunt desumtæ

a 1. *A Scripturæ auctore.* Corn. à Lapide in c. 3. Eph. p. 517. *Auctor Scripturarum uti amplissimum habet intellectum & conceptum; ita & locutionem. Unde varios intendit sensus, etiam literales, si rei locoque conveniant &c.* Becan. d.l. *Deus qui est auctor Scripturæ, adeò fœcundus est, ut unico verbo mentali exprimat simul infinita. Ergò potest etiam unico verbo scripto multa significare.* Gordonus Huntlæus in controv. epit. contr. 1. c. 15. §. 5. *Cùm sensus literalis sit ille, quem auctor intendit, auctor verò proprius & præcipuus sacræ Scripturæ sit ipse Deus, cujus intentio & mens non est alligata uni duntaxat veritati, (ut est hominum intelligentia,) sed omnia eodem prorsus momento comprehendat: dubium non est, quin possit DEUS iisdem verbis eodemque tempore diversa nobis significare.* Resp. 1. Sicut Pontificii in articulis fidei, extra & præter voluntatem DEI in Scripturis expressam, probationes quandoque ab *omnipotentia Dei* desumunt, & ita, *cum non inveniant, quonam sanctarum Scripturarum funiculo scapham assertionis suæ pertrahant ad alicujus stabilitatis litus, fluctuantes pertrahuntur in illud omnipotentiæ divinæ pelagus*, quæ sunt verba Humberti Sylv. Cand. Episcopi, in disp. adv. Græcos: (Hinc Baronius tom. 1. in histor. ann. 9. *de translatione Cameræ Lauretanæ* fabulam asserturus, ad omnipotentiæ divinæ asylum confugit: *Nec est* inquiens, *quòd quis de re gesta dubitet, qui memoriâ repetat, quod dictum est ab Angelo: Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Idem patet de *Transsubstantiationis* dogmate &c.) Ita in articulorum etiam fidei *principio*, Scripturâ videl. sacrâ, procedunt, ut nempe de sensu ejus & sententia non ex DEI voluntate, sed potentiâ judicent. Ex Becani enim & Gordoni Jesuitarum verbis nihil colligere licet aliud, quâm *Deum posse efficere*, ut unius Scripturæ sint plures literales sensus. At hîc vel maximè verùm est id: *A posse ad esse non valet consequentia.* Præter potentiam DEI igitur ad voluntatem ejus deveniendum, & videndum, an DEUS non solùm idipsum (quod asseritur) possit, sed etiam an *velit*? Quid autem velit DEUS, enunciando suum verbum, ex ipso verbo discendum est. Jam verò idipsum tradit, DEUM per Scripturam ita ad nos loqui, ut tanquam ex *verbo lucido & firmo*, certam de ipsius voluntate, deque via ad salutem æternam, possimus haurire sententiam, quod cum varietate ista sensuum literalium, quæ ambiguitatem inducit, stare minimè potest. 2. Non à potentiâ DEI solùm, sed & ab ejusdem omniscientia & intellectu, perperam Jesuitæ argumentantur. Qualis enim consequentia? *Deus multa simul intelligit. E. etiam multos in uno verbo vel textu Scripturæ intendit sensus.* Sensus enim alicujus sermonis, sive ore prolati sive scripto exarati, non est æstimandus ex intellectu dicentis in se considerato, sed ad certam rem & materiam, quam verba præferunt, quæque non nisi una unius verbi & sententiæ est, applicato. Sic homo plura intellectu concipere simul potest, interim tamen, si mentis sensa, vel prolatis ore verbis, vel Scripturâ, in certo aliquo negocio prodit,

a Rationes adversantium.

prodit, tunc ad unum illud intellectus jam determinatus est: Ita DEUS (si parva licet componere magnis) etsi infinita simul concipit, non tamen nisi unum & simplicem uno verbo intendit literalem sensum. 3. Si collectio Jesuitarum sit legitima, sequuntur duo absurda. (1.) Cùm DEUS unico verbo mentali exprimat simul infinita, ut Becanus loquitur, sequitur, unico etiam verbo prolato vel scripto exprimere ipsum *infinitos sensus*, ab illo enim ad hoc Jesuitæ argumentum & analogiam ducunt. At consequens est absurdum. (2.) Sequeretur etiam, in omnibus omninò Scripturæ effatis plures, imò infinitos reperiri sensus literales. Ratio est, quia omnia Scripturæ effata Deum auctorem agnoscunt, ergò omnium etiam idem erit jus, & æqualis conditio. Sed & hoc, ex Pontificiorum collectione deductum consequens, ipsimet falsum esse agnoscunt, cùm vix paucula corradere possint Scripturæ exempla, quibus plures inesse literales sensus ajunt. 4. An & sic Jesuitæ concludere volunt? *Deus scripturæ auctor est. Ergò Scriptura obscura & intellectu difficilis est.* Certè ex superiori discursu hæc emergit conclusio, cùm (ut suprà probatum) pluralitas Scripturæ sensuum ambiguitatem & consequenter obscuritatem secum immediatè inferat. At longè alio, imò contrario modo argumentatur Apostolus 2 Tim. 3. vers. 15, 16, 17. *Scriptura est* θεόπνευςος, *à Deo inspirata.* Ergo potest nos σοφίσαι, *sapientes reddere, & ad omne bonum opus perfectos præstare.* 5. Invertimus igitur totum argumentum, & ita concludimus: *Scriptura auctorem Deum habet. Ergò non habet multos literales sensus.* Ratio est, Deus enim mentis & linguæ artifex perspicuè loquitur. Ergò etiam sine ambiguitate loquitur, quæ perspicuitati è diametro adversa. DEUS est ipsa veritas, & verbum ipsius veritas, Johan. 17: 17. E. etiam unam tantùm uno verbo intendit veritatem, cùm plus uno verum esse non possit.

a Interpretum dissonantia.

a 2. *Ab interpretum varietate.* Salmer. tom. 1. prol. 8. p. 81. loco Esa. 53. vers. 8. *Generationem ejus quis enarrabit &c.* (de quo posteà) plures inesse sensus literales, ita probatum dat: *Hunc locum Hieron. de æterna filii generatione exponit, quem ob id reprehendit Lyra. Tertullianus lib. 2. contra Jud. Lactantius libr. 4. Institution. cap. 18. Justinus tom. 2. oper. in dial. cum Tryphone, ad nativitatem Christi temporalem referunt. Sunt qui eundem ad statum resurrectionis accommodant. Inveniuntur, qui axioma Prophetæ de generatione Christi passivâ intelligunt, ut sensus sit: Quis enumerare potest filios & filias spirituales, quos merito passionis suæ generabit; ita Lyranus. Non desunt denique, qui per generationem gesta & acta alicujus significari existiment, sensu eo: Generationem ejus quis enarrabit, h. e. nativitatem ejus, vitæ progressum, sanctissimos mores, miracula, gestaque omnia, doctrinam, vim disputandi, mortem atque resurrectionem, quis valeat humano ore aut oratione complecti.* Hactenus Salmeron. Becanus duplicem huic dicto prophetico sensum literalem adsignans, addit determinationem à Pontifice Romano, *Leone* profectam, qui serm. 3. in nativit. Domin. cap. 1. ita loquatur: *Non enim ad illud tantummodò Sacramentum, quo Filius Dei consempiternus est Patri, sed etiam ad hunc ortum, quo Verbum caro factum est, credimus pertinere, quod dictum est: Generationem ejus quis enarrabit?* Et ex diversitate interpretationum, quæ in loco Eph. 3. vers. 18. dantur, profluxit etiam collectio Cornelii à Lapide, quæ in vestibulo rationis 1. adducta est¹, *plures* scil. *unius loci dari sensus literales.* Causam autem, cur Patrum diversæ expositiones diversos constituant sensus literales, Gillius lib. 1. tract. 7. cap. 4. num. 8. dat istam: *Cùm ex præcepto Ecclesiæ Scripturas teneamur interpretari juxta communem Patrum expositionem, nihil in ea falsi reperiri debet, alioquin erraret Ecclesia præcipiendo, ut eorum interpretationes amplectamur.* Hæc scilic. ista Helena est, pro qua tantoperè pugnatur in Ecclesia Pontificia. Sed respondemus. 1. Becanus ipse expressissimè illam rationem rejicit & refutat, cujus verba supra adducta sunt. Congrediantur igitur & conveniant priùs Jesuitici Patres, antequam hoc nobis opponant argumentum. 2. Diversitas illa interpretationum in uno eodemque Scripturæ textu, nihil aliud infert, quàm hoc, Interpretes unicum Scripturæ dictorum sensum literalem diversimode eruere conatos fuisse. De interpretationibus autem inter se discrepantibus (etsi non contrariis, vel à fidei analogia alienis) ex ipsa Scriptura, considerato textus scopo, συναφείᾳ, phrasi &c. faciendum est judicium, & videndum, quænam reliquis præferenda, quæque unicum istum à Spiritu sancto intentum sensum accuratiùs proponat. 3. Unde Pontificii possunt esse certi, omnes istos sensus, quos Patrum interpretamenta diversa proponunt, ipsum auctorem intendisse; neque enim Prophetica vel Apostolica ipsorum est auctoritas, ut sine ulla dubitatione, quod in locorum Scripturæ interpretatione proponunt, pro oraculis divinis sit habendum. *Becanus* ex Patribus antiquis duplicem duntaxat dicto Esa. 53. vers. 8. attribuit sensum: *Salmeron* quintuplicem. Unde autem certum evadet, uter ipsorum rectius

senserit?

senserit? si duplex est Scripturæ istius sensus, certè duplicem tantùm intendit Spiritus S. sin quintuplex, quintuplicem: Et annon ab hominibus ipsius Scripturæ sensus (qui forma verborum est) pendebit; contrà, quàm Jesuita Acosta libr. 3. de Christi revelat. cap. 11. pronunciat: *Non enim Ecclesia sensum literalem Scripturæ tribuere potuit, quam illa hactenus non habuerit.* Ex quo patet, incerta esse, quæcunque de Patrum auctoritate pro varietate sensus literalis producuntur. Et quid mirum? cum incertitudinem & obscuritatem Scripturæ sacræ ex hoc turbido fonte educere Pontificii satagant.

[a] *Exempla* Scripturæ producunt sequentia:

I. Genes. 1:1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Gretser. in defens. Bellarm. lib. 3. de V. D. c. 3. ex Augustino profert sensus literales hos: *In principio, i. e. in Filio, sapientiâ suâ æternâ.* Item, *in principio, i. e. initio temporis.* Tertiò, *in principio, i. e. antequam aliquid fieret, h. e. initio operis divini.* Et August. lib. 12. confes. cap. 31. subjungit dictum: *Cùm alius dixerit; hoc sensit Moses, quod ego; & alius, imo illud quod ego; religiosius me arbitror dicere, cur non utrumque potiùs, si utrumque verum est? Et si quid tertium, & si quid quartum, & quid omninò aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia vidisse credatur is, per quem unus Deus, vera & diversa visuris, sacras literas multorum sensibus temperavit.* Resp. Quis primæ Bibliorum vocis sit sensus, est planissimum, intelligi videl. *principium temporis & rerum creatarum*, quod Joh. 1:1. ἐν ἀρχῇ dicitur. Igitur 1. explicatio de *Deo Filio*, quorundam Patrum est, non ipsius Scripturæ. 2. Secundus & tertius sensus idem sunt, uti patet. 3. Augustini auctoritate hic nequaquam tenemur.

II. Exod. 12:46. ad literam agitur de *agno Paschali*, uti constat. Literaliter etiam agitur de *Christo*, quia Joh. 19: 36. dicitur: *Facta sunt hæc, ut Scriptura impleretur.* Scriptura autem nunquam impletur, nisi in sensu literali. Tostat. in comm. 2. Sam. 7. Resp. Nequaquam sensu literali, ceremonia de non frangendo osse in agno Paschali, allegatur. Joh. 19. sed sensu mystico. Nec infrequens est, Scripturam Vet. Test. sensu mystico in Novo allegari, & quæ typica erant, ad antitypum referri. Vide Matth. 2. vers. 15. Et *Scriptura* tùm *impleri* dicitur, quando fit istud, quod in Scriptura ista sive literaliter in verbis, sive mysticè in rebus ipsis à Spiritu sancto intenditur.

III. 1. Paral. 17. vers. 13. *Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in Filium.* Quæ verba literali sensu, & de *Salomone*, & de *Christo* agere, statuit Lyranus prol. 2. super Bibl. & Tostatus super 2 Samuel. 7. Resp. Ut promissionis istius divinæ (2 Samuel. 7. vers. 12. & 1 Paral. 17. vers. 11. seq. descriptæ) verus sensus patescat, & ad objectum solidè respondeatur, duo breviter subjungam, 1. De *utroque* & *Salomone* filio Davidis, & *Messia* in promissione illa agi probabo. 2. Quo sensu de utroque inibi agatur, declarabo.

[b] 1. Agi de *Salomone*, Davidis filio, in præstituto textu, evidentissimè patet, 1. *Ex Davidis & Salomonis, imò ipsius Dei explicatione.* David sensum verborum Domini (utpote *Propheta existens*, Actor. 2. vers. 30.) omnium optimè intellexit. Is verò ad Salomonem filium suum ea ipsa refert, 1 Paral. 22. vers. 9. seqq. & cap. 28. vers. 2. seqq. Ipse Salomon sibi appropriat, 1 Reg. 5. vers. 5. cap. 8. vers. 17. seqq. 2 Paral. 6. vers. 7. seqq. imò DEUS ipse ad ea respicit, 1 Reg. 9. vers. 5. 2 Paral. 7. vers. 18. quæ loca omnia promissioni parallela esse, evidentia textus, & verborum conformitas luculenter evincit. 2. *Ex textus ipsius consideratione*, & (1.) quidem *scopi*. Is ex antecedentibus colligitur, quòd sit *Templi Hierosolymitani ædificatio*: Illam David in animo sibi proposuerat, 2 Sam. 7. vers. 2. Deus per Nathanem denegat, vers. 4, 5. (cujus ratio patet 1 Paral. 22. vers. 8. seqq.) & Salomoni regni successori vendicat reservatque. Unde ita colligo: De cujus templi ædificatione agitur in Davidis proposito, de ejusdem agitur quoque in Jehovæ responso, propter immediatam connexionem, mutuamque inter quæsitum & responsum σχέσιν ac relationem. At de templi Hierosolymitani ædificatione agitur in Davidis proposito. E. (2.) *Regis promissi.* Sermo est de Rege tali, qui 1. *peccare potest*, 2 Sam. 7. vers. 14. qui 2. *castigatur ob peccata virgis hominum*, i. e. humana castigatione. Quorum utrumque Salomoni competit potiùs, quàm vel alteri cuidam, vel ipsi etiam Messiæ. Cæterùm non de Salomone tantum (uti hactenus probatum) sed de *Christo* etiam illustre hoc vaticinium acceptandum esse, ostendit 1. *Lux Nov. Testam.* tùm *manifesta allegationis*, Hebr. 1. vers. 5. Christo accommodantur illa promissionis verba: *Ego ero ei in Patrem, & ipse erit mihi in filium*: tùm *parallelæ locutionis* Actor. 2. vers. 30. ubi notetur, Davidem promissionis istius intuitu vaticinium de resurrectione Christi (in Psalm. 16. vers. 10.) edidisse, quod non obscurè ex vers. 30, 31. prædicti capitis Actorum colligitur. Confer etiam Luc. 1. vers. 32, 33. verba Angeli. 2. Alia V. Test. loca, in quibus verba ex

[a] Exempla Scripturæ ab adversariis adducta.

[b] De sensu vero promissionis Davidicæ

ba ex hac promissione desumuntur, iisque Christi regnum & beneficia describuntur. Esa. 9. vers. 6, 7. Jerem. 23. vers. 5. cap. 33. vers. 15, 16. Dan. 7. vers. 13, 14. Psalm. 72. vers. 7, 8. Zach. 6. vers. 12, 13. Quò pertinent חסדי דויד הנאמנים *misericordiæ Davidis fideles & immutabiles*, Esa. 55. vers. 3. de venturo scil Messia, de quo in capite isto agi, ex vers. 1, 2, 4, 5. evidenter conspicitur. Et observandum, ex his verbis resurrectionem Christi probare Apostolum Actor. 13. vers. 34. *Quod autem resuscitavit eum ex mortuis, nunquam reversurum in corruptionem, ita dicit*: ὅτι δώσω ὑμῖν τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστὰ, *quia dabo vobis firmas Davidis beneficentias*, seu certissima illa Davidis beneficia, h.e. Davidi promissa de Filio in æternum regnaturo, ad quod præstandum opus erat, ut Christus resurgeret à mortuis, atque intraret in gloriam suam.

2. His ita præsuppositis, quæritur jam, *quo sensu de Salomone, quove de Christo in promissione illa agatur?* 1. Lyranus de utroque *sensu literali* agi existimat, sed falsò: Verba enim immediatè dè Salomone intelligenda esse, res ipsa loquitur: nec potest illa de duplicitate sensus literalis sententia propter rationes antea allatas consistere. 2. Alii de *Christo* unicè & literali sensu hoc loco agi contendunt, ad Salomonem autem fieri dicunt alibi applicationem, quia Salomon fuit typus Christi, sicut multa typo tribuuntur propter antitypum. Sed contrà est, quod 1 Paral. 22. vers. 11. expressè dicitur, Deum David hìc locutum fuisse de filio suo Salomone. 3. Quidam eò abeunt, quòd promissio hæc (uti & alia loca Scripturæ, quæ typum involvunt) sensu literali uno, at composito, & de *Salomone* ut typo, & de *Messia* ut antitypo, intelligenda sit. Verùm objectorum in dicto aliquo intellectorum diversitas, non unum, sed diversum etiam gignit sensum. Jam verò hìc diversa sunt objecta: Salomon filius David, & Messias θεάνθρωπος. 4. His ita remotis textui convenientissima est illa sententia, de *Salomone*, deque ejus & posterorum regno, uti & externâ templi Hierosolymitani exædificatione, *sensu literali* in præsenti loco agi: de *Christo* verò ejusque regno & beneficiis, *sensu spirituali seu mystico*, is enim ut ἀντίτυπον à DEO sub figura Salomonis proponitur, à quo certo modo adumbratur & præfiguratur. Quò pertinet, quòd David in sua ad Deum ὁμολογήσει ac gratiarum actione ita loquitur 2 Sam. 7. vers. 19. וזאת תורת *hæc est forma, delineatio*, (rectiùs enim hìc pro fœminino à masculino תור *dispositio, forma*, quæ vox in loco planè parallelo 1 Paral. 17. vers. 17. usurpatur, quàm pro altero illo תורה quæ legem seu *doctrinam* multoties significat, habetur) *hominis Domini Dei*, q. d. quod, ô DEUS, mihi promisisti, non concernit unicè & in solidum filium meum ex lumbis meis nasciturum, sed in illo delineas, & præfiguras alium quendam filium, & hominem, qui simul erit Jehova Elohim. Quin idipsum etiam vox למרחוק *à longinquo*, innuere videtur; *Locutus es ad domum servi tui in longinquum*, ait David 2 Sam. 7. vers. 19. q. d. proximè quidem audio mihi promitti filium, solii & regni Israelitici hæredem, ac templi Hierosolymitani fundatorem: sed insuper è longinquo, & remotè aliud promitti intelligo, nempe benedictum illud Semen, & desideratum Messiam. Hæc de promissione Davidica.

IV. Psalm. 2. vers. 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quæ verba secundùm sensum literalem *dupliciter* intelligi, Becanus ait. *Primò* de æterna Christi generatione, & sic explicat Apostolus Hebr. 1. vers. 5. *Secundò* de Christi resurrectione. Sic explicat idem Apostolus Actor. 13. vers. 33. Resp. 1. Duæ extant de loco Actor. 13. vers. 33. interpretationes. *Quidam* verba v. 33. ἀναστήσας Ἰησοῦν vertunt, *suscitans Jesum*, videl. ex mortuis, uti in vers. 34. additur; & dictum Psal. 2. vers. 7. ideò allegari & ad resurrectionem Christi accommodari inquiunt, quia in resurrectione manifestatum & declaratum est id, quod anteà sub infirmitate latebat, scil. quòd illa persona sit verè Dei Filius, ab æterno à Patre genitus. Ita Rom. 1. vers. 4. Christus dicitur fuisse ὁρισθεὶς υἱὸς θεοῦ, *declaratus Filius Dei ex resurrectione à mortuis.* Alii vero non de resurrectione hunc versum, sed de *Messiæ in mundum missione* interpretantur, attendentes tùm *Apostoli scopum* (qui ex V. Testam. duo sibi probanda proposuit, *primò* Messiæ missionem, confer vers. 32. cum 23. *Secundo* ejusdem ex mortuis resuscitationem, confer vers. 30 cum 34.) tùm *manifestam in vers. 34. antithesin.* (*Quod autem suscitavit eum ex mortuis &c.* ubi adversativa innuit, de alia re hic agi, quàm in versu præcedenti) tùm & *vocis ἀναστήσας significationem* (quæ *exhibere* significat, & absolutè usurpata *Messiæ in mundum missionem & exhibitionem* notat, vide Act. 2. vers. 30. cap. 3. vers. 22. 26. cap. 7. vers. 37. respondetque voci Hebrææ הקים quæ 2 Sam. 7. vers. 12. 1 Paral. 17. vers. 11. de Messia usurpatur.) Et ita dictum Ps. 2. vers. 7. in sensu *literali*, prout de æterna Christi generatione agit, adduci, & ad *descriptionem subjecti* pertinere asserunt, quod scil. non nudus homo, sed is, de quo Psal. 2. vers. 7. dicitur, *Filius meus es tu, ego hodiè genui te*, mun-

mundo sit exhibitus. Quamcunque quis amplectatur sententiam, de duplici sensu suspicionem facilè mittet. 2. Becano prior magis arridet, recognoscat autem is sua verba q. 6. ubi *dicta Scriptura Vet. in Test. Novo non tantum in sensu literali, sed etiam in sensu quandoque mystico, & tertio per accommodationem à Christo & Apostolis citari* asserit, & exemplis confirmat. Non igitur sequitur: In loco de resurrectione Christi agente citatur dictum Ps. 2. E. id fit in sensu literali. Quo enim modo illa fiat allegatio, anteà est expositum.

V. Psal. 2. vers. 12. נַשְּׁקוּ בַר *Osculamini Filium*. His verbis Salmeron. tom. 1. prol. 8. *varium inesse sensum literalem* probaturus, inquit: *variè ad literam exponi posse, ut 1. adorate Filium, 2. adorate purè, 3. osculamini triticum, 4. apprehendite disciplinam*, ibidemque versionum auctores adducit. Resp. 1. Salmeronem refutat iterum Becanus, cujus nota tertia, materiam præsentem concernens, hæc est: *Multa sunt testimonia, quæ ex Hebræo textu diversimodè translata sunt: Nec inde sequitur, plures esse sensus literales in eadem litera, sed tantùm, plures esse secundùm varias ejusdem loci translationes.* Ad hanc classem dictorum pertinet etiam adductum à Salmerone 2. Non quæstio est, quàm variè textus aliquis exponi possit, sed quem sensum ipse Spiritus sanctus in eo textu attenderit, hunc enim solùm esse verum literalem sensum, constat. 3. Is verò sensus literalis unicus, in dictis diversimodè vel translatis vel expositis, (& nominatim in Psal. 2. vers. 12.) quomodo sit eruendus, ostendit Christus Joh. 5. vers. 39. ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς. Ad illud pertinet, inter cætera, ut *phrasin, scopum, antecedentia & consequentia*, accuratè expendamus, & ita ad sensus literalis ac interpretationis penetremus certitudinem. 4. Fiat ejus ἐρευνήσεως periculum in præsenti Psalmi textu, & apparebit, remotis aliis interpretamentis, unicè illi versioni insistendum esse, quâ per *osculamini*, (hoc est, *adorate, reverenter excipite & fovete*) *Filium*, exponitur. *Secunda* translatio est, *adorate purè;* Aquila vertit, καταφιλήσατε ἐκλεκτῶς. Ea discedit sine causa à naturali vocum constitutione, בַּר enim adjectivè, non adverbialiter, non *purè*, sed *purum, clarum*, significat. נָשַׁק absolutè positum, nusquam occurrit, sed semper cum addita subjecti, cui osculum (& metonymicè honor vel adoratio) exhibetur, mentione. Cur autem à naturali hac vocum conditione hoc loco recedendum sit, ratio appater nulla. *Tertia* translatio, *osculamini triticum*, absurda est, inepta, & à scopo Psalmi planè aliena, ut vel ex istius patet explicatione, quam his verbis adornat Salmeron dicto loco: *Est sensus, adorate vel osculamini, id est, osculo reverentiæ suscipite in Sacramento Eucharistiæ, sub speciebus panis & vini, Filium Dei, adorantes, & sincerâ fide venerantes, ut ita evadere possitis iram Patris in eos, qui contemnunt & non recipiunt.* Spectatum admissi risum teneatis amici! *Quarta* translatio, *apprehendite disciplinam*, τῶν ἑβδομήκοντα est, qui vertunt δράξασθε παιδείας, & Targum, quod habet קַבִּלוּ אוּלְפָנָא *accipite doctrinam.* Sed & hæc (etsi videtur scopo quodammodo conformis) multùm à textus litera discedit. Nam נשק nusquam *accipere* vel *apprehendere* significat, & procul dubio pro נַשְּׁקוּ LXX. unà cum Chaldæo legerunt נִשְׂאוּ (à נָשָׂא quod tamen in Hiphil tantùm usurpatum, significatione eâ, quam illi ponunt, præditum est) ob literam שׂ & שׁ similem sonum: בַּר nusquam *doctrinam* vel *institutionem* notat, *purum* igitur pro *doctrina* (q. d. pura doctrina) sumsisse eos verisimile est. Hisce alienis expositionibus remotis, manet tantummodò prima, *osculamini*, vel (metonymicè) *adorate Filium*, quam esse verum & unicum istius loci sensum literalem patet, tùm *ex phraseos proprietate*, à qua temerè non discedendum: נָשַׁק *osculatus fuit*, amoris, & honoris & reverentiæ ergo (& metonymicè *honorem exhibuit*, quem tropum hic admittendum esse, patet ex eo, quod corporali osculo Christum Ecclesia militans non possit excipere:) בַּר *Filium* (vel à בָּרַר *purgavit, expurgavit*, ut Filius Dei dicatur בַּר eò quòd à peccatoribus segregatus est: vel à בָּרָה *elegit, selegit*, ut sit quasi Filius delectus & dilectus; confer Esa. 42. vers. 1. Matth. 12. vers. 18.) significat. Tùm *ex scopi consideratione*, totus enim Psalmus *de æterno Dei filio* agit, de quo vers. 7. Deus Pater expressè dicit, בְּנִי אַתָּה *Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* Tùm *ex consequentium ratione;* sequitur enim, *ne fortè irascatur &c.* &: *Beati omnes confidentes in eo:* Illud autem *tùm* pronomen relativum, ad aliquod subjectum referri necessum est, quòd præcessit: id autem nullum est aliud, quàm בַּר *filius*, cui osculum, id est, reverentia & obedientia exhiberi mandatur. Hæc de dicto Psaltis.

VI. Esa. 53. vers. 4. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Id Petrus *secundùm literam* (inquit Becanus) interpretatur *de peccatis nostris* 1 Petr. 2. vers. 24. At Matthæus explicat de *morbis corporalibus*, quos Christus abstulit & sanavit, cap. 8. 17. Resp. 1. Certum est, de Christi passione,

ne, deque spirituali hominum per eam sanatione, in sensu literali agere Prophetam, ut ex toto contextu, & præsertim. vers. 5. 11. apparet, ejusque explicatio evidens 1 Petr. 2. vers. 24. habetur. Num autem, quia Matthæus in sanatione morborum corporalium à Christo præstita, impleta esse Prophetæ verba asserit, duplex statim sensus iisdem assignandus? Nihil minùs. Applicat Euangelista illa verba ad suum scopum, ***non ignoranter***, ut Erasmus; vel ***coactius***, ut Porphyrius asserebat, sed evidenti adductus ratione, ut scilicet ostenderet, tum ***morborum principium & fundamentum***, quod unicè peccatum est: tùm ***officii Christi initium***, tollendo enim morbos (qui effectus & pœnæ peccatorum) significavit, se peccata nostra sublaturum, 1 Petr. 2. vers. 24. tùm etiam, & potissimùm, ***miraculorum ab ipso editorum finem & usum;*** Christus enim plurima miracula tunc temporis edere incipiebat, ne verò quis existimaret, quod vulgus tùm faciebat, Christum tantùm peritum Chirurgum corporis esse, ideò hominum mentes *κατ' ἀναγωγὴν* ad spiritualia sublevare Euangelista hac allegatione voluit, ut in sanatione potiùs animæ, quàm corporis meditandà occuparentur. Quem usum & finem Christus ipse in miraculo sanationis Matth. 9. vers. 2. Joh. 5. vers. 14. ostendit. 2. Manet igitur simplex & unus verborum Esaiæ sensus, quæ *κατ' ἀναλογίαν* Matthæus ad propositum suum accommodat. Fieri autem talem quandoque allegationem (ut ita dicam) applicatoriam, concedit ipse Becanus, ut paulò antè ostensum.

VII. Esa. 53. vers. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* Quæ verba à Becano duplicem, à Salmerone quintuplicem habere sensum literalem dicuntur, secundùm diversas Patrum expositiones. Resp. Quid de Patrum aliorumque Interpretum expositionibus sit sentiendum, patet ex superioribus. Hoc loco, sensum dicti Prophetici unicum & literalem esse eum asserimus, qui ex propria verborum fluit significatione, ut scilicet sit descriptio *durationis vitæ Christi, seu perennis Christi in gloria cœlesti Majestatis, vitæ atque gloriæ*, quam explicat Apostolus Rom. 6. vers. 9. *Scientes, quod Christus resuscitatus ex mortuis, non ampliùs moritur, mors ei non amplius dominatur.* vers. 10. *Quod enim mortuus est: peccato mortuus est semel: Quod autem vivit, vivit Deo.* Qui sensus nititur tùm *apertâ phrasi*, דור enim propriè *durationem & tempus vitæ* significat, à quo significatu, cùm scopo Prophetico exactè congruat, perperam disceditur: tùm *scopo*, describit Propheta mixtim in cap. 53. & passionis exinanitionisque Christi humilitatem; & gloriæ, in quam post passionem ingressus est, sublimitatem, ad quæ duo capita omnia in hoc capite referri possunt: Cùm autem non ad Christi passionem verba hæc pertineant, superest, ut ad alterum, gloriam nempe sive gloriosam vitæ perennis continuationem referantur. Tùm *immediate antecedentium συναφείᾳ*: *De clausura & de judicio sublatus est. Clausura*, nempe vinculorum passionis & mortis: *judicio* divinæ in peccata imputata animadversionis. Ex his ereptus Salvator, quando *per gloriam Patris resurrexit*, Rom. 6. vers. 4. quam gloriam admirans Propheta, quærit, דורו *durationem & vitam ejus quis enarrabit?* Tum denique *consequentium collatione*, præsertim vers. 10. ubi clarius דור *duratio* ista explicatur: *Si posuerit se delictum anima sua, videbit semen*, יַאֲרִיךְ יָמִים *prolongabit dies & voluntas Domini per manum ejus prosperabitur.* Hæc de loco Prophetico, ex quibus quid de variis sensibus, qui ipsi adfinguntur, statuendum sit, facilè apparet.

VIII. Daniel. 9. vers. 27. *Et erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Quæ Prophetia (inquit Becanus) secundùm literam *videtur* intelligi posse, non solùm de desolatione Hierosolymitana, quæ futura erat sub Antiocho Rege, 1 Maccab. 1: 57. sed etiam de ea, quæ futura erat post mortem Christi. Resp. 1. Becani *videtur* per *non videtur* solvitur & collabascit. Et *priorem* sensum refellit Pererius Jesuita libr. 10. comment. super Daniel. cap. 9. *Primò enim* (inquit) *Gabriel apud Danielem significat mala, quæ Judæis exactis jam 70. hebdomadibus contigerunt: illud autem Antiochi idolum positum est in templo Judæorum circa 41. hebdomad. scilicet non minus 160. annis ante Christi adventum. Secundò Gabriel affirmat abominationem desolationis usque ad finem h. e. in perpetuum mansuram: idolum autem illud non plus tribus annis stetit.* 2. Remanet igitur tantùm sensus *posterior*, quem allegatio Christi approbat Matth. 24: 15. Marc. 13: 14. Luc. 21: 20.

IX. Joh. 11. vers. 50. verba Caiphæ Pontificis: *Expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Hic duplicem sensum literalem agnoscunt Salmeron. tom. 1. prol. 8. pag. 82. Cornel. in præfat. Pentateuchi can. 36. alium, quem intendit *Caiphas*, alium, quem *Spiritus Sanctus*. Resp. 1. Quidam distinguunt *inter* dicti sensum literalem ac *ἐσιώδη*, qui est, quod expediat, unum hominem mori pro populo, ne tota gens pereat: & *inter* dicti causam finalem, & applicationem *συμβεβηκυῖαν*, quæ respectu Caiphæ & Euan

Euangelistæ diversimodè sese habuit. 2. Nos simplicissimè ita progredimur: Quæstio hîc instituta est de *verbis Scripturæ, quæ & quatenus Spiritum Sanctum agnoscunt auctorem.* Quatenus igitur ista verba per Caipham prolata à Spiritu sancto sunt (esse autem ab ipso, patet ex vers. 51. ubi non solùm *κατ' ἄρσιν* id innuitur: *Hoc à seipso* non dixit: sed etiam *κατὰ θέσιν*: *cum summus Sacerdos ejus anni esset, προεφήτευσεν prophetavit,*) eatenus unicum tantùm literalem, & eum quidem habent sensum, qui à Spiritu Sancto unicè intenditur, quemque Euangelista in vers. 51. exponit his verbis: *Prophetavit, quòd futurum erat, ut Jesus moreretur pro populo.* Quid autem Caiphas intenderit, quove respexerit, parum nos curamus. 3. Ipse Salmeron hanc nostram non obscurè comprobat sententiam, tom. 16. disput. 1. in 2 Petr. p. 123. *Caiphas* (inquiens) *tantùm verba dixit, quæ interitum Christi salutarem sonabant, non tamen intelligens quid diceret: sed illa à se non intellecta, & quatenus erant à Spiritu sancto, evomuit potiùs, quàm prophetavit, significat enim Caiphas vomentem ore* (respicit ad analogiam vocabulorum קוֹא *vomuit* פֶּה *os.* Etsi Syrus scribit קִיפָא) *quia verba planè indigesta protulit.* Atque hæc de canone secundo.

## Canon III.

*Quilibet Scripturæ locus sensum literalem admittit.*

PAtet Canonis ratio exinde: Quod sensus mystici, sicubi occurrit, fundamentum & fulcrum est sensus literalis, qui etiam primò & proximè in verbis Scripturæ spectatur. Sed contrà

I. Lyran. prol. 3. super Bibl. statuit, *aliqua* videlicet *Scripturæ testimonia non habere sensum literalem, sed tantum mysticum,* idque 1. quando occurrit *parabola*, ut Jud. 9. vers. 8. *Iverunt ligna, ut ungerent super se Regem.* 2. Quando occurrit *Metaphora*, ut Matth. 5. v. 30. *Si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam. Hic neutrum testimonium* (inquit) *admittit sensum literalem, alioquin vel falsus, vel absurdus esset sensus. Nam secundùm literam falsum est, ligna ivisse, ut ungerent super se Regem. Et absurdum, manum abscindi oportere, quoties per eam aliquod peccatum committitur. Igitur sensus utriusque testimonii debet esse mysticus seu spiritualis, ut per ligna sylvarum intelligantur viri Sichem, qui ad eligendum sibi Regem convenerunt: Et per dextram manum significetur proximus, à quo separari debemus, si scandalo nobis est.* Hæc Lyranus contra positum canonem, quem ab objectis vindicare difficile non est, si attendamus, 1 *Sensum literalem esse eum, qui per verba Scripturæ, sive propriè sive tropicè in textu usurpata sint, proximè significatur.* Et ubi verba tropicè posita & usurpata sunt, ibi sensus literalis est, quem ipsæ voces *tropicè* positæ insinuant. Ita igitur sensus literalis istius: *Si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam*, non est is, quem cum absurditate confictari Lyranus asserit; sed is, quem ipse vocat mysticum. Sed hæc suprà sunt exposita. 2. De parabolis infrà prolixiùs: Hoc loco rem ita contrahimus: *Omnis parabola est similitudo*, ejusque duæ sunt partes. 1. Res, quæ adfertur in similitudinem: 2. Res, quâ cum instituitur comparatio, seu parabolæ *nucleus*, ad quem ejus fit accommodatio. Utraque pars suum habet sensum literalem, hoc tamen cum discrimine: Quòd partis posterioris sensus, si referatur ad verba, quibus proximè significatur, literalis; Si autem ad rem priori parte significatam, mysticus sit. Sic Matth. 13. vers. 33. extat parabola: *Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus, donec fermentatum est totum.* Hic parabolæ *pars prior* est id, quod in similitudinem adfertur, cujus sensus literalis est, quod modicum fermentum (à muliere unà cum farina in unam massam compactum) habeat eam vim, ut totam massam pervadat, penetret, & multò, quàm erat antè, majorem reddat. *pars posterior* est id, ad quod prior pars applicatur, & à Christo primis innuitur verbis: *REGNUM cœlorum.* Sensus igitur ejus literalis est hic: Euangelium habere eam efficaciam, ut prædicatum in Palæstina mox totum terrarum orbem pervaserit, & Ecclesiam multò, quàm erat, ampliorem effecerit. Qui sensus, si referatur ad verba, quibus proximè significatur, literalis est: si autem ad rem significatam in priori parte parabolæ, mysticus est: *Fermentum* enim mysticè significat Euangelium, *massa* Ecclesiam, vel orbem terrarum, in quo prædicatur Euangelium. 3. Ex dictis patet, quid de Lyrani adducta parabola sit sentiendum. Sensus prioris ejus partis (quæ adducitur) est is, qui proximè per verba significatur. Nec dicendum est, *illum esse falsum*: Illud enim, quod in parabolam seu similitudinem adducitur, non ideo adducitur, quasi re ipsa factum sit aut fieri potuerit, sed ut per talem similitudinem res altera meliùs explicetur. Quod sine mendacio fieri potest. Confer. Becan. part. 2. Theologiæ Scho-

Scholast. tom. 2. tract. 1. cap. 3. q. 4.

II. Oppositus autem Canon etiam est Origenis aliorumque cocoethi, quo pleraque sensu literali dicta in allegorias commutârunt, & ita re ipsa fecêre testatum, in plerisque Scripturæ locis *vel* non esse literalem sensum, *vel* eundem non magnoperè esse curandum, cùm, juxta alienam verborum Pauli 2 Cor. 3. vers. 6. detorsionem, *litera*, (id est, literalis sensus) *occidat*, *Spiritus* (hoc est, sensus mysticus sive allegoricus, etiam illatus in Scripturam, & humano ingenio effictus) *vivificet*. Sed de his infrà in tract. de allegoriis.

## Canon IV.

*Sensus Scripturæ literalis à verbis Scripturæ nequaquam est separandus.*

Videri volunt etiam Pontificii, se *sensum Scripturæ locorum literalem* ab ipsis Spiritus Sancti verbis, in Scriptura propositis, haudquaquam divellere, sed eundem ex ipsis verbis eruere, ut ita Scripturæ ἐπίλυσις & interpretatio vendicetur in solidum ei, cujus inspiratione fuit perscripta, juxta 2 Petr. 1. v. 20, 21 Unde Bellarm. Pontificiorum promachus lib. 3. de V. D. cap. 3. *Eum sensum* (inquit) *qui ex verbis immediatè sumitur, certum est esse SENSUM SPIRITUS SANCTI.* Et Acosta lib. 3. de Christo revel. c. 11. *Ecclesia sensum literalem Scripturæ tribuere nequit, quem ipsa hactenus non habet.* Idem ibid. cap. 21. *Nihil perinde mihi videtur Scripturas aperire, atque ipsa Scriptura. Itaque diligens, attenta, frequensque lectio, tùm meditatio & collatio Scripturarum omnium, summa regula ad intelligendas Scripturas mihi semper est visa.* Cui consonat illud Agrippæ de vanit. scient. cap. 100. *Major est Scripturæ sanctæ auctoritas, inquit Augustinus, quàm omnis ingenii humani perspicacitas; Unum enim CONSTANTEM ac SIMPLICEM SENSUM habet, quo pugnatur & vincitur.* Sed si μυςήριον ἀνομίας, Romanensis Ecclesiæ praxin penitùs introspiciamus, manifestò deprehendimus, in illa sensum literalem ab ipsis Scripturæ verbis quàm longissimè divelli, ad Ecclesiam & Pontificis Romani pectorale scrinium referri, eique in solidum vendicari[a], atque ita doctrinam *Schwenckfeldianismo* valdè affinem in eadem doceri. Quod ne gratis asseruisse videamur, consideranda proponimus.

[a] Pontificii Schwenkfeldio affines.

1. *Apertam ipsorum Pontificiorum confessionem.* Becan. in lib. de jud. controv. pag. 78. *Aliud est, verba Scripturæ esse clara, aliud sensum Scripturæ esse clarum. Nam claritas verborum pendet ex cognitione Grammatices, claritas autem sensus ex intentione, & consilio Spiritus sancti* (quem scilic. Bellarm. lib. 3. de V. D. cap. 3. *certò inveniri* ait *in Ecclesia, i. e. in concilio Episcoporum, confirmato à summo Ecclesiæ Pastore, sive in summo Pastore cum concilio aliorum Pastorum.*) Audis reipsâ negari, ex verbis Scripturæ sensum Spiritus S. colligi posse vel debere. Gordonus Huntl. in controv. epit. contr. 1. c. 3. *Verbum Dei scriptum duabus constat partibus: Litera quæ in libris scribitur, & vero literæ sensu, qui est velut anima & vita literæ, quippe sine quo sola litera occidere potest, vivificare non potest.* Istum sensum, qui *Scripturæ anima est, ex Ecclesiæ, utpote Judicis, qui fallere non possit, interpretatione petendum esse, non verò ex ipsa Scripturæ clarâ literâ*, in seq. disput. capite. Rectè quidem statuit Huntlæus, *Verbum Dei scriptum duabus constare partibus, literâ, & vero literæ sensu*: habent enim se hæc duo ut materiale & formale, ut anima & corpus animatum: sed debuisset addere, formam non extra suum materiale, animam non extra suum corpus (quatenus est forma informans) esse quærendam, hoc est, sensum scripturæ non extra illam literam, seu extra illa Scripturæ verba (quorum sensus dicitur) esse quærendum, sed ex ipsis debito & congruo modo eruendum. Id non facit, sed *ex ecclesia*, utpote Judicis ἀνυπευθύνου interpretatione eum petendum esse probat, & tandem cap. 28. hæc addit verba: *sensus verus literæ* (h. e. quâ ratione litera sit intelligenda, propriéne an figuratè) *non habetur ex sola Scriptura, sed etiam ex doctrina & traditione Ecclesiæ:* (NB. conjungit quidem Scripturam & Ecclesiam, at quòd sensum Scripturæ *unicè* Ecclesiæ Pontificiæ & traditioni ejusdem vindicet, ex seqq. apparet, ita enim loquendo pergit:) *Ex quo etiam sequitur, Verbum DEI SCRIPTUM minimam partem verbi Dei continere, nimirum SOLAM LITERAM: sed verbum Euangelizatum & TRADITUM præcipuam verbi Dei partem conservare & proponere, nimirum veram & germanam literæ intelligentiam.* Hæc Gordonus, ex cujus verbis, quàm procul à *Schwenckfeldianismo* Pontificia Ecclesia absit, haud obscurè colligitur. Sicut enim *Schwenckfeldius* ad Spiritum privatum homines remittebat, per quem Scripturæ (in se *litera mortua*) vivificè intelligantur: Ita Pontificii ad Ecclesiam homines remittunt, ex qua verus Scripturæ sensus sit petendus. Profert jam Ecclesia Romana, h. e. Pontifex Roman. cum Conciliis & Episcopis suis, Scripturæ interpretationes falsas, superstitiosas, & à textus litera (quæ longè aliud clamat) alienas; illæ pro veris interpretationibus habendæ ac venerandæ fi-

dæ fidei Papalis hominibus sunt, & ita (quod antè dictum) Scripturæ sensus à verbis quam longissime sequestratur. Hûc pertinet effatum Bellar. lib. 3. de V.D. cap. 9. §. 1. *Non esse judicem* (difficultatum circa fidem) *Scripturam, planum est, quia varios sensus recipit, NEC POTEST IPSA DICERE, QUIS SIT VERUS.* O quantum mutatus abs te ipso es, Bellarmine! cap, 3. asserebas, quòd *cum sensum, qui EX VERBIS IMMEDIATE sumitur, certum sit, esse SENSUM SPIRITUS SANCTI.* Si hoc, utique certò etiam dicit in illis ipsis verbis Scriptura, quis sit suus sensus, quod perperam jam tui oblitus inficiaris.

2. *Pontificiam assertionem*, quod scriptura sit *litera mortua* (quod ipsum Schwenckfeldius אִישׁ בְּרוּחוֹ asserebat) *à Spiritu Ecclesiæ demum animanda.* *Salmero* comment. in Epist. Pauli in gener. disp. 8. §. tertiò quia. *Turrianus* contra Sadeel. p. 99. Audi præteritis aliis inverecundè contra Scripturas ructantem *Costerum* in ench. cap. de summo Pontifice, p. 131. *Si Scripturam solam nobis Christus judicem reliquisset, hoc judice non satis provisum & consultum fuisset Ecclesiæ: quod (UT EST RES SINE ANIMA vel sensu) in varias pugnantesque sententias distracta nihil queratur, nullove externo judicio se in falsum improbumque sensum detorqueri & usurpari coarguat. VIVUM igitur hunc judicem esse conveniebat (nempe PONTIFICEM ROMANUM) qui SUÆ* (vere suæ & propriæ, non verò Scripturæ) *mentis esset interpres.* Ex quibus intelligi potest, quid velint sibi ejusdem Costeri verba pag. 42. *Christum nec Ecclesiam suam à chartaceis scriptis pendere, nec membranis mysteria sua committere voluit, sed cum spiritualem constitueret Ecclesiam, suo Spiritu sancto informatam, usus est sublimiori charactere, scribens digito DEI in CORDE ECCLESIÆ.* Ait Gordonus dicto loco hæc à Pontificiis asseri *de sola nuda & mortua litera, quæ vero sensu caret, non verò de ipsa litera vita & anima, seu vero sensu.* Resp. sit hoc: quærimus autem, quid per *literam*, quid per *literæ animam* intellectum velint? Per *illam* scriptum Dei verbum, prout est in codice Biblico atramento exaratum; per *hanc* sensum, ab Ecclesia suopte Spiritu illatum, ipsos intelligere, expressa verba innuunt. Quid autem hinc consequitur aliud, quam ipsam Scripturam (nondum Pontificis interpretatione animatam) esse *literam mortuam*, quæ demum animam quasi & vitam ab Ecclesia & Pontifice accipiat?

3. *Aliam Pontificiorum assertionem*, quòd *sensus Scripturarum pro temporum ratione & diversitate variari possit.* Stante enim de *sensus variatione* hypothesi, impossibile est, immediatam literæ Scripturæ & sensus literalis cohæsionem statuere. Ita verò *Cusanus* Cardinalis in Epist. ad Bohem. (de usu Eucharistiæ sub una specie disserens:) *Hoc te non moveat, quod diversis temporibus alius atque alius ritus sacrificierum & etiam Sacramentorum stante veritate invenitur, SCRIPTURASQUE ESSE AD TEMPUS ADAPTATAS ET VARIE INTELLECTAS, ita ut uno tempore secundum currentem ritum universalem exponerentur, mutato ritu, ITERUM SENTENTIA MUTARETUR.* Et iterum: *Quare etiam si hodiè alia fuerit interpretatio Ecclesiæ ejusdem præcepti Euangelici, quàm aliquando, tamen hic sensus nunc in usu currens, ad regimen Ecclesiæ inspiratus, uti tempori congruus, & salutis via debet acceptari.* Et postmodùm: *Non mirum, si praxis Ecclesiæ uno tempore Scripturam interpretatur uno modo, & alio tempore, alio modo: nam intellectus currit cum praxi, intellectus enim, qui cum praxi concurrit, est SPIRITUS VIVIFICANS.* Hanc Cusani sententiam approbat *Duræus* contra Witack. fol. 45. Quin eò audaciæ à nonnemine pervenitur, ut asserat, *quod forsitan aliquoties expediens fuerit, neque Deo ipsi Scripturæ Auctori ingratum, ad subditorum animos fallendos, in quibusdam causis Scripturas nonnihil à genuino sensu detorquere.* O verò impiam de *fraude pia*; ô blasphemam de *fraude* illa ipsi *Deo*, qui veritas est, *gratâ* assertionem!

Huic igitur Pontificio errori *quartum hunc canonem* opponimus, quòd sensus Scripturæ literalis, qui unicus, simplex & constans est, à litera Scripturæ non sit separandus, sed ex ipsa, juxta Auctoris scopum & fidei analogiam, eruendus. *Refutatio Pontificiorum sententiæ.* Idipsum probamus unico isto fundamento, quod deducitur *ab exactissima verborum & sensus cohærentia.* Verba, sive ore prolata sive scripto exarata, uti sunt conceptuum mentis ἀπεικόνισμα, (nisi vel Delphica oracula vel Carmentæ folia sint,) ita etiam sensus, à conceptu dicentis vel scribentis intenti, sunt quasi ταμεῖον & cortex, ex quo iste, ut nucleus, depromi unicè debet & potest. Jam verò Scripturæ sacrosanctæ Spiritus sancti verba sunt. E. eædem sensus à Spiritu S. intenti certissimum sunt ταμεῖον, *ex quo intelligentia* (verbis Hilarii lib. 1. de Trin.) *expectanda potiùs, quàm imponenda, referenda magis, quàm adferenda.* Argumentum hoc evidentius facit. 1. Quod Prophetæ & Apostoli suis auditoribus idem omnino proposuerunt, quod postea DEI voluntate in Scripturas redegerunt, 2 Cor. 1. vers. 13. 1 Joh. 1. vers.

3, 4. cap. 2. verſ. 7. Perinde igitur, ut ab auditoribus Prophetarum & Apoſtolorum percipi potuit, quæ ſit DEI voluntas, quæ Spiritus ſancti mens & ſententia, *ex ipſorum verbis*: ita idem nos ex ſcripto DEI verbo percipere poſſumus. *Prædicatio & ſcriptio* externa accidentia ſunt, quæ ipſum DEI verbum non mutant. Et ſi nunc DEUS immediatè nos alloqueretur, iis ipſis verbis, quæ in Scripturis ſunt annotata, tùm certè ex illo alloquio voluntatem ejus ſine mora perciperemus, & percepiſſe nos fateremur. Eccur igitur ſcriptis verbis hoc idem denegare velimus? 2. Quod Scriptura de ſeipſa, ſeu de ſcripto verbo, ita loquitur, ac ſi illud tàm ſcriptum lectoris *oculos* erudiat, ac *aures* audientes vivâ voce prolatum. Unde *loqui* ſæpiùs dicitur, Matth. 21. verſ. 4. cap. 22. verſ. 31. Rom. 3. verſ. 19. cap. 10. verſ. 8. 1 Cor. 2. verſ. 6, 7. Et Scriptura ipſa dicitur λόγος *ſermo* (DEI) nempè προφορικὸς, τῷ ἐνδιαθέτῳ exactiſſimè reſpondens, 1 Cor. 15. verſ. 34. 2 Petr. 1. verſ. 19. Imò Moſes & Prophetæ in ſcriptis ſuis *audiri* jubentur, Luc. 16. verſ. 27. Et hinc eſt illa ἐνέργεια ac vis Scripturæ ſanctæ, quæ prædicatur Ebr. 4. verſ. 12. *Vivus ſermo DEI & efficax, & penetrantior quovis gladio utrinque incidente, ac pertingens uſque ad diviſionem animæ ſimul ac Spiritus, compagumque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Cum Auguſtinus* (inquiunt Anglo. Rhemenſ. in Rom. 13.) *audiebat vocem illam cœleſtem: Tolle, lege; & legiſſet illud ad Romanos: Non in comeſſationibus &c. EX IPSA LECTIONE ad fidem & pœnitentiam convertebatur.* Ex quibus concludimus ſic: Si 1. DEUS ipſe per Scripturas ad nos loquitur. 2. & quidem eadem omninò loquitur, quæ olim per Prophetarum ac Apoſtolorum vivam vocem fuit locutus. 3. Imò ſi ipſa Scriptura loquitur. 4. & illâ ſuâ loquelâ ſummè in cordibus legentium ad converſionem eſt efficax, ſequitur, quòd in ipſâ ejus ſenſus contineatur, & ex ipſa erui debeat, nequaquam verò *talis ſit litera mortua*, quæ ſenſu aliunde ab Eccleſia vel quovis homine illato indigeat. At prius verum, ut probatum anteà. E. & poſterius. Plura hac de re vide apud Cl. Dn. D. Gerhard. tom. 1. de Script. interpret. §. 11. ſeqq.

## Canon V.

*Senſus literalis præcipuè eſt argumentativus, non tamen excluſo myſtico.*

QUidam ſimpliciter canonem ita formant: *Ex ſolo ſenſu literali peti poſſunt firma & efficacia argumenta.* Thom. part. 1. q. 1. art. 10. *Solus ſenſus literalis eſt argumentativus.* Sixt. Senenſ. lib. 3. Biblioth. ſanct. p. 141. *Sola literalis expoſitio ad veritatem fulciendam & falſitatem deſtruendam valida eſt.* Polyd. Virg. de invent. rer. l. 4. cap. 9. *Nulla expoſitio ad hæreſes convincendas probabilem vim habet, niſi quæ verè, purè, germanè literæ ſententiam explicat.* Unde Bellarm. lib. 3. de V. D cap. 3. inquit: *Convenit inter nos & adverſarios, ex ſolo ſenſu literali peti debere argumenta efficacia.* Id rectè quidem contra *ſenſum myſticum PONTIFICIORUM* ita aſſeritur, qui quaſvis Patrum allegorias, & quaſvis parabolarum expoſitiones (quibus Scripturæ literam ferè onerant) pro ſenſibus habent myſticis. De quibus valet iſtud Vegæ lib. 9. de juſtif. c. 44. & Thom. part. 1. q. 1. art. 10. *Certum eſt ſymbolica argumenta non eſſe argumentativa : Ex ſenſu myſtico argumentum efficax ad res fidei comprobandas non ſumi, communis eſt Theologorum ſententia.* Unde iterum Bellarmin. d. l. rationem aſſerti ſui rectiſſimè dat iſtam: *Nam eum ſenſum, qui ex verbis immediatè colligitur, certum eſt, eſſe ſenſum Spiritus ſancti. At ſenſus myſtici & ſpirituales varii ſunt, & licet ædificent, cùm non ſunt contra fidem aut bonos mores, tamen non ſemper conſtat, an ſint à Spiritu ſancto intenti.* Quare audaciſſima ſit neceſſum eſt, Cornelii à Lapide in Script. encom. præfixo comm. in Pentat. aſſertio, quâ indifferenter pronunciat: *Hiſtoricus Scripturæ ſenſus eſt prior, ſed myſticus potior, & EX HOC, UTI EX ILLO, valentiſſimum trahat Theologus dogmatis ſui ſtabiliendi argumentum.* A quo non abludit *Gretſeri* aſſertio, *qui ex ſpirituali ſenſu argumenta firma peti poſſe ait, quandocunque nobis iſte ſenſus vel ex Scriptura, vel ex traditione Eccleſiæ, communique ſanctorum Patrum doctrinâ certò liquet, quod idem docere* inquit *Gregor. de Valent. 1. p. D. Thom. Diſp. 1. q. 1. p. 5.* At hoc pacto quamvis allegoriarum Papiſticarum mephitim, in ſublimi dogmata religionis probandi faſtigio collocari, quis non videt? Proinde meritò illi occinitur Auguſtini illud epiſt. 48. quæ eſt ad Vincent. Donatiſtam: *Quis non impudentiſſi-*

*dentissimè nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat alibi manifestissima testimonia, quibus obscura illustrentur.* Et Hieronymi, qui in comm. super Matth. 13. cùm retulisset interpretationem quorundam, per *sata tria* farinæ intelligentium *sanctam Trinitatem*, subjungit: *Pius hic sensus, sed nunquam parabolæ & dubia ænigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere.* Et idem Augustinus epist. 48. contra Vincent. (quod allegat Bellarmin. d. l.) *meritò ridet Donatistas, qui ex illis verbis mysticè explicatis: Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie* (Cant. 1. vers. 7.) *colligebant, Ecclesiam Christi in sola meridiana plaga Africæ, quam ipsi incolebant, remansisse.* Et hactenus verissimè. [a] Negari tamen non potest, ex mystico sensu (quem Scriptura INTENDIT & explicat) non minus dogmatum peti posse confirmationes. Ex omni enim VERBO DEI argumenta firmiter desumi posse, constat. Jam verò sensus mysticus, ejusque in Scripturis explicatio, VERBUM DEI quin sit, nemo dubitare ausit. Ergò. Et inde rectè pronunciat Salmeron. comm. in Hebr. 1. disp. 7. §. idem. *Valent rationes à sensu mystico & probato, non autem ita à mystico & voluntario pro cujusque cerebro: at sensus mysticos ab Apostolis assignatos nemo potest respuere: quia illorum veritatem signa, quibus coruscabant, & sapientia doctrinæ, & vita sanctitas testabantur & commendabant.* Et Azorius inst. moral. c. 2. *Tum valet ad confirmandam fidem, cùm ex aliquo Scripturæ loco planè constat, quales sunt mystici sensus, quos Paulus & alii Apostoli explicârunt.* [b] Et hæc causa est, quòd non exclusivè, sed comparativè Canon suprà positus formatus fuit, de quo ut judicium rectiùs fieri possit, has ponimus notas, (1.) In probandis fidei dogmatibus præcipua cura esse debet, de claris, firmis & evidentibus Scripturæ testimoniis. Nullum enim fidei dogma est, quod non vel uno, vel pluribus etiam locis, Spiritus sanctus apertè, clarè & perspicuè proposuerit. (2.) Sensus mysticus, *allegoricus & typicus*, eò usque ad probandum valet, quousque in ipsa Scriptura explicatur. Sic *historia Saræ & Hagaris, & filiorum ejus, Isaaci & Ismaëlis*, sensum typicum Paulus Rom. 9. vers. 7, 8, 9. & explicatiùs Gal. 4. vers. 22. seqq. constituit, & *duo testamenta divina* exinde commonstrat vel illustrat. Tutò igitur ex isto sensu allegorico ab Apostolo monstrato idem dogma confirmari à nobis potest. Pari modo ex *erectione ænei serpentis in deserto facta*, & ex Israëlitarum, à serpentibus ictorum, *solo serpentis erecti intuitu* facta sanatione, ἀποδεικτικῶς (licet τυπικῶς) concluditur erectio Christi in crucem, & nostra per fidem justificatio, quia ipse Salvator hunc historiæ illius mysticum & typicum sensum ostendit, Johan. 3. vers. 14, 15. (3.) In *parabolis* non ex sensu literali *prioris parabolæ partis* (quæ continet rem in similitudinem adductam) sed ex *sensu literali posterioris partis* (quæ continet rem, ad quam similitudo applicatur, & de qua principaliter sermo parabolizanti est) qui tamen *prioris partis* est *sensus mysticus*, argumentum desumitur. (4.) Nec tamen ex omnibus, ad quæ pars prior accommodari à nobis posse videtur, sed ex eo tantùm, cujus vel *expressa in Scriptura fit mentio*, vel *quod ex scopo parabolæ certò eruitur*, probatio deduci potest & debet. Secus si fiat, valet istud Irenæi lib. 2. cap. 46. *Quia parabolæ possunt multas recipere absolutiones, ex ipsis de inquisitione DEI affirmare, derelinquentes quod certum & indubitatum & verum est, valdè præcipitantium se in periculum, & irrationabilium esse, quis non amantium veritatem confitebitur?*

[a] Sensus mysticus. an argumentativus.

## Articulus IV.

*Canones de sensu literali SPECIALES exhibens & explicans.*

HActenus qui positi fuêre canones, concernunt sensum Scripturæ literalem, prout distinguitur à sensu mystico. Quia verò circa eundem literalem, prout in *proprium* & *figuratum* distinguitur (quæ distinctio suprà exposita artic. 2.) dubia quædam haud exigua volvuntur; & controversiæ agitantur, igitur in specie per canones nunc constituendum & determinandum est, quando sensus literalis *proprius* (quod τὸ ῥητὸν vocant) retineri, quandóve ad *figuratum* in Scripturæ interpretatione accessus fieri debeat? Et sanè cum in sacrosanctis hic versemur oraculis, *super quibus ædificati sumus* Ephes. 2: 20. quæque sunt *verba salutis æternæ*; necessum est, ut religiosè & prudenter in illis versemur, ne quicquam temerè statuamus, néve ibi vel fingamus tropum, ubi non est, vel etiam negemus, ubi est. Esto igitur

[b] Observationes de Canone hoc.

## Canon I.

*Sensus literalis proprius arctè tenendus, nisi 1. in fidei articulos, aut charitatis praecepta, palam & verè incurrat; 2. Et simul evidenter ex eodem, vel aliis locis, figuratus sermo detegatur ac probetur.*

ALii Canonem ita proponunt: *Verba Scripturæ semper sunt accipienda propriè, nisi vel textus cohærentia, vel clarior explicatio, vel fidei analogia, tropicam expositionem requirat.* B. Lutherus tom. 3. Jen. de serv. arbit p. 195. *Sic sentiamus, neque tropum in ullo Scripturæ loco admittendum esse, nisi id cogat circumstantia verborum evidens, & absurditas rei manifestè in aliquem fidei articulum peccans, sed ubique inhærendum est simplici, pureque & naturali verborum significationi, quam Grammatica & usus loquendi habet.* Videamus etiam *Pontificiorum* & quorundam ex *Calvinianis* consensum. Bellarm. lib. 1. de Eucharist. cap. 9. §. ultimò. *Communis regula explicandæ Scripturæ est, ut nunquam dimittamus proprium verborum sensum, nisi cogamur ab aliqua alia Scriptura, vel ab aliquo articulo fidei, aut certè à communi totius Ecclesiæ explicatione;* (hoc ultimum seriò improbandum est:) *alioqui enim peribit fides, & remanebit sola opinio de rebus divinis, & aperietur porta infinitis erroribus.* Ibid. cap. 12. §. Sed tota: *Non debent à nobis petere adversarii* (Calviniani) *cur sequamur proprium sensum verborum: simile enim id esset, ac si quis peteret ab iis, qui sunt in itinere, cur sequantur viam communem, & tritam? nemo enim sanus id quærit: vel cur ingrediamur per portam, non per fenestram?* Salm. prol. 12. can. 13. tom. 1. oper. *Cùm sensum literalem ex vocibus propriè acceptis commodè habere possumus, non est opus ad tropicas & figuratas locutiones accurrere.* Idem in comment. 1 Cor. 15. disput. 24. *Hanc regulam Augustinus tradidit: quando verba propriè & juxta rationem Grammatices excepta, absurdum aliquem & impossibilem sensum efficiunt, recurrendum est ad tropum, & figuratam locutionem.* Maldon. super Matth. 8. vers. 12. *Quod propriè interpretari possumus, per figuram interpretari, incredulorum hominum est, & quasi fidei diverticula quærentium.* Tolet. super Luc. 10. *Quando sensus literalis potest haberi ex significatione verborum propria, non est recurrendum ad figuratam.* Suarez. tom. 2. lib. 2. de stat. relig. cap. 10. *Improprietas verborum admittenda non est, sine magna ratione & auctoritate.* Ursinus Calvinista in explicat. catech. pag. 509. disputans contra Anabaptistas, statuentes synecdochen in voce *FAMILIÆ* ab Apostolis baptizatæ, ita loquitur: *Non est decurrendum ad figuram, ubi nulla est ratio, cur non retineatur sententia propria.* Sed revertamur ad nostrum Canonem, qui determinat quæstionem istam: *Quomodo cognosci possit, vocem vel orationem Scripturæ quampiam accipi vel proprie, vel figuratè?* Augustin. lib. 3. de doctr. Christ. cap. 10. & 15. hoc tropicæ interpretationis dat indicium; *Si dictum propriè acceptum nec ad fidem, nec ad dilectionem, aut ad ullam omninò ædificationem accommodari possit.* Sed cum hæ conjecturæ in re tanti momenti ex hominum pendeant arbitrio (videri enim qui id alicui potest *ædificare, aut non ædificare, facere ad dilectionem, vel non facere,* quod reverà aliter se habet) igitur κριτήρια sensus literalis, vel proprii vel figurati, danda potiùs ista duo, quæ in canone ponuntur. *a* Nempe si vox vel oratio, 1. *in manifestos fidei articulos aut charitatis præcepta palàm & vere non incurrat, nec 2. ibidem vel alibi evidentissimè figuratus sensus explicetur,* tùm arctè insistendum τῷ ῥητῷ sive *sensui proprio.* Et contrà à ῥητῷ discedendum, & commoda διάνοια seu τροπολογία quærenda, sive, quod idem est, ad *sensum literalem figuratum* accedendum, si vox vel oratio 1. *in fidei articulos aut charitatis præcepta palam & vere incurrat,* & simul 2. *evidenter ex eodem vel aliis locis figuratus sermo detegatur & probetur.* Cujus assertionis cum duo sint membra, duas etiam hic adponimus cautelas.

*a* A sensu literali proprio quando discedendum.

I. Circa *prius* nota, non sine causa additas esse voces *PALAM & VERE.* Sunt enim, qui à ῥητῷ ac sensu literali proprio ideò ad figuras deflectunt, quia *IPSORUM JUDICIO* & δόξῃ sive *OPINIONE* proprietas verborum in articulum fidei alium incurrit: sicut de Calvinianis constat, qui à proprietate verborum institutionis Cœnæ ideò discedunt, & tropos in iis confingunt, quia propriè accepta verba, ajunt, contrariando incurrerent in articulum fidei de *veritate corporis & sanguinis Domini,* Sadeel de sacr. mand. cap. 4. Bucanus loco 48. seqq. itemque in articulum de *Ascensione Christi ad cælos,* Witack. quæst. 5. cap. 9. de Script. &c. At hæc contrarietas non *VERA* est, sed *APPARENS,* non in Scriptura fundata, sed ex ratione depromta. Scriptura enim verbis claris & apertis in propriis sedibus utrumque asserit. Ergo utrumque etiam verâ fidei obedientiâ acceptandum, nec unum alteri opponendum est.

II. Circa *posterius* nota, 1. quòd tropi probatio,

batio, quæ fit ex eodem illo loco, exque textus evidentia, sit alteri præferenda. 2. Quòd loci Scripturæ alii, ex quibus sermo figuratus probatur, debeant esse non alieni & peregrini, sed *homogenei* sive *paralleli*, qui de eadem, de qua ἐν τῷ κρινομένῳ quæritur, agant materiâ. Et hic iterum à Calvinianis peccatur, qui loca Scripturæ conquirentes, quibus metonymiam suam in verbis Cœnæ substantialibus probare possint, recipiunt se ad ea, quæ minimè omnium parallela sunt, qualia sunt illa, quibus *propositiones*, uti vocant, *sacramentales* contineri ajunt, & cumprimis caput 6. Johannis (quod Oecolampad. *suum ferreum atque aheneum murum, adeoque Angelum contra nos igneo gladio armatum*, vocare consuevit) in quo tamen non de manducatione sacramentali, quæ post elapsum annum demum instituta fuit, sed de *spirituali*, quæ nihil aliud est, quàm *vera fides*, ex Christi plenitudine gratiam DEI, remissionem peccatorum, justitiam & vitam æternam hauriens, à Christo agitur. Plura vide Can. 4.

## Canon II.

*Præsertim ubicunque fidei articulus ex professo traditur, ibi urgendus est sensus literalis proprius sive τὸ ῥητόν.*

Ratio hujus est: Quia *omnis fidei articulus in Scripturis alicubi, ex professo propriis & perspicuis verbis est expositus*, quæ illius articuli propria quasi sedes & domicilium est. Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. cap. 6. & 9. *Nihil est obscurè dictum in Scripturis, quòd spectet ad fidem, vel mores, quod non planissimè dictum sit in aliis locis.* Si igitur in tali Scripturæ textu versemur, in quo fidei articulus aliquis ex professo traditur, ibi ut ne latum unguem à verborum proprietate divelli nos patiamur, conveniens est. Usus etiam hujus canonis contra Calvinianos est, verba S. S. Cœnæ substantialia variis troporum nebulis obfuscare conantes, quibus jure meritò opponitur hoc, *verba institutionis* Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1 Cor. 10. & 11. *esse propriam hujus articuli sedem*, in qua is ex professo tractatur. E. verba articuli istius substantialia κατὰ ῥητὸν & propriè sunt accipienda. *Si dicant*, Joh. 6. cap. ostendi, qualis sit Christi corporis in Cœna manducatio: Respondemus, demonstratio sermonis figurati debet fieri ex locis *VERE PARALLELIS*, qualis cap. 6. Joh. non est, ut can. præced. dictum.

ᵃ Sed contra nostram hanc sententiam quidam sequentibus insurgunt objectis. 1. *Sapè fit, ut eo ipso loco, ubi articuli sedes est, tropi admisceantur*. E. G. In *verbis Cœnæ* occurrit metonymia continentis pro contento, & synecdoche integri, cum dicitur τοῦτο τὸ ποτήριον, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, Luc. 22. v. 20. Non enim *poculum*, sed *sanguis Christi*, qui in poculo sacramentali nobis exhibetur, *pro nobis est effusus*. Resp. Posito hoc, sed non concesso, patet tamen illum ipsum tropum in illa propria articuli sede explicari, apud Matth. cap. 26. 28. Marc. 14. vers. 24. Quod si idem Calviniani de suis confictis tropis *IN IPSIS HUJUS ARTICULI VERBIS SUBSTANTIALIBUS* præstarent, res foret salva & integra. Præstare autem non posse, vel ipsa interpretationum varietas satis luculenter ostendit. 2. *In Protevangelio Diabolus vel metonymicè vel synecdochicè dicitur serpens: destructio regni Satanæ, conculcatio capitis: afflictiones & mors Christi, læsio calcanei.* Consid. Commonef. part. 1. num. 40. Resp. concedimus, articulos fidei alicubi verbis quibusdam tropicis proponi, sed addendum hoc, nullum omninò esse fidei articulum, qui non ALICUBI ad minimum in Scripturis propriam sedem habeat, & in illa propriis sine TROPO verbis (substantiam ejus quod attinet) EX PROFESSO exponatur, quod de prima etiam promissione verum est, quæ non in V. solùm T. scriptis Propheticis, sed Novi etiam Apostolicis, luculenter & verbis propriissimis est explicata. Vide Esaiæ cap 53. & 1 Joh. 3. vers. 8. &c.

ᵃ Objectiones.

## Canon III.

*Verba, quæ continent primam cultus novi vel fœderis institutionem, & recentem præceptionem, sine tropis, sensu literali proprio, sunt accipienda.*

Addatur hoc, *nisi evidentissima tropi alicujus adsit explicatio:* Ratio autem canonis est hæc, illa enim verba à DEO proponuntur ut norma, ad quam omnia, quæ in dubium & controversiam vocantur, examinari & dijudicari debent, ideò ne quis deli[illegible]uendi exinde arripere possit ansam, propri[illegible] perspicuè à DEO proposita sunt. Exemplorum vice esse possunt. (1.) *Circumcisionis & agni Paschalis institutio*, Gen. 17. Exod. 12. (2.) *Decalogi promulgatio.* Exod. 20. (3.) *Universus Leviticus,*

*cus*, qui si quis alius S. S. liber, verbis minimè omnium modificatis est conscriptus. (4.) *Baptismi institutio*, Matth. 28. Marc. 16. Joh. 3. (5.) His addimus *verba S. S. Cœnæ*, quibus non solùm *nova* de manducatione corporis, & bibitione sanguinis Christi sacramentali præceptio, novusque cultus, sed etiam Testamenti Novi institutio clarissimè describitur & continetur.

## Canon IV.

*Declaratio & demonstratio tropici sensus debet esse 1. evidens, 2. sufficiens.*

EVidentiam primò omnium requirimus. *Qui enim in communi vocum notione* (verba sunt Dn. D. Gerhad. tom. 5. de Cœna §. 71.) *in intelligendo aliquo scripto vel sermone consistit, is velut in communi via ac velut in sua possessione consistit, ut si quis eum inde, præsertim in controversia ac lite, depellere velit, eum valdè bonis ac evidentibus rationibus instructum esse oporteat.* Hûc pertinet illud Bellarmini, quod can. 1. adductum fuit. Hæc probationis evidentia (quam Francisci Junii verbo, lib. 2. contr. Bellarm. *simplicem*, *non multiplicem esse* oportet) si non adsit, verba sensu literali *proprio* meritò accipiuntur.

*Alterum*, quod ad probationem tropi requirimus, est *sufficientia. Multi enim volentes demonstrare tropum loci alicujus, satis esse ducunt, unum atque alterum exemplum utcunque simile proferre. At hoc est argumentari à particulari ad universale. Pro declaratione fortè hoc satis est, at pro evidenti demonstratione nequaquam. Quare in locis controversis, unde magni momenti dogmata extruuntur, necessariæ probationes troporum adducendæ sunt, probandumque est, QUOD EO IPSO LOCO SCRIPTURA TALI TROPO USA SIT.* Hactenus *Illyrici* verba, part. 2. clav. Script. p. 283. Rectè proinde monent quidam: A communi & usitatissima vocis significatione non esse ob quædam exempla PARTICULARIA recedendum, nisi IPSA TEXTUS EVIDENTIA nos cogat recedere. Aliud nimirum est significationis possibilitas extra textus seriem; aliud significationis tropicæ necessitas in eadem. Non ergò fingere, sed invenire in textu debemus tropos. [illegible]sus est 1. *contra Photinianos*, quibus in suis scriptis nihil ferè frequentius, quam nostris pro orthodoxia religionis allatis argumentis ita respondere: *Potest hic locus ita accipi; potest hæc vox aliter intelligi; sufficit, quòd vox illa plures admittat significationes &c.* Vide Schmalc. in refutat. thes. D. Franzii p. 27. & p. 312. Socin. de Servat. Christo part. 2. cap. 22. &c. At hoc pro probatione tropi nequaquam sufficit. Demonstrandum enim ex ipsa textus evidentia, non solùm *posse* aliter intelligi, sed & *non debere aliter intelligi*, id quod uno vel altero exemplo locorum aliorum, qui tamen ut plurimum sunt alieni & heterogenei, præstari nequit. 2. *Contra Cinglianos*, qui tropum in vocula *EST*, pro *SIGNIFICAT*, ostensuri, satis esse putant, quibusdam alienis & à se contortis Scripturæ exemplis id probare, quos gravissimè Lutherus refellit, tom. 3. Jen. Germ. in præfat. Syngramm. fol. 285. Wenn schon dieser Grund (daß EST soll heissen significat) ein Exempel in der Schrifft hatte/ dennoch mochte damit nicht beweiset werden/ daß auch in den Worten (daß ist mein Leib) solte und müste so genommen werden/ das werden sie nimmermehr beweisen/ das weiß ich fürwar. Denn es gar viel ein anders ist/ wenn ich sage/ das mag so heissen/ und wenn ich sage/ das muß so heissen/ und kan nicht anders. Auf das erste kan sich das Gewissen nicht verlassen/ auf das ander aber kan sichs verlassen. Sed de his plura in scriptis Theologorum de controversiis Eucharisticis. Confer etiam Flacium part. 2. clavis Script. cap. Quomodo sit cognoscenda tropica locutio col. 281. & seqq.

## SECTIO II.

### *De sensu Mystico in genere.*

HActenus de sensu literali, succedit *mysticus*, de quo ut pari filo & stylo tractetur, conveniens est. Per *mysticum* verò *sensum* non intelligimus in genere *fidei Christianæ mysteria*, quæ ex sensu literali in suis sedibus & primariis Scripturæ dictis eruuntur, (quo respectu quodvis dictum, *articulum fidei & mysterium cœleste proponens*, mysticum sensum habere, dici posset, juxta 1 Cor. 2:6, 7. Rom. 16:25.) sed *in specie* talem quorundam Scripturæ locorum sensum, *qui non verbis Scripturæ proximè significatur, sed in ipsis rebus* (per verba *sensu literali* denotatis) *à Spiritu sancto, Scripturæ auctore, intenditur*, seu quod idem est, qui aliò ex intentione Spiritus sancti refertur, quàm ad id

ad id, quod verba immediatè significant, quomodo vox μυστηρίȣ Eph. 5. verſ. 32. Apoc. 17. verſ. 7. accipitur. Eſtque in univerſum triplex: ALLEGORICUS, TYPICUS, PARABOLICUS. *Allegoricus* eſt, quando hiſtoria Scripturæ verè geſta ad myſterium quoddam, ſive ſpiritualem doctrinam, ex intentione Spiritus ſancti refertur. *Typicus* eſt, quando ſub *externis factis* ſeu *propheticis viſionibus* res occultæ, ſive præſentes ſive futuræ, figurantur, & præſertim, quando res geſtæ V. T, præſignificant ſeu adumbrant res geſtas N. T. *Parabolicus* eſt, quando res aliqua ut geſta narratur, & ad aliud ſpirituale deſignandum refertur.

Cæterum de ſenſu hoc myſtico in genere notentur ſequentia.

1. Fundamentum ejus eſt DEI συγκατάβασις, quam ἀνθρωποπάθειαν etiam vocant, quia enim DEUS in Scriptura ſacra cum miſellis agit hominibus, igitur ſæpiùs ipſis συγκαταβαίνει ſeu *condeſcendit*, & ad captum ipſorum ſe accommodans, ſub involucris rerum humanarum myſteria ſua cœleſtia proponit.

a 2. Senſus literalis prior eſt myſtico *naturâ* & *ordine*; Myſticus autem literali prior eſt *dignitate*. Hic enim, ut nobilior atque ſacratior, magis intenditur à Spiritu ſancto, quàm ille. Sic verbis Deut. 25. verſ. 4. *Non alligabis os bovi trituranti*, ſenſum *allegoricum* ineſſe, oſtendit Paulus, 1 Cor. 9. verſ. 9. Idem verò ſtatim declarat, *in figura iſta boum, DEUM magis de miniſtris verbi præcepiſſe*, ut verbum prædicantes ab auditoribus alerentur, verſ. 9. *Num de bobus cura eſt DEO?* (ſcilic. præcipuè, ut nimirum ipſorum cauſa peculiarem legem promulgaverit, & illa lege latâ nihil ſublimius potius intenderit?) verſ. 10. *An propter NOS OMNINO* (hoc) *dicit? Propter NOS enim ſcripta eſt* (illa lex, ſenſu DEI myſtico hoc innuens) *quòd ſub ſpe debet is, qui arat, arare, & qui triturat, ſub ſpe ejus particeps fieri &c.* (ubi ab allegoria *rei* ad allegoriam *verborum* tranſit.) Sic *typus* Chriſti in cruce exaltati eſt *ſerpentis ænei in deſerto erectio*, uti conſtat ex Joh. 3. verſ. 14, 15. Magis verò ſenſum typicum, ſeu quod idem eſt, *antitypum*, Chriſti videlic. paſſionem & crucifixionem à DEO Opt. Max. fuiſſe intentam, quàm ipſam ſerpentis erectionem, dubium eſt nullum. De *parabolis* ſimiliter res certa eſt, magis ſenſum myſticum, ſive rem parabolâ notatam, quàm parabolicam narrationem intendi, illamque hac præſtantiorem eſſe.

3. Accuratè loquendo, *typicum* & *parabolicum* ſub *allegorico* ſenſu, uti ſub genere ſpecies, ferè contineri: Ratione enim etymi ἀλληγορία eſt, quando aliquid dicitur, & ſub dicto aliud intelligitur, id quod in typis etiam fieri & parabolis, conſtat. Unde in notis Junio-Tremellianis ad V. T. verſionem Prophetarum, crebrò appellationes iſtæ permutantur. Seorſim autem *allegoriæ*, *typi* & *parabolæ* proponuntur, cùm, quòd *allegoria* vox, ſpecialiùs & ſtrictè accepta, in reipſa diverſum quid à *typis & parabolis* importat: tùm quòd communi etiam Theologorum ſententiâ ſic diſtinguuntur.

4. Repeto id, quod ſuprà inculcatum fuit, quando de ſenſu Scripturæ myſtico hìc agitur, intelligi tantummodò eum, quem Scriptura ipſa, ſui ipſius interpres, dilucidè commonſtrat: De reliquis autem vel *allegoricis*, vel *typicis*, vel *parabolicis* interpretationibus, quæ ab interpretum pendent arbitrio, verum eſt illud Hieronymi in 2 comm. ſuper Matth. *Pius hic ſenſus; ſed nunquam parabola aut dubia ænigmatum intelligentia poteſt ad auctoritatem dogmatum quicquam proficere.* Et Bellarm. lib. 3. de V. D. cap. 3. *quod ſenſus myſtici* (Scripturæ manifeſta explicatione deſtituti, & ab interpretibus illati) *licet ædificent, cùm non ſunt contra fidem aut bonos mores, tamen non conſtet, an ſint à Spiritu ſancto intenti.* Et hoc, quod jam repetitum & inculcatum eſt, in ſequenti ſpeciali ſenſus myſtici enucleatione diligenter obſervandum. Ut enim doctrina de ALEGORIIS, TYPIS, & PARABOLIS, ſit integra & completa, omnia ea, quæ de ſingulis notanda, in unum conferentur, facta tamen neceſſaria inter ſenſum myſticum ἔγγραφον, interque ἀγράφȣς myſticas accommodationes, diſtinctione. Succedat proinde

a Senſus prior quis?

## SECTIO III.

### De Allegoriis.

Diſtinctè hìc proponantur, neceſſum eſt, 1. *Definitio*, tùm *nominis* ſive ὀνοματολογία, tùm *rei*. 2. Quædam *diſtinctiones*.

### Articulus I.

#### De Allegoria definitione.

I. Definitio *nominis* continet 1. ἐτυμολογίαν. Ἀλληγορία (ab ἀλληγορέω, q. d. ἄλλο ἀγορέω vel ἀγορεύω, *aliud dico* ſeu *loquor*, *aliis verbis ſignifico*, ſeu, juxta Quintil. *aliud verbis, aliud ſenſu oſtendo*) ex vi vocis ſignificat

tale sermonis genus, *ubi aliud dicitur, & aliud significatur*; seu *est significatio rei alius, quam sub verbis appareat.* Galat. 4. vers. 24. ἅτινά ἐστιν ἀλληγορȣ́μενα, *quæ allegoricè dicuntur*, h. e. quæ sub literalis sensus involucro alium adhuc sensum continent spiritualem sive mysticum.

2. Συνωνυμίαν. De allegoria ibidem usurpatur vox συστοιχία, vers. 25. τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερȣσαλήμ: *Nam Agar, Sina mons est in Arabia, CONFINIS est autem ei, quæ nunc vocatur Jerusalem.* Σύστοιχα dicuntur inter alia, *quæ sunt cognata*, συγγενῆ, & consociabilia. Ut si dicas, hominem cum cæteris animantibus συστοιχεῖν ἐφ' ὅσον θνητός ἐστιν, atque etiam τὸν ἄνθρωπον τῇ ἀλόγῳ ψυχῇ χρώμενον, τοῖς λοιποῖς τῶν ζώων σύστοιχον εἶναι, juxta Budæum p. 632. Sensus igitur verborum Apostoli est, quod Agar quoad mysticum sensum convenientiam etiam habeat cum Jerusalem, hoc est, quod notet populum Judaicum, cujus metropolis est Jerusalem. Quemadmodum enim Agar ancillæ locum in domo Abrahæ obtinuit, & ex ea tandem ejecta est; sic Judæi tempore Apostoli erant sub servitute legis, & quia per opera legis justificari voluerunt, ex domo DEI sunt ejecti. Aliàs allegoriæ etiam μυστηρίȣ appellatio competit, Eph. 5. vers. 32. quam vetus translatio *Sacramentum* vertit, (unde etiam septimum Romanensis Ecclesiæ Sacramentum enatum) meliùs per *rem arcanam*, seu *arcanum & spirituale quid significantem*, redditur.

a Exempla allegoriæ veræ & innatæ.

3. Πολυσημίαν. Allegoria ex usu vocis duplex statuitur: *verborum & rerum*: Illam *Rhetoricam* hanc *Theologicam* appellat *Sandæus* Jesuita, in Grammat. profano comment. 19. p. 852. *Illa*, definientibus Rhetoricæ artis magistris, nihil aliud est, quam *metaphora continuata*, de qua hoc loco non agitur, pertinet enim ad doctrinam de *TROPIS*: *Hæc* verò, de qua h. l. propriè agitur, quid sit, superiùs est expositum.

II. Definitio *Rei*. Allegoriam rerum *Sandæus* d. l. p. 853. definit, quòd *sit ea, quando rebus in Veteri lege gestis Testamenti Novi mysteria significantur, unde ortum habet sensus Scripturæ allegoricus.* Quæ definitio, si sensu Pontificio intelligatur, contrariatur Bellarmino, qui lib. 3. de V. D. cap. 3. *Sensum allegoricum in Novo etiam Testamento reperiri* ait, cùm Augustinus tract. 122. in Joh. allegoricè exponat *capturam illam piscium, quando scindebatur rete*, Luc. 5. Sed & eadem allegoriam (propriè ac specificè ita dictam) cum *typo* confundit, quæ duo strictè loquendo distinguenda sunt. Rectiùs igitur definitur, quòd sit *rei alicujus mystica seu spiritualis, per aliam, in Scripturis narratam, repræsentatio.* Sed hæc omnia ex sequentibus distinctionibus erunt clariora.

## Articulus II.

### *De distinctione Allegoriæ.*

a ALlegoria duplex est: *Innata* & *Illata*. *Innata* est, quæ in Scripturis ipsis expresse traditur, & hæc propriè *Scripturæ sensus mysticus* est. Monent autem rectè Hieron. & alii, *allegorias in Scripturis sacris non ita crebras esse, ut typos.* Sic in lege Deut. 25. vers. 4. *Non alligabis os bovi trituranti*, sensus est allegoricus, *de ministris Ecclesiæ alendis*, quem exponit Paulus 1 Cor. 9. vers. 9. Sunt, qui Apostolorum h. l. non mysticum verborum legis sensum proponere, sed exempli tantum vice ea allegare, & ex iis argumentum à minori sumtum nectere, statuunt, hoc modo: Si juxta legem non obturandum est os bovi trituranti; multo magis ministris verbi stipendia non sunt deneganda. Sed aliud verborum Apostolicorum tenor innuit ac emphasis. *Propter nos* (inquit) *scripta est* (illa lex) *quia sub spe debet arator arare &c.* Sic historia Exod. 34. vers. 29. seqq. *de facie Mosis splendente*, deque *velamine faciei imposito*, allegoricum continet sensum, qui exponitur 2 Cor. 3: 7, 13, 14. de *gloria videlicet V. Test.* deque *Judæorum in intelligendis V. Test. Scripturis cæcitate.* Verba Psal. 19. vers. 5. de *creationis operibus* loquentia, allegorice ad *prædicationem Apostolicam* refert Paulus Roman. 10. vers. 18. *Institutio conjugii* Genes. 2. vers. 24. mystico exponitur sensu Eph. 5. vers. 31, 32. de *Christi cum Ecclesia sua unione spirituali*, quò etiam alludit Propheta Hos. 2. vers. 19. Historia *uxoris Lothi ex Sodomo egredientis, & retrospicientis*, allegorico explicatur sensu Luc. 17: 32. ne ex spirituali Sodoma semel egressi, retrospiciamus, & recidivam peccati ac impœnitentiæ patiamur. Videatur Augustinus in Psal. 75. & lib. 10. de C. D. cap. 8. Constitutio divina de *azymis panibus in festo Paschatis comedendis*, Exod. 12. vers. 15, 17. allegoricè exponitur de *renovatione & sanctificatione piorum* 1 Cor. 5. vers. 7, 8. Historia *duarum Abrahæ uxorum* Genes. 16. & 21. sensu allegorico ad *duo testamenta* eorumque proprietates transfertur, Galat. 4. vers. 22.

*ILLATA* allegoria est, quam ipsa Scriptura non ostendit, sed quæ ab Interpretibus infertur. Ejusmodi allegoriæ similes sunt pi-

aturis; expositiones verò literales similes muris lapideis. Domus suam habet firmitatem ex muris lapideis, picturæ domui nec minimam dabunt firmitudinem, es sind Schauwessen / (allegoriæ) unde substantia hominis ali nequit, quæ sunt verba Dn. D: Frantz. de interpret. Script. orac. 123. Benè Pererius in comment. Gen. 1. p. 5. *Sensus mysticus & allegoricus, præterquam quod non est ad docendum quippiam probandumque satis idoneus & firmus, est etiam varius, multiplex, & incertus, tantaque in varietate constitutus, quanta est hominum ad eos sensus fingendos solertia & ubertas ingenii.* Cæterùm circa hoc allegoriæ genus notanda 1. *ejus sectandæ ratio*; 2. *subdivisiones.*

## Articulus III.

### *De allegoria sectandæ studio.*

I. QUousque in allegoriarum studio progrediendum, & quomodo in eo versandum sit, multæ solent tradi regulæ, quæ conformari ac distingui ratione eâ possunt, ut in allegoriis spectetur *Raritas*, *Concinnitas*, *Utilitas*.

a Ad *raritatem* pertinent hæc. 1. Ut præcipua cura sit de sensu literali ex verbis & ipso contextu eruendo. Augustin. 8. de Gen. ad lit. c. 7. *In narratione rerum gestarum res ipsæ priùs intelligendæ sunt, ut narrantur, tunc demùm, si quid aliud significant, oportet perscrutari.* Luth. de capt. Babyl. cap. de ordine f. 297. *Nollem Theologum allegoriis operam dare, donec consummatus legitimo Scripturæ simplicique sensu fuerit, alioqui sicut Origeni contigit, non citra periculum theologisabit.* Et cùm secundùm Hieronym. epist. ad Dardan. tom. 3. *historiæ veritas sit fundamentum intelligentiæ spiritualis*, hinc rectè colligit Lyranus in prol. Bibl. *quod sicut ædificium declinans à fundamento disponitur ad ruinam: ita expositio mystica à literali sensu discrepans, sit reputata indecens & inepta.* 2. Ut ne putemus, ex quovis loco allegoricas interpretationes in medium esse producendas, cùm isthac audaciâ Scripturæ auctoritas non parum labefactetur, dum suspicantur auditores, nihil certi in se habere, & liberum esse, ad quemvis locum quamvis assuere interpretationem. Benè Petrus Cunæus lib. 3. de Republ. Hebræorum cap. 5. *Mysteria ex rebus quibusque obviis & apertis effodere, eorum est, qui via hominum pervulgata sapere fastidiunt. Quæ res sæpè excidit in febriculosam putiditatem. Nos non inventionum acumen, sed rerum pondera amamus.* 3. Ut in præceptis moralibus, promissionibus, comminationibus, & tractationibus dogmatum, nullas quæramus allegorias. Hieron. in cap. 4. Gal. *Allegoria non est quærenda in præceptis, quæ ad vitam pertinent, aut in his, quæ perspicua & manifesta sunt.* 4. Ut in legibus potissimum Ceremonialibus V. T. (quæ fuerunt *umbræ futurorum bonorum*, Heb. 10. vers. 1.) & in historiis quibusdam, salvâ tamen manente veritate historiæ, allegorias, idque cautè & sobriè, quæramus. Sic *leprosorum mundatio, ejusque ritus*, qui Levit. 14. describuntur, allegoricè ad *sanationem spiritualem*, seu *justificationem & renovationem nostram* referri, & cum eadem pulchrè conferri per singula membra possunt. Sic *victoria Davidis*, quam à *Goliatho* retulit, ad Christianum hominem, affectus carnis, & reliquam hostium catervam, vi Triumphatoris sui Christi, domantem & vincentem, accommodari potest, maneat interim, verè olim à Davide magnum Goliathum esse prostratum & devictum. 5. Ut breviter, argutè & cum suavi quadam acrimonia allegoriæ perstringantur veriùs, quàm pertractentur, exemplo Pauli 1. Corinth. 9. vers. 9. 10. 2 Corinth. 3. vers. 13, 15. Ephes. 5. vers. 32. &c. 6. Ut si unus idemque locus variis allegoriis ab interpretibus explicetur, ea sola utamur, quæ plus habet gratiæ, magisque convenit instituto, & reliquas perspicuitate antecedit. Augustin. in comment. Psal. 8. *Hæc regula in omni allegoria retinenda est, ut pro sententia præsentis loci consideretur, quod per similitudinem dicitur, &c.*

a Allegoriarum raritas.

b Ad *concinnitatem* pertinent hæc. 1. Ut allegoriæ adhibeantur aptæ, concinnæ & fidei analogiæ congruæ, quæ Christum potissimùm, (qui Scripturæ totius fons, scopus & nucleus est) cum ipsius officio ac beneficiis, regno &c, itemque membra mystici Christi corporis, credentes, quæque ad ipsorum statum ac conditionem pertinent, respiciant. 2. Ut opera detur, quò fontes allegoriæ ex ipsa Scriptura monstrentur: sæpè enim unica vocula clavis est ad aperiendum sensum allegoricum. Sic pleraque membra præcepti *agno Paschali*, ad Christum & fidelem ejus populum applicari possunt, quia Paulus 1 Corinth. 5. vers. 7. dicit, *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus &c.* Ut cum brevitate adsit perspicuitas; obscuritas enim *tùm* intelligentiam impedit, & utilitatem omnem tollit, *tùm* etiam fastidium in audientibus gignit.

b Concinnitas.

c Ad *utilitatem* pertinent hæc, 1. Ut si ipse Spiritus sanctus in Scripturis aliquid allegoricè interpretetur, tutò allegoriam sequamur,

c Utilitas.

 utpote

utpote non ad suavitatem modò, sed ad dogma etiam probandum utilem. 2. Reliquas verò, quæ ab Interpretibus commodâ ratione afferuntur, non pro firmis dogmatum probationibus, sed pro secundariis tantùm ornamentis & illustrationibus habeamus. 3. Atque ita illis utamur non in adversariis veritatis convincendis, sed in populo de suggestu erudiendo, seu in concionibus, in quibus decenter ac moderatè adhibitæ delectant, excitant, tædium auferunt, unde etiam exordiis maximè conveniunt. Plura vide apud Flacium part. 2. clav. tractat. 1. cap. 79. & D. Gerhard. de interpretat. Script. §, 139. seqq.

## Articulus IV.

### *Allegoria illata subdivisio prima.*

II. Allegoriæ in Scripturas illatæ *duplex* potest dari *distinctio*, quarum *prior* à qualitate, *posterior* ab efficiente causa, sive ab iis, qui allegorico interpretandi modo utuntur, desumta est.

*Priore divisione* allegoria illata, est vel *oblata*, vel *extorta* & contorta.

a Allegoriæ quædam concinnæ.

a *Oblata* est, quæ probabile fundamentum habet in literali sensu, & convenientiam rerum analogicam, tum etiam analogiæ fidei conformis est. Ejus quædam proferemus exempla. Gen. 6. vers. 14. seqq. *descriptio arca Noa est: Loquens Dominus ad Noe dixit: Fac tibi arcam de lignis lævigatis* (in Hebr. גֹּפֶר) *mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus.* Hanc allegoricè ad *Ecclesiam* ita quidam applicant: Arca Ecclesiam significat, quæ ædificatur ex credentibus, per verbum & Sacramenta perpolitis. In hac mansiunculæ, varii credentium status, vocationes variæ sunt. Sed ut hi omnes in vocatione diversa benè cohæreant, totaque Ecclesia firma sit, ut aquas vel externæ & peregrinæ doctrinæ, vel tentationum & persecutionum non intromittant, nec ab eis submergantur, bitumine & glutine charitatis, concordiæ & pacis obliniri debent. Gen. 8: 10. *columba ad Noam rediens in arcam, olivæ folium adfert.* Alleg. Lutheri in gl. marg. Germ. Folium olivæ designat Euangelium, quod Spiritus sanctus in Ecclesia prædicari curavit. Oleum enim significat misericordiam & pacem, quam docet Euangelium. Genes. 15: 11. *Non destitit Abraham à sacrificio quod offerebat, etsi videbat aves descendentes, ut eum impedirent, sed eas diligenter abigebat, & in suo sancto opere perseverabat, donec Sol occurreret.* Allegor. Non est à bono opere desistendum, quamdiu vires suppetunt id perficiendi, quantæcunque aves descendant, quantæcunque per hominum malitiam aut fraudem difficultates objiciantur. Contra hujusmodi impedimenta dicendum cum Davide Psal. 11: 1. *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer*, i. e. desere sanctum propositum & institutum tuum, in quo jam diu, velut in nido, habitâsti, & avola per montes, discurrendo & vagando per incerta. Hæc est enim vox clamantium in via, & increpantium eos, qui bonum opus aggrediuntur, quorum contrà vox esse debet: *In Domino confido &c.* Genes. 24. *Abrahami servus filio illius sponsam procuraturus, secum sumit decem camelos, & plurima preciosa de bonis domini sui Abrahami, ut ex illis appareret, quòd non esset domini pauperis servulus, adeoque sponsam sequaciorem nancisceretur.* Alleg. Quando Filius DEI voluit Ecclesiam N. T. sponsam suam sibi adducere per Apostolos, dedit his servis suis, de bonis Spiritus sancti sui preciosa cuncta, idque ex alto seu cœlo. Sic enim animi cunctorum, etiam sævissimorum, faciliùs vincebantur. Genes. 24: 2. *Abraham noluit filio suo Isaaco uxorem duci ex Cananæis, sed ex cognatione sua.* Alleg. Animam tuam ne despondeas rebus hujus seculi, sed ad cœlestem patriam contende. Genes. 30: 37. seqq. *oves Jacobi intuentes virgas masculosas & varias, similes agnos pariebant.* Alleg. Sic juxta exempla, quæ cernimus, seu bona seu mala, impetus animi operantur. Gen. 32: 24. seqq. *Jacob idololatricum socerum relinquens, postquam cum Angelo DEI luctatus est, & DEUM vidit, & vocatus est Israel, cœpit uno pede claudicare.* Alleg. Qui semel mundo valedicens fidem à DEO accepit, & gloriam DEI per fidem vidit, is statim mundo claudicat, displicet, stultus, & insanus videtur. Vel aliter: Anima excellentiam bonitatis divinæ cognoscens, claudicare debet in amore terreno, Gen. 34: 1. *Dina è domo Patris egressa à Sichemo opprimitur.* Alleg. Anima ad mundi voluptates transiens ab infernali Sichemo in peccatum & exitum præcipitatur. Genes. 42: 20. cap. 43: 3. *Joseph fratribus suis, in terram Canaan redeuntibus, in mandatis dedit, ut ad eum reverti si vellent, omninò fratrem suum Benjamin secum adducerent: Nisi fratrem vestrum Benjamin adduxeritis, non videbitis faciem meam.* Alleg. Nisi, cum ad Deum orando accedere volumus, & panem nostrum quotidianum petere, frumentum & cibum vitæ à Deo quærere, Christum fratrem nostrum (sic enim & fieri, & nos vocare voluit Matth. 28. vers. 10. Hebr. 2. vers. 11.) in oratione

tione adduxerimus, nisi in ejus nomine petierimus, non videbimus faciem DEI, nihil à DEO Patre orantes impetrabimus. Exod. 3. verſ. 5. *Moſes, ut videret rubum ardentem, ſed non combuſtum, antequam proprius accederet, jubetur priùs ſolvere calceamenta de pedibus ſuis.* Alleg. Terrenorum amor prius exuendus, ut cœleſtium amor in animum admittatur &c. Exod. 10. verſ. 24. *Pharao filios Iſraël tandem aliquando dimiſſurus, ait illis: Ite, ſacrificate Domino: Oves tantùm veſtræ & armenta remaneant. Sed reſpondit Moſes*, verſ. 26. *Cuncti greges ibunt nobiſcum, non remanebit ex eis ungula, quæ neceſſaria ſunt in cultu DEI noſtri.* Alleg. Divino cultui totos nos conſecrare & mancipare debemus, diabolo nec ungula, nec aliqua noſtri particula relinquenda. Exod. 13. verſ. 10. ſeqq. cap. 23: 19. *præcepit DEUS, ut omne primogenitum tàm de homine, quàm de pecoribus illi offerretur, vel precio redimeretur, omnium quoque frugum & fructuum terræ primitias ſibi offerri voluit.* Alleg. Hoc ipſo cor noſtrum ei deberi, docere voluit. Eſt enim *cor primum, quod in homine generatur*, ut Medici tradunt (Gal. lib. 6. de uſu partium, Albert. de animal. lib. 9. tract. 2. cap. 4.) *& ultimum, quod in homine moritur*, ut experientia docet. Primitias ergò noſtras & primogenituram DEO dare, eſt cor noſtrum totumque cordis affectum DEO tribuere, in cujus etiam rei figuram V. T. tempore *primogeniti Sacerdotes* erant & divino cultui mancipati. Hinc Proverb. 23. verſ. 25. Sapientia dicit: *Præbe, fili mi, cor tuum mihi.* Non caput, non manum, non pedem, non cætera membra, ſed omnium membrorum principium, radicem & vitæ humanæ fontem, qui cor eſt, dari ſibi DEUS poſtulat. Exod. 28. verſ. 34. ſeqq. *Pallium ſummi Sacerdotis tintinnabulis in extremitate inferius exornari divinitus jubetur*, verſ. 35. *Et erit ſuper Aaron adminiſtrandum, & audietur ſonus ejus, quando ingredietur ſanctuarium coram Domino, & quando egredietur, & non morietur.* Confer Siracid. 45. verſ. 11. Alleg. Quamdiu credentes, qui ſunt *Reges & Sacerdotes coram DEO*, Apoc. 1. verſ. 6. ingrediuntur & egrediuntur coram Domino, id eſt, toto vitæ ſuæ tempore, quæ per *ingreſſum & egreſſum* ſignificatur, Pſalm 121. verſ. 8. in ora & extremitate veſtis debent habere tintinnabula, ut de *Noviſſimis* perpetuò admoneantur, ſicque auribus & cordibus ipſorum ſemper inſonet Siracidis præceptum cap. 7. verſ. ult. *In omnibus ſermonibus tuis recordare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Lev. 2. verſ. 11. *DEUS probibuit mel adoleri in ſacrificio*, quia ab omni opere bono adulationem & ſimulatam charitatem longiſſimè abeſſe voluit. Levit. 17. v. 11, 12. *Anima carnis eſt in ſanguine, ideò DEO offerendus fuit ſanguis.* Alleg. Sanguis ſpiritualis animæ eſt Amor, quia amor eſt animæ noſtræ vita: illum ergo non debemus comedere, hoc eſt, affectionem amoris in nos ipſos reducere, ſed DEO offerre. Levit. 19. verſ. 19. *præcepit DEUS filiis Iſraël: Agrum tuum non ſeres diverſo ſemine. Veſte, quæ ex duobus texta eſt, non indueris.* Alleg. His verbis hypocriſin prohibuit, ſeminat enim diverſo ſemine, qui bona loquitur, & mala perpetrat, qui triticum in ore, zizania in corde habet, qui Curios ſimulat, & Bachanalia vivit, qui, in quo alium judicat, ſeipſum condemnat: Hypocrita veſte *virtutis* induitur coram hominibus, & veſte *impietatis* coram DEO. 1 Reg. 3. verſ. 26, 27. *vox meretricis erat: Nec mihi, nec tibi, ſed dividatur infans. Vera mater dividi infantem non patitur.* Alleg. Verus Chriſtianus dividi cor in terrena & cœleſtia non permittit, ſed unicè DEO adhæret. 1 Reg. 6. verſ. 4. *de feneſtris templi dicitur, quòd fuerint* שְׁקֻפִים אֲטֻמִים *proſpectui accommodatæ & clauſæ, id eſt, quod intus latæ, extrinſecus anguſtæ fuerint, ut benè quidem & commodè proſpici, minùs verò commodè introſpici potuerit.* Alleg. Spiritualis homo omnia dijudicat, & ipſe à nemine judicatur, Luth. in gl. marg. h. l. Ezech. 46. verſ. 10. *Præcepit Dominus, ut qui templum ingrediebatur, per aliam portam egrederetur, nec propitiatorio terga verteret, cùm à templo exiret.* Alleg. Docuit iſte ritus, accepto aliquo à DEO beneficio, non eſſe illi per oblivionem terga vertenda.

a Ex Nov. Teſtam. Luc. 15. verſ. 18. *Prodigus nil niſi laborem & miſeriam extra patris ſui domum reperiebat, nec ad quietem reduci potuit, donec in domum patris reverteretur.* Alleg. Anima noſtra in ſolo DEO, & in nulla creatura requiem invenit. Luc. 1. verſ. 39. *Chriſto concepto Maria in montana ad Eliſabetham abit.* Alleg. Chriſto ſpiritualiter concepto, anima in montana (Pſal. 15. verſ. 1. & Pſalm 121. verſ. 1.) aſcendere incipit, terrena faſtidit, & ad *quietem DEI* (Eliſabetha enim *quietem DEI* notat) a vanitate tranſit. Matth. 27. verſ. 51. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum.* De his verbis Hieronymus (allegante Petro Cunæo libro 3. de Republ. Hebr. cap. 8.) differens, eruditè myſticam, de ipſo myſtico ſenſu, eorum tradit explicationem: *Juxta anagogen dicendum eſt* (inquit) *quod inclamante Jeſu & emittente Spiritum, velum Templi ſciſſum ſit, & omnia legis revelata ſint myſteria, ut, quæ prius recondita tenebantur, univerſis gentibus proderentur.*

a Ex Nov. Teſt.

*In duas autem partes, in vetus & novum Testamentum: & à summo usque deorsum: ab initio mundi, quando homo conditus est, & reliqua, quæ facta in medio, sacra narrat historia, usque ad consummationem mundi. Et quærendum, quod velum templi scissum sit, exterius, an interius? Mihi videtur in passione Domini illud velum esse conscissum, quod in tabernaculo & in templo foris positum fuerat, & appellabatur exterius: quia nunc ex parte videmus, & ex parte cognoscimus. Cùm autem venerit, quod perfectum est, tunc & velum interius dirumpendum est, ut omnia, quæ nunc nobis abscondita sunt, domus DEI Sacramenta videamus.* Hæc & erudita sunt & piè excogitata. Plura exempla allegoriæ illatæ, at commodæ & fidei analogiæ congruæ, afferri poterant, sed sufficiant isthæc pauca. Alia qui desiderat, adeat homileticos Scripturæ locorum & textuum Euangelicorum expositores.

a Allegoriæ inconcinnæ & contortæ.

a *Extorta* & *contorta allegoria* est, quæ probabili fundamento in sensu literali destituitur, *vel* à re, à qua desumitur, nimis discrepat, *vel* ad objectum alienum & perversum accommodatur, *vel* aliàs à Scripturæ analogia nimis remota est. Tales sunt, qui *Arcam Noe*, & *Canticum Canticorum* de Maria virgine allegorice, sed insulsè exponunt. Sic Hieronymus, *munda animalia in Arca Noe*, de virginibus, *immunda*, de maritatis, allegoricè & absurdè interpretatur: qui non minùs ἀνακίρως virgines *vasa ad honorem*; conjugatos *vasa ad contumeliam* nuncupat. Idem etiam *fructum centuplum* in Euangelica historia de virginibus, *sexagenarium* de viduis, *tricenarium* de conjugibus exponit, exclusis per omnia *bigamis*, de quibus ait, *certè in bona terra non oriuntur, sed in vepribus & spinis voluptatum.*

b Theophrasteorum expositiones.

b Hujus farinæ sunt etiam explicationes Scripturæ à *Mataeologis Theophrasteis* adornatæ (quas *spirituales* & *interioris sensus* nomine venditare, literalem verò prorsus exterminare non verentur) quales sunt, Psalm 110. vers. 1. *Sede à dextris meis*, quæ verba Weig. in Post. part. 2. pag. 284. spiritualiter ita explicat; *Descende, nascere homo, redime humanum genus, in assumtâ humanâ naturâ, moribus ac habitu similis homini Adamitico, usque dum omnes inimicos tuos potentiæ tuæ subjiciam, etiam ipsam mortem hostium ultimam.* Matth. 15. vers. 11. *Quod intrat in os, non coinquinat hominem*; Id Philos. mystica p. 226. ita interpretatur: *Quod extra cor meum est* (loquitur autem de Christo non per imputationem, sed per essentialem inhabitationem justificantem,) *nec me mundat, nec inquinat, neque salvat, neque damnat*, &c. 1 Cor. 13. vers. 10. *Cùm venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est, hoc est, cùm ad me venerit regnum DEI, & inveniam, in me sentiam, & gustem DEUM, qui perfectum ac verum bonum est, contemno omne, quod ex parte est, h. e. abnego me ipsum, vilipendo me, omnesque creaturas, comparando illas ad incomprehensibilem thesaurum, quem video.* Philos. myst. p. 149. *Atrium tabernaculi Mosaici*, in quo immolabantur pecudes, Weigel. ita exponit: *Figuratur illo corpus hominis ex limo terræ, id oportet mactari, offerri, mortificari in Christo, aliàs non licet nobis ingredi in Sanctum cum Sacerdotibus &c.* in tract. de tabern. B. 2. Uberius allegoriæ contortæ specimen vide art. 6. de Pontificiorum allegoriis. Non possum non hûc adscribere verba *B. Lutheri*, quæ ex sermonibus ejus, homilia in Luc. 17. adducit Th. Mortonus part. 2. apol. Cathol. lib. 5. cap. 5. *Si non in novo Testamento figura clara significatio est, non est eâ nitendum: siquidem Cacodæmon insignis artifex figuris ludit, ac si quam animam nanciscatur, quæ sine certo fundamento Scripturas ad allegoriam torquet, eam quasi tesseram hûc & illûc jactare solet, cujusmodi seductrices figuras in jure Canonico & Scholasticis Doctoribus commentus est, ut cùm Papam Sole, Cæsarem Lunâ significari ajunt. Triplex autem est significatio figuræ, cùm Scriptura ipsa significationem allegoricam proponit, ut cùm Petrus Baptismum per Arcam Noach, Paulus per mare rubrum significat; & Christus crucem suam per serpentem Joh. 3. hujusmodi significationes pro articulis fidei sunt habendæ. Secunda, cùm humanus captus figuram inducit, & per appositam similitudinem aliis aliquot claris Scripturæ sententiis accommodat, ut Augustinus hoc in loco* (Luc. 17. vers. 12.) *per lepram hæresin exponit, quanquam ipsa Scriptura non dicit, per lepram hæresin significari, sed alibi Scriptura hæresis claram mentionem facit: idcirco figura ista fidem non cogit, si enim convellatur, tamen immotum stat fundamentum, videlicet Scriptura, ad quam significationem illam traxerat. Tertia est nuda significatio ex proprio capite conficta, ubi figura sola est, neque quicquam in Scriptura extat, quod per hanc significari volunt, ut cùm per Aaronem Papam intelligi volunt, cùm tamen ne apiculus quidem Scripturæ, Papæ aut Papatus mentionem ullam faciat.* Hæc Lutherus.

## Articulus V.

Περὶ τῶν Ἀλληγορούντων, *seu de iis, qui allegorice interpretandi modo utuntur, & de* Patribus *in specie.*

HActenus *priorem* allegoriarum distinctionem expedivimus: superest *posterior*, ab efficiente causa, sive ab *iis, qui allegorico interpretandi modo utuntur*, seu qui allegorias suis in scriptis adhibent, desumta. Considerandi igitur hîc veniunt, 1. *Patres*. 2. *Pontificii Doctores*. 3. *Judæi & Rabbini Cabbalistæ*. 4. *Quidam alii fabularum allegorici Interpretes*. Hoc articulo de *Patribus*, quorum in allegoriarum usu studium ex parte *intolerabile*, ex parte *tolerabile* est.

a *Intolerabilis* est Origenis Adamantii, vetusti illius Scripturarum Interpretis, audacia, qui omnia omninò, quantumlibet simpliciter dicta, in allegorias mutavit. Unde Hieron. in epist. ad Pammach. justissimè de eo conqueritur, *quòd ita Paradisum terrestrem allegorizet, ut historiæ auferat veritatem*, dum pro *arboribus* Angelos, pro *fluminibus* virtutes cœlestes intelligit, & *tunicas pelliceas Adæ & Evæ*, corpora humana interpretatur, quasi ante peccatum sine corpore vixerint. Idem in præfat. 10. visionum Esa. ad Amabilem Episc. *Origenes liberis allegoriæ spaciis evagatur, & ingenium suum facit Ecclesiæ Sacramenta.* Et alius haud ignobilis Pater (referente Flacio col. 64.) *Origenes sui ingenii lusus pro DEI mysteriis venditat.* Atque hanc prodigam allegorizandi liberalitatem in Origene taxant ipsimet Pontificii. Bellarm. lib. 3. de amiss. grat. c. 3. art. 3. dicit, *eum more suo ad allegoriam omnia, quæ absurda illi videbantur, transferre.* Ribera in proœm. Malach. num. 2. *In hoc genere plurimùm peccavit Origenes homo audax & temerarius, adeoque suorum errorum pertinax amator, ut quicquid in mentem venerit, aptum judicet & quasi magnum, & à Spiritu sancto traditum mysterium, monumentis mandet literarum.* Acosta in præfat. lib. 1. de temp. noviss. *Illud vitium allegorizandi in Origene, Origenisque similibus, quo historia destruitur, vix dici possit, quàm valde me offendat.* Atque hæc Scripturas interpretandi vel torquendi potius ratio *Porphyrium* induxit olim, ut irrideret Christianam doctrinam, & scriberet, eam nihil habere certi, eò quòd non aliter atque fabulæ Poëtarum, in alios quosdam sensus præter Grammaticam, omnia transformanda essent.

*Tolerabilior* aliorum Patrum, Scripturas allegoricè interpretandi est ratio, (qui licet contortis quandoque & alienis utantur allegoriis, quarum exempla aliqua superiùs art. 4. fuêre adducta,) ab Origenis tamen audacia paulisper deflectunt. Aug. l. 15. de C. D. 27. disserit, *non esse illis consentiendum, qui solam historiam recipiunt sine allegorica significatione, nec illis, qui solas figuras defendunt, repudiata historicâ veritate.* lib. 17. de C. D. c. 3. *Mihi sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere literarum aliquid aliud, præter id, quod eo modo gestæ sunt, significare arbitrantur, ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt.* Chrysost. in 2. proœm. in Psal. *Non adversatur historia sublimiori contemplationi, sed contrà ea est basis & fundamentum altiorum intelligentiarum.* Nazianz. orat. 42. quæ est εἰς τὸ ἅγιον πάσχα p. 684. *Nos media quâdam viâ inter eos, qui crassiore omninò ingenio sunt, & eos, qui nimio contemplationis & anagogiæ studio ducuntur* (τῶν ἄγαν θεωρητικῶς τε καὶ ἀνηγμένων) *incedemus, ut nec prorsus inertes ac torpidi maneamus, nec rursus curiosiores simus: quàm par sit, atque à proposito argumento excidamus & evagemur.* Gregor. homil. 40: in Euangel. *In verbis sancti eloquii, fratres charissimi, prius servanda est veritas historiæ, postmodum requirenda spiritualis intelligentia allegoriæ: tunc namque allegoriæ fructus suaviter carpitur, cùm prius per historiam in veritatis radice solidatur.* Idem hom. 15. in Ezech. *literam* appellat *limen exterius sacræ Scripturæ, allegoriam limen interius, quia per literam ad allegoriam tendimus.* Plura Patrum dicta cumulare hic supersedeo. Ratio, quâ moti Patres sensui literali allegoricum in plerisque superstruxerunt, adfertur à *Burgense*, addit. 1. ad proleg. Lyran. *Propter quod unumquodque tale est, illud magis tale est. Atqui literalis sensus est propter mysticum. Ergò mysticus sensus dignior est.* Item: quia sensus literalis habet se ad mysticum, sicut fundamentum ad ædificium. At ædificium præstantius est fundamento. Verùm 1. ut digniorem esse spiritualem sensum concedimus, *in iis allegoriis, quæ in ipsis Scripturis habentur & explicantur*: ita exinde ad qualescunque alias, à Scriptoribus ἀκανονίςοις in Scripturam illatas, ullâ ratione consequentiam duci posse, negamus. 2. Negatur autem, quod in minore affertur, literalem videlicet sensum esse (rectiùs *dignitatem suam obtinere*, ita enim subsumendum fuisset, cùm axioma in majore non de existentia, sed de *qualitate* loquatur) propter mysticum, *in allegoriis* videl. *illatis*. Est enim, & dignitatem suam obtinet, à loquente Spiritu sancto,

a Origenes.

cto, & propter ejus sensum & voluntatem exprimendam. Si quid aliud præter Scripturæ ipsius expositionem inde eruitur, mysticâ ratione, secundarium est, & in pari dignitatis gradu cum sensu literali minimè collocandum. 3. Adde, quod non omne ædificium præstantius est fundamento, ut Burgensis ait. *Christus enim est fundamentum*, 1 Cor. 3: 11. *Ecclesia ædificium*, Eph. 2. v. 20. At num Ecclesia præstantior Christo est?

## Articulus VI.

### *De Pontificiorum allegoriis.*

SAlmeron Jesuita com. in 2 Cor. 3. §. *nec tamen*, querelam hisce verbis instituit: *Argumenta nostra ab allegoriis sumta Protestantes parvi faciunt, à quibus vel hoc signo intelligitur abesse Spiritum, quo medullas Scripturarum penetrare possint.* At allegorias etiam illatas non repudiamus omnes, ut ex art. 4. superiori patet: sed allegorizandi cacoethes illud damnamus, quo summi etiam Pontifices, eorundemque hyperaspistæ, Jesuitæ laborare deprehenduntur. Cujus rei quædam subjungemus exempla, ex quibus perspicuum evadet, eos ita allegoriis addictos, ut *veluti Cameli* (quod de iis refert Plinius) *nunquam ex puro fonte* (Scripturarum) *bibere incipiant, quin imposito pede priùs turbent aquam:* [a] Verba Gen. 1. vers. 16. *Creavit DEUS duo luminaria magna, Solem & Lunam, majus, ut diei, minus, ut noctibus præesset*, Innocentius III. ad Constantinopol. Imperatorem. cap. solitæ, de Major. & obed. (quod Gregorio etiam attribuit Becanus Theol. scholast. part. 2. tom. 2. c. 3. quæst. 6.) ita allegoricè interpretatur: *Fecit DEUS duo magna luminaria, i. e. duas dignitates instituit, quæ sunt, Pontificalis auctoritas, & Regalis majestas: sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est altera, quæ noctibus, id est, carnalibus: ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.* Hanc allegoriam cum Lutherus recensuisset, comment. in Genes. 9. f. 148. subjicit: *O temerariam impudentiam, & scelestam ambitionem!* Et f. 149. *Non solum applicatio inepta & stulta, sed etiam fundamentum perniciosum & impium est. Non igitur à Spiritu sancto, sed à Diabolo & mendacii Spiritu tales allegoriæ excogitatæ sunt & inventæ.* Aliam ibidem p. 148. allegoriam Lutherus memorat: *Simile est, quòd in hac Historia* (Gen. 7. de Arca Noe) *arcam comparant suæ Ecclesiæ, in qua Papa cum Cardinalibus, Episcopis & Prælatis est. Laici autem natant in mari, hoc est, sunt impliciti mundanis negociis, nec salvarentur, nisi isti gubernatores arcæ seu Ecclesiæ porrigerent natantibus aut tabulas, aut funes, quibus eos in arcam ad se pertrahunt. Tali enim pictura Monachi passim Ecclesiam pinxerunt.* Ex Genes. 2. vers. 7. *Spiravit in faciem ejus spiraculum vitæ & factus est homo in animam viventem*, Johannes de S. Geminiano in serm. funeb. dist. 5. serm. 2. talem contexit allegoriam: *Spiravit*, *scil. DEUS, in faciem ejus, scil. Ecclesiæ, id est, in collegium electorum summi Pontificis, scil. Cardinalium: quorum collegium rectè facies dicitur, ex eo, quod facies est eminentior & nobilior pars corporis: & sic eminentior pars Ecclesiæ, & etiam nobilior est ipsum collegium Cardinalium. Unde in ista facie debet esse visus providentiæ, auditus obedientiæ, olfactus prudentiæ, os eloquentiæ, dentes justitiæ, & gustus etiam sapientiæ. Debet etiam munda esse hæc facies à macula avaritiæ, luxuriæ & superbiæ, alioquin dicetur Ecclesiæ, faciem tuam lava. Nec dubium, quod si benè esset munda hæc facies, quod susciperet ad eligendum Pastorem idoneum à DEO spiraculum vitæ, ita quod fieret Pastor, qui esset homo, in animam viventem, qui esset inquam homo, non brutum, per insipientiam, & habens animam, id est, conscientiam, & esset vivens & non mortuus &c.* Historiam *vituli aurei à Mose in pulverem redacti*, Exod. 32. vers. 20 ita ἀλληγορεῖ Stapletonus, promtuar. Cathol. part. 1. p. 482. *Moyses contrivit vitulum aureum in pulverem minutissimum, & dedit populo ex eo bibere, docens, nihil prorsus peccati remanere in pectore debere.* Et Lev. 8. vers. 17. *Non solum* (inquit) *carnes, sed & feces sacrificii pro peccato in locum immundum DEUS projici vult, ut nulla peccati reliquia, vestigium nullum remanent.* Verba 1 Sam. 2. vers. 8. *Domini sunt cardines terræ* in Hebr. est מְצֻקֵי אֶרֶץ *stationes terræ*) Doctor quidam Pontificius figuravit ad Cardinales: *Sicut enim ostium* (inquit) *regitur cardine, ita Ecclesia Romana regitur concilio Cardinalium.* Refert hoc Polyd. Virgil. de invent. rer. lib. 4. cap. 9. qui tamen rectè subjungit: *Vide, non secus illi Jurisconsulti aliquoties detorquent sacras literas, quò volunt, ac sutores sordidas solent dentibus extendere pelles.* Verba Psal. 8. vers. 7. seqq. ita exponit Antonius Episcopus Florentinus part. 3. tit. 22. cap. 5. §. 1. *DEUS omnia subjecit sub pedibus ejus, id est, Pontificis Romani. Oves, id est, Christianos: & boves, id est, Judæos & hæreticos: Pecora campi, id est, paganos: Pisces maris, id est, animas in purgatorio.* Verba Psal. 74. vers. 13. *Contribulasti capita Draconum in aquis,* Disci-

[a] Exempla allegoriarum Pontificiarum:

Discipulus de Tempore serm. 110. ita exponit: *Hoc est, aquâ lustrali, à Sacerdotibus aspersa, dæmones fugantur & expelluntur.* Cùm quæritur, quare pudicus esse debeat Sacerdos? respondetur distinct. 43. q. 1. *quia in Canticis Canticorum genæ sponsæ, id est, prædicatores, turturi comparantur.* Pererius comment. in Daniel. lib. 5. fol. 260. per *arboris, Nebucadnezari in visione oblatæ*, Dan. 4. vers. 12. *radicem illæsam*, virginem Mariam, peccato Adami nullatenus infectam, interpretatur. Verba Zachariæ cap. 11. vers. 7. quæ de Christo prophetata sunt, Antonius Episcopus Florentinus, in historia part. 3. tit. 23. allegoricè ad Monachales refert ordines, his verbis: *De Dominico & ordine suo Zacharias cap. 11. dixit in persona DEI: Assumsi mihi duas virgas, unam appellavi decorem, aliam funiculum. Decor est ordo Prædicatorum: Funiculus ordo minorum, quia funiculo manifesto cinguntur.* Verba Christi, Matth. 5. vers. 15. *non abscondi debet lucerna sub modio, sed poni super candelabro &c.* ex Eugenii Papæ explicatione hunc habent sensum mysticum: *Sanctos esse in divorum numerum adscribendos, & canonizandos, ut adorentur.* Verba Luc. 5. vers. 4. *Duc in altum*, Innocentius III. serm. 2. in fest. Petri Pauli, ita allegorizat: *Dominus dicit Petro, duc in altum, id est, vade Romam, & te cum tuis transfer ad urbem, quæ dominium habet super omnes gentes, & ibi retia laxato in capturam.* Eandem *piscationem Petri*, quæ Luc. 5. describitur, allegoricè exponit, & Petri primatum, fundatæque super ipso Ecclesiæ Catholicæ Papale mysterium stabilire exinde satagit Baronius in annal. Ecclesiasticis, ann. 31. num. 63. quem justè castigat & refellit Casaubonus exerc. 13. c. 32. De quibus & aliis ex tripode Papali prolatis oraculorum divinorum interpretationibus falsè usurpari potest illud *D. Lutheri* tract. adv. Papatum §. Item etiam: *Audis tu hæc, Lector? hîc tibi temperandum est à risu, ne tu quoque, quod mihi contigit, in tussim ovillam incidas: quapropter cave rideas in rebus tam seriis, & memento, Papam serio agere, & in scripturis interpretandis non falli, ut hîc vidisti.* Et Agrippæ de vanit. scient. cap. 92. *Sunt admirabilia & abscondita mysteria, quæ aliqui Romani Pontifices proferunt, qui alicubi in sacris Scripturis convertentes, nonnunquam adulterantes, atque suis figmentis adsimilantes atque adaptantes errârunt.* Hæc de Pontificiis.

## Articulus VII.

### *De Rabbinorum allegoriis, quæ Cabbala dicuntur.*

QUod Pontificiorum in Ecclesia sunt *traditiones*, id in Judæorum Synagoga est *Cabbala*, קַבָּלָה quæ vox itidem *traditionem*, vel potiùs correlatum ejus *acceptionem* (propriè enim *traditionem* sonat מסרת) significat, à קָבַל *accepit, recepit*, manibus vel animo. Nequaquam verò hoc loco de Cabbala vera, pura & genuina loquimur, quæ nihil aliud, quàm mysticus Scripturarum sacrarum intellectus est, ut supra suo loco dictum: sed de Cabbala Judaica, spuria, impura, anili & febriculosa. Dupliciter autem potissimum ea vox usurpatur. 1. De תּוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה *lege oretenus tradita, seu acromatica*, משנה *quam dicunt esse* פירוש התורה הכתובה *expositionem legis scriptæ*, eamque Mosen diebus illis quadraginta totidemque noctibus, in monte Sinai, ex ore DEI didicisse, & sine ea multa legis præcepta ambigua, obscura & interdum pugnantia, intelligi non posse, eamque in Thalmud postmodum relatam esse, perhibent. Vide Galat. libro 1. de arcan. cath. verit. cap. 2. & lib. 4. cap. 4. Petrum Crinit. lib. 25. de honesta discipl. cap. 5. Schindl. in Lex. p. 1578. 2. De abstrusiori doctrina, & mysteriis, quæ Hebræi *tùm* saniores & antiqui, *tùm* recentiores superstitiosi, in Mosis & Prophetarum scriptis investigant, idque variis rationibus. Reuchlinus lib. 3. Cabbalæ ita describit: *Cabbala nihil aliud est, nisi, ut Pythagoricè loquar, symbolica Theologia, in qua non modò literæ ac nomina sunt rerum signa, verùm res etiam rerum. Cabbalam* autem vocant, quia olim clam ista abstrusa habebant, nec cuivis concredebant, multò minùs scriptis in vulgus prodebant, sed *orali* tantùm *traditione* ad sapientes successivè propagabant. Hæc Cabbala posterior, quia cum allegorica scripturæ sacræ expositione (qualem Pontificii, uti dictum, adornant) in eo convenit, quòd utraque sensum venatur præter Spiritus sancti, seu scripturæ sacræ, mentem & intentionem (etsi alias discrimen aliquod utrique intercedit) placet paulo prolixiùs de ea hoc articulo tractare. *Prius* autem ratio ejus exactius considerandа: *posteà*, quid de ea statui debeat, aperiendum est.

## DE PRIORI MEMBRO.

a Divisio Cabbalæ. a UT rectiùs de Cabbalico interpretandi genere possit fieri judicium, 1. aliquot ejusdem *divisiones*, & 2. quædam *exempla* producam. *Distinctiones*, quæ occurrunt, potissimùm hæ sunt.

1. Quidam Cabbalam dispescunt in עִיּוּנִית וּמַעֲשִׂית *speculativam & practicam*, Elias Lev. in Thisbi litera ק, qui tamen d. l. ejus ignorantiam palàm profitetur, his verbis: *Et ego quidem non sum dignus, ut explicem negocium ejus: propter peccata enim mea non didici sapientiam istam, & scientiam sanctorum istorum non novi nec intelligo.*

2. Alii in Cabbalam ספירות ושמות *numerorum & nominum.* Mirand. in nongentis conclus. citante Capnione lib. 3. Cabb. pag. 64.

3. Alii quinque ejus partes faciunt תיקון וצירוף ומאמר וממלל וחשבון id est, *restitutio & combinatio & oratio & sententia & supputatio.* Vide Reuchl. d. l.

4. Plerique ex Prov. 22. v. 20. (ubi dicitur, *Nonne scripsi tibi* שלישים quod aliqui *terna*, alii *tripliciter &c.* reddunt, *ut scire facerem te certitudinem eloquiorum veritatis*, אִמְרֵי אֱמֶת quo nomine suam dignari Cabbalam solent, utpote quæ scripta sit עַל דֶּרֶךְ הָאֱמֶת *secundùm viam veritatis*) *triplicem* Cabbalæ rationem ponunt, quam Reuchl. d. l. ita explicat, quod *aut dictio pro dictione, aut litera pro dictione, aut litera pro litera ponatur.*

5. Alii triplicem istam Cabbalam hisce insigniunt nominibus, ut *prima* sit גִּימַטְרִיָּא, *altera* נוטריקון, *tertia* תְּמוּרָה, quibus vocalibus quid significetur, ordine per exempla ostendemus.

b 1. Gematraija. b *PRIMA Cabbalæ* species גִּימַטְרִיָּא *Gematraija*, nomen accepisse dicitur à Græca voce γεωμετρία: (Elias in Thisbi explicat מִנְיָן חֶשְׁבּוֹן & *supputationem & numerum*) eò quod in literis vel textibus Scripturæ, *Mathematicè* quasi *dimetiendis*, & exinde abstrusis quibusdam mysteriis eliciendis, occupata sit. Breviter, est *Mathematica Scripturæ* vel *literarum*, vel *textuum consideratio.* Cùm autem Mathesis tùm circa *quantitatem discretam*, seu numerum; tùm *continuam*, seu dimensionem versetur, ideò *duo* quoque Gematricæ Cabbalæ sunt modi.

c Mysteria Judæorum in numeris.

d Mysteria Judæorum in literarum dimensione. c 1. Considerat literas in textu sacro positas *numericè*, & certam quandam doctrinam ex illo numero elicit. E. gr. In *primo* & *ultimo* versu Bibliorum, Genes. 1. vers. 1. 2 Paral. ult. v. ult. א *sexies* utrobique habetur, ex quo Cabbalisticè colligunt, mundum duraturum 6000. annos, cum א millenarii nota sit, quæ est traditio familiæ sive scholæ *Eliæ* cujusdam, memorata in Thalmud tract. Sanhedrin. cap. 11. Eodem modo Mosis initialia verba בְּרֵאשִׁית בָּרָא *in principio creavit*, per illa alia בראש השנה נברא *in principio anni* (olim à *Septembri* inchoata) *creatus est* (mundus,) Caballisticè exponitur, eò quod utrobique idem numerus, scil. 1116. è valore literarum, in unam summam collectarum, exurgat. Sic & in vocibus יבא שילה *veniet Schilo*, Gen. 49. vers. 10. nomen *Messiæ* quærit *Baal Turim*, faciunt enim literæ illæ Hebraicæ in numeris 358. qui numerus etiam voce מָשִׁיחַ continetur. Pari ratione *numerum annorum servitutis in Ægypto*, nempè 210. (ubi tamen calculus verus 215. annos exhibet) significari volunt, cùm Jacob diceret רדו *descendite* Gen. 42. vers. 2. Sunt enim in numerico valore hæ literæ 210. In libro Raccanath p. 35. explicatur vox אמן (*veritas*) Cabbalisticè per 91. & *significari illâ verum DEUM* (auctorem & fontem omnis *veritatis*) ita ostenditur: Deut. 6. vers. 4, 5. nomen יהוה ter repetitum extat, id verò cum voce אחד (*unus*) conficit eundem numerum 91. Et hoc ipsum testimonium ostendit, veteres Hebræos à doctrina nostra de S.S. Trinitate non fuisse alienos. Cur enim aliàs nomen יהוה ter repetitum cum voce אחד (*unus*) conjunxissent? Helv. in vind. locor. script. ad Deut. 6. Hùc pertinet etiam illud Hag. 1. vers. 8. ubi scribitur אֶכָּבֵד & legitur אֶכָּבְדָה. Ubi defectu literæ ה (quæ quinarii nota) notari ajunt *defectum quinque rerum in templo secundo*, nempè *arcæ fœderis*, *Urim & Thummim*, *ignis superni*, *præsentiæ DEI*, & *Spiritus sancti.* Vide Schindl. in voce כבר. Sic Zach. 3. vers. 8. כִּי הִנְנִי מֵבִיא אֶת־עַבְדִּי צֶמַח *Nam ecce ego adducturus sum servum meum Zemach.* Quid antiquis *Zemach*? צמח valet 138. totidem valet מְנַחֵם *consolator*. Hoc autem nomen Menachem numeratur à Cabbalistis & Thalmudicis inter nomina Messiæ, unde Cabbalisticè per Zemach intelligitur illic Messias. Uti etiam Chald. transtulit מְשִׁיחָא. Sic Gen. 25. vers. 21. *Et concepit Rebecca uxor* אשתו: *quid concepit?* Cabbalista respondet, אש וקש *ignem & stipulam*, juxta illud Obad. vers. 18. *Erit domus Jacob ignis, & domus Esavi stipula.* Utrumque continet 707. Cabbalisticam & numericam rationem divinandi de interitu Turcarum, ex Dan. 13. & Psal. 2. Vide ex Johanne Baptista Nazaro, Joh. Wolffium, tom. 2. lection. memoral. p. 888.

2. d *Alter Gematriæ* modus rursum *bipartitus* statui potest: פָּשׁוּט וּמוּרְכָּב *simplex & compositus.*

*Ille*

*Ille* literarum simplicium in textu positarum Mathematicam affectionem sive quantitatem considerat: *Hic* integrorum ædificiorum structuram & dimensionem.

*Priorem* modum quidam vocant צוריית *zuriith*, *Cabbalam figurativam*; ad quam pertinet, 1. *quando mystica redduntur causæ, cur quædam in textu Hebræo literæ majusculo scribantur charactere*, seu quod idem est, reliquas quantitate superent. E. gr. Deut. 6. vers. 4. majuscula figura occurrit, & in prima voce שמע *audi*, & in ultima אחד *unus* (*audi Israel, Dominus DEUS noster, Dominus UNUS.*) Quarum *priori* ajunt excitari animos ad magnæ illius doctrinæ considerationem, q. d. *qui habet aures audiendi, audiat: Posteriori* indicari volunt, Dominum illum æternum esse DEUM unicum in *quatuor* mundi partibus (id enim litera ד valore numerico denotat) id est, ubique & in toto mundo præsentem. Duæ majusculæ in hac sententia junctæ constituunt vocem עד *testis*, quasi monere eo voluerit Moses & dicere: *Audi Israel, & testis mihi eris*, me de unico vero & æterno Deo te seriò monuisse, juxta illud: *Vos testes mei estis, inquit Dominus*, Esa. 43. v. 10. vicissim Deum futurum *testem* contra ipsos, si non audiant, juxta illud: *Sitque Dominus Deus contra vos testis.* Mich. 1. vers. 2. Sic ל in voce וישלכם majusculâ figurâ scribitur, ubi legitur, וישלכם אל־ארץ אחרת *& disjecit eos in terram aliam*, Deut. 29. vers. 27. ad designandam magnitudinem & gravitatem hujus projectionis in terram alienam: tum etiam, quod abjecturus esset eos *in æternum* (quasi ל majusculum denotet tacitè לעולם) si non agant pœnitentiam. Eadem vox defectivè in medio scribitur, sine י quæ in numeris *decem* significat, ad indicandum, quod Deus aliquando à populi corpore *decem tribus* avulsurus sit, & propter impietatem & idololatriam in terram alienam disjecturus, ut reliquum populi corpus sit perpetuò luxatum, mancum & defectum mansurum. Sic ר in voce אחר reliquas quantitate superat, ubi dicitur, *Non incurvabis te coram Deo* אחר *alieno*, Exod. 34: 14. ad indicandam gravitatem peccati, quo Deo alieno servitur, & considerandam differentiam inter אחר & אחד ut in illo, *Audi Israel Dominus Deus noster, Dominus* אחד *unus est*, unde studiosissimè cavendum, ne serviant DEO אחר *alieno* & ficto, &c. Harum majuscularum literarum totum proponitur Alphabetum in *Masorâ*, princ. lib. Mos. & princ. Chronic. Singularum à Cabbalistis dantur rationes, quarum tamen aliquæ ineptæ sunt & nullius momenti. 2. *Quando redduntur causæ, cur quædam literæ minusculo scribantur charactere.* E. gr. Gen. 2. vers. 4. ה minusculum est in voce בהבראם *quando creata fuerant illa* (scilicet cœlum & terra) ad indicandum fore, ut omnia creata minuantur & intereant: Et ut litera ה constat ex lineis dissolutis & ab invicem separatis, sic creata cuncta dissolventur, sicut scriptum est: *Cœli velit fumus evanescent &c.* Es. 51. v. 6. Alii hac minusculâ formâ literæ transpositionem innui ajunt, ut ex בהבראם fiat באברהם *propter Abrahamum*, id est, propter fideles creatum esse mundum, illi enim soli DEUM propter admiranda creationis opera laudant. Hæ minusculæ literæ numero sunt 33. quæ ordine alphabetico enarrantur in Masora in vestibulo Levit. & in principio Masoræ finalis. 3. *Quando redduntur causæ, cur literæ quædam inversæ, quædam suspensæ sint.* E. gr. 10. vers. 35. extat vox בנסע *in proficiscendo.* Ubi נ inversum notare dicitur, retrorsum agi, instar ejus literæ, omnes Israelitarum hostes. In Masora h. l. notatur: *Novem esse versus, qui tale inversum* נ *habeat.* Sic Jud. 18. vers. 30. legitur: *Et Jehonathan filius Gersomi; filii* מנשה *Manassis* ubi נ תלוי sive suspensum est, & tradunt Cabbalistæ, *Prophetam studio noluisse Gersonum appellare filium Mosis, quia ignominiosum fuisset id Mosi, habuisse filium impium*, sed vocare eum filium *Manassis*, litera tamen נ suspensa, h. e. sursum elevata, in signum, eam adesse vel abesse posse, ut sit vel filius מנשה *Manassis*, vel משה *Mosis: Illius*, studio & impietatis imitatione: *hujus*, prosapiâ & generatione. Tales תלוים suspensas literas esse quatuor, tradit Masora ad d. l. Reliquæ sunt Psal. 80. vers. 14. Job. 38. vers. 13, 15. in quibus ע suspensum est.

*Posterior* modus integrorum ædificiorum (quorum in sacris fit mentio) compagem & systemata dimetitur & considerat. Quia enim nihil in Scripturis continetur, quod non profundam redoleat sapientiam & doctrinam (אין בתורה אפילו אות אחת שאין הרים גדולים תלויים בה *non est in lege vel unica litera, à qua non maximi montes pendeant*, inquiunt Hebræi,) igitur in ædificiorum quoque descriptione aliquid mystici latere arguunt illi, qui Christiano modo cabbalizant: Illud igitur per *Gematriam* hanc educere, idque variis modis attentant. E. gr. Gen. 6. vers. 15. *Arca Noe* 300. *cubitos longa*, 50. *cubitos lata, & 30. cubitos alta* fuisse dicitur. a Hic Cabbalista *longitudinem* primò dividit per *altitudinem*, prodeunt *decem*, quæ respondet literæ *Jod:* deinde ei adjungit ipsam longitudinem 300. cui congruit litera *Schin:* tandem eam dividit per *latitudinem*, & emergunt *sex*, quæ notantur litera

a Cabbala in ædificiorum dimensione.

 Vau

*Vau*, ita elicitur nomen Salvatoris ישו *Jesu*. Sic 1 Reg. 6. verſ. 2. *Templum Salomonis 62 cubitos longum, 20 latum, 30 altum fuiſſe* traditur. Hic Cabbaliſta primò *latitudinem* ab *altitudine* ſubtrahit, relinquuntur *decem*, quæ iterum ſunt *Jod*: deinceps hoc reſiduum cum eadem *altitudine* multiplicat, evadunt *ter centum*, h. e. *Schin*: denique per idem reſiduum *longitudinem* dividit, exeunt *ſex*, ſive *Vau*, quæ in unum collecta rurſus nomen ישו conſtituunt.

a Notarjekon.

a *SECUNDA Cabbalæ ſpecies* eſt נטריקון *Notarjekon*, de qua ita R. Elias in Thisbi, litera נ. נטריקון *ſolent* (hanc vocem) *pronunciare Notarjekon*, *& in Aruch exponitur* נוטריקון *Notarjekon eſſe, cùm una litera ſcripta ſignum eſt totius rei &c. Atqui ego accepi ex ore cujusdam Cardinalis* (קרדינאל) *vocabulum eſſe Græcum: In lingua quoque Romana Scribas vocant* נוטארי *Notarios, cujus vocis uſus eſt & apud Rabbinos, unde venit* נוטריקון *quod idem valet ac* ספרות *Germanicè* קאנצלייש Cantzleyiſch. *Sic enim mos eſt Scribarum, ut ſcribant duas vel tres literas, quarum unaquaque conſtituit dictionem.* Hæc ille, ex quo ratio hujus Cabbalæ utcunque percipitur. Modi ejus potiſſimùm *duo* ſunt: Aut enim ex *initialibus* ſeu *finalibus* aliquot vocum literis *una vox* colligitur. 2. aut ex *unius vocis ſingulis literis* ſingulæ voces (quarum illæ literæ ſunt initiales) colliguntur.

c Sophe Theboth.

*Prior modus* fit vel per *aphæreſin*, ſeu, ut Cabbaliſtæ loquuntur per ר״ת i. e. רָאשֵׁי תֵּיבוֹת *capita dictionum* ſeu initiales literas: vel per *apocopen*, per ס״ת i. e. סֹפֵי תֵּיבוֹת *fines dictionum*, ſeu finales literas: quæ omnes cum Segolta ſeu tribus punctulis in ſummitate à Cabbaliſtis notari ſolent.

b Raſche Theboth.

b *Exempla Raſche Thebeth* occurrunt iſta: Geneſ. 22. verſ. 8. אֱלֹהִים יִרְאֶה לּוֹ *Dominus providebit ſibi*: Ex harum dictionum literis *initialibus* Cabbaliſticè colligitur nomen hoſtiæ, quam Abrahamus loco Iſaaci Deo obtulit. Ea אַיִל ſive *hircus* eſt, verſ. 13. Ex verbis Jacobi Gen. 49. verſ. 10. quibus de Meſſia agit: יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ *veniat Silo, & ei &c.* per connexionem literarum *initialium* nomen ישו *Jeſu* colligitur. Galat. lib. 3. de arc. cath. verit. c. 20. ex R. Haccadoſch. Perinde ut & ex verbis Pſal. 72. verſ. 17. ינון שמו ויתברכו *ſoboleſcet nomen ejus & benedicent ſe*, quæ expreſsè de ſacroſancto hoc nomine agunt. Pſal. 96. verſ. 11. ex verbis ישמחו השמים ותגל הארץ *lætentur cœli & exultet terra*, nomen *Jehovah*: & verſ. 12. verbis יעלז שדי וכל *exaltet campus & omnia &c.* nomen *Jeſu* colligitur. Atque hic modus Judæ *Maccabæo* nomen olim dediſſe perhibetur. Cùm enim Antiochum oppugnaturus ab Angelo moneretur, ut viriliter ageret, Deoque confideret, dediſſe belli commilitonibus fertur verba Exod. 15. verſ. 11. מי כמוך באלהים יהוה *quis eſt ſicut tu inter Deos Domine*? vexillis ſuis abbreviatè hoc modo מכבי inſcripta, loco militaris teſſeræ: in quo ſigno cùm vulgus militum victoriæ feliciter partæ vim ſuperſtitiosè collocaret, nec tamen myſticæ hujus Scripturæ rationes intelligeret, inſeruit pronunciationis causâ hiſce conſonantibus vocales, & legit Ma Ca Bi, ipſumque Judam poſthac inde denominavit. Reuchl. l. 3. Cabbal. Merc. in abbrev. Ebræor. Schickhard. in bechin. happeruſch. pag. 67. (Sunt tamen, qui ſimpliciter nomen מכבי à כבה *extinguo*, dictum fuiſſe putant, ut ſonet *extinctorem*, ut Darius *coërcitorem*, & Xerxes ἀρήϊον. *Martium*. Vide Druſium lib. 11. obſerv. cap. 14.) Huc pertinet factitium DEI nomen אגלא *AGLA*, de quo Galatinus lib. 2. cap. 15. quod ex integris vocibus אתה גבור לעולם אדני *Tu fortis es in æternum Domine*: & ſimul Trinunitatis myſterium continere dicitur, quod א *unitatis*, ג *ternarii* nota ſit, reſiduæ verò literæ אל *potentem DEUM* ſignificent.

c *Exempla Sophe Thebeth* occurrunt iſthæc Gen. 2. verſ. 3. verbis ברא אלהים לעשות occultè אמת *veritatem* intextam eſſe volunt Cabbaliſtæ, (ut & c. 1. verſ. 4. 21, 27, 31.) ſecundùm illud Pſal. 119. verſ. 160. ראש דברך אמת *caput vel initium verbi tui eſt Emeth* ſive *veritas*: quaſi omninò ſapientiſſimus Scriptor Moſes, artificioſâ hac literarum diſpoſitione librum ſuum commendare voluerit, &, quòd ipſiſſimam veritatem a DEO edoctam tradit, innuere, Baal Turim in Gen. 1. Sic ex quæſtione Hebræorum à Moſe propoſita (*& dicent mihi, quodnam nomen ejus, quid dicam eis* Exod. 3. verſ. 13.) & ex ultimis quidem quarundam vocum literis reſponſionem Cabbaliſtæ quærunt, quod nomen ejus ſit *Jehova*: voces eæ ſunt לי מה־שמו מה־. Sic יוהך *Jubach* Cabbaliſtis eſt nomen Angeli, hominum cuſtodiæ præfecti, deſumtum ex finalibus literis harum vocum: כִּי מַלְאָכָיו יְצַוֶּה לָּךְ *Nam Angelis ſuis præcipiet de te* (*ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*, Pſal. 91. verſ. 11.) Et hæ duæ quidem ſpecies per *aphæreſin* fiunt vel *apocopen*: Aliqui tertiam addunt, quæ fiat per *ſyncopen*, ita ut ex mediis aliquot vocum literis, vel ex una media & altera *finali*, una vox conſtituatur. Sic Cabbaliſticè quidam in nominibus viri & uxoris ludunt. Gen. 2. verſ. 23. איש ſignificat *virum*,

virum, & אִשָּׁה mulierem. Hæc duo vocabula in se continere ajunt nomen auctoris conjugii, & conjungentis conjuges, nimirum יָהּ Jah sive Jehova. Jod prioris dictionis media, He posterioris ultima litera est. Quando verò י adimitur ex אִישׁ, & ה ex אִשָּׁה, ut ita absit יָהּ DEUS, conjungens & copulans conjuges, seu ut absit vera agnitio, invocatio, amor & timor DEI, quid remanet? Utrinque manet אֵשׁ i. e. ignis. Ibi enim inter ejusmodi conjuges exardescit ignis irarum, jurgiorum & rixarum, quæ rarò extinguuntur, sed ardens usque ad inferni novissima. Extat autem hæc Cabbala in libro, cujus titulus: Fasciculus myrrhæ, in Parascha שְׁמִינִי Lev. 11. & innuitur ab Aben Ezra in annot. Prov. 2: 17.

a Posterior modus præcedenti oppositus est, quando in una dictione singulæ literæ singulas dictiones suppeditant, quarum illæ literæ sunt initiales: Dicitur & hic Rasche Thebothb, capita dictionum &c. Exempla ejus sunt: Gen. 1. vers. 1. prima vox Bibliorum בראשית pro numero literarum explicatur per alias sex, iisdem literis inchoatas, בָּרָא רָקִיעַ אֶרֶץ שָׁמַיִם יָם תְּהוֹמוֹת Creavit firmamentum, terram, cœlum, mare, abyssos. Esa. 65. vers. 13. benedicens se, benedicet in DEO, אָמֵן Amen, & jurans jurabit in DEO אָמֵן Amen. Ecquis est iste DEUS? Cabbalistæ ex hac per Rasche Theboth interpretandi ratione respondent, quod sit אֲדֹנָי מֶלֶךְ נֶאֱמָן i. e. Dominus Rex fidelis. Harum enim vocum initiales literæ in vocula אמן continentur. Ipse נְאֻם dicit & asseverat, cui nos ceu relativum reddimus, per transpositionem literarum, אָמֵן. Et sic nomen proprium נפתלי Naphtali R. Salomo explicat, נִתְקַבְּלָה פֹּה תְּפִלָּתִי לִפְנֵי יְיָ suscepta est hic deprecatio mea coram Domino, citante R. Elia in Thisbi, in voce Notaricon. Vocem אֹמֶר sermo, (quæ congruit cum Chald. מֵימְרָא epitheto Messiæ in V. T. Chaldaicâ paraphrasi) quidam per hunc cabbalisticum modum ita resolvunt, quod media litera מ denotet מָשִׁיחַ Messiam, qui Mediator est, habens à fronte א hoc est אָב patrem, & ex altera parte ר hoc est, רוּחַ Spiritum sanctum, quia utriusque personæ, & Patris, & Spiritus sancti, tum etiam suam essentiam & voluntatem, id est, Trinitatem æternam, nobis manifestat. Sic in voce בָּרָא creavit, Gen. 1. vers. 1. tres personas Deitatis quærunt. א Pater est, ב Filius, ר Spiritus sanctus, אָב, בֵּן, רוּחַ, Filius, per quem creata sunt omnia, primo loco ponitur, cui statim succedit ר Spiritus, quia hæ duæ personæ mittuntur, Filius & Spiritus, & monstrant א i. e. Patrem. Et si quis ex tribus literis בָּרָא ultimam primæ junxerit (id pertinet ad Cabbalam μεταθετικὴν, de qua posteà) confestim אָב efficiet, quod Patrem significat: Deinde, si ב Bb geminatum per Dages lene ad ר addiderit, efficiet בְּבַר in Filio, vel per Filium. Pater enim per Filium creavit cœlum & terram. Lenis geminatio litera ב humanitatem & carnem, sive naturam assumtam à Λόγῳ denotat, unitam Λόγῳ, & quærendam & inveniendam non extra, sed intra Λόγον &c. Sic אִישׁ cognomen Christi est, per excellentiam ita dicti Gen. 4. v. 1. Exod. 15. vers. 4, Actor. 2. vers. 22. Hebr. 1. vers. 3. qui humeris suis portat א & י & ש hoc est, אֶרֶץ terram, יָם mare & שָׁמַיִם cœlos; & est אִישׁ vir ille, אֲדֹנָי sustentator, יְהוָה Dominus, שַׁדַּי omnipotens, secundùm divinitatem: Est etiam אִישׁ, אָדָם homo, יֵשׁוּעַ Jesus, שְׁלֹמֹה Salomo, vel אָב יְדִיד שָׁלוֹם Pater charus pacis. Sine quo Jesu nihil nobis remanet nisi אֵשׁ ignis & damnatio. Auferatur enim Jod ex verbo אִישׁ, nec Jehovam, nec Jesum habebimus, id est, nullum DEUM, & nullum Salvatorem. Ita D. Selnec. in append. ad libell. de voce Chald. Memera. Sic de volutatione animarum per tria corpora (quam Græci Platonizantes μετεμψύχωσιν vocant) aliqui verba facientes, dicunt Adami animam volutatam esse per corpus Davidis, & inde reversuram in corpus Messiæ. Id quod innui existimant tribus literis nominis אָדָם ut per Rasche Thebothb prima א significet ipsum Adamum, secunda ד Davidem tertia ם Messiam, quam volutationem appellant גלגול נפשות, vide Drusium part. 2. annot. in N. T. ad Matth. 16. vers. 14. Sed hoc superstitiosum est: concinnius & elegantiùs ludunt Thalmudici in tract. Sota fol. 5. אָדָם hominem dici, quod sit אֵפֶר דָּם מָרָה i. e. cinis à corruptibilitate: Sanguis à vitalitate: Fel à calamitate.

a Rasche Theboth.

Dimanavit autem ista Cabbala etiam ad Pontificios. Ita enim Holocollus Theologus Oxoniensis, lib. sap. in c. 17. lect. 195. Ave Maria &c. EVA maledictionis mater mutatur in AVE. Vox una ex tribus literis conflata, significat in unitate Trinitatem. A litera apud omnes prima significat DEUM Patrem: V verbi veritatem: E Æternitatem, nomen summè effabile, & jugi devotione efferendum. Simile somnium Papistæ somniârunt in voce Alleluja, in qua per talem Cabbalæ rationem, ut singulæ syllabæ integras dictiones notent, [illegible] quærunt mysteria, A L h. e. Altissimus: LE h. e. levatus est in crucem: L U h. e. lugebant Apostoli: J A h. e. jam resurrexit. Jacobus de Valentia in literis sacrosancti nominis JESU eodem

dem ferè modo philosophatur, de quo Pererius Jesuita in Gen. 6. *Non probo* (inquit) *quamvis multi eam amplectuntur.* Vide Th. Morton. part. 2. apol. Cathol. l. 5. c. 5. pag. 581.

a 3. Temura. a *TERTIA Cabbalæ species* dicitur תְּמוּרָה i. e. *mutatio, permutatio*, cujus duo sunt principales modi. Fit enim 1. *per simplicem literarum earundem μετάθεσιν & transpositionem*,

c Alphabetaria revolutio. 2. per *alphabetariam permutationem* seu *revolutionem*.

b Anagrammata Hebraica. b *Prioris* exemplum est Psal. 21. vers. 2. *Domine, in virtute tua* ישמח *lætabitur Rex*, ubi Cabbalistæ de *Messia* sermonem haberi ajunt, ut sit sensus; Domine Jehova, in virtute tua (i. e. in virtute nominis tetragrammati) *Messias Rex* scil. venit vel operatur. Ipsum autem ישמח *lætabitur*, per Cabbalam hanc pro *Messia* accipiunt, si enim literæ transponantur, erit משיח *Messias.* Sic Exod. 23. vers. 23. DEUS inquit: *Ibit* מַלְאָכִי *Angelus meus ante te.* Quisnam iste *Angelus?* Respondent per Cabbalam, quâ literæ transponuntur, quod sit מִיכָאֵל *Michael.* Aliqui de creatore rerum omnium ita suaviter & reverenter delicias suas agunt:

d Albam, Athbas. Cùm quæritur, *quis creaverit omnia*, ut est hæc quæstio apud Esaiam cap. 40. vers. 26. his verbis: מִי בָרָא אֵלֶּה *quis creavit ista?* Respondetur per literarum exiguam & suavem metathesin, ex Gen. 1. vers. 1. בָּרָא אֱלֹהִים *DEUS creavit.* Et quidem (quod ad Rasche Theboth pertinet) בְּרֵאשִׁית *in principio*, ubi per literam ב בֵּן vel בַּר id est, *Filium*, per ר רוּחַ *Spiritum*, per א אָב, *Patrem*, per ש שֵׁם id est *nomen*, per י *Jehovam*, per ת תָּמִים id est, *perfectum*, Cabbalistæ denotari dicunt, ut sit: *Filius, Spiritus, Pater, nomen Jehova perfectum.* Tali metathesi uti etiam Jobum quidam volunt cap. 13. vers. 24. *reputâsti me* לְאוֹיֵב *in inimicum* vel *hostem*, q. d. nomen meum אִיּוֹב in אוֹיֵב mutâsti. Hùc pertinere videtur illud etiam Esa. 61. vers. 3. *ut det illis* פְּאֵר תַּחַת אֵפֶר *ornatum pro cinere*: Et Genes. 6. vers. 8. נח *Noach invenit* חן *gratiam.* Sic explicatur האדם *homo*, quod sit אדמה *terra.* Sic חֵרֶם *anathema*, per metathesin est רַחֵם *misericordia*, & aliter רמ״ח quæ est vox symbolica numeralis valens 248. & designans *numerum membrorum* in corpore humano: Nempe si is, in quem anathema fertur, resipiscat, & seriò pœnitentiam agat, tùm pro חרם *anathemate*, consequit[ur] רחם misericordiam; si non resipicat, tunc [חרם] anathema invalescit, & intrat in רמ״ח 248. membra ejus totumque hominem perdit. Item בִּלְעָם בָּלָק *Bilham, Balac*, per metathesin sunt עֵמֶק בִּלְבֵּל id est, *vallis confusionis.*

מָוֶת *mors*, per metathesin est תּוֹם *perfectio*, quia mors piorum est veræ perfectionis exordium. Sic tandem radices, quæ iisdem constant literis, quantumvis aliter dispositis, plerunque cognatas habent significationes, ut כבש & כשב *agnus*, יעף & עיף *lassus fuit*, כסל & סכל *stultus fuit*, חפז & פחז *trepidavit*, &c. Hæc sunt veluti anagrammata Hebraica.

c *Posterioris* (ab aliquibus צירוף *combinatio* dictæ) quam per *alphabeticam revolutionem* fieri dictum est, hæc est ratio. Dividitur Alphabetum Hebraicum in duas æquales partes, literæ sibi invicem ordine parallelo subscribuntur, ita quidem, ut altera alphabethi pars priori subscribatur *vel ordine recto & naturali*, hoc pacto:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ
ל מ נ ס ע פ צ ק ר ש ת

*vel ordine retrogrado*, hoc modo:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ
ת ש ר ק צ פ ע ס נ מ ל

(*Prior* d modus אלב״ם *Albam*, *posterior* את״בש *Athbas*, per connexionem primarum literarum sibi invicem subscriptarum vocatur;) postmodùm *una litera pro altera*, *superior pro inferiore* & contrà, accipitur atque legitur, idque *tùm* in *ἀναλύσει*, quando per dictam Cabbalæ rationem aliquem sensum ex Scripturis eruunt, *tùm* in *συνθέσει*, quando per eandem animi sui sensa sibi invicem epistolis exprimunt, ne Scriptura eorum ab aliis legi & intelligi possit. Sic Esa. 7. vers. 6. cujusdam טָבְאַל fit mentio, per quod nomen proprium Cabbalistæ intelligunt רְמַלְיָא (id enim exhibent literæ Cabbalâ *Albam* permutatæ seu transpositæ) Filium רְמַלְיָהוּ Regis Israelis. Sed Aben Ezra ibid. addit יזה הבל *fumum esse* eam expositionem. Sic Jerem. 51. vers. 1. vocat Propheta Chaldæos לֵב קָמָי *cor insurgentium in vel contra me* (Jehovam,) quæ voces, literis suis per modum *Athbas* permutatæ, exhibent vocem כַּשְׂדִּים *Chaldæos* designantem, ut R. Salomo & Aben Ezra exponunt, unde etiam Thargum reddit, *Chaldæos* דכסדאי: Græci verterunt *χαλδαίους.* Sic Jerem. 25. vers. 25. vox שֵׁשַׁךְ extat, quam per Cabbalam *Athbas* exponunt, ut inde emergat vox בָּבֶל *Babel*, de qua ibi loquitur Propheta, Chaldaic. transtulit מַלְכָּא דְבָבֶל *& Rex Babyloniæ.* Ita & Schindlerus col. 1778. & olim Hieron. in comment. Scaliger autem lib. 6. de emend. temp. pag. 276. *Seschac* (inquit) *nomen Deæ apud Jerem.* 51. *neque enim Seschac Babylon est, per modum, quem Athbas*

*Athbas ineptissimi Rabbini vocant*. Plura de hoc in Grammat. Sacra dicuntur, de nomine proprio observ. 13. Sic extat *nomen DEI*, quod pro tetragrammato יהוה usurpant, hisce quatuor expressum literis, מצפצ *Mazpaz*, est autem ipsum nomen יהוה, per *Atbbas*, sive literarum permutationem *posteriorem* in Matzpaz μεταμορφωθὲν & transmutatum. Item שׂרה *Sarab*, per Athbasch scribitur בגז quæ literæ in numero faciunt 95. Totidem continet nomen aliud proprium יִסְכָּה *Iisca*, quod extat Genes. 11. vers. 29. unde colligunt שׂרה & יסכה idem nomen esse, & *Saram* alio nomine *Iiscam* dictam fuisse. Plura exempla Cabbalæ vide apud *Reuchlinum*, *Sixtum Senensem* lib. 3. Biblioth. sanctæ, *M. Schikhardum*, in prodromo Bechinath Happeruschim super Bereschith, &c. Buxtorffius de abbreviaturis Hebr. p. 55. seqq.

## DE POSTERIORI MEMBRO.

De *hac Cabbalistica Scripturas interpretandi ratione*, quæritur, *quid sit statuendum?* Resp. 1. Distinguendum *inter* Cabbalam eruditam, & fidei analogiæ conformem: & *inter* Cabbalam superstitiosam, impiam, & à fidei analogia discedentem. Illa *vel* approbari, *vel* certè tolerari potest: a *hac* verò suos ad auctores, superstitiosos homines, remittenda, qualis cumprimis est illa, quâ ad *Magicas artes* abuti solent. Licet enim *Magi* audire nolint, & in hoc *Cabbalam à Magia* differre asserant, quod *illa* bonum & humano generi salutarem finem; *hac* verò malum noxiumque propositum habeat: nihilominùs tamen characteribus vim verè Magicam attribuunt, (unde non injuriâ Cabbalam *Magia maledictæ essentiam* vocat Kirstenius in Gramm. Arab. pag. 76.) E. g. Quinque priorum versuum Genes. initiales literas בווו in exteriori & hispida membranæ superficie scriptas, & eorundem quinque finales צאורר alteri inscriptas, collo hominis appendunt, quod ipsum periculorum præstantissimum sit ἀμυντήριον, Reuchl. lib. 3. de arte Cabbal. non procul à fine: ubi vide plura ejus generis absurda. Hùc pertinet etiam Cabbala, de qua tractat Lutherus tom. 8. Jenens. p. 124. & seqq. in tractatu de Schemhamphorasch. Æquè ut allegorias, quæ Scripturis illatæ sunt, si sint *pia* & congruæ, recipimus, si *impia*, contortæ & incongruæ, repudiamus. 2. Distinguendum *inter* certam Scripturarum expositionem, & *inter* jucundam allusionem: vel quod idem, inter firmum Scripturæ locorum sensum, & suavem dictionum vel literarum quarundam lusum. Ad *posteriorem* classem expositiones Cabbalisticæ (quæ non sunt impiæ vel superstitiosæ) pertinent, non verò ad *priorem*: In vero quippe textuum Scripturæ eruendo sensu non ad literarum apices remittimur, pro lubitu mutandos, transponendos, numerandos (in quibus mera est incertitudo,) sed alia eaque certiora suppetunt adminicula, de quibus infrà, σὺν θεῷ, tractabitur fusiùs. Notetur hic cumprimis, quòd ista elementaria Scripturæ expositio genuerit monstrosas illas *Valentinianorum* & *Gnosticorum* Æonas, de quibus Epiphanius hæres. 21. Irenæus libro 1. cap. 13. Ἄξιοι δὲ πένθους (inquit hic) οἱ τηλικαύτην θεοσέβειαν, καὶ τὸ μέγεθος τῆς ἀληθείας ἀῤῥήτου δυνάμεως, καὶ τὰς τοσαύτας οἰκονομίας τοῦ θεοῦ, διὰ τοῦ ἄλφα καὶ τοῦ βῆτα, καὶ δι᾽ ἀριθμῶν οὕτως ψυχρῶς καὶ βεβιασμένως διασύροντες, ὅσοι δὲ ἀφίσταντες τῆς ἐκκλησίας, καὶ τούτοις τοῖς γραώδεσι μύθοις πείθονται, ἀληθῶς αὐτοκατάκριτοι, hoc est, Interprete Gallasio, *Digni verò sunt luctu, qui tantam pietatem & magnitudinem veritatis, cujus vis nullo sermone exprimi potest, tantas dispensationes DEI, per Alpha & Beta, ac per numeros tàm frigidè & violenter distorquent. Quotquot autem deficiunt ab Ecclesia, & credunt istis anilibus fabulis, verè suo ipsi judicio condemnati sunt.* De *Marco* quoddam & *Colarbaso* hæreticis, itidem commemorat Tertull. lib. de præscript. cap. 50. *quòd ex ordine literarum alphabeti lusu quodam Cabbalistico multa inepta & periculosa dogmata extruxerint, abusi ad hoc exemplo Christi, qui* Apocal. 1. vers. 8. *inquit: Ego sum α & ω &c.* 3. Distinguendum *inter* Cabbalæ ab aliis usurpatæ considerationem, & *inter* novam ejus & scrupulosam investigationem. Qui scripturas dicto modo exposuerunt, illorum effata considerari, & ad veritatis trutinam exigi possunt, seu ut monet Apostolus 1 Thess. 5. v. 21. *Omnia probanda, & quod bonum, tenendum est:* At verò ut ipsemet quis ausu novo & proprio in Scripturam irrumpere, & per Cabbalisticam rationem mysteria exinde eruere velit, nemini Christianorum suadendum, cùm hac ratione in fanaticas & hæreticas opiniones faciles sit prolapsus, id quod non nemo nostro etiam hoc seculo expertus est. Tempus certè multò meliùs & fructuosius collocatur, quod in sanæ Scripturæ sacræ, juxta ductum & sensum ipsius Spiritus sancti, meditatione collocatur. Tantum etiam de his.

a Magia Cabbalica.

## Articulus VIII.

### *De Allegoriis fabularum.*

SUperest quartum genus τῶν ἀλληγορούντων, qui non Scripturæ modò effata, sed *Poetarum* etiam *fabulas & profanas historias* allegoricè interpretantur, & fidei mysteriis explicandis aut confirmandis applicant: quos reprehendit Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana c. 17. & Salmeron tom. 1. proleg. 16. can. 21. Erasm. chil. 2. cent. 8. adag. 78. *Fuit hoc aliquando quorundam studium, ut non solùm Poetarum fabulas ad Christianam allegoriam traherent, verùm etiam ipsi novas fabulas comminiscerentur, quas allegoricè nobis exponerent, quasi veritas, nisi adhibito mendacio, disci non possit.* Ibidem addit exemplum ridiculum ex auctore Græci etymologici, in mala explicatione & allegorica accommodatione vocis γαςριμάργοι. Hoc in studio excelluit quidam [a] *Petrus Berthorius* Pictaviensis, ordinis D. Benedicti, qui peculiari libro *gesta Romanorum*, nec non *Legendas Patrum*, aliasque aniles fabulas, allegoricè ac mysticè exposuit. Videamus unum tantummodò, ut leo ex unguibus (uti dicitur) & cujus furfuris sit reliquum opus, cognosci possit. Ita autem is cap. 170. *Quidam lusor occurrit B. Bernhardo equitanti, dicens ei: Pater, volo tecum ludere, & animam meam volo ponere contra equum tuum. Hoc audiens S. Bernhardus, statim de equo descendens dixit: si plura puncta, quàm ego, projeceris, meus equus tuus erit; si ego plura projecero, anima tua mea erit. Lusor concessit. Statim taxillos tres arripiens octo puncta projecit. Quo facto frenum equi tanquam suum tenuit. Ait S. Bernhardus, Fili, adhuc restat in tribus taxillis plus, quam istud. Accipiens projecit decem & octo puncta, decem puncta plus, quàm lusor. Quo viso lusor sub obedientia Patris sui Bernhardi se dedit, & post vitam sanctam fine felici ad Dominum migravit.* Sequitur moralisatio. *Charissimi, lusor iste est homo mundanus, vanitatibus deditus & subjectus, S. Bernhardus est discretus Prælatus sive Confessor, qui habet cum tali tota prudentia ludere, ostendendo ei vitam, quæ est ludus & gaudium animæ. Equum suum debet ponere, id est, cor suum & animam laboribus exponere, ut educat errantem ad viam veritatis. Sic ait Apostolus: Sicut Christus animam suam pro nobis posuit; ita & nos debemus animas nostras pro fratribus nostris ponere. Omnes enim fratres sumus ab uno Patre Adam, quare meritò nos diligere debemus. Tres taxilli sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, qui habent multa puncta, i. e. infinita gaudia, quæ debent ostendi & peccatoribus recitari. Unde in Euangelio: In domo Patris mei mansiones multæ sunt: Imò tot sunt ibi gaudia, quot oculus non vidit, nec auris audivit, nec hominis cogitatio exprimere potest, quæ paravit DEUS diligentibus se &c.* Exempla alia adducit d. l. Salmeron. Hominis enim creationem de limo terræ, & spiraculum vitæ inspiratum, tradunt quidam repræsentatam in *Promethei fabula*, qui ex luto finxit hominem, & igni de cœlo furtim sublato animavit. Christum bis natum, ex Patre & Matre, ajunt delineatum in *Baccho*, quem fabulantur ex Semele matre, & Jove iterum genitum. Quòd ex Patre sit natus sine matre, probant ex fabulâ *Minervæ*, quam fingunt de cerebro Jovis natam. Quòd verò natus sit ex *Virgine*, confirmant fabulâ Danaes puellæ in turri inclusæ, ad quam Jupiter in aurum conversus, per impluvium domus descendit, & ex ea sustulit Perseum. Quidam Concionator Christi persecutionem & mortem in *Actæone*, qui à canibus propriis dilaceratus fuit, figuravit. Quòd verò Christus tertiâ die à mortuis excitatus revixerit, fabula *Lycophronis* tragici confirmat: nam refert, in navigatione è vellere aureo redeuntem Herculem naufragium passum, & in mare projectum, à pisce quodam devoratum, qui tertio pòst die eum vivum ad littus evomuit. Plura occurrunt in moralitatibus *Thomæ Gualensis* Angeli, super 15. libros Metamorphoseωn Ovidii, ex quibus præposterum illud, cœlum cum terra, sacra cum profanis commiscendi cacoethes, abundè conspicitur. Quibus omnibus opponimus unicum illud Petrinum 2. Epist. 1. vers. 16. *Non doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem & præsentiam &c.* vers. 19. *Habemus firmiorem Propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco &c.*

[b] Lubet hîc coronidis loco adscribere B. Lutheri verba, quæ extant in comm. Gen. c. 30. *In Turcia etiam* (inquit) *multi religiosi sunt, qui id unum student, ut Alcoranum Mahometi interpretentur allegoricè, quo in majore existimatione sint. Est enim allegoria tanquam formosa meretrix, quæ ita blanditur hominibus, ut non possit non amari, præsertim ab hominibus ociosis, qui sunt sine tentatione. Tales putant se in medio Paradisi & gremio DEI esse, si quando illis speculationibus indulgent. Ac primùm quidem à stolidis & ociosis Monachis ortæ sunt, & tandem ita latè serpserunt, ut quidam Metamorphosin Ovidii in allegorias verterint. Mariam fecerunt*

[a] Berthorii allegoriæ fabularum.

[b] Luther. Judicium.

*rant Laurum: Apollinem Christum: quæ quantumvis sint absurda, tamen cùm proponantur imperitis adolescentibus, sed amantibus & studiosis literarum, initiò valdè adlubescunt, ut totos se illis interpretationibus dedant. Ego itaque odi allegorias. Si quis tamen volet iis uti, videat, cum judicio eas tractet.* Hæc Lutherus, ubi per allegorias, quas *odisse se* dicit, non ἐγγράφυς, & eas, quæ in ipsis sacrosanctis extant explicanturque literis, sed ἀγράφυς, in Scripturam illatas, & contortas præsertim, alienas nimisque crebras, intelligere eum in aprico positum est.

## SECTIO IV.

## *De Typis.*

HActenus de allegorica Scripturarum interpretatione egimus; sequitur ea, quam *typicam* vocant. De typis autem in observationem veniunt: 1. *Definitio* tùm *nominis*, tùm *rei*. 2. *Divisio*. 3. *Canones*, de quibus ordine.

### Articulus I.

### *De typi definitione.*

IN *definitione nominis* occurrit.

I. *Etymologia & homonymia*. Τύπος, quo vocabulo Græco, hoc in negocio, potissimum utuntur, à τύπτω est, quod *verberandi, percutiendi, pulsandi, tundendi* significationem obtinet, à cujus formatur præterito medio. Usu autem varia significat. a (1.) *Generali* significatione τύπος dicitur *vestigium & nota*, quam impressit τὸ τύψαν. Sic Joh. 20. vers. 25. τύπος ἥλων *vestigium clavorum* dicitur, quod clavi τῇ τυπάδι seu malleo adacti fecerant. (2.) *In specie* denotat *exemplum* sive *exemplar*, quòd certis actionibus imitamur. Ita *typum esse* seu *fieri alterius*, est exemplo ipsi præire, quod imitatione suâ exprimere debet, Phil. 3. vers. 17. 1 Thess. 1. vers. 7. 2 Thess. 3. vers. 9. 1 Tim. 4. vers. 12. Tit. 2. vers. 7. 1 Pet. 5. vers. 3. Sic & Damasc. de Christo ait, τύπον ἡμῖν ἑαυτὸν ἄριστον καὶ ὑπογραμμὸν δίδυς, quod cum illo 1 Pet. 2. vers. 21. congruit. Hûc spectat illud Actor. 23. vers. 25. γράψας ἐπιστολὴν περιέχυσαν τὸν τύπον τῦτον, *Scribens Epistolam in hanc formam*, i. e. cujus hoc est exemplar. Ubi tamen & pro *summa Epistolæ* accipi potest. Et Rom. 6. vers. 17. ubi per τύπον διδαχῆς intelligitur *doctrina Euangelii*, in qua DEUS normam, formam & exemplar obedientiæ ac vitæ nobis præscribit, videl. *ut Euangelio credamus, eoque dignè vivamus.* Phil. 1. v. 27. (3) Alia significatione τύπος dicitur *descriptio minùs exacta*, & quæ fit rudiore Minerva. Unde τύπῳ καὶ τυπωδῶς illud scribi dicitur, quod vel crassiùs & non exacto opere, atque ut loquuntur, pingui Minerva; vel quod summatim, paucis, brevibusque scribitur. Arist. Eth. 1. c. 3. παχυλῶς καὶ τύπῳ τ' ἀληθὲς ἐνδείκνυσθαι l. 2. cap. 7. νῦν μὲν ὖν τύπῳ καὶ ἐπὶ κεφαλαίῳ λέγομεν, ἀρκύμενοι αὐτῷ τύτῳ. ὕστερον δὲ ἀκριβέστερον περὶ αὐτῶν διορισθήσεται (ubi opponuntur τύπῳ λέγειν, & ἀκριβῶς διορίζειν,) qui vocis usus apud alios etiam Scriptores frequens est. (4.) Est & significatio medica, qua τύπον dici ajunt *formam* atque *ordinem*, qui per accessiones remissionesque in morbi temporibus notatur atque observatur, quoque morbi genus discernitur. Unde Galenus peculiarem περὶ τῶν τύπων librum conscripsit. Aliam significationem forensem & politicam vide apud H. Stephan. in thesaur. Græcæ ling. tom. 3. col. 1691. (5.) Propriùs accedente ad scopum nostrum significatione τύπος notat *figuram, imaginem simulacrum, effigiem*, eamque vel *pictam*, vel *fictam*, vel *sculptam*, vel quavis alia imitatione *expressam*. Act. 7. v. 43. Isocr. in Euag. encom. ὅτι τοῖς μὲν τύποις ἀναγκαῖον παρὰ τύτοις εἶναι μόνον παρ' οἷς ἂν σαθῶσιν, ubi quos vocat τύπυς, paulò ante nominârat τῶν σωμάτων εἰκόνας. (6.) Theologi hoc in negocio per *Typos* nihil aliud intelligunt, quâm *rerum sive præsentium sive futurarum imagines & figuras*: & præsertim facta & historias V. T. quæ ad Christum Salvatorem in N. T. exhibendum respexerunt, eumque in actionibus, vita, passione, morte, & subsequente gloria præfigurârunt. Quo sensu appellationem hanc ἔγγραφον esse quidam existimant, hûcque referunt dicta Rom. 5. vers. 14. ubi *Adam primus homo* dicitur τύπος τῦ μέλλοντος *figura futuri* (*Adami* 1 Cor. 15. v. 45.) & 1 Cor. 10. vers. 6. ταῦτα τύποι ἡμῶν ἐγενήθησαν. & vers. 11. ταῦτα πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις. Sed *priori* in loco Rom. 5. vers. 14. typus non proprie videtur id denotare, quod hic intendimus, instituitur enim inter Adamum & Christum quædam tantùm comparatio, & quidem dissimilium magis, quàm similium. Cujus comparationis πρότασις est in v. 12. *Ut Adamus omnibus ex se natis cum peccato mortem communicat.* Ἀπόδοσις non expressè ponitur, sed verbis dictis tantùm insinuatur, q. d. *ita Christus omnibus*

a τύπος quid significet.

*omnibus per fidem sibi datis & insertis communicat vitam.* Τύπος igitur d. l. *similitudinem* in genere notat, & ad 5. significationem pertinet. In *posteriore* exemplo *τύπος exemplum, speculum*, sive *præmonitionem* significat, ut ipsa verba subnexa indicant, non verò propriè ita dictum typum, de quo h. l. agimus. Hûc etiam refertur ab aliquibus locus Heb. 8: 5. Actor. 7. v. 44. ubi τύπος accipitur de *exemplari & imagine ostensâ Mosi in Monte* Exod. 25. v. 40. (in Hebr. dicitur תַּבְנִית *exemplar, figura, forma,*) quasi ea voce innueretur, structuram illam tabernaculi Levitici fore typum & præfigurationem veritatis in Test. Nov. expectandæ. Greg. Nazianz. orat. 42. εἰς τὸ ἅγιον πάσχα. pag. 683. *Legem universam* (ait) *futurorum atque eorum, quæ animo & ratione intelliguntur, umbram fuisse, divinus Apostolus ante nos pronunciavit. Ac DEUS etiam, qui Mosi antè oracula edidit, cùm de his rebus leges illi præscriberet, Vide, inquit, ut omnia facias juxta exemplar* (μετὰ τὸν τύπον) *quod tibi in monte ostensum est, ea nimirum, quæ aspectu sentiuntur, quasi adumbrationem* (σκιαγραφίαν) *quandam & delineationem earum rerum, quæ oculorum sensum fugiunt, esse ostendens.* Hæc ille. Piscator per τύπον Hebr. 8. vers. 5. intelligit ipsum ἀρχέτυπον, sive *primarium illud exemplar* earum rerum cœlestium & spiritualium, quæ per tabernaculum & ceremonias illi annexas, atque in eo celebrari solitas, fuerunt tanquam ἀντίτυπα præfigurata: Eæ res sunt, ipsa mors Christi supra altare crucis, & ingressus ejus in sanctuarium cœli, quæ res Mosi fuerunt in Spiritu ostensæ. Sed satius est per τύπον d. l. intelligi *ipsam futuri ædificii dispositionem & formam*, (atque ita ad 5. significationem pertinet) quæ Mosi à DEO ostensa fuit, & quam vox Hebræa תַּבְנִית, à בָּנָה *ædificavit*, propriè significat: Licet is sensus literalis *allegoricè* ab Apostolo Hebr. 8. vers. 5. eò accommodetur, quòd Sacerdotes V. T. exemplari tantùm & umbræ cœlestium inservierint.

II. *Synonymia.* 1. Apud Hebræos voci τύπος à LXX. usurpatæ respondent vocabula תַּבְנִית Exod. 25: 40. & צֶלֶם Amos 5. vers. 26. quorum tamen locorum neuter hûc propriè pertinet. Posset autem hûc referri generalis illa appellatio מָשָׁל quæ *similitudinem* seu comparationem rei ad rem aliam; item parabolam, proverbium, sermonem figuratum & obscurum, axioma &c. significat. De typo autem (prout h. l. accipitur) usurpatur Ezech. 24. vers. 3. In Arabica lingua nomen שבה Schibh occurrit, quod *typum, similitudinem, parabolam* denotat, à שבה *similis fuit, assimilatus est* &c. 2. Ex Græca literatura hûc referendæ appellationes typorum, quæ à Scriptoribus *partim* Canonicis, *partim* Ecclesiasticis usurpantur. In N. T. libris ea, quæ in V. T. typum futurorum gesserunt, dicuntur (1.) *σκιὰ umbra*, Col. 2. vers. 17. σκιὰ τῶν μελλόντων. Hebr. 8. vers. 5. σκιᾷ τῶν ἐπουρανίων. cap. 10. vers. 1. σκιὰ τῶν μελλόντων ἀγαθῶν: quia Christus cum suis beneficiis & operibus, tempore carnis suæ præstitis, obscuriore quadam ratione, & umbratili quasi lineamentorum primorum descriptione, piis in V. T. propositus fuit. (2.) *ὑπόδειγμα, exemplar.* Hebr. 8. vers. 5. sacerdotes V. T. dicuntur λατρεύοντες ὑποδείγματι ἐπουρανίων, *iis rebus inserviisse* (sive in iis cultus divini partibus occupati fuisse) *quæ fuerunt typi & figuræ rerum in N. T. expectandarum.* Potest etiam dici, quod ellipsis sit præpos. ἐν, ut sit sensus, ministrâsse eos, & sacerdotium suum obiisse, ἐν προδείγματι *in exemplari & umbra cœlestium;* quia per ipsorum Sacerdotium cœleste ac spirituale Christi Sacerdotium fuit, ut in typis, præfiguratum. Hebr. 9. vers. 23. eadem appellatio habetur. (3.) *σημεῖον signum*, Matt. 12. vers. 39. Ibi enim Christus *Jonæ Prophetæ triduanam in ventre piscis mansionem*, quam ut typum sibi applicat, vocat σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου. Accommodat autem ibi Christus suum sermonem ad Pharisæorum & Scribarum verba, qui σημεῖον *signum ab ipso postulabant.* Aliàs *signum* & *typus* differunt, ut latius & angustius. Omnis typus signum est, sed non omne signum typus. *Signum* quodlibet cujuslibet esse potest, etiam dissimilis. *Typi* autem conditio est, ut cum re significata habeat similitudinem. (4.) *παραβολὴ, parabola*, Hebr. 9. vers. 9. quæ vox sæpiùs in Vet. Testam. libris Hebræo nomini מָשָׁל respondens, hoc loco pro typis Vet. Testam. & præfigurativis rebus atque actionibus accipitur. Veluti etiam Hebr. 11. vers. 19. accipi videtur: *Abraham recepit filium suum* (qui habebatur in oculis ejus tanquam mortuus) ἐν παραβολῇ *in parabola, similitudine*, hoc est, ut benè quidam explicant, in typo, seu ut typus Christi esset. *In scriptoribus Ecclesiasticis* eadem ferè appellationes occurrunt, nisi quod notandum, (1.) ipsos *allegoriam* cum *typo* sæpiùs confundere. Ita Augustin. tom. 1. oper. lib. de vera religione capite 56. *allegoriam* (sub quâ *typos* etiam haud dubiè comprehendit) dicit esse *quadruplicem, bistoriæ, facti, sermonis, & Sacramenti.* (2.) Gregorius Nazianz. pro appellatione *typi* usurpare vocem ἀντίτυπος, (de qua voce mox plura) ita enim habent ejus verba in orat. 42. quæ est εἰς τὸ ἅγιον

ἅγιον πάσχα. pag. 692. ὁ δὲ χαλκοῦς ὄφις κρεμᾶται μὲν μετὰ τῶν δακνόντων ὄφεων, οὐχ ὡς τύπος δὲ τοῦ ὑπὲρ ἡμῶν παθόντος, ἀλλ' ὡς ἀντίτυπος, h. e. *At verò serpens æneus adversus serpentum morsus suspenditur, non tamen ut Christi pro nobis passi typus, verùm ut antitypus.* 3. In sermone Latino vox *exemplaris*, *figura*, *præfigurationis*, usitata est, maximè tamen vox *Typus*, quam sua civitate Latini donârunt, & ea crebò utuntur. 4. Apud Germanos eminet præ aliis appellatio ein Vorbilde/ quâ Lutherus reddit vocabulum ὑπόδειγμα Hebr. 8: 5. παραβολή cap. 9: 9. Tantum de ὀνοματολογίᾳ typi.

a Cæterum ejus *correlativum* est ἀντίτυπος sive ἀντίτυπον, quod interdum quidem ut τοῦ τύπου synonymon usurpatur, Hebr. 9. vers. 24. unde Budæus locum ex Nazianzeno profert, ubi asserit, Ἀβραὰμ θύει θυσίαν ξένην καὶ τῆς μεγάλης ἀντίτυπον, eundemque figuras Vet. Test. ἀντιτύπους vocare, adducto exemplo paulò antè ostensum fuit. Hoc loco autem & usu Theologis trito nihil aliud est, quam *rès per typum repræsentata*, sive id, quod figuræ respiciunt & repræsentant: veluti usurpantur 1 Petr. 3. ubi cum historiam. V. Test. de *servatis in aqua diluvii octo hominibus* Gen. 6, 7. & 8. proposuisset Apostolus, subjungit vers. 21. ᾧ ἀντίτυπον νῦν καὶ ἡμᾶς σώζει βάπτισμα, quo innuit, isti conservationi in aquis diluvii tanquam *typo* conservationis spiritualis credentium, è regione, & *ut antitypum*, respondere *Baptismum* N. T. qui est medium salutis. Voci ἀντίτυπον συνωνύμως respondent voces ἀρχέτυπον & πρωτότυπον quarum utraque *exemplar primigenium*, cui imago quædam respondet, seu *exemplar, ex quo simile facimus*, à Budæo exponitur. Habet autem hoc ἀντίτυπον sive res præfigurata aliàs etiam in N. T. appellationes (1) Col. 2. vers. 17. dicitur σῶμα *corpus*, quod τῇ σκιᾷ sive *umbra* opponitur, & nihil aliud significat, quam ipsam rem & genuinam essentiam, cujus ἀποσκιασμοὶ & picturæ V. T. tempore præcessêre. Quò referri potest, quod c. eod. v. 9. dicitur, *quòd in Christo tota plenitudo divinitatis inhabitet* σωματικῶς *corporaliter*. V. T. tempore DEUS in templo Hierosolymitano & super arca fœderis in propitiatorio habitabat, sed tantummodo τυπικῶς: at postquam venit plenitudo temporis, *tota Plenitudo Deitatis* non τυπικῶς, sed σωματικῶς, *verè, modo eminentissimo, & personaliter* in Christi humana natura inhabitat. (2.) Hebr. 10. vers. 1. dicuntur μέλλοντα ἀγαθὰ, *futura bona*, per quæ non virtus meriti Christi, peccatorum remissio, & salus (quæ in V. T. fuêre præsentissima) neque cœlestia & æterna bona *alterius seculi*, ut Calvinus & Beza volunt, (instituitur enim collatio utriusque Test. iis in rebus, quæ in *hoc seculo* obtingunt) sed Λόγος in carne manifestatus, cum omnibus operibus ab ipso in carne expeditis, intelligitur. 3. Ibidem, dicitur εἰκὼν τῶν πραγμάτων *imago rerum*: Non autem εἰκὼν h. l. idem est cum figura & typo, aliàs τῇ σκιᾷ non opponeretur, siquidem umbra cum figura & typo unum idemque est: sed est *ipsa rei adumbratæ substantia*, inde Luth. vertit, das Wesen der Güter selbst. Et est metaphora desumta à pictoribus, qui primò σκιαγραφίαν, adumbrationem & rudem imaginis futuræ delineationem carbone facere solent (cui respondent σκιαὶ & umbræ V. T. de quibus h. l. Apostolus) posteà verò veris & vivis coloribus sapienter superinductis pulchram imaginem efformant, cui respondent veritas, & typorum complementum in N. T. quod εἰκόνα ea propter Apostolus vocare voluit. (4) Hebr. 9. vers. 13. dicuntur τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, vel ut mox explicatio subjungitur, τὰ ἐπουράνια, *cœlestia, res cœlestes*, per quas iterum cœleste Christi Sacerdotium, & alia typis V. T. præfigurata, intelliguntur. (5.) Ibid. v. 24. dicuntur τὰ ἀληθινὰ *vera*, quo ipso innuitur, imagines & præfigurationes sive adumbrationes eorum bonorum tantùm in Vet. Testam. præcessisse. Hûc pertinet illud Joh. 1. vers. 17. *Gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* Quo in loco *gratia* legis maledictioni, *veritas* autem legis ceremoniis, umbris & typicis præfigurationibus, opponitur. Hæc de definitione nominis: *definitio rei* suprà tradita est sect. 2. ubi de sensu mystico in genere dictum. Rectà igitur ad divisionem progredimur.

a Ἀντίτυπος.

## Articulus II.

### *De typorum divisione.*

JUnilius lib. 2. de mater. script. c. 25. typum in genere ita describit, *quòd sit præsentium aut præteritarum aut futurarum rerum ignotarum, per opera, secundùm id, quod opera sunt, manifestatio.* Illum autem ita dividit, quòd *aut grata gratis, aut mœsta mœstis, aut grata mœstis, aut mœsta gratis* significentur, quæ omnia exemplis declarat. Hæc divisio aliquantò remotior. Aretius part. 1. prob. q. 96. & alii dividunt in *typum historiæ, facti & Sacramenti. Typum historiæ* vocant, qui simpli-

b Aretii divisio expenditur.

*omnibus per fidem sibi datis & insertis communicat vitam.* Τύπος igitur d. l. *similitudinem* in genere notat, & ad 5. significationem pertinet. In *posteriore* exemplo *τύπος exemplum*, *speculum*, sive *præmonitionem* significat, ut ipsa verba subnexa indicant, non verò propriè ita dictum typum, de quo h. l. agimus. Hûc etiam refertur ab aliquibus locus Heb. 8: 5. Actor. 7. v. 44. ubi *τύπος* accipitur de *exemplari & imagine ostensâ Mosi in Monte* Exod. 25. v. 40. (in Hebr. dicitur תַּבְנִית *exemplar*, *figura*, *forma*,) quasi ea voce innueretur, structuram illam tabernaculi Levitici fore typum & præfigurationem veritatis in Test. Nov. expectandæ. Greg. Nazianz. orat. 42. εἰς τὸ ἅγιον πάσχα. pag. 683. *Legem universam* (ait) *futurorum atque eorum, quæ animo & ratione intelliguntur, umbram fuisse, divinus Apostolus ante nos pronunciavit. Ac DEUS etiam, qui Mosi antè oracula edidit, cùm de his rebus leges illi præscriberet, Vide, inquit, ut omnia facias juxta exemplar* (μετὰ τὸν τύπον) *quod tibi in monte ostensum est, ea nimirum, quæ aspectu sentiuntur, quasi adumbrationem* (σκιαγραφίαν) *quandam & delineationem earum rerum, quæ oculorum sensum fugiunt, esse ostendens.* Hæc ille. Piscator per *τύπον* Hebr. 8. vers. 5. intelligit ipsum ἀρχέτυπον, sive *primarium illud exemplar* earum rerum cœlestium & spiritualium, quæ per tabernaculum & ceremonias illi annexas, atque in eo celebrari solitas, fuerunt tanquam ἀντίτυπα præfigurata: Eæ res sunt, ipsa mors Christi supra altare crucis, & ingressus ejus in sanctuarium cœli, quæ res Mosi fuerunt in Spiritu ostensæ. Sed satius est per *τύπον* d. l. intelligi *ipsam futuri ædificii dispositionem & formam*, (atque ita ad 5. significationem pertinet) quæ Mosi à DEO ostensa fuit, & quam vox Hebræa תַּבְנִית, à בָּנָה *ædificavit*, propriè significat: Licet is sensus literalis *allegoricè* ab Apostolo Hebr. 8. vers. 5. eò accommodetur, quòd Sacerdotes V. T. exemplari tantùm & umbræ cœlestium inservierint.

II. *Synonymia.* 1. Apud Hebræos voci *τύπος* à LXX. usurpatæ respondent vocabula תַּבְנִית Exod. 25: 40. & צֶלֶם Amos 5. vers. 26. quorum tamen locorum neuter hûc propriè pertinet. Posset autem hûc referri generalis illa appellatio מָשָׁל quæ *similitudinem* seu comparationem rei ad rem aliam; item parabolam, proverbium, sermonem figuratum & obscurum, axioma &c. significat. De typo autem (prout h. l. accipitur) usurpatur Ezech. 24. vers. 3. In Arabica lingua nomen שבה Schibh occurrit, quod *typum*, *similitudinem*, *parabolam* denotat, à שבה *similis fuit*, *assimilatus est* &c. 2. Ex Græca literatura hûc referendæ appellationes typorum, quæ à Scriptoribus *partim* Canonicis, *partim* Ecclesiasticis usurpantur. In N. T. libris ea, quæ in V. T. typum futurorum gesserunt, dicuntur (1.) σκιὰ *umbra*, Col. 2. vers. 17. σκιὰ τῶν μελλόντων. Hebr. 8. vers. 5. σκιὰ τῶν ἐπουρανίων. cap. 10. vers. 1. σκιὰ τῶν μελλόντων ἀγαθῶν: quia Christus cum suis beneficiis & operibus, tempore carnis suæ præstitis, obscuriore quadam ratione, & umbratili quasi lineamentorum primorum descriptione, piis in V. T. propositus fuit. (2.) ὑπόδειγμα, *exemplar*. Hebr. 8. vers. 5. sacerdotes V. T. dicuntur λατρεύοντες ὑποδείγματι ἐπουρανίων, *iis rebus inserviisse* (sive in iis cultus divini partibus occupati fuisse) *quæ fuerunt typi & figuræ rerum in N. T. expectandarum.* Potest etiam dici, quod ellipsis sit præpos. ἐν, ut sit sensus, ministrâsse eos, & sacerdotium suum obiisse, ἐν πρ(ο)δείγματι *in exemplari & umbra cœlestium*; quia per ipsorum Sacerdotium cœleste ac spirituale Christi Sacerdotium fuit, ut in typis, præfiguratum. Hebr. 9. vers. 23. eadem appellatio habetur. (3.) σημεῖον *signum*, Matt. 12. vers. 39. Ibi enim Christus *Jonæ Prophetæ triduanam in ventre piscis mansionem*, quam ut typum sibi applicat, vocat σημεῖον Ἰωνᾶ τοῦ προφήτου. Accommodat autem ibi Christus suum sermonem ad Pharisæorum & Scribarum verba, qui σημεῖον *signum ab ipso postulabant.* Aliàs *signum* & *typus* differunt, ut latius & angustius. Omnis typus signum est, sed non omne signum typus. *Signum* quodlibet cujuslibet esse potest, etiam dissimilis. *Typi* autem conditio est, ut cum re significata habeat similitudinem. (4.) παραβολή, *parabola*, Hebr. 9. vers. 9. quæ vox sæpiùs in Vet. Testam. libris Hebræo nomini מָשָׁל respondens, hoc loco pro typis Vet. Testam. & præfigurativis rebus atque actionibus accipitur. Veluti etiam Hebr. 11. vers. 19. accipi videtur: *Abraham recepit filium suum* (qui habebatur in oculis ejus tanquam mortuus) ἐν παραβολῇ *in parabola*, *similitudine*, hoc est, ut benè quidam explicant, in typo, seu ut typus Christi esset. *In scriptoribus Ecclesiasticis* eadem ferè appellationes occurrunt, nisi quod notandum, (1.) ipsos *allegoriam* cum *typo* sæpiùs confundere. Ita Augustin. tom. 1. oper. lib. de vera religione capite 56. *allegoriam* (sub quâ *typos* etiam haud dubiè comprehendit) dicit esse *quadruplicem*, *historiæ*, *facti*, *sermonis*, & *Sacramenti*. (2.) Gregorius Nazianz. pro appellatione *typi* usurpare vocem ἀντίτυπος, (de qua voce mox plura) ita enim habent ejus verba in orat. 42. quæ est εἰς τὸ

ἅγιον

ἅγιον πάσχα. pag. 692. ὁ δὲ χαλκοῦς ὄφις κρεμᾶται μὲν μετὰ τῶν δακνόντων ὄφεων, οὐχ ὡς τύπος δὲ τοῦ ὑπὲρ ἡμῶν παθόντος, ἀλλ' ὡς ἀντίτυπος, h. e. *At verò ſerpens æneus adverſus ſerpentum morſus ſuſpenditur, non tamen ut Chriſti pro nobis paſſi typus, verùm ut antitypus*. 3. In ſermone Latino vox *exemplaris*, *figuræ*, *præfigurationis*, uſitata eſt, maximè tamen vox *Typus*, quam ſua civitate Latini donârunt, & ea crebò utuntur. 4. Apud Germanos eminet præ aliis appellatio **ein Vorbilde/** quâ Lutherus reddit vocabulum ὑπόδειγμα Hebr. 8: 5. παραβολή cap. 9: 9. Tantum de ὀνοματολογίᾳ typi.

a Cæterum ejus *correlativum* eſt ἀντίτυπος ſive ἀντίτυπον, quod interdum quidem ut τοῦ τύπου ſynonymon uſurpatur, Hebr. 9. verſ. 24. unde Budæus locum ex Nazianzeno profert, ubi aſſerit, Ἀβραὰμ θύει θυσίαν ξένην καὶ τῆς μεγάλης ἀντίτυπον, eundemque figuras Vet. Teſt. ἀντιτύπους vocare, adducto exemplo paulò antè oſtenſum fuit. Hoc loco autem & uſu Theologis trito nihil aliud eſt, quam *rès per typum repræſentata*, ſive id, quod figuræ reſpiciunt & repræſentant: veluti uſurpantur 1 Petr. 3. ubi cum hiſtoriam. V. Teſt. de *ſervatis in aqua diluvii octo hominibus* Gen. 6, 7. & 8. propoſuiſſet Apoſtolus, ſubjungit verſ. 21. ᾧ ἀντίτυπον νῦν καὶ ἡμᾶς σώζει βάπτισμα, quo innuit, iſti conſervationi in aquis diluvii tanquam *typo* conſervationis ſpiritualis credentium, è regione, & *ut antitypum*, reſpondere *Baptiſmum* N. T. qui eſt medium ſalutis. Voci ἀντίτυπον συνωνύμως reſpondent voces ἀρχέτυπον & πρωτότυπον quarum utraque *exemplar primigenium*, cui imago quædam reſpondet, ſeu *exemplar, ex quo ſimile facimus*, à Budæo exponitur. Habet autem hoc ἀντίτυπον ſive res præfigurata aliâs etiam in N. T. appellationes (1) Col. 2. verſ. 17. dicitur σῶμα *corpus*, quod τῇ σκιᾷ ſive *umbra* opponitur, & nihil aliud ſignificat, quam ipſam rem & genuinam eſſentiam, cujus ἀποσκιασμοὶ & picturæ V. T. tempore præceſsêre. Quò referri poteſt, quod c. eod. v. 9. dicitur, *quòd in Chriſto tota plenitudo divinitatis inhabitet σωματικῶς corporaliter*. V. T. tempore DEUS in templo Hieroſolymitano & ſuper arca fœderis in propitiatorio habitabat, ſed tantummodo τυπικῶς: at poſtquam venit plenitudo temporis, *tota Plenitudo Deitatis* non τυπικῶς, ſed σωματικῶς, *verè, modo eminentiſſimo, & perſonaliter* in Chriſti humana natura inhabitat. (2.) Hebr. 10. verſ. 1. dicuntur μέλλοντα ἀγαθὰ, *futura bona*, per quæ non virtus meriti Chriſti, peccatorum remiſſio, & ſalus (quæ in V. T. fuêre præſentiſſima) neque cœleſtia & æterna bona *alterius ſeculi*, ut Calvinus & Beza volunt, (inſtituitur enim collatio utriuſque Teſt. iis in rebus, quæ in *hoc ſeculo* obtingunt) ſed Λόγος in carne manifeſtatus, cum omnibus operibus ab ipſo in carne expeditis, intelligitur. 3. Ibidem, dicitur εἰκὼν τῶν πραγμάτων *imago rerum*: Non autem εἰκὼν h. l. idem eſt cum figura & typo, aliàs τῇ σκιᾷ non opponeretur, ſiquidem umbra cum figura & typo unum idemque eſt: ſed eſt *ipſa rei adumbrata ſubſtantia*, inde Luth. vertit, **das Weſen der Güter ſelbſt**. Et eſt metaphora deſumta à pictoribus, qui primò σκιαγραφίαν, adumbrationem & rudem imaginis futuræ delineationem carbone facere ſolent (cui reſpondent σκιαὶ & umbræ V. T. de quibus h. l. Apoſtolus) poſteà verò veris & vivis coloribus ſapienter ſuperinductis pulchram imaginem efformant, cui reſpondent veritas, & typorum complementum in N. T. quod εἰκόνα ea propter Apoſtolus vocare voluit. (4) Hebr. 9. verſ. 13. dicuntur τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, vel ut mox explicatio ſubjungitur, τὰ ἐπουράνια, *cæleſtia, res cæleſtes*, per quas iterum cœleſte Chriſti Sacerdotium, & alia typis V. T. præfigurata, intelliguntur. (5.) Ibid. v. 24. dicuntur τὰ ἀληθινὰ *vera*, quo ipſo innuitur, imagines & præfigurationes ſive adumbrationes eorum bonorum tantùm in Vet. Teſtam. præceſſiſſe. Hûc pertinet illud Joh. 1. verſ. 17. *Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*. Quo in loco *gratia* legis maledictioni, *veritas* autem legis ceremoniis, umbris & typicis præfigurationibus, opponitur. Hæc de definitione nominis: *definitio rei* ſuprà tradita eſt ſect. 2. ubi de ſenſu myſtico in genere dictum. Rectà igitur ad diviſionem progredimur.

*a Antitypos.*

## Articulus II.

### *De typorum diviſione.*

JUnilius lib. 2. de mater. ſcript. c. 25. typum in genere ita deſcribit, *quòd ſit præſentium aut præteritarum aut futurarum rerum ignotarum, per opera, ſecundùm id, quod opera ſunt, manifeſtatio*. Illum autem ita dividit, quòd *aut grata gratis, aut mœſta mœſtis, aut grata mœſtis, aut mœſta gratis* ſignificentur, quæ omnia exemplis declarat. Hæc diviſio aliquantò remotior. Aretius part. 1. prob. q. 96. & alii dividunt in *typum hiſtoriæ, facti & Sacramenti*, *Typum hiſtoriæ* vocant, qui ſimpli-

*b Aretii diviſio expenditur.*

simpliciter ex re ista desumitur, ut *triduana mansio Jonæ in utero ceti est* typus Christi, per triduum in sepulcro jacentis; *Erectio serpentis ænei* est typus crucifixionis Domini (hic est typus *rei futuræ.*) Jac. 5. vers. 17. *Elias homo erat similis nobis, passibilis, & oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres & menses sex &c.* (Hic est typus *rei præsentis* sive continuæ, figura enim exemplum Eliæ constituitur certæ precum à fide profectarum exauditionis, quæ semper durante piorum Ecclesia durat.) *Catechumenorum humilitas* (verba sunt Junilii d. l.) typum gerit Adæ paradiso exclusi, & ex conscientia delictorum divinum metuentis aspectum, propter quod & per publicum capitibus tectis incedunt (hic est typus seu figura *rei præteritæ.*) *Typum facti* appellant, cùm factum unius est typus facti ab alio gesti vel gerendi. Ita *factum Simsonis ducentis alienigenam, & morte sua opprimentis hostes*, typus est Christi, qui simili facto (sed spiritualiter) gentium Ecclesiam adsumsit, & moriendo hostes suos oppressit. *Typum Sacramenti* vocant, quando sub sensibilibus res occultæ, mysticæ, & futuræ, tanquam sub typis & figuris, proponuntur. Sic *circumcisio manu facta* est typus circumcisionis internæ, quæ fit Spiritu. *Baptismus* est typus submersionis Adami veteris, & figura emersionis novi hominis, (hæ sunt figuræ *præsentium*, & sibi invicem immediatè conjunctorum.) *Agnus Paschalis* est typus Christi agni illius immaculati (hic est typus *rei futuræ.*) *Conjunctio viri & mulieris* est typus spiritualis conjunctionis Christi & Ecclesiæ, (iterum figura *rei præsentis* & continuò durantis: Conjugia enim piorum in Vet. Testam. spiritualem ipsorum per fidem cum Messia conjunctionem, quæ in præsenti aderat, perinde ut reliqua Christi beneficia, designabant.) Et ad hunc Sacramenti typum referunt *Prophetarum & Apostolorum visiones*, in quibus sub sensibilibus & viventibus, tanquam sub typis, res futuræ & occultæ præfigurantur. In hac divisione & exemplis productis 1. confunduntur allegoriæ cum typis. In *circumcisione* enim, quatenus figura est circumcisionis interioris, spiritualis & metaphoricè ita dictæ; in *Baptismo* seu ablutione externa aquæ in verbo, quatenus est figura interioris renovationis; in *conjunctione viri & mulieris*, quatenus est figura Christi, piis & toti Ecclesiæ indivulso nexu conjunctissimi, non propriè dicti typi, sed allegoriæ sunt. 2. Confunduntur etiam typi cum tropologia, sive accommodatione dictorum vel exemplorum Scripturæ, ad vitam & mores Christianorum informandos. Quod enim Jacob. 5. vers. 17. *exemplum Eliæ precantis, & à DEO exauditi* adducitur, non ut typus & præfiguratio rei in Nov. Test. gerendæ, sed ut *exemplum* adducitur, ex quo utilis & universalis illa doctrina elici potest, quæ vers. 16. proponitur: *Multùm valet oratio justi intenta.* Æquè ut vers. 10. 11. *S. Hiob cum Prophetis ut exemplum patientiæ* proponitur, unde vers. 10. dicuntur *ὑπόδειγμα exemplum.* Sic quando Luc. 13. vers. 2. (quo exemplo aliqui etiam utuntur) Christus inquit: *Putatis, quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint?* vers. 3. *Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam egeritis, similiter peribitis omnes.* Hic, inquam, non typus, sed utile exemplum profertur, ex quo colligenda hæc doctrina auditoribus à Christo proponitur, quod similia delicta similia etiam maneant supplicia: Æquè ut Paulus 1 Cor. 10. vers. 5. seqq. *vitia & supplicia veterum* consideranda offert, ex quibus de paritate pœnarum, similia peccata manentium, fieri vult judicium. 3. Confunduntur typi ἔγγραφοι cum ἀγράφοις, qualis est *Catechumenorum humilitas*, & disciplina publica, quæ non legis divinæ, sed Ecclesiasticæ est. 4. Distinguitur typus historiæ à typo facti, qui tamen unum & idem videntur esse. Eo ipso enim, quando factum Simsonis typus Christi statuitur, etiam ejusdem historia typus Christi est. Hæc de Aretii distinctione. [l] Alii ex Calvinianis (hanc de typis doctrinam in Eucharisticas controversias perperam immiscentes) ex circumstantia temporis talem proferunt distinctionem: Quod res, *quæ typo significatur*, sit vel *præsens*, vel *futura*, vel *præterita*; seu, quod idem est, quòd *typus* sit *vel* rerum præsentium *vel* futurarum *vel* præteritarum. Ad *typum præsentium* (quæ tamen dicunt *debere à sensibus corporis abesse*) referunt sacræ cœnæ mysterium. Quia enim Christum in sua humanitate præsentem sensibus nostris non habeamus, ideò *typum panis* (ajunt) *substituisse, ut per hunc ejus recordaremur, sicut ipse dicit: Hoc facite in mei commemorationem.* Ad *typos futurorum* Vet. Testam. umbras referunt, de quibus Hebr. 10. vers. 1. cap. 8. vers. 5. Coloss. 2. vers. 17. *Typis præteritorum* accensent *Irida*, qua antegressi diluvii: *Agnum Paschalem*, qui eductionis Israelitarum ex Ægypto, signum & memoriale fuit. Verum ὕπουλον hoc est Calvinisticum, cùm enim πολυτροπίαν suam in verbis Cœnæ substantialibus locum invenire non posse, evidentia lucis verborum Christi convicti sint: alio suum errorem incrustare modo annituntur, & ad typorum confugiunt latibulum. Cœterùm, non

[l] Gregorii Franci Calviniani Viadrini distinctio.

non typum & figuram sui corporis ac sanguinis, longè à SS. Cœna absentis: sed *Sacramentalem* veri sui corporis cum pane manducationem, veri sui sanguinis cum vino bibitionem CHRISTUS instituit, uti λευκοῖς ἐλέγχοις comprobatum alibi datur. De reliquis ex superioribus facilè judicari potest. Missis proinde distinctionibus istis, commodiorem statuimus illam, quâ typus duplex esse asseritur: *Prophetiæ & historiæ*, seu *Propheticus & historicus*.

## Articulus III.

### *De typo Prophetiæ & de actionibus typicis ac symbolicis.*

TYpus Prophetiæ seu Propheticus est, quo Prophetæ divinitùs inspirati, sum in concionibus, partim *commonitoriis*, partim *vaticinatoriis*, crebò utuntur, quando videlicet symbolis externis res occultas, sive præsentes sive futuras, per Spiritum sanctum figurant & significant. Consistit autem in Propheticis ac typicis 1. *actionibus*, 2. *visionibus*. Iren. lib. 4. cap. 37. *Non solùm sermone prophetabant Prophetæ, sed & visione, & conversatione, & actibus, quos faciebant, secundùm id, quod suggerebat Spiritus.* a Actiones prophetiarum typicæ sunt, quando iis, quæ exteriùs divino mandato Prophetæ peragebant, (etsi plerasque visione Propheticâ interiùs fuisse factas, R. Kimchi in Comment. Esai. 8. vers. 1. & cap. 20. vers. 2. Hieronymus præfat. in Hoseam, & alii asserant,) mysticum aliquod & occultum adumbratur. E. G. ESAIAS cap. 20. vers. 2. *nudus*, id est, veste sua Prophetica exutus *incedit*, ad adumbrandam cladem Ægyptiorum & Æthiopum. JEREMIAS cap. 13. vers. 1. seqq. *cingulum lineum sibi divino mandato comparat, comparatum lumbis imponit, ad Euphratem posteà in petra abscondit, & putrefactum iterum producit:* quo typo DEUS sua in populum beneficia, illius ingratum animum & maleficia, eventuramque illi perditionem præfiguravit, ut ex contextu apparet. Cap. 16. vers. 2, 5. *à matrimonio, liberorum procreatione, luctu, conviviisque abstinere jubetur*, ut calamitates gravissimas populo DEI ob peccata eventuras hoc typo denunciet. Cap. 18. vers. 2. *in domum figuli abit, ipsiusque in reparando corrupto vase operam conspicit*, hoc typo DEI in populum suum jus & facultatem exponens, vers. 6. & vers. 11. ad resipiscentiam cohortans. Cap. 19. vers. 1, 2, 10. *lagenam testaceam comparat, eamque in valle Ben Hinnom confringit*, in typum & figuram Judaicæ cladis & eversionis. Cap. 27. vers. 2. seqq. *comparat vincula & lora, quorum unum collo indit, reliqua ad Reges gentium finitimarum mittit*, ad significandum, venturum Nebucadnezaris super Regem Judæ, cæterasque gentes, dominatum. Cap. 51. vers. 63. *libellum à se conscriptum Seraiæ mandat lapidi alligari, & in Euphratem projici*, ad adumbrandam Babylonici Regni submersionem & interitum. EZECHIEL cap. 2. vers. 8. seqq. *volumen libri sibi porrectum comedit*, ad contestandum, donum prophetiæ divinitùs sibi infusum esse, quo deinceps contra populum rebellem uti strenuè debeat. Cap. 4. vers. 2. seqq. *tabulæ insculpsit figuram obsidionis arctissimæ, in ambitu Hierosolymorum*, ut veram urbis obsidionem adumbret. Ibidem &c. seqq. plures ejusmodi occurrunt actiones propheticæ. Cap. 12. vers. 3. *supellectilia sua convasat, & fugam vesperi parat*, ad Judæorum designandam subitam deportationem. Cap. 24. vers. 3. seqq. *ollam cum carnibus igni adponit*, quo typo regnum Judæ impietatis summæ & inhumanitatis accusans, ostendit, DEUM consumturum ipsos & ipsorum sedes funditùs &c. Ibid. vers. 16. *uxorem mortuam deflere consueto more prohibetur*, ad designandum excidium regni Judaici generale & gravissimum. Cap. 37. vers. 13. *Duo ligna, quorum uni nomen Judæ, alteri Israelis inscripsit; conjungit, & manu adunat*, ad præfigurandam unitatem futuram per Christum, ut exponitur vers. 22. Hoseas cap. 1. vers. 2. seqq. uxori legitimæ *uxoris fornicationum*; liberis legitimè procreatis *natorum fornicationum*, divino jussu, imposuit nomina, ut idololatriam spiritualem populi Israelitici hoc typo designaret & taxaret. Similis actio symbolica occurrit cap. 3. Hùc pertinet actio Prophetæ typica, quæ 1 Reg. 20. vers. 35. seqq. describitur. Itemque addenda his actio Christi Matth. 21. vers. 19. *ficui fructibus carenti maledicentis, quæ etiam statim exaruit.* Neque enim maledictio ista ex intempestiva quadam bilis effervescentia, vel vindictæ cupiditate profecta fuit, sed voluit Christus typicè monstrare, (1.) *populi Israelitici futurum exitium*, utpote qui nullis, ne quidem ex puerorum ore profectis admonitionibus se patiatur emendari; confer parabolam Luc. 13. vers. 6, 7. (2.) *Fidei virtutem*, quam anagogen Christus ipse exponit vers. 21. Pertinet etiam hùc

a Actiones Propheticæ.

*Agabi* Prophetæ in Nov. Testam. actio, cùm *cingulum Pauli accipiens*, *suos ipsius pedes & manus ligavit*, ad innuendam Pauli captivitatem Hierosolymitanam, Actor. 21. vers. 10. seqq.

## Articulus IV.

*De visionibus Propheticis ac typicis.*

a Somnia divina.

a HActenus Propheticæ actiones: ad *visiones* progrediendum, quæ ita distribui possunt, quod oblatæ fuerint vel *dormientibus* vel *vigilantibus*. Dormientibus quæ oblatæ, sunt divinitùs immissa *somnia*. Ea verò in duplici sunt differentia: *Quædam* sunt nuda ὁράματα, seu visa, quæ citra figuras & involucra typorum repræsentant res arcanas & futuros eventus: quale fuit *somnium Josephi* Matth. 1. vers. 20. cap. 2. vers. 13. *Magorum* Matth. 2. vers. 12. Et hæc h. l. non attenduntur. *Quædam* verò sunt ὄνειρα συμβολικὰ sive somnia talia, quæ figuris & typis sunt tecta & involuta. Immissa autem talia leguntur *partim* fidelibus, *partim* infidelibus.

Ad *priorem* classem pertinent

1. Somnium *Jacobi* Patriarchæ Gen. 28. v. 12. *Eoque somniante, ecce scala constituta in terra, cujus summitas pertingebat ad cœlum, & ecce Angeli Dei ascendebant descendebantque per eam.* vers. 13. *Ecce autem Jehova stans supra eam dicebat: Ego sum Jehova &c.* b Hanc visionem quidam Interpretum ratione antitypi ad ipsum Jacobum Patriarcham referunt, ita ut *scala* designaverit Jacobi iter; *Angeli ascendentes* abeuntis custodes, sicut *descendentes* redeuntis: Deum autem summitatem scalæ obtinere ajunt, quia rem totam moderatur, cujus providentia Jacob à parentibus abstrahitur, in itinere ducitur, apud socerum conservatur, atque reducitur. Hanc interpretationem afferre dicunt ipsum Deum vers. 15. Sed certior Interpres est ipse Christus Joh. 1. vers. 51. qui se visionis istius Jacobææ antitypum constituit: *Amen, Amen dico vobis, posthac videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes ac descendentes super Filium hominis*, h. e. indies magis magisque intelligetis, me esse illum ipsum, qui præfiguratus est in visione scalæ Jacobææ. Continetur autem in illa visione, 1. *duarum naturarum in Messia personalis unio*, quæ per scalam super terra stantem, & cacumine suo cœlum tangentem, præfiguratur. 2. *Incarnationis τοῦ λόγου fructus*, qui exprimitur, *Tùm per scalæ in cœlum usque pertingentiam.* Per Christum enim ascensus nobis in cœlum patet Joh. 3. vers. 14, 15, 16. & quidem unicè per Christum, Act. 4. vers. 12. sicut unicam scalam Patriarcha vidit: *Tum per Angelorum ascensum ac descensum*, quòd illi non ampliùs humano generi futuri sint infensi, sed potiùs amicissimi, (confer Luc. 2. vers. 9, 13.) quòd descendant ad *credentium auxilium & ministerium* Hebr. 1. vers. 14. & ascendant rursus, *deportantes animas eorum in sinum Abrahæ* Lucæ 16. vers. 22. *Tùm per adnexam à Deo benedictionem*, vers. 14. *Et benedicentur in te omnes familiæ terræ*, id est, in semine tuo. Hæc est benedictio per Christum nobis contingens, Eph. 1. vers. 3. Galat. 3. vers. 8, 9. 3. *Finis principalis*, propter quem Abrahæ & Jacobi posteris terra Canaan in possessionem sit tradenda, videlicet ut esset certa sedes illius populi, ex quo Messias expectandus.

b De scala Jacobæa.

2. Somnium *Josephi* Patriarchæ duplex, Gen. 37. vers. 5. seq. cujus explicationem ipsi Josephi fratres vers. 8. & pater vers. 10. tradiderunt, & eventus satis comprobavit, cap. 41. & seqq.

3. Somnium *Danielis*, *de quatuor bestiis ex mari ascendentibus* Dan. 7. vers. 2. seqq. quæ fuerunt typi quatuor mundi monarchiarum, Babylonicæ scil. Persicæ, Græcæ & Romanæ. Contendunt quidem Francisc. Junius, Polanus, Piscator, & alii, per *quartam bestiam* Dan. 7. vers. 7. *non Romanam monarchiam, sed Alexandri Magni successores, Seleucidarum scil. ac Lagidarum regnum: & per corniculum parvum inter decem reliqua exortum*, vers. 8. *Antiochum Epiphanem (propter crudelitatem Epimanem appellatum) intelligendos esse:* sed argumenta ex textu & collatione Apoc. 13. vers. 1. c. 17: 9. depromi queunt validissima, quibus sententia illa falsitatis coarguitur. Vide Dn. D. Gerh. tom. 6. de Magist. polit. §. 136. seq. Dn. D. Helvic. in synops. de 4. summis Imp. in princ.

Ad *posteriorem* classem pertinent somnia,

1. *Pharaonis* Regis Ægypti, Gen. 41. de *quatuordecim vaccis, totidemque aristis*, quibus futurus Ægypti & regionum finitimarum status, quoad fertilitatem & annonæ difficultatem præfigurabatur, explicante Josepho, c. 41, 25. seqq. & comprobante eventu. v. 47. 54. &c.

2. *Nebucadnezaris* duplex: Primum descriptum extat. Dan. 2. vers. 29. seqq. de *imagine humana magna, ampla, splendida & terribili*,

*bili, cujus caput aureum, pectus & brachia argentea, venter & latus aenea, crura ferrea, pedes partim ferrei, partim lutei: deque exciso lapide, qui imaginem contrivit & comminuit, posteaque mons ingens effectus fuit.* Quâ typicâ & symbolicâ imagine iterum quatuor orbis terrarum regna universalia, sive monarchiæ adumbrantur, explicante Propheta Daniele v. 37. seqq. *Lapide autem exciso* typicè regnum Messiæ spirituale indicatur, quod durantibus quatuor illis Monarchiis erigi cœpit, tandem verò in novissimo die omne, quod de regnis istis superest, conteret & consumet, vers. 44. Abeunt & hic in diversum *Franc. Junius*, & qui ipsum sequuntur, dum per *Regnum quartum vers.* 40. *successorum Alexandri dominationem* intelligunt: sed quibus ipsis occurrendum sit rationibus, hujus loci non est, fusiùs enumerare. Videatur Helv. d. l. Alterum somnium memoratur Daniel. 4. vers. 8. seqq. *de arbore forti, pulcrâ, amplâ & procerâ, quam (ad radicem usque, illæsam mansuram) exscindi vox cœlitùs missa jubet.* Quo somnio ipsum Nebucadnezarem, ut imaginis oblatæ antitypum, intelligi sapiens Daniel interpretatur, vers. 17. seqq. & ipsa vox divina, vers. 28. & ostendit complementum. vers. 30. seqq.

a Hactenus visiones divinæ dormientibus oblatæ. *Vigilantibus* quæ in Scripturis sacris oblatæ narrantur (de modo, quo oblatæ sint, an per ἐκστασιν, an sine ea? hoc loco disquisitionem non instituimus) duplicis sunt generis: *Quædam* additam habent typorum & symbolorum in visione obvenientium interpretationem, *quædam* verò non.

*Prioris generis* visiones hanc iterum admittunt discrepantiam, quod interpretatio visionis desumitur vel *ex re ipsa*, vel *ex appellationibus*, & ita ratione allusiva. Ad *priorem* classem pertinent visiones Jeremiæ c. 24. de *duobus calathis ficuum, bonarum & malarum*, quarum *illâ* ventura Ecclesiæ Judaicæ & Christianæ instauratio, *hâc* Zedekiæ & populi Judaici deportatio, divinitùs ipsi præfiguratur, uti explicatio vers. 5. seqq. habetur. Ezechielis, cap. 8, 9, 10, 11. quæ cohærent, & unam Prophetæ visionem describunt, partes habentem quatuor. *Prima* visionis pars Judæorum, qui Hierosolymis supererant, impietatem obumbrat, cap. 8. *Secunda* stragem civium, in ipso oppido edendam, exceptis tantùm iis, quos Deus obsignaverat, figurat, cap. 9. *Tertia* ignem, quo flagrans & indignatus Jehova, *tùm* fame & peste ante expugnationem urbis oppidanos profligavit, *tùm* post expugnationem incendit, exhausit, & funditùs evertit civitatem totam, cum ipso templo, unde abibat gloria Jehovæ, cap. 10. *Postrema* reliquiarum ex clade & incendio urbis ereptarum persecutionem & ruinam, cap. 11. Item cap. 37. vers. 1. seqq: visio est *ossium spiritu immisso vivificationem*, quâ Judæorum restitutionem, Ecclesiæ Catholicæ per Christum liberationem, ex morte resuscitationem, æternamque tandem glorificationem adumbrari ex vers. 11. seqq. 23. seqq. apparet. Danielis cap. 8. vers. 1. seqq. de *ariete bicorni, & hirco caprarum unicorni &c.* quam Gabriel Archangelus constitutione regni Messiæ & Persidis, deinde Græciæ sive Macedonici, ac postremò Seleucidarum, deque calamitatibus Ecclesiæ Judæorum per Antiochum Epiphanem obventuris, explicat, vers. 19. seqq. Amos cap. 7. vers. 1. de *locustis à quodam formatis*; vers. 4. de *igne à Jehova vocato*; vers. 7. *de perpendiculo in manu Domini*: quibus ceu typis & symbolis futuram famem, clades bellicas, & totius Israelis, post sublatam Jeroboami domum, deportationem Jehova designat, ut explicatio hoc ipso cap. habetur. Cap. 9. vers. 1. de *mandato Dei* (ad Angelum quendam facto) *malogranatum percutiendi* (illud scil. quod in summo templi fastigio erat, sicut fit in structuris & templis magnificis) *& commotos templi postes diffringendi*: quo suam à templo discessionem, Judæorum abdicationem, & certissima judicia, eis Deus denunciat. Zachariæ cap. 1. vers. 8. seqq. cui in visione offertur *Vir insidens equo rufo, & stans inter myrtos, & equis rufis, badiis & albis cinctus*: quâ Christus inter pios in Ecclesia habitans, Angelique ministrantes ei, figurantur. Cap. 2. vers. 1. *quatuor cornua*, quibus adumbrantur hostes, qui populum Israelis ex omni parte infestaverant, ut vers. 2. explicatur, videl. Syri, Assyrii & Babylonii à Septentrione; Ammonitæ & Moabitæ ab Oriente; Edomæi & Ægyptii à meridie; Philistæi ab occidente. Ibid. vers. 3. *quatuor fabri, cornua prædicta dejicientes*, quibus judiciorum Dei administri figurantur, quos Deus undequaque congregaverat ad perdendos Babylonios, & porrò congregaturus erat ad deturbandos hostes Ecclesiæ suæ, qui structuram templi & urbis impediebant Ibid. vers. 5. offertur *Vir funiculum tenens mensorium, ad mensurandam Jerusalem*, quo mox futura urbis reædificatio innuitur. Cap. 3. vers. 1. in visione *offertur Jehosua Sacerdos maximus*, typum Christi gerens, de quo sine involucro agitur vers. 8. seqq. Cap. 4. vers. 2. offertur *lychnuchus aureus*, typus Ecclesiæ, preciosissimæ coram Deo, cujus singula

a Visiones propheticæ vigilantibus oblatæ.

singula membra deinceps à Christo explicantur. Cap. 5. v. 1. *volumen volans*, judicia Dei contra Judæos impœnitentes & immorigeros notans. Vide ibid. &c. seqq. ejusmodi plures. Ad *posteriorem* classem pertinent visiones Jer. 1. vers. 11, 12, 13, 14. Amos 8. vers. 2. de quibus supra lib. 1. tr. 4. sect. 1. de stylo prophetico, can. 1. §. 2.

a Exempla typorum. Hactenus visiones, quarum antitypa in ipso textu explicantur: sunt verò & aliæ, quæ interpretatione tali carent: desumenda autem explicatio *vel* ex circumstantiis & συναφείᾳ textus, *vel* ex aliis Scripturæ locis, *vel* ex ipso etiam vaticinii symbolici complemento & eventu. Tales sunt Esa. c. 63. 1. seqq ubi dialogismus à Propheta instituitur inter Christum & Ecclesiam, de ejus sanctissima passione & merito. Etsi autem disertè visionis cujusdam ibi non fit mentio, circumstantiæ tamen non obscurè innuunt, ejusmodi visionem, qualis ibidem depingitur, Prophetæ fuisse oblatam. Hûc etiam pertinet *descriptio typica templi & urbis, quæ Ezechieli* oblata narratur c. 40. seqq. usque ad fin. Cujus antitypon nequaquam urbem & templum, per Zorobabelem & Nehemiam post solutam captivitatem restauratum, (uti doctores Hebræorum quidam somniârunt) sed templum Dei mysticum, Ecclesiam, veram, & civitatem cœlestem aut spiritualem, esse, peculiari commentario, præter alios, ostendit & explicavit D. Hafenrefferus. Denique hûc referenda *Johannea Apocalypsis*, qua status Ecclesiæ N. Test. futurus, variis visionibus symbolicis typicisque divinitùs proponitur, (unde Hieron. in Epist. ad Paulinum de hoc libro ait, *tot habere Sacramenta, quot verba*,) cujus explicatio ex eventu & complemento desumi potest omnium optima. Hæc de typo prophetiæ.

## Articulus V.

### *De typo historiæ & ejus prima divisione.*

Typus *historiæ* est sensus Scripturæ mysticus, quo res gestæ vel factæ Vet. Testam. & præsertim Sacerdotii & cultus Judaici constitutio, præfigurant & adumbrant res in Nov. Test. gestas, & præsertim Christum, omnium legalium ceremoniarum antitypum, & scripturæ universæ nucleum. Potest autem is ita distingui, quod I, (perinde ut allegoria) sit vel *innatus*, vel *illatus*.

*Innatus* est, qui in Scripturis ipsis expressè traditur, seu, quando ipsa Scriptura sacra ostendit vel insinuat, aliquam sive ceremoniam sive rem gestam, res Nov. Test. & præsertim Christum mystico sensu adumbrasse. Idque fit vel *expressè* & *explicitè*; vel *tacitè & implicitè*: seu, quod idem est, Scriptura vel expressè *ostendit*, vel tacitè *insinuat*, rem gestam typum Christi gessisse. a *Prioris* exempla complura sunt, *Jonam Prophetam à cete absorptum*. Jon. 2. vers. 1. *& tertia die è ventre ejus prorumpentem*, vers. 11. typum Christi per triduum mortui & posteà gloriosè redivivi gessisse, ipsemet Matth. 12. vers. 40. cap. 16. vers. 4. Luc. 11. vers. 29, 30. expressè tradit. *Æneum serpentem à Mose divino mandato contra morsus serpentinos in deserto erectum*, Num. 21. vers. 8, 9. typum gessisse Christi in cruce sublati, & à morsibus serpentis infernalis credentes sanantis, testatur idem Joh. 3. vers. 14, 15. *Sacerdotii Levitici in Vet. Testam. constitutionem, & sacrificiorum oblationem*, fuisse typicam, & Christum Sacerdotem præfigurâsse, docet διαῤῥήδην Epistola ad Hebr. cap. 5. & seqq. Plura exempla suppeditabit ipsa diligens Scripturæ ἐρεύνησις & meditatio. *Posterioris* exempla sunt ista. *Propitiatorium* sive arcæ fœderis tegumentum & operculum Exod. 25. vers. 17. typum fuisse Christi veri ἱλαστηρίου, insinuatur Rom. 3. vers. 25. ubi ipsa appellatio Christo tribuitur. *Josuam populi Israelitici ductorem, ejusdemque in terram promissam introductorem* Jos. 1. & seqq. typum fuisse Christi, in cœlestem patriam & quietem æternam nos introducentis, insinuatur Heb. 4. vers. 8. *Manna sive panem cœlitùs in deserto deplutum* typum fuisse vivificæ Christi carnis, docetur Joh. 6: 32, 33. seqq. *Agnum Paschalem assatum & à Vet. Test. populo comestum*, Exod. 12. v. 3. seqq. typum esse Christi, constat ex 1 Cor. 5. vers. 7. ubi *Pascha nostrum, qui Christus est*, dicitur *pro nobis immolatum*: & ex Joh. 19. vers. 36. quibus in locis agni paschalis ad Salvatorem haud obscura fit accommodatio. *Hircum Azazel & emissarium, populi Israelitici peccatis onustum, & in deserta loca dimissum*, Lev. 16. vers. 10, 21. typum fuisse Christi, peccata totius mundi portantis, eaque expiantis, insinuatur Joh. 1. vers. 29. & 1 Pet. 2. vers. 24. ubi ipsa phrasis ostendit, ad illum Vet. Test. ritum respectum haberi. *Isaacum à parente Abrahamo ex humili obedientia oblatum, eundemque* (qui in corde patris habebatur pro jamdum mortuo) *in vita conservatum* Gen. 22. vers. 2, 12. typum gessisse Christi, in mortem à cœlesti Patre

tre pro nobis traditi; Rom. 8. verſ. 32. exque mortuis reducti, inſinuatur Hebr. 11. v. 19. ubi dicitur, quod *Abraham receperit Filium ſuum, ἐν παραβολῇ*, quod Piſcator quidem ita exponit, *in ſimilitudine quapiam*, quia propriè loquendo non recepit eum ex morte, cùm non fuerit mortuus. Sed rectius eò accommodatur, quòd Iſaacus in illa hiſtoria *typus* Chriſti fuerit. *Simſonem in reb. geſtis ſuis*, Jud. 13. c. & ſeqq. typum fuiſſe Chriſti, inſinuari videtur Matth. 2. v. ult. ubi quæ de Simſone dicuntur Jud. 13. verſ. 5. ad Chriſtum ejus ἀντίτυπον videntur accommodari. (Etſi in illo Ναζαραῖος κληθήσεται, non ad verba de Simſone uſurpata, ſed ad alia Prophetarum dicta, in quibus Meſſias dicitur נֵצֶר *ſurculus*, reſpectum haberi, multi aſſerunt, cùm 1. dicatur illud ſcriptum eſſe διὰ προφητῶν, *per Prophetas*, in plurali, de Simſone autem unico in loco id ſcriptum extat, cumque 2. in Syriaca paraphraſi Nazaræus non per י ut in נזיר Jud. 13. verſ. 5. ſed per צ exprimatur, ut ita à נֵצֶר fiat derivatio, quæ appellatio in Prophetis paſſim Chriſto tribuitur, Eſa. 11. verſ. 1. c. 60: 21. Zach. 6. v. 12. in quibus נֵצֶר & צֶמַח appellatur. Hieron. comm. in c. 2. Matth. dicit illud, Nazaræus vocabitur, deſumtum eſſe ex eo, quod *omnes Prophetæ Dominum Sanctum futurum eſſe prædixerunt*) *Salomonem Regem* Davidis filium typum Chriſti geſſiſſe, apparet ex Hebr. 1. verſ. 5. Act. 2. verſ. 30. c. 13: 12. ubi promiſſio Davidi facta, & de Salomone ſenſu literali loquens, 2 Sam. 7. verſ. 12. 1 Par. 17. verſ. 11. ad Chriſtum refertur. *Populum Iſraeliticum*, qui *primogenitus Jehovæ* vocatur Exod 4. verſ. 23. *ex Ægypto egreſſum*, typum geſſiſſe Chriſti, Filii Dei unigeniti, Matth. 3. verſ. 17. ex eadem regione tanquam ex exilio revocati, inſinuatur Matth. 3. verſ. 15. ubi id, quod de populo Iſraelitico literaliter dicitur & intelligendum eſt, Hoſ. 11: 1. ad Chriſtum typicè accommodatur, & in Chriſto, ut antitypo, impletum fuiſſe aſtruitur, etſi in diverſum hic Andreas Oſiander in ſua harmonia abit, l. 1. c. 11. ubi evincere conatur, dictum Oſeæ in ſenſu literali de Meſſia agere.) Alia exempla Scripturæ lectio ſuppeditabit.

*Illatus* typus eſt, quem ipſa Scriptura non oſtendit, ſed qui ab interpretibus infertur. Eſtque vel *oblatus*, vel *extortus & contortus*. *Ille* probabili cum analogia conjunctus eſt, cumque fidei analogia & re ipſa conſentit. *Hic* verò omni fundamento deſtituitur, & à ſenſu literali nimis diſcrepat, & ad ψευδαντίτυπα refertur.

*Prioris* exempla apud homileticos Scripturarum interpretes benè multa occurrunt. Ita *factum Simſonis ducentis alienigenam, & morte ſua opprimentis hoſtes*, etſi ad Chriſtum in Scripturis nuſpiam applicatur, commodiſſimâ tamen & fidei analogâ ratione, ut typus Chriſti explicari poteſt, cum is ſimili facto (ſed ſpiritualiter) gentium Eccleſiam aſſumſerit, & moriendo hoſtes ſuos oppreſſerit. Ita *Joſephus à fratribus venditus, ligatus, in foveam conjectus, & demum in ſublimem gloriam evectus* Gen. 37. & ſeqq. typus Chriſti, ob ſimilia, quæ in ipſius curriculo vitæ occurrunt, conſtitui poteſt, etiamſi διαῤῥήδην nullibi in Scripturis idipſum fiat. Sic *Aaron, Deum populo in medio vivorum & mortuorum propitians* Num. 16. verſ. 47. typus Chriſti eſt, Deum, à quo per peccatum eramus ſeparati, Eſa. 59. verſ. 2. paſſione & morte ſua propitiantis & placantis. Sic *Adamus ex ſomno reſurgens* Gen. 2. verſ. 22, 23. *Daniel ex foveu leonum revertens*, Dan. 6. verſ. 22. *Simſon noctu ſurgens & portas Gazæ aſportans*, Jud. 16. verſ. 2, 3. *David Goliathum vincens* 1 Sam. 17. verſ. 49. Chriſti ex morte redivivi, & in gloriam patris ingreſſi, dici poſſunt typi & figuræ. Sic *David homines in anguſtia conſtitutos & oppreſſos ære alieno, in ſuam tutelam ſuſcipiens* 1 Sam. 22. typus Chriſti eſt, peccatores & publicanos recipientis Luc. 15. 1. ſeqq. Quâ in explicatione V. Teſt. textuum typicâ quæ opera inſumitur, haud inſumitur inutiliter. Etſi enim in ſpecie non omnium in Scripturis typica habetur ad Chriſtum applicatio, habetur tamen in genere & implicitè, cum (1.) Chriſtus jubeat ἐρευνᾶν τὰς γραφὰς, *ſcrutari Scripturas*, (V. Teſt. quæ tùm, quando Chriſtus hæc loquebatur, ſolùm extabant) & eas *teſtimonium de ſe ferre* pronunciet, quæ teſtimonia V. Teſt. non in perſpicuis modò oraculis, & clariſſimis prophetiis, ſed in *typorum* etiam *involucris* conſiſtunt; (2.) cumque Apoc. 13. verſ. 8. dicatur, *Agnum Dei eſſe occiſum ab origine mundi*, quòd non tantùm ratione *divini decreti*, 1 Petr. 1. verſ. 20. ratione *meriti ſive precii & efficaciæ* Actor. 15. verſ. 11. Hebr. 13. verſ. 8. ratione *prædictionum* 1 Petr. 1. verſ. 11. ſed & ratione *typorum* factum eſt, qui idcircò ſedulâ Scripturæ V. Teſt. meditatione, & cum Chriſto nucleo collatione, eruendi & ſalutariter proponendi ſunt. Quo in genere egregiam Eccleſiæ Dei locârunt operam Dn. D. *Balduinus* in libris, Adventum & paſſionem Chriſti per typos V. Teſt. exponentibus: Dn. *Joh. Arnt.* in Poſtilla Eccleſiaſtica, in concionum præſertim exordiis: Dn. *Valerius Herbergerus*

gerus in Magnalibus suis, quibus Christum Jesum in singulis Vet. Testam. capitib. ἐρευνᾷ, scrutatur fideliter, & eruit invenitque feliciter.

a Typi inconcinni & contorti.

*a Posteriori* in classe collocandæ sunt Pontificiorum aliorumque fanaticorum hominum deliria & contorti typi. E. G. quod Turrecremata lib. 1. summæ cap. 90. *Davidis filium*, immò ipsum *Christum*, constituit typum Pontificis Romani. Ita enim verba 2 Reg. 7: 13. exponit: *Stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum*, hoc est, faciam, ut semper duret regnum Pontificis. Vitæ monasticæ (cui *liberos sine consensu parentum sese mancipare posse*, ajunt Pontificii) typum proponi in *Levitis V. Test.* vult Staplet. prompt. moral. ad Dom. 1. Epiph. loc. 4. quando ait: *Moses dixit: Qui dixerit patri suo aut matri suæ, nescio vos, & fratribus suis, ignoro illos; & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum, servaverunt judicia tua ô Jacob, & legem tuam, ô Israël*, Deuter. 33. vers. 9. *Hæc est benedictio tribus Leviticæ in figura Sacerdotii Novi Testamenti, & maximè status monastici, qui in causa cultus divini nesciunt parentes suos.* Sic *rebellio Israëlitarum à tribu Juda*, secundum Bellarminum libro 3. de Laicis c. 4. §. ult. præfigurabat schismata hæreticorum ab Ecclesia. Qui & ibi addit: *Quod in Regibus Israël nullus fuerit bonus, ad insignem DEI providentiam pertinere* (ob allatum scilicet typum) *quia inter hæreticos etiam nullus potest esse bonus.*

## Articulus VI.

*Aliæ typi historiæ divisiones.*

II. Altera typorum historiæ divisio est, quâ quidam immediatè respiciunt Christum; *quidam* verò ea, quæ Christum attinent. *Prioris* generis sunt, qui ipsius sanctissimam vitam, acerbissimam mortem, gloriosissimam resurrectionem & exaltationem, quasi eminus monstrant & figurant, quorum aliqui cap. præced. fuêre adducti. *Posterioris* classis sunt: *Diluvium universale, in quo Noë cum suis, Arcæ divinitùs constituta beneficio, servatus est:* hoc enim typus constituitur Baptismi, 1 Petr. 3. vers. 21. (eò applicari potest Ps. 29. vers. 10,) qui vi & efficacia sanguinis Christi preciosissimi homines servat, iisque lavacrum regenerationis ac renovationis Spiritus S. est. Collationem typi cum antitypo, vide apud D. Gerh. tom. 4. loc. de Bapt. §. 8. Eadem ratione *circumcisionis corporalis in Vet. Test. Sacramentum* Gen. 17. typus Baptismi Sacramenti N. Test. est, unde idem περιτομὴ ἀχειροποίητος, *circumcisio, quæ non fit manibus*, & περιτομὴ τοῦ χριστοῦ, *circumcisio Christi* Col. 2. vers. 11. appellatur. Sic sacræ Eucharistiæ, alterius N. Test. Sacramenti typi occurrunt, & à Theologis nostris proponuntur aliquot, videl. *Typus Arboris vitæ in medio paradisi posita*, Gen. 2. vers. 9. confer Apoc. 22. vers. 15. Joh. 6. vers. 53, 54, 55. *Panis & vini à Melchisedeco prolati & Abrahamo oblati*, Genes. 14. vers. 18, 19. *Agni Paschalis in ἀνάμνησιν liberationis ex Ægypto quotannis comesti*, Exod. 12. vers. 27. Confer 1 Cor. 5. vers. 7. cap. 11. vers. 26. *Mannæ cœlitùs depluti*, Exod. 16. vers. 15. *& aquæ mirabiliter ad potum Israelitarum in deserto profluentis.* Num. 20. vers. 11. *sanguinis fœderalis*, Exod. 24. vers. 3, 7, 8. Confer Hebr. 9. vers. 20. *panum propositionis.* Exod. 25. vers. 30. *Carbonis igniti, quo lingua Esaiæ tacta, & iniquitas ejus ablata*, Esa. 6. vers. 6. quorum ut & aliorum typorum, explicationem & applicationem vide apud Gerhard. tom. 5. de sacra Euch. §. 12. Sic Ecclesiæ N. T. typi statuuntur *Paradisus* Gen. 2. vers. 8, *arca Noë* Gen. 6. vers. 16. seqq. *vocatio Abrahæ* Gen. 12. vers. 1. Jos. 24. vers. 2. *conventus tabernaculum Mosis in deserto* Exod. 26. vers. 1. *domus Rachabis* Jos. 2. vers. 18. cap. 6. v. 23. *Hierosolyma* Psal. 87. vers. 1. &c. (etsi aliqua allegorica potius, quam typica sunt) de quibus itidem Gerh. tom. 5. de Ecclesiast. §. 24. & seqq. Sic *duorum testamentorum* typus (alii allegoriam volunt esse) ab Apostolo adducitur Gal. 4. vers. 22. seqq. Sic quemadmodum *summus V. Test. Sacerdos* Christi typus fuit: ita *inferiores Sacerdotes ac Levitæ* Apostolorum ac reliquorum ministrorum N. Test. typos fuisse, haud absurdè dicitur. Unde Mal. 3. vers. 3. ministri Test. Novi typica appellatione vocantur *filii Levi.*

III. Typi sunt vel *rerum gestarum*, vel *ceremoniarum. Illi* sunt, quando quædam in V. Test. à sanctis Dei hominibus gesta, figuram habuerunt rerum in Nov. Test. gestarum. Veluti quòd *Abraham, offerens filium ex amore Dei*, typus est Dei Patris, tradentis filium suum in mortem, ex amore nostri, Rom. 5. vers. 8. cap. 8: 32. quòd *Joseph venditus, & vicissim in thronum regni evectus*, typus est Christi exinaniti & exaltati, Philip. 2. vers. 6. seqq. *Hi* sunt, quando *ceremonia & tota constitutio*

*stitutio cultus Levitici Vet. Test.* in literas divino Spiritu redacta, figuram gessit futurorum N. Testam. tempore bonorum, quorum explicationem evidentem exhibet Epistola ad Hebræos.

IV. Typi futurorum (1.) *quidam* fuêre stati & repetiti, qui hanc admittunt differentiam, quòd vel certâ temporis vicissitudine caruerunt: *vel* eâdem fuêre determinati. *Priorem* ad classem varia pertinent sacrificiorum genera, quæ unius ἱλαςηρίε sacrificii à Filio Dei præstandi, fuêre continua adumbratio. *Posterioris* classis typi, singulis *vel* annis *vel* diebus recurrerunt: *Annis*, ut *agni Paschalis mactatio*, Exod. 12. *Hirci Azazel in desertum emissio*, Lev. 16. vers. 21. *Sacerdotis summi in sanctum sanctorum ingressus*, Ebr. 9. vers. 7. *Diebus:* ut *matutinorum ac vespertinorum sacrificiorum oblatio*, Num 28. vers. 4. (2.) *Quidam* verò sunt typi peculiares ac singulares, ea nempè, quæ aliquando & semel contigerunt, quales sunt, *serpentis ænei erectio* Num. 21. *Isaaci immolatio:* Gen. 22. *Jonæ per triduum in pisce commoratio* Jon. 2. &c.

V. Typus V. Test. est vel *ὁλικὸς totalis*, vel *μερικὸς partialis*. *Totalem* voco, qui in omnibus, aut certè potioribus partibus, antitypum præfigurat. Ejusmodi autem typum in ipsis Scripturis explicatè haberi, asseri vix potest, nisi quis conjunctim *Sacerdotium Leviticum*, quod personarum, ceremoniarum Leviticarum, ædificiorum, vasorum sacrorum ratione consideratur, typum totalem dicere velit, cùm omnia ferè in eo occurrentia ad Christum, in Epistol. ad Hebræos, tùm expressè, tùm implicitè referantur. Apud Interpretes autem Scripturarum totales (& ita *illatos*) typos dari extra dubium est. Ita enim *Josephi* vitam & omnia ferè gesta, *Simsonis* item, & aliorum, ad Christum typicè accommodant, exceptis modò illis, in quibus humanitùs lapsi sunt, quæ tamen & ipsa ad corpus Christi mysticum, quod ab erroribus haud immune, à quibusdam accommodantur.

*Partiales* typi sunt tales *vel* ex parte sui, *vel* ex parte antitypi. *Ratione sui* typus partialis est, qui unâ tantùm vel altera actione & re gesta, sive etiam statu & conditione, antitypum exprimit. Sic *Jonas* typum Christi gerere dicitur, non in omnibus, quæ præstitit, sed in certo hoc statu, quòd nimirum per *triduum in ventre ceti delituit*, Matth. 12. v. 40. *Ratione antitypi* partialis typus est, qui non omnia, quæ in antitypo occurrunt, præfigurat, sed unum aliquod vel alterum. Sic idem *Jonas* non omnia, quæ ad Christum ejusque vitam & conversationem pertinent, sed passionem tantùm, mortem, & quietem in sepulcro, typicè expressit. Sunt autem hæc duo typorum genera connexa. Hûc referri potest, quòd Hebr. 1. vers. 1. Apostolus asserit, *Deum olim locutum fuisse Patribus* πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως. Vox *posterior* πολυτρόπως, *tùm* varia visionum genera, de quibus Num. 12: 6. *tùm* varias Christi antitypi præfigurationes, denotat. Vox *prior* πολυμερῶς diversitatem & personarum, & temporum, & aliarum circumstantiarum complectitur, & ipsa voce notat, μερικῶς & *particulariter*, illas *tùm* visiones, *tùm* typorum adumbrationes contigisse.

## Articulus VII.

*Canones de typis explicans.*

### Canon I.

*In typis Propheticis accuratè dispiciendum, ubi Christus cum officio & merito suo seipsum manifestet, & ubi alia divina tùm beneficia, tùm judicia.*

Ratio canonis dependet ex illo, quod filius Dei, antequam *plenitudo illa temporis* Gal. 4. vers. 4. advenisset, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως se, cum suo merito ac passione, Patribus & Prophetis V. Test. *partim* manifestis promissionibus, *partim* etiam typicis visionibus, patefecit & adumbravit, atque ita *lusit in orbe terrarum* Prov. 8. vers. 31. quo respectu inter alia *Agnus Dei occisus dicitur ab origine mundi* Apoc. 13. vers. 8. Ut igitur Scripturas rectè ἐρευνῶμεν, & ubi illæ testimonium de Christo perhibeant, investigemus, juxta mandatum ipsius Joh. 5. vers. 39. accuratâ opus est διασκέψει, in quibus visionibus propheticis Christus seipsum adumbrârit quasi & patefecerit. Ubi hoc ponimus κριτήριον: *In quocunque V. Test. Prophetico textu agitur de gratia Dei, propitiatione, redemtione, benedictione, de hostium deletione, ita ut partim N. Test. lux & explicatio, partim textus ipsius circumstantia verborumque ἔμφασις ostendat, ad Christum ejusque meritum & passionem pertinere, ibi perperam alia interpretatio fingitur & infertur*, quem canonem de Scripturæ V. Test. dictis B. Hunnius in Antipar. 1. col. 765. ferè ponit. Absurdus proinde

inde est Calvinus cum iis, qui ejus imitantur indolem, quando *cùm* alia V. T. vaticinia (de quibus alibi) *tùm* etiam propheticas visiones, Christum cum suo merito repræsentantes, aliò audacissimè detorquet. Atque ut res fiat plana, unum atque alterum adponere lubet exemplum. *Visionem Jacobi de scala ad cælum usque pertingente*, Gen. 28. Christum veram cœli scalam præfiguràsse, ostendit non solùm textus, qui de Dei propitiatione & tutela, divinaque benedictione, in semine benedicto ad nos deveniente, expressè agit, sed & N. T. & ipsius Christi ad se illam visionem applicantis explicatio. Joh. 1. ult. Et tamen inter Calvinianos sunt, qui ipsum Patriarcham Jacobum scalæ hujus constituunt antitypon, quod quin fiat perperam, à Christianis dubitari non debet. Esa. 63. vers. 1. usque 6. *colloquium* extat *propheticum*, cujus fundamentum quin divinum fuerit ὅραμα Prophetæ oblatum, verisimile est vel maximè. Quærit enim Propheta, *quis sit ille, qui incedat rubris vestibus de Bozra?* & respondetur ipsi ab eo, qui in visione apparet. De hoc verò textu ita Calvinus in comm. p. 602. *Hoc caput violenter torserunt Christiani, quasi ad Christum hæc pertinerent, cùm Propheta simpliciter de ipso Deo pronunciet. Atque finxerunt hic rubicundum Christum, quòd sanguinem suum in cruce fuderit. Atqui nihil tale voluit Propheta. Simplex sensus est, Dominum hic rubicundis vestibus prodire in populi conspectum, ut omnes intelligant, ipsum ulterem suorum ac vindicem esse.* Et pag. 603. *ridiculum esse*, inquit, *ista referre ad Christum.* Calvinum sequitur, & ab ipso verba mutuatur Scultetus in ideâ concion. super h. l. At verò 1. cùm de Dei propitiatione, hominum redemtione, hostium deletione, textus disertè agat, cùm in præced. cap. 60, 61, 62. de Christo ejusque merito & beneficiis expressè agatur, 3. cùm in Nov. Testam. Apoc. 19, 11, 13, 15. de Christo fiat explicatio, 4. cumque textus circumstantiæ & verborum emphasis non repugnent, igitur non de Christo solùm, sed de ejus etiam *passione acerbissimâ, & victoriâ gloriosissimâ*, ibidem agi, meritò statuimus; ut hæc fusiùs in append. onomatol. Messiæ propheticæ explicantur.

## Canon II.

*Plus est sæpè in typo, quàm in antitypo.*

IRen. lib. 1. cap. 40. *Typus & imago secundùm materiam, & secundùm substantiam, aliquoties à veritate diversus est: secundùm autem habitum & lineamentum debet servare similitudinem, & similiter ostendere per præsentia, illa, quæ non sunt præsentia.* Ratio canonis dependet ex distinctione typi postrema, artic. 6. Quia enim unam rem vel personam in Vet. Testam. non in omnibus, sed μερικῶς in uno aliquo vel aliquibus, typum & umbram futurorum gerere Deus voluit, ideò in re vel persona typica plura omninò occurrunt, quæ ad antitypum, (quem certa in re exprimunt) referri nequeunt. Et præsertim *nævi ac peccata sanctorum* Vet. Testam. qui typos Christi gesserunt, Christo sanctorum sanctissimo attribui nec debent, nec possunt. *Ut enim imago picta prototypon referre omnibus lineamentis exactè potest, etsi macula aliqua sit fortè aspersa, quæ à prototypo discrepat: sic sanctorum vita typus & imago Christi esse potest, etiamsi nævis & infirmitatibus humanis fuerint obnoxii, quibus Christum haudquaquam repræsentant.* Simile est Dn. D. Balduini in explic. cap. 16. Judic. Et ostenditur usus etiam hujus canonis in Epist. ad Hebræos, in qua Vet. Testam. Sacerdotium, & sacrificiorum ritus, ad Christum antitypum pulchrè accommodatur, ita tamen, ut multa in Sacerdotio V. Test. fuisse ostendat, quæ antitypo haud quadrant, ut *quod oportuerit Sacerdotem pro sui ipsius peccatis offerre*, cap. 5. vers. 3. quod Christo non quadrat, cap. 7. vers. 27. quòd *Sacerdotium istud fuerit ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς*, cap. 7. vers. 18. *quodque multi sibi succedentes fuerint Sacerdotes*, quæ iterum ad Christum ἐναντίως sese habent, c. 7: 24, 25.

## Canon III.

*Plus est sæpè in antitypo, quam in typo figuratum est.*

CHrysost. hom. 61. in Gen. *Oportet figuram minus habere, quàm veritatem, quia alioquin non fuisset figura futurorum.* Ratio canonis eadem est, quæ præcedentis. Quia enim

Christi

Christi vitam & res gestas singulas non unus aliquis Vet. Testam. typus exprimit, ideò multò plura omninò in Christo antitypo, vel alia re adumbrata occurrunt, quàm quæ in typis spectantur. Quandò autem dicitur, *plus esse in antitypo, quàm in typo*, intelligendum id non tantùm *ratione rei*, sed & *ratione modi*. Cujus exemplum exhibent *Moses & Josua*, quorum uterque typus Christi est, *ille* nostræ redemtionis, *hic* nostræ in cœlum, veram patriam, introductionis. Modus tamen utrobique variat, & ratione modi plus omninò in antitypo est, quam typo. *In typo* est liberatio corporalis; *in antitypo* Spiritualis: *In typo* redemtio simplex est, *in antitypo* talis, quæ fit intercedente λύτρῳ, & per Christi sanguinem, Roman. 3. vers. 24. *In typo* redemtio, & in terram Canaan introductio per *Mosen & Josuam* fit, ut per *ministros Dei*, Hebr. 3. vers. 5. *In antitypo* redemtio & salvatio nostra fit per Christum, ut per *αἴτιον τῆς σωτηρίας*, *salutis causam principalem*, Actor. 3. vers. 15. cap. 4. vers. 12. Hebr. 5. vers. 9. Sic idem quoque *Moses*, cùm dicatur *μεσίτης Mediator*, Gal. 3. vers. 19. typus mediatorii Christi officii dici potest, ratione ipsius rei, licèt in *modo* evidens sit disparitas. Moses mediator dicitur ob *interpretandi & docendi officium*, Exod. 19. vers. 3. Deut. 5. vers. 5. sed Christus insuper, & inprimis, *ob satisfaciendi beneficium*. 1 Tim. 2. vers. 5, 6. His ita constitutis perperam facere *Photinianæ* hæreseos hyperaspistæ animadvertuntur, quòd ex typo Mosis *eandem redemtionis & mediationis ab ipso, & à Christo præstitæ, rationem* esse, contendunt.

## Canon IV.

*Typi ad antitypum applicatio fiat commoda.*

APplicatio illa (si sit *illata*) præter alia hoc etiam complectitur, ut in tali tertio, quod Scripturis & fidei analogiæ congruum est, typus cum antitypo conferatur. Peccatum est hac parte à *Bellarmino* lib. 1. de missa cap. 6. ubi probaturus, *in Missa Pontificia verum sacrificium offerri*, primo loco adfert typum Vet. Testam. ex Gen. 14. in *Historia Melchisedeci* propositum. Cum enim is figuram Christi peculiari quâdam ratione gesserit, Psalm. 110. vers. 4. Hebr. 7. vers. 17. & verò panem & vinum sacrificaverit, Gen. 14. vers. 18. inde concludit, necessum esse, ut & Christus panem & vinum sacrificarit &c. At præterquam quòd ex typicis accommodationibus (si in Scriptura non contineantur, qualis hæc est) fidei articuli non probentur, & quidem primariò, sed certis ac illustribus Scripturæ testimoniis probati, tantùm illustrentur, quod Bellarminus ipse concedit lib. 3. de V. D. cap. 3. hac vice discursui Pontificio, quem ex Melchisedeci facto desumunt, opponimus hoc, quod applicatio istius typi fiat ad antitypum, in re non tantùm Scripturæ sacrosanctæ non conformi (hæc enim Heb. 7. longè alia comparationis inter Melchisedecum & Christum proponit membra) sed & eidem διαῤῥήδην contrariâ, atque in doctrinam de verbi divini sufficientia, de Sacramentis, & de fide, imò in unicum etiam Christi sacrificium, & perpetuum ejus Sacerdotium, summè contumeliosâ, quod uberiùs declarare hujus loci non est. Vide D. Chemnit. in exam. Conc. Trident. part. 2. de Missa.

## Canon V.

*Quando unius rei multi sunt typi partiales, tum de antitypo non ex uno, sed ex omnibus conjunctim sumtis, faciendum est judicium.*

RAtio dependet ex superioribus. Quia enim πολυμερῶς res N. T. in Veteri præfigurantur, ideò si perfecta rei præfiguratæ debeat ex typis fieri dijudicatio, non unus aliquis typus seorsim, sed plures conjunctim sunt expendendi. Peccatur & hic à *Socino*, & ejus *sociennis*, dum ex *Mosis redemtione & mediatione* judicium faciunt de tota Christi satisfactione. At præterquam quòd Moses hic typus Christi est tantum ratione rei, non verò ratione modi, ut can. 3. dictum: accedit etiam hoc, quòd de redemtione nostra per Christum præstita, ejusque mediatorio officio, non ex uno illo Mosis typo, sed ex aliis etiam huic conjunctis, judicium juxta Canonem dictum fieri debeat. Modum enim istum redemtionis nostræ, qui in placatione iræ divinæ, & satisfactione pro peccatis consistit, proximiùs in V. T. (licet non plenariè) adumbrarunt *typi sacrificiorum, & imprimis hirci emissarii*, Lev. 16. v. 21. *vacca rubra*, Num. 19: 2. Notandum tamen, non ex typis, sed ex perspicuis Scripturæ effatis, de ratione nostræ redemtionis, *primario*, judicari debere.

## Canon VI.

*In explicatione typorum V. Test. accuratè dispiciendum: An umbra, an verò ipsa veritas proponatur?* h. e. an sub involucro typorum, an verò expressis oraculis (sensu literali de Servatore nostro loquentibus) Prophetæ de Christo vaticinentur?

Ratio dependet ex illa Prophetarum, imò ipsius Dei, per Prophetas loquentis, consuetudine, *qua à typo ad antitypum, à re corporea ad spiritualem de subito transire, & cum de aliis rebus sermo ipsis sit, ad Christum Scripturæ nucleum se convertere, deque eo (non ampliùs sub involucro typorum, sed expressis verbis) prophetare solent.* Cujus prophetici moris suprà lib. 1. tract. 4. sect. 1. can. 7. facta fuit mentio. E. gr. Locum Psal. 2. v. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; Calvinus in comm. hujus Psalmi unà cum toto Psalmo de Davide *literaliter*, de Christo verò *typicè* intelligendum esse asserit. Locum Mich. 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata &c. ex te mihi egredietur Dux*, idem Calvinus in comm. h. l. Judaico glossemate pervertit, & non de Christo literaliter, sed de *politico aliquo gubernatore, typum Christi gerente*, exponit, cùm tamen hæc, & si quæ sunt alia, *sensu literali de Christo*, intelligi debere, ipsa textus συνάφεια luculenter evincat.

## Canon VII.

*Impii, in quo impii fuerunt, Christi figura & typus nequaquam constituendi.*

Davidis *adulterium*, ut & id, quod de *duabus meretricibus* narratur, & *congressum Juda cum Thamar incestuosum*, Patres quosdam ad Christum accommodâsse, testantur Azorius Jesuita, Inst. mor. lib. 8. c. 2. & Cornel. à Lapide in præfat. Pent. can. 40. Ita Gretserus Jesuita lib. 1. de cruce c. 6. *quercum, in qua Absalom capillis pependit*, crucis Dominicæ figuram constituit, in qua Absalom pendens Christum præfiguraverit. Mirus sanè figurativæ crucis faber, à cujus typica explicatione abstinere jubet pietas, cùm Absalom capite pendens impietatis suæ meritas luat pœnas; cùmque aliorum typorum concinnitatem Scripturæ sacræ suppeditet ubertas. Et hæc quidem de typis in Scripturam ab Interpretibus illatis rectè dicuntur. Negari tamen minimè potest, quod nonnullibi in Scripturis supplicia facinorosorum ad Christum, ut antitypum, accommodentur. Locus est Gal. 3: 13. cujus verba sunt: *Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Quibus verbis constitutionis istius Deut. 21. v. 23. (quæ *respectu ipsius facti* sive *supplicii* civilis est, *respectu alterius, sive rationis additæ* ceremonialis) haud obscurè typicum tradit sensum. Jubetur dicto Deut. loco hominis de ligno suspensi cadaver sustolli & sepeliri, ratione addita ea, *quia suspensus sit execrationi Deo.* Alioquin autem neque secundùm naturæ legem, neque secundùm jura civilia, neque per seipsum denique, is qui suspensus est, Deo est execrabilis. Haud dubiè igitur hac ætiologiâ ceremoniali sive Leviticâ (cujus respectu *execrationi Deo esse suspensus* dicitur, ratione ea, quâ multæ impuritatis Leviticæ species fuerunt in V. T.) Moses ad Christum Mediatorem respexit, qui explicante Paulo d. l. *factus est pro nobis execratio & peccatum*, 2 Cor. 5. v. ult. Etsi autem suspensorum in V. T. longè diversissima à Christo fuit ratio (ii enim propter sua crimina fuêre suspensi, Christus verò alienorum sibi imputatorum peccatorum pœnas luit) tamen in hoc ipso tertio, *quod suspensi pro execratione Dei ceremonialiter fuêre habiti*, typus Christi sunt. Et hanc legem Deus universè in populo suo voluit observari, ut perpetua esset in omnibus suspensis apud Israelitas præfiguratio illius, qui *suspensus est propter peccata nostra*, 1 Pet. 2. v. 24. velut in typo consimili vetabat *in paschalis agni comestione os ullum in ipso frangi*, ut eo significaretur, integris ossibus Christum in cruce fore, nec fractionem illam, quâ alioquin solebant uti, in cruce perpessurum. Confer Francis. Jun. in parall. p. 1132. & in comment. c. 21. Deuter.

## Canon VIII.

*Una res typus est & figura quandoque duorum, etiam contrariorum, sed alio & alio respectu.*

Hanc regulam ex Augustino Epist. 99. ad Evod. & Basil. in Esa. c. 2. tradit Cornelius

nelius à Lapide Jes. in præfat. super pentat 39. & exemplis hisce declarat: *Diluvium*, quatenus in eo enatavit Noë per arcam, fuit fidelibus typus Baptismi: quatenus verò eo mersi sunt impii, fuit typus supplicii reprobis irrogandi in extremo judicio. Sic *Christus* est petra & lapis angularis Ecclesiæ, sed piis est lapis salutis; infidelibus verò & impiis est lapis offensionis & petra scandali. Sic Christus vocatur *Leo*, ob fortitudinem; Diabolus verò vocatur itidem *Leo*, ob crudelitatem. Sed ex his exemplis *primum* tantummodò hûc propriè pertinet. In reliquis duobus non unius typi ad duas res contrarias fit accommodatio; sed unius metaphoricæ appellationis, respectu diversorum, diversa explicatio.

## Canon IX.

*In typis & antitypis appellationum quandoque ἐναλλαγὴ & permutatio contingit, ut figuratum & adumbratum figuræ, umbræ aut typi: & contra, typus & figura rei repræsentatæ vel antitypi nomen sibi adsciscat & vendicet.*

PRioris exempla sunt, Ezech. 34. vers. 23. cap. 37: 24. Hos. 3. vers. 5, ubi Christus dicitur *David*; is enim in multis typum Christi gessit. Joh. 1. vers. 29. 36. dicitur *agnus* propter hanc etiam causam, quia typus ejus insignis in agno paschali V. T. tempore præcessit, perinde ut ob eandem causam dicitur *Pascha nostrum* 1 Cor. 5. vers. 7. Rom. 3. v. 25. dicitur ἱλαστήριον, non ob ἱλασμὸν modò & propitiationem, quam pro peccatis nostris præstitit, 1 Joh. 2. vers. 2. sed ob rypum etiam Christi, qui in ἱλαστηρίῳ (quo nomine LXX. utuntur pro operculo tegente arcam fœderis, quod Moses vocat כַּפֹּרֶת) V. T. tempore præcessit. Caro Christi dicitur *pânis de cœlo, & panis vitæ*, Joh. 6. vers. 32. 35. ob typum, qui in pane V. T. cœlitùs depluto sive *Manna* fuit. Sic Baptismus dicitur *circumcisio*, Coloss. 2. vers. 11. quia V. T. circumcisio Baptismi typus est. Ecclesia N. T. crebrò dicitur *mons Sion* Esa. 2. vers. 2. *Hierosolyma* Gal. 4. vers. 26. Apoc. 21. vers. 2. quia illius typus in monte & civitate sancta constitutus fuit, Mal. 3. vers. 3. ministri Ecclesiæ N. T. dicuntur בְּנֵי־לֵוִי *filii Levi*, quia hi illorum typi fuêre. Præsertim autem in typis illatis usu crebro obvenit, ut Christus dicatur *spiritualis & cœlestis Gideon, Joseph, Simson, Salomon, Jonas &c.* propter typos videlicet, quos prædicti V. T. Sancti gessêre. Atque hûc pertinet canon supra traditus, *quod Prophetæ de rebus N. Test. loquentes nominibus & phrasibus utantur, à sui, nempe V. Test. circumstantiâ desumtis:* cujus ratio est, quòd res veteris legis fuerint typi & figuræ bonorum futurorum in N. T.

*Posterioris* exempla sunt, 1. *In typis Propheticis*, quando imponitur alicui personæ vel rei nomen, quod propriè antitypo (cujus gratiâ typus proponitur) competit. Esa. 7. vers. 3. cap. 8: 1. 3. *Sic uxor Hoseæ* Prophetæ honesta & liberi honesto ex matrimonio nati, nomen jussu Dei gerunt *mulieris & filiorum scortationis*: propter antitypum, Israelitas, quibus hoc nomen, *scortationis* (spiritualis) competebat, quique isto typo reprehendebantur Hos. 1. v. 2. Ibidem vers. 4, 6, 8. alia liberis Prophetæ imposita leguntur nomina propter antitypum. 2. *In typis historiæ*, ut quando suspensus V. T. dicebatur קִלְלַת אֱלֹהִים *maledictio Dei*, ob typum Christi, qui verè erat maledictum ob nostra peccata factum, Gal. 3. vers. 13. Sic Esa. 45. vers. 1. Coresch sive Cyrus dici quibusdam videtur מְשִׁיחַ יְהוָה χριστὸς sive *unctus Domini*, quia typus seu figura fuit Christi, in solutione captivitatis Babylonicæ, quæ Spiritualem à potestato tenebrarum liberationem adumbrat. Quò facere ajunt, quòd à typo isto ad antitypum ipsum vers. 8. more Prophetico transit. Alii tamen Cyrum vocari *Messiam & unctum Dei* ajunt, quòd, cùm hæc verba essent ad Hebræos prolata, eo nomine usus fuerit Propheta, quo ab Hebræis communiter tùm vocabantur Reges: vel appellatione metaphorica, quia Deus ipsum unxerit, h. e. consecraverit atque vocaverit ad liberandum Judæos è captivitate Babylonica. a Huc κατ᾽ ἀναλογίαν referri etiam potest *Canon generalior*, quòd *imagines gerant nomina sui prototypi*, seu quòd nomen vindicent sibi illorum, quorum personam repræsentant, & speciem exprimunt. Et ita statuam Cæsaris Cæsarem, imaginem Lutheri depictam, Lutherum vocare solemus. Ita & in visionibus. *Septem vaccæ* dicuntur *septem anni* Gen. 41. vers. 26. horum enim illæ erant imagines seu signa. *Belluæ* apud Danielem cap. 8. vers. 20. seqq. nomen habent eorum Regum ac regnorum, quorum erant quasi simulacra. Tantum de typorum doctrina.

a Canon alius generalior.

SECTIO

# SECTIO V.

## *De Parabolis.*

HActenus de allegoriis & typis, restat *sensus parabolicus*, de quo iterum 1. *definitio* tùm *nominis*, tùm *rei*, 2. *divisio*, &. 3. *Canones* expendendi.

### Articulus I.

#### *Definitio nominis.*

ONοματολογία complectitur *tùm* ἐτυμολογίαν, *tùm* πολυσημίαν, *tùm* etiam συνωνυμίαν.

a Parabolæ Vox

1. [a] Ἐτυμολογίαν & originationem vocis quidam rediculè ex alia lingua accersunt, ut *parabola* sit dicta, *quòd facilem ori paret bolum*, ut capiatur & digeratur, quod dicitur. Alii ita, quod dicatur quasi *parans vela*, quia scilicet tegit & velat, remque ipsam propterea obscuram reddit. At vocis naturâ Græcæ origo in ipsa etiam Græca lingua quærenda est. Dicitur igitur παρὰ τοῦ παραβάλλειν, quod præter alia significata, quæ hûc non pertinent (significat enim *objicere*, *conjicere*, *detorquere*, *committere*, *appropinquare*, *transmittere &c.*) *conferendi*, *comparandi*, seu *duas diversas res simul collocandi* significatione præditum est, unde Cicero etiam lib. 1. de invent. parabolam vertit *collationem*; alii *similitudinem*. Hieron. tom. 3. Epist. 151. ad Algasiam quæst. 6. p. 359. *Parabola, hoc est, similitudo, quæ ab eo vocatur, quod alteri παραβάλλεται, hoc est, assimilatur, & quasi umbra prævia veritatis est.*

b Maschal Hebræum quid significet.

2 Πολυσημία. Apud LXX. V. Test. Interpretes respondet voci מָשָׁל (unicum si excipias locum, Eccl. 1. v. 17. ubi pro הוללות accipitur, quæ vox *stultitias*, *insanias*, *furores* denotat) tot igitur ejus significata, quod ipsa vox מָשָׁל obtinet, de quibus paullò inferiùs dicetur. In N. T. scriptis accipitur (1) pro *similitudine* & comparatione quacunque. Sic Matt. 24. v. 32. Christus similitudinem (quam vocant παραβολήν) hanc discipulis proponit: *Sicut ex arborum germinatione potest cognosci, propinquam esse æstatem: ita ex signis à Christo propositis cognosci poterit, propinquum esse extremum diem.* Marc. 3. v. 23. seqq. itidem talem proponit similitudinem, quæ dicitur παραβολή: *Quemadmodum regnum in seipsum divisum non potest consistere, ut nec domus seu familia: Ita & Satanas à seipso dissidens diu stare nequit &c.* (2.) Pro re quavis obscuriùs & figuratè prolata. Matt. 15. v. 15. Petrus vocat παραβολήν illa verba Christi v. 11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Id quia Apostolis videbatur obscuriùs dictum, parabolam vocant, petuntque explicationem, quæ v. 17. seqq. à Christo datur. (3.) Pro *proverbio* sive adagio. Luc. 4. v. 23. illa paroemia sive trita vulgi locutio: *Medice cura teipsum*, à Christo dicitur παραβολή. (4.) Pro *typo* V. Test rem N. Test. præfigurante. Hebr. 9. v. 2. res Leviticæ V. T. dicuntur παραβολὴ εἰς τὸν καιρὸν τὸν ἐνεστηκότα &c. Sic & c. 11: 19. Abraham filium suum ἐν παραβολῇ dicitur recepisse, h. e. esset τύπος τοῦ μέλλοντος. Vide suprà. (5.) Pro *doctrina speciali*, quæ tamen universaliùs intelligenda & latiùs extendenda. Ita sumitur Luc. 14, v. 7. ubi Christus proponens *doctrinam de non eligenda* πρωτοκλισίᾳ *in conviviis*, dicitur proponere παραβολήν, quâ voce innuitur, plura illâ Christi admonitione contineri, quàm primâ fronte promittitur. Intelligitur enim generalis doctrina *de humilitate sectanda*, ut expositio habetur v. 11. (6.) Demùm propriè & strictè usurpatur *pro artificiosa rei quasi gestæ ad aliud significandum narratione*, uti Matt. 13. v. 3, 10, 13. &c. cap. 21. v. 33, 45. c. 22. v. 1. & multis aliis in locis accipitur. De qua significatione plura in definitione πραγματικῇ sequentur.

3. [b] Συνωνυμία. *Appellationes parabolæ* sunt *Hebraica & Græca*. In *Hebræo* usitatissima est vox מָשָׁל (Syriacè & Chaldaicè מַתְלָא, ש in ת verso, quod occurrit Matt. 13. v. 18, 24. &c. c. 15. v. 15. c. 21. v. 33, 45. c. 22. v. 1. Marc. 3. v. 23.) à radice מָשַׁל quod & *dominandi* & *assimilandi* significationem obtinet, ut ita מָשָׁל originariâ significatione sit, vel quasi *dominans sententia*, κυρία γνώμη, celebre & quasi authenticum dictum; vel *similitudo* & comparatio. Est autem & Hebræa isthæc vox πολύσημος, denotans sententiam (1.) *Comparativam*, seu comparationem rei ad rem aliam, Ezech. 24. v. 3. (2.) *Celebrem*, usu receptam atque pervulgatam, 1 Sam. 10: 12. *Propterea factum fuit* לְמָשָׁל *in proverbium: an etiam Saul inter Prophetas?* Ezech. 18: 2. *Quid vobis proferentibus* מָשָׁל *proverbium hoc, de terra Israel, dicendo: Patres comederunt labruscas, & dentes filiorum obstupuerunt?* (3.) *Obscuram*, intrica-

tam

ram & explicationis indigam, Ezech. 20: 49. (al. cap. 21. verf. 5.) *Isti dicent mihi: nonne* הלא ממשל משלים הוא *proverbificator proverbiorum est iste?* seu parabolicè loquitur parabolas iste, hoc est, obscurè loquitur. Luther. Dieser redet eitel verdeckte Wort. (4.) *Graviter dictam*, & paucis verbis res magni ponderis ac momenti complectentem. Job. 27: 1. *Addidit Job assumere* משלו *parabolam suam*, i. e. serium sermonem, & de magni momenti rebus. Num. 23: 7, 18. c. 24: 3, 15. Balaam dicitur *assumsisse* משלו *parabolam suam*, i. e. magni momenti sermonem, & divinam prophetiam de rebus venturis longè maximis. Ita etiam Psal. 49: 5. Psal. 78: 2. accipitur. (5.) *Tristem & querulam*, sive gravem lamentationem & querelam. Mich. 2: 4. *In die illa assumet lamentator super vos* משל *parabolam, & lamentabitur lamentum lamentatione, dicendo &c.* (6.) *Ironicam & insultatoriam*, Esai. 14: 4. ubi læta illa piorum cantio, beneficii divini celebratio, & contra impios insultatio, vocatur à Propheta משל *parabola*, adversus Regem Babel &c. Jer. 24: 9. Deut. 38: 37. 1 Reg. 9: 7. ubi Israelitis peccantibus minitatur Deus, *quòd futuri sint* למשל *in parabolam*, i. e. insultationem, irrisionem & execrationem gentibus. Ita & Pf. 44: 15. Ps. 69: 12. Jer. 24: 9. Ezech. 14: 8. Hab. 2: 6. Sententiæ Salomonis dicuntur משלי *parabolæ* seu *proverbia*, Prov. 1. verf. 1. ratione significationis tùm *primæ*, multa enim in iis continentur & similium & dissimilium comparationes: tùm *tertiæ*, quædam enim in istis obscuriùs, ob concisam styli rationem, dicuntur, & explicatione indigent: unde Prov. 1. verf. 6. appellationi illi משל additur vox מליצה *interpretatio*, ubi tamen alii *elegantiam*, seu *elocutionem*, vertunt: tùm etiam & potissimum *quartæ*, quia præcepta & negocia momenti maximi stricto & succincto sermonis genere exhibent ac proponunt. Hæc de πολυσημίᾳ vocabuli משל, quod in significatione illa, quæ h. l. intenditur Ezech. 17. v. 2. usurpatur: ubi etiam vox חידה *ænigma*, eidem denotandæ adhibetur. In N. Test. præter τῆς παραβολῆς appellationem usitata est vox ὁμοιώσεως, unde sæpiùs *regnum Dei* dicitur ὁμοία *simile* huic vel illi rei narratæ Mat. 20. v. 1. &c. Joh. 10. verf. 6. de eadem re usurpatur vox παροιμία, quæ aliàs *proverbium*, & *vulgare celebreque dictum* significat *vel* ab οἶμος *via*, q. d. παρόδιος λόγος (ut Basil. appellat,) seu vulgare dictum, quo viatores ad tædium temporis fallendum uti consueverunt: seu, ut alii volunt, quod passim per ora hominum obambulat: *vel* ab οἴμη, *verbum*. ut παροιμία respondeat Latino, *Proverbium*. Hoc loco autem (ut res ipsa edocet) narrationem parabolicam, qualis à Christo profertur, notat.

## Articulus II.

### *De parabolæ natura & definitione.*

ᵃ HActenus ὀνοματολογία parabolæ: succedit *definitio rei*, quæ hanc patitur discrepantiam.

ᵃ An parabola sit metaphora continuata.

I. Quidam parabolas nihil aliud esse volunt, quàm *metaphoras continuatas*, seu *allegoriam verborum* sive λέξεως, quæ troporum & præcipuè metaphoræ continuatio est. Hujus sententiæ sunt Azorius Jesuita inst. moral. lib. 8. c. 2. §. *quinto queritur*. Gillius Jesuita lib. 1. comment Theol. tract. 7. c. 2. p. 307. Thom. Mortonus in apol. cathol. part. 2. lib. 5. cap. 4. §. 1. Sed 1. Si vera esset hæc de parabolis sententia, sequeretur, omnia omninò verba in parabolicis narrationibus posse & debere etiam accommodari ad rem parabolis significatam. At consequens est absurdum. E. & antecedens. *Connexio* patet ex metaphoræ continuatæ natura. Sicut enim metaphora simplex (quæ est in una voce) aliud quiddam sensu innuit, ita si metaphora continuetur, seu si plura metaphorica vocabula conjungantur, omnia & singula rem, de qua sermo est, exprimunt. *Minor* etiam perspicua est. In parabolis enim nec possunt nec debent omnia ad rem primario intellectam accommodari, sed ea tantùm, quæ proximè scopum dicentis spectant. 2. Similitudo non est metaphora continuata. At parabola nihil aliud est quàm similitudo, ut paulò inferiùs dicetur, Ergò. *Major* probatur (1.) quia in similitudine unius ad alterum τὸ ὅμοιον est accommodatio: in metaphora autem, sive simplici sive continuata, unius modificatâ significatione affecti, pro alio est positio. (2.) Quia similitudo metaphoricæ vocis sive phraseos est expositio, non verò metaphoræ continuatio, E. gr. Joh. 6. verf. 48, 51. Christus dicitur *Panis vitæ*. Hæc est appellatio metaphorica. Ea si explicetur, illud fit per explicatam similitudinem: *Quemadmodum panis nutrit hominum corpora ad vitam terrenam: ita Christus suâ vivifica carne credentes pascit & nutrit ad vitam cœlestem*. Hæc comparatio non potest dici metaphora continuata, sed potiùs metaphoræ est ἐξήγησις & explicatio. Utra-

que autem ejus pars & πρότασις & ἀπόδοσις, suo peculiari constat sensu literali. In προτάσει sensus literalis est, quod panis (propriè dictus) nutriat corpora hominum (propriè ita dicta.) In ἀποδόσει sensus literalis est, quod Christus spiritualiter homines credentes pascat. 3. In metaphoris sensus desumitur ex vocibus, quæ non propriè, sed modificatè accipiuntur: In parabolis autem id, quod per parabolam significatur, non ex vocibus, sed ex rebus ipsis, prout narrantur, desumitur. E. gr. Res, quæ in parabola *iniqui dispensatoris* Luc. 16. vers. 1. seqq. insinuatur, non ex verbis proximè, sed ex rebus, factis & studiis, quibus usus fuit iste œconomus, colligi debet. Par de reliquis esto judicinm.

a Discrimen parabolæ ab historia.

II. Hieron. in Marci c. 4. tom. 6. sic definit: *Parabola est naturâ discrepantium sub aliqua similitudine facta comparatio.* Quæ definitio in eo quidem vera est & commoda, quòd in parabolis non verba, sive propriè sive metaphoricè posita, sed res ipsas vocibus significatas attendi innuit: interim tamen 1. latior est suo definito. Non enim ubicunque naturâ discrepantium rerum sub aliqua similitudine est comparatio, ibi statim est parabola, ut postea dicetur. 2. παραβολῆς vocem ad ipsas metaphoricas locutiones in seqq. verbis Hieronymus accommodat, ita scribens: παραβολὴ *Græco vocabulo dicitur similitudo, quando illud, quod intelligi volumus, per comparationes aliquas indicamus: Sic enim ferreum quempiam dicimus, quando durum ac fortem desideramus intelligi &c.*

Congrua præcedenti est Varini descriptio: παραβολὴ παράθεσίς ἐστιν ὁμοιωματικὴ ἐπὶ σαφήνειᾳ τῶν ὑποκειμένων. *Parabola est collatio similitudinem significans* (seu oratio comparativa) *ad perspicuitatem sive explanationem rerum subjectarum.* Et Thomæ super Esa. 14. *Parabola est sermo similitudinarius, qui aliud dicit, & aliud significat.*

b Discrimen parabolæ ab exemplo.

Alphonsus Salmeron. tom. 7. tract. 1. ita definit: *Parabola est rerum, sive verarum, sive verisimilium, ad aliud significandum, apposita & artificiosa narratio.* Flac. part. 1. clav. col. 821. *Parabolæ sunt similitudines, sub sermone, qui alias res pingere ac exprimere videtur, alia significantur ac docentur.* Justinus in quæst. & resp. ad orth. resp. 60. ita definit: ἡ παραβολή ἐστι λόγος ὁμοιότητα περιέχων τῦ γεγονότος πράγματος πρὸς τὸ ἐσόμενον. *Parabola est oratio rei factæ, ad eam, quæ futura est, similitudinem complectens.* Ubi mendosè legit Salmeron. tom. 7. tract. 1 p. 4. quando probaturus, *parabolam esse rei fictæ*, non verò rei gestæ narrationem, dicta Justini verba allegat, quòd is asserat, parabolam esse orationem rei *fictæ* &c. At *facta*, non *ficta*, in Justino habetur, ut Græcum ostendit vocabulum. Cæterùm in Justini descriptione videtur typus cum parabola confundi. Jacob. de Valent. Christopol. Episc. in proleg. super Psal. tract. 1. cap. 2. *Parabola nil aliud est, nisi propositio alicujus rei gestæ vel tanquam gestæ, pro aliqua veritate similitudinariè exemplariter inferendâ, & sic semper ponitur pro alio.*

Nos naturam ejus hoc exprimimus ὁρισμῷ: *Parabola est similitudo seu comparatio, quâ res aliqua ut gesta & confecta appositè fingitur & narratur, & cum alia re spirituali confertur, seu ad eam significandam accommodatur.*

a Differt igitur parabola I. ab Historia 1. *objecto.* Historia est narratio rei verè gestæ: parabola verò rei fictæ & ad docendum aptè concinnatæ. Neque tamen consequens hinc est, res ejusmodi fictas & artificiosè compositas esse mendacia. Nam, ut respondet Augustinus lib. 2. quæst. Euang. q. 41. *non omne, quod fingimus, mendacium est, sed quando id fingimus, quod nihil significat, tunc est mendacium. Cùm autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia, quæ à sapientibus & sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino figurate dicta sunt, mendacia deputabuntur, quia secundum usitatum intellectum non subsistit veritas in talibus dictis.* Huc pertinet illud Horatii in arte poët.

*Ficta voluptatis causâ sunt proxima veris.*

Et si fabulæ ad docendum accommodæ non sunt mendacia, quantò minùs parabolæ? 2. *Usu.* Historia simpliciter narratur; parabola non narratur solùm, quasi esset verè gesta, sed ad aliud insuper docendum vel implicitè vel explicitè refertur.

II. b *Ab exemplo*, quod Græcis παράδειγμα dicitur. Nam exemplum pars est historiæ, dum res aliqua, ut rectè facta, alterius rei gestæ similitudine defenditur: vel res malè facta alterius pessimi criminis exemplo demonstratur, vel alioquin ex facto aliquo, sive historia recitata, utilis doctrina vel expressè eruitur, vel tacitè insinuatur. Sic Dominus Apostolos accusatos, quòd in Sabbatho vellerent spicas, Matth. 12. exemplo *Davidis* tuetur; qui, *quando esuriit, panes propositionis comedit* 1 Sam. 21. Judæos item nolentes audire verbum Dei, *Ninivitarum, Jonam Prophetam audientium, & Reginæ Austri* exemplis convicit, Matth. 12. vers. 41, 42. Sic *factum Pilati sanguine-*

*quinolentum, & occisionem quorundam hominum, à turre Siloam corruente factum*, Christus in exemplum adducit Luc. 13. vers. 1. seqq. ex qua divinam in peccatores præfractos vindictam commonstrando, pœnitentiam auditores suos cohortari voluit. *a* Huc pertinet exemplum illius, *qui à Jerusalem in Jericho proficiscens in latrones incidit*, Luc. 10. 30. seqq. neque enim propriè loquendo *parabola* ibi describitur, *sed res verè gesta*, & Legisperito isti notissima (*Si narratio hæc*, inquit Brugensis, *conficta fuisset, non fuisset Legisperitus constrictus ad respondendum, quomodo v. 37. respondit, sed dixisset, commentum esse nunquam eventurum, confictum in invidiam Sacerdotum & Levitici generis hominum;*) quæ in exemplum à Christo adducitur, & ab hypothesi quasi ad thesin transfertur, ad ostendendum, 1. quis sit hominis (cui dilectio proximi divinitùs mandatur) proximus? 2. Quàm procul Pharisæi & Scribæ à vero sensu divinæ legis de diligendo proximo absint? *Prior scopus* apparet ex Legisperiti quæstione, v. 29. *Et quis est meus proximus?* Cui quæstioni subjectâ historiâ Christus satisfacit: Proximum hominis esse, quicunque ejus indiget auxilio consiliòve, sicut incidens in latrones proximus fuit tum Levitæ & Sacerdotis prætereuntium; tùm Samaritani auxilium opportunè ferentis. *Posterior scopus* ex epiphonemate Christi & subjunctâ clausula elucet, vers. 39. *Abi, & tu fac similiter*, scilicet non sicut fecêre *Levita & Sacerdos* (quorum es ex sodalitio, quique de diligendo proximo præceptum ne minimâ quidem ex parte intelligunt, multò minùs eidem conformes se rectè gerunt, uti Sacerdotis & Levitæ ostendit exemplum) sed sicut fecit *Samarita*, qui proximum à latronibus miserè cæsum (& forsan quidem hominem Judæum, atque ita in religione dissentientem, & inimicum) solicito corde curavit & auxilio mirè suffulcivit, &c.

*b* Huc etiam pertinet exemplum *divitis & Lazari*, Luc. 16. vers. 19. seqq. de quo nota, 1. ex addito nomine pauperis non obscurè colligi, tùm temporis publicè constitisse de mendicitate & extrema paupertie Lazari, deque avaritia, luxu, impietate & immisericordiâ divitis istius, cujus nomen Christus reticet: constitisse etiam, quomodo erga mendicum se dives gesserit, & quod uterque tandem fatis hac in terrena vita cesserit. 2. Utriusque igitur statum & conditionem post mortem (id quod ignotum erat hominibus, Christo verò omniscio notissimum) Mediator noster per prosopopœiam quandam exprimit & declarat: quod videlicet *dives* dolores patiatur inferni: *Lazarus* gaudiis fruatur Paradisi seu cœli. Unde constare videtur, à vers. 19. usque 23. historiam describi: à versu verò 23. usque ad finem, statum utriusque προσωποποιητικῶς καὶ μεταφορικῶς à Christo insinuari. 3. In exemplum hoc omne adducitur, ut erudiantur homines, *tùm* de vero divitiarum usu, (de quo etiam tàm parabolicè, quàm apertis verbis ab initio capitis 16. Christus differuerat, usque ad v. 14.) *tùm* de suppliciis infernalibus, impiorum & immisericordium catervæ destinatis & præparatis &c.

*a* Exemplum hominis incidentis in latrones Luc. 10.

*b* De divite & Lazaro Luc. 16.

## Articulus III.

### *Parabolarum divisio.*

In parabolis duæ sunt partes: *Una est* res, quæ adfertur in similitudinem: *Altera* est rei ejus applicatio, quæ formale quasi ejus est & nucleus, sensusque mysticus.

1. *Res*, quæ adfertur in similitudinem, seu parabola ipsa (1.) est vel ἔγγραφος vel ἄγραφος. Ἔγγραφος est, quæ in ipsis sacris literis explicitè ponitur. De qua hoc loco præcipue agimus. Ἄγραφος est, quæ extra Scripturas ab Interpretibus fingitur, & ad spiritualia significanda accommodatur. Talis est illa Damasceni, quam Stapletonus prom. moral. Domin. 3. Adventus tradit: *Homo quidam tres amicos habuit, ex quibus duos ingenti affectu colebat, tertio exiguam benevolentiam præstabat. Idem in discrimen capitis & fortunarum vocatus, primum adit, ut eum juvare velit, qui aliquà tantùm illi vestimenta porrigit, quibus in via ad judicium utatur, aliud adjumenti nihil. Secundum accedens, ab eo hoc unum solatium accepit, ut aliquo usque in via ad tribunal eum deduceret. Tertium igitur amicum necessitate adactus, etsi non absque rubore cum adiisset, opemque ejus flagitâsset, ille solus præter expectationem omnem illi suam operam pollicitus, ipsum judicem pro amico adit, causamque ejus diligenter agit.* Hæc est parabola, quam Stapletonus dicto loco ita applicat, ut per amicum *primum* divitiarum amorem; per *secundum*, uxorem, liberos, amicos carnales; per *tertium* (etsi incommodè) virtutem & bonorum operum cumulum intelligat. Sed, ut dictum, has parabolas posterioris generis nihil vel parum curamus. (2.) Ἔγγραφοι parabolæ in Scripturis occurrunt triplices. *Quædam* continent rem gestam, quæ adfertur in similitudinem, ut parabola de *fermento*: nam quotidiè miscetur fermentum

cum farina ad pinsendum panem. *Aliæ* continent non quidem rem gestam, sed tamen possibilem, ut parabola *de Patrefamilias, qui primo mane exiit, conducere operarios in vineam suam*, Matth. 20. vers. 1. *Aliæ* continent rem impossibilem, ut parabola *de lignis, quæ iverunt, ut ungerent sibi Regem:* quales paucæ sunt in scriptura: multæ apud exteros Scriptores. Hæc Becanus Theol. Scholast. part. 2. tom. 2. c. 3. quæst. 4. ubi de tertii generis parabolis subjungit: *Hoc tamen non obstat, quo minùs sensus parabolæ sit verus & literalis: Nam illud, quod in parabolam vel similitudinem adducitur, non ideò adducitur, quasi reipsâ factum sit, aut fieri potuerit, sed ut per talem similitudinem res altera meliùs explicetur, quod sine mendacio fieri potest.*

2. *Formale* seu parabolæ (ἐγγράφȣ, ejusque quæ in sacris literis expressè habetur) sensus & applicatio secundùm allegoriæ & typi distinctionem suprâ c. 9. & 16. traditam, ita dispesci potest, quòd sit vel *innata*, vel *illata*. *Innata* est, quando ipsa Scriptura singularum (vel certè potissimarum) parabolæ partium tradit explicationem & applicationem. Sic parabolæ *de seminatore seminis diversimodè cadentis*, Matth. 13. vers. 3. seqq. Luc. 8. vers. 4. seqq. *de zizaniis, ab homine inimico tritico bono interjectis*, Matth. 13. vers. 24. seqq. singulis ferè partibus à Christo ipsomet explicantur, & debito modo applicantur. *Illata* est, quando accommodatio parabolarum fit ab Interpretibus. Estque vel *oblata*, vel *extorta & contorta*. *Oblata* est, quæ in ipsa parabolæ sede suum habet fundamentum. Fundamentum istud tùm *scopus* dicentis, tùm *fidei analogia* est, quorum utrumque si interpres in expositione parabolarum accuratè observet, rectum cursum tenebit, & inoffenso pede progredietur. E. gr. Matth. 22. vers. 2. seqq. traditur à Christo parabola *de Rege filio suo parante nuptias* &c. singularum parabolæ partium expositio & applicatio haudquaquam additur, sed tantùm scopus innuitur epiphonemate illo præclaro: *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi*, vers. 14. Hic parabolæ scopus ipsius fundamentum est, cui si commodam expositionem observatâ fidei analogiâ Interpres superstruat, non errabit. *Extorta & contorta* parabolæ expositio est, quæ nullum plane in ipsis Scripturis fundamentum habet, & tùm à dicentis scopo, tùm à fidei analogia discedit. Qualis est illa Marc. 13. vers. 34. *de homine peregre profecturo*, quam quidam inter Pontificios ita exponunt; *Homo peregrè profectus, significat animam, quæ per mortem ex hoc mundo migrat. Illa servis reliquit suam potestatem, hoc est, testamentariis suis mandavit, ut ex relictis bonis redimant suffragia, quibus ex purgatorio liberetur: Janitori verò præcepit, ut vigilet, hoc est, Pastori suo legavit partem bonorum, ut vigilanter pro illa sacrificet.* Egregium verò fovendi Purgatorii ignis, sacrificulorumque culinæ ὑπέκκαυμα. Refertur autem hoc ex Pontificiorum scriptis à B. Chemnitio part. 3. Concil. Tridentini c. de purgatorio.

## Articulus IV.

*Canones quosdam de parabolis continet,*

### Canon I.

*Parabolæ tùm in V. tùm in N. Testam. occurrunt, in illo verò rariùs, in hoc creberrimè.*

a Parabolæ V. Test.

a IN V. Test. quæ extant parabolæ ferè hæ sunt. Jud. 9. vers. 8. & seqq. narratio à Jothamo in fastigio montis Garizim instituitur, *de arboribus Regem sibi quærentibus & eligentibus*, cujus applicatio vers. 16. seqq. subjungitur. 2 Sam. 12. vers. 1. & seqq. à Nathane Propheta Davidi adultero & homicidæ facto proponitur parabola, quam cùm David Rex ut rem verè gestam, & ita historiam acceptâsset, Propheta vers. 7. seqq. parabolam esse ostendit, & ad Davidem accommodat. Esa. 5. vers. 1. & seqq. parabola *de vinea à Patrefamiliâs benè culta, at malos fructus proferente* à Propheta proponitur, cujus expositio & ad populum Dei accommodatio sequitur v. 7. seqq. Ezech. 17. vers. 2. seqq. parabola *de duabus aquilis* à Domino per Prophetam proponitur, cujus explicatio vers. 12. subjungitur. cap. 33. vers. 2. seqq. parabola & similitudo *de Vigile* à Jehova adducitur, quæ vers. 7. ad Prophetam accommodatur.

b Nov. Testamenti.

b In N. Test. parabolæ sunt frequentiores: potiores sunt hæ: Parabola *seminantis in quatuor partes terræ*, Matth. 13. v. 3. seqq. Marc. 4. v. 3. seqq. Luc. 8. v. 4. seqq. *Zizaniorum*, Matth. 13. vers. 24. seqq. *Seminis jacti & crescentis, dum homo nescit*, Marc. 4. vers. 26. seqq. *Grani sinapis*, Matth. 13. v. 31. Marc. 4. vers. 30. Luc. 13. vers. 18, 19. *Fermenti*, Matth. 13. vers. 33. Luc. 13. vers. 21. *Thesauri in agro absconditi*, Matth. 13. vers. 44.

Ne-

*Negotiatoris quaerentis bonas margaritas*, Matth. 13. v. 45, 46. *Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis*, Matth. 13. v. 47. seqq. *Regis ponentis rationem cum servis suis*, Matth. 18. vers. 23. seqq. *Duorum debitorum, quorum utrique debitum condonatum*, Luc. 7. vers. 41. seqq. *Veri pastoris per ostium intrantis, & non aliunde*, Joh. 10. vers. 1. seqq. *Hominis divitis, cujus ager uberes fructus proferebat* Luc. 12. v. 16. seqq. *Oeconomi prudentis, supra familiam Domini sui constituti, ut det illi in tempore τὸ σιτομέτριον*, Luc. 12. vers. 42. Matth. 24. v. 45. Marc. 13. vers. 34. *Hominis arborem fici habentis, plantatam in vinea sua, & quærentis fructum in illa, & non invenientis*, Luc. 13. vers. 6. seqq. *Hominis parantis cœnam magnam, & invitantis multos.* Luc. 14. v. 16. seqq. *Pastoris habentis centum oves, & unius ex illis perditæ*, Matt. 18. vers. 12. seqq. Luc. 15. vers. 4. seqq. *Mulieris decem drachmas habentis & unam illarum amissam invenientis*, Luc. 15. v. 8. seqq. *Filii perditi, & ad patrem reducti*, Luc. 15. v. 11. seqq. *Villici iniquitatis*, Luc. 16. vers. 1. seqq. *Judicis injusti, viduæ sedulo urgenti & instanti tandem succurrentis*, Luc. 18. vers. 2. seqq. *Patrisfamilias operarios in vineam suam conducentis, & æqualem inæqualiter laborantibus mercedem distribuentis*, Matth. 20. vers. 1. seqq. *Hominis nobilis peregrè abeuntis, & diversas servis minas concredentis*, Luc. 19. v. 11. seqq. *Duorum filiorum, à parente ad laborandum in vinea emissorum*, Matth. 21. vers. 28. seqq. *Hominis patrisfamiliâs, plantantis vineam, & agricolarum ingratissimorum*, Matth. 21. v. 33. seqq. *Regis, nuptias filio suo apparantis, & ingratos hospites serio punientis*, Matt. 22. v. 2. seqq. *Decem virginum, sponsum expectantium*, Matth. 24. vers. 1. seqq. *Talentorum, à Domino peregrè profecturo servis concreditorum*, Matth. 25. v. 14. seqq.

## Canon II.

*Christus suis in concionibus parabolico docendi genere crebrò usus est, non sine causa.*

ERasmus in paraph. N. Test. ad Marc. 4. v. 2. hac de re eleganter hunc in modum loquitur: *Proponebat* (Christus) *parabolas, h. e. rerum notissimarum similitudines. Est enim hoc simplicissimum docendi genus, ac rudibus maximè accommodum. Videtur enim prima specie puerile ac ridiculum hujus mundi sapientibus: sed hoc docendi genus placuit æternæ sapientiæ. Philosophi magnâ arte contortis Syllogismis tenebras offundebant auditoribus, Rhetores admirabili dicendi copia vim admovebant animis hominum, Pharisæi retrusa quædam & à populari captu procul semota congerebant. Cæterùm hoc doctrinæ genus simplicissimum, & ab omni ostentatione alienum, sibi delegit Jesus, ut tota gloria mundi per Euangelium innovati esset divinæ virtutis. Multis itaque parabolis excitavit animos illorum, ut simplici credulitate purisque mentibus acciperent sermonem Euangelicum, unde salutis nostræ principium proficiscitur.* Ibidem parabolas Christi per insigne ὀξύμωρον vocat, *subtiliter simplices, sapienter stultas, obscurè dilucidas, cùm subtili ac ridiculo tectorio celent sapientiam cœlestem.* Cæterùm possunt causæ usurpati à Christo parabolici dicendi generis ita distingui, quòd *quædam* concernant Deum, *quædam* homines, eosque *partim* dociles & pios, *partim* indociles, præfractos & impios.

*Deum* quæ concernit causa, est *Scripturarum impletio.* Ea innuitur Matth. 13. v. 34. *Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis, & sine parabolis non loquebatur eis*, vers. 35. *ut impleretur, quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.* Extat autem illa Prophetia Psal. 78. v. 2. Tertull. lib. 4. advers. Marcion. cap. 11. in fin. *Nec forma sermonis in Christo nova, cum similitudines objicit, cùm quæstiones refutat, de septuagesimo septimo venit Psalmo: Aperiam, inquit, in parabolam os meum, i. e. similitudinem, eloquar problemata, i. e. edisseram quæstiones.*

*Homines*, ut dictum, in duplici sunt differentia. *Quidam* dociles & pii, *quidam* indociles & præfracti sunt. *Piis & docilibus* parabolarum illa usurpatio cessit 1. *Ad informationem.* Id innuitur Marc. 4. v. 33. ubi dicitur quòd *Christus talibus multis parabolis locutus fuerit verbum, καθὼς ἠδύναντο ἀκούειν, prout audire sive intelligere poterant*: quo indicatur, Christum sermonem suum accommodasse captui auditorum, ut ii videl. de mysteriis regni cœlestis hisce similitudinibus informarentur. Joh. 3. v. 12. *Si terrena vobis dixi*, ait Christus, *& non creditis, quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis?* Quo innuit, parabolas & similitudines à rebus terrenis, & vulgò obviis desumtas, ad hominum informationem non parum facere &c. quod res ipsa etiam ostendit, dum simplicem populum doceri aptiùs videmus, quando similitudinibus res veluti præsens oculis subjicitur, & intellectui infertur, quàm quando ratiocinationum ponderibus, & syl-

a Cur Christus parabolis usus?

syllogismorum subtilitatibus res agitur. Hieron. in Matth. c. 18. *Familiare est Syris, & maximè Palæstinis, ad omnem sermonem suum parabolas jungere: ut quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur.* Similitudines præterea ejusmodi diutiùs animo obversantur, & recurrent quasi ad quemvis conspectum istarum rerum, à quibus sunt depromtæ. 2. *Ad excitationem & discendi fervorem.* Id Christus *monito*, Apostoli & alii pii *exemplo* testantur. Propositis parabolis Christus sæpius exclamat: *Qui habet aures audiendi, audiat*, Matth. 13. v. 9. Marc. 4. v. 9. Luc. 8. v. 7. quibus ad uberiùs mysteria cœlestia cognoscendi & percontandi studium auditores sedulò adhortatur. Cui monito obsequentes se præbent discipuli, & alii, qui cum Christo erant, dum interpretationem parabolarum sedulo ab ipso exquirunt, Matth. 13. 10. Marc. 4. v. 10.

*Indociles & præfractos* verbi contemtores, quæ concernunt causæ, sunt vel *per se*, vel *per accidens*.

Causæ *per se* sunt 1. *Illorum informatio, & ad discendum excitatio.* Etsi enim Christum in parabolis docentem securè illi contemserunt, tamen à salutari verbi ejus intelligentia absolutè & simpliciter non fuêre exclusi, quin potiùs abeuntes illos Christus gravi cohortatione revocare conatus est, inquiens: *Qui habet aures audiendi, audiat*, Matth. 13, 9. q. d. nolite meam parabolam fastidire, sed expectate & explicationem attendite. Utique igitur illa in parabolis sonans doctrina ad eos etiam pertinuit, qui potuissent iis informari, interim propria ex malitia noluerunt. Chrysost. hom. in Ps. 48. *Quocircà Christus quoque hoc faciebat, & loquebatur in parabolis, eos stimulans & incitans, ut audire cuperent, qui supinè dormiebant.* 2. *Illorum redargutio & convictio.* Quando Dominus volebat, ut Judæi nescientes in seipsos sententiam dicerent, id per parabolas extorquebat. Sic Matth. 21: 33. in parabola proposita *de vinea*, ignorantes, quò Dominus tenderet, ad quæsitum ejus v. 40. *Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* responderunt v. 41. *malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.* Ita scil. seipsos condemnabant, unde v. 43. Christus subjungit: *Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Confer. Luc. 7: 43. Pari modo, postquam Nathan proposuisset parabolam suam Davidi, respondit is: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.* Tunc dixit Nathan ad David: *Tu es ille vir, qui fecisti hanc rem*, 2 Sam. 12. 6, 7. Confer 1 Reg. 20. v. 39, 40, 41, 42.

*Per accidens*, & præter parabolizantis intentionem quæ accedit causa, seu effectus potius, est *mysteriorum divinorum occultatio, & impiorum excæcatio.* Quia enim increduli Pharisæi ac Judæi Christum regni mysteria in parabolis proponentem audire noluerunt, inde vox Christi, Matth. 13. v. 11. *Vobis* (scil. manentibus, nec meam parabolam turgidè spernentibus) *datum est nosse mysteria regni cœlorum; Illis autem* (τοῖς ἔξω, *qui foris sunt*, Marc. 4. v. 11. non, *qui sunt extra cœtum discipulorum* & aliorum, qui me humiliter insecuti, & parabolæ explicationem à me fideliter scrutati sunt, h. e. verbi contemtoribus) *non est datum*, (quia scil. verbum meum rejiciunt, Act. 13. v. 46. &c.) Marc. 4: 11. *Illis, qui foris sunt, omnia in parabolis fiunt*, v. 12. *ut videntes videant & non intelligant &c. ubi τὸ ἵνα, ut*, non αἰτιολογικῶς, sed ἐκβατικῶς exponendum, q. d. ad vos, qui à me parabolæ nucleum discere cupitis, hic redundat fructus, ut mysteria regni discatis & cognoscatis: reliquos autem contemtores hoc tantummodò insequitur, ut audiant quidem, at minus intelligant: sed ut mysteria & dogmata mea ipsis maneant abscondita, quæ tantopere fastidiunt, ipsique in cœcitate sua voluntariâ persistant. Tantum de causis, ob quas Christus parabolis sæpius est usus.

## Canon III.

In parabolis, si integrè accipiantur, tria sunt: *Radix, cortex, & medulla sive fructus.*

Radix est scopus, in quem tendit parabola. *Cortex* est similitudo sensibilis, quæ adhibetur, & *suo sensu literali* (qui ex ipsis verbis eruitur) constat. *Medulla* seu fructus est *sensus parabolæ mysticus*, seu ipsa res, ad quam parabolæ fit accommodatio, seu quæ per similitudinem propositam significatur. Hieron. in c. 12. Eccl. *Parabolæ aliud in medulla habent, aliud in superficie pollicentur; & quasi in terra aurum; in nuce nucleus; in hirsutis castanearum operculis absconditus fructus inquiritur: ita in eis divinus sensus altiùs perscrutandus &c.* Ut igitur ex cortice medulla, nucleus sive fructus erui, & in succum sanguinemque converti possit, primariò & potissimùm ad *radicem*, postmo-

modùm etiam ad ipsum *corticem* respiciendum est: ut sequentes duo docebunt canones.

## Canon IV.

*In explicatione & applicatione parabolarum legitimè instituendâ primò omnium attendendus est dicentis scopus.*

QUemadmodum Græci apologorum sensum ex *profabulatione* vel *affabulatione*, vel ubi illa desint, ex ipsa fabula venandum esse docent, (ita enim illi loquuntur, μῦθος, προμύθιον, ἐπιμύθιον:) ita in parabola scopus ejus cognoscendus ex *proparabola & epiparabola*, vel si illa desint, ipsius parabolæ corpus considerandum. Est autem *proparabola* tùm id, quod præcedit, & quo cum parabolica narratio contexitur: tùm (& simul) dictum quoddam nervosum, quod interdum parabolæ præponitur, continens rem, cujus gratia parabola instituitur. Sic parabolam *de patresfamiliâs conducente operarios in vineam suam* Matth. 20. præcedunt illa verba emphatica: *Multi primi erunt novissimi, & novissimi primi* Matth. 19: 30. (quæ etiam parabolam sequuntur, Matth. 20: 16.) ex illis igitur cum præcedentibus conjunctim sumtis, scopus hujus parabolæ eruendus. Sic proparabola insinuatur sæpè illis vocibus: *Simile est regnum cœlorum &c.* unde facilè potest fieri genuina collatio & explicatio, Matth. 13: 31. *Epiparabola* est conclusio parabolæ, epiphonema seu dictum insigne, parabolam sequens. Sic prædictæ parabolæ subnectuntur hæc verba: *Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci verò electi*, Matth. 20. v. 16. Sic parabolæ *de decem virginibus* additur hæc clausula: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam, in qua Filius hominis venit.* Ex quo ejus parabolæ scopus haud obscurè discitur. Par aliarum est ratio.

## Canon V.

*In parabolis non opus, nimiâ cura in singulis verbis anxium esse, neque in singulis ejus partibus adaptatio & accommodatio ad rem spiritualem nimis ἀκριβῶς quærenda est.*

CAnon est Chrysostomi hom. 16. in Epist. ad Rom. Idem hom. 65. super c. 20. Matth. *Parabolam dixit* (Christus) *& in parabolis non oportet nimiâ in singulis verbis curâ perangi. Sed cum, quid per parabolam intendat, didicerimus, inde utilitate collecta, nihil ulterius anxio est conatu investigandum.* Ratio hujus est: multa enim in parabolicis narrationibus attexuntur, quæ scopum, ad quem collimant, nequaquam attingunt: quæ tamen non statim pro inutilibus aut ociosis parabolæ partibus sunt habenda. Salmeron. tom. 7. tract. 3. p. 16. hoc adducit simile: *Proponitur gladius, quo panem & carnes secare valeas. Certum est, gladium non omni ex parte scindere, sed ex una tantùm; nec enim per manubrium secat, neque per partem obtusam oppositam aciei; neque per cuspidem, sed tantùm per aciem sive acutam partem secat: Et tamen nemo sanæ mentis dixerit, aut manubrium, aut cuspidem, aut partem obtusam oppositam aciei, necessaria non esse ad scindendum: nam etsi per seipsa non scindant, serviunt tamen, ut pars, quæ acuta est, & ad secandum nata, scindere fortiùs & commodiùs valeat, nam sine illis profecto acies minimè scinderet. Ita in parabolis multa afferuntur, quæ etsi per seipsa sensum spiritualem non efficiunt, conducunt tamen, ut parabola per eam partem scindat & secet, ad quod præstandum ab auctore proposita fuerat. Solo item vomere* (*teste Augustino lib. 16. de C. D. c. 2.*) *terra proscinditur, sed ut hoc fieri possit, etiam cætera aratri membra sunt necessaria. Et soli nervi in citharis atque hujusmodi vasis Musicis aptantur ad cantum, sed ut aptari possint, insunt & cætera in compaginibus organorum, quæ non percutiuntur à canentibus, sed ea, quæ percussa resonant, his connectuntur.* Hactenus Salmeron, qui Augustini verba perquam aptè hanc ad rem transfert: propriè enim divus Pater de historiis sacris, quas allegoricè in multis exponendas esse vult, loquitur, ut antecedentia declarant: *Non sanè omnia, quæ gesta narrantur, aliquid etiam significare putanda sunt; sed propter illa, quæ aliquid significant, etiam ea, quæ nihil significant, attexuntur. Solo enim vomere, &c.* (sequuntur verba à Salmerone adducta) quibus subjicit Augustinus: *Ita in prophetica historia dicuntur & aliqua, quæ nihil significant, sed quibus adhæreant, quæ significant, & quomodo religentur.* Quo de suprà de allegor. sect. 3. artic. 3. sic satis dictum.

## Canon VI.

*Theologia parabolica non est argumentativa.*

CAnon hic in Theologorum scholis tritissimus est. Intelligendus autem de parabolicis expo-

fitio-

fitionibus & accommodationibus non *innatis*, quæ in ipsa Scriptura habentur (illæ enim certas pariunt demonstrationes, perinde ut alia, quæ ῥητῶς in sacris literis habentur) sed *illatis*, & quidem *extortis* & *alienis*, quando vel à scopo, vel à fidei analogia & orthodoxia disceditur, *vel* superstitiosè & anxiè in singulis verbis ac partibus applicandis desudatur: id quod haud malè Mortonus apol. cat. part. 2. l. 5. c. 7. vocat *malè feriantium pruritum*, *qui nimis premendo nasum eliciunt sanguinem* Prov. 30: 33. Atque hæc sunt præcipua de parabolis theoremata & canones, quibus ex Salmer. tom. 7. tr. 3. addi possunt sequentes.

## Canon VII.

*Multum conducit ad parabolarum intellectum, si cognitas habeamus rerum, quæ oculis cernuntur, & artium sive negotiorum, quæ in similitudinibus adducuntur, naturas & proprietates.*

UT V. G. quid sit *thesaurus*, quid *margarita*, quid *granum sinapis*, quæ natura *fermenti*, quid *zizania*, quid *sagena*, sive verriculum, quid *leo*, *serpens*, *vulpes* &c. quæ afferuntur in parabolis: illis enim ignoratis nihil solidum aut excellens de divinis possumus cogitare. Quemadmodum enim ad sensum historicum intelligendum necessaria est linguarum cognitio; ita ad parabolarum intelligentiam non tantùm vocum ipsarum, sed etiam rerum naturalium necessaria est comprehensio.

## Canon VIII.

*Cùm frequenter dicitur, Simile est regnum cœlorum huic vel illi rei, &c. non oportet ex hoc intelligere, similitudinem sumtam in omnibus suis partibus convenire regni cœlorum mysteriis: cum sufficiat, illam servire in ea regni cœlorum parte aut conditione, propter quam declarandam erat assumta.*

ALii succinctiùs & clariùs ita efferunt: *Parabola seu similitudo non est trahenda ultra comparationis tertium*, Sic in quadam parabola Christus comparatur *furi*, Luc. 12. vers. 39. *Si sciret* (inquit ipse) *paterfamiliâs, quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam.* Comparatur furi, non quidem circa omnia, (qui enim convenire queat Christo Domino furis conditio, qui furtum prohibuit, & qui se deprædandum omnibus exhibuit?) sed in illo tantùm, *quòd ut ille venit, quâ horâ non putatur, ita Christus venturus est, quâ horâ minùs putamus.* Sic Luc. 16. imitandus proponitur *villicus iniquitatis*, parabolicè introductus, non in omnibus, sed in solertia, eaque non in omni materia, sed in tali, de qua d. l. sermo est. Sed referri hæc observatio potest ad can. 4. & 5.

## Canon IX.

*Non omnes parabolæ eodem modo concludunt, sed diversis.*


QUædam nimirum *à simili*, ut septem illæ parabolæ Matth. 13. & multæ aliæ, aliæ verò per locum *à dissimili*, ut est parabola *de iniquo judice, qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur; & de amico petente tres panes; & de villico iniquitatis.* Nam in *prima* parabola iniquus judex Dei personam non gerit, sed per illum colligi potest, quantam Deus bonus & justus curam habeat eorum, qui ad eum preces fundunt, q. d. si apud iniquum judicem tantum valuit perseverantia viduæ deprecantis: quantò certiores esse debemus, apud Deum, justitiæ & misericordiæ fontem, valere preces Ecclesiæ & piorum hominum? In *secunda* comparatio est à minori; si enim amicus homo surgit è cubili, & dat non propter amicitiam, sed molestiâ & tædio compulsus: quantò magis petentibus dabit bona Deus, qui & diligit nos ut filios suos, &, ut petamus, hortatur? Talis est & *tertia* parabola de villico iniquo: Si enim laudari potuit is, qui domino suo fraudem faciens, in futurum sibi prospexit, quantò magis à Domino Deo laudabitur is, qui amicos sibi facit de divitiis sibi concreditis. Et tantum etiam de parabolis.

LIBRI

# LIBRI SECUNDI

## PARS II.

# DE SCRIPTURÆ SENSU ERUENDO.



Uæcunque hactenus fuêre in medium allata, eò potissimùm spectant, ut de sensu Scripturarum sacrosanctarum rectè dignoscendo constare faciliùs possit: in quibus enucleandis quod aliquantò fui prolixior, veniam benevolus Lector quin sit daturus, neutiquam dubito. Nunc igitur ad alterum propositi membrum, *de sensu* nimirum *Scripturæ sanctæ eruendo* progrediendum est. [a] Quia enim (1.) quædam primo contuitu obscura in sacris Bibliis occurrunt; quia (2.) Dei omnipotentis λόγια & vivifica verba in illis proponuntur, quæ accuratissimam in homine omnino requirunt pensiculationem & meditationem; quia (3.) de negotio hîc salutis æternæ agitur, quam per ea, quæ nobis in sacrosancto Dei verbo perscripta sunt, consequi possumus & debemus, Joh. 20. vers. 31. quia (4.) profundissima ingenii humani, in divinis ejusmodi cognoscendis, est somnolentia, gravedo & tarditas; quia demum (5.) mira Satanæ, per homines nequitiæ, hæreticorumque catervam, mysterium iniquitatis operantis, in detorquendis falsoque interpretandis Spiritus sancti effatis, est malitia & pravitas: igitur omne misellis nobis hominibus studium eò conferendum, ut de recto, sano & fundamentali totius Scripturæ sacræ sensu & intellectu constet. Id verò ut fieri possit, certo mediorum, ad interpretationem Scripturæ sanctæ facientium, opus est ductu, & quasi cynosura. Quando autem de *sensu Scripturæ eruendo* loquor, sensum intelligo potissimùm *literalem*; ad mysticum enim sensum cognoscendum quæ pertinere videntur, superius suis locis sunt inspersa & exposita. Cæterùm non est, ut plenam & solidam, hac de *interpretationis Scripturarum methodo & modo*, διάσκεψιν à me quis hac vice expectet. Extant virorum de Ecclesia præclarè meritorum erudita de hoc argumento scripta, ex quibus nominâsse sufficiat Tractatum de interpretatione Scripturæ *D. Gerhardi*, Theologi in Academia nostra eminentissimi, quem tomo primo locorum Theologicorum insertum hodie videmus: Tractatum insuper de eodem argumento Theologicum *D. Wolffgangi Frantzii*, Theologi in Academia Wittebergensi celeberrimi & emeriti, quem librum, qui non intelligit, odit & vilipendit. Ego sane nullum tempus felicius & fructuosius (præsens negocium quod spectat) collocâsse me palam profiteor, quàm quod in diligenti integri libri illius lectione & relectione, cum timore Domini insumsi. Deus viro tanto, pro tàm salubri labore, hîc & æternùm benedicat! Sed ad rem. Interpretationis Scripturæ voce duo vel continentur, vel denotantur: unum est *veri & genuini sensus investigatio:* alterum *ejusdem plana & perspicua enarratio*, addita ejusdem ad usum salutarem accommodatione. (Id quod *vel* è cathedra fit, & in Academiis: *vel* è suggesto, & in Ecclesiis.) *Posterius* hoc, concionatoris quâ officium spectat, quæ requirat adminicula, diligenter expositum vides in methodo studii Theologici D. Gerhardi sect. 4. c. 2. *Prioris* (veri & genuini sensus investigationis) extremas hac vice & quasi tenues ducam

[a] Interpretationis Scripturæ necessitas.

cam lineas, idque eo potissimùm fine, ne tractatio hæc, de Scripturæ sensu, principali sua destituatur parte, atque ita mutila sit, manca & imperfecta. Igitur, ut negotium ipsum rectà aggrediar, præsuppositâ cœlesti Spiritus sancti irradiatione (quæ piis, attentis, continuis obtinetur precibus) duo cum Dn. D. Frantzio legitimæ genuini Scripturarum sensus investigationis propono momenta, media & adminicula. *Primum* est, loquelæ & literaturæ sanctæ consideratio: *Alterum* rerum ipsarum, & contextuum inspectio & collatio. De quibus porrò ordine & brevissimè.

## SECTIO I.

### *De primo interpretationis Scripturæ medio, quod est loquelæ & literaturæ sanctæ consideratio.*

a Linguarum studii necessitas.

a LOquela & literatura sancta intelligitur hic non in versionibus primò, (etsi hæ quoque utile conferant hac in re adjumentum) sed in *fontibus*, h. e. illis linguis, quibus Scripturæ sanctæ divinitùs perscriptæ sunt. Unde ὁμολογουμένως certum pono theorema: *Ei, qui Scripturas, quoad omnes & singulas partes,*

b Lexica.

*divino adjutus Spiritu, solidè, accuratè, utiliter, sufficienter & perfectè,* (loquor de sufficientia & perfectione in via, non in vita; in hoc, non in futuro seculo; in Ecclesia militante, non triumphante) *intelligere, aliisque interpretari satagit, Hebrææ, Chaldæo-Syræ, & Græcæ linguarum cognitionem apprimè necessariam esse.* Quâ de necessitate vide præallegatam Dn. D. Gerhardi Methodum studii Theologici part. 2. sect. 1. c. 1. seqq. Non nego ex sacræ Scripturæ versionibus, præsertim accuratis, inter quas B. Lutheri Germanica instar stellulæ enitet, sensum Scripturæ sacræ satis luculenter cognosci, & tantum addisci posse, quantum ad salutis æternæ adeptionem sufficit: continetur enim & illis *verbum Dei omnipotentis, quod potest salvare animas nostras* Jac. 1. vers. 21. Interim tamen ad plenam verbi Dei in Scripturas relati intellectionem, ad plenam efficaciæ & δεινώσεως in verborum quasi cortice latentis apprehensionem, ad plenam ejusdem in adversariorum ἔλεγχον accommodationem, perquam salutare non modò, verum etiam necessarium esse linguarum originalium, (quibus perscriptum ad nos non sine singulari DEI providentiâ ejus

c Concordantiæ.

verbum pervenit) studium, nemo arbitror inter saniores Christianos, nedum Theologos est, qui negatum ire ausit. Quo de, Hebræam quod spectat linguam, uberiùs paulum in fine coronidis vice quædam subjungentur. Est autem consideratio loquelæ & literaturæ sanctæ duplex: *generalis & specialis.*

*Generalis* est, quâ styli sancti affectiones & qualitates genericæ, *partim* ratione totius Scripturarum voluminis, *partim* ratione distinctarum ejus partium, expenduntur & considerantur: quæ διάσκεψις suprà lib. 1. pro ingenioli modulo exposita, ex qua hûc referenda cumprimis ea, quæ tract. 3. & 4. de stylo sancto fuêre dicta.

*Specialis* est, quâ in singulis locis, quorum genuinus sensus eliciendus & cognoscendus est, vocum phrasiumque habitus & structura expenditur. Estque iterum ratione objecti duplex, nempè consideratio 1. *vocum singularum*, 2. *phrasium conjunctarum.*

In *vocibus singulis* accuratè videndum, 1. an vox *propriè*, an *tropice* sumatur; quo de examine superius lib. 2. tract. 2. sect. 1. de sensu literali artic. 4. quædam sunt adducta; plura σὺν Θεῷ in *Rhetorica sacra* sequentur. 2. Quâ in significatione (si vox sit πολύσημος, quod in Hebræa lingua valdè concisa frequentissimum) accipiatur. Ad utrumque hoc necessariò pertinet, *tùm* significationum cognitio, *tùm* certæ significationis ad præsentem locum accommodatio. *Priori* conducunt. b 1. *Lexicorum inspectio*, inter quæ excellunt, in Hebræis quidem, Lexicon Pagnini, Forsteri, Avenarii, Schindleri, Buxtorffii: in Græcis verò (quoad Novum Testam.) Lexicon Budæi, Thesaurus Linguæ sanctæ Henrici Stephani, opus ut absolutissimum, ita laudatissimum: & quod epitome quasi thesauri hujus est, Lexicon Johan. Scapulæ. Quibus quoad utriusque Testamenti literaturam adjungenda Flacii Illyrici p. m. clavis Scripturæ verè aurea, & cumprimis pars prior, in qua de vocum quarumvis & phrasium in sacrosanctis literis occurrentium ratione & habitudine accuratè & solidè disserit. 2. c *Concordantiarum* (uti vocant) *scrutatio.* Sunt enim Concordantiæ nihil aliud, quàm absolutissimi super tota Biblia indices, exquisitissimâ & maximè laudabili hominum doctorum & assiduorum opera confecti, quibus singulæ Scripturarum sacrarum voces ordine alphabetico disponuntur, quot, & quibus in Scripturæ locis qualibet usurpetur, succinctè indicatur, & præterea quibus usurpentur significationibus, certisquasi dispositis areolis innuitur. Quo pacto autem Concordantiis tùm Hebræis tùm Græcis

in ex-

in explanatione vocum V. & N. Test. utendum sit, vide D. Frantz. part. 1. præcepto 2. de intellig. S. Bibl. p. 65. seqq. *Posteriori* conducunt 1. *accurata contextus inspectio*. Etsi enim distinctè proponuntur duo ista interpretationis media & adminicula, in usu tamen sunt conjunctissima, ita ut loquelæ sanctæ consideratio mox contextui ipsi, & contextus vicissim mox illi inservire possit ac debeat. Si igitur πολύσημος sit vox aliqua, contextu diligenter explorato statim patefiet, quâ significatione in unoquovis loco standum sit. 2. *Loci paralleli collatio*. Sæpè enim in locis parallelis vocabula conspiciuntur synonyma, quæ se mutuo explicare in aprico positum est. Atque hæc duo sunt media quasi interna & ἐσωδῆ: Illis subserviunt & alia externa, nempè 3. *Lexica & Concordantiæ*, quarum illa quædam, hæ verò omnia Scripturæ vocabula certis significationum reponunt quasi cellulis. Neque tamen absolutè iis credendum vel inhærendum, nisi ex συναφείᾳ textus probè expensi, dictorum comprobetur veritas. 4. *a Paraphrases & versiones*, inter quas quoad V. T. *Chaldæa*, quoad N. T. *Syriaca* excellunt, quæ quantum pondus in vero vocum Biblicarum cognoscendo sensu obtineant, sani rerum æstimatores norunt. Sæpè sanè verba (vel phrases etiam) in Hebræo textu occurrunt primâ fronte obscuriora, quæ clarissimè & nitidissimè in paraphrasi Chaldæa vertuntur & exponuntur. 5. *b Masora*. Qui tantos in literatura Hebræa fecêre progressus, ut in Masoræ etiam (quæ quid sit, lib. 1. fusè suo loco dictum est) penetrare possint adyta. ii in exponendis vocum Biblicarum in V. T. significatis facem sibi non vulgarem præferri fatebuntur. Exempli vice potest esse vox כָּאֲרִי in Ps. 22. v. 17. quæ licet formam eandem habeat cum כָּאֲרִי *sicut leo*, quod extat Esa. 38. vers. 13. tamen diversam ab hoc habere significationem Masora aperit, unde via facilis ad sensum verum inveniendum aperitur. Vide suprà lib. 1. tract. 1. ubi de hujus Psalmi dicti à corruptela vindicatione agitur. Sic Gen. 8. vers. 11. ad vocem עָלֵה in Masora notatum, ו׳ בְאַטְרוּפִי *sex sunt pro foliis*, seu significatione folii. Nam aliàs עֲלֵה imperativus verbi est, *ascende* significans &c. 6. Addo demùm *Bibliorum interpretes* & expositores. Hactenus de vocibus singulis.

In *phrasibus conjunctis* eodem progrediendum pacto: & præsertim multùm hic prodest collatio phrasium, vel *earundem* in locis parallelis, quorum unus alterum explicat: vel *similium*, in idiotismorum Hebræorum Græcorumve cognitione consistens. Idiotismi illi & peculiares Hebrææ Græcæque linguæ loquendi modi, ut certis includi regulis commodè possunt, ita *Grammatices* sacræ titulo (cui Rhetorica & Logica sacra subnectentur) propediem, DEO vires clementer adspirante, publici à me fient juris. Lineas tantum hic duco, uti anteà dixi, non plenam scribo commentationem: quare sine morâ progredior ad alia.

## SECTIO II.

### *De altero interpretationis Scripturæ medio, quod est rerum ipsarum & contextuum consideratio.*

Est & hæc duplex: *Generalis & specialis*. *Generalem* nomino, qua integra Scriptura sacra, continuo ordine, & quotidiè legitur. Quæ lectio quomodo sit instituenda, vide in Methodo studii Theolog. D. Gerhard. part. 3. sect. 1. cap. 2. p. 143. seqq. *Specialis* est, quæ in singulis Scripturæ textibus obscurioribus interpretandis recteque intelligendis occupata est, dicique uno verbo potest *Scripturarum sacrarum collatio*. Eam constituo iterum duplicem: *Remotam & propinquam*. *Remota* est, qua textus controversus & dubius cum fidei analogia confertur, ad eamque exigitur. Ita enim fieri jubet Paulus Rom. 12. vers. 6. c Est autem *fidei analogia seu regula* nihil aliud, quàm summa quædam cœlestis doctrinæ, ex apertissimis Scripturæ locis collecta, cujus partes duæ sunt: *Prior* de fide, cujus capita præcipua exponuntur in Symbolo Apostolico: *Posterior* de charitate, cujus summam explicat Decalogus: utramque complectitur Apostolus 2 Tim. 1. vers. 13. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audiisti, ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ in fide & dilectione*, h. e. de fide & dilectione; ita enim particula *IN*, alibi quoque accipitur, Rom. 11. vers. 12. Ad hanc analogiam fidei rectè intelligendam pertinent Theologorum certi & firmi canones: 1. *Nullum est fidei dogma, quod non alicubi propriis & perspicuis verbis in Scriptura sacra proponatur*. Ex istis igitur claris & perspicuis dictis de singulis fidei dogmatibus, *fidei regula*, h. e. articulorum scitu ad salutem necessariorum, systema, instar catenæ aureæ, connectitur & colligitur. Quòd si occurrat locus, qui obscurior videtur, & explicatione indiget, cavendum sedulò, ne quicquam proferatur, quod cum

a Paraphrases Biblicæ.

b Masora.

c Fidei analogia.

cum constanti & perpetuâ illâ Scripturæ sententiâ, dogmatumque religionis Christianæ catenâ pugnet. E. G. *Justificationis* nostræ gratuitæ articulus propriissimis & evidentissimis proponitur effatis à Paulo Rom. 2, 3, 4. &c. Gal. 2, 3. &c. & est iste articulus pars catenæ fidei aureæ, seu analogiæ fidei. Jam verò obscurius videtur *caput Jacobi secundum*, quod non soli fidei, sed operibus simul justificationem adscribere videtur. In hujus igitur loci enodatione accuratè ad analogiam fidei, & Paulinam eamque evidentissimam justificationis descriptionem respiciendum, & videndum, ne quicquam ei adversum proferatur. Quomodo autem locus Jacobi explicandus sit, docet ipsa textus συνάφεια probè inspecta, per *fidem* nimirum fidei professionem externam; per *justificationem* ejus exteriorem inter homines declarationem ibi intelligi. 2. Cæterùm monent & hoc Theologi, *quòd regula fidei acceptanda sit integra, neque ejus partes sibi invicem opponenda sint:* seu, quod idem est, quòd unum fidei dogma, quod claris & perspicuis verbis à Spiritu sancto in scripturis proponitur, non sit oppugnandum ex alio fidei dogmate, cujus itidem clara & perspicua in Scripturis extat definitio. Faciebant hoc olim *Ariani*, ex unitate essentiæ divinæ impugnantes Personarum Trinitatem, Filiique veram Deitatem, cùm tamen utrumque credendum, perspicuis Spiritus S. oraculis nobis commendetur. Faciunt & idem nostro tempore *Calviniani*, qui veram & substantialem corporis & sanguinis Dominici in sacrâ Cœna præsentiam, oppugnant veritate naturæ humanæ, seu corporis humani in Christo: cùm tamen utrumque perspicuè in Scripturis exhibeatur credendum, &c. De hac fidei analogia, & consectariis inde deductis, vide latè D. Gerhard. de Interpr. Script. §. 147. seqq.

*Propinqua* Scripturarum collatio est, qua textus explicatione indigens confertur, vel cum *textu continuo & conjuncto*, vel cum *textu separato & disjuncto*.

I. In *collatione PRIORI*, textus interpretandi antecedentia & consequentia (quæ ad eandem materiam vel directè, vel indirectè & per occasionem pertinent) sæpè & accuratè sunt perlustranda ac pensitanda. Id si fiat, dubium non est, quin (adhibito simul adminiculo præcedenti) verus dictorum sensus perspicuè emergat. De hac τῶν προηγουμένων καὶ ἑπομένων συναφείᾳ ita Augustinus tract. 70. in Joh. in pr. *Verba S. Euangelii ita rectè intelliguntur, si cum superioribus reperiuntur habere concordiam, convenire enim debent præcedentiâ consequentibus, quando veritas loquitur.* Tract. 111. in Joh. *Nemo serenissimum sensum nubilosa contradictione perturbet, consequentia perhibeant testimonium præcedentibus.* Rabbinorum fertur dictum: *Nulla est objectio in lege, quæ non habeat solutionem in latere.* Cujus sensus est, si cui occurrat locus difficilis, respiciendum esse ad latera, h. e. antecedentia & subsequentia, & tùm rem omnem fore apertam. JCti dicunt: *Turpe est de lege judicare, tota lege nondum inspecta.* Idem multò magis Theologis & dicendum & observandum, in exponenda lege, & interpretando verbo summi Imperatoris, Jehovæ benedicti &c. Sunt autem in collatione hac præcipuè attendenda tùm *ordo*, tùm *circumstantiæ*. *Ordo* continet Dialecticam observationem membrorum orationis. *Circumstantiæ* variæ sunt, quæ ad hæc capita, disticho inclusa, referri queunt:

*Quis: Scopus: Impellens: Sedes: Tempusque: Locusque:*
*Et modus:* Hæc septem Scripturæ attendito Lector.

1. *Quis.* Circumspiciendum principiò; *quis loquatur.* Interdum enim loquens introducitur DEUS, vel immediatè, vel mediatè per Prophetas, & viros θεοπνεύςους; interdum diabolus; interdum homo vel pius vel impius. Pertinet igitur hûc observatio, quæ suprâ lib. 1. tract. 2. in vindicatione loci Act. 7. vers. 16. attacta, nempè: *Scripturæ narratio, quamvis verissima sit, non tamen omnia, quæ ibi dicuntur, vera esse creduntur*, quem canonem inculcat August. contra Priscill. cap. 9. Ratio ejus patet, quia non semper Spiritus sanctus sua, sed & aliorum, diabolorum impiorumque proponit effata. Sic verissima est narratio de Judæis, Christum blasphemantibus, Luc. 11. vers. 15. Joh. 8. vers. 48. sed ipsa eorum verba blasphematoria vera non sunt &c. Hûc pertinet etiam illud, quòd *in Prophetis personarum loquentium mutatio crebra in eodem contextu contingat:* Mox enim Deus Pater, mox Filius DEI, Mediator noster, mox Ecclesia, mox Propheta, loquentes introducuntur. Vide Psal. 2. & Esa. 63. 1. seqq. item caput 49, 14, 15. cap. 51. 11, 12, &c.

2. *Scopus.* De seductoribus Paulus dicit 1 Tim. 1. vers. 7. *quòd non attendant, quâ de re loquantur, neque quid de ea affirment vel negent.* Ex antithesi igitur vult nos accuratè observare scopum cujuslibet capitis, vel loci Scripturæ sacræ. Considerari autem potest Scripturæ scopus tripliciter. 1. *Universalia*, qua-

quatenus libri sacri ad unicum eundemque scopum omnes collineant, qui est Christus Servator. ***Omnia**, quæ scripta sunt in sacris literis, ad Christum referuntur*, ait August. in Psalm. 71. Inde conjungitur à Christo ipso Joh. 5. vers. 39. & Scripturæ diligens meditatio: *Scrutamini Scripturas;* & Scripturæ unicus ille scopus: *Et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Confer etiam Luc. 24. vers. 44. Act. 10. vers. 43, 1 Corinth. 2. vers. 2. Apoc. 19. vers. 10. [a] Quando autem dicitur, *quòd in scripturis omnia ad Christum referantur*, non ita intelligendum, ac si in omnibus omninò Scripturæ verbis & effatis proximè de Christo Mediatore agatur. Ita olim existimârunt quidam, quos refellit Isidorus lib. 2. Epist. 195. his verbis: *οἱ πᾶσαν τὴν παλαιὰν διαθήκην εἰς τὸν Χριστὸν μεταφέρειν πειρώμενοι, οὐκ ἔξω αἰτιάσεώς εἰσιν, ἐπείπερ καὶ Ἕλλησι, καὶ τοῖς μὴ ἐγκρίνουσιν αὐτὴν αἱρετικοῖς ἰσχύειν ἐν τῇ καθ᾽ ἡμῶν διδόασι μάχῃ. τὰ γὰρ μὴ εἰς αὐτὸν εἰρημένα ἐκβιαζόμενοι, καὶ τὰ ἀβιάστως εἰρημένα, ὑποπτεύεσθαι παρασκευάζουσι.* h. e. Interprete Billio: *Qui universum Vetus Testamentum ad Christum transferre conantur, reprehensione minimè carent. Siquidem & gentilibus & hæreticis illis, qui id repudiant, in sua adversum nos concertatione robur suppeditant. Nam dum ea, quæ de ipso minimè dicta sunt, per vim intorquent, hoc efficiunt, ut quæ de eo haudquaquam contortè dicta sunt, in suspicionem veniant &c.* Sed ita id accipiendum, (1.) quòd multa Scripturæ, præsertim Vet. Test. sint effata, quæ prima fronte aliud præ se ferre videntur: expensa autem, & in Domini timore considerata, de Salvatore nostro vel expressè vel *τυπικῶς* loquuntur: illa igitur perscrutanda, & Christus in iis quærendus. Quò pertinet illud Augustini tract. 9. in Joh. *Non sapit vetus Scriptura, si non Christus in ea intelligatur:* Itemque, quod alius quidam: *Biblia sacra* (inquit) *sunt legenda, ac si sanguine Christi per totum scripta essent.* (2.) Quòd quæcunque in Scripturis proferuntur, tandem ad Christi amorem, & beneficia generi humano præstita nos exerto quasi digito deducant, ut ad summum finem, à quo ut principio & fonte etiam omnia, quæ in Scripturis promittuntur, ad nos promanant. Ut igitur ad analogiam fidei, ita etiam ad hunc scopum universalem semper est respiciendum, ne quicquam in interpretatione Scripturarum proferatur, quod Christo, ejusque vel personæ, vel officio, vel beneficiis, adversum fit, atque ita ejus gloriam labefactet, & beneficia extenuet. Quâ de re alibi plura. 2. *Communiter*, quatenus quilibet Scripturæ sanctæ liber habet proprium scopum, ad quem explicandum omnia & singula capita faciunt. Is deprehenditur ex devota lectione & relectione integri libri. E. G. scopus *Geneseos* est, historia creationis mundi, & vitæ Patriarcharum; *Exodi*, historia Israelitarum in Ægypto pressorum, & ex servitute tandem liberatorum: *Levitici*, constitutio Sacerdotii cum suis partibus; & ita consequenter de reliquis. Deprehenditur etiam quandoque ex observatione temporis, quo auctor vixit. E. G. *Esaias* Propheta ante captivitatem Babylonicam: *Jeremias*, *Ezechiel*, *Daniel*, in ipsa captivitate: *Haggæus*, *Zacharias*, *Malachias* circa tempus solutionis, & posteà vixerunt, ex quo de scopo prophetiarum eorundum non dubium potest fieri judicium. Interdum scopus in *primo libri capite* aphorismo aliquo eleganti exprimitur. Sic Psalmorum scopus exprimi videtur Psalm. 1. quo docetur de felicitate piorum & infelicitate impiorum. Proverbiorum scopus continetur cap. 1. vers. 7. *Timor Domini est initium sapientiæ.* Ecclesiastis cap. 1. vers. 2. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Hunc enim ad scopum omnia referuntur, quæ in isto libro Coheleth tradit. 3. *Singulariter*, quatenus est scopus proprius huic vel illi Scripturæ loco & contextui. Qui cùm in omnibus Scripturæ locis, tùm vel maximè in parabolis solicitè investigandus est, ut interpretatio sit legitima. De parabolis autem ex scopo rectè æstimandis dictum fuit suo loco.

[a] Omnium scopus Christus est, quomodo intelligendum.

3. *Impellens. Intelligentia dictorum ex causis sumenda est dicentis*, Hilarii effatum est. Cum impellente autem causa *occasio dictorum* connotatur. Sic aliter Christus loquitur ad superbos ac præfractos Pharisæos, aliter ad auditores cupidos veritatis, & demissos: Aliter salutis viam monstrat Pharisæo, aliter Nicodemo; ille confidebat, se propriis viribus posse consequi regnum cœlorum, hic verò suam miseriam agnoscens, Christo humiliter erudiendum se subjiciebat. Sic occasio diversa diversificat etiam *Pauli factum*: modò enim Timotheum in gratiam infirmorum circumcidit, Actor. 16. modò Titum ob adversariorum contentionem circumcidi prohibuit, Gal. 2.

4. *Sedes*, nempè alicujus materiæ, thematis sive dogmatis fidei. Maximè enim in Scripturæ explicatione dispiciendum, an aliquo in loco thema, argumentum, articulus fidei, & dogma tractetur ex professo, an incidenter. Si ex professo, is locus sedes ejus articuli dogmatisve appellatur. E. G. Locus de *creatione* tractatur clarè & ex professo Gen. 1.

& 2. Locus de *hominis corruptione & peccato originali* Genes. 3. Psal. 51. Roman. 2. vers. 3. & 7. Doctrina de *justificatione*, Rom. 3. vers. 4. Galat. 2. vers. 3. de *electione* Ephes. 1. vers. 2. 2 Tim. 1. de *sacra Cœna* Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. 1 Cor. 10. vers. 11. Ex his itaque sedibus judicandum est de his materiis. Quod si aliis locis hæc eadem themata tractentur incidenter, ad primarias sedes ea sunt exigenda & referenda, nec (si quædam discrepantia in iis videtur contineri) contra propriam sedem sunt urgenda. Sed potest hoc etiam referri ad analogiam fidei, de qua paulò antè.

5. *Tempus. Distribue tempora & concordabit Scriptura*, Augustini monitum est serm. 16. de verbis Dom. Magni sanè momenti in Scripturarum genuina intelligentia isthæc est περίστασις. DEUS enim aliter alio tempore cum hominibus egit, iisque se modo obscurius, modò evidentius revelavit.

6. *Locus*. Cujus etiam ratio variat dicta & facta. Hierosolymis initio Christiani aliqui sua bona in commune redigebant, quod pro ratione istius temporis & loci, ob crebras scil. persecutiones & secessiones factum; hodiè verò alia Ecclesiarum ratio est &c. Atque ex duabus hisce circumstantiis apparet, quòd Chronologia & Topographia, præsertim terræ sanctæ descriptio cognitioque multùm ad intelligentiam Scripturarum sacrarum faciant.

7. *Modus*. Qui scil. observatus fuit in dicendo, scribendo & agendo. Alio modo Christus concionatus est, dum Judæos vocavit *progeniem viperarum*, & *filios diaboli* Matt. 12. vers. 34. & c. 23: 33. Joh. 8. v. 44. itemque dum Petrum appellavit *Satanam* Matt. 16. v. 23. Videtur modus aut forma sermonis nimium austera, sed rei magnitudinem, zelumque Christi, talis sermonis severitas decuit &c.

II. In *collatione POSTERIORI*, loci, uti vocantur, paralleli & se mutuò respicientes, juxta se ponuntur & expenduntur. Orig. hom 24. in Num. *Faciliùs in Scripturis quod quæritur, invenitur, si ex pluribus locis, quæ de eadem re scripta sunt, proferantur.* Estque hæc collatio (ut docendi causa his terminis utar) vel *reciproca*, vel *aliò directa*.

*Reciproca* est, quâ datus locus cum seipso alibi in sacra Scriptura vel Vet. vel N. Test. repetito confertur. Sic locus Esa. 6. v. 10. *Fac ut pinguescat cor populi hujus* &c. sexies in N. Test. repetitur; Matth. 13. v. 14. Marc. 4. vers. 12. Luc. 8. vers. 10. Joh. 12. vers. 40. Act. 28. vers. 27. Rom. 12. vers. 8. Omnes igitur ejusmodi loci in genuina interpretatione conjungendi. Interdum enim quædam variationes tùm ἐξηγήσεως, tùm brevitatis causâ, in talibus repetitis occurrunt. Et hic in specie commendanda meritò *collatio Evangelistarum*, ita enim illi mutuas sibi operas in descriptionibus tradiderunt, ut, quod unus breviùs & obscuriùs posuit, illud alter suppleat, & clariùs explicet. Cujus rei proponit exemplum evidens summi nominis Theologus D. Chemnitius b. m. in Exam. Concil. Trid. part. 2. de matrim. can. 7. p. 434. edit. Francof. in fol. Pertinet etiam hùc collatio typi cum antitypo, & prædictionum in Veteri, cum earum complemento in N. Test.

*Aliò directa collatio* est, qua locus datus cum aliis confertur, qui congruunt ei, vel paralleli sunt, tùm *quoad phrasin* (quod tamen ad primum potiùs interpretationis medium pertinet, ubi hac de collatione aliquid dictum) tùm *quoad sententiam* & rem ipsam. Una enim eademque res, unum idemque doctrinæ cœlestis caput, sæpiùs in sacris quandoque repetitur, idque σαφηνείας καὶ ἀσφαλείας ἕνεκα. Sic loco Gen. 3. vers. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis*, convenit ille 1 Joh. 3. vers. 8. *In hoc apparuit Filius DEI, ut dissolvat opera diaboli &c.*

Et hæc quidem, quæ hactenus exposita, media sunt *interna*, & οὐσιώδη seu *essentialia*, rectæ Scripturarum sanctarum explanationis, quibus *externum* illud & *accidentale* subservit, [a] *Interpretum* videlicet, & *Expositorum sacrarum literarum lectio*. Duplices ii sunt: Christiani & Judæi: *Christiani* in antiquiores & recentiores dispesci possunt. *Antiquiores* sunt, qui venerando *Patrum* nomine veniunt. Eorum labores exegetici, uti pro interpretationis Scripturæ norma nequaquam habendi, (uti habentur apud Pontificios) ita tamen non abjiciendi, sed gratâ mente acceptandi, gratâ manu tractandi sunt. Lutherus super Genes. c. 2. p. 27. *Labores Patrum venerari decet, fuerunt magni viri, sed tamen homines, qui labi potuerunt, & lapsi sunt.* Vide Method. D. Gerh. sect. ult. cap. 3. p. 256. seqq. *Recentiores* sunt, qui nostro hoc, & superiori seculo operas suas & labores in interpretandis sacris literis publicæ exposuerunt luci, & communi usui. In eorum lectione quis delectus haberi, & quomodo id fieri debeat, dicta Methodus part. 3. sect. 1. cap. 4. p. 159. seqq. exponit. [b] *Judæi* itidem vel *antiquiores* sunt, vel *recentiores*. De utrisque (& prioribus cumprimis) uti minùs Petri Galatini probandam ducimus audaciam, qui Thalmudi scriptisque Judæorum cæteris, plus nimio, cùm in Scripturis explanandis, tùm

[a] Expositores & interpretes Christiani.

[b] Judæi.

tùm in iisdem corrigendis, & ab erroribus, quos somniat, defœcandis tribuit: ita nec illorum laudandum est, ut mollissimè dicam, præceps Judicium, qui Christianis lectione eorum (ut in quibus οὐδὲν ὑγιές) planè interdicunt, eorundemque scripta, etiam exegetica ne cassa digna nuce æstimant. [a] Placet Dn. Schikardi mens, qui, *Est aliquod*, inquit, *inter Judaeos discrimen. Veteres illi multa, suo quodam more, parabolis occultârunt, quæ nostrates Judaastri, & verè* חומץ בן יין *acetum vini proles, h. e. majorum suorum dissimillimi & degeneres Filii, crassè dijudicant. Non igitur è cœco zelo infans ipse, ut ajunt, unà cum lavacri sordibus est effundendus, sed* בין קודש לחול *inter sacrum & profanum cautè distinguendum, neque tam quis dicat, quàm quid dicatur, attendendum.* In Capit. Patrum dictum fertur Benzova: איזהו חכם הלומד מכל אדם *ecquis est sapiens? qui discit à quovis homine.* Casaubonus, vir acutissimus, exerc. 16. ad annal. Baron. c. 8. ita judicat: *Rabbinis, ubi de lingua Hebraica agitur, & vocis alicujus proprietate, vel aliquo Thalmudico instituto, meritò à Christianis tribui non parùm. Ubi verò à verbis venitur ad res, aut ad historiam* (ut & ad sensum scripturæ sanctæ, in iis præsertim locis, quæ de Messia agunt) *nisi falli & decipi volumus, nihil admodum esse illis fidei habendum.* Et hoc limitationis quasi malagmate lenienda esse judico verba B. Lutheri, sicubi duriùs in Judæorum Magistros invectus fuisse legitur: uti & Johannis Forsteri Hebræi excellentis, quæ in præfat. Lexici posita contra Rabbinorum Peruschim seu commentaria visuntur. Sed satis tandem pro propositi ratione. DEUS Ter Opt. Max. in veritate suâ æternùm nos conservet: VERBUM EJUS VERITAS EST! Amen.

[a] In Rabbinorum scriptis quædam bona.



Sermo

*Sermo auspicalis Cal. Nov. Anno 1621.*
*habitus, de illo themate:*

# Theologo futuro ita necessariam esse Hebrææ Linguæ cognitionem, ut eâ vel planè non, vel difficulter carere possit.



CUm mihi, *Magnifice Dn. Rector, Per-Illustris & Generosiss. Domine, Dn. Erneste Ludovice, Comes ac Dn. in Mansfeld, nobilis Dynasta in* Heldrungen / *Domine in* Schrapla & Seeburgk / *Domine Clemens, Vosque ceteri inclyta hujus Academiæ Salanæ Proceres & Professores celeberrimi, Viri Reverendi plurimùm, Magnifici, Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimique Dn. Præceptores, Fautores & Collegæ æternâ animi observantiâ colendi: Tuque studiosorum Nobilissimorum Præstantissimorumque corona eximia!* Cùm, inquam, mihi haud ita pridem docendi in hac splendidissima Academia Salana munus, ab Illustriss. & Celsiss. Principibus ac Ducibus Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, Montium &c. utriusque lineæ, splendissimæ hujus Academiæ benignissimis Nutritiis, Dominis meis clementissimis, demandatum esset, egoque mearum partium esse ducerem, oratiuncula inaugurali, & sermone quodam παρασκευαστικῷ felix istius provinciæ, meis impositæ humeris, facere initium; non diu multumque animo deliberandum fuit meo, quâ in re, quo in scopo, quâve in materia mea versaretur oratio. Ecce enim Hebrææ mihi linguæ inculcandæ enucleandæque sparta injungitur. Hebræam si linguam dico, rem dico, quæ omnium verè Christianorum & mentes & oculos in se convertere, æstimationemque cum admiratione summâ conjunctam concitare debet & potest: Hebræam si linguam dico, eam dico linguam, quæ inter omnes linguas, sive sermonum differentias, quas infinitas ferè & innumerabiles infinita hominum locorumque totius hujus orbis habitabilis varietas effecit, tantum suum effert caput, quantum lenta solent inter viburna cupressi. Quod si ii, qui suas, quas secum habent, merces venales exponunt, & divendere cupiunt, easdem operosè ac graviter collaudare non verentur, juxta illud Poëtæ: *Laudat venales, qui vult extrudere merces: si Navita de ventis, de tauris narrat arator, Enumerat miles vulnera, pastor oves*, juxta illud Poëtæ πολυθρύλλητον. Si (ad liberalium disciplinarum ut propriùs accedam circulum) Metaphysicus sui Entis, unici, veri, boni; Physicus corporis sui naturalis; Logicus suorum noëmatum, discursuum & syllogismorum; Ethicus summi sui boni, suæque virtutis; Mathematicus suorum circulorum, quadrilaterum & octangulorum; Medicus suarum κρίσεων, suorumque pharmacorum; JCtus suorum contractuum & actionum, & processuum; Theologus demum sui, quod tractat, cœlestis verbi, laudationem commendationemque omni animi suscipere conatu non dubitat: Ecquis est, qui vitio mihi vertet, quod sine ulla prævià deliberationis quasi acie, ad Hebrææ statim, quæ mel meum est, meum Nectar & Ambrosia, meus scopus, mea prora puppisque, linguæ encomium prolabor: Non ut lanæ, quod dici solet, caprinæ, atque rei nauci floccique pendendæ, vanâ prædicatione glaucoma hominum objiciam oculis mentibusque: sed ut linguæ illius, in cujus enucleatione mea imposterum occupari jubetur industria, dignitatem, majestatemque cum miranda jucunditate & permulta utilitate conjunctam delineem, delineatam proponam, propositam collaudem,

dem, collaudatæ gustum aliquem & dulcedinem iis moveam, quibus præclaro hujus linguæ studio aliquid dare operæ volupe fuerit. Cæterùm, ut in splendidi alicujus ædificii palatiique Principalis perlustratione fieri consuevit, ut non leviter tantùm & uno quasi obtutu simultaneo ejus pulchritudo aspiciatur, sed ut singulæ etiam ejus partes, singula conclavia, singula ornatuum splendorumque momenta accuratè oculis perlustrentur: ita in venusti hujus ædificii (Hebræam linguam intelligo, cujus potiorem aliquam partem Hebræorum Antesignani בנין *ædificium* appellitant) perlustratione & commendatione agendum mihi esset, ut non leviter saltem & quasi per transennam illud aspiciendum proponerem, sed ut singulas etiam partes accuratiùs persequerer, & longo dicendi tractu ea in medium proferrem, quæ ad sanctæ hujus structuræ & linguæ commendationem faciunt. Dicendum nimirum esset de ejus, quam habet, origine & scaturigine, de ejus, quem agnoscit & sanctè veneratur, auctore & productore, à quo mirabile ad ipsam dignitatis derivatur axioma. Dicendum esset de ejus, quâ magnificè incedit, quaque nulli alii facilè cedit linguæ, mirandâ antiquitate, in qua quanta pro veritatis stabilimento vis & auctoritas sita sit, æqui verique rerum æstimatores satis superque norunt. Dicendum esset de ejus, quam tractat, materia, de scopo & objecto, in quo unicè occupatur, de divina oraculorum cœlestium auctoritate & majestate, quæ hoc, Hebræi nempè sermonis, involucro veluti tecta V. T. tempore ad terrarum incolas cœlitùs venêre & continuato ordine ad nostras quoque, qui in Novissimo dierum anhelantem trahimus Spiritum, divinitùs pervênere manus. Ista inquam, & longè plura orationis luce collustranda, & apertum quasi in theatrum producenda essent. Sed missis illis omnibus, temporisque nostro præstituti proposito, habitâ ratione, unius duntaxat levi brevique orationis cursu suscepturus ascendo pertractationem, in quo potissimum dignitatis sanctæ hujus linguæ pondus & momentum situm est. Cum enim rem quamlibet in toto hoc universo ex fructu, commodo & utilitate æstimare soleamus; Hebræam etiam literaturam ex sua, quam insigniter & ubertim in sacro Theologiæ stadio studioque obtinet, utilitate summâ, commoditate admirandâ, dignè æstimabo, planumque faciam, *Theologo futuro ita necessariam esse Hebr. ling. cognitionem, ut ea vel planè non, vel difficulter carere possit.* Rem arduam, ut videtis, & splendidissimo hoc auditorio non indignam, &, vestris auribus non injucundam suscipio: Quod si exoptata benevolentiæ vestræ attentionisque aura, Auditores omnium ordinum honoratissimi & spectatissimi, cymbulæ haud defuerit meæ, ejus ita moderabor cursum, ut evitato prolixæ orationis circuitu, portum citiùs & faciliùs adspiret, faciamque, ut id quod rerum dicendarum gravitati & sermonis venustati ac elegantiæ (quam abesse lubens profiteor) decedit, jucunda brevitate utcunque compensem. Atque ut idipsum quidem à vobis fiat, obnixè summoque contendo opere.

SI, quæ ad hominem Theologum potissimum spectent officia, exacta veritatis trutinâ perpendatur, & quærendo investigetur, ad respondendum sese parat sanctus gentium Apostolus, dum requirit, ut *ὁ ἐπίσκοπος* sit *δυνατὸς παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, ut Episcopus sit potens exhortari in doctrina sana, & contradicentes reprehendere.* Verissimè hoc, & non ex Apollinis, quod olim jactabatur, tripode, sed ex supernæ veritatis adyto prolatum est. Quemadmodum enim urbis ac templi Hierosolymitani reparatores (a) jussu ducis sui gladiis accincti stabant, unâ quidem manu laborem perficientes, alterâ verò ferentes gladium: ita ministrorum quoque Ecclesiæ, qui in spirituali DEI domo exædificanda, exornandaque suam locant operam, officium hoc est, ut in perpetua qs. acie stantes, & sanâ doctrinâ ædificent, & cœlestis veritatis hostes, gladio Spiritus repellant. *Debet divinarum Scripturarum tractator & doctor,* (verba sunt gravissimi ex antiquitate scriptoris (b) Augustini) *defensor rectæ fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere, atque in hoc opere sermonis conciliare aversos, remissos erigere, nescientibus, quid agatur, quid expectare debeant, intimare.* Atque ut sermonis mei faciam compendium, Theologi munus partim in *docendo* consistit, partim in *pugnando:* docendo rudes in cœlesti veritate informat, Scripturam sanâ interpretatione explanat, afflictos item consolatione erigit, rebelles & refractarios à ruina & exitio præmonet. Pugnando in aciem contra veritatis hostes hæreticos procedit, fidei nostræ articulos ex Scripturis probat confirmatque, falsas contrà doctrinas ejusdem Scripturæ SS. gladio configit, & ex Ecclesiæ proscenio ejicit. Ad utrumque Theologici requisiti genus ritè obeundum, si magnam imò maximam vim obtinere Hebraicæ literaturæ cognitionem probatum dedero, sponte thematis mihi præstituti veritas exinde elucescet. (c) Atque ut de *διδασκαλίᾳ* priori loco dicamus, ejus

(a) Nehe. 4: 17.

(b) lib. 4. de doct. Christ. c. 4.

(c) Muneris Theologici pars prior est *διδασκαλία.*

ejus fundamentum & fortissimum ἑδραίωμα καὶ ςύλος est sana & orthodoxa Scripturæ S. interpretatio. Hæc enim מקרש יה res DEI sancta est, quâ voce sacra Biblia Rabbini indigitant, testante Petro Gelatino, (a) quæ sanctè habenda, & ceu preciosissimum κειμήλιον unicè veneranda & veneranter tractanda est: hæc דבר יהוה λόγια θεȣ̃, eloquiorum DEI Oceanus & abyssus est, quâ voce Apostolor. ἀκρότης καὶ κορυφὴ Paulus utitur. (b) Hæc est communis medica animar. officina, ut Basilius: (c) omnipotentis epistola ac homines missa, ut Gregor. (d) ex Augustino: τροφὴ ψυχῆς, nutrimentum & cibus animæ ut Athanasius; (e) uno verbo, hæc ῥήματα τῆς ζωῆς αἰωνίȣ, verborum vitæ æternæ pulcherrimum atque abundantissimum ταμεῖον est, ut emphaticè D. Petrus eam appellitat: quam proinde ἐρευνᾷν scrutari, sagaciter instar canum, feras indefesso studio sectantium, inquirere, atque è latebris eruere, jubet Salvator noster Benedictus: quod quin per sedulam & diligentem ejus, quæ per ipsam, ducente Spiritu altissimi, suscipitur, interpretationem fiat, nemini potest esse dubium. Jam verò ἀποτολμήσας ego, audacter & constanter asseram, sine sanctæ, quæ Hebraica est, literaturæ cognitione, ad solidam Scripturæ interpretationem perveniri nequaquam posse. Quod ut fiat evidens, considerate quæso, paulisper mecum linguæ hujus, de qua loquimur, usum mirabilem conspici, *partim* in libris, quibus V. T. tempore divina oracula exarata sunt: *partim* in iis, quos in N. T. Christus Apostolis, tanquam manibus suis scribendos dictavit: *partim* etiam in aliorum, quas in utroque dictorum librorum genere habent, expositionibus intelligendis, dijudicandis, discernendis. (f) Dixi ad V. T. libros Propheticos interpretandos fideliter, intelligendos salubriter, apprimè conducere Hebrææ linguæ peritiam. Ad ejus probationem, si nihil in promptu esset aliud, hoc certè foret efficacissimum, Hebræo idiomate illos libros divinitùs exaratos ad nos pervenisse. Quantum enim nativæ linguæ, quâ quodlibet perscriptum est, γνῶσις, ad ipsius rei, quæ perscribitur, intelligentiam faciat, publicè & notoriè me etiam tacente, constat. Quis de diplomate Regis Galliarum rectum ferre poterit judicium, qui idiomatis Gallici ignarus & expers? quis Italicum cum fructu legere, & in succum sanguinemque convertere poterit scriptum, qui ipsemet in Italica lingua planè ἀναλφάβητος & hospes est? quis Græca, quis Latina, quis Polonica & Bohemica, quis Arabica & Turcica capere valebit, nisi eas ipsas linguas earumque cogni-

(a) l. 1. de arcan. Cathol. verit. c. 1.
(b) Rom. 3: 2.
(c) in Ps 1.
(d) lib. 4. epist. 84.
(e) Dial. 2. contra Maced. Joh. 5: 39.
(g) Es. 7: 14.
(f) Usus Ebr. linguæ in V. Test.

tam & perspectam habeat rationem? Et longè quidem minora hæc sunt, quàm ut cum iis, de quibus tractamus, ipsarum literarum divinitùs perscriptarum intelligentiâ, comparari possint. De salute animarum, de salute, inquam, animarum hîc agitur, quæ orthodoxa Scripturæ explanatione & interpretatione acquiri & servari; depravatione perdi & pessundari potest. O verò quam horrendum, incidere in manus Dei viventis, & animæ ipsius, æternæque salutis facère dispendium! Verùm nondum in generali isto thematis mei persistam munimine: sed distinctè & in specie recensebo eas, quas in Vet. T. librorum interpretatione accuratâ Hebræa literatura obtinet, utilitates. Et initiò quidem, indefesso & sedulo libri sacrosancti scrutatori unguibus digitisque suis notius est, Spiritum Excelsi in Scripturis crebrò per nomina agere propria. Inde nomen proprium alicui vel homini vel rei imponi dicitur, cum indicetur res ipsa tali nomine significata. Cujus exemplum unicum & evidentissimum quidem, ex Vatum sanctorum coryphæo desumtum modò sufficiat: Ille enim, de Salvatore nostro ejusque beneficiis tractans, graviter asserit, (g) קראת שמו עמנואל *vocabit* seu *vocabitur nomen ejus Immanuel*, non quasi eo ipso nomine, iisdem literis, syllabis & apicibus vocitandus Messias fuisset: Sed quod talis omninò futurus esset, qualis eo ipso nomine describitur. Sic varii etiam successus à Prophetis non in visionibus solùm & apertis oraculis: sed in nominum etiam propriorum impositione delineantur. Cujus exempla non minus claritate perspicua, numeroque plura produci possent, si temporis & instituti ratio permitteret. Jam consideret quis, quomodo in nominum illorum propriorum (in quibus interpretationis Scripturæ non minima pars posita est) expositione felici gressu progredi, & ita ad intimum Scripturæ intellectum penetrare, quis sine Hebr. linguæ peritiâ possit? In nomine (quod ἀνεκφώνητον ineffabile esse, Judæi, licet superstitiosè & perperam asserunt) in nomine inquam, JEHOVAH, quantum pondus pro asserenda Jesu Christi verâ Deitate situm sit, publicè in Ecclesia DEI constat. At quomodo hoc telo fortiter uti fideliterque pugnare poterit is, qui sermonis Hebraici ignarus, ne quidem scit, quid vox Jehovah nativo suo & genuino significatu notet, quæve in se contineat mysteriorum profunditates? Quis vocem alteram *Adonai* ritè intelliget, rectè aliis proponet, si vim vocis non habeat cognitam, quòd soli DEO nomen propriissimum sit, quòd talem notet Dominum, qui omnium rerum absolutus Domi-

nus

aus est, κύριος κυριευόντων, καὶ βασιλεὺς βασιλευόντων, talem qui אבן basis, sustentaculum & fulcrum sit, cui omnia in toto hoc universo ceu principio suo insistunt, quo vegetante consistunt & vivunt, quo vim suam detrahente, in vanum, imò purissimum nihil abeunt; talem, in quo ceu basi *vivimus, movemur & sumus*; (a) talem qui piis etiam & fidelibus in quibusvis adversis tribulationumque turbinibus אבן fulcrum, sustentaculum & munimentum præstat, ne animis fracti, tentationibus absorpti, à Satana devicti, concidant, & salute sua excidant. En hæc omnia & alia, quæ jam supervacaneum esset enumerare, in unica illa continentur voce. Quis porrò nominis *Schilo*, quod Messiæ futuro appropriat vates divinus; (b) quis nomen *Jehovah Zidkenu*, quo apud Jeremiam (c) insignitur idem noster Mediator; quis appellationem *Zemah*, eidem attributo apud Zachariam; (d) quis nomen Patriarchæ *Abram*, & posteà conversum *Abraham*; quis *Jacobi* & *Israëlis*, quis *Salomonis* & *Jedidiæ*, quis nominum aliorum vel myriada ritè explanabit, vimque & emphasin intelliget, qui non ipsemet Hebrææ linguæ gnarum ad Scripturas adfert intellectum? Quòd si quis putet, in minutiis istis, & nominum propriorum explicationibus non adeò multum momenti situm esse: is præter ea, quæ dicta sunt, attentum mentis oculum paulisper reflectat ad exempla eorum, qui in omnium propriorum vana & falsa vel scriptione vel lectione, vel notatione, vel interpretatione; suam aliis non solùm prodiderunt inscitiam, sed in errores etiam haud vulgares prociderunt. De nomine tetragrammato Jehova paulò antè est dictum. Id quidam ex Græcis Patribus olim legebant & scribebant *Pipi*, uti notat Hieronymus (e). Unde quæso, novi illi pipiones nobis, nisi ex Hebraicæ linguæ, quæ in superioribus seculis deplorandum in modum inoleverat, inscitiâ & ruditate? quod enim Hebraicè per יהוה scriptum erat, illi in literas Græcas, Hebraicis non admodum dissimiles convertebant, ה putabant ob convenientiam esse Græcum Π. ו & י putabant esse Græcum Iῶτα, unde tandem ineptum & risu excipiendum illud Pipi excusum est. Possumus hujus rei afferre exempla etiam alia. Josephus, qui ipse ἑβραῖος ἐξ ἑβραίων fuit, tamen ab omni circa propria nomina errore immunis plane non est. In antiquitatis enim Judaicæ historia (f) *Habel*, inquit, πένθος *luctum significat*. Vana profectò nominis istius, quo Protoplastorum filius secundo genitus insignitus fuit, interpretatio! Habel enim non ab אבל *luxit* (quod sine aspiratione scribitur) sed ab הבל *vanitate*, originem ducit suam, quod nomen Eva mater omnium viventium, temporum lapsum insecutorum miseram conditionem secum perpendens, Filio suo dedit. Theodoretus (g) Adam primi hominis nomen deduci ait à loco, *Eden*, in quo plantatus olim paradisus. At imposuit magno Viro falsa scriptio vocis Edem in Græcorum libris, cum *m* in *n* converso *Eden* legendum sit. Non igitur ab Eden horto, sed ab אדם *rubuit*, nomen dictum derivatur, propterea quod ex rubra conditus fuisset terra. Addamus exemplum etiam ex literatura Syriaca, quæ Hebraicæ quasi filia est. Interpretationem vocis כיפא quæ *lapidem* denotat, quodque nomen Petro proprium fecit Servator noster, Cardinalis Baronius (h) cum Optato Milevitano, quem adducit, non ex Syra nativa, sed Græca arcessit linguâ, ut כיפא dicatur ἀπὸ τῆς κεφαλῆς *à capite*. Spectatum admissi risum teneatis amici! Audite verò ingens in hoc nomine mysterium: *Petrus est* כיפא h. e. κεφαλὴ, *quia totius Ecclesiæ Catholicæ caput & fundamentum est, qui suam etiam vim Pontificibus Romanis continuâ successione communicavit*. O ineptam vocis Syriacæ interpretationem! ô insignem, qui ex illa ipsa interpretatione fluit, errorem! Relinquamus verò hanc de nomine proprio palæstram, & ad illud accedamus, non solùm nominum propriorum, verum etiam aliarum vocum, in quibus emphases δεινωτικαὶ continentur, vim & genuinam significationem, solidamque interpretationem; sine sanctæ linguæ peritia haberi minimè posse. Quis nescit, sæpiùs de Liberatore nostro Christo Jesu in Scripturis usurpari vocem *Goël*? quotus verò quisque est, cui de vi & emphasi ejus vocis ex asse constet, nisi Hebræum ipsum adeat fontem, & ex imo quasi fundo significationem ejus arcessat. Latinus per vocem *redemtoris* Hebraicum illud vocabulum exprimit: dicitur aliquid, sed non omne. Græcus λυτρωτοῦ dictionem adhibet: plus dicitur, & persoluti precii, quod in redemtione necessarium est, mentione insertâ ἐμφατικωτέρως, quam in Latina voce, id dicitur: at nondum totum vocis pondus exhaustum. Significat enim Ebræum vocabulum, propriè & accuratè loquendo, ejusmodi assertorem & vindicem, liberatorem & redemtorem, qui jure consanguinitatis motus, causam propinqui sui interfecti asserit, ejusque sanguinem vindicat; vel qui bona à consanguineo proximo, donatione seu venditione, vel quoquo modo devoluta, & contractu quodam implicata, jure proprietatis pristinæ ei rursus asserit & vendicat. Hæc vis illa vocis dictæ est, unde facilè liquet, qua-

(a) Act. 27. 28.
(b) Gen. 49. v. 10.
(c) c. 23. 33.
(d) c. 6. 13.
(e) Ad Marcellam Epist. 136.
(f) l. 1. c. 3.
(g) quæst. 25. in Gen.
(h) tom. 1. annal. an. 31. col. 111.

qualem Vet. Test. patres expectaverint exoptaverintque Messiam & liberatorem. Longam vocum ejusmodi emphaticarum telam texere possem, nisi promissi recordatio continuò de succinctâ, quam proposui, brevitate aurem mihi vellicaret. Igitur ad aliud pervenio, in quo forsan sanctæ linguæ utilitas adhuc conspicitur magis. Nemini enim, qui vel primis hanc linguam degustavit labris, incompertum est, plurimos dari in illa idiotismos & loquelas, huic sermoni quasi intimâ οἰκειώσει appropriatas, quarum interpretatio non dico difficulter, sed vel planè non haberi potest absque ejus, quam collaudare instituimus, linguæ peritiâ: ita ut idiotismorum eorum pravo intellectu quidam fascinati non parùm à regio veritatis interpretandæ tramite aberraverint. In sententiarum illustrium libro (quem πανάρετον σοφίαν (a) Eusebius indigitat (b) verba Hebræa habent: תֵּן לְחָכָם *da sapienti, & ampliùs sapiet;* ubi per idiotismum *dare pro docere* accipitur, q. d. doce sapientem & amplius sapientiam acquiret: sicut è converso *capere*, eodem idiotismo, *discere* significat, uti ex ejusdem libri vestibulo apparet, ubi dicitur, (c) *ad capiendam disciplinam intelligentiæ.* At vim phraseos illius & idiotismi non percepit vulgatæ Latinæ versionis auctor, qui pro *da sapienti*, habet: *da sapienti occasionem.* Quasi verò ullus in Hebraico sermone hiatus & defectus agnoscendus esset! In libro εὐθέων (d) Josephus Principis pistorum exponens somnium, tali utitur sermonis formâ: *Adhuc tribus diebus* יִשָּׂא פַרְעֹה אֶת־רֹאשְׁךָ *tollet Pharao caput tuum.* Tollere caput, idiotismo linguæ sanctæ idem valet, ac recensere, ut ex collatione locorum (e) aliorum apparet, & ita prædictum locum exponunt Aben Ezra & alii interpretes, neque aliter exponi debere, sequentia ostendunt verba: *sustulit caput principis pincernarum & principis pistorum inter servos suos.* At ignorantiâ phraseos hujus quidam ducti vertunt: *auferet Pharao caput tuum à te*, h. e. amputabit tibi caput: seu ut alius, tu abhinc tres dies jussu Pharaonis securi ferieris. Cùm tamen ipsa historia huic interpretationi refragetur, quæ suspensum hominem illum fuisse, nequaquam verò truncatum capite edocet. En exemplum aliud! Davidis verba sunt (f) in odarum sacrosanctarum libello aureo הַכֹּל סָר *Omnis recessit, simul rancidi facti sunt.* Quorum prius plerique ita explicant, *omnes declinaverunt*, scil. à via recta: ἀγνοοῦντες scil. vim metaphoricam & idiotismum verbi *recedere*, quod venustè admodùm ab Ebræis de *vino* usurpatur, quando in vappam resolvitur, uti ex Hoseæ

(a) l. 4. hist. c. 22.
(b) Prov. 9: 9.
(c) Prov. 1, 3.
(d) Gen. 40, 19.
(e) Num. 1. 2. Exod. 30. 2.
(f) Psal. 14, 3. Psal 53. 4.

(g) loco constat, ubi ita legimus: סָר סָבְאָם *recessit vinum eorum.* Græci hujusmodi vinum dicunt ἐξεστηκὼς, & Cicero *vinum fugiens* appellat. Et confirmat hanc verbi *recedere* significationem membrum subsequens, quando dicitur נֶאֱלָחוּ *rancuerunt, rancidi facti sunt*, quæ metaphora à cibo desumta, eleganter insequitur illam, quæ à potu deducta est. Ejusdem Davidis verba sunt: (h) נַפְשִׁי בְכַפִּי *Anima mea in manu mea semper, & legis tuæ non sum oblitus.* Hunc Davidis versum plerique veterum ita immutant: *Anima mea in manu tua semper.* Verùm nunquam hoc fecissent, si idiotismum intellexissent sanctæ linguæ, quâ *animam in manu gerere* idem valet, ac in perpetuo vitæ versari discrimine. Inde Chald. sensum suâ in paraphrasi hac ratione commodissimè expressit: *Anima mea periclitatur, ut si in manu mea esset semper.* Cui interpretationi firmandæ sunt loca Scripturæ sanctæ alia, ut quando dicitur, (i) *Posui animam meam in manu mea, & transivi ad filios Ammon, & tradidit eos Dominus in manum meam.* Ubi sensus est: cum vitæ periculo trajeci ad Ammonitas. Et alibi (k) *Posuit animam suam in manu sua, & percussit Philistæum:* Itemque (l) *Cur tollam carnem meam dentibus meis, & animam ponam in manu mea?* h. e. cur subibo vitæ periculum. Addam & hoc: In libro Ecclesiastici, qui & Siracides dicitur, ita olim scriptum erat: *Noli arare mendacium adversus fratrem tuum* (m). Supervênere falsi & audaces emendatores, quibus ea phrasis ignorata, ideò locum, quem in vitio positum rebantur, ita correxerunt, ut ex *arare amare* facerent: *Noli amare mendacium.* Ex ignoratione idiotismi id factum, quo *arare mendacium* eodem sensu apud Hebræos dicitur, quo *arare malum*, h. e. machinari, atque ita à Rege mortalium sapientissimo usurpatur (n). Ex eodem fonte dimanavit distinctio illa inter phrases, *credere alicui, & credere in aliquem*, quam ita Augustinus proponit: (o) *Si creditis in eum, creditis ei, non autem continuò, qui credit ei, credit in eum, nam & dæmones credebant ei, & non credebant in eum. Rursus etiam de Apostolis ipsius dicere possumus: Credimus Paulo, & non credimus in Paulum, credimus Petro, sed non credimus in Petrum; Quid est ergò credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari.* Hactenus Augustinus ille vetustatis scriptor, cujus verbis fidem derogare religio nobis esset, nisi sublimior auctoritas, proprietas nimirum & usus

(g) c. 4. 18. (h) Psalm. 119: 109. (i) Jud. 12: 13. (k) 1 Sam. 19: 5. (l) Job. 13: 14. (m) cap. 7: 13. (n) Prov. 3: 29. (o) Tract. 29. in Joh.

usus sermonis Hebraici in V. Test. scriptis diversum suaderet. Ibi enim illa distinctio phrasium nullius planè valoris est & ponderis, sed pari significatu dicitur, credere Deo *&* in Deum, credere hominibus & in homines. Ut cum hinc inde dicitur, (a) *Crediderunt in Deum* & *in Mosen servum ejus.* (b) *Ecce in sanctos suos non credet.* (c) *Et credidit Achis in David.* (d) *Credite in Prophetas, & feliciter agite.* (e) *Noli credere in eos.* Sed in re manifestâ quid immorari diutiùs necessum est? Unicum adhuc silentio hic non prætereundem, ex ignoratione proprietatis Hebrææ linguæ Hieronymum etiam (at quantus in hoc sermonis genere vir illè!) alicubi vel erràsse, vel certè insigniter dormitàsse, quando (f) locum istum illustrem & classicum: (g) *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens:* ad Latini sermonis consuetudinem ita exponit, *Non justificabuntur omnes, justificabuntur verò aliqui.* Mirum sanè, virum Ebraicæ literaturæ peritissimum non vidisse, conformem ex asse illam locutionem Psaltis esse reliquis, in quibus particula negativa universali כל־ adnexa, non particularem, sed universalem negationem indicat, ut *non omnis* idem sit, quod *nullus:* quales locutiones (ut ex magna sylvula aliquas tantùm colligamus) occurrunt in effatis Spiritus sancti istis: (h) *Non justificabitur ex operibus legis omnis caro*, id est, nulla caro. (i) *Non salva fieret omnis caro*, id est nulla. (k) *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*, id est, nullum verbum. Intelligitis, puto Auditores, quàm facilè imponi in Scripturarum interpretatione possit ei, qui rationem idiotismorum in Hebraico sacrosanctocanone usurpatorum ignoraverit. Et hæc omnia quidem, quæ hactenus dicta, parum pensi habere vellem, si certò constaret, absque Hebrææ linguæ peritiâ in toto aliquo contextu Biblico ritè explicando, pede inoffenso quempiam posse progredi. Verùm, unicum hoc mihi quæso credite, non potest. Quomodo enim idiotismorum & peculiarium phrasium, quæ sæpius in una periodo coacervantur, quomodo vocabulorum emphaticorum jucundam συμπλοκὴν & congeriem, quomodo constructionis & συντάξεως varietatem eruditè dissolvere, nervosè in suas quasi partes distinguere, & ut Apostolus loquitur, ὀρθοτομεῖν, adeoque de iis rectum ferre judicium poterit is, cui lingua Spiritus sancti, quâ usus, arbores in sylva Bohemica sunt? Possem hoc etiam exemplorum vivo lumine collustrare, nisi à quovis in lectione SS. Bibliorum experimentum ejus, quod dixi, toties haberi posse scirem, quoties in attenta textus SS. Hebraici evolutione suam experiri vult industriam. Verùm enim verò videor ego mihi audire quosdam ἱερογλωττοςυγεῖς, sacræ hujus linguæ ignavos osores, contra ea, quæ pro patrocinio & encomio linguæ istius dicta sunt, hac pugnare objectionis hasta: Tota sacra Scriptura eruditè translata est in alias linguas, Græcam, Latinam & Germanicam, qui transtulerunt, fuêre homines linguæ ejus peritissimi, quibuscum ne millesimâ parte nostri seculi comparari queunt homines; hisce translatoribus tutò fidere & niti possumus, eorumque expositionibus stare, ut non adeò inevitabilis linguæ ipsius Hebraicæ addiscendæ necessitas esse videatur. His ut mitissimè & breviter respondeam, fateor sanè, ingens Dei ipsius beneficium esse, quod Spiritu suo talia excitat & inflammat ingenia, quæ Scripturam ritè in alias vernaculas linguas transferre queunt, & ut transferant, nulli labori, nulli sudori, nullis sumtibus parcunt: hac enim nunquam satis laudatâ operâ eorum inservitur apprime usui, qui aliorum negociorum districti nexibus, ipsimet sacrarum literarum fontem adire, ex eoque aquas dulciùs bibere nequeunt. Verum nos hîc loquimur de futuro Theologo, cujus officium vel maximè est, non in versionum solùm hærere quasi vestibulo & atrio, sed in ipsum etiam Sanctum sanctorum, cum summo V. T. Sacerdote, in ipsa Dei loquentis adyta penetrare, h. e. ipsummet Spiritum sanctum, nativâ loquentem linguâ, attendere, ut ita cum Samuele Propheta sancto dicere possit דַּבֵּר יְהוָה כִּי שֹׁמֵעַ עַבְדֶּךָ (l) *loquere Domine, quia audit servus tuus.* Quin etiam totum illud, quod à contrariante adfertur parte, inverti & retorqueri potest. Varias easque eruditas textus Biblici versiones in promtu esse, sane in propatulo & comperto est. Detur verò insuper hoc, eas ipsas versiones inter se plurimùm quandoque discrepare. A Pagnino translatore erudito sæpissimè dissentit Ariæmontanus, qui & Pagnini versionem, etsi aliquando sine ratione, correxit: Ab utroque Vatablus: ab his omnibus Lutherus: ab hoc iterum Vulgata, Osiander, LXX. Interpretes variant. Jam ego quæram, an non Theologi munus sit, de illis ipsis discrepantibus translationibus ferre judicium, & alios edocere, quænam præferenda reliquis, quæ posthabenda & reprehendenda sit? Utique sic est. At verò judicium, de quo dixi, unde quæso desumi poterit, præterquam ex ipso Hebraici Codicis fonte? Illius accurata inspectio demùm docet, quâ tutò stari possit, & quænam illarum sensum

(a) Exod. 14: 13.
(b) Job. 15: 15.
(c) 1 Sam. 27: 12.
(d) 2 Par. 20: 20.
(e) Jer. 12: 6.
(f) In commentar. Eph. 1.
(g) Psal. 143: 2.
(h) Rom. 3: 20.
(i) Matt. 24: 22.
(k) Luc. 1: 37.
(l) 1 Sam. 3: 11.

sum Spiritus sancti ἀκριβῶς fuerit assecuta. Hoc judicium ex ipso fonte latum & enatum si non adhibetur, bone Deus, quàm sæpè nubes, quòd dicitur, pro Junone, ab ignaris istis Hebrææ linguæ osoribus arripitur, quàm sæpè ex variis expositionibus quæ in commentariis diversorum extant, pessima ac falsissima à quibusdam recipitur, cùm optimam se sequi arbitrentur: Id quod olim sapientissimo cuidam apud Græcos (Apollinario dubio procul *a*) accidisse, Hieron. hisce testatur verbis: *Primum enim* (inquit) *magnorum sumtuum est, & infinitæ difficultatis, exemplaria habere omnia. Denique & qui habuerunt, & Ebræi sermonis ignari sunt, magis errabunt, ignorantes quis è multis verius dixit. Quod etiam sapientissimo cuidam nuper apud Græcos accidit, ut interdum Scripturæ sensum relinquens, unius cujuslibet Interpretis sequeretur errorem.* Hactenus S. Pater. Audiamus etiam hoc: Si cum adversariis pertinacibus ex Scriptura, quæ Spiritus est panoplia, in arenam descendendum, non versionibus hac in palæstra certamen suscipitur & victoria reportatur, has enim sæpiùs illi rejicient, & nullius ponderis esse dicent: Quid verò agendum? Ex ipsa interna Hebraici textus quasi pharetra depromantur tela, & de divina victoria nihil residuum erit dubii. Præterea non novum est, translatores Bibliorum in suis versionibus sæpiùs erràsse, quis hic errores corriget, quis ad Hebræi canonis Lydium quasi lapidem exiget, quis (ut propiùs accedam) vulgatam versionem, quam authenticam facere non erubescit Tridentinum Conciliabulum, corruptionis incusare præsumet, nisi ex Hebraicæ literaturæ fonte limpidas probè deguſtaverit aquas? In Psalmorum libro (*b*) pro verbis: נשקו בר *osculamini Filium*, Græci LXX. reddiderunt δράξασθε παιδείας Vulg. *apprehendite disciplinam.* Versionis hujus unde cognoscetur φαυλότης, nisi ex Hebraici sermonis peritia? Apud πνευματοφόρον ἐσσομένων Ἄγγελον, Sophoniam (*c*) ubi Deus afflictos Judæos contra vim hostilem consolatur, Latinus textus ita habet: *Nugas, quæ à lege recesserunt, congregabo.* Quæ versio ipsi Hieronymo Hebræo aliàs peritissimo, tribuenda. Ita enim ille: (*d*) *Id quod diximus* (inquit) *nugas, sciamus in Hebræo ipsum esse Latinum sermonem, & propterea à nobis, ita ut in Hebræo erat, positum, ut nosse possimus, linguam Hebraicam omnium linguarum esse matricem.* Quid autem hac ex voce Latinus colliget, nisi ex fontibus Ebræis cognoverit similitudinem Latini vocabuli cum Hebræo, huic versioni occasionem præbuisse. In Hebræo enim est נוגי quod *afflictos* & loco suo amotos significat: ex quibus Hebræis Latinæ (non sine insigni significationis metamorphosi) prodierunt Nugæ. Contemplemur adhuc unicum in versione vulgata mysterium. In Isaiæ loco quodam (*e*) verba hæc leguntur: *Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus.* Gallum istum gallinaceum Hieron. etiam involare passus est, ut ipsemet (*f*) fatetur, idque ex commento cujusdam, cujus in expositionibus suis Biblicis usus est operâ, Judæi: cùm tamen in Hebr. verba ita sonent: *Ecce Dominus projicit te projectione viri*, ut Lutherus; vel, ut alii, ex diversa vocis טלטל significatione exponunt: *Ecce Dominus contegit te integumento* גבר *viri*, h. e. tali integumento, quale gestant viri præstantes, cujus explicatio immediatè sequitur: ועטך עטה *& amicit te amiciendo, seu, amicit te splendidè &c.* Porrò largiamur hoc quoque ἐκ περιουσίας antagonistis nostris, esse Interpretis cujusdam fidem perspectam atque cognitam, esseque ejus in transferendo diligentiam tantam, quâ Argo oculatior omnia pensitàrit, nec quicquam uspiam admiserit errati, quid tùm? carerène poterimus propterea fonte? nequaquam. Est enim peculiaris vis atque ἐνέργεια vocabulorum in hac lingua, sunt (ut antea assertum) peculiaris idiotismi, quos nulla lingua alia satis venustè & gravidè exprimere & exhaurire valet. Et veluti quædam arbores ex nativa sua terra in aliud solum transpositæ, suam naturam, & quicquid in iis genuinum est, amittunt: ita nativa etiam vocabulorum Hebraicorum ἐνέργεια, ubi in aliud linguæ quasi solum transplantatio fit & translatio, paulatim expirat, & amittitur, cujus rei sufficiens dare testimonium poterit vel unica vox *Goël*, cujus vim assequi nec Græcus potuit Interpres, nec Latinus, ut superius est ostensum. Et quid uberiùs differendo tempus contero? miserum est in re tanta alienis videre oculis, eum præsertim, qui aliorum oculus est constitutus: miserum est, præsenti *Israëlis fonte* limpidissimo, turbidos variosque consectari rivulos. Pulchrè Paulus Fagius vir doctissimus: (*g*) *Ut semper purior aqua ex ipsis fontibus magis, quàm ex lacuuis inde derivantibus hauritur: ita semper puriora quodammodo sunt, quæ ex ipsis primis linguis, in quibus Dei oracula nobis tradita fuêre, tanquam ex limpidissimis fontibus hauriuntur.*

Dul-

(*a*) In 2. Apol advers. Ruffin.

(*b*) Ps. 2. 10.

(*c*) c. 3. 18.

(*d*) in comment. h. l.

(*e*) c. 22. v. 17. (*f*) in comment. h. l. (*g*) in præfat. Chald. Paraphr.

*Dulcius ex ipsis hauritur fontibus unda,*
*Oreque divino puriùs imbibitur.*

(a) Sed quò orationis impetus me propellit? vela paulatim contraham, & ad portum adspirabo, ubi priùs ostendero, non ad V. solum T. ut hactenus confirmatum & evictum, sed ad N. etiam libros rectè & salubriter intelligendos, maximopere suppetias ferre Hebraicæ linguæ cognitionem. Id ne videatur cuivis dubium ex eo, quod N. T. non Hebræo, sed Græco sermonis genere exaratum ad nos pervenit: ideò maturè observari initio volo, quod plurima V. T. oracula & vaticinia in N. allegentur, & ad Christum totius Scripturæ scopum applicentur, id quod apud omnes in confesso esse arbitror. Vel igitur ad illa ipsa dicta rectè intelligenda Hebræo V. T. fonte carere non possumus, imò nec debemus, ut ita evidens & exactissima illa utriusque T. harmonia accuratiùs pervideri, & de Jesu Christo solida in cordibus nostris gigni πληροφορία queat. Solent prætereà sancti Dei homines, in N. T. conscribendo canone, non semper secundùm literam aut verba, sed sæpiùs tantùm quoad sensum, verbis paulisper immutatis, V. T. dicta allegare; solent ex duobus testimoniis unicum contexere; solent ea, quæ de Christo in V. T. dicuntur, sibi-ipsis ut membris applicare; solent ea, quæ literaliter dicta, in sensu allegorico citare; solent ex LXX. Interpr. quæ tùm temporis erat communissima, versione, & non semper ex ipso fonte Hebræo sua producere Prophetica testimonia, quæ omnia, non video, quomodo dijudicari commodè & sciri possint, nisi Hebrææ linguæ in subsidium vocentur auxiliares copiæ. Et hoc quidem primum est, quod hic observari perquam velim. Accedit posteà & illud, N. Test. Scriptores phrasibus Ebræis, ex Vet. Test. desumtis, apprimè delectari & usos fuisse, ut plures in eo Ebraismos, quàm Græcismos, licet Græcè exarato, reperiri, cum Johanne Förstero, Theologo doctissimo, tutò ausim affirmare, quod sexcentis etiam comprobatum dari exemplis posset, si loci temporisque ratio non prohiberet. Ad illorum igitur sanam intelligentiam, & ita ad totius N. Jesu Christi T. interpretationem orthodoxam, Hebrææ linguæ notitiam vel maximè conducere, quis inficias iverit? Sed hoc quoque misso ad (b) Tertium illud devolamur membrum, quòd nempe in aliorum etiam expositionibus Biblicis ritè dijudicandis suam, eumque insignem fructum sacra lingua producat. Multi & varii SS. Bibliorum V. T. extant commentatores, multi ex Rabbinis, ex Christianis multi, iique partim heterodoxi, quales sunt Calviniani, Pontificii; partim orthodoxi, quales ii sunt, quos in nostris Ecclesiis Spiritus altissimi desuper armavit, & donis suis ἑρμηνευτικοῖς instruxit. In his omnibus variè in varias itur partes, agitantur controversiæ textuales, res ultrò citroque disputatur ventilaturque. Hac igitur in palæstra quid nisi κωφὸν πρόσωπον est, qui non ipsemet judicium ex originali fonte, quem probè imbibit, ferre novit? Quid quæso utilitatis veræ & solidæ ex præcipuis libris Megalandri Lutheri reportaturum se, sperare quis poterit, in quibus eruditissimè & magno Spiritu de significatione vocum disputat, in in explicatione præsertim Psalmorum, in scriptis contra Judæos, in aureo de ultimis verbis Davidis scripto, in cygnea tandem sua cantione, quæ Geneseos explanatio est, in qua plerunque ad fontes recurrit, adeò ut conjugationum significationes examinet & tradat: quid, inquam, consecuturum se quis sperare ausit; nisi ipsa fundamenta, quibus vir divinus nititur, habeat perspectissima, adeoque animum οὐκ ἀνέβραιον καὶ ἀφιλεβραῖον ad lectionem scriptorum illorum afferat? Quo item successu in veterum commentariis talis versabitur, quibus Hebraicam dictionem quod attinet, partim rem acu tetigêre, partim verò etiam in uno & altero non leviter hallucinati sunt: quomodo illa approbare, hæc reprobare, πάντα δοκιμάζειν, καὶ τὸ καλὸν κατέχειν, juxta monitum Apostolicum, rectè poterit? Exempli vice producam Hieronymum, quem solum ex antiquitate Hebraicæ incubuisse gnaviter linguæ, compertum est, quomodò is in ipsa dictione Hebraica quandoque cum bono Homero dormitaverit, lectio scriptorum ejus satis superque manifestat. In comm. Soph. (c) ita loquitur: *Nec non & Azotus, quæ Hebraice dicitur Asdod, & in lingua nostra sonat ignis generationis, clarâ luce vastabitur.* Error scil. perspicuus in voce *Asdod*, quæ tùm ignem generationis denotaret, si *Asdor* haberetur, אש enim *ignis*, דור *generatio* est; דוד autem non generationem, sed vel *uber*, vel *patruum* significat. Et ipse Hieron. (d) alibi erroris se damnat, ita inquiens: *Azotus, i. e. Asdod, ignem uberis sive patrui. Licet quidam Dor pro Dod malè legentes ignem generationis putent.* In comm. super Matth. (e) ubi vocem Gehenna exponit, ita loquitur: *Duplicem esse Gehennam, nimii ignis & frigoris; in Job plenissi-*

(a) Usus Ebr. linguæ in N. T.

(b) Usus Ebr. linguæ in Commentariis judicandis.

(c) c. 3. (d) In comment. (e) c. 10.

*nissimè legimus.* Locus Jobi, quo nos marginalis allegatio remittit, extat capite quarto & vigesimo, (a) cujus in translatione vulgata hæc verba: *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum illius.* At in Hebræo aliter se res habet, ut ita: *Siccitas, etiam calor rapient aquas nivis, sepulcrum peccaverunt.* En! ut ex mala versione mala sententia progignatur. In Epist. ad Fabiolam, mansione septimâ, explicat enim alibi stationes sive mansiones Israëlitarum ex Ægypto egredientium) sic ait: *Verbum* jam Suph *apud Hebræos ex mari & rubro compositum est: Suph enim & rubrum & scirpus vocatur.* Perperam id dictum, *suph* enim nuspiam rubrum, sed *juncum*, *algam*, *caricem* denotat: rubro autem alia apud Hebræos est appellatio. Putavit nimirum vir magna aliàs doctrina & acri judicio prædictus, quia Latinè dicimus *mare rubrum*, quod Ebraicè appellatur *Jam suph*, ideo suph *rubrum* significare, quod tamen, ut dictum, secus est. In comm. Epistolæ ad Galatas (b) scriptæ ita loquitur: *Quærendum quoque quid sit inter seculum & seculum seculi, sive secula seculorum: & ubi pro brevi temporis spacio, ubi pro æternitate ponatur. Quia in Ebræo seculum, i. e. olam, ubi Vau literam positam habuerit, æternitatem significat, ubi verò sine Vau scribitur, annum quinquagesimum, quem illi Jubilæum vocant &c.* Alienior hæc Hieronymi observatio est, omnium rectè Scripturas scrutantium judicio, alienius ejus utrumque membrum; & quod Olam cum litera ו æternitatem indubiè notet, cujus contrarium ex Exod. 3. (c) & quod Olam sine litera ו Jubilæi temporis spacium notat, cujus contrarium tùm ex prædicto loco, tùm ex Deut. 15. (d) liquet: In priore sine Vau, æternitatem, in posteriori cum Vau, longum tempus denotat. In ejusdem super Esaiam commentariis (e) ita legitur: *Apud Hebræos & Ægyptus, & Ægyptius, & Ægyptia, uno vocabulo nuncupantur Mesraim.* Iterum perperam. Neque enim Ægyptius Mesraim nuncupatur, sed *Mesri*, & Ægyptia *Mesrith*, & Ægyptii *Mesrim*. Quod autem per Mesraim quandoque ipsi significantur Ægyptii, figura loquendi est, ut cum Juda ponitur pro ipsis Judæis, Ephraim pro Ephraimitis. In comm. Esaiæ (f) ad hunc modum scribit: *Ebræi putant, lingua propria sua mare Tharsis appellari: quando autem dicitur Jam, non Ebraico sermone appellari, sed Syriaco.* Sic ille. At nemo Ebræorum est, qui Syriacum esse *Jam*, & *Tharsis* propriè mare significare, assertum eat. Procul igitur dubio à Magistro suo id hausit Hieronymus, qui ut alia multa, ita hoc pravè ipsum docuit. In his igitur, quæ producta sunt, quæque numero plura adduci facilè possent, dijudicandis, censendisque sine Hebrææ linguæ peritia versari quempiam posse, nemo, opinor est, qui affirmare præsumserit. Et hactenus quidem primam muneris (g) Theologici partem, in διδασκαλίᾳ, & interpretatione Scripturarum consistentem, perlustravi, & quantum pondus in illius tractatione obtineat sancti idiomatis character, levi penicillo adumbravi: Superest, ut ad alteram etiam partem, quæ in ἐλέγχῳ & hæreticæ pravitatis refutatione consistit, me accingam, & pari demonstrem fidelitate, sine ejusdem linguæ acucratâ cognitione in arenam cum veritatis cœlestis hostibus descendi feliciter, nedum triumphum ab iisdem reportari non posse. Id ut ostendam, duplicem veritati divinæ oppositam esse adversariorum aciem, præsuppono. Altera eminus pugnat, est enim τῶν ἔξω, eorum, quos extra Ecclesiæ, Christi nomen professæ, pomeria constitutos, Diabolica agitat rabies: Altera cominus orthodoxiam veritatis adoritur, est enim τῶν ἔσω, eorum, qui in ipsa Ecclesia ex ipsis Christianis exurgentes διεστραμμένα λαλοῦσι, *perversa loquuntur*, ut abducant discipulos post se, quæ sunt verba Gentium Apostoli. Priorem aciem Judæorum infidelis turba constituit, qui quantumvis V. Test. scripta recipere se, & pro authentica religionis norma & amussi venerari profiteantur, id quod tamen non nisi cum nimia fermenti Pharisaici admixtione, superstitionumque plus quâm anilium additione fieri, in meridiana luce positum est: totum tamen N. Jesu Christi T. susque deque ferunt, execrantur, conspuunt, & idcircò tùm Christum Messiam nostrum benedictissimum, tùm membra ejus, veritatem nimirum cœlestem professos, pro maledicto, pro καθάρμασι καὶ περιψήμασι, pro execratione & abominatione habent. Horum blasphemiis eundem est à viro Theologo obviam, errores illorum monstrandi, in apricam lucem producendi. gladio verbi dissecandi & enervandi sunt vel maxime, id quod non nisi ab eo præstari poterit, qui Hebraicæ gnarus lidnuæ V. T. oracula ὀρθοτομεῖν, eorum pondera, emphases & δυνάμεις, velut ex aurifodina uberrima, educere, & genti huic perversæ os iniquum & blasphemum obturare poterit. Non est, ut N. T. dictis, Græco sermone perscriptis, ipsos velis aggredi: id enim totum, ut alienum, falsum & heterodoxon rejiciunt. Nec est, ut ex versionibus & interpretationibus ipsos convincere præsumas: has

(a) v. 9.
(b) c. 1.
(c) v. 15.
(d) v. 17.
(e) Lib. 5. comment. Es. c. 18.
(f) c. 2.
(g) Muneris Theol. pars altera est ἔλεγχος.

has enim ut à Christianis profectas itidem exsibilant. Ad solùm igitur fontem Hebraicum recurrendum est, illius aqua dulcis degustanda, illius vis divina pressim urgenda, illius pondus Judaicæ pravitati opponendum est, & de eventu successuque exoptato nihil residebit dubitationis aleæ. Exemplis idipsum, auditores, ceu luce pulcherrimâ collustrarem, sed ad finem propero, & hostilium catervarum castra leviter tantùm & per transennam modò exploro, atque jam à priori, quæ Judæorum est, ad posteriorem devenio aciem. Illa triplici potissimum hoc tempore armata incedit phalange; *Pontificiorum*, qui Traditionum Papalium induti armis, gregi Dei pusillo molestias facessunt: *Calvinianorum*, qui humanæ rationis pharetram gerentes, infelices ex illa sagittas depromunt, iisque veritatem orthodoxam confodere satagunt; *Photinianorum*, qui & ipsi ex rectæ, quam volunt, rationis præsidio, velut ex equo Trojano prodeuntes, latrocinia in civitate Jehovæ exercere, & ipsam fidei nostræ acropolin, quæ doctrina de Jesu Christi Deitate & satisfactione, adeoque de nostra coram Deo justificatione est, expugnare, etsi sine successu, conantur. (a) Alias hæreticorum phalanges, militum copiis destitutas, quales sunt Schwenckfeldianorum & Weigelianorum, Anabaptistarum &c. nunc non eo recensitum, sed hoc tantùm assero, tantùm abesse, ut felicem cum priori triplici Pontificiorum, Calvinianorum, Photinianorum phalange pugnam, felicem pugnæ catastrophen polliceri quis sibi sine Hebraicæ literaturæ cognitione possit, ut potiùs in ipso conflictu, quando ad rem vel maximè ventum est, vel terga hostibus præbere, vel certè suam ipsis ridendam propinare inscitiam, necessum habeat. Cujus rei vivum in antiquo illo piorum Patrum cum Arianis certamine conspicere datur specimen. Postquam enim illi pro blasphema sua opinione, Filium Dei non esse Patri ὁμοούσιον, coessentialem & coæternum attulissent, gnaviterque urgerent oraculum illud suavissimum, ubi Sapientia, quæ est Filius Dei, de seipsa in LXX. Græca versione dicit: (b) *Dominus ἔκτισέ με seu creavit me.* Ibi verò pii aliàs & docti Patres, interim Hebraici sermonis & contextus ignari, in excogitandis ad objectum responsionibus solidis nimiopere & variè se torserunt, quas responsiones in unum congessit Epiphanius, (c) ubi initiò non agere de Christo locum contendit, cùm non adducatur ab Apostolis; & ita à fortissimo, pro divinitate & æternitate Christi, præsidio detrudi se abducique facilè patitur. Posteà locum esse parabolicum, contendit, ex quo solidi nihil probatum dari possit, cui in hoc assentitur Athanas. (d) Postmodùm de Christo secundùm humanam naturam intelligendum esse, & ἔκτισε illud ratione prædestinationis dici censet. Tandem ad fontem & Hebraicum textum accedit, erratum vitiosæ versionis Græcæ corrigit, & in Hebræo non haberi astruit, Dominus creavit me, sed *Jehova Kanani*, id quod dupliciter exponi posse ait, vel κύριος ἐκτήσατό με, *Dominus possedit me*, vel κύριος ἐνόσσευσέ με, *Dominus instar pulli exclusit me*, quorum prius verum est & solidum: posterius vanum, nisi pro Cannani legamus קִנְּנִי N. geminatâ, ut sit verbum à voce קֵן quæ *νοσσιὰν* sive *nidum* denotat. Ecce quàm solidè, quàm nervosè, quàm directè & sine ullis exceptionum & torsionum anfractibus, ex unica Hebræa voce, adversariis os obturari, veritas confirmari, hæretica falsitas refutari & repelli potuisset? O igitur sacrosanctæ linguæ hujus primigeniæ & Hebraicæ majestatem! ô insignem ejus fructum & utilitatem! ô mirandam, quam in Scripturis Spiritus S. solidè interpretandis habet auctoritatem! quis illam amare, admirari, ejusque conciliare sibi notitiam renuere auderet, qui θεοσοφίαν, scientiæ illius cœlestis & augustissimæ splendorem κατοπτρίζεσθαι, quâ voce emphatica utitur Apostolus, (e) ejusque fieri particeps, toto mentis conamine exoptat. Equidem adhuc pluribus vobis, Studiosi Juvenes, Theologiæ cultores assidui, ad sacram illam linguam perdiscendam calcar adderem, & faces sermoni meo subderem, nisi persuasum haberem, tantam Helenæ istius pulcherrimæ, tamque nativam esse venustatem & pulchritudinem, ut quemvis suopte motu in amorem sui & admirationem pertrahere queat. Coronidis loco Lutheri quædam subjungam verba, quæ gravissimam cohortationem, ad studium linguæ sanctæ calidè habendum seduloque pertractandum, continent. Is igitur in commentario (f) Psalmorum in hæc erumpit emphatica verba: *Sæpè monui, ut Hebræam linguam disceretis, nec eam ita negligeretis. Etsi enim ejus linguæ nullus alius esset usus, tamen pro gratiarum actione discenda erat, quod pars quædam religionis & cultus Dei sit, eam linguam docere vel discere, quæ sola, quicquid unquam divini est, docet. Auditur enim in ea Deus loqui, audiuntur Sancti invocantes & maximas res gerentes, ut studium, quod in hanc linguam discendam collocatur, Missa quædam seu cultus Dei merito vocari posset. Quare seriò vos hortor, ne eam negligatis; periculum enim est, ne Deus hac* ingra-

(a) Exempla videantur apud Dn. D Hoe in lib. 5. comm. Apoc. c. 16 p. 221. seqq.

(b) Prov. 8: 22.

(c) hær. 69.

(d) Orat. 3. contra Arian. (e) 2 Cor. 3: 18. (f) In comment. Pf. 45. Tom. 3. Lat. Jen. f. 444.

*ingratitudine offensus, privet nos non solùm cognitione hujus sanctæ linguæ, sed & Græcæ, Latinæ & totius religionis. Quàm facilè enim ei est excitare barbarum aliquem populum, & hæ linguæ omnò intereant: Sed præterquàm quod pars cultus divini est hoc studium, continet etiam maximam utilitatem. Si enim aliqui futuri sunt Theologi, sicut necesse est, neque enim omnes Jura aut Medicinam discemus, oportet eos esse munitos contra Papam, & aliud odiosum hominum vulgus, qui cùm unam Hebræam vocem sonare didicerunt, statim putant, se Magistros hujus sanctæ linguæ, ibi nisi eam nos tenuerimus, tanquam asinis illudent & insultabunt: Si autem nos quoque muniti fuerimus cognitione hujus linguæ, poterimus eis impudens os obstruere; sic enim diabolo & ejus ministris resistendum est. Arbitror autem nos habituros religionis nostræ hostes Hispanos, Gallos, Italos & Turcas etiam, ibi certe cognitione Hebrææ linguæ opus erit; scio enim quantum mihi contra hostes meos profuerit, quare hac quantulacunque cognitione infinitis aureorum millibus carere nolim. Et vos quoque dabitis operam, qui aliquando docebitis religionem, ut hanc quoque linguam discatis, si non pecora campi & indoctum vulgus haberi vultis, quod editis Germanicis libellis adjutum utcunque Euangelia Dominicalia & Catechismum docet. Sed opus est ducibus quibusdam doctrinæ, & oportet habere pugnatores, qui stent in acie contra aliarum nationum & linguarum homines, qui sint Doctores, Judices & Magistri in hac lingua.* Hactenus Lutheri θαυμασιάνδρου verba, quæ quin aculeos in vestris animis egregiè reliquerint, nihil addubito, quibuscum etiam orationis meæ vela contraho, & ad portum respicio, Deumque precor animitùs, ut sanctum hoc sanctæ linguæ depositum imposterum etiam in Ecclesia sua sartum tectum conservare, Israëlis fontium limpidam puritatem asserere, jucunda etiam discentibus docentibusque in illustri hac Salana, totoque adeò orbe Christiano halcyonia concedere velit, quò ipsi grata dicere, docere, scribere, unoque ore in congregationibus ipsum [a] באלהים מקור ישראל׃ ex pura illa Israelis vena & scaturigine laudare, deprædicare, & æternis laudum præconiis concelebrare possimus.

[a] Ps.68. v. 27.



באלהים׃

באלהים׃

PHILOLOGIAE SACRAE

# LIBER TERTIUS:

# GRAMMATICA SACRA.

## TRACTATUS I.

## DE NOMINE.



NOmen consideratur ratione tùm *specierum*, tùm *accidentium*. Species nominis sunt: *PROPRIUM & APPELLATIVUM*.

De *PROPRIO* nomine, sub finem, in peculiari tractatu agetur.

*APPELLATIVI* duplex dari potest distinctio: 1. quòd aliud sit *abstractum*, aliud *concretum*; 2. quòd aliud sit *substantivum*, aliud *adjectivum*. Differunt hæc Latinis aliquantùm. Non enim omne concretum adjectivum est; sicut nec omne substantivum est abstractum: Licèt omne adjectivum sit concretum & omne abstractum sit substantivum: Latiùs igitur patet concreti vox, quàm adjectivi; latiùs nomen substantivi, quàm abstracti.

### DE ABSTRACTO ET CONCRETO.

DIcendum de hac distinctione, tùm *in genere*, tùm *in specie*. *In genere* occurrit: 1. Concreti Hebræi *Definitio*. 2. Concreti pro abstracto *positio seu enallage*. De quibus sequentes duo canones.

### Canon I.

*Hebrai concretum nomen vocant* שֵׁם הַתֹּאַר *nomen forma, estque nomen significans qualitatem quampiam alicui inhærentem subjecto, habitu vel potentia, ex qua consequitur actio vel passio.*

UT צַדִּיק *justus*, חָכָם *sapiens*, רֹפֵא *Medicus*, מְדַקְדֵּק *Grammaticus*. Qui enim habent justitiæ, sapientiæ, Medicinæ & Grammaticæ habitum, appellantur justi, sapientes, Medici, Grammatici. Sic in genere naturalis potentiæ aut impotentiæ, ut בְּרִיא׳ *sanus*, חוֹלֶנִי׳ *infirmus*. In genere passionis aut passibilis qualitatis, רַחֲמָן *misericors*, פַּחְדָן *timidus*, בַּעֲסָן *iracundus*. Differt nomen Toar à participio activo & passivo, quòd hæc non significant habentem qualitatem aliquam habitu vel potentiâ, sed actum. Ut גּוֹנֵב significat actu furantem: Sed גַּנָּב nomen Toar, habitum vel potentiam furandi habentem, seu furem significat. In quibusdam nominibus ad participiorum discrimen, nomen Toar assumit Jod. Jer. 46: 16. שְׁכֻנִי *habitator in cavernis*, h. e. cavernarum. Psal. 113. v. 5. *Quis sicut Dominus*



*Deus*

*Deus noster* הַמַּגְבִּיהִי *elevator ad habitandum*, v. 6. הַמַּשְׁפִּילִי *humiliator ad vivendum in cœlo & in terra.* v. 7. מְקִימִי *suscitator.* v. 9. מוֹשִׁיבִי *reductor sterilis in domum.* Et quia non omnium Toarim propria & distincta inveniuntur nomina participiis utuntur sacri scriptores pro Toarim. Gen. 23: 16. *transeuntis* לַסֹּחֵר *ad negotiatorem* sive mercatorem. Ezech. 27: 3. רֹכֶלֶת *negotiatrix populorum.* הָרוֹפֵא הַגּוֹאֵל *Medicus redemtor, &c.* Hebræorum verò doctores istiusmodi nominibus, quæ in sacris literis à participiis non distincta sunt, ad eorum discrimen literam ן in fine addiderunt, ut חוֹמְסָן *fraudator, raptor*, כּוֹעֲסָן *iracundus*, גּוֹזְלָן *raptor &c.*

*Nota.* Hæc, explicationis planioris causâ, placuit hic adscribere ex Santis Pagnini institut. Hebr. lib. 2. cap. 5, 6. Cæterùm, quod *de adjectione literæ Jod ad participia, discriminis ergò, in Toarim*, allatum fuit, dubium fieri ex eo potest, quòd & infinitivo in Psal. 113: 8. Jod additur לְהוֹשִׁיבִי *ad faciendum ut consideat.* Rectiùs igitur pro Jod paragogico tùm in hoc, tùm in antè commemoratis participiis habetur: cùm sine ullâ necessitate ad nomina Toar hic confugiamus, & participiorum significatio in allegatis locis plana sit. Et ponit ipse Pagninus alia nomina cum Jod paragogico, in quibus ratio illa de discriminatione à participiis, non militat: ut חַכְלִילִי *rubicundus*, Gen. 49: 12. עֲרִירִי *solitarius*, h. e. absque liberis, Gen. 15: 2. Addit idem & אֹיַבְתִּי *inimica*, Mich. 7: 8. in quo etiam jod ad differentiam participii adsumi asserit ut fiat nomen Toar. Sed affixum primæ personæ esse, ex textu patet. vers. 8. *Ne læteris* אֹיַבְתִּי *inimica mea, de me, cùm cecidero, surgam: cùm sedero in tenebris, Jehova illucescet mihi.* vers. 10. *Et videbit* אֹיַבְתִּי *inimica mea, & operiet eam pudor &c.* Participium igitur pro nomine Toar ponitur, uti in præcedentibus exempla alia sunt allata, & plura adferentur infrà, de participiis. Quod si quis obstare dicat accentum, qui in penultima est: Simile exemplum est Psal. 77: 11. in חַלּוֹתִי *infirmari meum &c.*

## Canon II.

*Pro abstracto quandoque concretum ponitur, sive id Latinis substantivum sit, sive adjectivum.*

GEn. 21. v. 16. כִּמְטַחֲוֵי *ut jaculantes arcu*, h. e. ut est jactus sagittæ ex arcu.

Num. 24: 20. עֲדֵי אֹבֵד *usque ad perditorem*, h. e. perditionem.

Psal. 119: 176. כְּשֶׂה אֹבֵד *Sicut ovis pereuntis*, h. e. perditionis. Est enim in שֶׂה Zere, quod est nota status regiminis.

Dan. 9. vers. 24. *ad obsignandam visionem* וְנָבִיא *& Prophetam*, h. e. נְבוּאָה *Prophetiam.* Sic 2 Sam. 19. vers. 43. מֶלֶךְ *Rex* pro *Regno* ponitur, uti & Hos. 10. vers. 15. secundùm Junium & Tremellium. Esa. 28. vers. 7. רֹאֶה *Propheta* pro *prophetiâ* seu *visione.* v. 15. חֹזֶה *provisor* pro *provisione.* Conferatur v. 18. ubi per abstractum חָזוּת fit applicatio.

*De loco Esa. 53: 9.* Huc referatur Esa. 53. vers. 9. עָשִׁיר *dives*, pro עֹשֶׁר *divitiæ.* Verba ita fluunt, sensu usuque jucundissimo: וַיִּתֵּן *& dedit seu posuit* (Christus) אֶת־רְשָׁעִים *improbitates* (à singulari רֶשַׁע *improbitas*) קִבְרוֹ (*in*) *sepulchro suo*, (pro בְּקִבְרוֹ ellipsis præfixi, quod expressè in voce sequenti ponitur) וְאֶת־עָשִׁיר *& divitias* (concretum pro abstracto) בְּמֹתָיו *in mortibus suis*, h. e. *in morte sua:* (per enallagen pluralis pro singulari, excellentiæ denotandæ causâ: vide tract. 1. can. 24.) עַל *propterea quòd iniquitatem non fecerit, nec dolus* (fuerit) *in ore ejus.* Pulcherrima fructuum mortis Christi descriptio! 1. *Posuit Christus improbitates in sepulchro suo*, h. e. peccata hominum, quæ portaverat in corpore suo super lignum, intulit quasi secum in sepulcrum, ut à facie Dei sint abscondita, & remissa omnibus, qui in Christum credunt. Sepultura Christi ultimus actus est status exinanitionis, in quo peccata nostra tulit, & pro iis satisfecit. Quare Scriptura exprimere volens plenariam satisfactionem pro peccatis, eorumque ἀθέτησιν Hebr. 9. vers. 19. dicit. ea cum Christo sepulta esse, & in sepulcro quasi remansisse: Ipse verò sine omni peccati onere (quod in se susceperat) ex sepulcro resurrexit, & in gloriam suam ingressus est. Et hoc Apostolus ad credentes, Christo verâ fide unitos, per analogiam & metaphoram insignem applicat, eosque *Christo per baptismum in mortem esse consepultos* asserit, Rom. 6. vers. 4. Col. 2. vers. 12. hoc nimirum volens, ut & ipsi peccato mortui, & sepultis quasi peccatis in baptismate (quod allegoria illustri cum sepulcro Christi confertur) ac deposito εὐπεριστάτῳ ἁμαρτίας ὄγκῳ atque pondere, Hebr. 12. vers. 1. resurgant spiritualiter, & in vitæ novitate ambulent: cujus typum & exemplar, resurrectionem Christi ex morte & sepulcro constituit. Cogitetur, an insignis ille locus, Dan. 9. vers. 24. conferri hic possit, in quo de *peccati occlusione* (לְכַלֵּא *ad occludendum*) *& obsignatione* per Christum futurâ, Prophetia editur. Sepulcrum Christi obsignatum legitur Matth. 27. vers. 66. & in eo peccatum *occlusum & obsignatum* dici videtur. Nisi τὸ *Keri* forsan

forſan obſtat, nam pro לְהָתֵם quòd *obſignandi* ſignificationem obtinet, Maſorethæ legendum eſſe notant, לְהָתֵם *ad conſumendum*. 2. *Poſuit Chriſtus divitias in morte ſuâ.* Hic mors Chriſti precioſiſſima, inſtar cœleſtis gazophylacii proponitur, in quo omnis divitiarum ſpiritualium ſufficientia repoſita eſt, & exinde fide verâ ac viva deſumi poteſt. Unde & Petrus 1. c. 1: 19. ſanguinem Chriſti *τίμιον carum & precioſum* vocat, & omnibus mundi theſauris antefert, imò potiùs opponit. De his divitiis Eph. 1. verſ. 7, 8, 18. c. 2: 7, c. 3: 8. Ipſe JESUS ita vocatur Col. 1. verſ. 27. Et num forſan pro abſtracto עֹשֶׁר, concreto עָשִׁיר voluit Propheta uti, ad ſignificandum per *ὑπαίνιξιν* tacitam, ipſum Chriſtum per & propter ſanctiſſimam paſſionem mortemque ſuam, eſſe illas credentium divitias, & in iis habitantem gratioſè, eſſe totalem & perfectam animarum ſufficientiam? 3. De cauſa additur: עַל *propterea quod iniquitatem non fecit &c.* Omnia prædicta proveniunt ex eo, quod eſt ſanctiſſimus & innocentiſſimus, unde per paſſionem ſuam & mortem potuit tot ac tanta bona promereri, quod impoſſibile fuiſſet, ſi ipſe peccator extitiſſet. Nota, עַל rectiùs exponi *cauſaliter*, cujus alia exempla dabuntur infrà ſuo loco: & geminum huic planè exemplum eſt Job. 32. verſ. 2.) quàm *adverſativè*, cujus nullum aliud poteſt exemplum dari. Transeamus autem ad exempla canonis alia.

Epheſ. 6. verſ. 12. *adverſus πνευματικὰ τῆς πονηρίας, ſpiritualia malitiæ*, hoc eſt, *πνεύματα, ſpiritus malitiæ.*

Hebr. 2. verſ. 16. *Non angelos* (filius Dei) *aſſumſit*, hoc eſt, naturam angelicam: *Sed ſemen Abrahæ aſſumſit*, hoc eſt, naturam humanam, ex ſtirpe Abrahami aſſumſit. Utrobique ſynecdoche ſubeſt: Ponitur enim integrum quaſi Angelorum & ſeminis Abrahæ corpus, & intelligitur individua quaſi natura Angelica & humana, quarum illa non aſſumta eſt à Filio Dei, hæc verò eſt aſſumta. Roman. 1. verſ. 3. poſterius ſic effertur, quòd *Filius DEI factus fuerit ex ſemine Davidis ſecundùm carnem.*

2 Pet. 2. verſ. 14. *Oculos habentes plenos μοιχαλίδος adulteræ*, hoc eſt, adulterii ſeu libidinis; aut, adulterandi ſtudii. Oculorum fit mentio, quia in illis potiſſimùm apparent libidinis ſigna, juxtà illud obſcœni illius: Oculi ſunt in amore duces. Quidam nomen *μοιχαλίδος* connectunt cum ſequenti nomine *ἁμαρτίας*, & pro interpoſitâ voce *ἀκαταπαύςȣς*, legunt *ἀκαταπαύςȣ*, ſenſu eo, quem Caſt[illegible]o ferè expreſſit: *Oculos habentes degeneris* (adulteri) *perpetuique peccati plenos.* Sed Græca exemplaria conſenſu ſummo legunt in accuſativo, *ἀκαταπαύςȣς ἁμαρτίας, non deſinentes à peccato*, h. e. qui à peccando ceſſare neſciunt. Et præterea epitheton *μοιχαλίδος* peccato addi, inuſitatum in ſcripturis eſt.

Huc referri poteſt, quod מַשְׁחִית *corrumpens*, pro *corruptione* ſeu perditione accipitur. Ezech. 9. verſ. 6. unde ibidem v. 1. כְּלִי מַשְׁחֵתוֹ *inſtrumentum perditionis ſuæ*, h. e. perdens ſeu lethiferum.

Beza huc fortaſſe pertinere & illud exiſtimat, Deut. 29. verſ. 19. לְמַעַן סְפוֹת הָרָוָה אֶת־הַצְּמֵאָה *ut addat ebriam ſitienti*, pro eo quod eſt, ut addat ebrietatem ſiti. Junius; *Quo addat ebriam ſitienti*, puta, animi ſententiam: id eſt, ut nunquam peccandi finem faciat, aut ſuum ad peccandum deſiderium expleat: ſed ut ſolent ebrii ſitim provocare atque accendere, ſic peccatorum fomites & irritamenta accerſat, & in peccatis occalleſcat. Ubi poſteriorem vocem הַצְּמֵאָה *ſitientem*, pro abſtracto, *ſiti*, accepiſſe videtur. Sed optima B. Lutheri eſt translatio, auf daß die Trunckenen mit den Durſtigen dahin fahren. אֶת vocula per *Cum* rectè exponitur: לְמַעַן *Ut*, *ἐκβατικῶς* ſeu conſecutivè accipitur, vide infrà tract. 7. can. 19. סָפָה verò etiam *conſumi* vel *deficere* ſignificat, Jer. 12. verſ. 4. Et fœminum genus ad verſ. 18. reſpicit, ubi fœminina ponuntur, *mulier*, *familia*, & commune שֵׁבֶט *tribus*. Senſus igitur eſt: ex quo (peccandi ſtudio & impietate) conſequetur hoc, ut ebria cum ſitiente conſumatur, h. e. ut familia ſeu tribus magna cum parvâ, opulenta & abundans cum paupere & exiguâ, perimatur.

In Græciſmo neutrum adjectivi pro abſtracto ſeu ſubſtantivo ponitur. Roman. 2. verſ. 4. *τὸ χρηςὸν τȣ̃ Θεȣ̃*, pro *ἡ χρηςότης bonitas*, ut ibidem præcedit. 1 Cor. 1. verſ. 25. *τὸ μωρὸν τȣ̃ Θεȣ̃*, pro *ἡ μωρία, ſtultitia*, ut verſ. 18. exponitur. Et *τὸ ἀσθενὲς*, pro *ἡ ἀσθένεια, infirmitas.* Phil. 4. verſ. 5. *τὸ ἐπιεικὲς*, pro *τὸ ἐπιείκεια, moderatio.* Vide etiam 2 Cor. 8. verſ. 8. 1 Pet. 1. verſ. 7.

Sic in profanis: *τὸ δίκαιον* pro *ἡ δικαιοσύνη, juſtitia: τὸ ἡδὺ*, pro *ἡ ἡδονὴ voluptas &c.*

Quod & Latini imitantur. Perſius Sat. 1. *Quantum eſt in rebus inane!* h. e. inanitas quanta. Terent. Eunuch. 5. verſ. 9. *Non cognoſco veſtrum tàm ſuperbum*, h. e. ſuperbiam veſtram.

Sic igitur enallage concreti pro abſtracto habet: De enallage abſtracti pro concreto ſeu adjectivo inferiùs, Can. 6, 7, 8. & 9. dicetur.

## *Continuatio.*

HActenus de abstracto & concreto in genere. *In specie de epithetis & denominativis* aliquid dicendum. Illa vel διακριτικὰ sunt, quæ ab aliis rem, cui adponuntur, distinguunt, ut quando Deus dicitur *ὁ ἀληθινὸς verus ille*, Joh. 17. vers. 3. (quod epitheton Dei etiam Christo tribuitur 1 Joh. 5. vers. 20.) id enim fit ad differentiam illorum qui naturâ non sunt dii, Gal. 4. vers. 8. 1 Cor. 8. vers. 5, 6. Vel ἐξηγητικὰ καὶ ὁριστικὰ, quæ rem, cui adponuntur, solùm explicant, & describunt; & sæpissimè quidem cum singulari emphasi, præsertim si abstractum vice concreti ponatur, ut inferiùs de adjectivis dicetur.

Nota. Ubi videndum, ne epitheton, quod ἐξηγητικὸν est, & rem solùm describit, pro διακριτικῷ & distinctivo habeatur. Quomodo Gregor. de Valentia lib. 2. de Idololat. cap. 7. ex illo, 1 Pet. 4. vers. 3. ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις, *illicitis idolorum cultibus*; collegit, quandam idololatriam esse licitam, eam videlicet, quæ in Romana Ecclesia quibusdam imaginibus seu idolis defertur. Cæterùm de epithetis & denominativis occurrit quiddam singulare, quod sequenti Canone explicatur.

## Canon III.

*Denominativa & epitheta quandoque de subjectis suis prædicantur, etiamsi fundamentum ipsorum, & denominationis ratio desierit. Et vicissim: Denominantur quædam talia, etiam ante rem ipsam, ob quam denominatio ista fit.*

QUidam sic efferunt, etsi paulò obscurius: *In sacris literis res nonnunquam denominantur à termino à quo, & tamen sunt intelligenda de termino ad quem: & contrà.*

## *Exempla prioris.*

HIeron. in Matth. 26. sub init. *Aliquando in scriptura, mutatâ re, pristinum nomen manet.* Salmeron tom. 1. p. 205. *Mutatis rebus nomina pristina illarum quandoque asservantur.*

Gen. 2. vers. 23. Adam de adducta sibi Evâ dicit: *Hæc est os ex ossibus meis, & caro ex carne meâ.* Qui sc. ratione primæ originis ita fuerat, & costa Adami ossea ac carnea à Deo in viraginem ædificata erat, vers. 21, 22.

Exod. 7. vers. 12. (al. 15.) baculus Mosis in serpentem verè conversus, vocatur baculus; quia talis naturâ suâ erat, & quia mox in pristinam formam erat rediturus.

2 Sam. 24. vers. 23. *Hæc omnia dabat Arauna Rex Regi* (Davidi.) Dicitur Arauna *Rex*, quia ante occupationem Hierosolymorum à Davide factam, Jebusitarum Rex fuerat, posteà verò regno se abdicans religionem Israeliticam fuerat amplexus. Nomen igitur Regis ipsi remansit. Confer. v. 16. Rabbini Regem vel principem Jebusæorum illo etiam fuisse tempore, quo Davidi ista contigêre, tradunt: quod verisimile non est.

Esa. 11. vers. 6. *Et versabitur lupus cum agno.* Cicuratos ac mansuefactos vocat pristinæ feritatis nominibus, lupos, pardos, &c. cùm tamen post conversionem nihil minùs sint, quàm quales fuerunt anteà. Verùm sic appellat eos, ad glorificandam Christi virtutem, per quam ex talibus commutati sunt in homines mites ac placidos. Musc. in comm. h. l.

Matth. 10. vers. 3. Matthæus dicitur *publicanus*, quia olim fuerat, c. 9: 9.

Matt. 11: 5. *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt*, h. e. qui fuerunt cœci, jam vident: qui fuerunt claudi, jam ambulant: qui fuerunt surdi, jam audiunt. Nisi per metalepsin, *videre* pro visu donari: *ambulare* pro sanitati restitui, & ambulandi potentiâ donari; *audire* pro audiendi potentiâ donari: in sermone Servatoris velis accipere. Sic erit sensus: Qui cœci sunt, illi visu à me donantur; qui claudi sunt, sanitati & ambulandi ὀρθότητι restituuntur; qui surdi sunt, potestate rectè audiendi donantur. Et sic cætera sermonis ejus membra se habent: *Leprosi mundantur, mortui resuscitantur.* In ejusmodi enim actionibus & termini à quo, & termini ad quem, rectè fit simul mentio. Quâ ratione Deus dicitur *justificare impium*, Rom. 4. v. 5. h. e. ex impietate in fidem τὴν δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην perducere, seu ex impio justum, justitiâ Christi verâ fide imputatâ, constituere. Confer Actor. 26. vers. 18. Quò referri potest illud Matth. 21. vers. 31. *Publicani & meretrices præcedunt vos in regnum cælorum*, h. e. exemplo suæ conversionis vobis præeunt, & ita perveniunt in regnum cœlorum; quod vos (Pharisæi) debebatis imitari. *Publicani* igitur & *meretrices* dicuntur, ratione termini à quo, quia tales cùm existant, pœnitentia verò ad Deum, deposita veteri vita peccatrice, convertuntur.

Matth. 26. verf. 6. *Simon leprosus* memoratur, h. e. qui olim fuit leprosus; à Christo autem, procul dubio omni, mundatus. Chrysost. *Permansit pristinum nomen, ut virtus curantis appareat.*

a Matth. 27. verf. 53. *Venerunt in sanctam civitatem*, hoc est, quæ olim talis fuerat, jam verò nihil minùs quàm sancta erat. Sic cap. 4: 5. Confer Luc. 19. verf. 46. Potest tamen dici, quod adhuc *sancta* tùm fuerit, (1) propter divinam ordinationem, quam hominum infidelitas non sustulit Rom. 3. verf. 3. (2.) Propter sanctum & ordinarium, docendi verbum Dei, munus, Matth. 23. verf. 2. (3.) Propter sanctas credentium reliquias, Rom. 11. verf. 12. seqq. vide cumprimis v. 16. Sanctius in Esa. p. 509. *Vocata fuit sancta, propter Templi sanctitatem, & quia multa sacra, eaque præcipua, alibi, quam in hac civitate obire, religio vetabat.*

Joh. 9. verf. 17. *Cæcus* dicitur, qui olim talis fuerat, & jam visu à Christo erat donatus: unde verf. 13, 24. ita describitur *is, qui cæcus fuerat.*

Joh. 12. verf. 1. *Ubi erat Lazarus, ὁ τεθνηκὼς, qui fuit mortuus;* tùm verò virtute Christi resuscitatus, vivebat. Vulg. habet: *ubi Lazarus fuerat mortuus*, sed alienè: non enim in Græco est, ὅπου ἦν ὁ Λάζαρος τεθνηκὼς, sed ὁ τεθνηκὼς: qui articulus indicio est, epitheton Lazari poni, nequaquam verò prædicatum hac voce constitui. 2 Tim. 4. verf. 1. *Coram Christo, qui judicaturus est vivos & mortuos*, h. e. qui fuerant mortui, sed tunc resuscitati adstabunt. Per *vivos* autem ii intelliguntur, quos dies extrema vivos deprehendet, Conf. 1. Theff. 4. verf. 17. Nisi malueris per *Vivos* intelligere resurgentes ad vitam; per *mortuos*, resurgentes ad æternam mortem. Joh. 5. verf. 29.

Heb. 11. verf. 31. Rahab vocatur ἡ πόρνη *meretrix*, & tamen fide dicitur ἀπώλειαν evasisse, cùm exciperet exploratores cum pace. Vera fide, quæ cum vitæ emendatione certò conjuncta est, ipsam fuisse præditam, non dubitandum; cum procul dubio ab exploratoribus, de vero Deo Israelis fuerit sincerè instituta: quò pertinet præclara ejus confessio Jos. 2. verf. 11. Et dicitur hoc ab Apostolo de Rahab, non cùm exploratores primùm exciperet, sed cùm in ipsâ expugnatione urbis conservaretur. Vocatur igitur πόρνη *meretrix*, quia talis olim fuerat. Eadem ratio verborum est Jos. 6. verf. 25.

Referunt huc quidam, quòd Rom. 11. verf. 13. & alibi, conversi ex gentilibus dicuntur *gentes.* Sed hoc ad differentiam Judæorum fit. Nomen ἔθνη dupliciter accipitur: 1. ratione originis & prosapiæ, 2. ratione religionis falsæ. *Priori* modo erant adhuc, & semper mansère gentes: *Posteriori* modo olim fuerant, non verò erant ampliùs, 1 Cor. 12. verf. 2. Galat. 4. verf. 8, 9.

a Jerusalem civitas sancta.

Adducitur etiam locus 1 Cor. 15. verf. 5. ubi Apostoli vocantur *duodecim*, cùm eo tempore, de quo Paulus loquitur, (post, resurrectionem Christi) fuerint undecim: Quia scilicet duodecim olim erant. Τοῖς δώδεκα, *id est*, (inquit Beza) *selectis illis Apostolis, qui vulgo dicebantur οἱ δώδεκα, adeò ut tùm quoque nomen maneret, cùm expuncto Juda, & nondum allecto Matthia, undecim tantùm essent: veluti communi loquendi consuetudine, etiamsi ex viginti quatuor viris, sex aut septem duntaxat convenerint in senatum, dicentur tamen 24. viri convenisse. Itaque non est, quod corruptè scriptum esse putemus, δώδεκα* pro ἕνδεκα, *duodecim pro undecim (uti Vulgata habet) in tanto codicum consensu, cùm præsertim veteres, ut Chrysostomum & Augustinum, ita legisse constet, ut qui in hoc expediendo nodo laborent &c.* Hæc Beza, cujus sententia satis plana est. Alii respondent, respectum hac τῶν δώδεκα appellatione haberi ad ordinationem Dei, qui voluit hanc dodecada Apostolorum redintegrare.

## Nota.

b CÆterùm accuratè videndum, ne in abusum hæc loquendi consuetudo trahatur, néve, quod ratione præsentis status verè ita dicitur, ob præcedentis temporis statum ac conditionem sic dici astruatur. Ex quo abusu erroribus multis potest causa dari. Adponamus duos tantùm.

b Canonis abusus.

c 1. In actione S. S. cœnæ *Panis* verè ita dicitur, & ante, & post consecrationem sive benedictionem, Matth. 26. verf. 26. 1 Cor. 10. verf. 16. cap. 11. 26, 27, 28. Inter Pontificios (qui panis in corpus Christi factam transsubstantiationem, post εὐλογίαν, asserunt) sunt, qui hypotheseos propositæ evidentiam sic effugere conantur: *Eucharistiam vocari panem, per tropum, quia fit ex pane, sive, quia antè fuit panis; sicut, quod Genes. 2. Eva dicitur os Adami: Exod. 7. virga conversa in Dracones, adhuc vocantur virgæ: quòd Matth. 11. dicuntur cæci videre, claudi ambulare quod Matt. 21. dicuntur publicani & scortatores præcedere Pharisæos in regnum cœlorum.* Sed huic cavillo ipse Bellarminus lib. 1. de Euchar. cap. 14. §. decimus tertius locus &c. respondet his verbis:

c Pontificii.

bis:

bis, *Hæc solutio non videtur solidissima: possent enim adversarii dicere, non ideo, quia alicubi res denominatur ab eo, unde facta est, ubique ita accipienda esse vocabula.* Hæc ille, & verè quidem nos ita dicimus: Videndum enim in quolibet Scripturæ textu, quâ ratione attributiones & denominationes rerum fiant. Cùm igitur de vero pane, post consecrationem etiam manente (cui Sacramentaliter verum Christi corpus, in actione Cœnæ propriâ, unitum est) tot ac tàm clara extent testimonia, ecquæ necessitas, ad alienæ denominationis rationem recurrere? Ipse autem Bellarminus, suam proponens sententiam, titubanter incedit, nec ubi pedem stabilem figat, invenit, ut ex ipsius verbis videre est. Vide Theologum de Ecclesia Christi meritissimum, ac præceptorem venerandum, Dn. D. Gerhardum tom. 5. locorum Theolog. de sacrâ cœnâ, § 124, 125.

a Photiniani. 2. Carnis & corporum nostrorum resurrectionem probatam firmiter damus ex Job. 19, vers. 25. Johan. 5. vers. 28, 29. 1 Cor. 15. vers. 42. 44. 53. 2 Cor. 5. vers. 10. Philip. 3. vers. 12. 2 Thess. 4. vers. 14. &c. Photiniani (qui ipsam carnem seu corpora resuscitatum iri inficiantur, *& totum hominem in Christi adventu fore Spiritum; & Spiritum vivificantem* asserunt, uti Smalcius loquitur) ut ἐνέργειαν, & claritatem assertionis hujus ex Scripturæ dictis comprobatæ effugiant, excipiunt: *Carnem resurrecturam dici, sicut meretrices & publicanos in regnum cœlorum ingressuros, Matth. 21. vers. 31. nimirum qui olim publicani & meretrices fuerint: Ita quod caro fuit, resurrecturum.* Ostorodus instit. p. 394. Sed quò minus, exemplis hujus canonis, phrasis illa, à Socinianis producta, de resurrectione carnis, annumerari possit, evidentia summa Scripturæ S. dictorum obstat. Aliud est dicere, Scripturæ verba sic vel sic accipi posse: aliud verò ἀποδεικτικῶς demonstrare, sic accipi debere. In priore, ad labefactandam veritatem, industrii nimis sunt veritatis hostes; in posteriore & talpis cœciores, & gliribus somnolentiores sunt.

## *Exempla Prioris.*

DEnominatio rei sæpè à futuro eventu petitur. Seu, *in sacris litteris res describitur, non qualis nunc est, sed qualis futura est.*

Gen. 1. vers. 1. *Cœlum & terra* dicitur inanis illa & ἀκατασκεύαστος, primitus creata moles. Quia scil. cœlum & terra erat illa futura: unde post factam separationem, nomina isthæc cœli & terræ imponuntur, vers. 8, 10.

Gen. 29. vers. 21. Deut. 22. vers. 24. Matth. 1. vers. 20. desponsata vocatur *Uxor*, quia est uxor promissa, & futura. Sic & ipsum *matrimonii nomen* è futuro & sperato eventu est petitum, quia scil. mater expectatur, cum quo conjugii jura contrahuntur. Perinde ut Adam conjugem suam vocat חוה *Chavvam* seu Evam, *eò quòd futura esset mater omnium viventium* Genes. 3. vers. 20. Videatur Excellentiss. Dn. D. Gerh. tom. 7. locor. §. 168.

Exod. 19. vers. 24. Augustinus observat, *filios Aaronis vocari Sacerdotes, non quòd tales erant, sed quia tales futuri erant.* Sed præstat ibid. & vers. 22. per כהנים *sacrorum administros*, in præsenti intelligere, h. e. primogenitos, quos sibi Dominus consecraverat, cap. 13. v. 2. Numer. 8. vers. 16. seqq. hi enim administrârunt sacra, donec Levitæ in eorum locum adsumerentur. Confer caput 24. vers. 5.

In novo Test. Joh. 10. vers. 16. Christus *oves suas* vocat eos; qui olim tales erant futuri, tùm autem adhuc erant lupi & Euangelii hostes, vel ejus prorsus ignari. Videatur etiam cap. 11. vers. 52.

Eph. 5. vers. 27. Paulus Ecclesiam credentium vocat *gloriosam, non habentem maculam aut rugam, aut aliud hujusmodi, sed sanctam & immaculatam:* quia scilicet olim in resurrectione & vitâ æternâ talis futura est, Apoc. 19. vers. 7, 8. Thomas part. 3. quæst. 8. art. 3. resp. ad 2. *Ecclesiam esse gloriosam, non habentem maculam neque rugam, est ultimus finis, ad quem perducimur per passionem Christi. Unde hoc erit in statu patriæ, non autem in statu viæ, in quo si dixerimus, quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.*

## De Nomine Substantivo.

HActenus prima nominis appellativi distinctio fuit: Sequitur altera, quod sit vel *substantivum*, vel *adjectivum*. In *substantivo* occurrit notanda, 1. appositio, 2. repetitio. Unde duo etiam existunt, rationem utriusque explicantes, canones.

## Canon IV.

*Substantivum cum substantivo ejusdem rei, in eodem genere, numero & casu, convenit, quam constructionem Latini appositionem vocant.*

DEut. 22. vers. 28. *Puella virgo.* Jud. 11. vers. 1. *mulier meretrix.* 2 Sam. 2. vers. 18. *per manum Davidis servi tui.* Ibid. *Servabo populum meum Israelem.* Gen. 13. vers. 8. *Viri fratres,* Num. 32. vers. 14. *Homines peccatores.* Matth. 18. vers. 23. *homo Rex.* cap. 20. 1. *homo paterfamiliâs.* Luc. 2. vers. 15. οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες: (quod vers. 8. 20. ποιμένες simpliciter dicitur) Luc. 24. vers. 19. ἀνὴρ προφήτης. Act. 2. vers. 29. ἄνδρες Ισραηλῖται. vers. 22. ἄνδρες Ιȣδαῖοι &c. Ex quibus, & aliis patet, in hac constructione priorem vocem quandoque πλεονάζειν. Plura videantur in thesauro Grammatices Hebrææ, Clarissimi Buxtorffii, lib. 2. cap. 1. Reg. 1.

Cæterùm in hac constructione, ne cui imponatur, videndum. a Dolum certè insignem olim *Franciscus Davidis*, Antitrinitarius in Transylvania, commisit, dum verba Stephani Act. 7. vers. 59. κύριε Ιησȣ̃, *Domine Jesu, suscipe Spiritum meum;* ex appositionis figura in regiminis σύνταξιν transferre conatus fuit, *ac si invocatio esset non ipsius Jesu,* (quem invocandum esse negabat) *sed Dei Patris, qui dicatur Dominus Jesu* (in genitivo casu) *ut sit sensus: Tu pater, qui es Dominus tui Jesu, accipe Spiritum meum.* Sed rectè huic Sophismati à *Fausto Socino* (qui cum Blandrata contra Francisc. Davidis, asserebat, *Christum unà cum Patre religiosè adorandum & invocandum esse,* etsi verum & æternum Deum ipsum esse negaret) responsum est; 1. Debuisse dici, κύριε τȣ̃ Ιησȣ̃ si genitivi casus nomen *Jesu* esset, ut scilicet periculi plena amphibolia vitaretur. 2. Nunquam alibi legi, *Domine Jesu*, eo sensu, ut Jesus sit genitivi casus: Legi autem tùm aliàs, tum Apoc. 22. vers. 20. ναὶ ἔρχȣ κύριε Ιησȣ̃; ubi ipsum Jesum compellari, nulla subest dubitatio. 3. Ad illum dirigi Stephani invocationem, quem vidit à dextris Dei stantem, & qui quasi sibi opem laturus consurrexisset: Is verò Jesus est, vers. 55, 56. Hæc ille in disputatione cum Francisco Davidis de Jesu Christi invocatione p. 2. b Addatur versio Syriaca, quæ habet מָרַן יֵשׁוּע *Domine noster Jesu.* Ubi non potest excipi, patrem dici *Dominum Jesu*, in genitivo: cum מָרַיָא *Dominus*, cum affixo sibi annexo construatur, non cum nomine Jesu. Nec potest excipi, esse legendum, *Domini nostri Jesu;* id enim affixi ratio respuit, quod voci, *Dominus*, non voci *Jesu*, annectitur. Etsi autem lubenter fatemur, parem Syriacæ versionis cum textu Græco auctoritatem non esse, tamen ejus, ut à fideli interprete profectæ, (testatur enim Tremellius in præfat. *quòd majori ex parte ex archetypo Græco fidelissimè expressa sit.* Unde & Franciscus Lucas Brugensis in præfat. super Nov. Test. comment. num. 6. *Hòc teneo*, inquit, *indubitanter, Syriacum N. Test. textum vetustissimi exemplaris Græci, & quidem ex primis, loco habendum & venerandum esse:*) testimonio, ad Scripturæ dicta explananda commodè nos uti posse, negari nequit: præsertim si res ipsa (ut in loco Actuum allegato) ex textu authentico satis luculenter probari queat, &c.

c Vice versâ etiam videndum, ne quod ad *regiminis constructionem* (substantivi cum substantivo in genitivo casu juncti) pertinet, ad *appositionem* referatur. Fallunt hic, qui nomen צבאות, *Zebaoth*, Dei nomen esse ajunt, & *Dominum Zebaoth* per appositionem dici, sensu hoc: *Dominus, qui est Zebaoth.* Est enim nomen plurale, *exercitus* significans, & creaturas Dei universas notans, ob mirabilem consonantiam & ordinem, in quo creatæ, Sap. 11. vers. 22. sic dictas. Unde Deum hi exercitus creaturarum & angelorum laudare jubentur, Psal. 103. vers. 21. Psal. 148. vers. 2. *Dominus* igitur *Zebaoth* idem est, ac Dominus ille & Deus exercituum, eorundemque creator & moderator. Non obstat, (1.) quòd nomen Dei יהוה, quod sæpe additur, in statu regiminis non ponatur: subintelligendum enim nomen אֱלֹהֵי, quod expressè additur Hos. 12. vers. 6. Amos 3. vers. 13. cap. 5. v. 16. cap. 6. v. 8. 14. (2.) Quòd vox ipsa Hebræa in Græco N. T. textu retinetur, σαβαώθ, Rom. 9. vers. 29. Non enim omnes voces, quæ in N. T. linguâ originali ob certam rationem servantur, nomina propria sunt, uti de *Hosianna, Halleluja, Amen, Pascha, Sabbatum, &c.* constat. Vicissim etiam nomina quædam propria non servantur linguâ Hebræâ, uti de nomine *Jehovah & Adonai* constat, quod per κύριον in N. T. redditur. Denique observandum, nunquam solitariè vocem *Zebaoth* de Deo usurpari, sicut reliqua divina nomina, sed semper adnexum sibi & præmissum aliud habere Dei nomen. Tantum de hoc.

De *appositionis Syntaxi* etiam notandum, quòd *pro eâ quandoque status regiminis ponatur.*

a Abusus.

b Versio Syriaca N. T.

c Abusus alter. Deus Zebaoth.

Nota.

Gen. 15. verſ. 18. נְהַר פְּרָת *fluvius Euphratis*, h. e. fluvius Euphrates. Sic Ezech. 3. verſ. 15. נְהַר כְּבָר *fluvius Chebaris*, h. eſt. fluvius Chebar.

Amos 5. verſ. 2. בְּתוּלַת יִשְׂרָאֵל *virgo Iſraëlis*, h. e. virgo Iſrael. Matth. 24. verſ. 30. *Signum filii hominis*, h. e. *ſignum* (quod eſt) *filius hominis. Nam crucem per illud ſignum intelligi, nihil eſt. Sic ſentio.* Lutherus Epiſt. tom. 2. f. 155. b.

Act. 8. verſ. 5. *Philippus cum deveniſſet εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας, in urbem Samariæ*, in urbem Samariam, vide v. 9. 14. Dedit hæc metropolis toti regioni nomen, & ſub nomine Sebaſtes ab Herode Magno fuit reſtaurata, ut narrat Joſephus lib. 1. de bello Jud. cap. 6.

Huc referunt Rom. 4. verſ. 11. σημεῖον περιτομῆς, *ſignum circumciſionis*, h. e. circumciſionem, quæ ſignum eſt. Veluti *Sacramentum Baptiſmi* dicimus, h. e. baptiſmum, qui Sacramentum eſt. Itemque Matth. 12. verſ. 39. *Signum Jonæ*, h. e. Jona, qui eſt ſignum ſeu typus filii hominis, ut ibidem ſequitur.

## Canon V.

*Subſtantivum idem, eodem caſu & numero, ſæpius in Scriptura ſacra repetitur.*

IN Maſorâ finali, principio מערכת אות הבית, *diſpoſitionis literæ Beth.* fol. 15. col. 5. proponitur אב תאומים בפסוק h. e. *Alphabetum vocum geminarum in uno verſu*, id eſt, ejuſmodi vocum, quæ continuò in eodem verſu repetuntur, ſive ſint verba; ſive nomina: *veluti.* אֱכוֹל אֱכוֹל *comede, comede*, Ezech. 3. verſ. 1. & hujuſmodi plures in litera א. Item בֶּארֹת בֶּארֹת *putei, putei*, Gen. 14. verſ. 10. גֵּבִים גֵּבִים *foſſæ foſſæ*, 2 Reg. 3. verſ. 16. דֶּרֶךְ דֶּרֶךְ *via via*, Ezech. 42. verſ. 12. &c. Harum vocum gemellarum centum & quinque in unum Alphabetum collectæ, dicto Maſoræ loco recenſentur. Jer. 22. verſ. 29. in Maſorâ magnâ recenſentur etiam ג׳ פסוקים מְשֻׁלָּשִׁים *tres verſus triplicati*, h. e. ex iisdem vocibus triplicatis conſtantes: reliqui duo ſunt Eſai. cap. 6. verſ. 3. Ezech. 21. verſ. 27. Additur etiam quartus, in quo duæ voces ter repetuntur, Jerem. 7. verſ. 4. *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini.* (Si quæratur, cur non additus fuerit locus, Eſth. 8. verſ. 9. ubi ter repetitur, מְדִינָה מְדִינָה וּמְדִינָה *provincia, provincia, & provincia?* Reſp. Maſorethas voces intelligere omninò eaſdem, ſine ullâ planè vel additione vel mutatione. Jam verò hoc loco repetita ultimò vox habet præfixum Vau, atque ita non eſt omninò eadem.) Jam de emphaſi & ſignificatione vocum iſtarum geminatarum, & quidem ſubſtantivorum nominum, ſumus ſolliciti.

Fit igitur illa repetitio ſubſtantivi;

1. *Ad emphaſin & evidentiam, vel etiam continuationem deſignandam.*

Deut. 2. v. 27. בַּדֶּרֶךְ בַּדֶּרֶךְ *in eadem viâ, in eadem viâ procedam*, h. e. continuò eâdem viâ procedam.

Deut. 16. verſ. 20. צֶדֶק צֶדֶק *juſtitiam, juſtitiam ſectaberis*, hoc eſt, indeſinenter & conſtanter juſtitiam ſectaberis. In v. 19. ab omni injuſtitiæ ſpecie fuerat dehortatus: mox igitur emphaticè juſtitiam ſectandam judicibus ſeverè præcipit.

Pſal. 22. verſ. 1. אֵלִי אֵלִי *Deus mi, Deus mi, ut quid me dereliquiſti?* Si quæ in verbis Scripturæ emphaſis & vehementia, certè in his Chriſti, in agone mortis & ſummis cruciatibus conſtituti, verbis eſt. Confer Matth. 27. v. 46. Marc. 15. v. 34. &c.

Alia exempla, 2 Regum 4. v. 19. 2 Sam. 18. verſ. 33. Deuter. 2. verſ. 27. Pſalm. 133. v. 2. Jerem. 4. v. 19.

Sic cum geminato nomine vocatur quis, id cum emphaſi conjunctum eſt. Gen. 22. verſ. 11. *Abraham Abraham!* Gen. 46. verſ. 2. *Jacob Jacob!* Exod. 3. verſ. 4. *Moſes Moſes!* 1 Sam. 3. verſ. 10. *Samuel Samuel!*

Si ter fiat illa repetitio, major adhuc orationis deſignatur vis & evidentia.

Jerem. 7. verſ. 4. *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini*, q. d. unicum & chariſſimum Domino Templum, in quo nos maximè confidimus, cum Deus ſuam שְׁכִינָה majeſtatis præſentiam ipſi alligaverit. Hæc expoſitio confirmatur verſ. 14. ubi de Templo dicit Deus, quod in eo conſiſtant Judæi, perinde ut verſ. 4. Chaldæus Interpres ob ternam ad templum congregationem, quæ quotannis neceſſaria erat, Deut. 16. verſ. 16. fieri hanc repetitionem, ſuâ tranſlatione innuit. Ita autem ea habet: *Ne confidatis verbis pſeudoprophetarum, qui dicunt: Coram templo Domini vos ipſum colitis: coram templo Domini vos ſacrificatis; coram templo Domini vos adoratis; tribus vicibus in anno vos comparetis coram ipſo.* Quidam ob pluralem הֵמָּה *ipſi*, vel *ipſa*, repetitioni additum, tres partes Templi deſignari ajunt, nempè אולם *porticum* הֵיכָל *atrium* ſeu palatium, & דְּבִיר *adytum* ſeu oraculum. Quidam verò הֵמָּה *ipſa*, referunt ad opera Judæorum; cultum Dei externum concernentia, &

Tem-

Templum in Genitivo reddunt: *Templi Jehovæ sunt ista*, q. d. quid reprehendis, ô Propheta, in operibus nostris, aut cur constantissimas Dei promissiones in dubium vocas? De istis omnibus, quæ tu adducis, sumus adeò confirmati, ut nihil supra. Nam opera hæc nostra nonne sunt Templi Jehovæ, à Jehova imperata lege? promissiones verò nonne huic Templo conjunctæ sunt? ac proinde nonne tàm firmæ atque constantes sunt erga nos, quàm firmum est Templum? hoc templum requies est Dei usque in sempiternum, Psal. 132. v. 14. quamobrem pro certo habemus, fidelem Deum propter Templum suum conservaturum esse regionem nostram, & nos cultores suos. Ita Junius: cujus expositio stabiliri videtur vers. 21, 22.

Jere. 22. vers. 29. *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini*, q. d. ô terra omnium terrarum præstantissima & laudatissima. R. Salomo in comment. addit, posse sic explicari, quòd trinâ repetitione tres terræ sanctæ partes intelligantur, nimirum Judæa, ea quæ trans Jordanem, & Galilæa.

Ezech. 21. vers. 27. (al. 32.) עַוָּה *perversitatem, perversitatem, perversitatem ponam eam* (coronam) id est, funditùs eversum & prostratum erit regnum, deletumque ex judicio meo, iteratis cladibus per Babylonios. Confer. v. 14. Quidam trinam repetitionem de triplici insigniori Judæorum accipiunt clade, quarum *prima* à Babyloniis, *secunda* ab Antiocho, *tertia* à Romanis, eisdem illata est, quæ ultima demum populo panolethriam attulit: *advenerat enim is*, (ut in textu est) *cujus judicium erat, & cui tradita erat corona*, eminentissimâ ratione, Salvator videlicet noster, Jesus, quod tempus à Propheta hîc determinatur. Confer Jun. notam. Aliam trinæ hujus repetitionis rationem vide apud Dn. Chemnitium in harm. Euang. cap. 3. p. 119.

2. *Ad multitudinem significandam*: id quod plerumque in repetitione substantivorum pluralium fit.

Gen. 14. vers. 10. *Et vallis Siddim* (erat) *putei putei bituminis*, h. e. puteos bituminis habebat plurimos, seu passim abundabat puteis.

Exod. 8. vers. 14. *Et colligebant eas* (ranas) *acervos, acervos*, h. e. acervatim, per multos acervos.

Jud. 5. v. 22. *Propter plausus plausus*, h. e. propter multiplicem & incitatissimum equorum plausum & cursum.

2. Regum 3: 16. *Fac torrentem hunc foveas, foveas*, h. e. fac in eo plurimas foveas.

Esa. 25. vers. 7. *Et absorbebit* (Dominus) *in monte hoc faciem* הַלּוֹט הַלּוֹט *involucri, involucri, super omnes populos*, h. e. plurima involucra seu vincula: vel omne involucrum & vinculum, peccati videlicet, quod varium & multiplex: seu involucra & vincula Satanæ, inferni, mortis, peccati &c. Quidam *prius* הַלּוֹט nominaliter, *posterius* particulariter accipiunt, positum pro לוּט (partic. passivo Pahul) punctis Holem & Schurec permutatis; ut sit, *faciem involucri, involuti super omnes populos*. Junius ut particip. activum accipit, vertens; *Speciem istius veli obvelantis omnes populos*. Celebratur his verbis beneficium, *vel* regenerationis & illuminationis credentium in Ecclesia, ut *involucrum* seu operimentum gentibus obductum sit excœcatio illa, de qua Ephes. 4. vers. 17, 18. *operimenti verò absorptio* seu ablatio, cognitio Dei illustris, sublato velamine inscitiæ damnabilis, de qua 2 Cor. 3. v. 18. *Vel*, quod textui accommodatius, celebratur beneficium gloriosæ ex morte resuscitationis, quod verba sequentia, & collatio dicti Apostolici, 1 Cor. 15: 53. comprobant, quæ etiam sententia B. Lutheri est.

Joël. 3. vers. 14. (al. 19.) הֲמוֹנִים הֲמוֹנִים *multitudines multitudines in convalle concisionis*, hoc est, strages tanta erit, ut passim compareant cumuli coacervati cadaverum. Allegoria, significans infinitam fore damnatorum multitudinem. Confer Esa. 66. vers. 23. ubi damnati *cadavera* vocantur, mortua scilicet morte secundâ pessimâ Apocal. 21: 8.

3. *Ad distributionem indicandam*. Alterum enim repetitum substantivum loco adjectivi distributivi est, quo Hebræi carent.

Gen. 32: 16. *Et dedit in manus servorum suorum gregem gregem seorsim*, h. e. singulos greges tradidit singulis servis suis.

Num. 5. vers. 21. *Vir vir cùm declinaverit uxor ejus*, hoc est, cùm ullius viri uxor, vel cujuscunque viri uxor declinaverit. Sic & Lev. 15. vers. 2. cap. 24. 15. Ezech. 14. vers. 4. cui apud Syros respondent אנש אנש ἕκαστος, *unusquisque* Matth. 16: 27. cap. 25: 15. 1 Cor. 4: 5.

Num. 17: 2. *Accipe ab eis virgam virgam*, h. e. singulas virgas.

Num. 28: v. 21. *Decimam decimam parate*, h. e. singulas decimas.

1 Paral. 26. v. 13. *Ad portam & portam*, h. e. in singulis portis.

2 Paral. 19: 5. *Constituit judices in urbe & urbe*, h. e. in singulis urbibus.

Esr. 10: 14. *Seniores civitatis & civitatis*, h. e. singularum civitatum.

Esth. 8: 9. *Scriptum est ad principes septem & viginti & centum provinciarum: provinciæ &*

*provinciæ juxta scripturam ejus, & populo & populo juxta linguam ejus*, h. e. singulis provinciis, & singulis populis.

Marc. 6. v. 39. συμπόσια συμπόσια, *per convivia convivia*, h. e. per singulas convivantium atque accumbentium classes v. 40. πρασιαὶ πρασιαὶ, *areolæ, areolæ*, h. e. areolatim, seu per singulas areolas.

Eadem ferè ratio *numeralium* adjectivorum est, quæ si geminantur, distributiva fiunt, Gen. 7: 9. *duo duo ingressa sunt*, h. e. bina. Marc. 6: 7. ἀποστέλλειν δύο δύο, *mittere duos duos*, h. e. binos, seu singula paria.

4. *Ad diversitatem & varietatem intuendam.* Quod fit, si copula ו interponatur: etsi exempla quædam jam posita ostendunt, distributionem indicari, etiam dum copula non interjicitur.

Deut. 25. vers. 13. *Non erit tibi in loculo tuo lapis & lapis*, seu *pondus & pondus*, h. e. diversum pondus, majus alterum, alterum verò minus, ut ibidem explicatio additur, v. 14. *non erit tibi in domo tua Epha & Epha*, seu *modius & modius*, diversus modius, alter major, destinatus accipiendis; alter minor, destinatus erogandis seu vendendis.

Psal. 12. vers. 3. בלב ולב *corde & corde loquuntur*, h. e. duplici animo. R. Aben Ezra: Duplici & dispari corde, quorum unum in ore, alterum in pectore est. Seu diversis cordis affectibus, quæ cordis quandoque significatio est, Deut. 6: 5.

Psal. 87. vers. 5. *Vir & vir natus est in illa*, h. e. hic & ille, diversi, quamplurimi. Potest hoc ad secundum etiam membrum referri. Confer Dn. Buxtoff. in thes. Grammat. lib. 2. cap. 2. pag. 318. seqq. editionis primæ, Anno 1609. quæ in libri hujus allegatione semper intelligitur.

## De Nomine Adjectivo.

De Substantivo hactenus: *Adjectivum* sequitur, quod ratione tùm *constructionis* cum suo substantivo, tùm *comparationis*, quæ ipsi accidit, considerandum.

a In *constructione* observetur *in genere*, quòd proprietatem linguæ Sanctæ inter alia declaret σύνταξις ordinaria substantivi & adjectivi, quorum illud ferè semper præcedit; hoc sequitur, (si scilicet expressè Syntaxis sit substantivi & adjectivi inter se connexorum: alia verò ratio est, si inter duo substantiva in statu regiminis posita, prius adjectivi vicem sustinet, ut Can. 8. §. 1. habetur) idque naturali quadam concinnitate: Prius enim naturâ τὸ τὶ, quàm τὸ πῶς; prius subjectum, quàm ei accidens vel adjunctum; prior naturâ cursus, quàm celer cursus; prior naturâ homo, quàm sapiens vel doctus homo &c. Prov. 15. vers. 14. לב נבון *animus intelligens quærit scientiam.* vers. 20. בן חכם *filius sapiens lætificat patrem.* cap. 19. vers. 4. *Opes parant* רעים רבים *amicos multos &c.* Quòd si adjectivum præcedit, tùm ellipsis est verbi substantivi intercedentis. Ut Ps. 32. vers. 10. רבים מכאובים לרשע *multi (sunt) dolores improbo &c.* Confer Dn. Buxtorff. lib. 2. thesauri cap. 1. Reg. 2. Excipiuntur tamen in ordinaria illa (de qua dictum) substantivi & adjectivi constructione, (1) *adjectiva numeralia*, quæ quandoque substantiva sua præcedunt. Vide Buxtorff. d. l. p. 308. (2.) *Quædam adjectiva alia.* Sic כל *Omnis*, suum substantivum ferè semper antecedere planum est. (Quidam כל non concretum, sed abstractum esse dicunt, *omneitatem* seu *universitatem* notans, ita ut Syntaxis hîc sit, non adjectivi cum substantivo, sed substantivi cum substantivo in genitivo casu. E. G. Genes. 2. vers. 1. וכל־צבאם *& universitas exercitus eorum.* vers. 2. מכל־מלאכתו *ab universitate operis sui.* vers. 5. וכל־שיח *& universitas fruticis seu fruticum &c.*) Præter adjectivum *Omnis*, consimile alterum, רב *multus*, suum substantivum præcedere comperitur. Ut Ps. 89. vers. 51. *Me gestare in sinu meo* (opprobrium) כל רבים עמים *omnium maximorum populorum*, Jer. 16. vers. 16. לרבים צידים *ad multos venatores* (in præcedenti membro suum substantivum sequitur. לדוגים רבים *ad piscatores multos.*) Amos. 5. vers. 12. *Novi* רבים פשעיכם *multas transgressiones vestras*, additur: ועצמים חטאתיכם *& robusta peccata vestra.* Sic & cùm *magnum* significat, Ose. 9. vers. 7. *Ob multitudinem peccatorum tuorum*, ורבה משטמה *& magnum odium.* Expende etiam hæc sequentia. Gen. 17. vers. 14. וערל זכר *& præputiatus masculus.* Psal. 18. vers. 4. מהלל אקרא יהוה *Laudatum* (laudabilem) *invocabo Jehovam.* Esa. 10. vers. 30. עניה ענתות *paupercula Anathoth.* Esa. 28. vers. 21. *ad faciendum factum suum*, זר מעשהו *alienum factum suum, & ad operandum opus suum*, נכריה עבדתו *alienum opus suum.* Esa. 53. vers. 11. צדיק עבדי *justus servus meus*, Jerem. 2. vers. 19. צעה זונה *discurrens meretrix.* Alii discurrens (eras) meretrix. Jer. 3, 6, 8. 11, 12. משבה ישראל *adversa Israel.* vers. 7, 8, 10. בגודה אחותה *perfida soror ejus.* Jer. 48. vers. 18. יושבת בת דיבון *sedens* (vel *deses*) *filia Dibon.* Ez. 41. vers. 24. מוסבות דלתות *versatiles valvæ.* Mich. 6. vers. 2. והאתנים מוסדי ארץ *& robusta*

a Observatio.

*robuſta fundamenta terræ,* Chaldæus ſubſtantivum ſynonymon pro eo poſuit, יְקָרַיָּא *fundamenta.* Quidam huc referunt Eſa. 53. verſ. 4. מֻכֵּה אֱלֹהִים *percuſſum Deum*, uti Galat. vertit, lib. 8. cap. 14. Sed quid de hac conſtructione habendum ſit, inferiùs Can. 30. dicetur.

*In ſpecie* notanda occurrunt; 1. adjectivi conſtitutio, ſeu quomodo ſingulari idiotiſmo exprimatur? 2. Ejus ellipſis ſeu defectus. 3. Ejus enallage ſu permutatio.

*Primum* quod attinet, exprimitur adjectivum, 1. per duo ſubſtantiva connexa, quorum alterum loco adjectivi eſt. 2. Per abſtractum pro concreto poſitum. 3. Per duo nomina in ſtatu regiminis, quorum alterum pro adjectivo eſt. 4. Per ſubſtantivum cum præpoſitione. 5. Per adverbium. De quibus ordine per canones totidem agendum,

## Canon VI.

*Duo ſubſtantiva, vel ſynonyma, vel diſparatæ ſignificationis, conjunguntur, & eorum alterum adjectivi vicem ſuſtinet, ejuſque habet ſignificationem cum emphaſi.*

Vulgò hæc loquendi forma vocatur, *Hendiadys*, q. d. ἓν διὰ δυοῖν, *unum per duo*: quando ſcilicet una res per duo, vel ſynonyma, vel diſparatæ ſignificationis vocabula exprimitur.

Gen. 1. verſ. 26. *Et dixit Deus, faciamus hominem* בְּצַלְמֵנוּ כִּדְמוּתֵנוּ *in imagine noſtrâ, ſecundum ſimilitudinem noſtram*, h. e. ad imaginem valdè ſimilem, ut Emanuel Sa in notis ad hunc locum explicat: vel, ad imaginem nobis perquàm ſimilem, ut Cornelius à Lapide in comment. Eph. 4. *Imaginem* (inquit hic) *& ſimilitudinem multi diſtinguunt, ſed dico eſſe hendiadyn; quaſi dicat, faciamus hominem ad imaginem ſimilitudinis noſtræ, ut loquitur Sapiens c.* 2. 24. *id eſt, ad imaginem valdè ſimilem aut ſimillimam nobis. Ex quibus, & aliis Scripturæ dictis, Gen. 5. verſ. 1. Col.* 3. *verſ.* 10. *colligitur, imaginem à ſimilitudine non diſtingui.* Videatur idem in Geneſeos locum. Notandum hoc contra Bellarminum, & alios Papiſtas (quibus & quidam ex Calvinianis aſſurgunt) qui ſynonymiam emphaticam duarum iſtarum vocum negantes, diverſa iis ſignificari (per *Imaginem* ſcilicet animæ eſſentiales facultates, mentem, voluntatem, memoriam &c. per *ſimilitudinem* autem animæ qualitates, ſanctitatem, juſtitiam, Dei cognitionem &c.) contendunt. Quibus præter argumenta ex verſus ſequentis συναφείᾳ, & collatione cum cap. 5. verſ. 3. Epheſ. 4. verſ. 23. Col. 3. verſ. 10. &c. Jeſuitæ allegati, uti & *Pererii* teſtimonium opponendum eſt. Hic enim noſtram amplexus, & aliquot argumentis roborans ſententiam, tandem ſic concludit: *Manifeſtum eſt, harum vocum, imaginis & ſimilitudinis, eandem eſſe vim & ſignificationem, eaſque hoc loco ad idem ſignificantiùs, expreſſiùs & illuſtriùs declarandum, eſſe poſitas.* Comm. in Gen. lib. 4. &c.

Gen. 4. verſ. 4. *Et Abel obtulit ipſi quoque* מִבְּכוֹרוֹת צֹאנוֹ וּמֵחֶלְבֵהֶן *de primogenitis gregis ſui, & de adipe ſeu pingui eorum*. h. e. de primogenitis gregis ſui pinguiſſimis. *Adeps* pro ſummè pingui accipitur, itemque pro optimo in quavis re, ut inferiùs dicetur.

Gen. 19. verſ. 24. *Et Jehova pluit ſuper Sodom & Amorah* גָּפְרִית וָאֵשׁ *ſulphur & ignem*, hoc eſt ſulphur ignitum, vel ſulphureum ignem.

1 Paral. 22. verſ. 5. *Domus illa, ædificanda Jehovæ, & magna facienda eſt ſummè,* לְשֵׁם וּלְתִפְאֶרֶת *ad nomen & ad ornatum*, h. e. ad nomen ornatiſſimum (obtinendum) apud omnes terras.

2 Paral. 16: 14. *In cubili, quod impleverat* בְּשָׂמִים וּזְנִים *aromatibus & ſpeciebus*, h. e. aromaticis ſpeciebus.

Job. 4. verſ. 16. דְּמָמָה וָקוֹל *ſilentium & vocem audivi*, h. e. ſilentem ſeu tacitam & ſubmiſſam vocem. Poteſt tamen prior vox דְּמָמָה (quæ per Rebhia accentum pauſantem à ſequenti voce diſtinguitur per ellipſin præfixi ב explicari: *In ſilentio*, ſeu ſilendo vocem audivi, h. e. dum ab horrore meo confirmatus, ad illam tacitus attenderem. Luth. Es war ſtill/ und ich horet eine Stimme. Imago & ſimilitudo Dei idem ſunt.

Job. 10. verſ. 17. חֲלִיפוֹת וְצָבָא *vices & exercitus ſunt contra me*, h. e. quaſi exercitus per vices alii aliis ſuccedentes me oppugnant, vid. plagæ tuæ (ô Deus) quas ibidem *teſtes* vocat Hiob, nimirum divinæ indignationis.

Pſal. 116. verſ. 1. *Dilexi* (Jehovam) *quoniam exaudit Jehova* אֶת־קוֹלִי תַּחֲנוּנָי *vocem meam, ſupplicationes meas.* h. e. vocem meam humillimè ſupplicem.

Pſal. 119. v. 138. *Præcepiſti* צֶדֶק עֵדֹתֶיךָ וֶאֱמוּנָה *juſtitiam teſtimoniorum tuorum, & fidem*, h. e. juſta teſtimonia tua, fidelia. Ubi ſimul alius idiotiſmus, ex can. 8. §. 1.

Jerem. 22. verſ. 23. *Sic dixit Dominus, facite* מִשְׁפָּט וּצְדָקָה *judicium & juſtitiam*, h. e. judicium

dicium justum: dum judicia exercetis, justitiam arctè tenete, ne vel ad dextram vel sinistram ullâ ratione declinetis.

Jere. 29: 11. *Ad dandum vobis*, אַחֲרִית וְתִקְוָה *finem & expectationem*, h. e. finem expectatum seu exoptatum.

Matth. 3: vers. 11. *Ipse* (Christus) *vos baptizabit Spiritu sancto & igni*, h. e. ignito quasi, seu in ignis Symbolo se manifestante, quod die Pentecostes in miraculosa Spiritus sancti effusione, in ignis specie factâ, contigit. Confer Actor. 1. vers. 5. cap. 2: 3. cap. 11. 15, 16. Quidam *effectivè* accipiunt, & explicant: *Spiritu sancto & igne*, h. e. igneum efficiente, inflammante, & illuminante, corda scil. hominum, D. Chemnitius exam C. T. part. 2. de bapt. p. 233. *Non invitus concedo, in illa sententiâ, Christum baptizare Spiritu, amplius aliquid contineri, quàm solam manifestationem admirabilium illorum & conspicuorum donorum Spiritus. Illa enim Symbola fuerunt, testificantia de interiori efficacia Christi, de invisibili donatione & operatione Spiritus. Et Christus non dicendus est desiisse baptizare Spiritu, postquam visibilia illa dona desierunt.*

Actor. 14. vers. 13. *Sacerdos autem Jovis, qui erat ante civitatem illorum*, ταύρυς καὶ στέμματα, *tauros & coronas ad vestibula adferens, cum turbis volebat sacrificare.* Tauri & coronæ sunt tauri coronati seu vittati; qui mos erat priscus gentilitiorum sacrificiorum. Virg.

*Victori velatum auro vittisque juvencum.*

2 Pet. 1. vers. 3. *Qui vocavit nos* διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς, *per gloriam & virtutem*, h. e. per gloriosam virtutem seu potentiam. Est enim ἀρετὴ in Deo idem, ac θεία δύναμις, ut Hesychius ait. Et ita Zachar. 6. v. 13. pro Hebræo הוֹד usurpatur, ut & alibi. Vide etiam 1 Pet. 2. v. 9.

In profanis Scriptoribus simile his est illud Virgilii lib. 2. Georg. *Pateris libamus & auro*, h. e. pateris aureis. Et Lucani: *Chalybem frenosque momordit*, h. e. frenos chalybeos.

## Canon VII.

*Sæpius abstractum pro concreto, seu substantivum pro adjectivo, cum insigni emphasi & energiâ ponitur.*

GEn. 46. vers. 34. תּוֹעֲבַת *abominatio Ægyptiorum* est *omnis pastor pecoris*, h. e. abominabilis. De causâ abominationis istius Ægyptiorum adversus gentem pastoritiam videatur Josephus Scaliger in animadvers. super Chron. Euseb. p. 19. & P. Cunæus de Repub. Hebr. lib. 1. c. 5.

1 Sam. 25. vers. 6. וְאַתָּה שָׁלוֹם *& tu* sis *pax, & Domus tua* sit *pax, & omne quod tibi*, sit *pax*, h. e. tu sis (opto) pacificus seu felix & prosper, & domus tua felix, & omne quod tuum est, sit felix. שָׁלוֹם *pax, incolumitas*. à perfectione nomen habet, & omnigenam beatitudinem & ἐυτυχίαν exprimit.

Psal. 5. v. 10. *Intimum eorum* הַוּוֹת *pravitates*, h. e. cor eorum pravum est maximè & malitiosum.

Psalm. 35. v. 6. *Sit via eorum tenebræ & lubricitates*, hoc est, tenebrosa & lubrica.

Psalm. 39. vers. 6. Ecce טְפָחוֹת *palmos dedisti dies meos*, h. e. palmares, non longiores, quàm sit hominis palmus. Egregia vitæ humanæ brevitatis descriptio. Chald. *Ecce* קַלִּין *leves, ordinasti dies meos.* LXX. Interpretes exactè Hebræam vocem exprimunt: ἰδοὺ παλαιστὰς ἔθου τὰς ἡμέρας μου, *ecce palmos posuisti dies meos.* Sed qui in Latinum, Græcum contextum vertit, pro παλαιστὰς *palmos*, legit παλαιὰς, *veteres*. Ita enim habet: *Ecce veteres posuisti dies meos.* Alii, cùm παλαιστὴς *luctatorem* quoque significet, παλαιστὰς interpretati sunt, quasi esset παλαιστρικάς. Euthymius. *Ecce laboriosos posuisti dies meos certaminis & pugna plenos.* Vide de hoc plura in Antibarbaro Biblico Sixtini Amamæ, lib. 3. p. 870.

Psal. 39. v. 6. Utique כָּל־הֶבֶל *universa vanitas est omnis homo*, hoc est, maximè vanus.

Cant. 1. v. 17. *Tigna domorum nostrarum* אֲרָזִים *Cedri* sunt, h. e. cedrina seu cedrata, ex cedri lignis confecta, quod אֲרֻזִים (ac si in participio Pahul positum esset) Ezech. 27. v. 24. dicitur.

Hag. 2. vers. 8. חֶמְדַּת *desiderium omnium gentium*, h. e. desideratus & expetitus, seu desiderabilis. Descriptio Messiæ, cui est *obedientia populorum*, Gen. 49: 10. *& qui stat in vexil-*

*vexillum populorum*, Esa. cap. 11. vers. 10.

Luc. 16. vers. 15. *Quod hominibus altum est, βδέλυγμα abominatio est coram Deo*, h. e. βδελυκτόν abominabile.

Joh. 17. vers. 17. *Sermo tuus veritas est*, h. e. verissimus. Sic Psal. 119. vers. 142. 151.

Rom. 1. vers. 16. *Euangelium est δύναμις potentia Dei, ad salutem omni credenti*, h. e. potens & efficax insigniter ad conversionem & salvationem hominum. Confer 2 Cor. 10. v. 4. ubi adjectivum ponitur: *arma militiæ nostræ sunt δυνατὰ τῷ θεῷ potentia Deo*, h. e. divinitùs valida.

2. Cor. 5. vers. 21. *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis ἁμαρτίαν peccatum fecit, ut nos fieremus δικαιοσύνη justitia Dei in ipso*: h. e. Fecit eum (Christum) peccatorem summum, non peccatis propriis, sed alienis, ipsi ut sacrificio vero propitiatorio imputatis & impositis. Et iterum: *Ut fieremus justitia*, h. e. perfectè justi; videl. in ipso, & per imputationem perfectissimæ Christi justitiæ. Chrysost. *Justum fecit peccatorem, ut peccatores faceret justos. Imò neque sic dixit, sed quod multò majus erat; non enim qualitatem posuit, sed substantiam: non dixit, peccatorem, sed peccatum: ut nos fieremus, non dixit, justi, sed justitia & justitia Dei. Dei enim est ista, quando non ex operibus, sed à gratia fit justificatio.*

Ephes. 5. vers. 8. *Eratis aliquando σκότος tenebræ, nunc autem estis φῶς lux in Domino*, h. e. eratis ἐσκοτισμένοι tenebricosi, intellectu & affectu, eratis tenebris ignorantiæ & malitiæ undique obsepti, cap. 4. vers. 18. nunc autem πεφωτισμένοι lucidi seu illuminati estis à Spiritu sancto, vester intellectus θεοδίδακτος est, & voluntas ac cor sanatum & purificatum, 1 Cor. 6. v. 11.

Huc referri potest, Rom. 2. vers. 26. cap. 3: 30. ubi Paulus *gentes* vocat ἀκροβυστίαν *præputium*, h. e. præputiatos seu incircumcisos: *Judæos* verò cap. 3. v. 30. vocat περιτομὴν *circumcisionem*, h. e. circumcisos. Luth. in enarr. Epist. & Euang. fol. 19. *Morem hunc, per signa res denominandi & aliæ linguæ habent. Germani dicunt suâ linguâ:* Der Schleyer und die Zopffe richten viel Unglück an / h. e. *pepla ac plicatura pilorum multa concitant infortunia: significantes per ea, quæ pecularia sunt mulieribus, ipsas mulieres. Et de Monachis: Vide quid non audeat cuculla? De sacrificiis: Ut est avara rasura. Ita equites calcarium & stapedam nomine subinde significant. Ad eundem modum, & Paulus Judæos à signo circumcisionem vocat, ut gentes præputium &c.* Huc quoque pertinet Phil. 3. vers. 2. βλέπετε τὴν κατατομήν, *cavete concisionem*. Ita in abstracto vocat eos, (per allusionem quandam,) qui circumcisionis necessitatem ad salutem urgebant, & hac ratione à corpore Christi, & æterna salute, se & alios rescindebant.

Emphatica isthæc abstracti usurpatio facit, ut in *superlativo gradu* adjectivum, quod per abstractivam vocem effertur, exponi sæpiùs possit perquam commodè. Nota.

Gen. 3. vers. 6. *Et vidit mulier, quòd bona esset arbor ad cibum, & quòd* תַּאֲוָה *desiderium ipsa esset oculis*, h. e. desideratissima.

Gen. 12. v. 2. *Et esto* בְּרָכָה *benedictio*, h. e. benedictissimus, sed summè ac omni ex parte benedictus.

Gen. 26. vers. 35. *Et fuerunt* (uxores Esavi) מֹרַת רוּחַ *amaritudo Spiritus Isaaco & Rebeccæ*, hoc est, amarissimæ animis Isaaci & Rebeccæ, vel, acerbissimæ & molestissimæ.

Psal. 88: 9. *Procul amoves notos meos à me, posuisti me* תוֹעֵבוֹת *abominationes eis*, h. e. summè abominabilem.

Cant. 5: 16. *Palatum ejus* מַמְתַּקִּים *dulcedines, & totus ipse* est מַחֲמַדִּים *desideria*, h. e. dulcissimus, desideratissimus.

Ezech. 35: 15. שְׁמָמָה *desolatio erit mons Seir*, h. e. desolatissimus.

Dan. 9: 23. *Nam* חֲמוּדוֹת *desideria tu es*, h. e. desideratissimus.

## Canon VIII.

*Inter duo substantiva in statu regiminis posita (h. e. quando substantivum unum regit alterum in genitivo casu) modò prius, modo posterius, loco adjectivi est: quandoque etiam utrumvis pro adjectivo commodè accipi potest.*

Triplicis igitur generis exempla sunt proponenda.

### 1. *Prius substantivum loco adjectivi est.*

Gen. 17: 5. *Et eris in patrem* הֲמוֹן גּוֹיִם *multitudinis gentium*, h. e. multarum gentium, ut Rom. 4: 17. exponitur.

Gen. 45. vers. 22. חֲלִפוֹת שְׂמָלוֹת *mutationes vestium*, h. e. mutatoriæ vestes: vestes novæ, quæ permutari possunt. Sic. Jud. 14. vers. 13, 14.

Lev. 6: 14. (al. 21.) תֻּפִינֵי מִנְחַת פִּתִּים *coctiones muneris frustorum, offerto odorem gratum Jehovæ*, h. e. cocta muneris frusta.

Lev. 7. vers. 35. (al. 25.) *Hæc est* (pars) מִשְׁחַת אַהֲרֹן *unctionis Aaronis, & unctionis filiorum ejus, ex igne absumendis Jehovæ*, h. e. uncti Aaronis & unctorum filiorum ejus. Supplendum autem esse nomen *Pars*, contextus cohærentia ostendit. Aben Ezra supplet, שכר *merces*.

Lev. 16. vers. 12. *Et accipiet* מְלֹא הַמַּחְתָּה *plenitudinem thuribuli, carbonibus ignis*, h. e. plenum thuribulum. Ibidem וּמְלֹא חָפְנָיו *& plenitudinem pugillorum suorum suffitu aromatum*, h. e. plenos pugillos suos.

Num. 30. vers. 13. *Omne votum, & omne* שְׁבֻעַת אִסָּר *juramentum obligationis*, h. e. jurata seu juramento confirmata obligatio.

Jud. 20. v. 40. *Et ecce ascendebat* כְּלִיל הָעִיר *universitas civitatis ad cœlum*, h. e. universa civitas. Quidam non minus commodè vertunt, *consumtio civitatis*, h. e. civitas totali incendio consumta. Targum reddit, *ascendit* תְּנָנַת *fumus urbis.* כָּלִיל *holocaustum* etiam significat, eò quòd totum combureretur (à כָּלַל *absolvit, perficit*,) & in fumum abiret, unde per metonymiam pro holocausti aut alterius incendii fumo accipi posse, ait Schindlerus in Lexico. Pagninus vertit, *combustio civitatis*, Junius & Tremellius, *incendium civitatis*.

1 Sam. 17: 40. *Et eligit sibi* (David) *quinque* חַלֻּקֵּי אֲבָנִים *lubricitates lapidum*, h. e. lubricos lapides.

2 Regum 19. vers. 23. *Succidam* קוֹמַת אֲרָזָיו מִבְחוֹר בְּרֹשָׁיו *proceritatem cedrorum ejus, delectum abietum ejus*, h. e. proceras cedros ejus, lectissimas abietes ejus

Job. 33. vers. 3. יֹשֶׁר לִבִּי *rectitudinem cordis mei, sermones mei, & sententiam labiorum meorum clarè eloquentur*, h. e. rectum cor seu animum meum.

Psal. 1. vers. 1. אַשְׁרֵי הָאִישׁ *beatitudines viri*, h. e. beatus vir, Sic Ps. 32: 1, 2.

Psal. 50: 2. *Ex Zione* מִכְלַל יֹפִי *perfectione pulchritudinis*, h. e. perfecta pulchritudine.

Psal. 74. vers. 5. בִּסְבָךְ עֵץ *contra implexitates ligni*, h. e. implexa ligna.

Psal. 76. v. 4. *Ibi confregit* רִשְׁפֵי קָשֶׁת *prunas vel scintillas arcus*, h. e. arcus scintillantes quasi præ nitore: seu coruscos arcus. Metaphora. Potest tamen רִשְׁפֵי h. l. de sagittis intelligi, quæ instar scintillarum hinc inde volitant. Et sic Chaldæus vertit, גִּירִין *sagittas*, uti & Lutherus. De sagittis etiam R. Salomo & Aben-Ezra interpretantur. Confer Job. 5: 7. Psal. 91: 5.

Psal. 77: 5. *Tenes* שְׁמֻרוֹת עֵינָי *vigilias oculorum meorum*, h. e. vigiles oculos meos. Ita affligis me, ut omnis mihi somnus pereat.

Psal. 99. vers. 4. וְעֹז מֶלֶךְ *&* (ut) *robur Regis, judicium amans, tu constituis rectitudines*, h. e. robustissime Rex, q. d. qui es robur ipsissimum, & iis, qui tibi serviunt, robur suppeditas.

Psal. 139: 22. תַּכְלִית שִׂנְאָה *perfectione odii odi illos*, h. e. perfecto odio.

Psal. 150: 1. *Laudate eum* בִּרְקִיעַ עֻזּוֹ *ob expansum roboris ejus*, h. e. expansum robur: quod ad omnes res creatas expanditur & diffunditur: in quo sunt, vivunt & moventur.

Prov. 20: 20. בֶּאֱשׁוּן חֹשֶׁךְ *in nigredine tenebrarum*, hoc est, in nigris tenebris.

Eccles. 1. vers. 18. בְּרֹב חָכְמָה רָב־כָּעַס *in multitudine sapientiæ multitudo mœroris est*, h. e. in multa sapientia multus mœror est. Loquitur de sapientia & cognitione humanâ, quæ vana est, fastidium tandem affert.

Esa. 2: 11. *Oculi* גַּבְהוּת אָדָם *elationis hominis humiliabuntur*, h. e. elati hominis, ut Pagninus vertit.

Esa. 22: 7. מִבְחַר עֲמָקַיִךְ *electio vallium tuarum*, hoc est, electæ valles tuæ, Pagninus.

In Nov. Testam. Matth. 13: 5. *Quòd non haberet* βάθος γῆς *profunditatem terræ*, profundam terram.

Luc. 1: 48. *Quia respexit* ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ, *humilitatem ancillæ suæ*, h. e. humilem ancillam suam.

Luc. 5. vers. 9. *Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant*, ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων, ᾗ συνέλαβον, *in captura piscium, quam ceperant*, h. e. in captis piscibus. Ita interpretandum esse, verbum additum innuit.

Rom. 5. vers. 17. *Abundantia gratiæ & donum justitiæ*, h. e. abundans gratia, & donata justitia. Loquitur de justitia Christi passione & morte parta, quæ ex gratia datur credentibus, & abundat supra peccatum.

1 Cor. 1: 21. *Placuit Deo* διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος *per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*, h. e. per stultam (coram ratione humana) prædicationem. Ibid v. 17. *non in sapientia sermonis*, h.e. sapiente (seu erudito & facundo) sermone.

Galat. 3: 14. *Ut promissionem Spiritus acciperemus*, h. e. promissum Spiritum, ut ex collatione vers. 3. constat. Extat autem illa Spiritus sancti promissio Esaiæ. 32. vers. 15. cap. 44. vers. 3. Jer. 31. vers. 33. cap. 32. vers. 4. Ezech. 11. vers. 19. cap. 36. v. 27. Joel. 2. v. 29. Zach. 12: 10.

Galat. 4. vers. 4. *Postquam venit* τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, *plenitudo seu completio temporis*, h. e.

h. e. plenum seu completum tempus: quo scil. spatia à Deo præfinita in V. Test. sunt peracta, & prophetiæ impletæ, quales potissimum sunt, Gen. 49: 10. Daniel. 9: 24.

Ephes. 4. v. 29. *Si quis* (sermo) *bonus est* πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, *ad ædificationem usus*, h. e. ædificantem seu ædificatorium usum. Syrus simpliciter vertit, לבניני *ad ædificationem*. Lutherus vocem χρείας non pro usu, sed pro *necessitate* accepit.

1 Thess. 1: 3. μνημονεύοντες ὑμῶν τοῦ ἔργου τῆς πίστεως, καὶ τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης καὶ τῆς ὑπομονῆς τῆς ἐλπίδος. *Recordantes vestrum opus fidei* (h. e. operosam fidem) *& laborem charitatis*, (hoc est, laboriosam charitatem) *& tolerantiam spei*, (hoc est, tolerantem spem.) Pulcherrima verborum structura: *Fides* est operosa, quia per opera se exerit, seque veram ac vivam demonstrat. *Charitas* laboriosa, quia prompta est ad inserviendum aliis, præsertim tempore persecutionis: *Spes* ὑπομένουσα, tolerans, quia patienter expectat finalem liberationem in extremo adventu Christi, 2 Cor. 4. vers. 17.

1 Pet. 1. vers. 7. ἵνα τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως, *ut exploratio fidei vestræ multò preciosior auro &c.* h. e. explorata fides vestra. Ita explicandum esse, *tùm* subjectum prædicatum ostendit: *Inveniatur in laudem & gloriam & honorem, in patefactione Jesu Christi;* quod ad ipsam probatam fidem pertinet: *Tùm* & collatio instituta cum ipso auro per ignem probato. Alia autem ratio loci Jac. 1. vers. 3. est.

1 Pet. 3. vers. 20. *Cùm semel expectabat*, ἡ τοῦ θεοῦ μακροθυμία, *Dei patientia*, h. e. μακροθυμῶν ὁ θεός, patiens seu longanimis Deus.

Apocal. 17. vers. 1. *Ostendam tibi* τὸ κρίμα τῆς πόρνης, *damnationem meretricis*, h. e. damnatam illam meretricem, cujus idea vers. 3. & sequentibus, Johanni objicitur.

Apocal. 18. vers. 3. *Mercatores terræ* ἐκ τῆς δυνάμεως τῆς στρήνους αὐτῆς ἐπλούτησαν, *ex potentia lasciviæ ejus ditati sunt*, h. e. ex potentia seu vehementi lasciviâ vel luxu ejus.

Piscator huc refert 2 Thess. 2. v. 8. *Quem Dominus conficiet Spiritu oris sui, & destruet* τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας αὐτοῦ, *apparitione præsentiæ ejus:* hoc est, (ut Piscator ait) ἐπιφανεῖ παρουσίᾳ glorioso seu conspicuo adventu suo. Verùm necessitas nulla est hujus explicationis. Simplicissimè ἡ ἐπιφάνεια τῆς παρουσίας χριστοῦ, *apparitio præsentiæ Christi*, est ejus ad judicium adventus: qui ἐπιφάνεια *apparitio* dicitur, hoc loco & 1 Tim. 6. vers. 14. 2 Tim. 4. vers. 1. Tit. 2. vers. 13. ἀποκάλυψις *revelatio*, 1 Cor. 1. vers. 7. 2 Thess. 1. vers. 7. 1 Pet. 1. vers. 7. 13. cap. 4: 13. & φανέρωσις *manifestatio*, Coloss. 3. ℣. 4. 1 Petr. 5. ℣. 4. 1 Joh. 2: 28. cap. 3: 2. ne omnimodam Christi secundùm humanam naturam à nobis absentiam quis ex adventu ejus colligat. Præsens est utrâque naturâ nobis, usque ad consummationem seculi, juxta infallibile promissum, Matth. 28. vers. 20. Sed præsentia illa est invisibilis. In die autem judicii Christus omnipræsens revelabitur seu manifestabitur gloriosè, ut ab omnibus conspiciatur.

Apud profanos superioribus simile est, quod in Eurip. Hecuba occurrit: καὶ μὴν ὀδυσσεὺς ἔρχεται σπουδῇ ποδός. *Et quidem Ulisses venit celeritate pedis*, hoc est, σπουδαίῳ ποδί, celeri pede.

Notandum insuper, in Hellenismo N. Test. *adjectivum neutrum* (quod pro substantivo ponitur) *eadem constructione suum substantivum in genitivo casu post se regere.* 2 Cor. 4: 2. τὰ κρυπτὰ τῆς αἰσχύνης, *occulta dedecoris*, h. e. occulta dedecora. Intelligit autem varias fraudes & prava consilia. 2 Pet. 2. vers. 18. ὑπέρογκα ματαιότητος, *prætumida vanitatis loquentes*, h. e. prætumidam vanitatem cap. 3: 3. ἔσχατον τῶν ἡμερῶν *ultimum dierum*, h. e. ultimi dies. Observatio.

Sic in profanis Lucian. Menip. τί δ' αὐτῷ βούλεται τὸ ἀλλόκοτον τοῦ σχήματος. *Quid sibi vult insolens habitus?* Sic τὸ πιστὸν τῆς ἀληθείας, pro ἡ πιστὴ ἀλήθεια. Τὸ βαρβαρικὸν τῆς γλώσσης, pro ἡ βαρβαρικὴ γλῶσσα. Et in Latinis. Tacitus 6. annal. *Donec minor filius lubricum juventæ exiret*, pro, lubricam juventam. Idem, *humidum paludum, secretum loci*, dixit, pro humidis paludibus, secreto loco. Apuleius, *proclive montis: Lubricum ætatule virentis.* Horatius, *amara curarum.* Catullus, *truculenta pelagi.* Virgilius, *telluris operta.* Et alia multa, quorum bonam partem enumerat M. Dan. Vechnerus in Hellenolexia lib. 1. pag. 42. seqq.

Aliàs ut suprà Can. 2. dictum, tale adjectivum neutrum pro substantivo ponitur. Heb. 6: 17. τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ, *immutabilitatem consilii sui.*

## 2. *Posterius substantivum loco adjectivi est. Idque tùm in* singulari *numero, tum in* plurali *positum.*

IN *singulari* Psal. 23: 2. בנאות דשא *in caulis herbæ teneræ*, h. e. herbidis, seu herbâ tenerâ plenis.

Psal. 31: 3. *Esto mihi in petram fortitudinis, in*

*in domum munitionum*, h. e. petra fortis, & domus munita.

Psal. 55: 9. *Maturarem effugium mihi*, מִרוּחַ סֹעָה *à vento profectionis*, h. e. rapidissimo, cujus impetu omnia dispelluntur, transferuntur, & quasi proficiscuntur è loco suo.

Psal. 68. vers. 31. *Perde* חַיַּת קָנֶה *catervam arundinis*, h. e. arundiferam seu sagittis armatam. Ubi metonymia est materiæ; nam sagittæ olim fiebant ex arundinibus, unde Virgilius *arundinem* pro sagitta dixit, Æneid. 7. Pagninus vertit, *congregationem calami:* quod Arias Montanus in lib. de idiotismis Hebr. ita explicat: *gentem armatam longis fustibus instar arundinis, lancearios.* Alii חַיַּת *feram* interpretantur, ut *fera arundinis* sit, quæ in arundinetis & paludibus habitat, ut sunt crocodili, & alii dracones aquatici: & metaphoricè sic vocentur Tyranni & seductores, qui instar talium bestiarum hominibus insidiantur.

Psal. 140. vers. 12. *Vir linguæ*, h. e. linguosus seu maledicus. Ibid. *Vir violentiæ*. h. e. violentus. Sic Es. 8: 18. *Vir ingenii*, h. e. ingeniosus.

a Lupus vespertinus quid sit?

a Hab. 1. vers. 8. *Et acuti erunt* מִזְּאֵבֵי עֶרֶב *præ lupis vespera*, h. e. vespertinis. Sic & Zeph. 3. vers. 3. & Jerem. 5. vers. 6. ubi pluralis est, *lupus vesperarum*. Quâ appellatione ad nocturnam luporum (uti & aliarum belluarum) grassationem & deprædationem respici videtur, de quâ Psal. 104. vers. 20. 21. Vesperâ enim synecdochicè noctem comprehendi, apud Hebræos planum est, unde iidem sunt lupi vespertini & nocturni. Flacius: *Acutior lupo vespertino, h. e. qui præ fame instar acuti ferri penetrat in caulas & stabula, cùm enim tota die insidiando nihil prædæ nancisci potuerit, nunc fretus etiam tenebris, omninò sibi penetrandum esse ad pecus statuit.* Drusius lib. 13. observ. cap. 1. aliam hic sectatur explicationem. Vertit enim: *Acutiores sunt lupis vespertinis*, ut ad visum referatur, tùm verbum חַדּוּ *acuti sunt*, tùm nomen temporis עֶרֶב *vespera.* Nam lupos vel media nocte, etiam cum luna minimè lucet, acutissimè videre, testis est Ælianus in histor. animal. his verbis latinè conversis: *Acerrimis* (lupus) *atque acutissimis præditus est oculis. Enimverò intempestâ nocte, vel luna ipsa silente, lucis usurâ perfruitur, & licet omnibus tenebræ offundantur, non huic tamen lux eripitur. Hinc lycophos* (λυκόφως) *id temporis appellatur, cùm lucem is solus naturæ munere perceptam habet.* Et verò Homerus mihi videtur vocare id tempus, cùm jam nunc cernens lupus se in viam dat, ἀμφιλύκην νύκτα &c. Hæc Drusius, cujus expositioni favere & hoc videtur, quòd nulli alii prædantium & carnivorum animantium generi, præterquam lupis, hoc epitheton in Scripturis tribuitur.

In N. Test. Matth. 26. vers. 64. *Videbitis filium hominis sedentem* ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, *ad dextram virtutis*, h. e. virtute pollentem, seu gloriosam & omnipotentem. Quidam nomen abstractum τῆς δυνάμεως, Dei epitheton esse existimant, qui הָאֵל *potentia*, & recentioribus Judæis הַגְּבוּרָה ἡ δύναμις vocatur: ut sensus sit, *ad dextram potentiæ illius*, id est, summè potentissimi illius. Lucam verò ut Hebraismum Græcis auribus insuetum illustraret, adjecisse τοῦ θεοῦ, c. 22. vers. 69. nempè, ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως τοῦ θεοῦ, id est, ad dextram illius potentissimi (videlicet) Dei ipsius.

Rom. 7. vers. 24. *Quis me liberabit* ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου *ex corpore mortis hujus*, h. e. ex hoc corpore mortali: seu, ex hoc corpore mortifero, quod istam tetram originalis peccati pestem, & ejus stipendium, mortem, circumfert. Emphasis magna est in voce θανάτου, cujus explicatio ex Gen. 2. vers. 17. *morte morieris*, &c. desumenda. Hier. adv. Ruffin. lib. 1. c. 6. *Vocatur ita eò, quòd vitiis ac morbis & perturbationibus, nec non morti subjaceat.*

Ephes. 4: 16. διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας, *per omnes commissuras suppeditationis*, h. e. suppeditatas. Ἁφὴ autem mutuus artuum inter se contactus est, quâ parte videlicet committuntur. Quod metaphoricè ad Ecclesiam & ejus membra applicatur.

Eph. 2: 24. *Novus homo secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis*, h. e. verâ, non factâ & fucatâ.

Phil. 3: 21. *Qui transformabit* τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, *corpus humiliationis nostræ*, h. e. ταπεινωθὲν, humiliatum, ἀδοξίᾳ scilicet illâ, quæ 1 Cor. 15: 42, 43. memoratur. Ponitur insuper singularis pro plurali, *corpus*, h. e. corpora.

Col. 1: 13. *Transposuit* (Deus) *nos in regnum* τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ, *filii dilectionis suæ*, h. e. ἀγαπητοῦ dilecti, uti Matth. 3: 17. appellatur.

2 Thess. 2. vers. 3. *Et revelatus fuerit* ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, *homo peccati*, h. e. peccato deditissimus, & alios peccare faciens, Luth. tom. 8. Jen. f. 217. Ibidem: ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, *filius perditionis*, h. e. perditus, seu perditioni destinatus. Quo nomine etiam appellatur Judas, Antichristi typus, Joh. 17: 12. Vel etiam activè: *filius perditionis*, qui se & alios doctrinâ falsô perdit.

Jac. 1. vers. 23. *Similis est viro consideranti* τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως αὐτοῦ, *faciem nativitatis*

*ratis suæ*, h. e. faciem nativam, seu qualis est nata.

2 Pet. 2: 1. *αἱρέσεις ἀπωλείας hæreses perditionis*, h. e. perdentes seu perniciosas: æternæ perniciei causas.

Jac. 2: 4. *κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν judices perversarum cogitationum*, h. e. perversè cogitantes seu deliberantes: non rectè affecti, sed qui iniqua moliuntur.

Apoc. 18. vers. 3. *Quia ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς πορνείας αὐτῆς, ex vino veneni fornicationis ejus biberunt omnes &c.* h. e. ex vino venenato, θυμὸς enim hoc loco *venenum* est, ex usu linguæ Hellenisticæ, quâ θυμὸς voci Hebrææ חֵמָה respondet, quæ & *excandescentiam*, *& venenum* (Psal. 58:5. Psal. 104:4. Job. 6: 4. Deut. 32: 33.) significat.

*IN PLURALI NUMERO.* Exod. 19. vers. 6. *Et vos eritis mihi* מַמְלֶכֶת כֹּהֲנִים *regnum Sacerdotum* h. e. sacerdotale, uti Pagninus vertit. 1 Pet. 2. vers. 9. inverso ordine dicitur, *βασίλειον ἱεράτευμα regale Sacerdotium.*

Jud. 7: 13. לֶחֶם שְׂעֹרִים *panis hordeorum*, h. e. hordeaceus.

1 Sam. 1. vers. 11. *Si dederis famulæ tuæ* זֶרַע אֲנָשִׁים *semen virorum*, h. e. virile, Buxtorff. insuper ex R. Kimchi ellipsin hîc ponit, *semen hominum*, scil. זְכָרִים *masculorum:* vel צדיקים *justorum:* aut חֲכָמִים *sapientum*, ut R. Salomo supplet. אֲנָשִׁים certe homines in genere significat, à (singul. אֱנוֹשׁ *homo*) quod tamen specialiter pro *viris* usurpatur, Num. 13: 4. & alibi. Lutherus pulchrè per metonymiam hoc explicat, **Und wirst deiner Magd einen Sohn geben.**

2 Sam. 1: 21. שְׂדֵי תְרוּמוֹת *agri elationum*, h. e. elati seu editi.

Psal. 23. vers. 2. עַל־מֵי מְנוּחוֹת *ad aquas quietum deducit me*, h. e. ad aquas quietas & leniter fluentes, quales describuntur Esa. 8. vers. 6.

a Psal. 116. vers. 13. כּוֹס יְשׁוּעוֹת *Calicem salutum*, seu omnis salutis, *accipiam*, h. e. maximè salutarem, seu salute omni refertum. Duplex Deo est *poculum seu calix*, metaphoricè sic dictus. (1.) *Iræ & vindictæ.* Job. 21. vers. 20. Psal. 11. vers. 6. Jerem. 25. vers. 15. Esa. 51. vers. 22. Ezech. 23. vers. 33. (2) *Gratiæ & amoris*, seu divini solaminis, Psam. 23. vers. 5. cui in hac vita admixtus est calix crucis & tribulationis, Matth. 20. vers. 22. *Prior* impiis obstinatis; *posterior* pœnitentibus & piis præbetur. Non illum, sed hunc intelligere Davidem, certum est. Quidam *activè* accipiunt, non de calice, qui à Deo præbetur Davidi, sed quem David præbet Deo. *Sensus est*, (inquit Junius) *holocaustis & eucharisticis oblatis Deo, epulum sacrum populo faciam, ad recordationem multifariæ salutis, quam percepi à Deo: ut narratur fecisse* 1 Paral. 16. 1. *seqq. Omnis salutis poculum dicitur, id est, gratiarum actionis de omni salute, quam Deus in me contulit.* Hæc ille; quibus conformiâ legi possunt in Flacii clave Script. part. 1. col. 96. Schindler. in Lexico col. 849. *Sic vocatur calix, qui in convivio plenus attollitur cum gratiarum actione pro salute impetrata, coram convivis.* Sed prior explicatio est simplicior: q. d. accipiam gratus à Deo consolationem, quâ me perfundit, & pro hoc ipsum celebrabo.

a Poculum Dei.

Prov. 5. vers. 19. אַיֶּלֶת אֲהָבִים *cerva amorum, & caprea gratiæ*, h. e. cerva amicissima, & caprea gratiosa. Deest particula similitudinis, *Sicut.*

Prov. 14: 5. עֵד אֱמוּנִים *testis veritatum*, h. e. verax.

Esa. 13. vers. 8. פְּנֵי לְהָבִים *facies flammarum sunt facies eorum*, h. e. facies inflammatissimæ: perfusæ scil. rubore & confusione maxima.

Jacob. 1. vers. 17. *ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, à patre Luminum*, hoc est, luminosissimo & gloriosissimo. Quod Job. 25. vers. 3. ita emphaticè effertur: *supra quem non exurgit lux ejus*, (Dei) q. d. quem non superat lux gloriæ & bonitatis ejus?

Ebr. 12. vers. 6. *Nonne multò magis subjecti erimus τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων, patri Spirituum, & vivemus?* h. e. πνευματικῷ Spirituali & cœlesti: cui paulò ante opponuntur *πατέρες τῆς σαρκὸς patres carnis*, h. e. carnales, seu naturales, & propriè sic dicti. Quidam Calviniani animarum humanarum immediatam creationem, & in corpora infusionem, ex phrasi istâ (quod Deus dicitur *pater spirituum*) probare volunt, sed frustrà: cùm loquendi ratio, & carnis ac spiritus oppositio nimis clara sit.

## *Nota.*

a Affixum interveniens.

a *Si in hac constructione affixum pronominale (possessionem vel relationem significans) interveniat, tùm nomini posteriori affigitur, cùm pertineat potiùs ad nomen prius,* (Affixum enim nunquam fere jungitur nomini regenti, sed tantum recto.)

Deut. 1. vers. 41. *Et accinxistis vos quisque* אֶת־כְּלֵי מִלְחַמְתּוֹ *armis belli sui*, h. e. armis suis bellicis.

Jud. 8: 24. *Date mihi quisque* נֶזֶם שְׁלָלוֹ *inaurem prædæ suæ*, h. e. inaurem suam præda acquisitam.

Psam. 2. vers. 6. הַר קָדְשִׁי *mons sanctitatis meæ*, h. e. mons meus sanctus. Sic Psal. 89. vers. 21. *Oleo sanctitatis meæ*, h. e. oleo meo sancto.

Psalm. 41. vers. 10. *Etiam* אִישׁ שְׁלוֹמִי *vir pacis meæ*, h. e. vir mihi pacatus & amicus: seu, vir mecum pacem colens. Sic Jer. 20: 10.

Esa. 2. vers. 20. *Tempore illo abjiciet homo* אֵת אֱלִילֵי כַסְפּוֹ *idola argenti sui, & idola auri sui &c.* h. e. idola sua argentea, & idola sua aurea.

Esa. 41: 11. *Peribunt* אַנְשֵׁי רִיבֶךָ *viri litis tuæ*, h. e. viri tecum litigantes, seu viri tibi adversarii.

Ezech. 9: 1. (al. 8: 19) *Quisque* כְּלִי מַשְׁחֵתוֹ *instrumentum perditionis suæ in manu sua*, hoc est, instrumentum suum perdens ac lethiferum. Sic vers. 2. (al. 1.) כְּלִי מַפָּצוֹ *instrumentum dissipationis suæ*, h. e. instrumentum suum dissipans.

Ezech. 16: 27. מִדַּרְכֵּךְ זִמָּה *de via tua sceleris*, hoc est, *scelerata*, vel (ut Pagninus vertit) *turpi*.

Daniel. 9: 24. עַל־עִיר קָדְשֶׁךָ *super urbem sanctitatis tuæ*, h. e. urbem tuam sanctam.

Matth. 25: 31. *Tunc sedebit* ἐπὶ θρόνȣ δόξης αὐτȣ͂, *super throno gloriæ suæ*, h. e. super throno suo glorioso.

Coloss. 1. vers. 13. *Transtulit nos in regnum* τοῦ υἱοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοῦ, *filii dilectionis suæ*, h. e. filii sui dilecti. Vide & 2 Thes. 1. v. 7.

3. *An prius, an* posterius *substantivum pro adjectivo ponatur, dubium quandoque videri potest; Utrumvis igitur eligatur, sententia est commoda.*

PSal. 145: 5. הֲדַר כְּבוֹד הוֹדֶךָ *gloria honoris magnificentiæ tuæ* (ô Deus) h. e. vel gloriosus honor & magnificentia; vel gloria honorifica & magnifica.

Matth. 5. vers. 22. εἰς γεένναν τοῦ πυρός, *in gebennam ignis*, h. e. vel gehennam igneam & ardentem: vel in gehennalem & infernalem ignem. Alii dicunt, esse hypallagen, pro, εἰς τὸ πῦρ τῆς γεέννης, in ignem gehennæ seu inferni. De hac appellatione gehennæ in tractatu de nomine proprio dicetur.

Eph. 1: 18. & Col. 1: 27. *Divitiæ gloriæ*, h. e. vel dives & superabundans gloria: vel divitiæ gloriosæ.

2 Thess. 1: 8. ἐν πυρὶ φλογός, *in igne flammæ*, hoc est, vel ignea flamma, vel flammanti igne.

Huc pertinet illud Matth. 24. vers. 15. βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, *abominatio desolationis*, h. e. *vel* abominanda desolatio, quæ scilicet à Romano milite civitati sanctæ infertur: *vel* abominatio desolans, sive vastans, uti Dan. 12. vers. 11. per adjectivum effertur, שִׁקּוּץ שֹׁמֵם *abominatio desolans*. Et sic Romanus exercitus *abominatio* dicitur, seu detestatio, (uti ex collatione Luc. 21. vers. 20. patet) propterea quòd idolorum cultui erat addictus. Effectus autem ejus alterâ voce, *desolationis*, describitur: Hanc expositionem (quâ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως in verbis Christi ad Rom. exercitum desolantem refertur) *nimis frigidam & ineptam* vocat Flac. part. 1. clav. script. col. 6. de Antichristo enim ipse interpretatur. Sed rectiùs Dn. D. Franzius tract. de interpret. script. orac. 124. *eâ nihil brevius, nihil facilius, nihil certius, nihil planius dici posse*, asserit: *Sic enim uno verbo præcisam esse ansam omnibus prolixis disputationibus*. Collatio certè verborum Luc. 21. vers. 20. nimis clara est.

Canon

## Canon IX.

*Substantivum cum præpositione, sæpè pro adjectivo est.*

SErmonis hanc elegantiam efficiunt præpositiones Hebræorum, ל *in* vel *ad*, cum accusativo: ב *in*, cum ablativo: & מן vel מ *de*, *ex*, cum Ablativo. Triplicis igitur classis & hic exempla danda.

1. *Substantivum cum præfixo* ל, *ad*.

Esa. 4. vers. 2. *In die illa erit germen Jehovæ* לִצְבִי וּלְכָבוֹד *in decus & gloriam*, h. e. decorum & gloriosum. Intelligitur autem Christus Salvator.

Ibid. *Et fructus terræ erit* לְגָאוֹן וּלְתִפְאֶרֶת *in sublimitatem & in decorem*, hoc est sublimis & decorus.

Esa. 7: 23. *Omnis locus erit* לַשָּׁמִיר וְלַשַּׁיִת *in veprem & in spinam*, hoc est, vepris & spinis obsitus, spinosus.

Sic Psal. 100. vers. 1. מִזְמוֹר לְתוֹדָה *Psalmus ad gratiarum actionem*, εἰς εὐχαριστίαν, h. e. εὐχαριστικός. In hunc modum Græci dicunt, ψαλμὸς εἰς ἀνάμνησιν, *Psalmus ad recordationem*, Psal. 38. vers. 1. & 70. ℣. 1. h. e. μνημονευτικός, memorabilis. Sic εἰς ἐξομολόγησιν, *ad gratiarum actionem*. Psal. 100. vers. 1. h. e. ἐξομολογητικός· εἰς διδαχὴν, *ad doctrinam*, Psal. 60. vers. 1. h. e. διδακτικός. Tob. 13. vers. 1. προσευχὴ εἰς ἀγαλλίασιν, *precatio ad exultationem*, h. e. exultatoria, quâ Deo grates persolvuntur cum singulari mentis gaudio, & lætitiâ, quale fuit canticum Mariæ Virginis, Luc. 1: 46.

Joh. 8. vers. 52. *Si quis sermonem meum servabit, non gustabit* θάνατον εἰς τὸν αἰῶνα, *mortem in æternitatem*, h. e. mortem æternam. Non de quavis morte loquitur Christus, (temporali enim credentes etiam subjecti sunt) sed de morte æterna, seu cruciatu inferni, à quo credentes per Christum omnimodo liberati, non moriuntur, dum moriuntur, nec in judicium veniunt, sed per temporalem mortem ad cœli gaudia perennia transeunt; Joh. 5. vers. 24.

2. *Substantivum cum præfixo* ב in.

Exod. 32. vers. 22. *Tu scis populum hunc*, quòd בְּרָע *in malo ipse est*, h. e. malus est. Quidam conferunt cum 1 Joh. 5: 19, *Totus mundus in maligno jacet*.

Exod. 1: 14. *Et in omni opere in agro*, h. e. agresti, rurali, rusticano.

1 Paral. 26: 14. יוֹעֵץ בְּשֶׂכֶל *consiliarius in intellectu*, h. e. intelligens, seu prudens.

Psal. 29: 4. *Vox Domini*, בַּכֹּחַ *in potentiâ*, *vox Domini* בֶּהָדָר *in gloria*, h. e. vox potens seu vehemens & gloriosa.

Psal. 51. vers. 8. בְּסָתֻם *in occulto sapientiam docuisti me*, h. e. occultam, vid. coram ratione humana. vers. 7. *Ecce* בְּעָווֹן *in iniquitate formatus sum*, וּבְחֵטְא *& in peccato fovit me mater mea*, h. e. iniquus seu iniquitate & peccato infectus fui, dum in utero formatus fui: dumque primùm calefecit seu fovit me mater mea, fovit massam peccatricem, seu peccato originali contaminatam. Non matris, sed suum proprium David accusat peccatum, quod in primâ conceptione ex matre cum naturâ suâ hausit, Job. 14: 4.

Palm. 90: 4. *Custodia in nocte*, h. e. nocturna.

Cant. 3: 8. *Propter timorem* בַּלֵּילוֹת *in noctibus*, h. e. nocturnum.

Junius huc etiam refert. Cant. 6: 14. (al. 7, 4.) *collum tuum simile turri eburneæ, oculi tui piscinis* בְּחֶשְׁבּוֹן *in artificio*, h. e. artificiosissimis. Alii autem vocem Hebræam, ut nomen proprium accipiunt, *in Chesbon*.

Matth. 22: 16. *Viam Domini* ἐν ἀληθείᾳ *in veritate doces*, h. e. viam veram. Vel etiam adverbialiter, ut ad docendi modum referatur: *In veritate*, h. e. verè & sincerè.

Luc. 4. vers. 32. ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ; *in potentia erat sermo ejus*, h. e. potens. Confer Matt. 7. vers. 29. *Christus in docendo peculiarem & eximiam quandam auctoritatem ac majestatem præ se tulit, quia non ut interpres, vel alieno nomine, sed ut Dominus, propriâ auctoritate & suo nomine dicebat; Ego dico vobis: quia miram quandam vim & ἐνέργειαν habebat ejus sermo, Spiritu sancto per verbum ejus corda auditorum ad pœnitentiam & fidem permovente; quia peculiari gratiâ, magno zelo & libertate docebat: quia doctrinam suam miraculis confirmabat* &c. quæ sunt verba D. Chemnitii in harm. Euang. c. 37.

Luc. 21: 25. *Erit pressura gentium* ἐν ἀπορίᾳ, *in dubitatione* seu *desperatione*, hoc est, desperabunda. Erit pressura omnium maximè vehemens, adeò ut ad desperationem propemodum inducat.

Joh. 9. vers. 34. *Tu in peccatis totus natus es*, h. e. tu natus es penitus sceleratus & peccator: non tantùm prava consuetudine es malus,

lus, ut alii: ideoque te Deus cœcitate notavit, ut omnes pessimam tuam naturam agnoscerent.

1 Cor. 2: 7. *Loquimur sapientiam Dei* ἐν μυστηρίῳ *in mysterio* seu *absconditio*, h. e. μυστικὴν, absconditam, uti statim explicatio subjicitur, τὴν ἀποκεκρυμμένην. Abscondita autem dicitur sapientibus hujus mundi, & rationi humanæ, uti ex cap. 1. & 2. patet. Confer Matt. 11: 25.

1 Theff. 2. verf. 6. *Cùm possemus* ἐν βάρει εἶναι, *in onere* seu *molestia esse*, h. e. βαρεῖς, onerosi ac molesti. 2 Cor. 11: 9. adjectivum contrarium ponitur: *& in omnibus* ἀβαρῆ, *sine onere me vobis servavi & servabo.*

1 Theff. 5: 13. *Et ducatis eos quam maximè* ἐν ἀγάπῃ, *in charitate*, hoc est, charos habeatis.

1 Tim. 2. verf. 14. *Mulier seducta* ἐν παραβάσει γέγονε, *in transgressione fuit.*, h. e. transgressa est, & peccati introducti causa extitit.

2 Pet. 2. verf. 13. *Pro voluptate ducentes* τὴν ἐν ἡμέρᾳ τρυφὴν, *in die delicias*, h. e. quotidianas delicias. ἐν ἡμέρᾳ respondet Hebr. ליום Exod. 29. verf. 36. pro καθ' ἡμέραν. Vide insuper 1 Cor. 15. verf. 42, 43, 44. 1 Tim. 3. verf. 4.

Nota. Huc referri possunt & isthæc. Marc. 5. v. 2. *Homo in Spiritu immundo.* h. e. habens spiritum immundum. Ibid. verf. 24. γυνὴ οὖσα ἐν ῥύσει αἵματος, h. e. αἱμοῤῥοοῦσα, ut Matth. 9. verf. 20. exponitur. Apoc. 1. verf. 10. *Fui* ἐν πνεύματι, *in Spiritu*, h. e. Spiritu correptus. Confer. 2 Cor. 12. verf. 2. Denotatur factus ille ἐνθουσιασμὸς, quo sancti DEI homines correpti, extra mundum hunc animâ evehebantur, ad beatum SS. Trinitatis adspectum.

### 3. *Substantivum cum præfixo* מ, de, ex.

Psal. 16. v. 4. *Non libabo* נִסְכֵּיהֶם מִדָּם *libamina eorum sanguine*, hoc est, sanguinea vel cruenta.

Psal. 17: 14. מִמְתִים מֵחֶלֶד *ab hominibus de mundo*, h. e. mundanis, mundum & mundana sapientibus & sectantibus.

Psal. 80: 14. *Consumsit eam* חֲזִיר מִיַּעַר *aper de sylva*, h. e. sylvestris, Sic Jerem. 5: 6. *Leo de Sylva.*

Prov. 7: 19. *Abiit vià* מֵרָחוֹק *è longinquo*, h. e. longinquâ: longum iter ingressus est. Sic Jerem. 31: 10.

Joh. 3. verf. 31. ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, ἐκ τῆς γῆς ἐστι, καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ, *Qui è terra est*, *è terra*, h. e. terrenus) *est*, *& ex terra* (h. e. terrena) *loquitur.* Duo posteriora adjectivè significant, aliàs tautologia esset. Vide & 1 Joh. 4: 5.

Joh. 6, verf. 31. ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *panem è cœlo dedit eis comedere:* h. e, cœlestem: qui Psal. 78: 24. דְגַן שָׁמַיִם *triticum cœlorum* seu cœleste dicitur.

Hac ratione Paulus *credentes* seu fidem Christi sectantes vocat τοὺς ἐκ πίστεως, *qui sunt ex fide*, Rom. 3. verf. 26. cap. 4. verf. 16. Galat. 3. verf. 7, 8. *Legales* verò, seu justitiam in lege & operibus quærentes, vocat τοὺς ἐκ νόμου, *qui sunt ex lege*, Rom. 4. verf. 14. 16. *Circumcisos* seu Judæos vocat τοὺς ἐκ περιτομῆς, *qui sunt ex circumcisione*, Rom. 4. verf. 12. Coloff. 4. verf. 11. Tit. 1. verf. 10. *Contentiosos* vocat τοὺς ἐξ ἐριθείας, *qui sunt ex contentione.* Rom. 2. verf. 8. Philip. 1. v. 16.

Apud Latinos observata sunt dictis conformia: *Mercenarius de villa: aper de sylva*, apud Florum. *Vicini è proximo*, h. e. proximi, apud Plaut. in Aul. *Poeta de populo*, h. e. popularis: plebejus apud Cicer pro Archia.

Denique notandum, quod & præpositio separata, עם, adjectivi periphrasi inserviat. Psal. 89. verf. 14. *Tibi brachium est*, עִם גְּבוּרָה *cum fortitudine*, hoc est, forte seu robustum.

1 Tim. 3: 4. *Habentem liberos in subjectione*, μετὰ, *cum omni honestate*, hoc est, subjectos & honestos.

Sic præpositio κατὰ, *secundum.* 2 Cor. 8. verf. 2. ἡ κατὰ βάθους πτωχεία αὐτῶν, *secundum profunditatem paupertas eorum*, h. e. *profunda eorum paupertas*, quæ ad imum usque eos exinaniverat.

## Canon X.

*Adverbium substantivo additum, adjectivi significationem non raro induit.*

1 Sam. 25: 31. *Et ad effundendum* דָּם חִנָּם *sanguinem immeritò*, h. e. immeritum, seu innoxium & innocentem.

Nehem. 2. verf. 12. *Et surrexi noctu ego*, וַאֲנָשִׁים מְעַט *& homines parùm mecum*, hoc est, pauci. Potest tamen dici, quòd, מְעַט sit nomen, cujus pluralis מְעַטִּים Eccles. 5: 1. legitur. Erit igitur enallage singularis pro plurali, μειώσεως causà posita.

Prov.

Prov. 3: 25. *Non timebis* מִפַּחַד פִּתְאֹם *à pavore subito*, h. e. subitaneo.

Prov. 15: 24. *Ut declinet* מִשְּׁאוֹל מָטָּה *ab inferno infrà*, h. e. inferiore.

Prov. 24: 28. *Ne sis* עֵד חִנָּם *testis temerè*, hoc est, temerarius: absque causa & falsò testimonium dicens.

Zach. 12. vers. 6. *Omnes populos* סָבִיב *circùm*, hoc est, circumjacentes, qui sunt in circuitu.

Sic dicitur יוֹם מָחָר *dies cras*, hoc est, crastina, Genes. 30: 33. Prov. 27: 1. ἡ αὔριον, Matth. 6. ult.

Luc. 10. vers. 29. *Et quis est μου πλησίον meus propè*, h. proximus. πλησίον adverbium esse, ex Joh. 4: 5. patet. Usurpatur autem nominaliter, uti & Matth. 22: 39. Rom. 13: 10.

Joh. 15: 5. χωρὶς ἐμοῦ *seorsim à me nihil potestis facere*, h. e. χωρισθέντες ἀπ' ἐμοῦ separati a me, tanquam scilicet palmites aridi à vite suâ. Hanc explicationem totus contextus confirmat.

2 Corinth. 4: 16. *εἰ καὶ ὁ ἔξω ἡμῶν ἄνθρωπος, quamvis extrà noster homo corrumpitur, tamen ὁ ἔσωθεν, intrà, renovatur in dies singulos*, h. e. externus, internus homo.

2 Cor. 4. vers. 17. *τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν illicò seu extemplo levitas*, h. e. momentanea levitas afflictionis nostræ: tribulatio nostra, quæ ad momentum duntaxat durat, ac respectu futuræ gloriæ levissima est, ac verè momentanea.

2 Petr. 1: 9. *Oblitus purgationis τῶν πάλαι αὐτοῦ ἁμαρτιῶν, suorum olim peccatorum*, h. e. pristinorum seu veterum.

Sic & *sine substantivo addita*. Col. 3: 1. *τὰ ἄνω ζητεῖτε, illa sursum quærite*, h. e superna. Vel etiam per ellipsin participii, τὰ ἄνω, sc. *ὄντα, ea, quæ sursum sunt*, uti tract. 2. de articulo Græcor. dicetur.

Quidam huc referunt Apoc. 3. vers. 3. *Memento igitur*, πῶς, *quomodo acceperis & audieris*, h. e. ποῖα, qualia. Sequitur enim, καὶ *τήρει & custodi*, scil. ea, quæ accepisti. Sed præstat adverbii significationem retinere, *quomodo acceperis*, h. e. institutus fueris. *Accipere* enim pro *institui* seu discere accipitur quandoque. Vide infr. tract. 3. de verbo: can. 15. circa finem.

Hæc adverbii pro adjectivo nomine enallage apud profanos etiam occurrit. Xenophon. pæd. 2. & 8. *αἱ παραυτίκα ἡδοναί*; & Demost. Philip. 2. *ἡ παραυτίκα ἡδονὴ καὶ ῥαστώνη momentanea voluptas & relaxatio*, (convenit cum 2 Cor. 4. vers. 17. quod adductum.) Sic τὰ *πρὶν ἔργα. antè res gesta*, h. e. præterita, apud Sophoclem, ἀεὶ χρόνος *semper tempus*, h. e. perpetuum. ἡ πάλαι γυνὴ *natu grandior mulier*, apud Eurip.

Apud Latinos. *Heri semper-lenitas, verebar, quorsum evaderet*, Terent. Andr. 1, 2. pro perpetua lenitas. Virgil, *Neque enim ignari sumus antè-laborum*, h. e. præcedentium, 1 Æneid. Sic Liv. lib. 1. hist. dixit, *peregrare circà saltus*, pro saltus qui circa sunt, vel vicini. Quod convenit cum illo Gen. 13. v. 10. in vulgata Latina versione: *Vidit omnem circà regionem Jordanis*, h. e circumjacentem. Pro quo in Hebræo est: אֶת־כָּל־כִּכַּר *omnem* seu *totam planitiem Jordanis*.

## *Nota.*

Sunt, qui *adjectivum* etiam *per verbum infinitivi modi* exprimi dicunt. Et ex V. T. huc referunt titulum Psal. 38. vers. 1. מִזְמוֹר לְהַזְכִּיר *Psalmus ad commemorandum*, h. e. μνημονευτικός, memorialis, Ps. 60: 1. מִכְתָּם לְדָוִד לְלַמֵּד *aureum carmen Davidis ad docendum*, h. e. Psalmus διδασκαλικός, doctrinalis. Sic porrò dici possit מִזְמוֹר לְהַלֵּל *Psalmus ad laudandum*, h. e. ἐπαινετικός, laudativus: מִזְמוֹר לְהִתְפַּלֵּל *Psalmus ad precandum*, h. e. εὐκτικὸς precatorius &c. Verùm satis est, infinitivi significationem in his retinere. Commemoratur enim causa finalis scriptionis Psalmi. At hæc per infinitivum loco gerundii efferri solet. *Psalmus ad commemorandum, docendum, laudandum, precandum &c.* scil. scriptus sive traditus. Quod autem in Græco per adjectivum hæc locutio exprimitur, id felicitati & copiæ linguæ adscribendum.

*An infinitivus ponatur pro adjectivo.*

Ex N. T. huc referunt, Luc. 8. vers. 8. *Qui habet ὦτα ἀκούειν, aures audire, audiat*, h. e, aures audientes, non surdas, Rom. 11. vers. 8. *dedit eis (Deus)* ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν, *oculos non videre*, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν, *& aures non audire*, h. e. oculos non videntes, & aures non audientes. Sed & hic infinitivi significatio commodè retinetur. *In priori ὦτα ἀκούειν* sunt aures ad audiendum, scil. datæ seu destinatæ. *In posteriori* ὀφθαλμοὶ τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν ita dicuntur ab eventu, judiciariâ scilicet obstinatorum, DEO justissimo vindice factâ, excœcatione & induratione.

### *Continuatio.*

Tantum de adjectivi singulari idiotismo, seu quomodo id exprimatur. Sequitur *alterum*, ejusdem scil. (uti & substantivi connexi) *ellipsis* seu defectus: & *Tertium*, enallage seu permutatio. De quorum *priore* regulis duabus; *posteriore* itidem duabus sequentibus.

## Canon XI.

*Quandoque adjectivum deest, quod ad substantivum commodè subintelligendum.*

GEn. 18. vers. 11. בָּאִים בַּיָּמִים *venerant in dies*, scil. רַבִּים multos, h. e. vergentes ætate, provectiore ætate erant. Junius translationem in hac phrasi esse existimat à sole occumbente, ad homines appropinquantes morti. Conferri potest Græca phrasis Luc. 2. vers. 36. ἄυτη προβεβηκυῖα ἐν ἡμέραις πολλαῖς, *hæc processerat in diebus multis*. Ubi adjectivum, quod in antecedente loco deest, suppletum videmus.

Gen. 36. vers. 6. *Et iverat* (Esau) אֶל־אֶרֶץ *ad terram*, scilicet aliam, quod supplet Chaldæus.

1 Reg. 22. vers. 10. *Rex Israel & Rex Juda sedebant quisque in solio suo, induti vestibus*, scil. חֲמוּדוֹת desideratissimis, preciosis sive Regiis. De magnificentiâ enim & splendore horum Regum ibi sermo est.

Psal. 34. vers. 13. *Quis ille, qui vult vitam, & diligit dies? vitam* scil. longævam, & *dies* scil. bonos, ἡμέρας ἀγαθὰς, uti 1 Pet. 3. vers. 10. interpretatio habetur: unde in textu additur, לִרְאוֹת טוֹב *ad videndum bonum*.

Prov. 18. vers. 22. *Inveniens uxorem, invenit bonum. Uxorem*, scil. מַשְׂכָּלֶת *intelligentem*, uti cap. 19. vers. 14. denominatur: ὃς εὗρε γυναῖκα ἀγαθὴν, ut Græci supplent. Qui enim stolidam & pravam invenit seu consequitur, malorum Iliada domui infert. Chytræus super Lev. 18. vers. 19. in voce *Inveniendi* emphasin quærit: Qui invenit, hoc est, feliciter ducit uxorem der woll antrifft. Quia inveniens præsumitur studiosè quæsivisse, sibi scil. amore & virtute convenientem. Sicut Gen. 2. vers. 20. *Homini non invenit*, seu non inventum est (post diligentem animalium considerationem) *adjutorium quod esset coram eo.* Sed observa, *inveniendi* verbum Hebræis idem esse, ac consequi, quacunque ratione id fiat, de Synecdoche in Rhetorica sacra dicetur.

Cant. 5: 9. *Quid dilectus tuus* מִדּוֹד *præ dilecto*, sc. alio.

Esa. 1. vers. 18. *Si fuerint* (peccata vestra) *rubra sicut vermiculus*, כַּצֶּמֶר יִהְיוּ *sicut lana erunt*. In quæ verba R. David Kimchi: חָסֵר הַתּוֹאַר וּפֵירוּשׁוֹ כַּצֶּמֶר לָבָן וְנָקִי *deest adjectivum, & sensus est; sicut lana, alba & pura.* Est autem in his verbis (præter metaphoram) etiam hypallage, quâ peccatis tribuitur, quod peccatoris hominis pœnitentis est. Non peccata sed peccator albescit, hoc est, peccatorum reatu ablato apud Deum innocens & justus habetur, propter Christum fide apprehensum. Confer Psal. 51: 9.

Esa. 37. vers. 25. *Ego fodi & bibi* מַיִם *aquas*, scil. זָרִים *alienas*; quæ vox 2 Reg. 19. vers. 24. completur. Sunt verba Sanheribi, Assyriorum Regis, quorum sensus est: fodiendo venam aquarum perquirere soleo: in loco, in quo est maxima penuria aquarum, invenio aquas, & bibo cum exercitu meo aquas externas & peregrinas, antèaque sub terra latentes. D. Brentius; *Sensus est, foveas aquarum, quibus munitæ erant urbes, ita perfodi, & aquas aliò derivavi, ut quasi multitudine exercitus mei epotæ viderentur, ut & sicco pede in urbes incurrerem. Nam & Babylon posterioribus temporibus tali aquarum derivatione & exsiccatione capta est a Cyro, ut rerum scriptores tradunt.*

Malach. 1: 14. *Si est in grege ejus* זָכָר *masculinum* scilic. תָּמִים integrum. Id requirit antithesis, ita enim habent verba integra: *Et maledictus est dolosus, qui, si est in grege ejus masculum* (pecus) *tamen fovet & immolat corruptum Domino.*

## Canon XII.

*Quandoque adjectivum tantùm exprimitur, substantivo commodè subintellecto.*

GEn. 25. v. 30. *Da mihi de rufo rufo isto*, scil edulio.

Gen. 35: 2. *Removete Deos* הַנֵּכָר *alieni*, scil. populi.

2 Sam. 8: 4. *Et cepit David ex ipsis mille, & septingentos equites.* Ubi ad vocem *mille*, subintelligendum רֶכֶב *currus*, quæ ellipsis 1 Par. 18: 4. completur.

2 Sam. 21. vers. 16. *Et ipse accinctus novo, novo*, scil. gladio. Ubi R. Kimchi notat: כֵּן דֶּרֶךְ הַמִּקְרָא בְּהַרְבֵּה מְקוֹמוֹת וְהַחֶסְרוֹן יִתָּבֵן לְפִי הָעִנְיָן h. e. *& sic mos est scripturæ in multis locis,*

*cis, defectus autem subintelligitur juxta sensum.*

Psal. 5: 10. *Non est in ore eorum* נְכוֹנָה *rectum*, scil. אמרה vel דברה *verbum*, ut Kimchi supplet.

Psal. 73: 10. *Et aquæ pleni exprimentur eis* h. e. poculi pleni.

Cant. 4. v. 2. *Dentes tui sicut grex* הַקְּצוּבוֹת *præcisarum* (æquarum) sc. רְחֵלִים ovium pecudum. Commendatur dentium inter se æqualitas.

Esa. 30. vers. 13. *Propterea erit vobis iniquitas ista, sicut raptura* נֹפֵל *cadentis*, scilic. muri. Ibid. v. 16. עַל־קַל *super levi vehemur*, scilic. jumento.

Esa. 34. vers. 4. וּכְנֹבֶלֶת *& ut decidens* seu *deciduus ex ficu*, scilicet grossulus seu fructus.

Jere. 15: 18. *Es mihi* כְּמוֹ אַכְזָב *sicut fallax*, scil. מָקוֹר fons. Ubi Kimchi eundem scripturæ idiotismum annotat.

Jer. 30: 14. *Cùm plagâ inimici percussero te, castigatione* אַכְזָרִי *crudelis*, scil. inimici: Kimchi: מוסר אָדָם אַכְזָרִי שֶׁמַּכֶּה וּמְיַסֵּר בְּאַכְזָרִיּוּת מוּסָר h. e. *castigatione hominis sævi, qui percutit & castigat in sævitia castigationis.*

Ezech. 8: 3. *Ad ostium portæ* הַפְּנִימִית *interioris* scil. הֶחָצֵר atrii. Hanc ellipsin discrepantia generis indicat. Nam שַׁעַר *porta*, masculinum est, & הַפְּנִימִית fœmininum, quod ad nomen subintellectum חָצֵר referendum.

Zach. 4: 10. *Nam quis spreverit diem* קְטַנּוֹת *parvorum*, scilicet operum, hoc est, tenuiorum istorum principiorum, quæ ducta sunt in extruenda domo Domini.

Huc pertinet, *quando adjectivum* (sive mascul. sive fœm.) *absolutè & neutraliter usurpatur: cui quoddam substantivum subintelligendum esse dicunt.*

Psal. 27: 4. אחת *unam petii à Domino*, h. e. unum. Ad fœmininum autem quidam subintelligunt שְׁאֵלָה *petitionem.*

Psal. 12: 4. *Lingua loquens* גְּדֹלוֹת *magna.* Subintelligunt quidam, אֲמָרוֹת *sermones* magnos sive grandes. Sic Psal. 5: 10.

Psal. 38. vers. 8. *Ilia mea plena sunt* נִקְלֶה *vili* seu fœdo. Quasi דָּבָר נִקְלֶה *re vili*, seu נֶגַע נִקְלֶה *plagâ vili* seu fœda, ut Kimchi supplet.

Psal. 106: 21. *Qui fecit* גְּדֹלוֹת *magna in Ægypto*, sc. מַעֲשׂוֹת opera.

Jer. 25: 38. *Ob furorem* הַיּוֹנָה *depredatricis*, seu *opprimentis*: scil. חֶרֶב gladii, ut supplementum hoc cap. 50: 16. extat.

Ezech. 23: 15. סְרוּחֵי טְבוּלִים *superflui tinctis*, sc. tiaris.

Zach. 11. vers. 16. בְּשַׂר הַבְּרִיאָה *carnem pinguioris comedet*, scil. שֶׂה pecoris, quod Ezech. 34. vers. 20. additur. Sed hoc ultimum superioribus potiùs est accensendum, cùm ellipsis substantivi satis clara sit. Vide Dn. Buxtorff. lib. 2. thes. cap. 2. p. 315. seqq. ut & J. Drusium lib. 8. obs. cap. 2.

Sic ad מאה *centum* quandoque substantivum deest. Vide Schindlerum in Lexic. col. 968.

In Nov. Testam. *ellipseos substantivi* ad adjectivum expressum, etiam suppetunt exempla.

Matth. 10: 42. *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis*, ποτήριον ψυχροῦ *poculum frigidæ*, scil. ὕδατος, aquæ.

Matt. 11: 8. οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες, *qui mollia portant*, scil. ἐνδύματα vel ἱμάτια, vestimenta, quæ vox in priore hujus versiculi membro ponitur.

Luc. 12. vers. 47. *Servus*, &c. δαρήσεται πολλὰς scilicet πληγὰς, *vapulabit multis* plagis.

Luc. 14. vers. 18. *Et ceperunt* ἀπὸ μιᾶς, *ab una, se excusare omnes*, ἀπὸ μιᾶς, scilic. γνώμης aut φωνῆς aut βουλῆς unâ sententiâ, unâ voce, uno consilio. Etsi enim isti aliquantulum diversas causas adferunt, tamen in eo conveniunt omnes, quòd sua negotia prætexunt, ne ad cœnam adsint. Vulgatus reddit, *simul.* Cognoscenda etiam Fulleri erudita sententia, qui ita hanc ellipsin supplet: ἀπὸ μιᾶς scil. ὥρας, ex una hora, h. e. continuò, statim: ita ut respondeat exactè Syriaco illi מֵחְדָא (quod παραχρῆμα vel εὐθέως significat) מִן enim præpositio respondet Græcæ ἀπό: חדא numerale fœmininum idem valet, quod μιᾶς. Ut igitur hæc Syrorum vox redintegratur sensu, si addatur, שעא, ὥρα, hora, מֵחְדָא שָׁעָא *ab una hora*, h. e. confestim: Sic illa Græca, ἀπὸ μιᾶς, eadem ratione supplenda. Vide ipsum lib. 1. Miscell. sacr. cap. 1. a ἀπὸ μιᾶς quid sit?

Act. 19. vers. 35. *Quis nescit, Ephesiorum urbem æedituam esse magnæ Deæ Dianæ*, καὶ τοῦ Διοπετοῦς, *& à Jove delapsi*, scil. ἀγάλματος, simulacri? Plin. lib. 16. nat. hist. cap. 40. *De ipso simulacro Deæ* (Dianæ) *ambigitur. Cæteri ex ebeno esse tradunt: Mutianus ter consul, ex his, qui proximè viso eo scripsêre, vitigineum, & nunquam mutatum, septies restituto templo.* Διοπετὴς est ex ζεὺς, διός: & inusitato πέτω h. e. πίπτω, cado. Sacerdotes Dianæ populo persuadebant, idolum illud cœlitùs delapsum esse.

Apocal. 3. vers. 4. *Ambulabunt mecum* ἐν λευκοῖς *in candidis*, scilic. ἱματίοις vestibus. Sic in profanis: πρὸς ὀρθὴν scil. γραμμὴν vel γωνίαν, *ad rectum lineam*, vel *ad rectum angulum.* Synesius: τὴν ἀρετὴν ἐκ νέας ἄσκει, scil. ἡλικίας; *virtutem ab ineunte ætate exerce.*

## Canon XIII.

*Substantivo plurali adjectivum singulare junctum quandoque reperitur, quo distributio seu partitio denotatur.*

PSal. 78. v. 15. *Potum dedit* בִּתְהוֹמוֹת רַבָּה *in abyssis magna*, h. e. quaque abyssorum magnarum.

Explicatio versu sequente habetur.

a De adjectivis numeralib.

Psal. 119:137. *Justus es Domine*, וְיָשָׁר מִשְׁפָּטֶיךָ *& rectum est judicia tua*, h. e. unumquodque judiciorum tuorum. Drusius lib. 1. observ. cap. 3. κατ' ἔλλειψιν hoc dictum esse putat, ut subaudiatur דָּבָר *verbum: Verbum rectum*, h. e. recta: Qualia Latini per genus neutrum enunciant, ut, *triste lupus stabulis*. Sed prior expositio præferenda est.

Esa. 16: 8. שַׁדְמוֹת חֶשְׁבּוֹן אֻמְלָל *arva Chesbonis languidum est*, h. e. quodque arvum. In Hebræo simul generis est discrepantia: Fœminino enim plurali respondet singulare masculinum.

Huc referendum, *cùm substantivum singulare* (quod tamen nomen Toar seu concretum est, & qs. adjectivi vicem sustinet) *alii substantivo plurali additur*. Genes. 47. vers. 3. רוֹעֵה *pastor ovium*, *servi tui (sunt) tùm nos*, *tùm patres nostri*, hoc est, servi tui sunt pastores; seu quilibet servorum tuorum pastoritiæ vitæ deditus est.

## Canon XIV.

*Quandoque duobus substantivis subjicitur adjectivum, posteriori conveniens, cùm deberet priori.*

EXod. 25: 5. *Pelles arietum rubro tinctorum*, h. e. rubro tinctas.

1 Sam. 2: 4. *Arcus fortium fractorum*, hoc est, fractus. Vide Buxtorff. thes. lib. 2. cap. 2. p. 314.

Huc referunt quidam participium illud Genes. 4: 10. *Vox sanguinum fratris tui* צֹעֲקִים *clamantes* sunt *ad me*. hoc est, clamans. Sed ad *sanguines* rectiùs illud refertur: *Ecce vocem sanguinum fratris tui clamantium ad me.* Confer Hebr. 12: 24.

Ex N. Test. huc referunt, Act. 5: 20. *Loquemini populo πάντα τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης*, *omnia verba vitæ hujus*; pro, πάντα τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταῦτα, omnia hæc verba vitæ. Sic etiam legit Syrus Interpres. Intelligitur Euangelium, quod verbum vitæ est, scil. æternæ Joh. 6. vers. 68. quia recipientibus id fide verâ, affert vitam æternam. Vide & Act. 13: 26.

Hebr. 12. vers. 23. *καὶ πνεύματα δικαίων τετελειωμένων*, *& Spiritus justorum consummatorum*; pro πνεύματα τετελειωμένα, Spiritus consummati. Justi enim ipsi in solidum nondum consummati, ante gloriosam corporum resuscitationem.

a Addi posset hoc loco *enallage adjectivorum numeralium*, ut quòd (1) *Cardinale pro ordinali ponitur: Unus*, pro primus, Gen. 1. vers. 5. cap. 8. vers. 5. 2 Paral. 29. vers. 17. Matth. 28. vers. 1. Actor. 20. vers. 7. 1 Cor. 16. v. 2. Apoc. 6. vers. 1. &c. Quò pertinet illud 1 Sam. 18. vers. 21. בִּשְׁתַּיִם *in duabus* (filiabus meis) *te affinitate mecum conjungo hodie*, h. e. per alteram vel secundam: quomodo etiam 2 Reg. 15. vers. 32. illa vox usurpatur. Chaldæus tamen subintelligit vocem *unus*: quam sic complet, בַּחֲדָא מִתַּרְתֵּין *in una ex duabus*, *&c.* (2.) *Quòd substantivis pluralibus additur adjectivum numerum notans, singulare; & vicissim, singularibus plurale.* Gen. 5: 6. cap. 31: 38. &c. Sed de his videatur Buxtorff. thes. lib. 2. p. 312. 322.

## De Adjectivi Comparatione.

HActenus de adjectivo ratione constructionis dictum fuit: sequitur alterum nempè *comparatio*, quæ ei accidit. In hac occurrit, 1 graduum περίφρασις; 2. eorum ἐναλλαγή. Περίφρασις est & *comparativi & superlativi*. De quibus in sequentibus.

## Canon XV.

*Comparativus gradus Hebræis usitatè exprimitur per præpositionem* מ *vel* מִן *appositam rei, cum qua fit comparatio; adjectivo autem per se manente.*

JUd. 11: 25. הֲטוֹב טוֹב אַתָּה מִבָּלָק *num bonus bonus tu præ Balak*, hoc est, an multò melior es Balako. Adjectivum repetitur intendendæ significationis causa.

Prov. 8. vers. 11. טוֹבָה *bona* est *sapientia*, מִפְּנִינִים

מִפְּנִינִים *præ margaritis*, hoc eſt, melior eſt margaritis.

Eccl. 4: 9. טוֹבִים *boni* ſunt *duo* מִן הָאֶחָד *præ uno*, h. e. duo meliores ſunt uno. Vide & cap. 7: 2, 3, 4, 6, 9, 12.

Eſa. 54. v. 1. רַבִּים *multi* ſunt *filii deſertæ*, מִבְּנֵי בְעוּלָה *præ filiis maritatæ*, h. e. plures ſunt his. Sic Galat. 4: 27.

Hag. 2: 10. גָּדוֹל *magna erit gloria domus hujus poſterioris*, מִן הָרִאשׁוֹן *præ priori illâ*, h. e. major ſeu præſtantior illa. Vide & Ezech. 28: 3. Amos 6: 2.

Quandoque adjectivum deeſt. Eſa. 10: 10. *Sculptilia eorum* (ſcilicet precioſa ſunt) מִירוּשָׁלִַם וּמִשֹּׁמְרוֹן *præ* (ſculptilibus) *Jeruſalem & Samariæ*. Confer verſ. 11.

Apud *Rabbinos* comparativus uſitatè per particulam יוֹתֵר *magis*, effertur, adpoſitam adjectivo; & nihilominus præpoſitio מִן rei additur, cum quâ fit comparatio: ut cum dicitur גְּדוֹלָה תּוֹרָה יוֹתֵר מֵחָכְמָה *magna eſt lex magis præ ſapientiâ*, h. e. major eſt ſapientiâ &. Cui loquendi modo conſonat, quod Act. 20. verſ. 35. legitur: μακάριόν ἐςι διδόναι μᾶλλον, ἢ λαμβάνειν, *beatum eſt magis dare*, *quàm accipere*, h. e. beatius eſt dare, quàm accipere.

Hæc de comparativo gradu, quibus & addi poteſt, quòd *comparativus quandoque negativè effertur*, ſeu, quod ita circumſcribitur, ut alterum, & quidem inferius ex duobus comparatis, negetur; alterum verò affirmetur, cui præeminentia tribuenda eſt. Seu, quod idem eſt *quòd particula negativa quandoque pro comparativa uſurpatur*. Sed hoc ad adverbiorum doctrinam potius pertinet. Vide infrà tract. 5. de adverb. negandi.

## Canon XVI.

*Superlativum gradum terminatione cùm Hebræi non habeant (uti nec comparativum) inſtar aliarum linguarum: igitur aliquot modis ipſum circumſcribendo efferunt.*

Περίφρασις illa tùm *generalis* eſt, tùm *ſpecialis*, in certis vocibus conſiſtens.

### In Genere effertur ſuperlativus.

I. *Per continuam adjectivi repetitionem*, Sic anadiploſis loco ſuperlativi eſt.

Geneſ. 25. verſ. 30. *Fac comedere me nunc* מִן הָאָדֹם הָאָדֹם *de ruſo ruſo iſto*, h. e. admodum rufo, ſeu rufiſſimo, ſi ita loqui liceat: ſubintelligitur autem הַבָּזִיד edulio. Luth. in comm. h. l. repetitionem ad avidum Eſavi appetitum refert. *Quia non tantum* (inquit) *feſſus eſt*, *ſed etiam eſurit & ſitit*, *ideoque tàm avidè petit ſibi præberi de rufo iſto*, *utitur enim repetitione: ciba me de rufo*, *iſto rufo*. *Significatur magnus appetitus & deſiderium cibi*, *ut ſi quis famelicus dicat*: Laß mich mit dir eſſen vom Karpffen / und eben von dem Karffen / des mich gelüſtet / *non ſolum famem & laſſitudinem*, *ſed etiam voluptatem & appetitum in eo notare voluit Moſes*, *quòd ſingulari voluptate ſpectaverit & appetiverit rufum illud*. Hæc Luther. cujus explicatio priori illi videtur præferenda: Etſi enim duplicatione adjectivi ſuperlativus effertur, tamen non ſemper illud fit: & aliæ etiam repetitionis factæ dari queunt cauſæ: uti exempla oſtendunt. Sic Num. 3. verſ. 9. *Et dabis Levitas Aharoni ac filiis ejus* נְתוּנִים נְתוּנִים הֵמָּה *donati*, *donati ipſi ſunt ei*, *è filiis Iſraelis*. Hic non ad innuendum ſuperlativum gradum, ſed ad indicandam donationis illius certitudinem, repetitio adhibetur. Vide & Num. 17: 13.

1 Sam. 2. verſ. 3. *Ne loquamini* גְּבֹהָה גְבֹהָה *elatum elatum*, h. e. elatiſſimè, ſuperbiſſimè.

Prov. 20: 14. *Malum malum eſt*, *ait emtor:* h. e. peſſimum. Junius Hebræam vocem repetitam רַע רַע reddit, *malum mali;* ut ita ad ſubſequens τῆς περιφράσεως membrum pertineat. Sed res eodem redit.

Eccl. 7. verſ. 25. עָמֹק עָמֹק *& profundum*, *profundum; quis inveniet illud*? h. e. maximè profundum, quàm profundiſſimum. Exponit Salomo cauſam, cur tàm procul abfuerit à ſapientiâ: Non eſt (inquit) humanarum virium conſequi res remotiſſimas, abſtruſiſſimas, & quaſi in profundo merſas. Nihil autem eſt tàm remotum ab homine, quàm ſapientia. Job. 28. Prov. 2.

a Eſa. 6. verſ. 3. *Sanctus*, *ſanctus*, *ſanctus Jehova exercituum*. Hæc verba regulæ præſenti quidam ſubjungunt, ut ſit ſanctitatis Jehovæ infinitæ deſcriptio. q. d. omnium omninò ſanctiſſimus eſt Deus, & ſanctificandus ab omnibus. Et ajunt quidam, ter exprimi vocem קָדוֹשׁ *ſanctus*, ad indicandam perfectionem Dei ſummam; quod tribus gradibus ad perfectionem tandem perveniatur, poſitivo nimirum, comparativo & ſuperlativo. Verùm oſtendit, tùm *textus prophetici* συνάφεια (v. 8. Deus de ſe in plurali loquitur, & quaſi conſultationem inſtituit: *quem mittam & quis ibit NOBIS*?

a De Triſagio Angelico.

*NOBIS?* Nec angelos alloqui Deum, potest asseri, cum missio Prophetarum ubique soli vero Deo tribuatur:) tùm *novi Testamenti collatio*, (Joh. 12. vers. 40, 41. ad Filium Dei; Act. 28. vers. 26. ad Spiritum sanctum hæc θεοφάνεια refertur) tùm *totius Scripturæ uniformis* συμφωνία καὶ ἀναλογία, ad sacrosanctum personarum Trinitatis in una Deitate, mysterium indicandum, hanc trinam repetitionem vocis SANCTUS, à Seraphim cœlestibus adhiberi. Celebrant illi *Deum Patrem*, *Filium*, *& Spiritum sanctum*; & infinitam ac immensam sanctitatem vero illi Jehovæ tribuunt. Quâ in simplicitate Christiana merito persistimus, cùm in contrarium evidens nulla possit dari ratio. Pulchrè Magnificus & Nobiliss. Theologus, Dn. D. Hoe, in Apoc. 4. p. 120. *Dicant universi Antitrinitarii, quare ter Deus dicitur sanctus, si essentiâ & persona tantùm unus est? si objicient, trinam repetitionem indicium esse perfectionis, eâdem hoc facilitate negatur, quâ ipsi affirmant: Indè enim sequeretur, quoties Deus se unum esse dicit, toties imperfectionem notari: vel si verax dicatur, non repetito ter hoc titulo, non perfectam veritatem Deo attribui. Sed quid magis absurdum, impium & blasphemum foret, quam talia de Deo vel somniare, nedum affirmare?* Vide insuper & lege accuratissimam de Trishagio Angelico disputationem, à Claris. Theologo Dn. D. Wilhelmo Lysero Jenæ Ann. 1618. habitam.

### 2. *Per substantivum, in genitivo casu seipsum regens.*

Gen. 9: 25. *Canaan erit* עֶבֶד עֲבָדִים *Servus servorum*, h. e. vilissima servitute pressus & addictus fratribus suis.

Exod. 26: 33. *Et dividet velum vobis inter sanctitatem*, וּבֵין קֹדֶשׁ הַקֳּדָשִׁים *& inter sanctitatem sanctitatum*, h. e. sanctissimum, scilic. locum, in Tabernaculo sive Templo.

Num. 3: 32. וּנְשִׂיא נְשִׂיאֵי הַלֵּוִי *& Princeps principum Levi, Eleazar filius Aaron*, h. e. summus princeps ordinis Levitici.

Deut. 10. vers. 17. *Quia Dominus Deus vester ipse Deus Deorum, & Dominus dominantium*, h. e. supremus omnium Deus & Dominus.

1 Reg. 8: 27. *Ecce cœli*, וּשְׁמֵי הַשָּׁמַיִם *& cœli cœlorum non sustentant te*, h. e. cœli summi seu altissimi.

Eccles. 1: 2. הֲבֵל הֲבָלִים *vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, omnia vanitas*, hoc est, vanitas vanissima. Repetitio emphasin auget.

Cant. 1: 1. שִׁיר הַשִּׁירִים *Canticum canticorum, quod ipsi Salomoni*, h. est, canticum omnium excellentissimum.

Hos. 10: 15. *Sic fecit vobis Bethel* מִפְּנֵי רָעַת רָעַתְכֶם *propter malitiam malitiæ vestræ* h. e. summam malitiam, extremam perversitatem. Sensus est, horum malorum causa est impia & sceleratissima vestra idololatria, quæ nomine Bethelis synecdochicè & metonymicè designatur.

1 Tim. 6: 15. Deus vocatur ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, καὶ κύριος τῶν κυριευόντων *Rex Regum & Dominus Dominantium*, h. e. summus Rex & Dominus. Sed à superioribus hoc exemplum paulum discrepat: neque enim nomen seipsum regit, sed nomen conjugatum, in genitivo.

Apoc 1: 6. *Ipsi gloria & robur* εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, *in secula seculorum*, h. e. secula maximè infinita.

Sic in prophanis. Sophocl. in Elect. δειλαία δειλαίων κυρεῖς, *infelix infelicium tu es*, hoc est, infelicissima. Erasm. in chiliad. ἔσχατων ἔσχατα κακὰ, *extrema extremorum mala*, hoc est, omnium maximè extremà. Virgil. lib. 7. Æneid.

*Pax mihi erit, dextrum tetigisse tyranni.*

### 3. *Per adjectivum regens ablativum cum præpositione* ב, in.

Jos. 14. vers. 15. *Nomen Hebron* (urbis) *anteà Kiriath Arba*, הָאָדָם הַגָּדוֹל בָּעֲנָקִים הוּא *homo ille magnus inter Anakæos*, h. e. maximus Anakæorum, Vulgata versio Latina alienè: *Adam maximus inter Enacim situs est*. Qua ex mala versione, de loco sepulturæ Adami, opinio Hieronymi profluxit, qui in Matth. 27. *Adam* (inquit) *sepultum juxta Hebron & Arbec, in Jesu filii Nave volumine legimus.* Intelligit Josuæ librum, & adductum locum perperam versum. Nihilominus absurdè & ridiculè quidam Hebræorum אַרְבַּע appellativè accipiunt, & *quatuor* interpretantur, ut Kiriath Arba sit ἡ πόλις τῶν τεσσάρων, *civitas illorum quatuor*: quod videl. illic gigantes quatuor, aut quatuor paria conjugum, Adam & Eva; Abraham & Sara; Isaac & Rebecca; Jacob & Lea sepulta sint. Simplicissimè loquendo, Arba nomen proprium viri est, qui h. l. describitur à corporis vastitate & proceritate, à quo civitas isthæc primitùs fuit denominata.

1 Sam. 17. v. 12. *Vir ille temporibus Saulis*, זָקֵן *senex venerat* בָּאֲנָשִׁים *in hominibus*, hoc est, maximè senuerat præ reliquis, Er war der Eltesten einer mit.

Psal. 94. vers. 8. *Intelligite* בֹּעֲרִים בָּעָם *bruti in populo*, hoc est, brutissimi populorum.

Proverb. 30: 30. *Leo* גִּבּוֹר בַּבְּהֵמָה *fortis in bestiis*, hoc est, fortitissimus bestiarum.

Cantic. 1: 8. הַיָּפָה בַּנָּשִׁים *pulchra in mulieribus*, hoc est, pulcherrima mulierum.

Jerem. 49: 15. קָטֹן בַּגּוֹיִם *parvus in gentibus disponam te*, בָּזוּי בָּאָדָם *& contemtum in hominibus*, hoc est minimum gentium, contemtissimum hominum.

Luc. 1: 28. εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, *benedicta tu in mulieribus*, hoc est, benedictissima mulierum.

Simpliciùs etiam hoc quandoque fit, per *adjectivum regens substantivum in genitivo casu.*

2 Regum 10: 6. גְּדֹלֵי הָעִיר *magni urbis*, hoc est, optimi in urbe seu optimates.

2 Paralip. 21: 17. קְטֹן בָּנָיו *parvus filiorum ejus*, hoc est, minimus inter filios.

Proverb. 30: 24. *Quatuor sunt*, קְטַנֵּי־אָרֶץ *parva terræ*, hoc est, minima in terra.

Esaiæ. 23: 8. נִכְבַּדֵּי־אָרֶץ *honorati terræ*, hoc est, honoratissimi in terra.

Ezech. 28: 7. עָרִיצֵי גוֹיִם *feroces gentium*, hoc est, ferocissimi inter gentes.

Sic apud Homer. Il. α. δολομῆτα θεῶν, *astute Deorum*, h. e. astutissime, Virgil. *Sequimur te sancte deorum*, h. e. sanctissime.

Item per adjectivum cum affixo. Jon. 3: 5. מִגְּדוֹלָם *à magno eorum*, hoc est, maximo inter eos. Et mox: וְעַד־קְטַנָּם *& usque ad parvum eorum*, hoc est, minimum inter eos.

4. *Per nomen abstractum*, cujus exempla superiùs Can. 7. in fine; & Can. 8. §. 2. videri possunt.

5. *Per adverbium intendendi*, מְאֹד *valdè*, *adjectivo appositum.*

Gen. 1. ult. *Vidit Deus, quodcunque fecerat, & ecce* erat טוֹב מְאֹד *bonum valdè*, h. e. optimum: non tantùm singula seorsim, sed & omnia simul, eâ erant συμμετρίᾳ & perfectione, ut perfectior excogitari non posset.

Jerem. 24: 3. *Ficus bonas*, טֹבוֹת מְאֹד *bonas valdè: & malas*, רָעוֹת מְאֹד *malas valdè*, h. e. optimas, pessimas.

מְאֹד repetitum, emphasin adauget. Num. 14: 7. *Bona est terra* מְאֹד מְאֹד *valde valdè*, hoc est perquam optima est.

Matth. 2: 10. *Gavisi sunt gaudium* μεγάλην σφόδρα, *magnum valdè*, hoc est, maximum.

Sic Demosthenes *hominem ditissimum* vocat, σφόδρα πλούσιον.

Isocra. λίαν πικρῶς τὰ ἁμαρτήματα ἐξετάζειν, *exactissimo studio delicta examinare.* Plutarch. σφόδρα ἑτοίμως ποιεῖν τι, *promptissimè aliquid facere.*

[a] 6. *Per syllabæ vel literæ in ipsa substantiva voce repetitionem.* Hos. 8. vers. 7. סוּפָתָה *maxima procella.* Ubi R. Kimchi: הכפל לחזק הענין *geminatio* (notæ fœm. generis) *est ad intendendum significationem.* Simplex nomen סוּפָה est, *turbo, procella.* Ejus ultima litera in ת mutatur, & alterum ה fœminini nota, intentionis causa adjicitur. Hujus formæ nomina fœminina occurrunt & alia. יְשׁוּעָתָה *salus omnimoda* seu *maxima*, Psalm. 3. vers. 3. In quem locum R. Kimchi: ר"ל ישועה וישועה כי כל כפל תוספת לכפל ענין ׃ וכן עזרתה רב עוזר hoc est, *Vult dicere; salus & salus: quia omnis duplicatio vocis facit ad duplicationem rei, & sic* עזרתה h. est, *multum*, seu omnimodum auxilium. Extat autem hæc vox Psal. 44. vers. 27. Psal. 63. vers. 8. Talia sunt etiam צָרָתָה *maxima angustia.* Psal. 102. vers. 1. אֵימָתָה *maximus timor*, Exod. 15. vers. 16. עַוְלָתָה *summa iniquitas*, Job. 5. vers. 16. עֵפָתָה *summa obscuritas*, Job. 10. vers. 22. Sic in alia forma, חַלְחָלָה *dolor maximus* seu *vehemens*, Nehem. 2. vers. 10. (à חול *dolere*) צִפְצָפָה *circumspectio accuratissima* (à צפה *speculatus est*: Ezech. 17. vers. 5. ut adverbium usurpatur: *circumspectissime posuit*) פְּקַח־קוֹחַ *omnimoda apertio*, Esa. 61. vers. 1. scribitur ut duæ dictiones, sed est tantùm una, constans ex geminatis duabus radicalibus literis, à פקח *aperuit.* Sic in plurali, Hos. 1. vers. 2. זְנוּנִים *scortationes maximæ*: נַאֲפוּפִים *adulteria maxima.* In *illo* secundæ radicalis, (à זנה *scortatus est*) in *hoc* tertiæ radicalis (à נאף *adulteratus est*) est reduplicatio, quo multitudo & magnitudo scortationis; per raritatem autem horum nominum insolentia hujus flagitii indicatur. Occurrit etiam talis literæ duplicatio *in adjectivo*, quod in superlativo gradu propterea efferendum. Jerem. 46. vers. 20 יְפֵה־פִיָּה *pulcherrima, speciosissima* (à יָפֶה *pulcher.*) *Nomen*, inquit R. Kimchi, *quod scribitur ut duæ dictiones, significatio autem tanquam unius est, & secunda ac tertia radicalis geminata sunt; ad summam pulchritudinem indicandam.* Simile huic verbum in Pyhal est, geminatis duabus literis Psal. 45. vers. 3. יָפְיָפִיתָ *pulcherrimus effectus es: perpulchruisti.* Quale & illud est Thren. 1. vers. 20. *Viscera mea*, חֳמַרְמָרוּ *maximè turbantur*, seu *lutulenta facta sunt.* Pyhal, à חמר *turbari*, *lutosum esse &c.* Tarnov. in h. l. *Metaphora insignis: corpus cum mari, viscera cum profunditatibus hujus, ira Dei & pœna cum procellis comparantur: q. d. velut in mari vehementissimis fluctibus agi-*

[a] Nomina duplicatis literis constantia.

*tato lutum ex imo gurgite exæstuat: Sic omnia viscera ita concutiuntur, ut parum absit, quin è corpore ipso projiciantur.* conf. Thren. 2. vers. 11. Job. 16. vers. 16. Psal. 46. vers. 4. Esa. 57. vers. 24. Plura duplicationis ejusmodi literarum emphaticæ & ἐπιτατικῆς exempla textus Hebræi sacri evolutio exhibebit.

## Canon XVII.

*In specie voces quædam sunt observandæ, quibus vel superlativus gradus, vel ἀνάλογος illi ἐπίτασις designantur.*

### I.

בְּכוֹר *Primogenitum in scripturis vocatur, quod in suo genere excellit & summum est.* Desumtâ ratione loquendi ex nobilitate & præstantiâ juris primogenitorum. Et tàm *in bono*, quàm *malo*, hic vocis usus obtinuit.

Psal. 89: 28. *Ego* בְּכוֹר *primogenitum constituam eum, excelsum in Regibus terræ*, hoc est, mirum in modum exaltabo & glorificabo eum. Alii eodem sensu: Caput & principem summum Ecclesiæ meæ, adeoque omnis creaturæ constituam eum.

Job. 18: 13. *Comedat ramos ejus* בְּכוֹר מָוֶת *primogenitus mortis*, hoc est, peribit (impius) cruentissimâ omnium, & funestissimâ morte. Hic est primogenitus mortis, qui & *Rex terrorum*, hoc est, qui terrori est improbis, v. 14. vocatur.

Esa. 14: 30. (al. 15: 3.) *Pascentur* בְּכוֹרֵי דַלִּים *primogeniti tenuium*, h. e. tenuissimi Judæi, & summè attenuati attritique calamitatibus, in hoc suo Rege, velut pastore, conquiescent & fruentur bono.

Huc referri potest Ezech. 47: 12. ubi verbum à בְּכוֹר formatum extat, pulchrâ emphasi & epitasi: *Mensibus suis* יְבַכֵּר *afferet primogenita*, seu, ut ita dicam, *primogenitabit*, h. e. præstantissimos fructus afferet. Sermo autem est de arbore, seu collectivè, arboribus bonis, in terra nova viventium.

a Primogenitus omnis creaturæ. a Huc insignis locus Col. 1. vers. 15, reduci potest. *Qui* (filius Dei) *est imago Dei invisibilis*, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *primogenitus omnis creaturæ*, h. e. Princeps & Dominus præcipuus omnium creaturarum: excellens & præstans præ omnibus, non ut creatura, sed ut creaturarum opifex & conditor, quæ explicatio statim in textu subjungitur. Clariss. Dn. D. Mentzerus p. m. *Hæc vox non est ordinis, quasi plures sint geniti, ex quibus ipse sit primus (sic enim non esset unigenitus) sed desumta est appellatio ex descriptione legali dignitatis primogenituræ.* Gen. 49: 4. Hæc ille. Nec tamen errant, qui ad *æternam ex Patre generationem* referunt. *Primogenitus omnis creaturæ*, hoc est, priùs à patre genitus, quam ulla creatura fieret, ut Chrysostomus exponit. Quod ante omnem creaturam fuisse dicitur, simpliciter æternum est, Psal. 90. vers. 3. Prov. 8. vers. 22. seqq. quo ex loco desumta videtur vox ab Apostolo usurpata.

b Primogenitus ex mortuis. b Ibid. vers. 28. & Apoc. 1. vers. 5. Christus dicitur πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν *primogenitus ex mortuis*, h. e. præstantissimus inter omnes, qui resurgunt ex mortuis: quæ explicatio subjicitur statim his verbis: *ut sit ipse in omnibus*, πρωτεύων, *primatum & prærogativam obtinens.* Præstantissimus igitur resurgentium est Christus, *tùm* ὀντωδῶς, ratione personæ, quæ θεάνθρωπος, quam ad ὑπεροχὴν nulla creatura pertingere potest, *tùm* ἐνεργητικῶς, quia merito & virtute ejus omnes credentes ad vitam æternam resurgent. Adscribam verba præceptoris venerandi, D. Gerhardi, quibus explicationem datam insigniter illustrat, part. 3. harm. Euang. cap. 179. pag. 1197. *Notanter vocatur primogenitus* (ex mortuis) *tùm quia propria virtute resurrexit, & nos ipsius virtute & merito ad vitam æternam resurgemus*, 1 Cor. 15. vers. 14. Hebr. 2. vers. 14. *sicut primogenitus dicitur virtus sui patris*, Gen. 49. vers. 3. *Tùm quia ipsi ex mortuis resuscitato, ceu Domino nostro, sumus subjecti*, Rom. 14. vers. 10. *sicut primogenitus in V. Test. erat princeps fratrum suorum*, Gen. 49. vers. 3. 2 Paral. 21. vers. 3. *unde statim additur* Apoc. 1. vers. 5. *& princeps Regum terræ; Tum quia ipse in hæreditatem accepit gentes & fines terræ*, Psal. 2. vers. 8. Hebr. 1. vers. 6. *sicut primogenitus erat paternorum bonorum hæres, ex cujus manibus reliqui partem hæreditatis capiebant: Tùm quia ipse primus inter resuscitatos ex mortuis non rediit in hanc naturalem & animalem vitam, sed resurrexit in æternam vitam, & ingressus est in gloriam cœlestem.*

### II.

חֵלֶב *adeps*, pro optimo cujusque rei accipitur. Num. 18. vers. 12, 29, 30, 32. Deut. 32. vers. 14. Psal. 81, ult. Quæ locutio metaphorica est, uti & præcedens *primogeniti*. Sic Gen. 45: 18. *Et vescimini* אֶת חֵלֶב הָאָרֶץ *adipe terræ*, h. e. selectissimis ejus terræ fructibus. Ubi simul metonymia causæ est. Quò pertinet, quòd apud Chaldæos תַּרְבָּא adeps, ab

*ab excellentia, bonitate & præstantia* dici, quidam scribunt. רָבָא enim *multum seu magnum esse* significat. Conforme Hebraismo huic est, quod Græcis στέαρ πυρῶ *pinguedo frumenti aut tritici* dicitur, quod Suidas interpretatur κάλλιστον σῖτον *pulcherrimum aut optimum frumentum.* Apud Suidam quoque μέλιτος μυελὸς *medulla mellis*, de rebus omnium suavissimis. Et *Suadæ medulla* de M. Cornelio Cethego, Oratore eximio, in fragmentis Ennii, quæ Cicero semel atque iterum allegat. Hæc Zehn. adag. sacr. 4: 8.

## III.

*Nomina Dei* אֵל, אֱלֹהִים, יְהֹוָה *adhibentur epitheti loco pro divinum, quo summum & excellentissimum, aut maximum & vehementissimum significatur.* R. Kimchi in comm. 1 Sam. 26. הַדָּבָר שֶׁרוֹצֶה לְהַגְדִּילוֹ סוֹמֵךְ אוֹתוֹ לְאֵל h. e. *rem, quam vult* (scriptura sacra) *magnificare, eam jungit Deo*, hoc est, nomini Dei. Et in Psal. 65. אֱלֹהִים הוּא כִּנּוּי לְדָבָר הַגָּדוֹל וְהַנִּפְלָא hoc est; *vox Elohim est cognomen rei maximæ & admirabilis.* Exempla ptoducuntur isthæc.

Gen. 23. vers. 6. נְשִׂיא אֱלֹהִים *princeps Dei est in medio nostri*, hoc est, habemus pro præstanti & excellenti principe. Ita Benedict. Arias Montan. in lib. de Idiotismis Hebr. qui addit: *Dei nomine vocant Hebræi, quicquid excellit.*

Gen. 30: 8. נַפְתּוּלֵי אֱלֹהִים *luctationibus Dei*, hoc est, divinis, vehementissimis & gravissimis.

Gen. 35: 5. *Terror DEI fuit super urbes, quæ circa fuerant*, hoc est, terror maximns.

1 Sam. 14: 15. *Trepidatio Dei*, hoc est, gravissima.

1 Sam. 26: 12. *Sopor Domini*, h. e. gravissimus. Ubi vox יְהֹוָה extat.

2 Paral. 28: 13. *In reatum Jehovæ super nos esset, quod vos loquimini*, h. e. in reatum gravissimum seu maximum.

Job. 1: 16. *Ignis Dei*, h. e. maximus & terribilis.

Psal. 36: 7. *Justitia tua, ut montes Dei*, h. e. maximi, immensi.

Psal. 65: 10. *Rivus Dei*, h. e. præstantissimus & maximus, seu superabundantissimus.

Psal. 80: 11. *Palmites ejus ut cedri DEI*, h. e. cedri maximæ & procerissimæ.

Psal. 104: 16. *Saturantur arbores Domini*. h. e. maximæ excelsissimæ.

Huc referunt 1. *quæ cum nomine DEI componuntur.*

Cant. 8. vers. 6. *Prunæ ejus, sunt prunæ ignis* שַׁלְהֶבֶתְיָה *flamma DEI*, hoc est, ardentissimæ & maximæ.

Jerem. 2: 31. מַאְפֵּלְיָה *Caliginis DEI*, h. e. maximæ.

2 *Ubi nomen divinum cum præfixo ponitur.*

Ruth. 2: 20. *Benedictus sit ille* לַיהֹוָה *Domino*, hoc est, omnibus modis, terque quaterque benedictus & felix.

Ruth. 3: 10. *Benedicta esto* לַיהֹוָה *Domino filia mea*, hoc est, benedictissima.

Esaiæ 28: 2. *Robustus fortis* לַאדֹנָי *Domino*, hoc est, robustissimus & fortissimus.

Jon. 3: 3. *Civitas magna* לֵאלֹהִים *Deo*, h. e. perquam maxima.

Talia sunt, quæ in N. T. *per dativum* redduntur.

Actor. 7: 20. *Quo tempore natus est Moses, & erat* ἀστεῖος τῷ θεῷ, *bellus Deo*, h. e. eximiè bellus, uti Drusius reddit.

2 Cor. 10: 4. *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed* δυνατὰ τῷ θεῷ, *potentia DEO*, seu *valida Deo*, hoc est, eximiè valida, seu validissima & potentia.

### Ἐπίκρισις.

Hucusque regula à Dn. Buxtorffio & aliis notata. Sciendum verò, ἐπίτασιν & significationis intensionem in exemplis adductis esse ἑπομένην & *secundariam* seu consequentem: πρώτως enim & *primariò* nomen Dei additum, propriissimam retinet significationem, & rei, cui additur, causam efficientem denotat. Quia autem à Deo non nisi magnum & eximium existere potest, præsertim si supra & contra naturæ cursum operetur, igitur ex consequentia ἐπίτασις, additione horum nominum divinorum designari, non perperam dicitur.

Resumamus exempla adducta.

Gen. 23. vers. 6. *Princeps Dei est*, qui à Deo singulariter beneficiis ornatur, quæ explicatio ex cap. 21, 22. patet. Consequenter autem præstantem significare principem, per se patet.

Gen. 30. vers. 8. *Luctationes Dei* sunt illæ, quæ divinitùs perficiuntur, seu quibus Deus ipse interest & præest. Agnoscit enim Rachel divinam opem & benedictionem, de qua Psal. 127: 3. Et sicut vers. 6. dixerat. *Judicavit me Deus, & audivit vocem meam:* Sic vers. 8. luctam suam cum sorore Leâ, itidem Deo, uti & victoriam adscribit. Luth. in comm. h. l. benè παραφράζει: *Facta est permutatio sive conversio, soror mea desiit parere, ego verò incipio & pergo consequendo sobolem. Non meo nutu*

*aut voluntate, sed Dei gratiâ & dono, qui exaudivit preces meas.*

Gen. 35. verſ. 5. terrorem â Deo, ut immediatâ causâ efficiente, immiſſum, intelligi, patet, *tùm* ex circumſtantiis contextus; conſpiraverant enim vicinæ gentes, cæde Sichemitarum offenſæ, in perniciem Jacobi: verùm incuſſit illis Dominus inſolitum timorem, ut à propoſito abſtinerent, & ita Jacobus ſalvus & incolumis cum ſuis Luzam perveniret: *tùm* ex locis parallelis, quibus Deus timorem iſtiusmodi hoſtibus populi ſui immiſſum, ſibi ipſi ut cauſæ immediatæ adſcribit. Confer Exod. 23. verſ. 27. Deut. 2. verſ. 25. cap. 11. verſ. 25. Benè Junius & Tremellius utrumque conjungunt: *Terror Dei*, hoc eſt, *divinitùs immiſſus & maximus: humanitùs enim nequaquam fuiſſet timendum illis, qui numero, potentia, peritiaque locorum & viarum longè erant ſuperiores.* 2 Paralip. 20. verſ. 29. ſimilis locus eſt & ſimiliter explicandus.

1 Sam. 14: 15. Eadem ratio hîc eſt: *Et fuit in trepidationem Dei*, h. e. à Deo Philiſtæis immiſſam, ſeu divinitùs incuſſam: quod ipſe Jonathan agnoſcit, Deo hanc victoriam (à ſe ſperatam adhuc) adſcribens, verſ. 13. Maxima autem quòd hæc trepidatio fuit, ad prius illud conſequitur.

1 Sam. 26: 12. *Sopor Jehovæ ceciderat ſuper eos*, h. e. non naturalis erat hic ſomnus, ſed præter naturam â Deo ipſo, in ſalutem Davidis, amici ſui, immiſſus: & per conſequens fuit ſopor profundiſſimus.

2 Paral. 28: 13. *Reatus Jehovæ*, hoc eſt, maximus. Hoc verò exemplum planè non quadrat. *Reatus Jehovæ* dicitur, quem Jehova (*cui ſoli peccatur*, Pſal. 51: 6.) imputat, & graviter punit.

Job. 1. verſ. 16. *Ignis Dei* eſt, qui ex aëre decidit, Dei permiſſu à Satanâ immiſſus: quod ipſe Job verſ. 21. & cap. 16. verſ. 11, 12. agnoſcit. Sic & *ignis Jehovæ* Num. 11. verſ. 1, 3. dicitur, qui ſingulariter à Jehova in rebellantem populum immiſſus fuit, pœnæ & ſupplicii loco.

a Lutherus de hoc loquendi modo.

Pſal. 36. verſ. 7. *Montes Dei* ſunt, qui præclarum Dei creatoris opus & monimentum ſunt.

Pſal. 65: 10. *Rivus Dei, plenus aquis.* ἐπίτασις ſeu epitheton rivi expreſſè ponitur, quòd ſit *plenus aquis*. Rivus autem Dei ſubjectum propoſitionis eſt: & metaphoricè bonitas Dei, in naturalibus etiam ſe ubertim & copioſiſſimè exerens intelligitur. Junius & Tremellius optimam & abundantem pluviam intelligunt, divinitùs à Deo immiſſam, juxta illud Matth. 5: 45.

Pſal. 80. verſ. 11. *Cedri Dei*: & Pſal. 104: 16. *arbores Domini*, ſunt, quas Dominus plantat & irrigat, ut ibidem habetur in textu. Vel ſynecdochicè, omnes inſativæ plantæ intelliguntur, non ab hominibus, ſed à DEO poſitæ & cultæ.

Sic & in cæteris; 1. *quæ cum nomine Dei componuntur.*

Cantic. 8. verſ. 6. שַׁלְהֶבֶתְיָה (vel, ut in aliis codicibus legitur, vocibus diſtinctis: שַׁלְהֶבֶת־יָה) recte à Junio & Tremellio vertitur; *flamma divina*, hoc eſt, maxima, quam Deus potentiſſima ſua luce ſpiritus in perpetuum duraturam accendit. Lutherus in margin. gl. **Hie ſiehet man wol/ daß Salomo in dieſem Liede von geiſtlicher Liebe ſinget/ die Gott gibt/ und uns auch erzeigt in allen ſeinen Wohlthaten.**

Jer. 2: 31. *Terra caliginis Dei*, eſt maximè tenebricoſa, Deo præternaturales immittendo tenebras, ſicut in Ægypto factum, Exod. 20: 21. ſeqq.

2. *Ubi nomen divinum cum præfixo ponitur.*

Ruth. 2: 20. & cap. 3: 10. benedictio adſcribitur veræ & vivæ omnis benedictionis ſcaturigini, videlicet Deo, & ab illo exoptatur & vovetur. Druſius lib. 4. obſerv. cap. 12. *poteſt eſſe benedictus* ליהוה *Domini, ut edoctus Domini*, hoc eſt, a *Domino*.

Eſaiæ 28: 2. Salmanaſſer Aſſyriorum Rex, dicitur *robuſtus & fortis Domino*, quia DEUS illum erat in Iſraelitas contumaces immiſſurus ex juſta ira & vindictâ.

Jon. 3. verſ. 3. De Ninive, quæ *civitas magna Deo* vocatur, adſcribam verba Lutheri, quæ dictam noſtram ſententiam inſigniter illuſtrant. Ita autem is in Geneſ. cap. 30. fol. 453. b. ſuper illud: *a Luctationibus Dei luctata ſui &c.* loquitur: *Sanctes Pagninus & Munſterus vertunt: Luctationibus Dei luctata ſum, id eſt, luctationibus vehementiſſimis luctata ſum cum ſorore mea; Et addunt hanc rationem, quòd in Hebræa linguâ omnia magnifica vocentur divina. Hinc civitas Dei Ninive, id eſt, magnifica: Cedrus Dei, id eſt, ardua & magna. Etſi autem non arrogo mibi judicium in Hebræa lingua, tamen odi depravandi audaciam in iis, quæ ſimpliciter dicta ſunt. Quaſi verò Ninive non ſit etiam civitas Dei in præputio, ſed ſoli circumciſi ſint populus Dei. Omnia hæc manant ex ſuperbia & arrogantia Judæorum, qui nihil ferunt dici magnificum, niſi quod ad ipſos pertinet.* (Nota: pro, *dici magnificum*, videtur legi debere, *dici divinum*, ſeu *Dei*: ita enim & antecedentia, & quæ jam ſequuntur, oſtendunt.) Et in cap. 13. fol. 172. ſuper illud: *Sodoma & Gomorra, ſicut*

*sicut hortus Domini &c. Hanc interpretationem fingunt Judæi ex nimia sua sapientia & innata superbia, ut scil. soli appellentur populus Dei, & non gentes. Ninive, inquiunt, non potest dici Dei civitas, quasi Deus ibi habitet, sicut apud nos in Jerusalem: alia hujus appellationis ratio est, quòd magna & augusta sit civitas. Sed vana hæc expositio est: scimus enim, Deum etiam gentium Deum esse, etiam temporaliter. Ninive igitur civitas Dei dicitur, quòd Deus ei incrementa & benedictionem suam dedit, & curat, ac gubernat eam. Sic arbores Dei vocantur, quas Dominus fecit, & curat, dum dat pluviam, dat solem, ventos, unde incrementa sumunt, etiamsi eas impii possideant. Ac sanè non exigua consolatio est, quòd imperia constituit, servat & tuetur, nec illa, ut plerunque putamus, vel crescunt vel cadunt temerè. Gentes gubernationem hanc non vident, sed sua industriâ constitui & gubernari imperia somniant. In Annibale magnus animus & singularis industria est, hâc putat se Romanos vincere. In Alexandro sunt majora dona, quibus instructus feliciter gerit omnia. Sed istæ quasi larvæ sunt, quas solas videmus: Gubernationem divinam, quâ aut stabiliuntur imperia; aut evertuntur, non videmus. Hæc vera est sententia, quòd Ninive vocatur Dei civitas: Item, quòd arbores dicuntur Dei ligna: Divinitùs enim gubernantur & foventur, ut sumant incrementa. Etsi enim humana quoque industria, & labore juvantur, tamen ea frustrà esset, sine benedictione Dei: & quis, quæso, sylvas & nemora, quis arbores in vastis solitudinibus curat? Sic Christus dicit: Pater vester cœlestis sinit oriri Solem suum super bonos & malos. Vocat Solem Dei Solem, quem ipse condidit, ad vegetandas naturas. Ad hunc modum Dei hortus hic* (Genes. 13. vers. 10.) *vocatur, non ut Judæi ineptiunt, magnus: sed qui colitur non solùm hominum manibus & studio, sed divinitùs, Domino fœcundante & benedicente.* Hucusque Lutherus.

Sic & in iis, quæ ex N. Test. adducuntur.

Actor. 7. vers. 20. Moses dicitur ἀςεῖος τῷ Θεῷ, *quia* (ut Primasius ad Heb. 11. vers. 23. loquitur) *ab ortu nativitatis magna fuit illi infusa gratia venustatis, non naturâ hoc operante, quo natus est honestus infantulus: sed gratiæ divinæ dono, qui etiam barbaram illam mulierem Ægyptiam, filiam vid. Pharaonis, ad hoc excitavit, ut amaret eum, ut sumeret, ut nutriret, &c.* Mirabilissima certè fuit Dei, in conservando, & in populi sui salutem educando Mose, providentia: Cui meritò elegantia formæ & suavitas externa adscribitur. Hebr. 11. vers. 23. *fidei* parentum Mosis adscribitur inter alia, quòd *viderint ἀςεῖον τὸ παιδίον, & propterea occultaverint.* Utique igitur Deo, præter naturam agenti, & fidem illam operanti, formæ Mosis suavitas non est deroganda.

2. Cor. 10. vers. 4. *Per arma militiæ nostræ* intelligitur verbum Dei, per quod Spiritus sanctus efficacissimè operatur, contra Satanam & inferni portas. Hæc certe arma sunt δυνατὰ τῷ θεῷ, quia DEUS ipse est, qui per ea fortiter operatur.

[a] Tantum etiam de nominibus Dei, quæ rei addita, magnitudinem ejus & vehementiam designare dicuntur. Addendum verò etiam quâ ratione Enjedinus, Photinianæ blasphemiæ Antesignanus, hac regulâ abutatur. Gen. 19. vers. 24. dicitur: *Et Jehova pluit super Sodom & super Amorah, sulphur & ignem, à Jehova, ex cœlis.* Ubi Jehova à Jehova distinguitur, & alia persona est, quæ pluit, alia, à quâ pluit: illa Deus Filius; hæc Deus Pater est. In hoc igitur & aliis dictis, Psal. 110. vers. 1. Esaiæ 48. vers. 16. Jer. 23. vers. 5, 6. Hos. 1. vers. 7. Zach. 2. vers. 8, 9, 10, 11. cap. 3. vers. 2. &c. manifestè una persona ab alia distinguitur, & sic pluralitatis personarum, in una essentia Divina, mysterium, (simul & Christi Jesu vera divinitas) comprobatur. Quid ad hoc Photinianus? Præter alia, ad dictam regulam, excipiendo confugit, *vocem* scilicet *DEUS*, esse ἐπιτατικὴν, *quæ intensionem ac magnitudinem significet.* Quò refert etiam phrasin, *Sulphur & ignis à Jehova*, hoc est, magnus & vehementissimus.

[a] Abusus regulæ positæ.

Respond. 1. Speciem aliquam haberet exceptio, si ignis & sulphur dicerentur *ignis DEI, Sulphur DEI;* sicut in antè positis exemplis dicuntur *cedri DEI, montes DEI* &c. At Moses longe aliter loquitur; *pluit Jehova sulphur & ignem, à Jehova.* Ubi non ad nomen, sed ad verbum, *pluit*, vox isthæc, *à Jehova;* refertur. 2. Phrasis מֵאֵת יְהוָה *à Jehova;* à voce *sulphur & ignis*, per distinctivum accentum Athnach sejungitur, quod non fieret, si epitheti rationem obtineret, ut in exemplis suprà prolatis videre est. 3. Non potest produci exemplum, in quo nomen Dei, additum alicui rei, nudam ejus qualitatem vel magnitudinem notet: & non simul ac primario ipsum Jehovam efficaciter agentem designet, uti hactenus demonstratum. 4. Quantò igitur minùs id fieri dicendum est in illis locis, quibus res non Dei dicitur, sed *à DEO facta vel immissa esse* clarè asseritur, qualis est adductus, Gen. 19. vers. 24. & alter, quem Enjedinus adducit, Num. 11. vers. 31. ubi *ventus à Jehova exiisse* dicitur. Quis hic nudam ἐπίτασιν & venti vehementiam, sine mentione

tione efficientis seu producentis Dei, agnoscere poterit? dicitur *ventus à Jehova*, quia hic *ex thesauris suis illum producit*, Jere. 10. vers. 13. cap. 51. vers. 17. *Jehova illum creat*, Amos 4. vers. 12. Confer Exod. 10. vers: 13. Jon. 1. vers. 4. cap. 4. vers. 8. Quid multis? ex Psal. 78. vers. 26. (quem locum Enjedinus contra se allegat) perspicuum, quod volumus, vel maximè evadit. Confer Claris. Theolog. & Philosophum Dn. D. Jacobum Martini, de tribus Elohim. lib. 1. p. 226. seqq.

## Canon XVIII.

*Contigit quandoque graduum inter se enallage & permutatio. In Græca scil. N.Test. linguâ, quæ comparativi & superlativi distinctam terminationem obtinet.*

### 1. *Enallage positivi pro comparativo.*

HAnc Attico dicendi generi adscribunt Græci.

Matth. 18. vers. 8. καλόν σοι, *bonum tibi est, ingredi in vitam claudum; quàm duas manus vel duos pedes habentem abjici in gehennam:* h. e. κάλλιον, ἄμεινον seu φέρτερον, melius est tibi.

Luc. 18: 14. *Descendit hic* (publicanus) δεδικαιωμένος, *justificatus in domum suam*, ἢ ἐκεῖνος, *quàm ille* (Pharisæus) h. e. magis justificatus. Quod quomodo sit intelligendum, tract. 5. in doctrina adverbiorum dicetur.

Sic in V. Test. Græca versione. Psal. 118: 8. ἀγαθὸν πεποιθέναι ἐπὶ κύριον, ἢ πεποιθέναι ἐπ' ἀνθρώπων, *bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine*, hoc est, melius est illud, quàm hoc.

Tale est illud Menandri: καλὸν τὸ μὴ ζῆν ἐστιν, ἢ ζῆν ἀθλίως: *bonum est non vivere, quàm miserè vivere;* h.e. melius est.

Videtur hìc in diversum quid abire Drusius, quando Præter. lib. 1. p. 40. ad Matth. 18. vers. 8. locum antè adductum, sic loquitur: *καλὸν hic non significat ἄμεινον sed ἀγαθὸν, hoc est, bonum: nam subintelligitur μᾶλλον, id est, magis. Sic auctores Latini loquuntur. Tacitus: Claris majoribus, quam vetustis, id est, magis quàm vetustis. Plautus: Tacita bona est mulier, semper quam loquax, i. e. magis bona, quam loquax. Sed & Græci. Homer. Iliad. α.* βόλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι. *Sensus:* Μᾶλλον ἢ ἀπολέσθαι, *magis quam perire &c.* At in re ipsa est consensus. Sive enim καλὸν pro ἄμεινον (comparativâ voce) sive pro ἀγαθὸν, subintellectâ voce μᾶλλον accipiatur, manet nihilominus, comparativam esse locutionem, quæ per positivum exprimitur. Videtur tamen in *posteriori* exemplo, à Drusio adducto, ratio dispar esse. In verbis enim, quæ variationi comparationis non subjacent, debet necessariò (si comparatio instituatur) subintelligi vox μᾶλλον, quæ necessitas in nominibus adjectivis expirat, illis videlicet, quæ per comparativum unâ voce optimè exprimi possunt; quale est καλόν.

### *Enallage positivi pro superlativo.*

Hæc de enallage positivi pro comparativo. Positivi autem pro superlativo enallage est in Matth. 22. vers. 36. *Magister, quod est* ἐντολὴ μεγάλη, *mandatum magnum in lege?* h. e. maximum, præcipuum. Cui respondetur à Christo. vers. 38. *Illud est* πρώτη καὶ μεγάλη ἐντολή, *primum & magnum*, (omnium maximum) *mandatum*, dilectio videl. Dei. Vide ex Reuchlino locum huc pertinentem in Exegesi Epistolico-Euangelica. part. 4. p. 750, 751.

### 2. *Enallage superlativi pro comparativo.*

Occurrit ea in voce πρῶτος *primus*, quando pro πρότερος, *prior*, accipitur. Est enim πρῶτος per crasin ex πρότατος factum; cujus positivus præpositio πρὸ est: comparativus πρότερος: superlativus, πρότατος & πρῶτος.

Joh. 1: 15, 30. ὅτι πρῶτός μου ἦν, h. e. πρότερος, *quia prior me erat*: scil. ut verus Dei filius, ab æterno existens. Sunt autem, qui πρῶτος h.l. per *principem* convertunt, uti accipitur Marc. 6. vers. 21. Luc. 19. vers. 47. Actor. 25. vers. 2. sensu hoc: *quia princeps meus erat.* Et congruè Cl. Heinsius in Aristarcho sacro, seu exercitat. super Nonnum in Johannem. p. 302. utrumque conjungit: *Vox ea* (πρωτός μου) inquit, *& temporis & dignitatis simul in divinitate prærogativam exprimit. Respondet in Hebræo* τῷ ראש *vel* ראשון, *quod Ose. 1: 11. de Messia dicitur.* Sensum verborum Johannis esse ait: *is, qui post me venit, excellentia ac donis omnibus me superat, ut qui primas semper de me tulit. Ego* πρωτοστάτης *videor, cùm sim præcursor: ille* ἐπιστάτης

σέτης, *quia post me venit. Sed quia post me venit, prior factus est. Nec mirum. Nam ut tempore, sic potestate* πρωτοσέτης *meus erat, pro quo* πρῶτός μȣ, *Hellenistæ dicunt.*

Joh. 15: 18. *Si vos mundus odit, scitote, quod me* πρῶτον ὑμῶν *primum vobis odio habuerit*, h. e. πρότερον, *priorem vobis.*

1 Cor. 14: 30. *Si verò alii revelatum fuerit sedenti*, ὁ πρῶτος *primus taceat*, hoc est, prior. Neque enim de omnium primò loquente, sed de proximè præcedente propheta seu interprete sermo est.

1 Joh. 4: 19. *Nos diligamus eum* (Deum) *quia ipse* πρῶτος *primus nos dilexit*, hoc est, prior nos dilexit.

Apocal. 13: 22. *Et potestatem* τȣ̃ πρώτȣ, *primæ bestiæ omnem faciebat coram eo*, hoc est, prioris bestiæ.

Huc quidam referunt Luc. 2: 2. *Hæc descriptio* πρώτη *prima facta est, præsidente in Syria Cyrenio.* Quia enim historiæ Romanæ testantur, generalem hanc descriptionem factam esse sub Q. Varo, Syriæ tùm temporis præside, cui pòst Quirinus seu Cyrenius successit, sub quo contigit particularis illa, de qua Actor. 5: 37. igitur vocem πρώτη pro προτέρα positam esse ajunt: quâ ratione subaudiendus etiam esset articulus τῆς, hac ratione: ἄυτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη (προτέρα) ἐγένετο, τῆς, ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίȣ: *Hæc descriptio prior erat illâ, quæ facta est præsidente Syriæ Cyrenio &c.* Placet verò magis Casauboni sententia, qui illud de Cyrenio sic explicat: *Illum ab Evangelista appellari Syriæ* ἡγεμονέυοντα, *non quod jure ordinario præses Syriæ esset, verùm ideò, quia cum extraordinario imperio ad descriptionem faciendam venerat in Syriam: Mos enim fuit Imperatoribus, ut ad census agendos primarios Reipub. viros in provincias destinarent.* Vide & D. Helvicum in theatro historico, ad annum nati Christi. Hac admissa explicatione, enallagen vocis πρώτη, pro προτέρα, statuere opus non erit. Confer D. Calixtum in harmon. Euang. p. 56. seqq.

### 3. *Enallage comparativi pro superlativo.*

Matth. 11: 11. ὁ μικρότερος, *qui minor est in regno cœlorum, major est Johanne Baptistâ*, hoc est, qui minimus est, μικρότατος. Per *minimum* autem hunc quidam ipsum Chistum ibi loquentem intelligunt, q. d. ego, qui non minor solùm Johanne habitus, sed & infra omnes homines exinanitus sum, verè sum major illo. Alii verò Christi ministrum quemvis, Euangelii præconem intelligunt: *Quemadmodum Johannes officio major est omnibus se antecedentibus, quia præsentem ostendit Messiam: Ita Apostolus aut minimus quisque de Christi ministris Johanne major æstimari potest, qui non solùm Christum advenisse prædicet, sed regni illius mysteria pandat, totique orbi proponat*: quæ D. Pelargi olim orthodoxi verba sunt.

Matth. 18: 1. τὶς ἄρα μείζων ἐστὶν, *quis major est in regno cœlorum*, h. e. μέγιστος, maximus. Sic v. 4. cap. 23: 11.

Matth. 13: 32. *Granum sinapis* μικρότερον, *minus quidem est omnibus seminibus; cùm autem creverit*, μεῖζον *majus est oleribus*, hoc est, minimum, maximum. Sic Marc. 4. vers. 31, 32. De magnitudine autem hujus plantæ, in Palæstina arborescentis, videatur Tremellius in notis ad Syriacam hujus loci versionem.

Joh. 10: 29. *Pater meus, qui dedit eas mihi*, μείζων *major omnibus est*, h. e. maximus. Sic 1 Cor. 13: 13.

1 Cor. 15: 19. *Si in hac vita* (propter hanc vitam seu hujus vitæ commoda) *tantùm sperantes sumus in Christo*, ἐλεεινότεροι *miseriores omnibus hominibus sumus*, h. e. miserrimi. Luth. die Elendesten/ quia scil. pii in hac vita variis periculis & persecutionibus obnoxii sunt.

Quidam huc referunt 2 Pet. 1: 19. *Habemus* βεβαιότερον *firmiorem Propheticum sermonem*, hoc est, βεβαιότατον, firmissimum. Verùm potest commodè significatio *comparativa* retineri, & referri *vel* ad vocem cœlestis Patris vers. 17, 18. non distributivè, ac sic illa firmior dicatur sermo Propheticus; sed complexivè, ut dicatur firmior jam & certior factus, attestante scil. dictis Prophetarum ipsa cœlestis patris voce: *vel* ad miraculosam Christi transfigurationem, ac Mosis & Eliæ apparitionem; illa enim firmior dicitur sermo Propheticus, cùm miracula non tàm solidum fidei fundamentum præbeant, quàm ipsum Dei verbum: *vel* demum, ad σεσοφισμένȣς μύθȣς, doctas *fabulas*, de quibus vers. 16. dictum ab Apostolo fuerat. Beza respectu eorum hoc dici ait, ad quos scribebat; apud eos enim doctrina Prophetica major erat omni exceptione.

Siracid. 1: 4. προτέρα πάντων, *prior omnium est sapientia*, hoc est, πρώτη, prima.

In prophanis. Nilus: πάντων χαλεπώτερόν ἐστιν ἄρχειν ψυχῶν, *omnium laboriosissimum est, animabus præesse.* Synesius: μακρῷ πάντων βαρύτερος, *longè omnium gravissimus.* Ex Latinis Prudentius etiam hac enallage usus legitur, καθημ. hym. 12. *O sola magnarum urbium major Bethlem!* & Catullus: *Hespere, qui cœlo luces jucundior ignis;* Et Q. Curtius: *Duo majora omnium navigia &c.*

## De Genere.

HUcuſque conſideratio nominis ratione *ſpecierum:* ſequuntur ejus *accidentia*, quorum quatuor expendenda obveniunt: 1. genus, 2. numerus, 3. caſus, 4. regiminis ſtatus. De *genere* tribus ſequentibus regulis agitur.

## Canon XIX.

*Genus neutrum Hebræi non habent, pro eo autem tum maſculino, tùm fœminino utuntur. Idque tàm in nominibus, quam pronominibus. Simul enim & ſemel hoc annotâſſe ſufficiat.*

MAſculinum loco neutri.

Gen. 2: 18. לא טוב *non* eſt *bonum, hominem eſſe ſolum.* cap. 1. ult. *& ecce* erat טוב *bonum valde.* Pſ. 119: 65. טוב *bonum feciſti cum ſervo tuo.* Sic Eſaiæ 5: 20. cap. 7: 15.

*In pronominibus.* Eccl. 9. verſ. 9. *Fruere vita cum uxore, quam amas* &c. *quia* הוא *hoc ipſum* eſt *pars tua in hac vita.* Sic Joſ. 13. verſ. 14.

*Fœmininum pro neutro.*

Gen. 50. verſ. 20. *Vos cogitâſtis adverſum me* רָעָה *malum, Deus cogitavit illud* לְטוֹבָה *in bonum.* Sic & Job. 5: 9. Pſal. 12: 4. Pſal. 27: 4. &c.

*In pronominibus* tàm ſeparatis, quam affixis.

Gen. 15. verſ. 6. *Et credidit Abraham Domino,* וַיַּחְשְׁבֶהָ *& imputavit illud ei juſtitiam.* Affixum fœmininum eſt, & pro neutro ponitur. Apoſtolus paſſivè hoc effert Rom. 4. verſ. 3. *Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt* (illud credere) *ipſi in juſtitiam.* Poſſis etiam dicere (inquit Flacius) eſſe in Hebræo conſtructionem ad ſenſum reſpicientem, ut illud affixum fœmininum referat nomen *Fidem*, per verbum *credere* indicatum.

Geneſ. 43. verſ. 32. *Non comedunt Ægyptii cum Hebræis cibum, nam abominatio* היא *hoc eſt.*

Exod. 10. verſ. 11. *Ite vos viri, & colite Dominum, quia* אֹתָהּ *hanc vos petiiſtis*, id eſt, hoc.

Num. 23: 23. (al. 19.) *An loquetur, & non* יְקִימֶנָּה *præſtabit illam*, hoc eſt, illud. Sic verſ. 24.

Pſal. 118. verſ. 23. *A Domino* הָיְתָה זֹּאת *facta eſt illa,* נִפְלָאת הִיא *hæc mirabilis eſt in oculis noſtris*, hoc eſt, factum eſt illud, hoc mirabile eſt. Quidam hæc fœminina ad præcedens nomen אֶבֶן *lapis*, referunt, quod fœmininum eſt. Alii præcedens fœmin. פִּנָּה *angulus* (*lapis is eſt in caput anguli*) per quem intelligunt conſtructionem & coagmentationem Eccleſiæ, cujus caput, hoc eſt, firmamentum ſive fundamentum eſt Chriſtus, Eph. 2. verſ. 20, 21. Hic angulus ſeu hæc coagmentatio Eccleſiæ, in Chriſto facta, eſt à Domino, & verè mirabile eſt, non hominibus tantùm, ſed ipſis etiam Angelis, Eph. 3. verſ. 9, 10, 11. Simpliciſſimè dicitur, poni fœmininum loco neutri, ut ad omne illud, quod præceſſit, referatur illa τοῦ θεοῦ ἐνέργεια καὶ τὸ θαυμάσιον.

In N. Teſt. idem obſervatum agnoſcimus. Matth. 21. verſ. 42. & Marc. 12. verſ. 11. verba Pſal. 118. allegantur: *A Domino* ἐγένετο αὕτη, καὶ ἔςι θαυμαστὴ *facta eſt illa, & eſt mirabilis in oculis noſtris*, hoc eſt, factum eſt illud, & eſt mirabile. Ubi Caſaubonus vir eximius ſic notat: *Purus putus ſine dubio Hebraiſm. Sic illi ad verbum* מֵאֵת יְהוָה הָיְתָה זֹּאת παρὰ κυρίȣ ἐγένετο αὕτη. *Quare iis non aſſentior, qui* αὕτη *referunt ad* γωνίαν. Hanc à Caſaubono rejectam expoſitionem Beza dicit *profectam eſſe ex ignorantia Hebraicæ linguæ.*

Joh. 17: 3. αὕτη, *hæc autem eſt vita æterna*, id eſt, τοῦτο, hoc eſt vita æterna, ſeu in hoc conſiſtit vita æterna; vel etiam, hoc cauſa eſt vitæ æternæ, nimirum, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.

## Canon XX.

*Maſculinum & fœmininum ejuſdem nominis quandoque conjunguntur, ad innuendam rei, de qua ſermo eſt, varietatem & multitudinem.*

ECcl. 2. verſ. 8. *Feci mihi* (hoc eſt, conſtitui שָׁרִים וְשָׁרוֹת *cantatores & cantatrices*, hoc eſt, omne ſeu varium Muſicorum genus. Ibidem vocis ejuſdem repetitio in diverſo *numero*, pari cum emphaſi conjuncta extat: שִׁדָּה וְשִׁדּוֹת *ſymphoniam & ſymphonias*, hoc eſt, omnis generis ſymphonias; ſeu, ut Junius reddit, *ſymphoniam & quidem omnimodam* Intelligit Muſicam harmonicam, quamque, vocis, ſoni,

soni, aut utriusque, & omne genus melodiæ. Cur שׁוֹאָה *symphonia* à vastando nomen habeat (שָׁדַד enim *vastare* significat) vide in Buxtorffii Lexico, & in notis Junii ad h. l.

Esa. 3. vers. 1. *Nam ecce Dominator Dominus exercituum removet à Jerusalem & à Juda* מַשְׁעֵן וּמַשְׁעֵנָה *scipionem & scipionem* (prius masculinum est, posterius fœmininum) hoc est, quicquid pertinet ad vitam hominum sustentandam, & magnum & parvum. sequitur enim: *Omnem scipionem panis, & omnem scipionem aquæ.* Metaph. Chald. סְמַךְ וּסְעִיד *firmamentum & fulcimentum.* Luth. metaphoram explicans, rectissime: allerley Vorrath.

Esa. 43. vers. 6. *Affer* בָּנַי *filios meos de longinquo* וּבְנוֹתַי *& filias meas ab extremo terræ*, hoc est, ex quocunque sexu atque ordine homines. Ita & cap. 49. vers. 22. cap. 60. vers. 4. Si quando quis dicitur *genuisse filios & filias*, indicatur, numerosam ab ipso sobolem fuisse susceptam. Gen. 5. & 11.

Huc referunt quidam & ea, in quibus fœmininum masculino non formâ quidem, & origine, sed tamen significatione respondet.

Esa. 49: 23. *Et erunt* מְלָכִים *Reges nutritii tui,* וְשָׂרוֹתֵיהֶם *& fœminæ principes eorum* (reginæ) *nutrices tuæ:* quo significatur varium & multiplex studium, quod liberali manu ab omni illustrium hominum genere impendetur in populum Dei seu Ecclesiam.

Jerem. 7: 34. קוֹל חָתָן וְקוֹל כַּלָּה *vox sponsi & vox sponsæ*, hoc est omnis & varius nuptialis plausus ac lætitia. Possunt hæc ad synecdochen speciei referri.

## Canon XXI.

*Neutrum genus quandoque pro masculino usurpatur; quando scil. de persona sermo est.*

PErtinent huc non quædam solùm *nomina neutra*, sed & *pronomina & participia*. In generè igitur ac semel hoc etiam annotasse sufficiat.

Matth. 1. vers. 20. τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν, *id quod in illa* (Maria) *genitum est, ex Spiritu sancto est.* Loquitur Angelus de conceptione Christi in Maria, & nativitate ex Mariâ virgine. Sic & Luc. 1: vers. 35. in ejusdem Angeli verbis ad Mariam: διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, *propterea & quod gignetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*, hoc est, filius ille, quem concipies & paries, *ille sanctissimus;* vocabitur, & verè etiam erit Dei filius. Syrus Interpres: הָנָא הו דמתילד ומנכי *is, qui nasciturus est ex te*, קדישא הו *sanctus ipse, & filius Dei vocabitur.* Bernhardus hom. 1. de laud. virg. emphasin generis neutri sic proponit: *Quod nascetur ex te, filius Dei vocabitur, hoc est, non solum qui è sinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id, quod de tuâ substantia sociabit sibi, ex hoc jam vocabitur filius Dei, quemadmodum is, qui à Patre est, ante secula genitus, tuus quoque à modo reputabitur Filius.*

Matth. 12. ℣. 6. *Dico autem vobis*, ὅτι τοῦ ἱεροῦ μεῖζόν ἐστιν ὧδε, *quia Templo majus est hîc*; hoc est, μείζων, major. Quidam codices legunt in masculino, μείζων sed alteram lectionem in neutro, præter veteres codices, & Theophylactum, confirmant similes loci, vers. 41. *Et ecce* πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε, *plus Jona hîc.* vers. 42. *Et ecce* πλεῖον *plus Salomone hîc.* Loquitur autem in his locis Christus de seipso.

Matth. 18: 11. *Venit enim filius hominis salvare* ἀπολωλὸς, *perditum*, seu, *quod periit*, h. e. hominem perditum, collectivè, vel perditos homines & damnationi obnoxios.

Joh. 1: 47. *Et dixit Nathanael, ex Nazareth potestne* τὶ ἀγαθὸν εἶναι, *aliquid boni esse?* sermo non est, nisi de personis & hominibus. *Aliquid boni*, hoc est, aliquis homo bonus, frugi, & excellens.

Joh. 3. ℣. 6. τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι, καὶ τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος, πνεῦμά ἐστι: *quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est.* Non loquitur Christus de re aliquâ extra hominem: nec de partibus hominis, (ut Cyrillus vult, *carnem* de corpore, *Spiritum* de animâ exponens; & *illius* quidem ex traduce propagationem, *hujus* verò ex nihilo creationem, & ad imaginem Dei reformationem, à Christo intelligi, sentiens) sed per *carnem* totum hominem non renatum, seu ratione carnalis in peccato generationis. Genes. 6. ℣. 3. Esa. 40. vers. 6. Rom. 7. ℣. 18. cap. 8: 1. Per *Spiritum* autem totum hominem renatum, seu ratione spiritualis renascentiæ ad vitam supernam consideratum, intelligit. Neutrum igitur pro masculino personæ ponitur. Eadem ratio verborum, 1 Johan. 5. ℣. 4. πᾶν τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ θεοῦ, *omne, quòd natum est ex Deo, vincit mundum:* hoc est, omnis, qui natus est ex Deo. De hominibus hîc agi, ex vers. 1. & 5. & ex reipsâ patet.

Heb. 7. ℣. 7. *Extra omnem contradictionem*, τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται, *quod minus est, ab eo, quod majus est, benedicitur:* hoc est, minor ab eo, qui major est. De personis

sonis textus loquitur, uti constat. Vide insuper Luc. 16. ℣. 15. Joh. 6. ℣. 39. (conf. v. 40.) 1 Cor. 1: 27, 28.

1 Joh. 1. vers. 1. ὃ ἦν, *quod erat à principio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt, de verbo vitæ, vers. 3. quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis.* Sermo hîc est de Filio Dei incarnato, quem Apostoli viderunt, audiverunt, & manibus contrectaverunt. Socinus hoc negans, argumentum adhibet istud, *neutrum pro masculino nuspiam poni, quando de persona sermo est.* Sed refellunt ipsum exempla jam posita. Et hoc loco neutrum pro masculino poni, collatio cum Johan. 1. ℣. 1, 14. clarissimè demonstrat. Quod hoc loco est, ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς: id Joh. 1. vers. 1. dicitur, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. Quod h. l. est, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὁ ἐθεασάμεθα: id Joh. 1. ℣. 14. dicitur καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ &c. Nec obstat phrasis, περὶ τοῦ λογοῦ τῆς ζωῆς. Est enim vocula περὶ, genitivo juncta, particula memorativa, ut periti Lexicographi notant, & h. l. ad ipsum λόγον τῆς ζωῆς, in assumta humanitate verâ, quâ conspectus, auditus, contrectatus ab Apostolis fuit, considerandum nos ablegat; q. d. de verbo vitæ, & æterno Dei filio loquor, qui factus est θεάνθρωπος, assumtâ humanâ naturâ, non verò de quodam φιλανθρώπῳ seu nudo homine. Quidam locutione istâ scientiam in Apostolis μερικὴν, non ὁλικὴν, partialem, non totalem, innui statuunt, quòd tantum annuncient de verbo vitæ, quantum ipsis patefactum divinitùs, scituque omnibus ad salutem necessarium. 1 Cor. 13: 9, 12.

De loco 1 Pet. 2: 8. In quod & positi sunt.

Tandem huc reducitur à quibusdam locus difficilis. 1 Pet. 2. vers. 8. *His qui offendunt verbo non credentes*, εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν, *in quod & positi sunt.* Beza & alii Calviniani absolutum reprobationis decretum, ex his verbis probare satagunt. *Hæc est hujus loci sententia*, ait Beza, *duo esse Judæorum genera, (Judæis enim scribit Petrus) unum eorum, qui Christum sunt amplexi, quibus Christus est honori: alterum eorum, qui sunt immorigeri, quibus Christus est offendiculo, prout etiam ad hoc ipsum à Deo sunt conditi:* quam phraseos, εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν, vult esse emphasin. Sententiam hanc heterodoxam ut refellant orthodoxi, & his Petri verbis eam haudquaquam contineri astruant, neutrum ὃ pro masculino ὅν positum esse, & ad præcedentem vocem λόγος referri, dicunt. Syrus Interpres disertè hanc sententiam habet: בְּדְלָא מֶתְטַפִּיסִין לְמֶלְתָא דַּלְהָדָא סִימִין hoc est, *quod non acquiescant sermoni, in quem positi sunt.* Quamvis autem exemplis destituamur similibus, quibus scil. neutrum pro masculino ponitur, quando non de persona, ut in superioribus exemplis, sed de verbo vel re agitur (neque enim huc quadrat, quòd in verbis cœnæ Dominicæ dicitur, τοῦτο *hoc est corpus meum* pro ὗτος *hic*, videl. panis, cujus præcessit mentio: nam τοῦτο neutrum h. l. manet, & totum complexum, quod Christus porrigebat, corpus scil. suum pani Sacramentaliter unitum, denotat,) nisi cum Drusio lib. 9. præterit. p. 374. dicere velimus, per λόγον hic intelligi Christum, eo nomine in veteri synagoga vocatum: Res ipsa tamen Scripturæ voci & fidei analogiæ conformis est. E contra verò expositio Bezæ toti Scripturæ sacræ & Dei bonitati ac sanctitati est contraria. Nam 1. impia hæc vox est, Deum condidisse reprobos in hoc, ut sint immorigeri, seu ut Christo ejusque Euangelio, repugnent. *Non Deus volens iniquitatem Tu es*, Psalm. 5. ℣. 5. Vitio Satanæ & inobedientia primorum hominum, natura nostra corrupta & Deo adversa, non verò à Deo optimo ad id condita est, quæ totius Scripturæ vox est. Evitare hoc absurdum cupiens Beza addit: *Justissimus est Deus, qui nullos condemnet, nisi in quibus causam ipsam condemnationis hærentem invenerit. Nam inter decretum Dei, & ipsius decreti executionem, causa damnationis intercedit, eorum videl. improbitas, qui justo Dei judicio damnantur, ita ut nullos nisi seipsos possint accusare.* Verùm hac ratione sibi contradicit: paulò enim antè non ad impios damnatos, sed ad Deum ipsum causam incredulitatis & impietatis retulit, utpote qui ad hoc ipsum (τὸ ἀπειθεῖν) impios condidit seu creavit. Ex qua hypothesi damnati non seipsos, sed Deum, eos creantem ad damnationem & ejus causam, videl. incredulitatem, accusare necessum habent. Res tàm clara est, quàm solem lucere in meridie. 2. *Condi ad aliquid*, ipsius Dei, sine omni hominis culpâ ad hunc finem ordinantis & creantis, consilium & voluntatem significat: *Poni* autem in aliquid, ut maximè de Deo intelligatur, exponi tamen potest de hominis culpâ: ut cùm Rom. 1. Paulus ostendit, ideò aliquos *in reprobum sensum esse datos* (seu *positos*, quod ejusdem significati est) *quòd agnitum Deum non rectè coluerint*, sicque fons impietatis tantæ in hominis culpâ, non in Deo, qui impietatem non vult, residet. Posset etiam dici, quòd à Diabolo, cujus sunt mancipia, ad tam nefarium opus aut conatum sint *positi*, hoc est, directi. Neque enim exprimitur, quòd à Deo positi sint. Subintelligendum igitur ejusmodi agens, cujus hic effectus malus (ad incredulitatem scil. & impie-

impietatem ponere ac dirigere) proprius est, Diabolus scil. Joh. 8. ℣. 44. 2 Cor. 4. ℣. 3, 4. 2 Tim. 2. vers. 26. Quæ cùm ita sint, perperam & malè τὸ *poni* per *condi* seu creari, à Beza exponitur. 3. Videamus autem & locum parallelum, quem adducit Beza, 1 Thess. 5. vers. 9. *ubi in simili prorsus argumento* (inquit) *Paulus electos opponens reprobis; Deus, inquit*, οὐκ ἔθετο ἡμᾶς εἰς ὀργὴν, ἀλλ' εἰς περιποίησιν σωτηρίας, *hoc est, non condidit nos ad iram, sed ad salutis consecutionem, per Dominum nostrum Jesum Christum. Nam certè si nullos Deus ad justam iram condidit, frustrà hoc dictum erit.* Hæc ille, quæ eâdem laborant cum superioribus ἀτοπίᾳ. Præterquam enim, quòd ἔθετο *posuit*, in textu habetur, non *condidit*, quænam quæso consequentiæ ratio: *Deus non posuit nos in iram, sed in salutem: ergò aliquos alios posuit in iram?* Si hæc ratiocinatio valeret, sequeretur etiam in præcedente capite vers. 7. *Non enim vocavit nos Deus ad impuritatem, sed ad sanctificationem:* quod Deus vocet aliquos ad impuritatem. Sed hoc Bezæ forsan absurdum non est, qui *reprobos ad incredulitatem condi à Deo*, dixit. Addo exemplum aliud. Tit. 3. vers. 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum suam misericordiam salvos nos* (Deus) *fecit*. Ergone hinc sequitur: Igitur sunt alii, quos ex operibus justitiæ, quæ faciunt, salvos Deus facit? μὴ γένοιτο. In negationibus quibusdam, si de unà re quid negetur, non statim de alia diversum quid affirmatur. Et à contrario sensu non ducuntur firma argumenta, nisi ubi Scriptura ipsa collectionem talem evidenter ostendit. Plura de expositione Bezæ videantur apud Flacium part. 1. clav. titul. *Ponere*, col 914.

Quid igitur tandem de verbis S. Petri habendum, & quomodò ea rectè intelligenda? Resp. 1. Et si duriuscula videtur expositio, & phrasis insueta, dum neutrum ὅ referre dicitur masculinum præcedens λόγος: tamen recipienda ea potius (utpote Scripturæ sacræ in reipsâ conformis) quàm Calviniana illa, quæ dogma toti Scripturæ non ignotum solùm, sed & extremè contrarium & in Deum blasphemum, infert. 2. Si propriam particulæ *neutri generis* significationem retinere velimus, dici commodè potest, ad præcedentem phrasin referri; non totam, sed partem ejus priorem. Quod sic explico. Tota phrasis præcedens est, οἱ προσκόπτουσι τῷ λόγῳ ἀπειθοῦντες, hoc est, *qui offendunt verbo, non credentes*; seu, qui eo ipso, quod increduli sunt, impingunt in verbum (participia enim Græca causam rei quandoque includunt, Heb. 11. vers. 31. &c.) Igitur phrasis dicta complectitur duo, 1. τὸ ἀπειθεῖν seu *incredulitatem*. 2. τὸ προσκόπτειν τῷ λόγῳ, seu *offensionem in Christo* & sermone ejus sancto. *Prius* causa est, *posterius* effectum. Offensio autem isthæc nihil aliud est, quàm judicium divinum, & pœna horribilis, quam increduli incurrunt ob propriam culpam & contumaciam: quæ significatio τῆς προσκοπῆς patet, tùm ex descriptione ejus Esa. 8. vers. 14, 15. Matth. 21. vers. 44. (quæ loca exactissimè considerentur) *tùm* ex ipsa phraseos, quæ metaphorica est, conditione. Sicut enim, qui in lapidem impingit, læditur & dolorem sentit: Sic qui ad Christum lapidem salutis incredulitate impingunt, insigniter læduntur, & dolores æternos incurrunt. Et notetur benè, quòd vers. 7. præcedenti, τὸ ἀπειθεῖν, ut antecedens, à προσκόμματι, ut consequente, sejungatur. Ad hoc igitur judicium divinum, & pœnas propriâ contumaciâ promeritas utique increduli sunt positi à Deo, justissimo omnis ἀπειθείας vindice, & judice, non antecedentis, sed consequentis & judiciariæ voluntatis respectu. Conf. Epist. Judæ. v. 4. &c.

## *Pseudocanones.*

Antequam ad alia veniamus, *duplicis* regulæ, à quibusdam positæ, facienda est mentio.

1. *Quòd fœmininum pro masculino, ad rei præstantiam significandam, usurpetur.* Præter alios ponit hanc Riebera Jesuita in comment. cap. 1. Haggæi. Verùm destituitur probatis exemplis. In omni lingua decantatum est, masculinum præstantius esse fœminino: ecqui igitur præstantiæ significandæ causâ fœmininum pro masculino, inferius pro superiori, adhiberetur? Producuntur exempla hæc.

Psal. 68. vers. 12. *Dominus dabit sermonem* הַמְבַשְּׂרוֹת *Euangelizatricum exercitus multus*, hoc est, Euangelizantium: innuit enim, præstantissimos prædicatores Euangelii esse à Deo mittendos. Resp. Aut *de præterito*, aut *de futuro* Jehovæ beneficio verba hæc loquuntur. Si *de præterito* (uti ex præcedentibus apparet verbis vers. 8. seqq.) fœmininum genus de fœminis Deo tripudiantibus propriissimè usurpatur. Moris enim erat, in populo Dei ἐπινίκια à choris fœminarum & puellarum cani, ac Deo gratias agi. Exod. 15. vers. 20. Jud. 5. vers. 11. cap. 11. vers. 34. 1 Sam. 18. vers. 6, 7. & in ipso hoc Psalmo 68. vers. 26. Sensus igitur est: *Dominus dabat sermonem; earum, quæ annunciabant*, exer-

*exercitus* erat *magnus*, dicentium, verſ. 13. *Reges exercituum fugiunt, fugiunt, & quæ commoratur domi, partitur ſpolia*, hoc eſt, ipſæ mulieres imbelles partiuntur ſpolia: ut Jud. 5. verſ. 21. Debora canit: *Proculcato anima mea robur*, hoſtium ſcil. auxilio Dei proſtratorum. Si *de futuro*, ſicque de prædicatoribus Euang. in N. Teſt. verba intelligantur, tùm non ad præſtantiam fœminini generis; ſed ad poſitam jam fœminarum in V. Teſt. conſuetudinem Pſaltes ibidem reſpicit. Solent enim Prophetæ de rebus & cultu N. Teſt. phraſibus ſui temporis uti, ſeu talibus, quæ ex Vet. Teſt. conditione, cultu & ritu deſumuntur, ut ſuo loco declaratum eſt.

Eccleſ. 1. verſ. 1. *Salomon dicitur* קֹהֶלֶת *Kobeleth, concionatrix, hoc eſt, elegans & pulcher concionator. Solent enim fœminæ in quoque genere eſſe pulchriores.* Reſp. Fœminina forma קֹהֶלֶת hoc eſt, *congregatrix* (à קָהַל *congregavit*) ad *Sapientiam* referenda, quæ in Salomone erat, & ad quam audiendam homines congregabantur. Videatur R. Aben Ezra in comm. Vel ad *animam* Regis Salomonis, quo pertinet cap. 7. verſ. 27. ubi קֹהֶלֶת cum fœminino verbo אָמְרָה *dicit*, conſtruitur: & verſ. 28. ſubjicitur mentio נַפְשִׁי *animæ: quo amplius quærit anima mea, &c.* Per *animam* igitur *congregatricem*, ſynecdochicè, integra perſona congregantis cœtum Eccleſiaſticum, & ſic *ἐκκλησιαςὴς* notatur, qualem ſe Salomo in hoc libro proponit. Unde cum maſculino verbo אָמַר *dicit*, cap. 1. verſ. 2. conſtruitur: & verſ. 12. de ſe ipſo Salomo dicit: *Ego Kobeleth* (Eccleſiaſtes) *fui Rex ſuper Iſraelem* &c. Pulchritudinis verò fœminarum Spiritus ſanctus (præſertim in θεοπνεύςῳ Eccleſiaſtis hujus animo, cui *vanitas vanitatum, & omnia vanitas in mundo*, cap. 1: 2. etiam ipſa pulchritudo, Prov. 31: 30. הֶבֶל הַיֹּפִי *vanitas eſt pulchritudo*) non adeò rationem habet.

Hagg. 1. verſ. 13. *Et dixit Haggæus NUNCIUS Domini de NUNCIIS Domini;* cui in Hebræo reſpondere ait בְּמַלְאֲכוּת fœmininum pro maſculino emphaticè uſurpatum. Reſp. In gratiam Latinæ verſionis vulgatæ hoc ita dicitur. (Mirum verò, à Druſio etiam, verbis vulgatæ verſionis hoc allegari, & de præeminentiâ explicari, lib. 4. obſerv. cap. 20.) In fonte Hebræo non pluralis, sed ſingularis vox eſt, בְּמַלְאֲכוּת *in legatione Domini*, h. e. cùm legatus à Deo peculiariter conſtitutus fuiſſet ad populum. Chald. בִשְׁלִיחוּת *in miſſione à Jehova.* Et ita etiam R. Salomo explicat. Lutherus, Der die Bottſchafft des Herrn hatte an das Volck.

2 Sanctius Jeſuita in Eſa. 51. adhuc alium de fœminino vice maſculini poſito (in genere, nomina & verba quod attinet) format canonem: *Solet*, inquiens, *Scriptura ſacra, cum quis aliquid facit infirmum & indignum virili pectore atque conſtantia, tùm nomen, tùm genus illi tribuere muliebre.*

*Exempla prioris.* Eſa. 3. verſ. 12. *Populus meus, mulieres dominantur ei.* Sic Homerus Iliad. lib. 2. & lib. 7. ignavos & timidos vocat: Ἀχαιΐδας οὐκ ἔτ' Ἀχαιὺς, hoc eſt, *Achivas, non ampliùs Achivos;* Et hunc imitatus Virgilius: *O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.*

*Exempla poſterioris.* 2 Sam. 13: 39 וַתְּכַל in fœmin. *& luxit David*, alii *& deſideravit David*, & hoc magis muliebre. Verùm & hic ad fœminini generis verbum, nomen הַתַּאֲוָה *deſiderium*, ſubintelligi commodè poteſt, ut ſenſus ſit: *Cùm conſumeret* (id enim וַתְּכַל propriè ſignificat, à כָּלָה *conſumſit*) *Davidem Regem* deſiderium *exeundi ad Abſolonem* &c. Nihil autem virili pectore indignum, vel muliebre & indecens David hîc fecit. Plura de hoc loco infrà dicentur tract. 3. can. 55.

Eſa. 51. verſ. 12. *Ego ego ipſe conſolans vos: quis tu, ut timeas?* Hebr. מִי אַתְּ וַתִּירְאִי *ubi fœmininum adhibetur, quia timere ſine causâ, muliebris eſt ingenii.* Sed an hæc emphaſis fœminini in hoc loco ſit, valdè dubium. Alloquitur Deus Eccleſiam, eamque tùm hîc, tùm aliàs crebrò ut mulierem, ſponſam & uxorem ſuam, introducit, uti Prophetarum lectio pleniùs edocet. Num. 11: 15. Moſes de Deo etiam utitur fœmin. אַתְּ pro אַתָּה *Tu:* quod abſit: ut cauſæ à Sanctio poſitæ adſcribatur. Vide & Deut. 5: 27.

Propiùs accedunt regulæ (ſi quicquam valoris & ponderis ei ineſt) hæc exempla Ezech. 28: 14. אַתְּ *Tu Cerub eras* &c. Loquitur de Rege Tyri, mollitie & voluptatibus diffluente cap. 33: 26. עֲשִׂיתֶן *feciſtis* (vos Judæi) *abominationem* &c.

## De Numero.

a Nota de numero.

HUcuſque de genere, ſequitur accidens nominis alterum, *NUMERUS*. De quo in genere notandum, quod mutatio ejus vocum quandoque ſignificationem etiam mutet, בְּהֵמָה *beſtia*, in plur. בְּהֵמוֹת *beſtiæ*, & ſingulariter *Elephas*. De quo mox plura. שֶׁמֶשׁ *Sol*, in plur. שִׁמְשׁוֹת *feneſtræ*, ſoli expoſitæ, ſeu per quas ſolis radii conclavi illabuntur, Eſaiæ 54. verſ. 12. Sic apud Latinos *Sol*, in plurali *Soles*,

*les*, dies à sole productos significat. *Litera*, in plural. *Literæ* integram Epistolam notant, &c. In specie 1. de singulari, 2. de duali, 3. de plurali quædam monenda.

## Canon XXII.

*Singularis numeri vocibus Scriptura sacra quandoque collectam multitudinem, vel totam etiam speciem exprimit.*

Est hæc quædam enallages species, singularis scil. pro plurali.

Gen. 3. vers. 8. *Et abscondit se homo & uxor ejus à facie Domini Dei, in medio* עץ *arboris horti*, hoc est, arborum. Lutherus in comment. cap. 2. huc refert appellationes *arboris vitæ, & arboris scientiæ boni & mali. Potest hic quæri* (inquit) *an una tantum fuerit arbor, an verò plures? & an scripturæ modo singulare accipiatur pro plurali, sicut nos collectivè vocamus pirum, pomum, notantes speciem, & non individua? Mihi sanè non valdè absurdum videtur, ut intelligamus arborem vitæ, certum spacium in medio paradisi, & ceu nemus quoddam, in quo posita plures arbores ejusdem speciei, arbor vitæ dictæ sint. Sic arborem scientiæ boni & mali etiam possibile est collectivè dici lucum seu nemus, quod fuit tanquam sacellum quoddam, in quo fuerunt arbores multæ ejusdem speciei, nempe arbores scientiæ boni & mali, ex quibus Dominus prohibuit, ne quid comederet Adam, alioqui futurum, ut morte moreretur.* Mathes. in Sareptâ conc. 14. fol. 163. b. **Gott zeunht ihm ein Baum / oder ein Lohlein oder Hain auß / und umbschrenckt den mit seinem Wort / und verbeut seinen vernunfftigen Creaturen / sie sollen nur auß dem verzeuhnten Baum-Garten keine Frucht abbrechen / sondern allda mit ihren Erben zusammen kommen und GOtt ihren Schöpffer und Lehn-HErrn loben und preisen.**

Gen. 49. vers. 6. *In ira sua occiderunt* איש *virum, & pro arbitrio suo avulserunt* שור *bovem*, h. e. viros, boves. Synecdochice autem quivis homines per *viros;* per *boves* verò quævis jumenta intelliguntur, quorum illi occisi, hæc ab urbe veluti avulsa, & pro libidine abducta sunt. Vide cap. 34: 25. seqq.

Exod. 14: 17. *Glorificabor in Pharao, & in omni virtute ejus* ברכבו *in curru ejus & in equitibus ejus*, h. e. in curribus, seu curruum tota multitudine, quæ vers. 7. recensetur. Sic cap. 15: 1, 21. סוס ורכבו *equum & ascensorem ejus projecit in mare*, h. e. omnes equos & equites, quotquot in exercitu suo duxit.

Exod. 23: 28. *Mittam crabronem ante te*, hoc est, crabrones, seu crabonum quasi exercitum, & ערב colluviem, quæ vox cap. 8: 24. de insectis usurpatur.

Lev. 11. ℣. 2. *Hæc est* החיה *bestia, quam comeditis*, h. e. hæ sunt bestiæ, seu hæ sunt bestiarum species, quæ ad esum vobis erunt concessæ.

Num. 21: 7. *Ut recedere faciat* (Jehova) *à nobis* את־הנחש *serpentem*, h. e. serpentum illam fœdam colluviem seu multitudinem, quibus Israëlitæ judicio Dei infestabantur,

Num. 31: 35. *Et anima* אדם *hominis de mulieribus, quæ non cognoverunt concubitum maris*, h. e. animæ hominum, seu homines. Arbor vitæ & scientiæ.

Deut. 20. vers. 19. *Arbor agri*, h. e. arbores.

2 Sam. 19: 41. *Ecce omnis Vir Israel veniebant ad Regem*, h. e. omnes viri.

Psal. 34: 8. *Castra metatur Angelus Domini circa timentes ejus, & eripit eos*, hoc est, castra metantur Angeli. Confer historias Genes. 32: 1. & 2 Regum. 6: 17.

Prov. 17: 22. *Spiritus fractus exsiccat* גרם *os*, h. e. ossa, seu totam ossium compaginem. Sic Prov. 30: 17, 18. Hos. 5: 6.

Esa. 16: 9. (al. 15: 9.) *Evadentibus Moabitis* disponam seu immittam אריה *leonem*, hoc est, leones: & iterum, per synecdochen pro, feras animantes quaslibet.

Jon. 2: 4. ונהר *& flumen circumdedit me*, hoc est, flumina undique in mare se exonerantia. LXX. καὶ ποταμοὶ ἐκύκλωσάν με. Alii pro mari positum esse ajunt, per μείωσιν. Sed Jonas hic suam calamitatem non extenuat.

Apoc. 21: 21. καὶ ἡ πλατεῖα, *& platea urbis erat aurum purum*, hoc est, plateæ. Describitur enim nova & sancta Jerusalem, ut civitas amplissima & maxima, vers. 16.

Huc referunt, quando in scripturis ὁ διάβολος, *Diabolus*, in singulari nominatur, Joh. 8. vers. 44. & ὁ πονηρὸς, *malus ille*. Eph. 6. vers. 16. cùm tamen tota Diabolorum seu malorum spirituum caterva intelligatur. August. lib. 2. locutionis de Exodo, ad cap. 8. de hac loquendi consuetudine sic loquitur: *Nescio, quomodo, per loquendi consuetudinem, imbutis sensibus hominum sæpè plus videtur, quod singulariter, quàm quòd pluraliter dicitur. Nam plus accipitur, cùm dicitur, verbi causâ, est illic miles, quàm, sunt istbic milites: est illic piscis, quàm, sunt illic pisces*, Exempla alia videri possunt Gen. 32: 5. Exod 10: 12. Jud. 4: 5. Job. 14: 1. Esa. 1: 3. cap. 16: 1. Jer. 8: 7. Joël. 1: 4. Matth. 6: 17. Rom. 3: 28. &c.

## Canon XXIII.

*Dualis terminatio Hebraa* ים׳ *non semper dualitatem in re ipsâ infert.*

NAm. 1. Sunt terminatione dualia, ubi rerum dualitas certò ostendi non potest, uti patet ex מַיִם *aqua*, שָׁמַיִם *cœlum*. Quod nomen שָׁמַיִם quidam deducunt ex שָׁם *ibi* & מַיִם *aqua*: alii ex שָׂא *sustine* & מַיִם *aqua*: alii à שָׁאָה *stupere* (in Hithpael) & מַיִם quòd stupendo modo ibi aquæ suspensæ qs. hæreant, donec Dei nutu demittantur. Alii ex אֵשׁ *ignis* & מַיִם *aqua* (In Thalmudistis, de quibus vide Buxtorff. in Lexico.) Alii demum simpliciter ex שָׁם, quod est adverbium loci remoti seu longè distantis, Cœlos sic dici, quia à terra sunt remotissimi: Formam autem dualis denotare ajunt distantiam à terra utrinque æqualem: vel duos mundi polos, circa quos cœlum circumvolvitur. At nihil horum certam dualitatis in cœlo rationem exprimit. In quibusdam à re quadam duali appellatio desumta, ipsa verò res, duali numero expressa, singularis est. Ut צָהֳרַיִם *meridies*, una diei pars, media scil. quæ dualis formam habet, quia diem in duas æquales partes dividit, & geminæ lucis, antemeridianæ & pomeridianæ est medium & quasi interstitium. De voce אָבְנָיִם quod *sellam parturientium* vertunt; Kimchi verò, *uterum*, Exod. 1. vers. 16. Vide doctissimum Fullerum lib. 5. Miscell. sacr. cap. 19.

2. Usurpantur dualia, quæ in se quidem dualitatem notant, per additum autem adjectivum numerale ad pluralitatem manifestò reducuntur.

Lev. 11. vers. 23. *Et omne reptile volucris, cui* אַרְבַּע רַגְלַיִם *quatuor pedes.* 1 Sam. 2. ỳ. 13. *Et fuscinula* שְׁלֹשׁ הַשִּׁנַּיִם *trium dentium*, seu tridens, ein Kreuel mit dreyen Zacken. Ezech. 1. vers. 6. וְאַרְבַּע כְּנָפַיִם *& quatuor alæ unicuique eis.* Zach. 3. vers. 9. שִׁבְעָה עֵינַיִם *septem oculi &c.*

3. Sunt numeralia, quæ duali terminatione efferuntur, & nullam tamen in se duplicationem notant. Quidam hæc nomina accommodare se dicunt ad vocem primam, quæ duplicationem notant, ea verò כִּפְלַיִם est, *duplicia* seu duplo major, Job. 11: 6. Esa. 40: 2.

2 Sam. 12. v. 6. *Et agnam restituat* אַרְבַּעְתָּיִם *quadruplo*, seu *quadruplicatam:* non verò, uti Pagninus, dualis terminationem præcisè attendens, reddit, *bis quadruplicatam:* cui versioni Mosaica constitutio Exod. 22. vers. 1. refragatur.

Prov. 6. vers. 31. שִׁבְעָתַיִם non, *bis septuplum*, sed simpliciter, *septuplum*, significat, uti Pagninus hic, & Esa. 30. vers. 26. vertit. Vel potiùs, adverbialiter, *septies*, uti Junius & Tremellius ex Psal. 12. vers. 7. reddunt: & late hanc versionem confirmat Dn. D. Franzius lib. de interpr. scrip. p. 757. seqq. Vide etiam Sixt. Amama in Antibarb. bibl. lib. 3. p. 897.

De *duali* numero notandum & hoc, *quod in Græco N. Test. textu insuetus sit.* Neque enim vel nomina vel verba dualia reperiuntur. *Et vocula* δύο *duo* (quæ dualis numeri est) semper cum pluralibus nominibus & verbis construitur. Matth. 19. vers. 5. cap. 20. vers. 24. cap. 26. vers. 37. Luc. 5. vers. 2. cap. 9. v. 13. Actor. 21. vers. 33. cap. 19. vers. 34. Observavit hoc Pasor in eruditissimo suo Lexico Nov. Test. voce δύο. Ludov. Vives in lib. 20. August. de C. D. cap. 25. *Antiquissimi Græci duos tantùm habebant numeros, singularem & pluralem. Posteà sequentes dualem addiderunt, quos Latini sequi noluerunt, ut scribit Diomedes Grammaticus: ac sepè Græci Poëtæ plurali pro duali utuntur, ut Homerus* ἀτρείδαι *inquit, cum de Agamemnone loquatur & Menelao tantùm, de quibus uno aut altero ante versu per dualem dixerat* δύο κοσμήτορε λαῶν.

## Canon XXIV.

*Pluralis numerus pro singulari quandoque ponitur, ad denotandum magnitudinem & excellentiam.*

GEenes. 19. vers. 11. *Et viros illos, qui erant ad ostium domus, percusserunt* (angeli) בַּסַּנְוֵרִים *cœcitatibus*, hoc est, summâ & densissima cœcitate. Sic & 2 Regum. 6. ỳ. 18. Vox Hebræa oculorum & cordis tenebras designat, ut Aben-Ezra annotat: tanquam si oculos spinæ injectæ perfoderent, סְנֶה enim *rubus est.*

Job. 40. vers. 10. *Ecce* בְּהֵמוֹת *bestias*, hoc est, bestiarum seu beluarum maximam. Quo nomine *Elephantem* denotari, Interpretes tradunt, quia propter longè amplissimam corporis magnitudinem quasi multarum sit instar, à J. Cæsare Scaligero *bestiarum heros* ob id cognominata. De hac & aliis Elephantis appellationibus, uti & de loco Jobi, ubi is describi-

scribitur, integro, vid. erudite differentem Amama. lib. 3. antibarb. bibl. pag. 684. seqq.

Job. 40:16. בְּשְׁרִירֵי *In umbilicis ventris ejus*, h. e. umbilico forti.

Psal. 22:4. *Atqui sanctus es permanens*, תְּהִלּוֹת *laudes Israelis*, h. e. perfecta laus.

Psal. 42 6, 12. Psal. 34:5. יְשׁוּעוֹת *salutes*, h. e. omnimoda salus.

Psal. 45:16. שְׂמָחוֹת *letitiæ*, h. e. summa lætitia. Vide & Psal 49:4.

Psal. 90:10. *Et si* בִּגְבוּרוֹת *in excellentiis*, seu fortitudinibus, hoc est, si ad summum ventum est.

Prov. 1. vers. 20. חָכְמוֹת *sapientiæ foris recantat*, h. e. sapientia summa seu eximia. Ita & cap. 9. vers. 1. Est autem Christus summa hæc sapientia, de qua hîc & cap. 8. vers. 1. agitur, ipsissima Dei sapientissimi sapientia, in qua reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & intelligentiæ, & per quam sapientiæ rivi in homines diffunduntur verbo. Quamobrem honoris causâ plurali numero dicitur *sapientiæ*, q. d. tota sapientia, & omnis sapientiæ auctor. Ita optimè Junius & Tremellius. Alia pluralis exempla sunt Prov. 5:2. cap. 6:14.

Ecclef. 5:6. *In multitudine somniorum* הֲבָלִים *vanitates*, h. e. maxima vanitas.

Esa. 58:11. *Exsatiabit te* (Jehova) בְּצַחְצָחוֹת *in ariditatibus*, hoc est, in summa ariditate. Vide & c. 59:9.

Thren. 3. vers. 22. חַסְדֵי *benignitates Jehovæ sunt, quod non consumti sumus*, h. e. summa benignitas est. Sic Psal. 86. vers. 2. Græci N. T. scriptores hoc imitati sunt. Rom. 12. ℣. 1. διὰ τῶν οἰκτιρμῶν τοῦ θεοῦ, *per misericordias Dei*, h. e. immensam & infinitam misericordiam. Sic 2 Cor. 1:3.

Ezech. 28. vers. 10. מוֹתֵי *mortibus præputiatorum morieris*, h. e. truculentissima morte. Quamvis ad duplicem mortem, temporalem & æternam, plurali numero respectum haberi, non absurdè dicatur.

Mich. 5. vers. 1. וּמוֹצָאֹתָיו *& egressiones ejus* (dominatoris in Israele, seu promissi Messiæ) *ante principium, ante dies seculi*, h. e. eminentissima & mirabilissima illa generatio divina. Hic simplicissimus hujus loci sensus est. Confer Dn. D. Tarnovium, in exercit. Bibl. p. 41. Quidam Galatinum secuti, libr. 4. de arcan. Cath. verit. cap. 13. plurali numero duplicem Christi nativitatem, æternam & temporalem indicari ajunt: Sed repugnat prædicatum in Hebræo textu, quod ad solam nativitatem æternam pertinet.

Nahum. 2. vers. 6. (al. 7.) *Porta* הַנְּהָרוֹת *fluminum aperientur* h. est fluminis illius maximi, qui vocatur Tigris. Per portas autem hujus fluminis, munitiones intelliguntur, quæ secundùm Tigrim erant. Illarum apertio & dejectio, & sic urbis debilitatio prædicitur. Confer Flacium part. 1. clav. col. 919. in voce *Porta*: ubi ex Diodoro Siculo hoc explicat.

Heb. 9:23. *Ipsa cœlestia* κρείττοσι θυσίαις, *melioribus sacrificiis purgantur*. Sermo est de unico Christi sacrificio.

2 Pet. 3:11. *Quales oportet esse vos*, ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς καὶ εὐσεβείαις, *in sanctis conversationibus & pietatibus*. Denotatur pietas seria & vera, omnibus suis numeris & partibus constans, sine ulla hypocrisi, quam pietatem pro viribus & omni studio sectari nos in Domino, necessum est.

Huc referri possunt ea, quibus abstractum nomen plurale pro concreto seu adjectivo superlativo ponitur. Vide suprà can. 7. in fine.

## Canon XXV.

*Specialius, nomina appellativa, quæ dominium notant, ex proprietate linguæ sanctæ, numero plurali, pro singulari efferuntur.*

ID *ad dignitatem personæ dominantis exprimendam fieri, quidam dicunt. Sed non in omnibus exemplis hæc emphasis animadverti potest. Sunt autem nomina illa,* בַּעַל *&* אָדוֹן, *quorum utrumque dominum seu herum significat.*

Gen. 24:9. *Et posuit servus manum suam sub fœmore Abrahami* אֲדֹנָיו *Dominorum suorum*, h. e. Domini sui.

Gen. 40:1. *Peccarunt pincerna Regis Ægypti, & pistor* לַאֲדֹנֵיהֶם *contra Dominos suos, contra Regem Ægypti*, pro לַאֲדֹנָם contra Dominum suum.

Gen. 42. vers. 30. *Locutus est vir* אֲדֹנֵי הָאָרֶץ *Domini terræ istius nobiscum durè*, h. e. אָדוֹן Dominus. De solo enim Josepho sermo est. Polanus in Syntag. Theol. lib. 3. cap. 3. respectum plurali hac appellatione haberi existimat, ad pluralitatem dominorum & Principum Ægypti, inter quos primus fuerit Josephus. Sed simpliciùs ex idiotismo linguæ hæc ratio appellationis desumitur. Sic 1 Regum 16:24.

Exod. 21. vers. 4. *Si* אֲדֹנָיו *domini ejus dederit ei uxorem*, pro אֲדֹנוֹ dominus ejus. Sic vers. 6, 8.

Ibid. verf. 29. *Et si bos petulcus fuerit anteà, & nunciatum hoc* בְּבְעָלָיו *dominis ejus, & non custodivit eum, & occiderit is virum aut mulierem, bos ille lapidabitur, & etiam* בְּעָלָיו *domini ejus morietur*, hoc est, domino ejus: dominus ejus. Sic. Esa. 1: 3.

## *Nota.*

a De nomine אֱלֹהִים:

a Rabbini huic idiotismo linguæ sanctæ immiscent etiam plurale nomen אֱלֹהִים quod honoris & excellentiæ causà uni & soli vero Deo tribui dictitant, ut ex R. Bechai in princ. Genes. & R. Aben Ezra ad Gen. 1. verf. 1. & aliis apparet. Quos sequuntur ex Christianis etiam interpretibus quidam: & ob hoc personarum pluralitatem nomine isthoc exprimi negant. Bellarm. lib. 2. de Christo cap. 6. Calvinus in cap. 1. Genes. & alii. Sed observa. (1.) Nomen אֱלֹהִים non est nomen appellativum, *sed proprium;* nec in significato suo formali *dominium* seu dominatum notat. Igitur ad hanc regulam, quæ de vocibus *appellativis, dominium significantibus*, agit, referri non debet. Deus quidem est Dominus dominantium, sed dominium illud hâc voce formaliter non exprimitur. אֱלֹהַּ, cujus plurale אֱלֹהִים primitiva vox est, Deum verum designans. Quod si radicem ejus quærere lubet, placet Thomæ Erpenii & Sixtini Amamæ sententia, qui nominis hujus radici seu themati jam inusitato (אלה) notionem adorandi assignant, idque ex Arabismo, in quo אלה *adorare* significat. Unde Arabes Deum quoque *Ilabon* vocant, quia solus adorandus est. Qua etymologia quænam naturæ & gloriæ Dei conformior dari posset? Matth. 4. verf. 11. Certum igitur esto, Elohim per se non denotare dominium.

b Quomodo aliis tribuatur extra Deum.

b Quòd si verò aliis etiam, extra Deum, tribuitur, non ob significationem dominii, sed propter σχέσιν & respectum, quem ad unicum verum Deum habent, idipsum fit. *Judicibus* & magistratibus tribuitur, quòd Dei judicantis & gubernantis vices gerunt: *Angelis*, quòd in ipsis divina ac cœlestis gloria, & per consequens potestas, refulget: *Idolis*, quòd pro Diis habentur à suis cultoribus: & sic δοξαςικῶς, sicut Diabolus *Deus hujus seculi dicitur*, 2 Cor. 4. verf. 4. (2.) Cur nomen hoc plurale in scripturis Deus sibi indiderit, non ex humanæ rationis lacunis, nec ex regulis proprio arbitrio excogitatis, sed ex ipso purissimo veritatis fonte, scripto scil. verbo Dei, eruendum & cognoscendum est. Illud verò Sacrosanctæ Triados personarum, in una simplicissima essentià divinâ, mysterium clarissimè tradit, & voce plurali אֱלֹהִים idem mysterium exprimi, descriptio creatoris Elohim, Gen. 1. & alibi sæpiùs, in scripturis tradita ostendit. Addendum tamen, quòd nomen Elohim proximo significatu personarum *pluralitatem* in Divina essentia innuat, non determinatè *Trinitatem*. Cumque à nostris de hoc nomine divino, & mysterio augusto, satis sufficienterque actum sit, ulteriori explanatione jam supersedemus. Confer inter alios Dn. D. Meisnerum Phil. sobr. part. 2. p. 550. & ex Calvinianis Alstedium in Lex. Theol. cap. 2. p. 100. seqq. Adjunge, si lubet, dissertationem nostram Mosaicæ χρισολογίας primam, quæst. 1.

## Canon XXVI.

*In Nov. Test. etiam quædam vocabula in plurali numero pro singulari usurpantur, vel alicujus eminentiæ causâ, vel simpliciter etiam, sine ejusmodi emphasi, ex solo linguæ usu.*

Voces illæ sunt:

1. Τὰ ἅγια, *sancta*, hoc est, sacrarium, seu sanctuarium, Hebr. 9. verf. 2, 12. quod & ἅγιον dicitur, Sirac. 4. verf. 13. Sic ἅγια ἁγίων *sancta sanctorum*, h. e. sanctum sanctorum, seu sacratissimus Templi locus, Heb. 9: 3. τὸ ἅγιον τῶν ἁγίων in Græca versione Exod. 26. verf. 33. dicitur. Conferatur Drus. lib. 8. præter p. 344.

2. Οἱ αἰῶνες, *secula*, pro mundo. Heb. 1. verf. 2. *Per quem* (Filium) *etiam* τοὺς αἰῶνας, *secula fecit*, h. e. mundum creavit. In verf. 3. explicatio vocis fit per τὰ πάντα, *omnia: Portat omnia verbo virtutis suæ*, h. e. universum mundum. Quæ sustentat, eadem etiam fecit Filius Dei. Sic cap. 11: 3.

3. Ἀνατολαὶ καὶ δυσμαὶ, *oriens & occidens*, plagæ mundi. Matth. 8. verf. 11. *Multi* ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν, *ab oriente & occidente venient*. Sic Luc. 13. verf. 29. Matth. 2. verf. 13. &c. Plurali numero ortum triplicem & occasum triplicem denotari quidam volunt. Distinguuntur enim, juxta Aristotelem de mundo cap. 4. αἱ ἀνατολαὶ in θερινὰς, ἰσημερινὰς καὶ χειμερινὰς, h. e. in ortus æstivos, æquinoctiales & hybernos. Quæ ratio etiam δυσμῶν est.

4. Τὰ

4. Τὰ δεξιὰ, *dextra*, in plural. pro ἡ δεξιὰ *dextra*, in singul. Matth. 26. verſ. 64. *A modò videbitis filium hominis ſedentem* ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, *à dextris virtutis.* Sic & Marc. 16. verſ. 19. Luc. 22. verſ. 69. Act. 1. verſ. 34. Hebr. 1. verſ. 13. In Hebr. Pſal. 110. verſ. 1. ſingularis eſt לִימִינִי quod Heb. 8. verſ. 1. cap. 12. verſ. 2. ἡ δεξιὰ redditur. Marc. 16. verſ. 5. *Introeuntis in monumentum viderunt juvenem ſedentem* ἐν τοῖς δεξιοῖς *in dextris*, h. e. ἐν τῇ δεξιᾷ, in dextra. Quidam ad pluralem hunc ſubintelligunt, τὰ μέρη.

5. Τὰ ἱμάτια *veſtimenta*, pro ἱμάτιον, veſtimentum. Matth. 26. verſ. 65. *Tunc princeps ſacerdotum ſcidit* τὰ ἱμάτια *veſtimenta ſua*, h. e. exteriorem veſtem. Marc. 5. v. 30. *Quis mea tetigit* τῶν ἱματίων, *veſtimenta*, h. e. veſtimentum, uti verſ. 27. ſingularis ponitur. Joh. 13. verſ. 4. *Surgit* (Chriſtus) *à cœna, & ponit* τὰ ἱμάτια *veſtimenta*, h. e. veſtimentum ſeu pallium exterius. Joh. 19. verſ. 23. *milites, cùm crucifixiſſent Jeſum, acceperunt* τὰ ἱμάτια αὐτοῦ *veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes.* Ubi unicum pallium (à quo ὁ χιτὼν, tunica ſtatim diſtinguitur) intelligi, vide demonſtratum in harmon. Euangel. Dn. D. Gerhardi, in hiſtor. paſſ. cap. 14. fol. 683. ſeqq. Actor. 18:6. *Excutiens Paulus* τὰ ἱμάτια, *veſtimenta*, h. e. exteriorem veſtem.

6. Οἱ ὀυρανοὶ, *cœli*, pro τῷ ὀυρανῷ cœlo. Indifferenter ſingularis & pluralis hic uſurpantur. Marc. 12. verſ. 25. *Sunt ſicut Angeli* οἱ ἐν τοῖς ὀυρανοῖς, *in cœlis.* Pro quo Matt. 22. verſ. 30. ἐν ὀυρανῷ ponitur. Conferantur etiam duo loci, Matt. 16. verſ. 19. cap. 18. v. 18. Fruſtrà igitur Alphonſ. à Caſtro tract. adv. hæreſ. Tit. *Papa*, ut & Janſenius in Concord. Euang. cap. 66. Gregor. de Valent. in annal. lib. 7. cap. 2. ex obſervatione Origenis hom. 6. in Matth. primatum Petri ex plurali ὀυρανοῖς, Matth. 16. verſ. 19. in ſermone Chriſti, de clavibus Petro traditis, ſtabilire ſatagunt: quia nimirum poſteà cap. 18. verſ. 18. ad cæteros Apoſtolos loquens Chriſtus, in ſingulari ἐν τῷ ὀυρανῷ uſus ſit. Mirum ſanè, quòd Bellarminus viginti octo prærogativis Petri præ reliquis Apoſtolis, hanc vigeſimam nonam non addiderit, lib 1. de P. R. cap. 17. Sed benè habet: indifferenter in hoc nomine uterque numerus adhibetur, uti exempla alia oſtendunt. Et utrobique שְׁמַיָּא *cœli*, Syrus habet. Meritoque Maldonatus cap. 16. Matth. hoc quicquid eſt, irridet: *Quaſi Petrus* (inquiens) *in omnibus cœlis, alii Apoſtoli in uno ſolvendi poteſtatem acceperint. Hoc Origenes nimis ſubtiliter; quia, in cœlo, idem eſt, quod apud Deum.* Et ſi demum ob pluralem numerum τῶν ὀυρανῶν potestas Petri, reliquorum Apoſtolorum, major eſt: quid de ipſo dicemus Salvatore, qui ſingulari ὀυρανῷ de ſe, ac ſuâ in cœlis παντοκρατορίᾳ uſus legitur Matt. 28:18.

7. Τὰ σάββατα, *ſabbata* pro ſabbatum. Matt. 12. verſ. 1. *In illo tempore abiit Jeſus* τοῖς σάββασι, *Sabbatis*, h. e. ſabbato, uti verſ. 2. habetur. Vide & verſ. 5, 10, 11, 12. Luc. 4. verſ. 16. Actor. 13. verſ. 14. cap. 16. v. 13. Quidam ad idiotiſmum, in canone ſequente, hoc referunt: *Sabbatis*, h. e. uno quodam ſabbatorum. Sed rectiùs pluralis pro ſingulari poſitus eſſe dicitur. Sic in Græca V. Teſt. verſione. Lev. 23. verſ. 32. de die expiationum ſolenni ſcribens Moſes ſic loquitur: שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן הוּא לָכֶם *ſabbatum ceſſationis is eſto vobis.* LXX. vero hoc ſic vertunt; σάββατα σαββάτων ἔςαι ὑμῖν, h. e. σάββατον τοῦ σαββάτου, juxta Hebræum textum. J. Piſcator in Schol. 1 Cor. 16. verſ. 2. σαββάτων ſcriptum videri exiſtimat pro σαββατῶν in ſingulari, ex voce ſcil. Hebræa שַׁבָּתוֹן quæ numeri ſingularis eſt. Sed hanc conjecturam refellit articulus τῶν, genitivo plurali σαββάτων præpoſitus, Luc. 4. verſ. 6. & dativus τοῖς σάββασι: & nominativus ac accuſat. τὰ σάββατα. Vide de his Fullerum in miſcell. ſacr. lib. 2. c. 10. Cæterum in adducto loco 1 Cor. 16. v. 1. uti & Matt. 28. verſ. 1. pluralis τὰ σάββατα, *dies ſeptimanæ* notat, ſeu totam hebdomada, quæ ab una eademque præcipua die denominatur. Luc. 18. verſ. 12. contraria ratione ſingulare τὸ σάββατον, *pro hebdomade tota* ponitur, ſynecdochicè: *Jejuno bis, Sabbato*, h. e. in hebdomade, nempe die ſecundo & quinto, h. e. Lunæ & Jovis. Volumen *jejunii* fol. 54. col. 2. *Amplius decreverunt magiſtri noſtri, ut jejunaretur diebus ſecundo & quinto, propter tres res, videlicet propter deſtructum templum, propter legem conflagratam, & propter probrum Divini nominis.* Vide Caſaubonum in exercit. contra Baronium pag. 63.

8. Notetur demum illud Phil. 2. verſ. 6. ubi *plurale neutrum pro ſingulari* uſurpari videtur τὸ εἶναι ἴσα θεῷ h. e. ἴσον, *æqualem Deo eſſe.* Joh. 5. verſ. 18. Sunt tamen, qui inter has phraſes diſtinguunt, & τὸ εἶναι ἴσον θεῷ, *eſſe æqualem Deo*, ad naturam Chriſti divinam referunt: alterum autem, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ, vertunt, *æqualia* (ipſi Chriſto) *eſſe Deo*, ac non ad naturam & eſſentiam referunt, ſed ad gloriam, majeſtatem, & jus imperii, quod ex unione perſonali ſecundum humanam naturam Chriſtus habebat, verùm tempore exinanitionis eo ſe abdicabat, uſque ad exaltationis glorioſæ ſtatum &c. Vide Dn. D. Paulum Tarnov. in lib. contra Socin. pag. 533. & medita-

ditationes nostras Epistolicas, Dominicâ Palmarum.

## Canon XXVII.

*Pluralis numerus pro uno aliquo incertè indicato quandoque ponitur: seu plurale pro uno ex pluribus.*

IN his ellipsin distributivi אֶחָד *unus*, vel אַחַת *una*, statuunt.

Gen. 8: 4. *Quievit arca* עַל־הָרֵי *super montibus Ararat*, hoc est, uno montium. Vide Junium in notis ad h. l.

Gen. 19: 29. *In evertendo urbes, in quibus habitabat Loth*, h. e. in quarum unâ.

Jud. 12: 7. *Sepultus est in urbibus Gilead*, h. e. in una aliqua urbium.

Neh. 3; 8. *Hanania* בֶּן הָרַקָּחִים *filius pigmentariorum*, h. e. unius ex pigmentariis. Cap. 6: 2. *Conveniamus unâ* בַּכְּפָרִים *in vicis*, h. e. uno seu aliquo vicorum.

Job. 21: 32. *Et ipse* (impius) לִקְבָרוֹת *in sepulcra effertur*, hoc est, in unum ex sepulcris. Sic 2 Paral. 16: 14.

Psa. 1. vers. 3. *Eritque sicut arbor plantata* עַל־פַּלְגֵי מָיִם *penes rivos aquarum*, hoc est, penes aliquem rivorum.

Psa. 19: 5. *Soli posuit tabernaculum* בָּהֶם *in eis*, scil. cœlis, seu orbibus cœlestibus, hoc est, in uno eorum. R. Kimchi.

Jon. 1: 5. *Descendit* (Jona) אֶל־יַרְכְּתֵי *ad latera navis*, hoc est, ad unum è lateribus. Sic Amos 6: 10.

Zachar. 9: 9. *Et super pullum* בֶּן אֲתֹנוֹת *natum asinarum*, h. e. unius ex asinabus.

Matth. 24. vers. 1. *In monte Olivarum, discipuli ostendunt & commendant Jesu structuram Templi*, h. e. unus quidam discipulorum, uti Marc. 13. vers. 1. dicitur. Etsi commodiùs explicari hoc potest, quòd primùm quidem unus ex discipulis ad Christum, sub ipsum Templi egressum accesserit, eique dixerit: *Præceptor, vide quales lapides* &c. ut est apud Marcum: postmodum verò reliqui etiam accesserint, & cum admiratione magnificentiam structuræ Christo ostenderint & commendaverint.

Matt. 24: 26. *Ecce ἐν τοῖς ταμείοις, in penetralibus*, h. e. uno seu aliquo penetralium.

Matt. 26. vers. 8. *Videntes autem discipuli indignati sunt* &c. h. e. unus ex discipulis ejus, Judas Simonis Ischariotes, uti explicatio Joh. 12. vers. 4. traditur. Etsi & hìc verisimilius est, quòd Judas præ reliquis graviùs tulerit & acerbiùs reprehenderit illam, opinione suâ, inutilem profusionem; cujus exemplum quidam ex discipulis, ut Marcus habet cap. 14. vers. 4. fuerint secuti, quibus de Judæ avaritia & furtis nondum constabat, cùm speciosum prætextum pauperum scil. curam, suæ reprehensioni obduceret.

Matt. 27. vers. 43. *Idipsum autem & Latrones, crucifixi cum eo, exprobraverunt ei*, h. e. alteruter, seu unus ex latronibus, uti exponitur Luc. 23. vers. 39. Sunt, qui asserunt, Matthæum ideò in genere loqui voluisse, ut doceret, omnium conviciis Christum fuisse obnoxium, ut ne latrones quidem ei jam semimortuo parcerent.

Marc. 1. vers. 2. & Joh. 6. vers. 45. *Scriptum est in Prophetis*, h. e. in aliquo Prophetarum, nempè *prius*, Mal. 3: 1. *posterius* Esa. 54: 14.

Actor. 13: 40. *Ne vobis superveniat, quod dictum est in Prophetis*, hoc est, in uno Prophetarum, nempè Habac. 1: 5.

## De Casu.

TAntum de genere & numero: Sequitur tertium nominis accidens, *Casus*, de quo regulis duabus sequentibus.

## Canon XXVIII.

*Nominativus in oratione ponitur quandoque absolute, ut vim integri membri in sententia absolvat; & de illo certum quid postmodum prædicetur.*

FIt illud tùm in *nominibus*, tùm in *pronominibus*. In *nominibus*.

Psa. 11. vers. 4. *Dominus; in cœlis* est *sedes ejus*.

Psa. 18. vers. 31. *Deus, perfecta* est *via ejus*.

Psa. 104. vers. 17. *Ciconia; abietes* sunt *domus ejus*.

Eccl. 2. vers. 14. *Sapiens; oculi ipsius* sunt *in capite ejus*.

Es. 11: 10. *Radix Jesse, quæ stat in vexillum populorum; ad illam gentes requirent*.

Hose. 9. vers. 11, *Ephraim; ut avis avolat gloria eorum*.

Hose. 12. vers. 7. *Mercator; in manu ejus* sunt *bilances doli*.

Nah.

Nah. 1:3. *Dominus; in tempestate & turbine via ejus.*

Exempla hæc per pleonasmum relativi, concurrentis cum suo antecedente aliqui explicant, ut sensus simplex sit: Sedes Domini in cœlis est. Via Dei perfecta est. Domus ciconiæ abietes sunt. Oculi sapientis sunt in capite ejus. Ad radicem Jesse gentes requirent. Gloria Ephrajimi ut avis avolat. In manu mercatoris sunt bilances doli. Via Domini in tempestate & turbine est. Sed videtur in priori locutione elegantia esse major. Vide & infra de pronomin. cap. 25. §. 2.

In N. T. hoc sensu & *nominativus* & *accusativus* usurpatur.

Nominativus. Actor. 7: 40. *Moses hic, qui eduxit nos de terra Ægypti; nescimus quid factum sit ei.*

Apoc. 2:26. καὶ ὁ νικῶν, *& qui vicerit & custodierit usque ad finem opera mea; dabo illi potestatem super gentes.*

Apoc. 6: 8. καὶ ὁ καθήμενος, *& qui sedebat super eum; nomen illi Mors.*

Accusativus. Matth. 21. vers. 42. λίθον, *lapidem quem reprobaverunt ædificantes; hic factus est in caput anguli*, q. d. quod ad lapidem attinet.

Actor. 10. vers. 36. τὸν λόγον, *verbum, quod misit* (Deus) *filiis Israel &c.* q. d. quod attinet sermonem. Beza μετάθεσιν relativi hoc loco statuit, ut sit pro, ὃν λόγον ἀπέστειλε, *quem sermonem misit seu significavit &c.* (uti & in præcedente, Matth. 21. vers. 42. ὃν λίθον, *quem lapidem reprobaverunt &c.*) & cum superioribus sic connectit: Nunc demum, inquit Petrus, reipsâ deprehendo, quicunque benè ac religiosè vivat, sive Judæus sit, sive ex alia quavis gente, gratum esse Deo. Id quod significavit Israelitis, cùm annunciaret pacem ac reconciliationem Dei hominibus per Jesum Christum, qui non unius gentis, sed omnium Dominus est. Confer Rom. 1. vers. 16. c. 3: 29. Eph. 2: 14. Hæc connexio perquàm congrua est.

*In pronominibus separatis*, similis nominativi absolute & emphaticè positi locutio occurrit.

1 Paralip. 28. vers. 2. *Ego; cum animo meo fuit ædificare domum quietis, arcæ fœderis Domini.*

Esa. 59:21. *Ego autem; hoc erit fœdus meum cum eis.*

Esa. 66:18. *Ego autem; cùm operum cogitationumque ipsorum quæque advenerit &c.*

Concisa est locutio, quam Latini similiter vel ellipticè efferunt; *de me, de me autem* &c. vel plenè: *ad me quod attinet, quod me concernit* Sic in N. Test. 1. Joh. 2. vers. 27. καὶ ὑμεῖς, *& vos: unctio, quam accepistis ab ipso, in vobis manet.* Quidam trajectionem statuunt, quasi dictum sit, καὶ τὸ χρίσμα, ὃ ὑμεῖς ἐλάβετε.

## Canon XXIX.

*Casuum inter se non rarò enallage seu permutatio occurrit. Præcipuè autem usurpatur*

### 1. *Nominativus pro vocativo.*

MAtth. 1:20. Ἰωσὴφ υἱὸς Δαβὶδ, *Joseph, filius David*, h. e. filii

Matth. 27:29. Χαῖρε ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, *salve Rex Judæorum*, h. e. ὦ Rex. Videantur etiam Marc. 10: 47. Luc. 8: 54. c. 12: 32. c. 18: 13.

Rom. 8. vers. 15. *Accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus*, Ἀββᾶ ὁ πατὴρ, *Abba pater* (in nomin.) h. e. ὦ pater. Sic & Galat. 4. vers. 6. Cæterùm iteratione vocis patris, attentior in Deum affectus, & major fiducia significatur. Vel simpliciter etiam, explicandæ Syriacæ vocis causà, Græcum nomen adjectum est, ut ex Marc. 14. vers. 36. patet, ubi Christi orantis eadem verba: Ἀββᾶ ὁ πατὴρ. Cùm igitur Christus non Græcè, sed Syriacè locutus sit, patet, explicandæ Syriacæ vocis causâ, Græcum nomen esse ab Evangelista adjectum. Quæ ratio in Paulinis etiam adductis locis videtur esse.

Ephes. 6. vers. 1. τὰ τέκνα, *filii obedite parentibus vestris*, pro, ὦ τέκνα, ὦ filii. Sic & vers. 4.

Tale est in Ps. 51. vers. 2. Græcâ versione: ἐλέησόν με, ὁ θεός, κατὰ τὸ μέγα ἔλεός σου, *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.*

In profanis. Homer. Il. 3. Ζεῦ πάτερ, ἠέλιος θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις. *Jupiter pater, & Sol, qui omnia vides, & omnia audis;* pro ἠέλιε. Lucanus: *Degener ô populus*, pro popule. Virgil. 1. Æneid. *Adsis lætitiæ Bacchus dator*, pro Bacche.

### 2. *Accusativus cum particula* את *pro nominativo.*

Possunt tamen quædam exempla, quæ adduci hic solent, aliter etiam explicari.

Nehem. 9. vers. 19. את־עמוד *Columnam nubis,*

*bis, non recessit ab eis interdiu*, hoc est, columna.

1 Sam. 17. v. 34. *Et venit Leo*, וְאֶת־הַדּוֹב *& ursum*, h. e. &. ursus. Alii אֶת h. l. *cum* significare dicunt: *venit Leo, etiam cum urso.* Chaldæus nominativum retinet, וַאֲתָא אַרְיָא וְאַף דּוּבָא *Et venit Leo, & etiam ursus.* Sic & Lutherus, Pagninus, Ariæmont. Junius.

2 Reg. 6: 5. *Et fuit, uno dejiciente trabem*, וְאֶת־הַבַּרְזֶל *& ferrum cecidit in aquam.* Kimchi & hic אֶת pro *cum*, accipit: *Et trabs cum ferro cecidit in aquam.* Junius hunc sequitur. Hac ratione ex præcedente membro nomen, *trabs*, repetendum.

Daniel. 9: 13. אֵת כָּל־הָרָעָה *omne hoc malum* (in accusativo) *venit super nos.*

Amos 9. vers. 12. *Ut possideant* אֶת־שְׁאֵרִית *residuum Edom* &c. Ita per nominativum redditur in allegatione Actor. 15. vers. 17. ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸν Κύριον &c. Verùm satius est, accusativi significationem his verbis cum Chaldæo interprete amplecti, ut Israëlitæ possessuri dicantur reliquias Edomi, non vice versâ, hæ illos. Junius אֶת per *cum* vertit: *ut hæredes sint cum reliquiis Edomi, & omnibus gentibus, quæ vocantur de nomine meo:* h. e. ut non tantùm Judæi, verùm etiam gentes reliquæ communi cum illis hæreditate perfruantur, & communem patrem hæreditatis suæ donatorem invocent: ex Actor. 15. vers. 17. Hæc ille. In ipsâ hujus prophetici dicti allegatione Actor. 15. vers. 17. Græca à fonte Hebræo in aliquibus discrepant: sunt enim ex LXX. Interpretum versione transsumta, qui pro יִירְשׁוּ *possidebunt*, legerunt, יִדְרְשׁוּ *requirent*, (unde illud, ἵνα ἐκζητήσωσι:) pro אֱדוֹם *Edom* legerunt, אָדָם *homo* (unde illud τῶν ἀνθρώπων) & addiderunt vocem κύριον, ut sententia esset plena.

Hagg. 2: 17. (al. 18.) וְאֵין אֶתְכֶם אֵלַי *& non vos ad me.* Ubi pronomen accusativi casus pro nominativo est. Thargum וְלֵיהִיכוֹן תָּיְבִין לְפוּלְחָנִי *& non vos versi ad cultum meum.* Junius. *Et nullus apud vos ad me* scilicet venit: אֶת pro *apud* accepto.

Proferuntur & exempla alia ex Neh. 9. v. 34. Jere. 33. vers. 24. (videatur Kimchi in h. l.) Ezech. 39: 14. &c. Sed & hæc explicari commode sine enallage queunt. Huc referri possunt.

1. Quando nomen cum particula אֶת nota accusativi casus, passivis verbis additur, qui Latinè per nominativum exprimendus. De quo inferius tract. 3. de verbo, can. 40.

2. Quando nomen cum præfixo ל verbo substantivo additur, & nominativi vicem sustinet. Vide ibid. can. 42.

3. Quando præpositio ל *in* vel *ad* significans, redundat, & nominativus simpliciter intelligitur. Vid. l. 4. tr. 1. observ. 6. de præfixo ל in fine.

4. Quando nomen sequitur casum sui relativi, qui quandoque accusativus est. Vide tr. 2. de pron. can. 20.

## DE REGIMINIS STATU.

HActenus de genere, numero & casu: sequitur accidens nominis quartum, videl. *status regiminis.* Is autem est (ut vulgariter & planissimè loquar) in illa vocum constructione, *quando substantivum cum substantivo, genitivo casu jungitur.* Singularis hic ratio Hebraismi est. *Substantivum* enim *rectum*, quod in genitivo casu exponendum est, Hebræis manet invariatum: *Substantivum* autem *regens* (quod etiam quandoque adjectivum est) seu prius, variationi, tùm quoad literas, tùm quoad puncta vocalia, subjacet. De quo Hebræorum Grammatici consulantur. Cæterùm in regiminis hoc statu, præsentem quod scopum attinet, *quinque* observanda sunt. 1. Idiotismus. 2. Pleonasmus. 3. Ellipsis. 4. Enallage. 5. Hypallage. *Idiotismus* occurrit, tùm *in genere*, tùm *in specie*.

*In genere*. 1. ratione *significationis*. 2. ratione *constructionis*. De *significatione* Canone 30. De *constructione* sequentibus.

## Canon XXX.

*Nomen rectum, seu genitivi casus, ratione usus & significationis, non est uniforme, sed varium.*

POtest usus genitivi (uti & *pronominis relativi & possessivi*, quod parem in hoc cum genitivo nomine conditionem obtinet, & ita simul h. l. considerandum est) ad has ferè argumentorum classes referri, quod denotet

1. Can-

1. *Causam efficientem.*

Deut. 32: 19. *Et vidit Jehova, & sprevit eos,* מִכַּעַס בָּנָיו וּבְנֹתָיו *pra indignatione filiorum suorum & filiarum suarum;* hoc est, quam filii ejus & filiæ ejus effecerunt, malefactis suis Deum irritando. Filios autem hìc dicit respectu vocationis, quos ratione vitæ impiæ vocavit *non filios*, v. 5.

Esr. 3: 7. כְּרִשְׁיוֹן כּוֹרֶשׁ *secundum facultatem Cyri Regis Persidis super ipsos*, h. e. à Rege Persidos, Cyro, ipsis datam.

Job. 14: 1. *Homo* יְלוּד אִשָּׁה *natus mulieris*, hoc est, de muliere: Sicut & γεννητοὶ γυναικῶν Luc. 7: 28. dicuntur.

Esa. 1: 7. כְּמַהְפֵּכַת זָרִים *secundum subversionem alienorum*, h. e. quam alieni inferunt. Aliàs huic nomini genitivus additus, objectum notat, Deut. 29: 23. כְּמַהְפֵּכַת סְדֹם *secundum subversionem Sodomæ* &c.

Esa. 43. verf. 10. (al. 42. verf. 35.) *Ut intelligatis, me ipsum esse, ante me non esse* נוֹצַר אֵל *formatum Dei, & post me non futurum* quicquam, h. e. formatum à Deo. Sensus est, ut intelligatis, omnia per me fieri, & sine me nihil fieri eorum, quæ fiunt, neque futurum esse unquam. Ita Junius LXX. Vulg. & Luth. æquè commodè reddunt: *ante me non est formatus Deus, & post me non erit.* Sic enim נוצר præteritum Niphal est. Prior autem sententia (quæ & R. Jos. Kimchi est) vocem illam pro participio præsenti נוֹצָר (cametz in pathach, ob statum regiminis commutato) accipit. Chaldæus periphrasi utitur: *Ut intelligatis, quia ego sum ab initio, & secula seculorum mea sunt, & absque me non est Deus.*

Esa. 53. verf. 4. *Et nos reptuavimus ipsum plagâ affectum,* מֻכֵּה אֱלֹהִים *percussum Dei*, h. e. à Deo. Bellarminus lib. 2. de V. Dei cap. 2. §. argumentum quarum &c. legit, *percussum Deum.* Probaturus enim, Judæos in odium Christianorum scripturas non falsâsse: argumentum inter alia desumit inde, quod si hoc facere voluissent, sine dubio præcipua vaticinia sustulissent. Id quod tamen minimè fecerunt, siquidem codices Hebræi magis Judæos sæpè vexant, quàm Græci aut Latini. Ubi exempli gratiâ & h. l. adfert. Esa. 53. (inquit) ubi nos habemus: *Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum.* In Hebræo legi potest, *percussum Deum & humiliatum*, quod certè magnum negocium Judæis facessit, qui Christum futurum esse Deum non credunt. Hæc ille, quæ tamen minùs solida sunt. Ponitur enim מֻכֵּה non in statu absoluto, (qui מֻכֶּה cum Sægol esset) sed regiminis seu constructo, unde genitivum sequi nomen necessum est. Mira verò sunt, si vera, quæ Sanctius Jesuita in hoc loco scribit: *Addam hìc* (inquiens) *quod Payva* (Andradius) *dicit lib. 4. defens. Trident. fidei, plurimos ex Africanis Judæis ejuratâ parentum suorum religione, relictis opibus, quas habuere copiosissimas in patria, & loco atque ordine, quem apud suos habuerunt amplissimum, amplexos fuisse Christiana Sacra, adductos cùm toto hoc capite, tùm maximè iis verbis,* מכה אלהים ומענה. *Nam cùm illos sæpiùs interrogaret Payva, quid eos in eo capite adeo torserit, ut negare non potuerint, vera esse, quæ de Christo Jesu filio Dei à Christianis traduntur, illud repetebant semper: Mucceh Elohim umeunneh, h. e. percussus Deus & humiliatus.*

Esa. 54: 13. *Et omnes filii tui* לִמּוּדֵי יְהוָה *edocti Jehova*, hoc est, à Jehova. Confer etiam Joh. 6: 45.

Ezech. 1: 1. מַרְאוֹת אֱלֹהִים *visiones Dei*, h. e. à Deo oblatas.

Hagg. 1: 13. *In missione Jehova*, h. e. à Jehova, qui locus antè fuit expositus.

Matth. 25: 34. *Venite οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, benedicti patris mei*, hoc est, à patre meo. Confer Eph. 1: 3.

Joh. 12. verf. 43. *Dilexerunt τὴν δόξαν ἀνθρώπων gloriam hominum magis, quàm τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ, gloriam Dei*, h. e. gloriam ab hominibus, &, à Deo. Sensus est, ab hominibus potiùs, quàm à Deo glorificari expetierunt. Patet hæc explicatio ex cap. 5. verf. 44. Vide Dn. D. Gerh. harm. Euang. part. 1. pag. 607.

Rom. 3. verf. 23. *Omnes enim peccarunt, & destituuntur τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, gloria Dei*, h. e. quæ à Deo collata est, vel conferetur. *Collata est*, videlicet in prima creatione, quando homo ad imaginem Dei conditus fuit, quæ consistit in justitia & sanctitate veritatis. Ephes. 4. verf. 24. *Conferetur*, videlicet in æterna vita, uti Rom. 5: 2. cap. 15: 7. accipitur. Utraque homo naturâ destituitur, est enim *naturâ filius iræ*, Ephes. 2: 3.

Sic *justitia Dei* Rom. 1. verf. 17. est, quæ à Deo misericordissimo Patre propter Christum homini confertur seu imputatur per veram fidem. August. serm. 2. de verbis Apostoli: *Quomodo dicitur, Domini est salus, non qua salvus est Dominus, sed quam dat eis, quos salvos facit: & Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum, justitia Dei dicitur, non qua justus*

 *est*

*est Dominus, sed qua justificat eos, quos ex impiis justos facit.* De hac *justitiæ Dei* appellatione ita Lutherus in comment. Gen. 42. fol. 632. *Secundum Latinam Grammaticam & Græcam, justitia Dei intelligitur, quâ ipse justus est. Sed hæc expositio obscura est, & infert caliginem universo textui Scripturæ sanctæ. Sin passivè accipitur, tùm est salus & consolatio nostra. Significat enim justitiam Dei, quâ ego justificor divinâ misericordiâ &c. Olim ego, cùm legendum & orandum esset illud Psalmi* (31:2.) *in justitiâ tuâ libera me, totus exhorrescebam, & ex toto pectore vocem illam oderam: Ne me liberes, cogitabam, tuâ justitia, quâ tu justus es, activè: Passivè igitur accipienda est justitia, quâ ego justificor &c.* Ubi notandum, terminum, *passivè*, respectu hominum justificatorum dici; respectu Dei autem justificantis, *activè* accipitur. Et sic Flacius de eadem *justitiæ Dei* appellatione loquitur: *Dicitur* (inquit) *justitia Dei aliàs passivè, quâ ipse est justus, & est propriè legalis justitia: aliàs activè, quâ nos justificat, & est Euangelica, ac significat meritum filii ejus per imputationem ad nos translatum.* Clave Script. part. 2. col. 230.

Huc pertinent exempla, quibus *nomina Dei epitheti loco adjunguntur nominibus*. De quo suprà can. 17. §. 3.

*In pronomine relativo & possessivo.*

Psal. 2. vers. 6. *Et ego inunxi* מַלְכִּי *Regem meum*, h. e. qui à me est (loquitur cœlestis Pater de Filio suo unigenito) *tùm* ratione æternæ generationis, vers. 7. *tùm* ratione missionis ad officium sacrosanctum. Sic Zachar. 13. vers. 7. *Gladie, evigila,* עַל־רֹעִי *super pastorem meum.* Ubi ἐξηγήσεως causa subjungitur: וְעַל־גֶּבֶר עֲמִיתִי *& super virum mihi proximum*, quasi dicat, qui est alter Ego, qui est in sinu meo, Johan. 1: 18. qui est character hypostaseos meæ, & splendor gloriæ meæ, Hebr. 1: 3.

Psal. 37. vers. 22. *Qui* מְבֹרָכָיו *benedicti ejus hæreditabunt terram:* וּמְקֻלָּלָיו *& maledicti ejus exscindentur*, h. e. benedicti ab eo: maledicti ab eo.

Prov. 9: 18. *In profunditatibus sepulcri esse* קְרֻאֶיהָ *invitatos ejus*, h. e. ab eo.

Ezech. 21: 33. (al. 28.) *Sic ait Dominus de Ammonitis* וְאֶל־חֶרְפָּתָם *& de opprobrio illorum*, videl. quo meos indesinenter affecerint. Confer cap. 25: 6. & Zephan. 2: 8.

*Efficienti causæ* addendum, quod genitivus quandoque etiam *instrumentalem causam* designet. Esa. 33: 21. אֳנִי־שַׁיִט *navis remi* seu remorum, hoc est, remis impulsa. Remi enim instrumenta sunt nautica.

2. *Causam materialem.*

Genes. 3. vers. 21. *Et fecit Dominus Deus Adamo & uxori ejus* כָּתְנוֹת עוֹר *tunicas pellis*, h. e. pelliceas. Chald. ut genitivum subjecti exponit: *Vestes honoris super cutem carnis eorum.*

Gen. 6: 14. *Fac tibi* תֵּבַת עֲצֵי־גֹפֶר *arcam lignorum Gopher*, h. e. ex lignis illis.

Jud. 7: 13. לֶחֶם שְׂעֹרִים *panis hordeorum*, h. e. hordeaceus.

Psal. 2: 9. *Confringes istos* בְּשֵׁבֶט בַּרְזֶל *virgâ ferri*, h. e. ferreâ, &c.

3. *Causam finalem.*

Psal. 35: 16. לַעֲגֵי מָעוֹג *sanniones placentæ* vel *cibi*, hoc est, parasiti, qui gulæ causâ aliis adulantur.

Psal. 44. vers. 23. *reputati sumus* כְּצֹאן טִבְחָה ὡς πρόβατα σφαγῆς, Rom. 8. vers. 36. *ut pecus seu oves mactationis*, h. e. mactationi destinatæ.

Psal. 102: 21. *Ad solvendum* בְּנֵי תְמוּתָה *filios mortis*, h. e. ad mortem destinatos.

Jerem. 50: 28. נִקְמַת הֵיכָלוֹ *ultionem templi ejus*, h. e. quæ ab hostibus sumetur, pro salute Templi sui seu Ecclesiæ.

Johan. 6. vers. 29. *Hoc est* τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ, *opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*, hoc est, opus seu actio in solius Dei gloriam cedens, & propterea ipsi verè gratum & acceptum, videlicet propter Christum, quem fides amplectitur.

2 Cor. 1. vers. 5. παθήματα χριστοῦ *passiones Christi*, h. e. ad gloriam Christi toleratæ. Dicuntur etiam *Christi, à causa efficiente*, quia ob Christi confessionem tolerantur, quemadmodum Paulus in vinculis se vocat δέσμιον χριστοῦ, *vinctum Christi*, Eph. 3. vers. 1. h. e. propter confessionem & prædicationem doctrinæ de Christo: Et *à subjecto*, quia ea Christus caput mystici sui corporis sibi appropriat. Actor. 9: 4. Coloss. 1: 24. quo respectu Paulus se δέσμιον ἐν κυρίῳ, *vinctum in Domino* vocat, Eph. 4: 1.

1 Pet. 2: 19. *Conscientia Dei*, h. e. quæ pura retinetur in honorem Dei, seu quæ ad verum ejus cultum solicitè observatur, ne peccatis & impietate gravetur. Beza: quòd ei sit religio Deum offendere, cujus voluntate intelligit hoc onus sibi impositum.

4. *Effe-*

### 4. Effectum.

Gen. 2. verf. 9. עֵץ הַחַיִּים *lignum vitæ*, h. e. quod vitam operabatur & conservabat, Dei instituto, integram semper & incolumem. August. lib. 13. de C. Dei. cap. 20. *Quæ* (corpora primorum hominum) *licet senio non veterascerent, ut necessitate perducerentur ad mortem, qui status eis de ligno vitæ, quod in medio Paradisi erat, mirabili Dei gratiâ præstabatur.* Et p. p. *De ligno vitæ propterea gustabatur, ne mors eis undecunque surreperet, vel senectute confecti, decursis temporum spaciis, interirent.*

Psal. 4: 2. אֱלֹהֵי צִדְקִי *Deus justitiæ meæ*, hoc est, qui tueris justam causam meam.

Psal. 55. verf. 9. *Ventus profectionis*, hoc est, qui omnia proficisci facit. Vide can. 8. §. 2.

Psal. 65. verf. 12. *Coronas* שְׁנַת טוֹבָתֶךָ *annum bonitatis tuæ*, hoc est, cui benefacis, vel quo hominibus bonitatem tuam in natura abundè exhibes.

Esa. 9. verf. 6. שַׂר שָׁלוֹם *Princeps pacis*, h. e. qui pacem (cœlestem) promeretur, efficit, confert.

Esa. 11. verf. 2. רוּחַ חָכְמָה *Spiritus sapientiæ, & intelligentiæ, Spiritus consilii & roboris: Spiritus scientiæ & timoris Domini*, h. e. qui hæc χαρίσματα gratiosa in credentibus Christo unitis efficit: in quo Salvatore plenissima donorum horum abundantia residet.

Esa. 53. verf. 5. מוּסַר שְׁלוֹמֵנוּ *disciplina pacis nostræ super eum*, h. e. quæ promeretur & dat nobis pacem. Quidam codices in plurali legunt, שְׁלוֹמֵינוּ ut sit, *castigatio retributionum nostrarum*, (uti illud plurale nomen usurpatur Psal. 69. verf. 23.) h. e. castigatio, quæ peccatorum nostrorum est justa retributio, seu quæ justæ retributionis ac pœnæ loco ob peccata nostra super nos venire debebat, venit super eum (Christum.) Benè Sanctius in h. l. *Disciplina retributionis nostræ super eum, id est, supplicium, quod nos retribuere ac rependere debuimus pro peccatis nostris, super eum imposuit Deus, id est, quicquid pœnarum Deus à nobis exigere debuit pro peccatis, id ab innocente Filio Pater exegit.*

Luc. 1: 69. *Et erexit* κέρας σωτηρίας, *cornu salutis*, h. e. salutem præstans. Per *cornu* autem, ἀνθρωποπαθῶς sic dictum, potentia Dei in Christo, nostram ad salutem se exerens gloriosissimè, intelligitur.

Rom. 5: 18. εἰς δικαίωσιν ζωῆς *in justificationem vitæ*, h. e. quæ vitam operatur. Sic & *verba vitæ æternæ* dicuntur sermones Christi, Joh. 6: 68.

### 5. Subjectum recipiens.

Deut. 16: 17. *Quisque* כְּמַתְּנַת יָדוֹ *secundum donum manus ipsius*, h. e. donum Dei manui ipsius collatum: seu prout donatum est manui ejus. Confirmatur hæc expositio verbis statim sequentibus.

Esa. 55: 3. חַסְדֵי דָוִד *beneficentiæ* seu *beneficia Davidis*: h. e. David à Jehova promissa, Act. 13: 34. redditur, τὰ ὅσια Δαβὶδ, *sancta Davidis*, ex LXX. Interpretibus. Intelligitur promissio de Filio in æternum regnaturo, seu de Messia & Servatore mundi, ex prosapia Davidis nasciturο.

Jerem. 49: 36. נִדְּחֵי עֵילָם *depulsi Elami*, h. e. ex Elamo.

Dan. 4: 14. בִּגְזֵרַת עִירִין *In decreto vigilum verbum hoc, & in sermone sanctorum decretum hoc &c.* h. e. in decreto vigilibus (angelis) & sermone sanctis (iisdem angelis) facto & manifestato, Confer v. 21. Et consule Junium tom. 1. operum col. 1201.

Luc. 21: 4. *Dona Dei*, h. e. quæ Deo dicantur & consecrantur. Ubi metonymicè ipsum gazophylacium intelligitur. Aliàs δῶρον θεοῦ est, quod Deus donat, Ephes. 2: 8.

Actor. 7: 30. ἐν φλογὶ πυρὸς βάτου *in flammâ ignis rubi*, hoc est, in rubo visi.

Apoc. 14: 12. *Patientia sanctorum*, h. e. quæ in sanctis seu credentibus est. Sic *volucres cœli* dicuntur Matth. 6: 26. quia in cœlo seu aëre volant. Ibidem v. 28. *Lilia agri*, quia in agro seu terra crescunt.

### 6. Subjectum occupans, quod objectum vocant.

Jud. 5: 11. צִדְקוֹת פִּרְזוֹנוֹ *de justitiis* seu *justis operibus pagi ejus*, h. e. erga paganos ejus. Præcedit, *de justis operibus Jehovæ*, ubi genitivus efficientem notat.

Psal. 149: 6. רוֹמְמוֹת אֵל *exaltationes Dei*, h. e. laudationes exaltantes DEUM.

Prov. 1: 7. יִרְאַת יְהוָה *timor Domini*, h. e. quo Dominus filialiter timetur. Sic Psal. 5: 8. Psal. 111. ult.

Esaiæ 3. verf. 14. גְּזֵלַת הֶעָנִי *rapina pauperis in domibus vestris est*, h. e. pauperi erepta & ablata.

Daniel. 4: 27. (al. 24.) מִחַן עֲנָיִן *gratia afflictorum*, hoc est, erga afflictos.

Joël. 4. v. 19. (al. 3: 24.) מֵחֲמַס בְּנֵי יְהוּדָה *propter violentiam filiorum Judæ*, h. e. filiis Ju-

dæ illatam, Sic & Hab. 2. verf. 8.

Zac. 9. verf. 1. *Jehova* (eft) עֵין אָדָם *oculus hominis*, h. e. refpectans homines. Periphrafis providentiæ divinæ de hominibus. Lutherus. **Der HERR schauet auf die Menschen.**

Matth. 9: 35. *Euangelium regni*, h. e. de regno Dei.

Matth. 10. verf. 1. ἐξουσία τῶν πνευμάτων, *poteftas fpirituum*, h. e. in fpiritus. Sic 1 Cor. 9: 12. (Aliàs genitivus huic voci additus, fubjectum in quo, feu recipiens notat. Luc. 20. v. 20. *poteftas* præfidis, h. e. quam habet præfes.)

Matth. 14. verf. 1. ἀκοὴ Ἰησοῦ, *fama Jefu*, h. e. de Jefu.

Luc. 16: 12. *Et pernoctavit Jefu* ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ θεοῦ, *in oratione Dei*, h. e. quæ ad Deum dirigitur & funditur.

Actor. 4. verf. 9. εὐεργεσίᾳ ἀνθρώπου ἀσθενοῦς, *beneficentia hominis infirmi*, h. e. in eum collata.

Galat. 3: 22. *Fides JESU CHRISTI*, hoc eft, in JESUM CHRISTUM. Sic Apoc. 14: 12.

1 Joh. 2: 5. ἀγάπη θεοῦ, *charitas Dei*, h. e. quæ in Deum dirigitur, feu quâ Deus diligitur. Sic v. 15.

*In pronominibus relativis & poffeffivis.*

Gen. 50. verf. 4. *Et præterierunt dies* בְּכִיתוֹ *fletus ejus*, h. eft, de eo, feu, quo ipfe deflebatur.

Jud. 13: 12. *Quæ ratio pueri hujus*, וּמַעֲשֵׂהוּ & *opus ejus*, h. e. erga ipfum: fenfus eft, quæ opera præftanda erit ei? expofitionem hanc confirmant verfus fequentes. Et in v. 8. verbum ipfum habetur: מַה נַּעֲשֶׂה לַנַּעַר *quid faciemus puero &c.*

Eccl. 9. verf. 6. *Etiam* אַהֲבָתָם *amor eorum &c. nunc periit*, h. e. quo amantur ii, mortales fcil. in verf. 5. Sic ibidem affixum ufurpatur, additum nominibus שִׂנְאָה *odium*, & קִנְאָה *invidia*.

Job. 40: 33. (al. 41: 9.) *Ecce* תּוֹחַלְתּוֹ *fpes ejus* (fcil. capiendæ) *mendax eft*. Sermo eft de Leviathane.

Efa. 21. verf. 2. כָּל־אַנְחָתָה *omnem gemitum iftius faciam ceffare*. Ubi R. Kimchi, פֵּרוּשׁ ר״ל מַה אַנְחַת בָּבֶל *fenfus eft, gemitus Babelis:* שֶׁהָיוּ נֶאֱנָחִים מִפַּחְדָּהּ *vult dicere, quo* (homines) *ingemunt præ timore ejus*. Addit etiam: כִּי הַכִּנּוּיִם בְּשֵׁמוֹת יִפְּלוּ עַל הַפֹּעַל וְעַל הַפָּעוּל h. e. *quia affixa in nominibus cadunt tàm fupra activam, quam fuper paffivam fignificationem:* h. e. tàm efficientem caufam, quam objectum defignant. Hanc interpretationem fecutus eft in verfione Lutherus. Sunt tamen, qui activè accipiunt, & affixum pronomen ad Ecclefiam referunt, q. d. Jehova: Non poffum amplius ferre hoftium improbitatem, & Ecclefiæ querimonias; tempus eft hanc liberandi, & iftum perdendi: *Omnibus, qui ingemifcentes funt propter Regem Babel, quietem præftabo*. Cæterùm ה affixum irregulariter h. l. fine mappic eft, quod & Maforethæ notârunt in margine. Similia exempla funt Lev. 13. verf. 4. & Prov. 21. verf. 22. R. Salomo ob abfentiam hanc puncti Mappic, emphaticam voci tribuit fignificationem, ac fi omnes totius mundi ob tyrannidem Babylonici imperii gemitus & fufpiria denotaret. Sed hoc minùs firmum eft.

Efa. 53: 11. בְּדַעְתּוֹ *in cognitione fui juftificabit juftus fervus meus multos &c.* Intelligitur enim falutaris illa fidei γνῶσις, quâ Chriftus cognofcitur, juxta illud Joh. 17: 3.

Efa. 56: 7. *Et lætificabo eos in domo* תְּפִלָּתִי *orationis meæ*, hoc eft, quæ ad me dirigitur, feu quâ ego invocor.

Jer. 51: 35. חֲמָסִי *injuria mea*, hoc eft, quæ fit mihi. Sequitur, וּשְׁאֵרִי & *carnis meæ*, hoc eft, quæ fit carni meæ.

Jon. 2: 8. (al. 9.) *Qui obfervant vanitates mendaces*, חַסְדָּם *benignitatem fuam derelinquant*, hoc eft, erga fe. Senfus eft: Quandoquidem ita cœci funt, ut bona à Deo accepta minimè agnofcant, fed mendacibus fuis idolis tribuant: fordefcant fanè ampliùs, & prout derelinquunt Deum, ita benignitatis aditum ipfi intercludant fibi, adeòque maledictionem accerfant in cervices fuas.

Nah. 3: 19. שִׁמְעֲךָ *rumorem tuum*, h. e. de te.

*7. Adjunctum.*

Idque tùm *inhærens*. Prov. 29: 8. אַנְשֵׁי לָצוֹן *viri derifionis*, hoc eft, derifores.

Efa. 52: 1. עִיר הַקֹּדֶשׁ *Civitas fanctitatis*, h. e. fancta.

Jud. v. 18. ἐπιθυμίας τῶν ἀσεβειῶν *defideria impietatum*, hoc eft, impientiffima.

Tùm *adhærens & connexum*. 1 Sam. 16: 20. *Et accepit Ifai* חֲמוֹר לֶחֶם וְנֹאד יַיִן *afinum panis & utrem vini*, h. e. afinum cum panibus, & utrem cum vino: afinum pane onuftum, & utrem vino repletum.

Efa. 34: 5. עַם חֶרְמִי *populum anathematis mei*, h. e. quem devovi internecioni.

Efa. 51: 20. תּוֹא מִכְמָר *bubalus retis*, h. e. irretitus.

Esa. 54. vers. 9. *Juravi non transiturus* מֵי־נֹחַ *aquas Noa amplius super terram:* h. e. aquas, quæ tempore Noæ orbem terrarum inundârunt. In principio versus itidem dicitur כִּי־מֵי נֹחַ *quia* (ut) *aqua Noa hoc mihi*, scil. est. Ubi in Hebræis codicibus (notante R. Kimchi) diversitas est: quidam enim unâ voce legunt כִּימֵי *sicut dies Noa* hoc mihi eris. Et ita Targ. כְּיוֹמֵי־נֹחַ *sicut diebus Noa.*

Ezech. 20:7. שִׁקּוּצֵי עֵינָיו *abominationes oculorum*, h. e. oculis eorum placentes; seu, quas in precio habent, & ex quibus toti pendent, in eas quasi perpetuò respicientes. Intelligitur idololatria hominibus corruptis placens, at Deo summè exosa & abominabilis.

Ezech. 30: 3. עֵת גּוֹיִם *tempus gentium erit*, h. e. calamitatis gentium, seu, quo gentes sunt puniendæ. Potest hoc etiam ad sextum membrum referri: *gentium*, scilicet puniendarum. Gentes enim objectum sunt ejus temporis, ratione pœnæ.

Matth. 26: 7. ἀλάβαστρον μύρου, *alabastrum unguenti*, h. e. unguento repletum. Alabastra sunt vascula unguentaria: nam alabastriten lapidem veteres plerumque ad eos usus excavabant, cùm optimè servare incorrupta unguenta dicat Plin. lib. 13. cap. 1.

Ad hanc adjunctorum significationem pleraque omnia pertinent (exceptis paucis) quæ can. 8. §. 2, 3. traduntur.

8. *Comparationem.*

*Vel* Parium & similium.

Exod. 34: 7. עֲוֹן אָבוֹת *Iniquitas Patrum*, hoc est, quæ par aut similis est in filiis iniquitati Patrum.

2 Reg. 24: 5. (al. 3.) *Propter peccata Manassis*, hoc est, paria peccatis, quæ perpetravit Manasses.

2 Paral. 24. vers. 6, 9. מַשְׂאַת מֹשֶׁה *collecta Mosis*, h. e. similis illi, quâ usus est Moses. Sensus h. l. est: Quemadmodum Moses extra ordinem collegit, quæ ad structuram tabernaculi requirebantur: ita nunc, quæ ad templi instaurationem opus sunt, à nobis procurari, & à populo conferri convenit. Vide Junium in h. l.

Esa. 1. vers. 10. קְצִינֵי סְדֹם *Ductores Sodomi*: Et ibidem, עַם עֲמֹרָה *populus Gomorrha*, h. e. qui similes estis iis, qui Sodomi & Gomorrhæ fuerunt: seu malitia atque sceleribus iis comparandi: quibus propterea non immeritò gravissimum excidium importâsset DEUS, nisi nostri fuisset misertus, ut vers. 9. dicitur.

Jerem. 22. vers. 19. קְבוּרַת חֲמוֹר *Sepultura asini sepelitur*, h. e. quæ asinæ sepulturæ similis sit: insepulta sepultura, ut Cicero vocat.

Luc. 1. vers. 17. *Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ*, h. e. simili virtuti Eliæ &c.

Joh. 10. vers. 23. *Ambulat Jesus in porticu Salomonis*, h. e. ædificata in loco & ad similitudinem ejus, quam olim Salomo ædificaverat.

2 Pet. 2: 16. *Subjugale* (animal) *mutum* ἐν ἀνθρώπου φωνῇ *hominis voce loquens*, h. e. voce simili hominis voci.

Jud. vers. 11. *In via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt*, h. e. in via Caini viæ simili; errore Balaami errrori simili.

In pronom. Psal. 55. vers. 14. *Et tu mortalis* כְּעֶרְכִּי *secundùm æstimationem mei*, h. e. apud me & apud omnes æstimatus, quantum ego ipse. Vide 2 Sam. 16: 23. Sensus: Tu es par mihi &c.

Esa. 8: 12. וְאֶת מוֹרָאוֹ *& timore istius* (populi) *ne timeatis*, h. e. timore simili illius populi timori.

*Vel* majorum & minorum.

Prov. 30: 24. *Parva terræ* hoc est, minima in terra. Vide ejusmodi exempla plura can. 16. §. Simplicius etiam &c.

Ad dictas igitur classes referri ferè etiam exempla possunt, quæ in sequentibus regulis traduntur.

## Canon XXXI.

*Substantivum non tantùm simpliciter aliud substantivum regit, sed & 1. nomen cum præpositione, 2. pronomen, 3. verbum infinitum, 4. adverbium.*

Sensus est: Cùm regulariter nomen Hebræum tàm quoad literas, quàm puncta vocalia mutatum, post se nomen substantivum habeat, in genitivo casu exponendum: contingit non raro, ut non sequatur substantivum genitivi casus, sed *vel* nomen cum præpositione,

ne, *vel* pronomen, *vel* verbum modi infinitivi, *vel* etiam adverbium. Exemplis res erit clarior.

1. Substantivum regit *nomen* cum præpositione, vel *connexa*, ב, ל, מ, vel *separata*.

*Cum præfixo* ב, *In.*

2 Samuel. 1. vers. 21. הָרֵי בַגִּלְבֹּעַ *ô montes in Gilboa:* pro Gilboæ, confer 1 Samuel. 31. vers. 1.

Esa. 9: 3. כְּשִׂמְחַת בַּקָּצִיר *secundùm lætitiam in messe*, h. e. messis: qualis scil. tempore abundantis messis agitari solet.

Sic *& participia* in statu regiminis posita. Jud. 8. vers. 11. *Ascendit itaque Gideon via*, הַשְּׁכוּנֵי בָאֳהָלִים *degentium in tabernaculis*, Arabes Scenitæ hi sunt. Sic & Psa. 84. vers. 7. Esa. 5: 11.

*Cum præfixo* ל, *ad.*

1 Paral. 23: 28. וְעַל־טָהֳרַת לְכָל־קֹדֶשׁ *& in purgatione ad omnem rem sanctam*, h. e. cujusque rei sanctæ.

Psal. 12. v. 8. בַּעֲלִיל לָאָרֶץ *in catino ad terram*, h. e. terræ.

Huc referuntur, quæ similis constructionis sunt, etiamsi nomen regens in literis & punctis (prout Hebræorum nominum formæ quædam excipiuntur,) non mutatum sit.

Lev. 13: 48. בְּעֵרֶב לַפִּשְׁתִּים וְלַצָּמֶר *in licio ad lina & lanam*, pro linorum & lanæ.

Psal. 120: 1. שִׁיר לַמַּעֲלוֹת *canticum ad gradus*, pro graduum. Alii vertunt, *excellentiarum*, h. e. excellentissimum.

*Cum præfixo* מ, *de.*

Psal. 80: 14. *Suffodit eam* חֲזִיר מִיָּעַר *aper de sylva*, pro, sylvæ, h. e. sylvestris. Nam adjectivi hîc est simul periphrasis, de qua can. 9. §. 3. Intelliguntur autem per bestias has tyranni ferissimi, Ecclesiam persecutionibus devastantes.

Jer. 23: 23. הַאֱלֹהֵי מִקָּרֹב *an Deus è propinquo sum ego?* q. d. loci propinqui. Ib. אֱלֹהֵי מֵרָחֹק *Deus è longinquo.*

Ezech. 13. vers. 2. לִנְבִיאֵי מִלִּבָּם *Prophetis ex corde suo;* pro, cordis sui, h. e. ex proprio arbitrio prophetias vanas & falsas effutientibus.

Huc quidam referunt Hos. 7. v. 5. חֲמַת מִיָּיִן *utre de vino*, pro vini: ut intelligatur vinum ex utribus immodicè epotum: cùm non cyathi (quod dici solet) sed quadrantalia potando evacuantur, vitio & peccato omnium deterrimo. Verùm magis placet altera expositio nominis חֲמַת, quam D. Tarnovius in comm. his verbis tradit: *Tum morbo afficiunt seipsos Principes* (verba textus) חֲמַת מִיָּיִן *calore ex vino.* חֲמַת *à* חֵמָה *quod est à rad.* יָחַם (extat hoc vèrbum vers. 7.) *incaluit, vaporibus calidis caput occupantibus, unde Cephalalgia, qui morbus ebrietatem comitatur, quin etiam febrim ardentem sæpe contrahunt potatores ex nimio vino, quo incalescunt.* Esa. 5. vers. 11. *Ita malim cum Drusio h. l. accipere, ut ita ex calore incipiant primùm furere* (LXX. θερμαίνεσθαι. Luth. Tolle werden von Wein) *deinde ægrotare, utrumque autem fieri amat ex ebrietate nimia; quàm cum plerisque aliis* חֲמַת *facere constructum ex absoluto* חֵמֶת *id est, lagena, uter, quod in statu constructo habet* חֵמַת Genes. 21. vers. 14. &c.

Sic *particip.* Esa. 28. v. 9. גְּמוּלֵי מֵחָלָב עַתִּיקֵי מִשָּׁדָיִם *depulsi à lacte, avulsi ab uberibus;* q. d. depulsi lactis, avulsi uberum.

*Cum præpositione separata, tàm in nominibus, quam participiis.*

Jud. 5: 10. יֹשְׁבֵי עַל־מִדִּין וְהֹלְכֵי עַל־דֶּרֶךְ *sedentes super Middin*, (alii, in provincia, qs. à מְדִינָה *provincia:* sedentes autem in provincia, h. e. remanentes domi, quibus opponuntur) *& euntes per viam.*

Esa. 8. v. 6. וּמְשׂוֹשׂ אֶת־רְצִין *& gaudium cum Retzino.*

Esa. 14. v. 6. מַכַּת בִּלְתִּי סָרָה *plagâ non recedente.*

Esa. 14: 19. יוֹרְדֵי אֶל אַבְנֵי בוֹר *descendentes ad lapides foveæ.*

Ezech. 21: 17. (al. 21.) מְגוּרֵי אֶל חֶרֶב *formidines ad gladium.* Alii מְגוּרֵי pro participio passivo habent, à מָגַר *tradidit*, ut sit, *detrusi in gladium.*

Hæc omnia Buxtorffius explicari posse ait, *vel* per pleonasmum literæ servilis aut vocis intercedentis, secundum Kimchi in Michlol. p. ult. *Vel* per enallagen substantivi constructi pro absoluto, secundum R. Levi in Job. 18. vers. 2. & R. Salom. in Jud. 8. vers. 11. & Kim-

Kimchi, in 2 Sam. 1. vers. 21. & in Michlol. p. 16.

2. Substantivum ante *pronomen* אֲשֶׁר constructi formam sæpiùs adsumit.

Lev. 4. vers. 24. בִּמְקוֹם אֲשֶׁר יִשְׁחַט *in loco, quo mactat holocaustum.* Hic מְקוֹם ponitur formâ constructâ (absoluta enim forma מָקוֹם est) quasi subaudiendum esset aliud substantivum; veluti, *in loco sacrificiorum*, vel simile: ut vers. 29. dicitur בִּמְקוֹם הָעוֹלָה *in loco holocausti.*

Ezech. 21: 35. (al. 30.) בִּמְקוֹם אֲשֶׁר נִבְרֵאת *in loco quo procreata fuisti*, q. d. in loco nativitatis tuæ. Et sic hoc nomen sæpè antè אֲשֶׁר construitur, ut Gen. 39: 20. Eccles. 11: 3. & alibi.

Quandoque subaudiendum est pron. אֲשֶׁר.

Esa. 29: 1. קִרְיַת חָנָה דָוִד *urbi, castra metatus est David*, h. e. quâ castra metatus est, q. d. urbi militiæ Davidis.

3. Substantiva post se habent & regunt *verbum infinitum*, tanquam nomen genitivi casus.

Gen. 2: 4. בְּיוֹם עֲשׂוֹת *In die facere*, q. d. in die factionis, quâ die fecit.

Ruth. 1. vers. 1. בִּימֵי שְׁפֹט *in diebus judicare judices*, q. d. judicationis judicum, quibus judicabant aut regebant Remp. Israëlis judices.

Esa. 20: 1. בִּשְׁנַת בּוֹא *in anno venire Thartan*, h. e. in anno adventus; seu quo venit Thartan.

Mich. 7: 15. כִּימֵי צֵאתְךָ *juxta dies egredi te:* q. d. egressionis tuæ, κατὰ τὰς ἡμέρας τῆς ἐξοδίας σου, ut LXX. reddunt.

Sic Jos. 10. v. 27. Eccl. 3: 4. Soph. 3: 8. in quibus nomen in regiminis statu invariatum manet.

In participiis idem quandoque contingit.

Psal. 127: 2. מַשְׁכִּימֵי קוּם מְאַחֲרֵי שֶׁבֶת *Diluculantes surgere, tardantes sedere*, quasi dicat, diluculatores surrectionis, hoc est, qui summo diluculo surgunt: & dilatores sessionis, qui serò admodum sedent, qui sessionem in multam noctem protrahunt.

Prov. 30: 29. *Tria ista* מֵיטִיבֵי צָעַד *benefacientes procedere, & quatuor* מֵיטִבֵי לָכֶת *benefacientes ambulare*, q. d. benefactores incessus & ambulationis: qui optimè & magnificè incedunt & ambulant.

Esa. 56: 10. אֹהֲבֵי לָנוּם *diligentes dormitare*, quasi dicat, amatores dormitationis.

Notandum hîc, R. Aben-Ezra verbi etiam *finiti*, nomen constructum sequentis, exempla proferre Hos. 1. vers. 2. תְּחִלַּת דִּבֶּר *principio locutus est Jehovah in Hosea.* Esa. 10. vers. 1. קִרְיַת חָנָה *urbs castrametatus est David.* Producit hæc ad Genes. 1. vers. 1. בְּרֵאשִׁית בָּרָא *in principio creavit Deus cœlum & terram;* ubi primam vocem in statu regiminis positam esse putat. Sed non opus est conjecturâ ejusmodi. Quid enim prohibet, quò minùs in statu absoluto בְּרֵאשִׁית positum esse dicatur? Ipse Aben-Ezra contra eos, qui nomen hoc semper in constructo statu poni arbitrantur, *oblitos hos esse* inquit *loci* Deut. 33. vers. 21. וַיַּרְא רֵאשִׁית לוֹ *& vidit principium sibi.* Antecedentia autem duo loca per ellipsin pronominis explicari queunt, ut de posteriori paulò ante fuit monitum.

4. Construitur Substantivum aliquando cum *Adverbio.*

1 Reg. 2: 31. *Et amoveas* דְּמֵי חִנָּם *sanguines immeritò*, q. d. sanguinem innocentiæ, innocenter & immeritò effusum. Per sanguinem autem metonymicè culpa seu reatus sanguinis immeritò effusi intelligitur.

Proverb. 26: 2. קִלְלַת חִנָּם *maledictio gratis*, h. e. immeritæ rei, seu immerita.

Ezech. 30: 16. צָרֵי יוֹמָם *hostes interdiu*, h. e. diurni seu quotidiani. Confer quæ suprà can. 10. habentur.

## Canon XXXII.

*Substantivorum duorum synonymorum rectio non rarò occurrit: quâ auxesin & evidentiam notari dicunt.*

PSal. 11: 6. רוּחַ זִלְעָפוֹת *ventus procellarum*, hoc est, procellosissimus. רוּחַ *ventum* significat: זִלְעָפוֹת itidem *ventum, sed vehementem.* Intenditur igitur synonymorum horum connexione significatio.

Psa. 16: 5. *Jehova*, מְנָת חֶלְקִי *pars portionis meæ*, h. e. omnimoda pars mea.

Psa. 32: 5. *Remisisti* עֲוֹן חַטָּאתִי *peccatum iniqui-*

*quitatis meæ*, hoc est, plurima & gravissima peccata mea.

Psal. 40: 3. *Et eduxit me* מִטִּיט הַיָּוֵן *è luto cœni*, h. e. cœnoso, ex omnibus luti ac sordium generibus mixto, ut Kimchi explicat: seu, ex luto profundissimo. Simile in Plauto extat, Bacch. *Ut eum ex lutulento cœno properè hinc ejiciat forâs.*

Esa. 32: 13. קוֹץ שָׁמִיר *spina sentis*, h. e. plurima sentis.

Ezech. 21: 3. (al. 20: 47.) *Non extinguetur* לַהֶבֶת שַׁלְהֶבֶת *flamma flammæ*, h. e. inflammatissima, seu maximi ignis flamma.

Ezech. 39. vers. 4. לְעֵיט צִפּוֹר *volucribus avium*, h. e. omnis generis avibus. Additur in textu, כָּל־כָּנָף *cujuscunque alæ*, h. e. omnibus alitibus, quòd fortiùs significationem intendit & amplificat.

Mich. 2. vers. 4 *& lamentabitur* נְהִי נִהְיָה *lamentum lamentationis*, h. e. graviter lamentabitur.

Zach. 10: 1. (al. 3.) מְטַר גֶּשֶׁם *pluviam imbris dabit vobis*, h. e. רִבּוּי מָטָר *multitudinem sive abundantiam pluviæ*, ut Kimchi exponit. Sic Job. 37: 6.

2 Thess. 1: 8. ἐν πυρὶ φλογός, *in igne flammæ*, h. e. igne maximè flammante. Syr. בגזולא דנורא *in vehementia ignis*.

2 Petr. 2. vers. 17. & Jud. vers. 13. ζόφος τοῦ σκότȣς, *caligo tenebrarum*, h. e. densissimæ tenebræ, & horribilis caligo. Vide & Eph. 1: 19.

Sic in *adjectivis* Synonymis. Ezech. 32. v. 21. *Alloquentur illum* אֵלֵי גִבּוֹרִים *fortes potentum*, h. e. duces potentissimi. Quidam huc appellationem Christi referunt, Esa. 9. vers. 6. אֵל גִּבּוֹר *fortis potentis*, h. e. fortis potentissimus vel robustissimus. Sed præstat, in substantivi & adjectivi structura hæc duo nomina accipere, ut sit, *Deus robustus*: vel etiam in syntaxi appositionis, ubi Lutherus vertit. Krafft/ Held: Vel, ut tom. 8. Jen. de ultimis verbis Davidis fol. 145. b. reddit, Gott/ Held. Ubi diversæ suæ translationis, in voce אֵל hanc reddit causam: Und er nennet ihn auch Gott / den das Wort El, heist wohl nach dem Buchstaben / Krafft: aber wenns ein eigen Nahmen ist / wie hier / so heists Gott / durch die gantze Schrifft / der allein Krafft hat / wie das beyde Jüden und Christen bekennen müssen *&c.*

Jer. 6. vers. 28. *Omnes ipsi sunt* סָרֵי סוֹרְרִים *contumales contumacium*, h. e. contumacissimi. Quidam ex Targum, (quod vertit, רַבְרְבֵיהוֹן מָרְדִין *principes eorum rebellantes sunt*) שָׂרֵי pro סָרֵי *principes* (literis ס ש permutatis) positum esse existimant.

Hac significationis emphasi quandoque duo Synonyma per copulativam adunantur. Ezech. 35: 3. *Reddam te* שְׁמָמָה וּמְשַׁמָּה *desolationem & desolationem*, h. e. desolatissimam. Eodem sensu conjunguntur. v. 7. שִׁמְמָה וּשְׁמָמָה quæ non nisi punctis paulùm discrepant.

## Nota.

In quibusdam significationibus illa δείνωσις, deprehendi non potest. Et simpliciter pro loquela ἐκ παραλλήλȣ κατὰ πλεονασμὸν (ut Drusius eam vocat) habenda est.

Gen. 1: 20. *Et volatile volet super terra, versus superficiem* רְקִיעַ הַשָּׁמָיִם *expansi cœlorum*, hoc est, versus superficiem cœli. Idem enim vocibus רָקִיעַ & שָׁמַיִם denotari planum est. Vide Aben Ezram in h. l.

Num. 19: 2. *Hoc est* חֻקַּת הַתּוֹרָה *statutum legis, quod præcepit Dominus*, hoc est, lex vel statutum.

Deut. 32: 13. *Et suxerunt mel de petra, & oleum* מֵחַלְמִישׁ צוּר *à silice petræ*, hoc est, à petra, vel silice.

Psalm. 40. vers. 8. *Ecce venio* בִּמְגִלַּת סֵפֶר *in volumine libri scriptum est de me*, h. e. in libro, nempè Scripturæ sacræ. Vide Sixt. Amama Anti-barb. Bibl. lib. 3. pag. 771. seqq.

Psalm. 67: 1. מִזְמוֹר שִׁיר *Psalmus cantici*. Et Psal. 48: 1. שִׁיר מִזְמוֹר *canticum Psalmi*, h. e. canticum, vel Psalmus

Esa. 33: 23. עַד שָׁלָל *præda spolii*.

Dan. 12: 2. *Multi ex dormientibus* אַדְמַת עָפָר *in terra pulveris*, h. e. in pulvere, seu terra pulverulenta. In opere Regio Arias montanus exemplo huic præmittit hanc regulam: *Duo nomina substantiva simul posita ejusdem ferè significationis, quorum posterius est in genitivis, sese ita exponunt, ut prius partem posterioris indicet, ut terra pulveris* Dan. 12. h. e. *portio pulveris, aut terra minutissima, qualis pulvis est*. Sed nec Danielis verbis isthæc significatio; nec suprà positis exemplis regula hæc applicari potest.

Rom. 1: 23. Ὁμοίωμα εἰκόνος *similitudo imaginis*, h. e. imago, vel similitudo.

2 Cor. 5: 1. Οἰκία τοῦ σκήνȣς, *domus tabernaculi*, h. e. tabernaculum, seu domus.

Eph. 4: 23. *Renovari* τῷ πνεύματι τοῦ νοὸς ὑμῶν *Spiritu mentis vestræ*.

1 Thess. 2. vers 13. Hebr. 4: 2. λόγος ἀκοῆς, *sermo prædicationis*. ἀκοὴ quandoque *sermonem* significat, Rom. 10: 16. Joh. 12: 38.

Apoc. 16. vers. 19. θυμὸς ὀργῆς, *indignatio iræ*.

Sic *in adjectivis*, Deut. 33:19. שְׂפֻנֵי טְמוּנֵי חוֹל *occulta absconditorum arenæ*, h. e. abscondita arenæ: thesauri maris.

Ex profanis huc reponunt, quæ leguntur apud Æschylum, χθονὸς πέδον *terra solum*: σκάφη νεῶν, *scapha navium*: συμφορὰ πάθους *periculum passionis &c.*

## Canon XXXIII.

*Adjectiva nominalia & participialia regunt genitivum, qui diversimode Latinis exponitur.*

Rectio hæc seu regiminis status in adjectivis, iisdem variationis legibus fit, quibus substantivorum, ut in Hebræor. Grammaticis videre est.

### Adjectiva nominalia.

1. Si *genitivus rei* sit, per Ablativum Latinis exponitur.

Psal. 24. vers. 4. נְקִי כַפַּיִם וּבַר לֵבָב *innocens manuum, & purus cordis*, h. e. manibus, animo.

Psal. 119:1. *Beati* תְמִימֵי דָרֶךְ *integri via*, hoc est, viâ. Ita Horatius, *Integer vitæ, scelerisque purus.*

Jer. 32:19. גְּדֹל הָעֵצָה וְרַב הָעֲלִילִיָּה *magnus consilii & multus operis*, h. e. consilio, opere.

2. Si *genitivus personæ* sit, per accusativum cum præpositione *inter*, fit explicatio.

Prov. 14:1. חַכְמוֹת נָשִׁים *sapientes mulierum ædificat domum suam*, h. e. sapientum inter mulieres quæque ædificat domum suam.

Prov. 15:20. cap. 21:20. כְּסִיל אָדָם *stultus hominum*, hoc est, inter homines.

Esai: 3: 3. חֲכַם חֲרָשִׁים *sapientem artificum*, h. e. inter artifices.

Esai. 29:19. וְאֶבְיוֹנֵי אָדָם *& mendici hominum in sancto Israëlis gaudebunt*, hoc est, mendici inter homines.

Sic cùm nomen אָדָם *participio* additur. Hos. 13:2. זֹבְחֵי אָדָם *sacrificantes hominum*, hoc est, inter homines.

Quidam in his, per simplicem substantivi cum adjectivo σύνταξιν, faciunt explicationem: *Sapientes mulierum*, h. e. mulieres sapientes. *Stultus hominum*, h. e. homo stultus. *Mendici hominum*, h. e. homines mendici. *Sacrificantes hominum*, h. e. homines sacrificantes.

Et hujus formæ apud profanos sunt, γνήσιοι τῶν φίλων, *genuini amicorum*, h. e. genuini inter amicos, vel simpliciter, genuini amici. Sic apud Latinos: *Ovorum oblonga; Nigra lanarum; Canum degeneres.*

3. Repetendum etiam hîc, quod per adjectivum regens substantivum in genitivo casu quandoque eminentia & superlativus gradus significetur: Ut suprà dictum, can. 16. §. Simplicius etiam &c.

### Adjectiva participialia.

Illa duplicis sunt generis: *quædam* propriè sic dicta participia sunt; *quædam* v. nomina à verbis formata, formæ אָבֵל *lugens*, de quibus tract. 4. de partic. can. 1. dicetur. Cùm autem in hac constructione par sit utriusque ratio, igitur conjunctim de iis agemus. Exprimitur *genitivo* his adjectivis addito.

1 *Efficiens causa*. Et sic per ablativum cum præpositione *à* vel *præ*, fit explicatio.

Gen. 24. vers. 31. *Ingredere* בְּרוּךְ יְהוָה *benedicte Domini*, h. e. à Domino. Sic Job. 14:1. Esai. 53:4. Matth. 25:34. De quib. suprà can. 30. §. 1.

Psalm. 22:7. בְּזוּי עָם *contemtus populi*, h. e. à populo.

Cant. 2. vers. 5. חוֹלַת אַהֲבָה *ægra amoris*, h. e. præ amore. Sic apud Latinos: *æger timoris.* Item *æger animi*, ubi subjectum, non causa notatur.

2. *Subjectum*. Et sic per accusativum vel ablativum fit expositio.

Genes. 22:12. יְרֵא יְהוָה *timens Domini tu es*, h. e. Dominum. Sic apud Latinos: *timens mortis.*

Psal. 34:19. וְאֶת דַּכְּאֵי רוּחַ *& contritos spiritus servat*, h. e. spiritu.

Esai. 6:5. טְמֵא שְׂפָתַיִם *immundus labiorum*, h. e. labiis.

Sic *in participio purè activo*, Psalm. 19: 8. *Lex Domini integra est*, מְשִׁיבַת נָפֶשׁ *restituens animæ: Testimonium Jehovæ verax*, מַחְכִּימַת פֶּתִי *instituens imperiti*. vers. 9. *Mandata Jehovæ recta;* מְשַׂמְּחֵי לֵב *lætificantia cordis: præceptum Jehovæ purum*, מְאִירַת עֵינָיִם *illuminans oculorum*, h. e. animam; imperitum; cor; oculos; q. d. restitutrix animæ: institutrix imperiti: lætificationes cordis: illuminatrix oculorum. In Hebræo enim hîc, & in præcedenti, nomen fœmin. est, quod præceptum & testimonium significat.

3. *Adjunctum*. Et sic etiam per ablat. fit explicatio.

1 Paral. 29:28. שְׂבַע יָמִים *satur dierum, divitia-*

*niorum, & gloriæ*, h. e. diebus, divitiis & gloria. Sed & in Latino hæc constructio cum genitivo in hac adjectiva voce, in usu est. Sic Jer. 6. vers. 11. מְלֵא יָמִים *plenus dierum*.

Psalm. 32: 1. *Beatus* נְשׂוּי פֶּשַׁע כְּסוּי חֲטָאָה *levatus defectionis, tectus peccati*, h. e. defectione, peccato. Confer Rom. 4: 6, 7.

Joel. 1: 8. חֲגֻרַת־שַׂק accincta sacci, h. e. sacco.

## Nota de *adjectivis numeralibus*.

Adjectiva numeralia (quæ nomina sunt, & ad priorem classem pertinent) hanc eandem structuram admittunt, modò loquendi Hebræis proprio: Et videntur substantivorum ferè naturam adsumere.

Gen. 17. vers. 12. *Filium* שְׁמֹנַת יָמִים *octonarii dierum circumcidetur*, h. e. octo dierum.

Gen. 31: 7. עֲשֶׂרֶת מֹנִים *decade vicium*, hoc est, decem vicibus.

Exod. 34: 29. עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים *Decas verborum*, hoc est, decem verba: Decalogus.

Jos. 14: 2. לְתִשְׁעַת הַמַּטּוֹת *novenario tribuum*, h. e. novem tribubus.

## *Continuatio*.

HActenus de idiotismo status constructi, in genere: *In specie* idiotismus & frequens & emphaticus est, in quibusdam vocabulis Hebræis, in statu regiminis positis, seu, quod idem est, cum genitivo nomine constructis.

Vocabula illa sunt quatuor potissimum. 1. אִישׁ *Vir*. 2. בַּעַל *Dominus*. 3. בֵּן *Filius*. 4. בַּיִת *Domus*. De quibus ordine.

## Canon XXXIV.

*Nomen substantivum* אִישׁ Vir, *si aliud substantivum in genitivo casu regat, respectu ejus non uno significat modo*.

POtest significationis emphasis in voce אִישׁ, respectu genitivi additi, ad sequentia reduci capita: quòd denotet.

### 1. *Subjectum respectu accidentis vel adjuncti*.

Et sic pro homine, in arte vel facultate aliquâ perito, & excellenti; itemque re aliquâ, virtute vel vitio prædito &c. accipitur.

Exod. 4. vers. 10. אִישׁ דְּבָרִים *vir verborum*, h. e. eloquens: seu cui benè loquendi facultas est.

1 Sam. 16. vers. 18. *Ecce vidi filium Isai Bethlehemitæ, scientem pulsare, & valentem robore*, וְאִישׁ מִלְחָמָה *& virum belli, & intelligentem sermonis*, וְאִישׁ תֹּאַר *& virum formæ*, h. e. virum bellicosum, belligerandi peritum. Item virum elegantem, ἀγαθὸν τῷ εἴδει, bonum formâ, ut Græci reddunt. Sic cap. 17: 33.

2 Sam. 16. vers. 7. *Exi, exi*, אִישׁ הַדָּמִים וְאִישׁ הַבְּלִיַּעַל *vir sanguinum, & vir Belial*, h. e. sanguinolente, sanguinarie, cruente homicida: Item *vir Belial*, h. e. nequissime, nullius usus, & contrà maximè noxie. *Prior* locutio etiam Psal. 5. vers. 7. occurrit. *Posterior*, Deut. 17. vers. 13. 1 Sam. 1. vers. 16. & alibi, ubi eodem sensu *filii Belial* dicuntur homines nequam & maligni. Est enim בְּלִיַּעַל compositum ex בְּלִי *absque*, & עוֹל *jugum* (ut Hieronymo placet) q. d. qui jugum legis ac timoris Dei excussit, & proinde nihil boni agit: unde LXX. Interpretes filios Belial quandoque vertunt παρανόμους, *iniquos*, qui sunt sine lege: & Aquila ἀποστάτην convertit, testante Bezâ: Vel secundùm Kimchi & alios, ex בְּלִי *non* & יַעַל in Hiphil הוֹעִיל q. d. בְּלִי יוֹעִיל qui nihil prodest, nullius frugis & utilitatis: quem Græci ἄσωτον, ἀχρεῖον, κακότροπον, ἀκόλαστον, μιαρὸν vocant. 2 Cor. 6. vers. 15. de spiritu nequitiæ seu Diabolo usurpatur: cui utraque data etymologia κατ' ἐξοχὴν competit. Unde Syrus סטנא *Satan* reddit.

1 Reg. 2: 26. אִישׁ מָוֶת *vir mortis es*. Chald. גְּבַר חַיָּב קְטוֹל *vir meritus mortem*, reus mortis, dignus ut interficiaris.

Job. 11: 2. אִישׁ שְׂפָתַיִם *vir labiorum*, h. e. qui labiis benè utitur, vir loquax, εὔλαλος, ut in Græco est.

Proverb. 15. vers. 18. אִישׁ חֵמָה *vir æstuantis iræ miscet contentionem*, h. e. iracundus. Capite 22: 24. pluralis חֵמוֹת emphaticè extat, eadem constructione.

Proverb. 28. vers. 24. אִישׁ רֵעִים *viro amicorum colenda amicitia*, h. e. viro, cui sunt amici.

Proverb. 19: 6. *Quisque amicus adhæret* לְאִישׁ מַתָּן *viro muneris*, h. e. munifico, qui munera largè dat.

Prov. 29:1. איש תוכחות *vir correptionum*, h. e. sæpiùs correptus.

Esa. 53. v. 3. איש מכאובות *vir dolorum* seu plagarum, h. e. doloribus multis affectus. De Messia passuro sermo Prophetæ est in toto capite.

*In plurali*, אנשים *viri*, (qui pluralis mutuatitius est, ab אנוש) eandem rationem in hoc, & sequentib. membris, obtinet.

Gen. 6:4. אנשי השם *viri nominis*, h.e. nominatissimi, seu celebres.

Gen. 46:34. אנשי מקנה *viri pecoris*, h. est, pecuarii, pecora alentes, & pastoritiæ vitæ dediti.

Gen. 47:6. אנשי חיל *viri virtutis*, h.e. strenui, industrii. Sic 2 Regum. 24:16.

2 Sam. 19:29. אנשי מות *viri mortis*, hoc est, rei mortis, seu, morti obnoxii & interfectioni.

Job. 34: 8. אנשי רשע *viri improbitatis*, h. e. improbi.

Ibid. v. 10. אנשי לבב *viri cordis*, h. e. cordati. Chald. אנשי חכימי *viri sapientes*. LXX. *συνετοὶ καρδίας, prudentes corde.*

Psa. 119. vers. 24. *Testimonia tua oblectationes mea sunt*, אנשי עצתי *viri consilii mei*, h.e. consiliarii. Ubi elegans ad verbum Jehovæ est translatio. Persona illi tribuitur, quia efficacissimum est Dei in efficienda salute nostra organon: idemque judex omnis doctrinæ &c. Joh. 12:48. Zach. 7:12.

1 Sam. 31:3. forma nominis absoluta adhibetur, cum præposit. אנשים בקשת *viri in arcu*, h.e. qui erant exercitati arcu, seu in arte jaculatoria.

## 2. *Adjunctum respectu subjecti.*

Et quidem vel respectu *subjecti occupantis*. Et sic pro occupato circa aliquid, vel rem illam tractante, accipitur.

Gen. 9:20. *Noë erat* איש אדמה *vir terræ*, Chald. גבר פלח בארעא *vir colens terram*: agriculturæ deditus.

Genes. 25:27. *Esau fuit* איש שדה *vir agri*, hoc est, qui multum in agris & sylvis versabatur. Chald. גבר נפיק חקלא *vir* (crebrò) *egrediens in agrum*. In præcedent. quædam continetur explicatio: איש יודע ציד *vir peritus venationis*.

Vel respectu *subjecti recipientis*. Et sic incolam alicujus loci, tribus, vel urbis; itemque ex ea oriundum significat.

Jud. 10:1. איש יששכר *Vir Issaschar*, hoc est, oriundus ex tribu domus Issaschar, ut Chaldæus vertit.

Sic proditor Christi Judas, vocatur Ἰσκαριώτης, Matth. 10. vers. 4. quæ appellatio ex patria ipsi, ut cognomen, permansit, Hebr. enim est איש קריות *Vir Kerijoth*, h. e. Kerijothensis, oriundus ex patria קריות oppido aut vico in tribu Juda, de quo Jos. 15. vers. 25. Beza testatur, Joh. 12. vers. 4. pro Ἰσκαριώτης in vetustissimo suo codice scriptum esse ἀπὸ τοῦ Κυριώτε: quod hanc explicationem confirmat. Conferatur Caninius in locis N. Test. cap. 13.

*In fœminino.* Jud. 4. vers. 4. Debora Prophetissa dicitur אשה לפידות *fœmina Lappidotharum*, h. e. Lappidoth oriunda, seu Lappidothana. Ita Junius. Luther. nomen אשה pro uxore accipit: & *Lappidoth* Deboræ maritum constituit. Et hunc fuisse *Barac* filium Abinoam, de quo vers. 6. ex Rabbinorum traditione Kimchi dicit, propterea quod ברק & לפידות significatione nomina vicina sint. Illud enim *fulgur & coruscationem*; hoc *faces ardentes*, & ut alii volunt, itidem *fulgura* significat.

*In plurali.* Gen. 19. vers. 4. אנשי סדום *viri Sodom*, h. e. incolæ Sodomæ, Sodomitæ.

Gen. 24:13. *Et filiæ* אנשי העיר *virorum urbis*. LXX. τῶν οἰκούντων τὴν πόλιν, *inhabitantium urbem*.

Gen. 39:14. *Et clamavit* לאנשי ביתה *ad viros domus suæ*, hoc est, domesticos suos. Vide etiam Esr. 1: 22, 23, 27, 28.

Luc. 11:32. Ἄνδρες Νινευῒ, *viri Ninevis*, h. e. incolæ Nineves seu Ninevitæ.

## 3. *Efficientem respectu actionis cujusdam vel effecti.*

Jud. 12. vers. 2. איש ריב *vir rixæ fui ego & populus meus, & filii Ammon valdè*, h. est, habuimus acrem invicem litem & certamen. Jer. 15. vers. 10. passivè hæc locutio accipitur, ita ut איש objectum rixarum & contentionum notet: *Hei mihi, mater mea, quòd peperisti me*, איש ריב *virum rixæ*, ואיש מדון *& virum contentionis toti terræ*, hoc est, in quem intendatur lis & contentio à tota hac terra. Luther. wider den jederman hadert und zancket im gantzen Lande. E contrà Esa. 41. vers. 11. activè accipitur, in plurali: *Et peribunt* אנשי ריבך *viri contentionis tuæ*, h.e. qui contra te litigant: adversarii tui. Die Leuthe so mit dir hadern.

1 Sam. 17. vers. 4. *Et egressus est* איש הבנים *vir*

*vir medietatum*, h.e. intermedius, interponens se inter duo castra, duello pugnam transacturus. Vel, *vir duorum*, seu, qui inter duos, h.e. duellator, qui inter duos pugnam singularem decerni postulabat, vers. 8, 9, 10. Alii, *inter duo* subintell. castra. Sic vers. 23. Pagninus: *stans inter duas acies*. Arias: *Intermedius*. R. Kimchi: *propterea quòd quotidie exiret inter duos exercitus, vocatur* איש הבנים R. Salomo: *Fortis seu alacris ad exeundum ab exercitu suo, ad standum inter duos exercitus &c.* Dualis numerus indicat, ad hanc constructionem omninò hoc pertinere. Sed Latinus sermo non satis commodè efferre hoc potest.

2 Sam. 18. vers. 20. *Non* איש בשׂרה *vir nuncii tu es*. Tu non es is, qui perferas nuncium hac die.

Esa. 46: 11. איש עֲצָתִי *virum consilii mei*, h. e. effectorem.

*In plurali* 1 Reg. 10: 15. *Præter* (quod obveniebat) מֵאַנְשֵׁי הַתָּרִים *à viris exploratorum*, h.e. à publicanis negociatorum. Solet enim id hominum genus in speculis esse, ut occasionem aucupetur comparandarum aut distrahendarum mercium.

4. *Effectum, vel potius actionis subjectum, respectu efficientis.*

Psal. 80: 18. *Sit manus tua super* איש יְמִינֶךָ *viro dexteræ tuæ*, h. e. quem dexterâ tua seu virtute tua protegis & confortas, uti explicatio statim sequitur. Schindlerus de *vite*, à dextra Dei plantata, hoc accipit, ex vers. 16. Sed prior explicatio est simplicior. Junius in edit Bibl. posteriore (quem Tarnovius sequitur in comment. Psal. 110. pag. 364.) intelligit Christum: uti & per *filium, quem Deus fortificavit sibi*, vers. 16.

Huc pertinet locutio, איש אלהים *vir Dei*, quâ Propheta, à Deo missus, & Spiritu Dei actus exprimitur. 1 Reg. 13: 1, 4. Deut. 33: 1. Jer. 35: 4. &c. In N. Test. similis periphrasis est, ὁ ἄνθρωπος τοῦ θεοῦ, *homo Dei*, quâ minister Dei in annunciando ejus verbo & voluntate indicatur. 1 Tim. 6: 11, 2 Tim. 3: 17. Appellationis autem dictæ, איש אֱלֹהִים *viri Dei*, pro propheta, insignis extat explicatio 2 Pet. 1: 21. ὑπὸ πνεύματος ἁγίȣ φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι.

## Canon XXXV.

*Nomen* בַּעַל Dominus, *substantive in genitivo casu additum, eundem ferè cum præcedente idiotismum habet. Et de aliis etiam, quam hominibus, usurpatur.* Latissimè vocis hujus idiotismus patet, potest tamen ad hæc ferè capita reduci, quòd denotet

1. *Rei possessorem.*

Exod. 22: 8. בעל הבית *dominus domus*: paterfamilias. Sic in fœm. בַּעֲלַת הַבַּיִת *mater familiâs*, 1 Reg. 17: 17.

1 Sam. 28: 7. *Quærite mihi mulierem*, בַּעֲלַת אוב *dominam Pythonis*, hoc est, Pythona habentem, Pythonissam. Chald. דְּיָדְעָא לְאַסָּקָא בִּדִין *quæ sciat educere Pythonem*. LXX. ἐγγαστρίμυθον, ventriloquam.

2 Reg. 1: 8. בַּעַל שֵׂעָר *dominus pili*, h. e. habens pilum, pilosus.

Proverb. 1. vers. 17. *Frustrà spargitur rete in oculis omnis* בַּעַל כָּנָף *domini alæ*, hoc est, habentis alas, alati, seu alitis. Sic Eccl. 10. vers. 20.

Esa. 41: 15. *Ecce dispositurus sum te in tribulam dentatam novam*, בַּעַל פִּיפִיּוֹת *dominum rostrorum*, h. e. habentem rostra. Alii dominum στομάτων, h.e. bipennem: stylorum pinnas utrinque habentem, ut quamcunque in partem vertaris, adversarios teras.

Daniel. 8. vers. 6. *Et venit ad arietem*, בַּעַל הַקְּרָנַיִם *dominum cornuum*, h. e. possessorem cornuum, seu cornutum, q. d. cornupotentem.

Nah. 3: 4. *Propter amplitudinem scortationum scorti, pellentis gratiâ*, בַּעֲלַת כְּשָׁפִים *dominæ præstigiarum*, h. e. habentis præstigias, magistræ præstigiarum.

Sic quando בַּעַל *cum affixo* construitur. Eccl. 7. vers. 12. *Sapientia vivificat* בְּעָלֶיהָ *dominos suos*, seu *dominum ejus*, h.e. qui illam possident.

2. Rei

### 2. *Rei subjectum*, quocunque se modo habeat.

Gen. 14:13. *Et ipsi erant* בַּעֲלֵי בְרִית *domini seu viri fœderis Abram*, h. e. confœderati Abrami, qui cum ipso fœdus inierant. LXX. συνωμόται, conjurati. Eodem sensu Nehem. 6: 18. dicuntur בַּעֲלֵי שְׁבוּעָה *viri juramenti*, h. e. conjurati, fœderati.

Gen. 37: 19. בַּעַל הַחֲלֹמוֹת *dominus somniorum* h. e. somniator. LXX. ἐνυπνιασθείς. Forsan ad id respiciunt, quòd futuram dominationem in fratres Josephus somniaverit, q. d. est dominus, sed tantùm somniorum, & ita inanis, non reverà talis.

Gen. 49: 23. בַּעֲלֵי חִצִּים *domini sagittarum*, h. est, sagittarii, sagittandi periti.

Exod. 24: 14. בַּעַל דְּבָרִים *dominus verborum* seu *negociorum*, h. e. qui habet controversias, seu dubia aliqua.

Prov. 22: 24. *Ne commisceearis cum* בַּעַל אַף *domino iræ*, h. e. habente iram, seu iracundo, qui citò & graviter irascitur.

Prov. 23: 2. בַּעַל נֶפֶשׁ *dominus concupiscentiæ*; h. e. nimiâ appetentia præditus, (vox נֶפֶשׁ metonymicè id quandoque significat.)

Prov. 24: 8. *Cogitantem malefacere, ipsum* בַּעַל מְזִמּוֹת *dominum scelerum vocant*, h. e. scelestum hominem.

Cant. 8: 11. (al. 4.) *Vinea est Salomoni* בְּבַעַל־הָמוֹן *in domino multitudinis*, scilicet vini. h. e. in loco ferace. Lutherus, ut nomen proprium accipit, *Baal, Hamon*. Rab. Salomo *Jerusalem* intelligi ait, propter populi & civium multitudinem sic dictam.

Nah. 1: 2. *Ulter est Jehova*, וּבַעַל חֵמָה *& dominus æstus*, h. est, æstuans, iratus.

### 3. *Loci incolam seu habitatorem.*

Num. 21: 28. בַּעֲלֵי בָּמוֹת *domini excelsorum Arnon*, h. est, habitatores eorum. LXX. καὶ κατέπιε στήλας Ἀρνὼν, *& deglutivit columnas Arnon*. Legerunt בָּלַע deglutivit.

Jud. 9. vers. 2, 3, 6. &c. בַּעֲלֵי שְׁכֶם *domini* seu viri *Sichem*, h. e. habitatores ejus: Sichemitæ.

### 4. *Rei alicui, quacunque ratione, deditum.*

Eccles. 12. vers. 11. בַּעֲלֵי אֲסֻפּוֹת *domini collectionum*, h. e. qui collectiones seu collegia instituunt.

Prov. 18: 9. *Etiam remisse se gerens in opere suo, frater est* לְבַעַל מַשְׁחִית *domino disperditionis*. h. est, disperdenti seu dissipanti. Sensus: Ignavus perinde perdit res suas ac prodigus.

Sic quando בַּעַל *cum affixo construitur*.

Prov. 1: 19. *Ita se habent cœtus omnium deditorum quæstui, animam* בְּעָלָיו *dominorum ipsius* (scil. quæstus) *capiet*, h. e. deditorum ipsi. Sensus est: nemo illorum effugere exitium potest, & inevitabile est Dei judicium adversus avaros & impiè quæstuosos.

Prov. 3. vers. 27. *Ne cobibeto bonum*, מִבְּעָלָיו *à dominis ejus*, scilicet boni, hoc est, ab eis, qui opus habent, & ob urgentem necessitatem id expetunt. LXX. ἐνδεεῖ *indigenti*. Quidam, significationem vocis בַּעַל propriam attendens, eleganter de eleemosyna, ex hoc loco disserit: Beneficentia erga pauperes, sive eleemosyna, apud Hebræos dicitur צְדָקָה *justitia*, quia hominibus paupertate afflictis subvenire jus & æquum est. Si enim, quod res est, fateri volumus, nos bonorum, quæ à DEO accipimus, non tam domini sumus, quàm dispensatores. Veri enim domini sunt pauperes & egeni. Unde Hebræi dicunt: *Ne probibe bonum à Dominis ejus*, hoc est, ab egentibus. Huc spectat nota Junii: *Ne cobibeto bonum ab eis, qui opus habent*; Hebr. *à dominis ejus*, nimirum cohibiti boni, cujus dominum illum efficit necessitate, & te dispensatorem DEUS: quamobrem hæc beneficia in scripturis appellantur *justitia*, ut Proverb. 11: 18. & 2 Cor. 8: 9. Nec abjiciendus hîc Interpres vulgatus, qui בַּעַל significatione primâ, qua possessorem notat, accipit; & sic vertit: *Noli probibere benefacere eum, qui potest: Si vales, & ipse benefac*.

Proverb. 17: 8. *Velut gemma gratissima est munus in oculis* בְּעָלָיו *dominorum suorum*, seu *domini sui*, hoc est, dediti ipsi. Chald. מַאן דְּשָׁקֵל לֵהּ *ejus, qui accipit illud*.

Rabbinis etiam frequens hujus vocis usus est. Et præter dictas significationes, *auctorem operis scripti* seu libri notat. בַּעַל הַטּוּרִים *auctor libri Turim*, qui in Pentateuchum scripsit, & Cabbalistica multa in iis tradidit. בַּעֲלֵי מָסֹרֶת *auctores Masora*, Masorethæ, בַּעַל עָרוּךְ *auctor*

*ctor libri Aruch*, qui est lexicum Thalmudicum, sensa vocum Thalmudicarum explicans. De auctore ejus nominatim expresso videatur Drus. lib. 13. observ. c. 2.

Præter hoc alia etiam Rabbinis significat. בַּעַל־טוֹב *dominus* seu vir *bonus* hoc est, qui beneficium dat aut accipit. בַּעַל־דִּין & בַּעַל־מִשְׁפָּט *dominus judicii*, hoc est, habens causam coram judice discutiendam. בַּעַל־חוֹב *dominus debiti*, hoc est, debitor vel creditor. בַּעַל־נֵס *dominus prodigii*, hoc est, prodigii auctor; vel etiam cujus gratiâ fit prodigium. תּוֹרָה שֶׁבְּעַל הַפֶּה *lex, quæ dominus oris est*, hoc est, Lex oretenus tradita. בַּעֲלֵי־חַיִּים *domini vitæ*, h. e. prædita vitâ animantia. בַּעַל־קֶרִי *dominus accidentis*. Ita dicebatur, cui קרי accidens seu casus, hoc est, שכבת זרע *γονοῤῥοία*, contingebat. Hac pollutus summus Pontifex inutilis fiebat ad peragenda sacra בְּיוֹם הַכִּפּוּרִים in die expiationis. Unde sicut legitur in Hebræorum scriptis; in profesto expiationis per totam noctem vigilabant apud illum sapientes, qui disputabant & conferebant cum eo de sacrificiis & aliis rebus sacris ab ipso peragendis, quò in die ipso expeditior foret, & nusquam erraret. Nec non & Sacerdotes juniores, qui פִּרְחֵי כֹהֲנִים flores sacerdotii dicebantur, astabant illi, talitris, ne somnus ei obreperet, atque inde nocturnus casus accideret, excitantes. In Josepho libr. 17. antiq. Judaic. cap. 8. quædam leguntur, quæ huc pertinent. Demum apud Syros, בְּעֵל מַלְכָּא *dominus consilii*, hoc est, consiliarius: בְּעֵל דִּינָא *Dominus inimicitiarum*, hoc est, habens inimicitias, hostis. Matth. 5. vers. 25. בְּעֵל דִּינָךְ *dominus litis tuæ*, hoc est, adversarius tuus, &c.

## Canon XXXVI.

*Nomen* בֵּן filius, *& fœmininum* בַּת filia, *in regiminis statu positum, & cum nomine rei inanimatæ constructum, multos facit Hebraismos: & pro ratione additi genitivi diversimodè explicandum est.* Lutherus In comment. Genes. 49. fol. 739. idem significare dicit, quod Latinè dicimus, *Res* sive *Ens*.

I.

Si nomen *qualitatis vel adjuncti* addatur, tùm per *concretum* seu adjectivum ei respondens, facienda explicatio. Et πλεονάζειν ferè nomen filii, vel synecdochicè pro *homine* in genere poni, in aliquibus videtur.

Deut. 13. vers. 13. *Egressi sunt viri*, בְּנֵי בְלִיַּעַל *filii nequitiæ*. Chald. בְּנֵי רִשְׁעָא *filii impietatis*, hoc est, viri iniqui & impii. Jud. 19. vers. 22. emphaticè per pleonasmum additur, אַנְשֵׁי *viri filiorum Belial*, hoc est, improbissimi.

2 Sam. 2. vers. 7. *Sitis* לִבְנֵי חַיִל *in filios* seu *filii roboris*, hoc est robusti, fortes, strenui. Sic & 1 Regum. 1. vers. 52. Deut. 3. vers. 18.

2 Regum 14: 14. בְּנֵי הַתַּעֲרֻבוֹת *filii fide-jussionum*, hoc est, homines obsides.

Esai. 5: 1. *Vinea est dilecto meo, in cornu* בֶּן־שָׁמֶן *filio olei*, h. e. in clivo oleoso seu pingui, adeoque uberrimo. LXX. ἐν τόπῳ πίονι. Pagnin. *In colle, loco pingui.* Elegans metaphora, quâ *cornu* pro loco editiori sumitur, & is *filius olei*, h. e. pinguedine abundans dicitur. Lutherus eine Schmaltzgrube / darinnen alles wohl wachst. *Idem significat Gethsemane locus, ubi Christus traditus & prehensus est, quod reddit Hieronymus vallem adipeam*, (quasi גי־רשמני facilis autem lapsus de δ in θ, in γεθσημανῆ, Matth. 26: 36.) *sive pinguissimam; & scribit fuisse ibi miras delicias hortorum.* Hæc Luth. in Gen. 42. f. 645. b. qui ratione adjuncti hæc duo confert, non ratione ipsius loci: ibi enim *collis*: hîc *vallis* ponitur.

Luc. 16: 8. Οἱ υἱοὶ τοῦ φωτὸς, *filii lucis*, h. e. homines à Deo illuminati, quos Deus Spiritus sancti luce collustravit. Quibus ibidem opponuntur *filii hujus seculi*, h. e. homines præsenti vitæ addicti, qui σαρκικοὶ, *carnales*, ab Apostolo vocantur, oppositi πνευματικοῖς, qui filii lucis sunt. Paulò aliter *filii hujus seculi*, cap. 20. vers. 34. accipiuntur, pro hominibus in hoc mundo adhuc versantibus, quibus vers. 35. opponuntur glorificati sancti in resurrectione; qui dicuntur *filii resurrectionis*, vers. 36. h. e. beatæ resurrectionis participes.

Extat etiam appellatio υἱοὶ τοῦ φωτὸς, Johan. 12. vers. 36. 1 Thess. 5: 5. Ephes. 5. vers. 8.

Ephes. 2. vers. 2. υἱοὶ ἀπειθείας, *filii incredulitatis* seu *inobedientiæ*, h. e. homines increduli & inobedientes. Sic cap. 5: 6

1 Pet. 1: 14. τέκνα ὑπακοῆς, *filii obedientiæ*, h. e. obedientes.

Quandoque nomen *filii* subaudiendum. Heb. 10: 39. *At nos non sumus* ὑποστολῆς *subductionis*, scil. τέκνα *filii*; hoc est, non sumus ii, qui

qui nos subducamus in perditionem: sed *πίστεως fidei*, scil. τέκνα, *filii sumus*, hoc est, fideles seu verâ fide præditi, ad animæ salutem.

2.

Si nomen *præmii vel pœnæ* addatur, tùm per *dignum esse*, *destinatum esse*, facienda interpretatio.

1 Sam. 20: 31. *Quia* בֶּן־מָוֶת *filius mortis est*, hoc est, reus mortis, dignus ut interficiatur. Sic 2 Sam. 12: 6.

Psal. 102: 21. *Ad solvendum* בְּנֵי־תְמוּתָה *filios mortis*, hoc est, eos, qui destinati sunt occisioni, seu qui jam traduntur morti. Chald. בְּנַיָּא דִמְסִירִין לְמִיתוּתָא *filios, qui traditi sunt ad mortem*. Sic Psal. 79: 11.

Sic cum *infinitivus* pro nomine ponitur. Deut. 25: 2. בִּן־הַכּוֹת *filius cædendi* seu percussionis, hoc est, homo flagris dignus. Chald. בַּר חַיָּב לְאַלְקָאָה *filius dignus qui percutiatur*.

Matth. 23: 15. *Facitis ipsum υἱὸν γεέννης*, *filium gehennæ* seu *inferni*, hoc est, inferno & damnatione æterna dignum.

Luc. 10: 6. υἱὸς εἰρήνης, *filius pacis*; hoc est, homo pace dignus, ut exponitur Matth. 10. vers. 13. dignus à Deo factus, ut particeps fiat veræ illius pacis, quam Apostoli precabantur.

Joh. 17. vers. 12. ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, *filius perditionis*, hoc est, perditione dignus, perditioni destinatus. Loquitur Salvator noster de Juda proditore. Eadem appellatio Antichristo tribuitur, 2 Thess. 2. vers. 3. ubi emphaticè causa τῆς ἀπωλείας seu damnationis additur: ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς ἀπωλείας, *homo peccati*, *filius perditionis*. Confer 2 Pet. 2. vers. 1. Quidam genitivum istum pro genitivo *adjuncti* accipiunt, ut filius perditus intelligatur, quomodo filium contumacem Ebræus sermo vocat filium contumaciæ. Quidam etiam tribus de causis Judam dici *filium perditionis* ajunt. 1. Quia perdere conatus est ipsum Dei filium: 2. quia ab ipsa ἀπωλείᾳ ac perditione (quæ Satanas est, אֲבַדּוֹן ἀπολλύων dictus, Apoc. 9. vers. 11.) erat quasi natus & instructus, adque ad perdendum missus. Confer Joh. 6. vers. 70. cap. 13. vers. 2. Nonnus in paraphrasi: εἰ μὴ δαιμονίου φθισήνορος υἱὸς ὀλέθρου, *nisi Dæmonis exitiosi filius pestiferi*; 3. Quia perditioni & temporali & æternæ, ob propriam malitiam, tùm in scripturis sacris est πάλαι προγεγραμμένος, ut Epistola Judæ loquitur, vers. 4. (Confer Actor. 1. vers. 16. cap. 4. vers. 27.) tùm ipso actu ob propriam contumaciam & malitiam condemnatus.

Ephes. 2. vers. 3. τέκνα ὀργῆς, *filii iræ*, h. e. iræ rei, irâ digni; maledictioni & damnationi propter peccatum obnoxii, Rom. 5. vers. 12.

2 Pet. 2. vers. 14. κατάρας τέκνα, *maledictionis filii*, hoc est, maledictione digni, scil. ob peccata & vitia, quæ ibi enumerantur.

3.

Si nomen *ætatis seu temporis* addatur, tùm per *natum esse*, vel alia convenienti voce, facienda expositio.

Gen. 17. vers. 1. *Et fuit Abraham* בֶּן־תִּשְׁעִים שָׁנָה *filius nonaginta annorum, & novem annorum*, hoc est, natus erat 99. annos. Vide etiam vers. 12, 17. cap. 50. vers. 26. Num. 3. vers. 15.

Exod. 12. vers. 5. *Agnus integer masculus*, בֶּן־שָׁנָה *filius anni erit vobis*, h. e. anniculus: nimirum, qui annum non excesserit, etiamsi annum præcisè non complevisset: nam aptus incipiebat esse inde ab octavo die, cap. 22: 30. cap. 34: 26. Lev. 22. vers. 27. Deut. 14: 21.

1 Sam. 13. vers. 1. בֶּן־שָׁנָה *filius anni erat Saul in regno suo*, hoc est, agebat primum annum.

Esaiæ 65: 20. *Quia puer*, בֶּן־מֵאָה שָׁנָה *filius centum annorum morietur*, hoc est, si ad summam ætatem pervenerit, morietur demum: & sic justum vitæ spacium percurret sine impedimento ullo. Patet hæc explicatio ex præcedentibus verbis.

Jon. 4. vers. 10. *Tu parcis isti ricino, pro quo non laborâsti, & quem non educavisti*, שֶׁבִּן־לַיְלָה הָיָה וּבִן־לַיְלָה אָבָד *qui filius noctis fuit, & filius noctis periit*, hoc est, qui una nocte extitit, & unâ nocte periit.

Huc referunt etiam Gen. 37. vers. 3. *Israel diligebat Josephum præ omnibus filiis suis, quia* בֶּן־זְקֻנִים *filius senectutis erat ipsi*, h. e. natus ipsi in senectute. Græci talem τηλύγετον vel τηλυγέτην vocant. Chaldæus vertit, בַּר חַכִּים *filius sapiens*. Vide Lutherum in Gen. 37. f. 584. b.

4.

Si nomen *loci*, *urbis*, *populi*, addatur, tùm per *civem*, *incolam*, *alumnum* esse, vel per *patronymicum* nomen facienda est declaratio.

Gen. 15: 3. *En mihi non dedisti semen, & ecce* בֶּן־בֵּיתִי *filius domus meæ, hæres meus futurus est:* h. e. verna seu vernaculus meus.

Ibid. vers. 2. Interponitur alia vox inter prænominatas duas, וּבֶן־מֶשֶׁק בֵּיתִי *& filius discursationis domus meæ* (שׁקק *discurrere*) hoc est, *vel* is, qui jugiter discurrens (verba sunt Fulleri lib. 3. cap. 15. miscell. sacr.) omnes domus meæ partes perlustrat, ut cui totius familiæ cura & solicitudo incumbat: *vel* is, ad quem recurrit aut continenter adit familiæ meæ quilibet, videl. rationes ei redditurus, aut res ab eo necessarias petiturus, aut ex illius auctoritate aliud quidvis facturus. cap. 24. vers. 2. *senior domus* appellatur, *qui præerat omnibus, quæ habet Abraham.* Est igitur descriptio servi præcipui, qui omnium rerum domesticarum procurator est, (uti Chaldæus etiam reddit) cujusmodi servus, *familiæ columen*, apud Terentium Phor. 1. vers. 5. dicitur. Quidam vocem משק à מָשַׁק deducunt, unde מִמְשַׁק *derelictio*, ut sit sensus: *filius derelictionis domus meæ*, hoc est, cui ut hæredi extraneo domus & bona mea possidenda relinquentur. Cui expositioni contextus apprimè favet.

Gen. 23: 11. *In oculis* בְנֵי עַמִּי *filiorum populi mei*, h. e. ut Græci vertunt, ἐναντίον πάντων τῶν πολιτῶν μȣ, coram omnibus civibus meis: præsentibus popularibus meis. Sic Jud. 14: 16. 2 Par. 35: 13.

Gen. 36: 39. *Nomen verò uxoris ejus Mehetabeel, filia Matredi*, בַּת מֵי זָהָב *filia Mezahab*, h. e. Mezahabensis. Est enim hoc nomen urbis, quæ Syriacè מֵי דְהַב h. e. *aqua aurea*; à Ptolomæo verò *Medava* appellatur. Jun.

Esr. 2: 1. *Et hi sunt* בְּנֵי־הַמְּדִינָה *filii provinciæ illius*, h. e. homines, qui habitarunt in illa provincia, videl. Babyloniâ.

Psalm. 149. vers. 2. בְּנֵי צִיּוֹן *filii Zion exultent in Rege suo*, h. e. incolæ Zion seu Jerusalem.

Eccl. 2: 7. וּבְנֵי בַיִת *& filii domus fuerunt mihi*, h. e. vernæ: familia.

Esaiæ 11. v. 14. בְּנֵי קֶדֶם *filii orientis*, hoc est, incolæ orientis, seu orientales populi.

Jer. 2: 16. *Etiam* בְּנֵי נֹף *filii Noph.* hoc est, Nophi incolæ, seu Nophæi.

Ezech. 16: 26. *Et scortata es* אֶל־בְּנֵי מִצְרַיִם *cum filiis Ægypti*, hoc est, Ægyptiis. Sic & vers. 28.

Ezech. 30: 5. וּבְנֵי אֶרֶץ הַבְּרִית *& filii terræ fœderis*, h. e. incolæ ejus regionis, quibuscum fœdus initum est. Seu simpliciter, juncti fœdere.

Huc referunt, cum *filia Zion*, 2 Reg. 19. vers. 21. *filia Jerusalem*, Thren. 2. vers. 16. *filia Tyri*, Psal. 45. vers. 13. *filia Babel*, Zach. 2. vers. 11. pro harum civitatum & regionis hujus incolis & habitatoribus sumitur. Collectivè tota civitas seu regio instar mulieris seu virginis filiæ proponitur, unde & metropolis אֵם reliquarum circumjacentium qs. *mater*, Hebræis appellatur, & urbes minores, vici pagi, בְּנוֹתֶיהָ *filiæ ejus* dicuntur, Jos. 17. vers. 26. De qua locutione plura in Rhetorica sacra, quando de prosopopoeia tractabitur.

Ex N. Test. huc referendum, Matth. 8. vers. 12. οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας *filii verò Regni ejicientur in tenebras exteriores.* Filii regni, hoc est, indigenæ, seu qui naturaliter regno subjuncti sunt. Intelligitur autem regnum Dei, ad quod pertinebant in genere quicunque erant ex Abrahæ genere. Dicunturque emphaticè *filii regni* potiùs, quàm *filii Regis*, quia multi sunt in Regno, quos tamen Rex tandem ut infidos rejicit.

5.

Si nomen *rei continentis* addatur, tùm ad sensum commodè facienda est explicatio. Est enim in hoc rei alicujus periphrasis.

Job. 41: 19. *Non fugabit eum* בֶּן־קָשֶׁת *filius arcus, h. e. sagitta.*

Thren. 3: 13. *Immisit in renes meos* בְּנֵי אַשְׁפָּתוֹ filios *pharetræ suæ*, h. e. sagittas suas; quæ sc. pharetra continentur & exinde depromuntur.

Esaiæ 21: 10. בֶּן־גָּרְנִי *filius areæ meæ*, h. e. frumentum, quod in area mea trituratur & ventilatur.

Esai. 23: 10. בַּת־תַּרְשִׁישׁ *filia maris*, seu Oceani, h. e. navis.

Huc referunt, Psalm. 17. vers. 8. *Custodi me* כְּאִישׁוֹן בַּת־עָיִן *ut nigrum filiæ oculi* (ita Arias Montanus vertit) h. est, nigrum pupillæ. Sed בַּת non *filiam* significat, sed contractum est, pro בָּבַת in statu absoluto בָּבָה *pupilla.* Ita igitur vertendum: *ut nigrum pupillæ oculi*, אִישׁוֹן in hac locutione quidam *pupillam* significare volunt, ut diminutivum ab אִישׁ *vir*, & virunculum vocari pupillam, quod in illa viri quædam parva videatur imago. Kimchi in Psalm. 17. Pagn. Inst. Gram. l. 2. c. 8. Sed usurpatur אִישׁוֹן etiam de nigredine noctis, ac tenebrarum Prov. 7: 9. c. 20: 20. ubi virunculi imago nulla.

Ex

Ex N. Test. huc pertinet, Matt. 9: 15. *οἱ υἱοὶ τοῦ Νυμφῶνος filii thalami nuptialis*, h. e. amici sponsi, versantes in sponsi conclavi. Græci *παρανυμφίους* appellant. *Νυμφὼν sponsi conclave* est, sicut *ἀνδρὼν virorum*.

## 6.

Sunt & aliæ locutiones, singulariter notandæ, & congruè explicandæ.

Job. 38:32. *Filii Arcturi*, hoc est, stellæ Arcturo vicinæ: signa borealia. *Educesne remotiora signa tempore suo? & Arcturum* עַל־בָּנֶיהָ *cum filiis suis duces.*

Eccl. 12:4. כָּל־בְּנוֹת הַשִּׁיר *omnes filii cantici*, h. e. omnia canora. Quidam periphrasticè denotari aures hominis putant, in quibus recipitur & auditur cantionum sonus.

Cant. 6. vers. 14. (al. 7: 4.) *Ad portam* בַּת־רַבִּים *filiam multorum*, h. e. frequentissimam. Intelligitur porta gregis, secundum quam piscinæ Hierosolymitanæ clarissimæ erant factæ: (quæ h. l. piscinæ בְּחֶשְׁבּוֹן *in artificio*, h. e. artificiosissimæ dicuntur. Inter eas etiam erat piscina illa quinque porticibus constans, nomine *Bethesda*, Joh. 5. vers. 2.) Dicitur autem *porta gregis* frequentissima, quia illa una simul aditum patefaciebat ad tria Jerusalaimorum oppida, & ad templum ipsum domumque Davidis, in eaque habebatur forum maximum, Neh. 3:1. Vide Junium in utrumque locum, Cant. 6. & Neh. 3.

Esai. 14. vers. 13. *Quomodo cecidisti ex cœlo Lucifer*, בֶּן־שָׁחַר *filius auroræ*, h. e. *ὁ πρωῒ ἀνατέλλων, manè oriens.* Alii: *natus aurorâ*, hoc est, qui velut alumnus est comes auroræ, ut pulli hærentes lateribus matrum (nam & hi filiorum nomine veniunt, Gen. 18. vers. 7. Lev. 1. vers. 14. Psal. 29. vers. 6. Psal. 147: 9.) Figuratur autem periphrasi stellæ matutinæ seu Luciferi Rex Babylonius, ut ex contextu patet.

[a] Ezech. 27. vers. 6. *Tabulas tuas* (hoc est, transtra tua) *faciebant* שֵׁן בַּת־אֲשֻׁרִים *ex dente filia gressuum* (artifices) *ex insulis Chittæorum*. *Dens filia gressuum*, hoc est, ebur gressibus tritum. Illud enim demum germanum ebur est & præstantissimum, quod ab elephantibus defoditur in terram, & in ea per justum tempus pedibus tritum est. De quo videatur Plinius hist. natur lib. 8. cap. 3. In Hebr. בַּת in fœm. dicitur, quia שֵׁן *dens*, generis communis est. Chaldæus interpres textum Hebræum ita explicat, ac si in eo scriptum esset, בְּתְאַשֻּׁרִים (unicâ voce, hoc est, *ex buxis*, seu ex buxo arbore, quomodo Es. 41. vers. 19. hoc nomen extat) ita enim vertit: דַּפִּין דְּאֶשְׁכְּרוֹעִין *asseres buxorum*, seu *tabulas buxinas*, quod nomen in adducto etiam Esaiæ loco adhibet. Et hujus sententiam approbat R. Salomo, & (ut videtur) Schindlerus noster. LXX. Interpretes adhuc aliter interpretantur, ac si scriptum in Hebr. esset, בֵּית־אֲשֵׁרִים *domus lucorum* seu sylvarum. Vertunt enim *τὰ ἱερά σου* (in Hebr. קָרְשֵׁךְ legerunt, קְרָשֵׁךְ) *ἐποίησαν ἐξ ἐλέφαντος, οἴκους ἀλσώδεις ἀπὸ νήσων τῶν χεττιείμ*, h. *Templa tua fecerunt ex ebore, domos sylvestres de insulis Chettiim.* Demum R. Kimchi illud בַּת־אֲשֻׁרִים ita interpretatur: ut eo non materia, sed efficiens notetur. *Sensus est*, inquit, *cœtus Assyriorum* (עדת אשורים) *fecerunt tibi transtra eboris seu eburnea, quod ebur adduxerunt ex insulis Cittijim &c.* cujus sententiam ex asse exprimit Pagninus, sic vertens: *Tabulatum tuum fecerunt eburneum, congregatio Assurim.* Benè autem Buxtorffius monet, si gentem significet Hebræum nomen, semper cum Dages scribi, אַשּׁוּרִים *Assyrii.* Prima igitur interpretatio simplicissima est. Et scopus Prophetæ est, exprobrare Tyriis immanem luxum, q. d. re navali non tantùm ad necessitatem aut commoditatem utebantur, verùm etiam ad delicias luxumque profusissimum, cum materiam preciosissimam. (qualis ebur optimum est) ad res navium sordidissimas adhiberent. Tantum de hoc loco.

Galat. 4: 28. *τέκνα εὐαγγελίας, filii promissionis*, h. e. qui promissionem Euangelicam verâ fide amplectuntur, & sic gratis, propter Christum, sine lege justificantur.

[b] B. Lutherus huc refert appellationem *vallis Ben-Hinnom*, Jos. 15. vers. 8. cap. 18. vers. vers. 16. 2 Paral. 28. vers. 5. *Ego malim* (inquit in Genes. 42. fol. 645. b.) *exponere Ben pro filio, non hominis alicujus, sed juxta consuetudinem scripturæ sanctæ, quæ peculiari phrasi solet dicere, filium mortis, filium pharetræ pro sagitta &c.* Et iterum: *Vocabulum Hinnom significat gratis. Arbitror autem, ideò hanc vallem sic dictam esse, quod esset locus publicus, in quem cuivis liberum esset gratuitò expatiari, sicut sunt apud nos nemora, quæ nemo sibi privatim vendicat, præter principem terræ, & patent omnibus ejus subditis &c.* Hæc Lutherus. Sed חִנָּם *gratis*, per ח scribitur: Vallis autem *Ben-Hinnom*, per ה hoc modo הִנֹּם. Rectiùs igitur *Hinnom* pro nomine proprio viri habetur, qui eam vallem antiquitùs possedit: & post eum filii ejus. Unde vallis filii seu filiorum Hinnom dicitur. De hac valle etiam dicetur in tract. de nomine proprio.

Idem Lutherus huc reducit locum Genes. 49. vers. 22. בֵּן פֹּרָת *filius fructificans Joseph.* Non

[a] Dens filia gressuum.

[b] Ben Hinnom.

*Non intelligitur*, inquit, *naturalis aut hominis filius, sed rei inanimatæ, videl. crescentiæ, q. d, frugiferum quiddam & structuosum valdè &c.* Alii בֵּן *filius*, post se regere פֹּרָת statuunt, ut sit; *filius fœcundæ* scil. arboris, h. e. ramus fœcundus. (פֹּרָת pro פֹּרָה, à פָּרָה *fructuosus fuit*, sicut dicitur, אוֹיֶבֶת & אוֹיֶבֶת quo exemplo hîc utitur Aben-Ezra.) Sic igitur enallage status absoluti pro constructo hîc est. Et comparatur Joseph ramo arboris vel vitis fœcundæ, ut ad nomen ejus (uti quibusdam placet) allusio fiat: Joseph enim ab adjiciendo & accrescendo dicitur. Aliis placet allusionem fieri ad nomen Ephraimi (cui Israel præ Manasse fratre benedixit, cap. 48.) qui dictus est quasi fructificans, ab eadem radice פָּרָה Gen. 41. verf. 52. Baal Turim Josephum בֵּן פֹּרָת inter alia dici asserit, quasi בֵּן פֹּתֵר per litterarum metathesin) *filius interpretans*: à somniorum, quâ pollebat, divinitus instructus, interpretatione.

Eodem idiotismo Rabbini nomen יְהוָה vocant שֵׁם בֶּן־אַרְבַּע אוֹתִיּוֹת *nomen, filium quatuor literarum*, h. e. nomen quatuor literis constans. Iisdem celebrata appellatio est, בַּת־קוֹל *filia vocis*, q. d. non vera seu solida vox, sed quasi Echo, vocisque repercussæ repræsentatio, quâ Deus responsa cœlitus edebat, postquam Prophetia cessasset. Et cum tonitru fere conjuncta erat, quòd קוֹל *vox*, κατ' ἐξοχὴν in scripturis dicitur. Vide Clarissimos Viros, Schindlerum in Lex. rad. קוֹל, & Heinsium, in Aristarcho sacro, cap. 25.

Ex profanis etiam conformia dictis afferuntur. Horatius 1. carm. od. 14. *filia sylvæ pinus*. Item alibi: *Fortunæ filius; Terræ filius; Albæ gallinæ filius; Veritas filia temporis &c.*

a Contra Gordonum Huntlæum Jesuitam.

a Cæterum de idiotismo significationis in voce בֵּן *filius*, insuper notandum est, Jacobum Gordonum Huntl. Jesuitam, in epit. controv. pag. 81. adstruere; *quod* בֵּן *apud Hebræos diminuat significationem rei, cui adjungitur: significetque vel effectum, vel partem, vel incohationem & quasi ædificationem illius rei: cùm radix, à qua descendit,* בָּנָה *significet propriè ædificare.* Hinc villas adjacentes civitati sæpè dici ait *filias ejus*, ut Jos. 17: 11. Pupillam oculi vocari *filiam oculi*, Ps. 17: 7. Pullum nondum adultum, dici *filium asini*, Zach. 9: 9. Et sic porrò *filium unius vel plurium annorum* significare illum, qui annum illum nondum complevit; id quod constare etiam evidenter ait Exod. 12. verf. 5. ubi dicitur, quod agnus Paschalis deberet esse *filius unius anni*, non quòd jam absolvisset annum, sed quòd debeat agere primum annum, & illum nondum absolvisse. Hactenus Jesuitæ opinio, eo prolata fine, ut vulgatam versionem Latinam Gen. 37. verf. 2. Hebræo contextui conformem esse ostenderet. Quando enim in Hebræo dicitur, quod Joseph fuerit *septemdecim annorum*: Vulgata habet, *sexdecim annorum*. Conformitatem igitur ex Hebræa phrasi elicere conatur. Quia enim בֵּן uti dictum, inchoationem rei, cui adjungitur, notat, igitur phrasin illam (*Joseph filius septendecim annorum*) notare vult, quod Joseph *decimum septimum* egerit, necdum compleverit: id quod Vulgatus interpres clariùs vertit, *sexdecim annorum* fuisse, h. e. annum decimum sextum complevisse &c. Resp. Aliquot hîc inesse falsitates. 1. Falsum est, בֵּן *diminuere significationem rei, cui adjungitur*, & hoc habere ex vi etymi, cùm à בָּנָה sit, quod *ædificare* significat. At verò quàm infirma sint, quæ ex etymologiis vocum ducuntur, argumenta, non in aliis solùm linguis, sed Hebræa etiam, satis compertum est, cum vox derivata longè aliud sæpè significet, quàm ipsa radix, à qua deducitur. בֵּן quidem à בָּנָה est, verum non *ædificandi* significationem propriam obtinet ullam, sed *filium* propriissimè significat; per idiotismum autem & ex usu Scripturæ, alia etiam notat, uti exempla hactenus enarrata ostendunt. Ex quibus inter alia videre est, *tùm* quòd בֵּן sæpiùs ad diminutionem rei nullum omnino respectum obtineat; *tùm* quòd contraria potiùs ratione exaggerationem rei innuat. Deut. 13. verf. 13. *filii nequitiæ* sunt, non qui leviter mali sunt, sed qui insigniter impii improbique. 2 Sam. 2. verf. 7. *filii roboris* sunt viri strenui, robusti, fortes, non diminutivè, sed excellenter, quod exhortatio ibi posita innuit. Es. 5. verf. 1. locus vineæ dilecti, à Propheta vocatur *filius olei*, metaphoricè, h. e. pinguissimus & uberrimus. Nec ab hac significationis augmentatione abludit etiam etymon, cui tàm firmiter Jesuita innititur. בֵּן enim, *filius*, non à בָּנָה est, quâ ipsam ædificationis nondum completæ actionem ea vox notat, sed quâ perfectum & absolutum ejus opus significat, (significat autem hoc eò magis, quo finis & effectus nobilior est ipsa actione & medio, ad illum finem obtinendum, & effectum producendum instituto & ordinato,) dicitur quippe sic, quòd sit ex parentibus extructus, vel quòd sit quasi ædificium & structura parentum, sicut Plaut. in Mostell. actu 1. ait, *novarum esse ædium arbitror similem ego hominem, quando hic natus est.* Unde & בָּנָה de actu ædificationis completo usurpatur, 1 Reg. 10. verf. 4. *Et vidit Regina Sabæ omnem sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificavit.* Ezech. 27. verf. 4. בֹּנַיִךְ *architecti con-*

*consummârunt pulchritudinem tuam.* In aliis de ampliatione, mutatione aut conservatione ædificiorum, 1 Reg. 12. vers. 25. cap. 16: 24. &c. itemque metaphoricè de exaltatione, incremento, prosperitate, stabilitate hominum & aliarum rerum, usurpatur, Job 22. vers. 23. Jer. 12. vers. 6. cap. 31. vers. 34. Mal. 3. vers. 15. &c. Hæcnè inchoationis & imperfectionis sunt? Quòd si igitur etymis vocum agere liberet, totum, quod à Jesuita affertur, ex jam dictis inverti facilè posset. 2. Falsum proinde etiam est, *vel effectum, vel partem, vel incboationem rei, huc voce*, tantùm (nec enim alia significata Jesuita enarrat) *significari.* Classes significationum hucusque traditæ longè aliud loquuntur. Quod villæ adjacentes civitati dicuntur *filiæ ejus*, per metaphoram fit, & non vocis etymo, sed analogiæ, quæ villæ cum filia, civitati cum matre intercedit, adscribendum. Pupillam oculi vocari *filiam oculi*, gratis dicitur, ut ex paulò antè dictis constat. Et posito ita vocari, quid tùm postea? Metaphorica esset & hæc acceptio. Pullum nondum adultum vocari *filium asini*, (in Hebr. est בֶּן־אֲתֹנוֹת *filius asinarum*) itidem metaphoricum est & *προσωποποιητικόν*, nihil huc pertinens. 3. Falsum est, *quod filius unius, vel plurium annorum significet illum, qui annum illum nondum complevit:* nimirum necessario & semper, quod Jesuita intendit. Quandoque hoc ita esse, concedimus, sed non ex vi vocis בֵּן, verum ex consuetudine Scripturæ sacræ, quæ tempus & annos quandoque completè, quandoque incompletè intelligendos numerat, uti in chronologia docetur. Vide sis autem contrarium quoque. Num. 3. vers. 15. Levitæ recenseri jubentur מִבֶּן־חֹדֶשׁ וָמַעְלָה *à filio mensis & ultrà.* Hic necessariò mensis completus intelligitur; nec enim infrà id tempus ætate positos numerare licebat. Locum Exod. 12. vers. 5. quod attinet, agnus *filius anni* ibidem est anniculus: ponitur terminus, quem ætas Paschalis agni excedere non debebat: aptus autem is erat, etiamsi terminum illum nondum attigisset, ut paulò antè dictum. Interim hoc exemplum non inducit universalitatem, nec aliis exemplis, in quibus בֵּן, numero ætatis additum, significat completè, quicquam præjudicat. 4. Falsum demum est, *vulgatum interpretem ad supra positam vocis* בֵּן *significationem respexisse*, dum Genes. 37. vers. 2. *sedecim* pro *septendecim* posuit: *tùm*, quòd non entis nulla sunt accidentia, nullus respectus; *tùm* quòd & alia ferè infinita, quibus à textu Hebræo, & vero ejus sensu, vulgata illa versio discedit, & sic pro veritate manifestos errores amplexa est, quod sufficienter à nostris ostensum. Si in uno tàm subtiliter & accuratè (uti Jesuita existimat) Interpres ille vocis Hebrææ genuinam vim attendit, & *clariùs*, quam in Hebræo est, vertit; cur non idem fecit in multis aliis, atque ita à tot erratis cavit? Et quos, quæso, Hebræarum vocum idiotismos respexit, dum Genes. 8. vers. 4. diem *vicesimam septimam* pro *decimâ septimâ*: Genes. 11: 13. annos *trecentos tres* pro quadringentis tribus Gen. 24. v. 22. duos siclos pro *dimidio siclo*, posuit? Sed mitto hæc, & ad alia progredior.

## Canon XXXVII.

*Nomen* בֵּית domus, *in statu constructo positum, pro quovis continente, vase, seu loco accipitur.*

Deut. 5. v. 6. בֵּית עֲבָדִים *domus servorum*, h. e. locus, in quo duræ servituti obnoxius erat populus Israël. Conf. Lev. 26. v. 13.

Jud. 16: 21. בֵּית הָאֲסִירִים *domus vinctorum*, hoc est, carcer. Sic 2 Sam. 20: 3. בֵּית מִשְׁמֶרֶת *domus custodiæ*, h. e. custodia. Jer. 37. v. 4. בֵּית הַכְּלוּא *domus coërcitionis*, h. e. carcer, & vers. 15: 18. בֵּית הַכֶּלֶא eodem significatu.

2 Sam. 15: 17. *Et steterunt* בֵּית הַמֶּרְחָק *in domo remotionis*, h. e. in loco quodam remoto. Targum: בַּאֲתַר רַחִיק *in loco remoto*, seu longius distante Hierosolymis.

Eccl. 7. vers. 2. (al. 3.) בֵּית אֵבֶל *domus luctus*, locus luctus, qualis est sepulcretum, funus, rogus & similia. Ibid. בֵּית מִשְׁתֶּה *domus convivii*, h. e. locus, ubi convivium instruitur & agitatur.

Eccl. 12: 5. *Quia abit homo ad* בֵּית עוֹלָמוֹ *domum seculi sui*, h. e. sepulchrum; locum scil. perennem, ex quo non transfertur, sed in eo manet, usque ad resurrectionem mortuorum. Targ. קְבוּרְתֵהּ *sepulchrum suum.*

1 Reg. 18: 32. *Et fecit aquæ ductum*, כְּבֵית סָאתַיִם זֶרַע *quasi domum duorum satorum seminis, circum altare*, hoc est, fecit circa altare foveam, in qua decurrerent aquæ; & latitudo istius aquæductus, erat juxta mensuram loci seminis duorum satorum; seu loci capientis quasi duo sata sementis.

Job. 30: 23. בֵּית מוֹעֵד *domus constitutionis*, h. e. sepulchrum. Targum קְבוּרְתָּא מְזַמַּן *sepulchrum paratum.*

Cant. 2: 4. בֵּית הַיָּיִן *domus vini*, hoc est, locus convivii, vel, ut alii, promptuarium vinum continens.

Esa. 3. vers. 21. וּבָתֵּי הַנֶּפֶשׁ *domus animæ*, Jun. vertit *bucculas*, & intelligit superba illa aulicarum instrumenta, quibus os suum contegunt velut pastomidibus. Est enim os meatus animæ sive anhelitus, cujus obex proptereà domus animæ appellatur. Alii intelligi dicunt vascula seu pixides olfactorias, quæ exhalant ex se animam, h. e. halitum gratum, quæ gestari à lautis fœminis solent in deliciis. Lutherus: Die Biesemäpffel. Alii non tam fœminarum ornamenta, quam vasa aut myrothecia fuisse putant, in quibus illa servabantur à fœminis unguenta, quibus mensam, lectum, aut vestimenta, εὐωδίας causa, adspergebant, Proverb. 7. vers. 17. Psal. 45: 9. Matth. 26. vers. 7.

In hac significatione nomen בֵּית frequentissimum est Chaldæis.

Gen. 1: 10. *Congregatio aquarum.* Targ. בֵּית כְּנִישׁוּת *domus congregationis.*

Cap. 13: 10. *Irrigua terra.* Targ. בֵּית שַׁקְיָא *domus rigationis.*

Cap. 18: 7. *Armentum.* Targ. בֵּית תּוֹרִין *domus boum.*

Cap. 42: 27. *Diversorium.* Targ. בֵּית מְבָתָא *domus pernoctationis.*

Exod. 1. v. 10. *Urbes thesaurorum.* Targ. בֵּית אוֹצְרַיָּא *domus thesaurorum.*

Exod. 28. vers. 38. *Frons Aharonis.* Targ. בֵּית עֵינוֹהִי דְאַהֲרֹן *domus oculorum ipsius Aharonis.*

Jer. 5: 27. *Aviarium.* Targ. בֵּית פַּטְמָא *domus saginationis.*

In Syriaca lingua. Luc. 12: 4. ܒܝܬ ܩܘܪܒܢܐ *domus oblationis*, hoc est, γαζοφυλάκιον, seu arca muneribus Deo oblatis destinata.

Denique apud Rabbinos etiam frequens est vocis hujus usus. Unde hæ locutiones: בית יד *domus manus*, & בית אצבעין *domus digitorum.* h. e. chirotheca. בית זרע *domus seminis*, h. e. ager. בית חץ *domus sagittæ*, h. e. pharetra. בית אפין *domus faciei*, h. e. velamen. בית כנישות *domus congregationis*, h. e. Synagoga. בית אולפנה *domus doctrinæ*, h. e. Schola. בית המדרש *domus studii.* h. e. gymnasium, schola, בית בעיר *domus jumentorum*, h. e. stabulum, בית המרחץ *domus lotionis*, h. e. balneum. בית הכסא *domus sedis*, h. e. latrina. בית המים *domus aquarum*, locus, ubi mingitur &c.

## *Continuatio.*

Hactenus de Idiotismo status constructi, in genere & specie: sequitur ejusdem *Pleonasmus*, de quo Canone sequenti.

## Canon XXXVIII.

*Duobus substantivis in regiminis statu copulatis, significatio posterioris vel unicè, vel cumprimis attenditur, & prius πλεονάζεσθαι videtur.*

Hic autem pleonasmus de lingua intelligendus eâ, in quam fit translatio. In ipso enim Hebraismo elegantiæ potiùs & loquendi idiotismo id adscribendum.

Voces, quæ pleonastico huic dicendi modo subjacent, sequentes sunt.

### פָּנִים *facies.*

Gen. 1. v. 2. *Et tenebræ erant* עַל־פְּנֵי תְהוֹם *super facie abyssi*, h. e. in abysso. Quidam in hoc, & quibusdam seqq. per faciem intelligunt *superficiem.*

Gen. 23. vers. 3. *Et surrexit Abraham* מֵעַל־פְּנֵי מֵתוֹ *à facie mortui sui*, h. e. à mortuo suo, (masculino utitur, cùm tamen de mortua Sarâ sermo sit, quia respicit ad גוף *corpus*) Vulgata alienè: *Cum surrexisset Abraham ab officio funeris.* Ex quo Bellarminus lib. 1. de purgat. cap. 5. imperitè colligit, *implicitè contineri in Genesi mentionem purgatorii: quando enim dicitur* Genes. 23. *& surrexit Abraham ab officio funeris: quis prohibet* (inquit) *per illud officium, intelligere non solùm lacrymas, sed etiam orationem & jejunium, videl. pro defuncta uxore.* At in textu originali ne vestigium quidem vocis *officium* videre licet. Et sensus simplex est, quod plangere Abraham desierit, & de sepultura honesta inierit cogitationes, de qua sequens textus memorat.

1. Sam. 14: 26. *Et erat mel* עַל־פְּנֵי הַשָּׂדֶה *super facie agri*, hoc est, in agro.

Esa. 14: 21. *Et impleant* פְּנֵי תֵבֵל *faciem orbis habitabilis civitatibus*, hoc est, orbem habitabilem.

Sic in N. T. Luc. 21: 35. πρόσωπον γῆς *faciei terræ*, h. e. terra.

פֶּה *Os*,

### פֶּה *Os, oris.*

Abundare dicitur nomen פִּי constructum, ex פֶּה *os:* si scil. *gladio* addatur. Deut 13. vers. 15. *Percutiendo percuties habitatores urbis hujus* לְפִי חָרֶב *ore gladii*, h. e. gladio. Ubi Chald. habet לְפִתְגָם חֶרֶב *acie gladii.* Commodè igitur *acies* voce *oris* intelligitur, metaphoricè: sicut enim ore & dentibus ferarum fit morsus & læsio: sic & gladii acie objecti homines læduntur & occiduntur. Sic Luc. 21. vers. 24. *Et cadent* στόματι μαχαίρας, *ore* seu *acie gladii.* Ex hac significatione pluralis etiam legitur, Jud. 3. vers. 16. *Et paravit sibi Ebud gladium, & ipsi* שְׁנֵי פֵיוֹת *duo ora*, h. e. duæ acies, duo latera acuta. *Sic* ῥομφαία δίστομος, Apoc. 1. vers. 16.

Evidentior vocis hujus pleonasmus est in his.

Gen. 43: 7. עַל־פִּי הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה *secundùm os verborum istorum*, h. e. juxta verba hæc. Ubi Chaldæus duo synonyma conjungit: *secundùm verbum sermonum istorum.*

Num. 26: 56. עַל־פִּי הַגּוֹרָל *secundùm os sortis dividitur possessio ejus*, h. e. secundùm seu per sortem.

Proverb. 22. vers. 6. *Instrue quemque puerum* עַל־פִּי דַרְכּוֹ *secundùm os viæ suæ*, h. e. juxta viam ejus, seu ad rationem viæ ejus. Sensus: prout ad vitam piè, justè & honestè transigendam informandus est, in iis rebus, quæ ad Dei cultum, hominum societatem, singulariaque officia pertinent.

Sic expletiva hæc particula פִּי est cum servilibus, ל & כ, ut לְפִי & כְּפִי sit *juxtà, secundùm*, Gen. 47. vers. 12. Exod. 16. vers. 21. Mal. 2: 9.

### בָּנִים *filii.*

Psal. 36. vers. 8. בְּנֵי־אָדָם *filii hominum*, hoc est, homines. Sic Marc. 3. vers. 28. υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων &c. Matth. 5. vers. 16. quod in Græco est, *coram hominibus:* In Syro est בְּנַי נָשָׁא *filii hominum*, duabus vocibus in unam contractis. (Alia autem ratio est, quando in specie בְּנֵי אָדָם *filii hominis* dicuntur plebeji, plebs infima, vulgus: quibus opponuntur בְּנֵי אִישׁ *filii viri*, qui sunt magnates, & dignitate pollentes, Psal. 49. vers. 3. Psal. 4. vers. 3.) Sic Christus seipsum appellat sæpissimè *filium hominis*, hoc est, hominem, κατ' ἐξοχὴν Matth. 16. vers. 13. cap. 20. vers. 28. &c. Frivolum est, quod quidam putant, Christum ob id dici *Filium hominis*, quod ex matre duntaxat sit progenitus: Quod rectè Erasmus refellit ex eo, quod homini præponatur articulus masculinus τοῦ. Idem verò articulum non minùs perperam exponit, ac si certus homo, nempè Adam (quod nomen *hominem* Hebraicè significat) intelligatur. Non certè ad primum humanæ naturæ parentem, sed ad ipsam humanitatem veram, à filio Dei assumtam, hac appellatione respicitur. Sic & Ezechiel sæpius à Deo dicitur *filius hominis*, cap. 2. vers. 1. 11. &c. August. tom 2. epist. 120. ad Honorat. cap. 8. vers. 9. nimis subtiliter distinguit inter *hominem & filium hominis*, & mysticum quid in eo quærit. Ut & comm. in Psalm. 136. (Lat. 35.) tom. 8. col. 271.

Psalm. 127. vers. 4. בְּנֵי הַנְּעוּרִים *filii juventutis*, h. e. juvenes: Quidam tamen interpretantur, *filios in juventute procreatos.* Et sic בְּנֵי non abundat.

Joël. 3. vers. 6. (al. 11.) בְּנֵי הַיְּוָנִים *filii Græcorum* hoc est, Græci. Sic Deut. 9. vers. 2. בְּנֵי־עֲנָקִים *filios gigantum*, hoc est, gigantes. Fuit *Anak* nomen proprium gigantis celebris, Num. 13: 22, 28. Sed id posteà ad omnes gigantes traductum fuit.

In Chaldaismo, Esai. 34. vers. 12. Dicuntur בְּנֵי חוֹרִין *filii ingenuorum*, seu *nobilium*, h. e. ingenui, nobiles, sicut in Heb. est חוֹרִים *ingenui* seu *liberi.*

Apud profanos hujus generis occurrunt, υἷες ἀχαιῶν *filii Achivorum*, hoc est, Achivi seu Græci, Homer. Il. α. Sic dicitur, παῖδες ἰατρῶν, *medici;* παῖδες μουσικῶν, *Musici;* Δυστήνων παῖδες, *infelices*, itidem Homer. Il. Φ.

### שֵׁם *nomen.*

Redundare dicitur שֵׁם *nomen* in phrasi *Nomen Dei*, hoc est, ipse Deus. Psalm. 20. vers. 2. *Te in edito collocet nomen Dei Jacob*, hoc est, Deus Jacob. Alii hypallagen hic ponunt; *nomen Dei*, hoc est, Deus nominis seu nominatissimus & laudatissimus, ut Psalm 18. vers. 4. vocatur. *Sic invocare nomen Domini, diligere nomen Domini, psallere nomini Dei*, est verum Deum invocare, diligere, laudare. Simplicissimè autem dicitur, appellatione *nominis Dei* respectum haberi ad Deum in verbo revelatum, & quasi nominatum, seu certo nomine expressum, quod sit Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus &c. Unde *nomine Dei* ipsius essentia & voluntas, quâ in verbo patefacta est, non rarò intelligitur, Joh. 17. vers. 6. a Nomen Dei.

Actor. 9. vers. 15. &c. Dei item auctoritas & mandatum. Deut. 18: 19. Jer. 14. v. 14. Majestas & gloria hominibus verbo & miraculis ostensa, Exod. 9: 16. Psal. 8: 2. Cultus & professio fidelis, 2 Sam. 7: 13. unde *ambulare in nomine Dei* est ipsum agnoscere & colere, Mich. 4: 5.

Redundare videtur τὸ ὄνομα in illo, Apoc. 11. vers. 13. *Occisa sunt in terra motu ὀνόματα ἀνθρώπων, nomina hominum septem millia*, hoc est, homines septem mille. Quidam: homines septem mille, suis nominibus singuli denominati.

## יָד *manus.*

*Manus*, in Hebræo pro quovis instrumento usurpatur. Quandoque etiam abundare penitus videtur.

Gen. 9. vers. 5. *Quin etiam sanguinem vestrum animarum vestrarum, reposcam* מִיַּד כָּל־חַיָּה *ex manu omnis bestiæ reposcam illum*, h. e. ab omni bestia.

Exod. 4. vers. 13. *Mitte quæso* בְּיַד תִּשְׁלָח *per manum* (illius, quem) *mittes*, hoc est, per eum, quem mittere voles. Sic Esai. 37. vers. 24.

Exod. 9: 35. *Quemadmodum prædixerat Jehova*, בְּיַד מֹשֶׁה *per manum Mosis*, hoc est, per Mosen.

1 Sam. 17. vers. 37. *Jehova, qui eripuit me* מִיַּד הָאֲרִי וּמִיַּד הַדּוֹב *De manu leonis, & de manu ursi*, h. e. de leone & urso.

1 Reg. 8. vers. 8, 53. *Sicut dixeras* בְּיַד *per manum Mosis servi tui*, hoc est, per Mosen servum tuum. Sic Psalm. 22. vers. 21. Psal. 49: 16. Ps. 107: 2.

1 Reg. 11. vers. 12. מִיַּד בִּנְךָ *ex manu filii tui lacerabo illud*, scilicet regnum, h. e. à filio tuo.

2 Reg. 17: 13. בְּיַד *per manum omnium Prophetarum*, h. e. per omnes Prophetas.

1 Par. 6. vers. 16. (al. 31.) *Et hi sunt, quos constituit David* עַל־יְדֵי שִׁיר *super manus cantici*, hoc est, ad cantica, seu ad ministerium Musicum. 2 Par. 29. vers. 27. עַל יְדֵי כְּלֵי דָוִיד *super manus instrumentorum Davidis*, hoc est, super instrumenta Davidis. Esr. 3. vers. 10. ellipsis est posterioris vocis כְּלֵי in eadem phrasi.

Esai. 64: 6. *Et dissolvis nos* בְּיַד עֲוֹנֵנוּ *in manu iniquitatis nostræ*, h. e. iniquitate seu propter iniquitatem nostram.

Huc referunt illud Psal. 7: 4. *Si est iniquitas ista* בְּכַפָּי *in manibus meis*, h. e. in me.

## תָּוֶךְ & קֶרֶב *Medium.*

Phrasis, *In medio*, vel nihil addit nomini, cui adjungitur; vel non præcisè ipsum medium, æqualiter ab extremis distans significat, sed idem valet, ac *In*, vel *inter*.

Gen. 45: 6. *Jam biennium fames est* בְּקֶרֶב *in medio terræ*, h. e. in terra. Neque enim in medio tantùm præcisè, sed hinc inde in terra fames erat. Sic Exod. 8: 22.

Jos. 3: 17. בְּתוֹךְ הַיַּרְדֵּן *in medio Jordanis*, h. e. intra Jordanem.

2 Reg. 4: 13. בְּתוֹךְ עַמִּי *in medio populi mei ego habito*, h. e. in populo meo.

Psalm. 22. vers. 15. *Cor meum simile ceræ liquefit* בְּתוֹךְ מֵעָי *in medio viscerum meorum*, h. e. in visceribus meis. Sic Psal. 40: 9, 11.

Psal. 48: 10. *Cogitamus ô Deus benignitatem tuam* בְּקֶרֶב הֵיכָלֶךָ *in medio Templi tui*, h. e. in templo tuo.

Esa. 10: 23. *Nam consummationem, & quidem præcisam, Dominus facturus est*, בְּקֶרֶב כָּל־הָאָרֶץ *in medio omnis terræ*, h. e. in omni terra: ἐπὶ τῆς γῆς, *super terra*, ut Rom. 9: 28. redditur.

Habac. 3: 2. *Jehova, opus tuum* בְּקֶרֶב שָׁנִים *in medio annorum vivifica* (conserva,) בְּקֶרֶב שָׁנִים *in medio annorum notum fac*, h. e. inter annos, seu interea temporis, videlicet tribulationis, & pœnarum, quas Deus cap. 1: 5, 6. seqq. comminatus fuerat. LXX. Interpretes in hoc versu paraphrasi utuntur à textu Hebræo alienâ; & inter alia habent: ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ, *in medio duorum animalium cognosceris*. Ex quo, pro שָׁנִים *annis*, שְׁנַיִם *duo*: pro חַיֵּיהוּ *vivifica illud*, חַיּוֹת *animalia*, legisse illos, & ex membro sequenti, γνωσθήσῃ addidisse, patet. Quidam ob mysterium quoddam ita redidisse inquiunt, quòd videlicet Christus sit appariturus & videndus, *vel* inter duo Testamenta, vetus & novum, (*quæ verè animantia sint, atque vitalia, quæ spirent*, uti Hieronym. in h. l. inquit,) August. ser. 100. de temp. *In medio duûm animalium cognosceris, id est, in medio novi vel veteris testamenti &c. vel* inter duos latrones in cruce; *vel* inter duos colloquentes cum ipso in monte, Mosen & Eliam, quando transformabatur, ut Aug. lib. 18. de Civ. Dei cap. 2. hæc tria conjungit; Et tom. 6. orat. contra Judæos, Paganos & Arianos, col. 61. *Quid est, in medio duûm animalium cognosceris; nisi aut in medio duûm testamentorum; aut in medio duorum latronum, aut in medio Moysis & Heliæ, cum eo in monte sermocinantium? vel*, quòd in prima Ecclesia, quæ de circumcisione fuit & de præputio congregata, duobus populis, se hinc inde cingentibus,

tibus, intellectus sit Salvator & creditus, uti quosdam interpretari Hieronymus notat: *vel* demum, quod Riberæ placet, quòd ex traditione Ecclesiæ Christus Bethlehemi natus, in stabuli præsepio, inter duo animalia, bovem & asinum, sit agnitus. Sed à textu Hebræo, & ejus sensu genuino (nec enim de Christo hic agitur) hæc aliena sunt; longeque adhuc alienius, quod Græcorum illud, *in medio duorum animalium cognosceris*, multi olim (annotante Hieronymo in comment. h. l.) putârunt *de Filio & Spiritu sancto* intelligi, eò quòd Pater per Filium intelligatur & Spiritum. At hâc locutione (SS. Trinitatis personas vocari *animalia*) quid absurdius in Ecclesia unquam auditum fuit? Ita agitur, dum in rivulis & versionibus, à fonte Hebræo puro impure deflectentibus, mysteria quæruntur, pro iis sordes sæpè & nugæ reportantur.

Zach. 2: 8. *Præ multitudine hominum & jumentorum*, (quæ sunt) בְּתוֹכָהּ *in medio ejus*, h. est, in ea. Sic v. 9.

Matth. 13. vers. 25. *Seminavit Zizania* ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, *in medio tritici*, h.e. inter triticum.

Luc. 17: 11. *Transibat* διὰ μέσου *per medium Samariæ*, h.e. per Samariam. Vide & Hebr. 2: 12. Psal. 22: 23.

ª Sic quando *Cor* pro *medio* metaphoricè accipitur. Ibi enim *in corde rei alicujus* quandoque idem est, ac in re aliqua.

Prov. 30: 19. *Via navis* בְּלֶב־יָם *in corde maris*, h.e. in mari. Neque enim navis exactè medium maris attingit, sed in superficie eique proximâ maris parte fertur.

Matth. 12. vers. 40. *Sic erit filius hominis* ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς, *in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus*, hoc est, in terra, seu intra terram, nempè in sepulchro. Bellarmin. lib. 4. de Christo cap. 12. ex hoc loco probat, *Christum verè descendisse ad loca subterranea inferni*. (Christi descensus ad inferos à nobis statuitur & confirmatur: sed non sensu Pontificio: & fundamentum ejus in hoc Matthæi loco extare, rectè negatur.) *Non enim posse intelligi sepulchrum per cor terræ: quia cor est in profundissimo loco animalis: sepulchrum autem est propè superficiem terræ: & Christi sepulchrum videtur fuisse supra terram, erat enim monumentum excisum in lapide supra terram extans.* At præter ea, quæ de significatione vocis hujus dicta sunt, notetur etiam locus Ezech. 27. vers. 4. ubi Tyrus dicitur sita *in corde maris*, cùm tamen à continente non procul distaret. Et sensus ibi est, intra mare urbem illam fuisse positam. Ad hæc, falsum est, Christi sepulchrum, quod è petra excisum erat, supra terram extitisse. Quis enim rupes & petras terræ partes esse unquam negavit? Conf. Drus. lib. 6. observ. 7.

Quod autem de significatione *Cordis* pro medio positi dictum est, non est καθόλου. Nam Exod. 15: 8. Jon. 2: 4. Psal. 49: 3. &c. *Cor maris* pro intimo ejus, (neque tamen exactè pro medio) ponitur.

ª Cor pro medio.

## דָּבָר *Verbum.*

דְּבַר in statu regiminis, tàm in *singulari*, quàm *plurali*, quandoque abundare videtur.

Job. 41, vers. 3. *Non silebo membra ejus* וּדְבַר גְּבוּרוֹת *& verbum virium ejus*, h. e. vires ejus.

Psal. 35. vers. 20. *Contra quietos terræ* דִּבְרֵי מִרְמוֹת *verba fraudum excogitant*, h. e. fraudes.

Psal. 65: 4. דִּבְרֵי עֲוֹנוֹת *verba iniquitatum prævaluerunt mihi*, h.e. iniquitates.

Psal. 105: 27. *Posuerunt in eos* (Ægyptios) דִּבְרֵי אוֹתֹתָיו *verba signorum ejus*, h.e. signa, miracula. August. in h. l. tom. 8. Col. 1229. *Quia illa ipsa, quæ facta sunt, non erant alicujus significationis inania, ideo & ipsa dicta sunt verba non vocum & sonorum, sed signorum & prodigiorum.*

Psa. 145: 5. וְדִבְרֵי נִפְלְאוֹתֶיךָ *& verba mirabilium tuorum meditabor*, h. e. mirabilia tua.

Quidam per *verba*, *res* intelligunt, ut sit, *verba fraudum*, hoc est, res fraudum, seu fraudulentas: *verba iniquitatum*, hoc est, res iniquitatum: *verba signorum & mirabilium*, hoc est, res signorum; res mirabiles. Sed & sic abundare videtur: Est enim sermo plenus, etiam sine hac voce additâ. Sic in Plauto observatur, Amphitr. quòd *rem voluptatum* pro ipsis voluptatibus posuerit.

Referunt huc & illud Est. 9: 31. דִּבְרֵי הַצֹּמוֹת וְזַעֲקָתָם *verba jejuniorum & clamoris eorum*, hoc est, jejunia & clamorem. Sed דִּבְרֵי *verba*, ibi indicia, notas vel documenta harum rerum denotat, metonymicè.

## קוֹל *Vox.*

Psal. 98: 5. *Voce cantus*, h. e. cantu. Psal. 102. v. 6. *à voce gemitus mei*, h. e. à gemitu meo. Esa. 24: 18. *à voce formidinis*, h.e. à formidine. Jerem. 16: 9. *Vocem gaudii & vocem lætitiæ*, h.e. gaudium & lætitiam. Jerem. 51: 54. *Vox clamoris*, h.e. clamor. Sic & Zeph. 1: 10. &c.

Actor. 9. verf. 15. &c. Dei item auctoritas & mandatum. Deut. 18: 19. Jer. 14. v. 14. Majestas & gloria hominibus verbo & miraculis ostensa, Exod. 9: 16. Psal. 8: 2. Cultus & professio fidelis, 2 Sam. 7: 13. unde *ambulare in nomine Dei* est ipsum agnoscere & colere, Mich. 4: 5.

Redundare videtur τὸ ὄνομα in illo, Apoc. 11. verf. 13. *Occisa sunt in terra motu ὀνόματα ἀνθρώπων, nomina hominum septem millia*, hoc est, homines septem mille. Quidam: homines septem mille, suis nominibus singuli denominati.

### יָד *manus.*

*Manus*, in Hebræo pro quovis instrumento usurpatur. Quandoque etiam abundare penitus videtur.

Gen. 9. verf. 5. *Quin etiam sanguinem vestrum animarum vestrarum, reposcam* מִיַּד כָּל־חַיָּה *ex manu omnis bestiæ reposcam illum*, h. e. ab omni bestia.

Exod. 4. verf. 13. *Mitte quæso* בְּיַד תִּשְׁלָח *per manum* (illius, quem) *mittes*, hoc est, per eum, quem mittere voles. Sic Esai. 37. verf. 24.

Exod. 9: 35. *Quemadmodum prædixerat Jehova*, בְּיַד מֹשֶׁה *per manum Mosis*, hoc est, per Mosen.

1 Sam. 17. verf. 37. *Jehova, qui eripuit me* מִיַּד הָאֲרִי וּמִיַּד הַדֹּב *De manu leonis, & de manu ursi*, h. e. de leone & urso.

1 Reg. 8. verf. 8, 53. *Sicut dixeras* בְּיַד *per manum Mosis servi tui*, hoc est, per Mosen servum tuum. Sic Psalm. 22. verf. 21. Psal. 49: 16. Ps. 107: 2.

1 Reg. 11. verf. 12. מִיַּד בִּנְךָ *ex manu filii tui lacerabo illud*, scilicet regnum, h. e. à filio tuo.

2 Reg. 17: 13. בְּיַד *per manum omnium Prophetarum*, h. e. per omnes Prophetas.

1 Par. 6. verf. 16. (al. 31.) *Et hi sunt, quos constituit David* עַל־יְדֵי שִׁיר *super manus cantici*, hoc est, ad cantica, seu ad ministerium Musicum. 2 Par. 29. verf. 27. עַל יְדֵי כְּלֵי דָוִיד *super manus instrumentorum Davidis*, hoc est, super instrumenta Davidis. Esr. 3. verf. 10. ellipsis est posterioris vocis כְּלֵי in eadem phrasi.

Esai. 64: 6. *Et dissolvis nos* בְּיַד עֲוֹנֵנוּ *in manu iniquitatis nostræ*, h. e. iniquitate seu propter iniquitatem nostram.

Huc referunt illud Psal. 7: 4. *Si est iniquitas ista* בְּכַפָּי *in manibus meis*, h. e. in me.

### תָּוֶךְ & קֶרֶב *Medium.*

Phrasis, *In medio*, vel nihil addit nomini, cui adjungitur; vel non præcisè ipsum medium, æqualiter ab extremis distans significat, sed idem valet, ac *In*, vel *inter*.

Gen. 45: 6. *Jam biennium fames est* בְּקֶרֶב *in medio terræ*, h. e. in terra. Neque enim in medio tantùm præcisè, sed hinc inde in terra fames erat. Sic Exod. 8: 22.

Jos. 3: 17. בְּתוֹךְ הַיַּרְדֵּן *in medio Jordanis*, h. e. intra Jordanem.

2 Reg. 4: 13. בְּתוֹךְ עַמִּי *in medio populi mei ego habito*, h. e. in populo meo.

Psalm. 22. verf. 15. *Cor meum simile ceræ liquefit* בְּתוֹךְ מֵעָי *in medio viscerum meorum*, h. e. in visceribus meis. Sic Psal. 40: 9, 11.

Psal. 48: 10. *Cogitamus ô Deus benignitatem tuam* בְּקֶרֶב הֵיכָלֶךָ *in medio Templi tui*, h. e. in templo tuo.

Esa. 10: 23. *Nam consummationem, & quidem præcisam, Dominus facturus est*, בְּקֶרֶב כָּל־הָאָרֶץ *in medio omnis terræ*, h. e. in omni terra: ἐπὶ τῆς γῆς, *super terra*, ut Rom. 9: 28. redditur.

Habac. 3: 2. *Jehova, opus tuum* בְּקֶרֶב שָׁנִים *in medio annorum vivifica* (conserva,) בְּקֶרֶב שָׁנִים *in medio annorum notum fac*, h. e. inter annos, seu interea temporis, videlicet tribulationis, & pœnarum, quas Deus cap. 1: 5, 6. seqq. comminatus fuerat. LXX. Interpretes in hoc versu paraphrasi utuntur à textu Hebræo alienâ; & inter alia habent: ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ, *in medio duorum animalium cognosceris*. Ex quo, pro שָׁנִים *annis*, שְׁנַיִם *duo*: pro חַיֵּיהוּ *vivifica illud*, חַיּוֹת *animalia*, legisse illos, & ex membro sequenti, γνωσθήσῃ addidisse, patet. Quidam ob mysterium quoddam ita redidisse inquiunt, quòd videlicet Christus sit appariturus & videndus, *vel* inter duo Testamenta, vetus & novum, (*quæ verè animantia sint, atque vitalia, quæ spirent*, uti Hieronym. in h. l. inquit,) August. ser. 100. de temp. *In medio duûm animalium cognosceris, id est, in medio novi vel veteris testamenti &c. vel* inter duos latrones in cruce; *vel* inter duos colloquentes cum ipso in monte, Mosen & Eliam, quando transformabatur, ut Aug. lib. 18. de Civ. Dei cap. 2. hæc tria conjungit; Et tom. 6. orat. contra Judæos, Paganos & Arianos, col. 61. *Quid est, in medio duûm animalium cognosceris; nisi aut in medio duûm testamentorum; aut in medio duorum latronum, aut in medio Moysis & Heliæ, cum eo in monte sermocinantium? vel*, quòd in prima Ecclesia, quæ de circumcisione fuit & de præputio congregata, duobus populis, se hinc inde cingentibus,

tibus, intellectus sit Salvator & creditus, uti quosdam interpretari Hieronymus notat: *vel* demum, quod Riberæ placet, quòd ex traditione Ecclesiæ Christus Bethlehemi natus, in stabuli præsepio, inter duo animalia, bovem & asinum, sit agnitus. Sed à textu Hebræo, & ejus sensu genuino (nec enim de Christo hic agitur) hæc aliena sunt; longeque adhuc alienius, quod Græcorum illud, *in medio duorum animalium cognosceris*, multi olim (annotante Hieronymo in comment. h. l.) putârunt *de Filio & Spiritu sancto* intelligi, eò quòd Pater per Filium intelligatur & Spiritum. At hâc locutione (SS. Trinitatis personas vocari *animalia*) quid absurdius in Ecclesia unquam auditum fuit? Ita agitur, dum in rivulis & versionibus, à fonte Hebræo puro impure deflectentibus, mysteria quæruntur, pro iis sordes sæpè & nugæ reportantur.

Zach. 2: 8. *Præ multitudine hominum & jumentorum*, (quæ sunt) בְּתוֹכָהּ *in medio ejus*, h. est, in ea. Sic v. 9.

Matth. 13. vers. 25. *Seminavit Zizania ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, in medio tritici*, h. e. inter triticum.

Luc. 17: 11. *Transibat διὰ μέσου per medium Samariæ*, h. e. per Samariam. Vide & Hebr. 2: 12. Psal. 22: 23.

a Sic quando *Cor* pro *medio* metaphoricè accipitur. Ibi enim *in corde rei alicujus* quandoque idem est, ac in re aliqua.

Prov. 30: 19. *Via navis* בְּלֶב־יָם *in corde maris*, h. e. in mari. Neque enim navis exactè medium maris attingit, sed in superficie eique proximâ maris parte fertur.

Matth. 12. vers. 40. *Sic erit filius hominis ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς, in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus*, hoc est, in terra, seu intra terram, nempè in sepulchro. Bellarmin. lib. 4. de Christo cap. 12. ex hoc loco probat, *Christum verè descendisse ad loca subterranea inferni*. (Christi descensus ad inferos à nobis statuitur & confirmatur: sed non sensu Pontificio: & fundamentum ejus in hoc Matthæi loco extare, rectè negatur.) *Non enim posse intelligi sepulchrum per cor terræ: quia cor est in profundissimo loco animalis: sepulchrum autem est propè superficiem terræ: & Christi sepulchrum videtur fuisse supra terram, erat enim monumentum excisum in lapide supra terram extans*. At præter ea, quæ de significatione vocis hujus dicta sunt, notetur etiam locus Ezech. 27. vers. 4. ubi Tyrus dicitur sita *in corde maris*, cùm tamen à continente non procul distaret. Et sensus ibi est, intra mare urbem illam fuisse positam. Ad hæc, falsum est, Christi sepulchrum, quòd è petra excisum erat, supra terram extitisse. Quis enim rupes & petras terræ partes esse unquam negavit? Conf. Drus. lib. 6. observ. 7.

Quod autem de significatione *Cordis* pro medio positi dictum est, non est καθόλου. Nam Exod. 15: 8. Jon. 2: 4. Psal. 49: 3. &c. *Cor maris* pro intimo ejus, (neque tamen exactè pro medio) ponitur.

## דָּבָר *Verbum*.

דְּבַר in statu regiminis, tàm in *singulari*, quàm *plurali*, quandoque abundare videtur.

Job. 41, vers. 3. *Non silebo membra ejus* וּדְבַר גְּבוּרוֹת *& verbum virium ejus*, h. e. vires ejus.

Psal. 35. vers. 20. *Contra quietos terræ* דִּבְרֵי מִרְמוֹת *verba fraudum excogitant*, h. e. fraudes.

Psal. 65: 4. דִּבְרֵי עֲוֹנוֹת *verba iniquitatum prævaluerunt mihi*, h. e. iniquitates.

Psal. 105: 27. *Posuerunt in eos* (Ægyptios) דִּבְרֵי אֹתוֹתָיו *verba signorum ejus*, h. e. signa, miracula. August. in h. l. tom. 8. Col. 1229. *Quia illa ipsa, quæ facta sunt, non erant alicujus significationis inania, ideo & ipsa dicta sunt verba non vocum & sonorum, sed signorum & prodigiorum*.

Psa. 145: 5. וְדִבְרֵי נִפְלְאוֹתֶיךָ *& verba mirabilium tuorum meditabor*, h. e. mirabilia tua. a Cor pro medio.

Quidam per *verba*, *res* intelligunt, ut sit, *verba fraudum*, hoc est, res fraudum, seu fraudulentas: *verba iniquitatum*, hoc est, res iniquitatum: *verba signorum & mirabilium*, hoc est, res signorum; res mirabiles. Sed & sic abundare videtur: Est enim sermo plenus, etiam sine hac voce additâ. Sic in Plauto observatur, Amphitr. quòd *rem voluptatum* pro ipsis voluptatibus posuerit.

Referunt huc & illud Est. 9: 31. דִּבְרֵי הַצּוֹמוֹת וְזַעֲקָתָם *verba jejuniorum & clamoris eorum*, hoc est, jejunia & clamorem. Sed דִּבְרֵי *verba*, ibi indicia, notas vel documenta harum rerum denotat, metonymicè.

## קוֹל *Vox*.

Psal. 98: 5. *Voce cantus*, h. e. cantu. Psal. 102. v. 6. *à voce gemitus mei*, h. e. à gemitu meo. Esa. 24: 18. *à voce formidinis*, h. e. à formidine. Jerem. 16: 9. *Vocem gaudii & vocem lætitiæ*, h. e. gaudium & lætitiam. Jerem. 51: 54. *Vox clamoris*, h. e. clamor. Sic & Zeph. 1: 10. &c.

עֶצֶם

### יָמִים *Dies.*

*Dies* cum *annis* conjunguntur, ut videtur, pleonasticè, 1 Sam. 19. verſ. 35. *Quot ſunt* יְמֵי שְׁנֵי חַיַּי *Dies annorum vitæ meæ*, h. e. anni vitæ meæ. Alii Synecdochen ponunt, dies pro tempore, ſenſu eo: quantum eſt tempus annorum vitæ meæ. Sed & ſic *tempus* abundat.

Pſal. 90: 10. יְמֵי שְׁנוֹתֵינוּ *Dies annorum noſtrorum, in ipſis ſeptuaginta anni*, h. e. quod attinet annos noſtros.

Hoc ipſum contingit etiam extra regiminis ſtatum.

Jud. 19. verſ. 2. *Et fuit ibi* יָמִים *diebus, quatuor menſibus*. Ubi, diebus, πλεονάζει. Quidam tamen יָמִים pro *anno integro* ſumi dicunt, ſeu pro circulo dierum annuo, uti & alibi, quando ſine numero abſolute ponitur, Exod. 13. verſ. 10. 1 Sam. 1: verſ. 3, 7. cap. 27. verſ. 7. &c. Alii enallagen ſtatus integri pro constructo ponunt, ut ſit יְמֵי *dies menſium*, h.e. quot dies requiruntur ad conſtituendum quatuor menſes; ut ſit deſcriptio integrorum menſium: quod alibi ſic effertur: *menſis dierum*, per hypallagen Geneſ. 29. verſ. 14. Num. 11. verſ. 20. 21. Sic & *annus dierum*, pro anno pleno dicitur: & *biennium dierum*, Gen. 31. verſ. 1.

Apud profanos mira hujus pleonaſmi fertur eſſe fœcunditas. βίη πριάμοιο, pro Priamo. *Virtus Catonis*, pro Catone, apud Horatium. *Capita boum*, pro bobus, apud Virgilium. *Terga ferarum*, pro feris, apud eund. *Lumina ſolis*, pro Sole, apud Lucretium: *Radix ſaxi*, pro ſaxo: *rigor auri*, pro auro, apud eund. Confer Vechnerum, in hellenolexia, lib. 2. p. 220. ſeqq.

### *Continuatio.*

Pleonaſmo ſuccedit *Ellipſis*, quam hic canon explicat.

## Canon XXXIX.

*In regiminis ſtatu ſubſtantivorum non rarò occurrit ellipſis.* Et nominis quidem vel *prioris* vel *poſterioris*.

### Ellipsis ſubſtantivi *prioris*.

#### 1. Vocis אִישׁ *Vir*.

In illa ſcil. rectione, quæ can. 34. proponitur.

Jud. 5: 30. לְצַוְּארֵי שָׁלָל *ad colla ſpolii*, pro אַנְשֵׁי שָׁלָל *virorum ſpolii*, h. eſt, ſpoliantium ſeu prædantium.

Ruth. 3: 2. *Nonne Boaz eſt* מֹדַעְתָּנוּ *cognatio noſtra*, pro אִישׁ *vir cognationis noſtræ*, cognatus noſter.

2 Samuel. 23. verſ. 6. בְּלִיַּעַל *Belial*, pro *viri Belial*, ut integrè habetur 2 Samuel 16. v. 7.

1 Reg. 22: 36. וַיַּעֲבֹר הָרִנָּה *& tranſivit clamor*, h. e. *vir clamoris*, præco. Sic accipiendum eſſe, docet diſcrepantia generis inter verbum, quod maſculinum, & nomen, quod fœmininum eſt. R. Kimchi & R. Levi explicant, קוֹל הָרִנָּה *vox clamoris* ſeu clamans.

Job. 15: 34. *Ignis abſumet tentoria* שֹׁחַד *muneris*, h. e. אִישׁ שֹׁחַד *viri muneris*, ſeu muneribus corrupti.

Job. 32. verſ. 7. *Dicebam*, יָמִים *dies loquentur*, וְרֹב שָׁנִים *& multitudo annorum notam facient ſapientiam;* pro *viri dierum, & viri multitudinis annorum*, h. e. provecti ætate, annoſi.

Prov. 13. v. 6. *Improbitas pervertit* חַטָּאת *peccatum*, pro *virum peccati*, hoc eſt, peccatorem.

Eſa. 41: 24. תּוֹעֵבָה יִבְחַר *abominatio eliget vos*, hoc eſt, *vir abominationis*, ſeu abominabilis. Ubi verbum maſculinum, & nomen fœmininum eſt, quæ diſcrepantia ellipſin ſubſtantivi arguit.

Alia exempla ſunt Pſal. 36: 12. Pſal. 109: 2, 4. Pſal. 120: 7. Prov. 17: 4. cap. 20: 1. cap. 23: 28. cap. 24: 9. Eſa. 17: 5. Dan. 9. v. 23. &c.

Pov. 14: 1. fœmininum אִשָּׁה *mulier*, ſubintelligendum venit. וְאִוֶּלֶת *& ſtultitia manibus ſuis*

*fuis destruit eam*, scilicet domum : pro אֵשֶׁת אִוֶּלֶת *mulier stultitia* vel stulta.

2. Vocis בֵּית *domus.*

Mich. 3: 1. *Audite, quaeso,* רָאשֵׁי יַעֲקֹב *capita seu primores Jacob:* pro בֵּית יַעֲקֹב *domus Jacobi*, uti v. 9. legitur. Vel, ut alii, *Jacob*, h. e. Jacobaeorum, ut Deut. 33: 10. *Docebunt judicia tua Jacobum.*

Mich. 4. vers. 2. *Mons Domini*, hoc est, *mons domus domini*, ut paulò antè dicitur, vers. 1.

Apocal. 3: 7. *Haec dicit sanctus & verus*, ὁ ἔχων τὴν κλεῖδα τοῦ Δαβὶδ, *qui habet clavem David*, hoc est, *clavem domus David*, id est, Ecclesiae. Confer Esa. 22: 22.

Huc refertur ab aliquibus phrasis, εἰς ᾅδȣ. Actor. 2. vers. 27. 31. *ad inferni*, scilicet οἶκον, *domum*. Sicut Graecis dicitur, εἰς διδασκάλȣ scil. οἰκίαν, *ad praeceptoris domum.* Eurip. ἐν ἀνδρὸς εὐσεβεςάτȣ τραφεὶς, *in viri piissimi nutritus*, scil. aedibus. Lucian. καὶ νῦν γαμεῖ ἐν τοῦ Κηφέως, *nunc nuptias peragit in Kephei*, scil. aedibus. Et apud Latinos, *Ad Opis*, *ad Pollucis*, scil. aedem; Cicero. Insuper verò in dicta phrasi, εἰς pro ἐν ponitur: *ad inferni domum*, pro *in inferni domo*, h. e. in inferno. Est & haec locutio in profanis usitata. Eurip. in Hec. ἐκεῖ δ' ἐν ᾅδȣ κείσομαι χωρὶς σέθεν, *illic verò in sepulchro jacebo absque te:* quod alibi per κρύπτειν τάφῳ, *occultare sepulchro* explicat. In Alceste phrasin integram ponit: εἰς ᾅδȣ δόμȣς μέλλει κατάξειν, *ad orci domos est deducturus.*

3. Vocis אֱלֹהֵי *Deus.*

Fit illa ellipsis in locutione, quâ יְהוָה צְבָאוֹת *Dominus exercituum*, dicitur pro יְהוָה אֱלֹהֵי צְבָאוֹת *Jehova Deus exercituum:* prout haec ellipsis quandoque explicatur. Psalm. 89. v. 9. Jerem. 15: 16. Hos. 12: 6. Amos 3: 13. Vox *Jehova* nunquam in regiminis statu ponitur, uti nec affixa ulla recipit, nec praefixum ה demonstrativum.

4. Vocis distributivae אֶחָד *unus.*

Quo referunt locutiones, de quibus can. 27.

5. Vocis relativae: *Pater, mater, uxor, filius, frater &c,*

2 Sam. 21: 19. *Goliathi Gittai*, scil. fratrem: quae ellipsis 1 Par. 20: 5. unâ cum nomine proprio completur.

Matt. 1: 6. ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίȣ *ex ea, qua Uriae:* ubi duplex ellipsis, primùm, γυναικὸς, *ex Uriae uxore:* Deinde, γεγονύιας seu γενομένης, *ex ea, quae fuit*, Uriae Uxor.

Matth. 4: 21. *Jacobum*, τὸν τοῦ Ζεβεδαίȣ, *Zebedaei*, scil. filium. Sic Joh. 21: 2. καὶ οἱ τοῦ Ζεβεδαίȣ, scil. υἱοί.

Marc. 2. vers. 14. *Levin Alphei*, scil. filium. Est autem is *Matthaeus*, qui binominis fuit.

Marc. 15. vers. 47. *Maria Jose* sc. mater. Conf. vers. 40. Eadem cap. 16: 1. dicitur *Maria Jacobi:* sc. mater. Ambo enim ejus erant filii d. l.

Luc. 6. vers. 16. *Judas Jacobi*, sc. frater. Jud. v. 1.

Luc. 24. vers. 10. *Maria Jacobi* scilic. mater, quod Syrus exprimit ex Marco 15. v. 40.

Joh. 13: 2. *Juda Simonis*, scil. filius: Uti Syrus exprimit. Sic & v. 26. cap. 6: 71. cap. 12: 4.

Joh. 19. vers. 25. *Maria Clopae*, scilic. uxor.

Joh. 21: 15. *Simon Jona*, scil. filius. Conf. Matth. 16: 17.

Act. 1: 13. *Jacobus Alphei*, scil. filius ibid: Et *Judas Jacobi*, sc. frater, quod & antè adductum. Luc. 6: 16.

Actor. 7. vers. 16. *A filiis Emmor*, τοῦ Συχέμ, h. e. patris Sichem. Confer Genes. 33: v. 19.

2 Pet 2: 15. *Bileami* τοῦ Βοσόρ. h. e. filii Bosor. Vide plura de hoc in tract. de nomine proprio.

Haec ellipsis vocis *filii* continuata est in genealogia Christi, Luc. 3. vers. 23. seqq. Nisi quod vers. 23. in illo Ἰωσὴφ τοῦ Ἠλὶ subintelligendum est, *gener:* contexitur enim genealogia Mariae, non Josephi, uti Matth. 1. Et v. 38. Ἀδὰμ τοῦ θεοῦ, subintell. *Creatura*, vel si *filius*, aliâ ratione, quam in antecedentibus, hoc nomen intelligendum. Vide D. Chemn. c. 3. harm. Euang. p. 115.

Refer demum huc, Rom. 16. vers. 10. ἐκ τῶν Ἀριςοβόλȣ, scil. οἰκετῶν, *ex Aristoboli domesticis.*

Sic in profanis deesse legitur quandoque nomen

nomen *Patris*. Herod in Clio. Ἄδρηςος ὁ Γορδίεω, τοῦ Μίδεω, *Adrastes nepos Gordii, qui pater fuit Mida*. Et in Thalia: κῦρος ὁ Καμβύσεω, *Cyrus Cambysis*, scil. pater. Quandoque nomen *filii*. Dionys. Halica. παρὰ τῷ τοῦ ὀλόρȣ *ab Olori*, scil. filio, Thucydide. παρὰ τῷ τοῦ Αρίςωνος, *ab Aristonis* scil. filio, Platone. Sic ζωρόαςρος τοῦ Ωρομάτȣ, *Zoroastres filius Oromati*. Virg. 6. Æneid. *Deiphobe Glauci*, scil. filia. Cicero lib. 9. famil. epist. 10. *Oblitusne es igitur ingentium culinarum cum Sophia Septimia*, scil. filia. Pers. 4. sat. *Dinomaches ego sum*, scil. filius. Videatur Dan. Vechn. in hellenolex. l. 1. p. 88.

6. Vocis cujuscunque alîus, quæ commodè ad genitivum subintelligenda.

Gen. 42. vers. 33. וְאֶת־רַעֲבוֹן בָּתֵּיכֶם *& famem domuum vestrarum accipite, & abite*, pro שֶׁבֶר רַעֲבוֹן *annonam famis*, quæ ellipsis in vers. 19. suppletur. Quidam παραφράζουσι: *ea, quorum fame tenentur familia vestra*. (Dicitur autem annona שֶׁבֶר *fractura* seu confractio, *propterea quod famem frangit*, ut R. Kimchi ait: veluti & aqua seu potus *sitim frangere* dicitur Psal. 104. vers. 11. Hæc interpretatio clarè d. l. vers. 19. habetur.) D. Luth. in Gen. 42. רַעֲבוֹן antiphrasin dici existimat; *fames pro saturitate aut copia contra famem. Sicut medici solent pilulas vocare pestilentiales, non quòd inferant, sed quòd tollant pestem.*

Exod. 12. vers. 11. פֶּסַח הוּא לַיהוָה *Pascha ipsum Domino*: pro זֶבַח פֶּסַח *sacrificium paschatos ipsum Domino*, uti vers. 27. habetur interpretatio. Alii per פֶּסַח non agnum paschalem, sed ipsum transitum Domini intelligunt, beneficium scil. illud, quod vers. 12. exponitur: *Transiturus enim sum per terram Ægypti eâ ipsa nocte & percussurus omne primogenitum in terra Ægypti &c.* v. 13. *erit autem sanguis ille pro vobis in signum super illas domos, ubi eritis, ut videam sanguinem illum*, וּפָסַחְתִּי *& transeam prater vos: sic non erit in vobis plaga exitialis &c.* Ostenditur igitur causa, cur ab Israelitis בְּחִפָּזוֹן *festinanter*, & adhibitis illis ceremoniis, quæ ipsis præscribebantur, vers. 11. agnus paschalis sit comedendus: quia scilic. *est transitus Domini*: transibit Dominus, & celeriter vos educet, ac proinde longa mora opus non est,

Exod. 25. vers. 4. cap. 35: 6. 23. 26. cap. 36: 14. &c. עִזִּים *capra*, h. e. lana seu pili caprarum LXX. τρίχας αἰγείας *pilos caprinos*. Alii tamen malunt, nomen עִזִּים *capræ* synecdochicè accipi, pro pilis caprinis. Chald. voce derivativa utitur, מֵעַזֵּי *caprinum*, pilus caprinus, ab עֵז caper, *capra*. Ariæmont. in tr. de fabricis sacris. pag. 6. *Ex illis telæ fiunt, chamelotæ dictæ, imbribus ferendis opportuna: neque enim citò aquam ebibunt; ideoque illa materia ad ferendas sub dio agentibus cœli injurias, vestibus apparandis usurpatur. Sic Poëta cecinit*, (Virg. 3. Georg.)

*Nec minus intereà barbas incanaque menta*
*Cyniphii tondent hirci, setasque comantes*
*Usum in castrorum, & miseris velamina nautis.*

Deut. 20. vers. 19. *Nam* הָאָדָם *homo arbor agri*: h. e. חַיֵּי אָדָם *vita hominis arbor agri est*, h. e. ex fructibus arborum vita hominis sustentatur, ideoque non sunt perdendæ aut succidendæ arbores. Junius per *arbores agri*, agrestes intelligit, quæ fructum non ferunt, & ita vertit: *nam agrestes arbores* (הָאָדָם) *homini*, h. e. *cuivis, scil. exposita sunt, ut procedant ante te ad propugnaculum, q. d. in agro satis est ferè arborum agrestium, qua struendis turribus & propugnaculis accommodari possint*. In prima Bibliorum horum editione alia adhuc est interpretatio; *Quamvis* (כִּי) *cujusque hominis sint arbores agri, id est, quamvis omnes imperio hominis subjecta sint, ac proinde struendis turribus ac propugnaculis accommodari possint* (arbores fructiferæ) *tamen hunc ad usum non sunt excindenda*. Huic expositioni, ut & primæ, favet oppositio versus sequentis.

Deut. 24: 6. *Nam* נֶפֶשׁ *animam ipse pignore acciperet*, h. e. חַיֵּי נֶפֶשׁ *vitam anima*, id est, quæ ad vitæ sustentationem pertinent, ut Aben Ezra in comment. exponit.

Jud. 7: 18. *Jehova & Gideonis*, scil. gladius, uti v. 20. explicatio habetur. Discrepantia hîc quædam est à reliquis exemplis: in Hebr. enim præfixum genitivo additum est. לַיהוָה וּלְגִדְעוֹן *Domini & Gideon*.

Ruth. 3: 15. *Et mensus est sex* שְׂעֹרִים *hordea*, hoc est, מִדּוֹת *mensuras hordeorum*.

2 Sam. 15: 30. *Et David ascendit per ascensum* (seu clivum) הַזֵּיתִים *olivarum*, hoc est montis olivarum.

2 Reg. 18: 31. *Comedite quisque vitem suam, & quisque ficum suam*, hoc est, fructum vitis suæ & ficus.

2 Par. 30: 22. *Et comederunt* הַמּוֹעֵד *solennitatem*, h. e. זִבְחֵי הַמּוֹעֵד *sacrificia solennitatis*. Alii, non ad objectum sed ad tempus referunt; *comederunt* אֶת־הַמּוֹעֵד *stato illo tempore*, septem diebus, qui adduntur.

2 Paral. 33. vers. 20. *Et sepeliverunt* בֵּיתוֹ (in) *domo ejus*, hoc est, בְּגַן בֵּיתוֹ in horto domus

mus ejus. Conferri potest 2 Reg. 21. vers. 18. Sepulcra quorundam Regum & Principum virorum in hortis erant. Sic Joh. 19. vers. 41.

Neh. 10:31. *Et quod deserturi simus* אֶת־הַשָּׁנָה *annum septimum*, hoc est culturam anni septimi; nimirum secundùm legem Dei, Exod. 23. v. 11. Deuter. 15. v. 1, 2. Ex quo loco intelligis simul, quid sit, quod in Nehemia sequitur, וּמַשָּׁא כָל־יָד *& onus* (Pagninus *exactionem*) *omnis manus*. Junius: *omne jus vendicandi manu*.

Esth. 5. vers. 1. *Et induta fuit Esther* מַלְכוּת *regno*, id est, בִּגְדֵי מַלְכוּת *indumentis regni*, seu regiis.

Job. 37:22. *Per Aquilonem* זָהָב *aurum advenit*, h.e. אוֹר זָהָב *lux auri*, seu aurea, ex præcedenti versu repetitâ voce.

Psal. 66:17. *Eum ore meo inclamavi*, *&* fui elatus תַּחַת לְשׁוֹנִי *pro lingua mea*, h.e. תַּחַת דִּבְרֵי *pro sermonibus linguæ meæ*.

Psal. 146: 8. *Jehova aperit* עִוְרִים *cæcorum*, scil. oculos.

Prov. 8. vers. 6. *Audite, nam* נְגִידִים *antecessorum seu principum eloquar*, h. e. דִּבְרֵי נְגִידִים *verba principum*, h.e. principibus digna, præstantia.

Prov. 26:18. מָוֶת *mortem*, h.e. כְּלֵי־מָוֶת *instrumenta mortis*, seu lethalia arma.

Esa. 25. vers. 6. *Convivium* שְׁמָרִים *fecum*, h. e. vini fecum, id est, vini defecati, uti sequentia verba id explicant. Junius & Tremellius hujus locutionis simile exemplum adducunt ex Esa. 19. vers. 18. *Civitas destructionis dicetur unaquæque*, id est, civitas servata, educta ex destructione, ereptaque divinitùs. Quidam autem h. l. הֶרֶס proprium nomen esse volunt, pro חֶרֶס, Sol, ut urbs Solis seu Heliopolis intelligatur, in Ægypto, quæ בֵּית שֶׁמֶשׁ *domus Solis*. Jer. 43. vers. 13. dicitur: ubi Solis Templum; & Ægyptii quotannis conventus frequenter agunt in honorem Solis, & sacrificant. Vide Schindl. Lexic. col. 657.

Rom. 11. vers. 4. *Qui non flexerunt genu* τῇ Βάαλ, *Baali*, h.e. τῇ εἰκόνι Βάαλ, *imagini Baalis:* quòd articulus fœminini generis indicat. Confer 2 Reg. 11. vers. 18. Alii ςήλην, *statuam*, subintelligunt, ex 2 Reg. 10. vers. 26, 27. *ubi* מַצֵּבַת quæ Baali tribuitur, LXX. ςήλην h. e. *statuam* reddiderunt. Per Baalem autem hunc intelligi Tyriorum & Sidoniorum Deum (quem Ahab cum Jezabele colebat) & hunc esse *Herculem:* Herculem autem *Solem* esse, pro Deo habitum & cultum (qs. הארכל omnia lustrans & illuminans) eruditè probat doctissimus Fuller. lib. 2. miscell. sacr. cap. 7. Aliter tamen de fœm. τῇ Βάαλ Selden. sentit Syntag. 2. de diis Syr. cap. 2. pag. 250. seqq. quem vide.

Aliam ellipseos rationem, quæ huc pertinet, vide tractat. 3. de verbo can. 32. in fine.

## Ellipsis substantivi *posterioris*.

Psal. 74:19. *Ne tradas* לְחַיַּת *catervæ animam turturis tuæ*, h. est, לְחַיַּת הָאֹיְבִים *catervæ inimicorum:* vel ut alii, *bestiæ agri*, *nam* חַיַּת etiam *bestiam* significat.

Esa. 14:6. מַכַּת *percussione sine aversione*, h. est, מַכַּת יָד *percussione manus indesinente*, juxta Aben Ezram.

Esa. 51:21. *Afflicta*, וּשְׁכֻרַת *& ebria*, *& non ex vino*, pro שִׁכֹּרַת צָרוֹת *ebria afflictionibus*, aut רָעוֹת *malis*. Quidam hæc ad enallagen status constructi pro integro referunt: de qua mox dicetur.

## *Continuatio*.

Enallage jam succedit, quæ duplex constitui potest. 1. in formatione. 2. in constructione. In *formatione* & etymologiâ: cùm nomen regens, quod mutationi obnoxium est, vel *non mutatur*, cùm deberet; vel *mutatur*, cùm non deberet. De quo regulâ sequente.

## Canon XL.

*Nomen absoluta seu integra forma quandoque pro constructo ponitur; & vice versâ.*

### 1. Absoluta forma pro constructa.

Jos. 3: 14. הָאָרוֹן הַבְּרִית pro אֲרוֹן *arcam fœderis*.

1 Reg. 22: 27. *Pane oppressionis*, וּמַיִם לַחַץ pro מֵי *& aqua oppressionis*.

2 Reg. 3: 4. אֵילִים צָמֶר pro אֵילֵי *arietes lanæ*, h. e. lanati.

Psal. 80. vers. 5. אֱלֹהִים צְבָאוֹת *Deus exercituum*, pro אֱלֹהֵי. Sic Psalm. 84: 9. Plura exempla videantur apud D. Buxt. in thes. lib. 2. cap. 4.

## 2. Constructa forma pro absoluta.

a Nota. Num. 5: 18. מֵי הַמָּרִים *aquæ amaræ*, pro מַיִם.

2 Reg. 9: 17. שִׁפְעַת *agmen ego video*, pro שִׁפְעָה.

Job. 18: 2. *Quando ponetis* קִנְצֵי לְמִלִּין *fines sermonibus*, pro קִנְצִים vel קִצִּים; Litera enim נ per epenthesin, loco dages fortis, est interjecta, more Chaldaico, ut in אִנְבָּא pro אִבָּא *fructus*: מַנְדַּע pro מַדַּע *scientia*.

Psal. 16. vers. 3. *Sanctis, qui in terra sunt*, וְאַדִּירֵי *& magnificis, in quibus tota mea oblectatio est*: pro אַדִּירִים. Vide & Psal. 119. vers. 128.

Esa. 33: 6. חָכְמַת וָדַעַת *sapientia & scientia*, pro חָכְמָה.

Jerem. 24: 2. כִּתְאֵנֵי הַבַּכֻּרוֹת *ut ficus præcoces*, pro כִּתְאֵנִים. Aliqui per hypallagen explicant: *ficus præcocium*, h. e. præcoces ficuum, ut ad canon. 33. pertineant.

Amos. 6. v. 1. נְקֻבֵי *expressè nominati*, pro נְקֻבִים.

Plura exempla recensentur in thesauro Buxtorffii d. l.

### *Continuatio.*

HÆc de enallage ratione formationis. In *constructione* itidem duplex dari enallage potest. 1. cum genitivus verbali nomini addendus resolvitur in casum verbi. 2. cum genitivus resolvitur in casum nominis regentis, cum conjunctione *Et*. De quo canones duo sequentes.

## Canon XLI.

*Nomina verbalia, tàm absoluta, quàm constructa, casum verbi sui, & si accusativum regunt, qui Latinis per genitivum explicandus.*

NUm. 10: 2. לְמִקְרָא הָעֵדָה וּלְמַסַּע אֶת־הַמַּחֲנוֹת *ad convocationem cœtum, & ad motionem castra*, h. e. cœtus: castrorum.

Esa. 11. vers. 9. *Nam plena erit terra hæc* דֵּעָה אֶת־יְהוָה *cognitione Dominum*, h. e. Domini.

Ezech. 17: 9. לְמַשְׂאוֹת אוֹתָהּ מִשָּׁרָשֶׁיהָ *ad sublationes eam à radicibus suis*, hoc est, ejus. Quidam in hoc dicendi genere nomen verbale pro verbo infinito positum agnoscunt, ut suo loco infrà dicetur.

a Si aliud nomen vel pronomen genitivi casus verbali substantivo additum est, tùm *accusativus* (objectum notans, ut & in antecedentibus) Latinis per genitivum commodè exponi nequit, sed per *accusativum cum præpositione*, vel aliâ ratione efferendus est.

Deut. 1. vers. 27. בְּשִׂנְאַת יְהוָה אֹתָנוּ *propter odium Domini nos*, h. e. adversùm nos. Quidam ellipsin verbi conjugati in hoc ponunt, ut sit: *Propter odium Domini*, quo odit *nos*. Et sic in Deut. 7. vers. 8. מֵאַהֲבַת יְהוָה אֶתְכֶם *propter dilectionem Jehovæ vos*, hoc est, erga vos, seu quo diligit vos. Vide & Hose. 3. vers. 1.

2 Sam. 3: 11. מִיִּרְאָתוֹ אֹתוֹ *propter timorem ejus ipsum*, h. e. ab ipso, seu præ ipso.

Esa. 13: 19. כְּמַהְפֵּכַת אֱלֹהִים אֶת־סְדֹם *secundum subversionem Dei Sodomam*, h. e. qua subvertit Sodomam. Sic & Amos 4: 11.

Esa. 29: 14. *Et est* יִרְאָתָם אֹתִי *reverentia eorum erga me, præcepto hominum edocta.*

## Canon XLII.

*Inter duo substantiva, per copulationem ET connexa, alterum per genitivum quandoque exponendum est.*

EST & hæc *hendiadys*, ut suprà can. 6.

Gen. 3: 16. *Multiplicando multiplicabo* עִצְּבוֹנֵךְ וְהֵרֹנֵךְ *dolorem tuum & conceptum tuum*. hoc est, dolorem conceptus tui: dolore erunt conjuncta conceptus, gestatio, partus, & educatio liberorum.

Psal. 96. vers. 7. *Afferte Jehovæ*, כָּבוֹד וָעֹז *gloriam & fortitudinem*, hoc est, gloriam fortitudinis.

Esa. 1: 13. *Non possum* (ferre) אָוֶן וַעֲצָרָה *iniquitatem & cœtum*, hoc est, iniquitatem cœtus. Sed alii aliter hoc explicant.

Jer. 36. vers. 27. *Postquam Rex combusserat* אֶת־הַמְּגִלָּה וְאֶת־הַדְּבָרִים *volumen & verba*, h. e. volumen verborum.

Jer. 29: 11. *Ut dem vobis* אַחֲרִית וְתִקְוָה *finem & expectationem*, h. e. finem expectationis, seu expectatum, ut suprà fuit, can. 6.

Act. 23: 6. περὶ ἐλπίδος καὶ ἀναστάσεως νεκρῶν, *de spe & resurrectione mortuorum*, h. e. de spe resurrectionis mortuorum.

Rom. 1: 5. *Per quem accepimus* χάριν καὶ ἀπο-

ἀποςολὴν, *gratiam & Apostolatum*, h. e. gratiam Apostolatus.

Rom. 11. vers. 17. *Particeps factus es* τῆς ῥίζης καὶ τῆς πιότητος, *radicis & pinguedinis*, h. e. pinguedinis radicis seu ex radice profluentis.

1 Cor. 11: 7. *Vir non debet velare caput*, εἰκὼν καὶ δόξα θεοῦ ὑπάρχων, *cum imago sit & gloria DEI*, h. e. imago gloriæ Dei: cùm scil. in illo Dei majestas & imperium eluceat.

Tale est illud Virgilii, Æneid. 1. *Molemque & montes insuper altos imposuit*, h. e. moles altorum montium, &c.

## *Continuatio.*

Tandem enallagen excipiat, & exegesin de nomine concludat, status constructi *hypallage*.

## Canon XLIII.

*In statu regiminis quandoque hypallage seu vocum inversio contingit.*

LEv. 12: 4. *Triginta tres dies manebit* בִּדְמֵי טָהֳרָה *in sanguinibus purgationis*, h. e. in purgatione sanguinis. Est autem sanguis hoc loco metonymicè, impuritas ex eo contracta, uti & v. 7.

Levit. 22. vers. 4. *Aut vir, ex quo exiit* שִׁכְבַת זֶרַע *concubitus feminis*, hoc est, semen concubitus.

Jos. 2: 6. *Et abscondit eos* בְּפִשְׁתֵּי הָעֵץ *inter lina ligni*, pro בַּעֲצֵי הַפִּשְׁתִּים inter ligna linorum. Linum adhuc erat in calamis, quos super tecto disposuerat, ut siccarentur. Inter illos abscondit Rahab exploratores. Targ. בִּמְשׁוֹנֵי כִתָּנָא *inter fasciculos lini*. Forster. in Dictionar. Hebr. pag. 645. *Lina ligni, hoc est, stipulæ sive caulis. Fortassis illud est linum de quo Plin. lib. 19. cap. 1. in hæc verba scribit: Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui Gossopion vocant, plures Xylon, & ideò lina inde facta, Xylina.*

1 Reg. 17: 14. *Sic ait Jehova Deus Israelis*, כַּד הַקֶּמַח *Cad farinæ istius non consumetur*, וְצַפַּחַת הַשֶּׁמֶן *& phiala olei istius non deficiet*: hoc est, farina cadi istius: oleum phialæ istius. Non enim continens, sed contentum consumitur & deficit.

Neh. 10: 34. (al. 35.) עַל־קֻרְבַּן הָעֵצִים *pro oblatione lignorum*, hoc est, pro lignis oblationum.

Esth. 9: 10. *Judæi pagani, habitantes* בְּעָרֵי הַפְּרָזוֹת *in civitatibus pagorum* h. est, in pagis civitatum.

Job. 29: 10. קוֹל נְגִידִים *vox antecessorum occultabant se*, h. e. נְגִידֵי־קוֹל *antecessores vocis*, h. e. vocales, seu eloquentes, juxta can. 8. §. 2.

Prov. 26: 23. כֶּסֶף סִיגִים *argentum scoriarum*. h. e. סִיגֵי כֶסֶף *scoria argenti*: Silberschaum.

Ezech. 21: 30. (al. 25.) עֲוֹן קֵץ *iniquitas termini*, h. e. terminus iniquitatis. Sic & vers. 34.

Ezech. 34. vers. 18. וּמִשְׁקַע מַיִם *& sedimentum aquarum bibitis*, h. e. aquas sedimenti, id est, puras limpidas, in quibus omnis crassa aut terrea materia subsidit, & in profundum depressa est.

Rom. 9: 31. *Israel sectando* νόμον δικαιοσύνης, *legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit*: h. est, justitiam legis. Nam ad legem quidem perveniebat, quæ erat in ore & memoriâ ejus, sed non ad ejus justitiam legis. Et manifesta ibi inter justitiam Euangelii & Legis, seu fidei & operum est antithesis.

Apoc. 21: 24. καὶ τὰ ἔθνη τῶν σωζομένων *& gentes salvatorum in luce ejus ambulant*, h. est, οἱ σωζόμενοι τῶν ἐθνῶν, *salvati ex gentibus*. Potest tamen τὰ ἔθνη collectivè sumi, q. d. gentes, populi, & maxima illa cohors salvatorum. Confer cap. 7: 9. cap. 19: 14.

Ad *hypallagen* referri etiam solent quædam, quæ suprâ ad can. 8. §. 1. videntur referenda esse.

Lev. 5: 15. *Argento siclorum*, pro siclis argenti, seu argenteis.

Lev. 7: 21. *Immunditiam hominis*, pro, hominem immunditiei, seu immundum.

Deut. 12: 3. *Sculptilia Deorum illorum*, pro, DEOS sculptilium, seu sculptiles.

Sic quidam explicant & illud Psa. 1: 1. *Beatitudines viri*, pro, vir beatitudinum seu beatus. Et alia quæ d. l. sunt enumerata.

Tantum de Doctrina NOMINIS.

*Est NOMEN Domini turris fortissima, currens*
*Justus ad hanc, omni tutus ab hoste, viget.*

Prov. 18: 10.
מִגְדַּל־עֹז שֵׁם יְהוָה בּוֹ־יָרוּץ
צַדִּיק וְנִשְׂגָּב׃

# TRACTATUS II.

## De

# PRONOMINE.



Ronomen duplex Hæbræis est, נִסְמָךְ *conjunctum*, & נִפְרָד *separatum*. *Conjunctum* est, quod semper vocibus aliis adjungitur; & cum iis quasi coalescit: Estque vel *præfixum*, quod vocibus à fronte adhæret; vel *suffixum*, quod vocibus in fine adnectitur. *Præfixa* pronomina duo sunt, ה & ש, de quibus infrà lib. 4. tract. 1. *Affixa* seu *suffixa* pronomina demonstrativorum, relativorum & possessivorum significationem, à fine vocibus annexa, habent. *Nominibus* annexa, possessiva & relativa sunt: Ut, דְּבָרִי *verbum meum*, מֵעֶיךָ *intestina tua*, לְבוּשׁוֹ *vestimentum suum*, יְרֵכָהּ *femur ejus &c.* *Verbis* annexa plerumque demonstrativa sunt & relativa, ut פְּקָדַנִי *visitavit me*: אֲהֵבְךָ *diligit te*: יְכָלְתִּיו *prævalui ipsi*: גִּדְּלָם *magnificavit eos* &c. De suffigendi autem ratione & artificio (quod latè patet, & variam vocum in literis & punctis mutationem complectitur) Grammatici Hebræorum consulantur. Tantùm observetur h. l.

a Observationes de affixis.

1. a Quod forma *affixi pluralis primæ personæ* quandoque pro simplici terminatione *numeri pluralis* masculini usurpetur, ut גּוֹבַי *locustæ*, Nah. 3: 17. pro גּוֹבִים הָרֵי *montes*, Zachar. 14. vers. 5. pro הָרִים חַלּוֹנֵי *fenestræ*, Jerem. 22. vers. 14. pro חַלּוֹנִים שָׂדַי *agri*, Hos. 10. vers. 4. pro שָׂדִים. Vide D. Buxtorff. lib. 1. thes. Gramm. cap. 9. & confer hîc editionem ejus secundam, correctam & auctam. Et lib. 2. cap. 8. in fine.

b Bellarm. notatur.

2. Quod affixum, nomini vel verbo additum, quandoque pro *separato* seu absoluto *pronomine* usurpetur. *In nominibus*. Psal. 115: 7. יְדֵיהֶם *manus illorum*, h. e. יָדַיִם לָהֶם *manus sunt illis*: sicut v. 6. dicitur, פֶּה לָהֶם *os est illis*. &c. *In verbis*. Jer. 10: 20. יְצָאֻנִי pro יָצְאוּ מִמֶּנִּי *egressi sunt ex me*. Ezech. 29: 3. עֲשִׂיתִנִי pro עָשִׂיתִי לִי *feci mihi*. Eccl. 7: 13. *Quis possit corrigere*, אֵת אֲשֶׁר עִוְּתוֹ *quod pervertit ipse*. עִוְּתוֹ pro עִוֵּת הוּא: Sicut שֶׁנּוֹ *est ipse*, Esth. 2: 8. Sylvulam horum vide in thesauro Buxt. lib. 2. c. 17. circa finem.

*Separatum* pronomen est, quod separatim (sine connexione cum aliis) dictionem constituit. Qualia sunt אֲנִי *ego*, אַתָּה *Tu*, הוּא *ille*, הִיא *illa*, pro quo sæpè scribitur, הוא per Vau in medio. a זֶה *hic iste* (pro quo semel legitur גֵּה. Ezech. 47: 13. quod per literarum Alphabeti Cabbalisticam תְּמוּרָה seu permutationem, *Athbasch* dictum, fieri, R. Kimchi tradit, simile exemplum ex Ezech. 25. v. 7. adducens, ubi quod in textu est לְבַג à Masorethis notatur legendum esse לָבַז *in prædam*. R. Salomo autem explicari etiam posse ait, ut sit גֵּה pro גַּיְא *vallis*, quò spectat Masorethar um nota ad hanc vocem, ל׳ כתי׳ ה *non amplius extat*, *scriptum cum* ה) זֹאת *hæc ista*, אֵלֶּה *illi*, *illæ*, *illa*. Usurpatur & nomen עֶצֶם (*quod os ossis significat*, à robore, & synecdochicè *corpus*, *substantiam*) singulariter pro *ille*, *ipse*, *ipsemet*, Genes. 7: 13. Exod. 24: 10. Lev. 23: 14. Job. 21: 23. Et sic apud Rabbinos frequentissimè. Hactenus pronomina quædam demonstrativa & relativa.

a זֶה pro גֵּה

b *Interrogativum* est vel personæ, מִי *quis*, *quæ*? *qui*, *quæ*? vel rei, מָה, מֶה, מַה *quod*? *quæ*? Ubi notandum, videri in quibusdam exemplis מִי etiam interrogativum rei esse, 1 Sam. 18: 18. Jud. 9: 28 Jud. 13: 17. Mich. 1: 5. Gen. 33: 8. quæ tamen ritè explicata vide in thesauro Buxtorff. lib. 2. cap. 6. Reg. 3. ita ut interrogativa de persona maneant. Observa hic. Quando Chemnit. verba vulgatæ versionis. Job. 5: 1. *Voca si quis est, qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum convertere*, erroris coarguit, & ex Hebræo malè conversa esse, ad invocationem sanctorum comprobandam, asserit, (quia scilicet מִי interrogativum vertitur affirmativè per *aliquem*) Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 12. respondet *fortè ebrium fuisse Chemnitium cùm hoc scriberet; apertissimè enim in Hebræo sic legi, uti vulgata habet.* Et addit: *Sanè si quæratur verbum expressum* (pro sanctorum invocatione) *hic expressissimum est*. Sed non ebrius fuit Chemnitius, cùm hoc scripsit, sed σωφρόνως textum originalem attendit. In illo enim interrogativum habetur pro-

pronomen, non demonstrativum, vel *ἀόριςον*, *aliquis:* & interrogatio illa, more scripturæ, non *θετικῶς*, sed *ἀρνητικῶς* & negativè (scopo dicentis id apertè comprobante) exponenda. Ad verbum ita habet textus: *Voca quæso*, הֲיֵשׁ *num sit, qui respondeat tibi?* וְאֶל־מִי *& ad quem de sanctis respicies?* q. d. ad neminem de sanctis respicere potes, ad asserendam scil. causam tuam. Intelligit autem sanctos non defunctos, sed vivos. Ubi igitur expressissimum pro sanctorum invocatione ver[bum]? Verùm hæc *πάρεργως*. In præsentia de pronominibus *demonstrativis & relativis* (quorum consideratio ad Scripturæ sacræ interpretationem maximè facit) uberius dicetur. Præmissâ etiam *de articulo Græcorum*, necessariâ & utili diexodo.

# DE ARTICULO GRÆCORUM PRÆPOSITIVO.

## Canon I.

*Articulus, ὁ, ἡ, τὸ, sæpissimè quidem singulari emphasi caret, & sine certo significatu nominibus additur: non rarò tamen emphasi suâ non destituitur, sed demonstrativi vel relativi pronominis vim obtinet.*

IN usu *articuli præpositivi* magnam sibi Græci, præsertim profani scriptores, sumunt libertatem, adeò, ut nec præceptis comprehendi id possit. Unde Julius Cæsar Scaliger (referente Frischlino in synt. Græcolat.) articulum dixit *loquacissimæ gentis flabellum*. Budæus Atticorum esse ait, *τὰ ἄρθρα* (articulos) *πλεονάζειν καὶ περισσὰ τιθέναι*, & vice versâ, *κατ' ἔλλειψιν τῶν ἄρθρων πολλάκις λέγειν*. Sacram N. Test. quod literaturam spectat, indifferens ejus usus est: modò enim emphasi caret, modò emphaticus est. Et *hoc posterius* fit,

### 1. Cum præponitur nomini, casu convenienti.

Quando scil. eximium quid & certum demonstrandum est.

Matth. 1:17. *πᾶσαι αἱ γενεαὶ*, *Omnes istæ generationes &c.* Istæ videlicet quæ hic numerantur, etsi plures reipsa fuerint. Liberum enim sibi Evangelista fecit, quorundam nomina præterire, cùm in tres classes generationes distribuerit, & singulis quatuordecim capita attribuerit. Syrac. כֻּלְהֵין *omnes istæ generationes.*

Matth. 1:23. *Ecce, ἡ παρθένος, virgo illa prægnans erit &c.* Respondet articulus Hebræo ה demonstrativo, Esa. 7:14. addito nomini עַלְמָה *virgo:* nimirum ut insignis quædam virgo significetur, ab æterno selecta, cujus filius erat contriturus caput serpentis infernalis.

Matth. 1. vers. 25. *Sed non cognovit eam quousque peperisset τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, filium illum suum primogenitum.* Articuli emphatici vis h. l. est *ἀναφορικὴ*, non *διακριτικὴ*, id est, de eo agi filio significat, cujus antè facta est ab Angelo mentio: non autem, ut filius hic ab aliis Mariæ filiis distinguatur (ut Helvidius olim somniavit) quos nullos fuisse, piè credimus. De Maria enim virgine, ut selectissimo organo, sanctissimè sentiendum. Confer D. Chemnit. harm. Euang. cap. 7. p. 169.

Matth. 2: 2. *Ubi est ὁ τεχθεὶς βασιλεύς, ille qui natus est Rex Judæorum?* Ibid. v. 11. *Et intrantes εἰς τὴν οἰκίαν εὗρον τὸ παιδίον, in domum illam, invenerunt puellum illum.* Certa domus, & puellus certus, Jesulus scil. indicatur.

Matth. 16: 16. *σὺ εἶ ὁ χριςὸς, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, Tu es ille Christus. filius ille Dei viventis.*

Luc. 2: 26. *Antequam vidisset τὸν χριςὸν κυρίου Christum illum Domini.*

Joh. 1: 21. *ὁ προφήτης εἶ σύ; Propheta ille tu es?* scilicet qui Deuter. 18. à Deo promissus est.

Joh. 10: 11. *ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς, ego sum*

*sum pastor ille bonus*, scil. de quo Prophetæ prædixerunt in V. Test. Sic c. 15: 1.

Joh. 6: 10. *Erat gramen multum ἐν τῷ τόπῳ, in illo loco.*

Joh. 6: 32. *Non Moses dedit vobis τὸν ἄρτον panem illum ex cœlo:* nempè verum illum cœlestem panem, quem Christus se ibidem profitetur. Confer sequentia. Et vide etiam cap. 20. vers. 26, 27, 28. ubi magna articulorum emphasis.

Actor. 3. vers. 14. *Vos autem τὸν ἅγιον καὶ δίκαιον, illum justum & sanctum negastis* (verum scilicet Messiam & Mundi Salvatorem) *& postulâstis virum homicidam donari vobis?* vers. 15. τὸν δὲ ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς, *illum verò auctorem vitæ interfecistis.*

Actor. 9. vers. 2. *Ut si quos invenisset τῆς ὁδοῦ, hujus viæ seu sectæ.* Certam sectam & hæresin (uti Saul tùm judicabat) videl. Christianorum intelligit: דֶּרֶךְ autem *via*, omne vitæ genus denotat, cui quis insistit. Sic & c. 19: 23.

Actor. 9: 17. *Abiit Ananias, & introivit εἰς τὴν οἰκίαν, in domum illam*, scilicet quæ vers. 11. ipsi denominata fuerat. Est hic articulus ἀναφορικὸς, quo nomine efferri solet, quandocunque rem certam exprimit, cujus ante in textu facta fuit mentio.

1 Cor. 3: 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, παρὰ τὸν κείμενον, præter illud ipsum, quod positum est, Jesum Christum.*

Ibid. vers. 13. ἡ γὰρ ἡμέρα, *illa enim dies manifestabit.* Dies scilicet judicii extremi, 2 Thess. 1. vers. 8. uti Lutherus interpretatur tom. 2. Jen. Germ. fol. 416. Vel, ut alii, dies tribulationis & tentationis: quam per *ignem* etiam, cujus h. l. fit mentio, intelligi volunt.

1 Cor. 5: 9. *Scripsi vobis ἐν τῇ ἐπιστολῇ in hac Epistola;* in quâ scilicet paulò antè jusserat incestu pollutum excommunicari. Ita Chrysostomus & alii Græci.

1 Joh. 5: 8. καὶ οἱ τρεῖς, *& illi tres in unum sunt.* In præcedenti versu demonstrativum additur, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς, *& hi tres unum sunt.*

## 2. Cùm præponitur nomini, haudquaquam casu ei convenienti.

Apoc. 1. vers. 4. *Gratia vobis & pax,* ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. Sic vers. 8. Articuli emphaticè ut nominibus propriis adduntur: *ab illo, qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Exprimitur augustum nomen יְהוָה vel אֶהְיֶה Exod. 3. vers. 14. quo perfecta & omnibus numeris absoluta DEI stabilitas significatur.

In tali locutione non rarò subintelligendum participium ὢν, ὄντος. Mat. 16. vers. 23. *Non sapis* τὰ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων, scil. ὄντα: *ea, quæ Dei sunt. sed ea: quæ sunt hominum.*

Matth. 22: 21. *Reddite* τὰ Καίσαρος (ὄντα) *quæ Cæsaris* sunt, *Cæsari:* καὶ τοῦ θεοῦ (ὄντα) *& quæ Dei* sunt, *Deo.*

1 Corinth. 13: 5. *Charitas non quærit* τὰ ἑαυτῆς, scil. ὄντα, *ea, quæ sua* sunt. Sic & Phil. 2: 21.

Huc pertinet illud Luc. 2. vers. 49. *An nescitis*, ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μȣ scil. ȣ̃σι, *in illis, quæ* sunt *patris mei, oportet me esse*, h. e. in illis, quæ à patre cœlesti mihi demandata sunt, inter quæ erat officium docendi. Joh. 18. vers. 37. Confer Joh. 4. vers. 34. cap. 17: 4. Quidam per τὰ τοῦ πατρὸς intelligunt *domum patris*, seu Templum, ex collatione cap. 2: 16. uti & Syrus reddidit: Ut sit, ἐν τοῖς τοῦ πατρὸς μȣ, *in locis patris mei*, h. e. in æde sive in domo: perinde ut articulus pluralis neutri generis accipitur Joh. 19: 27. *recepit eam* εἰς τὰ ἴδια *in sua*, h. e. in domum suam, ut Beza vertit. Confer Fuller. in misc. sacr. lib. 4. c. 17.

Sic &, cùm articulus adverbio vel præpositioni additur.

Matth. 6: 9. *Pater noster*, ὁ ἐν τοῖς ȣ̓ρανοῖς, sc. ὢν, *is, qui est in cœlis.*

Rom. 16: 5. καὶ τὴν κατ' οἶκον αὐτῶν ἐκκλησίαν, scil. ȣ̃σαν: *& Ecclesiam illam, quæ in domo eorum est.*

Philip. 4: 22. οἱ ἐκ τῆς Καίσαρος οἰκίας, scil. ὄντες, *illi, qui sunt ex Cæsaris domo.*

Col. 3: 2. τὰ ἄνω φρονεῖτε, *ea, quæ sursum sunt, sapite &c.*

## Referenda porrò huc,

1. Quando articulus τὸ, vim habet *demonstrativi.* Marc. 9: 23. τὸ εἰ δύνασαι πιστεῦσαι, pro τοῦτο, *hoc si potest credere*, scil. me tibi posse succurrere (quod paulò ante parens dixerat) nihil non â me impetrabis.

2. Quando articulus cum particula δὲ, ponitur pro *relativo.*

Matth. 2: 5. οἱ δὲ εἶπον αὐτῷ, *illi autem dixerunt ei.*

Matth. 4: 20. οἱ δὲ εὐθέως ἀφέντες, *&c. Illi verò relictis illicò retibus, secuti sunt eum.*

Luc. 6: 8. ὁ δὲ ἀναστὰς ἔστη, *ille vero surgens stetit.*

Sic passim legitur: ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπον, *ille verò*

*verò respondens dixit.* In scriptis Euangelistarum.

3. Quando articulus habet vim ἀόριστον, & pro *quidam* accipitur. Matt. 13:2. εἰς τὸ πλοῖον, pro εἰς πλοῖόν τι, *in navem quandam.* Luc. 8:5. *Exiit* ὁ σπείρων, *sator quidam.*

4. Quando articulus τὸ, præponitur vocibus & sententiis, quæ *materialiter* accipiuntur, vel τεχνικῶς, vel δεικτικῶς καὶ ὁριστικῶς.

Luc. 22: 24. *Facta est autem & contentio inter eos*, τὸ, τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι μείζων, *nimirum hæc, quis eorum videretur esse major.*

Rom. 13:9. τὸ γὰρ, οὐ μοιχεύσεις, *&c. Illud enim, non mœchaberis &c. in hoc sermone summatim comprehenditur*, ἐν τῷ ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτὸν, *nempè in eo, diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Talia sunt: σαφὴς ἔλεγχος τῆς ἀπιστίας, τὸ πῶς περὶ θεοῦ λέγειν, *Certissimum argumentum incredulitatis est, de Deo dicere illud quomodo?* Justinus de Trinit. Item: τὸ, μηδὲν ἄγαν, ἄγαν με τέρπει, *Id quod dicitur, ne quid nimis, nimis me delectat.*

5. Referri huc etiam potest singularis illa phrasis, quâ *articulus pluralis cum præpositione & nomine proprio*, idem est, quod proprium nomen ipsum. Joh. 11. vers. 19. *Et multi ex Judæis venerant* πρὸς τὰς περὶ μάρθαν καὶ μαρίαν, *ad eas circa Martham & Mariam*, h. e. ad Martham & Mariam. Sic Græci dicunt: οἱ περὶ παῦλον, vel, οἱ ἀμφὶ παῦλον, pro παῦλος, *Paulus.* Τῶν περὶ παῦλον, h. e. παύλου, *Pauli*, & sic per reliquos casus. Suidas in Nerone: οἱ περὶ Ἄνναν καὶ Καϊάφαν, id est, *Annas & Caiphas.* Aristot. 2. metaph. 4. οἱ περὶ Ἡσίοδον, pro ὁ Ἡσίοδος, *Hesiodus.* Aliàs eadem locutio significat *comitatum*, Actor. 13. vers. 13. οἱ περὶ τὸν παῦλον, *qui circa Paulum*, h. e. socii Pauli. Beza: *Paulus & qui cum eo erant.* Sic cap. 21: 8.

## *Nota.*

Quandoque articulus emphaticè *primæ voci* additus, reliqua omnia epitheta adjecta includit, & de eodem subjecto sermonem esse ostendit.

Jud. vers. 4. καὶ τὸν μόνον δεσπότην θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι. Hic articulus omnibus istis epithetis communis, ostendit Christum hîc vocari *unicum herum, Deum ac Dominum.* Erasmus accusativum priorem in nominativum convertens, sententiam suavissimè fluentem enervat. Vertit enim: *Ac Deum, qui solus est herus, ac Dominum nostrum Jesum &c.* Sic & Tit. 2. vers. 13. (quem in locum videatur Erasmus in annot.) 2 Petr. 1: vers. 1. Ephes. 5. v. 5. in quibus, ob communem hunc plurium epithetorum articulum, non obscura divinitatis veræ Christi documenta sunt.

Sic de Deo Patre, 2 Cor. 1. vers. 3. εὐλογητὸς ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν καὶ θεὸς πάσης παρακλήσεως.

Addendum tamen, non esse καθόλου hanc observationem, quòd, si duo conjungantur, quorum prius cum articulo, posterius sine articulo ponitur, de eodem subjecto illa loquantur. Contrarium enim ex Matth. 21. vers. 12. Marc. 11. vers. 15. Luc. 19. vers. 45. apparet, ubi οἱ πωλοῦντες καὶ ἀγοράζοντες conjunguntur, quorum illud articulum habet, hoc verò non: & tamen alii *vendentes*, alii *ementes* intelliguntur. Ex quo patet, non esse solidissima, quæ ex articulorum emphasi desumuntur pro articulis fidei comprobandis: neque res tanti momenti esse huic unico probationum generi committendas: cùm longè solidiora suppetant veritatis confortandæ fundamenta. *Nota.*

## Canon II.

*Cùm articuli non raro sit emphasis, & quandoque necessario is adhibeatur, igitur ejusdem ellipsis in quibusdam scripturæ effatis complenda venit.*

MAtth. 5: 20. *Nisi abundaverit vestra justitia plus*, τῶν γραμματέων &c. *quàm scribarum*, scil. justitia. In Græco supplendus articulus, τῆς τῶν γραμματέων, scil. οὔσης, *quàm ea, quæ Scribarum est.*

Joh. 5: 36. *Sed ego testimonium habeo majus* τοῦ Ἰωάννου, *Johannis.* Non comparatur testimonium Patris cum Johanne ipso, sed cum testimonio Johannis. Igitur deest articulus, & plena locutio est: μείζω τῆς τοῦ Ἰωάννου, *majus illo* (testimonio, quod) *Johannis est.*

Rom. 6. vers. 5. *Si complantati sumus conformationi mortis ejus etiam* τῆς ἀναστάσεως ἐσόμεθα h. e. τῷ τῆς ἀναστάσεως, scil. ὁμοιώματι, quod præcessit. Joh. 2. vers. 2. *Non pro nostris solùm, sed &* περὶ ὅλου τοῦ κόσμου, *pro totius mundi.* Subaudi articulum: περὶ τῶν ὅλου τοῦ κόσμου, scil. ἁμαρτιῶν. Jacob. 2. vers. 20. *Vis verò scire*, ὅτι ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστιν: pro, ἡ χωρὶς τῶν ἔργων, *quòd fides illa, quæ*

*quæ est absque operibus, mortua sit?* Illud enim, χωρὶς τῶν ἔργων, non ad prædicatum pertinet, νεκρά ἐστιν: sed ad subjectum, ἡ πίστις. Sic vers. 26. Intelligitur vana illa fides, quæ jactatur pro verâ, cum sit vana tantummodò persuasio, vers. 14.

## Insuper & hæc κατ' ἔλλειψιν articuli explicantur.

Matth. 1. vers. 11. *Jesus autem genuit Jechoniam, & fratres ejus,* ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος, *in transmigratione Babylonis:* pro τοὺς ἐπὶ τῆς μετοικεσίας βαβυλῶνος, *illos, qui erant in transmigratione Babylonis:* ut non ad genituram, sed ad genitos, ad Jechoniam scil. & fratres ejus, hæc descriptio referatur. Jechonias enim cum fratribus ante transmigrationem illam natus est.

Matt. 27: 9. *Acceperunt triginta argenteos, precium appreciati* (æstimati) *quem appreciaverunt* (seu æstimaverunt) ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ, h. e. οἱ ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ, *ii, qui sunt ex filiis Israel,* h. e. Israelitæ. Ita indignitas hujus facti exprimitur. Filii Israel, hoc est, summi Sacerdotes, populi Israelitici capita ac proceres, quos minimè omnium hoc facere oportuit, acceperunt triginta argenteos, precium, quo ipsemet Messiam suum æstimaverant, & dederunt eos in agrum figuli, h. e. ad emendum agrum à figulo. Vide Dn. D. Gerhard. harmon. Euangel. de passione Domini. cap. 8. pag. 367.

Actor. 7: 14. *Mittens autem Joseph accersivit patrem suum Jacob, & omnem cognationem ejus,* ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε, *in animabus septuaginta quinque:* pro τὴν ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε, scilicet συνισταμένην ἢ συγγεγραμμένην, *illam* (cognationem) *quæ constabat aut conscripta erat ex animabus septuaginta quinque.* Enumerat Stephanus 75. præter Jacobum, quia non eos, qui reipsa cum Jacobo descenderunt, sed & matres eorum, quatuor uxores Jacobi, & duos filios Jehudæ, licèt antè defunctos, comprehendit; id est, quotquot Gen 46. personæ de nomine recensentur, ut doceat, ad quantum in summa numerum familia Jacobi, antequam descenderet in Ægyptum, pervenisset: seu non refert Stephanus numerum proficiscentium (uti Genes. 46. v. 27, fit, ubi 70. animæ commemorantur) sed summam eorum, quos d. l. nominatim Moses enumeravit. Et sic legerunt exposueruntque orthodoxi patres, per ellipsin articuli in Græco sermone frequentissimam. Hæc Junius in annotat. ad Genes. 46: 27. num. 32. qui videatur etiam lib. 1. parallelorum, par. 92. Et addi hæc possunt iis, quæ in Philol. sacr. lib. 1. hoc de loco sunt dicta.

Actor. 7: 16. *Et translati sunt* (Jacob & patres nostri) *in Sichem, & positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham precio argenti,* παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ, *à filiis Hemor filii Sichem:* pro, παρὰ τὸ, τῶν υἱῶν Ἐμμὸρ τοῦ Συχέμ, q. d. prætor illud monumentum, quod Jacob à filiis Emmoris patris Sichem legitur comparâsse, Gen. 33. Ita Junius.

## Canon III.

*Ex curiosâ & minus necessariâ articuli consideratione, falsæ hypotheses & errores facilè oriri & invehi possunt.*

Repetendum necessariò, *quòd articulus nimis crebrò & omnium sæpissimè emphasi careat,* quodque ex articuli præpositivi vel præsentiâ vel absentiâ minùs tuto certi alicujus dogmatis probatio desumi possit vel debeat.

Lubrico igitur innituntur fundamento, quæ sequuntur.

1 Quòd Didymus Alexandrinus hanc olim de Spiritu sancto regulam tradidisse legitur: *Apostoli, quando intelligi volunt personam Spiritus sancti, addunt articulum,* τὸ πνεῦμα, *sine quo Spiritus sancti dona notantur.* Fallit hæc regula, quia τὸ πνεῦμα cum articulo quandoque Spiritus sancti dona significat, Ephes. 4. vers. 23. 1 Thess. 5. vers. 19. 1 Joh. 4. vers. 1. Et vicissim, πνεῦμα sine articulo Spiritus sancti personam significat, Joh. 3: 5. 1 Cor. 12: 11. Epist. Jud. v. 19.

2. Quòd Origenes in explicatione verborum Rom. 3. vers. 21. dicit, νόμου *legem,* priori loco positam, notare *legem naturæ;* posteriori verò, *legem Mosis:* quia scil. hìc addatur articulus: ibi verò non. Sed voci νόμος, si legem Mosaicam denotet, articulum semper addi, falsum est. Videantur cap. 3: 20, 31. cap. 7. v. 7. &c. Vicissim, si νόμος legem naturæ denotet, articulus ei additur Roman. 2. vers. 14, 15.

3. Quòd Asterius, Arii socius, emphasin in eo quæsivit, quòd 1 Cor. 1. vers. 24. Christus dicitur θεοῦ δύναμις, non verò cum articulo, ἡ θεοῦ δύναμις. Ita enim verba ejus Athanasius recenset, orat. 3. contra Arian. p. 193. *Non dictum est à beato Apostolo, se Christum prædicare, illam Dei virtutem, sed sine pronomine aut emphasi, Dei virtutem. Sed aliam esse Dei virtutem, eamque propriam insitamque Deo,*

*Deo, & cum eo existentem, ingenitam quidem, sed tamen genitabilem, utpote, quæ Christum genuerit, & architectatricem totius mundi, secundum illud* [*Rom.* 1. *verf.* 20. *&c.* Miserum sanè & lubricum fidei (vel perfidiæ potiùs) Arianæ fulcrum, cùm indifferenter articuli vel ponantur vel omittantur in his loquendi formis. Dicitur ibidem Christus sine articulo θεοῦ σοφία, *Dei sapientia*; qui tamen ἡ σοφία τοῦ θεοῦ, cum articulo, Luc. 11. verf. 49. & ἡ σοφία, Matth. 11. verf. 19. dicitur. Par ratio appellationis δυνάμεως θεοῦ, quâ licet alibi Christus cum articulo non denominetur, ex eo tamen veræ ejus divinitati λευκάδι ψήφῳ in scripturis SS. comprobatæ, nihil quicquam decedit. Quin ipsi Christo ἡ δύναμις cum articulo tribuitur. 2 Cor. 12. v. 9. ἡ δύναμίς μου. Ubi Christus ad Paulum loquitur. Ibid. ἡ δύναμις χριστοῦ. Vide & Philip. 3. verf. 10. quæ non nisi divina & increata virtus est, ut ex Hebr. 1. verf. 3. apertissimè conspicitur.

4. a Quòd præter quosdam ex antiquitate Patres (quos Socinus adducit contra Bellarmin. & Wiek. cap. 6. claf. 4. pag. 388.). Photiniani hanc regulam tradunt: *Nomen* θεὸς *cum articulo solum verum Deum notat, sine articulo verò minimè*. Fallit hæc regula. Quia ὁ θεὸς cum articulo quandoque λεγομένοις θεοῖς tribuitur, Actor. 7. verf. 43. cap. 14. verf. 11. 2 Corinth. 4. verf. 4. Galat. 4. verf. 8. Phil. 3. verf. 19. Vicissim θεὸς fine articulo unum verum Deum designat, Matth. 4. verf. 4. cap 5: 9. cap. 6: 24. cap. 12: 28. Joh. 1. verf. 6. 12, 13. 18. 1 Thess. 1. verf. 9. & alibi sæpius. Consideretur autem tenebrionum horum b inconstantia. Joh. 20. verf. 28. Christus à Thoma dicitur ὁ θεός μου, cum articulo. Ex propria igitur Photinianorum hypothesi solius veri Dei appellatio Christo tribuitur: & ex ipsa loci ejus consideratione, aliorumque collatione hoc nimis clarum. Sed invenit & hîc cœca mentiendi libido, quod regerat. *Pronomen enim* μου *additum, impedire*, ajunt, *quò minùs de vero Deo id accipiatur, & ita vim articuli infringere*, ut videre est in Socino contra Bellarmin. & Wiek. cap. 5. claf. 3. arg. 7. Cùm tamen particula illa μου, *meus*, confirmet potiùs veram Christi divinitatem. Est enim *particula fidei*, quâ gratiam Dei homo sibi applicat, uti ex Psal. 21. verf. 1. Psal. 31. verf. 15. Psal. 140. verf. 7. Zach. 13. verf. 9. patet: ac respondet promisso Dei benevolo, quo se Deum nostrum fore promittit, Exod. 20. verf. 2. &c. Sunt & multa alia, quæ ex articulorum doctrinâ Photiniani adducere solent, quæ tamen valdè incerta sunt, & sæpiùs frivola. Ut *quòd discrimen statuunt inter* ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, 1 Timoth. 6. verf. 15. & Βασιλεὺς βασιλευόντων, *sine articulo*, Apoc. 17. verf. 14. cap. 19. verf. 16. *quorum illud Deo Patri: hoc Christo tribui* ajunt, & exinde inferunt, *Christum non esse unum illum verum Deum, qui est Rex Regum*. Socin. d. 1. cap. 6. claf. 4. argum. ex sexto Dei nomine. Quòd item Joh. 1. verf. 1. *in propositione*, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, *ideò omissum esse ab Euangelista articulum*, dicunt, *ne eodem sensu cum præcedenti* ὁ θεὸς *illa vox acciperetur*. Idem ibid. c. 5. claf. 3. argum. 13. pag. 334. & quæ hujus generis sunt alia. Notetur autem ipsum Socinum pag. 407. ad regulam quandam, articulum Græcorum spectantem, sic respondere: *Respondeo, regulam istam in Græca lingua non esse perpetuam, atque ubi ea cesset, ex loci circumstantiis optimè dijudicari*. Hæc ille, quod de ipsius etiam observatiunculis, articulum concernentibus, meritò valere debet. Nota.

5. Quòd c Bellarminus ex articulo, voci ἄνθρωπος præposito, 2 Thes. 2. verf. 3. colligit, *certum quendam hominem, & singularem personam intelligi, quæ sit Antichristus. Apostolus* (inquit lib. 3. de Pont. Rom. cap. 2. *loquitur de certa quadam & particulari persona, ut patet ex articulis Græcis*, verf. 3: ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. *Et infrà* verf. 8. καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος. Mox & Epiphanio addit: *Articuli Græci contrahunt significationem ad unam certam rem, ita ut* ἄνθρωπος *significet hominem in communi, at* ὁ ἄνθρωπος *hominem singularem*. Quo argumento pro singularitate Antichristi formato sic tripudiat, ut exclamet; *Mirum est, nullum adversariorum, qui tamen jactant linguarum peritiam, hoc animadvertisse*. Verum mirum potius est, Jesuitam non animadvertisse, quàm invalidè soli Græcorum articulo res tanti momenti superstruatur. Vanum est, quod ὁ ἄνθρωπος *cum articulo*, hominem singularem & individuum semper denotet, contrarium patet ex Matth. 12. verf. 35. Marc. 2. v. 27. Luc. 4. verf. 4. (Confer Matth. 4. verf. 4.) 2 Tim. 3. verf. 17. Sic & aliis vocibus articulus additus, haudquaquam singularem personam notat, uti videre est ex permultis locis, ex quibus videantur Rom. 1. verf. 17. ὁ δίκαιος. Ephes. 6. verf. 16. ὁ πονηρός, Tit. 1. verf. 7. ὁ ἐπίσκοπος. 1 Pet. 4. verf. 18. ὁ δίκαιος: ὁ ἀσεβής. 2 Joh. verf. 7. ὁ πλάνος καὶ ὁ ἀντίχριστος (at præcedit: ὅτι πολλοὶ πλάνοι εἰσῆλθον εἰς τὸν κόσμον &c.) Sic & 1 Joh. 2. v. 18. Apoc. 22. verf. 11. ὁ ἀδικῶν: ὁ ῥυπῶν: ὁ δίκαιος: ὁ ἅγιος &c. Summatim dicendo, emphasin articuli in appellatione, ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρ-

a Photiniani.
c Bellar. de Antichristo.
b Eorum inconstantia.

*qua est absque operibus, mortua sit?* Illud enim, χωρὶς τῶν ἔργων, non ad prædicatum pertinet, νεκρά ἐστιν: sed ad subjectum, ἡ πίστις. Sic vers. 26. Intelligitur vana illa fides, quæ jactatur pro verâ, cum sit vana tantummodò persuasio, vers. 14.

## Insuper & hæc κατ' ἔλλειψιν articuli explicantur.

Matth. 1. vers. 11. *Jesus autem genuit Jechoniam, & fratres ejus*, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος, *in transmigratione Babylonis:* pro τοὺς ἐπὶ τῆς μετοικεσίας βαβυλῶνος, *illos, qui erant in transmigratione Babylonis:* ut non ad genituram, sed ad genitos, ad Jechoniam scil. & fratres ejus, hæc descriptio referatur. Jechonias enim cum fratribus ante transmigrationem illam natus est.

Matt. 27: 9. *Acceperunt triginta argenteos, precium appreciati* (æstimati) *quem appreciaverunt* (seu æstimaverunt) ἀπὸ υἱῶν Ισραὴλ, h. e. οἱ ἀπὸ υἱῶν Ισραὴλ, *ii, qui sunt ex filiis Israel*, h. e. Israelitæ. Ita indignitas hujus facti exprimitur. Filii Israel, hoc est, summi Sacerdotes, populi Israelitici capita ac proceres, quos minimè omnium hoc facere oportuit, acceperunt triginta argenteos, precium, quo ipsemet Messiam suum æstimaverant, & dederunt eos in agrum figuli, h. e. ad emendum agrum à figulo. Vide Dn. D. Gerhard. harmon. Euangel. de passione Domini. cap. 8. pag. 367.

Actor. 7: 14. *Mittens autem Joseph accersivit patrem suum Jacob, & omnem cognationem ejus*, ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε, *in animabus septuaginta quinque:* pro τὴν ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε, nimirum συνισταμένην ἢ συγγεγραμμένην, *illam* (cognationem) *quæ constabat aut conscripta erat ex animabus septuaginta quinque.* Enumerat Stephanus 75. præter Jacobum, quia non eos, qui reipsa cum Jacobo descenderunt, sed & matres eorum, quatuor uxores Jacobi, & duos filios Jehudæ, licèt antè defunctos, comprehendit; id est, quotquot Gen 46. personæ de nomine recensentur, ut doceat, ad quantum in summa numerum familia Jacobi, antequam descenderet in Ægyptum, pervenisset: seu non refert Stephanus numerum proficiscentium (uti Genes. 46. v. 27, fit, ubi 70. animæ commemorantur) sed summam eorum, quos d. l. nominatim Moses enumeravit. Et sic legerunt exposueruntque orthodoxi patres, per ellipsin articuli in Græco sermone frequentissimam. Hæc Junius in annotat. ad Genes. 46: 27. num. 32. qui videatur etiam lib. 1. parallelorum, par. 92. Et addi hæc possunt iis, quæ in Philol. sacr. lib. 1. hoc de loco sunt dicta.

Actor. 7: 16. *Et translati sunt* (Jacob & patres nostri) *in Sichem, & positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham precio argenti*, παρὰ τῶν υἱῶν Εμμὸρ τοῦ Συχὲμ, *à filiis Hemor filii Sichem:* pro, παρὰ τὸ, τῶν υἱῶν Εμμὸρ τοῦ Συχὲμ, q. d. præter illud monumentum, quod Jacob à filiis Emmoris patris Sichem legitur comparâsse, Gen. 33. Ita Junius.

## Canon III.

*Ex curiosâ & minus necessariâ articuli consideratione, falsæ hypotheses & errores facilè oriri & invehi possunt.*

Repetendum necessariò, *quòd articulus nimis crebrò & omnium sæpissimè emphasi careat*, quodque ex articuli præpositivi vel præsentiâ vel absentiâ minùs tuto certi alicujus dogmatis probatio desumi possit vel debeat.

Lubrico igitur innituntur fundamento, quæ sequuntur.

1 Quòd Didymus Alexandrinus hanc olim de Spiritu sancto regulam tradidisse legitur: *Apostoli, quando intelligi volunt personam Spiritus sancti, addunt articulum*, τὸ πνεῦμα, *sine quo Spiritus sancti dona notantur.* Fallit hæc regula, quia τὸ πνεῦμα cum articulo quandoque Spiritus sancti dona significat, Ephes. 4. vers. 23. 1 Thess. 5. vers. 19. 1 Joh. 4. vers. 1. Et vicissim, πνεῦμα sine articulo Spiritus sancti personam significat, Joh. 3: 5. 1 Cor. 12: 11. Epist. Jud. v. 19.

2. Quòd Origenes in explicatione verborum Rom. 3. vers. 21. dicit, νόμον legem, priori loco positam, notare *legem naturæ;* posteriori verò, *legem Mosis:* quia scil. hîc addatur articulus: ibi verò non. Sed voci νόμος, si legem Mosaicam denotet, articulum semper addi, falsum est. Videantur cap. 3: 20, 31. cap. 7. v. 7. &c. Vicissim, si νόμος legem naturæ denotet, articulus ei additur Roman. 2. vers. 14, 15.

3. Quòd Asterius, Arii socius, emphasin in eo quæsivit, quòd 1 Cor. 1. vers. 24. Christus dicitur θεοῦ δύναμις, non verò cum articulo, ἡ θεοῦ δύναμις. Ita enim verba ejus Athanasius recenset, orat. 3. contra Arian. p. 193. *Non dictum est à beato Apostolo, se Christum prædicare, illam Dei virtutem, sed sine pronomine aut emphasi, Dei virtutem. Sed aliam esse Dei virtutem, eamque propriam insitamque*

*Deo*,

*Deo*, *& cum eo existentem*, *ingenitam quidem*, *sed tamen genitabilem*, *utpote*, *quæ Christum genuerit*, *& architectatricem totius mundi*, *secundum illud* [*Rom.* 1. *vers.* 20. *&c.* Miserum sanè & lubricum fidei (vel perfidiæ potiùs) Arianæ fulcrum, cùm indifferenter articuli vel ponantur vel omittantur in his loquendi formis. Dicitur ibidem Christus sine articulo θεοῦ σοφία, *Dei sapientia*; qui tamen ἡ σοφία τοῦ θεοῦ, cum articulo, Luc. 11. vers. 49. & ἡ σοφία, Matth. 11. vers. 19. dicitur. Par ratio appellationis δυνάμεως θεοῦ, quâ licet alibi Christus cum articulo non denominetur, ex eo tamen veræ ejus divinitati λευκάδι φωνῇ in scripturis SS. comprobatæ, nihil quicquam decedit. Quin ipsi Christo ἡ δύναμις cum articulo tribuitur. 2 Cor. 12. v. 9. ἡ δύναμίς μου. Ubi Christus ad Paulum loquitur. Ibid. ἡ δύναμις χριστοῦ. Vide & Philip. 3. vers. 10. quæ non nisi divina & increata virtus est, ut ex Hebr. 1. vers. 3. apertissimè conspicitur.

4. a Quòd præter quosdam ex antiquitate Patres (quos Socinus adducit contra Bellarmin. & Wiek. cap. 6. clas. 4. pag. 388.). Photiniani hanc regulam tradunt: *Nomen* θεὸς *cum articulo solum verum Deum notat*, *sine articulo verò minimè*. Fallit hæc regula. Quia ὁ θεὸς cum articulo quandoque λεγομένοις θεοῖς tribuitur, Actor. 7. vers. 43. cap. 14. vers. 11. 2 Corinth. 4. vers. 4. Galat. 4. vers. 8. Phil. 3. vers. 19. Vicissim θεὸς sine articulo unum verum Deum designat, Matth. 4. vers. 4. cap 5: 9. cap. 6: 24. cap. 12: 28. Joh. 1. vers. 6. 12, 13. 18. 1 Thess. 1. vers. 9. & alibi sæpius. Consideretur autem tenebrionum horum b inconstantia. Joh. 20. vers. 28. Christus à Thoma dicitur ὁ θεός μου, cum articulo. Ex propria igitur Photinianorum hypothesi solius veri Dei appellatio Christo tribuitur: & ex ipsa loci ejus consideratione, aliorumque collatione hoc nimis clarum. Sed invenit & hîc cœca mentiendi libido, quod regerat. *Pronomen enim* μου *additum*, *impedire*, ajunt, *quò minùs de vero Deo id accipiatur*, *& ita vim articuli infringere*, ut vìdere est in Socino contra Bellarmin. & Wiek. cap. 5. clas. 3. arg. 7. Cùm tamen particula illa μου, *meus*, confirmet potiùs veram Christi divinitatem. Est enim *particula fidei*, quâ gratiam Dei homo sibi applicat, uti ex Psal. 21. vers. 1. Psal. 31. vers. 15. Psal. 140. vers. 7. Zach. 13. vers. 9. patet: ac respondet promisso Dei benevolo, quo se Deum nostrum fore promittit, Exod. 20. vers. 2. &c. Sunt & multa alia, quæ ex articulorum doctrinâ Photiniani adducere solent, quæ tamen valdè incerta sunt, & sæpiùs frivola. Ut *quòd discrimen statuunt inter* ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων, 1 Timoth. 6. vers. 15. & Βασιλεὺς βασιλευόντων, *sine articulo*, Apoc. 17. vers. 14. cap. 19. vers. 16. *quorum illud Deo Patri: hoc Christo tribui* ajunt, & exinde inferunt, *Christum non esse unum illum verum Deum*, *qui est Rex Regum*. Socin. d. l. cap. 6. clas. 4. argum. ex sexto Dei nomine. Quòd item Joh. 1. vers. 1. *in propositione*, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, *ideò omissum esse ab Euangelista articulum*, dicunt, *ne eodem sensu cum praecedenti* ὁ θεὸς *illa vox acciperetur*. Idem ibid. c. 5. clas. 3. argum. 13. pag. 334. & quæ hujus generis sunt alia. Notetur autem ipsum Socinum pag. 407. ad regulam quandam, articulum Græcorum spectantem, sic respondere: *Respondeo*, *regulam istam in Graca lingua non esse perpetuam*, *atque ubi ea cesset*, *ex loci circumstantiis optimè dijudicari*. Hæc ille, quod de ipsius etiam observatiunculis, articulum concernentibus, meritò valere debet. Nota.

5. Quòd c Bellarminus ex articulo, voci ἄνθρωπος præposito, 2 Thes. 2. vers. 3. colligit, *certum quendam hominem*, *& singularem personam intelligi*, *quæ sit Antichristus*. *Apostolus* (inquit lib. 3. de Pont. Rom. cap. 2. *loquitur de certa quadam & particulari persona*, *ut patet ex articulis Gracis*, vers. 3: ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. *Et infrà* vers. 8. καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος. Mox & Epiphanio addit: *Articuli Graci contrahunt significationem ad unam certam rem*, *ita ut* ἄνθρωπος *significet hominem in communi*, *at* ὁ ἄνθρωπος *hominem singularem*. Quo argumento pro singularitate Antichristi formato sic tripudiat, ut exclamet; *Mirum est*, *nullum adversariorum*, *qui tamen jactant linguarum peritiam*, *hoc animadvertisse*. Verum mirum potius est, Jesuitam non animadvertisse, quàm invalidè soli Græcorum articulo res tanti momenti superstruatur. Vanum est, quod ὁ ἄνθρωπος *cum articulo*, hominem singularem & individuum semper denotet, contrarium patet ex Matth. 12. vers. 35. Marc. 2. v. 27. Luc. 4. vers. 4. (Confer Matth. 4. vers. 4.) 2 Tim. 3. vers. 17. Sic & aliis vocibus articulus additus, haudquaquam singularem personam notat, uti videre est ex permultis locis, ex quibus videantur Rom. 1. vers. 17. ὁ δίκαιος. Ephes. 6. vers. 16. ὁ πονηρός, Tit. 1. vers. 7. ὁ ἐπίσκοπος. 1 Pet. 4. vers. 18. ὁ δίκαιος: ὁ ἀσεβής. 2 Joh. vers. 7. ὁ πλάνος καὶ ὁ ἀντίχριστος (at præcedit: ὅτι πολλοὶ πλάνοι εἰσῆλθον εἰς τὸν κόσμον &c.) Sic & 1 Joh. 2. v. 18. Apoc. 22. vers. 11. ὁ ἀδικῶν: ὁ ῥυπῶν: ὁ δίκαιος: ὁ ἅγιος &c. Summatim dicendo, emphasin articuli in appellatione, ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρ-

a Photiniani.

c Bellar. de Antichristo.

b Eorum inconstantia.

ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, agnoscimus: neque enim de omni & quovis homine peccati seu peccatore, & de omni filio perditionis sive homine perdito est sermo: sed κατ' ἐξοχὴν de eo, qui universalis illius apostasiæ à fide verâ in Christum (de qua vers. 3.) auctor est, *quique* (dicente Luthero tom. 1. Jen. Germ. f. 513.) *in toto mundo peccata & perditionem accumulat, contra Christum, qui homo gratiæ, & filius salutis est, quique in toto mundo gratiam & salutem operatus est, unde Christus vocatur, & Papa Anti-Christus* &c. Hanc, inquam, in articulo emphasin h. l. concedimus: at quòd unus & solitarius homo tantûm eo intelligatur, necessitas nulla est. Conferatur etiam locus Hebr. 9: 7. ubi ὁ ἀρχιερεὺς cum articulo quosvis sibi invicem succedentes Pontifices V. T. tempore notat.

a Canon Riberæ & Sanctii.

6. Quòd Josephus Scaliger (si modò ejus viri acutissimi notæ illæ sunt, N. Test. adjunctæ) in interpretatione loci 1 Cor. 15. v. 29. *Quid facient, qui baptizantur super mortuos;* in articulo τῶν νεκρῶν, singularem constituit emphasin, & eidem explicationem suam superstruit. *Aliud est*, inquit ὑπὲρ νεκρῶν βαπτίζεσθαι, *si ita diceretur, aliud* ὑπὲρ τῶν νεκρῶν: *ut aliud* ἀνάστασις τῶν νεκρῶν, *aliud* ἀνάστασις νεκρῶν. *Articuli* τῶν *adjectio* ἐμφατικὴ *est* καὶ ὁριστική, *ast absentia articuli est* ἀόριστος *& sine articulo omnes* νεκροὶ *comprehenduntur, cum articulo illi & illi tantùm.* Addit: *Multum interest, hanc distinctionem considerâsse, quam qui non adverterunt, parum vident in hellenismo; sed qui hellenismum plenè tenent, recurrent ad causam illius comprehendendam, & propius ipsius Apostoli verba putabunt*, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *super quibusdam mortuis* &c. At distinctio illa infirma est, ut ex antè dictis constat. In hoc ipso capite decimo quinto indifferenter duo illa, νεκροὶ & οἱ νεκροὶ, sine articulo, & cum articulo usurpantur. *Prius* vers. 12, 13, 15, 20, 21, 29, 32. *Posterius* vers. 29, 35, 42, 52. videre est. Conferantur etiam Matth. 14. vers. 2. Marc. 12. vers. 26. Joh. 5. vers. 25. 1 Thess. 4. vers. 16. Casaub. in notis ad Matth. cap. 10. v. 17. super illud, προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων, contrariam Scaligerianæ de articulo observationem habet: *Hoc est*, (inquit) *ab omnibus hominibus, siquidem sit articuli vis expendenda. Nam* οἱ ἄνθρωποι *valet homines:* ἄνθρωποι *autem cùm dicitur, quosdam homines intelligimus.* Addit autem rectè: *Sed hæc minutiora sunt & subtiliora. Itaque ratio articuli hìc non est habenda.* Cæterùm accurata sententiæ Scaligerianæ consideratio extat in exercitation. Bibl. Dn. D. Tarnovii, Coroll. 12. qui consulendus.

b In quibus valeat.

## Canon IV.

*Articulus non solùm subjecto propositionis, sed & prædicato additur.*

Quia enim in antecedentibus dictum, articulum emphaticè quandoque adhiberi, si res certa & eximium quid significatur, utique *in prædicato* etiam illud fieri, negari non potest.

a Non igitur absolutæ certitudinis & καθόλε est canon, qui à Ribera in comm. Hebr. 1. Sanctio in Zach. 3. & aliis ponitur: *Cùm dubium est, an aliquod nomen vim habeat subjecti, an prædicati, id facilè apud Græcos ex articulo cognosci potest. Nam illud nomen, cui articulus præponitur, subjectum est.*.

Ex hoc principio Joh. Langus Calvinista Silesius in annot. ad 2. apol. Justini (referente Bellarmino lib. 1. de sacra Eucharist. cap. 8. & Sandæo in Grammat. profano comment. 15. pag. 576.) collegit, in propositione Eucharisticâ, *hoc* est *corpus meum*, esse terminorum transpositionem, quia scilicet in sententia Christi Græcè concepta, τῦτό ἐστι τὸ σῶμά μȣ, atticulus adjungitur corpori, non pronomini. Invertit igitur propositionem, hoc modo, *Corpus meum est hoc:* & porrò, particula *hoc* significari panem; panem verò metaphoricè accipiendum esse statuit, istum in modum: *Hoc est corpus meum*, h. e. *corpus meum est hoc, nimirum panis, quoniam nutrit animos ac reficit, sicut panis reficit & nutrit corpora hominum: &c.* Verùm rectè Bellarminus & Sandæus Lango huic se opponunt, & regulam positam particularitatis accusant. Non enim subjecto solum, sed & *prædicato* (ut canon noster habet) articulus crebro additur. Et διάκρισις accurata subjecti & prædicati, non soli articulo, sed totius contextus inspectioni committendâ.

b Valet regula Riberæ & Sanctii in his sequentibus, quia συνάφεια textuum ostendit, pro subjectis ea esse habenda, quibus articuli adduntur, etiamsi terminorum fiat μετάθεσις.

Matth. 21. vers. 9. εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος &c. *benedictus, qui venit in nomine Domini.*

Joh. 1: 1. καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, *& Deus erat illud verbum*, scilicet, de quo sermo est institutus.

Joh. 4: 24. πνεῦμα ὁ θεὸς, *Spiritus est DEUS*, h. est, DEUS est Spiritus.

Joh. 20. vers. 29. μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες καὶ πιστεύ-

πιστεύσαντες, *beati, qui non vident, & credunt.* Sic Rom. 3. vers. 13. cap. 11: 29. 1 Cor. 11: 3.

Fallit autem regula hæc,

a 1. In illis propositionibus, in quibus subjecti locum obtinent *pronomina demonstrativa.* In his enim prædicato additur articulus.

Matth. 5: 13. *Vos estis* τὸ ἅλας τῆς γῆς, *sal terræ.*

Ibid. v. 14. *Vos estis* τὸ φῶς τῦ κόσμυ, *Lux mundi.*

Math. 21: 38. οὗτός ἐστιν ὁ κληρονόμος, *hic est hæres.*

Joh. 10: 7. *Ego sum* (inquit Christus) ἡ θύρα τῶν προβάτων, *ostium ovium.* Sic v. 9, 11, 14. cap. 6: 50. cap. 15: 1, 5. Act 9: 22. Phil. 3: 3. 1 Joh. 5: 20.

Huc pertinet, cùm demonstrativo *nomen* subjicitur. Eph. 3. vers. 1. *Hujus rei gratiâ ego Paulus* (sum) ὁ δέσμιος *captivus Christi Jesu &c.*

Ex his patet, falsum esse, & consistere nullo modò posse, quod Langus Calvinista asseruit. In propositionibus enim eucharisticis subjecti loco ponuntur pronomina demonstrativa, quibus prædicata cum articulo δείξεως ergò adduntur. Fallit porrò regula.

2. In aliis, ubi *vel* uterque terminorum articulum præpositum habet, quale est 2 Cor. 3: 17. ὁ δὲ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστιν, *Dominus autem Spiritus est.* Vide & cap. 4: 6. Matth. 13: 37. 38, 39. *Vel* articulus soli prædicato additur, Hebr. 13: 8. *Jesus Christus* (est) ὁ αὐτὸς *idem; heri, hodie & in secula.* Confer cap. 1: 12. Denotatur hac voce ὁ αὐτὸς, immutabilitas Divinæ essentiæ & voluntatis affectionumque in Christo. Fallit insuper regula.

3. In illis, quibus terminorum, *subjecti & prædicati* fit μετάθεσις seu inversio, & primæ voci articulus additur, quæ tamen prædicatum in propositione est.

Actor. 18: 28. *Ostendens per scripturas,* εἶναι τὸν χριστὸν Ιησοῦν, *esse Christum illum, Jesum.* Propositio integra hæc est, quam Apollo ibi confirmabat ex Scripturis: Ιησοῦς ἐστιν ὁ χριστός: *Jesus est ille Christus*, h. est, unctus Domini & promissus Messias.

2 Cor. 1: 21. ὁ βεβαιῶν ἡμᾶς, θεός. Deum h. l. subjectum esse, ex reipsa, & ex vers. 22. patet. a In quibus fallat?

2 Cor. 5: 5. ὁ κατεργασάμενος ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο, θεός. Eadem hujus cum præcedente ratio.

Si in his Riberæ & Sanctii regulam adhibueris, non rectum de διαθέσει terminorum, subjecti & prædicati formaveris judicium. Manifestum enim est, terminos illos in illis μετατεθεῖσθαι.

Huc refertur illud Rom. 6. vers. 23. τὸ δὲ χάρισμα τοῦ θεοῦ, ζωὴ αἰώνιος, h. e. ζωὴ αἰώνιος (ἐστιν) τὸ χάρισμα τοῦ θεοῦ, *vita æterna est donum illud Dei, in Christo Jesu Domino nostro*, h. e. propter Christum Jesum Dominum nostrum & mediatorem. Dixerat vers. 21, 22. Romanos antè suam ad Christum conversionem habuisse τέλος peccatorum suorum, mortem; nunc verò habere τέλος fidei & operum bonorum, vitam æternam. Huic subjungit antithesin isthanc, ne quis putet, parem utriusque membri conditionem esse: Mortem esse peccati τὰ ὀψώνια, stipendia, seu debitam peccatis mercedem: Sed vitam æternam esse donum Dei omninò gratuitum, propter Christum mediatorem. Quidam, naturali terminorum διαθέσει retentâ, non absurdè explicant hoc modo: *Stipendia peccati sunt mors: donum autem Dei* (illud videl. χάρισμα, de quo cap. 5. 15, 16. h. e. gratuita justificatio nostra per Christum sanctificationem sibi conjunctam habens) *est vita æterna*, hoc est, ad vitam æternam nos perducit, sicut contrà peccatum nos reddit morti æternæ obnoxios &c. Hæc de articulo. Videantur demum, quæ de usu articulorum in Græca & Germanica linguâ Lutherus contra Zwinglium disserit, tom. 3. Lat. Jen. fol. 465. b. seqq.

# DE PRONOMINE DEMONSTRATIVO.

IN demonstrativo pronomine occurrunt quædam *communia* cum relativo, de quibus in membro sequenti: Quædam verò ipsi *propria*, quæ h. l. evolventur. Ea sunt partim *generalia*, partim *specialia*. *Generalia* sunt. 1. repetitio. 2. pleonasmus. 3. enallage. De quibus omnibus in regulis sequentibus.

## Canon V.

*Demonstrativi repetitio distributionem indicat.*

NUm. 22: 24. *Et stetit Angelus Jehovæ in tramite quodam vinearum*, גָּדֵר מִזֶּה וְגָדֵר מִזֶּה *maceria ex hoc, & maceria ex hoc*, scilicet loco: hoc est, hic illic, seu utrinque maceriam habente.

Jud. 18. vers. 4. כָּזֹה וְכָזֶה *secundum hanc & secundum hanc fecit mihi*, scil. rationem & modum.

2 Sam. 12: 8. *Et additurus sum tibi* כָּהֵנָּה וְכָהֵנָּה *sicut hæc & sicut hæc*, hoc est, hæc & alia: alia atque alia.

Psal. 20: 8. אֵלֶּה *illi in curribus*, וְאֵלֶּה *& illi in equis*, hoc est, alii in curribus, alii in equis. Vide & Esa. 6: 3.

Quandoque hæc demonstrativa & distributiva desunt.

Ellipsis. Eccl. 7: 15. (al. 12.) כִּי בְּצֵל הַחָכְמָה בְּצֵל הַכָּסֶף *quia in umbra Sapientiæ, in umbra pecuniæ* sunt, hoc est, אֵלֶּה *illi* in umbra sapientiæ: וְאֵלֶּה *& illi* in umbra pecuniæ sunt. Id est, alii in alia, alii in hac.

In Nov. Test. hujus demonstrativi distributivi vicem obtinet articulus subjunctivus, ὃς, ἣ, ὃ cum particulis μὲν & δὲ.

Matth. 13: 8. *Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dederunt fructum*, ὃ μὲν ἑκατὸν, ὃ δὲ ἑξήκοντα, ὃ δὲ τριάκοντα: *aliud quidem centuplum, aliud verò sexagecuplum, aliud verò trigecuplum.*

Vide & Actor. 17. v. 32. Rom. 14: 2, 5. 1 Cor. 11: 21. cap. 7: 7. Notetur Matth. 28: 17. οἱ δὲ pro τινὲς δὲ poni, etiamsi οἱ μὲν non præcesserit: οἱ δὲ ἐδίστασαν, *quidam verò dubitarunt.*

Apud profanos etiam in tali usu est articulus præpositivus cum iisdem particulis. Plato epistol. 9. ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μέν τι πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι. *Nostrum quilibet non sibi ipsi solum natus est, sed ortus nostri partem sibi patria vendicat; partem parentes, partem reliqui amici.* Sic in oppositione. Democritus: ζημίαν αἱροῦ μᾶλλον, ἢ κέρδος αἰσχρόν, ἡ μὲν γὰρ ἅπαξ σε λυπήσει, τὸ δὲ διὰ παντός. *Eligas potius damnum, quàm turpe lucrum. Illud enim semel tantùm te dolore afficiet, hoc verò semper.*

## Canon VI.

*Pronomen demonstrativum (uti & reciprocum) dativi casus, frequenter nominibus & verbis, per pleonasmum quendam emphaticum additur.*

FLacius part. 2. clav. scr. col. 268. hoc dativo significari dicit, *aliquid in alicujus commodum, gratiam, aut damnum vel odium fieri.* Masius in Jos. 7. cap. *Tales dativi non prorsus supervacanei sunt, sed fere incitandi vim habent.* Sed de omnibus exemplis dici hæc non possunt.

### Pronomen additum nomini.

Psal. 144: 2. *Editus locus meus, & liberator meus* לִי *mihi.* Locum hic habet Flacii observatio: denotatur enim commodum & bonum hominis, cui Deus adsistit. Jun. & Tremell. supplent verbum: *assistens mihi.*

Hos. 8. vers. 9. *Quia isti ascenderunt ad Assyrium, onagrum* בּוֹדֵד לוֹ *solitarium sibi.* Prædicti Interpretes reddunt, *onagrum solummodò studentem sibi*, h. e. cui non magis curæ sunt homines, ut ipsos adjuvet, quàm onagro, de quo Job. 39: 8. seqq. sed sibi tantùm prospicit.

Amos. 2. vers. 13. (al. 10.) *Ecce ego pressurus sum subter vos, quemadmodum premit plaustrum* הַמְלֵאָה לָהּ *plenum sibi.*

Pro-

## Pronomen additum Verbo.

Gen. 12: 1. לֶךְ־לְךָ *ito tibi ex terra tua.* Sic cap. 22: 2.

Gen. 21: 16. Et abiit וַתֵּשֶׁב לָהּ *& sedit sibi è regione.*

Gen. 22. vers. 5. שְׁבוּ לָכֶם *sedete vobis hic.*

Gen. 23. v. 8. וּפִגְעוּ לִי *& intercedite mihi apud Ephron.* Habet hic locum Flacii observatio: *Intercedite mihi*, h. est, pro me, in causa mea, ad commodum meum. Uti & 2 Sam. 20: 6.

Alia exempla sunt, Exod. 18. ult. Jos. 7. vers. 10. 2 Sam. 16. vers. 20. Job. 12. vers. 11. cap. 7. vers. 3, Psal. 80. vers. 7. Psal. 120. vers. 6. Psal. 122. vers. 3. Psal. 122. v. 4. Cant. 1. vers. 8. cap. 2. v. 10. cap. 4. v. 6. Ezech. 37. vers. 11. Jerem. 15. vers. 8. Zach. 9. vers. 9. Esa. 31. vers. 8. Mich. 1. vers. 11. &c. 2 Sam. 18. vers. 5. post *adverbium* pronomen tale ponitur: לְאַט לִי *Leniter mihi erga puerum istum*, *erga Absalomum.* Jun. לִי reddit, *propter me.*

Ex N. Test. huc refertur, Matth. 23. vers. 31. *μαρτυρεῖτε ἑαυτοῖς testamini vobis*, h. e. καθ' ἑαυτῶν sive ἐφ' ἑαυτούς, contra vos ipsos, in vestrum exitium. Conf. Marc. 6: 11. Luc. 9. vers. 5.

In Syriaca N. Test. versione hic pleonasmus frequens est.

Matth. 3: 2. קְרֶבַת לָהּ *appropinquat sibi regnum cælorum.*

Matth. 4: 12. שְׁנִי לֵהּ *secessit sibi in Galilæam.* Ib. v. 10. זֵל לָךְ *abi tibi Satana.*

Matth. 7: 23. אֶרְחַקוּ לְכוֹן *discedite vobis à me operarii iniquitatis*, &c.

Sic apud profanos. Τούτῳ μοι προσέχετε νοῦν, *huic mihi mentem advertite*, apud Demosthen. πῶς ἡμῖν ἔχεις, *quomodo nobis habes?* Apud Latinos. *Scin', ubi nunc sit tibi tua Daphnis? suo sibi hunc gladio jugulo*, &c. Vide Vechneri hellenolex. lib. 1. pag. 109. seqq.

### Nota.

Alius pleonasmus demonstrativi est, cùm זֶה *iste*, numeralibus nominibus additur, cum emphasi.

Num. 14. vers. 22. *Et tentârunt me* זֶה עֶשֶׂר פְּעָמִים *istis decem vicibus*, h. e. decem jam vicibus. Numerus certus pro incerto. Vide & cap. 22. vers. 28. Genes. 31. vers. 38.

Item, cùm interrogativo מָה aut לָמָּה pleonasticè additur, & indicat simul velut indignationem quandam.

Gen. 18: 13. לָמָּה זֶה *quid hoc risit Sara?* hoc est, quid hoc est, quod risit? Sic cap. 25. v. 22.

2 Reg. 1. vers. 5. מַה־זֶּה שַׁבְתֶּם *quid hoc revertimini?* h. e. quid hoc, quòd revertimini? Jer. 20. ult. לָמָּה זֶּה *ecquare ex utero egressus sum?*

Item adverbio עַתָּה *nunc.*

1 Reg. 17: 24. עַתָּה זֶה יָדַעְתִּי *jam hoc cognosco, virum Dei te esse*, h. e. jam nunc vel nunc tandem cognosco.

2 Reg. 5: 22. *Ecce* עַתָּה זֶה *jam hoc venerunt ad me*, hoc est, ecce jam modò &c.

## Canon VII.

*Demonstrativa nominibus subjuncta, ponuntur loco verbi substantivi, vel ut alii volunt, ellipsin ejus inducunt, singulari cum elegantia.*

GEn. 3: 10. *Extimui* כִּי עֵירֹם אָנֹכִי *quia nudus ego*, h. e. nudus sum: seu ut alii, *nudus ego*, sc. sum. Vide & v. 7: 19.

Gen. 6: 2. *Et viderunt filii Dei filias hominum*, כִּי טֹבֹת הֵנָּה *quòd bona illa*, h. e. quod bonæ essent, vel *quod bona illa*, sc. essent. Subintelligitur יֹפִי *formâ* vel pulchritudine. Vide & c. 42: 11. Exod. 12: 11. Deut. 7: 26. Ps. 35: 3. Eccl. 1: 10.

Cùm antecedunt, tùm ellipsis est verbi substantivi.

Gen. 6: 9. אֵלֶּה תוֹלְדֹת *ista generationes*, scil. sunt.

2 Paral. 28: 22. הוּא הַמֶּלֶךְ אָחָז *iste* (erat) *Rex Achaz*, q. d. tale erat monstrum, quod nullis flagellis edomari poterat. Vide Sixt. Amama in Antibarb. bibl. libr. 3. pag. 647.

Esa. 28. vers. 12. זֹאת הַמְּנוּחָה *hac* (est) *requies.*

Esa. 57: 6. הֵם הֵם גּוֹרָלֵךְ *illi illi* (sunt) *fors tua.*

Si verò simpliciter sine hac emphasi nominibus adjunguntur, plerunque id fit cum præfixo ה, emphaseos causâ.

Genes. 21, v. 22. בָּעֵת הַהִוא *in tempore eo ipso.* &c. Vide Buxtorff. thesaur. libr. 2. c. 6. reg. 1.

Canon

## Canon VIII.

*Pro Pronomine demonstrativo primæ & secundæ personæ, quandoque ipsum nomen ejus, qui loquitur, vel ad quem fit sermo ponitur.*

PRIMÆ PERSONÆ Exod. 30. vers. 16. *Eritque filiis Israelis monumentum coram Jehova*, h. e. coram me. Loquitur enim Jehova.

Lev. 10: 11. *Ut doceatis filios Israelis omnia illa statuta, quæ edixerit Jehova eis per Mosen*, h. e. quæ edixero Ego. Verba Jehovæ ad Aharonem.

Psal. 50: 14. *Sacrifica Deo laudem*, h. e. mihi. Loquitur & hîc Jehova.

Psal. 132: 1. *Memento Domine Davidis*, h. e. mei.

SECUNDÆ PERSONÆ Zach. 3: 9. *Nam ecce lapis ille, quem pono coram Josua*, h. e. coram te. Illum enim Deus alloquitur.

UTRIUSQUE PERSONÆ. Numer. 27: 11. *Quemadmodum præcepit Jehova Moysi*, h. est, quemadmodum præcepi ego Tibi. Deus enim ibi Mosen alloquitur.

## Canon IX.

a In specie de demonstrativis.

a *Pronomina demonstrativa*, הוא, זה, αὐτὸς *quandoque vel cum emphasi majori, quàm propriè sonat, vel aliâ paulùm significatione, accipiuntur.*

1. הוא de Deo usurpatum, *immutabilitatem* ejus notat, id significans, quòd Latinis ferè *IDEM*. Psal. 102: 28. ואתה הוא *sed tu idem es* vel permanes. Sequitur explicatio: *& anni tui non finiuntur*. Respondet huic Græcum αὐτὸς, Hebr. 1: 12. quod etiam Christo cap. 13: 8. eâdem ratione tribuitur. Quòd autem הוא divinum nomen constituunt Galatinus, Capnio, & alii, (uti & pronomen זה Exod. 15: 2.) alienum à Scripturæ S. sensu est, & minus solidum.

2. זה pro indefinito *Quidam* poni quandoque videtur.

1 Sam. 17: 12. *Et David filius viri Ephratæi* הזה *illius* h. e. cujusdam.

Ibid. v. 34. *Pascebat servus tuus patri suo gregem, & venit leo & ursus, & abstulit* זה *illud ex grege*, h. e. abstulit aliquid. Chald. pro hoc legit, אימרא *agnum*. Legit igitur in Hebræo שה *pecus* seu agnum. Et ita in duobus manuscriptis codicibus extare, testantur Junius & Tremellius. In Francofurt. etiam editione ita expressum habetur.

1 Reg. 19: 5. *Et ecce* זה *ille Angelus tangens eum*, h. e. quidam.

3. Quandoque etiam זה & ὗτος idem est, ac *talis*: substantia pro qualitate. Deut. 5: 29. *Utinam esset cor eorum* זה *istud, ad timendum me, & ad custodiendum omnia præcepta mea*, h. e. tale.

2 Joh. 5: 7. ὗτος, *hic est impostor & Antichristus*, h. e. τοιȣ̃τος, qui est hujusmodi, quomodo scil. mox antecedentibus verbis fuit descriptus, quòd *non confiteatur Jesum Christum venisse in carne*.

4. Αὐτὸς quandoque idem est αὐτόματος, *ultroneus*. Joh. 16. vers. 27. αὐτὸς *ipse enim pater amat vos* &c. Sensus & connexio cum præced. est: Non dico me rogaturum pro vobis patrem, ut vobis faveat: ipse enim sponte suâ & ultrò vos diligit, quia vos me amâstis &c. Sic apud Homerum: *τί με σπεύδοντα καὶ αὐτὸν ὀτρύνεις; cur me festinantem & ultrò currentem instigas?* Sic, αὐτὸς τȣ̃το ποιῶ, *sponte mea hoc facio*. Nonnus in Iohanne αὐτοκέλευτος vertit, q. d. suo ipsius hortatu & proprio motu faciens &c.

# DE PRONOMINE RELATIVO.

AD quatuor membra reduci possunt, quæ de relativo pronomine observanda. 1. Idiotismus est, 2. enallage. 3. ellipsis, 4. pleonasmus.

De *idiotismo* canones hi duo tractant.

## Canon X.

*Relativa quandoque referunt ea, quæ remotiùs distant, licet adsint propiora, ad quæ videri possint referri.*

CAutissimè igitur videndum, ne à textu & vero scopo fiat aberratio.

Gen. 10. vers. 12. *Et Resenem inter Nineven & inter Celachum;* הוא *ipsa est civitas maxima. Ipsa* scil. Nineve, quod remotiùs distat, quàm Celach urbs. Conf. Jon. 3. & 4. cap.

Gen. 19. v. 13. *Et misit nos Jehova* לְשַׁחֲתָהּ *ad perdendum istam*, scil. civitatem, quæ vox vers. 12. memoratur. Vide etiam Exod. 15. vers. 12. in תִּבְלָעֵמוֹ & Num. 10:21. in עַד־בֹּאָם quæ exempla Aben-Ezra adducit in Psalm. 2. vers. 12.

2 Sam. 15: 4. וְהִצְדַּקְתִּיו *& justum pronunciarem istum*, scil. cujus causa bona & recta est, de quo v. 3. antecessit.

2 Sam. 20. vers. 6. *Tu assume servos Domini tui, & insequere* אַחֲרָיו *post ipsum*, seu *persequere ipsum:* scil. non Dominum tuum, Amasam; sed Sebam, seditiosum, cujus mentio antè habetur.

Psal. 99: 7. *In columna nubis locutus est* אֲלֵיהֶם *ad eos*, scil. Mosen & Aharonem, qui v. 6. memorantur, & mentio *Samuelis cum invocantibus nomen Dei*, inter antecedens & relativum, interseritur.

Huc pertinet *relativum adverbium Loci* שָׁם *ibi*. 1 Sam. 7: 17. *Et extruxit* (Samuel) שָׁם *illic altare Domino*, nimirum in urbe Jeharimorum, ubi arca Dei erat; quæ urbs v. 1. memoratur, & v. 15. בֵּית־אֵל *domus Dei fortis*, appellativa voce nuncupatur.

Exempla N. T. Joh. 8: 44. *Cùm loquitur* (Diabolus) *mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & Pater αὐτȣ̃ ejus:* scil. mendacii, quæ vox præcedit. Qui ad proximè præcedens ὁ ψεύστης, *mendax*, referunt, non leviter errare comperiuntur. Hieronym. in Comment. Esai. 14. *Legimus in Euangelio, quòd Diabolus ab initio mendax sit, & pater ejus, id est, mendacii. Quod multi non intelligentes patrem Diaboli volunt esse Draconem, qui regnat in mari, quem Hebræi appellant* לִוְיָתָן. *Et hoc putant loco convenire præsenti, juxta LXX. Interpretes, qui dixerunt: pro peccatis patris tui,* (Esai. 14: 21.) *cùm perspicuè in Hebræo* אֲבוֹתָם *non, patris sui, sed, patrum suorum, significet.* Hæc ille. Aliam Manichæorum detorsionem, quòd Diabolus patrem habeat, huic Johannis loco illatam, vide apud August. tract. 42. in Johan. Ubi hanc ponit explicationem commodam: *Diabolus, quia non aliunde accepit mendacium, quo mendacio tanquam veneno serpens hominem occideret, pater est mendacii, sicut Deus pater est veritatis.* Errat & Nonnus, sic vertens:

---- ὅτι λοίγιον ἦθος ἀέξων
ψεύστης αὐτὸς ἔφυ, ψευδήμονος ἐκ γενετῆρος.
---- *Quia perniciosos mores habens*
*Mendax ipse est, mendace ex patre.*

Quidam in proximè præcedente voce concretâ ψεύστης abstractum ψεῦδος latere dicunt. Quod verum est, interim tamen & ipsum nomen abstractum præcedit, ad quod pronomen refertur. Exemplum simile, quod ex Num. 23: 24. (al. 20.) adduci solet: *Et benedixit, nec revocabo eam*, scil. benedictionem, quæ in verbo *benedixit*, latet: id, inquam, non quadrat. *Fœmininum* enim hìc pro *neutro* accipitur; *nec revocabo illud*, uti & v. 23.

Actor. 8. v. 26. *Surge & vade meridiem versus, ad viam, quæ a Jerusalem descendit Gazam: αὕτη hæc, seu quæ est deserta. Quæ* scil. via, vocatur deserta, quia non fuit admodum trita, ob intercurrentes Casii montis solitudines, secundùm Strabonem lib. 16. Hujus autem admoneri Philippum necesse fuit, alioqui communem & magis tritam viam alteram ingressurum. Sunt, qui relativum ad propinquiorem vocem *Gazam* referunt, & desertam eam vocari dicunt, ad differentiam alterius cujusdam Gazæ, urbis novæ. Sed hanc nul-

lus scriptorum probatorum novit. Vide Bezam.

2 Thess. 2: 9. ὧ, *cujus est adventus secundùm operationem Satanæ. Cujus*, scilicet Antichristi, filii perditionis, de quo v. 3. 8. & Domini Jesu mentio subjungitur.

Hebr. 12: 17. *Scitote enim, quòd posteà cupiens* (Esau) *hæreditate accipere benedictionem, reprobatus est, Pœnitentiæ enim locum non invenit, quamvis cum lacrymis quæsivit αὐτήν, eam*: scil. εὐλογίαν benedictionem: quod remotius in textu nomen est. Luth. in Gen. 27. fol. 376. *Non quòd non sit salvatus, sed quòd nullis lacrymis benedictionem semel amissam consequi potuerit.* Quidam etiam ad proximè antecedens, τὴν μετάνοιαν, *pœnitentiam*, relativum non incommodè referunt: ita ut quæsita cum lacrymis pœnitentia non sit ipsius Esavi, sed Isaaci patris, cujus μετάνοιαν seu mentis mutationem (uti vox Græca propriè sonat) invenire Esaù non potuit: seu, non potuit impetrare precibus & lacrymis, ut Isaacum patrem benedictionis in Jacobum semel collatæ pœniteret, eamque revocaret: sed audire coactus fuit, *Benedixi ei, & benedictus erit*, Genes. 27. v. 33.

Huc referunt aliqui verba Hebr. 9. vers. 4. ἐν ᾗ *in qua* erat *urna aurea habens manna, & Virga Aharonis, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti.* Præcedit proximè mentio τῆς κιβωτοῦ τῆς διαθήκης, *arcæ fœderis:* remotius mentio τῆς σκήνης *tabernaculi*, quod dicitur *sanctum sanctorum*, vers. 3. Quia verò 1 Reg. 8. vers. 9. & 2 Paral. 5. vers. 10. per expressam exclusivam dicitur, *quòd in arcâ fœderis nihil, præter duas tabulas legis positum fuerit:* igitur relativum, ἐν ᾗ, non ad propinquius, quæ *arca fœderis;* sed ad remotius, σκηνὴν sc. quidam Interpretes referunt. Sed si de ea adhuc Apostolus loqueretur, continuâsset sermonem ex participio præcedente ἔχουσα, hoc modo: καὶ τὴν στάμνον χρυσῆν ἔχουσαν τὸ μάννα, καὶ τὴν ῥάβδον τὴν βλαστήσασαν, καὶ τὰς πλάκας τῆς διαθήκης. Præterea vers. 5. dicitur, ὑπεράνω δὲ αὐτῆς χερουβὶμ δόξης, hoc necessariò referendum ad τὴν κιβωτόν. Ergo etiam relativum, ἐν ᾗ, ad eandem pertinet, aliàs oratio sibi non cohæreret. [a] Quare satius est, ad vicinum nomen τῆς κιβωτοῦ relativum nomen referre, & antè propositæ difficultati hac satisfacere distinctione: quòd *arca fœderis* dupliciter consideretur; 1. *strictè & propriè*, pro ipso quasi corpore arcæ, quæ tecta fuit propitiatorio, 2. *latiùs*, ut totum σύνολον, comprehendens non solùm ipsum corpus arcæ, sed etiam lateralia receptacula sive appendices. Fuisse enim in lateribus arcæ ejusmodi receptacula, colligitur ex Deut. 31. vers. 26. ubi liber legis reponi jubetur מִצַּד *ex latere arcæ:* & 1 Sam 6. vers. 8. ubi capsula cum muribus aureis posita esse dicitur מִצִּדּוֹ *à latere ejus*, scil. arcæ: quod v. 15. ita exponitur, quod illa capsula fuerit אִתּוֹ *cum ipsa*, scilicet arca, h. e. ipsi exterius in receptaculo quodam addita. *Priori* igitur modo arca fœderis accipitur, 1 Regum 8. *Posteriori* Hebr. 9.

[b] Abusus Photinianus.

[a] Arca fœderis.

## Nota de demonstrativo.

Quod de relativis dictum, quòd aliquando remotiora respiciant, idem de demonstrativo οὗτος verum est.

Johan. 6. vers. 50. οὗτος, *hic est panis de cælo descendens.* Ad seipsum Christus hoc refert, ut ex vers. 48. constat, & vers. 49. mentio mannæ in deserto depluti interseritur.

Actor. 4. v. 11. οὗτος, *ipse est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus.* Ipse scilicet JESUS CHRISTUS, cujus mentio vers. 10. habetur, & posteà hominis sanitati restituti mentio subjungitur. Sic cap. 7. v. 19. 38. cap. 9. v. 22. (confer. v. 20.)

Huc pertinet Matth. 16. v. 18. καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ *& super hac petra ædificabo Ecclesiam meam:* Non super Petro, cujus mentio immediatè præcedit, sed super CHRISTO JESU, quem Petrus v. 16. confessus est: *Tu es Christus filius Dei viventis.* Plura de hoc loco dicentur in Rhetorica Sacra, cap. de Paronomasiâ.

[b] Abutuntur autem hac observatione Photiniani, dum 1 Joh. 5. v. 20. verba, οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος: non ad *proximè præcedens*, filium scilicet Dei, Jesum Christum, sed *ad remotius*, Deum scilicet Patrem, referenda esse dicunt; quò veram Jesu Christi Deitatem subvertant, ut ex Socino contra Bellarmin. & Wieck. cap. 5. clas. 3. argum. 12. & in comment. 1. Epistol. Johan. cap. 5. pag. 516. videre est. Verum non frustrà fuit suprà monitum, cautissime videndum esse, ne à textu & vero & scopo fiat aberratio. In quibusdam locis relativi & demonstrativi ad remotiora fit relatio; sed absit, ut in omnibus. *Ordinariè enim & omnium sæpissimè relativa ac demonstrativa pronomina respiciunt ad proximè præcedentia*: Et de *demonstrativo* οὗτος, in ipso Johanne exempla in promtu sunt, Johan. 1. v. 2, 7, 30. 1 Johan. 1. vers. 2. cap. 5. v. 6. 2 Johan. vers. 9. &c. Cùm igitur necessitas nos nulla cogat, ut naturalem hunc demonstravi usum in explicatione

ne verborum 1 Joh. 5. v. 20. deseramus: & scopus præterea Apostoli sit, Christi Salvatoris veram descriptionem tradere; & collatio insuper ostendat, laudatissimo Salvatori nostro prædicatum τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ καὶ τῆς ζωῆς αἰωνίου, verè competere, confer cap. 1. vers. 1, 2. cap. 5. vers. 11, 12. & Joh. 1. vers. 1, 2, 4. &c. igitur in hac veritate divinâ meritò persistimus. Athanasius in disputat. contra Arium in Niceno concil. habita, tom. 3. oper. pag. 705. hoc Johannis testimonium rectissimè vocat *scriptam demonstrationem*; Et subjungit: *Jamne animadvertis, eadem voces de Patre & Filio proferri, æqualiter Filio ac Patri Deitatem imputantes? ut enim de Patre dixit* (Johan. 17. vers. 3.) *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum; ita & hic de Filio dicit, hic est verus Deus & vita æterna* &c. Et in hac scripta demonstratione Arius tùm acquievisse, & Filium Dei verum Deum confessus esse, sed ad aliam quæstionem delapsus esse legitur, num videlicet Pater & Filius simul sint? Vide ibidem.

## Canon XI.

*Aliquando relativum respicit ad consequens, seu ad id, quod in textu sequitur.*

NUm. 24. vers. 17. אֶרְאֶנּוּ *video illud, non tamen nunc*, אֲשׁוּרֶנּוּ *contemplor illud, sed non propinquum.* Illud sc. quod mox dicturus sum.

Psal. 87. v. 1. יְסוּדָתוֹ *fundamentum ejus in montibus sanctis.* Ejus scil. Zionis, quod proximo versu sequitur. Alii reciprocè explicant pronomen: *fundationem suam inter montes sanctitatis*, (v. 2.) *diligit Jehova portas Sionis*, h. e. Jehova diligit Sion, quæ est fundatio sua. Chaldæus autem verba ea ad titulum refert, ut Hebræi, & notante Vatablo.

Psal. 105. vers. 9. *Usque ad tempus, quo erat adventurum* דְּבָרוֹ *verbum ejus*, scilicet Dei, cujus mentio sequitur. Intelligitur autem revelatio Dei, de exaltatione Josephi, per somnia ipsi facta, Genes. 37. v. 7, 9. Sic & Psal. 132. v. 6. confer. vers. 9.

Prov. 7. vers. 7, 8. *Vide juvenem, qui transibat per vicum juxta angulum illius, & via* בֵּיתָהּ *ad domum illius gradiebatur.* Ad domum illius, scilicet mulieris meretriciæ, de qua v. 10. sequitur.

Jer. 40. vers. 5. וְעוֹדֶנּוּ *& nondum ille revertitur*, scilicet Gedalia, cujus mentio in textu sequitur.

Matth. 17. vers. 18. καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ, *& increpavit illud Jesus, & exivit ab ipso dæmonium.* Relativum antecedit, dæmonii mentio sequitur.

Actor. 12. vers. 21. *Statuto autem die Herodes vestitus veste regiâ, & sedens super tribunali*, ἐδημηγόρει πρὸς αὐτούς, *concionem habebat ad ipsos*, scilicet auditores, seu populum, quæ vox vers. 22. sequitur, & in ipso Græco verbo continetur: δῆμος enim est *populus*, unde δημηγορεῖν, quasi πρὸς δῆμον ἀγορεύειν, *ad populum dicere*.

Apoc. 20: 4. *Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis.* Qui autem isti sint, sequentibus docetur verbis.

## *Continuatio.*

HActenus de relativi idiotismo. *Enallage* sequitur, quæ vel *relativum ipsum*, vel *accidentia ejus*, genus, numerum & casum concernit. *In relativo ipso* expendendum, 1. quòd relativum pro antecedente suo ponitur. 2. quòd pro relativo alia quandoque usurpantur, nempe 1. nomen antecedens repetitum. 2. demonstrativum pronomen. 3. conjunctiones, Et, Quia. De quibus canones sequentes.

## Canon XII.

*Relativum sæpius pro ipso antecedente ponitur, quod commodè ex textu eruendum est.*

NUm. 8. vers. 8, 9. *Cùm ingrederetur Moses in tentorium conventus, ut loqueretur* אִתּוֹ *cum illo*, h. e. cum Deo: quem intelligi, verba sequentia, & ipsæ textus περιστάσεις comprobant.

Num. 25. vers. 4. *Et dixit Jehova ad Mosen: assume, omnes principes populi, & suspende* אוֹתָם *illos Jehovæ coram sole* &c. Illos, h. e. eos, qui transgressi sunt, seu qui ex populo deliquerunt. Patet hoc ex vers. 5. ubi divini mandati executio describitur: *Et dixit Moses ad judices, occidite unusquisque &c.* ubi quos anteà principes, nunc judices vocat, qui in hoc à Mose convocantur, ut judicium exequantur in transgressores, quos quisque sibi subditos habebat. Chald. *Adhuc omnes principes populi, & judica atque occide eum, qui reus est occisionis coram Domino &c.* Targ. Hierosf. *Et dixit verbum Jehovæ ad Mosen: Accipe omnia*

*capita populi, & constitue eos Sanhedrin seu judices coram Domino, & suspendantur ii, qui rei sunt occisionis &c.*

Jos. 13. vers. 8. עמו *cum ipso Rubenitica & Gaditica tribus acceperunt possessionem suam, quam dederat eis Mosè trans Jordanem ad Orientem.* Cum ipso, h. est, cum altera dimidiatâ tribu Manasse: quam intelligi textus clarè ostendit, & apertis verbis in sua versione Lutherus rectè posuit. Kimchi in h. l. וְאָמַר עמו וְאַף עַל פִּי שֶׁלֹּא זְכָרוֹ לְפִי שֶׁזָּכַר הַחֲצִי הָאַחֵר אָמַר עמו כְּאִילוּ זְכָרוֹ h. est, *Et dixit,* עמו *cum ipso, etiamsi mentionem ejus non fecerit* (dimidiatæ scilicet tribus Manassis) *verùm quia mentionem fecit alterius dimidiatæ tribus, dixit* עמו *ac si alteram etiam memorâsset.*

2 Sam. 11: 25. וְחַזְּקֵהוּ *confirma illum*, h. est, militem seu exercitum: præcedit vox מלחמה *militia.*

2 Reg. 3: 24. *Et percusserunt* בָּהּ *in illa*, scilicet, regione eorum. Junius. Conf. Masoram & Chaldæum.

Est. 9: 25. וּבְבֹאָהּ *& cùm illa venisset coram Rege.* Illa, h. e. Ester, quod antecedens à relativo hoc est remotissimum: unde meritò pro eo positum esse dicitur.

Job. 40. ult. (al. 41: 1.) *An etiam* אֶל־מַרְאָיו *ad adspectum ipsius dejicietur*, h. e. hominis.

Psal. 16. vers. 4. *Non libabo* נִסְכֵּיהֶם *libamina eorum ex sanguine, neque assumam* אֶת־שְׁמוֹתָם *nomina eorum in labiis meis.* Eorum, h. l. idolorum. Sin malueris ad præcedentem vocem אַחֵר *alius*, referre, quâ alienus Deus ac idolum intelligitur; tum enallage numeri hîc statuenda.

Psalm. 114. vers. 2. *Factus est Juda* לְקָדְשׁוֹ *sanctuarium ejus Israel* מַמְשְׁלוֹתָיו *dominia ejus.* Ejus, h. e. Dei, cujus in hoc Psalmo mentio præcessit nulla. Sensus est, Israelitæ peculiari fœdere facti fuere populus Dei, & ille vicissim Israelitarum Deus, Exodi 6. vers. 6. cap. 19: 6.

Psal. 115: 9. *Israel confide Jehovæ,* עֶזְרָם *auxilium eorum, & scutum eorum est ipse:* h. e. piorum seu confidentium in Jehova.

Prov. 25: 27. *Comedere mel plurimum, non est bonum: Et investigatio* כְּבוֹדָם *gloriæ eorum,* (non est) *gloria.* Eorum, h. e. cœlestium seu divinarum & abstrusarum rerum. Hoc ad sensum expressit Lutherus: Wer schwer Ding forschet / dem wirds zu schwer. In v. 2. dixerat: כְּבֹד אֱלֹהִים הַסְתֵּר דָּבָר *honor Dei est abscondere rem*, h. e. gloria Dei eo maximè illustris est, quòd inscrutabilia sunt judicia, & viæ impervestigabiles ejus. Rom. cap. 11. vers. 33, horum igitur impervestigabilium Dei scrutationem in vers. 27. prohibet.

Eccl. 4. v. 15. (al. 11.) *Cum puero secundo, qui staturus est* תַּחְתָּיו *pro illo*, hoc est, pro patre.

Esa. 3. vers. 26. *Et mærebunt ac lugebunt* פְּתָחֶיהָ *portæ ejus*, h. e. Hierosolymorum urbis. Quidam in h. l. Antecedens vel ideò omittitur, quia Solymitana civitas adeò erat nobilis, ut communi nomine intelligeretur, maximè à Judæis, qui præ sua Jerusalem cætera nullo numero habebant. Sicut Pythagoram tanti fecêre discipuli, ut communissimâ notâ, h. e. pronomine *Ipse*, illum appellarent. Sic enim cùm quis rationem exigeret ejus, quod profitebatur, respondebat discipulus, *αὐτὸς ἔφα, ipse dixit:* Ipse autem erat Pythagoras. Vel vox *Ejus*, refertur ad id, de quo tacitè secum cogitabat Propheta, nempè de Jerusalem. Confer Cant. 1. v. 2. &c.

Esa. 8. vers. 21. *Et pertransibit* בָּהּ *in illa*, seu peragrabit illam. Illa, h. est, Judæa, vel terra. Luth. Sie werden im Lande umher gehen. Quod Chaldæus etiam expressit, בְּאַרְעָא *in terra.*

Esa. 21: 2. כָּל־אַנְחָתָהּ *Omnem gemitum illius faciam cessare.* Illius, h. e. Babylonis, contra quam onerosa prophetia instituitur.

Jon. 1: 3. *ut veniret* עִמָּהֶם *cum eis*, h.e. cum nautis.

Matt. 11: 24. *Quòd abscondisti ταῦτα hæc à sapientibus* &c. nim. cœlestia mysteria, ad quæ docenda missus sum.

Marc. 9: 44, 46, 48. *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Eorum, hoc est, damnatorum seu in gehennam projectorum. Esa. 66: 24. ex quo loco verba Christi desumta, præcedit: *Cadavera hominum illorum, qui defecerunt à me:* quæ descriptio damnatorum est.

Marc. 14: 69. *Tunc ancilla cœpit dicere astantibus: Iste est unus ex ipsis*, h. est, CHRISTI discipulis, seu Galilæis, qui CHRISTUM sequebantur. Sic v. 70.

Joh. 9: 22. *Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos: jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis αὐτὸν eum confiteretur Christum, ex synagoga excluderetur.* Eum, hoc est, Jesum, cujus nulla mentio in colloquio Pharisæorum cum parentibus cœci sanati, v. 19, 20, 21. præcessit.

Johan. 20. vers. 15. *Domine, si tu sustulisti αὐτὸν, eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* Eum, h. e. Jesum. Bernhard. serm. in festo Mariæ Magd. *Quem eum, Maria? cùm de nullo feceris mentionem, ad quem relationem facias? putasne, quod omnibus cordibus*

*bus versetur memoria dilecti tui, sicut est in consistorio cordis tui?* Lyran. *Est mos ferventer amantium, æstimare, quòd omnes cogitent de eo, quod cordi habent.* De quo textu pulcherrima Lutheri verba extant, homil. in h. l. tom. 5. Jen. f. 316. b.

2 Cor. 5: 15. *Non imputans αὐτοῖς illis peccata.* Illis, h. e. credentibus. Quidam ad præcedens nomen κόσμος referunt, & per mundum credentes & electos intelligunt. Sed perperam. Proponit Apostolus 1. mundi totius, seu omnium hominum, reconciliationem per Christi meritum sanctissimum factam: 2. ejus applicationem, quæ non fit toti mundo, sed iis, qui credunt in nomen unigeniti Filii Dei. Conf. Joh. 3: 16. seqq.

Sic usurpatur etiam adverbium שָׁמָּה *illuc.* Job. 1. vers. 21. *Nudus egressus sum ex utero matris meæ, & nudus revertar illuc,* h. e. in terram seu pulverem. Conf. Eccles. 12. vers. 7. (al. 9.)

## Canon XIII.

*Pro relativo & reciproco (quandoque etiam possessivo) pronomine ponitur ipsum antecedens in textu repetitum.*

Gen. 5: 1. *Quo die creaverat Deus hominem, in similitudine Dei fecerat eum,* h. e. in similitudine sua. Repetitur autem emphaticè antecedens, uti & cap 1. v. 27.

Genes. 4: 23. *Tum dixit Lemech, uxoribus suis: ô Ada & Zilla, audite vocem meam: uxores Lemechi, aurem præbete sermoni meo,* hoc est, ô uxores meæ.

Gen. 12: 5. *Et egressi sunt, ut venirent in regionem Canaan, & pervenerunt in regionem Canaan,* h. e. in eam. Sic v. 4, 8.

Gen. 16: 16. *Erat autem Abram natus octoginta sex annos, cùm pareret Hagar Ismaelem Abramo,* hoc est, cum pareret ipsi. Sic cap. 24: 1. Exodi 10: 11.

Lev. 7. (al. 9: 19.) *Quod autem ad carnem reliquam, quisquis mundus est, comedere poterit carnem,* h. e illam.

Lev. 14. vers. 15. *Et accipiet Sacerdos de sextario illius olei, & infundet in manum Sacerdotis sinistram,* hoc est, in manum suam. Sic v. 26. Vide & continuatam antecedentis pro relativo repetitionem. Num. 8: 19. 2 Samuel. 19: 41.

1 Sam. 3. vers. 21. *Et pergebat Jehova apparere in Silo, postquam se revelâsset Jehova Samueli in Silo, per sermonem Jehovæ,* h. e. per sermonem suum. Sic 1 Sam. 15: 22. 2 Paral. 7: 2.

1 Reg. 8: 1. *Tunc convocavit Salomon seniores Israelis &c. ad Regem Salomonem,* h. e. ad se. Vide & cap. 10: 13.

1 Reg. 12: 21. *Et venit Rehabeam in Jerusalem, & congregavit totam domum Judæ &c. ut reduceret regnum ad Rehabeam filium Salomonis,* h. e. ad se. Emphaticè repetitur antecedens, cui annexa est conatus de restitutione regni ratio, quia scil. Rehabeam filius Salomonis erat, & ita legitimus hæres.

Psal. 25: 9. *Facit, ut incedant mansueti in judicio, & docet mansuetos viam suam,* hoc est, docet eos.

Zach. 1: 16. *Et linea extendetur super Jerusalem,* h. e. super eam. Nam Jerusalem paulò antè præcessit.

Luc. 3. vers. 19. *Herodes autem Tetrarcha, cùm corriperetur ab illo, ob Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, & ob omnia mala, quæ fecit Herodes,* h. e. quæ fecit ipse. Antecedens repetitur, quia aliarum personarum interjecta est mentio.

1 Cor. 1: 8. *Qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi,* h. e. in die adventus sui. Præcessit enim v. 7. mentio revelationis Domini nostri Jesu Christi.

2 Thess. 3: 5. ὁ δὲ κύριος, *Dominus autem dirigat corda vestra in charitatem Dei,* h. e. in charitatem suam. Emphaticè nomen cognatum pro reciproco ponitur.

Videnda etiam perversa hujus canonis applicatio. Fit ea post Rabbinos [a] à Photinianis, mysterii S. Trinitatis hostibus ἀσπόνδοις. Dum enim augustissimum illud mysterium ex iis demonstratur scripturæ textibus, *quibus Jehova de Jehova loquitur,* vel *quibus Jehova agens aliquid à Jehova memoratur;* ut pervertere illos textus possint, ad idiotismum hunc confugiunt, & *enallagen antecedentis pro relativo fieri dicunt,* uti ex Enjed. in explicat. loc. Script. & Smalcio contr. Schopp. de Trinit. pag. 9. videre est. Sed hoc malè fit. Diversitas quippe ex consideratione locorum evidenter patet. 1. Jehova introducitur, *ut agens aliquid à Jehova,* vel cum Jehova. Gen. 19. vers. 24. *Et Jehova pluit super Sodom & Gomorram sulphur & ignem,* מֵאֵת יְהוָה *à Jehova, è cœlis.* Manifesta personæ hîc à persona distinctio est. Confer Joh. 5. vers. 19. Et observetur, relativo pronomine hîc nihil quicquam opus esse: (quid enim opus fuit dicere, Jehovam à seipso pluisse?) ecqui igitur pro relativo antecedens positum esse dici potest? Vana igitur sunt, quæ R. Salomo in h. l. adducit ex Gen.

[a] Abusus canonis Photiniani.

4. verſ. 23. 1 Reg. 1. verſ. 33. Eſth. 8. verſ. 8. cùm in his relativo ad ſententiam complendam maximè opus ſit, pro quo antecedens ponitur.

Huc pertinent Hoſ. 1. verſ. 7. *Domus Judæ miſerebor, ſervaboque eos in Jebova Deo ipſorum*, ſeu *per Jebovam*, hoc eſt, per Chriſtum. 2 Timoth. 1. verſ. 18. *Det illi Dominus invenire miſericordiam à Domino in die illa.* Deus Pater benigne illi concedat, ut inveniat (ſicut me ſolicitè quæſivit & invenit, verſ. 17.) miſericordiam à Deo filio, Domino noſtro Jeſu Chriſto, quém conſtituit judicem vivorum & mortuorum, Joh. 5. verſ. 22. Actor. 10. verſ. 42.

2. Jehova introducitur quandoque ut *miſſus à Jebova*. Perſonæ igitur mittentis & miſſæ clara eſt diſtinctio, quæ ſuprà poſitam antecedentis pro relativo poſiti enallagen planè reſpuit. Eſa. 48. verſ. 16. *Et nunc Dominus Jebova mittit me, & Spiritus ejus.* Loquitur autem hic Jehova, ut ex contextu conſtat. Conferatur etiam Zach. 2. verſ. 8. (al. 12.) & ſeqq. ubi duo introducuntur apertiſſimè, ſub nomine Jehovæ; mittens & miſſus. Quo pertinet, *cùm Dominus Dominum conſtituere, vel excitare dicitur* (quod tamen in Chriſto reſpectu humanæ naturæ in unitate perſonæ λόγȣ ſubſiſtentis intelligendum.) Pſal. 110. verſ. 1. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Jere. 23. verſ. 5. cap. 33. verſ. 15. *Ecce dies venient, & excitabo Davidi germen juſtum &c. Et hoc eſt nomen ejus, quo vocabunt eum, Jebova juſtitia noſtra.* In his ad enallagen confugi non poteſt, cùm diſtinctio perſonarum nimis ſit evidens.

3. Cum igitur diſparitas in allatis ſit adeò perſpicua ab exemplis poſiti canonis, & myſterium SS. Trinitatis λευκοτάταις ἀποδείξεσιν expoſitum in ſacris literis extet: meritò ad illud referuntur & alia dicta, *in quibus Jebova de Jebova loquitur*, etſi inter ea ſint, in quibus enallagen antecedentis pro relativo ineſſe, conjectura eſſe poſſit. Talia occurrunt, Gen. 9. verſ. 16. Exod. 11. verſ. 1, 3. cap. 16. v. 7, 8. cap. 24. verſ. 1. cap. 30. verſ. 11, 16. cap. 33. verſ. 19. cap. 34. verſ. 5, 6. Num. 14. verſ. 20, 21. 2 Sam. 5. verſ. 23, 24. cap. 7. verſ. 11. Dan. 9. verſ. 17. Zach. 3. v. 2. &c.

## Canon XIV.

*Pro nomine relativo ponitur interdum demonſtrativum: pro* אֲשֶׁר *ſcil.* זֶה *vel* זוּ *iſte.*

PSal. 9: 16. *In reti* זוּ *illud abſconderant, captus eſt pes earum* (gentium) hoc eſt, אֲשֶׁר quod abſconderant. Sic Pſal. 32: 8.

Pſal. 104: 8. *Conſcenderunt* (aquæ) *per montes, deſcenderunt per convalles, in locum,* זֶה *illum fundaſti ipſis*, hoc eſt, אֲשֶׁר quem. Loquitur Pſaltes de prima aquarum ab arida ſeparatione. Vide Junium.

Pſal. 142. verſ. 4. *In via* זוּ *illâ ambulo, laqueum abſconderunt mibi*, hoc eſt, quâ ambulo.

Eſa. 43. verſ. 21. (al. 8.) *Populus* זוּ *hunc formavi mibi, laudem meam enarrabunt*, h. e. quem formavi mihi. Eſt autem is populus Dei & Eccleſia credentium, de qua Eph. 2. verſ. 10.

Rab. Kimchi ad ellipſin refert, ſubaudito pronomine relativo, ita ut demonſtrativum à propria ſignificatione non dimoveatur. Et ſic Chaldæus locum Pſal. 104. verſ. 8. plenè reddit: לְאַתַר דֵּין דִּיסַדְתָּא *ad locum iſtum, quem fundâſti.*

In Nov. Teſt. huc referunt Actor. 8. verſ. 26. cap. 10. verſ. 36. ubi οὗτος pro ὅς accipitur.

## Canon XV.

*Pro relativo pronomine quandoque uſurpatur conjunctio.*

1. COpulativa Et. Exod. 10: 25. *Etiam promiſſurus es in manu noſtra victimas & holocauſta*, וְעָשִׂינוּ *& faciamus Jebovæ Deo noſtro*, hoc eſt, quæ faciamus.

Ruth. 3: 16. *Et venit ad ſocrum ſuam*, וַתֹּאמֶר *& dicebat*, hoc eſt, quæ dicebat.

1 Sam. 20: 2. *Ecce non faciet pater meus rem parvam vel magnam*, וְלֹא *& non indicabit mibi*, h. e. quam non indicet mihi.

Pſal. 118: 27. *Deus fortis Jebova.* וַיָּאֶר *& illuxit nobis*, hoc eſt, qui illuxit nobis, ſeu qui illuſtravit nos.

Eſa. 8: 3. *Et acceſſi ad prophetiſſam*, וַתַּהַר *& concepit*, h. e. quæ concepit ſeu conceperat, *& pepererat ſimul*, ut ſtatim ſequitur.

Eſa

Esa. 39. vers. 6. *Ecce dies venient*, וְנִשָּׂא *auferetur, quicquid est domi tuæ*, h. e. quibus auferetur.

Amos. 3. vers. 11. *Sic dicit Dominus Deus*, צַר וּסְבִיב הָאָרֶץ *hostis, & circuitu terræ*, h. e. qui est in circuitu terræ, seu qui circumstat hanc terram.

Mal. 3. vers. 2. *Ecce ego missurus sum angelum meum*, וּפִנָּה *& expedit viam ante me*, h. e. qui expediet. Matth. 10. vers. 10. Marc. 1. vers. 2.

Eph. 5: 5. *In regno Christi & Dei*, h. e. qui est Deus.

Huc Drusius refert illud Matth. 10. vers. 17. *Tradent enim vos in synedria, & in synagogis suis flagellabunt vos.* Per synedria dicit intelligi Judices Sanhedrin, & copulativum pro relativo sumi, sensu eo: *Tradent vos judicibus, qui in conventibus suis flagellabunt vos.* Hæc ille libr. 2. animadvers. cap. 37. Per *synedria* possunt etiam intelligi consessus judicum; *per synagogas*, domus destinatæ conventibus Ecclesiasticis, ut significetur, tantum fore furorem hostium Euangelii, ut cùm Apostoli illud prædicârint in synagogis, præfecti illarum eos statim sint flagellaturi, nec delaturi priùs ad judices civiles. Quidam per *synedria* intelligunt consessus Judicum, qui celebrabantur in urbe Hierosolymâ: *per synagogas* verò judicia, quæ in cæteris Judææ urbibus exercebantut, &c.

2. *Causalis* כִּי *quia*: idque *vel* subjuncto alio relativo (secundùm can. 26.) *vel* sine eo.

Gen. 3. v. 19. *Donec revertaris in terram*, כִּי מִמֶּנָּה *quia ex ea desumtus fuisti*, h. e. ex qua desumtus fuisti, **darvon du genommen bist.** Luth. LXX. ἐξ ἧς ἐλήφθης. Targ. דְּמִנַּהּ אִתְבְּרֵיתָא *ex qua creatus fuisti.*

Gen. 4. vers. 25. *Posuit mihi Deus semen aliud pro Habele*, כִּי הֲרָגוֹ *quia occidit eum Kain*, h. e. quem occidit. Chald. דְּקַטְלֵיהּ *quem occidit ipsum.*

Psal. 71. vers. 15. *Os meum narrabit justitiam tuam, quotidiè salutem tuam*, כִּי *quia non novi numeros*, h. e. cujus non novi numeros. Alii כִּי adversativè explicant, *quamvis ignorem* (ejus) *numeros*. Narrabo res inenarrabiles, non pro ipsarum amplitudine, sed pro tenui facultate mea.

Psal. 90: 4. *Quia mille anni in oculis tuis* sunt *sicut dies hesternus*, כִּי *quia præterit*, & (sicut) *vigilia in nocte*, h.e. qui præterit.

Prov. 11. v. 15. *Confringendo confringitur*, כִּי עָרַב *quia spondet* pro *extraneo*, h. est, qui spondet. Sic & cap. 20: 16. Vide Junium in notis.

## *Continuatio.*

Hucusque enallage ratione ipsius relativi; sequitur ea, quæ *accidentia* spectat, 1. genus, 2. numerum, 3. casum. De quibus porrò.

## Canon XVI.

### *In relativo non raro diversitas est generis ab antecedente.*

IN hac locutione non vocis, sed sensus habetur in plerisque ratio. Et in Hebræo per aliquod conveniens Synonymum discrepantia generis, si fieri id potest, concilianda.

Gen. 2: 15. *Et collocavit eum* בְּגַן *in horto Hedenis*, לְעָבְדָהּ *ad colendum eum, & ad custodiendum eum.* גַּן masculinum est; illi fœmin. relativum affixum subjicitur, quod cum synonymo גִּנָּה fœmin. convenit.

Exod. 11. vers. 6. *Et erit* צְעָקָה *clamor magnus in universa terra Ægypti*, אֲשֶׁר כָּמֹהוּ *cui similis non est editus.* Antecedens צְעָקָה fœmininum est, relativum הוּ masculinum. Convenit igitur cum synonyma voce קוֹל *vox* quæ masculina est. Vel, ut Junius & Tremellius in prima Bibl. editione annotant, *enallage generis ideo adhibetur, quia Moses conjunctim de flagelli gravitate, & clamoris ex eo magnitudine loquitur, qui diversi sunt generis.* Intelligunt נֶגַע vel נֶגֶף plaga, quod masculinum est.

Exod. 22: 25. *Si pignerando pignore acceperis* שַׂלְמַת *vestem proximi tui, dum inclinat sol*, תְּשִׁיבֶנּוּ *restituito eam ipsi*, שַׂלְמַת fœmininum est, cui relativum masculinum נוּ subjicitur, quod refertur ad aliud subintelligendum nomen, vel חֲבֹל *pignus*: ut Aben Ezræ placet: vel לְבוּשׁ aut בֶּגֶד *vestis*, secundùm Rab. Kimchi.

Deut. 7: 26. *Neque inferto* תּוֹעֵבָה *abominationem in domum tuam, & sis anathema*, כָּמֹהוּ *sicut illud, abominando* תְּשַׁקְּצֶנּוּ *abominaberis illud, & detestando detestaberis illud, nam anathema ipsum est.* Hic antecedens fœmin. est: omnia autem pronomina sunt masculina. Referuntur verò ad sensum, quasi extaret in textu, דְּבַר תּוֹעֵבָה *res abominationis* seu abominabilis.

Jud. 19. vers. 24. *Ecce* בִּתִּי *filiam meam virginem, & concubinam illius, educam nunc* אוֹתָם *eas, & comprimite* אוֹתָם *eas, ac facite* לָהֶם *eis, quod bonum* videtur *in oculis vestris.* Hæc pro-

pronomina masculina sunt, & respondent duobus antecedentibus substantivis fœmininis, cujus anomaliæ ratio ex flagitiosissimo Benjaminitarum proposito dependet, ad quod senis illius Ephratæi responsum tacitè dirigitur.

Jud. 21: 22. *Et erit, cum venerint* אֲבוֹתָם *parentes earum, aut* אֲחֵיהֶם *fratres earum, ad litigandum apud nos: tùm dicemus ad ipsos, gratificamini nobis* אוֹתָם *ipsas.* Loquitur de puellis Schilunticis, uti ex vers. 21. patet, & illis per enallagen affixa masculina respondent.

Ruth. 1, vers. 8. *Exerceat Dominus* עִמָּכֶם *vobiscum benignitatem.* Sermo est de nuribus Naëmi, quæ כַּלּוֹת in fœm. dicuntur, & iis respondet pronomen masculinum: quâ enallage putant animum virilem & virtuosum nuruum istarum denotari. Sic & vers. 9, 11, 13, 19, 22.

Prov. 4: 13. *Apprehende* בַּמּוּסָר *eruditionem hanc, ne desistito,* נִצְּרֶהָ *custodi illam, quia* הִיא *ipsa est vita tua.* Hic pronomina fœminina sensu conveniunt cum חָכְמָה *sapientia*, quod nomen versibus superioribus præcedit: & de cujus acquisitione in toto libro agitur.

Esa. 3: 16. בְּרַגְלֵיהֶם *pedibus suis compeditas agunt.* Præcedit בָּנוֹת *filiæ*, fœm. sed subjungitur pronomen mascul. הֶם ad masculam quasi ipsorum proterviam indicandam.

## Nota de demonstrativo.

In demonstrativo itidem *enallagen generis* ponunt, dum אַתְּ *tu* (fœmin.) pro אַתָּה masculin. usurpatur. Num. 11, vers. 15. Deut. 5. vers. 27. Ezech. 28. vers. 14. quos tres locos Masorethæ observarunt. Sed alii hac formâ commune esse ajunt. Sed הֵמָּה *ipsi*, mascul. pro fœm. הֵנָּה *ipsa*, ponitur Zach. 5, v. 10. Et id masculinum ad sensum refertur, quòd mulieres illæ (de quibus in textu Prophetæ) fungerentur officio מְשָׁרְתִים *ministrorum*, vel שְׁלוּחִים *nunciorum* qui solent celerrimè suam legationem expedire, ut & istæ mulieres fecerunt.

## Exempla enallages hujus ex N. Test.

In N. Test. illâ generis mutatione *de fœmin. vel neutro in masculinum*, in relativo, indicatur, *quòd de persona sermo sit.* Et hoc σύνθεσιν vocant, cùm ad sensum magis, quàm ad verba respiciatur.

Matth. 28: 19. *Euntes docete* πάντα τὰ ἔθνη, *omnes gentes, baptizantes* αὐτοὺς, *eos, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Neutro masculinum pronomen respondet, quia de hominibus loquitur, & ad intellectum respectus habetur.

Joh. 15. vers. 26. τὸ πνεῦμα, *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* ἐκεῖνος *ille testabitur de me.* cap. 16. v. 13. *Cùm autem venerit* ἐκεῖνος *iste*, τὸ πνεῦμα *Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem* &c. vers. 14. ἐκεῖνος *ille me glorificabit.* Significatur hac enallage masculini pronominis, ad nomen neutrum relati, quod Spiritus S. sit verè persona. Vide etiam c. 17: 2.

Rom. 2: 26. *Si* ἀκροβυστία, *præputium justitias legis custodiat, nonne præputium* αὐτοῦ *illius in circumcisionem reputabitur?* Per ἀκροβυστίαν intelligitur ἀκρόβυστος præputiatus, ad quam vocem sensu pronomen refertur.

Rom. 9: 29. *Et ut ostenderet divitias gloriæ suæ* ἐπὶ σκεύη *erga vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*, v. 24. οὓς *quos & vocavit* &c. σκεύη neutrum est, cui masculinum subjicitur, quia de hominibus sermo est. Vide & cap. 11. v. 14.

Galat. 4: 19. Τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω, *filioli mei, quos rursum parturio.*

Coloss. 2: 19. *Et non tenens* τὴν κεφαλὴν, ἐξ οὗ, *caput, ex quo totum corpus constructum &c.* De Christo sermo est, igitur fœminino masculin. pronom. respondet: Vide & vers. 15. Philip. 2: 15. Philem. vers. 10. 1 Joh. 5: 21. 2 Joh. vers. 1.

Ex LXX. Græca versione adducit Chemnitius locum Gen. 3: 15. *Inimicitias ponam* ἀνὰ μέσον σπέρματός σου, καὶ ἀνὰ μέσον σπέρματος αὐτῆς, αὐτὸς τηρήσει &c. *ubi* δευτερώσει *generis ostenditur, promissionem loqui non de universo genere humano, sicut Rabbini interpretantur, sed de una certa persona.* Vide ipsum in locis Theol. de Spiritu sancto, p. 98.

Apud Latinos simile his est: *Senium, qui me hodiè remoratus est.* Terentius.

# Canon XVII.

*In Relativo contingit etiam diversitas numeri ab antecedente.*

I. SUbstantivo *plurali* respondet pronomen *singulare*, quo distributio ut plurimùm notatur.

Deut. 21. vers. 10. *Cùm egressus fueris in prælium contra hostes tuos,* וּנְתָנוֹ *& dederit eum Jehova Deus tuus in manum tuam, &c.* h. e. dederit eos.

Jos.

Jos. 2. vers. 4. *Et suscepit mulier illa duos viros illos*, וַתִּצְפְּנוֹ *& abscondit ipsum*, h. e. utrumque.

2 Reg. 3: 3. *Veruntamen peccatis Jeroboami filii Nebati, quibus ad peccatum induxit Israelem, adhæsit: non recessit* מִמֶּנָּה *ab eo*, h. e. ab ullo eorum.

Psal. 35. vers. 8. תְּבוֹאֵהוּ *eveniat ei vastatio*, h. e. cuique eorum, meorum scilicet inimicorum, de quibus in præcedentibus loquitur. Sic Eccl. 10. vers. 15. (al. 12.) Esa. 5: 23. Mal. 2: 2.

Phil. 3: 20. *Nostra conversatio* ἐν ἐρανοῖς *in cœlis est*, ἐξ ὃ, *quo etiam servatorem expectamus.* Relativum hîc simpliciter ad sensum refertur, ac si scriptum esset, ἐν ἐρανῷ.

Huc pertinet, cùm *diversis substantivis* respondet pronomen *singulare*.

Gen. 2: 19. *Omnem bestiam agri, & omnem volucrem cœli, adduxit ad Adamum, ut videret, quod nomen inderet* לוֹ *ipsi*, hoc est, unicuique & bestiis & volucribus.

Referunt etiam huc illa nomina *pluralia*, quæ affixum (pron. possess.) illa forma adnexum habent, qua *singulari* adjici solet, quo distributionem indicari ajunt, Deut. 28: 59. מַכּוֹתְךָ *plagas tuam*, h. e. quamque plagarum tuarum. Debebat esse מַכּוֹתֶיךָ Psal. 132. v. 12. עֵדֹתִי *testimonia meum*, h. e. testimonia mea singula. Debebat esse עֵדוֹתַי.

2. *Duobus singularibus* respondet pronomen *plurale*.

Gen. 1: 27. *Masculum & fœminam creavit* אֹתָם *eos*. Vide & Jud. 19: 24.

1 Sam. 2: 8. *Et solium gloriæ* יַנְחִלֵם *possidere facit eos;* nimirum tenuem & egenum, quæ duo præcedunt.

Item *nomini collectivo* respondet pronomen *plurale*.

Gen. 15: 13. *Peregrinum erit* זַרְעֲךָ *semen tuum &c. & affligent* אֹתָם *eos*. Semen collectivè sumitur, & posteros significat, ei respondet pronomen plurale.

Num. 16: 3. *Nam omnis hic cœtus*, כֻּלָּם קְדֹשִׁים *omnes sancti illi sunt*.

2 Reg. 7: 10. (al. 8.) *Et venerunt & clamaverunt ad janitorem urbis, & nunciârunt* לָהֶם *illis*. שֹׁעֵר *janitor* hîc collectivè accipitur, pro excubitorum cœtu: igitur pronomen plurale subjicitur.

Actor. 15. vers. 36. *Revertentes visitemus fratres nostros* κατὰ πᾶσαν πόλιν, ἐν αἷς, *per omnem civitatem, in quibus prædicavimus verbum Domini*. πόλις hic collectivè sumitur, unde plurale relativum ei subjicitur. Vide & Phil. 2. v. 15.

## Canon XVIII.

*Relativum quandoque convenit genere & numero (vel alterutro horum) cum substantivo consequente, cùm deberet respondere antecedenti.*

MArc. 12. v. 42. *Veniens vidua una pauper, injecit* λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης, *duo minuta, quod est quadrans*, pro ἅ εἰσι, quæ sunt quadrans. Convenit relativum cum posteriori substantivo, numero, sed non genere; κοδράντης enim masculinum est.

Galat. 3: 16. καὶ τῷ σπέρματί σε, ὅς ἐστι χριστὸς, *& semini tuo, qui est Christus*, pro ὅ, quod semen est Christus.

Ephes. 1: 13. *Obsignati estis* τῷ πνεύματι *spiritu promissionis sancto*, v. 14. ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν, *qui est pignus hereditatis:* pro, ὅ; præcedit enim neutrum, πνεῦμα.

Sic cùm relativum, ad *totam phrasin* præcedentem relatum, in *neutro* genere efferri deberet, genus quandoque sequitur *nominis sequentis*. Eph. 3. vers. 13. *Quapropter peto, ne segnescatis ob afflictiones meas*, ἥτις *quæ est gloria vestra*, h. e. quod ipsum est gloria vestra. Sic Phil. 1: 28.

### Nota de demonstrativo.

*In demonstrativo* idem, quod in canone dictum; videre est.

Lev. 25: 33. *Nam* בָּתֵּי *domus civitatum Levitarum*, הִוא אֲחֻזָּתָם *ipsa est possessio ipsorum*. הִוא *ipsa*, genere & numero convenit sequenti nomini singulari fœminino אֲחֻזָּה, cum deberet respondere antecedenti plurali masculino, בָּתֵּי *domus*.

Jerem. 10. vers. 3. *Nam* חֻקּוֹת *statuta populorum* הֶבֶל הוּא *vanitas ipsa est*. הוּא genere mascul. & numero singul. convenit cum הֶבֶל cum deberet convenire plurali fœm. antecedenti חֻקּוֹת.

Matth. 13: 8. τὸ δὲ καλὸν σπέρμα, ἔτοί εἰσιν οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας *bonum autem semen, hi sunt filii regni:* pro τοῦτο, *hoc* (semen) sunt filii regni.

Galat. 4: 24. *Quæ sunt allegoricè dicta*, ἄυται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι, *illa enim sunt duo Testamenta*. ἄυται pro ταῦτα.

Ex profanis huc referunt. Plato: λόγοι μὲν ἐν ἑκάστοις ἡμῶν εἰσιν, ἃς ἐλπίδας ὀνομάζομεν, pro

pro &c. Sallust. *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur.* Item, *Et nunc domicilia conjuncta, quas urbes dicimus.* Vide Vochner. hellenolex. pag. 62.

## Canon XIX.

*Relativum apud Græcos quandoque convenit casu cum antecedente substantivo, nulla habita ratione verbi sequentis. Quod Attico dicendi generi adscribunt.*

MArc. 13: 19. *Ab initio* κτίσεως, ἧς ἔκτισεν ὁ θεός, *creaturæ, quam creavit Deus,* pro ἣν ἔκτισεν.

Joh. 2. vers. 22. *Et crediderunt scripturæ,* καὶ τῷ λόγῳ ᾧ εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, *& sermoni, quem dixit Jesus.* Pro ὃν εἶπεν. Sic cap. 4. v. 50. 1 Cor. 6. vers. 19. Ephes. 2: 4, 10. & aliâs sæpissimè.

Sic in profanis: χρῶμαι, οἷς ἔχω, βιβλίοις, *utor iis, quos habeo, libris.* ἀπολαύω, ὧν ἔχω, ἀγαθῶν *fruor bonis, quæ habeo* &c.

## Canon XX.

*Vice versa relativum pronomen quandoque antecedens in suum casum pertrahit, & id sibi quandoque subjunctum habet.*

MArc. 6. vers. 16 ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα Ἰωάννην οὗτός ἐστιν, *quem ego decollavi Johannem hic est.* Pro, οὗτός ἐστιν Ἰωάννης, ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα.

Actor. 21: 16. *Venerunt autem & quidam ex discipulis à Cæsarea nobiscum,* ἄγοντες παρ' ᾧ ξενισθῶμεν, Μνάσωνί τινι Κυπρίῳ, *adducentes secum, apud quem hospitaremur, Mnasonem quendam Cyprium &c.* Relativum in dativo ponitur, ᾧ, cui respondet antecedens, subjunctum in dativo, cùm deberet verbo ἄγοντες respondere, in accusativo.

Rom. 6: 17. *Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati,* ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας, εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς, *obedistis autem ex corde, in quem traditi estis, typum doctrinæ.* Pro obedistis ei typo seu formæ doctrinæ, in quem vel quam estis traditi vel traducti.

1 Cor. 10: 16. τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, *panem quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est,* pro ὁ ἄρτος, panis quem frangimus.

Huc posset etiam referri Matth. 21: 42. quod tract. 1. can. 28. positum.

1 Joh. 2: 25. *Et hæc est repromissio,* ἣν *quam ipse pollicitus est nobis,* τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον, *vitam æternam;* pro, vita æterna: seu vitæ æternæ scil. promissio.

Talia apud Latinos sunt: *Eunuchum, quem dedisti nobis, quas turbas dedit,* apud Terent. *Urbem quam statuo, vestra est.* Virgil.

### Continuatio.

TAntum de enallage relativi: sequitur *ellipsis.* Eaque 1. *nominis antecedentis* est. 2. *relativi,* tùm & *reciproci.* 3. *utriusque simul.* De quibus jam agendum.

## Canon XXI.

*Relativum* אֲשֶׁר *qui, quæ, quod, cum particula, antecedens suum non raro includit, quod commodè subintelligendum.*

GEN. 44: 1. *Et præcepit* אֶת־אֲשֶׁר *illi, qui præerat domui suæ.*

Sic v. 4. *Et dixit,* לַאֲשֶׁר *illi, qui præerat domui suæ.*

Ruth. 2. vers. 9. *Et bibas,* מֵאֲשֶׁר *ex eo, quod hauserint pueri isti,* seu de aqua, quam hauserint.

Rom. 6: 21. *Quem igitur fructum habuistis* ἐφ' οἷς, *de quibus nunc erubescitis?* hoc est, de illis, de quibus &c.

Id crebrò fit, si de loco sermo est, ut sit ellipsis vocis מָקוֹם *locus.* Gen. 21: 17. *Attendit Deus ad vocem ipsius pueri,* בַּאֲשֶׁר הוּא שָׁם *in quo ipse est,* pro בַּמָּקוֹם אֲשֶׁר in loco, ubi ipse est. Sic Jud. 17: 8. Num. 22: 19. Ruth. 1: 16. 2 Sam. 7: 7. 1 Reg. 18: 12.

### Nota de demonstrativo.

In demonstrativo itidem ellipsis hæc antecedentis videre est.

Num 13: 17. עֲלוּ זֶה *ascendite hac,* pro בַּדֶּרֶךְ הַזֶּה via hac, seu per viam hanc.

Sic in nomine מָקוֹם deficiente, ut ante. Gen 37: 17. נָסְעוּ מִזֶּה *profecti sunt ex hoc;* pro מִמָּקוֹם הַזֶּה ex loco hoc; seu hinc.

Canon

## Canon XXII.

*Relativum pronomen non rarò deest, tùm in Hebræo V. tùm Græco N. T. textu.*

### 1. Ellipsis relativi שֶׁ vel אֲשֶׁר *qui, quæ, quod.*

GEn. 39: 4. וְכָל־יֶשׁ־לוֹ *& omne erat sibi, tradidit in manum ejus:* pro כָּל־אֲשֶׁר־יֶשׁ־לוֹ *omne, quod erat sibi*, ut v. 5. habetur.

Deut. 18: 14. *Nam gentes istæ, quarum tu hæres futurus es, planetariis & divinis auscultant: Tu autem, non ita* (scil. sunt, quos) *dat tibi Jehova Deus tuus:* h. e. non sunt planetarii aut divini, quorum ministerium tibi sanctificavit, & audientiam imperavit Deus.

Job. 40: 25. *An extrahas balænam hamo, aut fune,* תַּשְׁקִיעַ *demersit lingua ejus*, pro אֲשֶׁר quem demersit lingua ejus. Sic Psal. 71: 18. Prov. 18: 21.

Prov. 14. vers. 7. *Abi à conspectu viri stolidi,* וּבַל־יָדַעְתָּ *& non novisti labia scientiæ*, h. e. וּבַאֲשֶׁר בַּל & in quo non novisti labia scientiæ: seu, quem nosti non esse præditum verbis scientiæ.

Esa. 6: 6. *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus pruna, forcipe cepit de altari*; pro, quam cepit.

Esa. 15. vers. 7. (al. 16: 7. *Idcircò residuum,* עָשָׂה *fecerit, & repositum eorum, in vallem Arabum exportabunt ea*, pro אֲשֶׁר עָשָׂה quod fecerit, juxta Rab. Kimchi. Vide & Esa. 42. vers. 1, 5. cap. 55: 13. cap. 56: 2. Thren. 1: 21.

1 Joh. 3. vers. 12. *Non sicut Kain, ἐκ τοῦ πονηροῦ ἦν ex malo erat*, pro: qui ex malo erat.

Huc referunt quidam Gen. 1: 20. *& volucris, volat super terrâ*, h. est. quæ volat, ut Chald. vertit. Sed de hoc loco quid habendum sit, vide Sixtinum Amama in antibarb. biblico, contra Mersennum &c.

### 2. Ellipsis relativi, *Ille, ipse.*

Gen. 9. vers. 3. *Omne reptile vivum vobis ad comedendum esto: ut viridem* herbam (illis,) *sic illa omnia dedi vobis.* Subintelligendum hic esse relativum, ex cap. 1: 29. patet. Per *reptile* autem hoc loco omne animantium genus intelligitur.

Exod. 13: 8. *Et annunciato filio tuo die illo, dicendo: propter hoc, fecit Jehova mihi:* pro fecit ista: hoc est, in hunc finem omnia hæc beneficia præstitit, ut ipsum tàm beneficum grato animo colam & celebrem.

Deut. 6: 16. *Non tentabitis Jehovam Deum vestrum, quemadmodum tentastis* (scil. eum) *in Massa.*

Job. 18: 9. יֹאחֵז *prehendit* (scil. eum) *calcaneo laqueus.*

Job. 42: 6. *Idcirco aspernor*, scilicet illa, quæ nimirum cogitaveram & dixeram.

Matth. 21: 7. *Et imposuerunt super eos vestimenta sua, καὶ ἐπεκάθισαν, & collocârunt*, scilicet ipsum *super ea.*

Matth. 24. vers. 33. *Ita & vos, cùm videritis hæc omnia, scitote quòd* (scil. ille) *propè sit ad fores.* Ille, videl. Filius hominis, ex v. 30. Sic & Marc. 13: 29. In Luca 21: 31. nominativus expressè additur: *quòd propè est regnum Dei.*

Joh. 3. vers. 34. *Is, quem misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat* (scilicet illi) *Deus Spiritum.* Hanc locutionem non esse indefinitam, sed de Filio DEI intelligendam, antecedentia & consequentia apertissimè docent.

Act. 13: 3. *Tunc cùm jejunâssent & precati essent, & imposuissent eis manus, dimiserunt*, scil eos.

1 Cor. 10. vers. 9. *Neque tentemus Christum, sicut & quidam illorum tentârunt*, scilicet ipsum. [a] Photiniani in Catech. Racov. pag. 104. ex relativi absentia colligunt, *non posse ex hoc loco extrui, quòd Christus fuerit in deserto ab Israelitis tentatus, cùm de Mose & Aharone intelligi possit, eos scilicet tentatos ab Israelitis fuisse.* Verùm 1. quomodo ad Mosen & Aharonem referri tentatio illa posset, quorum nulla planè fit hìc mentio? 2. Christus autem expressè hìc nominatur, & per similitudinis particulam καθὼς, posterius membrum priori connectitur. Utique igitur ad illum potiùs, quàm ad quodvis subjectum aliud tentatio ea referenda. 3. Nec ipsa phrasis permittit, ut ad Mosen & Aharonem referatur. [b] Nam *tentatio* isthæc ubique describitur ita, quòd contra verum Deum directa fuerit, nuspiam autem ad homines refertur. Exod. 17. vers. 2, 7. Num. 14. v. 22. Deut. 6. vers. 16. Psal. 78. vers. 18. 41, 56. Psal. 95. vers. 9. Psal. 106. vers. 14. Mal. 3. v. 15. Hebr. 3. vers. 9. Et notetur manifestissima phrasium distinctio. Exod. 17. vers. 2. וַיָּרֶב *Et contendit populus cum Mose, & dixerunt, da-te*

[a] Photinianis respondetur.

[b] Tentare Deum.

Nota.

*te nobis aquam, ut bibamus. Et dixit ad eos Mose: Quid* תְּרִיבוּן *contenditis mecum? quid* תְּנַסּוּן *tentatis Jehovam?* verſ. 3. וַיָּלֶן *& murmuravit populus adverſus Moſen.* verſ. 7. *Et vocavit nomen loci illius, Maſſa & Meribah,* עַל־רִיב *propter contentionem filiorum Iſrael,* וְעַל נַסֹּתָם *& propterea quod tentaverant Jehovam.* Vides quàm accuratè Spiritus Sanctus loquatur, & in ſolum Jehovam tentationem fieri declaret: ita ut duo etiam nomina loco illi fuerint impoſita, quorum prius tentationem adverſus Deum; poſterius contentionem adverſus Moſen exprimit. Dumque Deus & Moſes in ſermone uno conjunguntur, non dicitur, *quòd populus Deum & Moſen tentârit*, ſed quod *contra Deum & Moſen locutus fuerit*, Num. cap. 21. v. 5. Hoc principio immoto ſtante, duo emergunt ex h. l. pro divinitate Chriſti argumenta ſolida: 1. Qui ab hominibus per ἀπιςίαν tentatur, is eſt verus & æternus Deus: Ex prædictis. Sed Chriſtus ab hominibus per ἀπιςίαν tentatur, unde ab hoc tàm fideliter dehortatur ſeu præmonet Apoſtolus. Ergò. 2. Qui ab Iſraelitis in deſerto per ἀπιστίαν tentatus fuit, is reverâ tùm temporis, ut verus Deus extitit. Sed Chriſtus ab Iſraelitis in deſerto tentatus fuit, dicente Apoſtolo. Ergò. Non poteſt locum habere aliorum ἔνστασις, verba Apoſtoli abſolutè accipienda eſſe, hoc ſenſu: *Tentationem fecerunt.* Nam πειράζειν *tentare*, non eſt actio immanens, ſed tranſiens. Subaudiendus igitur quidam accuſativus, qui Chriſtus eſt, uti dictum.

## 3. Ellipſis alia reciproci & poſſeſſivi pronominis.

Ponitur quandoque *nomen genitivi caſus*, quod pro *ipſo nomine cum reciproco vel poſſeſſivo pronomine* accipiendum eſt.

Geneſ. 9. verſ. 6. *Qui effundit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis ejus effunditor: Quia* בְּצֶלֶם אֱלֹהִים *in imagine Dei fecit hominem*, hoc eſt, in imagine ſua Deus fecit hominem. Cæterum ratio iſthæc vel *occiſum hominem* concernit, q. d. maxima eſt prærogativa hominis, quòd ad imaginem Dei fuit conditus, quodque amiſſa illâ, per Chriſtum ad eandem inſtauratur. Injuſtiſſimum proinde, ſanguinem ejus nefariè effundi, cum in ipſum prototypon, ad cujus imaginem homo conditus fuit, hæc injuria quodammodò redundet. Vel *magiſtratum*, occiſi hominis ultorem, ſenſu eo: Per hominem effundetur ſanguis homicidæ. Quia enim ad imaginem Dei homo fuit conditus, cujus pars quædam fuit dominium externum. Gen. 1. verſ. 28. igitur id dominium jam poſt lapſum etiam ratum eſto, ut illud per hominem legitimâ ratione magiſtratu fungentem, contra homicidas & maleficos quosvis, auctoritate divina exerceatur. Nihil igitur Photinianis hic patrocinatur, qui *integritatem omnimodam imaginis divinæ & primævæ, in homine poſt lapſum, aſſerere*, & hanc hypotheſin ex dicto hoc Moſaico ſtabilire conantur.

1 Reg. 2: 27. *Et ejecit Salomo Ebjatharem, ne eſſet ſacerdos Jehovæ, ut impleret verbum Jehovæ, quod locutus fuerat contra domum Eli in Silo*, h. e. ut Jehova impleret verbum ſuum, quod contra domum Eli locutus fuit, vide 1 Sam. 2: 33, 36.

1 Reg. 13: 10. (al. 9.) *Sic enim præcepit mihi verbo Jehovæ*, h. eſt, ſic Jehova præcepit mihi verbo ſuo.

Eſr. 5: 17. וּרְעוּת מַלְכָּא *& voluntatem Regis ſuper hoc mittat ad nos*, h. e. Rex voluntatem ſuam mittat.

Eſth. 3: 7. *Anno duodecimo Regis Ahaſueri, juſſit conjici Pur, i. e. ſortem, coram Haman:* h. e. Haman juſſit conjici coram ſe.

Job. 37: 10. (al. 9.) מִנִּשְׁמַת אֵל *à flatu Dei fortis edit glaciem*, h. eſt, à flatu ſuo Deus fortis edit glaciem.

Proverb. 12: 13. (al. 14.) *Et retributionem* יְדֵי אָדָם *manuum* (ſeu operum, metonym.) *hominis recipit ſibi*, h. eſt, retributionem operum ſuorum homo recipit ſibi.

Proverb. 21. verſ. 8. *Volubilis eſt via viri, & alienus eſt*, hoc eſt, vir qui volubilis eſt viâ ſuâ, is alienus eſt, ſcilicet à puritate, cujus mentio ſtatim ſequitur. Confer Jacob. 1. v. 8.

Eccl. 2: 27. *Homini enim, qui bonus in conſpectu ejus, dat ſapientiam, & ut tradat ei, qui bonus* לִפְנֵי אֱלֹהִים *in conſpectu Dei*, h. e. Deus dat ſapientiam &c. in conſpectu ſuo.

## Canon XXIII.

*Ellipſis quandoque eſt antecedentis & relativi ſimul.*

Exod. 4. 13. *Mitte, quaſo*, בְּיַד תִּשְׁלָח *per manum* (illius, quem) miſſurus es.

1 Paral. 15. verſ. 12. *Ut deportetis arcam Jehovæ Dei Iſraelis,* אֶל־הֲכִינוֹתִי לוֹ *ad præparavi ei*, pro אֶל־מָקוֹם אֲשֶׁר ad locum quem præparavi ei; Ut verſ. 3. habetur integrè, & Exod. 23: 20.

Job.

Job. 18: 21. *Et iste* est *locus* (viri, qui) *non novit Deum.*

Job. 24: 19. *Siccitas, etiam æstus arripiunt aquas nivis:* (Sic) שְׁאוֹל חָטָאוּ *infernus seu sepulcrum* (eos, qui) *peccaverunt*, scilicet rapit. Lutherus: Die Helle nimpt weg/ die da sündigen/ wie die Hitze und Dürre das Sneewasser verzehret.

Psal. 45: 9. מִנִּי שִׂמְּחוּךָ *præ* (illis, qui) *letificant te.* Sunt autem illi amici sponsi, & Christiani, Joh. 3: 29. qui *consortes* dicuntur, v. 8.

Psal. 81: 6. *Labium* (populi, quem) *non novi, audiebam.*

Prov. 8: 32. *Beati* (homines, qui) *vias meas observant.*

Esa. 55. vers. 2. בְּלוֹא לְשָׂבְעָה *pro non ad saturitatem, i. e.* בְּדָבָר אֲשֶׁר pro re, quæ non est ad saturitatem, seu pro re minimè saturatura.

Jerem: 2: 8. *Et post* (idola, quæ) *non prosunt, ambulârunt:* seu idola inutilia secuti sunt. Ibid. vers. 11. *Et populus meus mutavit gloriam suam in* (idolum, quod) *non prodest*, seu idolum inutile.

Jerem. 51. vers. 3. אֶל יִדְרֹךְ *contra tendit tendens arcum suum*, h. e. contra eum, qui tendit. Sic statim in sequentibus: וְאֶל־יִתְעַל *& contra* (eum, qui) *extollit se loricâ suâ.* Lutherus אֶל pro negativa אַל accipit, Ihre Schützen werden nicht schiessen/ und ihre Geharnischte werden sich nicht wehren können. Secutus in hoc Chaldæum Interpretem, qui pro אֶל habet לָא *non.* LXX. prius אֶל vertunt, ac si in Hebr. esset אֵלֶיהָ *super ipsam:* *ἐπ' ἀυτῇ τεινέτω ὁ τείνων τόξον ἀυτοῦ, super eum extendat extendens arcum suum.* Cæterum notandum, in textu bis extare vocem יִדְרֹךְ semel punctatam, semelque sine punctis, quam superfluam esse, & non legi, Masorethæ tradunt: Nec ab Hebræis interpretibus legitur. Junius autem utramque legit, & sic vertit: *Contra eum, qui tendit, tendat sagittarius* (Hebr. tendens) *arcum suum, & contra eum, qui extollit se lorica sua &c.*

Thren. 1: 14. *Tradit me Dominus in manus* (eorum, à quibus) *non possum resurgere.*

Zach. 14: 5. *Et fugietis vallem montium, cùm pertinget* (Deus) *vallem montium* אֶל־אָצַל *ad* (montem seu locum quem) *selegit.* Sensus est, recipietis vos domum Dei versus attoniti, & obstupefacti novitate & majestate appropinquantis Dei.

## *Continuatio.*

De ellipsi circa relativum hucusque: sequitur demum *Pleonasmus*, seu redundantia: & quidem, 1. nominis antecedentis. 2. relativi. De quibus tres canones sequentes agunt.

## Canon XXIV.

*Antecedens, seu nomen ad quod relativum refertur, quandoque repetitur post relativum.*

Hebræi fieri hoc dicunt לְתוֹסֶפֶת הַבֵּאוּר *ad augendam declarationem*, & tollendam amphibolian.

Genes. 13. vers. 16. *Et reddam semen tuum sicut pulverem terræ, quem si quisquam poterit numerare pulverem terræ, etiam semen tuum numerare poterit.* Redundant posteriores voces, *pulverem terræ*, & *σαφηνείας* tamen causa repetuntur.

Genes. 2. vers. 19. *Et quodcunque vocaret* לוֹ *ipsi Adam*, נֶפֶשׁ חַיָּה *animæ viventi.* Nomen חַיָּה præcedit, cui respondet relativum לוֹ in genere masculino (quia habetur ratio sexus masculini, tanquam dignioris) & tamen חַיָּה repetitur.

Vide & Exod. 7. vers. 11. (al. 14.) cap. 35. vers. 5. Jos. 1. vers. 2. Jerem. 27. vers. 8. Ubi Rab. Kimchi inquit: בָּא הַיְדִיעָה אַחַר הַכִּנּוּי *venit notificativum seu nomen ipsum post pronomen, &c.*

Refertur etiam huc 2 Sam. 6. vers. 4. *Et deportaverunt eam è domo Abinadabi, quæ in ipso colle, arcam Dei.* Arcæ enim mentio præcessit. Sed in Hebræo ultima verba sic habent, עִם אֲרוֹן הָאֱלֹהִים *cum arca Dei.* Affixum igitur (in וַיִּשָּׂאֻהוּ *& deportaverunt eum*) vel ad *plaustrum novum* in vers. 3. referendum, hoc sensu: Et deportaverunt illud è domo Abinadabi, cum arca Dei, scil. impositâ: & sic Kimchi explicat. (Est quidem diversitas hîc generis: *plaustrum* enim in Hebræo fœmininum est; pronomen autem relativum est masculinum: sed hæc enallage sæpiùs contingit, ut suprà dictum:) vel supplendum aliquod participium, uti Junius ac Tremellius in prima editione Bibliorum fecère: *Deportaverunt eam è domo Abinadabi, quæ erat in ipso colle*



*Dei,*

*Dei*, euntes *cum arca Dei*. In posteriori editione: comitantes *arcam Dei*.

In N. Test. huc pertinent Matth. 26: 24. *Væ autem homini illi, per quem filius hominis traditur: bonum erat* αὐτῷ *ei, si natus non fuisset homo ille*. 2 Cor. 4: 3. *Si opertum est Evangelium nostrum, in his, qui pereunt, est opertum*, v. 4. ἐν οἷς, *in quibus Deus hujus seculi excœcavit* τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων, *mentes infidelium*. Repetitur synonymon antecedentis; q. d. in quibus Deus hujus seculi excœcavit τὰ νοήματα, mentes seu cogitata: infidelium, inquam, mentes excœcavit Deus hujus seculi.

## Canon XXV.

*Antecedenti substantivo relativum quandoque adjungitur, pleonasticè quidem & luxuriosè, evidenter tamen & energeticè, cum alioquin substantivum sufficeret.* Id fit dupliciter.

### 1. Relativum suo substantivo *præponitur*.

Exod. 2: 6. *Et aperuit* (arcam) וַתִּרְאֵהוּ אֶת־הַיֶּלֶד *& vidit ipsum, puerulum*: pro, & vidit puerulum. Anteà viderat solam arcam extrinsecus; jam apertâ eâ, vidit puerulum, illum videlicet, de quo Spiritus Sanctus narrationem instituit.

1 Sam. 21. vers. 13. (al. 14.) וַיְשַׁנּוֹ אֶת־טַעְמוֹ *& mutavit eam, speciem suam*: Abundat affixum relativum. Alii: *mutavit sibi speciem suam*.

Job. 33: 20. וְזִהֲמַתּוּ חַיָּתוֹ לָחֶם *& abominatur ipsum vita ejus panem*, quasi dicat, abominatur vita ejus panem, ipsum, inquam, panem & cibum, quo vita conservatur.

Prov. 5: 22. *Iniquitates suæ* יִלְכְּדֻנוֹ *capient ipsum, improbum*, quasi dicat, ipsum, inquam, improbum capient. Sensus: suæ improbus fortunæ, quod ajunt, faber est.

Prov. 14: 13. אַחֲרִיתָהּ שִׂמְחָה תוּגָה *postremum ejus lætitia, mœror*. Alii: *fine suo* (hoc est, tandem) *lætitia fit mœror*. Vide & Jer. 9: 15. Habac. 1: 11.

In lingua Chaldæa & Syra hic pleonasmi modus est frequentissimus, uti Buxtorffius docet in Grammatica Chaldæo-Syriaca p. 227. Et notatu apprimè digna, quæ Cl. D. Ludovicus de Dieu in Gramm. Lingg. Oriental. inter se collatarum lib. 5. p. 452. & seqq. tradit.

### 2. Relativum suo substantivo *postponitur*.

Gen. 2: 17. *Et ex arbore scientiæ boni & mali non comedes* מִמֶּנּוּ *ex ea*, q. d. ex ea, inquam planè non comedes.

Exod. 30: 37. *Suffitus, quem feceris*, בְּמַתְכֻּנְתָּהּ *secundùm confecturam ejus non facietis vobis*, h. e. secundùm suffitus, quem feceris, confecturam.

Exod. 32: 1. *Illi Mosi, viro, qui eduxit nos è terra Ægypti, non novimus, quid factum sit illi*. Sic 2 Sam. 6: 23. Iob. 3: 5. Psal. 10: 5. Eccl. 2: 14.

Esa. 8: 13. *Dominum exercituum*, אֹתוֹ *illum sanctificate*, q. d. ipsum, inquam, sanctificate, nempè credendo promissionibus ejus, & fiduciam vestram in eum libere ostendendo, ut Num. 20: 12.

Esa. 45. vers. 9. *An dicturum est lutum fictori suo, quid facturus esses? & opus tuum, non* (sunt) *manus* לוֹ *ad ipsum*, h. est, cùm ad opus illud tuum nullæ sint manus. Sensus, cùm vires te deficiant, & sis imbecillior, quàm ut præstes ea, quæ prædixisti de nostra eversione, istorumque liberatione. Directa etiam hæc sunt adversus nequitiam Babyloniorum, Dei potentiæ illudentium, & in sua potestate præfidentium.

Ezech. 33. vers. 2. *Terra, si induxero super illam gladium &c* h. e. si induxero super terram gladium.

Dan. 1: 17. *Et pueris istis quatuor, dedit* לָהֶם *illis Deus notitiam* &c.

Matth. 12. v. 36. *Dico autem vobis, quòd omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent* περὶ αὐτοῦ *de illo rationem, in die judicii*. Intelligendum hoc de impiis & damnatis q. d. in reddenda ratione non habebunt, quo verbum otiosum apud Deum excusent, ut ille acquiescat: rigidissimè cùm illis in die judicii extremi agetur.

Matt. 21: 41. *Dicunt illi*, κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτούς, *malos malè perdet eos*.

Joh. 17: 2. *Ut omne, quod dedisti ipsi*, δώσῃ αὐτοῖς, *det illis vitam æternam* Ubi simul enallage generis & numeri occurrit, ut suprà dictum. Vide etiam Joh. 15. vers. 2, 5.

Actor. 10: 38. *Jesum Nazarenum, ut unxerit* αὐτὸν *ipsum Deus Spiritu sancto & potentiâ* &c. h. e. ut Jesum Nazarenum unxerit Deus. Est enim simul adverbii ὡς trajectio.

Rom.

Rom. 16: 27. *Soli sapienti Deo per Jesum Christum, ᾧ cui sit gloria in seculo.* Redundat relativum ᾧ, quod Beza expungit. Vide & Apoc. 2: 13.

Phil. 1. vers. 22. *Utrum verò vivere in carne, τοῦτο, hoc mihi opera precium sit, & quid eligam, ignoro.* Redundat relativum vel demonstr. τοῦτο.

Apocal. 6: 4. *Et exivit alius equus rufus: & sedenti super eo datum est αὐτῷ ipsi, sumere pacem de terra &c.*

Tale est illud Thucydidis: τῷ δὲ Ἱπποκράτει ὄντι περὶ τὸ Δήλιον, ὡς αὐτῷ ἠγγέλθη, *Hippocrati verò apud Delium versanti, ut ipsi nunciatum est &c.*

## Canon XXVI.

*In usu Hebrais quoque est duplicis relativi positio, cùm sufficeret unum. Quod & Græci quandoque imitantur.*

1. Affixum & integrum pronomen quandoque concurrunt, cum eleganti emphasi.

1. Reg. 9: 27. גַּם אֹתוֹ הַכֻּהוּ *etiam illam, percutite ipsum.*

Psal. 9: 7. אָבַד זִכְרָם הֵמָּה *periit memoria ipsorum, ipsi;* q. d. etiam ipsi in solidum perierunt.

### Nota de demonstrativo.

Videre hoc est etiam in demonstrativis primæ & secundæ personæ.

Gen. 27: 34. בָּרְכֵנִי גַם אָנִי *benedic mihi, etiam ego:* quasi dicat, benedic mihi, mihi, inquam, qui sum tuus primogenitus. Sic Prov. 23: 15. 1 Reg. 20: 19.

1 Sam. 25: 24. בִּי אֲנִי *In me, ego, Domine mi, iniquitas sit.* Quidam subintelligunt verbum: *In me* (*ego* scil. peccavi, *Domine mi*) sit *iniquitas.*

Prov. 22. vers. 19. הוֹדַעְתִּיךָ הַיּוֹם אַף אָתָּה *nota facio ea tibi hodie, etiam tu:* q. d. tibi, inquam, ea hodie inculco. Aliqui cum præcedenti membro connectunt, hac ratione: *si fuerit in Jehova fiducia tua* (& quod) *notum facio tibi hodiè, etiam tu* scil. feceris. Sed hoc videtur durius.

Hagg. 1: 4. הַעֵת לָכֶם אַתֶּם *an tempus vobis, vos,* quasi dicat, vobis, vobis inquam.

Zachar. 7: 5. הֲצוֹם צַמְתֻּנִי אָנִי *an jejunando jejunastis mihi, ego,* quasi dicat, mihi inquam. Alia exempla sunt Psal. 38: 11. Eccl. 2: 15. Dan. 8: 1, 15.

Huc pertinet, quod אֲנִי nominativus *Ego*, pro dativo, *mihi* sumitur. Prov. 8: 14. אֲנִי בִינָה *ego prudentia*, h. e. mihi seu mea est prudentia; præcedit & sequitur לִי *mihi.*

2. Relativum, *ipse*, repetitur.

1 Sam. 9: 13. *Quia* אֹתוֹ *eum hac ipsâ horâ invenietis* אֹתוֹ *eum.* Repetitio celeritati & certitudini indicandæ inservit, q. d. hoc ipso certè tempore eum invenietis. Matth. 8. vers. 1. καταβάντι δὲ αὐτῷ ἀπὸ ὄρους, ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί. Sic Marc. 9: 28. & alibi in N. T.

3. Præsertim autem אֲשֶׁר *qui, quæ, quod,* cum alio relativo, sæpissimè in oratione conjungitur.

Gen. 1: 11. אֲשֶׁר זַרְעוֹ בוֹ *quo sit semen suum in eo*, h. e. in quo sit semen suum.

Exod. 6: 4. *Terram peregrinationum eorum,* אֲשֶׁר גָּרוּ בָהּ *quâ peregrinati sunt in eâ.* LXX. ἐν ᾗ καὶ παρῴκησαν ἐπ' αὐτῆς, *in qua & incoluerunt in ea.* August. lib. 2. locut. de Exodo. *Sic habet Græcus, quod utique & in Græca lingua absurdè videtur sonare, & tamen Septuaginta interpretum auctoritas tanta est, quos ita loqui non piguit. Quid enim etsi sensus hic latet? quòd si nullus est, ipsa locutio notanda est, ne alibi inventa sensum impediat, vel aliquid quærere, ubi quærendum non est, compellat.* Si Hebraismum novisset vir sanctus, non ita fuisset locutus.

Exod. 25: 29. *Prætereà facito scutulas ejus, & acerras ejus, & scutellas ejus, & scopulas ejus,* אֲשֶׁר יֻסַּךְ בָּהֵן *quibus tegetur in illis*, h. e. quibus tegetur, seu insternetur: videl. mensa. יֻסַּךְ *tegetur* pro יִסַּךְ est, à סָכַךְ *obtexit.*

2 Sam. 6. vers. 2. *Ad deducendum inde arcam Dei,* אֲשֶׁר *quam invocabatur nomen, nomen* (inquam) *Jehova exercituum, insidentis Cherubimis,* עָלָיו *ad eam;* h. e. ad quam invocabatur, seu colebatur nomen Jehovæ &c. Multa de hoc loco disputantur, contra Photinianos: Sed hæc omnium simplicissima est ex textu fluens, & aliis exemplis similibus comprobata, expositio.

2 Reg. 13. v. 14. *Et Elisa ægrotabat morbo suo,*

*suo*, אֲשֶׁר יָמוּת בּוֹ *quo moriebatur in eo*, hoc est, in quo, seu quo moriebatur.

Psal. 1: 4. *Sicut gluma*, אֲשֶׁר תִּדְּפֶנּוּ *quam dispellit eam ventus*, hoc est, quam dispellit. Sic Psal. 144: 8, 15. Esa. 5: 28.

Jerem. 1. vers. 2. אֲשֶׁר *quem fuit verbum Domini* אֵלָיו *ad eum*, h. est, ad quem fuit verbum Domini.

Marc. 7: 25. *Mulier*, ἧς εἶχε τὸ θυγάτριον αὐτῆς, *cujus habebat filia ejus spiritum immundum*. Redundat αὐτῆς.

Joh. 1: 27. ὃ *cujus ego non sum dignus*, *ut solvam* αὐτοῦ *ipsius corrigiam calceamenti*. Redundat αὐτοῦ.

Act. 15: 17. Ἐφ' οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μȣ ἐπ' αὐτοὺς, *super quos invocatum fuerit nomen meum super ipsos*, Redundat ἐπ' αὐτοὺς. Sensus est: quæ gentes fuerint à me denominatæ, videlicet Christiani.

1 Pet. 2: 24. ȣ τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἰάθητε. *Cujus livore ejus sanati estis*. Redundat αὐτοῦ. Vide & Apoc. 7: 2, 9.

In Græca V. T. versione, Psal. 144. vers. 12. ὧν υἱοὶ αὐτῶν ὡς νεόφυτα, *quorum filii eorum sicut plantæ novellæ*. Redundat αὐτῶν. Sic & alibi.

## Nota.

1. Pro *posteriori relativo* usurpatur etiam adverbium שָׁם *ibi*, cùm de loco sermo est.

Gen. 2: 11. *Totam regionem Chavilæ* אֲשֶׁר שָׁם *qua illic aurum est*, pro אֲשֶׁר בָּהּ *quâ in ea*, h.e. in qua, seu ubi.

Genes. 3. vers. 23. *Ad colendum terram*, אֲשֶׁר לֻקַּח מִשָּׁם *qua sumtus erat inde*, pro אֲשֶׁר לֻקַּח מִמֶּנָּה *qua sumtus fuerat ex ea*, id est, ex qua, seu, unde. Sic & Exod. 12: 13. Ruth. 1: 7.

Huc pertinet Apoc. 12: 14. ubi duplex adverbii temporis relativum ponitur: *Ut avolet in desertum*, *in locum suum*, ὅπȣ τρέφεται ἐκεῖ, *ubi alitur ibi*: h. est, ubi alitur, &c.

2. *Prioris* relativi אֲשֶׁר contingit non rarò *ellipsis*, & tum posterius relativum significationem ejus suscipit. Flacius dicit, demonstrativum pro relativo poni.

Exod. 18. vers. 20. *Notam facies illis viam*, יֵלְכוּ בָהּ *ibunt in ea*, pro אֲשֶׁר יֵלְכוּ בָהּ *qua ibunt in ea*; i. e. in qua ibunt.

2 Paral. 16: 9. *Dominus*, *oculi ejus discurrunt per totam terram*, *ad firmum se exhibendum* עִם לְבָבָם שָׁלֵם *cum* (iis) *cor eorum integrum cum ipso*, pro: cum iis, אֲשֶׁר quorum cor integrum &c.

Job. 3: 3. (Utinam) *periisset dies*, אִוָּלֶד בּוֹ *nasciturus eram in eo*, pro אֲשֶׁר אִוָּלֶד בּוֹ *quo nasciturus eram in eo*, i.e. in quo.

Ibid. v. 15. *Aut cum principibus* זָהָב לָהֶם *aurum ipsis*, pro אֲשֶׁר זָהָב לָהֶם *quibus aurum ipsis*, id est, quibus aurum, scilicet erat. Sic Psal. 11: 4. Jer. 2: 6. &c.

3. Pro *priori* relativo אֲשֶׁר quandoque etiam *conjunctio* est.

Gen. 3. v. 19. *Donec revertaris in terram*, כִּי מִמֶּנָּה *quia ex ea desumtus fuisti*, h.e. אֲשֶׁר מִמֶּנָּה *qua ex ea*, id est, ex qua.

Gen. 22: 24. *Et concubina ejus*, וּשְׁמָהּ *& nomen ejus Reuma*, pro, אֲשֶׁר שְׁמָהּ *cujus nomen ejus*, h. e. cujus. Vide suprà Can. 15.

Tantum de doctrina PRONOMINIS.

*Sum TUUS, esque MEUS, JESU! ô pronomina cordi*
*Suavia! Da æternùm sim TUUS, esto, MEUS!*

Cant. 6. vers. 2.

אֲנִי לְדוֹדִי וְדוֹדִי לִי׃

TRA-

# TRACTATUS III.

## De

# VERBO.



AD *quatuor* capita referri possunt, quæ de Verbo in Scripturæ textuum explicatione, singulariter notanda sunt. 1. Idiotismus est, 2. Enallage, 3. Ellipsis, 4. Pleonasmus.

*Idiotismus*, tùm *significationis*, tùm *constructionis* verborum rationem spectat.

*Significatio* verborum διέξοδον requirit: 1. *generalem*, 2. *specialem*, ratione verbi activi & passivi, 3. *specialissimam*, respectu conjugationum Hebræarum.

## De Significatione Verborum in genere.

SIgnificatio verborum vel *absolutè & solitariè* circa respectum certum: vel σχετικῶς, *cum respectu aliquo* attendenda. *Absolutè & generatim* de ea tractant sequentes duo canones.

### Canon I.

*Simplicia verba apud Hebræos habent etiam significationem compositorum.*

OMnia verba apud Hebræos sunt simplicia, nec ita præpositionibus componuntur, diversarum significationum causâ, uti apud Græcos & Latinos fit. *Præpositio* igitur, quam Græci & Latini cum verbo componunt, ab Hebræis *inter verbum & nomen sequens* disponitur, unde multi peculiares & Hebræis proprii loquendi modi oriuntur, diversæque unius thematis seu radicis significationes sæpe distinguuntur. Sic הָלַךְ *ire*, etiam *adire* significat, si cum אֶל construatur; & *abire*, si cum מִן; & *præire*, si cum לִפְנֵי; & *pòst ire*, vel sequi, si cum אַחַר &c. Et sic in aliis multis, de quibus Lexica Hebræor. consulenda sunt.

Quandoque verò sine ejusmodi constructione, *verbum simplex, compositi significationum obtinet*, quod ex contextus περιςάσεσι eruendum. E. g. עָמַד *stetit* pro *obstitit*. Dan. 11. vers. 3: וְעָמַד *& stabit Rex potens*, [a] h. est, obstabit, seu obsistet. Sic & vers. 4. Præcedit enim, quòd Rex Persidos contra regnum Græciæ insurrecturus sit: cui hic potens Rex resistet (inquit Angelus) & in contrarium q. stabit. Est autem hic Alexander Macedo, cognomento Magnus. [a] *Stare.*

[b] Sic קוּם quod *stare* (præter *surgendi* significationem) notat, quandoque idem est, ac *perstare* seu subsistere. Jos. 7. vers. 12. *Et filii Israel non potuerunt* לָקוּם *stare* seu subsistere *coram hostibus suis*. Eodem sensu nomen conjugatum תְּקוּמָה *statio*, pro *consistentia* seu consistendi facultate Levitic. 26: 37. usurpatur. Psal. 1: 5. *Impii non* יָקֻמוּ *stabunt in judicio*, hoc est, consistent. Pro quo Græci verterunt, οὐκ ἀναςήσονται, *non resurgent:* Quæ mala versio iis favet, qui impios resurrecturos esse negârunt. Eodem sensu in Nov. Test. usurpatur ἵςημι, *sto*. Johan. 8: 44. *Diabolus in veritate* οὐχ ἕςηκεν, *non stetit*, hoc est, *non perstitit* seu perseveravit, in qua tamen creatus fuerat. Confer Epistol. Judæ v. 6. Et ςαθῆναι, aorist. 1. pass. Luc. 21: 36. Ephes. 6: 13. Sic *stare & cadere* in foro opponuntur sermone vulgari. Alia ratione קוּם *stare*, pro *restare* seu superstitem esse, usurpatur Amos 7: 2. *Quis* יָקוּם *stabit Jacob*, hoc est, *restabit*, superstitabit, superstes manebit? Jos. 2: 11. *Et non* קָמָה *stetit ampliùs spiritus in viro*. Chald. אִשְׁתְּאַרַת διέμεινε, *restitit* seu remansit. [b] *Stare.*

[c] Sic נָפַל *Cadere*, quandoque significat *Excidere* seu deficere. Jerem. 37: 13. *Ad Chaldæos* [c] *Cadere.*

*tu* נָפַל *cadis*, hoc est, excidis vel deficis. Et aliâ rationa *Excidere*, hoc est, irritum fieri. 1. Regum 8: 56. *Non* נָפַל *cecidit ullum verbum Jehovæ &c.* hoc est, nullum fuit irritum. Sic Jos. 21. vers. ult. Quandoque *decidere* seu inferiorem & abjectum fieri. Job. 12: 3. *Non* נֹפֵל *cado ego à vobis*, hoc est, inferior sum vobis. Sic Esther. 6: 13. Quandoque *incidere; vel in calamitates*, Amos 5. v. 2. Prov. 24. v. 6. Vel in *perditionem & mortem*, Psal. 91. v. 7. Lucæ 21: 24. 1 Cor. 10: 8. Hebr. 3. v. 17. Sic in Eurip. Rheso: οἱ μὲν ἐν χωστοῖς τάφοις κεῖνται πεσόντες: *alii quidem in aggestis tumulis jacent mortui.* Ibidem ἔρρει στρατιά, πέπτωκεν ἄναξ δολίῳ πληγῇ, *periit exercitus, cecidit Rex dolosâ plagâ.*

a Dare. Sic נָתַן a *dare* pro *reddere* vel rependere, 1 Reg. 10: 13. *Rex verò Salomo dedit Reginæ Saba pro toto desiderio ejus, quicquid petivit, præter id, quod* נָתַן לָהּ *dedit ei pro facultate Regis Salomonis.* Hic נָתַן *dedit* usurpatur pro *reddidit* seu rependit. Duo enim donorum genera exprimuntur; (1.) quæ Salomo Reginæ Sabæ dedit ad ipsius petitum & votum, vers. 13. (2.) quæ ipsi reddidit seu rependit pro illis, quæ ipse ab ea acceperat, de quibus vers. 10. Eandem significationem נָתַן obtinet 2 Paral. 8. 2. (al. 14.) *Et urbes, quas* נָתַן *dedit Huram Salomoni, ædificavit Salomo illas, & collocavit ibi filios Israelis.* Dedit, hoc est, reddidit. Et sic clarior evadit locus 1 Reg. 9. v. 11, 12, 13. ubi de traditione viginti civitatum, à Salomone Regi Hiramo factâ memoratur, & subjungitur: *Itaque egressus Hiram Tyro ad visendum civitates illas, quas dabat ipsi Salomo, cum non placerent in oculis ejus, dixit, quid sunt civitates istæ, quas das mihi, frater mi?* non dixisse hæc solùm, sed & amicè reddidisse, ex Chronicorum loco adducto patet.

Sic רָעָה *& pascere* significat, & *depascere* sive perdere. Vide Schindlerum col. 1551.

Sic אָמַר *loquendi & obloquendi* significationem obtinet. Utraque occurrit 2 Paral. 32. v. 17. *Et literas scripsit* (Rex Assyrius) *ad exprobrandum DOMINO DEO Israelis,* וְלֵאמֹר אֵלָיו לֵאמֹר *& ad obloquendum ei, dicendo &c.*

b Vocare an pro invocare accipiendum? ᵇ Videndum autem, ne, contra mentem dicentis, *simplex verbum pro composito* in translatione sumatur. Fallit enim hic Interpres vulgatus, qui קָרָא *vocare* pro composito *invocare* accipit, ubi id opus non est. Quod ipsum erroris magni occasio alicubi extitit. Locus est Gen. 48: 16. *Et vocetur in eis nomen meum, & nomen patrum meorum*, hoc est, explicante Lyrâ, dicantur filii mei, licet ex te nati sint; uno ordine habeantur cum filiis meis ex me immediatè natis, in divisione terræ, constitutione tribuum, denominentur non de nomimine tuo, sed meo. Similis phrasis 2 Sam. 12. vers. 28. & Esa. 4: 1. occurrit, nisi quòd pro בְּ *in*, est עַל *super*. Vulgatus autem Interpres utrobique *Invocandi* verbo utitur, & priorem locum sic convertit: *Invocetur nomen patrum meorum super eos.* Ex qua versione dogma de invocatione sanctorum in Papatu vires sumsit, ut ex Bellarmino lib. 1. de beat. sanct. cap. 20. & aliis, videre est. Quibus tamen alii Hebraicè docti inter Pontificios obsistunt, & verba hæc ritè explicant, uti ex Ribera ad Amos 9. num. 42. Cornelio à Lapide, Ariâ Montano de idiotis. Hebr. & aliis videre est. Conf. D. Himmel. de natura invocat. veræ & religiosæ p. 3, seqq.

## Nota de Nov. Test.

Hæc verborum *simplicium* pro *compositis* enallage etiam in N. Test. quandoque est, licèt rariùs, ob miram & liberrimam Græcæ linguæ in compositione vocum felicitatem.

Joh. 10: 16. κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν, h. e. συναγαγεῖν *congregare*, uti Theophyl. interpretatur, quam explicationem juvat, quod cap. 11: 52. dicitur: vel προσαγαγεῖν, *adducere*, nimirum ad Ecclesiæ ovile.

Joh. 14: 18. ἔρχομαι, *venio ad vos*, h. e. redibo, ἐπανελεύσομαι: est enim simul enallage præsentis pro futuro. Sic v. 28.

Ibid. v. 31. ἄγωμεν ἐντεῦθεν, pro ὑπάγωμεν, *abeamus hinc*.

Sic γίνεσθαι & γένεσθαι, *esse*, quandoque pro παραγίνεσθαι, *appropinquare*, seu *adesse* ponitur, Luc. 10: 32. Joh. 6: 19. *Et* κρίνειν *judicare*, pro κατακρίνειν, *condemnare*. Joh. 3: 17. Confer Marc. 16: 16. Nisi per metonymiam explicare hoc magis placet, qua *judicandi* vox consequentes etiam actiones denotat, ut in Rhetorica sacra suo loco dicetur.

Abutitur hoc idiotismo Socinus, contra Bellarm. & Wieck. c. 5. clas. 3. arg. 13. in resp. ad Joh. 1. ubi de verbis Joh. 1: 10. *mundus per ipsum factus est*, ita loquitur: *Est idiotismus Hebræorum, qui cum verba composita non habeant, haud rarò simplicibus pro compositis utuntur: ut hîc: factus est, idem sit, ac refectus est, ut ita loquar, id est denuò factus, seu renovatus & instauratus.* Verùm in Latino sermone, veluti rivulo, quandam probabilitatem hæc exceptio habere videatur, in Græco tamen fonte prorsus nullam habet. Pro quo enim composito, ἐγένετο, quod h. l. extat, positum dici debet? Si pro ἀναγίνομαι, id in usu non est: Sin pro

ἀναγεννάομαι, extat id quidem 1 Pet. 1. verf. 3, 23. sed longè alio significatu, regenerationis scil. filiorum Dei, respondens τῷ ἄνωθεν γεννηθῆναι, Joh. 3. verf. 3. Et prætereà id aliud thema habet, γεννάομαι, cum quo præpositio componitur, igitur pro eo γίνομαι, ut verbum simplex positum esse, dici nequit. Ut taceam, aliam hîc rationem esse Græcæ linguæ & Hebrææ. Quod enim simplicia verba in lingua Hebræa significationem compositorum habent, necessitas est, cùm compositis verbis ea lingua destituatur; quæ necessitas in Græcismo, & sic etiam in Johanne non est. Quod autem nihilominus, at rarò fit, non ad quælibet scripturæ loca trahendum est. Tandemque exceptiunculam Photinianam evertunt omnia argumenta, quæ à nostris adducuntur, pro stabiliendo illo articulo fidei certissimo ac verissimo: *Christum esse omnipotentem cum Patre & Spiritu sancto creatorem cæli & terræ*, Joh. 1: 3. Col. 1: 16. Hebr. 1: 10. &c.

## *Nota.*

Vicissim *compositum pro simplici verbo usurpari* quandoque videtur. Luc. 13. verf. 12. *Mulier*, ἀπολέλυσαι, *absoluta es ab invaletudine tua*, pro λέλυσαι, *soluta es*. Tenebatur enim Satanæ quasi vinculis constricta, ut ne attollere caput totis octodecim annis potuerit, verf. 16.

Joh. 9: 11, 15, 18. de cœco nato dicitur, quod ἀνέβλεψε. At hoc propriè significat *deperditum videndi usum rursus obtinere;* id quod cœco nato non convenit. Est igitur positum pro simplici ἔβλεψε, quod v. 7, 15. usurpatur. Exprimitur autem composito illo verbo non ipsa visio, sed facultatis videndi adeptio. Sic Marc. 11: 51.

Jac. 2: 7. *Blasphemant bonum nomen* τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς, *invocatum super vos.* Ubi ἐπικαλεῖσθαι ponitur pro καλεῖσθαι, *vocari*. Nomen autem vocatum super vos, idem est, ac, quo vos vocati estis, seu à quo denominati estis, ex Hebræa phrasi, quæ paulò antè exposita. Sic & Act. 15: 17.

Huc pertinet vox, ἔνι, Jac. 1: 17. quæ per syncopen est, pro ἔνεςι, *inest*, (ab ἔνειμι *insum*) & hæc pro ἐςὶ est.

## Canon II.

*In uno verbo quandoque duæ significationes concurrunt, peculiari linguæ sanctæ idiotismo, quem metalepsin vocant, vel synthesin.*

SEu: *Brevitatis causâ unum quandoque verbum pro duobus ponitur.* Quando scil. verba, motum non significantia, nanciscuntur eum ex præpositione adjuncta, & sic duas quasi significationes accipiunt, ita ut ad eorum plenam explicationem, etiam aliud verbum intelligi aut addi necessum sit.

Gen. 12. verf. 15. וַתֻּקַּח *& capta est mulier illa Pharaonis domum*, h. e. capta in Pharaonis domum perducta est. Sic לָקַח accipitur etiam cap. 15. verf. 9, 10. Exod. 18. verf. 2. cap. 25. verf. 2. cap. 27. verf. 20. Num. 19. v. 2. Esth. 2: 16.

Gen. 43: 33. וַיִּתְמְהוּ *& mirati sunt homines illi, alter ad alterum*, h. est, mirantes respexerunt alter alterum.

Ibid. verf. 34. וַיִּשָּׂא *accepit fercula de eo, quod erat in conspectu suo, ad eos*, h. est, accipiens misit ad eos. Ita נשא etiam accipitur Exod. 18. verf. 12. cap. 25. v. 2. cap. 28. v. 20. &c.

Exod. 23: 18. לֹא־תִזְבַּח *non mactabis sanguinem sacrificii mei cum fermentato*, hoc est, non mactando fundes. Sic cap. 34: 25.

Num. 25: 1. *Et mansit Israel in Sittim, & cœpit populus* לִזְנוֹת אֶל־בְּנוֹת *scortari ad filias Moab*, h. e. scortando, seu scortationis causâ, eis se adjungere.

2 Paral. 32: 1. *Et cogitavit* לְבִקְעָם אֵלָיו *discindere eas* (urbes munitas) *ad se*, h. e. discindendo eas, seu divellendo à Regno Juda, sibi adjungere.

Esræ 2. verf. 62. וַיְגֹאֲלוּ *& polluti sunt à sacerdotio*, h. est, ut polluti abstenti sunt à Sacerdotio.

Psal. 21: 13. *Nervis tuis* תְּכוֹנֵן *aptas* (sagittas) *contra faciem eorum*, h. e. sagittas aptatas ejacularis.

Psal. 22: 22. *Et à cornibus unicornium* עֲנִיתָנִי *exaudies me*, h. e. exaudiens liberabis me. Sic Psal. 118: 5. עָנָנִי *Exaudivit me in lato*, h. e. exaudiens collocavit me in lato.

Psal. 42. verf. 2. *Sicut cervus* תַּעֲרֹג *glocitat ad alveos aquarum*, h. e. glocitans seu exclamans accurrit.

Psal. 55: 19. פָּדָה *redemit in pace animam meam*,

*meam*, h. e. redimendo collocavit in pace: vel redemit collocans in pace.

Psal. 63: 9. דָּבְקָה *adhæret anima mea post te*, h. e. adhærendo tibi sequitur te.

Psal. 66: 14. *Quæ* (vota) *aperuerint labia mea*, h. e. nuncupaverint aperta labia mea.

Psal. 68. vers. 19. לָקַחְתָּ מַתָּנוֹת בָּאָדָם *accepisti dona inter homines*, h. e. accipiens distribuisti seu dedisti inter homines. Conf. Eph. 4: 8.

Psalm. 73. vers. 27. *Exscindis omnem* זוֹנֶה מִמֶּךָּ *scortantem à te*, seu *adulteratum à te*; h. e. scortando & spirituali adulterio deficientem à te.

Psal. 89: 40. *Detestatus es fœdus servi tui*, חִלַּלְתָּ *profanâsti in terram coronam ejus*, h. e. profanando dejecisti in terram, seu profanâsti dejiciens in terram.

Psal. 104: 22. *Exorto sole colligunt se*, *& ad habitacula sua* יִרְבָּצוּן *recubant*, h. e. ad recubandum se eò recipiunt.

Psal. 137: 9. וְנִפֵּץ *Dissipabit parvulos tuos ad petram*, h. e. dissipando illidet ad petram: seu dissipabit illidendo ad petram.

Prov. 25. vers. 22. *Nam prunas tu* חֹתֶה *accipis super caput ejus*, h. e. accipiendo ponis seu coacervas super caput. Rom. 12: 20. σωρεύσεις.

Esa. 11: 10. *Ad eam* (radicem Isai) *gentes* יִדְרשׁוּ *requirent*, h. est, requirendo ad eam venient.

Esa. 14: 17. *Vinctos suos* לֹא־פָתַח בָּיְתָה *non solvebat domum*, h. e. non solvebat, ut reverterentur seu reversuros domum.

Esa. 38: 17. *Et tu* חָשַׁקְתָּ *amavisti animam meam ex fovea consumtionis*, h. ex amore, seu propensus erga me amore, eduxisti animam meam &c.

Ibid. v. 21. *Sumant palatham ficuum*, וְיִמְרְחוּ *& contundant super ulcus*, h. e. contusam applicent vel appingant ulceri.

Esa. 46: 6. הַזָּלִים *vilipendentes aurum de crumena*, h. e. vilipendentes illud producunt de crumenâ & profundunt.

Esa. 57: 9. (al. 13.) וַתָּשֻׁרִי *& contemplaris ad Regem cum unguentis*, h. e. contemplata mittis ad Regem. Intelligitur Rex Assyriæ Tiglath-Peleser, 2 Reg. 16. v. 7. Confer Ezech. 16: 33.

Jerem. 41. vers. 7. וַיִּשְׁחָטֵם *& jugulavit eos in medium foveæ*, h. e. jugulatos eos projecit &c.

Ezech. 19. vers. 4. וַיִּשְׁמְעוּ *& audiverunt in eum gentes*, hoc est, audientes concurrerunt in eum.

Amos 9: 3. *Si occultarent se à conspectu oculorum meorum in fundo maris, exinde præciperem serpenti* וּנְשָׁכָם *ut moderet eos*, h. e. mordendo tolleret eos. Sic vers. 4.

Ejusmodi significatio est etiam verbi חָרַד *tremuit*, *trepidavit*: quod quandoque significat *trepidum seu trepefactum accurrere*, 1 Sam. 13: 7. cap. 16: 5.

In N. T. Matth. 4. vers. 5. *Tunc* παραλαμβάνει *assumsit eum Diabolus in sanctam civitatem*, h. e. assumtum transfert. Sic vers. 8. & cap. 27. v. 27.

Luc. 21: 38. *Et omnis populus* ὤρθριζε, *diluculo surgebat ad eum*, hoc est, diluculo surgens veniebat ad eum; ὀρθρίζειν significat *diluculo surgere*, & apud LXX. Interpretes eo verbo Hebræum הִשְׁכִּים exprimitur, quod *matutinare*, *diluculare*, *seu manè & diluculo paratum esse* significat. Vulgata barbarè vertit, *manicare*. Ex idiotismo autem Hebræorum motum ad locum simul denotat, ut dictum.

Actor. 7: 9. *Et Patriarchæ*, *invidia moti*, *Joseph* ἀπέδοντο εἰς Αἴγυπτον, *vendiderunt in Ægyptum*, hoc est, vendiderunt abducendum in Ægyptum. Casaubon. *Hæc est servorum venditio*, *quam veteres vocabant* ἐπ' ἐξαγωγῇ, *cùm mancipia ea lege vendebantur*, *ut in longinquas terras deportarentur*.

1 Cor. 5. vers. 2. *Et vos inflati estis*, *& non potiùs* ἐπενθήσατε, *luxistis*, *ut tolleretur ex medio vestri*, *qui istboc fecit*, h. e. & non potiùs lugentes seu cùm luctu id seriò egistis, ut tolleretur &c.

Eph. 4: 8. *Ascendens in altum*, *captivam duxit captivitatem*, καὶ ἔδωκε, *& dedit dona hominibus*, h. e. accepit donanda, vel accepta dedit & distribuit. Explicant duo loci, hic, & Psal. 68: 19. se invicem. In Targum d. l. est. יְהַבְתָּ *dedisti*, ut in verbis Apostoli: Sed in sensu est varietas, de Mose enim hæc interpretatur, quod expressissime de Christo intelligendum esse Apostolus declarat. Hieronym. in Comment. Matth. 1. *Accipiet dona in hominibus &c.* *Hoc testimonium Apostolus ponens*, *non dixit*, *accipiet*, *sed dedit*: *quia ibi de futuro significatum est*, *quid accepturus esset*: *hic de eo narrat historia*, *qui jam dederat*, *quod acceperat*. Similia habet in Comment. Eph. 4. fol. 109.

Apoc. 13: 3. καὶ ἐθαύμασεν, *& admirata est universa terra* ὀπίσω τοῦ θηρίου, *post bestiam*, h. e. admirata seu admirabunda secuta fuit bestiam.

Flacius in clave script. part. 1. col. 3. huc etiam refert Zach. 9: 8. חָנִיתִי *castrametabor circa domum meam*, מִצָּבָה *ab exercitu*, *à transeunte & redeunte*: h. e. ita castrametabor, ut simul eam custodiam à quovis hostili exercitu, quoquo modo circa eam vagante. Notat igitur illud verbum non tantùm castrametationem, sed etiam id quod sequitur, nempè defensionem ejus,

ejus, circa quem castra posuisti. Et adducit simile exemplum ex Alciato JCto: *Cum vir uxori legat, si ea à filiis non nupserit*, id est, non discesserit ab eis, eosve deseruerit, se alteri marito tradendo, &c.

ª Beza huc refert Actor. 3:21. ὃν δεῖ οὐρανὸν μὲν δέξασθαι, *quem oportet, cœli capiant*, h. e. receptum contineant; *Ex idiotismo* (inquit) *Hebræorum, quo fit, ut ex antecedente intelligatur consequens, ut cùm* παραλαμβάνειν *accipitur pro acceptum transferre*: ἐξελθεῖν *pro digressum aliquo venire: & similia*. Fatetur etiam, *in Græcis constructionem esse ambiguam*, &c. Verùm si absque præconceptæ opinionis glaucomate textus attendatur, nullam constructioni inesse ambiguitatem, comperietur; ὅν, *Christum* referens, subjectum est: prædicatum, δέξασθαι οὐρανόν. In indicativum resoluta oratio sic simplicissimè habet: χριςὸς ἐδέξατο οὐρανὸν, *Christus accepit cœlum*, nempè in sublimatione & exaltatione *supra omnes cœlos, ut omnia impleret*; quæ explicatio traditur Ephes. 4:10. Non igitur opus est, ad idiotismum regulæ hujus recurrere. Vide & infrà tract. 5. de adverb. *Donec*, *usque* &c. Et confer D. Tarnovii disp. de loco Act. 3:19, 20, 21. An. 1623. habitam, §. 39. seqq.

## *Continuatio.*

HActenus de *absoluta* significationis verborum consideratione: σχετική & *respectiva* succedit. Consideratur enim verbum, 1. respectu *ipsius actionis* certo modo se habentis, 2. respectu *causæ agendi*, 3. respectu *adjuncti*, 4. respectu *oppositi*. De primo membro sequentes duæ regulæ agunt.

## Canon III.

*Verbum quod actum completum significat, accipiendum quandoque inchoativè: Et vicissim, verbum, quod actum incompletum significat, accipiendum quandoque completivè.*

### 1. Verba completiva inchoativè intelligenda.

ID aliàs sic effertur: *Factum ipsum, res aut opus jam plenum & absolutum, pro solo ejus initio accipitur.*

Gen. 5:32. *Postquam natus esset Noah quingentos annos, genuit Noach Schemum, Chamum & Jephetum*, h. e. gignere cœpit. Neque uno anno omnes gignere potuit. Et Schemum *quingentesimo secundo* anno Noachi genitum fuisse, patet ex Gen. 11:10. collato cum c. 7:6. Cumque Cham natu minimus fuerit, c. 9:24. ex ª Beza notatur.
illo manifestè patet, Jephetum inter tres fratres fuisse primogenitum. Et sic vocatur cap. 10:21. *Et ipsi quoque Schemo* (proles) *edita est, patri omnium filiorum Heberi, fratri Jepheti* הגדול *maximi*, scil. natu.

Gen. 11. vers. 26. *Cùm vixisset Terach septuaginta annos, genuit Abrahamum: & Nachorem, & Haranem*: h. e. gignere cœpit. Et primò quidem genuisse Haranem, hac ratione constat: Terach pater anno ætatis 205. Charane mortuus est, Gen. 11. vers. 32. Mortuo patre Abram Charane abiit peregrinatum in terra Canaan, Actor. 7. vers. 4. In abitione illa Abram natus erat septuaginta quinque annos, Gen. 12. vers. 4. (al. 1.) subtractis his 75. annis ætatis Abrami, à 205. ætatis Terach, remanent 130. anni ætatis Terach, & hoc anno genuit (uti constat) Abramum. Gignere autem is cœpit anno ætatis septuagesimo. Igitur sexaginta annis à primogenito distat Abram. Quis porrò primogenitus? num Haran, num verò Nachor? Ex Gen. 11. vers. 29. constat, *Nachorem duxisse Milcam filiam fratris Haranis*. Hinc colligitur, Haranem Nachore majorem natu fuisse, eò quòd filia ejus apta esset, ut matrimonio fratri ejus Nachori jungeretur. Relinquitur ergò, quòd Haran primogenitus inter tres Terachi filios fuerit.

Hæc ex Junii & Tremellii sententia hactenus dicta. Verùm accuratè loquendo, quadrare exempla ea regulæ non videntur. Verbum namque *genuit*, in *priore*, tàm Schemum quàm Chamum & Japhetum, in *posteriore* tàm Abram, quàm Nachorem & Haranem attinet. Hi enim personæ illæ sunt, quæ genitæ, à suo quisque patre, dicuntur. Si igitur *genuit* positum est pro *gignere cœpit*, emerget hic sensus: Noa gignere cœpit Semum, & gignere cœpit Chamum, & gignere cœpit Japhetum; Sic & in altero exemplo. At verò hoc quid est? Quin potiùs invertas licet: τὸ *gignere* in se actus completus est: est enim sibi simile in propria specie (& ita substantiam completam) producere. Quapropter perfectè geniti sunt, Sem, Cham, Japhet, à Noa; Abram, Nahor & Haran à Terach. Ergò nullus horum gigni cœptus est: & proindè malè exponitur, *genuit*, h. e. *gignere cœpit*. Taceo jam, quod eadem vocis *gignere* sit ratio, in Genes. 5:32. quæ est in vers. 3, 4, 6, 7, 9, 10. & sequentibus: itemque eadem in Genes. 11. vers. 26. quæ est in

in verf. 10, 11, 12, 13. & fequentibus. At nullibi allegatorum locorum *gignere* pro *cœpiſſe gignere* uſurpatur, ſed generationis actum completum ubique denotat &c. Potius igitur attendatur integra periodus, & per ellipſin vocis unius alteriuſque fiat explicatio, hoc modo: *Poſtquam natus eſſet Noa quingentos annos*, (eo ipſo tempore poſtmodumque) *genuit Semum*, *Chamum*, *&* *Japhetum*. Idem de altero loco habendum. Atque hæc de phraſi: Rem ipſam quod ſpectat, chronologia turbari videtur, ſi, quod de Abrahamo ex Junio dictum eſt, ſequi velimus. Expendantur igitur, ſi placet, ea, quæ eximii chronologiæ magiſtri, D. Johan. Behm. in chronol. manuduct. p. 14. ſeqq. & Johan. Alſtedius, chronol. tit. 1. theor. 6. & 7. hac de re eruditè tradunt. Quadrant autem ad regulam poſitam hæc ſequentia:

1 Sam. 3. verſ. 21. *Et pergebat Jehova apparere in Silo*, *poſtquam* הִגְלָה *revelâſſet ſe Jehova Samueli in Silo*, *&c.* h. e. cùm cœpiſſet ſe revelare.

2 Sam. 2. verſ. 10. *Quadraginta annos natus erat Isboſeth filius Saulis*, בְּמָלְכוֹ *cùm regnaret*, h. e. cum regnare inciperet. Sic aliàs ſæpè, in libris Regum & Chronicorum.

1 Reg. 6. verſ. 1. *Et fuit quadringenteſimo octuageſimo anno &c.* וַיִּבֶן *& ædificavit* (Salomo) *domum domino*, h. e. ædificare cœpit. Unde 2 Par. 13. verſ. 1. id ita exponitur, וַיָּחֶל לִבְנוֹת *& incepit ædificare.*

Ibid. verſ. 37. *anno quarto* יֻסַּד *fundata eſt domus Jehovæ*, h. e. cœpta eſt fundari, ut Chald. vertit. De complementi enim tempore ℣ſ. 38. ſequitur.

Tremellius & Junius inſuper huc referunt illud Geneſ. 4. verſ. 26. אָז הוּחַל *tunc profanatum eſt, in invocando nomen Domini*, h. e. tunc cœptum eſt profanari: id eſt, alii poſteri Sethi, apud quos manſura erat Eccleſia, à Kainitis corrupti, cœperunt profanare ſe in cultu divino. Sed הוּחַל *incipiendi* etiam ſignificationem habet: Unde ſimpliciter (& contrariâ quidem illi ſignificatione) verti poteſt: *Tunc cœptum eſt invocari in nomine Domini*, uti Lutherus vertit. Et hanc ſententiam poſteriori editione Junius amplexus eſt.

In Nov. Teſt. huc pertinet: Matth. 2. ℣ſ. 7. *Exquiſivit* (Herodes) *ab eis tempus* τοῦ φαινομένου ἀςέρος, *apparentis ſtellæ*, hoc eſt, apparere incipientis. Seu: *quo tempore ſtella apparuiſſet*, h. e. apparere cœpiſſet.

Luc. 5. verſ. 6. *Concluſerunt piſcium multitudinem magnam*, διεῤῥήγνυτο *rumpebatur autem rete ipſorum*. Non de actu ipſo, ſed de potentiâ proximâ id dicitur; q. d. rupturiebat, aut jamjam rumpi videbatur, vel incipiebat rete eorum. Flacius in clave ſcript. voce, *ruptura*.

Quidam huc referunt illa ſcripturæ dicta, in quibus pii dicuntur eſſe *perfecti* in hac vita, Matth. 5. verſ. 48. cap. 19. verſ. 21. Phil. 3. verſ. 13. 1 Joh. 4. verſ. 12. quia ſcil. incipiunt eſſe perfecti, & ſinceritate mentis ad perfectionem tendunt, 1 Cor. 13. verſ. 9. 10. Phil. 3. verſ. 12. Sed תְּמִים & תָּם hominibus piis tributum, Geneſ. 6. verſ. 9. Job. 1. verſ. 1. &c. meliùs per ἄδολον, *ſincerum*, *ſine fuco & dolo exiſtentem*, exponitur, quàm per *perfectum*. Vulgatus benè reddidit quandoque, *ſimplicem*. Confer Lutheri verſionem Gen. 17: 1. Pſal. 25. verſ. 21. Illi verò Hebræo Græcum τέλειος ſignificatione reſpondet.

## 2. Verba inchoativa completivè intelligenda.

Id fit duplici ratione.

1. Cùm verbum aliquod, *rei efficientiam* notans, pro *rei ſic effectæ detentione* accipitur.

*Perficere* pro perfectum tenere. Gen. 2. verſ. 2. וַיְכַל *& perfecit Deus die ſeptimo opus ſuum*, *quod fecerat*, h. e. perfectum tenuit atque continuit. Junius in annot. Bibl.

*Accipere*, pro acceptum retinere, Geneſ. 38. verſ. 32. תִּקַּח *accipiat ſibi*, hoc eſt, acceptum ſibi retineat.

*Congregare*, pro congregatos detinere. 1 Paral. 16: 35. *Serva nos Deus ſalutis noſtræ*, וְקַבְּצֵנוּ *& congrega nos*, *& libera nos à gentibus*, h. e. congregatos contine, ne diſſipemur; anteà enim regnum fuerat diviſum, & Benjaminitæ inprimis à Davide alienati, cap. 12. verſ. 29.

*Aperire*, pro apertum tenere. Eſai. 60: 11. וּפִתְּחוּ *& aperient portas tuas jugiter interdiu & noctu*, h. e. apertas tenebunt, nimirum miniſtri Eccleſiæ, quorum operâ Deus utitur, ut ſingulis horis lucrifiant Chriſto, & intromittantur ad Eccleſiam.

*Renovare*, pro novum vegetumque retinere. Pſal. 103. verſ. 5. תִּתְחַדֵּשׁ *renovas te*, *tanquam aquila* (tanquam) *pueritiâ tuâ*, h. e. recentem te ſervas. Jun. & Tremell.

*Vincire* pro vinctum detinere. Marc. 5. ℣ſ. 3. *Et neque catenis quiſquam poterat ipſum*, (obſeſſum) δῆσαι, *vincire*, h. e. vinctum detinere. Vinciebant enim ipſum, ſed fruſtrâ, tandem rumpente eo catenas, ut verſ. 4. dicitur. Conveniunt hæc ferè cum exemplis canonis 2. ſed ſpecialiùs huc pertinent.

2. Cùm verbum *Incipiendi*, *actionis verbo connexum*, ipſam actionem exprimit.

Gen.

Gen. 9: 20. ויחל *Et cœpit Noach plantare vineam*, h. e. plantavit.

Num. 25: 1. ויחל *& cœpit fornicari populus.* Vulg. *Et fornicatus est populus.*

Matth. 16: 22. *Et assumens eum Petrus ἤρξατο ἐπιτιμᾷν αὐτῷ, cœpit increpare illum*, hoc est, increpavit.

Marc. 2. verf. 23. *καὶ ἤρξαντο, & cœperunt discipuli ejus progredi, vellentes spicas*, hoc est, progressi sunt, & vulsêre spicas. Sic cap. 4. verf. 1.

Luc. 3. verf. 8. *Facite fructus dignos pœnitentia, & ne ἄρξησθε λέγειν, cœperitis dicere*, h. e. dicatis.

Luc. 15: 24. *καὶ ἤρξαντο εὐφραίνεσθαι, & cœperunt lætari*, h. e. lætati sunt. Sic cap. 5: 21. c. 11: 29. c. 19: 37, 45. c. 20: 9.

Luc. 21: 28. *ἀρχομένων δὲ τούτων γίνεσθαι, incipientibus his fieri*, h. e. cùm hæc fiunt: quæ scilic. præcedentibus verf. 25, 26, 27. narrantur. Continent autem ea descriptionem ipsius diei extremæ, & consummationis mundi, ut ex Matth. 24: 29, 30. Marc. 13: 24. seqq. constat. Vide Exegesin Euangelico-Epistolicam, Domin. 2. Adventus.

Actor. 1: 1. *Primum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν, quæ cœpit Jesus facere & docere*, h. e. quæ fecit & docuit. Sic c. 2: 4.

Actor. 11: 15. *ἐν δὲ τῷ ἄρξασθαί με λαλεῖν, cùm autem inciperem loqui, cecidit Spiritus sanctus super illos, sicut & super nos in initio*, h. e. cùm loquerer. Ex collatione hujus loci cum superiore, qui huic respondet (cap. 10: 34. seqq.) apparet, hîc quoque ἄρχεσθαι λαλεῖν simpliciter esse accipiendum pro λαλεῖν. Neque enim cœperat tantùm loqui Petrus, sed fusè jam & copiosè de fide ac religione Christianâ disputaverat, & auditores instituerat, cùm Spiritus sanctus in eos est delapsus: ut esset ejus oratio fini, quàm principio propior. Ideò dixit Lucas illo loco (cap. 10: 44.) ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος, quod de eo non dixeris, qui vix loqui inceperit. Hæc optimè Casaubonus in notis.

Septuaginta interpretes hac locutione expressêre, quod Gen. 2: 3. emphaticè in Hebræo legitur. Ita enim vertunt: *κατέπαυσεν ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ, ὧν ἤρξατο ὁ θεὸς ποιῆσαι.*

Cæterùm ex hoc idiotismo explicant quidam illud Luc. 3: 23. *αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος: Et ipse erat incipiens quasi annorum triginta*, h. e. triginta annos integros natus erat, & jam trigesimum primum annum inibat. Sed non opus est huc recurrere; aliud enim est, Jesum ἄρχεσθαι τριακοστοῦ ἔτους: *incipere trigesimum annum;* aliud ἄρχεσθαι εἶναι τριάκοντα ἐτῶν, *incipere esse triginta annorum*, seu 30. annos natum, (quâ ratione Epiphanius contra Ebion. & Anoët. legit, sic nempè: ἦν δὲ Ἰησοῦς ἀρχόμενος εἶναι ὡς ἐτῶν τριάκοντα, ὢν υἱός, ὡς ἐνομίζετο τοῦ Ἰωσὴφ, h. est, *Jesus autem incipiebat esse quasi triginta annorum, filius, ut existimabatur, Josephi.* Quam lectionem maximè probat Beza.) *Prius* trigesimum annum inceptum; *posterius* eundem completum, & trigesimum primum inceptum notat. Scaliger lib. 6. de emend. temp. pag. 255. addit insuper, ὡσεὶ h. l. esse non ἀπορητικόν, sed ἀληθινόν, respondens Hebræorum Caph veritatis, ut in illo Joh. 1: 14. δόξαν ὡς μονογενοῦς: ut verè triginta Christo tribuantur anni vertentes. D. Chemnitius de particula ὡσεὶ, quam non rectè quidam intelligunt, sic loquitur cap. 3. proleg. harmon. Euang. pag. 24. *Quòd verò prima opinio sentit, Christum tantùm viginti novem annos & dies tredecim natum fuisse, cùm baptizaretur, hoc particula ὡσεὶ non admittit. Sicut enim quando dicitur; erant quasi quinque millia; non intelligitur, quòd fuerint tantùm quatuor millia, & ultrà, vel decem vel triginta, sed quòd numerus non procul abfuerit à quinque millibus. Aliàs enim diceretur: erant quasi quater mille. Ita si Lucas voluisset notare annos tantùm 29. & paucos dies, tredecim scilicet ultrà, non dixisset: erat quasi triginta annorum: sed quasi viginti novem annorum* &c. Ibidem alium explicationis commodæ fontem Chemnitius aperit, his verbis: *Alii duo illa vocabula, ἀρχόμενος ὢν, non referunt ad supputationem annorum: sed ita interpretantur: Jesus ἀρχόμενος, hoc est, cùm in baptismo à Patre inauguratus incboaret ministerium suum, erat quasi triginta annorum, ὢν, existens, sicut putabatur, filius Josephi &c. Et hæc interpretatio concinna est, & optimè convenit cum Grammatica.* Hæc ille. Et tantum de verbo ἄρχεσθαι, *incipere.*

Pertinet etiam huc verbum [a] ἐπιχειρεῖν, *aggredi aliquid facere*, pro facere. Luc. 1: 1. *Quoniam multi ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι, aggressi sunt contexere narrationem earum, quæ inter nos certissimæ fidei sunt, rerum:* h. e. ἀνετάξαντο, contexuerunt. Interpretes putant (verba sunt & hæc Cl. Casauboni in notis) de Pseudoapostolis loqui Euangelistam, propter verbum ἐπεχείρησαν, quasi innuat Lucas, hos quidem ἐπιχειρῆσαι, sed non τελειῶσαι, ut Theophylact. interpretatur. Et sanè ἐπιχειρεῖν, si propriam significationem spectes, nihil aliud est, quàm aggredi & incipere aliquid. Verùm si necessariò ex eo consequitur, hos, quod susceperant & instituerant, non perfecisse, quia ἐπιχειρῆσαι tantùm dicuntur, quid dicemus de simili ejusdem Lucæ loco, initio Actorum, ubi scripsisse se ait περὶ ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ

[a] ἐπιχειρεῖν.

*τε καὶ διδάσκειν?* Fortasse igitur sunt ista simpliciùs accipienda, pro *ἀνετάξαντο*, & *ἐποίησεν*. Nam & apud Latinos scriptores sæpè, *incipere facere, & instituere facere*, nihil aliud significant, quàm facere, ut summus quidam vir rectè observavit. Lucretius lib. 5. *Ut nostra quicquam causa facere aggrediantur:* id est, *ὥστε ἐπιχειρεῖν αὐτὰς τι ποιεῖν ἡμῶν χάριν;* quod nihil aliud est, quàm *facere* vel *gerere*. Hoc si doctis viris probetur, erit hæc sententia: ut exemplo aliorum impulsum se dicat Lucas ad hanc scriptionem: non quòd fidem illorum haberet suspectam, sed ut rem totam paulò altiùs repeteret: & simul efficeret, ut pluribus testibus hujus sanctissimæ historiæ fides fulciretur. Sane de Pseudoapostolis si locutus fuisset Lucas, nescio an tàm leniter eos perstrinxisset.

Tandem huc referunt quidam Deut. 1:5. *Cœpitque Moses explanare legem.* LXX. *ἤρξατο διασαφῆσαι μωυσῆς τὸν νόμον*, hoc est, *διεσάφησεν.*, *explanavit*. Sed in Hebræo est verbum הוֹאִיל *voluit, acquievit*, placuit. Unde rectiùs vertitur, הוֹאִיל בֵּאֵר *placuit, explicavit*, hoc est, placuit Mosi explicare legem &c.

## *Nota.*

In specie Forsterus in præfat. Dictionarii Hebr. num. 50. & alii, hunc tradunt canonem: *Verba apud Hebræos, quibus vel dehortantur, vel deprecantur, accipienda sunt completivè.* Ut: *Ne timeas*, id est, opprimi te sinas timore. Sic, in oratione Dominica: *Et ne nos inducas in tentationem*, h. e. ne sinas nos obrui seu opprimi in tentationibus.

## Canon IV.

*Verbum quandoque de continuatione rei significata intelligendum.*

Alii sic proponunt: *Res in sacra Scriptura sæpè fieri dicitur, quando continuatur vel augescit.* Alii sic: *Videtur aliquando actio nova, cùm sit veteris continuatio vel incrementum.*

Genes. 15. vers. 6. *Credidit Abraham Deo, & reputavit illud ei ad justitiam.* Jam ante crediderat Abrahamus, teste Apostolo Hebr. 11. vers. 8. Credidisse igitur hic dicitur, quia ejus fides continuata & magis confirmata fuit.

Exod. 18: 11. *Nunc agnosco, magnum esse Jehovam præ omnibus diis.* Agnoscere dicitur, quòd novum fidei argumentum acceperit, quodque notitia fidei ejus novâ *ἀποδείξει*, ex relatione Mosis desumta, confirmata fuerit. Nec enim veræ Dei notitiæ prorsus expers fuisse Jethro dicendus est.

Lev. 6: 5. (al. 12.) *Et ignis altaris* תּוּקַד־בּוֹ *fiat, ut urat in illo*, h.e. alatur, seu continuetur ejus ustio, subinde sc. materiâ suppeditatâ. Conf. v. 5, 6.

Lev. 26: 11. *Et ponam tabernaculum meum inter vos*, h. e. gratiosam habitationem vobiscum continuabo: positum vobiscum tabernaculum non auferam, sed pro fide & veritate mea stabiliam in perpetuum, *ἀνθρωποπαθῶς* dictum. Confer v. 12.

Jos. 24. vers. 14. *Quare nunc timete Jehovam, & colite eum integrè & fideliter.* Agitur de continuatione pietatis, ut patet ex vers. 16, 21.

2 Paral. 29: 11. *Filii mei, nunc ne erretis*, h. e. ne persteteris in errore, in quo cultum Dei, ad quem electi estis, omisistis.

Jer. 7: 3. *Bonas efficite vias vestras, & actiones vestras* וַאֲשַׁכְּנָה אֶתְכֶם *tùm faciam, ut habitetis in loco hoc*, h. e. porrò conservabo vos in habitatione vestra, in loco hoc, ut non deportemini ex illo, ut R. Kimchi rectè explicat. Sic v. 7. Confert is locum Num. 31: 15. הַחִיִּיתֶם *an vivificastis omnes fœminas?* h. e. הֶעֱמַדְתֶּם אוֹתָן בַּחַיִּים *conservastis eas in vita.* Quò pertinent & alia, quibus verbum *vivificandi* pro conservatione in vita accipitur.

Luc. 11: 13. *Quanto magis pater cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus ab ipso?* h. est, dona Spiritus sancti augebit, & incrementa eorum dabit. De prima collatione donorum Spiritus sancti intelligi non potest, cùm absque Spiritu sancto preces Deo gratæ fieri non possint, Zachar. 12. vers. 10. 1 Corinth. 12. vers. 3. Et loquitur Christus cum Apostolis, qui primitias Spiritus sancti donorum jam tùm acceperant.

Joh. 2: 11. *Et crediderunt in eum discipuli ejus*, hoc est, in fide confirmati fuêre isto miraculo, quòd ipse esset promissus Messias. Jam antè enim in ipsum credebant, ut apparet ex cap. 1: 41, 42.

Joh. 14: 1. *Creditis in DEUM, & in me credite*, h. e. pergite credere. Confortetur fides vestra, & *ne turbetur cor vestrum*, uti in principio dixit. Sic cap. 16: 30.

Joh. 14: 29. *Et nunc dixi vobis, antequam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.* August. tract. 79. in Joh. *Creditur hoc* (quòd ipse esset Christus, Filius Dei vivi) *non fide novâ, sed auctâ: aut certè cùm mortuus esset, defectâ, cum resurrexisset, refectâ. Neque enim eum DEI filium*

*lium non antè credebant; sed cùm in illo factum esset, quod antè prædixit, fides illa, quæ tunc, quando illis loquebatur, fuit parca, & cùm moreretur, penè jam nulla, & revixit, & crevit.*

Joh. 20. verf. 22. *Accipite Spiritum sanctum.* De Spiritus sancti donorum incremento id accipiendum: nam alioquin primitias Spiritus acceperant. Et quia novo symbolo (flatu scil. oris) collationis Spiritus sancti Christus utebatur, perinde loquitur, ac si tùm primùm acciperent.

Actor. 10: 34. *In veritate comperior, quòd non est personarum acceptor Deus.* Comperiri se id Petrus ait, non quòd anteà ignoverit, sed quòd per miracula & novam visionem incrementum notitia sua sumserit: seu quòd novam eamque illustrem ἐμπειρίαν hujus rei adeptus fuerit.

Huc pertinet verbum, ἀνανεῦσθαι & ἀνακαινοῦσθαι, *innovari* seu *renovari*, quod pro incremento novitatis à Spiritu sancto collatæ crebrò accipitur. De quo hæc Flacius part. 1. clav. script. col. 460. Innovari pro crescere. Job. 29: 20. *Gloria mea innovatur apud me*: pro, subinde crescit & augescit, & tanta incrementa accipit, ac si nunc primùm prorsus ac ex novo, aut nova mihi donaretur. Sic Psal. 51: 12. *Spiritum promptum innova in visceribus meis;* pro subinde magis ac magis auge. Nam Sp. S. non innovatur ratione suæ essentiæ, sed ejus donum subinde magis ac magis augetur à Deo. Sic Psal. 103: 5. *Renovabitur sicut aquila juventus tua*, id est, vis ac vigor tuus augebitur. Sic 2 Cor. 4: 16. *Is qui intus est homo, subinde innovatur*, pro, crescit. Eodem modo accipiendum est & illud Eph. 4: 23. *renovamini Spiritu mentis vestræ.* Col. 3: 10. clare innovari pro crescere ponitur; inquit enim Apostolus: *Exuite veterem hominem, cum suis actionibus, & induite novum, qui renovatur ad agnitionem, secundum imaginem ejus, qui condidit ipsum.* Novus homo non potest innovari, sicut nec vetus inveterari: Sed carnalis homo renovatur, id est, in novum hominem mutatur: Et postea ille novus homo subinde magis ac magis crescit & augetur, donec maturescat in virum perfectum.

## Nota.

Huc pertinet, quando verbum aliquod de *restauratione* vel *confirmatione* rei, per illud significatæ, accipitur.

Gen. 4: 26. *Tunc cœptum est invocari seu prædicari in nomine Domini.* Intelligendum hoc de insigni quadam ministerii ac cultus divini instauratione: nam indubiè primi parentes anteà invocaverant & prædicaverant nomen Domini. Confer annotationem Lutheri & Junii.

Deut. 10: 8. *Tempore illo separavit Jebova tribum Leviticam ad portandum arcam fœderis Jebova* &c. h. e. jam ante separatam ad officia sacra, in functione eadem confirmavit: videlicet Eleazare suffecto in locum Aharonis, Num. 20: 25. seqq. & Pinehaso confirmato, Num. 25: 11. seqq. &c. Vide Jun.

Joh. 1: 17. *Lex per Mosen data est.* De solenni Legis promulgatione id accipiendum, cum ante Mosen etiam Decalogus, & multa ceremonialia fuerint, ut Sabbatum, circumcisio, sacrificia, lex mundorum & immundorum animalium &c. Sic & Gal. 3: 17. ubi in promulgatione solenni *lex* dicitur γεγονὼς *facta*, h. e. solennissimè promulgata, confirmata & manifestata.

Joh. 11: 53. *Ab illo ergo die* συνεβουλεύσαντο *consilium inierunt, ut interficerent illum* (Jesum) Flacius part. 2. clav. pag. 312. *Dicuntur Judæi ab ea die iniisse consilium de interficiendo Jesu, cum id etiam antea decrevissent*, (vide Joh. 9: 22.) *sed tunc magis ac vehementius, quam unquam antea, cœperunt incumbere in ejus exitium.* Theophyl. in h. l. *Anteà quidem cædem ejus meditabantur, sed remissius, & quæstio magis erat, quàm sententia: nunc autem perfectum judicium & firma sententia*, Lyranus: *Licet ante habuissent voluntatem interficiendi ipsum, tamen ex consilio Cajaphæ definiverunt hoc adimplere, quamprimùm possent.*

Flacius d. l. huc etiam refert illud 2 Sam. 19. verf. 23. ubi David dicit, *se tunc primum Regem factum*, cum ab exilio revocaretur, & de novo Rex confirmaretur. In Hebræo hic nullum verbum est, sed substantivum verbum subintelligendum est, quod Junius expressit: *Nam nonne agnosco, hodiè me esse Regem super Israëlem.*

## Continuatio.

HActenus de verbo considerato respectu ipsius actionis, certo modo se habentis. Sequitur consideratio verbi *respectu causæ agendi.* Ubi hic generalis canon tradi potest: *a Verbum, certam actionem vel effectum exprimens, sæpius quasi retrò trahendum, & de causa actionis vel effectus intelligendum est.* Cæterum cum diversimodè se causa habeat, distinctæ etiam hic ponendæ sunt regulæ & observationes. Ita ergo progredior.

a Canon generalis, sequentes includens fere omnes. Distinctio.

Causa actionis in homine duplex est: *Facul-*

 *tas*

*tas & voluntas.* Et hæc *voluntas* consideratur vel ratione *normæ*, sive legis, ac debiti: vel ratione *sui ipsius.* Tum ἁπλῶς, quatenus simpliciter *vult & optat.* Tum ἐνεργητικῶς, quatenus *operatur.* Et quidem vel respectu *sui*, quatenus scil. vel *cum conatu;* vel cum *consuetudine* conjuncta est: Vel respectu *aliorum*, quibus aut *occasionem & causam agendi* præbet; aut *certam permittit.* Hinc igitur verba quædam, actiones & effectus certos denotantia, sunt intelligenda, 1. *de potestate & facultate.* 2. *De jure & debito.* 3. *De voluntate & voto.* 4. *De conatu.* 5. *De consuetudine.* 6. *De occasione.* 7. *De permissione.* Quæ clariora fiunt ex speciali exemplorum ἐξαριθμήσει, sequentibus septem regulis comprehensâ.

## Canon V.

*Verbum, quod actionem seu effectum notat, de facultate seu potestate agendi non raro intelligendum, & per* Possum, *cum proprio infinitivo, exponendum est.*

Breviùs; *Verba actionis agendi potestatem quandoque notant:* Alii: *Actus secundus pro actu primo ponitur.* Alii: *Consuetudo Scripturæ est, ut id dicatur fieri, quod aptum est, ut fiat; & aliquis id facere, quod ut faciat, facultatem vel auctoritatem habet.*

Gen. 16: 10. *Multiplicando multiplicabo semen tuum,* וְלֹא יִסָּפֵר *& non numerabitur præ multitudine*, h. e. non poterit numerari. Sic 1 Reg. 3: 8.

Exod. 9: 15. *Quia jam* שָׁלַחְתִּי *extendi manum meam,* וָאַךְ *& percussi te, & populum tuum, peste ista: sic fuisses excisus de terrâ:* h. e. extendere potuissem manum meam, & percutere potuissem te &c. Sequitur vers. 16. *Veruntatem propterea* הֶעֱמַדְתִּיךָ feci te *stare* (feci ut restares; inter ulcera maligna & lethalia peperci tibi, servavi te incolumem) *ut videre te facerem virtutem meam, & ad narrandum nomen meum in universa terra*, h. e. ut, quia subinde mihi contumaciter reluctaris, tandem in te potentiam meam gloriose demonstrem, & ut hac ratione celebretur nomen meum in omni terrâ, Rom. 9: 17.

2 Reg. 5: 12. *An non melior est Abana & Pharphar flumina Damasci, omnibus aquis Israelis? an non* אֶרְחַץ *lavabo me in illis, & mundus ero?* h. e. lavare potero seu possem.

Job. 9: 6. *Qui commovet terram è loco ejus, & columnæ ejus contremiscunt*, v. 7. *Qui præcipit Soli, & non oritur*, h. e. qui commovere potest terram è loco suo: qui præcipere potest Soli, ut non oriatur. Quidam in *posteriori* membro periphrasin *noctis* esse dicunt: sequitur enim, *& circa stellas* obsignat, quæ periphrasis *diei* est, quo quasi obsignatæ stellæ occultantur à conspectu nostro.

Psal. 22: 18. אֲסַפֵּר *numerabo omnia osse mea*, h. e. numerare possem: videl. præ macie seu distractione violentâ.

Prov. 20: 9. מִי יֹאמַר *quis dicet, purificavi cor meum, mundus sum à peccato meo?* h. e. quis dicere possit? Vide can. 14. §. 5.

Esa. 49: 15. הֲתִשְׁכַּח *num obliviscetur mulier fœtus sui*, h. e. oblivisci poterit.

Zach. 2. vers. 8. (al. 4.) *Absque muris habitabitur Jerusalem*, h. e. habitari poterit: videlicet ob meum (Jehovæ) præsidium & tutelam, *ero enim murus igneus circumquaque & gloriosus ero in medio ejus*, vers. 9. Fuit enim aliàs civitas muro ab Esdrâ septa, imo, ut Josephus tradit, triplici. Qui hanc interpretationem amplectuntur, ii vocem פְּרָזוֹת *pagos*, ita accipiunt, ac si similitudinis vocula deesset: *Jerusalem* כִּפְרָזוֹת *sicut pagi habitabitur*, h. e. sine muris, instar pagorum. Alii: *Per pagos habitabit Jerusalem*, h. e. habitabunt cives Jerusalem (per metonymiam) id est, innumera erit civium Ecclesiæ multitudo. Confer. cap. 1: 17. Pertinent huc pulchra Lutheri verba in comment. h. l. tom. 4. Jen Germ. f. 247. Diese Wort mögen nicht vom leiblichen Jerusalem verstanden werden / denn sie ward gebauet mit Mauren / wie eine Stadt zu bauen ist / wie wir lesen im Esra und Nehemia. So ists auch nicht geschehen / daß Jerusalem ohne Mauren gewesen wäre / ohn da sie wüst war. Aber hie spricht er / sie sollen nicht wüst / sondern bewohnet werden / so voll / daß für grosser Menge der Menschen keine Maur drum seyn könte &c. Aber er will damit anzeigen / daß Jerusalem soll so ein groß Dorff werden / so weit die Welt ist / umb welche man nicht kan eine Maur machen / umb der Menge willen der Menschen / das ist / das Reich Christi soll über alle Welt kommen / und der Segen Abrahä verheissen soll unter alle Heyden ausgebreitet werden.
„ Also führet Lyra einen Jüdischen Rabbi
„ oder Meister uber diesen Propheten / der
„ spricht / daß zur Zeit Messias solle Jeru-
„ salem so groß werden / daß ihre Mauren

„ der

„ der Welt Ende seyn werden. Der hat „ etwas gesehen / noch glauben die Jüden „ nicht. Es kan ja nicht von dem leiblichem „ Jerusalem geredet werden / &c.

Matth. 7: 16. *Nunquid colligunt de spinis uvam, aut de tribulis ficum?* hoc est, colligere poterunt.

Matth. 12: 31. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus*, hoc est, remitti potest. Sic v. 32. Nam alioqui non omnia peccata ejusmodi actu remittuntur, impœnitentibus scil. & incredulis.

Luc. 4: 6. *Cui volo, do illam* (gloriam mundi) h. e. possum dare.

Rom. 9: 19. *Voluntati ejus quis resistet?* h. e. resistere poterit?

Rom. 10: 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt*, h. e. invocare potuerunt.

1 Cor. 2: 15. *Spiritualis autem ἀνακρίνει, dijudicat omnia*, h. e. dijudicare potest. *Et ipse à nemine ἀνακρίνεται dijudicatur*, h. e. dijudicari potest. Dn. D. Frantz. *Reliquos, qui non acceperunt Spiritum Sanctum, ut tunc Apostoli acceperant, vocat animales, se & Apostolos spirituales, & addit, quod animales isti non possint dijudicare Apostolos; è contra quod spirituales illi Apostoli possint omnium aliorum dicta & omnes doctrinas dijudicare, & quod ipsi non patiantur, se dijudicari ab aliis.*

## Canon VI.

*Verbum, quod actionem seu effectum notat, de Jure & debito quandoque intelligendum, & per* Debeo, *cum proprio infinitivo, exponendum est.*

ALii: *Verba Hebræorum sæpè non actum, sed debitum vel officium significant.*

Genes. 20: 9. *Opera, quæ non* יֵעָשׂוּ *fient, fecisti mecum*, hoc est, quæ fieri non debent, seu quæ non sunt facienda. Sic Lev. 4: 7. *Anima cum peccaverit per errorem, præter omnia mandata Dei* (peccatis) *quæ non* תֵעָשֶׂינָה *fient*, h. e. quæ non debent fieri, seu quæ non sunt facienda. Sic & vers. 13, 22, 27.

Neh. 5: 8. *Nos* קָנִינוּ *comparamus fratres nostros, Judæos &c.* h. est, comparare tenemur, ex lege videl. Lev. 25: 47. seqq.

Psal. 32. vers. 8. *Erudiam te, & docebo te, quâ viâ* תֵלֵךְ *ibis seu ambulabis*, h. e. ambulare debes.

Ezech. 34. vers. 2. *Væ pastoribus Israelis*, אֲשֶׁר הָיוּ רוֹעִים אוֹתָם *qui pascunt eos*, h. e. qui debeant pascere: Sic in sep. *Annon grex* (sunt, quem) יִרְעוּ *pascent pastores*, h. e. pascere debent.

Malach. 1: 6. *Filius* יְכַבֵּד *bonorat patrem, & servus Dominum suum*, h. e. honorare debet. Officium & debitum filii est, honorare patrem; & servi, honorare dominum.

Malach. 2. vers. 7. *Labia sacerdotis* יִשְׁמְרוּ *custodient* vel *observabunt scientiam*, h. e. observare debent. Des Priesters Lippen sollen die Lehre bewahren. Patet hoc ex vers. 8. *Vos recessistis de via.*

Ἀναλόγως referri huc potest, *cum Deus de se loquitur, quod aliud agat, hoc est, agere debeat*, Exod. 33. vers. 5. *Et dixit Jehova ad Mosen; edic filiis Israel, vos estis populus durus cervice; momento uno* אֶעֱלֶה *ascendam in medio tui*, וְכִלִּיתִיךָ *& consumam Te*, h. e. ascendere & consumere te deberem. Sequitur: *nunc itaque depone ornamentum tuum à te, ut sciam, quid sim facturus te.* q. d. In justitiâ meâ te perdere debeo, sed ex misericordia te servabo, si pœnitentiam seriò egeris.

* Matth. 2. vers. 6. *Sciscitabatur ab illis* (Herodes à scribis) *ποῦ ὁ χριςὸς γεννᾶται, ubi Christus nascitur*, hoc est, ubi debebat nasci, secundum oracula scilic. prophetarum. Vel etiam simpliciter: ubi nasciturus erat, per enallagen. Matth. 18. vers. 21. *Quoties dimittam fratri meo?* hoc est, dimittere debeo. * Ex N. T.

Matth. 26: 52. *Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt*, h. e. perire debent, seu gladio ut parcutiantur, digni sunt, & sic promeruêre. Nam aliàs de facto multi homicidæ evadunt hanc ordinariam magistratus pœnam.

Luc. 3: 14. *Et nos quid faciemus?* h. e. facere debemus: quænam sunt officii nostri partes, ut Deo placentem vitam traducamus?

Luc. 7: 42. *Non habentibus illis, unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit?* h. e. diligere debet. Salmeron. in h. l. *Non quærit, quid evenire soleat, sed quid ex ratione beneficii evenire deberet; ideo v. 47. subditur: & cui minus dimittitur, minus diligit, h. e. minus ex beneficio accepto ad dilectionem impendendam obligatur.*

Hebr. 5: 4. *Et non sibi sumit quis honorem, nisi qui vocatus est à Deo, sicut & Aharon;* h. est, sumere debet. Verus ac legitimus Sacerdos debet habere divinam ad hoc officium vocationem. De jure, non de facto sermonem h. l. esse, ex illius temporis ratione patet, quo scilicet venalis erat Pontificatus, ut ex Josepho videre est.

## Canon VII.

*Verbum, quod actionem seu effectum notat, de voluntate & voto agendi non raro intelligendum, & per* Volo *seu* Opto, *cum proprio infinitivo exponendum est.*

GEn. 24. vers. 58. הֲתֵלְכִי *num ibis cum viro hoc? & dixit* אֵלֵךְ *ibo*, h. est, visne ire? volo ire.

Exod. 12: 48. *Et si peregrinabitur apud te peregrinus,* וְעָשָׂה *& fecerit pascha Jehovæ, circumciditor ei omnis mas &c.* h. e. & facere voluerit.

Exod. 16: 23. *Quod coquetis, coquite, & quod elixabitis, elixate*, hoc est, coquere & elixare vultis.

1 Sam. 21: 9. *Si eum accipies tibi, accipe*, h. e. si vis accipere.

Matth. 5: 23. *ἐὰν προσφέρῃς, si obtuleris munus tuum super altari*, h. e. si vis vel in animo habes offerre. Nam reconciliatio fieri debet ante oblationem, ut sequentia declarant.

Matth. 13. vers. 13. *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt neque intelligunt*, h. est, non volunt videre, audire, intelligere, uti vers. 15. exponitur.

Matth. 23: 8. *Vos autem μὴ κληθῆτε ne vocemini Rabbi*, ne optetis, desideretis, vel affectetis ita vocari, uti ex antithesi v, 6, 7, 8. apparet. Damnatur à Christo ambitio. Theophyl. in h. l. *Probibet Christus τὸ ἐμπαθῶς θέλειν καλεῖσθαι, tantâ affectione velle vocari Rabbi, & omnibus modis curare, ut quis ita vocetur.*

Luc. 11. vers. 52. *Ipsi non intratis, & τοὺς εἰσερχομένους intrantes probibetis*, h. e. intrare volentes.

Luc. 22. vers. 26. *Qui major est in vobis, fiat sicut junior; & qui praeest aliis, ut ministrans*, hoc est, qui major seu maximus esse desiderat: qui præesse aliis vult seu cupit: uti explicatio habetur Matth. 20: 22. Marc. 10. vers. 43.

Joh. 15: 15. *Servus nescit, quid faciat ipsius Dominus*, h. e. quid facere velit seu cogitet: quid in animo agendum conceperit.

Act. 7: 26, *Sequenti vero die conspectus est (Moses) ipsis litigantibus, καὶ συνήλασεν αὐτοὺς, & redegit eos in conconcordiam*, h. e. redigere in concordiam seu reconciliare eos voluit, & conatus id etiam est. Potest igitur ad sequentem quoque canonem referri.

1 Cor. 10: 22. *An provocamus Dominum?* hoc est, provocare voluerimus, q. d. minimè vobis hoc suadeo.

Hebr. 2: 10. *Decebat enim eum, qui multos filios in gloriam adducebat*, h. e. adducere volebat; credentes videl. quos in filios (Deus) receperat.

## Canon VIII.

*Verbum, quod actionem seu effectum notat, de conatu agendi quandoque intelligendum, & per* Conor, *cum proprio infinitivo exponendum est.*

SEu: *Sapè fieri dicitur, quod fieri tentatur aut quaritur.*

Gen. 37: 21. *Et audivit Ruben*, וַיַּצִּלֵהוּ *& eripuit eum ex manu eorum*, h. e. eripere conabatur vel satagebat, ut v. 22. exponitur.

Exod. 8: 14. וַיַּעֲשׂוּ *& fecerunt similiter &c.* August. locut. de Exod. lib. 2. *Fecerunt, dictum pro eo, quod est, conati sunt facere. Nam utique si fecerunt similiter procul dubio eduxerunt cyniphes: Sed quia sequitur, ut educerent, & non poterant, non ergò similiter fecerunt, sed similiter facere conati sunt: Aut si fortè & ipsi, quamvis veneficiis agerent, eadem tamen agendi specie virgam extendebant, quod scriptura non expressit.*

Deut. 26: 5. *Et respondebis, & dices coram Jebova DEO tuo:* אֲרַמִּי אֹבֵד אָבִי *Syrus perdens (erat) patrem meum*, hoc est, conatus est perdere. Targ. לָבָן אֲרַמָּאָה בְּעָא לְאוֹבָדָא יָת אַבָּא *Laban Syrus quærebat perdere patrem meum.* Laban enim, qui Gen. 28: 5. dicitur אֲרַמִּי *Syrus* dura servitute premebat Jacobum, & persequebatur in patriam redeuntem, ut Gen. 31. 23. narratur. Est autem אוֹבֵד in Kal. pro מְאַבֵּד *perdens*, in Piel, permutatâ conjugationum significatione. Vel quia de Syro loquitur, Syro-Chaldæam etiam vocem adhibuit. Est enim אוֹבֵד Chaldæis; אוֹבֵד Syris, transitivum verbum, in tertia conjugatione Aphel. (Simile vocis Syriacæ exemplum est 2 Reg. 6: 9. *Cave tibi, ne transeas per locum, nam ibi Syri* נְחִתִּים *demissi* seu *descendentes* sunt, scilicet ad insidiandum. Hic quia de Syris loquitur, Syriacâ etiam voce fuit usus propheta נְחִתִּים enim pro נֹחֲתִים ex forma nominis participialis est, passivi Chaldaici & Syriaci.) Quidam exponunt: *Syrus periens* (h. e. miser) *erat pater meus:* & Jacobum vocari *Syrum* ajunt, quia

viginti

viginti annorum servitutem apud socerum in Syria servivit. Præterea matre Syrâ natus, uxores quoque Syras duxit, liberosque omnes (excepto uno Benjamine) in Syria procreavit, comparatis etiam sibi ibidem maximis facultatibus. Confer Fullerum lib. 3. miscell. sacr. c. 20.

Psa. 69: 5. מַצְמִיתַי *qui exscindunt me*, h. e. exscindere me conantur, cum tamen non possint. Loquitur Christus de hostibus suis.

Ezech. 24: 13. טִהַרְתִּיךְ *mundavi te, & non es mundata, ab immunditia tua non mundaberis amplius, donec fecero, ut quiescat æstus iræ meæ in te. Mundavi te*, h. e. mundare conatus fui, toties ac tam diu per prophetas tibi pœnitentiam inculcando & imperando, 2 Par. 36: 15. Alterum *non es mundata*, idem est, ac non voluisti mundari, pertinetque ad præcedentem regulam.

Amos 9: 3. וְאִם יִסָּתְרוּ *Et si occultarent se à conspectu oculorum meorum in fundo maris*, h. e. si occultare se conarentur.

Joh. 5: 34. *Ego ab hominibus testimonium* οὐ λαμβάνω, *non accipio*, h. e. accipere studeo vel conor. Sic vers. 41. Et v. 44. *Quomodo potestis credere, gloriam à vobis invicem* λαμβάνοντες, *accipientes*, h. e. accipere conantes, seu gloriam quærentes & captantes, studio gloriæ vanæ ducti. Patet hæc expositio ex membro opposito hujus versus.

Act. 17: 15. οἱ δὲ καθιστῶντες τὸν Παῦλον, *qui verò Paulum constituebant*, h. e. qui conabantur, seu in eo toti erant, ut Paulum constituerent, nempè εἰς τὸ ἀσφαλὲς, in tuto. Deduxerunt enim isti Paulum Athenas hoc fine, ut per ignotas regiones in eum usque locum perducerent, ubi ab hostium insidiis tutus esset.

Rom. 2: 4. *Benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit*, h. e. adducere conatur. 1 Cor. 10: 33. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo*, h. e. placere conor, pietate sc. & honestate prælucente, & in salutem hominum, uti in textu sequitur. Omnibus ut placeamus, debemus studere, *non omnium affectibus serviendo, sed infirmitatibus compatiendo*. Confer Rom. 15: 1, 2. Sic 1 Thess. 2: 4. *Non ut hominibus placentes*, h. e. placere conantes & satagentes. Confer Gal. 1: 10.

Gal. 5: 4. *Ex gratia excidistis, qui per legem* δικαιοῦσθε, *justificamini*, h. e. justificari conamini. Confer cap. 4: 21. Quidam κατὰ μίμησιν καὶ δόκησιν interpretantur, *qui putatis & gloriamini* (licet falsò) *vos per legem justificari*. Eodem res redit, & sunt hæc connexa.

## Canon IX.

*Verbum, quod actionem seu effectum notat, de consuetudine agendi quandoque intelligendum, & per* Soleo, *cum proprio infinitivo, exponendum est.*

GEn. 6: 21. *De omni cibo, qui* יֵאָכֵל *comeditur*, h. e. comedi solet.

Gen. 29: 26. *Et dixit Laban:* לֹא יֵעָשֶׂה כֵן *non fiet sic in loco nostro*, hoc est, non solet ita fieri. Loci consuetudinem Laban post nuptias suo obducit dolo, quæ in contractu sponsalitio fuerat exprimenda.

Deut. 1: 44. *Persecuti sunt vos, ut* תַּעֲשֶׂינָה *faciunt apes*, h. e. facere solent.

1 Sam. 2: 6. *Jehova morte afficit, & in vitam restituit, demittit in infernum, & educit*, v. 7. *Jehova depauperat, & ditat, deprimit, etiam extollit &c.* h. e. ita facere solet: Hic est mos Dei, ut prius morte afficiat, pòst in vitam reducat &c.

1 Sam. 20: 2. *Ecce Pater meus non facit quicquam, quod me non faciat scire*, h. e. non solet facere quicquam.

Ibid. v. 5. *Ecce novilunium est cras, quo ego sedendo sedeo cum Rege ad comedendum*, h. e. omnino sedere soleo.

1 Sam. 23: 22. *Calliditate utendo callidè agit ipse*, h. e. callidè agere solet.

Marc. 15: 6. *Die autem festo* ἀπέλυε, *dimittebat eis unum ex vinctis*, h. e. dimittere solebat, uti Matth. 27: 15. explicatur. Sic cap. 14: 12.

Joh. 4: 9. οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις, *non enim commercium habent, seu familiariter conversantur Judæi cum Samaritis*, h. e. non solent hoc facere.

Joh. 12: 20. *Erant autem quidam Græci* ἐκ τῶν ἀναβαινόντων, *ex iis, qui ascendebant, ut adorarent die festo*, h. e. qui ascendere solebant. Confer 1 Reg. 8: 41.

1 Cor. 9: 24. πᾶς δὲ ἀγωνιζόμενος, *quisquis certat, in omnibus est continens*, h. est, certare solet, sive qui gymnasticen exercet. Potest etiam dici, *participium pro nomine usurpari*, ἀγωνιστής, pugil, certator.

## Canon VII.

*Verbum, quod actionem seu effectum notat, de voluntate & voto agendi non rarò intelligendum, & per* Volo *seu* Opto, *cum proprio infinitivo exponendum est.*

GEn. 24. verf. 58. הֲתֵלְכִי *num ibis cum viro hoc? & dixit* אֵלֵךְ *ibo*, h. est, visne ire? volo ire.

Exod. 12: 48. *Et si peregrinabitur apud te peregrinus*, וְעָשָׂה *& fecerit pascha Jehova, circumciditor ei omnis mas &c.* h. e. & facere voluerit.

Exod. 16: 23. *Quod coquetis, coquite, & quod elixabitis, elixate*, hoc est, coquere & elixare vultis.

1 Sam. 21: 9. *Si eum accipies tibi, accipe*, h. e. si vis accipere.

Matth. 5: 23. *ἐὰν προσφέρῃς, si obtuleris munus tuum super altari*, h. e. si vis vel in animo habes offerre. Nam reconciliatio fieri debet ante oblationem, ut sequentia declarant.

Matth. 13. verf. 13. *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt neque intelligunt*, h. est, non volunt videre, audire, intelligere, uti verf. 15. exponitur.

Matth. 23: 8. *Vos autem μὴ κληθῆτε ne vocemini Rabbi*, ne optetis, desideretis, vel affectetis ita vocari, uti ex antithesi v, 6, 7, 8. apparet. Damnatur à Christo ambitio. Theophyl. in h. l. *Probibet Christus τὸ ἐμπαθῶς θέλειν καλεῖσθαι, tantâ affectione velle vocari Rabbi, & omnibus modis curare, ut quis ita vocetur.*

Luc. 11. verf. 52. *Ipsi non intratis, & τοὺς εἰσερχομένους intrantes probibetis*, h. e. intrare volentes.

Luc. 22. verf. 26. *Qui major est in vobis, fiat sicut junior; & qui praeest aliis, ut ministrans*, hoc est, qui major seu maximus esse desiderat: qui præesse aliis vult seu cupit: uti explicatio habetur Matth. 20: 22. Marc. 10. verf. 43.

Joh. 15: 15. *Servus nescit, quid faciat ipsius Dominus*, h. e. quid facere velit seu cogitet: quid in animo agendum conceperit.

Act. 7: 26, *Sequenti vero die conspectus est (Moses) ipsis litigantibus, καὶ συνήλασεν αὐτοὺς, & redegit eos in conconcordiam*, h. e. redigere in concordiam seu reconciliare eos voluit, & conatus id etiam est. Potest igitur ad sequentem quoque canonem referri.

1 Cor. 10: 22. *An provocamus Dominum?* hoc est, provocare voluerimus, q. d. minimè vobis hoc suadeo.

Hebr. 2: 10. *Decebat enim eum, qui multos filios in gloriam adducebat*, h. e. adducere volebat; credentes videl. quos in filios (Deus) receperat.

## Canon VIII.

*Verbum, quod actionem seu effectum notat, de conatu agendi quandoque intelligendum, & per* Conor, *cum proprio infinitivo exponendum est.*

SEu: *Sapè fieri dicitur, quod fieri tentatur aut quaritur.*

Gen. 37: 21. *Et audivit Ruben*, וַיַּצִּלֵהוּ, *& eripuit eum ex manu eorum*, h. e. eripere conabatur vel satagebat, ut v. 22. exponitur.

Exod. 8: 14. וַיַּעֲשׂוּ *& fecerunt similiter &c.* August. locut. de Exod. lib. 2. *Fecerunt, dictum pro eo, quod est, conati sunt facere. Nam utique si fecerunt similiter procul dubio eduxerunt cynipbes: Sed quia sequitur, ut educerent, & non poterant, non ergò similiter fecerunt, sed similiter facere conati sunt: Aut si fortè & ipsi, quamvis veneficiis agerent, eadem tamen agendi specie virgam extendebant, quod scriptura non expressit.*

Deut. 26: 5. *Et respondebis, & dices coram Jehova DEO tuo:* אֲרַמִּי אֹבֵד אָבִי *Syrus perdens* (erat) *patrem meum*, hoc est, conatus est perdere. Targ. לָבָן אֲרַמָּאָה בְּעָא לְאוֹבָדָא יָת אַבָּא *Laban Syrus quærebat perdere patrem meum.* Laban enim, qui Gen. 28: 5. dicitur אֲרַמִּי *Syrus* dura servitute premebat Jacobum, & persequebatur in patriam redeuntem, ut Gen. 31. 23. narratur. Est autem אוֹבֵד in Kal. pro מְאַבֵּד *perdens*, in Piel, permutatâ conjugationum significatione. Vel quia de Syro loquitur, Syro-Chaldæam etiam vocem adhibuit. Est enim אוֹבֵד Chaldæis; אוֹבֵד Syris, transitivum verbum, in tertia conjugatione Aphel. (Simile vocis Syriacæ exemplum est 2 Reg. 6: 9. *Cave tibi, ne transeas per locum, nam ibi Syri* נְחִתִּים *demissi* seu *descendentes* sunt, scilicet ad insidiandum. Hic quia de Syris loquitur, Syriacâ etiam voce fuit usus propheta נְחִתִּים enim pro נָחֲתִים ex forma nominis participialis est, passivi Chaldaici & Syriaci.) Quidam exponunt: *Syrus periens* (h. e. miser) *erat pater meus:* & Jacobum vocari *Syrum* ajunt, quia viginti

viginti annorum servitutem apud socerum in Syria servivit. Præterea matre Syrâ natus, uxores quoque Syras duxit, liberosque omnes (excepto uno Benjamine) in Syria procreavit, comparatis etiam sibi ibidem maximis facultatibus. Confer Fullerum lib. 3. miscell. sacr. c. 20.

Psa. 69: 5. מַצְמִיתַי *qui exscindunt me*, h. e. exscindere me conantur, cum tamen non possint. Loquitur Christus de hostibus suis.

Ezech. 24: 13. טִהַרְתִּיךְ *mundavi te, & non es mundata, ab immunditia tua non mundaberis amplius, donec fecero, ut quiescat æstus iræ meæ in te. Mundavi te*, h. e. mundare conatus fui, toties ac tam diu per prophetas tibi pœnitentiam inculcando & imperando, 2 Par. 36: 15. Alterum *non es mundata*, idem est, ac non voluisti mundari, pertinetque ad præcedentem regulam.

Amos 9: 3. וְאִם יִסָּתְרוּ *Et si occultarent se à conspectu oculorum meorum in fundo maris*, h. e. si occultare se conarentur.

Joh. 5: 34. *Ego ab hominibus testimonium* οὐ λαμβάνω, *non accipio*, h. e. accipere studeo vel conor. Sic vers. 41. Et v. 44. *Quomodo potestis credere, gloriam à vobis invicem* λαμβάνοντες, *accipientes*, h. e. accipere conantes, seu gloriam quærentes & captantes, studio gloriæ vanæ ducti. Patet hæc expositio ex membro opposito hujus versus.

Act. 17: 15. οἱ δὲ καθιςῶντες τὸν Παῦλον, *qui verò Paulum constituebant*, h. e. qui conabantur, seu in eo toti erant, ut Paulum constituerent, nempè εἰς τὸ ἀσφαλὲς, in tuto. Deduxerunt enim isti Paulum Athenas hoc fine, ut per ignotas regiones in eum usque locum perducerent, ubi ab hostium insidiis tutus esset.

Rom. 2: 4. *Benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit*, h. e. adducere conatur. 1 Cor. 10: 33. *Sicut & ego per omnia omnibus placeo*, h. e. placere conor, pietate sc. & honestate prælucente, & in salutem hominum, uti in textu sequitur. Omnibus ut placeamus, debemus studere, *non omnium affectibus serviendo, sed infirmitatibus compatiendo.* Confer Rom. 15: 1, 2. Sic 1 Thess. 2: 4. *Non ut hominibus placentes*, h. e. placere conantes & satagentes. Confer Gal. 1: 10.

Gal. 5: 4. *Ex gratia excidistis, qui per legem* δικαιοῦσθε, *justificamini*, h. e. justificari conamini. Confer cap. 4: 21. Quidam κατὰ μίμησιν καὶ δόκησιν interpretantur, *qui putatis & gloriamini* (licet falsò) *vos per legem justificari.* Eodem res redit, & sunt hæc connexa.

## Canon IX.

*Verbum, quod actionem seu effectum notat, de consuetudine agendi quandoque intelligendum, & per* Soleo, *cum proprio infinitivo, exponendum est.*

Gen. 6: 21. *De omni cibo, qui* יֵאָכֵל *comeditur*, h. e. comedi solet.

Gen. 29: 26. *Et dixit Laban:* לֹא יֵעָשֶׂה כֵן *non fiet sic in loco nostro*, hoc est, non solet ita fieri. Loci consuetudinem Laban post nuptias suo obducit dolo, quæ in contractu sponsalitio fuerat exprimenda.

Deut. 1: 44. *Persecuti sunt vos, ut* תַּעֲשֶׂינָה *faciunt apes*, h. e. facere solent.

1 Sam. 2: 6. *Jehova morte afficit, & in vitam restituit, demittit in infernum, & educit*, v. 7. *Jehova depauperat, & ditat, deprimit, etiam extollit &c.* h. e. ita facere solet: Hic est mos Dei, ut prius morte afficiat, pòst in vitam reducat &c.

1 Sam. 20: 2. *Ecce Pater meus non facit quicquam, quod me non faciat scire*, h. e. non solet facere quicquam.

Ibid. v. 5. *Ecce novilunium est cras, quo ego sedendo sedeo cum Rege ad comedendum*, h. e. omnino sedere soleo.

1 Sam. 23: 22. *Calliditate utendo callidè agit ipse*, h. e. callidè agere solet.

Marc. 15: 6. *Die autem festo* ἀπέλυε, *dimittebat eis unum ex vinctis*, h. e. dimittere solebat, uti Matth. 27: 15. explicatur. Sic cap. 14: 12.

Joh. 4: 9. οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις, *non enim commercium habent, seu familiariter conversantur Judæi cum Samaritis*, h. e. non solent hoc facere.

Joh. 12: 20. *Erant autem quidam Græci* ἐκ τῶν ἀναβαινόντων, *ex iis, qui ascendebant, ut adorarent die festo*, h. e. qui ascendere solebant. Confer 1 Reg. 8: 41.

1 Cor. 9: 24. πᾶς δὲ ἀγωνιζόμενος, *quisquis certat, in omnibus est continens*, h. est, certare solet, sive qui gymnasticen exercet. Potest etiam dici, *participium pro nomine usurpari*, ἀγωνιςὴς, pugil, certator.

## Canon X.

*Verbum, quod actionem seu effectum notat, de occasione ejus quandoque intelligendum est.*

GEn. 42: 38. *Si obveniret ei* (Benjamini) *exitium in viâ, quâ ituri estis,* הוֹרַדְתֶּם *descendere facietis, seu demittetis canitiem meam cum mœrore in sepulcrum,* h. est, dabitis occasionem mortis meæ.

Gen. 43: 5. *Quare* הֲרֵעֹתֶם *malo affecistis me, quod indicastis viro illi &c.* h. e. cur occasionem huic malo meo dedistis, vestrâ narratione de fratre Benjamine. Sic Exod. 5: 22. *Domine, quare* הֲרֵעֹתָה *malè fecisti populo huic,* seu, *cur afflixisti populum hunc,* h. e. cur ei afflictionis majoris occasio fuisti; mittendo scil. me ad Pharaonem eumque hac ratione magis exacerbando contra populum tuum.

Exod. 23: 8. *Quia munus* יְעַוֵּר *excœcat oculatos, & pervertit verba justorum,* h. e. occasionem excœcationis & perversionis judicii subministrat.

Deut. 1. vers. 26. *Et noluistis ascendere,* וַתַּמְרוּ *& mutare fecistis os Jehovæ Dei vestri,* h. e. occasionem dedistis mutandi præstitutum Jehovæ. Fecistis, ut Deus aliud consilium vobis proponeret, quam quod habetur vers. 8. Sic & vers. 43. & Psal. 106. vers. 7. Psalm. 107. vers. 11.

2 Sam. 12. vers. 14. *Tantummodo, quia* נִאֵץ נִאַצְתָּ *irritando irritâsti inimicos Jehovæ in hac re &c,* h. e. quia plane occasionem dedisti irritationis hostium DEI, ad contemtim de eo loquendum. Chald. *Veruntamen, quia aperiendo aperuisti os hostium populi Jehovæ.* Quidam hoc de ipsâ Uriæ innoxii occisione per Ammonitas facta explicant. Alii de *captâ arcâ fœderis,* quæ in castris fuit, cap. 11: 11. *De ea enim cum multa miraculosa audivisset totus Oriens, & propter eam tunc temporis certissimam in illo bello victoriam sperarent Israelitæ, fieri non potuit, quin, arcâ ab hostibus captâ, & arcæ, & ipsi Jehovæ, & Israelitis illuserint & contemtim dixerint hostes.* Verum, cum arcæ fœderis in hoc prælio ab Ammonitis captæ nuspiam in textu extet vestigium, igitur simplicissimè videtur intelligendum, quòd David triumphationis de populo Dei, & consequenter ipsum Jehovam blasphemandi, occasionem præbuerit, cum scil. Urias cum aliis ab ipsis
„ trucidaretur, cap. 11. v. 17. Quid si etiam
„ hostes Dei incorporei intelligerentur? Dia-
„ boli videl. qui hoc tanto facinore Davidis
„ lætabundi, & ἐπιχαιρεκακίᾳ immani, Davi-
„ dem apud Deum accusabant, & pietatem,
„ quam in Davide Jehova extulerat, hypocri-
„ seos meræ nomine irridebant. Confer hi-
„ storiam Jobi. c. 1. & 2.

1 Reg. 14: 16. *Propter peccata Jerobeam, quibus peccavit, & quibus* הֶחֱטִיא *peccare fecit Israelem,* h. e. occasionem peccati & idololatriæ illis dedit: ad peccandum induxit, & exemplo & mandato. Sic cap. 15: 26.

1 Reg. 18: 9. *Et dixit* (Obadia) *quid peccavi, quod tu* נֹתֵן *tradis servum tuum in manum Achabi, ut morte afficiat me?* h. e. occasionem præbes mandato hoc tuo, qua Achab me sibi putans illudere, appetat vitam meam, ut explicatur v. 12.

Psal. 76: 11. *Cum æstus hominum* תּוֹדֶךָּ *celebrat te,* h. e. occasionem dat te celebrandi: cum æstuantes & insolentes adversùs te homines coercentur judicio tuo, ac proinde materiam præbent celebrandi tui.

Esa. 19: 11. אֵיךְ תֹּאמְרוּ *quomodo dicitis Pharaoni, filius sapientum sum, filius Regum antiquissimorum,* h. e. cur occasionem præbetis, & adulatione vestra efficitis, ut talia de se cogitet & gloriabundus proferat. Loquitur autem de Pharaone Sethone, qui tùm temporis in Ægypto regnabat, sacerdote Vulcani, viro stolido, ut refert Herodotus in Euterpe: quo mortuo omnia, prout à Prophetâ in hoc capite denunciata extant, evenerunt.

Esa. 43: 24. הֶעֱבַדְתַּנִי *servire me fecisti in peccatis tuis,* h. e. occasionem dedisti peccatis tuis, ut durissimam passionis servitutem & onus sustinerem: Sic &, quod sequitur. Sunt verba Salvatoris Christi.

Jer. 38: 23. *Et tu non eripies te ex manu eorum; sed manu Regis Babyloniæ prehenderis, & civitatem hanc* תִּשְׂרֹף *combures igni,* h. est, occasionem præbebis illam comburendi. R. Salomo: הרי אתה כאילו שרפת בידים שאתה גורם לה *idem est, ac si tu combussisses illam manibus, quia occasio & causa fuisti ejus mali.* Similia habet R. Kimchi. Junius & Tremellius in tertia persona vertunt: *Et civitatem hanc comburet igni:* Vel, ut in posteriori editione habetur: *Et civitas hæc comburetur igni:* ac si esset תִּשָּׂרֵף. Ita & Lutherus: Und diese Stad wird mit Feuer verbrennet werden. Pagninus, *facies comburere,* ac si verbum in Hiphil esset.

Ezech. 19: 7. *Et civitates eorum* הֶחֱרִיב *vastavit* seu *destruxit,* h. e. devastationis occasionem peccatis suis præbuit. Kimchi in h. l. *Operibus suis malis fuit devastatio civitatum in terra Israel: quia ipse non quidem destruxit suis manibus,*

*bus, fuit tamen causa seu occasio destructionis.*

Actor. 1. vers. 18. *Hic* (Judas) ἐκτήσατο χωρίον, *acquisivit agrum ex mercede iniquitatis*, h. e. occasio extitit acquisitionis agri, postquam mercedem iniquitatis, 30. argenteos, in templum projiciens, se suspendio necavit, ut ibidem sequitur. Confer Matth. 27. vers. 3. seqq. Glossa interlin. *Possedit, hoc est, ab aliis possideri fecit.* Rabanus in h. l. alium amplectitur sensum: *Judas amissâ terrâ viventium, agrum sanguinis & mortis, æternâ sceleris & nominis sui memoriâ possedit.* Sed de agro propriè dicto, à Pontificibus ex 30. argenteis comparato, sermonem esse, versus sequens docet.

Rom. 14. vers. 15. *Ne cibo tuo illum perde, pro quo Christus mortuus est*, h. e. ne occasionem præbe perditionis illius; dum scil. in externo adiaphororum usu non secundum charitatem ambulas, sed fratrem tuum scandalizas &c.

1 Cor. 7. vers. 16. *Quid scis mulier, num virum* σώσεις, *salvabis? aut quid scis vir, num mulierem salvabis?* hoc est, occasionem præbebis tanto bono, honestate vitæ, & fideli persuasione.

1 Petr. 3. vers. 1. *Similiter & mulieres subditæ sint viris suis :| ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo* κερδηθήσωνται, *lucrifiant*, h. e. occasionem sanctæ illius lucrifactionis exinde accipiant. De occasione est sermo, quâ quis primo ad fidem adducitur: seu de primo conversionis initio, ut Christianam religionem amare, deque ea honorificentiùs sentire incipiat.

Tale ferè in Latino versu est: *Blanda patrum segnes facit indulgentia natos*, hoc est, occasionem segnitiei præbet.

## *Nota.*

Reducuntur huc etiam sequentia, in quibus non ad verbum, sed totum sermonem respectus habetur.

Actor. 5. vers. 3. *Anania, cur implevit Satanas cor tuum, ut mentireris Spiritui sancto?* h. e. cur occasionem præbuisti Satanæ, ut veneno suo cor tuum impleret, & ad hoc mendacium impelleret?

Rom. 14. vers. 16. *Ne blasphemetur bonum vestrum*, hoc est, ne causam & occasionem præbeatis ejus rei?

2 Cor. 10. vers. 2. *Oro autem, ne præsens confidenter agam*, h. e. ne occasionem & causam mihi præbeatis, necessitatemque imponatis confidenter ac durius agendi.

2 Cor. 13. vers. 10. *Ideò hæc absens scribo, ne præsens duriùs agam*, h. e. ne vos peccando mihi necessariam causam præbeatis, duriùs in præsentia agendi.

1 Tim. 4. vers. 12. *Nemo tuam juventutem contemnat*, h. e. ne occasionem præbeas & causam hujus contemtus. Græci, μή πάρεχε αἰτίαν τινὶ τοῦ καταφρονῆσαι τῆς νεότητός σȣ; *Ita te gerito, ut nemo habeat justam causam despiciendi tuam juventutem.* Hieron. in comment. Tit. 2. f. 125. *Nemo adolescentiam tuam contemnat, id est, nolo te talem exhibeas, ut possis ab aliquo meritò contemni.* Hic sensus colligitur ex antithesi. Sic & Tit. 2. vers. 15. Cæterùm in his exemplis ellipticum ferè dicendi genus est, &c.

## Canon XI.

*Verbum, quod actionem seu effectum notat, de permissione seu concessione ejus quandoque intelligendum est.*

Monet Dn. D. Frantzius in lib. de interpret. script. orac. 24. *non de simplici & nuda permissione, quâ finitur aliquis agere secundum libertatem voluntatis suæ, sed de efficaci concessione, & potestatis etiam cujusdam elargitione hæc esse ut plurimum intelligenda.*

Deut. 2. vers. 21. *Cibum pro pecuniâ* תַּשְׁבִּרֵנִי *facies me frangere* seu *comparare*, h. e. concede me comparare, potestatem hujus rei præbe.

1 Sam. 14. vers. 36. *Descendentes persequamur Pelistæos noctu &c. nec* נַשְׁאֵר *reliquum faciamus ex eis quenquam*, h. e. superesse permittamus. Sic cap. 25: 22.

Job. 1: 21. *Dominus dedit, Dominus* לָקַח *abstulit*, h. e. permisit auferri, & hostibus illam potestatem quasi indulsit.

Psal. 119: 31. *Inhæreo testimoniis tuis, Jehova,* אַל־תְּבִישֵׁנִי *ne facias me erubescere*, h. e. ne concedas me erubescere vel confundi. בּוֹשׁ *confundi* seu *erubescere*, est ita devastari, ut inde oriatur hostibus gaudium, uti ex Jerem. 9. vers. 19. Ezech. 32. vers 30. & aliis locis apparet. Igitur הֵבִישׁ *facere, ut quis confundatur*, est, ab hoc malo aliquem custodire, & fortiter asserere, quod à Deo petit David.

Esai. 63: 17. (al. 64: 3.) *Quare* תַּתְעֵנוּ *faceres nos aberrare Jehova, à viis tuis*, h. e. concederes nos aberrare: destituendo scilic. nos gratiæ tuæ adjutorio, & Satanæ potestati ob peccata nos tradendo. Confer Psal. 81: 13. Actor. 14: 16.

Jerem. 15. vers. 15. *Ne in longanimitate tuâ* תִּקָּחֵנִי *tollas me*, hoc est, concedas, ut inimici

inimici mei, dum nimium illis parcis, me tollant.

Thren. 5. verſ. 5. *Laboramus* ולא הונח לנו *& non ſit quies nobis*, hoc eſt, non conceditur quies.

Matth. 6: 13. *Ne nos inducas in tentationem*, h. e. ne permittas nos induci. Tentatio intelligitur diaboli, Matth. 4: 3. 1 Theſſ. 3: 5. & corruptæ carnis ſeu concupiſcentiæ malæ. Jac. 1. verſ. 14. *Inducere igitur in tentationem*, eſt, permittere, & poteſtatem dare, ut diabolus cum ſuis organis hominem obruat & proſternat, ad malum impellat, in exitium detrudat, atque tentando & pugnando victoriam de ipſo reportet. Id ut ne fiat, precamur &c. Confer 1 Cor. 10: 13. Quidam, non abſonè, τὸ *inducere in tentationem*, pro obruere vel opprimere tentationibus poni dicunt, ſicut verba alia inchoativa ſunt intelligenda completivè, ut ſuprà can. 3. dictum. Igitur, *ne inducas nos in tentationem*, eſt, ne ſinas nos obrui vel opprimi tentationibus. A tentatione enim ipſâ non poſſunt pii, dum vivunt, eſſe immunes, modò ne iis obruantur, & plane in deſperationis barathrum præcipitentur: quod ut ne fiat, Deus intimo cordis ſuſpirio exorandus.

Joh. 6: 39. *Hæc eſt voluntas ejus, qui miſit me, Patris, ut quicquid mihi dederit*, μὴ ἀπολέσω, *non perdam ex eo*, h. e. non ſinam perdi, non patiar perire.

1 Corinth. 6. verſ. 7. *Cur non potiùs injuriâ afficimini? cur non potius defraudamini?* h. e. cur non potius permittitis vos injuria affici & defraudari.

Ibid. verſ. 12. *Omnia mihi licent, ſed non* ἐξουσιασθήσομαι, *redigar ſub poteſtatem ullius*, h. e. non permittam, ſeu patiar me redigi.

Plura dicentur infra de conjug. Hiphil.

## Nota.

1. Verbum נָתַן *dare*, ſimili ſignificatione quandoque venit, ut ſcil. conceſſionem factam notet.

Geneſ. 20. verſ. 6. *Propterea* לא־נְתַתִּיךָ *non dedi, ut attingeres eam*, h. e. non conceſſi, ſed potiùs cohibui te, ut eodem hoc loco ſit explicatio.

Geneſ. 31: 7. *Et non* נְתָנוֹ *dedit ipſi Deus, ut damno afficeret me*, h. e. non permiſit, ſeu conceſſit hoc ipſi, ſed potiùs fortiter eum impediit, & abſtraxit.

Exod. 3: 19. *Non* יִתֵּן *dabit vos Rex Ægypti, ut abeatis*, h. e. non concedet vobis poteſtatem hinc abeundi.

Exod. 12: 13. *Et non* יִתֵּן *dabit percuſſori, ut ingrediatur domus veſtras ad percutiendum*, h. e. non concedet illi poteſtatem percutiendi vos. Sic Exod. 10: 15. Num. 20: 21. cap. 22. verſ. 13. Jud. 1: 34. cap. 3: 28. cap. 15. ỳſ. 1. 1 Sam. 18: 2. 1 Reg. 15: 17.

Pſal. 16: 10. לא־תִתֵּן *non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, h. eſt, non conceſſurus es. Confer Act. 2: 37.

Sic Apoc. 13: 7. καὶ ἐδόθη αὐτῷ, *& datum eſt ei*, h. e. permiſſum eſt.

2. Verbum חִיָּה in Piel, vel הֶחֱיָה in Hiphil, quod propriè ſignificat, *vivificavit, vitam contulit, fecit vivere*, conforme eſt antecedentibus. Uſurpatur enim de iis, qui alios vivere concedunt, cum interficere & poterant, & conſtitutum habebant: quæ nova quaſi uſuræ vitæ donatio eſt, da man einem das Leben ſchenket: Unde per *conſervare vitam alicujus* (quæ ſcilicet internecioni deſtinata eſt) rectè vertitur. Exempla ſunt, Exod. 1: 17. Deut. 20: 16. Joſ. 2: 13. cap. 9: 15, 20. 1 Sam. 27: 11. 2 Sam. 8: 2.

3. Permiſſio alicujus negocii apud Hebræos petitur in futuro rei agendæ. Deut. 2. v. 27. *Tranſibo per terram tuam*, hoc eſt, concede quæſo, ſeu da poteſtatem, ut per terram tuam tranſire poſſim.

Ruth. 2. verſ. 2. *Vadam, quæſo, & colligam ſpicas*, &c. h. eſt, permitte mihi, ut id faciam. Sic 1 Sam. 16. verſ. 9. Jer. 40. v. 15. &c.

## Continuatio.

Hactenus conſideratio fuit verbi, reſpectu cauſæ agendi. Antequam vero ad alia progreſſus fiat, *duæ* adhuc ſubjungendæ obſervationes. Quia enim dictum eſt, actionum duas eſſe cauſas, in agente rationali. 1. *facultatem* ſeu poteſtatem, 2. *voluntatem*: igitur reſpectu utriuſque notentur duo ſequentes canones.

## Canon XII.

*Verbum poteſtatis non raro pro verbo debiti & juris accipitur: ita ut* poſſe *idem ac licere;* non poſſe, *idem ac non licere, ſeu non debere, ſignificet.*

Frequentius *negativè*, quam affirmativè hæc loquendi ratio occurrit; quam alii ſic exprimunt:

primunt: Ἀδυναμία & impossibilitas non pro impossibilitate facti, sed juris quandoque accipitur, ut idem sit, τὸ non posse, ac, non jure, legitimè & bonâ conscientiâ aliquid fieri. Quo pertinet vulgare illud: *Quod honestè non possumus, id ne fieri quidem posse credendum.*

Gen. 24: 50. *A Jehova profecta est hæc res, non possumus eloqui tibi malum aut bonum*, h. e. cum divinâ dispositione totum hoc negocium geri intelligamus, consilio illi divino refragari, nullo modo licitum est: non debemus illi contradicere, sed sponte acquiescimus.

Gen. 34: 14. *Non possumus facere rem istam, dare sororem nostram viro, cui est præputium*, hoc est, non debemus id facere, non jure possumus: quia id opprobrio nobis esset, ut ibidem sequitur.

Gen. 43. vers. 31. *Quia non possunt Ægyptii comedere cum Hebræis*, h. e. salva sua lege & consuetudine non possunt, seu prohibentur ab hoc, ne id faciant. Luth. Sie dörffen nicht &c. Additur: *Quia abominatio hoc Ægyptiis;* Quod Chald. ita explicat: *Quia animal, quod colunt Ægyptii* (religiosè) *comedunt Hebræi.*

Gen. 44: 22. *Non poterit puer relinquere patrem suum*, h. e. non licet hoc, seu non conveniens est, ut hoc faciat: retrahitur ab hoc, tum amore erga patrem, tum periculo imminente, ut in textu habetur.

Ibid. v. 26. *Non possumus descendere*, h. est, ex mandato Principis non debemus, non licet seu permissum est nobis.

Deut. 16: 5. *Non poteris mactare pascha intra aliquam è portis tuis*, h. e. non jure & legitime id facere potes seu non debes. Sic c. 17: 15. c. 21: 16.

2 Sam. 17: 17. *Non enim poterant comparere, (aut ingredi) in civitatem*, h. e. ex condicto parentum non debebant: ut nimirum ad Davidem commodius excurrere possent.

Actor. 4. vers. 20. *Non possumus nos, quæ vidimus & audivimus, non loqui*, h. e. non debemus silere, loquendum & testificandum nobis necessario de Christo est, ob impulsum scil. & mandatum Spiritus sancti. Sic cap. 10: 47. c. 25: 11.

1 Cor. 3: 11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Jesus Christus*, h. e. nemo jure ponere potest, seu nemo debet.

1 Cor. 10: 21. οὐ δύνασθε, *non potestis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum*, h. e. non ritè potestis, ita ut Deo probetur, & vobis prosit: non potestis bonâ & illæsa conscientia: illicitum id est vobis. Vide & 2 Cor. 12. vers. 8.

Huc pertinet Gal. 4: 15. *Testimonium perhibeo vobis, quod, εἰ δυνατὸν, si possibile fuit, oculos vestros eruentes dedissetis mihi*, h. e. si licuisset, si fas fuisset: si salvâ pietate & jure naturæ id fieri potuisset, &c.

## Nota.

Addendum iis, quæ dicta sunt, *quòd Verbum potestatis quandoque pro verbo difficultatis ac molestiæ accipitur.* Quod & ipsum in *negativa* oratione (& eâ, quæ negativæ æquipollet) frequentius est. Alii sic exprimunt: *Non posse dicitur aliquando de re ardua, & quæ non fiat citra molestiam & incommodum singulare.*

Ruth. 4. vers. 6. *Non possum redimere mihi, ne perdam possessionem meam*, h. e. difficile mihi id est, & cum dispendio rei familiaris conjunctum.

Esth. 8: 6. *Quomodo potero adspicere illud malum, quod obventurum esset populo meo? & quomodo potero adspicere perditionem cognationis meæ?* h. e. sine insigni luctu, molestiâ, & vitæ incommodo non potero, &c.

Psal. 101: 5. *Tumentem animo, ipsum non potero* ferre, h. e. permolestum mihi est, ejusmodi hominem tolerare.

Luc. 11: 7. *Jam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili; non possum surgere & dare tibi*, h. e. grave mihi est & difficile, surgere hac temporis ἀκαιρίᾳ.

Joh. 6: 60. *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* h. est, nemo sine tædio & molestiâ paradoxa ista audiet, sed abhorrebit potius ab hac κρεωφαγίᾳ καὶ αἱματοποσίᾳ. Quidam τὸ *audire* per recipere & corde amplecti explicant, sensu eo: *quis potest eum audire?* h. e. nemo poterit eum credere.

Joh. 7: 7. *Non potest mundus odisse vos*, q. d. difficulter accidet, ut mundus tales suos filiolos oderit.

1 Corinth. 3: 2. *Non potui vobis loqui ut spiritualibus*, h. e. non commodum fuit, & difficulter potui.

Apoc. 2. vers. 2. *Non potes sustinere malos*, h. e. ægrè sustines, & permolestum hoc tibi est.

Huc referri potest illud, Marc. 6: 5. *Et non poterat* (Christus) *ibi ullam virtutem* seu *miraculum facere*, h. est, difficulter & cum tædio quasi miracula ibi fecit: pertæsus videl. infidelitatis Nazarethanorum, de qua miratus, v. 6. & conquestus fuisse v. 4. memoratur. Quædam autem miracula ibidem à Christo facta fuisse, eodem. v. 5. dicitur.

## Canon XIII.

*Verbum voluntatis quandoque non de simplici & nudo voluntatis arbitrio accipiendum, sed ita, ut causam simul & conditionem effectus includat.*

DAn. 4. vers. 14, 22. (al. 17. 25.) *Deus cui vult, tradit regnum.* Vult autem illud dare *humiliantibus se coram Deo*, ut v. 14. sequitur.

Dan. 5. vers. 19. *Pater tuus, quem volebat, occidebat &c.* ubi respectus ad occisionis causam simul comprehenditur, ut ex c. 2. patet, ubi jubentur interfici omnes sapientes Babel, propterea quòd somnium Regis indicare non possent.

Matth. 11: 27. *Nemo novit Patrem, nisi filius, & cui voluerit filius revelare*, h. e. ei, qui vocatus ad audiendum accedit, & verbum meum recipit; & hi sunt νήπιοι illi & simplices, de quibus v. 25.

Rom. 9. vers. 18. *Deus, cui vult, miseretur: & quem vult, indurat.* Prius, *cui vult, miseretur*, habet annexam conditionem poenitentiæ, uti ex Exod. 33. vers. 4, 5, 19. constat, qui locus Rom. 9: 15. adducitur. Posterius, *quem vult, indurat*, itidem contumaciæ hominum extremæ conditionem annexam habet. *Quem vult*, h. est, quem contumaciter & pertinaciter diabolicèque in blasphemiis & impietate pergentem vult punire, prout meretur, illum tandem prorsus deserit suâ gratiâ, & ita regendum committit Satanæ, ut prædam illam vix unquam ex suis faucibus Satan dimittat. Et notetur, scriptam censeri hanc epistolam anno Christi 55. stantibus adhuc Hierosolymis, plenis virorum contradicentium pertinacissimè Christo ejusque Euangelio, quod ex toto libro Actorum patet. Vide cap. 13. vers. 45, 46. Ex quo clarum evadit, non ad absolutum aliquod reprobationis decretum, sed ad hominum incredulitatem & pertinaciam, ut ad propriissimam causam, illud Dei velle referendum esse. Conferatur etiam Rom. 2: 4, 5. Hæc ex Dn. D. Franzii libro de Interpret. scriptur. orac. 28. desumta sunt.

### *Continuatio.*

POst considerationem verbi respectu causæ agendi, ejusdem consideratio sequitur *respectu adjuncti*, & quidem (1.) *in genere.* Verbum enim quandoque adjunctum & conditionem quandam connotat, de quo can. 14. (2.) *in specie.* Accidit enim rei; 1. *ejus notificatio & appellatio;* unde duo canones, 15. & 16. quorum *alter* voces reales pro verbalibus positas considerat; *alter* voces verbales pro realibus positas. *Priori* subjectum quasi pro adjuncto; *posteriori* adjunctum pro subjecto ponitur. 2. *Ejus cognitio*, unde canon 17. de re pro ejus cognitione sumta. 3. *Ejus opinio* in animis hominum, unde canon 18. de re pro opinione hominus positâ; & vicissim, de opinione seu æstimatione pro re ipsâ positâ.

## Canon XIV.

*Verba quædam non tantum usitatam significationem, sed etiam quandam ejus quasi qualitatem, adjunctum, aut conditionem simul indicant.*

NOtentur ex multis hæc sequentia, alphabetico ordine disposita, verba.

*Ædificari.* Ezech. 26: 14. de Tyro dicitur: *Non ædificaberis amplius*, videl. eâ dignitate, elegantiâ & celebritate, quâ fuisti. Nam quod postea instauratum est, in eodem loco, dictum est Palætyrus. Junius.

*Ambulare.* Hos. 14: 9. (al. 16.) *Rectæ sunt viæ Domini, & justi ambulabunt in eis*, h. e. feliciter procedent, seu commode, expeditè & citra offensam in eis ambulant.

*Audire.* Per *auditum verbi*, iis, qui ex Deo nati sunt, attributum, Johan. 8. vers. 47. ille auditus intelligitur, qui Luc. 8. vers. 15. describitur; qui scilicet cordis conversionem & vitæ obedientiam conjunctam habet.

*Confiteri.* 1 Joh. 4: 15. ὁμολογεῖν *confiteri Christum*, non quamvis, sed illam confessionem notat, quæ ex vera fide manat, & quam charitas consequitur Rom. 10. v. 9, 10. Sic & Matth. 10: 32.

*Dicere.* Phrasis, *posse dicere*, pro verè, sincerè & ex animo dicere posse, accipitur. Prov. 20: 9. *Quis potest dicere, purificavi cor meum?* h. e. quis verè hoc affirmare possit? Sed hic in Hebræo est, *quis dicet*, h. e. quis dicere potest, ut supra dictum can. 5. 1 Cor. 12: 3. *Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto*, hoc est, verè, ex animo, aut toto pectore, seu ex salutari & vivifica cognitione hoc nemo dixerit, sine singulari motu & impulsu Spiritus sancti.

*Edere & bibere.* Matth. 11: 18, 19. pro, com-

communi more uti cibo ac potu, familiariterque cum hominibus conversari: Et vicissim, *non manducare & bibere*, pro, non communi more ac ratione victitare, accipitur. Sic *bibere vinum*, Prov. 31: 4. pro avidè & voluptuariè bibere seu vino bibito se inebriare significat, uti ex contextu patet. Quo sensu οἰνοπότης dicitur Luc. 7:34.

*Facere*. Psal. 37. vers. 5. Dan. 8. vers. 12. pro potenter & feliciter aliquid peragere. *Facere peccatum*, seu *peccare*, quandoque de alacritate, promtitudine, assiduitate, & studio peccandi accipitur, 1 Joh. 3: 9. *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: & non potest peccare*. Confer cap. 1: 8, 10. & sensus allatus clarè patebit. Sic & cap. 5: 18. Joh. 8: 34.

*Facere justitiam*, 1 Joh. 3: 7. pro spontè, libenter & serio studio justitiæ deditum esse.

*Operari*, Rom. 4: 4. *operari* Paulo significat, ex opere aliquid promereri velle seu contendere. Cui v. 5. opponitur, *non operari*, h.e. nullum opus ut meritorium afferre, nec ullius mercedem flagitare, sed solâ gratiâ & promissione Dei niti,

*Posse*. Huc pertinet phrasis, *non posse aliquid*, hoc est, non sine difficultate & molestiâ posse. Vide can. 12. in fine.

*Rationem reddere*. 1 Pet. 4: 5. *Qui reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos & mortuos*, h. e. volentes nolentes cogentur, difficilem & damnosam sibi rationem injustè factorum reddere. Sic Matth. 12: 36.

*Velle*, pro spontè & alacriter aliquid velle & agere ponitur, 2 Cor. 8: 11. *Qui non solum facere, sed etiam* τὸ θέλειν, *velle, ante cœpistis anno superiore*, h. e. non solum facere, sed etiam ultro id velle, & promptâ voluntate facere. Hoc θέλειν superius est multis partibus eo facto, quod nudum est, & à tali promtitudine voluntatis non promanat. Ita enim *facere* cujusvis est; *velle* autem eorum, qui verâ charitate impelluntur.

*Velle* pro cupidè optare. Marc. 10: 35. *Magister, volumus, ut quæcunque petierimus, facias nobis*, h. e. valdè id optamus. Sic Marc. 12: 38. de Scribis dicit Christus, quod *velint in stolis ambulare, & salutari in foro*, h. e. quod summa cum cupiditate hoc expetant. Syrus habet צבא *voluptatem & beneplacitum habuit*. Nota obiter, cognationem hoc verbum Syrum habere cum Hebræo צבה *intumuit, inflatus fuit*. Ex fastu enim & tumore animi illa φιλοτιμία proveniebat.

Gal. 4: 21. *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse*, hoc est, qui ultrò & cupidè appetitis. Tale est illud Eurip. in Alceste: θέλοιμ᾽ ἂν, εὔνουν δ᾽ ὄντα σ᾽ ἐξεπίσταμαι, *optârim quidem, scio autem, te mihi esse benevolum*.

*Velle*, pro toto conamine in aliquid incumbere. 1 Tim. 6: 9. Possunt hæc ad metonymiam referri.

*Videre*. Quandoque cum singulari quadam oblectatione spectare significat. Psal. 22: 18. Psal. 35: 21. Psal. 59: 11. Psal. 91: 8. Psal. 106: 5. Psal. 112: 8. Obad. v. 13. Et cum tristitia ac dolore, Gen. 21: 16. cap. 44: 34. Joh. 19: 37. Quandoque etiam cum attentione spectare & providere. 2 Reg. 10: 3. Matt. 7: 5. 1 Cor. 10: 12. Col. 4: 17.

*Vivere*. Non viventis solùm existentiam, sed vitæ etiam conditionem, lætam vid. & beatam significat, ut *vivere* idem sit ac florere & vigere, benè & feliciter vivere, incolumem esse. 1 Sam. 10: 24. 1 Reg. 1: 25. יחי המלך *vivat Rex*. Targ. יצלח *felix sit, prosperetur*. 1 Sam. 25: 6. *Et dicite sic* לחי *viventi*, h. e. fortunato. Junius, *si incolumis est*. Psal. 22: 27. *Vivat cor vestrum in seculum*. Id Psal. 69: 33. ita exponitur: *Videbunt afflicti & lætabuntur, quærentes Deum, & vivat cor vestrum*, h. e. sitis hilares & bono animo, freti divinâ bonitate. Eccl. 6: 8. חיים *viventes*, h. e. felices, &c. 1 Thess. 3: 8. *Nunc vivimus*, id est, læti seu salvi sumus. (Contrarium hujus est 1 Sam. 25: 37. וימת *& mortuum est cor ejus in ipso*, h. e. præ terrore & mœrore animus ejus quasi obstupuit.) Sic & nomen חיים *vita* accipitur, pro vita tranquilla & beata, Psal. 34: 13. 1 Pet. 3: 10. &c. Quo significatu accipitur in omnibus scripturæ dictis, quibus *vita æterna* fit mentio, quæ κατ᾽ ἐξοχὴν à felicissimo statu dicitur vita. Causam hujus locutionis proponit Augustinus in enchir. ad Laurent. cap. 92. *Non est vera vita, nisi ubi feliciter vivitur, nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolore corrumpitur*. Quæ per antithesin ad mortem æternam facilè applicari possunt. Obiter nota, quòd Latinum [a] *ave* seu *have*, quod bene ominantis & felicitatem apprecantis verbum est, ab חוה Hebræo verbo, quod *vivere* significat, quidam deducant: quod Græcè per χαῖρε *gaude*, vel εὐφραίνε, *lætare*, exprimitur. Confer Drusium in præter. lib. 3. p. 97.

[a] Ave seu have.

## Canon XV.

*Verba, quæ* fieri, esse, *vel* agere quid *significant, quandoque non tam essentiam vel actum, quam ejusdem notificationem, qualiscunque illa sit, & pranunciationem denotant.*

ALii sic exprimunt: *Quòd voces reales pro verbalibus usurpentur*, h.e. pro rei indicatione, quæ ut plurimùm fit verbis.

Gen. 27: 37. *Et dixit Isaac ad Esau: Ecce Dominum* שַׂמְתִּיו *posui eum* (Jacobum) *super te, & omnes fratres ejus* נָתַתִּי *dedi ei servos, & fermento & musto* סְמַכְתִּיו *fulcivi eum*; h. e. talem ipsum fore, sermone meo εὐλογηςικῷ disposui & significavi.

Gen. 34: 12. הַרְבּוּ *multiplicate super me valdè dotem & munus*, h. e. petite seu postulate â me ingentem dotem & munus.

Gen. 30: 13. אִשְּׁרוּנִי *beatificabunt me filiæ*, h. e. beatam prædicabunt me: Beatitudinis laudem inter mulieres consequar, jam sex filiorum mater facta. Sic Ps. 72: 17. Luc. 1: 48.

Gen. 35: 12. *Terram* נָתַתִּי *dedi Abrahamo & Isaaco*, h. e. daturum me promisi. Confer Exod. 12: 25. Sic & ferè acipitur Gen. 27: 37. (al. 39.)

Exod. 13: 2. קַדֶּשׁ־לִי *sanctifica mihi omne primogenitum*, h. e. indica meo nomine populo, ut sanctificet. Prout Moses fecisse legitur v. 11, 12.

Exod. 20. vers. 7. לֹא יְנַקֶּה *non faciet innocentem*, h. e. non declarabit innocentem. Vide can. 20.

Levit. 13: 3. *Cùm eum inspexit Sacerdos*, וְטִמֵּא אֹתוֹ *tum impurabit illum*, h. e. impurum eum declarabit, seu, immundum eum pronunciato. Sic vers. 13, 17. טִהַר *mundabit*, h. e. mundum pronunciabit.

Deut. 9: 25. *& prorui coram Jehova quadraginta illos dies, & quadraginta noctes*, אֲשֶׁר הִתְנַפָּלְתִּי *quibus prorui*, h. e. quibus dixi me proruisse, videl. vers. 18. Post digressiunculam enim, quà similia populi peccata à Mose recensentur, vers. 22, 23. regreditur ad priorem à se factam coram Deo intercessionem, uti ex cap. 10: 1, 10. seqq. patet.

2 Sam. 7. vers. 22. *Propterea* גָּדַלְתָּ *magnus es, ô Jehova Deus*, h. e. magnum esse te declaras vel ostendis. Vel, quod idem est, magnus agnosceris.

2 Sam. 15. vers. 4. וְהִצְדַּקְתִּיו *& justificarem illum*, h. e. justum declararem, seu pronunciarem: absolverem. Sic Prov. 17: 15.

Job. 9. vers. 31. *Tum in foveam demerges me*, וְתִעֲבוּנִי *& abominabuntur me vestes meæ*, h. e. abominabilem me esse demonstrabunt: Alii: horrebunt me etiam omnia mihi proxima, & ea ipsa quæ sunt juris mei, per hyperbolen.

Job. 10. vers. 2. *Dicam Deo*, אַל־תַּרְשִׁיעֵנִי *ne facias me impium*, h. est, ne me impium pronuncies vel condemnes. Sic Proverb. 17. vers. 15.

Job. 24. vers. 25. *Et an non ita est?* מִי יַכְזִבֵנִי *quis mendacem faciet me*, h. e. quis mendacii me convincet, seu demonstrabit me mendacem esse.

Psal. 34: 4. גַּדְּלוּ *magnum efficite* seu *magnificate Jehovam mecum*, h.e. magnum prædicate, celebrate & laudate.

Esai. 6. vers. 10. הַשְׁמֵן *obesum fac cor populi istius, & aures ejus* הַכְבֵּד *aggrava & oculos ejus* הָשַׁע *illinito*, h. e. vaticinare fore, ut cor eorum sit obesum, & aures eorum graves, & oculi eorum illiti. Vide & can. 22. §. 4.

Esai. 8. vers. 12. *Timore istius* (populi) *ne timeatis*, וְלֹא תַעֲרִיצוּ *& ne faciatis expavescere.* h. e. ne expavescendum esse dicatis seu proclametis.

Esa. 29. vers. 23. *Et Deum Israelis* יַעֲרִיצוּ *formidabilem facient*, h. e. formidabilem seu expavescendum prædicabunt. Targ. יֵימְרוּן תַּקִּיף *dicent fortem vel robustum.* R. Kimchi: יִתְּנוּ בִּתְהִלָּתָם הַכֹּ״חַ וְהַמַּעֲרָצָה *dabunt ipsi in laude sua robur & violentiam, quòd scil. exercitum Regis Assyriæ unâ nocte delevit.* Sic ille. Quod autem idem verbum in Hiphil diversimodè in antecedenti, & in hoc loco exponitur, in causâ est diversa | significatio illius verbi in Kal. quandoque enim ערץ significat *expavescere*, Deut. 20. vers. 3. cui in Hiphil respondet significatio, *facere, ut quis expavescat*, quæ Esai. 8. vers. 12. est: Quandoque verò significat, *formidabilem esse*, seu *violentum se exhibere*, Job. 31. vers. 34. cui in Hiphil respondet significatio, *facere formidabilem*, quæ Esa. 29: 23. est.

Jerem. 1. vers. 10. *Vide, præficio te hodierno die gentibus & regnis ad extirpandum, & ad demoliendum, & ad perdendum, & ad destruendum; ad ædificandum, & ad plantandum:* hoc est, ut aliis ruinam, aliis incolumitatem prædicatione verbi à me testatam facias. Dicuntur administri Dei in Scripturis id facere, quod Deus verbo ipsorum prædicit & præstat: quemadmodum Deus Mosen alloquitur singulis fere mandatis, contra Pharaonem & Ægyptum

ptum. Exod. 7. & seqq. Confer mandati divini executionem à Prophetâ factam, cap. 12: 14, 15. cap. 24: 6. &c.

Jerem. 4. vers. 10. *Et dicam, aha Domine Jehova, utique* הַשֵּׁא הִשֵּׁאתָ *seducendo seduxisti populum hunc & Jerusalem, dicendo; pax erit vobis, cum pertingat gladius usque ad animam:* hoc est, ostendisti, populum hunc esse omninò seductum, videl. per pseudo-prophetas; רוֹצֶה לוֹמַר גִּלִּיתָ נְבִיאֵי הַשֶּׁקֶר הַמַּשִּׁיאִים אוֹתָם *vult dicere, manifestâsti prophetas falsitatis, seducentes ipsos*, juxta R. Saadiam. Tremellius & Junius in passivo explicant: *Plane diceris seduxisse populum, dicendo, pax erit vobis:* Dicendo, scil. per pseudoprophetas, qui cum Satanæ ministrarent, perversè tamen obtendebant nomen Dei, cap. 6: 14. cap. 7: 4. 10. cap. 23: 1. quæ fere etiam R. Kimchi explicatio est. Malè Piscator Herbor. vertit: **Ach HErr / du hast dieses Volck sehr betrogen.** Germanicum enim verbum hoc malitiam animi connotat, non simplicem frustrationem, uti vult Piscator. Optime omnium Lutherus: **Ach HErr HErr / du hasts diesem Volck und Jerusalem weit fehlen lassen etc.** Sensus hic cum prima expositione convenit. *Ostendisti & declarâsti* (immissis scil. pœnis publicis) *seductum esse populum:* **Du hasts ihme fehlen lassen /** ut sc. agnoscant & videant se misere seductos esse, &c.

Jer. 15: 1. שַׁלַּח *abjice seu projice eos à me*, hoc est, projiciendos à me esse vaticinare. Confer vers. 7.

Ezech. 13: 19. לְהָמִית *ad occidendum animas, quæ non sunt moritura,* וּלְחַיּוֹת *& ad vivificandum animas, quæ non sunt victura*, h. e. ad pronunciandum, morituras vel victuras esse.

Ezech. 20. vers. 26. וָאֲטַמֵּא *& impuravi ipsos cum donis ipsorum*, h. e. impuros esse ostendi, & ut impuros tractavi, & à me abdicavi.

Ezech. 21. vers. 31. (al. 26.) *Sic ait Dominus Deus: amove cidarim istam, & tolle coronam; hæc futura non est: Eum qui in depressum* abiit, *exalta, & eum qui altus est, deprime.* Jubetur Propheta hæc facere, h. e. sermone prophetico, quod futura sint, indicare. Per *eum qui in depressum abiit*, Jechonias, 2 Reg. 25: 30. Jer. 52: 31. *per eum verò, qui altus est*, Zedekias Rex intelligitur. Vide etiam cap. 32: 18, 19.

Ezech. 43: 3. *Et similis erat adspectus hujus visionis, quam videbam, prorsus visioni illi, quam videram, veniendo* לְשַׁחֵת *ad perdendum urbem*, h. e. ad prænunciandum, perdendam esse urbem. Chald. *In prophetando me de perdenda urbe*, intelligitur enim visio in c. 10.

Jon. 1. v. 16. *Et immolaverunt hostiam Jehovæ*, animo scil. ac deliberatione, h. est, statuerunt apud se & decreverunt, (voverunt etiam expresso promisso, ut ἐξηγητικῶς subjungitur) se immolaturos hostias in honorem Jehovæ. Cùm primum sc. reverti possent in Jerusalem, Vat.

Zach. 11: 13. *Projice eos ad figulum*, h. e. prophetiâ tuâ ostende, sic futurum esse &c. Jun.

Sanctius huc etiam refert Esa. 43. vers. 28. (al. 15.) וַאֲחַלֵּל *& profanavi seu contaminavi principes sanctitatis*, h. e. contaminatos declaravi, quando mori illos jussi. Intelligi autem *Mosen & Aaronem* existimat, qui v. 27. dicti sunt *interpretes*: deque quorum morte Num. 20: 24. seqq. Deut. 34: 1. seqq. quæ mors propter singulare peccatum inflicta est, Num. 20: 24. Deut. 32: 50, 51. Hæc ille, vulgatam versionem amplexus. Commodius וַאֲחַלֵּל in futuro exponitur (neque enim Vau conversivum est, uti punctum ostendit subjectum) hoc sensu; *propterea essem profanaturus principes sacros, & expositurus anathemati Jacobum, & Israelem contumeliis:* vid. nisi ad gloriam meam respicerem, & propter filium mediatorem iis parcerem, v. 25.

[a] Alii huc referunt Hos. 1. vers. 2. *Et dixit Jehova ad Hoseam: Abi, assume tibi uxorem scortum & natos scorti &c.* h. e. prophetato hunc typum, te similem esse homini, qui assumserit sibi uxorem & liberos hujusmodi. Quæ explicatio ex Chaldæo Interprete desumta, qui illud לָקַח *accipere*, quod in vers. 2, 3. extat, per אִתְנַבֵּי *Prophetare*, exponit, in reliquis autem verbis ab Hebræo multum discedit. Verum commodior illorum est interpretatio, qui *non prophetia, sed vere exteriori actu* hæc ita gesta esse dicunt: prophetam vid. non scortatum quidem fuisse, scortatricem tamen, ex mandato Dei, ad arguendam regni Israëlitici idololatriam, verè duxisse, & ex illa liberos suscepisse, qui ob matrem meretricem (quam in ipso matrimonio scortatam putant) *filii fornicationum* dicantur. Huic expositioni favet, 1. *textus perspicuitas*: ex eo enim nihil aliud conspicitur, quam veram narrari historiam. Exponitur præceptum Domini, prophetæ obsequium, nomen mulieris, cum nominibus filiorum, quæ omnia τὸ ῥητὸν sapiunt. 2. *Repetitio præcepti* cap. 3: 1. seqq. ibi enim recensetur, quod propheta mulierem in ipso conjugio scortantem iterum adamaverit, & quindecim argenteis ac sesquihomere hordei conduxerit, ne fornicetur amplius: quæ omnia sensum

[a] Hos. 1. de mandato Dei ad Prophetam.

sensum historicum comprobaat. 3. *Scopus & intentio Dei:* volebat is turpitudinem idololatriæ non modò verbis exaggerare, sed facto etiam repræsentare, ut eò magis percellerentur obstinati animi. 4. *Obsequium prophetæ*, qui statim obediit domino, nec ullum adposuit indicium, solâ prædicatione hæc fuisse a se expedita. Videatur D. Meisn. in præfat. comment. super Hoseam. Opponitur huic expositioni, quod cap. 1: 2. dicit Jehova ad prophetam: *assume tibi uxorem scortum, & natos scorti.* Junius: *Hæc verba evincunt manifestè rem non gestam, sed prædicatam esse, cum non potuerint itidem liberi à prophetâ & assumi cum matre, & ex ea gigni, quod dicitur sequentibus.* Responderi potest, ad nomen ילדי *natos*, subintelligendum esse verbum conjugatum ילד *vel* הוליד *genera* vel *gigne:* quod & in aliis exemplis videre est, ut infrà lib. 4. tract. 2. de ellipsi, docebitur. Et sic mandatum Dei, v. 2. ejusque executio, v. 3, 6, 8. sibi pulchrè respondet.

*Exempla N. T.*

Luc. 7: 29. *Et omnis populus audiens, & publicani ἐδικαίωσαν justificaverunt Deum, baptizati baptismo Johannis*, h. e. pronunciaverunt Deum justum, tribuerunt ipsi laudem justitiæ & bonitatis, peccatorum vid. humili confessione, & baptismi susceptione. Sic hoc verbum accipitur etiam vers. 35. cap. 10. vers. 29. & cap. 16, v. 15. & significat ferè idem ac ὁμολογεῖν, δοξολογεῖν, δόξαν δοῦναι, quæ alibi occurrunt.

Actor. 10. vers. 15. *Quæ Deus purificavit, tu ne κοίνου profanes*, h. est, profana esse dixeris, uti ipse Petrus vers. 28. explicat. Appellatio autem κοίνȣ, *communis*, pro *polluto & profano;* & verbi κοινοῦν, *commune facere*, pro *profanare*, inde forsan est, quod tota rerum natura ob peccatum immunda & profana est, nisi Deo quasi approprietur, & ejus verbo sanctificetur. Confer Flacium in clave script. voce *commune*.

Rom. 7. vers. 11. *Peccatum occasione accepta per mandatum ἐξηπάτησε decepit me*, h. e. ostendit me deceptum esse. Flacius modum deceptionis hujus part. 1. clav. p. 200. explicat.

2 Cor. 3. vers. 6. *Litera occidit*, h. e. Lex Dei manifestat occisionem seu mortem spiritualem hominis, & convincit ipsum, quod sit æternæ morti obnoxius. Confer Rom. 7: 10. Sic & Hos. 6: 5.

1 Tim. 3. vers. 16. *Deus manifestatus est in carne, ἐδικαιώθη justificatus est in Spiritu*, h. e. justus declaratus est, & Filius Dei comprobatus. *In Spiritu*, h.e. per Deitatem suam, cujus vi miracula fecit, & seipsum ex mortuis excitavit. Confer Rom. 1: 4.

Hebr. 1: 6. *Cùm verò iterum εἰσαγάγῃ, introduceret primogenitum in mundum; dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Introduceret*, h. e. introducendo propheratet. Vox autem πάλιν arguit, in duobus præcedentibus locis contineri prophetias de inducendo Christo in orbem terrarum, seu de ipso exhibendo.

Hebr. 10. vers. 5. *Quapropter εἰσερχόμενος, ingrediens mundum dicit &c.* h. e. prænuncians, se mundum aliquando ingressurum. Significatur, Christum in Psal. 40: 7, 8. induci quasi recens hominem factum, & de suo munere disserentem.

Jac. 2: 21. *Abraham pater ille noster, nonne ex operibus ἐδικαιώθη justificatus est*, h. e. declaratus & compertus est, quod fuerit justificatus. Cum enim Isaacum obtulisset, inquit ad eum Angelus Domini: *Jam cognovi, te timere Deum, quia non pepercisti filio tuo unigenito propter me*, Genes. 22: 12. Igitur hoc opus non fuit justificationis Abrahæ causa, (quæ Genes. 15. vers. 6. triginta minimùm annis antè commemoratur) sed testimonium & declaratio. Sic vers. 24, 25.

Ibid. vers. 22. *Ex operibus fides ἐτελειώθη perfecta fuit*, h. e. manifestum factum fuit, quod esset perfecta seu vera & sincera. Fides eo perfectior dicitur, quò plenius perspecta est & cognita, & quò efficaciùs vires suas exerit, quæ prius non ita apparebant: ut si dicatur alicujus arboris bonitas tùm fuisse perfecta, cùm optimum aliquem fructum edidit. Nam quia de causa judicamus ex effectis, videtur quodammodò causæ vis vel minui vel augeri ex effectorum proportione. Sed hoc ex effectis intelligitur quidem & æstimatur, non autem emanat, ut rectè Beza scribit.

Ibid. vers. 23. *καὶ ἐπληρώθη, & impleta est Scriptura, quæ dicit, credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad justitiam*, h. est, perspectum tum fuit, quam verè illud fuerit de Abrahamo scriptum, quod scilicet verâ fide præditus, & per eam à Deo justificatus sit, uti scriptura testatur. Gen. 15: 6.

Apoc. 19: 6. *Halleluja, quoniam regnavit Dominus Deus omnipotens*, h. e. sese Regem esse, magnificè declaravit.

Quidam huc referunt illud Hebr. 2. vers. 16. *οὐ γὰρ δήπȣ ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, nuspiam enim Angelos assumit*, h. e. Angelicam naturam se assumturum manifestat: seu, scriptura nuspiam testatur, Filium Dei assumturum naturam

turam Angelicam. Verùm textui convenientius est, de ipsa assumtione hoc intelligere, quæ *quoad Angelicam* naturam negatur, *quoad humanam*, affirmabatur de Christo. Particula πȣ non est localis, sed enclitica, & vertendum est: *Non enim sanè* (seu videlicet) *Angelos assumsit, sed semen Abrahæ assumsit.* Sic *ποτε*, quæ temporis particula aliàs est, eadem ratione particulæ δή adjungitur Joh. 5. vers. 4.

## *Nota.*

Sunt & alia quædam verba, quæ *realiter* significant, *& verbaliter* seu *de notificatione* sunt intelligenda: Nec tamen antecedentibus commodè adjungi potuere.

1 Sam. 20: 41. *Et osculati sunt alter alterum & fleverunt alter cum altero,* עַד־דָּוִד הִגְדִּיל *usque dum Davidem magnificasset*, h.e. verbis erexisset & consolatus fuisset. Quo sensu etiam cap. 23. vers. 16. *confirmare manum alicujus* dicitur. Alii ad *fletus vehementiam* in Davide referunt, secuti Chaldæum, qui vertit, עַד דָוִד אַסְגֵי *usque dum David multiplicavit* scil. fletum.

Esai. 30. vers. 11. הַשְׁבִּיתוּ *Cessare facite seu amovete à facie nostrâ sanctum Israelis*, h. est, nolite posthac verba facere nobis de sancto Israelis.

Rom. 4. vers. 15. *Lex iram operatur*, h.e. manifestat: Et ita, cum eam in lucem producat, videtur eam effecisse. *Ex lege agnitio peccati* cap. 3: 20. ergò etiam iræ divinæ & maledictionis peccato debitæ.

Rom. 11. vers. 32. *Conclusit DEUS omnes in incredulitatem*, h. est, declaravit in verbo suo, omnes esse in incredulitate & in peccato, uti Galat. 3. vers. 22. exponitur. Declaravit DEUS, ut justissimus judex, omnes homines ob peccatum & incredulitatem esse reos iræ suæ, & æternæ damnationis, si ex rigore justitiæ & severitatis vellet cum ipsis agere (Galat. 3. vers. 22. *scripturæ* tribuitur, quod h. l. *DEO*: quia scilicet per scripturæ vocem illa declaratio & manifestatio peccati à DEO fit. Confer Rom. 3: 9. seqq.) Sequitur: *Ut omnium misereatur*, h. e. ut omnium se misereri, & neminem hominum absoluto decreto à gratiâ sua excludere, hoc modo declaret. Quod ad superiora exempla pertinet.

a Referri huc potest verbum נָתַן *dedit*, quod quandoque *pronunciare & docere* significat, atque sic oralem notificationem, non realem dationem. (a Dare pro pronunciare & docere.)

Deut. 11: 29. וְנָתַתָּה *& dabis benedictionem hanc super monte Gerizim*, h. est, pronunciabis audiente populo.

Deut. 13: 2. *Cum surget in medio tui propheta, aut somnians somnium,* וְנָתַן *& dederit tibi signum aut prodigium*, h. e. prænunciaverit, seu dederit verbo, uti vers. 2. explicatur. Sic 1 Reg. 13: 6.

Prov. 9: 9. תֵּן *Da sapienti, & sapiet ampliùs.* Sequitur explicatio, הוֹדַע *fac notam justo, & addet disciplinam.* Targum illud תֵּן reddit אַלֵּף *doce*. Sic cap. 4: 2. Luc. 1. ℣s. 77. *δοῦναι de scientiæ salutis*, quæ docetur, accipitur. Simile huic significationi vocis *dare*, occurrit & apud profanos. Eurip. δὸς ἡμῖν τοῖς θέλουσιν εἰσιδεῖν, *da*, h. e. doce. Cicero, 1 Acad. 59. *Sed da mihi nunc, satisne probas?* Virg. in bucol. *Sed tamen iste Deus qui sit, da Tityre nobis.* Horat. lib. 2. sat. 8. *Da, si grave non est.* Sic vulgò *tradere pro docere*; & *traditio pro doctrina* accipitur.

b Vice versâ לָקַח *accipere*, idem quandoque est, ac *discere*. Prov. 1: 3. לָקַחַת *ad accipiendum eruditionem intelligentiæ.* Inde nomen לֶקַח *doctrina*, Prov. 4: 12. Deut. 32: 2. Primasius in Comm. Gal. (observante Drusio) distinguit inter *accipere & discere. Hoc* (inquit) *interest, quod accipiat Evangelium, cui primum insinuatur, & qui ad fidem ejus adducitur, ut credat vera esse, quæ scripta sunt: Discit is, qui ea, quæ in illo per ænigmata & parabolas figurata sunt, explanata & diserta cognoscit.* Sed hæc distinctio non est perpetua. (b Accipere pro discere.)

Huc referendum, quod λαμβάνειν *accipere*, pro μανθάνειν *discere* accipitur Joh. 16. vers. 14. *de Spiritu sancto* usurpatum, qui à Filio Dei *audit* (ut vers. 13. dicitur) *& discit*. Ἀνθρωποπαθῶς hoc dicitur & θεοπρεπῶς intelligendum. August. *Audientia, quæ Spiritui tribuitur, æterna est, quia & scientia æterna est.* Confer Dan. Heinsium in Arist. sacro c. 26.

## Canon XVI.

*Verba, quæ rei appellationem vel notificationem significant, quandoque pro ipsâ rei productione & essentiâ usurpantur.*

Alii sic proponunt: *Voces verbales pro realibus ponuntur, ita ut dictum pro facto; & vocare seu appellare pro facere; vocari verò pro fieri seu esse sumantur.* Pertinent igitur ad hunc canonem.

D. קרא

1. קָרָא *καλεῖν*, *Vocare* seu *appellare*.

Quidam: *Verbum* קָרָא *sic acceptum, significat aliquid ejusmodi esse, ut idcircò ab omnibus celebretur.*

Esai. 47. vers. 3. (al. 1.) *Non perges vocari tenera & delicata*, vers. 7. (al. 5.) *non perges vocari Domina regnorum*, h. e. non amplius talis futura es.

Esai. 56: 7. *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus populis*, h. e. erit domus orationis. Sic Matth. 21: 13.

Matth. 5. vers. 9. *Beati pacifici, quia ipsi filii Dei vocabuntur*, hoc est, erunt. Sic & ibid. vers. 19. Luc. 1. vers. 76. 1 Joh. 3. vers. 1.

Huc referunt, cùm *Deus* dicitur *vocare aliquid*, h. e. creare seu efficere. Psal. 105: 16. *Et vocavit famem super terram*, h. e. effecit. Sic 2 Reg. 8: 1. Rom. 4: 17. *Deus vocat ea, quæ non sunt, ut ea quæ sunt*, h. e. facit, quæ non sunt, ut sint. Sed in his vocare, non est *appellare* vel *nominare*, sed *advocare*, *accersere*, Quod ἀνθρωποπαθῶς de Deo creatore dicitur, pro *producere* seu adducere.

Ex profanis Beza exemplum locutionis hujus adfert, illud Homeri Il. δ. καὶ οὕνεκα σὴ παράκοιτις κέκλημαι. Ubi Eustathius: τὸ κέκλημαι, inquit, οὐκ ἐνδοιασμὸν δηλοῖ, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ εἰμὶ κεῖται. ἵνα λέγῃ, ὡς οὐ ψεύδομαι εἶναι σὴ, ἀλλ' ὑπὸ πάντων οὕτω καλοῦμαι.

2. *Dicere*, & quæ huic cognata sunt.

Psal. 9. vers. 6. גָּעַרְתָּ *increpâsti gentes*, hoc est, fudisti seu perdidisti, ac si sententiam duram contra eos tulisses. Vide & Ps. 76: 6. Sic Zach. 3: 2. dicebat Jehova ad Satanam, יִגְעַר *increpet Jehova te, ô Satan, increpet*, inquam, *te Jehova*, h. e. Pater verbo suo potenti depellat te à tribunali suo, & accusandi facultatem tibi adimat, justificans servum suum. Luth. tom. 4. Germ. Jen. f. 256. Diß schelten des Herrn ist auff der Schrifft weise geredet/ welche bezeuget/ daß Gott alle Ding durch sein Wort thue und schaffe/ Psal. 33. Also wenn GOtt spricht/ so ists so viel/ er thut und schafft etwas/ etc. Also GOttes schelten ist so viel/ als dem Teuffel wehren und abschrecken/ daß er sein Fürnehmen durch GOttes Gewalt muß lassen. S. Paulus Rom. 16. redet eben von demselben Schelten Gottes/ mit andern Worten also: Gott zutrete den Satan unter euren Füssen bald. Das Untertreten ist so viel/ als das Schelten. Psal. 106. v. 9. וַיִּגְעַר *& increpavit mare Suph, & exaruit*. August. in h. l. tom. 8. col. 1239. *Non legimus ullam, qua increparetur mare emissam cœlitus vocem, sed potentiam divinam, quâ id factum est, increpationem vocavit.*

Esa. 4: 3. (al. 2.) *Et erit, ut qui relictus fuerit Zione, & residuus in Jerusalem sanctus* יֵאָמֵר *dicatur*, h. e. existat vel sit.

Amos. 6: 1. *Væ tranquillis Zione, & fiduciam habentibus in monte Schomronis, qui* (montes) נְקֻבֵי *nuncupati sunt præcipuum suarum gentium*, h. e. qui præcipui sunt.

Rom. 7. vers. 3. *Igitur vivente marito* (mulier) μοιχαλὶς χρηματίσει, *adultera vocabitur, si alteri viro fuerit juncta*, h. e. adultera est vel sit.

1 Cor. 5: 1. *Qualis scortatio nec inter Gentes* ὀνομάζεται, *nominatur*, h. e. in usu est. Qualem ipsi gentiles jure naturali illicitam esse intelligunt, & idcirco non ferunt aut tolerant. Etsi satius videtur, hoc loco per μείωσιν poni minus, ut majus inde colligatur. *Ne nominatur quidem*, scil. nedum ut perpetretur, & nefariè exerceatur. Sicut Jer. 18: 13. *quis audivit talia?* q. d. nedum fecit?

Huc referuntur & sequentia.

Heb. 11. vers. 4. *Per fidem mortuus* Abel *adbuc* λαλεῖται *loquitur*, h. e. existit & vivit, in conspectu scil. Dei glorioso. Vel, *adhuc loquitur*. h. e. reale exhibet testimonium justitiæ divinæ contra sævum fratricidam. Sic Hebr. 12. vers. 24. *sanguini aspersionis*, κρείττονα λαλοῦντι, *meliora loquenti*, *quàm* (sanguis) *Abel*. *Sanguis Abel* reale testimonium est divinæ justitiæ adversus Cainum: *sanguis Christi* realissimum est testimonium divinæ misericordiæ erga miseros peccatores, & simul sufficientissimum λύτρον. *Sanguis Abel* loquitur de terra, & efflagitat vindictam, Gen. 4: 10. Matth. 13. vers. 35. *Sanguis Christi* de cœlo quasi loquitur reconciliationem cum Deo, pacem & vitam; eamque credentibus, reipsa confert. Scaliger illud λαλεῖται Hebr. 11: 4. passivè accipit: ἔτι λαλεῖται, *adbuc prædicatur, seu in ore omnium est*, Dn. D. Balduin. *Fidei cujus celebratio in Ecclesia nunquam intermoritur.*

1 Pet. 3: 19. *Christus* ἐκήρυξεν *prædicavit spiritibus in carcere &c.* h. e. re ipsa ac præsentia sua convincit & redarguit, &c. De sensu obscuri

scuri hujus loci consulatur Reverend. Dn. D. Gerhard. tom. 8. Loc. Theolog. de morte, pagin. 312. seqq.

3. *Docere, notum facere, ostendere &c.*

1 Sam. 14: 12. *Ascendite ad nos* וְנוֹדִיעָה *& notum faciemus vobis verbum*, h. e. ipso facto vobis faciemus male. Ostensio pro effectione, & verbum pro reipsa ponitur.

Psal. 16. ult. תּוֹדִיעֵנִי *scire me facies viam vitæ*, h. e. reipsa mihi aditum ad veram vitam patefacies, seu vitæ gloriosæ me participem facies. Quod in resurrectione Christi factum. Confer Actor. 2: 28.

Psal: 45: 5. וְתוֹרְךָ *& docebit te mirabilia dexteræ tua*, h. e. realiter dextra tua operabitur mirabilia. Luth. So wird deine rechte Hand Wunder beweisen.

Psal. 60: 5. הִרְאִיתָ *ostendisti populo tuo dura*, h. e. reipsa exhibuisti ipsi dura, seu afflixisti eum. Sic Psal. 71: 20.

Joh. 5: 20. *Pater diligit filium, & omnia* δείκνυσιν *demonstrat ei, quæ ipse facit: & majora his* δείξει *ostendet ei opera, ut vos miremini*, hoc est, pater omnia opera per filium, & una cum filio operatur, ut vers. 17, 19, 21. declarant. Loquitur de reali potestatis operandi, sibi secundum carnem factâ, communicatione.

Videatur & Joh. 10. vers. 32. Actor. 9. v. 16. 2 Tim. 4. vers. 14. Sic in LXX. Interp. versione. Gen. 50: 17. ὅτι πονηρά σοι ἐνεδείξαντο, *quia mala tibi ostenderunt*, h. e. intulerunt. Pro Hebr. גְמָלוּךָ *rependerunt tibi*. v. 15.

Huc pertinere videtur Apoc. 1: 1. *Apocalypsis Jesu Christi*, ἣν ἔδωκεν, *quam dedit ipsi Deus, ut indicaret servis suis. Dare* pro *docere* usurpatur, si de doctrinâ sermo sit, uti can. 15. circa fin. dictum. Datur igitur Christo à Patre apocalypsis (occulta doctrina, hominibus revelanda) seu docetur Christus à Patre, quando ex arcano Patris sinu eam profert, Joh. 1: 18. & realiter potentissimo suo brachio id operatur, quod in Apocalypsi illâ prædicitur. Posses etiam referre huc, quod d. l. de Spiritu sancto ex Joh. 16: 14. allatum. De Christo accipit, & à Christo discit, cum doctrinam de Christo per Apostolos in mundo gloriosè patefacit, & per eam ad salutem hominum potentissimè operatur, &c.

4. *Benedicere, maledicere.*

Si scil. de Deo id asseratur: sic nihil aliud est, quam *benefacere aut malefacere* & punire. ὅσα ἂν λέγει Θεὸς, οὐ ῥήματα, ἀλλ' ἔργα ἐςί. Luth. d. l. Wenn Gott segnet (das ist/ wenn er wol und gütlich spricht) so thut er wohl/ hilfft und macht groß / wie im Alten Testament die Güter und zeitliche Haabe/ GOttes Seegen heist. Wiederumb/ wenn er flucht/ so verderbet er/ und machts zu nichte. Daher Fluch heist / verderben an Gütern/ wie Malachias sagt cap. 2. Ich wil euren Seegen fluchen/ das ist/ ich wil eure Güter geringe machen/ die ihr durch meinen Seegen habt/ etc. Exempla de benedictione DEI & maledictione tum spirituali tùm externâ & corporali ubivis in scripturis obvia. Vide de *benedicendi* verbo differentem D. Flacium part. 1. clav. script. col. 73. seqq. Observat Cl. Heinsius, εὐλογίαν θεȣ cumprimis *multiplicationem ejus* significare, unde antiquissimam in creatione & post diluvium εὐλογίαν sive benedictionem voce רְבוּ *multiplicamini*, contineri, Hebræi observârunt, Gen. 1: 28. cap. 9: 1. Vide & cap. 17: 20. Et in benedictione patrum prophetica, Genes. 27. vers. 33. &c. Quando igitur in miraculis Christus dicitur in Euangelistis εὐλογεῖν, item εὐχαριςεῖν, Joh. 6: 23. &c. ipsa ejus miraculosa & divina multiplicandi actio intelligitur.

Κατ' ἀναλογίαν & per quandam quasi parenthesin huc referendum, quod דָּבָר *verbum* apud Hebræos pro *reipsâ* ponitur, Gen. 18. vers. 14. Exod. 9. vers. 4. 1 Sam. 14. vers. 12. Amos 3. vers. 7. Unde & Liber דִּבְרֵי הַיָּמִים *verba dierum*, h. e. res gestæ temporum: quæ inscriptio Hebræa est libri utriusque Chronicorum. Alii tamen explicant, *Verba dierum*, hoc est, recensiones rerum gestarum in diebus seu temporibus, per metonymiam adjuncti. Sic in N. T. ῥῆμα, *verbum*, pro re *gestâ* vel factâ, Luc. 2. vers. 15. cap. 1. 37. Et λόγος, Marc. 1. vers. 45. Luc. 9. vers. 28. Rom. 9. vers. 28. Ita & λόγος καὶ ἔπος à profanis auctoribus usurpatur, ut Pfochenius ostendit, in diatribe de linguæ Græcæ Nov. Test. puritate p. 48. Huc pertinet, cum צְעָקָה *clamor*, pro tumultuosâ & impiâ vitâ accipitur, Genes. 19. vers. 13. Unde appellatio *peccatorum in cœlum clamantium*. E contrario verbum דָּמַם *silere* pro cessare accipitur, Jerem. 14. vers. 17. Thren. 3. vers. 49.

## Canon XVII.

*Verba, quæ fieri, esse, vel agere significant, quandoque pro rei cognitione ponuntur.*

VEL: *Res sæpiùs dicuntur fieri, cum facta esse cognoscuntur.*

Job. 5: 3. *Ego vidi stultum radicatum,* וָאֶקּוֹב *& execratus sum habitaculum ejus repente*, h. e. mox cognovi, maledictum esse ejus habitaculum; seu, reputavi fore, ut domui & familiæ ejus malè cederet.

Psal. 51: 6. *Ut* תִּצְדַּק *justificeris in sermonibus tuis*, h. e. justus agnoscaris, vel etiam declareris; secundum can. 15. sæpe enim manifestatio & cognitio rei (utpote relata) conjuncta sunt. Et sic in quibusdam aliis, quæ sequuntur.

Psal. 119: 128. *Propterea omnia mandata, omnia* יִשָּׁרְתִּי *rectifico*, h. e. recta agnosco, ac proinde etiam prædico.

Hos. 5: 15. *Usque dum* יֶאְשְׁמוּ *rei sint*, h. e. reos se agnoscant & peragant, ut sequentibus verbis declaratur. Descriptio seriæ contritionis.

Matth. 5: 44, 45. *Diligite inimicos vestros &c. ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est*, hoc est, ut agnoscamini & declaremini filii DEI. Quæ charitas non facit DEI filios & Christi discipulos, sed ostendit, Joh. 13: 35. 1 Joh. 3: 14. Sola fides nos DEI filios facit, dum Christo inserit, Joh. 1: 12. Gal. 3: 27.

Matth. 12: 33. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam & fructum ejus malum*, h. e. aut agnoscite & fatemini, arborem illam esse bonam, quæ fructus bonos fert; aut vice versâ agnoscite arborem malam ex fructu ejus malo. Sequitur: *ex fructu enim arbor agnoscitur.* Loquitur Christus *de seipso*, & ex miraculo, tanquam fructu bono, se tanquam arborem bonam, & ipsam vitæ arborem, Messiam scilicet benedictum, agnosci vult. Versatur enim adhuc in demonstratione illius, *se Diabolum non expulisse operâ Beelzebub.* Beza benè: ποιήσατε, *ponite vel statuite, in vestris scil. de me sermonibus. Argumentatur ab effectu ad causam. Cum enim Christi opus, dæmonis ejectionem, reprehendere non possent, ipsum tamen ut magum accusabant. At enim, inquit Christus, quale est opus, talis est ejus auctor. Aut igitur fatemini, bonum esse eum, à quo bonum opus edatur, aut utrumque malum esse ostendito.* Alii, conferentes connexionem vers. 34, 35. *ad ipsos Pharisæos* verba Christi pertinere adstruunt, hoc sensu: agnoscite & fatemini, vos esse arbores malas, cum feratis fructus malos videl. iniqua odia, calumnias, & ipsam in Spiritum sanctum blasphemiam: aut si vultis agnosci pro arboribus bonis, ferte fructus bonos, dilectionis scil. Dei & proximi &c.

Joh. 9. vers. 41. *Dicit eis Jesus: Si cœci essetis, non haberetis peccatum*, h. e. si cœcitatem vestram spiritualem agnosceretis, peccatum vobis remitteretur. Sequitur antithesis: *Nunc verò dicitis, videmus, peccatum igitur vestrum manet*, hoc est, cœcitatem vestram non agnoscitis, sed benè oculatos vos esse arbitramini, igitur nec peccatorum remissionem consequi potestis. Confer vers. 39. ubi per *non videntes* seu *cæcos* itidem intelliguntur, qui cœcos spiritualiter se esse agnoscunt, & à Deo illuminari petunt: per *videntes* contra, qui se videre putant solos, (Confer Rom. 2. vers. 19, 20.) quales erant Pharisæi, qui propterea arroganti titulo se *sapientes* vocabant. Sapientes autem פִּקְחִים appellantur, quasi *videntes & apertos* dicas: Fortè eò Christus respexit; quæ verba Drusii sunt præter. 4. pag. 137.

Rom. 3: 7. *Si enim veritas Dei in meo mendacio* ἐπερίσσευσεν *exuberavit in gloriam ejus, quid adhuc ego ut peccator judicor?* h. e. exuberans vel abundans esse cognita est. Est repetitio prioris objectionis. v. 5. propositæ, his verbis: *Si autem iniquitas nostra justitiam DEI* συνίστησι *commendat, quid dicemus? nunquid injustus Deus, qui infert iram? Iniquitatem nostram commendare seu illustriorem facere Dei justitiam: & Dei veritatem in hominum mendacio abundare, seu ut abundantem cognosci*, ejusdem sententiæ phrases sunt.

Ibid. v. 19. *Ut omne os obstruatur, &* ὑπόδικος γένηται *subditus fiat omnis mundus Deo*, h. e. ut agnoscant se omnes homines reos iræ Dei & maledictionis æternæ. Phrasis judicialis, propriam sontis agnitionem exprimens.

Rom. 5. v. 20. *Lex autem subintravit,* ἵνα πλεονάσῃ *ut abundaret delictum*, hoc est, ut eò meliùs agnosceretur, & vis ejus sentiretur. *Ubi enim non est Lex, ibi peccatum non æstimatur*, v. 13. Confer cap. 3: 20.

1 Cor. 3. vers. 18. *Si quis videtur sibi sapiens esse inter vos in hoc seculo,* μωρὸς γενέσθω, *stultus fiat, ut sit sapiens*, h. e. stultitiam suam nativam agnoscat, & carnalem suam sapientiam abneget: sic fiet sapiens, in rebus scil. divinis & spiritualibus. Confer. v. 18. cap. 1, 18. seqq.

2 Cor. 7: 14. *Gloriatio nostra de Tito* ἀλήθεια ἐγενήθη,

ἐγενήθη, *veritas facta est*, h. est, agnita fuit à vobis, ut verissima.

1 Thess. 1: 8. *In omni loco, fides vestra, quæ est ad Deum*, ἐξελήλυθεν *egressa est*, h. e. agnita est; seu fama de fide vestra dimanavit in omnem locum.

2 Tim. 2: 21. *Si quis emundaverit seipsum ab istis* (vasis ignominiæ,) ἔςαι *erit vas in honorem, sanctificatum, & utile Domino*, hoc est, cognoscetur, seu declarabitur, quod sit. In v. 19. dixit, *Deum certò nosse, qui sint sui*, seu qui sint electi ad vitam æternam: jam addit, nos non posse eos agnoscere, nisi ex effectis, videlicet eos esse electos, qui se (non viribus propriis, sed) per Spiritus sancti gratiam, cui se regendos committunt, ab impiâ doctrina & vitâ mundos custodiunt.

Huc referunt, quòd Hebr. 7: 3. de *Melchisedec* dicitur, quòd sit *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem habens*. Quæ verba non de rei ipsius veritate, sed de nostra cognitione accipienda, quod scil. de patre, matre, genere, nativitate & morte ejus nobis non constet, quia in scripturis hoc non est revelatum. Simile Drusius adfert ex Hebræis, de Jacobo patriarchâ dictum: *Jacob non est mortuus*. Nam cum de morte ipsius sermo est, scriptura non utitur verbo moriendi; non dicitur, וַיָּמָת *& mortuus est*, sed וַיִּגְוַע *& exspiravit*, Gen. 49: 33. ἀμφίβιον quidem hoc, sed οὐ κατὰ πάντα. Theoph. *Non sic dicitur Melchisedec, quòd non habuerit patrem & matrem, habebat enim, ut ipse mortalium unus, sed quia generis ejus ratio ac deductio non est contexta apud scripturam; neque introducitur nomen parentum ejus.*

## Canon XVIII.

*Verba, quæ esse vel facere significant, quandoque pro rei opinione ponuntur, & intelligenda sunt* Φαινομένως *reputativè.*

GEn. 42. v. 40. *Locutus est Vir ille Dominus terræ nobiscum duriter*, וַיִּתֵּן *& dedit* seu *posuit nos tanquam exploratores terræ*, h. e. habuit seu reputavit nos tales.

1 Reg. 1: 21. *Et erit, cum occubuerit Dominus meus Rex cum patribus suis*, וְהָיִיתִי *& ero ego & filius meus Salomo peccatores*, h. e. reputabimur pro peccatoribus, & agetur nobiscum, ut cum sontibus, sicque de vitâ nostrâ periclitabimur.

Prov. 3: 7. אַל תְּהִי *ne sis sapiens in oculis tuis*, h. e. ne videaris tibi sapiens.

Matth. 10. v. 39. *Qui invenit animam suam, perdet illam*, h. e. qui putat se invenire vitam suam: qui existimat, se per abnegationem Euangelii invenisse medium, quo vitam suam tueri, ac dies bonos in hac vitâ obtinere possit, is amittet eam, quia scilicet in mortem æternam incidit.

Matth. 13: 12. *Qui habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, etiam* ὃ ἔχει, *quod habet, tolletur ab eo*, h. e. quod putat se habere, uti Luc. 8. v. 18. exponitur. Sensus est: qui verbum DEI amat, & studiosè versat volvitque mente devotâ, ei DEUS progressus & incrementa fidei & lucis internæ opulenter largitur: Qui vero fastidiosè verbum spernit, in illo persuasio divinæ agnitionis cum maximo ejus exitio tandem evanescet.

Joh. 5. v. 31. *Si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum*, h. e. à vobis pro falso habetur seu reputatur. Confer c. 8: 16.

Joh. 7: 28. *Et me scitis, & scitis unde sim*, h. est, putatis vos scire. Confer Lutherum tom. 2. Isleb. fol. 236. b.

Joh. 16: 25. *Hæc in proverbiis locutus sum vobis*, h. est, visus vobis sum sic loqui, cum mea verba non rectè intellexeritis.

Rom 2. vers. 25. *Si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium* γέγονεν *facta est*, hoc est, pro præputio ruputatur & habetur, uti in vers. 26. explicatur. Differt autem hoc exemplum à reliquis in eo, quod de *reputatione verâ* sermo est; in aliis autem de *reputatione falsa*.

Rom. 7: 9. *Ego autem* ἔζων, *vivebam sine lege aliquando*, hoc est, vivere mihi videbar; Eram securus, confidebam de justitia propria, idque absque lege, hoc est, absque accurata legis consideratione. Sequitur: *Veniente vero mandato*, (cum vera legis divinæ intelligentia de interiori cultu & perfecta impletione cordi meo patefieret) *peccatum revixit* (angoribus conscientiæ totus fui obrutus ob peccatorum multitudinem & fœditatem.) v. 10. *Ego vero moriebar*, h. e. agnoscebam, me propter peccata esse morti æternæ obnoxium, vel etiam, conscientia mea lethaliter vulnerabatur, cum antea securus vixissem.

Phil. 3: 7. *Sed quæ mihi erant lucra*, h. est, quæ lucra mihi esse putabam, ad obtinendum videl. salutem.

## *Nota.*

Sunt & quædam loca, quibus *existimationis* seu *reputationis* fit mentio, & *res ipsa*, pro ratione textus, intelligenda est.

Phil. 2: 6. *Qui cum in forma DEI esset*, ὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, *non rapinam arbitratus est, esse* (sibi) *æqualia DEO.* h. est, non rapuit, seu instar rapinæ usurpavit. Chemnit. in lib. de duab. nat. 217. *Cum filius à Patre missus est in carnem, ut in ea talem subjectionem & obedientiam pro nobis præstaret, noluit præter vocationem & ante tempus rapere usurpationem & ostensionem divinæ potentiæ & operationis in assumta & per assumtam naturam, sed exinanivit se &c.* Negativé explicandum esse, adversativa parricula ἀλλὰ *sed*, in vers. 7. ostendit.

1 Thess. 13. vers. 5. καὶ ἡγεῖσθαι *& arbitrari eos quam maximè charos*, h. e. reipsa habere eos charos, seu impense amare. Confer 2 Tim. 6: 1.

Hebr. 4: 1. *Ne* δοκῇ *videatur aliquis ex vobis fuisse frustratus*, h. e. verè frustretur.

Hebr. 10: 29. *Et sanguinem Testamenti* κοινὸν ἡγησάμενος *pollutum ducens* seu *existimans* h. e. κοινώσας vel κοινωσάμενος, *polluens*, quantum scil. in se est, blasphemiis, uti explicatio subjungitur. Alii: qui sanguinem Christi, per quem novum DEI fœdus sancitum & confirmatum, non alio habet loco, quam sanguinem immundi animalis, vel sanguinem cujusvis hominis &c.

Quidam huc referunt verbum δοκεῖν in illo Gal. 2: 2. *Ascendi ex revelatione, & exposui eis Euangelium, quod prædico inter gentes: privatim vero* τοῖς δοκοῦσι, *putantibus*, seu, *qui sibi videntur* h. est, εὐδοκιμοῦσι, qui sunt in precio, qui præ aliis eminent. Loquitur de Apostolis Christi. Sic Marc. 10: 42. οἱ δοκοῦντες ἄρχειν, *qui putant seu putantur regnare*, h. e. qui regnant. Hebr. 4: 1. *Timeamus igitur, nequando derelicta promissione introeundi in requiem ejus*, δοκῇ *videatur aliquis ex vobis fuisse frustratus*, h. e. verè frustretur. Vide & 1 Cor. 11: 16. c. 12: 22. Confer Flacium part. 1. clav. script. col. 53.

## *Continuatio.*

HActenus de verbo considerato respectu adjuncti: Sequitur consideratio ejus respectu *oppositi:* Duabus his regulis exposita.

## Canon XIX.

*Verba affirmantia pro contrariis negantibus quandoque ponuntur.*

ALii, *actiones vehementiores pro lenioribus* usurpari his verbis dicunt, & ad hyperbolen referunt.

*ODISSE* pro *non curare*, non singulariter diligere, alteri posthabere.

Gen. 29: 31. *Et vidit Jehova, quod* שְׂנוּאָה *exosa esset Lea*, h. e. minus amata, amore & curâ Racheli postposita, uti v. 30. expositio habetur.

Luc. 14: 26. *Si quis venit ad me, & non* μισεῖ, *odit patrem suum, & matrem &c. non potest meus esse discipulus.* Id Matth. 10. vers. 37. sic exponitur: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Odisse igitur parentes & alia, in causâ religionis & pietatis, est, non ita diligere ut Christum & ejus doctrinam, sed eos posthabere, ut ita, vocatione divinâ ferente, deserantur, si in Christi servitio remoras injicere velint. Eadem ratio verborum est, Joh. 12. vers. 25. ὁ μισῶν, *qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam*, h. e. qui minus diligit vitam suam, quam Christum, ita ut propter confessionem ejus vitam etiam & sanguinem profundat, si necessitas & vocatio divina ferat. Confer Matt. 10: 39. cap. 16: 25. Marc. 8: 35. Luc. 9: 24. cap. 17: 33. Apoc. 12: 11.

Rom. 9: 13. *Sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Placet hoc de loco (& altero illo Mal. 1. quem allegat Paulus) adscribere verba meritissimi Theologi Joh. Schröderi: *Per odium istud propositum DEI notatur, quo Esavum posthabuit & subjecit Jacobo, ceu servum Domino, Gen. 27: 29, 37, 40. Mal. 1: 3. Non obstat, quod ibidem vers. 4. dicitur, quod Esavitæ sint populus, cui irascitur Dominus usque in æternum. Loquitur enim Dominus de irâ exitii temporalis perpetui, quo, attestante Obadiâ, Idumæa penitus devastanda erat, quod æternum fore affirmat, eo quod Idumæi è sedibus suis ejecti, nunquam redituri essent. Id enim vult DEUS considerari à populo suo tam ingrato, ut agnoscat, DEUM, etsi captivum duci permiserit, non tamen ita abjecisse, quin in terram suam ad cultum DEI verum reduxerit. Quod si de æterna Idumæorum damnatione & reprobatione intelligatur, in ventos abirent Prophetarum vaticinia de vocatione Idumæorum: ad regnum Messiæ,*

*Messiæ*, *Esa.* 11. *vers.* 14. *Amos.* 9. *v.* 11. 12. *&c.*

Pertinent ad hunc canonem & sequentia.

Deut. 3: 26. וַיִּתְעַבֵּר *& excanduit contra me Dominus*, h. e. non gratiam illam, quam exorabam, exhibuit, ut scil. introduceret me in terram promissam, uti petebam humiliter. Sequitur hæc explicatio ibidem. Verbum התעבר alias *excessum iræ* significat. q. d. *furore percitus fuit*, *excanduit*.

Job. 2: 6. *Et dixit Jehova ad Satanam, ecce ipse in manu tua esto; veruntamen animam ejus* שְׁמֹר *custodi* seu *serva*, hoc est, vitam ejus ne attingas vel ei adimas.

Ezech. 18: 27. *Cum autem revertens improbus ab improbitate suâ, quam faciebat, exercet jus & justitiam, hic animam suam* יְחַיֶּה *vivificabit*, h. e. non morietur, non peribit, sed in vitâ & ad vitam conservabitur, ut ostendit oppositio. Sic Luc. 17: 33.

## Canon XX.

*Verba negantia pro contrariis affirmantibus, per quandam μείωσιν sæpius ponuntur.*

Alii: *Adverbia negandi verbis adposita, sæpè ejus, quod exprimunt, contrarium affirmatum, cum emphasi denotant.* Quidam *Litoten* (lenitatem) vocant.

Exod. 20: 7. לֹא־יְנַקֶּה *non habebit seu declarabit insontem Jehova eum, qui assumserit nomen ejus in vanum*, hoc est, declarabit sontem, & proinde gravissime puniet.

Lev. 10: 1. *Obtulerunt coram Jehova ignem alienum, quod* לֹא־צִוָּה *non præceperat eis*, h. e. quod ipsis fortiter prohibuerat.

Num. 21. vers. 23. וְלֹא־נָתַן *& non dedit seu permisit Sibon Israeli transire per terminum suum*, h. e. id omni vi adhibitâ prohibuit. Confer Deut. 2: 30. Sic & Genes. 20: 6. cap. 31: 7. Exod. 3: 19.

1 Sam. 12: 21. (al. 23.) *Et ne recedite, quia post inanitatem* (iretis) אֲשֶׁר לֹא יוֹעִילוּ *quæ non prosunt neque eripiunt, quia sunt inanitas*, h. e. ne declinate ad idola, quæ maximè oberunt vobis, & iram DEI ac pœnas vobis accersent. Sic & Jer. 2: 8, 11.

Psal. 78: 50. לֹא חָשַׂךְ *non prohibuit à morte animam eorum*, h. e. severis judiciis exercuit, & morti violentè tradidit.

Psal. 84: 12. לֹא יִמְנַע *non cohibet bonum ambulantibus integrè*, h. e. arcet, & propulsat malum, & fortiter defendit: & demum bona largissimè præbet. Confer Psal. 23: 1. seqq.

Psal. 107: 38. *Qui benedicit eis, & multiplicantur valdè, & jumenta eorum* לֹא יַמְעִיט *non minuit*, h. e. auget.

Prov. 12. vers. 2. (al. 3.) לֹא יִכּוֹן *non stabilitur homo improbitate*, h. e. radicitùs commovetur & eradicatur, ut ex addita antithesi apparet.

Prov. 17: 21. *Qui gignit stolidum*, (gignit) *ad mœrorem sibi*, וְלֹא יִשְׂמַח *& non lætabitur pater stulti*, h. e. dolore magno & continuo afficietur. Drusius de hoc loco ita: *Nemo quisquam unquam ita dolet, quin idem aliquando gaudeat. Sed enim, qui in omni momento dolet, is vero dicitur non gaudere. Summus enim dolor, semper lætitiâ vacare. Quocirca Epicurus maximam voluptatem, detractionem privationemque omnis definivit doloris. Sic Prov.* 10: 2. *Non prosunt thesauri improbitatis. Nam quod in omni tempore nocet, de eo verissimè pronunciatur, non prodest &c.* Hæc ille lib. 1. observ. c. 22.

Esa. 42: 3. *Arundinem quassatam* לֹא יִשְׁבּוֹר *non franget, & linum fumigans* לֹא יְכַבֶּנָּה *non exstinguet illud:* h. e. arundinem quassatam consolidabit & confortabit: linum fumigans accendet & illuminabit. Sensus metaphorarum harum est: *Infirmos* (Christus Salvator) *misericorditer solidabit, eriget & consolabitur.* Quod ferè Chaldæus expressit, ita transvertens: *Mansuetos, qui sunt quasi calamus quassatus, non confringet, & pauperes, qui sunt quasi linum obscurum, non exstinguet.* Qui & de *Messia* v. 1. hunc textum diserte exponit. Repetitur hoc oraculum propheticum Matth. 12: 20. in quæ verba pulchrè Lutherus tom. 4. Jen. Latin. fol. 330. b. *Inest his verbis alia figura, scil. tapeinosis seu emphasis, quia minus dicit, quam significat. Ut, non exstinguet, non confringet, h. e. maximè accendet, & consolidabit. Et est illa figura valde dulcis & potens, in loco dicta, ad consolandum. Ut si pusillanimis aliquis sit, & metuat accedere ad Sacramentum propter reverentiam &c. persuadeat aliquis hac figura, cur metuis? accede: non enim Christus venenum tibi dabit. Item*, Er stehet ja nicht mit der Keule hinder dir: Item, er wird dich nicht fressen. *Valde erigunt ista negativa, quia excludunt hoc, quod metuitur malum, potentissimè: & simul includunt affirmativè quod petitur bonum, opulentissimè. Sic si trepidet aliquis ad suscipiendum officium, dicetur ei*, Ey es beist dich nicht / ists doch kein Teuffel nicht / *id est, est opus excellenter bonum & utile, non tantum innoxium.*

Zach. 8: 17. *Juramentum falsum ne* תֶּאֱהָבוּ *diligite*, h. e. odio habete, & detestamini.

Matth. 12. v. 32. *Qui dixerit* blasphemiam

*contra Spiritum sanctum*, ἐκ ἀφεθήσεται *non remittetur ei*, *neque in hoc seculo*, *neque in futuro*: h. e. summé infelix erit, & gravissimè punietur, tum in hoc, tum in futuro seculo: seu reatum judicii divini & in hoc seculo & in futuro sustinebit. *Beatitudo hominis est*, *cui remissa sunt peccata*, Rom. 4: 7. Ergò ex contrario, summa infelicitas hominis, cui non remittuntur peccata. Confer Marc. 3: 29. ubi explicatio solida habetur.

Joh. 14: 18. *Non relinquam vos orphanos*, h. e. certò adero vobis, & potenter vos protegam & servabo; ero vester ὀρφανιςής, tutor, patronus ac defensor.

Rom. 4: 19. Μὴ ἀσθενήσας, *non imbecillis fide*, h. e. fortissimus & constantissimus.

1 Cor. 10. vers. 1. *Nolo vos ignorare*, h. e. maximè volo & cupio vos considerare, quod dico.

Hebr. 11: 16. *Quapropter* οὐκ ἐπαισχύνεται, *non erubescit* seu *non dedignatur DEUS*, *cognominari DEUS ipsorum*, hoc est, ἀξιοῖ dignatur eos, & honorem isthunc maximum iis exhibet.

Hebr. 13: 2. *Hospitalitatis ne obliviscamini*, h. e. omni studio ejus recordemini, eamque exerceatis.

Apoc. 12: 11. *Non dilexerunt animam suam usque ad mortem*, h. e. spontè & imperterrito animo sese propter sanguinem agni morti & martyrio subjecerunt: Seu, ut Beza vertit, *animæ suæ prodigi fuerunt usque ad mortem*. *Animam*, *hoc est*, *vitam diligere* dicitur, qui nihil habet hac vitâ charius: contra *non diligere animam suam*, qui non dubitat illam periculis & morti ipsi objicere, si gloria Christi & necessitas ita flagitet.

## De Verbo Activo et Passivo, & eorum significatione.

Tantum de generali significationis verborum diexodo: sequitur *specialis*, quæ verbum *activum* & *passivum* seorsim considerat. Tradita quidem etiam in superioribus quædam, quæ activum concernunt, sed quæ non sunt ejus propria, verum cum passivo verbo communia. Hic autem, quæ peculiaria cuique sunt, tradenda.

## Canon XXI.

*Activum verbum quandoque non* κατ᾽ ἐνέργειαν, *sed* καθ᾽ ἕξιν *intelligendum*: *seu non effectivè semper*, *sed quandoque habitualiter significat*.

Id verò *duplicitur* fit.

1. Cum simpliciter pro *habere* aliquid accipitur.

Lev. 11: 3. *Omne* מַפְרֶסֶת *quod dividit ungulam*, h. e. quod habet divisam seu scissam ungulam. Sic v. 5. וּפַרְסָה לֹא יַפְרִיס *& ungulam non dividit*, h. e. ungulam scissam non habet. Sic & in aliis hujus capitis versibus.

Matth. 23: 5. *Dilatant phylacteria sua*, *& magnificant fimbrias suas*, h. e. talia habent, vel talibus utuntur.

2 Pet. 2: 8. *Aspectu & auditu* (h. e. quocunque vel oculos vel aures applicuisset, quicquid cerneret vel audiret) *justus Loth*, *habitans apud eos* (Sodomitas) *de die in diem animam justam* (suam) *iniquis operibus* (Sodomitarum) ἐβασάνιζεν *excruciabat*; h. e. cruciatus continuos habebat, & animâ suâ sentiebat, ob iniqua illa Sodomitarum opera. Beza: *Anxiam ac doloribus confectam vitam trahebat*, *non minus laborans*, *quam si equuleo impositus*.

Genes. 2. vers. 17. *Quo die comederis ex eo*, מוֹת תָּמוּת *moriendo morieris*, h. e. eris mortalis (ut Symmachus reddidit) & morti certò superventuræ obnoxius. Intelligitur & mortalitas, & mortis cujuscunque etiam æternæ, reatus.

Exod. 4. vers. 14. *An non novi*, *quod Aharon frater tuus Levita* דַּבֵּר יְדַבֵּר *loquendo loquitur*: h. e. eloquens est, seu loquendi bene facultate pollet.

2 Sam. 14: 14. *Quia* מוֹת נָמוּת *moriendo morimur*, h. e. mortales sumus, & ad mortem appropinquamus.

Psal. 14: 1. seqq. homines dicuntur *corrumpere viam suam*, *facere opus abominandum*, *non quærere Deum*, *non intelligere*, *non facere bonum*. Quæ de malo peccati congeniti habitu & qualitate intelligenda, interprete Apostolo Rom. 3: 10.

Prov. 12: 16. (al. 17.) (Qui) *efflat* seu *proloquitur veritatem*, *annunciat justitiam*, h. est, qui verax est, is loquitur justa. *Habitualiter* subjectum esse explicandum, annexa oppositio ostendit: *Testis autem falsus* (proloquitur seu indicat) *dolum*.

Rom. 3: 23. *Omnes enim* ἥμαρτον *peccaverunt*, h. e. peccatores sunt, peccato infecti & polluti sunt. Sic cap. 5. v. 12. De passivo verbo similia videantur can. 14. Huc pertinent *participia*, quæ in *nomina* degenerant. Vide infrà tractat. 4. can. 2.

## Canon XXII.

*Activa verba tribuuntur etiam illis, quæ non propriissimè & influxu proximo id agunt, quod verba significant, sed certâ tantùm ratione concurrunt.*

TRaditi superiùs sunt similes huic canones, *quintus* scil. & sequentes. Sed hoc intercedit discriminis, quod in illis verbum ipsum explicari commodè potest, ut *facere* sit vel *posse facere*, vel *debere*, vel *optare & velle*, vel *conari*, vel *solere*, vel *occasionem dare*, vel demum *permittere facere:* Hîc autem ipsa actio in suo significatu retinetur, & quâ ratione ac respectu subjecto tribuatur, ostenditur.

Tribuitur igitur actio & verbum activum quandoque

### 1. Agendi δύναμιν conferenti.

Matth. 19: 5. *Et dixit* (scil. Deus, de quo loquitur) *propter hoc dimittet homo patrem & matrem* &c. Adscribitur hoc *dicere* DEO, quod Gen. 2: 23, 24. Adamo; quia loquendi & legem matrimonialem promulgandi δύναμιν Adamo concessit. Per Adamum, sanctum suum organum, Jehova legem hanc γαμικὴν promulgavit.

Act. 10: 20. dicit Spiritus sanctus ad Petrum de missis à Cornelio: *Ego misi istos.* Id verò proximè à Cornelio fuerat factum, v. 8, 21. Ut vero & voluerit & potuerit mittere, Spiritui sancto adscribendum, qui per S. angelum hoc ipsum Cornelio mandavit, & cor ejus impulsu suo movit.

Rom. 8: 26. *Quid oremus, sicut decet, nescimus, sed ipse Spiritus postulat seu interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Orare & gemere in piis dicitur Spiritus sanctus (uti & Gal. 4 v. 6.) quia orandi & gemendi δύναμιν excitat. Est enim *Spiritus gratiæ & precum*, Zach. 12. v. 10. *in quo clamamus, Abba, Pater*, Roman 8. vers. 15. Augustin. tom. 2. de Trinit. & unit. DEI cap. 3. *Scribitur Spiritus S. gemere pro nobis, id est, gementes nos facere.* Observa hîc jucundissimam & consolaminis plenissimam, intercessionis Spiritus sancti & suspiriorum piorum, conjunctionem, & „ quasi περιχώρησιν; Dum suspirant contritæ & „ DEO addictæ per Christum animæ, suspi„ rare & simul *intercedere*, ὑπερεντυγχάνειν di„ citur Spiritus sanctus. Quicquid precibus „ deest, id gemitui sancto in piorum cordibus „ includit Spiritus. Is gemitus non est ex na„ turæ viribus, sed ex DEO, unde ἀλάλητος. „ Quid consolatione plenius, quam DEUM „ in gemitu & suspirio, in mortis articulo, velle acquiescere, eumque, ut à Spiritu sancto excitatum, acceptare? Domine JESU, cum amplius fari non potero, exaudi finale meum desiderium & suspirium!

### 2. Actionem mandanti & procuranti.

Gen. 46. v. 29. וַיֶּאְסֹר *& junxit Joseph currum suum, & ascendit obviam Israeli patri suo*, hoc est, jungi per administros curavit. Sic cap. 40, 22.

2 Sam. 12: 9. Nathan ad Davidem, nomine Jehovæ, dicit: *Quare sprevisti verbum Jehovæ, faciendo, quod malum est in oculis ejus? Urijam Chittæum* הִכִּיתָ *percussisti gladio.* Percussit ipsum David, quem occiderant Ammonitæ, quia David hujus cædis auctor & curator fuit, unde statim subjungitur, *occidisti eum gladio Ammonitarum.* Quidam hoc indicari existimant verbo הִכָּה in conjug. *Hiphil*, quæ actionis translationem significat, ut innuatur, per alium, cui David vim occidendi contulerit, vel hoc ei permiserit, Urijam interfectum esse. Sed conjugationis Hiphil ea significati vis est in illis, quæ in prima conjug. Kal in usu sunt: Tale autem הִכָּה non est. Et simplicem *percutiendi* significationem huic verbo inesse, exempla alia ostendunt. Esa. 11: 4. &c.

1 Reg. 19: 15. *Et dixit Jehova ad eum* (Eliam:) *Abi, revertere itinere tuo versus desertum Damasci, & veni* וּמָשַׁחְתָּ *& unge Chazaëlem in Regem super Syriam;* h. est, per alium, ut id ipsum fiat, procura. Patet hæc explicatio ex eventu & executione, 2 Reg. 8. cap. Sic de Jehu etiam verba sequentia v. 16. accipienda, cujus executio 2 Reg. 9. describitur.

Marc. 10: 35. *Et accedunt ad eum Jacobus & Johannes filii Zebedæi, dicentes, Magister, volumus, ut quod petierimus, facias nobis &c.* Matth. 20: 20. hæc actio *matri filiorum Zebedæi* tribuitur, quæ Christum compellavit, & filiorum quasi os fuit. Filii autem petiisse dicuntur, quia matri, ut id faceret, auctores & suaso-

suasores extiterunt: unde & à Christo audiunt, Matth. 20: 22. *nescitis, quid petatis.*

Joh. 4: 1. *Audierunt Pharisæi, quòd Jesus plures discipulos faceret & baptizaret, quàm Johannes.* Christo baptizatio adscribitur (ut & c. 3: 22.) quam peragebant ejus discipuli (ut v. 2. subjicitur) quia baptismi ritum & sacramentum ipse instituit, & ejus nomine ac mandato peractus is fuit. August. tr. in Joh. *Baptizavit ipse & non ipse. Ipse potestate, illi ministerio. Servitutem ad baptizandum illi admovebant, potestas baptizandi in Christo permanebat.*

Joh. 19. v. 1. *Tunc apprehendit Pilatus Jesum & flagellavit.* Milites executores crudelis hujus flagellationis fuere: Pilatus autem mandavit & curavit id fieri. Sic v. 19. *Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem*, hoc est, curavit scribi & cruci imponi. Confer. Matth. 27. v. 37. Non calamo autem scriptum hoc fuit, sed fuit cælatura, quam ἐκτετυπωμένον γραφίδος Hellenistæ dicunt, quod è plana superficie ductus eminerent, non refugerent: quæ Græcorum γλυφή, propriè sculptura dicitur Latinis. Ita Heinsius in Aristarcho sacro pag. 504.

Actor. 3: 15. cap. 4: 10. *Judæis occisio & crucifixio Christi* tribuitur, quæ ipsis procurantibus à Romanis fuerat facta.

## 3. Consentienti & actionem approbanti.

Jud. 9. v. 18. Jotham ad Sichemitas agit: *Vos insurrexistis contra familiam patris mei hoc tempore, & interfecistis filios ejus, qui erant septuaginta viri, super lapidem unum.* Abimelech id fecerat, uti v. 4. 5. habetur, sed cives Sichemitæ factum approbaverant, & etiam juverant, uti vers. 24. dicitur: meritò igitur & ipsis culpa atrocis hujus facinoris à Jothamo adscribitur.

[a] Ministris verbi tribuitur, quod ipsius verbi divini est.

2 Sam. 3: 30. *Joab & Abisai frater ejus occiderunt Abnerum, eò, quod morte affecisset Hasaëlem fratrem ipsorum.* Joab violentas & φονικὰς manus Abneri intulerat. v. 27. in factum autem atrox Abisai consenserat, igitur & ipsi actio hæc tribuitur.

Luc. 16: 9. *Facite vobis amicos ex Mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Opus hoc receptionis in æterna tabernacula, seu æternæ salvationis, solius Dei est & Servatoris JESU CHRISTI: Tribuitur autem *pauperibus*, quia ipsi sententiam Christi Judicis de salvatione piorum εὐεργετῶν approbabunt, & beneficentiæ, (quæ fidei fructus est) testes erunt. Quidam actionem illam, *recipere in æterna tabernacula*, non ad pauperes referunt, sed locutionem absolutè & impersonaliter quasi positam esse ajunt, instar illius Luc. 12: 20. *animam tuam tollent à te:* videantur etiam Job. 7. v. 3. cap. 18: 18. in quibus & aliis ad verbum certæ personæ subintelligendæ sunt, quibus actio ista competit, (vide can. 23.) Per eos igitur, qui recipient in æterna tabernacula, intelligunt sanctos Angelos, qui in die judicii pios colligent, & in cœlum recipient, Matth 24. v. 31. Sed ἀποδόσεως Christi parabolæ collatio cum προτάσει ejusdem omnino requirit, ut ad proximè præcedentes personas (qui sunt *pauperes*, amici facti de injusto Mammona) illa receptio referatur.

[b] Per accidens.

1 Cor. 6: 3. *An nescitis, quod sancti mundum judicabunt?* v. 3. *an nescitis, quod angelos judicabimus?* Fiet hoc, dum judicium & condemnationem mundi ac diabolorum approbabunt, ut assessores supremi judicis Christi, & consortes divinæ gloriæ.

## 4. Causam organicam (*cui propriè actio adscribitur*, perinde ut causæ principali, licet diversâ ratione) tractanti.

Et hoc quidem *duplici* ratione, μεταδοτικῶς καὶ ληπτικῶς, h. est, *tam ei*, qui causam organicam applicat & dispensat; *quam ei*, qui causam organicam acceptat, eâque in proprium commodum utitur.

[a]*Prioris* exempla sunt, *quibus verbi divini præconibus id adscribitur, quod verbo ipsi divino competit*, cujus administri sunt.

Dan. 12: 3. *Justificantes multos, ut stella in sempiterna secula erunt.* Justificare verbi præcones dicuntur, quia verbum DEI tractant, & hominibus proponunt, per quod medium DEUS homines justificat.

1 Tim. 4: 16. *Attende tibi & doctrinæ, permane in istis, hoc enim faciens, & te ipsum salvabis, & eos qui audiunt.* Salvare alios dicuntur verbi divini ministri, quia verbum illud prædicant, quod est virtus DEI ad salutem omni credenti. Sic Jacob. 5: 29. Act. 26: 18. Rom. 11. v. 14. Unde & Salvatores dicuntur, Obad. v. 21.

[b]Sic ea, quæ ex *eventu accidentario* de verbo DEI dicuntur, itidem verbi doctoribus attribuuntur.

Esa. 6: 10. *Obesum fac cor populi istius, & aures ejus aggrava &c.* Quod verbo DEI per accidens competit, quod scil. magis magisque homines impii eo irritantur & excœcantur.

tur. 2 Cor. 4: 4. id prophetæ non minus, accidentaria ista ratione, tribuitur. Per se autem, ipsis Judæis à Satana excœcatis hæc σκληρότης Act. 28: 27. tribuitur.

Matth. 19: 28. *Sedebitis & vos* (Apostoli, in extremo judicio) *super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel.* Sic & Luc. 22: 30. *Sessione honorificâ* gloria illa cœlestis & eximia intelligitur, quàm præ reliquis sanctis Apostoli, in judicii extremi panegyri splendidissimâ habebunt: *Judicatione* verò duodecim tribuum Israelis illa gloriosa actio indicatur, quam Christus verbo suo tribuit Joh. 12: 44. *Sermo, quem locutus sum, ille judicabit ipsum* (incredulum) *in novissimo die.* Confer Rom. 2. v. 16. Quia verbum Christi judicabit impios, igitur etiam Apostolis, qui verbum illud mundo proposuerunt & manifestârunt, ea actio tribuitur.

Huc referri potest, Exod. 14. v. 16. ubi Deus inquit ad Mosen: *Sed tu attolle baculum tuum, & extensâ manu tua adversus ipsum mare,* וּבְקָעֵהוּ *finde ipsum.* Findere mare; actio solius Dei est, cui in cantico Mosis etiam unice tribuitur, cap. 15. Dominus autem Mosi hoc tribuit, quia ipse administrabat externum illud organon, per quod DEUS magnificè operabatur. Vide etiam Num. 20: 8.

* *Posterioris* exempla sunt, *quibus in negotio salutis, hominibus credentibus & salvandis ea adscribuntur, quæ verbo DEI* ζωοποιοῦντι (& DEO ipsi per verbum suum nobiscum agenti) *competunt:* & nihil aliud phrasibus istis indicatur, quam quòd ordini divinitus præfixo se submittant, verbum DEI legitimè, sanctè & devotè usurpent, & operationi Spiritus sancti gratiosæ non resistant.

Ezech. 18. v. 31. *Abjicite a vobis omnes defectiones vestras, quibus defecistis,* עֲשׂוּ לָכֶם *& facite vobis cor novum & spiritum novum.* Hoc opus solius DEI est, per verbum salutis cor novum & Spiritum novum in hominibus creantis, Psal. 51. v. 12, 13. Ezech. 36. v. 26. cap. 11: 19. Jer. 31. v. 33. Exhortatur autem ad hoc faciendum DEUS homines, ratione mediorum divinitus ordinatorum, quibus ut ritè sine reluctantiâ utantur, & sic DEO in ipsis operanti conversionem & salutem, locum haud inviti concedant, vult & monet. Eadem ratio exhortationis Paulinæ est Ephes. 4: 22. seqq.

2 Cor. 7: 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & Spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Actiones illæ, *ab omni inquinamento se mundare, semet sanctificare, & sanctificationem illam perficere*, in hominis potestate ne minima ratione sunt, sed sunt opera Spiritus sancti, per verbum bono corde exceptum & custoditum, ea operantis. Non igitur nisi ratione expositâ homini credenti conveniunt.

Phil. 2. v. 12. *Cum metu & tremore vestram ipsorum salutem* κατεργάζεσθε, *operamini.* Atqui verbi divini hoc est, τῆς δυνάμεως θεοῦ εἰς σωτηρίαν παντὶ τῷ πιστεύοντι, Rom. 1. v. 16. Et ipsius Dei, τοῦ ἐνεργοῦντος ἐν ἡμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, ut statim v. 13. subjicitur. Confer. 1 Pet. 1. v. 5. Credentibus igitur tribuitur, quatenus obedientiâ fidei ordini divino sese submittunt, & Dei gratiam securitate & impietate non repellunt.

1 Joh. 3. v. 3. *Et omnis, qui habet hanc spem in eo,* ἁγνίζει ἑαυτὸν, *sanctificat seipsum, sicut & ipse sanctus est.* Conformiter superioribus hoc explicandum. Deus sanctificationem illam *per verbum* Joh. 17. v. 17. *& fidem*, Act. 15. v. 19. peragit. Sed credentibus ipsis hoc tribuitur, quatenus verbo odediunt, & in fide ac pietate, virtute DEI perseverant. Vide & c. 5: 18.

Huc referendum, quod paulò ante adductum ex 1 Tim. 4. v. 16. ubi Timotheus non alios solum, sed *seipsum etiam salvare* dicitur. Quomodo? verbum DEI tractando, eique credendo ac obediendo, uti ipsa contextus verba testantur.

* Phrases ad locum de libero hominis arbitrio pertinentes.

Ex dictis patet, *has & alias ejusmodi phrases* (quibus homini plus tribuitur, quam reverà ipsi competit, in negotio salutis) *ita,* „ *esse accipiendas & interpretandas, ut* 1. *viribus humanis nihil detur,* 2. *tantùm quid in ipsis, hominibus fieri possit, non quid ipsi præstare valeant, doceatur* 3. *jubeantur homines divinæ operationi non reluctari,* 4. *& se forinsecus accommodare mediis, per quæ Deus conversionem & salutem operatur,* quæ sunt verba Cl. D. D. Hunnii contra Photin. de lib. arbit. pag. 292.

## 5. Rei, actionem illam manifestanti.

Sic Scripturæ S. quædam tribuuntur, quæ non nisi DEI sunt, qui ea fecit antequam scriberentur: Scripturæ tamen tribuuntur, quia posteà per eam hominibus manifestata sunt.

Rom. 9. v. 17. *Dicit enim scriptura Pharaoni: ad hoc ipsum excitavi te*, h. e. recitat, DEUM dixisse illi. Seu, dicit DEUS Pharoni, secundum Scripturæ in Exodo Mosaica testificationem.

Galat. 3. v. 8. *Prævidens autem scriptura, quòd DEUS ex fide justificet gentes, proeuangelizavit*

*lizavit Abraha*, *quod benedicentur in te omnes gentes*, hoc est, DEUS ei indicavit, quod posteà in Scripturas S. relatum est. Huc pertinet Galat. 3. v. 22. de quo loco, collato cum Rom. 11. v. 32. supra dictum, can. 15.

## 6. Signo cuipiam, actionem quacunque ratione signanti.

*Oculis* tribuitur, quod *parcant*, quia scil. animum ad veniam pronum ostendunt, & vel lacrymis, vel aliâ ratione signant. Deut. 13. v. 9. *Ne acquiescito illi*, *neque auscultato illi*; וְלֹא־תָחוֹס עֵינְךָ *& ne parcito oculus tuus illi*; *neque clementiâ utitor* &c. Sic Esa. 3. v. 17. Ezech. 5. v. 11. cap. 7: 4. cap. 16: 5. &c. Quandoque etiam nomen עַיִן *oculus* deest, quod constructio & genus verbi indicat. 1 Sam. 24. v. 10. *Et dixit*, *ut occiderem te* וַתָּחָס עָלֶיךָ *& pepercit* (oculus meus) *tibi*. Synecdochicè etiam hæc phrasis, *quod oculi parcant*, ad alios mentis affectus (quorum indicia sunt oculi) transfertur. Gen. 45. v. 20. וְעֵינְכֶם אַל־תָּחוֹס *& oculus vester ne parcat super supellectile vestra*, h.e. ne tædeat vos propter supellectilia vestra: cum oculos vestros conjicitis in supellectilia vestra, ne vos tædeat illa relinquere.

Sic & *oculis* tribuitur *expectatio & spes*. Psal. 119: 82. *Consumuntur oculi mei* desiderio *sermonis tui*, *dicendo*, *quando consolaberis me?* Sic v. 123. Quia scilicet per oculorum tristem adspectum anxia expectatio se sæpius prodit. v. 18. animo & cordis affectui hoc propriè adscribitur. Vide & Psal. 145: 15. Tribuitur & oculis ira, & cupiditas, & misericordia: quorum exempla vide apud Flacium part. 1. Clavis script. col. 770. 771.

Sic *Ori* tribuitur *meditatio sapientiæ*, Psalm. 37: 30. quia per os & loquelam sapientia cordis se prodit.

Huc etiam pertinet Luc. 9. v. 53. *Sed non receperunt eum* (Samaritani) ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον εἰς Ἱερουσαλὴμ, *quia facies ejus proficiscebatur in Jerusalem*. Erasmus: *Sicut oculi loqui dicuntur*, *qui innuunt*, *quod dictum velis*, *ita facies ire dicitur*, *quæ præ se ferat iter aliquò destinatum esse*. Beza per τὸ πρόσωπον intelligit totum habitum, ex quo facilè perspicere potuerunt Samaritani, Christum Judæum esse, & Hierosolymam ad diem festum proficisci: ideoque verba Græca sic transfert: *quod habitum præferret proficiscentis in Hierusalem*. Tribuitur *actio proficiscendi* externo signo, quæ est ipsius proficiscentis Christi.

Ex Apocryphis huc pertinet, Eccles. 48: 26. *Temporibus ejus retrogressus est Sol*, καὶ προσέθηκε ζωὴν βασιλεῖ, *& addidit vitam* Regi. Soli tribuitur, quod DEUS operabatur, quia signum prædictionis divinæ de Regis Ezechiæ revalescentia, in sole retrogrediente constitutum fuerat, Esa. 38: 7, 8.

## 7. Per accidens cum actione seu effecto concurrenti.

Cum enim alicujus actionem quippiam consequitur, ab agente non intentum, tum ei perinde quandoque tribuitur, ac si ipsemet id intendisset aut fecisset.

Jos. 6: 18. (al. 17.) וְשַׂמְתֶּם *& ponatis castra Israel in anathema*, h. e. ne hoc exinde consequatur, ut castra Israelis anathema coram DEO fiant, & gravissimâ pœnâ is in nos animadvertat. Potest etiam de data hujus rei occasione ex can. 10. explicari.

Prov. 28: 8. *Qui auget substantiam suam usurâ & fœnore* לְחוֹנֵן דַּלִּים יִקְבְּצֶנּוּ *gratiose largituro tenuibus* (liberali & misericordi homini) *congregabit eam*, h. e. eveniet, ut maledictione DEI divitiæ illæ dispergantur, & tandem vel invito avaro illis cedant, qui pauperibus ex iis benefaciunt.

Matth. 10. v. 34. *Non veni pacem mittere*, *sed gladium*. v. 35. *Veni enim separare hominem adversus patrem suum*, *&c.* Confer Luc. 12. v. 51, 52, 53. Non designatur propria Christi & Euangelii ejus actio & causa finalis; sed duntaxat, quæ Christi adventum & Euangelii in mundo prædicationem κατὰ συμβεβηκὸς erant secutura. Intelliguntur enim dissensiones illæ, quando conversi ad Euangelium ab inconversis, etiam propriis domesticis, dissentire, ab iisque (Euangelio & credentium cœtui renitentibus) segregare se coguntur, quod verba apud Lucam clare indicant. Et ita dum Christus venit ad destruendum regnum Satanæ, simul venit ad ponendas inimicitias adversus Satanam & ejus sequaces, Christo & ejus Euangelio violentè repugnantes. Vide Lutherum tom. 7. Jen. Germ. fol. 325. ubi pulchrè hoc explicat. Idem tom. 4. Lat. Jen. f. 317. *Christus loquitur de gladio non activè* (*hoc est*, *non dat nobis jus gladii ad occidendum alios*) *sed passivè*: *gladium mittit*, *scilicet contra nos*, *non pro nobis*, *ut ipsi gladium pati cogamur*. *Per gladium enim omne genus persecutionis intelligitur*. Vide ipsa Lutheri verba, & confer eum tom. 1. Isleb. f. 450.

Matth. 23: 31. *Itaque* μαρτυρεῖτε *testificamini*

*mini vobis ipsis, quod filii estis eorum, qui occiderunt prophetas:* scilicet vestigiis eorum insistentes, ut ex v. 32. colligitur. Pharisæi & Scribæ hoc quidem facere noluerunt, sed tamen ex eorum factis hoc sequebatur. Glossa ordin. in h. l. *Dum persequendo me & Apostolos eadem facitis, facto probatis, vos esse filios non solum carne, sed etiam imitatione iniquâ.*

Act. 13. v. 46. *Quoniam repellitis illud* (verbum DEI) καὶ οὐκ ἀξίους κρίνετε ἑαυτοὺς, *& indignos vos ipsos judicatis vita æterna, ecce convertimur ad gentes.* Ipsi quidem se non judicabant indignos vitâ æternâ, sed ex ipsorum pertinacia & incredulitate id secutum fuit, quod scilicet in causâ ipsi fuêre (non DEUS) quò minus vitæ æternæ fierent participes. Igitur ac si ipsi se judicarent indignos, Apostolus loquitur. Beza κρίνετε vertit, *decernitis*, h. e. hoc vestro facto quasi sententiâ in vos ipsos latâ statuitis & decernitis &c.

Rom. 8. vers. 28. *Scimus, quod diligentibus DEUM, omnia* συνεργεῖ, *cooperantur in bonum.* Ad hæc *omnia*, non solum DEI opera, Psal. 25. v. 10. pertinent, sed & Satanæ tentationes, hominum pravorum consilia & machinationes, afflictiones omnigenæ, & ipsa demum mors (confer v. 17, 18, 29, 33, 34, 35, 36, 38, &c.) imò & peccata infirmitatis, uti Lutherus in comment. Gen. 20. f. 268. declarat. His igitur adscribitur συνεργία *cooperatio in salutem electorum*, non ex naturâ suâ vel propriâ intentione, sed ex DEI clementissima directione. Luther. in lib. de libert. Christ. tom. 1. Jen. Lat. fol. 467. *In omnibus possum lucrum facere salutis, adeo ut crux & mors cogantur mihi servire & cooperari ad salutem.* Chrysostomus id declarat exemplo *medici, cujus solertia ex veneno facit medicinam.* Plura, quæ huc spectare videntur, ponuntur infrà tract. 7. can. 19. de conjunctione causali Vet. Test.

## Nota.

ᵃQua ratione & respectu, DEO sanctissimo tribuantur *verba activa, quæ operationem mali culpæ videntur importare*, ex libris orthodoxorum Theologorum hauriri debet. Neque enim ex regulâ certa, & idiotismo linguæ sanctæ, explicationem locutionum harum tradi posse existimo, sed ad totius scripturæ sanctæ analogiam & συνάφειαν hîc attendendum, quæ testatur, *& DEUM, omnis peccati osorem esse, non causam*, Psal. 5. v. 5, 6. *& Deum omnis* " *peccati ac contemtus verbi sui* (ad salutem ho- " minibus propositi & dati) *justissimum vindi-* " *cem & judicem esse*, ibid. v. 7. Nah. 1 v. 2." Rom. 2. v. 4, 5. &c. Quapropter activa illa verba sic intelligenda & explicanda sunt, ut iisdem severissimum DEI (ab omni culpæ & peccati efficientia alienissimi) contra contumaces verbi sui & gratiæ oblatæ contemtores judicium contineri palam fiat. *Indurat DEUS quosdam non absoluto quodam odio, sed justissimo contumaciam ipsorum vindicante judicio: indurat, non per semetipsum duriciem in cordibus hominum operando, sed eos deserendo & Satanæ tradendo:* quam thesin latius expositam vide in tomo 2. Loc. Theol. Dn. D. Gerhardi, de providentiâ, §. 119. Dn. D. Franzius disp. 9. de caussis peccatorum super art. 19. Aug. Conf. §. 101. de Pharaonis induratione sic loquitur: *Deus facilior in clementer & benigne remittendâ immissa pœna facit Pharaonem difficiliorem, morosiorem, duriorem, induratiorem in corde ad dimittendum populum, utiquè non immittendo vel augendo malitiam, sed solâ suâ lenitate, quâ turpiter Pharao & servi ejus abutuntur.* §. 102. *Sic quando ulcera immisit, & (quod omninò propter ordinem subintelligi debet) iterum sustulit Moses, iterum dicitur: Et induravit Jehova cor Pharaonis, Exod. 9. v. 7. Sic quando nulla amplius locusta remanserat, sed omnis per Mosen erat sublata, & respiratio à locustis esset Pharaoni, induravit Jehova cor Pharaonis, neque dimisit filios Israelis, Exod. 10. v. 20.* &c. Hanc explicationem d. l. & in lib. de interp. script. orac. 24. latè confirmat & explic. Arias Montan. de idiotis. Heb. n. 43. *Verba, quæ culpæ auctoritatem significant, & Deo attribuuntur, qui culpæ auctor nequaquam est, ita exponi debent, ut Deus non activè, sed privativè se habeat in eâ re, ex quâ privatione & subductione Dei homines in tenebras profundas sese suo ipsorum impetu conjiciunt horrendo cum periculo, cùm proni ad malum sint ab adolescentia sua. Hoc modo exponenda sunt illa: Indurabo cor Pharaonis, Exod. 7. Et, quare errare facis nos à viis tuis? Es. 63. Et, Deus autem hujus seculi excæcavit mentes incredulorum, 2 Cor. 4.* Nota, hoc ultimum esse ἀπροσδιόνυσον; neque enim de Deo vero, sed *Diabolo* ibi agitur, qui Deus hujus seculi dicitur, quia impii imperio & voluntati ejus obtemperant, & ipse operatur in incredulis, perinde ut *venter ἀσώτων Deus esse* dicitur, Phil. 3. v. 19.) Huic observationi " addendum, Deum neminem privare suâ " gratiâ & deserere, nisi qui ipsum priùs dese- " rit, & reluctando pertinaciter indignum se " gratiâ ejus constituit, instar illorum, qui " Act. 13. v. 45, 46. describuntur. Hos enim justissimo justitiæ suæ actu DEUS tandem deserit, & Satanæ tradit. D. Weberus in

ᵃDe induratione DEO tributa.

scrut. script. p. 139. sic de hac re loquitur: *In malis operibus & vitiosis actionibus tria considerari debent: 1. Internum earum principium proximum, quod est actualis in homine concupiscentia, Jac. 1. v. 15. 2. Deordinatio seu ἀταξία actionis, quatenus à rectitudine declinat. 3. Finis, in quem vitiosa actio dirigitur. Quando igitur DEUS μετωνυμικῶς excæcare & indurare dicitur, id non respectu principii & ἀταξίας intelligendum est. Non enim potest, nec vult DEUS peccare, h. e. ἀτάκτως agere, Psal. 5: 5. At respectu finis DEUS ὄντως excæcare & indurare dicitur, in quantum videl. vitiosas hominum actiones & peccata in bonum finem efficaciter dirigit. Sic respectu finis in hoc excitavit Pharaonem, ut in eo ostenderet robur potentiæ suæ* &c. Hæ positæ interpretationes conjungendæ sunt. *Prima* fundamentum ponit, actiones scil. ejusmodi DEO attribui, ut justitiam suam sanctè exercenti. *Reliquæ* hujus judicii divini rationem & quasi processum determinant: quod fiat 1. ὑλικῶς, *media nihilominus offerendo*, ad salutem, quibus homines abusi sibi judicium DEI accersunt, quod *secunda* dicit explicatio. 2. ἐγκαταλειπτικῶς, *contumaces justè deserendo*, & Satanæ tradendo, quod *tertia* ait interpretatio. 3. διατακτικῶς, *ad bonum finem dirigendo*, quod *quarta* expositione continetur.

## Canon XXIII.

*Activa verba quandoque passivorum significationem assumunt, peculiari linguæ Hebrææ idiotismo.* Id cumprimis fit ratione duplici.

### 1. *In verbis activis tertiæ persona*, sive nominativo expresso.

HIc nonnulli *nominativi* cujusdam convenientis ellipsin statuunt: quod ut sit, tandem tamen ad passivam significationem deveniendum. In nostrâ vernacula lingua per *impersonale verbum* explicatio in multis fieri potest.

Genes. 16. vers. 14. *Idcirco* קָרָא *vocavit puteum istum*, scil. quisque, h. e. vocabatur puteus iste, man hieß ihn. 1 Sam. 9. vers. 9. exprimitur nominativus אִישׁ *vir seu quilibet: antiquitus in Israel sic* אָמַר הָאִישׁ *dicebat quisque, cum profecturus esset ad consulendum DEUM &c.* vorzeiten sprach man. Vide etiam Gen. 34. ult.

Exod. 10. vers. 21. *Extende manum tuam versus cœlum, ut sint tenebræ super terram Ægypti*, וְיָמֵשׁ *& palpabit tenebras*, sc. quivis h. e. palpabuntur tenebræ: palpabiles quasi erunt tenebræ, præ ipsarum videl. densitate, adeo ut lucem etiam arte hominum accensam extinguant, ut versus sequentes declarant. Luther. daß mans greiffen mag. Confer Sap. 17: 2. seqq.

1 Sam. 23: 22. *Ite jam, informate vos certius adhuc, & cognoscite, ac dispicite locum ejus, ubi erit pes ejus, quis viderit eum ibi*, כִּי אָמַר אֵלַי *quia dixit mihi, se astu admodum solere uti*, h. e. dictum est mihi, Luth. es ist mir gesagt worden. Alii de ipso Davide hoc Sauli referente intelligunt, q. d. David ipse, cum familiariter mecum versaretur, rogatus, quâ ratione tàm facilè hostibus potiretur, dicebat mihi &c. Sed hoc verisimile non est.

Neh. 2: 7. *Si regi bonum videtur; literas* יִתְּנוּ לִי *tradant mihi ad Principes trans flumen*, scil. illi, quibus hoc à Rege demandabitur: Vel, tradantur mihi literæ.

Esth. 2: 2. יְבַקְשׁוּ *quærant Regi puellas virgines bonâ formâ:* vid. ministri, h. e. quærantur, man suche dem Könige &c. Luth.

Job. 4. vers. 19. *Quibus* (hominibus) *in isto pulvere est fundamentum suum*, יְדַכְּאוּם *conterunt eos* (h. e. quos conterunt) *antequam tinea*, h. e. qui mortales citissimè & minori negocio conteruntur & intereunt, quam tinea conteritur, quæ solo attritu est friabilis. Vide & c. 7: 3.

Job. 18: 18. יֶהְדְּפֻהוּ *depellent eum à luce in tenebras, & à terrâ habitabili* יְנִדֻּהוּ *deturbabunt eum*, h. e. depellitur, deturbatur.

Job. 19: 26. *Et cùm post cutem meam* נִקְּפוּ זֹאת *confoderint hoc., tùm è carne meâ videbo DEUM*, h. e. cùm post cutem meam etiam hoc (caro vid. & emaciatum hoc corpusculum, quod digito monstrabat Hiob) confossum & corrosum fuerit: tùm è morte excitabor, & vitæ restitutus ac glorificatus DEUM meum videbo.

Job. 34: 20. וְיָסִירוּ *& amovent fortem sine manu*, h. e. amovetur fortis. Luth. Die Mächtigen werden krafftloß weggenommen. Vide & cap. 27. ult.

Psal. 49: 15. *Tanquam pecudes in inferno* שַׁתּוּ *disponunt eos*, h. e. dispositi sunt.

Psal. 83: 17. וִיבַקְשׁוּ *ut requirant nomen tuum, ô Jehova*, h. e. ut requiratur nomen tuum. Neque enim ad hostes illos à DEO in irâ suâ perditos referri potest. Sic & v. 19. וְיֵדְעוּ *ut cognoscant, te, cui soli nomen est Jehova, excelsum*

*celsum esse supra totam terram*, h. e. ut agnoscatur. De iis enim ex ira DEI in solidum pereuntibus, de quibus v. 18. intelligi potest.

Esa. 9: 6. *Puer natus est nobis &c.* וַיִּקְרָא *& vocabit nomen ejus, admirabilem &c.* Vocabit scil. quisque fidelis: seu, vocabitur nomen ejus, ut Chaldæus vertit.

Esa. 38: 16. *Domine, per hæc* יִחְיוּ *vivunt*, h. e. vivitur, HErr/ davon lebt man.

Ezech. 28: 3. *Omne occultum* לֹא עֲמָמוּךָ *non abscondunt tibi*, h. e. non absconditur. Sic cap. 8: 4. c. 32: 25.

Hos. 10: 2. חָלַק *divisit cor eorum*, hoc est, divisum est cor eorum. Alii activè accipiunt: *Impertitur cor eorum*, scil. idolis, de quibus v. 1. h. est, quicquid habent, ex animo suo impertiuntur idolis.

Hos. 12: 9. לֹא יִמְצְאוּ לִי *non inveniet mihi iniquitatem & peccatum*, h. e. non invenientur mihi, Man wird mir keine Missethat finden.

Mich. 2: 4. *Tempore illo* יִשָּׂא *proferet de vobis parabolam, & lamentabitur lamentum lamentabile &c.* Proferet, lamentabitur, scilicet quisque, aut subauditur nomen conjugatum: *proferet parabolam* scilicet הַמֹּשֵׁל parabolis utens: *Lamentabitur* scilicet נֹהֶה lamentator. Vel, quod simplicissimum, passivè explicandum: Proferetur super vos parabola, & audietur flebile lamentum. Luth. Man wird einen Spruch von euch machen und klagen/ &c.

Amos 4: 2. *Ecce dies venient*, וְנִשָּׂא *& tollet vos aculeis*, scil. hostis, ut Hebræi subaudiunt. Vel, tollemini, Luth. Man wird euch heraus rücken mit Angeln.

Hab. 3: 7. גָּזַר *abscindit ex ovili gregem* scilicet hostis. Seu abscindetur, Schafe werden aus den Hurten gerissen.

Zach. 13: 6. וְאָמַר *& dicet ad eum*, scil. quispiam, seu dicetur.

Luc. 12: 20. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt abs te*, scil. spiritus mali; vel repetetur anima tua à te Luth. Diese Nacht wird man deine Seele von dir fordern.

Joh. 15: 6. Apoc. 16: 15. similia exempla habentur.

2. In verbis activis quibusdam, *infinitivi modi.*

Quandoque enim illa *passivam* & impersonalem quasi significationem obtinent.

Gen. 4: 13. *Et dixit Cain ad Dominum: Majus est peccatum meum* מִנְּשֹׂא *à remittendo*, h. est, quam ut remittatur seu remitti possit. *De remissione peccatorum* phrasis ista usurpatur etiam Gen. 50: 17. Exod. 34: 7. Psal. 32: 5. &c. Et R. Mardochai Nathan in Concordantiis Hebr. hunc locum accenset exemplis verbi נשא illis, quæ significant כפרה וסליחה *expiationem & remissionem.* Targum סַגִּי חוֹבִי מִלְּמִשְׁבַּק *multum est debitum meum à remittendo*, seu, quàm ut remittat scil. DEUS; seu; quàm ut remittatur. Alii contrà *activam* significationem retinent, & de pœna peccati intelligunt: *Major est pœna, quam ut sustinere possim.*

Gen. 4: 26. *Tunc cœptum est* לִקְרֹא *invocare in nomine Domini*, hoc est, invocari, ut Pagninus, rectè vertit Drusius lib. 6. præt. p. 198. de hoc loco ita, *Scire licet, verbum activum in gerundio habere significationem passivam: Gen. 4: 26. Tunc cœptum est* לִקְרֹא *invocari nomen Domini, ac si esset* לְהִקָּרֵא.

Exod. 9: 16. לְמַעַן סַפֵּר *propter enarrare nomen meum*, hoc est, ut enarretur nomen meum, Rom. 9: 27.

1 Reg. 13, ult. *Et fuit hac in re* (causa) *peccati domui Jeroboami*, וּלְהַכְחִיד וּלְהַשְׁמִיד *& ad exscindere & ad perdere à facie terræ*, h. e. ut exscinderetur & perderetur à facie terræ. Confer etiam Esth. 7: 4. ubi Chaldæus Interpres passivis utitur.

Psal. 42: 4. בֶּאֱמֹר *in dicendo ad me quotidiè, ubi est Deus tuus?* h. e. dum dicitur ad me; Weil man täglich zu mir saget.

Psal. 51: 6. *Ut justificeris in sermonibus tuis, purus sis* בְּשָׁפְטֶךָ *in judicare te*, h. e. dum judicaris, und rein bleibest/ wenn du gerichtet wirst/ Lutherus. Vult docere David DEI judicia justa esse, licet homines sinistrè de illis sentiant & judicent. Rom. 3: 4. ita hic locus Psalmi adducitur, ἵνα νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε. Ubi τὸ κρίνεσθαι & in passivâ & activâ conjugatione (ex διαθέσει mediâ) exponi potest. Sed *passivam* significationem requirere videtur ipse textus. Dixerat Apostolus, *DEUM esse veracem, omnem verò hominem mendacem.* Utrumque hoc membrum ex dicto Psalm. 51: 6. probat. *Prius* ex eo, dum docet, DEUM justificari, seu justum declarari & à piis agnosci, in sermonibus suis, & vincere, cum judicatur ab hominibus, id est, semper justum & veracem esse in suis verbis. *Posterius*, dum asserit, homines sibi relictos judicare DEUM, id est, de verbi ejus & sanctis judicium sibi perperam arrogare: id quod omnibus hominibus, quales in se sunt, corrupti & DEO adversi, competit.

Psalm. 66: 10. *Quia probasti nos DEUS, conflasti nos*, כִּצְרָף־ *secundum conflare argentum*, h. e. conflari, seu ut conflatur argentum.

Prov. 25: 7. *Nam melius est* אֱמָר־לְךָ *dicere tibi, ascende huc* מֵהַשְׁפִּילְךָ *quam deprimere te coram ingenuo*, hoc est, dici tibi, deprimi Te. Luth. Dasz man zu dir sage &c. daß du fur dem Fursten geniedriget wirst.

Referri huc potest ex N. T. *participium* illud loco infinitivi positum: Luc. 24, 47. *Et prædicari in nomine ejus resipiscentiam ac remissionem peccatorum apud omnes gentes*, ἀρξάμενον *incipiendo ab Hierusalem*, h. e. ut initium fiat, seu incipiatur.

Quidam etiam hoc referunt Phil. 1: 23. *Desiderium habens* εἰς τὸ ἀναλῦσαι, pro ἀναλύεσθαι seu ἀναλυθῆναι *dissolvi*, ut Ariæmontanus & Vulgata vertunt. Sed potest *activa* significatio commodè retineri: Cupio ἀναλῦσαι, *migrare* seu *remigrare ad Christum;* sicut Luc. 12: 36. in parabola dicitur de Domino, qui expectandus, πότε ἀναλύσει, *quando reversurus sit ex nuptiis.* Luth. benè: Ich habe Lust abzuscheiden. Similis phrasis est 2 Cor. 5: 8.

## *Nota.*

His duabus, activi pro passivo positi, rationibus addatur etiam tertia hæc: *In Verbis quibusdam activis, quæ pro correlato passivo ponuntur.*

Marc. 4: 21. Μήτι ὁ λύχνος ἔρχεται, *num lucerna venit?* h. e. importatur.

Marc. 6: 29. *Hoc genus* (Dæmoniorum) *in nullo potest* ἐξελθεῖν *exire, nisi in oratione & jejunio*, h. e. ejici.

Hebr. 11, 30. *Fide muri Jericho* ἔπεσε, *ceciderunt*, h. e. dejecti sunt.

Apoc. 3: 12. *Si quis vicerit, faciam eum columnam in templo DEI mei*, καὶ ἔξω οὐ μὴ ἐξέλθῃ ἔτι, *& extra non exibit amplius*, h. est, ejicietur. Ex Syriasmo hoc esse quidam ajunt, unde Matth. 8: 12. pro ἐκβληθήσονται in Syro est נפקון *exibunt.*

Sic posset explicari illud 1 Cor. 10: 9. ἀπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο, *à serpentibus perierunt*, h. e. occisi seu perditi fuere. Sic vers. 10.

Et vicissim, in tali correlatione, *passivum pro correlato activo* ponitur, in verbo נִזְהַר *præmoneri*, pro præmonitionem accipere, Ezech. 33: 4. 5. cum alias *simpliciter præmoneri* significet, vers. 6. Quo sensu etiam Eccles. 4: 13. usurpatur: *Melior est puer indigus & sapiens, rege sene & stolido, qui nescit* לְהִזָּהֵר *præmoneri amplius:* h. e. ita obfirmato & pervicace in stoliditate suâ, ut nullam amplius præmonitionem accipiat. Sic נִשְׁאַל *rogari, peti*, quod *precibus obtinere* significat 1 Sam. 20. vers. 28. Neh. 13: 6. Et נַעְתַּר *exaudiri, exorari*, quod *exoratum respondere* significat Ezech. 14: 3, 6. (al. 4: 7.) Et יָסַר *castigavit, erudivit;* quod in Niphal *eruditionem accipere* significat, Lev. 26: 23. Psal. 2: 10. &c.

## Canon XXIV.

*Passiva verba quandoque activè, quandoque neutraliter accipiuntur.*

### 1. Activè.

De passivis *Hebræorum* activè acceptis, sequentur can. 25. De passivis *præteritis Græcorum* activè acceptis, ac si in mediâ διαθέσει essent posita, hæc ex N. T. suppetunt exempla. Sunt autem ut plurimùm in iis verbis, quæ in activo inusitata sunt, & in passivo instar deponentium usurpantur. Actor. 8: 14. δέδεκται, *recepit*, cap. 13: 47. ἐντέταλται, *præcepit*, cap. 17: 7. ὑποδέδεκται, *suscepit.* cap. 23: 1. πεπολίτευμαι, *conversatus sum*, Rom. 4: 21. ἐπήγγελται, *promisit.* (Sic & Hebr. 12. vers. 26. Passivè Galat. 3. vers. 19. accipitur.)

2 Cor. 2: 10. κεχάρισμαι, *condonavi*, cap. 7: 14. κεκαύχημαι, *gloriatus sum*, Galat. 3: 18. κεχάρισται *donavit*, (Sic Actor. 27. vers. 24.) 1 Tim. 5: 8. ἤρνηται *negavit*, (Sic 2 Tim. 3: 5.) 2 Tim. 4: 7. ἠγώνισμαι *certavi.* 1 Pet. 4. vers. 1. πέπαυται, *desiit.* 2 Pet. 1. vers. 4. δεδώρηται *donavit*, vers. 3. δεδωρημένης, *donante*, seu cùm donaverit.

Sic *in Aoristo primo passivo*, Actor. 18: 19. διελέχθη, *disseruit.* Rom. 1. vers. 25. ἐσεβάσθησαν *coluerunt.* Heb. 11. vers. 27. φοβηθεὶς, *timens*, (sic vers. 23.) Jac. 2. vers. 4. καὶ οὐ διεκρίθητε ἐν ἑαυτοῖς, *nonne discrimen fecistis apud vos?* h. e. nonne, quod minime oportuit, hoc modo apud vos unum alteri præferendum judicâstis? Quidam pro κατεκρίθητε accipiunt, ut sit sensus, istos suâ ipsorum conscientiâ damnari. Sed in eâ significatione διακρίνεσθαι vix occurrit. Confer cap. 3. vers. 17. Epist. Jud. vers. 22. Alibi passivum hoc *disceptare secum & hæsitare significat*, fidei firmæ oppositum, Matth. 21: 21. Rom. 4: 20. Vide & Act. 10. vers. 20.

Ex profanis huc pertinent: Lucian. ἠράσθης δὲ καὶ αὐτὸς πολλάκις, *amâsti autem & ipse sæpe numerò*, Isocr. ad Demonic. 24. εὐθὺς γὰρ τοῦ βίου τοιαύτην πεποίηνται τὴν ὑπόθεσιν, *tale*

*jecerunt fundamentum*. Vide Vechnerum hellenolex. lib. 1. c. 14. ubi & ex Latinis adducuntur exempla.

## 2. Neutraliter.

*Passiva verba quandoque neutraliter significant*, hoc est, non ad ullam causam efficientem, quæ actionem vel passionem inferat, respectum habent; sed simplicem nudamque rei existentiam notant.

Exod. 15: 6. *Dextrâ tuâ, Jehova*, נֶאְדָּרִי *magnificus es*. Est passivum Niphal, cum jod paragogico: & nuda qualitatis existentia indicatur. Neque enim passio seu effectus ab alio efficiente DEO illatus dici potest.

Sic usurpantur neutraliter, 1 Chron. 15. vers. 27. מְכֻרְבָּל *paludatus*. Psal. 46. vers. 2. נִמְצָא *præsens, paratus*. Ezech. 9: 8. נֶאְשַׁאר *residuus vel reliquus*. Ezech. 26: 22. מְהֻקְצָעוֹת *angularia*.

In N. T. Rom. 1:21. ἐματαιώθησαν *vani facti sunt, seu vani sunt*; ἐσκοτίσθη, *obscuratum est*, v. 22. ἐμωράνθησαν, *stulti facti sunt*. c. 3: 12. ἠχρειώθησαν, *inutiles facti sunt*. Conditio & status horum hominum describitur.

Rom. 7: 14. πεπραμένος *venundatus sub peccatum*, hoc est, peccato obnoxius.

Rom. 9: 22. *Deus tulit multâ longanimitate vasa iræ*, κατηρτισμένα *aptata in interitum*, hoc est, interitui obnoxia, ob propriam vid. culpam & contumaciam. Si causa aptationis hujus utique quæritur, non quærenda ea in DEO (uti à Calvinianis fit, absoluti decreti architectis) sed in Diabolo, & voluntate hominum pravâ, uti abundè scriptura testatur, Joh. 8. vers. 44. Rom. 5. vers. 12. Eph. 2: 3. &c.

1 Pet. 2: 8. *His qui offendunt verbo, nec credunt, in quod etiam* ἐτέθησαν, *positi sunt*, h. e. ad quod nefarium opus seu conatum toti sunt directi. Sic & Oecumenius explicat, *quòd suâ voluntariâ malitiâ in illud nefarium munus sint constituti*. Non igitur necessum est, causam efficientem subintelligi, ipsum scil. Deum, à quo fuerint positi ad incredulitatem. Hæc Flacius, non inerudite, quæ addi possunt eis, quæ de hoc loco tract. 1. can. 21. dicta sunt.

1 Joh. 2. vers. 5. *Verè in hoc charitas* τετελείωται, *perfecta est vel existit*. Sic & c. 4: 12, 17, 18.

Eadem ratione γίνεσθαι *fieri* pro *esse*, in Nov. Testam. sæpius usurpatur. De quo in clavi scripturæ Flacius videatur.

## *Nota*.

Mediam διάθεσιν apud Græcos vel *activè* vel *absolutè* significare, Grammatici tradunt. Sunt tamen pauca, quæ *purè passivè* significant. Luc. 2. vers. 5. ἀπογράψασθαι *ut describerentur &c.*

Act. 15: 22. ἐκλεξαμένες ἄνδρας ἐξ αὐτῶν πέμψαι, *electos viros ex eis mittere*. Ita & Arias Montanus. Vulgata activè vertit in infinitivo: *eligere viros*. Syr. גְּבוֹ *elegerunt viros*.

1 Cor. 10: 2. *Et omnes in Mosen* ἐβαπτίσαντο, *baptizati sunt*. Ubi phrasis, *in Mosen baptizari* (quæ metaphorica est & typica, ad baptismum nostrum respiciens. cum maris fiat mentio, per quod transierunt Israelitæ) non ritus alicujus formam, sed finem duntaxat aliquem exprimit: Finem vid. miraculi illius, eductionis ex Ægypto per mare rubrum. Quemadmodum enim nos obligamur per baptismum ad fidem & confessionem nominis Christi: Ita Israelitæ stupendis miraculis servari, per nubem & mare, obligati sunt Mosi, ut ipsius doctrinæ & mandatis, à DEO per ipsum promulgatis, fidem adhiberent.

Syrus εἰς Μωσῆς reddit בְּיַד מוּשֶׁא *manu Mosis*, h. e. per Mosen, seu Mosis ministerio.

Ex profanis de significatione passiva verbi medii afferunt exemplum ex Isocrate in Helen. ὃ γὰρ μόνον τοῖς ὅπλοις ἐκοσμήσαντο, *non enim tantùm armis ornabantur, vel ornabant se*. Vide Budæum in com. p. 429.

# DE CONJUGATIONIBUS VERBORUM HEBRÆORUM, ET EARUM SIGNIFICATIONE.

HActenus specialis tractatio verbi fuit, ratione significationis, quæ verbum activum & passivum attinet. Sequitur *specialissima:* de conjugationibus scilicet verborum in linguâ Hebræa & eorum significatione. Quia enim sine accuratiore earundem cognitione ad veram verborum emphasin & intelligentiam perveniri non potest, igitur & de illis observationes aliquas adponere visum est. *Formatio*, & quæ illi accidit, multiplex anomalia, Hebræorum Grammaticis meritò relinquitur: præsentis autem instituti est, de *significationibus* differere.

Sunt autem conjugationes verborum Hebræorum quatuor. 1. *Kal*, cujus passivum dicitur *Niphal*. 2. *Piel*, cujus passivum dicitur *Pyal*. 3. *Hiphil*, cujus passivum dicitur *Hophal*. 4. *Hithpael*, quæ cùm sit reciprocæ significationis, passivo caret. De quibus, ratione significationum, sequentes observentur canones.

## Canon XXV.

*Prima conjugatio in forma activâ uti* קַל Kal, *hoc est*, levis *sive* lenis *diciturª*, *ita leniorem & simpliciorem verbi (quod purum & simplex thema est) significationem habet.*

ª Dicitur & פָּעַל Paal ab antiquo paradigmate.

EA significatio vel *activa*, ut פָּקַד *visitavit*, יָלַד *genuit;* vel *neutra*, ut עָמַד *stetit*, קָם *surrexit*.

Verba igitur primitiva (שָׁרָשִׁים *radices* dicta) in hac prima conjugatione, partim *activa* sunt, ab Hebræis פְּעָלִים יוֹצְאִים *verba transeuntia* sive trransitiva dicta;.partim *neutra*, ab iisdem עוֹמְדִים *verba stantia*, sive בִּלְתִּי יוֹצְאִים *non transeuntia*, h. e. intransitiva dicta, quando scil. actio non transit extra agentem. Dinckelius in orat. de ling. Hebr. subnexâ Grammat. Hebrææ, Num. 3. statuit, *in primâ hac conjugatione omnia verba, etiam ea, quæ aliis linguis sunt ἐνεργητικὰ, vocari neutra, vel Hebraicè* עוֹמְדִים *stantia; cum ipsorum actio stet, & in solo maneat agente, quod & tres radicales nudè proposita indicant. Nec obstat* (inquit) *quòd in iis actio quædam transeat in patientem, cum activa propriè Hebræis sint, quæ potestatem sive vim agendi cum patiente simul communicant, non quæ aliquid in aliud agunt, ita tamen, ut citra ἐνεργείας communicationem actio transigatur. Secundæ verò* (imò potissimum tertiæ) *formulæ verba propriè sunt activa, quæ in actione cum vi & potestate agendi, quàm rei impertiuntur, quasi quoddam προσκέλευσμα ad similiter agendum addunt &c.* Hæc ille, quæ ex sequentibus fient clariora.

### Passivum primæ conjugationis.

Dicitur id נִפְעַל *Niphal*, à veteri paradigmate פָּעַל *fecit*, quod in passiva conjugatione primâ נִפְעַל habet: quæ vox pòst usu facta est technica. Significatio ejus est.

1. Regulariter *passiva*, passione scilicet ab alio illata, Hos. 12: 14. *Et per Prophetam* (Mosen) נִשְׁמָר *custoditus est:* ubi effectus seu passio, custoditio scilicet, & efficiens, quæ illam efficit, distinctè memorantur: Sic in aliis plurimis. Notandum verò, non semper in Niphal significationem sumi à *Kal*, seu primâ conjug. activâ, cum in illâ sæpius verbum absolutum sit; sed nonnunquam mutuò quasi sumi à verbis agentibus *secundæ* conjugationis, ut נֶהֱלַךְ *ambulare factus est*, ab הִלֵּךְ in Piel: *ambulare fecit*. Psal. 109: 23. *Sicut umbra cum declinat*, נֶהֱלָכְתִּי *factus sum abire*, seu *abire & evanescere cogor &c.*

2. Interdum *reciproca*, ut נִשְׁמַר *cavit sibi*, q. d. custoditus est à seipso. 2 Sam. 20: 10. Mal. 2: 15. quæ significatio cum quartâ conjung. Hithpaël convenit. Huc pertinet significatio *neutralis*, *ut* נִקְרַב *sistere se*, Exod. 22: 7. Jos. 7: 7, 14. Huc pertinet Gen. 46. vers. 29. וַיֵּרָא אֵלָיו *& videndum se obtulit ei*, videl. Josephus patri Israeli, nimirum, ut pater senex oculis debilior propiùs se adspiceret, ut, si quod adhuc de ipso dubium in animo hæreret, eximeretur.

3. Rariùs *activa*. In quibusdam scilicet verbis,

bis, quæ in conjug. Kal inusitata sunt, & activam significationem in Niphal sortiuntur, instar deponentium apud Latinos: נִלְחַם *pugnavit*, Jud. 11: 25. נִשְׁעַן *incubuit*, *innixus fuit*, 2. Sam. 1: 6. נִשְׁבַּע *juravit*, Gen. 24: 7. (quod à שֶׁבַע *septenario numero*, qui pro perfectionis numero habetur, originem ducit, forsan quia juramentum perfectissima rei confirmatio est.) In quo tamen quandoque *passiva* significatio videtur esse, ut sit, *juratus* seu *juramento obstrictus fuit*. Esa. 19: 18. נִשְׁבָּעוֹת לַיהוָה *jurata Domino exercituum*. Sic Zeph. 1: 5. Audi sis verò hîc Münsterum etiam de נושע Zach. 9: 9. Quando additur (inquit) *Justus & Salvator*, in Hebræo proprie est, *justus*, *& salvatus*. Unde si in contentionem veneris cum Judæo, objice hunc locum, Jer. 2: 35. הנני נשפט אותך *ecce ego judico te*. Sic Joël. 3: 2. ונשפטתי עמם שם ubi passivum pro activo capitur. Potest etiam נושע accipi pro *salute circundatus*, vel pro invicto. Ubique enim salvatus est ab insidiatoribus suis &c. Hæc ille. Usurpatur autem נשפט & alibi active pro *disceptavit*, *contendit*, Esa. 66: 16. Ezech. 17: 20, 36. &c.

Huc pertinet significatio *frequentativa*, ut נִדְבַּר *dictitavit*, *frequenter seu assiduè locutus fuit*. Malach. 3: 16. Ezech. 33: 30. Huc Drusius in præter. p. 4. refert, quod Johannes Baptista in historia Hebraicâ (quam composuit Joseph filius Gorion) appellatur sacerdos magnus, & Johannes אֲשֶׁר נִטְבַּל *qui continenter baptizavit*, *&c.*

## Canon XXVI.

*Secunda conjugatio in formâ activâ*, פִּעֵל Piel *dicta* (*ab antiquo paradigmate*) *quandoque intensivam*, *quandoque alterativam significationem in verbis obtinet.*

1. INtensivam significationem illa verba in hac conjug. habent, quæ in prima sunt *activa*: tum enim studium & continuatio actionis hic supperadditur. Ob hoc פִּעֵל כָּבֵד *conjugatio gravis* vocatur, ob adauctam scil. & graviorem quasi factam significationis δύναμιν. Ut enim apud nos frequentativa ponunt actum verbi, repetitum sæpenumerò: ita & frequentiam actusque perseverantiam hujus conjugationis verba important. E. G.

שָׁמַר *custodire* significat simpliciter: in Piel verò שִׁמֵּר *custodire cum studio & assiduitate*, Jon. 2: 8. (al. 9.) מְשַׁמְּרִים *qui observant vanitates mendacii*, *benignitatem erga se derelinquant*, q. d. qui ita studiosè & mordicus observant vanitates suas, ut nulla ratione averti ab iis se patiantur. Dinckelius d. l. verbi hujus מְשַׁמְּרִים eam esse vim asserit, *quod denotentur eô*, *& custodientes vanitates*, *& alios ad vanitatis custodiam seu observationem incitantes*, *& ita alios sui similes reddentes*. Sed hæc significatio (translatio scilicet δυνάμεως καὶ ἐξουσίας agendi) tertiæ conjugationis *Hiphil* propria est.

Sic רָדַף significat *persequi* seu *sectari*, sine expressa persecutoris assiduitate. In secunda verò conjugatione רִדֵּף significat *studio omni & conatu persequi*. Ose. 2. v. 9. de Synagogâ spiritualiter adulterâ, seu de populo idololatrico dicitur, וְרִדְּפָה *& persequetur amatores suos*, *& non assequetur eos*; *& quæret eos*, *& non inveniet*. Hic impatiens insequendi perpetuumque desiderium Israelitici populi, amatores suos perditè depereuntis, significatur: cujus quidem fructu, Deo sic puniente, frustratus est, pœna ipsi certè peracerbâ: ingens enim flagellum est insanienti animo, operam laboriosam in vanum impendere, & spe omni tandem excidere.

שָׁלַח in primâ conjug. significat, *misit*, sicut quis à se legatum dimittit, ad obeundum negocium, ut eo confecto redeat. Genes. 32: 3. וַיִּשְׁלַח *& misit Jacob nuncios ante se &c.* Sequitur vers. 6. *Et reversi sunt nuncii illi ad Jacobum &c.* Significatio igitur hujus verbi h. l. est levis absqe perseverantia, quin imò cum animo recipiendi ad se legatos. In Piel autem שִׁלַּח est, *dimisit*, *ejecit*, *expulit*, *ablegavit*, *ut nunquam recipiendum*, Deut. 24. vers. 1. de repudiata à marito uxore dicitur, וְשִׁלְּחָהּ *& dimiserit eam* (maritus) *è domo sua*, scilicet ut nunquam recipiendam, quod & vers. 4. præcipitur. Sic Exod. 14: 5. *Quid istud fecimus*, *quod* שִׁלַּחְנוּ *dimisimus Israel*, vid. nunquam rediturum, nisi vi adhibita reduxerimus. Huc referunt quidam locum Genes. 8: 8. וַיְשַׁלַּח *& emisit columbam à se*. Ubi Mosen, usum verbo in *Piel*, totum Noæ institutum exposuisse ajunt, nempe, quod Noe post diem inundationis rursum decrescentis quadragesimum, corvo non redeunte, columbam in hoc quoque dimiserit, ut eâ non reversâ (sicut non reversura ex corvi absentiâ videbatur) certiùs intelligeret, duobus testibus firmatus, undarum vim diminutam, & terram eminere aquis. Eam itaque redeuntem, contra tamen spem, in arcam recepit. Idem de corvo dicendum, vers. 7. &c.

Quandoque tamen *significatio Piel*, *à significatione Kal*, *parum vel nihil discrepat*. Sic דָּבַר & דִּבֶּר ejusdem significati sunt, *Loqui* seu *edicere.*

*cere*. Dinckel. d. l. *actionis loquendi communicationem* in Piel statuit: דִּבֶּר (inquit) *de Deo ad sanctos loquente in sacro codice creberrimè usurpatur, ut significetur, Deum quidem locutum, sed ita, ut vim & mandatum quoddam eadem propagandi addiderit*. Sed hoc exemplis scripturæ non est conforme.

2. *Alterativam* significationem illa verba in hac conjug. habent, quæ in prima sunt *intransitiva* seu neutra: tum enim neutralis significatio in activam seu transeuntem hîc alteratur seu commutatur. Ut לָמַד *didicit*, in Piel לִמֵּד *discere fecit*, seu *docuit*, Eccles. 12. vers. 9. Psal. 71. vers. 17. קוּם *surrexit*, in Piel קִיֵּם & קִיַּם *surgere fecit*, seu *erexit*, *stabilivit*, Est. 9: 21, 31. Psalm. 119: 28. Esai. 44. vers. 26. קָדַשׁ *sanctus fuit*, in Piel קִדֵּשׁ *sanctificavit*, *consecravit*, 1 Reg. 8. vers. 64. חָיָה *vixit*, in Piel חִיָּה *vivificavit*. Sic רָחַף *commoveri seu commovere* se, intransitivè significat, Jerem. 23: 9. In Piel verò *motum & vitam alteri præbere*, & sic agere, non pati significat. [a] Quando igitur

[a] Gen. 1. Spiritus Domini ferebatur super aquas.

Genes. 1: 2. dicitur de Spiritu Dei, quod fuerit מְרַחֶפֶת *super facie aquarum* (quæ vox Participium Piel est) eâ voce non motatio & incubitus passivus, sed fortissima ἐνέργεια & actio, Spiritus sancti videlicet, rebus omnibus vitam, motum, & essentiam in creatione communicantis, intelligitur. Basil. hom. 2. hexaëm. συνέθαλπε καὶ ζωογονεῖ τὴν τῶν ὑδάτων φύσιν κατὰ τὴν εἰκόνα τῆς ἐπωαζούσης ὄρνιθος, καὶ ζωτικήν τινα δύναμιν ἐνιείσης τοῖς ὑποθαλπομένοις. August. lib. 1. cap. 18. de Genes. ad lit. *Illud, quod per Græcam & Latinam linguam dictum est de Spiritu Dei, quia superferebatur super aquâ, secundum Syrâ linguâ intellectum, quæ vicina est Hebrææ, (nam hoc à quodam Doctore Christiano Syro fertur expositum) non superferebatur, sed FOVEBAT potiùs, intelligi perhibetur, sicut ova foventur ab alitibus, ubi calor ille materni corporis etiam formandis pullis quodammodò adminiculatur, per quendam in suo genere dilectionis affectum*. Ubi nota, quod de *Syrorum linguâ* Augustinus interserit (quod etiam Basilius habet, qui ex Syro quodam hanc significationem se accepisse tradit) de vocis רחף in illâ linguâ significatione intelligendum esse: In ea enim *miserationis affectum intimum* exprimit, respondens Græco σπλάγχνα, *viscera* (misericordiæ) Philip. 2: 1. Col. 3: 12. Et hoc conforme quidem est significationi ab Augustino & Basilio positæ, sed non idem planè cum ipsa. Præstat ex ipsa vocis Hebrææ emphasi atque usu sensum τοῦ מְרַחֶפֶת desumere. Et eodem significatu (quem dicti Patres intendunt) accipitur Deut. 32: 11. ubi de *aquilâ* (quam ad repræsentandam Dei erga populum suum miserationem ac beneficentiam Moses introducit) usurpatur, quod ea super pullos suos יְרַחֵף in futuro Piel: quod per *movetur* seu *motitat se*, quidam vertunt: Verum quid singulare & eximium est, aquilam ut animal moveri? Rectiùs Pagninus & Junius *cubandi incubandique* significationem ponunt, quæ neutralis quidem esse videtur, at in se & ratione finis ac usus, ἐνέργειαν naturalem alitis nido, ovis & pullis suis incubantis, verè exprimit. Notatur igitur emphaticissimè actio illa divinæ providentiæ & bonitatis, quâ suos ita fovet, defendit, ducit, & conservat, sicut (si magna licet componere parvis) aquila, ovis suis & postmodum pullis incubat, atque calore suo illa illósque fovet, paulatimque ad maturitatem usque & volatum educit. Confer Exod. 19: 4. Esai. 40: 29. seqq. Et hæc significatio verbi in Piel ad Genes. 1. vers. 2. non difficulter applicari potest. *Spiritum enim Dei fuisse* מְרַחֶפֶת *super aquis*, nihil aliud est, *quam Spiritum Sanctum* (non exclusis, sed una cum Patre & Filio) *esse omnipotentem illum* δημιουργὸν, *qui vi suâ fabricatoria & effectoria* (ut August. loquitur) *ad productionem rerum omnium, aquas* (adeoque cœlum & terram, simul tum permixta: solarum enim *aquarum* fit mentio, quia *materia illius confusa & permixta superficiei supernatabant*, ut Basilius loquitur, & summam illius cutem sic fermentabant, ut merè aquea esse videretur, de quo ex Psal. 104: 6. 2 Petr. 3: 5. judicium fieri potest:) *fovit quasi, & idoneas reddidit*. Confer Junium in h. l. Tantum de significatione alterativâ, propriè sic dicta.

Ad illam *reductivè* pertinet.

1. Quod verbi in Piel significatio quandoque *diversa* planè est à significatione Kal, ut אָנָה *mœstus fuit*, in Piel אִנָּה *obvenire fecit, veniendi causam & occasionem præbuit; objecit, tradidit*, Exod. 21. vers. 13. Et in Pyal passivo Psal. 91. vers. 10. Prov. 12. vers. 21. & in Hithpael, 2 Reg. 5. vers. 7. אָשַׁר *incessit*, in Piel אִשֵּׁר *beavit, felicem prædicavit*, Mal. 3: 12, 15. &c. In Pyal Psal. 41. vers. 3. גָּאַל *vindicavit*, in Piel גֵּאֵל *polluit, contaminavit*, Malach. 1. vers. 7. Et in Hitphael, Dan. 1. vers. 8. הָלַל *insanivit*, in Piel הִלֵּל *laudavit*, Psal. 10. vers. 3. unde est הַלְלוּ־יָהּ *laudate Dominum*, in Psalmis usitatissimum. זוּר *alienari*, in Piel זֵוֵּר *sternutare*. 2 Reg. 4. vers. 35. &c.

2. Quod actio conjugationis Piel planè *contraria* est significationi illi, quæ in prima Kal est, quod tamen rarissimum, חָטָא *peccavit*, in Piel חִטֵּא *à peccato expiavit & purgavit*, Lev. 6. vers. 29. c. 14: 52. &c. Plura videntur

in

in Rhetor. Sacra, cap. de Ironiâ & antiphras.

Notandum demum, quandoque significationem secundæ conjugationis esse *neutralem*. Can. 7: 13. פִּתַּח *aperit se*. Alibi autem activè significat, Mich. 2: 8. יְקוֹמֵם *insurgebat*: aliàs erigendi significationem habet. Sic שִׁעֲשַׁע in Piel, *oblectavit se*, Es. 66. vers. 12. quod alibi *oblectare*, transitivè significat, Psal. 119. vers. 70.

## Passivum secundæ conjugationis.

Dicitur id פֻּעַל *Pyal*, ab antiquo paradigmate. Dicitur & ab Hebræis נִפְעָל כָּבֵד hoc est, *passiva conjugatio gravis*, propter eandem rationem cum activi appellatione. Respondet significatione suo activo. Cæterum volunt Hebræi, *passionem hic significari, non commemorato agente*, undè eam vocant בִּנְיָן שֶׁלֹּא נִזְכַּר פּוֹעֲלוֹ hoc est, *conjugatio, cujus non commemoratur agens*: & ita sæpius à Sante Pagnino in thesauro linguæ sanctæ vocatur. Hoc volunt, passivo verbo in hac conjugatione, in textibus Biblicis non addi causam agentem, à qua passio infertur, sed illam alibi quærendam esse. Unde ex nostratibus quidam observationis hujus usum ponunt in illo Prov. 16: 6. *in misericordia & veritate* יְכֻפַּר *expiabitur peccatum*. Hic futurum in Pyal est, igitur agens seu efficiens expiationis causa hic non additur: quare etiam *misericordia & veritas* pro efficiente causâ expiationis peccatorum haberi non possunt, uti Pontificii ex hoc loco extruere allaborant, *bonis operibus expiari peccata*: Sed vera efficiens causa expiationis peccatorum alibi quærenda, quæ est sola Dei misericordia propter sanctissimum Christi λύτρον homines expians & in gratiam recipiens. Hæc illi, quæ num certa sint & καθόλυ de significatione Pyal, affirmare non ausim. In illo ipso loco adducto per חֶסֶד וֶאֱמֶת *misericordia & veritas* Dei, quam in Christo peccatoribus exhibet, intelligi commodissimè potest: quando enim de Deo per Christum Jesum nobis propitio facto scriptura loquitur, hæc duo nomina sæpius conjungit, Psal. 19. vers. 2, 3. Psal. 117: 2. Joh. 1: 17. &c. Et proponitur illo dicto totius nostræ justificationis & salutis ratio: *Misericordia & veritate* (Dei benevoli Patris, verbo promissionis Euangelicæ verissimo nos propter Christum in gratiam acceptantis) *expiatur iniquitas: Et in timore Jehova receditur à malo.* Ecce non solùm regenerationis & justificationis nostræ, sed & renovationis & studii pietatis, necessariò illi connexæ, accuratam descriptionem. Confer Psalm. 130: 4. qui locus huic ex asse conformis.

Hoc etiam notandum in passiva hac conjugatione, quod *quandoque non respondeat significatione suo activo Piel*, sed simpliciter instar *Niphal* significet. Ut יָלַד *genuit; peperit;* in Piel יִלֵּד *parere fecit, obstetricavit;* Pyal passivum יֻלַּד non suo Piel respondet, sed conjugationi Kal, non enim significat, *factus est gignere*, sed simpliciter, *genitus fuit, natus fuit*, ut in Niphal. Gen. 4: 26. *Sed & ipsi Setho* יֻלַּד *natus est filius*. Jer. 20: 14. *maledicta sit dies, quâ* יֻלַּדְתִּי *genitus fui*. Es. 9: 6. יֶלֶד יֻלַּד *filius natus est nobis &c.* sermo est de Immanuele nostro & Salvatore Jesu. Dinckelius in orat. allegata emphasin peculiarem hic quærit: *Neque citra consolationem amplissimam* Esa. 9. *ubi puer natus scribitur, secunda conjugatio adhibetur,* יֻלַּד, *ut palam fiat, ipsum ita natum, ut vicissim alios generet, & cœlesti vitæ inserat.* Hæc ille, quæ tamen non sunt firma, ut alia exempla huic collata edocent.

# Canon XXVII.

*Tertia conjugatio in forma activa,* הִפְעִיל *Hiphil dicta (ab antiquo paradigmate* פָּעַל*, quod in tertia hac conjugatione ejus forma est) itidem pro diversitate verborum in Kal, duplicem significationem obtinet.*

## Prior significatio.

POtest hæc dici *continuativa seu translativa*. Quæ enim verba in Kal *activa* sunt, in Hiphil continuationem seu traslationem actionis in aliud subjectum agens significant, (quod quâ ratione fiat, canone sequente declarabitur) ut פָּקַד *visitavit*, in Hiphil הִפְקִיד *fecit, ut alius visitaret*, seu *constituit, præfecit alium, qui visitet*. Bertramus in Grammat. Hebræ. Aramicâ: *Hac conjugatio propriè actiones designat, quæ alio impellente, alio verò agente fiunt,* הֶאֱכִיל *fecit comedere. Duplex actio significatur, facere, & comedere, quarum prior transit in eum, qui comedit, posterior verò in cibum, qui comeditur.* Capito instit. Hebr. l. 2. *Qui alterum ad operandum aut prece, aut precio, aut alio quovis modo induxit, denotatur verbo* הִפְעִיל *hoc est, fecit facere: qui fecit, quique operatus est per* פָּעַל *hoc est, fecit. Opus autem fructusque operæ facientis significatur esse jam nunc pro-*


ductum

*ductum per* נִפְעַל *hoc est, factum est. Ergo* הִפְעִיל *tria in se continet.* 1. מַפְעִיל *facientem alterum aliquid operari.* 2. פּוֹעֵל *eum, qui à priore motus operatur.* 3. נִפְעַל *quod est perfectum auctoritate* מַפְעִיל *& industriâ* פּוֹעֵל Dinckelius in orat. dicta: *Tertia conjugatio eorum verborum est, quæ sua actionis efficacia fieri aliquid, sed non sine medio, declarant, ut, David Uriam occidisse,* 2 Sam. 12: 9. *in usitatâ versione legitur, cùm tamen suâ manu hoc non fecerit, sed in obsidione urbis Rabba fieri curaverit. Ideò non* נכרה *sed* הִכָּה *textus Hebræus habet, quod per alium, cui David vim occidendi contulerit, interfectum Uriam ostendit.* Quid de hoc exemplo sit sentiendum, supra can. 22. §. 2. declaratum est. *Erpenius*, allegante D. Sixtino Amama in Gramm. Hebr. p. 60. *Hiphil verbis Kal addit causam, cujus virtute, impulsu, jussu vel permissione fit actio.*

Verbum in hac conjugatione dicitur עֹבֵר לִשְׁלִישִׁי vel יוֹצֵא לִשְׁלִישִׁי *exiens vel transiens ad tertium*, denotatur enim duplex actio, una *proxima*, in patiens; altera *remotior*, in agens; cui ab alio facta agendi δύναμις. Dicuntur etiam hæc verba פְּעָלִי נוֹסָפִים hoc est, *verba accumulativa*, quod ad plures agendi vim quasi accumulent & amplificent. Et ipsa conjugatio בִּנְיָן הַכָּבֵד נוֹסָף *conjugatio gravis aucta*, ab Aben Ezra in Thren. 2: 5. dicitur: item simpliciter בִּנְיָן הַכָּבֵד *conjugatio gravis*, in Comment. Psal. 7: 21.

Cæterùm addendum his, quæ dicta sunt, *quandoque significationem verbi in Hiphil à significatione Kal nihil discrepare*, ut כָּרַת *exscidit*, in Hiphil הִכְרִית (non, *exscindere fecit*, sed itidem) *exscidit*, 1 Sam. 28: 9. Unde passivum Hophal הָכְרַת *excisum fuit*, Joël. 2: 9. Sic בָּזָה *contemsit*, in Hiphil הִבְזָה (non, *fecit contemnere*, sed itidem) *contemsit*, Esth. 1: 17. Quandoque etiam significatio Hiphil à significatione Kal planè discrepat; ut טָרַף *rapuit*, in Hiphil הִטְרִיף *aluit, cibavit*, Proverb. 30: 8. &c.

## Posterior significatio

Potest hæc dici *alterativa*, ut in Piel. Quæ enim verba in Kal *neutra* sunt, semper hîc fiunt *activa*. Ut שָׁכַב *jacuit*, in Hiphil, הִשְׁכִּיב *jacere fecit*, seu *collocavit*, quod cognatum est Germanico verbo, liegen und hinlegen. בָּרַח *fugit*, in Hiphil הִבְרִיחַ *fugere fecit* seu *fugavit*.

Quod si in præcedentibus conjugationibus verba sunt inusitata, in Hiphil significationem Kal vel Piel habent, ut à שלך inusitato, in Hiphil est הִשְׁלִיךְ *jecit, projecit*; à נכה inusit. est הִכָּה *percussit &c.*

Raro *neutralis* significatio hic locum obtinet.

הִשְׂכִּיל *intellexit*, seu *callidus fuit*, à שָׂכַל *prosperatus fuit.*

הִשְׁכִּים *matutino tempore surrexit, diluculo paratus seu expeditus fuit*, ab inusitato שכם.

הִבְאִישׁ *computruit*, Exod. 16. vers. 24. Psalm. 38: 6. quod & alibi *activè* significat, *fœtidum reddidit*, Prov. 13: 5. &c. à בָּאַשׁ *putruit.*

הִקְרִיב *appropinquavit*, Gen. 12: 11. Esa. 26. vers. 17. aliàs *appropinquare fecit vel jussit, admovit, obtulit*, Exod. 14: 10. cap. 29: 3. à קָרַב *appropinquavit.*

הִלְבִּין *albuit, albus evasit*, Esa. 1: 18. Psalm. 51: 9. ab inusit. לבן. Sic &, הֶאְדִּים *rubuit, rufus fuit.* Esa. 1: 18. הִזְקִין *senuit* Job. 14: 8.

הָרִיד *planxit* Gen. 27: 40. (al. 42.) *Et erit,* כַּאֲשֶׁר תָּרִיד *quum planxeris*, id est, cum duram & lamentabilem servitutem aliquandiu sustinueris, ad cujus gravitatem coactus fueris ingemere. Sequitur: *ut rumpendo excutias jugum ejus* (fratris) *à collo tuo. Plangendi* significatione etiam venit Psalm. 55: 3. Alii tamen in priori loco reddunt: *cum dominari incipies.* Est enim à רוד *dominatus est.*

הֶאֱרִיךְ *prolongatus fuit.* De annis dicitur, qui prolongantur, cum multi sunt. Exod. 20: 12. Deut. 5: 16. לְמַעַן יַאֲרִיכֻן *ut prolongentur dies tui super terram illam, quam Jehova Deus tuus dat tibi.* Junius & Tremell. activè vertunt, *prolongent*, & ad hunc locum sic annotant: *Prolongent, videl. pater & mater, honorem sibi ex mandato Dei delatum approbantes, & benedicentes tibi: quo sensu alii alios servare dicuntur*, 1 Tim. 4: 16. Jac. 5: 20. *& recipere in æterna tabernacula.* Luc. 16: 9. *vide* Eccl. 3: 10. *Verbum enim hoc ubique transitivum est.* In posteriori editione Junius hæc addidit? *Etsi haud scio, an præstet hoc verbum accipi impersonaliter, prolongent, pro eo, quod est prolongentur, ex Hebræorum usu frequentissimo, ut* Job. 7: 3. *& alibi passim.* (Vide can. 23. §. 1.) *Hanc interpretationem, velut simpliciorem, magis probo.* Simplicissimè dicitur, *intransitivè* hoc verbum accipi, tum dictis locis, tum Deut. 6: 2. cap. 25: 15. qui duo loci, præsertim posterior, probè expendantur.

Huc referunt quidam, הִזְרִיעַ Levit. 12. v. 2. *Mulier cum* הִזְרִיעַ *seminificaverit, & peperit masculum &c.* hoc est, semen susceperit. Sed alibi verbum hoc *semen dare* significat, Genes. cap. 1: 11. *herba* מַזְרִיעַ זֶרַע *sementans semen*: cur non igitur & in adducto loco? Confer Hebr. cap. 11: 11. Aben Ezra per נתן זרע *dare semen* exponit.

Nota

## Nota de Nov. Testam.

Analogon significationibus verborum in Hiphil primariis est, quod in Nov. Test. quædam verba, vel *activa*, vel *intransitiva* sive neutra, pro *transitivis* usurpantur, ita ut *translationem in aliud subjectum*, ad imitationem verborum Hebræorum in Hiphil, significent.

Matth. 5:45. *Ut sitis filii patris vestri, qui est in cœlis, quia solem suum* ἀνατέλλει *exoritur super bonos & malos, &* βρέχει, *rigat super justos & injustos*, hoc est, facit solem suum exoriri: facit suam pluviam rigare, seu pluviam dimittit.

Matth. 6:2. μὴ σαλπίσῃς *ne buccinâ canas coram te*, h.e. ne cures buccinâ cani coram te.

Luc. 11:53. *Cœperunt Pharisæi & legis periti vehementer imminere*, καὶ ἀποστοματίζειν αὐτὸν περὶ πλειόνων, *& facere loqui eum, seu ad loquendum allicere eum, de multis urgere illum ad loquendum*, ut Hafenreff. vertit. Confer v. 54. & vide Bezam & Casaub. in h. l.

1 Cor. 3:6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed DEUS* ηὔξανεν, *fecit crescere, seu incrementum dedit*, αὐξάνειν aliàs *crescere* seu *augescere* significat, Matth. 6:28. Joh. 3:38. &c.

2 Cor. 2:14. *DEO autem gratia*, τῷ πάντοτε θριαμβεύοντι ἡμᾶς ἐν τῷ χριστῷ, *qui semper triumphare facit nos in Christo*; seu, *qui facit, ut triumphemus in Christo*. Col. 2:15. proprie accipitur, sine ejusmodi actionis translatione in aliud subjectum: θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν ἑαυτῷ, *triumphans ipsos* (hostes) *in semet ipso*, h. e. in triumpho ducens.

Hebr. 4:8. κατέπαυσεν *fecit cessare*, quod v. 4, 10. neutraliter ponitur.

Talia volunt esse verba ἱκανοῦν *idoneum efficere*. 2 Cor. 3:6. Col. 1:12. χαριτοῦν, *gratum efficere*. Ephes. 1:6. καθίζειν *collocare*, seu *facere ut quis sedeat*, Matth. 21:7. Eph. 1:20. 1 Cor. cap. 6:4. σκανδαλίζειν, *facere ut quis offendat*, Matth. 5:29, 30. &c.

## Passivum tertiæ conjugationis.

Dicitur id הָפְעַל *Hophal* ab antiquo paradigmate, quod hujus formæ hic est. Significatio respondet suæ activæ conjugationi. Ratione *prioris* significationis in Hiphil, innuitur hîc duplex passio, una patientis, altera agentis ab alio moti: Ut הָפְקַד *factus seu constitutus est ab alio ad visitandum*. Ratione *posterioris* significationis simplex denotatur passio, à transferente qualitatem illata, ut הָשְׁכַּב *factus est jacere, seu collocatus est*. Volunt & hîc Hebræi, *non commemorari in hac passiva conjugatione agens*, unde eandem cum præcedenti appellationem sortitur, ut in Kimchi in lib. rad. AbenEzra in Genes. 24:33. videre est.

## Nota de N. T.

Analogon conjugationi *Hophal* in Græcis est illud 1 Cor. 8:3. *Sed si quis diligit Deum, hic* ἔγνωσθαι, *cognitus est ab eo*, h. e. cognoscere factus seu edoctus fuit. Opponitur enim hoc falsæ scientiæ, quam inflati quidam sibi imaginabantur, vers. 1, 2. Veram autem scientiam eam esse dicit Apostolus, quæ à Dei proficiscitur spiritu, & cum charitate ac verâ pietate conjuncta est. Eadem significatio hujus verbi passivi videtur esse 1 Cor. 13:12. Gal. 4:9. confer 1 Cor. 15:3.

## Canon XXVIII.

*Activa significatio in* Piel *&* Hiphil, *non semper directa est & immediata efficientia, sed aliis insuper modis se habet.*

ALii eodem sensu: *Qualitas sive actio primâ conjugatione indicata*, in Piel & Hiphil *translata in rem vel personam aliam intelligitur, non tantum per directam efficientiam, sed & aliis modis.*

De *directâ efficientia* can. 26, 27. dictum. Modi reliqui sunt, quod verba in *Piel* & *Hiphil* sunt intelligenda quandoque.

1. De *permissione*, vel *concessione* potius.

Gen. 24:17. הַגְמִיאִינִי *fac me sorbere vel bibere parum aquæ*, h. e. concede mihi, ut bibam aquam ex vase tuo: da mihi bibendum. Non directa efficientia notatur, quæ est, *facere ut aliquis bibere possit*, quod non facultatis externæ, sed internæ, animæ scilicet vel naturæ hominis est; sed concessio materiæ bibitionis intelligitur.

Gen. 25:30. הַלְעִיטֵנִי *fac me gustare seu vescide isto edulio admodùm rufo*, h. e. concede mihi, ut gustem seu vescar: præbe tuum edulium, ut eo vescar.

Exod. 16:19. *Nemo* יוֹתֵר *reliquum faciat ex eo, usque in crastinum*, h. e. sinat superesse, seu concedat, ut supersit.

Jos. 9:15. *Et fecit cum eis Josua pacem, & pepigit cum eis fœdus* לְחַיּוֹתָם *ad vivificandum ipsos*, h. e. ad servandum eos in vitâ, ad concedendum, ut ampliùs viverent, cum aliàs morti &

ti & internecioni fuissent ex mandato Dei tradendi. Vide can. 11. not. 2.

Job. 24: 12. *E civitate homines gemunt, & animæ confossorum vociferatur* (orans) *ut Deus non* יָשִׂים *ponat insulsitatem*, h.e. ut non concedat disponi, id est, pergere & confirmari tàm pravam administrationem, quæ vocatur תִּפְלָה *insulsitas*, quia nec Deo, nec hominibus bonis & sapientibus probatur. Pagninus vertit, *Deus non prohibet eorum opera:* sed ab Hebræis verbis hoc est alienum. Quidam ex nostris reddit: *Nec tamen Deus desolavit insulsum*, ut sit Hiphil à שָׁמַם *desolari*. Sed repugnat punctum in sinistrâ, non dextrâ τῦ ש parte positum, indicio est à שׂוּם poni, non à שָׁמַם deductum esse.

Prov. 10: 3. לֹא יַרְעִיב *non esurire faciet Jehova animum justi*, h.e. non concedet, ut esuriat vel careat.

Huc referuntur à quibusdam & sequentia.

2 Reg. 11: 15. *Præcepit Jehojadah sacerdos centurionibus illis &c.* הוֹצִיאוּ *facite exire istam*, h.e. sinite exire. Sed rectius significatio propria & directa hîc retinetur: eductio enim violenta ex templo occisionis causâ indicatur.

Job. 24: 7. *Nudum* יָלִינוּ *pernoctare faciunt absque veste*, h.e. pernoctare sinunt. Sed & hîc convenientiùs propria significatio retinenda videtur: Denotatur enim vis pauperibus illata.

In diversum abire videtur Dn. D. Frantzius, *primum hoc* quod membrum attinet. Nam lib. de interp. Sacr. orac. 24. p. 365. seqq. astruit, & probat, *verba in Hiphil de permissione haud quaquam intelligi*. Verùm, si distinguatur inter nudam permissionem, & inter concessionem, quæ factam quasi alicujus rei potestatem simul notat, res videtur esse plana. Confer can. 11.

2. *De declaratione*. Lev. 13: 13. טִמֵּא *immundum fecit*, h.e. immundum declaravit vel pronunciavit. 2 Sam. 15: 4. הִצְדִּיק *justum fecit*, h.e. justum pronunciavit, absolvit. Plura exempla sunt superius tradita can. 15. De *Justificandi* voce, quòd dictam significationem, & sic forensem obtineat in articulo de justificatione hominis peccatoris coram Deo, vide eruditè disserentem, & regulam hanc simul explicantem Dn. D. Chemnitium in locis Theologicis, de justif. c. 3.

Huc pertinet, quando significatio est *cognitiva* seu *approbativa*. Psal. 119: 128. *Omnia mandata* יִשָּׁרְתִּי *rectifico*, h. e. recta agnosco vel approbo.

3. *De data occasione*. Gen. 42: 38. הוֹרִיד *descendere fecit*, h. e. descendendi occasionem præbuit. Plura vide can. 10.

Quidam huc referunt Est. 1: 17. הִבְזָה *fecit contemnere*, h. e. dedit occasionem contemnendi. Sed rectiùs simplex *contemnendi* significatio, quæ cum Kal eadem, ibi retinetur. Integra locutio sic habet: לְהַבְזוֹת בַּעְלֵיהֶן בְּעֵינֵיהֶן *ad contemnendum maritos suos in oculis suis:* non de occasione aliis data (nisi consequenter) sed de contemptu proprio loquitur: idem enim est, *in oculis suis contemnere*.

4. *De imperio & jussione*, 1 Reg. 14: 16. *Propter peccata Jeroboami, qui peccavit, & qui* הֶחֱטִיא *peccare fecit Israëlem*, h. e. ad peccandum induxit, & peccare jussit, dum videl. idololatriam instituit, & populo, ut vitulos aureos coleret, demandavit. Confer 1 Reg. 12: 28. Potest quidem & de *occasione data* ad peccandum exponi, (ut suprà can. 10.) sed addendum insuper de peccando mandatum. Sic & cap. 15: 26.

Aliqui huc referunt הִשְׁבִּיעַ *fecit jurare*, h. e. jussit jurare, Gen. 24: 3. Sed alia ejus loci est significatio. Præcedit vers. 2. *Pone nunc manum tuam sub femore meo*. Hoc verbum mandati est, cui subjungitur vers. 3. וְאַשְׁבִּיעֲךָ *& jurare faciam te per Jehovam*. Hic non potest intelligi mandatum jurandi, quæ enim connexio, Mandabo te jurare? jam antè enim mandaverat juramenti actum & ritum, positionem scilicet manus sub femore. Sensus igitur verbi illius est: *& jure jurando obstringam te:* sicut & Exod. 13: 19. Cant. 2: 7. accipitur.

5. *De comparatione cum aliis* facta. Sic usurpatur verbum צִדֵּק *justificavit*. Jerem. 3: 6. (al. 11.) צִדְּקָה נַפְשָׁהּ *justificat seipsam aversa Israel, magis quàm perfida Juda*, h. e. justior est, aut potiùs, minùs injusta. Confer antecedentia. Ezech. 16: 51. *Schomrom quoque ad dimidium peccatorum tuorum non peccavit, amplificâsti enim abominationes tuas præ ipsis*, וַתְּצַדְּקִי *& justificasti sorores tuas omnibus abominationibus tuis, quas fecisti*, h. e. fecisti ut sorores tuæ justiores appareant; seu ita te geris, ut minùs injustæ illæ in improbitate suâ præ te videantur. Sic & vers. 52. Sic Germani loquuntur, dieser Bube macht den andern from.

6. *De quavis alia ratione*, & concursu ad rem perficiendam. Sic יִלֵּד *fecit parere*, sumitur pro *obstetricatus est, obstetricem egit*. Harum enim est, directione sua & curâ partum facilitare, & alia, quæ usus postulat in partu, peragere. Gen. 35: 17. Exod. 1: 16: 17.

Alii alios modos his superaddunt: sed ad eos, qui positi sunt, reduci illi ferè possunt.

Canon

## Canon XXIX.

*Quarta conjugatio*, הִתְפָּעֵל Hithpaël, *ab antiquo paradigmate dicta, & originem ex secunda ducens, reciproca significationis est.*

UT הִתְפַּקֵּד *seipsum præfecit*, vel *obtulit ad visitandum*, הִתְגָּאֵל *contaminavit se*, Dan. 1: 8.

Quâ significatione apud Græcos passiva verba quandoque usurpantur, ut 1 Cor. 7. v. 10. *Iis qui matrimonio juncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro* μὴ χωρισθῆναι *non separare seipsam* v. 11. *Quod si* χωρισθῇ *separaverit se &c.* Epist. Judæ v. 10. *in illis* Φθείρονται *se corrumpunt.*

Monent hic Grammatici, quemadmodum in *Piel* & *Hiphil* non semper directè effectiva est significatio, ita nec hic esse: *nam actio in seipso, quandoque per simulationem, aut per declarationem explicanda est.*

Jos. 9: 4. וַיִּצְטַיָּרוּ *& legatos se fecerunt*, h. e. finxerunt seu simulârunt se legatos esse.

2 Sam. 13: 5. *Cuba in cubili tuo* וְהִתְחָל *& ægrotum fac*, hoc est, ægrotum te simula, ægrotum age. Sic v. 6. In vers. 2. autem de verâ ægritudine accipitur, cujus Amnon immoderato illiciti amoris effectu ipse auctor sibi extitit.

Prov. 13: 7. *Est* מִתְעַשֵּׁר *Qui se divitem facit*, hoc est, qui se divitem jactat. Ibidem sequitur, מִתְרוֹשֵׁשׁ *qui se pauperem facit*, h. e. pauperem fingit seu simulat.

Alii sic, quod dictum est, efferunt. *Quòd Hithpael designet agentis in seipsum actionem sive veram, sive imaginariam.*

Præter hæc significatio conjugationis *Hithp*[illegible]andoque est.

*Activa*, הִתְנַבֵּא *prophetavit*, 1 Sam. 10. vers. 6, 13. Ezech. 27:10. הִתְפַּלֵּל *oravit, supplicavit*, 2 Reg. 19: 20. הִתְחַנֵּן *precatus fuit*, Est. 4: 8.

Huc pertinet significatio *frequentativa*. הִתְהַלֵּךְ *itavit, ambulavit continenter*. 1 Sam. 30: 31. Unde phrasis, הִתְהַלֵּךְ אֶת־הָאֱלֹהִים *ambulare continenter cum Deo*, h. e. perseveranti fide & cordis integritate Deum colere, Gen. 5: 22. c. 17: 1. Sicut aliàs studium pietatis, metaphorâ vitæ & ambulationis, in Scripturis crebrò exprimitur:

2. *Passiva* Eccl. 8: 10. וְיִשְׁתַּכְּחוּ *& oblivioni traditi sunt*. Ezech. 19: 12. הִתְפָּרְקוּ *rupti seu fracti sunt*, videlic. rami ejus. Genes. 22: 18. וְהִתְבָּרְכוּ *& benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Sic cap. 26: 4. (Alibi pro hoc est Niphal וְנִבְרְכוּ *& benedicentur*, cap. 12: 3. cap. 28: 28, 14.) Quidam *reciprocam* significationem retinent, & reddunt, *benedictas se reputabunt*: ut exprimatur vera fides benedictionem divinam in Christo acceptans & sibi applicans. Confer Esa. 65: 16. & lege Flacium in clave scripturæ; part. 1. col. 74. seqq:

Quidam etiam huc referunt 1 Reg. 21: 20. Ex N. T.
הִתְמַכֶּרְךָ *venditum esse te ad malefaciendum coram Domino*. Sic 2 Reg. 17: 17. Sed potest & hic retineri propria *Hithpael* significatio, ut sit *dedere seu vendere seipsum in omnem improbitatem*. Et explicatur planè phrasis hæc Rom. 6. v. 13, 19. &c.

3. *Neutralis & intransitiva*, sine tamen reciprocatione. Genes. 2: 25. *Erant ambo illi nudi, Adam & uxor ejus*, וְלֹא יִתְבֹּשָׁשׁוּ *& non erubescebant*. Quidam emphasin conjugationis expendentes sic exponunt: *non ducebant se pudore vel erubescentia dignos*, quippe nullius turpitudinis & fœdæ libidinis sibi conscii. Prov. 23: 31. *Ne respicito vinum*, כִּי יִתְאַדָּם *cum rubescit*. Sic הִתְאוֹנֵן *lamentari* est & *plangere*, Num. 11: 1. Thren. 3: 39.

### *Continuatio.*

HÆc de Hebræorum distinctis בִּנְיָנִים seu conjugationibus, & earum significatione. *Coronidis loco* duo adhuc notatu digna subjungentur, quorum prius *derivationem*, posterius *compositionem* verborum quorundam Hebraicorum concernit.

## Canon XXX.

*Verborum quorundam in prima passiva, secunda, tertia & quarta conjugationibus, significatio, non à radice, seu prima conjugatione Kal, sed à conjugato nomine desumitur.*

### In prima conjug. NIPHAL.

EXod. 34: 19. *Omne pecus tuum*, תִּזָּכָר (quod) *masculabitur*, seu *masculum nascetur*: Ex nomine conjugato זָכָר *masculus*. Aliàs enim זָכַר in Cal *recordari, memorare*, significat.

In

## In secunda conjug. Piel.

אלם *colligavit manipulos*, Gen. 37: 7. ex nomine derivato אֲלֻם *manipulus*. Aliàs אלם in Niphal נֶאֱלַם longè alteriùs significationis est, nempe *mutus redditus fuit, obmutuit*.

חָצַץ *excidit*, in Piel חִצֵּץ *ejaculatus fuit*, Jud. 5. vers. 11. significatione à nomine חֵץ *sagitta*, deductâ.

פֵּאֵר *ornavit, decoravit*, semel est *ramos scrutari*, ex significatione nominis derivati פֻּארָה *ramus*. Deut. 24: 20. *Non* תְּפָאֵר *scrutaberis ramos post te*, postquam scil. olivas tuas decusseris. Alii cum Chaldæo, eodem sensu vertunt, frondes removere: tollere, quod in ramis relinquitur; auferre fructus omnium ramorum. Et notatur in medio cum pathach, discernendæ significationis causâ, ut Kimchi putat.

דָּבַר *loqui*, in Piel. דִּבֵּר ejusdem significationis. Aliquando tamen perdere significat, tanquam si esset à nomine conjugato דֶּבֶר *pestis*, deductum, q.d. *peste perdere*, h.e. (per synecdochen) *quavis morte perdere*, uti Cicero *perniciem sive interitum Reipub. pestem* appellare solet. Ita usurpatur 2 Paral. 22: 10. וַתְּדַבֵּר *& perdidit* seu *occidit omne semen regium:* pro quo in eadem historia 2 Reg. 11: 1. legitur וַתְּאַבֵּד *& perdidit*. (Neque enim adstipulandum iis, qui vocem priorem corruptam esse existimant. Vide Forster. in Dictionar. pag. 158.) Eadem significatione commodè accipitur Psal. 127. vers. 5. *Beatus vir ille, qui impleverit pharetram suam illis: non erubescent*, כִּי יְדַבְּרוּ אֶת־אוֹיְבִים *sed periment inimicos in porta*. Allegoria textus & constructio huic expositioni favent. R. Kimchi in Commentar. super Psalmos, quosdam ait accipere hoc significatu illud Psal. 2. vers. 5. אָז יְדַבֵּר אֵלֵימוֹ *tunc occidet fortes eorum:* (אֵלֵימוֹ ab אֵל *fortis*, plur. אֵלִי Ezech. 32: 21. & affixum מוֹ paragogicum.) Quæ explicatio nullo laborat quidem incommodo: interim tamen ei meritò præfert Kimchi alteram, quâ *loqui* id verbum significat, & hoc ait esse reale. *Verba ejus* (inquit) *cum ipsis, sunt ira ejus, & excandescentia ejus, quæ immittet eis.* Communis hæc expositio, *tunc loquetur ad eos in ira sua*, & usitatâ verbi דִּבֵּר significatione nititur (אֵלֵימוֹ autem, *ad eos*, ab אֶל *ad*, quod cum affixis jod assumit) & sensum obtinet pulcherrimum, *quòd verbo suo efficacissimo impios Euangelii contemtores perditurus sit Jehova*. Quò pertinet, quod Christus inquit, Joh. 12. vers. 48. *Verbum quod locutus sum, judicabit eum in novissimo die*. Junius & Tremellius: *Simul castigabit opere & verbo, qui prædicato antè verbo parere noluerint, & à suis inanibus consiliis discedere*. In posteriori editioni hæc ita sunt mutata: *Tunc, id est, postquam Deus filium suum miserit in temporum plenitudine, alloquetur eos in ira sua, id est, quamvis immorigeris, ostendet tamen lucem Euangelii tolerantia summa, & provocabit ad resipiscentiam priùs, quàm conturbet in furore suo*. At verò cum Deus obstinatos per prædicationem Euangelii ad pœnitentiam vocat, non id facit in ira sua, sed *in divitiis* χρηστότητος *gratiæ suæ*, uti Rom. 2. vers. 4. emphaticis verbis ostenditur. Quomodo autem decretum absolutum de perdendis & damnandis absolutè reprobis, cum hac seriâ Dei voluntate benevolâ, & cum assertione etiam Junii (nisi hypocrisis in Deo vocante ponatur) conciliari possit, non video. Facessat igitur illud dogma ad orcum, ex quo in proscenium Ecclesiæ productum est.

Cæterum huc etiam Aben Ezra refert Job. 38. vers. 37. מִי יְסַפֵּר *quis Sapphirinas efficit nubes sapientia?* id est, quis adeò serenat cœlum, ut speciem reddat Sapphiri. Versio hæc, & annotatio Junii & Tremellii est, qui Aben Ezra sequuntur. סַפִּיר *Sapphirus* conjugatum nomen est, à סָפַר *numeravit*. Alii tamen plerique interpretes ordinariam significationem retinent; *quis numerabit nubes in sapientia?* Ita etiam Chaldæus.

Quæ à *nomine conjugato* suam significationem sortiuntur, eorum quædam *contrarium* ejus significant, quod in nomine conjugato dicitur.

דָּשַׁן *saginatus fuit seu pinguefactus*. In Piel דִּשֵּׁן *decineravit, seu cineres removit*, Num. 4. vers. 13. à nomine conjugato דֶּשֶׁן *cinis*. Significat etiam, *in cineres redegit*. Psalm. 20. vers. 4.

עָצַם *roboratus fuit, invaluit*. In Piel עִצֵּם *exossavit vel ossa comminuit*, Jer. 50: 17. a nomine עֶצֶם *os, ossis*.

Sic in iis, quæ Kal seu primam conjugat. non habent.

זִנֵּב *Decaudavit, caudam præcidit, extremitatem amputavit, agmen extremum carpsit*, Deut. 25. vers. 19. Jos. 10. vers. 19. à nomine זָנָב *cauda*. Vide Rhetor. sacr. tract. 1. cap. 11. §. Cauda.

סֵעֵף *collocavit, ramos excidit*, q. d. *deramavit*, Esa. 10: 33. à nomine סְעִף *ramus*.

שֵׁרֵשׁ *eradicavit*, Psal. 25. vers. 7. à nomine שֹׁרֶשׁ *radix*. Significat etiam *radices egit*. Esa. 40: 24.

## In tertia conjugatione Hiphil.

דָּבַר *locutus est*, in Hiphil הִדְבִּיר *duxit, adduxit*, &, ut Junius ac Tremellius eleganter Psal. 47. vers. 4. vertunt, יַדְבֵּר *in caulam coget populos in locum nostrum &c.* ex nomine conjugato דֹּבֶר *ductus, caula, ovile*, Esai. 5. vers. 17. Mich. 2: 12. In dicto igitur loco prophetia de vocatione gentium proponitur. Et quia à דבר *loqui*, tanquam radice & themate hæc deducuntur, per *verbum Jehovæ adductionem illam ad ovile Christi fieri*, tacitè innuitur. (Nota obiter *allusionem* jucundam. דֶּבֶר *pestis* est, qua voce de se utitur Christus Hos. 13: 14. *Ero pestes tuæ ô mors!* דָּבָר *verbum* est: דֹּבֶר *caula seu ovile est*: דְּבִיר *adytum interius templi est*, in quo Deus responsa dabat, 1 Reg. 6. vers. 19. Ecce igitur, post *passionem* suam & mortem, quâ Christus factus est *pestis & mors mortis*, *verbum* suum Euangelii de salute hominum per Apostolos in toto mundo annunciat: & hoc medio ad *ovile suum* homines vocat; quod Psalm. 47: 4. dicitur: tandemque pios ac credentes ex ovili Ecclesiæ militantis in *adytum* & claram visionem Dei in Ecclesia triumphante introducit, Hebr. 6. vers. 19.)

שָׁבַר *fregit*. In Hiphil הִשְׁבִּיר *matricem aperuit ad pariendum*, Esa. 66: 9. à nomine conjugato מַשְׁבֵּר *matrix, os matricis*. Alias autem הִשְׁבִּיר significat *annonam vendidit*, Genes. 42. vers. 6. Prov. 11: 26. quod etiam *à nomine conjugato* desumtum, שֶׁבֶר enim *annonam* significat, Genes. 44: 2. à שָׁבַר *fregit*, quasi *famis fracturam* dictam, ut & potus dicitur *frangere sitim*. Psal. 104: 11. *Vendere igitur annonam*, est fami consulere.

בָּרָא *creavit*, in Hiphil, הִבְרִיא *saginavit*, 1 Sam. 2: 29. ex nomine derivato בָּרִיא *pinguis*, Jud. 3: 17.

אָמַר *dixit*. In Hiphil הֶאֱמִיר *exaltavit, extulit, evexit*, metaphora à ramo deducta, qui in alto prominet. אָמִיר enim, nomen derivatum, *ramum excelsum* significat. Deut. 26: 17. *Dominum* הֶאֱמַרְתָּ *extulisti hodie* (promittendo nimirum & vovendo) *quod futurus tibi sit in DEUM, & quòd ambulaturus sis in viis ejus, & custoditurus statuta ejus & præcepta ejus &c.* vers. 18. *Et Dominus* הֶאֱמִירְךָ *extulit te hodiè* (promittendo gratiosè) *quod futurus sis ei in populum peculiarem*. vers. 19. *Et quod positurus sit te excelsum super omnes populos &c.* Buxtorff. in Lexico p. 34. ex AbenEzra, & R. Juda Levita Hispano, & R. Kimchi in lib. radicum, hanc profert expositionem v. 17. הֶאֱמַרְתָּ *fecisti dicere seu spondere Dominum, &c.* v. 18. *Dominus* הֶאֱמִירְךָ *fecit dicere te, effecit ut promiseris & spoponderis*: ut ad propriam verbi אָמַר significationem respectus habeatur. Sed si ita esset, inverso potiùs ordine fuisset dictum, vers. 17. *Dominus* הֶאֱמִירְךָ *fecit dicere te bodiè, quòd futurus Tibi in Deum, & quòd ambulaturus sis in viis ejus, &c.* vers. 18. *Et Dominum* הֶאֱמַרְתָּ *spondere fecisti bodie, quod futurus sis ei in populum, & quod positurus sit te excelsum &c.* Id verò non ita est, sed inversa in textu verba האמיר & האמרת conspiciuntur: id quod expositionem positam planè infringit.

## In quarta conjug. Hithpael.

Psalm. 58. vers. 8. יִתְמֹלָלוּ *in spicas abeant*, scil. sagittæ: significatione ex nomine conjugato desumtâ, quod extat Deut. 23. vers. 25. מְלִילוֹת *spica*. In spicas autem abeant, hoc est, irritæ sint non minùs, quàm si spicæ pro sagittis essent. Radix מָלַל est, *verba fecit, locutus est*. Alii à מול deducunt, *circumcidit*, in Piel מוֹלֵל *succidit, exscidit*, Psal. 90: 6. Unde Hithpael, כְּמוֹ יִתְמוֹלָלוּ *sicut præcisa sint*, h. e. obtusæ, scil. sagittæ, ne penetrent. Targum: מִתְגַּזְרִין *succisa &c.*

Psal. 94. vers. 4. יִתְאַמְּרוּ *exaltantur seu exaltant se operatores iniquitatis*: superbiunt sicut ramus altus. Significatione ex nomine אָמִיר *ramus*, deductâ, perinde ut in Hiphil paulò antè allatum exemplum fuit. Tale aliquibus est Esai. cap. 61. vers. 6. *Et in gloria eorum* תִּתְיַמָּרוּ *efferetis vos*. Ut Jod pro Aleph per *ἀντίστοιχον* sit positum. Quidam significatione verbi אמר propriâ retenta, vertunt, prius quidem; *summè prædicabunt*: posterius autem *summè prædicabitis*.

# Canon XXXI.

*Verba Hebræa quædam ex diversis conjugationibus (uti & diversis modis & temporibus) composita occurrunt, quâ compositione significationem eorum intendi tradunt.*

NUm. 1: 47. *Et Levitæ per tribum majorum suorum non* הָתְפָּקְדוּ *recensiti fuerunt inter illos*. Est præteritum mixtum ex forma Hophal & Hithpaël. In *illa* esset, הָפְקְדוּ: in *hac* הִתְפַּקְדוּ. Commixtio igitur hunc, secundùm

quosdam, reddit sensum: *Non facti sunt recenseri, nec ipsi se recensuerunt.* Alii simpliciùs anomalως Cametzcatuph pro hirec sub ה poni dicunt.

Jud. 9: 9, 11, 13. הֶחֳדַלְתִּי *num desisterem vel desistere cogerer?* Bertramus dicit esse compositum ex *Hiphil* (quod notat הָ sægolatum, non interrogationis tantum, sed & conjugationis Hiphil index) & *Hophal* (quod indicat Hatephcametz sub ה) ut sensus commixtionis sit, *vestrisne verbis persuasu ita missam faciam pinguedinem meam* (juxta activam Hiphil) *ut ea ipsa quoque priver* (juxta passivum Hophal) *nihilque amplius in me habeam commendabile.*

Psal. 7: 6. יִרַדֹּף *persequatur inimicus animam meam* &c. Est futurum, mixtam formam habens ex Kal & Piel: in *illo* esset, יִרְדֹּף in *hoc* יְרַדֵּף Rationem compositionis quidam dant istam, quòd velit David, ut *inimicus ipse persequatur eum* (Davidem) *& alios etiam ad persequendum eum instiget.* Videatur Kimchi in h. l.

Esa. 63. vers. 3. *Et omnia vestimenta mea* אֶגְאָלְתִּי *contaminavi.* Composita forma ex futuro & præterito in Kal: in illo esset אֶגְאַל in hoc verò גָּאַלְתִּי Quâ formâ indicari volunt, *quod Christus jam antè contaminaverit, & imposterum etiam contaminaturus sit vestimenta sua sanguine hostium.* Simplicius autem א pro ה positum dicitur, pro הִגְאַלְתִּי (in Hiphil) forma Chaldaica, ut in אֶתְחַבַּר *consociavit se*, 2 Par. 20: 25. pro הִתְחַבַּר.

Jer. 22. vers. 23. *O quæ desides in Libano,* מְקֻנַּנְתְּי *nidificans in cedris.* Composita forma ex præterito & participio in Pyal. In illo esset קֻנַּנְתְּ, in hoc מְקֻנֶּנֶת. Significatur quòd dicere voluerit, *nidulata es jam antè, & nunc nidularis*, ut Kimchi scribit in Michlol pag. 77. Sic ibid. paulò antè: יוֹשַׁבְתְּי *sedens seu habitans in Libanon.* Itidem compositum ex præterito & part. Kal. In *illo* esset, יָשַׁבְתְּ in *hoc* יוֹשֶׁבֶת q. d. *ô tu quæ habitâsti & etiamnum habitas.* Utrobique autem Jod paragogicum est.

Thren. 4: 14. *Evagantur cæci per vias,* נְגֹאֲלוּ *contaminati sunt sanguine.* Præteritum compositum ex Niphal & Pyal: in *illo* esset נִגְאֲלוּ, in *hoc*, גֹּאֲלוּ Indicari volunt, *quod polluti fuerint seu polluerint se sanguine proprio per mutuas cædes* (est enim significatio in Niphal quandoque reciproca, can. 25. *& quod polluti fuerint sanguine ac cædibus ab inimicis ipsorum* (juxta Pyal, ubi passio est ab alio illata.) Ita Kimchi in Michlol p. 71.

Ezech. 8: 16. *Et ipsi* מִשְׁתַּחֲוִיתֶם *incurvabant se orientem versus, coram Sole.* Compositum verbum ex participio & præter. 2. plural. in Hithpaël in *illo* esset. מִשְׁתַּחֲוִים; in *hoc* הִשְׁתַּחֲוִיתֶם

Emphasin verbi ponit Kimchi in commentario: *Propheta volebat dicere*, וְהֵמָּה מִשְׁתַּחֲוִים *& ipsi incurvabant se: at aspectu commotus, sermonem illicò in interrogationem convertit, volens dicere*, וְאַתֶּם הִשְׁתַּחֲוִיתֶם *vos ne incurvatis vos?* Junius & Tremellius ut nomen cum affixo tertiæ personæ pluralis interpretantur, *incurvatio eorum*, ac si esset מִשְׁתַּחֲוָתָם.

Cæterùm de hoc, & quibusdam aliis, quæ tradita hactenus, exemplis, eximium virum, Ludovicum de Dieu, audire placet in Grammat. lingg. orient. inter se collatarum pag. 371. 375. Is postquam observandum dedisset, *peculiare esse Chaldæis ac Syris, quod pronomina primæ ac secundæ personæ componantur in modum affixorum, sed in casu recto cum participiis &c. sic ut participium exponatur per præsens indicativi.* E. G. פָּקֵדְנָא פָּקֵדְתְּ *jubeo ego,* פָּקֵדְתְּ *jubes tu &c.* In fœm. פָּקְדָאנָא *jubeo ego,* פָּקְדָתְּי *jubes tu &c.* tandem ita subjicit: *Videtur hæc pronominis cum participio Benoni compositio etiam in Hebraismo interdum usurpata: ut* וְיוֹלַדְתְּ *& paries, quasi* וְיוֹלֶדֶת אַתְּ Gen. 16. v. 11. *Et cum* ' *in fine, more Syrorum* יוֹשַׁבְתְּי בַּלְּבָנוֹן מְקֻנַּנְתְּי בָּאֲרָזִים *quæ habitas tu in Libanon, quæ nidificata es tu in cedris*, Jerem. 22. vers. 23. שְׁכַנְתִּי *quæ habitas tu.* Jerem. 51. v. 13. *quæ si scriberentur* . שְׁכַנְתִּי יוֹבְשְׁתִּי . מְקֻנַּנְתִּי . יוֹלַתִּי *planè essent formæ Syriacæ. Sic in plurali*, מִשְׁתַּחֲוִיתֶם *adoratis.* Ezech. 8: 16. *quasi* מִשְׁתַּחֲוִים אַתֶּם

Ezech. 9: 8. וְנֵאשְׁאַר & *residuus ego.* Compositum videtur ex præterito & futuro: in *illo* esset, וְנִשְׁאַרְתִּי; in *hoc*, וָאֶשָּׁאֵר. Prophetæ utramque formam à mente suggestam, non fine emphasi vocis, quidam volunt.

Huc pertinent verba ex *diversis radicibus* composita & commixta, significationis uberioris causa.

Num. 34: 10. וְהִתְאַוִּיתֶם *& designabitis vobis in terminum orientalem* &c. Compositum verbum ex תָּאָה & תָּוָה quorum utrumque significat, *definit* vel *signavit.* Quâ accuratam designationem notari volunt.

Jer. 2: 11. הַהֵימִיר *an mutaverit gens Deos, quamvis illi non sint dii.* Compositum verbum esse Kimchi in comment. asserit, ex מוּר & יָמַר, ideoque duplex etiam significatum emphaticè eo contineri: nimirum *mutationis*, juxta illud Lev. 27: 10. וְאִם הָמֵר יָמִיר *& si commutando commutet* (à מוּר *mutavit*) & *magnificationis*, juxta illud Esa. 61: 5. וּבִכְבוֹדָם תִּתְיַמָּרוּ *& in gloriâ eorum summè efferetis vos* (à יָמַר *magnificari*) ut sit sensus: הַהֵימִיר *an mutat gens aliqua Deos suos, & an magnificat sive extollit Deos gentis alius, etiamsi non sint dii.* Alii simpliciùs *Jod* per epenthesin insertum esse & abundare dicunt, ut sit pro הֵמִיר mutavit.

Ezech.

Ezech. 36: 11. וְהֵטִבֹתִי *& benefaciam.* Præteritum Hiphil (cum Vau conversivo, unde significatio futuri) compositam formam habens à טוב & יטב, quorum utrumque *benefaciendi* significationem habet: ab *illo* esset, הֵיטַבְתִּי ab *hoc* verò, הֵטִיבוֹתִי, geminarique inde & intendi significationem volunt, q.d. *valde benefaciam.*

Zach. 10: 6. וְהוֹשְׁבוֹתִים *& tranquillè collocabo eos.* Præter. Hiphil cum affixo, itidem ex duabus radicibus compositum. ישב *sedit*, & שוב *reversus fuit:* ab *illo* esset, הוֹשַׁבְתִּים, ab *hoc*, הֲשִׁיבוֹתִים. Posset igitur verti, *& faciam eos reverti, & faciam eos sedere, seu collocabo eos:* ut & divinæ reductionis in patriam, & tranquillæ collocationis beneficium Deus hac voce populo suo promittat.

Tantum de verbis compositis, de quibus notandum, in plerisque satius esse, simplicem vocum *anomalium* (ratione punctorum vel literarum) agnoscere, quam ad significationum *σύμμιξιν*, quæ in quibusdam contorta est, recurrere.

# DE IDIOTISMIS IN CONSTRUCTIONE VERBORUM.

HActenus primum idiotismi genus habuimus, quod significationem verborum concernit: Succedit alterum, *constructionem & rectionem verborum* attinens. Ea vel verbi *in genere* est: vel *in specie* tùm *verbi Passivi*, tùm *verbi substantivi* Sum.

*In genere* constructio verbi est *vel cum nomine*, vel *cum verbo alio.* De *constructione verbi cum nomine* duo sunt canones.

## Canon XXXII.

*Verba Hebræa crebrò & eleganter regunt nomen conjugatum, & cognatum, quo vel significati emphasis intenditur, vel affectus & objectum actionis innuitur.*

### De Priore.

SI *emphasis significati* intenditur, nomen à Latinis per ablativum ferè explicatur.

Gen. 27. v. 33. (al. 35.) וַיֶּחֱרַד יִצְחָק חֲרָדָה גְּדֹלָה עַד־מְאֹד *& contremuit Isaac tremore magno admodum.* Fuit tremor à Deo immissus, quo velut freno injecto cohibitus fuit, ne benedictionem revocaret, sed ut eam sequentibus verbis confirmaret. Igitur per nomen cognatum cum adverbio vehementia ejus magis exprimitur.

Gen. 30: 8. נַפְתּוּלֵי אֱלֹהִים נִפְתַּלְתִּי *luctationibus Dei luctata sum cum sorore meâ, etiamque prævalui*, h. e. vehementi luctâ, ita Deo volente & dirigente, colluctandum mihi fuit &c.

2. Sam. 13: 36. בָּכוּ בְּכִי *fleverunt fletu magno valde.* Vide & exempla alia 1 Reg. 1: 40. 2. Reg 4: 13. Psalm. 53: 6. Ezech. 37: 35. Dan. 11: 3. Jon. 1: 10. Zach. 1: 2, 14, 15. Singulariter expendendus locus qui sequitur.

Esa. 22: 17. הִנֵּה יְהוָה מְטַלְטֶלְךָ טַלְטֵלָה גָּבֶר *Ecce Dominus projiciet seu deportabit te deportatione viri*, hoc est, virili, vehementi, forti. Ita Hebræi quidam, radicem ponentes טול; in Piel, טִלְטֵל; הֵטִיל *dejecit, projecit.* Schindlerus in Lexico: *Ecce Dominus projicit te projectione, ô vir, qui videris tibi* גִּבּוֹר *fortis.* Vide & Luth. versionem. Alii cùm statim sequatur, וְעֹטְךָ עָטֹה *& amicit te amiciendo*; obtegendi significationem adhibent; טלל enim *obtexit*, significat, Neh. 3: 15. (à quo טַל *ros*, sic dictus, quod herbas & gramina obtegat) unde geminata prima radicali litera טִלְטֵל & nomen cognatum טַלְטֵלָה *contectio, integumentum.* Sensus secundùm hos est: *Ecce Jehova contegit te integumento viri* (status absoluti pro constructo enallage, טַלְטֵלָה pro טַלְטֵלַת, ut supra tract. 1. can. 40. Vel, ut alii supplent, *integumento*, quantum potest esse *viri*) *& amicit te amiciendo*, h. e. Jehova solus te in hoc fastigium dignitatis evehit: Dignitas enim, ut ab insignioribus vestimentis cognoscitur, ita in scripturis ab iis quandoque describitur, Gen. 41: 41. seqq. *Viri*, seu quantum potest esse viri, h. est, amplissimo: erat enim Sebna secundus à Rege. Arias Montanus contrarium hîc amplectitur sensum, in lib. de idiotis. Hebr. Vertit enim, *amiciet amiciendo*, h. e.

 obruet

obruet confusione & opprobrio. Sed antecedens expositio simplicior est. R. Salomo hic, vocem גֶּבֶר quod attinet, mirabilis est expositor: *Et transportabit te*, כהדין תרנגולא דמטלטל מאתר לאתר *sicut gallum gallinaceum, qui transportatur de loco uno in alium.* Quod ex Talmudico quodam effato desumit, in quo גֶּבֶר, Chald, גַּבְרָא, *gallum gallinaceum* significat.

*a De gallo gallinaceo in vers. Latina Es. 22.*

[a] Unde jam videre licet, ex quo sterquilinio in Latinam hujus loci versionem vulgatam gallus ille gallinaceus involaverit. Quod ipsi Hieronymo adscribendum, qui, ut ipse testatur, ab Hebræo suo præceptore edoctus, sic convertit. Verba ejus sic habent, lib. 7: comment. Esa. super h. l. גבר *omnes virum interpretati sunt. Hebræus autem, qui nos in veteris instrumenti lectione erudivit, gallum gallinaceum transtulit. Sicut, inquit, gallus gallinaceus humero portitoris de alio loco transfertur ad alium; sic te Dominus de loco tuo leviter asportabit.* Et annotat Drusius observ. 10: 8. etiam Prov. 30: 19. in illo, *via* גֶּבֶר *viri in adolescentulâ*, expositionem legi *de gallo gallinaceo*, in Midras Misle: quod & ipsi mirum est, & perquàm absurdum. Mirum verò & hoc, Bened.

*b Arias Montanus.*

[b] Ariam Mont. in lib. Joseph, seu de arcano sermone pag. 81: hanc, in gratiam versionis Latinæ Esa. 22. dare notam: *Gallus diei & noctis partes & cognoscit, & voce indicat. Namque meridiem & noctis medium denunciat, sicut scriptum est, quis dedit gallo intelligentiam?* (Job. 38: 36.) *Quamobrem ab iter facientibus & navigantibus, temporis indicandi causâ, asportari solet, sicut scriptum est* (Esa. 22:) *quemadmodum asportatur gallus gallinaceus. Unde & peregrinationis imaginem exprimit.* Hæc Arias, qui tamen in sua versione aliam interpretationem sequitur. Observandum hîc παρέργως, quod ex Job. 38. vers. 36. adducitur, & ipsum ex vulgata versione desumtum esse. In Hebræo sic legitur: *Quis dedit* לַשֶּׂכְוִי *intelligentiam?* quam Hebræam vocem in versione sua Arias reddit, *contemplationi*: Pagninus, *cordi*: Tremellius, *menti*. Vulgata autem vertit, *gallo*. Quod ex Rabbinis priscis petitum esse Buxtorffius in Lex. p. 796. ostendit. Et eandem significationem præter R: Salomo, etiam Targum aliquod exprimit, uti ex Bibliis Basileensibus editionis Buxtorfianæ constat. Vide Schindl. col. 1852. Tantum de loco Esa. 22: 17.

Ibid. v: 18. צָנוֹף יִצְנָפְךָ צְנֵפָה *volutando volutabit te volutatione*, (ut) *pilam in regionem amplam spaciis*, h. est, egregiè volutabit te procul arcebit & divexabit te; sive in exilium fuerit actus à Rege, sive ab Assyriis interceptus, sive ipse ultrò è Judæa profectus, postquam dignitate sua excidisset &c.

Quandoque ל præfixum nomini conjugato additur. Genes. 11: v. 3. *Formemus lateres*, וְנִשְׂרְפָה לִשְׂרֵפָה *& comburamus ad combustionem*, h. e. excoquamus optimè.

*c In N. T.*

[c] In N. Testam. hujus locutionis nomen verbale quandoque in *accusativo* ponitur, Luc. 2: 9. καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν, *& timuerunt timorem magnum.* Sic 1 Pet. 3: 14. Apoc. 17: 6. Quandoque in *dativo*. Johan. 3: 29. χαρᾷ χαίρει, *gaudio gaudet*, h. e. vehementer gaudet. Sic Luc. 22: 15. Actor. 4: 17. cap. 5. vers. 28.

In profanis *accusativus* plerumque ponitur. Sophocl. ὁ δ' εὐθὺς ἐξῴμωξεν οἰμωγὰς λυγρὰς, *ipse vero statim cœpit ejulare vociferationem tristem.* Sic χαίρω χαρὰν μεγάλην: φοβοῦμαι φόβον μέγαν &c.

Latini quandoque *accusativum*, quandoque *ablativum* ponunt. Virg. 12. Æneid. *Hunc oro sine me furere antè furorem.* Terent. Andr. *Nam hunc scio mea solidè solum gavisurum esse gaudia.* Plaut. *Benè ei, qui hoc gaudio gaudet.*

## De posteriore.

Si *effectus vel objectum* actionis innuitur, nomen à Latinis per accusativum ferè effertur, ut in Hebræo est.

Gen. 1: 11. *Producat terra herbas teneras, herbam* מַזְרִיעַ זֶרַע *sementantem semen*, h. e. producentem semen.

Gen. 8: 21. וַיָּרַח יְהוָה אֶת־רֵיחַ *odoratus est Jehovah odorem quietis*, h. e. ratum & acceptum habuit (ἀνθρωποπαθῶς dictum) oblatum sibi verâ fide sacrificium. Dicitur autem *odor quietis*, quia Deum prius iratum propter hominum peccata placavit, & fecit, ut ira ejus conquiesceret: non ex sua virtute, sed Messiæ, in cujus fide oblatio illa à Noë facta est.

Gen. 27: 3. (al. 5.) וְצוּדָה לִּי צַיִד *& venare mihi venationem.* Sic LXX. θήρευσόν μοι θήραν.

Gen. 18: 20. וַיִּדַּר יַעֲקֹב נֶדֶר *Et vovit Jacob votum.* Vide etiam cap. 43: 16. Exod. 13: 5.

Num. 25: 11. *Pinehas filius Eleazaris avertit iram meam à filiis Israël*, בְּקַנְאוֹ אֶת־קִנְאָתִי *cùm zelaret ipse zelotypiam meam*, h. e. cum, quod agebat, ageret Zelotypia mei, seu respiciendo ad Zelotypiam, quâ ego zelo pro filiis Israël, & ita ad gloriam meam.

2. Sam. 12: 16. וַיָּצָם דָּוִד צוֹם *jejunabat David jejunium*, h. e. usus fuit jejunio, seu

jejuna-

jejunabat. Vide & 2 Reg. 13: 14. cap. 19: 7. Ps. 144: 6. Esa. 8: 12. cap. 66: 19. Jer. 22: 16. Thren. 3: 59. Ezech. 18: 2. cap. 28: 2. Mich. 2: 4. Nah. 1: 15. Hab. 3: 2. Zach. 3. vers. 7. Seorsim considerentur duo sequentia exempla.

Esræ 4. v. 14. *Jam propterea* די־מלח היכלא מלחנא *quod sale palatii saliti sumus*, h. e. usi sumus. Sensum quidem ajunt esse hunc, *properea quod salarium de Regis palatio percipimus*. Et ita Junius in edit. Bibliorum posteriore, cùm in *priori* translatum esset, *quia demolitionem templi demolimur*, h. est, quod ruinæ Templi satagamus. Quæ interpretatio alteri videtur præferenda. Kimchi, *quia cessare fecimus ædificationem Templi, ut sit tanquam terra* מלחה *salsuginosa & vasta*. R. Salomo rectè hoc confert cum Jer. 17: 6. ארץ מלחה ולא תשב *terra salsuginosa, quæ non habitatur*. Infructuosam & desolatam terram hac appellatione exprimi, ex oppositione patet, Ps. 107: 34. Hanc interpretationem sequitur etiam B. Lutherus. Lubet autem adferre D. Zehneri hoc de loco verba, adag. sacr. 3: 54. *Sal symbolum erat pacis* (inquit) *& amicitiæ. Quamobrem hospitibus advenientibus primo omnium apponebatur, & fœdera sale utrinque comeso sanciebantur. Hinc Latina versio Bibliorum Esr. 4: 12. legit: Nos memores salis, quod in palatio comedimus (h. e. mutui fœderis, quod pepigimus: metonymia signi pro re signatâ) contemtum Regis videre nefas ducimus &c. Quidam de exidio templi Hierosolymitani intelligunt. Nam* היכל *tam templo, quàm Palatio regio tribuitur. Et* מלח *Chaldæis, & sal, & μεταληπτικῶς devastationem significat, quod Sal sterilitatem inducat. Quapropter duces bellici, si qua oppida expugnassent, quæ nunquam restaurari, sed in perpetuam solitudinem redacta volebant, illorum areas sale conspergi curabant. Jud.* 9. vers 45.

Zach. 3: 9. *Ecce ego* מפתח פתחה *sculpturus sculpturam ejus* (lapidis.) Ita eadem phrasis 2. Paral. 2: 7. usurpatur. Propriè est, *aperiam apertionem ejus*. Sensus est, (secundum pulchram D. Tarnovii phrasin) ego illum (salvatorem mundi Christum, qui per lapidem illum voce cœlestis patris significatur) sudore sanguineo in horto languidum, caput ejus in domo Pontificis Maximi colaphis tumidum, ac sputo fœdum, in palatio Pilati totum corpus vibicibus lividum, verticem coronâ spinea lacerum, ac denique manus ac pedes ejus clavis pertusos, latusque ejus in cruce lanceâ perfossum efficiam, ut hinc inde sculptus ac cælatus videri queat, & sic demum justitiæ meæ cùm per illum fuerit satisfactum, *amoturus sum iniquitatem istius terræ die uno*, passionis scil. quo omnia sub vesperam sunt consummata &c. Münsterus de hoc versu ita: *Super hunc lapidem* (Christum) *septem oculi debent esse intenti*, hoc est, omnes Christiani hunc solum spectare debent, per quem solum remissionem habemus peccatorum, & extra quem meræ sunt tenebræ. Septenarius enim in Scriptura significat universitatem. Hunc lapidem Deus *aperuit variis sculpturis*, quando eum clavis & lanceâ vulnerari permisit, & sanguinem effundere in emundationem peccatorum nostrorum. Hæc autem emundatio peccatorum *unâ die* facta hic perhibetur, quæ sufficiens est pro omnibus peccatis, quæ ab initio mundi sunt facta, & quæ fient usque ad finem mundi &c.

a Quandoque *ellipsis nominis conjugati* occurrit. a Ellipsis.

Num. 11: 14. *Non possum ego solus* לשאת *ferre totum populum hunc*, pro לשאת את־המשא *ferre onus* (nomen in Hebræo conjugatum verbi נשא) *populi hujus*: vel במשא ut v. 17. plenè dicitur,

Psal. 13: 4. *Illustra oculos meos*, פן אישן המות *ne dormiam mortem*, pro שנת המות *dormitionem* vel *somnum mortis*. Confer Jerem. 51. ✝s. 39. AbenEzra in comment. h. l. אישן (שנת) המות כי השמות בכח פעלים *Dormiam* (somnum) *mortis: nam nomina in virtute verborum existunt*. Idem Psalm. 3: 9. *Scito, quod nomen conjugatum est in omni verbo præterito aut futuro, etsi ipsum aliquando non exprimatur*, E. G. Num. 23: 25. וברך ולא אשיבנה *& benedixit & non avertere possum eam*, ubi sensus est, וברך ברכה *& benedixit benedictione*. Sic Prov. 15. vers. 22. וברב יועצים (עצה) תקום *& per multitudinem consulentium* (consilium) *stabit seu persistet*.

Ex N. Test. ad posteriorem hunc modum pertinet illud Col. 2: 19. *Ex quo totum corpus constructum*, αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ θεοῦ, *augescit Dei augmentum*, hoc est, quod à Deo proficiscitur, à Christi nimirum Spiritu. Cui videtur opponi inanis ille flatus. vers. 18. quo non crescunt, sed turgent homines.

Apud Græcos profanos hujus generis occurrunt: ἁμαρτάνω ἁμάρτημα, *pecco peccatum*: δουλεύω δουλείαν, *servio servitutem*: μάχομαι μάχην, *pugno pugnam*: βουλεύομαι βουλὴν, *do consilium*: δικάζω δίκην, *judico judicium*: ἱδρόω ἱδρῶτα, *sudo sudorem*. Isoc. μηδὲ τὰς χάριτας ἀχαρίστως χαριζόμενος, *neque invitus beneficia præstans*. Alia exempla videantur in syntaxi M. Johan. Rhenii, quo libro utili non mediocriter in Græcismo cognoscendo fuisse me adjutum profiteor. Conferatur etiam Pfochenius in diatr. de purit. ling. Græcæ N. T. pag. 162. seqq.

Apud Latinos. Plau. *Támne videor diu vitam vivere.* Idem: *An sempiternam servitutem serviat?* Sic *pugnare pugnam.* Unde illud in passivo: *pugnâ summâ contentione pugnatâ*, apud Ciceronem pro Mur. Videatur Vechnerus in hellenolex l. 1. pag. 135. seqq.

## Canon XXXIII.

*Verba quædam Græca eleganter duos accusativos, unum personæ, alterum rei, eumque vel suæ originis; vel cognatæ significationis adsciscunt. Et explicandus accusativus rei ferè per ablativum.*

MAtth. 19: 42. ὃς ἐὰν ποτίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων ποτήριον ψυχροῦ μόνον, *quicunque potaverit unum ex his pusillis poculo* (aquæ) *frigidæ tantùm.* Sic Marc. 9: 14.

1 Cor. 3. vers. 2. γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ οὐ βρῶμα, *lacte seu lactis potu vos alui, non esca.*

Sic Psal. 25. vers. 19. apud LXX. Interpretes: μῖσος ἄδικον ἐμίσησάν με, *odio iniquo oderunt me.*

In prophanis. Aristoph. οἷον λουτρὸν ἡμᾶς ἔλουσαν, *cujusmodi lavacro nos laverunt.* Sic, ἀδικῶ σε μηδὲν, *nullâ in re tibi injuriam facio.*

In *passivo* accusativus rei manet.

Matth. 16: 26. τί ὠφελεῖται ἄνθρωπος, *quid prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit*, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ, *animâ verò suâ damnum passus fuerit.* Sicut in *activo* dicitur ὠφελῶ σε τοῦτο, *prosum tibi hac re*, ζημιῶ σε τοῦτο, *hoc damno te afficio;* sic accusativus rei in *passivo* etiam manet.

Matth. 20. vers. 22. *Potestis bibere poculum, quod ego bibiturus sum*, καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι, *& baptismate, quo ego baptizor, baptizari.* Sic & vers. 23. Luc. 7: 19. In *activo* est: βαπτίζω σε βάπτισμα, *baptizo baptismate.* Accusativus igitur ille in *passivo* manet.

Luc. 12. vers. 47. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & se non præparavit, nec fecit secundùm voluntatem ejus*, δαρήσεται πολλὰς sc. πληγὰς, plagis *multis vapulabit.* In *activo* dicitur, τὸν ἄνδρα τύπτειν τὰς πληγὰς, *virum afficere plagis.* In *passivo* igitur idem accus. manet.

Sic apud Aristot. τίς ἐπιτήδειος πρὸς φιλίαν ὁ πλεῖστα ἀδικεῖσθαι δυνάμενος. *Quis idoneus est ad amicitiam? qui plurimis injuriis affici* (patienter) *potest.* Plato 8. de leg. μαστιγούσθω πληγὰς ἰσαρίθμους, *flagelletur totidem plagis, seu numero paribus.*

### Nota.

1. Pertinet ad hanc regulam, quod & verba *faciendi* cum duobus accusativis, uno *personæ*, altero *rei*, construantur.

Matth. 27: 22. τί οὖν ποιήσω Ἰησοῦν, τὸν λεγόμενον χριστὸν, *quid igitur faciam Jesu, qui dicitur Christus?* (Cap. 21: 40. in dativo nomen personæ exprimitur, eodem sensu: τί ποιήσει τοῖς γεωργοῖς ἐκείνοις, *quid faciet agricolis istis?*) Sic Mar. 15: 12.

Sic Demosth. πράξαι τὴν πόλιν τηλικαῦτα ἀγαθὰ, *tantis beneficiis Rempub. afficere.* Isocr. ἀναμνήσθητε, ὡς πολλὰ ἀγαθὰ τὴν πόλιν ἐποίησε, *mementote, quàm multa beneficia in urbem contulerit.* Idem: ἀνάγκη τοὺς ἀνθρώπους τοιαῦτα πάσχειν, οἷά περ ἂν τοὺς ἄλλους δράσωσι. *Necesse est, homines talia pati, qualia aliis fecerint*, &c.

In *passivo* eadem ratio cum præcedente. Unde illud Actor. 12. vers. 18. *factâ autem die, erat turbatio non parva inter milites*, τί ἄρα ὁ πέτρος ἐγένετο, *quidnam accidisset Petro?* Ut enim dico, τί ποιήσω πέτρον, *quid faciam Petro?* (confer Matth. 27: 22.) Sic in *passivo*, τί ἐποιήθη, vel τί ἐγένετο πέτρος, *quidnam factum est*, vel *accidit Petro?* Sunt, qui putant, suspicatos fuisse milites, metamorphosi mutatum fuisse Petrum in aliud quiddam, juxtà vulgi stultitiam, quá creditum est, magicis artibus homines verti in aves, aut in genios, quod Erasmus in annot. ad h. l. ponit.

2. Huc pertinent, in quibus *accusativus rei* implicitè, vel in adverbio, vel in ipso verbo composito latet, & *accusativus personæ* exprimitur, qui ferè in Latina lingua dativo respondet.

Matth. 5: 44. καλῶς ποιεῖτε τοὺς μισοῦντας ὑμᾶς, *benefacite iis, qui vos odio prosequuntur.* In adverb. καλῶς accusativus rei latet (quod Attico dicendi generi adscribunt) q. d. ποιεῖτε τὰ καλὰ ἢ τ' ἀγαθὰ. Luc. 6: 27. in *dativo* accusativus personæ effertur: καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς.

Luc. 2. vers. 34. καὶ εὐλόγησεν αὐτοὺς, *benedixit illis Simeon* &c.

In Sophocle: ὦ ἄνθρωπε, μὴ δρᾷ τοὺς τεθνηκότας κακῶς, *ô homo, ne malefacias mortuis.* Epict. παρόντας μὲν τοὺς φίλους δεῖ εὐπράττειν, ἀπόντας δὲ εὐλογεῖν, *amicis præsentibus beneficia, absentibus bona conferre decet: præsentibus benefaciendum, absentibus benedicendum.*

Sic

Sic *εὐαγγελίζειν* vel *εὐαγγελίζεσθαί τινα*, dicitur, *alicui Euangelizare*, q. d. *τὰ καλὰ ἀγγέλλειν*, læta & jucunda alicui nunciare, vel Euangelium alicui nunciare. Luc. 3. verſ. 10. *εὐηγγελίζετο τὸν λαόν*, *Euangelium prædicabat populo*. Actor. 8: 40. *εὐηγγελίζετο τὰς πόλεις πάσας* &c. Sic cap. 13: 32. cap. 14: 15, 21. 1 Pet. 1: 12. Apoc. 14: 6. (Uſurpatur verò & cum *dativo*, Luc. 1: 19. *miſſus ſum εὐαγγελίσασθαί σοι ταῦτα*, hic cap. 2: 10. cap. 4: 18. Actor. 8. verſ. 35. &c.) Hinc illud in *paſſivo*, Matth. 11: 5. Luc. 7: 22. *καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται*, *pauperibus nunciatur Euangelium* (confer. Hebr. 4: 2, 6.) Eſt, qui verbum *εὐαγγελίζονται* in *διαθέσει* mediâ conſtituit, & activè vertit: *Pauperes euangelizant*, uti Luc. 2: 10. cap. 3: 18. c. 8: 1. c. 9: 6. c. 20: 1. & alibi accipitur: & per *πτωχοὺς* Apoſtolos intelligit, qui alibi *νήπιοι* dicuntur, Matth. 11. verſ. 25. ut ſic reliquis miraculis adjunctum dicatur etiam hoc, quod Chriſtus ex piſcatoribus in momento fecit doctores verbi idoneos. Sed alteram expoſitionem confirmant loca Eſa. 61. verſ. 1. Luc. 4: 18. Et prædicationem Chriſti Euangelicam his verbis exprimi, ex ℣ſ. 4. patet: *Euntes renunciate Johanni, quæ auditis & videtis. τὸ βλέπειν miracula; τὸ ἀκούειν verba* Chriſti concernit: & hoc exprimitur phraſi, *πτωχοὶ εὐαγγελίζονται*. Per *πτωχοὺς* autem pauperes, miſeram plebem intelligit, quæ ipſum audiebat, turgidis intereà Phariſæis eum rejicientibus & perſequentibus. Vel intelliguntur *πτωχοὶ τῷ πνεύματι*, quos beatos Chriſtus pronunciat. Matth. 5: 3.

## *Continuatio.*

HÆc de conſtructione *verbi cum nomine*, ad quam referri poſſent, *quibus verbum ſingulare nomini plurali, & vice verſâ jungitur*. Sed nos ea ad enallagen retulimus, can. 52, 53, 54. Sequitur igitur *conſtructio verbi cum alio verbo*, & quidem vel *finito*, vel *infinito*. Verbum *finitum alteri adjunctum*, quandoque *loco infinitivi*, quandoque *loco adverbii* ponitur, quod ſequentes duæ explicant regulæ.

## Canon XXXIV.

*Verba duo per conjunctionem copulata, aut ſine copulâ, uſurpantur Hebrais, ſicut apud Latinos verbum cum infinitivo.*

ALii ſic: *Infinitivus quandoque reſolvitur in tempus finitum, idque vel intercedente copulativa* ו, *vel ſine ea.*

Geneſ. 9: 20. *Et cœpit Noa vir terræ, & plantavit vineam*, h. eſt, cœpit plantare. Vir autem terræ pro agriculturæ dedito eſt.

Deut. 2: 31. הָחֵל רָשׁ *incipe, poſſide*, pro, incipe poſſidere ſeu adire hæreditatem.

Joſ. 7: 7. *Utinam voluiſſemus & manſiſſemus trans Jordanem*, pro voluiſſemus manere ſeu morari.

2 Sam. 7. verſ. 29. *Velis, & benedic domui ſervi tui*, pro, velis ſeu placeat tibi benedicere.

1 Reg. 20: 33. *Homines autem iſti experimento diſcebant & feſtinabant, & præcidebant*, (hoc eſt, experimento diſcere feſtinabant, & præcidere, ſeu præciſè cognoſcere) *an ex ipſo eſſet?* Senſus eſt, ſagaciter & ſtudioſè intenti erant, ut animum Achabi explorarent geſtu & ſermone, qui erga Benhadadum eſſet.

Eſth. 8. verſ. 6. *Quomodo potero & aſpiciam perditionem cognationis meæ*, pro, potero adſpicere.

Job. 32: 22, לֹא־יָדַעְתִּי אֲכַנֶּה *non novi, cognomine utor*, hoc eſt, non novi cognominibus ſive titulis uti.

Eſa. 1: 19. *Si volueritis & audieritis*, pro, ſi volueritis audire.

Eſa. 47: 3. (al. 1.) לֹא־תוֹסִיפִי יִקְרְאוּ לָךְ *non perges vocabunt te teneram & delicatam:* pro, non perges vocari. Sic v. 7. (al. 5.) Cæterum intercurrit hîc etiam idiotiſmus, verbi activi pro paſſivo, de quo can. 23.

In Syr. Matth. 8: 28. *adeo ut non quiſquam* נֶשְׁכַּח נֶעְבַּר *poſſet tranſiret per illam viam*, pro, poſſet tranſire, ut in Græco eſt.

In *participiis*. Prov. 4: 18. *Iter juſtorum ſimile eſt luci ſplendidæ*, הוֹלֵךְ וָאוֹר *pergenti & lucenti*, h. e. pergenti lucere.

## *Nota.*

Poteſt hic obſervari, quod D. Forſterus tradit, in præfat. Lexici n. 62. *Quando duo verba ſimul in oratione ponuntur ſine copula, tùm poſte-*

*posterius quandoque importat causam prioris* (ita ut per conjunctionem causalem UT cum conjunctivo vertendum sit.) Psal. 88: 11. *Angigantes* (רְפָאִים *expertes vitæ*, à רָפָה *deficere*, q. d. in quibus virtus vitalis defecit) יָקוּמוּ יוֹדוּךָ *resurgent, celebrabunt te*, h. e. ut te celebrent. Ibid. v. 16. נָשָׂאתִי אֵמֶיךָ אָפוּנָה *tuli terrores tuos, tremo* seu *animi pendeo*, h. e. ut tremerem. (Nota, h. l. ἔκβασις potiùs & eventus prioris, quàm causa innuitur.) Psal. 94: 4. יַבִּיעוּ יְדַבְּרוּ *eructabunt, loquentur vetera* (עָתָק *durum*) id est, ut loquantur. Psal. 102: 14. Tu תָקוּם תְּרַחֵם *surges, misereberis Zion*, id est, ut miserearis. Possunt autem hæc, ut ἀσύνθετα, *per ellipsin copulativa* etiam exponi. *Resurgent & celebrabunt te: tuli, & tremo: Eructabunt & loquentur. Surgere & miserere &c.*

## Canon XXXV.

*Cùm duo verba ejusdem temporis conjunguntur, vel copulâ intercedente, vel sine eâ, tùm prius sæpè per adverbium Latinis exprimitur.*

SAnctius in comment. Esa. p. 87. de hoc (uti & proximè sequenti) canone sic loquitur: *Quædam verba commodè explicari non possunt nisi per adverbia: & in his præcipua sunt, quæ repetitionem aut iteratam actionem significant, qualia sunt converto, reverto, addo, adjicio & similia, quando aliud sequitur verbum.*

Gen. 24: 18. וַתְּמַהֵר וַתֹּרֶד *& festinavit & demisit hydriam suam super manum suam*, h. est, festinanter demisit. Sic v. 20.

Genes. 25: 1. *Et addidit Abraham, & accepit uxorem*, hoc est, iterùm vel denuò accepit uxorem.

Gen. 26: 18. *Et reversus est Isaac, & fodit puteos aquarum*, h. e. iterum fodit, seu refodit. Sic c. 30: 31. 1 Reg. 19: 6. Psa. 78: 41. Jer. 36: 28.

1 Sam. 4: 14. *Et vir ille festinavit & venit*, hoc est, festinanter venit. Sic Psalm. 102: 3. Psal. 106: 13.

1 Paral. 13: 2. נִפְרְצָה נִשְׁלְחָה *erumpamus, dimittamus fratres nostros, qui reliqui sunt per omnes regiones Israelitarum* &c. h. e. passim dimittamus, seu huc illuc celeriter amandemus cursores &c. metaphora ab aquis exundantibus.

Neh. 3: 20. הֶחֱרָה הֶחֱזִיק *accendit* (se, sive animum suum) *instauravit*, hoc est, ardenter seu flagrante animo instauravit.

Esa. 6: 13. וְשָׁבָה וְהָיְתָה *& revertetur, & erit ad conflagrandum*, h. & iterum conflagrabit. Pagn. *quæ iterum depasta &c.*

Esa. 64: 4. (al. 9.) *Occurris gaudenti & facienti justitiam*, h. e. lætanter & libenter justitiam facienti.

Jer. 13: 18. הַשְׁפִּילוּ שֵׁבוּ *abjicite, sedete*, h. e. abjectissimè sedete.

Hos. 9: 9. *Profundant, corrumpunt, ut diebus Gibea*, h. e. profundissime corrumpunt. Alii in profundissimam corruptionem conjiciunt, scil. alii alios. Mentione *dierum seu temporis Gibea* respicit ad scelus Gibeonitarum, quod Jud. 19. & 20. describitur.

Actor. 15: 16. μετὰ ταῦτα ἀναςρέψω καὶ οἰκοδομήσω τὴν σκηνὴν Δαβὶδ τὴν πεπτωκυῖαν, *post hæc revertar & ædificabo tugurium David, quod cecidit*, h. e. iterum ædificabo. Amos. 9: 11. simpliciter est אָקִים *excitabo tugurium David.*

Rom. 10: 20. *Esaias autem* ἀποτολμᾷ καὶ λέγει, *audet & dicit*, h. e. audenter & liberè dicit. In verbo ἀποτολμᾷ itidem emphasis est ob præpositionem; *valdè audet.*

## *Continuatio.*

HActenus constructio verbi cum verbo alio finito: sequitur constructio *verbi cum infinitivo*. Infinitivus ille vel *diversi verbi* est, vel *ejusdem*. *Priori* constructione adverbium; *posteriori* significationis emphasis exprimitur.

## Canon XXXVI.

*Verbum finitum cum infinitivo junctum quandoque adverbialiter exponendum; & infinitivus in tempus & personam finiti conjuncti convertendus est.*

GEn. 8: 10. וַיֹּסֶף שַׁלַּח *& adjecit mittere columbam ex arcâ*, h. e. iterum emisit. Sic v. 12. Ps. 78: 17. &c.

Gen. 8: 21. לֹא־אֹסִף לְקַלֵּל *non addam maledicere ampliùs terræ propter hominem*, h. e. posthac seu deinceps non maledicam ampliùs. Sic Exod. 18: 28.

Gen. 12: 11. כַּאֲשֶׁר הִקְרִיב לָבוֹא *cum appropinquasset venire in Ægyptum*, h. e. cùm prope venisset Ægyptum.

1 Sam. 19: 8. וַתּוֹסֶף הַמִּלְחָמָה לִהְיוֹת *& addidit bellum esse*, h. est, motum est rursus bellum. Ubi activum passivè significat: *additum est bellum esse.*

Esr. 9. verſ. 14. הֲנָשׁוּב לְהָפֵר *an reverteremur ad irrita facienda præcepta tua?* h. e. an rurſus irrita faceremus? Sic Job. 7. verſ. 7. Pſal. 71: 20.

Pſal. 33: 3. הֵיטִיבוּ נַגֵּן *benefacite pulſare cum clangore*, hoc eſt, optimè pulſate. Sic 1 Sam. 16: 17.

Pſal. 78. verſ. 38. וְהִרְבָּה לְהָשִׁיב *& multiplicavit avertere iram ſuam*, h. e. plurimum avertebat.

Pſal. 113. verſ. 5. *Quis ſicut Jehova Deus noſter*, הַמַּגְבִּיהִי לָשָׁבֶת *qui exaltat habitando* (partic. Hiphil cum Jod paragogico) h. e. qui altiſſimè habitat. v. 6. וְהַמַּשְׁפִּילִי לִרְאוֹת *& qui infimè demittit reſpiciendo*, h. e. qui demiſſiſſimè perſpicit.

Pſal. 126: 2. הִגְדִּיל יְהוָה לַעֲשׂוֹת *magnificat Dominus facere cum illis*, h. eſt, magnificè agit. Sic v. 3. 1 Sam. 16: 17.

Pſ. 127: 2. *Fruſtrà* ſunt *vobis* מַשְׁכִּימֵי קוּם מְאַחֲרֵי שֶׁבֶת *matutinantes ſurgere, tardantes ſedere*, h. e. manè ſurgentes, tardè ſedentes.

Prov. 30: 29. *Tria iſta* מֵיטִיבֵי צָעַד *benefaciunt procedere*, h. e. benè procedunt. Ibid. *Imò quatuor* מֵיטִבֵי לָכֶת *benefaciunt ambulare*, h. e. benè ambulant. Sic Jer. 1: 12.

## Nota.

2. Quandoque *deeſt* infinitivus, ex præced. ſupplendus. Eccl. 2: 25. (al. 26.) *Nam quis fruiturus eſſet* (Hebr. *comederet*) וּמִי יָחוּשׁ *& quis feſtinaret, præterquam ego. Feſtinaret*, ſc. אֱכוֹל *comedere* ſeu *frui*, h. e. quis confeſtim fruiturus eo eſſet, præterquam ego.

2. מִלֵּא *implevit*, ſequente præpoſ. אַחֲרֵי *poſt*, cum ellipſi eſt infinitivi verbi לָלֶכֶת *ire*: & verbum *implevit* itidem adverbialiter explicatur.

Num. 14. verſ. 24. *At ſervus meus Caleb, quia fuit Spiritus alius cum eo*, וַיְמַלֵּא אַחֲרָי *& implevit* (לָלֶכֶת *ire*) *poſt me*, h. e. planè vel completè ſecutus eſt me. Sic cap. 32. verſ. 11: 12. Deut. 1. verſ. 36. Joſ. 14: 8. 1 Reg. 11: 6.

Sic cum ellipſi verbi נָתַן *dare*, 1 Sam. 18: 26. (al. 27.) וַיְמַלְאוּם *& impleverunt ea Regi*, ſcil. dare, h. e. plenè dederunt ea (præputia) Regi.

3. Quandoque *infinitivus* verbo finito additus loco adverbii ponitur.

1 Sam. 17: 16. *Et appropinquaverat Philiſtæus ille* הַשְׁכֵּם וְהַעֲרֵב *matutinando & veſperaſcendo*, h. e. manè & veſperi.

*Exempla N. Teſt.*

Luc. 20. verſ. 11. *καὶ προσέθετο πέμψαι, & addidit mittere alium ſervum &c.* Sic verſ. 12. h. e. iterum miſit, explicante Marco cap. 12. verſ. 4, 5. (Ex hoc idiotiſmo fluit paſſiva phraſis Hebr. 12: 19. *Audientes* Iſraelitæ *deprecati ſunt*, *μὴ προσεθῆναι αὐτοῖς λόγον*, *ne adderetur iis verbum*, h. e. ne ampliùs ſibi ſermo fieret. Confer Deut. 5. 25. ad quem locum hìc reſpicitur.)

Joh. 6: 21. ἤθελον *voluerunt ergò recipere eum* (Jeſum) *in navim*, h. e. ἐθελήμως *voluntariè ſeu cupidè receperunt eum*, quod teſtantur Matthæus cap. 14: 32. & Marcus cap. 6: 51. Hoc igitur ἤθελον opponitur ei, quod antè dictum erat, *eos fuiſſe perterritos*, verſ. 19. ex quo ſcilicet intelligitur, ipſos fuiſſe eum averſatos: nunc igitur, agnitâ ejus voce, & mutatis animis, eum, quem fugiebant, cupidè accipiunt in navim.

[a] Huc pertinet phraſis Joh. 5: 35. *Ille* (Johannes) *erat lucerna ardens & lucens: vos autem ἠθελήσατε ἀγαλλιασθῆναι voluiſtis exultare in luce ejus*, h. e. cupidè exultâſtis ſeu vos oblectâſtis. D. Heinſii verba in Ariſtar. ſacro p. 388. de hoc loco ita habent: *Quod εὐκαιρίαν Græci, Helleniſtæ καιρὸν nuncupant, cum Hebræum* עֵת *exprimunt: iidem quoque modò καιρὸν; modò ὥραν dicunt. Eccl.* 3. *τοῖς πᾶσιν ὁ χρόνος καὶ καιρὸς τῷ παντὶ πράγματι ὑπὸ τὸν οὐρανόν. Symmachus: παντὸς ὥρα dixerat. Et ſic alibi non ſemel interpretes recepit. Johannes* (inquit Chriſtus) *fuit λύχνος, quo, dum tempus fuit, meritò vos oblectâſtis. Nam lucernæ uſque ad matutinum tempus in nocturni uſum luminis in templo ardebant. Unde illud* 1 *Sam.* 3. *cap. antequam extingueretur lucerna Dei, tale eſt, ac ſi ante auroram dicas. Hoc vult igitur: Johannes me præceſſit, ut lucerna ſolem aut auroram: cujus lumine uſque ad tempus, quod nunc adeſt, meritò vos oblectâſtis. Nam quemadmodum lucerna, ita me Johannes anteceſſit. Quare tempus, ut non amplius illius, qui lucerna tantùm fuit, lumine vos oblectetis. Major enim adeſt: adeſt enim dies: ipſo ſol exortus eſt. Atque hoc eſt, quod addit, ἐγὼ δὲ μαρτυρίαν μείζω τοῦ Ἰωάννου ἔχω. Igitur πρὸς ὥραν, eſt καιρὸν,* עֵת *quamdiu fuit tempus. Quod κατὰ καιρὸν, vel ἐν καιροῖς, vel ἐν εὐκαιρίαις reddunt Helleniſtæ &c.* Hæc ille, perquàm eruditè & eleganter.

[a] Locus Johan. 5. expenditur.

Hujus generis eſt illud Ariſtot. l. 1. œcon. c. 5. βούλονται πονεῖν, ὅταν ὁ χρόνος ὡρισμένος, *volunt laborare, præfinito tempore*, h. e. libenter laborant.

## Canon XXXVII.

*Verbum finitum quodvis regit suum infinitivum, ad majorem certitudinem & evidentiam exprimendam.*

NOtandum, 1. constructionem hanc verbi cum suo infinitivo fieri non tantùm in eadem, sed & *in diversis* conjugationibus, 2. Infinitivum quandoque verbum finitum *antecedere*, quandoque *sequi*, eâdem utrobique emphasi. Volunt aliqui, si infinitivus sequatur, tùm *continuationem* indicari; sed omnibus exemplis hoc non convenit. 3. Explicationis causâ infinitivos in *gerundia* converti Latinè posse. 4. Fieri hanc infinitivi rectionem, tàm in oratione *affirmativa*, quam *negativa*. Cujus utriusque exempla subjicientur.

### 1. In oratione affirmativâ.

Gen. 2: 16. *Ex omni arbore hujus horti* אָכֹל תֹּאכֵל *comedendo comedes*, h. e. prorsus sive liberè comedes.

Ibid. v. 17. *Quo die comederis ex eo*, מוֹת תָּמוּת *moriendo morieris*, h. e. omninò, & certissimè, quin & omni ratione horribili, morieris. Flacius in Clave script. col. 673. *Morte mori*, est reduplicatio, quæ tum vehementiam, tum & certitudinem notat, sicut & aliarum vocum reduplicatio. Inde Aug. l. 13. de C. D. cap. 12. emphasin sic explicat: *Non tantùm (intelligitur) prima mortis pars prior, ubi anima privatur Deo, nec tantùm posterior, ubi corpus privatur animâ, nec solum ipsa tota prima, ubi anima & à Deo & à corpore separata punitur; sed quicquid mortis est, usque ad novissimam, quæ secunda dicitur, & quâ est nulla posterior.*

Gen. 37: 33. טָרֹף טֹרַף *discerpendo descerptus est Joseph*, h. e. crudeliter, vel omninò certoque discerptus est. Videatur etiam Exod. 19: 12, 13. Num. 11: 32. Jos. 7: 7. Jos. 24: 10. 1 Sam. 23. vers. 22. 2 Sam. 9. vers. 11. 2 Reg. 3. vers. 23. Psal. 50: 21. Psal. 118. v. 18. Esa. 22. vers. 17. Jer. 22: 10. cap. 23. v. 17. Dan. 11: 10, 13. Hebr. 2: 3. Zach. 8. v. 21. &c.

Exod. 21: 19. וְרַפֹּא יְרַפֵּא *Et medicando medicabitur*, h. est, plenam curationem præstabit. Chald. *Et mercedem curationis reddet.* Ita & Lutherus.

2 Reg. 8: 10. *Et dixit ad eum Elisa: Abi, dic ei*, חָיֹה תִחְיֶה *vivendo vives*, h. e. omninò vives. Ironicè impium Regem & populi Dei hostem ludit. Addit enim: *Sed ostendit mihi Jehova, quòd moriendo moriturus sit.* Cæterum affirmativum sensum in prioribus verbis secuti etiam sunt Junius & Tremellius; & is conformis est קְרִי לוֹ seu lectioni à Masorethis restitutæ: pro לֹא enim in textu extante, לוֹ legendum esse, illi notant. Sed in posteriori editione Junius כְּתִיב sequitur, & negativè vertit: *non omninò revalesces.*

### *Nota.*

1 Quandoque *diversi verbi* infinitivus insuper additur, quo feré *continuatio actionis* innuitur.

Gen. 8: 3. וַיָּשֻׁבוּ *& recesserunt aquæ à superficie terræ* הָלוֹךְ וָשׁוֹב *eundo & recedendo*, h. e. recesserunt continenter recedendo.

Ibid. vers. 7. *Et emisit corvum* וַיֵּצֵא יָצוֹא וָשׁוֹב *& exibat exeundo & revertendo*, h. est, continenter ibat & redibat; scil. ad arcam: seu, ultrò citroque volitavit circa arcam. Vulgata, secuta Græcos: *corvus egrediebatur & non revertebatur.* Quæ negativa in Hebræo non extat. Schindl. col. 785. *Hosiander non correxit. Ex hac mala versione natum est proverbium: Corvi nuncius.* Sic c. 12: 9. Ps. 126: 6. Jer. 29: 19.

Pro altero infinitivo quandoque *nomen* ponitur. Jud. 4: 24. וַתֵּלֶךְ *& ivit manus filiorum Israelis* הָלוֹךְ וְקָשָׁה *eundo & dura*, h. e. perrexit indesinenter durior esse. Quidam infinit. הָיוֹת *essendo*, ad nomen illud subintelligunt.

2. Pro infinitivis quandoque *participia* ponuntur.

1 Sam. 17: 41. וַיֵּלֶךְ הַפְּלִשְׁתִּי הֹלֵךְ וְקָרֵב *Et ivit Pelistæus iens & appropinquans ad Davidem*, h. e. continenter seu subinde & subitò pergebat appropinquare ad Davidem.

3. Per *ellipsin* infinitivi verbo cognati explicant illud, 1 Sam. 14: 17. (al. 16.) *Et ecce multitudo illa colliquescebat*, וַיֵּלֶךְ וַהֲלֹם *& ibat* (scil. eundo) *& contundendo se*, h. e. pergebat continenter tundere se.

### *Exempla N. Test.*

In N. Test. pro infinitivo ponitur *participium* Actor. 7: 34. ἰδὼν εἶδον *videns vidi afflictionem populi mei.* Pro illo, quod Exod. 3: 7. dicitur רָאֹה רָאִיתִי *videndo vidi.* Erasmus huc etiam refert, Act. 5: 4. οὐχὶ μένον σοὶ ἔμενε, *nonne manens tibi manebat?* h. e. *verè ac prorsus manebat*,

*manebat, nemine ullo pacto cogente. Accusat autem eum Petrus duobus gradibus: Primùm, manebat, cùm nemo cogeret vendere. Deinde, si vendere libuit, nemo cogebat adducere precium.* Hæc Erasmus. Aliis magis placet τὸ *μένον ad subjectum* propositionis referre (cùm opponatur ei τὸ πραθὲν, in altero membro) hoc sensu: *nonne manens, tibi manebat*, (h. e. nonne si servasses, manebat tibi?) *& venundatum, in tua erat potestate.*

In profanis. Lucian. *ἰδὼν εἶδον, ἀλλὰ τὸ πρᾶγμα τεράστιον* &c. *videns vidi, sed res plena est miraculis.* Æscyl. *βλέποντες ἔβλεπον μάτην, videntes videbant frustrà.*

## 2. In oratione negativa.

Et tùm indicatur *fortior vel vehementior negatio:* sive negativa particula *præponatur*, sive verbo & infinitivo *interponatur.*

Genes. 3. vers. 4. לֹא מוֹת תְּמֻתוּן *non moriendo moriemini*, h. est, planè non moriemini: nullo modo moriemini, sed vivetis, ac apertis oculis mentis vestræ divinæ consequemini scientiam, immortales futuri, ut Deus ipse. Ita Buxtorf., qui rectè refellit eos, *qui putant, negativam præmissam innuere negationem incertam & dubiam*, ut h. l. sit sensus, non certò moriemini, seu, non est certum, vos morituros. Sed hoc non convenit exemplo, quod sequitur, ex Psalm. 49. vers. 8. ubi etiam negatio præponitur, & omnimodo res negatur.

Exod. 5. vers. 23. וְהַצֵּל לֹא־הִצַּלְתָּ *& liberando non liberâsti*, h. e. prorsus non liberâsti: nullum adhuc liberationis vestigium impressisti.

Exod. 34: 7. וְנַקֵּה לֹא יְנַקֶּה *& absolvendo non absolvit*, Subintell. non absolvendum, seu injustum, h. e. ullo pacto non absolvit sontem, q. d. ita misericors, ut maneat justus.

Levit. 9: 20. וְהָפְדֵּה לֹא נִפְדָּתָה *& redimendo non fuit redemta*, h. e. omninò non redimitur: Ubi ex diversis conjugationibus (Hophal & Niphal) verba ponuntur. Vide & Ezech. 16: 4. Dan. 10: 3.

Psal. 49: 8. *Fratrem* לֹא פָדֹה יִפְדֶּה *non redimendo redimet quisquam*, h. e. nullo modo redimere poterit. Ita Junius, qui tamen Genes. 3: 4. ex simili negativæ positione, *negationis incertitudinem* collegerat.

## Continuatio.

Antequam ad alia fiat transitus, notetur etiam *constructio verbi Græci cum infinitivo*, in regulis duabus seqq.

## Canon XXXVIII.

*Verbum μέλλω*, futurus sum, *adsciscit infinitivum, & periphrasticè ipsam rem, quæ infinitivo exponitur, in futuro significat.*

Matth. 2: 13. *μέλλει γὰρ ἡρώδης ζητεῖν τὸ παιδίον, futurus est Herodes quærere puerum*, h. e. quæret puerum.

Matth. 16: 27. *μέλλει γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεσθαι &c. futurus est filius hominis venire*, h. e. veniet. Sic cap. 20: 22. cap. 24: 6. Marc. 10: 32. Johan. 4: 47. Hebr. 1: 14. & aliàs sæpè.

Cum infinitivo *passivo*. Matth. 17: 22. *μέλλει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοσθαι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων, futurum est, ut filius hominis tradatur in manus hominum:* seu *tradendus est filius hominis*, &c.

Rom. 8: 18. *Non sunt pares afflictiones temporis hujus*, πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς, *ad gloriam, quæ revelabitur in nos.* Erasmus in annotat. alium etiam sensum adfert, ut ἀποκαλυφθῆναι pertineat ad præpositionem πρὸς, & desit articulus τὸ, præponi solitus verbis infinitis: *Ad hoc, ut futura gloria reveletur in nos.* Sed prior interpretatio est simplicior.

Sic Homerus: *μέλλει ὀλέσαι, perditurus est.* Synes. *ἐμέλλομεν πορθήσειν, eramus populaturi* &c.

In Syriaca linguâ eadem occurrit phrasis. Luc. 10. vers. 1. *misit eos binos ante faciem suam in omnem locum & civitatem*, דְּעָתִיד הֲוָא לְמֵאתָא *quò futurum erat, ut ipse veniret*, Gr. οὗ ἔμελλεν αὐτὸς ἔρχεσθαι. Sic in plerisque aliis.

## Canon XXXIX.

*Infinitivus cum articulo, vel sine eo, gerundii vicem sustinet, verbo finito additus.*

PErinde nimirum, ut Hebræi pro gerundiis *infinitivos* usurpant, cum literis בכלם præfixis.

*Cum articulo:* Luc. 5: 1. ἐγένετο δὲ ἐν τῷ τὸν ὄχλον ἐπικεῖσθαι αὐτῷ, τοῦ ἀκούειν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, *factum est autem, in turbam imminendo illi, audire verbum Dei:* hoc est, cùm turba immineret ei, seu turba imminente ei, ad audiendum verbum Dei. Sic cap. 4: 42.

Luc. 24: 29. καὶ εἰσῆλθε τοῦ μεῖναι σὺν αὐτοῖς, *& intravit ad manendum cum eis*, seu ut maneret cum eis. Sic vers. 30.

*Sine articulo:* Matth. 11: 7. τί ἐξήλθετε εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι, *quid exiistis in desertum videre*, hoc est, ad videndum. Vide etiam cap. 20: 28. Luc. 1: 19. cap. 19: 10. Joh. 14: 2. cap. 21: 3. Act. 9: 14.

Sic in profanis. Eurip. καιρὸς γὰρ ἀκοῦσαι, *tempus audiendi* vel *ad audiendum.* Demosth. ἔστι πολλάκις ἀκηκοέναι καὶ βεβουλεῦσθαι καιρὸς, ὅθ' ἡμεῖς οὐκ ἐθέλομεν, *Audiendi & deliberandi sæpè est occasio, cùm nos non volumus.* Aristot. 1. Rhetor. 5. τὸ πλουτεῖν ἐστιν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ κεκτῆσθαι: *Divitem esse in utendo magis, quam possidendo, consistit.*

De speciali horum infinitivorum ratione Grammatici consulantur.

### *Continuatio.*

HUcusque constructio verbi in genere: sequitur *in specie*, constructio verbi *passivi*, & *verbi substantivi* Sum. De quibus agunt hi Canones.

## Canon XL.

*Verbis passivis nominativus subjunctus non rarò præcedentem habet particulam אֵת quæ accusativi nota est, & propriè cum verbis activis personam patientem denotat. Inde pleonasticè nomini etiam cum verbo passivo adjungitur.*

GEn. 17: 5. *Non vocabitur amplius* אֶת־שִׁמְךָ *nomen tuum, Abram.*

Genes. 21. vers. 5. *Cùm nasceretur ei* אֵת יִצְחָק *Isaac filius ejus.*

Lev. 13: 49. וְהָרְאָה אֶת־הַכֹּהֵן *& faciendus erit videre sacerdos.* הָרְאָה præteritum *Hophal* est, propriè significans, *factus est videre:* hìc verò Vau conversivum est, significationem præteriti in futuri commutans, unde obscurior evadit verbi translatio. Ad Latini autem sermonis proprietatem reddit Junius: *Ostendetur itaque Sacerdoti.* R. Kimchi & alii voculam אֶת pro אֶל *ad*, sumi existimant, & הָרְאָה ad *objectum* videndum, plagam scil. lepræ, non *ad personam* seu sacerdotem referunt. Sed simplicius dicitur, particulam אֶת, hìc etiam designare nominativum cum verbo passivo. הָרְאָה autem passivè, respectu *personæ videntis* (seu, *quæ facta est videre*, vel *cui videnda res offertur*) etiam alibi accipitur, Exod. 25: 40. cap. 26: 30. Deut. 4: 35.

Num. 26: 55. *Veruntamen per sortem dividetur* אֶת־הָאָרֶץ *terra.* In vers. 56. nominativus est sine אֶת *Per sortem dividetur* נַחֲלָתוֹ *possessio ejus &c.*

Deut. 20: 8. *Et non liquescat* (יִמַּס passivum) אֶת־לְבַב *cor fratrum ejus* &c.

## Canon XLI.

*Verbum passivum* vocandi *cum dativo construitur, qui Latine per alterum nominativum exprimendus.*

GEn. 2: 23. לְזֹאת יִקָּרֵא אִשָּׁה *huic vocabitur virago*, h. e. hæc vocabitur.

Esa. 32: 5. לֹא יִקָּרֵא עוֹד לְנָבָל נָדִיב וּלְכִילַי לֹא יֵאָמֵר שׁוֹעַ *non vocabitur ampliùs stulto ingenuus, & tenaci non dicetur liberalis*, pro, stultus, tenax. Sic Esa. 1. vers. 26. cap. 35: 8. cap. 62: 4.

Quandoque etiam *nominativus alter* exprimitur, ut ex Esa. 56: 7. videre est.

## Canon XLII.

*Verbum substantivum SUM, vel expressum vel intellectum, loco posterioris nominativi eleganter regit nomen cum præpositione.*

### 1. Cum præpositione ב *in.*

Jud. 11: 35. אַתְּ הָיִית בְּעֹכְרָי *tu es in perturbatoribus meis*, h. est, perturbans me.

Psal.

Psal. 54: 6. אֲדֹנָי בְּסֹמְכֵי נַפְשִׁי *Dominus* est *in sustentantibus animam meam*, h. e. sustentans animam meam; sustentator animæ meæ. Junius per *sustentantes animam Davidis* intelligit ejus comitatum & custodes, ut sit sensus: *Dominus est inter eos, qui sustentant vitam meam*, h. e. adsistit comitatui meo.

Psal. 118: 7. יְהוָה לִי בְּעֹזְרָי *Dominus* est *mibi in auxiliatoribus meis*, h. est, auxiliator meus; κύριος ἐμοὶ βοηθὸς, ut Græci verterunt.

Prov. 3: 26. יְהוָה יִהְיֶה בְכִסְלֶךָ *Dominus erit in fiduciâ tuâ*, hoc est, erit fiducia tua. Chald. אֱלָהָא יְהֵי בְּסַעְדָךְ *Deus erit in adjutorio tuo*, h. e. adjutor tuus.

Ex profanis huc referunt. Eurip. in Hippolyto. εἰδ' εὖ γ' ἔπραξα, κάρτ' ἂν ἐν σοφοῖσιν ἦν. *Si verò feliciter rem gessissem, valdè sapiens fuissem*. Cicero. *Hic in magnis viris non est habendus*: pro magnus vir. *In clarissimis civibus est*, &c.

## Nota.

Exprimitur etiam hoc loquendi modo μερισμὸς, seu, quod quis unus sit ex illis, vel inter illos, qui plurali denotantur.

2 Sam. 15: 31. *Achitophel est* בַּקֹּשְׁרִים *inter conjurantes cum Absolomo*, hoc est, unus conjuratorum.

Prov. 22: 26. *Ne sis* בְתֹקְעֵי־כָף *inter complodentes manu, inter spondentes debita*, hoc est, ne sis unus illorum.

Prov. 23: 20. *Ne sis* בְסֹבְאֵי יָיִן *in potatoribus vini*, neque *in comessatoribus carnis sibi*; h. e. unus ex illis seu inter illos. Græci: μὴ ἴσθι οἰνοπότης.

## 2. Cum præposit. ל, *ad* vel *in*.

Gen. 2. vers. 24. *Eruntque* לְבָשָׂר *in carnem unam*, h. e. caro una. Hebraismum hunc Græci etiam servârunt: & inde Christus Matth. 19: 5. καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν: qui v. 6. explicationem mox subjungit: ὥστε οὐκ ἔτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ μία σάρξ. Sic Gen. 20: 12. Ruth. 4: 13.

Gen. 17: 4. *Erisque* לְאַב *in patrem multitudinis gentium*, h. e. pater. Confer Rom. 4: 17, 18.

Deut. 28. vers. 44. *Ipse erit* לְרֹאשׁ *in caput, tu autem eris* לְזָנָב *in caudam*, hoc est, caput, cauda: superior, inferior. Metaphora. Sic Thren. 1. vers. 5. ubi priorem phrasin, *esse in caput*, eleganter expressit Lutherus, Ihre Widersacher schweben empor. Sic & in priori loco.

Psal. 31: 3. *Esto mibi* לְצוּר *in petram roboris*, לְבֵית *in domum munitionum*, h. e. petra robusta, locus munitissimus.

Hebr. 8: 10. *Ero eis in Deum, & ipsi erunt mibi in populum*, hoc est, ero eis DEUS, & ipsi mihi populus.

1 Joh. 5: 8. καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι, *& hi tres in unum sunt*, h. e. ἕν εἰσι, unum sunt.

## Nota.

Pertinet huc, quando verbo הָיָה notatur conversio, & per *fieri* exponendum est, tùm enim accusativus cum ל *per nominativum* commodè exponitur.

Exod. 4: 4. וַיְהִי לְמַטֶּה בְּכַפּוֹ *& fuit in baculum in manu ejus*, h. e. factus est baculus.

Ibid. v. 9. *Sintque* לְדָם *in sanguinem*, h. e. fiant sanguis.

In quibusdam tamen accusativus cum ל, aliter exponitur, ut infra dicetur, lib. 4. tract. 1. observat. 6.

## De Enallage Verborum.

De *primo* in doctrinâ verbi capite satis dictum; sequitur *alterum*, quod est *de Enallage*. Hanc secundùm communia verbi accidentia distinguimus in enallagen 1. modorum, 2. temporum, 3. personarum, 4. numeri, 5. generis. *Inter modos* præcipuè *Imperativi & Infinitivi* enallage notanda, de quâ sequitur.

## Canon XLIII.

*Imperativus quandoque pro futuro indicativi, quandoque pro subjunctivo usurpatur; quandoque etiam permissivè exponendus est.*

### 1. Imperativus pro *futuro indicativi*.

Genes. 20: 7. *Et orabit pro te*, וֶחְיֵה *& vive*, hoc est, vives. Quidam significationem imperativi retinent: *Cumque oraverit pro te, vivito*, q. d. mortis sententiam latam rescindens remitto te in possessionem vitæ.

Gen. 42: 28. *Hoc facite* וִחְיוּ *& vivite*, h. e. vivetis.

Genes. 45. verf. 18. *Et dabo vobis præstantissimum terræ Ægypti* וְאִכְלוּ *& comedite pinguedinem hujus terræ*, h. e. comederis. Per *pinguedinem* autem selectissimi fructus terræ intelliguntur, qui ex pinguedine terræ oriuntur. Metonymia.

Deut. 32: 49. וּמֻת *Et morere in eo monte, quò tu ascensurus es*, וְהֵאָסֵף *& aggregare ad populos tuos*, h. e. morieris, & aggregaberis. Neque enim mandari poterat mors, quæ in potestate Mosis non erat, sed Jehovæ morti eum tradentis, cap. 34: 5, 6.

Psal. 37. verf. 27: *Declina à malo, & fac bonum*, וּשְׁכֹן *& habita in seculum* h. e. tùm habitabis in seculum. Mentione *seculi & æternitatis* ad futuræ simul vitæ inhabitationem respicitur. Confer 1 Timoth. 4. verf. 6. Flacius. *Per imperativum significantiùs loquitur David, quàm si promitteret justos tutò habitaturos in terrâ. Nam perinde est, ac si in rem præsentem adducens, eum velut in possessione locaret.*

Prov. 3: 4. וּמְצָא *& inveni gratiam & successum optimum, ante oculos DEI & hominum*, h. est, invenies seu consequeris.

Prov. 4: 4. *Observa præcepta mea*, וֶחְיֵה *& vive*, hoc est, tùm vives, vita jucunda frueris. Sic in plurali Jerem. 27: 17.

Esa. 54: 14. *Justitia stabilieris*, רַחֲקִי *procul esto ab oppressione, quia non timebis*, h.e. procul eris.

Joh. 2: 19. Λύσατε *solvite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud*, hoc est, solvetis aliquando templum hoc (corporis mei) & tùm post triduum iterum excitabo illud à mortuis. Non verbum mandati est, sed prædictionis.

Ex profanis adferuntur. Menand. οἶδ' ὅτι ποίησον, pro ποιήσας: *Scio, quod hoc facturus sis*. Virg. *Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto*, pro eris. Pertinet huc, *quòd futura à prophetis prænunciantur formâ imperandi*, de quo lib. 1. Phil. sacr. tract. 4. sect. 1. can. 2. Quò pertinet illud Es. 54: 1. *Canta sterilis, quæ non paris, fragorem ede canta, & claram ede vocem, quæ non doles, &c.* h. e. futurum est aliquando, ut tu, quæ non pariebas, in voces prorumpas lætitiæ, & crucieris doloribus partus, ut parias.

## 2. Imperativus pro *subjunctivo cum conjunctione si* vel *quamvis*.

Num. 24: 21. *Forte est habitaculum tuum*, וְשִׂים *& pone in petrâ nidum tuum*, v. 22. *attamen erit ad depascendum Kayn &c.* h. e. etsi posueris.

Psal. 4: 5. רִגְזוּ *commovemini, & ne peccetis*, h. e. si commoveamini.

Nah. 3: 15. *Devorabit te ut melolontha*, הִתְכַּבֵּד *numerosam effice te ut melolontha &c.* h. e. etiamsi numerosam te efficeres, &c.

Eccl. 30: 9. τιθήνησον *lacta filium, & terrorem incutiet, tibi*; σύμπαιξον αὐτῷ, *collude cum eo, & contristabit te*, h. e. si lactaveris seu blandè educaveris: si collusertis &c.

Luc. 10: 28. *Rectè respondisti*, τοῦτο ποίει, *fac hoc & vives*, h. e. si feceris hoc.

Quidam huc referunt Psal. 144: 5. *Tange montes, & fumigabunt*, h. e. si tangis vel tetigeris. Sed ut præcedentes & sequentes imperativi, ut verba εὐκτικὰ sumuntur, ita & hic intermedius. *Tange istos montes*, id est, hostes potentissimos, *& fument*, h. e. in fumos abeant. Confert Psal. 68: 2, 8.

## 3. Imperativus interdum *permissive* exponendus est.

Seu, non semper præceptionem, sed quandoque συγχώρησιν, & *permissionem* significat. Non hoc enallagen propriè spectat, sed imperativi significationem peculiarem, propter analogiam tamen huc reponitur.

2 Sam. 18. verf. 23. *Et dixit ei*, רוּץ *curre*, h. e. curras sanè, permitto, ut curras. Anteà enim nolebat hoc fieri, sed ad instantiam permittit.

1 Reg. 22: 22. *Et dixit*, (spiritus malus) *egressus ero Spiritus mendacii in ore omnium prophetarum ejus: Et dixit* (Dominus) *pellicies, etiamque prævalebis*, צֵא וַעֲשֵׂה־כֵן *exi & facito*, h. exeas sanè & facias ita. Non jubet Dominus, sed permittit hoc malo spiritui.

2 Reg. 2: 17. *Tandem instantibus apud eum, dum differebat, dixit* שִׁלְחוּ *mittite*. Per concessionem hoc dicitur, cum importunius instarent. Confer anteced. & seq. versum.

Matth. 8: 32. *Et dixit illis* (Dæmonibus) ὑπάγετε, *abite*. Permissio innuitur, quam & expetierant Dæmones. v. 31. Et Luc. 8: 32. pro hoc imperativo dicitur, καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς, *& permisit eis*.

Possunt huc etiam permissiones *ironicæ* referri, de quibus in Rhetor. sacrâ tract. 2. cap. 6.

Canon

## Canon XLIV.

*Infinitivus pro præterito vel præsenti, pro futuro, pro imperativo, pro participio, tandemque pro nomine quandoque usurpatur.*

### 1. Infinitivus pro *præterito*, vel etiam *præsenti*.

EXod. 8. vers. 15. (al. 11.) *Et vidit Pharao, quod fuit respiratio,* וְהַכְבֵּד *& aggravare cor suum, & non auscultavit illis*, h. e. aggravavit.

2 Paral. 31: 10. *Ex quo cœpimus oblationem afferre in domum Jehovæ,* אָכוֹל וְשָׂבוֹעַ וְהוֹתֵר *comedere & saturari, & superesse quamplurimum*, h. est, comedimus, & saturati sumus, ac superest quamplurimum.

Psal. 8: 2. *Qui* תְּנָה *dare decus tuum supra cœlos*, pro dedisti seu posuisti: vel in præsenti, *das* seu ponis. Denotatur infinita DEI gloria & majestas.

Prov. 12. v. 6. (al. 5.) *Verba improborum* אֱרָב־דָּם *insidiari sanguini*, h. e. insidiantur. v. 7. הָפוֹךְ *evertere se improbi, ita ut non sint*, h. e. evertunt se.

Prov. 15: 22. הָפֵר *irritas facere cogitationes, in non consilio*, h. e. irritas facit cogitationes defectus consilii: vel, irritæ fiunt cogitationes, cùm deest consilium.

Esa. 38: 16. *Et facis ut revalescam,* וְהַחֲיֵנִי *& vivificare me*, h. e. vivificas seu vivum conservas me.

Jer. 14: 5. *Quin etiam cerva in agro* יָלְדָה וְעָזוֹב *peperit, & relinquere*, h. e. reliquit seu relinquit, scil. id, quod peperit.

Jer. 31. v. 2. הָלוֹךְ *ire ad quietè collocandum Israël*, h. e. הָלַךְ ivit, scil. DEUS. Ita R. Kimchi. Alibi, *me eunte ad collocandum Israël*, ut sit ellipsis & præfixi ב, & affixi primæ personæ.

Ezech. 1: 14. וְהַחַיּוֹת רָצוֹא וָשׁוֹב *& animalia currere & redire*, pro רָצוּ וְשָׁבוּ currebant & redibant. Vel est (inquit D. Buxtorf.) ellipsis verbi finiti, pro רָצוּ רָצוֹא *currebant currendo*, וְשָׁבוּ שׁוֹב *& redibant redeundo*, juxta can. 37. Confer D. Forster. in præfat Lex. n. 59.

### 2. Infinitivus pro *futuro*.

1 Sam. 3: 18. *Per Davidem servum meum* הוֹשִׁיעַ *servare populum meum Israel*, pro, אוֹשִׁיעַ servabo, vel servaturus sum.

1 Reg. 22: 30. & 2 Paral. 18: 29. *Et dixit Rex Israelis ad Josaphatum;* הִתְחַפֵּשׂ וָבֹא *dissimulare se & venire in prælio*, h. e. dissimulabo me, & veniam in prælium. Chald. priore loco: אֲנָא אֶשְׁתַּנֵּי וְאֵיעוֹל *ego mutabo* seu *dissimulabo me, & veniam in prælium.* Dissimulatione autem istâ induitio aliarum vestium innuitur, ne ab inimicis agnoscatur. Sequitur enim de Josaphato: *Tu autem induere vestibus tuis*, q. d. tibi non tantum imminet periculum, ut mihi primario Syrorum hosti. Junius ac Tremellius ad infinitivum illum subintelligunt ב præfixum, constituens gerundium: *Ubi dixit Rex Israelis ad Josaphatum, dissimulando se & veniendo in prælium* (h. est, cum dissimularet se, processurus in prælium) *at tu induere vestimentis tuis &c.* R. Salomo & Kimchi ellipsin præfixi ל ponunt. Quorum ille 2 Paral. 18: 29. hanc dat verborum paraphrasin: *Volo ego meipsum mutare seu dissimulare, & ita venire in prælium, quia solicitus sum, ne Syri audiverint id, quod Micha Propheta dixit: Si revertendo reversus fueris in pace &c. & contra me solum pugnent.*

Ps. 77: 2. *Vox mea ad Dominum,* וְהַאֲזִין אֵלָי *& auscultare mihi*, pro, & auscultabit: vel in præsenti, auscultat mihi.

Esa. 5: 5. הָסֵר *removere sepem ejus, & erit ad depastionem:* פָּרֹץ *disrumpere maceriam ejus, & erit in conculcationem*: h. e. removebo, disrumpam.

Ezech. 11: 7. *Et vos* הוֹצִיא *educere ex medio ejus*, h. e. educam.

Zach. 12: 10. *Et plangent super eum, quasi planctu de unigenito,* וְהָמֵר *& amaricari seu amarè plangere super eum &c.* h. e. amaricabuntur vel amarè plangent.

### 3. Infinitivus pro *imperativo*.

Id fit plerumque in parænesibus ac præceptis.

Exod. 20: 8. זָכוֹר *recordari diei Sabbathi, ut sanctifices illum*, pro זְכוֹר recordare. Sic Deut. 5: 12. שָׁמוֹר *custodire diem Sabbathi*: pro שְׁמוֹר custodi, observa. D. Chemnitius in loco de lege DEI, p. 56. voce *recordandi* ad modum verum sanctificationis Sabbathi respexisse Deum docet. *Prævidit*, inquit, *futuram hypocrisin*,

*pocrisin, in externa observatione Sabbathi, ideò verbo recordandi usus statim in principio, ut ostenderet, veram sanctificationem Sabbathi principaliter non consistere in ocio, vestitu & externis ceremoniis; sed in recordatione*, id est, *in actione mentis, voluntatis & cordis, ut scil. animus distractus curis, & occupatus actionibus necessariis hujus vitæ, colligatur ad recordationem & meditationem sanctificationis &c.*

Alia exempla sunt Jos. 1: 13. Job. 32: 10. Psal. 17: 4. Jer. 2: 2. Quibus accensent quidam Esa. 32. vers. 11. רְגָזָה *commoveri*, פְּשֹׁטָה *exuere*, עֹרָה *nudari*, חֲגוֹרָה *accingere:* (infinitivi cum paragoge literæ ה) pro *commoveamini, exuite, nudamini, accingite*. Sunt autem, qui formam imperativi fœminini (de fœminis enim sermo est) in his agnoscunt, per syncopen literæ נ, pro רְגָזְנָה *commoveamini*, פְּשֹׁטְנָה *exuite*, עֹרְנָה *nudamini* (ut habeat formam ab עור, cùm aliàs עָרָה *nudari* sit) חֲגֹרְנָה *accingite:* ad imitationem videlicet Chaldaismi, in quo Jer. 9. vers. 20. est. שְׁמַעְנָא *audite*, fœm. pro שְׁמַעְנָה. D. Forsterus eandem sententiam habet in voce רָגַז, Lex. p. 764. Buxtorff. in Concordant. Hebr. חֲגוֹרָה ut nomen interpretatur, *cingulum:* sed obstare videtur accentus.

Matth. 5: 39. *Ego autem dico vobis*, μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ, *non resistere malo:* pro, ne resistite. Sic vers. 34. Luc. 9: 3.

Luc. 22. vers. 42. *Pater, si vis*, παρενεγκεῖν *transferre poculum illud à me.* Id Marc. 14. vers. 36. ita exponitur: παρένεγκε, *transfer*.

Sic in Nazianz. μὴ σφόδρα θαῤῥεῖν, μηδ᾽ ἀπελπίζειν ἄγαν, *ne aude nimium, nec nimis despera*. Phocyl. μαρτυρίην ψευδῆ φεύγειν, τὰ δίκαια ἀγορεύειν, *falsum testimonium fuge, justa loquere*. Idem: μὴ πλουτεῖν ἀδίκως, ἀλλ᾽ ἐξ ὁσίων βιοτεύειν. *Ne ditescas injustè, sed ex juste partis vive.* Virgil. 3. Georg. *Æstibus at mediis umbrosam exquirere vallem: Tùm tenues dare rursus aquas, & pascere rursus.* Quidam in his subintelligi volunt verbum θέλῃς *velis*, aut impersonalium aliquod, χρὴ, δεῖ, προσήκει, πρέπει, *oportet, convenit &c.*

## 4. Infinitivus pro *participio*.

Genes. 8: 5. *Et aquæ erant* הָלוֹךְ וְחָסוֹר *eundo & deficiendo*, h. e. euntes & deficientes: pergebant deficere.

Jos. 3: 17. *Et Sacerdotes stabant in ipso sicco, in medio Jordanis* הָכֵן *erigere*, pro מוּכָן *erecti:* Jordanis videl. qui deficientibus aquis, erectus & firmatus suis aquis influentibus fuit, ut vers. 16. asseritur. Alii hunc infinit. ad *sacerdotes* referunt: *stabant accingere* vel *disponere*, h. e. accincti seu dispositi.

Psal. 32. vers. 9. *Ne estote ut equus & mulus*, אֵין הָבִין *non intelligere*, h. e. non intelligentes, seu expertes intelligentiæ. R. Sal. שֶׁאֵינוֹ מֵבִין *qui non intelligens est*. Nota enallages hujus est negativum אֵין quod non nisi *participio* additur, de verbis si loquamur: aliàs enim nomini etiam adjungitur. Posset igitur & hîc infinitivus loco nominis accipi (secundùm *sequentem enallagen*) pro אֵין בִּינָה לָהֶם *quibus non est intellectus*. Relativum enim אֲשֶׁר sæpè deest.

Esa. 49. vers. 7. *Sic ait Jehova vindex Israelis, sanctum ejus*, לִבְזֹה נֶפֶשׁ *ad contemnere anima*, h. e. ad eum, quem *contemnens est anima* cujusque. Sic mox sequitur particip. לִמְתָעֵב גּוֹי *ad* eum, quem *abominans est populus*. Loquitur de Christo, quem mox *servum dominantium* vocat, videlicet Judæorum, qui sibi dominatum confingebant, etiam in servitute gravissima, & libertatem sibi asserebant, ut Joh. 8: 33. Theodotio paulò aliter olim transtulit, sensu tamen bono commodoque, de quo ita Hieron. in Comment. hoc loco: *Theodotio transtulit: Ei, qui despicit animam, qui abominationi est genti, qui servus est principum. Quod manifestè Christi personæ convenit. Ipse enim bonus Pastor posuit animam suam pro ovibus suis, & contempsit eam, qui abominationi est genti Judæorum, cui ter per singulos dies sub nomine Nazaræorum maledicunt in synagogis suis: qui servus fuit principum, & tam humilis, ut staret ante Annam & Caiapham: & crucifigendus Pilato & Herodi mitteretur. Cui interpretationi Aquila consentit.*

Hab. 2: 15. *Væ potum præbenti proximo suo, adbibenti utrem suum, & etiam* שַׁכֵּר *inebriare*, h. e. inebrianti.

Huc referunt quidam illud, Prov. 8: 30. *Et fui coram eo* אָמוֹן *educare*, h. e. educans; res creatas conservans, ac nominatim Ecclesiam alens verbo & spiritu, in vitâ præsente & futurâ. De hoc loco vide in onomatologia Messiæ prophetica, p. 61.

## 5. Infinitivus pro *nomine*.

2 Reg. 8: 52. *Auscultando illis* בְּכָל־קָרְאָם *in omni orare ipsos*, h. e. in omni oratione ipsorum: quandocunque invocabunt te.

2 Reg. 19: 27. *Et sedere tuum, & egredi tuum, & venire tuum scio, & furere tuum contra me:* h. est, sessionem tuam, & profectionem tuam, & incessum tuum novi, & furorem tuum contra me.

1 Par. 16. vers. 36. *Et dixerunt omnis populus Amen,*

*Amen*, וְהַלֵּל לַיהוָה *& laudare Jehova*, h.e. & laudem Jehovæ.

2 Par. 3: 3. וְאֵלֶּה הוּסַד *& hac sunt fundari Salomonis in ædificandu domo Dei*, h. e. hæ sunt fundationes. Junius: *Harum* (dimensionum erat) *fundatio Salomonis* &c.

Psal. 101: 3. עֲשֹׂה *facere declinantium odi*, h. e. factum.

Psal. 132: 1. *Memor esto Jebova Davidis*, אֵת כָּל־עֻנּוֹתוֹ *cum omni affligi ipsum*, h. e. cum omni afflictione ejus.

Esa. 4: 4. *Spiritu judicii, & Spiritu* בָּעֵר *removere*, hoc est, remotionis sive sublationis. Targ. גְּמִירָה *consumtionis*. Spiritus S. autem ita dicitur, quia solus à peccatis purgat, & omne malum ex populo DEI tollit.

Esai. 32. vers. 17. הַשְׁקֵט *requiescere*, hoc est, requies. Sequitur statim nomen: וָבֶטַח *& securitas*.

Esai. 38. vers. 12. דּוֹרִי *babitare meum transfertur*, hoc est, habitatio mea. Intelligit vitam hanc.

Dan. 10: 1. וּבִין *& intelligere verbi, ac intelligentia ipsi eadem visione* (obvenit,) h.e. intellectus illius verbi. Conjungitur infinitivus & ipsum nomen illum explicans.

Refertur huc Psal. 75: 7. *Non enim ab ortu, aut ab occasu, neque à deserto* הָרִים *exaltare*, h. e. exaltatio. Ita post Pagninum Junius & Tremellius, qui hæc verba pro ἐργασίᾳ propositionis præcedentis habent, *ne inimici cornua efferant contra excelsum: non enim est* (inquit David) *hoc regnum à mundo, sed à Deo profectum.* Sed cùm מִמִּדְבַּר cum pathach in fine, in statu regiminis ponatur, & sic genitivum post se requirat, satius est הָרִים pro plurali nomine accipere, ab הַר *mons*. *Ex deserto montium* h. e. montano. Luth. **noch von dem Gebirge in der Wüsten**: qui ellipsin in hac hostium Dei aposiopesi sic supplet, **es habe keine Noth**/ &c. seu: *non veniet malum*. Hanc significationem, *montium*, habent etiam Chaldæus & LXX. Interpretes, R. AbenEzra, Arias Montanus &c. Observa tamen obiter, Schindlerum מִמִּדְבָּר cum Camez legere, & exinde concludere, non esse constructionem regiminis, sed infinitivum הָרִים loco nominis poni: cum declaratio vers. 8. sequatur: *quia hunc humiliabit, hunc* יָרִים *exaltabit*.

Ex N. T. Luc. 7. vers. 21. *Et cæcis multis* ἐχαρίσατο τὸ βλέπειν *donavit videre*, hoc est, visum.

Hebr. 2: 15. διὰ παντὸς τοῦ ζῆν *per totum vivere*, h. e. per totam vitam. Sic in profanis. Isocr. ad Nicol. αἱροῦ καλῶς τεθνῆναι μᾶλλον, ἢ ζῆν αἰσχρῶς, *elige potiùs honestam mortem, quàm turpem vitam.* ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν, *ex adspectu nascitur amor.* Euripides: τὸ τραφῆναι μὴ κακῶς αἰδῶ φέρει, *proba & liberalis educatio pudorem affert.* τὸ μαθεῖν πραΰνει τὰ ἤθη, *eruditio emollit mores.* Convenit cum illo Latino: *Didicisse fideliter artes emollit mores, nec sinit esse feros.* Sic in Plauto 1. Bach. 2. *Hic vereri perdidit*, h. e. verecundiam. Videatur D. *Vechnerus in hellenolex.* l. 1. p. 51.

## *Nota.*

Vice versâ (quod hic omninò addendum) *nomen pro infinitivo* quandoque usurpatur. R. Kimchi in Michlol p. 152. *Quandoquidem nomen & verbum infinitum affinitatem inter se habent, ideo illud pro verbo infinito, & hoc pro nomine sæpè venit.*

Deut. 10. vers. 12. *Nunc itaque Israel, quid Jebova Deus tuus petit abs te, nisi* לְיִרְאָה *ad timorem Dominum Deum tuum*, h. e. לִירֹא ad timendum, ut timeas. Sequitur mox infinitivus, לָלֶכֶת *ad ambulandum in omnibus viis ejus.* Et iterum aliud nomen: וּלְאַהֲבָה אֹתוֹ *& ad amorem eum*, h. est, ad amandum eum, לֶאֱהוֹב. Rursus sequitur infinitivus, וְלַעֲבֹד *& ad serviendum ipsi* &c. Sensus est: ut timeas Jehovam Deum tuum, ambules in omnibus viis ejus, & diligas eum, & colas ipsum ex toto corde &c.

Esa. 7: 1. *Ascendit Rezin Rex Syriæ, & Pekach filius Remaliæ Rex Israel Hierosolyma* לַמִּלְחָמָה *ad bellum contra ea*, h.e. לְהִלָּחֵם ad pugnandum seu belligerandum contra ea.

Marc. 12. vers. 38. Et dicebat eis ἐν τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, *in doctrinâ sua*, h. est, ἐν τῷ διδάσκειν, inter docendum, cum publicè in Templo doceret. Sic c. 4: 2. R. Kimchi & alii huc referunt ea, quæ tract. 1. de nomine can. 41. proposita sunt. Num. 10. vers. 2. *ad convocationem cœtum, & ad motionem castra*, h. e. ad convocandum, & profectionem imperandum.

Ezech. 17: 9. *Ad sublationes eam à radicibus suis*, h. e. ad tollendum, &c. Vide Buxtorff. lib. 2. thes. p. 336. seqq. ubi & ex profanis similia adducuntur exempla.

## *Continuatio.*

ANtequam ad Temporum enallagen transitus fiat, prius de *Optativo* modo aliquid monendum.

## Canon XLV.

*Optativus modus, quem Hebræi non habent, variis apud ipsos modis effertur.*

1. **P** *Er præteritum cum particula* לוּ Num. 20: 3. לוּ גָוַעְנוּ *utinam expirassemus, cùm expirarent fratres nostri coram Jehova.*

Esa. 63: 19. לוּא־קָרַעְתָּ *utinam lacerares cœlos, & descenderes.* Huc pertinet ex N. Test. 1 Cor. 4: 8. καὶ ὄφελόν γε ἐβασιλεύσατε, *& ô utinam regnetis!*

*Et per futurum cum eâdem particulâ;* Gen. 17: 18. לוּ *utinam Ismael* יִחְיֶה *vivat coram te.* Galat. 5: 12. ὄφελον καὶ ἀποκόψονται *utinam & exscindantur, qui vos conturbant.*

Et *per partic. præsens cum hac particula.* Psal. 81: 14. לוּ *utinam populus meus* שֹׁמֵעַ *auscultâsset mihi:* ubi statim etiam futurum sequitur, (utinam) *Israel in viis meis* יְהַלֵּכוּ *ambulâssent*, vel ambularent.

Pro particulâ *optantis* habetur etiam אָבִי *ô utinam*, ab אָבָה *voluit*, Job. 34: 36. אָבִי *utinam probetur Ijob usque ad finem* & Chald. צָבִינָא *opto ego, ut probetur Ijob in seculum.* Alii autem explicant ut nomen cum affixo, *Pater mi*, ut sit apostrophe optativa ad DEUM.

2. *Per futurum sine particula;* Job. 3: 3. יֹאבַד *peribit dies, quo nasciturus eram*, h. est, utinam periisset. Sic in sequentibus verbis.

Cant. 1: 2. יִשָּׁקֵנִי *osculetur me osculo oris sui.* Sunt verba optantis Ecclesiæ: Utinam me sponsus ille meus Christus præsens amplectatur, & junctus permaneat mihi, nec me unquam deserat, sed amantissima sua conjunctione in æternum prosequatur! Sic Psalm. 70: 3, 4, 5. Psal. 122: 6, 7.

3. *Per imperativum;* Psal. 45. vers. 5. *Et decore tuo* צְלַח *prosperare*, h. e. utinam prosperêris! Verba optantis, ut & Lutherus reddidit commodè, es müsse dir gelingen in deinem Schmuck.

Huc pertinent omnes *imperativi petitorii*, seu quibus rogatur DEUS, ut suam nobis gratiam & omnis generis beneficia conferat, & mala prohibeat. Illi enim optandi vim prorsus obtinent. Et imperativus non minus *orativus aut petitivus* dici posset, ut Flacius ait. Basilii annotationem prolegomenis suis super Esaiæ explicationem inseruit D. Schnepfius. tit. *de figuris:* μὴ ξενιζέσθω δὲ ἡμᾶς τὸ προστακτικῶς λέγεσθαι, τὸ κατευοδοῦ, διὰ τὴν συνήθειαν τῆς γραφῆς: ὅτως ἀεὶ σχηματιζούσης τὰ εὐκτικά. γενηθήτω γὰρ τὸ θέλημά σε, ἀντὶ τοῦ γενηθείη. καὶ ἐλθέτω ἡ βασιλεία σε, ἀντὶ τοῦ ἔλθοι. *Non miremur, imperativè dictum esse* (Psal. 45: 5.) *procede, propter consuetudinem scripturæ, semper ad eum modum figurantis optativos; fiat voluntas tua, pro, utinam fiat: veniat regnum tuum, pro, utinam veniat.*

4. *Per circumscriptionem quandam;* quæ est interrogativa formula, מִי יִתֵּן *quis dabit*, pro, utinam!

Psal. 14. vers. 7. מִי יִתֵּן *quis dabit ex Zione salutem*, h. e. ô si quis det! Sic Exod. 16: 3. Num. 11: 29. Deut. 5: 29. (al. 35.) cap. 28: 67. 2 Sam. 19: 1. Psal. 55: 7. Cant. 8. v. 1 Jer. 9: 1, 2.

Quandoque etiam interrogativo pronomini *aliud verbum* adjungitur, & optativè accipitur.

2 Sam. 23: 15. מִי יַשְׁקֵנִי *quis bibere faciet me aquas de puteo Bethlehemi?* h. e. ô si quis bibere me faciat! Psal. 4: 7. *Multi dicunt:* מִי יַרְאֵנוּ *quis faciat videre nos bonum?* h. e. ô si quis efficiat, ut fruamur bono! Est enim *videre* idem quod *frui*, per metonym.

## *Continuatio.*

**H** Actenus enallage modorum; sequitur ea, quæ *Tempora* concernit: & quidem 1. præteriti, 2. aoristi, 3. præsentis. 4. futuri.

## Canon XLVI.

*Verbum præteriti temporis quandoque pro plusquamperfecto, quandoque pro præsenti, quandoque etiam pro futuro usurpatur.*

### 1. Præteritum pro *plusquamperfecto*, quod Hebræi non habent.

**G** En. 2. v. 2. וַיְכַל *& complevit DEUS in die septimo opus suum, quod fecit*, hoc est, compleverat. *Nam completio operis est opus. Si complevit die septimo, igitur opus fecit, nec planè requievit illo die. Id movit Græcos, ut diem septimum mutarent in diem sextum, contra codicum omnium fidem.* Ita J. Drusius lib. 4. præt. p. 123, qui subjungit: *Hujusmodi observationes, licèt leves videantur, non sunt contemnendæ, nam ignoratæ magnas quandoque tenebras offundunt viris magnis* &c. Sensus igitur est: cum perfecisset Deus (nempè jam ante)

tè) die septimo opus suum, quod fecerat, ipso die septimo quievit ab omni opere suo, quod (ante diem septimum) fecerat. Videatur idem Drus. in quæsitis per epist. n. 16. Quæ Galatinus ex hoc loco eruat, si in *præterito perfecto* legatur, videatur lib. 11. de arcan. Catholicæ veritatis, cap. 10. Et conferatur Sixtinus Amama in Ant. Bibl. lib. 2. pag. 305. seqq. Aliam expositionem, concinnam congruamque vide suprà can. 3. de verbo §. 2.

Gen. 29: 12. וַיַּגֵּד *& nunciavit Jacob Racheli, se fratrem seu cognatum esse patris ipsius:* h. e. nunciaverat, ante scilic. quam contingeret illud, quod v. 10. narratur.

Gen. 36: 6. וַיִּקַּח *& assumsit Esau uxores suas &c.* h. e. assumserat. Ita explicandum esse ex cap. 33: 14, 16. patet. Illud autem לִפְנֵי *ante Jacobum*, quod in fine versus dicitur, idem est, ac *ante adventum Jacobi*, uti vox פָּנִים accipitur cap. 30: 30. c. 32: 3. c. 46: 28. Et quod v. 7. dicitur: *Erant enim eorum facultates ampliores, quàm ut habitarent simul;* id de Isaaco patre & Esavo ipso commodè exponi potest.

Exod. 12: 35. *Et filii Israel* עָשׂוּ *fecerunt secundùm verbum Mosis* וַיִּשְׁאֲלוּ *& petierunt ab Ægyptiis* &c. h. e. fecerant, petierant. Sic & v. 36.

Exod. 33. vers. 5. וַיֹּאמֶר *& dixit Jehova Mosi &c.* hoc est, dixerat, ut ex contextu patet.

Jud. 1: 8. וַיִּלָּחֲמוּ *& pugnaverunt filii Juda contra Jerusalem &c.* h. e. pugnaverunt, tempore scil. Josuæ. vide Jos. 15: 63. Vide & Jon. 1: 4. &c.

In N. T. *Præterita & aoristi* (qui præteritorum significationem habent) eodem modo accipiuntur.

Matth. 14: 3. *Nam Herodes prehendens Johannem, ἔδησεν αὐτὸν, vinxerat eum:* Hæc enim anteà contigerant, & per occasionem hoc loco ab Euangelista referuntur. Sic in tota illa recensione.

Luc. 19: 15. *Jussit vocari servos hos, quibus ἔδωκε; dedit argentum*, h. e. dederat.

Joh. 4: 44. *Ipse enim Jesus ἐμαρτύρησεν, testatus fuit, quod Propheta in sua patria honorem non habet:* h. e. testatus fuerat, scil. antequam exiret illo loco, v. 43.

Joh. 5: 13. *Is autem, qui sanus fuerat factus, nesciebat, quis esset? Jesus enim ἐξένευσεν declinavit* seu *emersit, turbâ existente in illo loco*, h. e. declinaverat, emerserat. Ἐξένευσεν autem ab ἐκνέω est, *enato*, & per metaphoram, *clam evado, elabor*. Usitatum enim est, confertam & in varias partes velut exundantem multitudinem commoto mari conferri, unde qui se recipiat, meritò dicatur quasi enatare. In notis Casauboni exemplum hujus vocis ex Tiberio adfertur, uti & simile ex Lucretio. Alii à νεύειν deducunt, quod *nuere* significat, unde ἐκνεύειν. quasi ἔξω νεύειν, *foràs nuere*, h. e. *declinare, evadere*.

Joh. 18. vers. 24. *ἀπέςειλεν misit illum Annas vinctum ad Cajapham Pontificem*, h. e. miserat.

Apoc. 21: 1. *Et vidi cœlum novum, & terram novam: primum enim cœlum, & prima terra παρῆλθεν, abiit*, h. e. abierat.

Sic & alibi sæpe præteritum explicandum est, præsertim, ubi per ὑςερολογίαν narratio instituitur.

## 2. Præteritum pro *præsenti*.

Hebræi *præsens tempus* verbi non habent, igitur pro eo tùm *participio præsenti* (uti tract. 4. dicetur) tùm *futuro*, tùm etiam *præterito* crebrò utuntur. De *præterito* observentur ex magno numero pauca.

Gen. 4: 1. קָנִיתִי *possedi virum Jehovam*, h. e. possideo.

Ibid. vers. 9. לֹא יָדַעְתִּי *non scivi*, hoc est, nescio.

Genes. 32: 10. קָטֹנְתִּי *parvus fui præ omnibus istis beneficiis &c.* hoc est, minor sum, seu impar sum.

Exod. 33: 19. וְחַנֹּתִי *& gratiosus sum, cui fuero gratiosus &c.* Ibidem futurum pro præsenti occurrit.

2 Sam. 1: 5. אֵיךְ יָדַעְתָּ *quomodo scivisti, mortuum esse Saulem?* h. e. quomodo scis?

2 Reg. 3: 11. *Est hic Elisa filius Schaphati*, אֲשֶׁר יָצַק *qui infudit aquam manibus Eliæ*, h. e. qui infundit. Est autem hæc descriptio servitii seu ministerii synecdochica. In præsenti autem hoc explicandum est, quia tùm temporis Elias adhuc vivebat, ut ex 2 Par. 21: 12. apparet.

Psal. 1: 1. *Beatus vir, qui non* הָלַךְ *ambulavit in consilio improborum*, h. e. ambulat. Sic & sequentia. Aben Ezra in h. l. *Quando volunt loqui per tempus stans* (h. e. præsens) *loquuntur sermone præteriti vel sermone futuri.*

Psal. 14: 1. אָמַר *dixit stultus in corde suo*, h. e. dicit. Ibid. הִשְׁחִיתוּ *corruperunt*, h. e. corrumpunt. vers. 2. *dominus de cœlo* הִשְׁקִיף *prospectavit*, h. e. prospectat, &c.

Psal. 25: 2. *Jehova in te* בָּטַחְתִּי *speravi*, h. e. spero seu confido. Sic Psal. 31: 1. & aliàs sæpissime.

Imitantur hunc Hebraismum Græci scriptores N. T.

Joh. 1: 15. *ὗτος ἦν hic erat, de quo dixi;* h. e. hic est. Ubi imperfectum pro præsenti ponitur. Quam enallagen etiam Budæus ex profanis auctoribus observat.

Joh. 1. verf. 26. *In medio vestri ἕστηκεν stetit, quem vos nescitis*, h. est, stat. Sic præteritum hoc *ἑστηκέναι stetisse*, pro, stare, alibi etiam accipitur, Luc. 8: 20. Actor. 1: 11. Rom. 5. verf. 2. &c.

Actor. 12. verf. 14. *ἑστᾶναι, stare Petrum ante vestibulum.* Est autem ἑστᾶναι contractè pro ἑστακέναι vel ἑστηκέναι præterito infinitivi modi.

1 Joh. 3: 6. *Omnis qui peccat, οὐχ ἑώρακεν αὐτὸν, οὐδὲ ἔγνωκεν αὐτὸν, non vidit eum, nec cognovit eum* (DEUM) h. e. non videt, nec cognoscit. Confer cap. 2: 4. 2 Joh. verf. 11. Sensus est: qui in peccatis contra conscientiam securus vivit, is veram fidem salvificam non habet, quæ spiritualis Dei visio & cognitio est.

Alia exempla sunt Joh. 5: 45. c. 11: 27. c. 16: 27. Rom. 5: 2. 1 Tim. 4: 10.

Apud profanos talia occurrunt. In Demosth. περὶ στεφ. *οἰκοδομῆσαι τοὺς προγόνȣς ἡμῶν ταῦτα τὰ δικαστήρια ὑπείληφα: majores nostros ædificasse istas curias existimavi*, h. e. *ὑπολαμβάνω, existimo.*

Lucian. *μέμνημαι γὰρ οὐ πρὸ πολλοῦ* &c. *memini enim non à longo tempore.* Tale est ipsum Latinum *memini*, item *odi* &c. Plura Latinorum vide in hellenolex. Vechneri l. 1. c. 11.

### 3. Præteritum pro *futuro*.

Id fit duplici ratione, (1.) *in verbis præteritis cum ו conversivo.* De quo infrà lib. 4. tract. 1. (2.) *In Propheticis scriptis*, quæ rem futuram verbis præteriti temporis, ob evidentiam & certitudinem summam, proponunt, ut ex Esai. 9: 6. cap. 53: 4, 5. &c. cap. 60. verf. 1. cap. 21: 9. & aliis locis quamplurimis constat. Vide Phil. sacr. lib. 1. tract. 4. sect. 1. can. 4.

Huc ex N. T. referunt, Joh. 3. verf. 13. *Nemo ἀναβέβηκεν ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit &c.* hoc est, *ἀναβήσεται*, ascendet.

Joh. 5. verf. 24. *Qui verbum meum audit & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, sed μεταβέβηκεν transiit ex morte in vitam*, h. est, transibit, quando scil. moritur. Quidam de translatione ex morte in vitam spirituali intelligunt, quæ credentibus in hac vitâ obtingit. Confer 1 Joh. 3: 14.

## Canon XLVII.

*Verbum ἀορίστου temporis apud Græcos, præter significationem præteriti, etiam pro præsenti & futuro usurpatur.*

Notum est, Græcis tempus quoddam esse præteritum, quod appellatur *χρόνος ἀόριστος*, h. e. *indefinitum*: sic dictum, quòd incerta sit ejus significatio, paulone antè, an multò, res præterierit? ut in institut. linguæ Græcæ, operi Regio insertis habetur: Vel, ut alii tradunt, quia non habet unam aliquam certam ac definitam in omnibus modis significationem, cùm in *indicativo* significationem perfecti habeat, in *reliquis* vero modis non tantum præteriti, sed etiam præsentis & futuri &c.

Ordinaria igitur aoristi (tùm primi, tùm secundi) significatio est *præteriti temporis.* Ut autem verba præteriti temporis; sic & aoristi enallagen canone præcedente positam subeunt, & quidem in modis quibusque, etiam Indicativo. Præter significationem *plusquam perfecti*, de qua in antecedentibus dictum, ponitur.

### 1. Aoristus pro *præsenti*.

Matth. 3: 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo εὐδόκησα complacui;* pro *εὐδοκῶ* complaceo mihi, seu in quo toto amoris mei affectu recumbo. Sic Luc. 3: 22. ubi est *ηὐδόκησα* cum augmento.

Matth. 23. verf. 2. *Super Mosis cathedrâ ἐκάθισαν sederunt scribæ & Pharisæi*, hoc est, sedent. Per *τὸ sedere in cathedrâ Mosis* tùm docendi, tùm judicandi & regendi populum potestas intelligitur, Exod. 18: 13. Matth. 27. verf. 19.

Luc. 1: 47. *καὶ ἠγαλλίασε & exultavit Spiritus meus*, h. e. exultat. Ibid. verf. 68. *Benedictus dominus Deus Israel, quia ἐπεσκέψατο καὶ ἐποίησε λύτρωσιν, visitavit & fecit redemtionem populo suo*, h. e. visitat & facit.

Luc. 15: 16. *Et desideravit γεμίσαι implevisse ventrem suum &c.* pro implere. Sed in hoc præteriti significatio fere manet, cùm de re ut præteritâ narratio instituatur.

Joh. 1: 12. *Dedit eis potestatem Filios DEI γενέσθαι fuisse*, h. e. esse seu ut sint Filii DEI, in

in præſenti. Vox enim ἐξουσία idem eſt, ac ἀξίωσις, *dignatio*, ſeu *dignitas*, præeminentia & jus à DEO ex gratia credentibus donatum: reſpicitque non futuram, ſed præſentem υἱοθεσίαν gratuitam.

1 Joh. 4: 8. *Qui non diligit*, οὐκ ἔγνω *non cognovit Deum*, hoc eſt, non cognoſcit; non præditus eſt ſalutari DEI cognitione & verâ fide.

## 2. Aoriſtus pro *futuro*.

Joh. 11: 56. *Quid videtur vobis? an non* ἔλθῃ *venerit ad diem feſtum*, h.e. venturus ſit. Cum conjunctivus modus futuro careat, pro eo indefinitum uſurpatur, ut Grammatici tradunt. Et ſic hoc loco.

Joh. 15. verſ. 6. *Niſi quis manſerit in me*, ἐβλήθη *ejectus eſt foras, ut palmes*, καὶ ἐξηράνθη *& exaruit*, h.e. ejicietur & exareſcet.

Rom. 8: 30. *Quos autem juſtificavit, illos etiam* ἐδόξασε *glorificavit*, h.e. glorificabit. Uſus fuerat Apoſtolus in deſcriptione aureæ ſalutis catenæ verbis præteriti temporis, quæ ab æterno factum de ſalute electorum Dei decretum, tum & præſentem ejus decreti executionem (quæ in *vocando & juſtificando* conſiſtit) exprimunt: eâdem igitur præteriti ſignificatione utitur in denominandâ futurâ electorum *glorificatione*, quo certitudo ejus ſumma indicatur.

Hac ſignificatione aoriſti etiam veniunt, ſi cùm πρὶν vel πρὸ, *antè, priuſquam*, conſtruantur. Et hoc dupliciter fit. Vel enim loquens ad *futurum tempus* (reſpectu ſui ipſius) reſpicit, aliquid prædicendo, quod poſtea eventurum eſt. Vel *ad præcedens tempus* reſpicit, aliquid narrando, quod illo tempore, de quo narratio inſtituitur, adhuc (ob vim particulæ πρὸ & πρὶν) futurum erat.

*Prioris* exempla ſunt; Marc. 14: 30. *Et ait illi Jeſus, Amen dico tibi, quod hodiè in noctè hac*, πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, *priuſquam bis gallus cantaverit, ter me es negaturus*.

Joh. 4: 49. *Dicit ad eum Regius: Domine deſcende*, πρὶν ἀποθανεῖν *priuſquam moriatur filius meus*.

Joh. 13: 19. *A modò dico vobis*, πρὸ τοῦ γενέσθαι, *priuſquam fiat, ut cùm factum fuerit, credatis, quòd ego ſum*.

Joh. 14. v. 29. *Et nunc dixi vobis*, πρὶν γενέσθαι, *priuſqnam fiat, ut cum factum fuerit credatis*.

In his quæ allata ſunt, ex textu planum eſt, de re ratione dicentis adhuc futurâ, verba ſonare.

*Poſterioris* exempla ſunt. Joh. 1: 49. *Reſpondit Jeſus & dixit illi*, πρὸ τοῦ σε Φίλιππον φωνῆσαι, *priuſquam te Philippus vocaret, cùm eſſet ſub ficu, vidi te*.

Act. 7. verſ. 2. *Deus gloriæ apparuit Patri noſtro Abrahæ, cùm eſſet in Meſopotamiâ*, πρὶν ἢ κατοικῆσαι, *priuſquam commoraretur in Charran*.

Sic Pſal. 90: 2. πρὸ τοῦ ὄρη γεννηθῆναι, καὶ πλασθῆναι τὴν γῆν: *priuſquam montes fierent, & formaretur terra, tu Deus es &c.*

In his, quæ allata ſunt, ex textu planum eſt, de tempore præterito ſermonem à loquente fieri, quo tamen illud, quod dicitur (ob vim particulæ πρὶν & πρὸ) adhuc futurum erat.

a Et huc certò pertinent verba Chriſti Joh. 8: 58. *Dixit eis Jeſus: Amen, amen, dico vobis*, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, *antequam Abraham eſſet, ego ſum*. Ex textus viſceribus evidenter conſpicitur, Chriſtum de tempore præterito loqui, nempè quòd Abrahami exiſtentiam anteceſſit, & quo Abraham adhuc futurus erat: & tamen quòd eodem tempore ipſe (Jeſus) extiterit, affirmare. Diſputabatur enim de ætate Chriſti, an ea ita eſſet comparata, ut verè gloriari potuerit Chriſtus, *Abrahamum ſe vidiſſe*, uti v. 56. dixerat? Judæi hoc negabant, v. 57. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahum vidiſti*? q. d. nondum es annorum quinquaginta; igitur neque tu Abrahamum, neque Abrahamus te videre potuit, uti jactitâſti. Hoc igitur Chriſto refutandum, hujus conſequentiæ falſitas oſtendenda, & apertè demonſtrandum erat, quod non quinquaginta ſolum, ſed & plurium omninò annorum ſit, ut verè & Abrahamum viderit, & ab ipſo viſus fuerit. Quare aſſeveratione emphaticâ affirmat, *antequam Abraham eſſet* (vel *fieret*, vel *naſceretur*; eodem enim res redit) *ſe eſſe* vel *exiſtere*: hoc eſt, Abrahamo ſe multò ſeniorem eſſe, & proinde Abrahamum vidiſſe, & ab ipſo videri (Spiritu) potuiſſe, ut qui non ſit ψιλὸς ἄνθρωπος, ſed æternus DEUS, omni principio & fine carens.

a De loco Johan. 8. Antequam Abraham eſſet, ego ſum.

b Photiniani hanc veritatis orthodoxæ acropolin (de verâ & reali exiſtentia Chriſti ante Mariam, & ſic etiam verâ & æternâ ejus Deitate) labefacturi, miris technis verba Chriſti pervertunt. Ita enim Fauſtus Socinus in animadverſ. ad aſſert. 2. colleg. Poſan. *Ad hunc modum* (inquit) *è Græco locus iſte converti debet: Amen dico vobis, antequam Abraham fiat, ego ſum. Nam cùm nullum verbum, nec antecedat nec ſequatur, quod præſentis temporis non ſit, non dubium eſt, quin verbum* γενέσθαι, *ſignificationem præſentis temporis in futurum reſpicientis* habeat,

b Photinianorum antitheſis & ſententia de hoc loco.

*habeat, & non quidem fieret, sed fiat, omnino reddi debeat. Non erat autem adhuc factus Abraham (quod nomen patrem multitudinis, id est, multarum gentium significat) quia nondum ad gentes regnum Dei & Euangelium Dei translatum fuerat* &c. Hæc ille, duos similes phraseos locos ex Joh. 13. vers. 19. cap. 14: 29. pòst adducens. Videatur idem contra Bellarmin. & Wiek. cap. 7. claf. 5. pag. 429. seqq. & Schmaltz. in resp. ad par sophism. Socino à Ravensperg. objectorum, pag. 9. Summa detorsionis Socinianæ est, quod Christus hoc voluerit his verbis: *Dico vobis, antequàm Abraham fiat pater multarum gentium*, h. e. *caput omnium credentium, Judæorum & gentium (quod post ascensionem factum fuit) quod ego jam sum, videl Christus & Servator vester.*

a Responsio. a Ut de sophismate hoc, occasione ferente, aliquid moneatur, ante omnia repetendum id, quod antè fuit dictum; in phrasi, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, aoristum quidem denotare *futurum tempus*, sed non respectu Christi loquentis, verùm *respectu illius præteriti temporis*, de quo Christus loquitur, quod nimirum Abrahami existentiam antecessit: ob vim particulæ πρὶν. Socinus contrà putat, γενέσθαι denotare *futurum tempus respectu ipsius Christi* ad Judæos tùm loquentis: quod ipse sic effert, *habere significationem præsentis temporis in futurum respicientis.* Consideremus totam Photinianorum detorsionem pressius. Ad tria reduci possunt, in quibus nervus ejus consistit, 1. *Etymologiam* concernit, & verborum Græcorum, ratione temporum, dispositionem. 2. *Syntaxin* attinet, & membrorum textus inter se connexionem. 3. *Lexologiam* spectat, & ipsorum verborum significationem ac interpretationem.

b 1. An aoristi secundum anteced. & sequentia verba sint interpretanda. b DE PRIMO. Socinus ita colligit: *Cum nullum verbum nec antecedat, nec sequatur, quod præsentis temporis non sit, non dubium est, quin verbum γενέσθαι significationem præsentis temporis in futurum respicientis habeat.* Collectionis hujus fundamentum non potest esse aliud, quam hoc: *Aoristi semper secundum præcedentia & sequentia verba sunt (ratione temporis) interpretanda.* Sed hæc hypothesis falsa est. 1. Ex illo ipso à Socino adducto exemplo per enstasin hoc patet; Joh. 14. vers. 29. καὶ νῦν εἴρηκα ὑμῖν πρὶν γενέσθαι. Hìc antecedit verbum præteriti temporis, εἴρηκα, & tamen γενέσθαι futurum tempus respicit, seu ut Socinus loquitur, *significationem præsentis in futurum respicientis habet.* Adhibe regulam Socinianam, & sequetur, non futuri vel præsentis, *sed præteriti* temporis significationem τὸ γενέσθαι hìc habere, quod & falsum est, ob contextum συνάφειαν; & ipsis adversariis adversum, qui ut locum parallelum hoc adducunt. 2. Non ex habitudine præcedentis & sequentis verbi, sed ex consideratione contextus & circumstantiarum, de aoristorum & aliorum temporum significatione judicandum est. Quid enim (ut ad locum hunc controversum deveniamus) ad significationem τοῦ γενέσθαι dignoscendam facere posset antecedens verbum, λέγω, *dico?* cum id sermonis tantum τὸ ὅτι exprimat, *quod Christus fuerit locutus:* τὸ τὶ autem καὶ διότι, *quia locutus fuerit*, & quomodo illud intelligendum, ex ipsorum verborum prolatorum tenore dijudicandum sit. E. G. Matth. 13: 17. habentur eadem Christi verba: *Amen dico vobis;* & tamen, quod dicit Christus, præteriti temporis est; *Multi prophetæ & justi cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt.* Joh. 16: 20. itidem ait, *Amen, amen dico vobis;* & tamen, quod dicit, futuri temporis est: *plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quæ autem aoristorum ab aliis temporibus posset hìc dari diversitatis ratio? Hæc de verbo, quod aoristum antecedit. Sed dices: *sequens verbum εἰμὶ præsens est, cujus significationem sequitur τὸ γενέσθαι.* Resp. Ipse Socinus verba, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, non pendere dicit à verbo εἰμὶ, *sum*, quod sequitur, uti in membro secundo dicetur: ecqui igitur dici ab eo potest, quod ejus significationem necessariò imitetur? Et, si antecedentis verbi significationem aoristum habere, necessum non est, uti dictum; quæ necessitas est, ut habeat significationem sequentis? cum par sit utrobique ratio. Denique si γενέσθαι significatum τοῦ εἰμὶ sequi dicendum, erit explicandum propriè in præsenti tempore: jam verò significatio ejus verè *futuri* temporis est, ut ex re ipsa patet, etsi Socino aliter loqui placeat, de *præsenti in futurum respiciente.* Respicere in futurum, loquentis ipsius est, sed verbum γενέσθαι futurum manet. 3. Quæ hactenus dicta sunt, *majorem* propositionem collectionis Photinianæ concernunt. Videndum autem simul, an *minor* seu subsumtio se ritè habeat. Dicit Socinus, *in textu hoc nostro, nullum verbum nec antecedere, nec sequi, quod præsentis temporis non sit.* Falsum hoc: præcedit v. 57. εἶπον *dixerunt Judæi ad eum, quinquaginta annos nondum habes & Abraham* ἑώρακας *vidisti.* vers. 58. εἶπεν *dixit eis Jesus.* Hæc verba antecedunt, & tamen præsentis temporis non sunt. Sic sequuntur etiam præterita vers. 59. Si dicat Socinus, de *proxime antecedente* verbo se loqui: Responsio facilis est & plana, aoristum γενέσθαι (si ad verbi alicujus præcedentis significationem

ficationem esset necessariò respiciendum) potius sequi significatum *remotius antecedentis verbi* ἑώρακας (contra illud enim & contra Judæorum sermonem Christi verba directa sunt) quàm *proximè antecedentis verbi*, λέγω, quod, uti dictum, nil nisi loquelæ Christi τὸ ὅτι effert, & ad sensum τοῦ τὶ καὶ διότι nihil omninò confert &c.

a DE SECUNDO. Dicit autem Socinus, *verba illa πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, non pertinere ad sermonis Christi materiale sed pendere ex ipsò verbo λέγω, & determinare præsens locutionis Christi tempus*, q. d. *jam antequam Abraham fiat, dico vobis.* Ita Socin. d. l. contra Bell. & Wiek. Resp. Petitur principium, & committitur fallacia compositionis & divisionis. Omninò enim ea verba, cum illis, ἐγώ εἰμι, cohærent, & *quid dixerit Christus*, exprimunt. Quod probatur 1. *ex Christi loquentis scopo*, de quo suprà. 2. *Ex phrasi Christi* βεβαιωτικῇ; *Amen amen dico vobis*, quæ semper ita usurpatur, ut immediatè sequatur id, quod sermone illo profertur & asseveratur. Alia autem ratio est cap. 13: 19. c. 14: 29. ubi non tota phrasis, *Amen amen dico vobis;* sed nudum verbum, *dico*, *dixi*, extat.

b DE TERTIO. Verborum Christi significatio, & ipsius loci interpretatio consideranda 1. μερικῶς *respectu phraseos*, Ἀβραὰμ γενέσθαι, *Abrahamum esse*, 2. ὁλικῶς, *respectu totius propositionis Christi.*

1. Socinus statuit, Ἀβραὰμ γενέσθαι, idem esse, ac *Abrahamum fieri patrem multarum gentium, in futura scil. gentium ad regnum Christi conversione.* Sed hæc explicatio inepta & contorta est. Nec *in nomine Abrahami*, nec *in verbo* γενέσθαι hæc significationis emphasis inveniri potest: Ergò nulla est. (1.) *Non in nomine Abrahami* (uti Socinus existimat) quia non significatum nominis formale, sed ipsum nomen, prout solius ejus hominis & patriarchæ proprium est, à Christo attenditur. Vel clarius: consideratur Abraham ratione personæ, non ratione adjuncti illius & θεοσδότȣ prærogativæ (nomine ipso proprio expressæ) *quod est multarum gentium.* Patet hoc ex antecedentibus: Quä ratione Abrahami nomen accipitur à Christo in vers. 56. *Abraham pater vester exultavit* &c. & à Judæis, ℣s. 57. *quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti:* itemque in præcedentibus vers. 33, 39, 40, 52, 53. ea ratione etiam accipitur in his Christi verbis vers. 58. ob εἱρμὸν ἀκολȣθίας certum. Sed in antecedentibus semper accipitur *materialiter*, ut personam Abrahami exprimit; non *formaliter*, ut prærogativam ejus in paternitate multarum gentium positam denotat. Ergo & in v. 58. ita usurpatur. c Excipit Socinus d. l. *Christum acutè & eleganter detorsisse nomen Abraham, ab ipso homine, cui à Deo id fuerat impositum, ad rem, quam ipsum nomen significat, & propter quam homo ille ita nominatus fuerat.* Sed hoc merum commentum est, quod nec ex hujus loci scopo textusque cohærentiâ, neque ex collatione aliorum Scripturæ S. locorum probari potest. (2.) *Nec in verbo* γενέσθαι *periphrasis illa significationis adducta latet.* Quia verbum hoc exprimit EST *secundi adjecti*, non EST *tertii adjecti*, ut loquuntur; h. e. de existentia Abrahami loquitur, non de quodam ejus statu & conditione: Dicit, *Abrahamum existere*, non verò *esse patrem multarum gentium.* Si verò Scriptura statum hunc & conditionem Abrahami exprimere vult, tum per EST *tertii adjecti* id facit, & prædicatum illud expressè addit, uti ex Genes. 17: 5. Rom. 4: 11, 16, 17. patet, & præsertim v. 18. εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸν πατέρα πολλῶν ἐθνῶν, ubi idem verbum extat, quod Joh. 8. vers. 58. habetur.

a 2. De connexione verborum textus.

2. Socinus statuit, sensum verborum Christi esse hunc: *Quod Christus voluerit his verbis graviter monere Judæos illos, ut crederent, se esse Christum & Servatorem ipsorum, antequam illud existeret, quod prædictum fuerat, Abraham vid. fore patrem multarum gentium, id est, ad gentes quoque prædicationem & patefactionem verbi & voluntatis divinæ perventuram, & multos fideles ex ipsis exstituros: alioqain, nisi credant, eos à regno Dei exclusum iri &c.* quæ sunt verba Socini contra B. & W. d. l. p. 430. Sed ô quot alembicis opus fuerit ad hanc sententiam ex textu verborum Christi plano & perspicuo eliciendam? Certè neque κατὰ λέξιν, neque κατὰ διάνοιαν in illo extat. Et si scripturam ita ςρεβλοῦν volupe est, quis in illâ textus nativam suam integritatem & perspicuitatem retinebit? Notemus paucula. 1. *Est secundi adjecti* (*Ego sum*) iterum convertitur in *Est tertii adjecti* (*Ego sum Christus & servator vester*) quod ab hoc loco alienum, in quo de existentia Christi disseritur. Usurpat Christus singulari emphasi verbum præsens εἰμὶ *sum*, *antequam Abraham esset* (cum potuisset dicere ἦν vel ἤμην *eram*) ut divinæ suæ essentiæ immutabilitatem demonstret, & se ostendat illum, qui Exod. 3: 14. dicit: *Sum qui sum.* Quâ de re pulchra sunt verba Theophylacti in hunc textum: ὅρα, οὐκ εἶπε, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἤμην, ἀλλ' εἰμί. αὕτη γὰρ ἡ λέξις, τὸ εἰμί, ἐπὶ θεοῦ κυριωτέρα, ἅτε τοῦ διηνεκῶς εἶναι καὶ ἀεὶ, σημαντική &c. ἐπὶ δὲ τοῦ Ἀβραὰμ εἶπε τὸ γενέσθαι εἰκότως ὡς φθαρτοῦ, τὸ γὰρ γεγονὸς, καὶ φθείρεται. τὸ δὲ, εἰμὶ, πάσης φθορᾶς ἀμεθεξίαν δὲ

b 3. De vero sententiæ & verborum intellectu.

c Exceptio.

δὲ ἀιδιότητα θείαν ἐμφαίνει. Hanc simplicissimam verbi, *Sum*, significationem deserens & obfuscans Socinus, prædicatum ei addit, ab hoc loco, uti dictum, alienissimum, quod *sit Christus & Servator Judæorum*. Nec quicquam probant loca scripturæ, quæ ut parallela Socinus adducit, Joh. 8: 24, 28. cap. 13: 19. In his enim non de ætate & existentiâ, sed *persona & officio Christi* sermo est, uti contextus ostendit: nec *comparatè*, de Christo ratione ætatis & existentiæ cum alio homine collato (ut Joh. 8: 58.) sed *absolute* de Christo solo ibidem agitur. Pro textibus igitur parallelis huic nostro, neutiquam haberi possunt. 2. Christi nuda ac simplex assertio, *de suâ ante Abrahamum existentiâ*, convertitur in sermonem cohortatorium, adjectione τοῦ *Credite;* & comminatorium, *quod Euangelium sit ab illis auferendum, & ad gentes transferendum;* quorum neutrum in textu vel ῥητῶς vel διανοίᾳ continetur. 3. Asseritur, *Abrahamum à tempore ascensionis Christi demum factum fuisse patrem fidelium:* quod falsum est. Nam à tempore mutati nominis Genes. 17. fuit pater spiritualis omnium credentium, tam Judæorum, quam gentium & proselytorum. Rom. 4: 11. *Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ fuerat in præputio, ut esset*, (nimirum statim ab ipsâ circumcisione, & post continuè) *pater omnium credentium per præputium, &c.* Non tamen negatur, magnam huic paternitati Abrahæ spirituali factam fuisse, in conversione gentium, tempore Apostolicæ prædicationis, accessionem.

Sed sufficiant hæc de necessaria dicti Christi Joh. 8: 58. vindicatione: ex qua patet, quàm frustrà sibi in sua detorsione adversarii veritatis cœlestis placeant, & quàm vana ac futilia sint verba Fausti Socini in disp. de unig. Filii Dei exist. adv. Erasm. Johan. An. 1595. edita, arg. 4. p. 67. *Sperabam* (inquit) *te fassurum, nullam in vitâ tuâ scripturæ interpretationem te audivisse, quæ hac sit aut acutior, aut verior, quæve magis divinum quid sapere, & à Deo ipso patefactam fuisse, præ se ferat. Ego quidem certè non leves conjecturas habeo, illum, qui primus ætate nostra eam in lucem protulit* (*hic autem is fuit, qui primus quoque sententiam de Christi origine, quam ego constanter defendo, hac ætate renovavit*) *precibus multis ab ipso Christo illam impetrâsse. Hoc profectò affirmare ausim, cum Deus illi viro permulta alia prorsus tunc temporis incognita patefecerit, vix quicquam inter illa omnia esse, quod interpretatione hac divinius videri queat &c.* Quis autem hic sit, ex Schmalzii apparet verbis, in resp. ad par sophism. p. 5. ubi postulat, *ut omnes unà secum Deo agant gratias, pro viro isto, Domino Lælio Socino, cui Deus nostro hoc seculo primò eam expositionem revelaverit &c.* Nos vero potius Deo gratias ex intimo corde persolvimus, quod, contra Diabolicas istiusmodi scripturæ divinæ depravationes, in veritate suâ, ductu spiritus sui sanctissimi, nos conservat. Verbum ejus veritas est. Amen.

## Canon XLVIII.

*Verbum præsentis temporis, quandoque pro præterito, quandoque pro futuro, vel paulò pòst futuro, ponitur.*

### 1. Præsens pro *præterito*.

Exempla Vet. Test. videantur tract. 4. de participio can. 5. Hebræi enim solum præsens participium habent.

In Nov. Test. Hebr. 2: 16. *Non enim sanè angelos* ἐπιλαμβάνεται *assumit, sed semen Abrahæ assumit*, hoc est, assumsit: quod v. 14. per μετέσχε expositum. Castellio, quia non in præterito scriptum est, ἐπελάβετο *assumsit*, convertit verbum Græcum per *opitulari:* sed inscitè & sine exemplo.

Sic creberrimè præsens pro *præterito perfecto vel imperfecto* ponitur in historicis narrationibus.

Matth. 2: 13. *Qui cum recessissent, ecce Angelus Domini* φαίνεται *apparet in somnis Joseph &c.* h. e. apparuit.

Marc. 2: 4. *Et patefacientes* χαλῶσι *demittunt* (funibus) *grabbatum, in quo paralyticus jacebat*, h. e. demiserunt. Sic cap. 3: 19, 20, 31. cap. 16: 2. &c. In profanis historicis frequentissima hæc enallage est.

### 2. Præsens *pro futuro*.

Exempla V. T. videantur itidem tract. 4. can. 6.

In N. T. Matth. 2: 4. *Sciscitabatur ab eis*, ποῦ ὁ χριστὸς γεννᾶται, *ubi Christus nascitur?* h. est, γεννηθήσεται, vel μέλλει γεννᾶσθαι nasciturus esset. Loquitur enim Herodes non tanquam de re præsenti, sed ut de re incertâ & futurâ. Nam etsi jam id contigisse ipse ex Magis intellexerat; tamen hoc totum consilium suum Judæos celavit: unde clanculum Magis collocutum fuisse vers. 7. dicitur. Ita Casaub. in notis. Potest etiam dici, futurum ad oracula

cula prophetica respicere, de quibus Herodes percontabatur, ut ex v. 5, 6. patet.

Matth. 5: 46. *Quam mercedem ἔχετε habetis?* h. e. habebitis.

Matth. 17: 11. *Elias quidem ἔρχεται, venit, & restituet omnia*, h. e. ἐλεύσεται, veniet seu venturus est. Non enim respectu ipsius rei gestæ hoc dicitur, sic enim jam venerat, sed respectu prophetiæ V. T. perinde ut Matth. 2. vers. 4.

Matth. 26. vers. 29. *Non bibam à modo de hoc fructu vitis, usque in diem illum, quando illud πίνω bibo vobiscum novum in regno patris mei*, h. est, bibam seu bibiturus sum. Sensus est: convivium hoc erit ultimum, neque conversaturus amplius vobiscum sum in hoc seculo, more solito: sed in cœlis demum κοινωνία erit gaudii & felicitatis plenissima, ubi *super mensa mea manducaturi estis & bibituri*, Luc. 22. vers. 30. hoc est, perpetuis deliciis æternum fruituri. Καινὸν, *novum vinum*, pro spirituali & cœlesti: sicut *cælum novum & terra nova, Jerusalem nova*, Apocalyps. 21: 1, 2. *& nomen novum*, cap. 2: 17. cap. 3: 12. *Ecce facio omnia nova &c.* cap. 21: 5. in vitâ scil. æternâ.

Luc. 13: 32. *Ecce ejicio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertiâ die τελειοῦμαι, consummor*, h. est, consummabor. Syr. מֶשְׁתַּמְלֵא *compleor*, h. e. occidor: mors enim fuit extrema pars sanctissimi Christi officii, in carne pro peccatis peragendi.

Alia exempla sunt Matth. 11. vers. 3. Joh. 7: 27, 33. cap. 10: 17, 18. cap. 16: 16. Actor. 1: 6. 1 Cor. 15: 35. cap. 16: 5. Apocal. 11. vers. 5. &c.

In profanis. Eurip. in Hecub. ποίαν ἢ ταύταν ἢ κείναν, στείχω; *quò an hâc, an illâ eo*, h. e. στείξω, ibo. Aristoph. in Pluto: εἶμι δὲ ποῖ γῆς, *quo verò terrarum eo*, h. e. ibo.

## 3. Præsens pro *paulo pòst futuro*.

Exempla Hebræa itidem in partic. sequentur.

In N. Test. Christus *paulò ante passionem suam*, hac loquendi ratione crebrè utitur.

Matth. 26. vers. 24. *Filius quidem hominis ὑπάγει, vadit, sicut scriptum est de illo: Væ autem homini illi, per quem filius hominis παραδίδοται, traditur*, hoc est, mox vadet, tradetur. Sic vers. 45. Marc. 14. vers. 41. Luc. 22. vers. 21, 22, 37. Johan. 13. vers. 3, 11, 27, 33. cap. 14. vers. 3, 18, 19. cap. 17, 11.

Sic in verbis cœnæ, Luc. 22: 18. *Hoc est corpus meum*, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, *quod pro vobis datur*, h. e. dabitur v. 20. *Hoc poculum est novum Testamentum in sanguine meo*, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, *qui pro vobis effunditur*, h. e. effundetur. Sic Matth. 26: 28. Marc. 14: 24. 1 Cor. 11: 24. Pontificii ex verbis his præsentis temporis, missaticum suum sacrificium educere conantur: *Christus in institutione cœnæ verba, quæ extra controversiam de sacrificio loquuntur, ponit non in futuro tempore, tradetur, effundetur: sed in præsenti, pro vobis traditur & effunditur. Ergò Christus non tantum in cruce, verùm etiam in cœnâ Dominicâ sacrificavit corpus & sanguinem suum &c.* Sed ex præsentis temporibus verbis hoc nunquam elici poterit, ob dictam enallages rationem. Confer viros in Ecclesiâ DEI clarissimos, & de eâ meritissimos, D. Chemnitium in exam. Decr. C. T. part. 2. de missâ p. 338. & D. Gerhard. harm. Euang. part. 3. c. 171. pag. 1534. seqq.

Sic *post resurrectionem*. Luc. 24. vers. 49. *Et ecce ego ἀποστέλλω mitto promissum patris mei &c.* h. e. mox missurus sum. Sic Joh. 20: 17.

Sic *Paulus* de suâ morte mox instante loquitur, 2 Tim. 4: 6. *Ego enim σπένδομαι immolor, & tempus resolutionis meæ instat*, h. e: mox immolabor &c.

# Canon XLIX.

*Verbum futuri temporis quandoque pro præterito, quandoque pro præsenti tempore; quandoque etiam pro imperativo accipitur.*

## 1. Futurum pro *præterito*.

ID fit duplici ratione. 1. *In verbis futuri temporis cum* ו *conversivo*, ut lib. 4. tract. 1. observ. 7. dicetur. Vel etiam *cum alia particula*. Notat enim R. Aben Ezra de particula אָז *tunc*: מִשְׁפַּט לְשׁוֹן הַקֹּדֶשׁ לֵאמוֹר לְשׁוֹן עָתִיד תַּחַת עָבָר עִם מִלַּת אָז וְכָכָה בִּלְשׁוֹן יִשְׁמָעֵאל: h. e. *mos est linguæ sanctæ efferre tempus futurum pro præterito cum dictione* אָז, *quomodo & in lingua Ismaelitica* (Arabica) *fit*. Locus cui dicta observatio adscripta habetur, est Exod. 15: 1. אָז יָשִׁיר *tum cecinit Moses*. Ubi verbum futurum est.

2. *Simpliciter sine vau conversivo*. Augustino in Comment. Psal. 104. (Lat. 103.) tom. 8. col. 1187. paradoxum hoc ferè videtur: *Animadvertimus* (inquit) *sæpè Prophetas præterito*

*rito tempore verborum dicere, quæ ventura sunt: In figura autem futuri dicere præterita, non facilè occurrit legenti. Non audeo dicere non est, sed certè studiosis earum literarum indixerim, quid quærant. Si invenerint, & ad nos attulerint, gratulabimur adolescentium studiis otiosorum occupati senes, & ex eorum ministerio & nos aliquid discimus.* Sed ex ignorantia Hebraismi hoc profluxit. Exempla enallages hujus sunt.

Exod. 15: 5. *Abyssi* יְכַסְיֻמוּ *operient eos*, h. e. operuerunt. Est autem hoc verbum, futurum Piel, in quo pro ultima radicali ה est י. & dages characteristicum ex secunda radicali exclusum: Kibbutz autem pro Schurec est, & affixum מוּ pro מוֹ *illos*. Radix כָּסָה *obtexit, operuit*.

Num. 23: 13. *Et dixit ad eum Balac, veni quæso mecum ad locum alterum, ex quo videas*
a Not. de futuro conjunctivi. *eum: Tantùm extremum ejus* תִרְאֶה *videbis & totum ipsum non videbis*, h. e. vidisti: non vidisti. Ita accipiendum esse, collatio vers. 4. & 18. ostendit. Sunt tamen, qui in futuro exponunt.

Jud. 2: 1. אַעֲלֶה *faciam ascendere vos ex Ægypto*, וָאָבִיא *& introduxi vos in hanc terram &c.* h. e. feci ascendere seu eduxi. Alterum verbum futurum est, sed cum ו conversivo, unde significatio ejus, ut præteriti.

Jud. 5: 8. יִבְחַר *eliget Deos novos*, h. e. elegit seu elegerat. Exponit enim Debora caussam afflictionum, in quas populus inciderat, nempe idololatriam. Confer cap. 2: 10. cap. 4: 1.

2 Sam. 12:31. *Et populum, qui erat in urbe, eduxit &c.* וְכֵן יַעֲשֶׂה *& sic faciet omnibus civitatibus Ammonitarum*, h. e. fecit.

2 Sam. 3: 33. *An secundùm mortem stulti* יָמוּת *morietur Abner*, h. e. mortuus est.

Job. 4: 15, 16. Aliquot futuri temporis verba pro præteritis ponuntur, cum v. 14. præteritum præcesserit.

Sic Esa. 41: 2, 3. de vocatione Abrahami & victoria ipsi contra hostes à Deo olim concessa, futuri temporis verbis propheta utitur; præmisso unico verbo præteriti temporis הֵעִיר *excitavit*, cujus naturam cætera induunt.

## 2. Futurum pro *præsenti*.

Id fieri dicunt in generalibus sententiis, cum significatur, non quod fuit aut futurum est, sed quod perpetuò esse aut fieri debet. Sed & sine hoc respectu communiter futurum pro præsenti sumitur.

Gen. 2: 10. *Et fluvius exit de Eden, ad irrigandum hortum & inde* יִפָּרֵד *dividetur*, seu *dividet se, ut sit in quatuor capita*, h. e. dividitur seu dividit se.

Num. 18: 7. **Ministerio doni* אֶתֵּן *dabo sacerdotium vestrum*, h. e. do, seu dono.

Job. 3: 19. *Quare* יִתֵּן *dabit ærumnoso lucem?* h. e. dat, scilic. DEUS.

Psal. 1: 2. *Et in lege ejus* יֶהְגֶּה *meditabitur die ac nocte*, h. e. meditatur. Sic Psal. 3: 7. Psal. 22: 3. Psal. 25: 1. Psal. 31: 6. Hos. 1: 2. &c.

In N. T. Luc. 23: 46. *Pater, in manus tuas* παραθήσομαι, *deponam Spiritum meum*, h. e. παρατίθημι, depono, ut in vetustis quibusdam codicibus scribi, testantur Beza & Casaubonus.

Rom. 3: 30. *Unus DEUS est, qui* δικαιώσει *justificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*, h. e. justificat.

a Monent quidam Grammatici, *cum conjunctivus Græcorum careat futuris; in N. T. tamen occurrere quædam futura conjunctivi, & exponi verbo præsenti.*

Matth. 5: 25. *Et in carcerem* βληθήσῃ *conjiciaris*, βληθήσωμαι, βληθήσῃ, βληθήσηται, fut. conjunct. à βάλλομαι *conjicior*.

Eph. 6: 3. *Ut bene tibi sit, &* ἔσῃ *sis longævus super terram*, ἔσωμαι, ἔσῃ, ἔσηται, fut. conjunct. ab εἰμὶ *sum*.

1 Petr. 3: 1. *Ut si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo* κερδηθήσωνται *lucrifiant*. κερδηθήσωμαι, ῃ, ηται: fut. conj. à κερδαίνω vel κερδάω *lucror*.

Etsi vero hæc in Latino per præsens exponuntur, tamen significatione & sensu futura manent, uti res ipsa ostendit.

## 3. Futurum pro *imperativo*.

Id ex Decalogi præceptis, & in genere ex omnibus DEI verbis mandatoriis in scriptura sacra conspicitur, ut exempla multa cumulare opus non sit. R. Elias Levita in lib. Habbachur notat: *Præcepta negativa nunquam veniunt, nisi in forma futuri*, ut, לֹא תִרְצַח, לֹא תִנְאָף, לֹא תִגְנוֹב, *non occides, non mœchaberis, non furaberis*, Exod. 20: 13, 14, 15. &c. *Nec poteris dicere*, לֹא־רְצַח, לֹא־נְאָף, לֹא־גְנֹב, *non occide, non mœchare, non furare. Quia nunquam venit imperativus post unam harum dictionum*, אַל, לֹא, פֶּן, כִּי, אִם, אֲשֶׁר, אַף, לְמַעַן, בַּעֲבוּר, Hæc ille. Potest dici, futuris his modum illum potentialem exprimi, cum *facere* pro *debere facere* exponendum est, suprà can. 6. *Non occides, non mœchaberis, non furaberis &c.* h. e. non debes occidere, mœchari, furari &c.

Hæc

Huc pertinent verba *exhortatoria*, quæ Latinis in Imperativo efferuntur. Genes. 33: 10. *Si inveni gratiam in oculis tuis*, וְלָקַחְתָּ *tùm accipies munus ex manu meâ*. Hic præteritum est, sed significationem futuri habet, ob Vau conversivum: ponitur autem pro imperativo, ut ex v. seq. patet, ubi קַח *accipe*, ponitur.

Jud. 5: 21. תִּדְרְכִי *conculcabis*, *anima mea*, *robur*, h. e. conculca. Προσφώνησις ad propriam animam. *Proculca robur*, h. e. quicquid validum fuit: sive hostes ipsos, robori suo præfidentes, at nunc devictos & prostratos.

Psalm. 5: 12. וְיִשְׂמְחוּ *& lætabuntur omnes sperantes in te; in seculum* יְרַנֵּנוּ *canent*, *& proteges eos;* וְיַעְלְצוּ *& exultabunt in te amantes nominis tui*. hoc est, lætantor, seu lætentur, canant, exultent, &c.

Pertinent huc etiam verba *precatoria*, cum in modo imperativo licentia & permissio alicujus rei petitur, quod in futuri prima persona ab Hebræis effertur. Vide supra can. 11. in fine.

## *Continuatio.*

HActenus enallage verbi ratione temporum: sequitur ea, quæ ratione *personarum est*. *Tres eæ sunt*, juxta Eliam Levitam in lib. Habbachur: נֹכַח *præsens*, נִסְתָּר *absens*, & מְדַבֵּר בַּעֲדוֹ *loquens pro seipsâ*. *Præsens* secunda persona est, quia ad præsentem vel quasi præsentem eâ fit sermo: *Absens* est tertia, quia hâc de re, tanquam de absente, sermo instituitur: *Loquens pro se ipsa* est prima. Sequemur nos usitatum personarum, *primæ*, *secundæ & tertiæ*, ordinem.

## Canon L.

*Personæ verborum Hebræorum inter se non rarò commutantur.*

### 1. Personæ *primæ* verbum quandoque pro *tertiæ* personæ verbo ponitur.

IN *simplicibus verbis* rariora sunt exempla. Rom. 10. vers. 18. ἀλλὰ λέγω, *sed dico*, *an non audierunt?* h. e. dicat quis. Sic vers. 19. Formatur enim objectio ex alterius sensu.

Sed *in conjuncto sermone* crebrior hæc est enallage. *Hic Hebraismus* (verba sunt Flacii part. 2. clav. script. tract. 3. col. 267.) *plurimum facit ad expositionem Ecclesiastis; ubi sæpe in prima persona dicuntur aliqua absurdæ sententiæ, ut cum dicit, se censuisse optimum esse lætari ac epulari, & esse eandem sortem hominum ac jumentorum, piorum & impiorum. Dicuntur igitur illa & similia, aut ex persona aliena, aut tantùm opinativè, non pronunciativè seu assertivè: ut solent aliquando homines suas stultas opiniones recitare, non ut eas tueantur; sed potius, ut errorem suum confiteantur ac damnent.* Hæc ille. Eccles. 3: 18. habetur: *Dixi ego in corde meo* עַל־דִּבְרַת בְּנֵי אָדָם *secundùm ductum seu rationem hominis*, h. e. secundum rationem humanam. Ex quâ phrasi constat, ea, quæ sequuntur, & alia in hoc libro μιμητικὰ esse, & loquentem induci hominem mundo addictum, animæ immortalitatem negantem, & omnia ex externis eventis judicantem. Vide cap. 9, 7. (al. 9.) seqq. uti & antecedentia verba: & confer Junii & Trem. notas. Difficillima certè hujus libri interpretatio, *tùm* ob concisam in Hebræo textu dictionem; *tùm* ob rerum ipsarum varietatem, quas tractat; *tùm* etiam ob intermixtas sæpe Epicuræorum μιμήσεις, quæ accuratè sunt discernendæ.

Locus Rom. 7: 14. seqq. ab aliquibus huc refertur, ac si in illo Paulus in prima persona loquens, *in persona hominis irregeniti* loqueretur. Socinus in explic. cap. 7. Rom. Arminius in peculiari dissert. itemque novi Stifelistæ, & alii, hujus sententiæ sunt, licet diversâ ratione. Satisfactum his abundè à nostris Theologis, & de seipso Paulum loqui demonstratum est. Vid. D. Lutherum tom. 2. Lat. Jen. fol. 312. D. Meisn. in lib. contra Socin. pag. 123. & in ἀνθρωπολογ. sacrâ, disp. 8. quæst. 1.

## *Nota.*

Ad *personæ primæ* enallagen & ille loquendi modus pertinet, *cum loquens iis se admiscet*, *ad quos vel de quibus loquitur*: atque sic in prima persona verba format, cum in secunda vel tertia persona formari debuisse videatur. Id ἀνακοίνωσιν seu κοινοποιΐαν aliqui vocant, h. e. communicationem. a Ἀνακοίνωσις.

Fit autem hoc dupliciter:

1. *In sermone increpatorio & exhortatorio*, idque, uti ajunt, leniendæ invidiæ causâ, dum quasi partem quandam culpæ in se recipere, ac semet quoque objurgare videtur. 1 Cor. 10. vers. 6, 8, 9. Confer vers. 7, 10. (ubi in secunda persona sermo formatur) cap. 11: 31, 32. Hebr. 2. vers. 1, 2, 3. 1 Petr. 4. vers. 3. Et in his persona *prima* pro *secunda* poni videtur.

2. *In sermone indicativo & narrativo*. 1 Thess. cap. 4: 15. *Nos viventes*, *qui residui sumus in* adven-

*adventum Domini, non præveniemus eos, qui dorminunt &c.* verſ. 16. *Et mortui in Chriſto reſurgent primùm*, verſ. 17. *deinde nos viventes, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Domino in aëre.* Cornel. à Lapide in hoc loco. *Nos, qui vivimus, id eſt, quicunque vivent, ſive ex nobis, ſive ex poſteris noſtris, quorum perſonam hîc induo & ſubeo.* Eraſmus in annotat. 1 Cor. 15. verſ. 51, 52. ubi ſimilis loquendi modus eſt:) *Se ponit Paulus inter eos, quos adventus Domini vivos deprehendet, propterea quòd Chriſtus eum diem omnibus occultum eſſe voluit. Et ex aliis locis apparet, Paulum ſemper eum diem expectari voluiſſe; licèt non neſciam, ita poſſe intelligi, ut Paulus ſub prima perſona quoſvis deſignârit, quos adventus Domini ſit reperturus. Nos qui vivimus &c. Si nunc incidat adventus Domini, quod in nobis accideret, idem accidet in illis, quicunque erunt.* Confer etiam 2 Pet. 3:9. Et adi Dn. D. Gerhard. tom. 8. loc. Theol. de reſurr. mortuor. §. 120. Flac. in clave ſcript. part. 2. col. 303.

R. Kimchi huc etiam refert *peccatorum confeſſiones à prophetis in prima perſona plurali factas*, Jer. 14:7. Thren. 3:42. Sed in publicis iſtis τιμωρίαις, à Deo immiſſis, nemo coram Deo innocens.

## 2. Perſonæ *ſecundæ* verbum quandoque pro *tertiæ* perſonæ verbo eſt.

Pſal. 22:9. גֹּל *devolve ad Dominum, liberet eum*, h. e. devolvat.

Nehem. 4. verſ. 12. *Ex omnibus locis quibus* תָּשׁוּבוּ *reverſi fueritis ad nos*, pro יָשׁוּבוּ reverſi fuerint.

Eſa. 42. verſ. 20. *Videndo multa, & non obſervas*, h. e. obſervat, uti antecedens & ſequens verbum oſtendit. Eſtque in Hebræo verbo תִשְׁמֹר ſimul enallage futuri pro præſenti.

Jerem. 29:19. *Miſi ad eos, ſervos meos, Prophetas, inde à diluculo continenter*, וְלֹא שְׁמַעְתֶּם *& non auſcultaviſtis, dictum Jehovæ:* h. e. non auſcultaverunt.

Ponitur & *ſecunda pluralis maſculini* pro *tertia pluralis fœmini*. Niſi pro anomala & peculiari perſonæ ejus forma id habeatur.

Jerem. 49:11. *Et viduæ tuæ in me* תִּבְטָחוּ *confidetis*, pro תִּבְטַחְנָה confident.

Ezech. 37:7. וַתִּקְרְבוּ עֲצָמוֹת *& appropinquaviſtis oſſa, unum ad ſuum alterum:* pro וַתִּקְרַבְנָה appropinquarunt.

Huc pertinet verbum cum affixo, Job. 19. 15. *Inquilini domus meæ, ancillæ meæ extraneum* תַּחְשְׁבֻנִי *reputant me.* Ubi affixum adjungitur verbo, ut in ſecunda plural. maſcul. habet תַּחְשְׁבוּ.

## 3. Perſonæ *tertiæ* verbum quandoque pro *prima* vel *ſecunda* perſonæ verbo eſt.

Gen. 49:4. *Stratum meum* עָלָה *aſcendit*, pro, aſcendiſti, ut Chald. reddit. Vide & infrà lib. 4. tract. 2. obſerv. 16.

Pſalm. 6:3. *Miſerere mei Domine*, quia אֻמְלַל *languet*, pro, langueo. Ita R. Moſe Sacerdos, referente AbenEzra in hoc loco. Alii pro particip. eam vocem habent, irregulariter cum patach pro Cametz punctato: *languefactus ego* (ſum.)

Eſa. 1:29. *Quia* יֵבֹשׁוּ *pudefient propter lucos, quos deſiderâſtis, & erubeſcetis propter hortos, quos elegiſtis:* pro תֵּבֹשׁוּ pudefietis.

Eſai. 54:1. *Canta ſterilis* לֹא יָלָדָה (quæ) *non parit, fragorem ede cantu, & claram ede vocem*, לֹא חָלָה (quæ) *non dolet*, h. e. paris, doles.

Thren. 3. verſ. 1. *Ego vir* רָאָה *vidit* afflictionem, hoc eſt, vidi, expertus ſum. Pagnin. *Qui vidi.*

Ezech. 9:8. וְנֵאשַׁאר *& relictus eſt*, pro נִשְׁאַרְתִּי relictus ſum. De hoc anomalo verbo vide ſuprà can. 31.

Mich. 7:18. *Quis eſt Deus fortis par tibi? condonans iniquitatem, & præteriens defectionem reliquiis poſſeſſionis ſuæ:* לֹא הֶחֱזִיק *non retinuit in æternum iram ſuam*, hoc eſt, non retines, ut præcedentia & ſequentia verba oſtendunt.

Mal. 2:15. *Et in uxorem adoleſcentiæ tuæ, ne* יִבְגֹּד *perfidè agat*, pro תִּבְגֹּד perfidè agas. Alii ſubintelligunt nominativum, *ne perfidè* Spiritus tuus *agito*.

## *Continuatio.*

TAntum de enallage perſonarum: ſequitur ea, quæ *numerum* concernit. Illaque vel *abſolutè* conſideratur, vel *reſpectu nominis additi*. *De priori* canon 51. De *poſteriori* tres ſequentes agunt.

Canon.

## Canon LI.

*Verbum plurale quandoque pro singulari usurpatur, licet rarò*

1. *In secunda persona.* Job. 18: 2. *Quousque* תְּשִׂימוּן *imponetis finem sermonibus?* (quousque) תָּבִינוּ *instruetis, ut posteà loquamur?* h.e. impones, instrues. Utitur Bildad plurali per ironiam, ad Jobum solum loquens; q.d. quandoquidem tu unus in sententia tua instar omnium nostrûm haberi vis, esto sanè: an continuò dignum est, ut silentium indicas nobis arbitratu tuo? quin & ut docendi nos auctoritatem tibi uni arroges, & loquendi formulam præscribas?

2. *In tertia persona.* Gen. 34. vers. 27. *Et spoliaverunt urbem, quia* טִמְּאוּ *polluerant sororem eorum.* Fecerat autem id solus Sichem filius Hemor, unde singulare טִמֵּא *polluerat*, vers. 5. & 13. usurpatur. Alii eâ loquendi consuetudine pluralem adhiberi dicunt, quâ factum unius, præsertim Principis, toti societati tribuitur, juxta illud: *Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.* Omnes certè unius exitio luerunt, ac si omnes rei fuissent. Vide & Joh. 7:11, 12. Quidam pluralem hunc ex idiotismo can. 23. §. 1. proposito explicant: *quia polluerant sororem eorum*, hoc est, quia polluta erat soror eorum, seu quia vitium inde fuerat oblatum sorori ipsorum.

Ezec. 46. vers. 14. *Et cùm exeunt ipsi*, יֵצֵאוּ *exibunt*, pro exibit. De solo principe hoc dicitur.

Huc referri solet Matth. 2:20. *Defuncti sunt, qui quærebant animam pueri.* Ubi de *Herode* sermo est. Conferatur etiam locus Exod. 4:19. Sed ibi nominativus pluralis expresse ponitur, כָּל־הָאֲנָשִׁים *omnes illi homines mortui sunt, qui quærebant animam tuam.* Intélligitur igitur non Rex solum, sed & alii Mosis hostes, & cumprimis vindices hominis occisi.

### Pseudocanon.

a *In prima etiam persona enallagen hanc esse;* seu, quod idem est, *singularem personam de seipsa in plurali numero loqui*, quidam ajunt. Quo canone utuntur & abutuntur Hebræorum Rabbini, in explicatione verborum Jehovæ Gen. 1. 26. נַעֲשֶׂה *faciamus hominem in imagine nostra, ad similitudinem nostram.* Ut enim de SS. Trinitate doctrinam, hac phrasi manifestò indicatam, obscurare possint, idiotismo quodam linguæ, Deum honoris causâ de se in plurali loqui, dicunt. Unde R. Bechai: *Faciamus, numero plurali dicitur, quæ consuetudo est linguæ de Regibus & honoratioribus terræ, ut loquatur unicus ex illis numero plurali, idque excellentiæ & dignitatis causâ.* Verba Hebræa habentur in D. Buxt. thes. gram. lib. 2. cap. 10. Astipulantur his Photiniani ad idem κρησφύγετον confugientes. Socinus in explicat. aliquot loc. scrip. pag. 99. *In omni fortasse lingua obtinuit, ut cùm aliquis seipsum, quantumvis solum, ad aliquid faciendum hortatur, vel se facturum decernit, si id ita efferat, ut per subjunctivum modum Græcè aut Latinè enunciari debeat, numero plurali utatur, ut apud Liv. lib. 39. Annibal venenum hausturus inquit; Liberemus diuturnâ curâ populum Romanum &c.*

Sed respond. 1. Non ex aliarum linguarum usu, sed ex ipsa scriptura sancta, de phrasi Gen. 1: 26. *Faciamus hominem in imagine nostra &c.* judicandum est. 3. Quid? quod contrarium de Latina Lingua (ratione excellentiæ seu dignitatis, quæ instar causæ adfertur) Laurentius Valla docet, Elegant. lib. 3. cap. 110. fol. 83. *Non verum est* (inquiens) *quod aliqui volunt, quotiens auctor in numero plurali loquitur, declarari dignitatem quandam, &, ut sic dicam, magisterium.* Epitome capitis ejus sic habet: *Quemvis unum pluraliter affari, nihil illi dignitatis adfert, sed potiùs imminutionem laudis de re bene gesta &c. Quia gloriosius est, quemvis unum per se, quàm cum pluribus, rem claram gessisse. Quocirca Pricipes modestiæ gratia, ne soli videantur omnia gerere, loquuntur ferè pluraliter de se; ut, nos Maximilianus Romanorum Imperator, &c.* 3. In hoc sermone Jehovæ plures colloquentes introduci, non ex plurali solùm numero patet, sed & ex plurium illorum μερισμῷ. Gen. 3. vers. 22. *Et dixit Jehova Elohim; Ecce Adam factus est* כְּאַחַד מִמֶּנּוּ *sicut unus ex nobis.* Ex tota Scripturæ sacræ (in qua dogma de SS. Trinitate fundatissimum est) analogiâ idem conspicitur. 4. Propositus canon nullius valoris est, nec ullo idoneo exemplo ex sacris literis depromto comprobari potest. Fr. Junius defens. 2. de S. Trinitate, tom. 2. oper. col. 71. *Axioma illud immotum manet, plurale Hebræis nunquam de singulari individuo in prima persona, locutione propria, prædicari.* De Deo rectè argumentatur Theodoretus q. 20. in Gen. *Si Deus propter auctoritatem ac majestatem de se loqueretur in plurali, oportuisset eum ita loqui vel semper, vel ut plurimùm, præsertim cùm legem daret in Sina.*

a An in prima persona plurali de se quis loquatur in scripturis?

b Videndum autem, cujus ponderis *exempla* sint, quæ pro canone isto stabiliendo in medium ex scripturis proferuntur, partim à *Judæis*, partim à *Photinianis.* R. Kimchi in Michlol pag. 9. & R. Bechai in Gen. 1. vers. 26. sequentia.

b Examen adductorum exemplorum à Rabbinis.

tia proferunt, de quibus notandum, quòd ab AbenEzra quædam illorum (à R Gaon allata) rejiciantur, & dextrè explicentur, in comm. Gen. 1: 26. ubi de istis sic loquitur: וְאֵלֶּה הָעֵדִים עֵדֵי שֶׁקֶר הֵם hoc est, *& hi testes*, (hæc testimonia) *testes falsi sunt*.

Gen. 29. 27. *Comple septimanam hujus*, וְנִתְּנָה *& dabimus tibi etiam istam, pro servitute &c. Ecce Laban erat unicus* (inquit Bechai) *& tamen dixit numero plurali, & dabimus tibi &c.* Respondet Aben Ezra, נִתְּנָה esse in præterito Niphal, & Vau esse conversivum, ut sit sensus: וְנִתְּנָה *& dabitur tibi etiam hæc* (si particula אֶת nota accusativi casus obstare videatur, consideretur canon 40. suprà traditus.) Quòd si activa verbi significatio magis placeat, conjunctim de parentibus & cognatis, pluralis ille explicari commodè potest, uti Gen. 24: 50, 57, 58. &c.

Num. 22: 6. *Nunc itaque veni quæso, maledic meâ causâ populo huic, quia robustior est me, fortassis prævalebo*, נַכֶּה־בּוֹ *percutiemus eum, aut expellam eum ex hac terra*, h. e. percutiam. Respondet Aben Ezra, vel intelligi Regem Balak cum suo exercitu: vel נַכֶּה esse שֵׁם הַפֹּעַל *nomen Happoal*, h. e. infinitivum, (Ita enim à R. Jehuda & R. Aben Ezra infinitivus verbi vocatur, propterea quod significet simpliciter & absolutè, h. e. sine quavis temporis differentia, sine genere, sine numero, actionem vel passionem: & sic non sit consentaneum, ut connumeretur inter verba, quæ significant cum aliqua temporis differentia, sed inter nomina, quanquam hoc nomen in medio verborum locatur, ut ostendatur esse verborum vena: quæ Pagnini verba sunt, instit. Hebr. lib. 2: c, 6.) sensu eo: *forsan* אוּכַל נַכֶּה־בּוֹ *potero percutere* eum. Quæ sententia optima est. Intelligitur autem infinitivus in Piel, à נכה inusitato, in Piel נִכָּה. Infinitivus נַכֵּה & ob lin. maccaph נַכֶּה

a A Photinianis.

2. Sam. 16: 20. *Et dixit Absalom ad Achitophelem: Date vobis* (per pleonasmum, tract. 2. can. 6.) *consilium, quid* נַעֲשֶׂה *faciemus*, seu *facturi simus?* Ita Kimchi d. l. Respond. Uti *secundæ* personæ verbo Achitophelem cum reliquis consiliariis bellicis, quorum Antecessor is erat, Absalom intelligit: sic *prima* personæ verbo plurali, duces bellicos sibi conjungit.

Job. 18: 2. *Instruite & posteà loquemur*, v. 3. *quare reputamur ut jumentum? quare sordemus in oculis vestris?* h. e., an me jumentum aut bestiam esse putas, ut nesciam quid eloqui debeam? an tantoperè sordeo in oculis tuis? Resp. loquitur Bildad de se & sociis: q. d. an dignum est, nos à te toties proscindi, ac non majoris fieri, quàm bestiæ rationis expertes, & cum rebus abjectissimis comparari cap. 12: 7. c. 17, 3, 9.

Cant. 1: 4. *Trahe me post te*, נָרוּצָה *curremus*, hoc est, curram ego, sponsa Regia. Ibid. נָגִילָה וְנִשְׂמְחָה בָּךְ *exultabimus & lætabimur de te*, נַזְכִּירָה *commemorabimus amores tuos*, h. e. exultabo ego Sponsa, quæ mox numero singulari loquitur, *nigra sum &c.* R. Kimchi. Respond. Sponsa, quæ Ecclesia est, de se & puellis suis, h. e. omnibus fidelibus pluralem numerum usurpat. Sponsa enim Regia non est sola, sed habet comitatum. Confer. cap. 2: 2. cap. 3: 11. &c. Junius d. l. *Hæc dicuntur quidem à piis singulis, sed tanquam in uno atque ab uno corpore sylleptice, quod corpus est Ecclesiæ Dei.*

Dan. 2: 36. *Hoc est somnium illud, jam interpretationem* נֵאמַר *dicemus coram Rege.* R. Bechai & Kimchi. Respondet verò AbenEzra וְאֵיךְ יְדַבֵּר דָּנִיֵּאל בִּלְשׁוֹן גְּדוּלָה עִם נְבוּכַדְנֶצַּר שֶׁהָיָה מֶלֶךְ מְלָכִים: h. e. *Et quomodo loqueretur Daniel linguâ magnificentiæ* (phrasi magnificentiam exprimente) *coram Nebucadnezare, qui fuit Rex Regum?* In plurali autem loquitur, quia & sibi & sociis interpretationem illam attribuit, qui & conjunctis precibus suis, unâ cum Ecclesia, à Deo illam obtinuerant, vers. 17, 18, 23.

a Præter exempla à Rabbinis posita, afferuntur quædam alia à Schmalzio Photiniano, contra D. Schopperum.

1 Reg. 12. vers. 9. *Dixitque ad eos Rehabeam: Quid vos consulitis*, וְנָשִׁיב *ut respondeamus aliquid populo huic?* Loquitur Rehabeam Rex de seipso in plurali. Sic 2 Paral. 10: 9. Item 1 Reg. 22: 3. Rex Israelis Achab de se sic loquitur: *Novistisne nostras esse Ramothas Gileadis? & nos quiescimus à recipiendis illis è manu Regis Syriæ?* Resp. In *priori* loco, uti totum Consiliariorum novellorum collegium plurali numero alloquitur Rehabeam Rex: Ita pluralis numeri prima persona, seipsum iisdem suis consiliariis & proceribus adjungit: per eos enim responsum populo, post factam consultationem, daturus erat. *Posterioris* loci eadem ratio, unde præcedit: *Dixerat vero Rex Israelis ad servos suos*, hoc est, ad proceres Regni sui & consiliarios aulicos seu bellicos, quorum operâ & consiliô cùm decreta fieri & executioni dari soleant, in plurali eos sibi adjungit.

Marc. 4: 30. *Et dicebat, cui assimilabimus regnum Dei: aut cui parabolæ comparabimus illud?* Christus de se loquitur. Respond. Itane vero in plurali, honoris & excellentiæ causâ, de se loqueretur is, qui ubique & sermone & vita atque conservatione suâ, se extremè demittit,

mittit, & *discite à me*, inquit, *quia mitis sum & humilis corde?* Matth. 11. vers. 29. Inest dictæ loquelæ in plurali formatæ παροιμιῶδες quippiam, & quædam προσφώνησις ad auditores; q. d. cui quæso rei, auditores, assimilabimus regnum Dei?

Johan. 3: 11. *Amen dico vobis, quia quod scimus, loquimur, & quod vidimus, testamur, & testimonium nostrum non accipitis.* De seipso Christus in plurali loquitur, ut ex vers. 12. apparet: *Si terrena dixi vobis &c.* Resp. Hoc ipso loco SS. Trinitatis mysterium Christus insinuat, & se loquente & testante, simul loqui & testari Patrem cum Spiritu sancto innuit. *Tres enim sunt, qui testimonium dant in cælo: Pater, & Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*, 1 Joh. 5. v. 7. Confer Joh. 8: 16, 17, 18. Luc. 4: 18. Hebr. 1: 1. &c. Et ejusdem est tenoris hæc Christi sententia cum altera Joh. 14: 23. *Pater meus diliget eum*, (qui me diligit & sermonem meum servat) *& ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ubi de SS. Trinitatis gratiosâ in piis inhabitatione loquitur. Beza ait de priori loco, *conjungere se Christum cum prophetis, quorum scripta tàm negligenter legerat Nicodemus.* Sed prior interpretatio simplicior est & certior.

Rom. 1: 5. *Per quem accepimus gratiam & Apostolatum &c.* Resp. Paulus se & reliquos Apostolos Christi intelligit, uti & 2 Cor. 2: 15. seqq. cap. 3: 1. seqq. & aliis in locis. Confer. 1 Cor. 4: 9.

Unus superest locus, Joh. 21: 24. qui canonem positum stabilire videtur. De se enim Johannes sic loquitur: καὶ οἴδαμεν, *& scimus, quòd verax est testimonium ejus*, h. e. scio ego, cap. 19: 35. Sed respond. Johannes de seipso in illo versu loquitur in persona tertia: *Hic est discipulus ille, qui de his testatur, & hæc scripsit; & scimus verum esse testimonium EJUS.* Igitur persona pluralis non ad ipsum Johannem propriè pertinet, sed ad universam Ecclesiam, & ejus membra, quorum quasi personam induens de veritate hujus scripti sui Euangelici testatur: perinde ut Apocal. 22. vers. 17. *Spiritum & sponsam*, h. e. Ecclesiam, loquentes introducit. Vide & 1 Johan. 5. vers. 18, 19, 20. &c.

## Canon LII.

*Verbum singularis numeri jungitur nomini vel participio plurali, quo notari distributionem dicunt: Etsi in omnibus hac emphasis non est.*

GEn. 35: 26. *Hi filii Jacobi*, אֲשֶׁר יֻלַּד לוֹ *qui editus est ei*, h. e. qui editi sunt.

Exod. 17: 12. וַיְהִי יָדָיו *& fuit manus ejus* (plural.) *firma*, h. e. fuerunt manus ejus firmæ; seu, Utraque manus ejus fuit firma.

Exod. 31: 14. מְחַלְלֶיהָ מוֹת יוּמָת *profanantes illud* (Sabbathum) *moriendo morti traditor*, h. est, morti tradantur; vel profanantium quisque morti traditor.

Num. 32: 25. וַיֹּאמֶר בְּנֵי־גָד *& dixit filii Gad*, h. est, dixerunt. Alii: *& dixit* (scil. tribus) *filiorum Gad.*

1 Sam. 16. vers. 4. (al. 5.) *Trepidi accurrerunt seniores urbis obviam ei*, וַיֹּאמֶר *& dixit, prosperene advenis?* h. e. dixerunt: seu dixit quisque.

Vide & Est. 9. vers. 23. Job. 12. vers. 7. Psal. 73: 7. Prov. 14: 1, 9. Eadem ratio *participii* est, ut ex Psal. 87. vers. 3. Prov. 3: 18. patet.

Huc ferè reduci potest Græcismus ille, quo *verbum singulare additur nomini plurali neutro*, quod Attico dicendi generi adscribunt. Roman 1: 20. τὰ ἀόρατα καθορᾶται, *invisibilia conspicitur*, pro conspiciuntur. Sic cap. 8: 28. & alibi sæpissimè. Sic in profanis. Diodor. τῷ ἀργυρίῳ ὑποτάσσεται πάντα, *pecuniæ obediunt omnia.* οὐκ ἐν τῷ τάχει, ἀλλ' ἐν τελειότητι τὰ πράγματα κρίνεται, *non in celeritate, sed in perfectione res judicantur*, h. e. *sat citò, si sat benè.*

### Nota.

Ad enallagen hanc numeri refertur ab aliquibus.

1. *Cùm nomini plurali, dominium significanti, verbum singulare jungitur.* Sed hìc potiùs in nomine, quàm verbo, enallage quærenda est. Vide tract. 1. can. 25.

2. *Cùm nomini Dei plurali* אֱלֹהִים *adjungitur verbum singulare*, Gen. 1: 1. cap. 17: 3. cap. 35: 9, 11. Deut. 5: 26. 1 Paral. 17: 21. Sed in hac locutione μυστηριῶδες quid est. Innuitur enim illa augustum pluralitatis personarum in

una essentiâ divinâ mysterium. *Pluralitas* personarum nomine plurali; *unitas* essentiæ verbo singulari denotatur. Quò pertinet, quod inverso ordine nomen *singulare* אֱלוֹהַּ construitur cum participio *plurali*, Job. 35: 10. אֱלוֹהַּ עֹשָׂי *Deus factores mei.* Ubi essentiæ unitas nomine singulari, personarum pluralitas participio plurali indicatur. Quod si verò *nomini* אֱלֹהִים *verbum plurale* addatur, Gen. 20: 13. cap. 35: 7. 2 Sam. 7: 23. (ut & *adjectivum* vel *participium plurale*, Deut. 5. 26. Jos. 24: 19. Psalm. 58: 12. Jer. 10: 10. cap. 23: 36. &c. quò pertinet, *quando alii nomini plurali, Deo attributo, particip. plurale subjungitur*, Esa. 54. vers. 5. בֹּעֲלַיִךְ עֹשַׂיִךְ *Domini seu mariti tui factores tui* &c.) tùm pluralitas illa personarum expressiùs denotatur. Ita distinctis modis & phrasibus Spiritui sancto placuit mysterium hoc sacrosanctum insinuare. De ipso nomine Elohim vide tract. 1. can. 25.

## Canon LIII.

*Verbum pluralis numeri adjungitur quandoque nomini singulari.* Et hoc ratione duplici.

1. Nomini *collectivo singulari* additur verbum *plurale*, quod vulgò synthesin vocant. Ratio structuræ per se plana est, quia singularis numerus collectivi nominis pluralitatem comprehendit.

Gen. 33: 13. וָמֵתוּ כָּל־הַצֹּאן *& morientur totus grex*, h. e. morietur.

Gen. 41: 57. וְכָל־הָאָרֶץ בָּאוּ *& universa terra venerunt in Ægyptum*, h. e. venit; seu omnes habitatores terræ venerunt.

Esa. 34: 4. וְנָמַקּוּ כָּל־צְבָא *& contabescent omnis exercitus cœlorum*, h. e. contabescet. Vide etiam Num. 10: 3. 1 Reg. 1: 40. 1 Paral. 10: 6. Esr. 10: 12. Psal. 68: 11. Es. 25: 3. Marc. 3: 7, 8.

Sic in profanis. Herod. ἐς πόντον νέμονται τὸ ταυρικὸν ἔθνος: *Ad Pontum usque habitant Taurica gens.* Lucian. ὁ πολὺς λεὼς χαίρουσι, *multitudo popularis gaudent.* Ovid. *Quò ruitis, generosa domus?* &c.

2. Nomini *singulari, quod non est collectivum*, additur verbum *plurale*, quo & ipso partitionem notari volunt.

Exod. 1: 10. כִּי־תִקְרֶאנָה מִלְחָמָה *cum evenerint bellum*, h. e. evenerit; seu evenerint ulla bella, Junius. *Si quando inciderint* occasiones *belli;* ut sit ellipsis nominis conjugati.

Psal. 119. vers. 103. *Quàm dulcia sunt palato meo eloquium tuum*, hoc est, quàm dulce est: seu, quàm dulcia sunt singula eloquia tua.

Prov. 28: 2. *Fugiunt nemine persequente improbus*, h. e. fugit, seu omnes & singuli fugiunt.

Huc pertinet illud 1 Tim. 2: 15. *Salvabitur autem* (mulier) *per filiorum generationem, ἐὰν μείνωσιν, si permanserint in fide* &c. h. e. si permanserit: seu, si permanserit quæque illarum. Sumitur γυνὴ (ex præcedenti repetendum, paulò alio sensu) quasi *collectivè*, ut totum sexum fœmineum notet. Similis enallage de mulieribus occurrit Esa. 49: 15.

## Canon LIV.

*Quando duo substantiva, quorum unum regit alterum, conjunguntur tùm verbum numero respondet quandoque posteriori, cùm deberet priori.*

2 SAm. 10. v. 9. *Et vidit Joab*, כִּי הָיְתָה אֵלָיו פְּנֵי הַמִּלְחָמָה *quòd esset contra se facies* (plur.) *belli, ab antè & à retrò:* pro הָיוּ Deberet convenire verbum cum פְּנֵי quod plurale est: & convenit cum altero nomine מִלְחָמָה.

Job. 15: 20. מִסְפַּר שָׁנִים נִצְפְּנוּ *numerus annorum absconditi sunt*, h. e. absconditus est.

Hag. 2: 8. וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל־הַגּוֹיִם *& venient desiderium omnium gentium*, h. e. veniet. Intelligitur Christus. Confer Onomatol. Messiæ prophet. p. 296. De adjectivis nominibus similià habentur tr. 1. can. 14.

Pari ratione verbum quandoque respondet nomini posteriori, cùm deberet priori, *quoad genus*. Id quod propter convenientiam hîc monendum.

Lev. 13: 9. נֶגַע צָרַעַת כִּי תִהְיֶה בְּאָדָם *plaga lepræ cum fuerit in homine.* Hic verbum תִּהְיֶה fœm. & convenit cum propiore צָרַעַת fœm. cùm convenire debeat mascul. נֶגַע ut sit pro יִהְיֶה.

Jerem. 10. vers. 22. קוֹל שְׁמוּעָה הִנֵּה בָאָה *Vox rumoris ecce venit*. Prius nomen mascul. est, posterius fœmin. cui verbum fœmin. respondet.

Conti-

## *Continuatio.*

TAntum de numero: succedit ultimum, quod *genus* est. Duplex enim Hebræa lingua in verbis agnoscit genus. 1. *Thematis* seu verbale & significationis, quo scil. verba ipsa inter se significatione discriminantur, unde verbum vel *activum*, vel *passivum*, vel *neutrum* est, perinde ut in Græca & Latina linguis. 2. *Personæ in themate*, seu genus discretionis, quo scil. proprietas sexus in verbo certâ ratione distinguitur: Estque *masculinum & fæmininum & commune.* Quæ ex verborum formatione clariùs patescunt. De *hoc genere personæ* quædam enallage in canone sequenti observanda.

## Canon LV.

*Verbum & nomen sæpius genere discrepant. Hujus autem discrepantiæ conciliationem institui in plerisque posse, per conveniens nomen subintellectum, non perperam dicitur.*

GEn. 49: 6. *In cœtum eorum* אַל־תֵּחַד כְּבֹדִי *ne adunator gloria mea.* Verbum fœmin. est, nomen masculinum. Referri ajunt fœm. ad intellectum: per *gloriam* enim נֶפֶשׁ *anima* intelligitur, quæ vox in fœm. usurpatur. Et ita per *gloriam* etiam intelligitur *anima* Ps. 16: 9. Psal. 30: 13.

2 Sam. 13. verf. 39. וַתְּכַל דָּוִד *Et consumsit Davidem*: Vel, *& solicitè expetivit David.* Verbum fœm. est, quod, uti dictum & *transitivè* & *intransitivè* exponi potest. *Priori ratione* ellipsis est nominis הַתַּאֲוָה *desiderium*, sensu eo: *Et consumsit Davidem* desiderium *exeundi ad Absolomum*, videl. ut ipsum reduceret ad se: *erat enim cor ejus super ipso*, ut cap. 14: 1. dicitur, (quo cum capite ultimus hic versus arctè cohæret, & ei adjungendus est) additur etiam ratio: *consolationem enim ceperat de Ammone, quia mortuus esset*, hoc est, quia factum infectum fieri non poterat, & præterea Absolom natu erat maximus, omnium pulcherrimus, populoque charus. *Posteriori ratione* ellipsis est nominis נֶפֶשׁ *anima*, hoc sensu: *Et solicitè expetivit anima Davidis*, quod idem cum priori est. Posteriorem hanc firmare videtur nota Masoretharum ad hoc verbum, ב׳ בתרי ליש׳ h. e. *bis legitur, sed in duplici significatione. Alter locus* Genes. 24. vers. 19. est, in quo cùm vox תְּכַל transitivè sumatur, sequitur, quod in hoc intransitivè ex ipsorum mente sit explicanda. Chaldæus nomen נֶפֶשׁ expressè addit: וְחַמִּידַת נַפְשָׁא דְּדָוִד *& expetivit anima Davidis.* Psal. 119. vers. 81. nomen נֶפֶשׁ in Hebr. exprimitur, sed verbum hoc non in Piel, sed in Kal ponitur, כָּלְתָה נַפְשִׁי *consumitur, seu anxie expectat anima mea.* Sic & Psalm. 84: vers. 3.

Prov. 21: 26. *Toto die* הִתְאַוָּה תַאֲוָה *cupit cupiditas.* Nomen fœm. verbum mascul. est. Vel subintelligitur nomen אִישׁ *vir cupiditatis*, h. e. cupidus, avarus, qui multa habens, plura semper habere cupit (vide tract. 1. can. 39. §. 1.) Vel ad nomen versus anteced. referendum; עָצֵל *piger* sicut ibi dicitur, תַּאֲוַת עָצֵל *desiderium pigri morte afficit eum, quia renuunt manus ejus facere quicquam.* Sequitur: *toto die desiderat desiderio* (vide superiùs can. 32.) h. e. afficitur desiderio: tantum scil. abest, ut bona aliis largiri possit, uti facit justus &c.

Eccles. 1: 2. אָמַר קֹהֶלֶת *dicit congregatrix*: hoc est, Ecclesiastes. Vide tract. 1. post can. 21. Pseudocan. 1.

Alia permulta exempla videantur in Buxt. l. 2. thes. c. 10. p. 400. seqq.

## De Ellipsi Verborum.

Idiotismo & Enallage succedit tertium caput, *de Ellipsi.*

## Canon LVI.

*Verbum quandoque in oratione deest, quod commodâ ratione subintelligendum & complendum.*

ELlipsis ista tùm *in genere* est verbi, vel *finiti*, vel *infiniti*; tùm *in specie* verbi substantivi Sum.

### 1. Verbum *finitum* deest.

2 Sam. 18: 12. *Observate*, מִי בַּנַּעַר *quis in puerum istum, in Absolomum*, scil. incurrat, seu manum mittat.

2 Sam. 23: 17. *An sanguinem istorum hominum, qui iniverunt periculum vitæ suæ?* sc. biberem; quæ vox 1 Par. 11: 19. suppletur.

1 Reg. 11: 25. *Et erat adversarius Israeli omnibus diebus Salomonis: idque præter malum illud*, אֲשֶׁר הֲדָד quod *Hadad*, scil. inferebat. Chald. דַּעֲבַד *quod fecerat*. Schindl. huic loco addit: *Sæpissimè in Psalmis, Proverbiis, & Job, & apud Arabes ferè semper*, אֲשֶׁר *ponitur, subintellecto verbo*.

1 Reg. 22: 36. *Quisque in civitatem suam, & quisque in terram suam*, scil. revertitor.

Psal. 4: 3. *Usque quò gloria mea in ignominiam*, sc. vertetur.

Psal. 25: 15. *Oculi mei jugiter ad dominum*, sc. respiciunt. Sic Psal. 123: 1.

Psal. 120: 7. *Ego pacem, at cum loquor, ipsi ad bellum. Ego pacem* sc. diligo, *ipsi ad bellum*, sc. prorumpunt vel conclamant.

Prov. 14: 14. *Viis suis satiabitur aversus corde; & ab ipso vir bonus*, scilicet absistit, seu cavet.

Eccles. 8: 2. אֲנִי *ego, præstitutum Regis observa, sed pro ratione juramenti Dei. Ego*, scil. moneo te, uti AbenEzra, & ex eo Pagninus suppleat. Junius & Tremellius supplent aliud verbum, & שְׁמֹר in infinit. accipiunt: *Ego video præstitutum Regis observandum esse* &c. In posteriori editione mutatio ejus facta, sed quæ durior est lectione priori; אֲנִי enim tanquam affixum, possessivi vicem obtinens, accipitur, & suppletur nomen ex sequentibus hoc modo: *Præstitutum meum, præstitutum regis observa* &c.

Esa. 5: 9. *In auribus meis Jehova exercituum*, sc. dixit.

Hos. 8: 1. *Sicut aquila in domum Jehova*, sc. involat, nimirum hostis.

Roman. 8: 3. *Nam quod impossibile erat legi, eò quod infirmaretur per carnem*, ὁ θεὸς, τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας, *Deus, filium suum mittens*; Deus, scil. ἐτέλεσεν seu ἐποίει, præstitit vel effecit.

Apoc. 19. vers. 10. ὅρα μὴ, *vide, ne* scil. feceris.

## 2. Verbum *infinitum* deest.

1. Post Hebræum יָכֹל *potuit*.

Psal. 21: 12. *Non poterunt* scil. perficere.

Psal. 101: 5. *Elatum oculis & tumentem corde, ipsum non possum*, sc. ferre. Sic Es. 1: 13. Completur infinitiv. לְשֵׂאת *ferre*, Jerem. 44. v. 22.

Psal. 139. vers. 6. *Mirabilis est scientia tua à me: edita est, non possum ad eam*, scil. pertingere.

Hos. 8: 5. *Quousque non poterunt innocentiam*, sc. colere.

Vide & 1 Cor. 3: 2.

2. Post verbum, quod *absolvere* aut *perficere* significat, quandoque infinitiv. quidam subintelligendus, ut oratio fit plena.

1 Sam. 16: 11. הֲתַמּוּ *an absolverunt pueri*, sc. transire. Ex v. 7.

Matth. 10: 23. *Amen dico vobis*, οὐ μὴ τελέσητε, *nequaquam absolveritis civitates Israel*, sc. obire, vel pervadere, & sic prædicandi ministerium simul exequi, quod demandatum à Christo fuerat v. 6, 7.

Sunt qui huc referant Matth. 13. vers. 53. *Et factum est*, ὅτε ἐτέλεσεν, *cùm absolvisset Jesus parabolas istas*, scil λαλεῖν loqui. Sic cap. 19: 1.

Huc pertinet verbum מִלֵּא *implevit*, quod cum ellipsi infinitivi quandoque est. Vide can. 36. not. 2.

3. Post aliud verbum, sive *personale*, sive *impersonale*.

Genes. 9. v. 20. *Et cœpit Noa* (scil. לִהְיוֹת *esse*) *vir terræ*, seu colens terram, ut Chald. vertit. Conf. cap. 10: 8. ubi ellipsis ea suppletur.

1 Reg. 7: 47. (al. 46.) *Et omisit Salomo* (scil. pendere) *omnia vasa ista, præ multitudine*.

Luc. 13: 33. δεῖ με σήμερον καὶ αὔριον *oportet me hodie & cras*, sc. ἐργάζεσθαι operari. Sequitur, καὶ τῇ ἐρχομένῃ πορεύεσθαι, *& die alio ire*. Ita & Syr. interpres, qui per לְמֶעְבַּד *operari*, ellipsin compl. Theophyl. idem monet. Confer versum anteced.

## 3. Verbum *substantivum* deest quàm sæpissimè.

Gen. 1. vers. 2. *Et tenebræ* erant *in superficie abyssi*.

Gen. 3: 6. *Et vidit mulier, quod bona* esset *arbor ad cibum*.

Gen. 4: 13. *Major* est *iniquitas mea &c*.

Genes. 5. vers. 1. *Hic* est *liber generationum Adami*.

2 Reg. 6: 33. *Hoc malum* est *à Domino*.

Psal. 33: 4. *Rectum* est *verbum Domini*.

Eccl. 7. vers. 12. *Bona* est *sapientia cum possessione*.

Esa. 44: 6. *Ego* sum *primus, & ego* sum *novissimus*.

Luc. 2: 41. *Gloria* sit *in excelsis Deo, & in terra pax &c*.

Luc. 22: 20. *Hoc poculum* est *N. T. in meo sanguine.*
Ibid. v. 21. *Manus tradentis me, mecum* est *in mensa.*
Joh. 4: 24. *Spiritus* est *Deus.*
2 Corinth. 11. v. 22. *Hebræi sunt; & ego* sum.
Eph. 3: 1. *Hujus rei gratiâ ego Paulus* sum *captivus ille Christi &c.*
2 Tim. 3: 16. *Omnis scriptura*, est *divinitùs inspirata, & utilis &c.*
Sic in profanis. Menander: πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώποις κακόν. *Avaritia* est *maximum mortalibus malum. Hoc virtutis opus*, sc. est. *Rari quippe boni, scil.* sunt, &c.

## De Pleonasmo Verborum.

Tandem quartum caput in tractatione verbi succedit, *de pleonasmo*: cujus ratio brevibus lineis explicari potest.

## Canon LVII.

*Hebraismus est non infrequens, quo redundare videtur verbum* sum *in præterito sæpè, in futuro rariùs.*

Gen. 41: 13. וַיְהִי *& fuit, sicut interpretatus est nobis, sic fuit vel evenit.* Prius וַיְהִי abundat. Sic aliàs sæpe, in initiis cumprimis librorum & pericoparum, Ruth. 1: 1. Esther. 1: 1. &c.

Sic Matth. 7: 28. καὶ ἐγένετο, *& factum est, cum consummâsset Jesus verba hæc, admirabantur turba &c.* Vide & cap. 11: 1. c. 13: 53. c. 19: 1., c. 26: 1. &c.

*In futuro.* Actor. 2: 21. καὶ ἔςαι & erit, *omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.*

Actor. 3: 23. ἔςαι δὲ, *erit autem, omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur ex populo.* In Hebr. Deut. 18: 19. וְהָיָה *& erit &c.*

Tantum de doctrina Verbi.

*Vita, salus, via, Lux, cibus & medicina parata est*
*In VERBO (hoc serva Christe benigne!) tuo.*

Psal. 33: 4.

יָשָׁר דְּבַר יְהוָה וְכָל־מַעֲשֵׂהוּ
בֶּאֱמוּנָה׃

# DE

# PARTICIPIO.



DE participio tria observanda: 1. natura ejus & conditio. 2. enallage & significationis extensio. 3. peculiaris constructio. *Primum* membrum primo exponitur canone.

## Canon I.

*Uti diversa Hebræorum conjugationes sunt; sic & de earundem Participiis diversimode sentiendum.*

PRIMA Conjugatio *KAL* duplex agnoscit Participium. 1. *Præsens*, quod communiter בֵּינוֹנִי *Benoni* vocant, h. e. *intermedium;* appellatione inde ductâ (ut Elias Levita in libr. Habbachur sentit) quia significatu suo est medium inter præteritum & futurum, seu componitur ex præterito & futuro. E. G. quando dicis, רְאוּבֵן אוֹכֵל *Ruben comedens*, seu *comedit;* sensus est, quod jam cœpit comedere; & adhuc comedet. Vocatur & פּוֹעֵל à forma, quam in hoc Participio verba obtinent. 2. *Præteritum*, quod פָּעוּל *Paûl*, itidem à formationis ratione dicitur. *Prioris* significatio activa est, פֹּקֵד *visitans: Posterioris* verò passiva פָּקוּד *visitatus*.

a Differentia participii passivi in *Kal* & *Niphal*.

a Cæterùm, habet & passiva conjugatio *Niphal*, suum participium passivum, quod *præsens* sive *Benoni* vocatur, נִפְקָד, *visitatus*. Igitur inter hæc duo participia passiva (in *Kal* & *Niphal*) hæc ab Elia Levita in lib. Habbachur. 1. fund. 1. constituitur differentia, quod significatio prioris, seu participii *Paûl*, sit præsens (vel, ut ipse loquitur, sit & ipsum *Benoni*, intermedium, quia operatio ejus facta est in tempore præsenti, componiturque ex præterito & præsenti:) *Posterioris* verò, seu participii in Niphal significatio, sit præteriti temporis. E. G. quando dicis, הַבַּיִת בָּנוּי *domus extructa:* sensus est, quod jam extructa sit, duretque adhuc. Quando verò dico, הַבַּיִת נִבְנֶה *domus extructa*, possibile est, domum illam jam esse dirutam aut combustam. Verùm hoc discrimen non perpetuum & firmum esse, exempla scripturæ docent.

Keckermannus in Grammat. Hebr. sic inter duo hæc distinguit, ut participium *Paûl*, in Kal, vocet *participium durantis* (cui opponit participium passivum Niphal, *cessantis*,) quia scil. ejusmodi passionem significat, quæ adhùc durat & continuatur; cujus durantis passionis exempla apud Latinos sunt, *dilectus* (qui sic diligitur, ut adhuc diligatur) *afflictus &c.* Sed & hæc distinctio non est valida Gen. 31: 39. extat participium Paûl, גְּנֻבְתִי (cum jod paragogico, pro גְּנֻבַת) *furto sublatum*, non quod adhuc furto tollitur. Jud. 5: 27. שָׁדוּד *devastatus* seu vitâ spoliatus: non qui continuò vitâ spoliatur. Sermo est de occiso Siserâ. Sic è contrà participia Niphal de re adhuc durante accipiuntur, (quæ exempla etiam contra Eliam Levitam sunt.) Exod. 15: 6. נֶאְדָּרִי *Magnificus*, scil. es, (cum jod paragogico) vel *magnifica est*, ut sit per apocopen literæ ת Chaldæis familiarem, pro נֶאְדֶּרֶת *magnifica est*, scil. יְמִינְךָ *dextra tua*, quod nomen antecedit. De Jehova sermo est, cujus magnificentia & gloria nunquam transit. Sic נִחָם *pœnitens*, qui jam pœnitet, Joel. 2: 13. נֵחָמִים *incalescentes*, qui adhuc & jam incalescunt, Esa. 57. vers. 5. (pro נִיחָמִים à יחם) נַעֲנָה *afflicta*, quæ jam affligitur, Esa. 58. vers. 10. &c.

Bertramus in Gram. Hebræo Aramica adhuc aliter: Participium *Paûl* in Kal, dicit perfectam passionem significare, quæ tamen adhuc duret: Participium verò *Niphal* præsentem & durantem passionem, sed non perfectam &c. Satius est, vocabulorum usum in scripturis hic

ris hîc attendere. Indifferenter sæpius usurpari, certum est.

Quæris, cur *passivum* particip. *activæ* Conjugationi Kal sit insertum? Resp. id fieri ob ejus majorem conformitatem cum activo, quàm passivo.

[a] Nota, participio præsenti Kal, Buxtorffium eam quoque adjungere formam, quæ ex Camez & Zere constat. אָבֵל *lugens:* quod שֵׁם הַתֹּאַר *nomen Toar*, hoc est, formæ, seu formale aut formatum vocatur, & significationem participii obtinet. Talia sunt גָּדֵל *crescens* sive grandescens erat, 1 Samuel. 2. v. 26. יָשֵׁן *dormiens*, 1 Samuel. 26. vers. 7. יְשֵׁנִים *dormientes* erant, ibidem vers. 12. דָּבֵק *adhærens*, vel conjunctus, Proverb. 18. vers. 23. דְּבֵקָה *adhærens* erat (fœmin.) adhærebat, 2 Paral. 3. v. 12. הַדְּבֵקִים *qui adhærentes fuistis*, adhæsistis, Deut. 4: 4. חָזֵק *invalescens*, Exod. 19: 19.

Secundæ & Tertiæ Conjugationis participiorum eadem ferè cum prima ratio est: nisi quod participium *Paül* seu præteritum (quod à plerisque activæ formæ adjungitur,) rectiùs passivæ formæ adjungatur, quia majorem cum illa convenientiam habet, quod & à Dn. Buxtorff. in thes. Gramm. factum. Ut מְפֻקָּד (partic. præter in 2. conjug.) rectiùs cum passivo *Paul*, פֻּקַּד, quàm cum activò פִּקֵּד convenit: igitur illi etiam adjungitur. Sic in tertia Conjug. מָפְקָד (part. præter.) meliùs congruit formæ passivæ הָפְקַד quàm activæ הִפְקִיד. Igitur illi etiam meritò adjungitur.

Quarta Conjugatio, cum sit reciproca, passivum participium non agnoscit.

## *Nota.*

De Participio prætereà observentur hæc duo.

1. Passivum pro activo quandoque usurpatum occurrit. Judic. 8. vers. 11. Per *viam habitantium in tentoriis:* Pro הַשּׁוֹכְנֵי הַשְּׁכוּנֵי Cant. 3: 8. *Omnes ipsi* אֲחֻזֵי *tenentes gladium:* pro אֹחֲזֵי.

[b] 2. Inter idiotismos Hebrææ linguæ Arias Montanus ponit & hunc, num. 22. *Participium præteriti nonnunquam actionem finitam & præteritam atque transactam notat. Ut qui sedent in sepulcris & in observatis morantur*, Esa. 65. *id est, in iis, quæ jam observari desierunt. Et vidit, quod expectatum esset*, Ezech. 19. *id est, quod expectari desitum esset, nihilque juvisset illa expectatio.* Convenit hæc observatio ferè cum illo, quod supra de differentia inter participium passivum in *Kal* & *Niphal*, ex Elia Levita dictum fuit. Sed adducta exempla regulæ non satis quadrare videntur. Esa. 65: 4. verba ita habent: *Sedentes in sepulcris*, וּבַנְּצוּרִים & *in custoditis*, seu apud custodita *pernoctant*. Per *sepulcra* necromantiæ intelligi videntur, de quibus Deut. 18: 11. Esa. 8: 19. Per *custodita* verò idola, quæ ita per contemtum vocantur, propterea quod ipsa non custodiunt cultores suos, sed custodibus habent opus, Esa. 46: 7. contrà quàm se facere Deus prædicat Deut. 32. vers. 10. Chald. vertit, וְעִם־פִּגְרֵי בְּנֵי אֱנָשָׁא דָּיְרִין & *cum cadaveribus hominum pernoctant*. Quod R. Salomo approbat, addens ideo vocari cadavera נְצוּרִים *custodita*: שהם כנתונים במצור שאינם יכולין לצאת *quia ipsi sunt, quasi traditi in custodiam, ut non possint inde exire.* Seu, ut alii, quia à necromantis custodiuntur, ut ab iis aliquid sciscitentur. R. Kimchi explicat, בחרבות, *in vastitatibus* seu desertis locis *pernoctant* scilic. ad consulendum nocte Dæmonas. Quo cum convenit Pagnini translatio, qui *deserta loca* vertit: sicut in illo Esa. 1: 8. עִיר נְצוּרָה *civitas desolata* (quod & à צור *obsedit*, potest deduci, ut sit, *civitas obsessa*.) Kimchi confert locum Esa. 49: 6. נְצוּרֵי יִשְׂרָאֵל *desolati Israelis:* Luther. das verwahrloste in Israel / (alii *Custoditos Israelis* vertunt, hoc est, quos ego, inquit Deus, singulari studio custodiveram hactenus, veluti peculium præ omnibus aliis populis, & tanquam pupillam oculi, Deut. 32: 10.) Uti & R. Mardochai Nathan hoc significatu accipit, in Concordantiis Hebræis, tria illa loca, Esaiæ 1: 8. cap. 49: 6. cap. 65: 4. conjungens sub illo titulo, quo נצר venit significatione חרבה *desolatio*. Quòd si hæc interpretatio accipitur, non ex vi participii, sed ipsius verbi significatione, adductus ab Aria locus explicandus est: & verbum נצר contrarias significationes habet, ut & *custodire* & *desolare*, quasi dicat, minimè custodire, sed potius destruere, notet: sicut & alia verba Hebræorum duplicem, eamque contrariam significationem obtinent, ut ex בָּרַךְ constat, quod & *benedicere* & *maledicere* significat. Confer Schindl. col. 1154.

In altero exemplo, Ezech. 19. vers. 5. non præterit. participium, sed ipsum verbum præterit. fœm. extat: *Et vidit*, כִּי נוֹחֲלָה (in particip. esset נוֹחָלָה cum Cametz) *quòd spe suffulta fuisset*, seu spe aluisset se, (hæc est ipsius spei descriptio; sequitur in textu ejus frustratio,) אָבְדָה תִּקְוָתָהּ (&) *periisset expectatio ejus*. Jun. *Videns autem illa, cùm spe aluisset sese, periisse expectationem suam.*

[a] Nomen Toar.

[b] Ar. Montanus.

## *Continuatio.*

HActenus de *natura* participii: sequitur ejus *enallage & significationis* extensio. Enallage illa *vel* est respectu aliarum orationis partium; *vel* respectu participiorum inter se. Inter alias orationis partes usurpatur participium tùm pro *nomine*, tùm pro *verbo*. De *nominascente* participio secundus canon agit.

## Canon II.

*Participia crebrò pro nominibus usurpantur, seu in nomina degenerant.*

VIdere hoc est in participiis tùm *activis*, tùm *passivis*.

1. Participia ACTIVA. רוֹעֶה & *pascentem* & *pastorem* significat, quæ utraque significatio Jerem. 23. vers. 2. conjungitur: *Sic dicit Jehova Deus Israelis*, עַל־הָרֹעִים הָרֹעִים אֶת־עַמִּי *de pastoribus pascentibus populum meum*. שׁוֹמֵר & *custodientem* & *custodem* significat, Gen. 4. vers. 9. Utraque significatio conjungitur Psalm. 130. vers. 6. *Anima mea ad Dominum est.* מִשֹּׁמְרִים לַבֹּקֶר שֹׁמְרִים לַבֹּקֶר *præ custodibus ad manè, excubantibus usque ad manè*, hoc est, anima mea magis expectat Dominum, quam custodes, qui per noctem vigilarunt, expectant matutinum tempus, ut dormire possint. אוֹהֵב & *amantem* & *amicum*, Prov. 13. vers. 20. רוֹפֵא & *sanantem* & *medicum*, Job. 14. vers. 4. מוֹשֵׁל & *dominantem* & *dominatorem*, Mich. 5: 1. סוֹחֵר & *negotiantem* & *negotiatorem* seu mercatorem, Gen. 23. vers. 26. גּוֹאֵל & *redimentem* & *redemtorem*. Job. 19. vers. 25. itemque *propinquum*, qui jus vindiciarum habet Ruth. 3. vers. 12, 13. חוֹזֶה & *videntem* & *prophetam*, 1 Sam. 9: 9. אוֹפֶה & *coquentem* & *coquum* seu pistorem (Festus Pompejus: *Coquum & pistorem apud antiquos eundem fuisse accepimus*) significat.

In PIEL, seu secunda conjugatione. Ezech. 21: 5. *Ipsi dicunt mihi, an non ipse est* מְמַשֵּׁל מְשָׁלִים *parabolarum artifex*, q. d. proverbificator, παραβαλὼν παραβολάς.

In HIPHIL, tertia conjugat. Num. 14: 27. *Quousque cœtum istum malum; illorum, qui sunt* מַלִּינִים *murmuratores adversus* &c. q. d. qui nil nisi murmurare contra me norunt. Sequitur eadem vox participialiter intelligenda.

In N. T. huc pertinent. Matth. 4. vers. 3. 1 Thes. 3: 5. ὁ πειράζων, *tentator*, quâ voce Satanas intelligitur. Syr. הו דמנסינא eodem sensu.

Marc. 6: 14. *Johannes* ὁ βαπτίζων hoc est, βαπτιστὴς, *baptizans*, hoc est, baptisator seu Baptista.

Tale videtur esse & illud Marc. 15: 29. οὐὰ, ὁ καταλύων τὸν ναὸν, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις οἰκοδομῶν. *Vah! destruens templum, & in tribus diebus ædificans*, hoc est, destructor templi, ejusdemque in triduo reparator.

Apoc. 9: 11. ὁ ἀπολλύων, *perditor*, quod cum illo 2 Thess. 2: 3. ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, *filius ille perditionis*, convenit.

2. Participia PASSIVA. 2 Reg. 18. vers. 21. מִשְׁעֶנֶת הַקָּנֶה הָרָצוּץ *baculus arundineus confractus*, h. e. fragilis. Psalm. 12: 7. כֶּסֶף נִבְחָר *argentum electum*, h. e. eligibile seu eximium, præstans.

Zephan. 2: 1. *Gens* לֹא נִכְסָף *non desiderata*, h. e. desiderabilis seu amabilis. Luther. Ihr feindseliges Volck. Quidam vertunt, *non affecta desiderio*, scil. ad frugem redeundi, & in suos mores inquirendi, uti Propheta hoc loco monuit: quæ desiderio sancto regni Dei non teneris. Ita hoc verbum in Niphal accipitur Gen. 31: 30. Ps. 84: 3.

Esa. 33: 19. נִלְעַג לָשׁוֹן *irrisus*, h. e. ridiculus *lingua*, barbarus.

Sic מְהֻלָּל *laudatus*, h. e. laudabilis, Ps. 18: 4. נֶחְמָד *desideratus*, h. e. desiderabilis, Prov. 21: 20. quo sensu & חָמוּד usurpatur, Ps. 39: 12. &c.

In N. T. 1 Cor. 9: 24. ἀγωνιζόμενος, h. e. ἀγωνιστὴς *certator*, athleta. Gal. 2: 11. *Cùm venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti*, ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, *quia reprehensus erat*, h. e. κατάγνωστος, *condemnabilis*, reprehensione dignus, ἐπιμεμφὴς vel ἐπίμεμπτος.

Hebr. 12: 18. *Non accessistis monti* ψηλαφωμένῳ *contrectato*, h. e. contrectabili, qui manibus palpari possit, terreno corporali. Oppositio est inter hunc, & spiritualem montem Sion. v. 22. Erasmus vertit, *montem contactum*. Ac quî dici possit mons iste contactus, ad quem ne propiùs quidem accedere citra mortis periculum licuit?

Ibid. v. 27. σαλευόμενα *commota* seu concussa, vocantur ea, quæ reipsâ instabilia & quasi commobilia sunt, utpote πεποιημένα, *factitia*, ut in textu sequitur.

In profanis. Homer. Ἰλ. α. αἶψα δ' ἀναστὰς, ἠπείλησε μῦθον, ὃ δὴ τετελεσμένος ἐστί. *Statim autem exurgens, Minatus est verbum, quod jam perfectum est*, h. e. perficibile est. Cicero in Pisonem: *Quis te miserior, quis te damnatior?* Talia sunt Latinis, *invictus*, *indomitus*, *immotus*.

Nota,

Nota, 1. Non solùm participium in nominis *adjectivi*, sed *substantivi* naturam quandoque transire. Sic צָפוּן *reconditum*, quandoque *thesaurum*, seu opes notat, quæ recondi solent, Psal. 17:14. פְּרוּדוֹת *separata* seu *disjuncta*, quandoque *sata* seu *grana* terræ commissa notat, Joel. 1:17. à dispersione ita dicta, פָּרַד enim est, *separavit*, *disjunxit*. בָּחוּר *selectus*, etiam *juvenem* significat, quasi ad omnes operas selectum, Ezech. 9:6. cap. 23:6. &c. Sic οἰκουμένη, *inhabitata*, pro orbe terræ habitabilis accipitur Hebr. 1:6. Apoc. 12:9. item pro futuro beatorum seculo, seu cœlo novo, & terra nova, Hebr. 2:5. ubi οἰκουμένη ἡ μέλλουσα dicitur. Perinde ut & *adjectiva* quædam pro *substantivis* (quorum epitheta sunt) usurpantur. Ut יַבָּשָׁה *arida*, h.e. terra, quæ sic appellata fuit, quando aquis exundantibus liberata, in usum viventium arida Dei verbo facta est, Genes. 1:9, 10. Psal. 95:5. Matth. 23:15. לְבָנָה *alba*, h.e. Luna, ab albescente fulgore Esa. 24:23. quomodo & à Poëtis *pallida* appellatur &c.

2. Notant & Hebræi, participium præteritum passivæ significationis in Kal quod *Paûl* vocant, si nominascit, *activam* significationem induere. Ut יָקוּשׁ *auceps*, Prov. 6:5. שְׁכֻנִים *habitatores*. Jud. 8:11. (Huc referunt עָשׁוּק *oppressor*. Prov. 28:17. שְׁדוּדָה *vastatrix*, Ps. 137:8. Sed hæc ab aliis passivè, & propriâ significatione efferuntur. Homo עָשֻׁק *oppressus propter sanguinem animæ*, id est, homicida. Sensus est: Nemo homicidæ misereto, aut privatim publicèque eum foveto. Gen. 9:7. Exod. 21:14. שְׁדוּדָה dicitur Babylonia, *vastata*, h.e. vastanda, ut aliàs præteritum pro futuro accipitur) Ex Rabbinicis huc pertinent, רָכוּב *eques*, נָשׂוּי *maritus*, כָּפוּי *abnegator*. Drus. l. 1. obs. cap. 2. huc etiam ex participio Niphal refert illud Zach. 9:9. נוֹשָׁע σώζων, *Salvator*. Itemque נְפִלִים, ἐπιπίπτοντες (ut Hieron. exponit) *irruentes*, Gen. 6:4. quæ vox formam habet participii Paûl Aramici. Ex eadem consuetudine probabilitatem conciliat opinioni illorum, qui פְּרוּשִׁים *Pharisæos* ab *enarrando* dictos censent, quòd fuerint enarratores Scripturæ. Confer Tremell. & Junium in notis ad Marc. 7:3.

## Continuatio.

De nominascente participio dictum: superest, ut de eodem *verbascente*, seu verbi significationem adsumente, dicatur. *In genere* participium illud tempus notat, cujus est substantivum verbum additum. *In specie*, deficiente verbo substantivo, habet participium significationem 1. præsentis, 2. præteriti, 3. futuri. Cui addatur 4. enallage participii pro *infinitivo*, apud Græcos. De his in regulis sequentibus.

## Canon III.

*Participia verbo substantivo juncta, in eodem genere & numero cum ipso conveniunt; notantque pro ratione substantivi, præteritum, futurum, imperativum; si sc. verbum substantivum tale sit.*

Periphrasis hæc verbi, quæ fit per participium & verbum substantivum.

Gen. 1:6. וִיהִי מַבְדִּיל *& erit* seu esto *dividens*, h.e. dividet, vel divideto.

Deut. 9:24. מַמְרִים הֱיִיתֶם *rebellantes fuistis*, h.e. rebellâstis, Sic & v. 22.

2 Sam. 3:6. אַבְנֵר הָיָה מִתְחַזֵּק *Abner fuit fortificans se*, h.e. fortificavit se.

2 Par. 24:14. וַיִּהְיוּ מַעֲלִים עֹלוֹת *& fuerunt offerentes holocausta*, h.e. obtulerunt.

Neh. 1:4. וָאֱהִי צָם וּמִתְפַּלֵּל *& fui jejunans & orans*, h.e. jejunavi & oravi.

Neh. 2:13, 15. וָאֱהִי שֹׁבֵר *& fui considerans in muro*, h.e. consideravi. Hoc de loco notandum, quædam exemplaria Biblica cum puncto dextro habere, שֹׁבֵר *frangens*: quæ secuti Junius & Tremellius vertunt: *effringebam de muris &c.* hoc est, *parietinas explorabam*. LXX. Interpretes: ἤμην συντρίβων *eram diversans*: propriè, *comminuens*: quod itidem cum שֹׁבֵר convenit à שָׁבַר *fregit*, *comminuit*. Lutherus vertit, Und that mir wehe. Videtur hoc participium passivè accepisse *eram fractus* scil. animo, hoc est, dolore affectus. Rectiùs autem שֹׂבֵר cum puncto sinistro legitur, quomodo etiam legunt AbenEzra, Pagninus, Ariæmontanus, Forsterus, Schindlerus, Buxtorffius item in Concordantiis Hebr. à שָׂבַר *intuitus est*, *consideravit*, *existimavit*: in Piel (quòd solùm à Buxt. in Lexico ponitur) שִׂבֵּר *speravit*, *spectavit*, *expectavit*. Et hæc lectio Masorethicæ notæ in Nehemia convenit, in qua, bis vocem hanc, & sine ו quidem, extare, dicitur; quæ duo loca jam tum adducta. At verò שֹׁבֵר *frangens*, extat etiam Psal. 29:5. Jer. 49:35. Ezech. 4:16. Explicationem Junii & Tremellii quod attinet, insolens ea videtur, *Effringere*, pro, *effractum explorare*. Nec similia facile exempla reperiri puto.

Jer.

Jer. 26: 18. *Micha Morastita* נִבָּא הָיָה *fuit vaticinans*, h. e. vaticinatus est.

In N. Test. eadem est verbi περίφρασις.

Marc. 1: 4. ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας. *Erat Johannes baptizans in deserto, & prædicans baptismum pœnitentiæ*, h. e. baptizabat & prædicabat.

Luc. 11: 14. καὶ ἦν ἐκβάλλων δαιμόνιον, *& erat ejiciens Dæmonium*, hoc est, ἐξέβαλλε, ejiciebat.

Luc. 15: vers. 1. ἦσαν δὲ ἐγγίζοντες αὐτῷ πάντες οἱ τελῶναι &c. *erant autem appropinquantes ei omnes publicani*, h. e. ἤγγιζον, appropinquabant.

Act. 8: 9. *Vir autem quidam, nomine Simon*, προϋπῆρχεν ἐν τῇ πόλει μαγεύων, *anteà erat in urbe illâ magiam exercens*, h. e. antea magiam exercebat.

2 Cor. 1: 9. ἵνα μὴ πεποιθότες ὦμεν ἐφ' ἑαυτοῖς, *ut non fidentes simus in nobis ipsis*, h. est, ut ne fidamus.

2 Cor. 5: 19. Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, *DEUS erat in Christo mundum reconcilians sibi*, h. e. reconciliabat.

Sic verbum substantivum cum synonymo suo, eâdem constructione effertur.

Luc. 23: 12. Προϋπῆρχον γὰρ ἐν ἔχθρᾳ ὄντες πρὸς ἑαυτοὺς, *anteà erant in inimicitia existentes inter se*, h. e. anteà inimici erant inter se.

In profanis. Sophocl. χάρις χάριν ἐστὶν ἡ τίκτουσα ἀεὶ, *beneficium semper parit beneficium.* Idem: εἰ φρονοῦσα ἐτύγχανες, *si sapiens esses*, pro εἰ ἐφρόνεις, *si saperes*. Idem: οὐ σιωπήσας ἔσῃ, pro, οὐ σιωπήσεις, *non tacebis*. Lucian. σὺ δὲ δὴ τὶ πράττων τυγχάνεις: pro, τὶ πράττεις, *tu verò quid facis?* Aristot. ἀνῃρημένος ὑπάρχει, i. e. ἀνῄρηται, *sublatus est*. Æschin. πρεσβείας ἦτε πεπομφότες, pro, ἐπεπόμφειτε, *legationes miseratis*. Lucianus: μάτην ἔσῃ πεπλευκὼς, pro πλεύσῃς *frustrà navigaveris &c.* Sic in Latino. Ovid. *Omnia sunt hominum tenui pendentia filo*, h. e. pendent. Plaut. *Quos semper videas esse bibentes in œnopolio*, h. e. bibere. Cicero: *A studiis nostris non est abhorrens*, h. e. non abhorret. Conf. D. Vechn. l. 2. hellenolex. p. 226.

## *Nota.*

Ellipsis hîc est, sed raró, participii.

1 Paral. 17: 5. וָאֶהְיֶה מֵאֹהֶל אֶל־אֹהֶל *sed fui de tentorio in tentorium*, scil. מִתְהַלֵּךְ *itans*. Patet hoc ex versu sequente.

Frequentissima verò verbi substantivi, ut in sequentibus dicetur.

# Canon IV.

*Participium præsens sine verbo substantivo, pro præsenti indicativi est.*

HEbræi verbum præsentis temporis non habent (idque, ut monent doctiores quidam, naturæ ipsi convenienter: hæc enim, stricte & propriè loquendo, tantum præteritum & futurum tempus agnoscit; præsens verò non tempus est, sed τὸ νῦν instans, & temporis copula,) igitur nec verbum substantivum in præsenti potest participio addi. Simpliciter igitur participium præsentis verbi vicem subit.

Exod. 2: 14. *An ad occidendum me tu* אֹמֵר *loquens?* h. est, loqueris; seu cogitas me occidere.

Exod. 23: 19. *Ecce ego* שֹׁלֵחַ *mittens Angelum ante te*, h. e. mitto.

Jos. 1: 2. *Ad terram, quam ego* נֹתֵן *dans illis*, h. e. do.

Jud. 17: 9. וְאָנֹכִי הֹלֵךְ *ego autem vadens ad peregrinandum*, h. e. vado.

Eccl. 1: 7. *Omnia flumina* הֹלְכִים *euntia in mare*, h. e. eunt.

Eccl. 4: 5. *Stultus* חֹבֵק *complicans manus suas*, וְאֹכֵל *& consumens carnem suam*, h. e. complicat, consumit.

Esa. 1: 7. *Alieni* אֹכְלִים *comedentes eam*, h. e. comedunt.

In N. T. eadem Enallage occurrit.

Rom. 5: 11. καυχώμενοι *gloriantes in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum*, h. e. καυχώμεθα, *gloriamur*. Vide & Act. 26: 20.

2 Cor. 10: 5. λογισμοὺς καθαιροῦντες, *consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus cognitionem Dei*, καὶ αἰχμαλωτίζοντες *& in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, h. e. destruimus, redigimus.

## *Nota.*

Pro præsenti verbi substantivi usurpatur, & participio præsenti additur quandoque defectivum יֵשׁ, quod verbi substantivi significationem habet.

Gen: 24: 42. אִם יֶשְׁךָ נָּא מַצְלִיחַ דַּרְכִּי *si es tu nunc secundans viam meam*, h. e. si secundas.

Ibid. vers. 49. אִם יֶשְׁכֶם עֹשִׂים חֶסֶד *si estis vos exercentes benignitatem*, h. e. si exercetis vel exercere vultis.

Gen. 43: 4. אִם יֶשְׁךָ מְשַׁלֵּחַ *si es tu mittens fratrem nostrum nobiscum, descendemus*, h. est, si tu mittis. In v. 5. simpliciter est מְשַׁלֵּחַ *mittens*, hoc est, mittis.

## Canon V.

*Participium pro præterito perfecto vel imperfecto ponitur, & tùm subintelligendum verbum substantivum præteritum.*

Gen. 42: 23. *Et ipsi nesciebant*, כִּי שֹׁמֵעַ *quod intelligens Joseph*, scil. הָיָה *esset*, h. e. quòd intelligeret.

Exod. 10: 11. *Hoc vos* מְבַקְשִׁים *requirentes*, scil. הֱיִיתֶם *fuistis*, h. e. requisivistis.

Exod. 13: 21. *Et Jehova* הוֹלֵךְ לִפְנֵיהֶם *antecedens eos*, scil. הָיָה *fuit* seu *erat*, h. e. antecessit seu antecedebat eos.

Exod. 14. v. 8. *Et filii Israel* יֹצְאִים *egredientes* scil. הָיוּ *erant*, hoc est, egrediebantur. Egrediebantur autem בְּיָד רָמָה *manu sublatâ*, h. e. non ut fugitivi, trepidè manibus remissis; sed securè, instructâ acie, et dimissi. Sic phrasis ea accipitur Num. 15. vers. 30. Alii ad manum altam seu excelsam Jehovæ referunt, cujus præsidio & ope nixi egrediebatur populus &c.

Deut. 4: 3. *Oculi vestri* הָרֹאוֹת *videntes* (fuêre) *quæ fecit Jehova*, hoc est, viderunt. Sed videtur participium cum ה demonstrativo hic propriam significationem retinere: *Oculi vestri* (sc. sunt) *videntes*, h. *ἑωρακότες qui viderunt*: Participium præsens pro participio præterito, quod in activo Hebræi non habent, uti nec Latini: Græci autem habent.

Sunt & alia duo exempla in can. 9.

Ex N. Test. huc pertinent: Matth. 3: 17. *Et ecce, vox de cœlis λέγουσα, dicens*, hoc est, dixit.

1 Theff. 2: 11. *Sicut nôstis, quomodo unumquemque vestrum, tanquam pater liberos suos, παρακαλοῦντες ὑμᾶς καὶ παραμυθούμενοι, hortantes & consolantes*, vers. 12. *καὶ μαρτυρούμενοι & obtestantes &c.* scil. *fuimus*, hoc est, hortati, consolati, obtestati sumus.

Actor. 24. vers. 5. *εὑρόντες, invenientes hunc hominem pestiferum &c.* hoc est, *εὕρομεν* invenimus: In superioribus enallage non solùm est participii pro verbo, sed & præsentis pro præterito. Hic verò prior tantùm enallage occurrit. Aoristus enim præteriti significationem ordinariè habet.

## Canon VI.

*Participium pro futuro ponitur, & tùm subintelligendum verbum substantivum futuri temporis.*

Gen. 6: 17. *Et ecce ego* מֵבִיא *adducens diluvium aquarum*, scil. אֶהְיֶה *ero*, hoc est, adducam, adducturus sum.

Deut. 2. vers. 2. אַתֶּם עֹבְרִים *vos transeuntes per terminum fratrum vestrorum* &c. scil. תִּהְיוּ *eritis*, hoc est, mox transituri estis.

2 Reg. 4: 16. *Hac ipsâ tempestate, cum hoc tempus vigebit*, אַתְּ חֹבֶקֶת בֵּן *tu amplexans filium*, sc. תִּהְיִי *eris*, h. e. amplexaberis.

Nah. 1. vers. 9. כָּלָה הוּא עֹשֶׂה *consummationem ipse faciens*, sc. *erit*, hoc est, faciet: consumtione affecturus est.

Hag. 2: 6. וַאֲנִי מַרְעִישׁ *& ego commovens*, sc. *ero*, h. e. commovebo.

Sic &, cùm celeritas seu propinquitas rei futuræ innuitur, seu cum participium pro *paulò post futuro* accipitur.

Gen. 19: 13. כִּי מַשְׁחִתִים אֲנַחְנוּ *nam perdentes nos* (sumus) *locum hunc*. hoc est, jamjam perdituri sumus.

Gen. 20: 3. *Ecce tu* מֵת *mortuus*, sc. *es*; h. e. illicò morieris, propter hanc mulierem. Sic 2 Reg. 20: 1.

Ex N. T. exempla videantur tract. 3. de verbo can. 48. §. 3.

## Canon VII.

*Participium quandoque pro infinitivo ponitur apud Græcos.*

Matth. 11: 1. *Et factum est*, ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς διατάσσων τοῖς δώδεκα μαθηταῖς αὐτοῦ, *cùm consummasset Jesus præcipiens duodecim discipulis suis*, hoc est, διατάσσειν, præcipere.

Eph. 1. vers. 16. οὐ παύομαι εὐχαριστῶν ὑπὲρ ὑμῶν, *non cesso gratias agens pro vobis*, h. est, εὐχαριστεῖν, gratias agere. Sic Col. 1: 9. Vide can. 12.

Chrysost. οὐ παύεται λογισμοὺς ἡ διάνοια τίκτουσα, σὺ δὲ τοὺς μὲν φαύλους ἔκτιλλε, τοὺς δὲ ἀγαθοὺς γεώργει. *Mens non cessat parere cogitationes: tu autem malas evelle, bonas verò exerce.* Idem: εὐχαριστοῦντες οὐ διαλιμπάνουσι, *gratias agere non cessant.*

Sic Participia loco *infinitivorum* apud Græcos usurpantur, si addantur verbis *videndi*, *audiendi*, *notitiæ*, *memoriæ*, *existimandi*, *cognoscendi*, *deprehendendi*, *ostendendi*, *convincendi*, *perseverandi*, *desistendi*, & alia quædam: ut habes in Syntaxi præclarâ Rhenii, Reg. 171.

## *Continuatio.*

HActenus enallage Participii *respectu Nominis & Verbi*: Sequitur Participiorum enallage *inter se*. Idque tùm ratione *generis* verbi, tùm ratione *temporis*. De *genere verbi* suprà dictum can. 1. passivum pro activo quandoque usurpari. De enallage ratione *temporis* canone sequenti.

## Canon VIII.

*Participium præsens pro Participio futuro vel mox futuro ponitur.*

EXod. 11: 5. *A primogenito Pharaonis* הַיֹּשֵׁב *sedente super throno suo*, hoc est, sessuro. Chald. דַּעֲתִיד לְמִתַּב *qui futurus erat, ut sederet* &c.

Psal. 78: 4. *Non celabimus filios eorum, generationem posteram*, מְסַפְּרִים *narrantes laudes Jehovæ*, h. est. narraturos. Confer. v. 6.

Eccles. 2: 17. יָמִים הַבָּאִים *Dies venientes*, h. e. venturi.

Jon. 1: 3. *Et invenit navem* בָּאָה *euntem Tharsum*, hoc est, mox ituram. Vide & Jerem. 21: 9.

Nota, in *Hebræo*, propriè loquendo, non esse enallagen in his, præsentis pro futuro (neque enim Hebræi futurum Participium habent) sed significationis quendam idiotismum: Præsens enim significationem futuri, ob defectum Participii futuri, induit. In *Græca* autem lingua, quæ huc pertinent, exempla per enallagen rectè explicantur, cùm in illa futuri temporis Participium habeatur.

Matth. 11. vers. 3. *Tu es ὁ ἐρχόμενος veniens* hoc est, venturus, scil. Messias? Sic Apocal. 1. vers. 8. *Dicit Dominus, qui est, & qui erat, καὶ ὁ ἐρχόμενος, & qui venit*, hoc est, ὁ ἐλευσόμενος. Syrorum locutio hæc est, qui dicunt, דְּאָתֵא *qui venit*, pro qui venturus est, per enallagen ipsis familiarem. Sic paulò superiùs in Hebraismo, יָמִים הַבָּאִים *dies venientes* sunt futuri: & עוֹלָם הַבָּא *seculum veniens*, hoc est, futurum, scil. in immortali vita.

2 Pet. 3: 11. Τέτων ἔν πάντων λυομένων, *Cùm igitur hæc omnia solvantur*, h. e. λυσομένων, *dissolvenda sint* &c.

Hebr. 11: 21. *Jacob* ἀποθνήσκων *moriens*, h. e. mox moriturus, seu morti vicinus.

## *Nota.*

Participium præsens, *Benoni* dictum, etiam actum præteritum quandoque Hæbreis notat. Am. 4. ult. c. 9: 6. Zach. 21: 1.

[a] Quæritur autem, *an participium præsens etiam pro Participio præterito apud Græcos usurpetur?* Socinus, ut argumentum, pro Deitate Christi ex Joh. 3. vers. 13. formatum infringat (*Christum* scil. *in terra Nicodemo astantem, nihilominus fuisse tùm in cœlo, nempè ratione divinæ naturæ*: utrumque enim de se Christus dicit, & *quòd de cœlo descenderet*, & *quòd in cœlis sit*, ὁ ὢν ἐν τῷ ὀυρανῷ) dicit, posse verba illa Græca reddi, *qui erat in cœlo*: igitur nihil solidi in tota argumentatione esse: In lib. contra Bellarm. & Wiek. cap. 7. class. 5. p. 435. Ita & Ostorod. in Institut, cap. 16. pag. 49. *Præsens* igitur Participium pro particip. *Præteriti* temporis positum esse dicunt, ac si ὢν esset pro γεγονὼς, *qui fuit* vel erat. Huic exceptioni respondet D. D. Paulus Tarnovius in lib. contra Socin. pag. 850. negando hanc enallages temporum speciem. *Etsi* (inquit) *Participia præsentis temporis vulgò putentur etiam per præteritum imperfectum posse reddi* (*quâ in opinione etiam Priscianus fuit lib. 11. Laurentius Valla lib. 1. elegant. cap. 31. Julius Cæsar Scaliger lib. 7. de causis Latinæ linguæ cap: 145.*) *tamen idipsum non fieri per se & ex natura Participii, sed ex accidenti, nempè ex conjunctione cum verbo præteriti, aut etiam futuri temporis, docet Frischlinus in Lat. ling. Paralipomenis ad cap. 2. lib. 4. pag. 361. idque probat inductione exemplorum. Terent. And. 1: 1. postquam amans antecessit, precium pollicens, h. e. qui pollicitus est. Eunuch. 1: 1. ultrò ad eam venies, indicans* (h. e. *indicabis*) *te amare, & ferre non posse. Ibid. 2: 2. Conveni hodie, adveniens*, i. e. *postquam adveni. Cicero lib. 2. Epist. 15. Ego de provincia decedens* (*postquam decessi*) *quæstorem Cœlium præposui provinciæ &c.*

[b] Hæc ille rectissimè: quibus addendum, eandem in Græca lingua N. T. ipsius Participii ὢν esse rationem. Videtur id *præteriti* significationem

[a] Contra Socinum.

[b] De Participio ὢν.

cationem quandoque assumere, sed id tantùm fit respectu verbi præcedentis vel sequentis præteriti. Et ut clariùs dicam: fit hæc enallage, quando Participium per Verbum & particulam, *Cùm*, explicandum est; in narrationibus scilic. rerum factarum. Ut, Marc. 14. vers. 3. ὄντος αὐτοῦ, *cum esset in Bethania* &c. Sic vers. 66. Item cap. 11, 11. ὀψίας ἤδη οὔσης *cùm vespera jam esset*. Luc. 24: 6. *Recordemini, quomodo locutus fuerit vobis*, ἔτι ὢν, *adhuc existens in Galilæa:* hoc est, cùm existeret. Joh. 1: 48. *antequam te Philippus vocaret*, ὄντα *existentem sub ficu*, hoc est, cùm esses sub ficu. Sic cap. 11: 51. &c. Aliud verò est, cùm Particip. ὢν simpliciter, extra narrationem historicam, ut præsens aliquid proponitur, ut in loco Johan. 3: 13. in quo duo quidem præterita antecedunt, ἀναβέβηκεν, *ascendit* (in hoc enallage *præteriti pro futuro* est, ut tractat. 3. can. 46. §. 3. dictum: de futura enim ascensione suâ Christus loquitur) & καταβὰς, *qui descendit:* verùm ad illa relationem nullam habet participium præsens, ὁ ὢν, ut in antepositis exemplis; sed absolutè & per se status Salvatoris eo exprimitur. Ideoque ad enallagen præsentis pro præterito nulla ratione deveniendum, nisi forsan ipsa necessitas interpretationis evidens id imperaret. Talis verò necessitas in hoc dicto Christi non est. Christum quippe in præsenti, tùm temporis fuisse in cœlo, adeoque in unitate personæ & verum hominem, & simul verum ac unigenitum Dei Filium, immensum & ubique præsentem esse, λευκοτάτοις ἀποδείξεσι in Scripturis sacris perscriptum est, etsi tenebricosus Socinianorum spiritus idipsum blasphemando perneget. Conferendus igitur locus hic potiùs cum illis, in quibus per particip ὁ ὢν vera Christi divinitas exprimitur. Joh. 1: 18. *Unigenitus filius*, ὁ ὢν, *qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. cap. 6: 46. ὁ ὢν, *qui est à Patre, ipse vidit Patrem*. Rom. 9: 5. *Ex quibus est Christus, secundum carnem*, ὁ ὢν, *qui est super omnia benedictus in secula*. Hebr. 1: 3. ὃς ὢν, *qui est splendor gloriæ & character substantiæ ejus &c.* Conferatur etiam Apocal. 1: 8. ubi sine adjecta voce aliâ, participio, ὁ ὢν, divinitas Jesu nostri exprimitur, ut ex collatione vers. 11. 17. 18. conspicitur. Locus autem, quem Socinus ut parallelum adfert pro suâ expositione (Johan. 6: 62. ἐὰν οὖν θεωρῆτε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀναβαίνοντα, ὅπου ἦν πρότερον &c.) alienus est, tàm verbis, quàm re subjectâ. *De Participio præsentis temporis est quæstio* (inquit d. l. Dn. D. Tarnov. p. 851.) *exemplum in contrarium adductum non est Participium, sed verbum temporis imperfecti.* *Præterea Christus loquitur* (Joh. 3.) *de se secundùm humanam naturam; quod indicat nomen filii hominis, ratione unionis cum Deo infinito: in hoc verò* (Joh. 6) *de se quidem secundùm eandem naturam, verùm ratione gloriæ, in quâ erat, quod ad κτῆσιν, ex unione: sed ad tempus, quo erat in statu exinanitionis, quod ad χρῆσιν, abdicata &c.* Conf. de his Christi verbis M. Prolæum in matæolog Socinianâ p. 313.

## *Continuatio.*

Restat Participii *peculiaris constructio*. Quæ vel cum *Nomine est*, vel cum *Verbo*. Nomen vel *antecedit*, vel *sequitur*. Ratione *nominis antecedentis* observanda in Participio diversitas tùm *numeri*, can. 9. tùm *generis*, can. 10. Ratione *consequentis nominis* notanda Participii secundum statum regiminis mutatio, can. 11. Constructio cum *Verbo* quosdam Græcismos concernit can. 12.

## Canon IX.

*Nomini collectivo singulari respondet Participium plurale.*

2. Sam. 3: 1. וּבֵית שָׁאוּל הֹלְכִים וְדַלִּים *Domus verò Saulis euntes* (erant) & *tenues fientes*, h. e. pergebant & attenuabantur: magis magisque attenuabatur domus Saulis.

1. Reg. 1: 40. וְהָעָם מְחַלְּלִים בַּחֲלִלִים & *populus ipse fistulantes* (erant) *fistulis*, h. e. canebant tibiis. Sic Thren. 1. 11.

Hos. 11: 7. וְעַמִּי תְלוּאִים *Populus autem meus suspensi* sunt scil animis, h. e. semper sibi timebit, neque unquam erit animo securo. תְּלוּאִים Participium Pahul pro תְּלוּיִם, à תָּלָה *suspendit*.

Quia in hoc versu difficultas non minima, agnoscente B. Luthero nostro in notâ marginali, placet reliquorum etiam verborum interpretationem hîc adjungere. *Populus meus* (inquit Jehova) *suspensi sunt* לִמְשׁוּבָתִי *propter aversionem* (suam) *à me:* vel *propter rebellionem contra me*. Affixum pro separata voce בִּי est, *contra me*. מְשׁוּבָה autem *aversionem* seu *rebellionem* notat, uti & Jerem. 8: 5. cap. 5: 6. Hos. 14: 5. &c. Et notat R. Kimchi in hoc loco quòd vox ista non reperiatur in Scriptu-

ris, nisi לגנאי *ignominiosè*, nempè ut non conversionem in bonum, sed aversionem in malum significet. Sequitur in textu: *Et ad Altissimum vocant eum* (Prophetæ) *pariter non exaltat*, h. e. etiamsi Prophetæ vocant (populum) ad Excelsum, ut convertatur: tamen ne unus quidem ex illis reperitur, qui Deum exaltet, laudibus videlicet divinis. In Hebræo futura pro præsentibus usurpantur: על *Excelsus* cum Pathach est, cùm aliàs Cametz sibi substratum habeat cap. 7: 16. De יַחַד confer Psal. 14: 3. יְרוֹמֵם *exaltabit* seu *exaltat*, de exaltatione Dei & celebratione omnium optimè exponitur, ut in cantico Mosis Exod. 15: 2. accipitur, & Psal. 30: 2. Ps. 34: 4. Ps. 99: 5: 9. &c. Ellipsis autem nominis verbum consequentis (quod commodè supplendum) non rara est, ut suo loco dicetur.

Vide & suprà de Verbo can. 53. ubi similis huic canon est.

## Canon X.

*In Participio quandoque anomalia est generis à præcedenti nomine, quo cum convenire debebat. Id quod commode explicandum.*

GEn. 4: 7. *Nonne si benè egeris, remissio; sin verò non benè egeris,* לַפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ *ad fores peccatum excubans est.* Nomen *fœmininum* est, Participium autem *masculinum*, quod ad sensum refertur, conveniens nim. cum synonymo חֵטְא vel עָוֹן ut R. Salomo & AbenEzra docent. Alii per חַטָּאת *peccati pœnam* intelligi putant, & hoc noëma per generum enallagen in Hebræo indicari: quâ ratione fieret oppositio ad antecedens שְׂאֵת *remissio.* Sunt &, qui רֹבֵץ à nomine præcedente, ut diversum membrum sejungunt; & particulæ similitudinis ellipsin statuunt, hoc sensu: *Si non benefeceris, ad januam* (id est, in promtu) *peccatum* (est, velut) *excubans* sc. quadrupes, hoc est, (synecdochicè) sicut canis, cui custodia domus concreditur.

Jerem. 45: 30. וְאַתְּ שָׁדוּד מַה־תַּעֲשִׂי *Tu autem vastata quid facies?* Pronomen *fœmininum* est (uti & verbum sequens) Participium verò *masculinum.* R. Kimchi, cùm quorundam exposuisset sententiam, quòd similitudinis particula desit, ac si sensus esset: *Et tu* כְּשָׁדוּד *instar vastati es:* subjicit, hoc supplemento non esse opus, כי לכנסת ישראל ידבר פעם לשון נקבה פעם לשון זכר וכל אחד מהן נכון *quia Scriptura de Synagoga Israelis quandoque genere masculino loquitur, & quandoque genere fœminino, & utrumque rectum est.*

Jerem. 44: 19. כִּי אֲנַחְנוּ מְקַטְּרִים *cum autem nos adolentes sumus*, h. e. adolemus. Hìc Participium *masculinum* dicitur de fœminis adolentibus, propterea, quòd id scitu & permissu maritorum fecerint, ita ut quasi ipsimet mariti id fecisse viderentur.

## Canon XI.

*Participia maxime pluralia, more & forma nominum, regunt gnitivum; qui tamen Latinè per casum, quem verbum ipsorum regit, ferè exponitur.*

GEn. 4: 2. רֹעֵה צֹאן *pascens oves*, vel Pastor ovium. Zere ante ה loco Sægol est, in statu regiminis,

Gen. 23: 10. לְכֹל בָּאֵי שַׁעַר עִירוֹ *omnibus ingredientibus portam civitatis suæ*, q. d. ingressoribus portæ.

Exod. 1: 5. יֹצְאֵי יֶרֶךְ *egressi femore*, q. d. egressores femoris.

2. Reg. 11: 5. בָּאֵי הַשַּׁבָּת *venientes Sabbatho*, vers. 7. יֹצְאֵי הַשַּׁבָּת *exeuntes Sabbatho.* Sic vers. 9. De Levitis sermo est, quorum *illi* sunt, qui ad ministrandum Sabbatho accedebant: *Hi* verò, quorum ministerium hebdomadarium erat completum, q. d. antecessores Sabbathi, egressores Sabbathi.

Est. 1: 14. רֹאֵי פְּנֵי הַמֶּלֶךְ *Videntes faciem Regis*, q. d. inspectores faciei Regis.

Psal. 78. vers. 9. רוֹמֵי־קָשֶׁת *jaculantes arcu*, q. d. jaculatores arcus. Sic in singulari, Jer. 4. vers. 29.

Psal. 99: 6. בְּקֹרְאֵי שְׁמוֹ *inter invocantes nomen ejus*, q. d. inter invocatores nominis ejus. Vide & Thren. 1: 4, 12.

Conferatur tract. 1. de Nomine, can. 33.

## Canon XII.

*In Græcâ linguâ quædam Participii cum verbo constructio, elegantiam singularem efficit.*

### Hujus generis sunt:

1. Participium cum verbo *Cessandi* constructum, quod pro infinitivo ponitur.

Exempla can. 7. sunt adducta, quibus addantur hæc:

Luc. 5: 4. ὡς δὲ ἐπαύσατο λαλῶν, *cùm autem cessâsset loqui.*

Luc. 7: 45. ἐ διέλιπε καταφιλοῦσα, *non intermisit deosculari pedes meos.*

Vide & Actor. 5. vers. 42. cap. 6: 13. cap. 13: 10. cap. 20: 31. cap. 21: 32. Hebr. 10: vers. 2. Quidam Hebræam phrasin conferunt Hos. 7. vers. 4. *Omnes adulterantur* (æstuantes) *sicut furnus ardens à pistore* (pistoris operâ accensus) quando is ישבות מעיר *desinit vigilans* (hoc est vigilare, seu, cùm somno se dedit, vers. 6.) quod Græcè esset, παύεται γρηγορῶν. Sequitur (ut & hoc addamus in loco subobscuro) *ex quo subacta est massa* (quando farina & aqua commiscebantur indito fermento) *usque dum fermentata sit*, posteà autem surgit & excitat alios, ut depsant afferantque subactam massam, quam ipse porrò coquat. Confer D. Tarnov. in h. l. ubi eruditè Regem pravum cum pistore, corda autem subditorum pravorum, cum furno æstuanti & farinâ fermento infectâ &c. comparat.

Addendum quasi παρέργως cum genitivo nominis, eodem sensu, constructum legi verbum παύεσθαι, *cessare.* 1 Petr. 4: 1. *Qui patitur carne*, πέπαυται ἁμαρτίας, *cessat à peccato, seu desinit peccare.* Unde similis constructio adjectivi conjugati est, 2 Petr. 2: 14. ἀκαταπαύςυς ἁμαρτίας, *non desistentes à peccato*, seu peccare.

Utraque constructio verbi cessandi apud profanos etiam obvia est. *Prior* apud Eurip. in Hercule fur. ἐ παύσομαι τὰς χάριτας μούσαις συγκαταμιγνύς, ἡδίσταν συζυγίαν, *non cessabo ego Gratias jungere Musis, quæ jucundissima est conjugatio.* Sophocl. in Oedipo Tyranno: Θεὸν ἐ λήξω προστάτην ἔχων, *non desinam Deum habere patronum seu defensorem. Posterior*, apud Herodian. Τῆς ὀργῆς ἐπαύσατο, *irasci desiit*, iram deposuit. Xenoph. ἔληξαν τῆς θήρας, *venatu destiterunt*, desierunt venari. Isocr. λῆγε τῶν πόνων, ἔτι πονεῖν δυνάμενος, *desine laborare, dum adhuc laborare potes.* Tale est apud Virgil. 10. Æneid. *Tempus desistere pugnæ.* Horat. lib. 1. car. *Desine mollium tandem querelarum.*

2. Participium cum verbo λανθάνω, *lateo, imprudens facio*, constructum, quod instar verbi explicandum, & vice versâ λανθάνω, quasi nomen vel participium, per quandam quasi hypallagen.

Hebr. 13. vers. 2. *Hospitalitatis ne obliviscamini; per hanc enim* ἔλαθόν τινες, ξενίσαντες ἀγγέλους, h. e. ἐξένισαν λαθόντες, *inscii vel imprudentes quidam hospitaverant* (seu hospitio exceperunt) *Angelos.* Talia sunt apud profanos Scriptores. Sophocl. Epist. Σκοπεῖν, μὴ διαφθαρεὶς λάθῃ, *videndum, ne incautus seu ignarus pereat.* Plato in Gorgiâ: Ταῦτα ἀδικήσας, ἔλαθεν ἑαυτὸν ἀθλιώτατος γενόμενος: *His sceleribus editis, inscius in summam miseriam incidit.* Herodian. l. 1. λύσεις ἀπολέμενος, *inscius vel imprudens peribis.* Plutarch. Μὴ λάθομεν διδόντες, *ne imprudentes demus.* In aliis exemplis, hujus constructionis participium, *ut infinitivus*, exponendum est. Aristoph. δουλεύων λέληθας, *latuit te*, vel ignoras, *te servire.* Athen. ἔλαθεν ὑπερσαρκήσας, *latuit eum, se supra modum factum esse carnosum;* seu non animadvertit, se nimis corpulentum esse factum. Synes. ἐλάθομεν ἐξηνυκότες, *latuit nos, nos perfecisse.* Et sic etiam prius illud, Hebræor. 13. vers. 2. reddi posset: *latuit quosdam, se angelos excipere hospitio.* Ludovic. Vives in lib. 16. August. de C. D. cap. 29. *Est proprietas Græca apud illos frequentissima. Latuerunt hospitantes angelos, pro latebat eos, quod angelos hospitio exciperent.* In quibusdam etiam verbum ipsum *adverbialiter*, participium autem pro *verbo* sumendum. Brut. Epist. ἔλαθεν ἐκπλεύσας, *latenter* seu *clam omnibus enavigavit.* Aristot. in Problem. λανθάνει ἐκπίπτουσα, *latenter excidit.* Cui & exemplum Biblicum conformari posset: *Latenter exceperunt Angelos.* Sed prima expositio reliquis præferenda videtur. Cæterùm, cum Apostolus d. l. ad historiam *Lothi* procul dubio respiciat, qui Angelos hospitio excepit, Genes. 19. igitur verbo ἔλαθον, quidam respectum haberi, & ὑπαίνιξιν seu allusionem fieri ajunt, ad nomen ejus proprium. לוט enim (à quo לוט) *abscondere, delitescere*, λαθεῖν, significat &c.

3. Participium verbi, *missionem* significantis, per Ellipsin quandam verbo adjungitur, non sine elegantiâ.

Matth. 2: 16. *Tum Herodes videns, quòd illusus esset à Magis, iratus est valde*, καὶ ἀποστείλας ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας, *& mittens*

*interemit omnes pueros &c.* Sic Marc. 6: 17. Act. 7: 14.

Matth. 14: 10. *καὶ πέμψας ἀπεκεφάλισε τὸν Ἰωάννην ἐν τῇ φυλακῇ, & mittens decollavit Johannem in carcere.* Ellipsin cujusdam nominis hac in phrasi esse, patet ex Marc. 6. v. 27. *καὶ εὐθέως ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτωρα ἐπέταξεν ἐνεχθῆναι τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ*, vers. 28. *ὁ δὲ ἀπελθὼν ἀπεκεφάλισεν αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ.* Sensus igitur phraseos illius est, per alium effectum fuisse datum id, quod exprimitur. Ex Polybio lib. 14. Casaubonus idem dicendi genus adfert: *τοὺς μὲν γὰρ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐπαποστέλλων ἀνῄρει: Hos quidem in viis mittens interemerat &c.* Et ex Strabone: *Ἀθηναῖοι δὲ ποτε πέμψαντες, ἠβηδὸν κατέσφαξαν τοὺς πλείστους, Athenienses verò mittentes, petulanter jugulârunt multos.*

Similis Ellipsis (non tamen ad participium, sed ad verbum) in Vet. Test. occurrit. Gen. 41: 14. *Et misit Pharao & vocavit Joseph*, h. est, per nuncium ablegatum vocari eum curavit. Psal. 57: 4. *Mittet è cælo & liberabit me.* Mittet scilicet Angelos, per quos me eruet ex periculis. Vel mittet mihi auxilium, & sic me eripiet. Sic 1 Reg. 2: 25. Conferatur etiam Apoc. 1: 1. ubi ellipsis illa ad Participium completur &c.

Tantum de doctrina PARTICIPII.

*PARTICIPEM carnis nostræ Te, Christe, tenemus:*
*PARTICIPES vitæ simus ut usque tuæ.*

Johan. 1.

vers. 14. *καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο.*
vers. 4. *ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν.*

TRA

# TRACTATUS V.

## DE

# ADVERBIO.



Ebræorum voces ad tres orationis partes Grammatici revocant, ut ex R. Kimchi in Michlol, & aliis videre est, שֵׁם *nomen*; 2. פֹּעַל *verbum*; 3. מִלַּת הַטַּעַם *dictionem* sive *particulam gustus*, quam ita vocant, quòd orationem velut condiat, ita ut non solùm circumstantias notet, sed & orationis ambiguitatem & difficultatem tollat, ut Bertramus loquitur: Vocari etiam hujus ultimæ classis dictiones כֵּלִים *instrumenta*, Pagninus tradit, h. e. colligationes quasdam inter substantiam & accidens, seu inter nomen & verbum: Nomen enim per modum substantiæ, verbum per nomen accidentis significari ajunt. Has autem מִלּוֹת הַטַּעַם ita dividunt, quòd sint tùm *syllabicæ adjectiones*, ut sunt præfixa & affixa, tùm *integræ dictiones*, utpotè, Adverbia, Conjunctiones, Præpositiones, Interjectiones. Dn. Schindlerus paulò aliter: מִלָּה *dictio* (inquit) *consignificativa*, tertia orationis pars, quæ est aut מִלַּת הַטַּעַם *dictio sensus* seu significationis, quæ significationem verbi & nominis auget, seu declarat; ut Pronomen, Adverbium, Interjectio, συγκατηγόρημα; aut מִלַּת הַדֶּבֶק *dictio cohæsionis*, quæ Nomen & Verbum, connectit, ut Conjunctio & Præpositio, σύνδεσμος. Dn. D. Helvicus ita dividit: Vocum species tres sunt, *nomen*, *verbum*, & *advocabulum*, seu מִלָּה *dictio*, quæ vel *circumstantiva* vel *continuativa*, vel *affectiva*. *Circumstantiva* est, quæ circumstantiam aut statum aliquem rei denotat. Et est vel *completa*, quæ sine vocis primariæ ope id præstat, & dicitur adverbium: Vel *incompleta* quæ alterius adminiculo indiget, ad plenè indicandum circumstantiam, & dicitur Præpositio. *Continuativa* est, quæ nexum plurium vocum denotat, ad sententiæ continuationem, & dicitur Conjunctio. *Affectiva* est, quæ affectum seu commotionem animi significat, & dicitur Interjectio. Vulgari & usu tritâ nos orbitâ incedemus, & usitatam Grammaticorum Latinorum distinctionem, uti hactenus, ita & in posterum sequemur, & sic, quæ ex octo orationis partibus supersunt, simplici stylo exponemus.

De Adverbio *in genere* quædam monenda sunt: pòst ad *specialem* enumerationem deveniendum.

*In genere* occurrit ejus 1. circumscriptio, 2. repetitio, 3. singularis constructio: de quibus canones tres sequentes agunt.

## Canon I.

*Adverbium quandoque aliarum vocum positione vel combinatione circumscribitur, & constituitur.*

1. *Substantivum nomen verbo additum, ponitur interdum pro Adverbio, vel sine, vel cum Præpositione.*

*Sine Præpositione:* Psal. 75: 3. *Cùm accepero tempus constitutum*, אֲנִי מֵישָׁרִים אֶשְׁפֹּט *ego rectitudinibus judicabo*, hoc est, rectissimé. Alibi cum præpositione est, בְּמֵישָׁרִים Psal. 96. vers. 18. Psal. 98: 9.

Ps. 139: 14. *Confiteor tibi* (laudo te) eò quòd נוֹרָאוֹת נִפְלֵיתִי *terribilibus mirificatus sum*, h. e. terribiliter, stupendè, mirabiliter.

Prov. 31: 9. *Aperi os tuum*, שְׁפָט־צֶדֶק *judica justitiam*, h. e. justè.

Esa. 21: 7. קֶשֶׁב רַב קָשֶׁב *attentione, multa attentione*, h.e. attenté, attentissimè. Duplicatio emphasin intendit, secundùm canonem sequentem.

Esa. 41. vers. 2. *Quis excitavit ab Oriente?* צֶדֶק יִקְרָאֵהוּ *justitia vocavit eum ad vestigia sua &c.* hoc est, justè vocavit eum. Loquitur de Abrahamo, quem justè Deus vocavit ad pedem suum,

suum, seu vestigia sua, h. e. quàm justissimè & efficacissime rexit pro vocatione suâ, cujus lex habetur Gen. 17. 1. *continenter ambula coram me, & esto integer*. Quidam צֶדֶק abstractum ut concretum explicant, & verbo antecedenti jungunt: *Quis excitavit ab Oriente justum?* Sed obstat accentus distinctivus.

Thren. 1: 9. *Descendet* פְּלָאִים *mirabilibus*, h. e. mirabiliter, q. d. multorum cum admiratione, qui rationem, quâ ita descenderit, seu dejecta fuerit, investigare nequeunt.

Brentius huc refert verba Psal. 11: 1. Ubi vetus (inquiens) translatio habet, *sicut passer*, ibi Hebræus habet צִפּוֹר quod est generale nomen avium, & significat etiam manè *surgere*. Nos igitur interpretati sumus, *velociter* seu citò. Solenne enim est Hebræis, ut nominibus pro adverbiis utantur.

*a* πυγμῇ quid sit?

*a* In Nov. Test. Marc. 7: 3. πυγμῇ. Qua de voce ita Casaub. in notis: Quid sit πυγμῇ *lavare manus*, quærunt Interpretes. Mihi videtur ea vox non aliud significare, quàm ἐπὶ πολὺ, id est, *sedulò & accuratè*, ut Syrus quoque Interpres existimavit. Nam πὺξ quidem & πυγμῇ parùm omninò inter se differunt. Πὺξ autem interdum, adverbialiter sumtum, idem significat, quod *diligenter & assiduè*, ut incerti auctoris apud Suidam locus testatur, in quo πὺξ & ἐπὶ πολὺ, ἐξηγητικῶς conjunguntur. Jam verò πυγμῇ in tertio casu adverbiascit, ut κύκλῳ, παῤῥησίᾳ, aliaque id genus &c. Beza vertit *pugno*: ut intelligatur summo studio affectatas fuisse istas ablutiones à Judæis, ut facere solent, qui manum manui affricant, & pugnum inserunt alterius palmæ.

*b* De Judæorum ablutionibus manuum.

*b* Placet hic adscribere, quæ de ritu χειρονιψίας Judaico, & aliis, Munsterus tradit in Deuter. 8. *In libro* (inquit) *centum benedictionum, in nullo loco non occurrunt hujusmodi Judæorum neniæ. Et ut obiter de his, quæ in mensa jubent observari, faciam mentionem, dicunt decem in qualibet refectione servanda: 1. Quòd absque mensa instructâ non sit edendum. 2. Quòd manus priùs sint abluendæ & tergendæ, alioquin panis, qui comeditur, immundus judicatur. Atque hîc mira invenies ab eis diffiniri. Standum est, inquiunt, cùm lavas manus, & non innitendum parieti aut aliquo sustentaculo. Eligenda aqua pura, non salsa aut corrupta, quam canis dedignatur bibere. Fundenda est aqua tribus vicibus super manus: in prima fusione sunt digiti sursum levandi, in posterioribus verò demittendi. Sunt manus simul lavandæ, non una post alteram. Nec satis erit, si manus absque aquâ cum mappa benè terseris, aut si illotis manibus ad mensam accesseris, & cochleari usus, nuda manu cibum non contigeris. Qui verò è cloaca ad mensam accedere voluerit, is tenetur bis lavare manus suas. 3. Opus est in lotura manuum, ut manus sinistra tanquam famula subserviat dextræ. 4. Lotæ manus sursum sunt levandæ ad benedicendum Deum, juxta illud: extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino. 5. & 6. Aliæ quoque dicendæ sunt benedictiones. 7. Pauperibus aliquid dandum de cibis. 8. Nemo in donis Dei sit vorax & gulosus, sed comedendum est cum timore Dei & honestate. 9. Mensa non debet peragi absque verbis legis. 10. Abluendæ manus post cibum sumtum &c.* Hæc ille, ex quibus judicium de interpretatione vocis πυγμῇ (quâ sedulò & accuratè significare dictum est) fieri potest. Videatur etiam de ritu χειρονιψίας Dn. Schikhardus in eruditissimo tractatu de משפט המלך seu *jure Regio Hebræorum*, c. 5. p. 150. seqq.

Marc. 8: 32. Παῤῥησίᾳ *palàm, libere, apertè*. Unde παῤῥησίᾳ λαλεῖν, *libere loqui*, ibid. & Joh. 7: 13, 26. cap. 10: 24. cap. 11: 14. cap. 16: 25, 29. cap. 18: 20. &c. παῤῥησίᾳ περιπατεῖν, *liberè ambulare*. Joh. 11: 54.

Actor. 16: 37. δημοσίᾳ *publicè*. 1. Cor. 12: 11. ἰδίᾳ *sigillatim*. Utrumque in illo Æschinis conjungitur: οὐδέγε ὁ ἰδίᾳ πονηρὸς, οὐκ ἄν ποτε γένοιτο δημοσίᾳ χρηςός. *Qui privatim malus, nunquam publicè bonus.*

Huc pertinet Sirac. 18: 1. Κοινῇ *communiter* seu *universaliter*. *Qui vivit in æternum, creavit omnia κοινῇ, universaliter*. Hebraicè esset יַחְדָּו *pariter, simul illa*. Junius: *Communi lege*, nempe rebus creatis omnibus, ut ortum & interitum habeant: & penes ipsum solum in rebus omnibus constat perfectio, ut docent sequentia.

Talia sunt: In Euripide, σπουδῇ, *celeriter*: σιγῇ, *tacitè*. In Homero, σιωπῇ, *tacite*.

Ex dictis igitur patet: *In dativo fœmininum nomen apud Græcos non rarò adverbiascere*. De *accusativo* exemplum habetur infrà can. 17. §. 3. τὴν ἀρχὴν &c.

Quomodo adjectiva *neutri* generis ponantur pro Adverbiis, vide Rhen. in synt. reg. 174.

Latinis hoc etiam in usu positum est. Dicunt enim: *Horrendum clamat: torvum videt. Magnum stridens Aquilone procella:* ubi adverbii significatio in accusativo neutro est. Sylvulam horum benè copiosam, vide apud Vechnerum lib. 1. hellenolex. p. 45. seqq.

*Cum præpositione*: Exod. 1: 13. *Et servire fecerunt Ægyptii filios Israel* בְּפָרֶךְ *in sævitia*, seu *duritie*, h. e. sæviter, duriter. Sic Gen. 34: 13. Psal. 9: 9.

Jud. 18: 7. *Viderunt populum in medio ejus* (civitatis Lais) יוֹשֶׁבֶת לָבֶטַח *quæ habitabat ad securitatem*, h. e. securè. Sic Levit. 25: 18. Hos. 2: 20. Ps. 4: 9.

Job. 36: 31. *Cum illis judicaturus est populos: daturus*

*daturus cibum* לְמַכְבִּיר *ad multiplicantem*, h. e. multipliciter, abundè.

In N. T. Matth. 22: 16. *Magister, scimus, quòd verax es, & viam Dei ἐν ἀληθείᾳ, in veritate doces*, h. e. veraciter, rectè.

Marc. 12: 31. *Rectè, Magister, ἐπ' ἀληθείας, in veritate dixisti*, h. e. verè.

Actor. 26: 7. *ἐν ἐκτενείᾳ, in extensione* seu *assiduitate*, pro *ἐκτενῶς*, assiduè.

2 Corinth. 9. vers. 6. *Qui parcè seminat, parcè etiam metet: & qui seminat, ἐπ' εὐλογίαις, in benedictionibus, in benedictionibus etiam metet.* h. e. copiosè & liberaliter, uti oppositio ostendit. Tale est illud Psal. 84. vers. 7. בְּרָכוֹת (in) *benedictionibus operit* (eos) *pluvia*, h. est, copiosè. Ubi בְּרָכָה pro נְדָבָה ponitur; sicut in superiori, *εὐλογία* pro *δαψιλείᾳ*, *benedictio* pro *largitate* seu affluentia. Quæ enim benedicuntur à Deo, illa multiplicantur & augentur.

Hebr. 12: 1. *δι' ὑπομονῆς, per constantiam curramus propositum nobis stadium*, hoc est, constanter.

Apoc. 18: 2. *Et exclamavit ἐν ἰσχύϊ, in fortitudine*, h. e. *ἰσχυρῶς*, fortiter. Vide Drusium præter. lib. 10. p. 438.

2. *Cùm duo verba ejusdem temporis conjunguntur, tùm prius sæpè adverbii naturam induit.* Exempla videantur tract. 3. can. 35.

3. *Verbum finitum cum infinitivo junctum, quandoque pro adverbio ponitur.* Vide & de hoc tract. 3. can. 36.

## Canon II.

*Adverbium vel secum ipso, vel cum synonymo suo conjunctum ἐπίτασιν & significationis emphasin impertat.*

1. Si adverbium *idem* repetatur, ferè superlativa denotatur locutio.

Exod. 23: 30. מְעַט מְעַט *parùm, parùm, expellam illum à conspectu tuo*, h. e. admodum sensim & paulatim.

Deut. 28: 43. *Peregrinus, qui in medio tui erit, ascendet supra te* מַעְלָה מָעְלָה *suprà, suprà; & tu descendes* מַטָּה מָטָּה *infra, infra*, h. e. perquàm supremè, perquam infimè.

2 Reg. 10. vers. 4. *Et timuerunt* מְאֹד מְאֹד *valdè, valdè*, h. e. vehementissime. Priori voci additur quandoque pleonasticè præpositio ב *in*, Exod. 1. vers. 7. *Et roborati sunt* בִּמְאֹד מְאֹד *valdè, valdè*, hoc est, copiosissimè, quàm plurimùm, Sic Genes. 17: 6, 20. Ezech. 16. vers. 13.

Ezech. 42: 15. *Et mensus est illam* סָבִיב סָבִיב *circùm, circum*, h. e. circumquaque, ab omnibus partibus.

Sic apud Syros. Matth. 4: 24. ܒܝܫ ܒܝܫ *malè, malè*, h. e. pessimè.

Denotatur etiam hâc repetitione quandoque distributio. Levit. 6: 5. *Et accendet super eo Sacerdos ligna*, בַּבֹּקֶר בַּבֹּקֶר *manè, manè*, h. est, quolibet manè seu tempore matutino. Sic in adverbiis loci, can. 4.

2. Adverbiorum *Synonymorum* conjunctio emphaticè fit.

Exod. 14. vers. 11. *Et dixerunt ad Mosen:* הֲמִבְּלִי אֵין *an non sepulcra in Ægypto &c.* q. d. an prorsus seu omninò nulla sepulcra in Ægypto?

Num. 12: הֲרַק אַךְ *an solùm tantummodò per Mosen loquitur Jehova?* q. d. an omninò solùm per Mosen loquitur, omnibus reliquis prorsus exclusis?

Esa. 30: 13. פִּתְאֹם לְפֶתַע *repentè momento veniet fractura ejus*, hoc est, maximè subitò & repentè. Sic & cap. 29. vers. 5. Num. 6. vers. 9.

Joel. 3: 4. (al. 9.) קַל מְהֵרָה *leviter velociter reddam retributionem vestram in caput vestrum*, h. e. velocissimé. Sic Esa. 5: 26. Nomina hîc pro Adverbiis posita sunt.

Sic & in his, quæ cum præfixo sunt; הַאִם *an num*, Job. 6: 13. Sufficeret vel הֲ vel אִם cùm utrumque interrogativum sit. כְּמוֹ־כֵן *similiter sic*, Esa. 51: 6. &c.

Plautus simili ratione locutus est in Mil. *Ita abripuit repentè sese subitò.* Et Terent. Heautont. 5: 1. *Quidni? unà mecum simul.* Sic Cicero Ver. 1. *Sed repente è vestigio ex homine, tanquam aliquo Circæo poculo, factus est Verres.* Sylvulam ejusmodi particularum pleonasticarum apud auctores Latinos, vide in Vechneri hellenolexiâ lib. 1. c. 19.

## Canon III.

*Adverbium Græcum, quod affectionem animi vel corporis significat, si cum verbo ἔχω construatur, ut nomen cum substantivo verbo quandoque exponendum est.*

Marc. 5: 23. *ἐσχάτως ἔχειν, extreme habere*, hoc est, in extremis constitutum esse, seu morti vicinum esse: Mors enim ultima linea rerum est.

Actor. 21: 13. *ἑτοίμως ἔχειν, paratè habere*, hoc est, paratum esse. Sic 2 Cor. 12: 14. 1 Petr. 4: 5.

In quibusdam Latinus sermo, Græco ex asse respondet. Marc. 6: 55. κακῶς ἔχειν, malè habere, seu ægrotare. Joh. 4: 51. Κομψότερον ἔχειν, meliùs habere, seu convalescere.

Quandoque Adverbium in periphrasin nominis cum præpositione videtur conversum. De quâ can. 1. Joh. 5. vers. 5. *Erat autem quidam illic, tricesimum octavum annum* ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ, h. e. ἔχων ἀσθενῶς, *malè habens*, morbo affectus. In v. 6. ellipsis est Adverbii hujus.

Apud profanos hujus elegantiæ exempla sunt, in Isocr. ἀεὶ ἡ πόλις ἡμῶν ἡγεμονικῶς ἔχει. *Resp. nostra semper fuit appetens imperii.*

Demosth. 3. Philip. ἀρχαίως ἔχει, *est homo antiquâ virtute & fide.*

Rursus Isocr. Λακεδαιμόνιοι δυσπείςως ἔχουσι, *Lacedæmonii impersuasibiles sunt*, seu, iis non facilè persuaderi potest. Sic ἡδέως ἔχειν *jucundum seu gratum esse*: ἐνδεῶς ἔχειν, *indigum esse*: μαλακῶς ἔχειν, *infirmum esse*: ἀδυνάτως ἔχειν, *non esse potentem seu non posse*. Alia hujus generis vide in Syntaxi Rhenii reg. 183, 184.

## *Continuatio.*

Hactenus de Adverbio in genere. *In specie* distinctio dari potest hæc, quòd Adverbia vel *circumstantiam*, vel *actionem*, vel *qualitatem* notent. *Circumstantiam* exprimunt Adverbia 1. Loci, 2. Temporis, 3. Numeri. *Actionem* notant Adverbia 4. Demonstrationis, 5. Confirmationis, 6. Negationis. 7. Dubitationis, 8. Exclusionis. *Qualitatem* designant Adverbia 9. Similitudinis, 10. Limitationis. De quibus jam posito ordine.

# ADVERBIA LOCI.

## Canon IV.

*Adverbii Loci repetitione, intercedente vel conjunctione copulativâ, vel aliâ voce, diversitas loci significatur.*

Exod. 2: 12. וַיִּפֶן כֹּה וָכֹה *& respexit huc & huc*, h. e. huc illuc: ad hunc & alium locum, ad diversa loca.

Jos. 8: 20. *Et non fuerunt in illis vires fugiendi* הֵנָּה וָהֵנָּה *huc & huc*, h. e. huc, illuc. Sic 2 Reg. 2: 8.

Ibid. v. 33. *Et totus Israel, & seniores ejus, moderatoresque & judices ejus adstabant arcæ*, מִזֶּה וּמִזֶּה *hinc & hinc* h. e. utrinque.

1 Reg. 2: 36. (al. 37.) *neque egreditor inde* אָנֶה וָאָנָה *huc & huc*, hoc est, huc aut illuc. Sic v. 42.

2 Reg. 4: 35. *Posteà rursus ibat per domum*, אַחַת הֵנָּה וְאַחַת הֵנָּה *semel huc, & semel illuc*, h. e. modò huc, modò illuc.

Ezech. 40: 49. אֶחָד מִפֹּה וְאֶחָד מִפֹּה *una hinc, & altera hinc*, h. e. hinc inde.

## *Nota.*

De Adverbiis *Locorum* observa etiam hæc varia:

1. *Pro Adverbio Loci quandoque pronomen est.* Matth 2: 9: οὗ *ubi erat puerulus.* Sic Act. 2: 2. cap. 7: 29. cap. 20: 8. Col. 3: 1. significat & οὗ motum ad locum. 1. Cor. 16: 6, *Ut vos me prosequamini*, οὗ ἐὰν *quocunque proficiscar.*

Matth. 26: 36. *Et dixit Jesus discipulis suis, sedete* αὐτοῦ h. e. ἐκεῖ, αὐτόθι, *hîc.*

Sic Act. 18: 19. cap. 21: 4. quibus locis pro *Ibi* accipitur.

Sic in usu aliàs sunt, ταύτῃ *hàc vel isthàc*; ἐκείνῃ *illàc*, ἑτέρᾳ, *aliorsum &c.* subintell. ὁδῷ, *viâ*.

2. *Adverbium quietem in loco denotans, pro Adverbio motus ad locum usurpatur*: ἐκεῖ *illic*, pro eò, *illuc*.

Matth. 2: 22. *Cùm autem audivisset, Archelaum regnare in Judæa pro Herode patre suo, metuit* ἐκεῖ *ibi abire*; pro eò seu illuc.

Sic & ab Anacreonte usurpatur (notante Pfochenio in Diatribe de purit. Ling. Græcæ Nov. Test. p. 194.) πρὶν ἔρως ἐκεῖ μ' ἀπελθεῖν ὑπὸ νερτέρων χορείας Σκεδάσαι θέλω μερίμνας: *Etenim priusquam ad orci rapiar nigri choreas volo dissipare curas.*

3. Ad-

3. Adverbium *Loci* pro adverbio *Temporis* usurpari videtur Hos. 2: 15. *Et dabo ei vineas ejus* מִשָּׁם *ex ibi:* vel *tùm; inde ab eo tempore*, h. e. statim. Sic voculam *Ibi* pro temporis particula accipi notant apud Comicum: *Ibi homo cœpit me obsecrare.* Ita D. Tarnov. in comm. h. l. Significatum hujusmodi in voce שָׁם, ponunt etiam quidam Psal. 14. vers. 5. & Eccl. 3. vers. 17. שָׁם *ibi*, hoc est, tunc, nim. in extremo judicii die. Psal. 36. vers. 13. שָׁם *illic cadent operantes iniquitatem &c.* h. e. tunc, nim. in die judicii. Mollerus in h. l.

# ADVERBIA TEMPORIS.

ADverbium Temporis, vel est ejus *indicativum*, vel *continuativum*, vel *exclusivum*. Tempus adverbio indicatur vel *determinatè*, ut *heri*, *hodiè*, *cras*. Item distributiva, *indies*, *quotannis &c.* Vel *indeterminatè*, ut *quum*, *quando*: item: *statim*, *citò*. De quibus notatu quædam digna occurrunt.

## Canon V.

*Adverbia Temporis determinati & certi, quandoque indeterminatè & indefinitè sumuntur.*

### 1. *Heri* pro quolibet tempore præterito.

2 Sam. 15: 20. תְּמוֹל *heri venisti, & hodiè moverem te ad eundum nobiscum*, hoc est, nuperrimè venisti.

2 Reg. 9. vers. 26. *Si non cædem Nabothi, & cædem filiorum ejus, quam vidi* אֶמֶשׁ *heri vesperi, dictum Jehova, rependero tibi &c*: h. e. nuper.

Job. 8. vers. 9 Qui תְּמוֹל *heri sumus neque experti sumus*, h. e. nuper nati, q. d. hesterni sumus. Wir sind von gestern her. Per μείωσιν instituitur cum priscis majoribus comparatio.

Esa. 30. vers. 33. *Quia paratus est* מֵאֶתְמוֹל *ab heri exitii locus*, h. e. jam antè. Confer Matth. 25. vers. 41. Loquitur de inferno. Vide Dn. D. Gerh. tom. 9. Locor. Theol. de inferno, §. 16. & Münsterum in comm. h. l.

Mich. 2. vers. 8. וְאֶתְמוּל *at heri populus meus quasi hostis insurgebat*, hoc est, tempore hoc antecedente.

Sic usurpantur etiam duo Adverbia connexa, *heri, nudius tertius.*

Gen. 31. vers. 2. *Et vidit Jacob faciem Labanis, & ecce non erat erga se* כִּתְמוֹל שִׁלְשֹׁם *sicut heri nudius tertius*, h. e. sicut antea. Sic vers. 5. Exod. 21. vers. 29, 36. Et interpositâ voculâ: 2 Sam. 3: 17. גַּם תְּמוֹל גַּם שִׁלְשֹׁם *etiam heri, etiam nudiustertius quærebatis Davidem in Regem super vos*, h. e. jam anteà quærebatis.

### 2. *Hodiè* pro præsenti tempore.

Deut. 27. vers. 9. *Attende & audi Israel*, הַיּוֹם *hodiè isto effectus es populus Jehovæ Deo tuo*, h.e. hoc tempore; Nomen adverbiascens.

Psal. 95. vers. 7. הַיּוֹם *hodiè, si vocem ejus audieritis*, vers. 8. *ne obduretis cor vestrum*, h. e. præsenti hoc tempore, quo verbum gratiæ divinæ vobis prædicatur. Heb. 3. vers. 8. hæc verba ab Apostolo adducuntur, & ex illis hæc exhortatio extruitur, vers. 13. *Sed exhortamini vosmetipsos per singulos dies*, ἄχρις ὗ τὸ σήμερον καλεῖται, *quousque hodiè vocatur, ne quis obduretur ex vobis fallaciâ peccati.* Confer 2. Corinth. 6. vers. 2.

Esa. 58. vers. 4. *Non jejunate* כַּיּוֹם *sicut hodiè, ut efferatis in excelsum vocem vestram*, id est, hoc tempore.

Hos. 4. vers. 5. *Itaque corrues* הַיּוֹם *hodiè, & corruet etiam Propheta tecum noctu.* Hodiè, h. e. tempore isthoc & propediem. Ac quod de Prophetis dicit, *nocte casuros*, ostendit allegorice durissimam circumstantiam, quòd cùm apprehendet eos calamitas, etiam conscientiæ malæ stimulis exagitabuntur, quod tantùm ventris sui causa in tantum discrimen adduxerint populum: quæ verba Lutheri sunt in comm. h. l. tom. 4: Jen. Lat: f. 617. b.

[a] Aliâ verò eâque diversissimâ ratione הַיּוֹם *hodiè*, usurpatur in dicto Psal. 2: 7. *Jehova dixit ad me, Filius meus es, ego hodiè genui te.* Quia enim de Filii Dei à Deo Patre generatione his verbis agitur, igitur τὸ *hodiè*, non ratione

[a] Ego hodiè genui Te Psal. 2.

In quibusdam Latinus sermo, Græco ex asse respondet. Marc. 6: 55. κακῶς ἔχειν, *malè habere*, seu ægrotare. Joh. 4: 51. Κομψότερον ἔχειν, *meliùs habere*, seu convalescere.

Quandoque Adverbium in periphrasin nominis cum præpositione videtur conversum. De quâ can. 1. Joh. 5. vers. 5. *Erat autem quidam illic, tricesimum octavum annum* ἔχων ἐν τῇ ἀσθενείᾳ, h. e. ἔχων ἀσθενῶς, *malè habens*, morbo affectus. In v. 6. ellipsis est Adverbii hujus.

Apud profanos hujus elegantiæ exempla sunt, in Isocr. ἀεὶ ἡ πόλις ἡμῶν ἡγεμονικῶς ἔχει. *Resp. nostra semper fuit appetens imperii.*

Demosth. 3. Philip. ἀρχαίως ἔχει, *est homo antiquâ virtute & fide.*

Rursus Isocr. Λακεδαιμόνιοι δυσπείςως ἔχουσι, *Lacedæmonii impersuasibiles sunt*, seu, iis non facilè persuaderi potest. Sic ἡδέως ἔχειν *jucundum seu gratum esse*: ἐνδεῶς ἔχειν, *indigum esse*: μαλακῶς ἔχειν, *infirmum esse*: ἀδυνάτως ἔχειν, *non esse potentem seu non posse*. Alia hujus generis vide in Syntaxi Rhenii reg. 183, 184.

### *Continuatio.*

HActenus de Adverbio in genere. *In specie* distinctio dari potest hæc, quòd Adverbia vel *circumstantiam*, vel *actionem*, vel *qualitatem* notent. *Circumstantiam* exprimunt Adverbia 1. Loci, 2. Temporis, 3. Numeri. *Actionem* notant Adverbia 4. Demonstrationis, 5. Confirmationis, 6. Negationis. 7. Dubitationis, 8. Exclusionis. *Qualitatem* designant Adverbia 9. Similitudinis, 10. Limitationis. De quibus jam posito ordine.

# ADVERBIA LOCI.

## Canon IV.

*Adverbii Loci repetitione, intercedente vel conjunctione copulativâ, vel aliâ voce, diversitas loci significatur.*

EXod. 2: 12. וַיִּפֶן כֹּה וָכֹה *& respexit huc & huc*, h. e. huc illuc: ad hunc & alium locum, ad diversa loca.

Jos. 8: 20. *Et non fuerunt in illis vires fugiendi* הֵנָּה וָהֵנָּה *huc & huc*, h. e. huc, illuc. Sic 2 Reg. 2: 8.

Ibid. v. 33. *Et totus Israel, & seniores ejus, moderatoresque & judices ejus adstabant arcæ*, מִזֶּה וּמִזֶּה *hinc & hinc* h. e. utrinque.

1 Reg. 2: 36. (al. 37.) *neque egreditor inde* אָנֶה וָאָנָה *huc & huc*, hoc est, huc aut illuc. Sic v. 42.

2 Reg. 4: 35. *Posteà rursus ibat per domum*, אַחַת הֵנָּה וְאַחַת הֵנָּה *semel huc, & semel illuc*, h. e. modò huc, modò illuc.

Ezech. 40: 49. אֶחָד מִפֹּה וְאֶחָד מִפֹּה *una hinc, & altera hinc*, h. e. hinc inde.

### *Nota.*

De Adverbiis *Locorum* observa etiam hæc varia:

1. *Pro Adverbio Loci quandoque pronomen est.* Matth 2: 9: οὗ *ubi erat puerulus.* Sic Act. 2: 2. cap. 7: 29. cap. 20: 8. Col. 3: 1. significat & οὗ motum ad locum. 1. Cor. 16: 6, *Ut vos me prosequamini*, οὗ ἐὰν *quocunque proficiscar.*

Matth. 26: 36. *Et dixit Jesus discipulis suis, sedete* αὐτοῦ h. e. ἐκεῖ, αὐτόθι, *hîc.*

Sic Act. 18: 19. cap. 21: 4. quibus locis pro *Ibi* accipitur.

Sic in usu aliàs sunt, ταύτῃ *hàc vel isthàc*; ἐκείνῃ *illàc*, ἑτέρᾳ, *aliorsum &c.* subintell. ὁδῷ, *viâ.*

2. *Adverbium quietem in loco denotans, pro Adverbio motus ad locum usurpatur*: ἐκεῖ *illic*, pro *eò, illuc.*

Matth. 2: 22. *Cùm autem audivisset, Archelaum regnare in Judæa pro Herode patre suo, metuit* ἐκεῖ *ibi abire*; pro eò seu illuc.

Sic & ab Anacreonte usurpatur (notante Pfochenio in Diatribe de purit. Ling. Græcæ Nov. Test. p. 194.) πρὶν ἔρως ἐκεῖ μ' ἀπελθεῖν ὑπὸ νερτέρων χορείας Σκεδάσαι θέλω μερίμνας: *Etenim priusquam ad orci rapiar nigri choreas volo dissipare curas.*

3. Ad-

3. Adverbium *Loci* pro adverbio *Temporis* usurpari videtur Hos. 2: 15. *Et dabo ei vineas ejus* מִשָּׁם *ex ibi:* vel *tùm; inde ab eo tempore*, h. e. statim. Sic voculam *Ibi* pro temporis particula accipi notant apud Comicum: *Ibi homo cœpit me obsecrare.* Ita D. Tarnov. in comm. h. l. Significatum hujusmodi in voce שָׁם, ponunt etiam quidam Psal. 14. vers. 5. & Eccl. 3. vers. 17. שָׁם *ibi*, hoc est, tunc, nim. in extremo judicii die. Psal. 36. vers. 13. שָׁם *illic cadent operantes iniquitatem &c.* h. e. tunc, nim. in die judicii. Mollerus in h. l.

# ADVERBIA TEMPORIS.

ADverbium Temporis, vel est ejus *indicativum*, vel *continuativum*, vel *exclusivum*. Tempus adverbio indicatur vel *determinatè*, ut *heri*, *hodiè*, *cras*. Item distributiva, *indies*, *quotannis &c*. Vel *indeterminatè*, ut *quum*, *quando*: item: *statim*, *citò*. De quibus notatu quædam digna occurrunt.

## Canon V.

*Adverbia Temporis determinati & certi, quandoque indeterminatè & indefinitè sumuntur.*

### 1. *Heri* pro quolibet tempore præterito.

2 Sam. 15: 20. תְּמוֹל *heri venisti, & hodiè moverem te ad eundum nobiscum*, hoc est, nuperrimè venisti.

2 Reg. 9. vers. 26. *Si non cædem Nabothi, & cædem filiorum ejus, quam vidi* אֶמֶשׁ *heri vesperi, dictum Jehova, rependero tibi &c*: h. e. nuper.

Job. 8. vers. 9 Qui תמול *heri sumus neque experti sumus*, h. e. nuper nati, q. d. hesterni sumus. Wir sind von gestern her. Per μείωσιν instituitur cum priscis majoribus comparatio.

Esa. 30. vers. 33. *Quia paratus est* מֵאֶתְמוּל *ab heri exitii locus*, h. e. jam antè. Confer Matth. 25. vers. 41. Loquitur de inferno. Vide Dn. D. Gerh. tom. 9. Locor. Theol. de inferno, §. 16. & Münsterum in comm. h. l.

Mich. 2. vers. 8. וְאֶתְמוּל *at heri populus meus quasi hostis insurgebat*, hoc est, tempore hoc antecedente.

Sic usurpantur etiam duo Adverbia connexa, *heri*, *nudius tertius*.

Gen. 31. vers. 2. *Et vidit Jacob faciem Labanis, & ecce non erat erga se* כִּתְמוֹל שִׁלְשֹׁם *sicut heri nudius tertius*, h. e. sicut antea. Sic vers. 5. Exod. 21. vers. 29, 36. Et interpositâ voculâ: 2 Sam. 3: 17. גַּם תְּמוֹל גַּם שִׁלְשֹׁם *etiam heri, etiam nudiustertius quærebatis Davidem in Regem super vos*, h. e. jam anteà quærebatis.

### 2. *Hodiè* pro præsenti tempore.

Deut. 27. vers. 9. *Attende & audi Israel*, הַיּוֹם *hodiè isto effectus es populus Jehovæ Deo tuo*, h.e. hoc tempore; Nomen adverbiascens.

Psal. 95. vers. 7. הַיּוֹם *hodiè, si vocem ejus audieritis*, vers. 8. *ne obduretis cor vestrum*, h. e. præsenti hoc tempore, quo verbum gratiæ divinæ vobis prædicatur. Heb. 3. vers. 8. hæc verba ab Apostolo adducuntur, & ex illis hæc exhortatio extruitur, vers. 13. *Sed exhortamini vosmetipsos per singulos dies*, ἄχρις οὗ τὸ σήμερον καλεῖται, *quousque hodiè vocatur, ne quis obduretur ex vobis fallaciâ peccati.* Confer 2. Corinth. 6. vers. 2.

Esa. 58. vers. 4. *Non jejunate* כַּיּוֹם *sicut hodiè, ut efferatis in excelsum vocem vestram*, id est, hoc tempore.

Hos. 4. vers. 5. *Itaque corrues* הַיּוֹם *hodiè, & corruet etiam Propheta tecum noctu.* Hodiè, h. e. tempore isthoc & propediem. Ac quod de Prophetis dicit, *nocte casuros*, ostendit allegorice durissimam circumstantiam, quòd cùm apprehendet eos calamitas, etiam conscientiæ malæ stimulis exagitabuntur, quod tantum ventris sui causa in tantum discrimen adduxerint populum: quæ verba Lutheri sunt in comm. h. l. tom. 4: Jen. Lat: f. 617. b.

ᵃ Aliâ verò eâque diversissimâ ratione הַיּוֹם *hodiè*, usurpatur in dicto Psal. 2: 7. *Jehova dixit ad me, Filius meus es, ego hodiè genui te.* Quia enim de Filii Dei à Deo Patre generatione his verbis agitur, igitur τὸ *hodiè*, non ratione

ᵃ Ego hodiè genui Te Psal. 2.

ratione ullius successionis, sed ratione nudæ præsentiæ (quod enim jam est & hodiè, id præsens est) Deo competit, & sic meram æternitatem notat. August. super Psal. 2: *Hodiè præsentiam significat, jam verò in æternitate nec præteritum quicquam est, quasi esse desierit, nec futurum, quasi nondum sit, sed præsens tantùm.* הַיּוֹם propriè est, *dies hæc*: intelligitur, si Deo πρὸς ἔσω attribuatur, ἡμέρα αἰῶνος, *dies æternitatis*, de qua 2 Petr. 3: 18. Apostolus Hebr. 1: 5. soli Christo, & non Davidi hæc verba Psalmi accommodat.

### 3. *Cras* pro futuro tempore indeterminatè.

GEn. 30: 33. *Sic attestetur mihi justitia mea* מָחָר *cras*, h. e. posthac.

Exod. 13: 14. *Cùm interrogaverit te filius tuus* מָחָר *cras*, hoc est, futuro tempore. LXX. μετὰ ταῦτα. Sic Deut. 6: 20. Jos. 4: 6. 21. cap. 22: 24. (al. 27.) Prov. 27: 1. Esa. 22: 13. cap. 56: 12. 1 Cor. 15: 32. Jac. 4: 13, 14.

Matth. 6: 34. *Nolite soliciti esse* εἰς τὴν αὔριον *in crastinum*, hoc est, in futurum tempus. Sic apud Athenæum lib. 7: Φροντίζειν εἰς αὔριον. Hier. in Epist. ad Amand. 147. *Interrogas, quid significet illud in Euangelio juxta Matthæum: Nolite soliciti esse de crastino, sufficit enim diei malitia sua? Crastinum in Scripturis sanctis futurum tempus significat. Qui ergo de futuris nos cogitare prohibuit, concessit de præsentibus propter humanæ vitæ fragilitatem &c.*

*Hodiè & cras, ac tertiâ die*, de brevi tempore Christus usurpat. Luc. 13: 32. *Ecce ejicio dæmonia, & sanationes perficio hodiè & cras, & tertiâ die consummor*, h. e. exiguo adhuc temporis spatio operor, & post breve illud tempus consummor.

## Canon VI.

*Semper seu jugiter, quæ vox tempus continuatum denotat, quandoque cum restrictione & intercapedine aliquâ temporis accipiendum, ut vel* sæpè, *vel* frequenter, *vel aliud significet.*

EXod. 27: 20. *Ad accendendum lucernam* תָּמִיד *jugiter*. Videtur asseri, quòd lucernæ continuò & semper ardere debeant, cùm tamen à vespere ad mane accensæ tantùm manserint, ut ex vers. 21: & cap. 30: 8. Lev. 24: 3. 1 Sam. 3: 3. constat. Quod si non ad lucernæ lumen, sed ad ejus accensionem referatur (uti Hebræa vox commonstrat, לְהַעֲלֹת *ad evehendum* seu instruendum, scil. lucernas, ut luceant) tum תָּמִיד *jugiter*, idem est, ac quotidiè: singulis diebus à Sacerdotibus illa lucernarum accensio fieri debet.

Exod. 28: 30. *Sic portabit Aharon jus filiorum Israelis supra cor suum coram Jehova* תָּמִיד *jugiter*, scil. quoties ingreditur tabernaculum coram Jehova, ut eodem versu antecedit.

1 Reg. 10: 8. *Beati homines tui, beati servi tui, qui stant coram te* תָּמִיד *jugiter, qui audiunt sapientiam tuam*, hoc est, frequenter.

Luc. 18. v. 1. Dixit eis *Parabolam*, πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι, *quod oporteat semper orare*, hoc est, quàm sæpissimè. Opponitur enim intermissioni ex tædio & desperatione, ut ex consequenti ἀντιθέσει conspicitur: *καὶ μὴ ἐκκακεῖν, & non segnescere* seu elanguescere, & quasi ὑπὸ τοῦ κακοῦ νικᾶσθαι, *à malo vinci*, seu malis succumbere, quæ vis verbi videtur esse. Confer Ephes. 3. vers. 13. Roman. 12. vers. 21. Quòd si arctè inhærere voci πάντοτε velimus de oratione mentali, & serii affectus cordis, Deo jugiter verâ fide adhærentis, & continuò ad eum suspirantis, hæc verba intelligenda. Lutherus tom. 1. Jen. Germ. fol. 69. de hoc loco sic loquitur: Es sind Ketzer gewesen / die heissen Euchiten, das ist / Beter / die wolten das Wort Christi halten / und beteten (das ist / sie plapperten mit dem Munde) Tag und Nacht / und thaten sonst nichts / und sahen nicht an ihre Thorheit / den wenn sie assen / und truncken / oder schlieffen / daß sie das Gebet unterlassen musten. Darumb ist das Wort Christi vom geistlichen Gebet gesagt / das mag ohn unterlaß geschehen / auch in leiblicher Arbeit / wiewol niemand das gäntzlich volbringet / den wer mag allezeit sein Hertz zu Gott erheben? Darumb ist durch dasselbe Wort ein Ziel gesetzet / darnach wir uns richten sollen / und wenn wir sehen / daß wir es nicht thun / daß wir uns erkennen / als schwache gebrechliche Menschen / und gedemüthiget werden / und Gnade bitten über unsere Gebrechligkeit.

Luc. 24: 53. Et erant διὰ παντὸς *semper in templo, laudantes & benedicentes Deum*, hoc est, creberrimè, frequentissimè.

Joh. 18: 20. πάντοτε *semper docui in Synago-*

*ga & in Templo*, h. e. quàm frequentissimè. Sic 1 Cor. 1: 4.

Ita & usurpatur, *εἰς τέλος*, in finem quod pro *semper seu perpetuò*, de futuro tempore accipitur. Luc. 18: 5. *ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με*, *ne perpetuò veniens obtundat me*, h. e. ne frequentius adhuc & sæpiùs inposterum obtundat me. Syrus habet, בכל־ זבן *omni tempore*. In V. Test, *εἰς τέλος* apud Septuaginta respondet Hebræo לָנֶצַח *in seculum*, *semper*, Psal. 9. vers. 7. Psal. 103. vers. 9. Hab. 1: 4.

## Canon VII.

*Adverbia Temporis distributiva*, quotannis, indies, *apud Hebræos elegantibus sermonis flosculis exprimuntur*.

EXod. 13. vers. 10. *Et observato statutum hoc, constituto tempore suo* מִיָּמִים יָמִימָה *à diebus in dies*, seu *ab anno in annum:* quotannis. Sic 1 Sam. 1: 3 Pluralis enim יָמִים pro *anno* sumitur, ut suprà dictum in doctrina Nominis.

Deut. 15: 20. *Coram Jehova Deo tuo comedito illud*, שָׁנָה בְשָׁנָה *anno in anno*, h. e. quotannis; ut anno uno, sic altero.

1 Sam. 7: 16. וְהָלַךְ מִדֵּי שָׁנָה בְּשָׁנָה *Ibat verò de anno in annum*, h. e. quotannis.

2 Reg. 17. vers. 4. *Neque obtulerit munus Regi Assyriæ* כְּשָׁנָה בְשָׁנָה *secundum annum in annum*, h. e. ut quotannis, ut annuatim offerre consueverat.

1 Par. 12: 22. לְעֶת־יוֹם בְּיוֹם *tempore diei in diem veniebant ad Davidem, ut juvarent eum*, h. e. indies, singulis diebus, quotidiè, opportuno quoque die. Sunt & aliæ temporis circumlocutiones, quæ tamen non attinent adverbia, Exod. 5: 12. Esth. 3: 7. 2 Paral. 21: 15. Es. 66: 23. Vide Buxtorf. 1. 2. thes. c. 12. reg. 7.

In N. T. *τοῦ ἐνιαυτοῦ* tanquam adverbium ponitur, Hebr. 9: 7. *ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ*, *semel annuatim*, seu in anno. Sed & aliàs nomina temporis in genitivo apud Græcos efferuntur. Joh. 3: 2. *νυκτὸς noctu*. cap. 1: 2. *ὄρθρου diluculo*. Psal. 1: 2. *καὶ ἐν τῷ νόμῳ κυρίου μελετήσει ἡμέρας καὶ νυκτὸς* &c.

## Canon VIII.

*Adverbium temporis indeterminati*, cùm, quùm, quando; *per conjunctionem* כִּי quia, *non rarò exprimitur*.

GEn. 4: 12. כִּי *Cùm colueris terram, non dabit vim suam*.

Gen. 30. vers. 37. כִּי *quando contrectâsti omnem suppellectilem meam, quid invenisti ex omni suppellectili domus tuæ?* ubi כִּי pro כַּאֲשֶׁר *quia* pro *quando*, positum esse, Hebræi rectè annotant.

Exod. 7: 9. כִּי *cùm alloquetur vos Aharon &c.* Sic Exod. 30: 12. Lev. 1: 2. cap. 2: 1. Deut. 21: 22.

Jud. 21: 22. *Erit autem*, כִּי *quùm venient parentes earum &c.*

1 Sam. 3: 21. *Et pergebat Jehova apparere in Silo:* כִּי *quùm* seu *postquàm revelâsset* (h. e. cœpisset revelare) *se Jehova Samueli in Silo per sermonem Jehovæ*:

2 Samuel. 7. vers. 1. *Factum est autem*, כִּי *quùm habitaret Rex in domo sua*. Pro quo 1 Paral. 17. vers. 1. habetur כַּאֲשֶׁר *cum* seu postquam.

Prov. 21: 22. *Ausculta Patri tuo, qui genuit te; neque contemnas*, כִּי *cùm consenuit, matrem tuam*.

Esa. 30: 21. *Hæc est via, ambulate in ea*, כִּי *cùm declinabitis ad dextram*, וְכִי *& cùm declinabitis ad sinistram*, h. e. cùm à recta via deflexeritis.

Eadem significatio vocis כִּי videtur esse Num. 22. vers. 22. *Et accensa est ira DEI*, כִּי הוֹלֵךְ הוּא *quùm abiret ipse* (Bileam) *& opposuit se Angelus Jehovæ in ea via, ut esset adversarius ei*. Abitio illa (quæ ad mandatum Dei facta est, vers. 20.) non causa, sed circumstantia modò temporis est, respectu iræ divinæ; *exarsit ira DEI, cum iret*. Quæ autem iræ illius divinæ & adversitatis Angeli vera causa? hominis impuritas & impudentia in contranitendo verbo Jehovæ. vers. 20. jusserat DEUS, 1. ut surgens abiret cum missis nunciis, 2. ut tantummodò verba, quæ Jehova inditurus esset, proloqueretur, & ita (quod ex vers. 12. patet) ne malediceret populo Israëlitico. *Prius* fecit Bileam, sed non *posteriùs:* nam in animo nihilominus habuit, cùm abiret, se voluntati Balaki satisfacturum, & populo DEI maledicturum, id quod patet, 1. ex eo, quòd primo mandato DEI prohibitorio vers. 12. non acquievit, sed abitum

ad Balakum (de cujus mente probè ipsi constabat) denuò ursit. 2. Ex verbis Angeli ad Bileamum, vers. 32. *Ecce ego egressus sum, ut sim adversarius* כִּי יָרַט הַדֶּרֶךְ לְנֶגְדִּי *quia declinat hæc via in conspectu meo*, hoc est, quia alium tuæ hujus profectionis finem tibi proposuisti à meo: via enim pro instituto accipitur, ut Jud 4. vers. 9. Targum vertit, *quia revelatum est coram me, quod tu vis abire in viâ contra me.* 3. Ex ipso Bileami actu; accepto enim altero etiam severo Domini per Angelum mandato vers. 35. nihilominus ad auguria & incantamenta sua abiit (certè maledictionem à Balak quæsitam promovendi causâ) donec videret apertissimè, rem semel iterumque tentatam non procedere. Videatur cap. 24: 1. O contumaciam, ô impudentiam! imò & audaciam nefandam! quantum miraculum asinæ loquentis! & tamen Augur hic non conterretur ipso, sed ut vulgariter loquenti colloquitur, & mortem innocenti minatur, cap. 22: 28, 29, 30. Confer etiam Deut. 23. vers. 4, 5. & 2 Petr. 2. vers. 15, 16. Ubi de Bileamo dicitur, *μισθὸν ἀδικίας ἠγάπησεν*, tùm sc. quando asina fuit locuta. Intuitu igitur mercedis in animo habuit, populo maledicere. Hunc igitur animum, hoc propositum malum Deus *καρδιογνώστης* novit, ob id irascitur, & Angelum mittit, ut ipsi resisteret in via, & ut repetito mandato vers. 35. ipsi injungeret, ut loqueretur tantummodò & clarè ea, quæ Dominus vellet, non quæ Balak. Hæc explicatio si accipiatur, omnis apparens in hoc capite (inter vers. 20. & 22.) contradictio, omnisque suspicio contrariæ in DEO voluntatis tollitur, & mandatum Jehovæ in proprio suo sensu manet, ut non opus sit de permissione id exponere. Si verò quæratur ulteriùs, cur priùs noluerit Deus, vers. 12. quòd posteà voluit, vers. 20? seu, cur prius abire Bileamum prohibuerit; pòst verò præceperit? Resp. *prius* mandatum in vers. 12. (abitum quod spectat) est modò *πειραστικὸν* seu tentatorium (quale illud ad Abrahamum fuit. Gen. 22: 1.) ad explorandam & in lucem producendam Bileami inobedientiam & contumaciam: *Posterius* verò voluntatem ipsam Dei constantem exprimit. Quàm frivolè autem & frustrà ad mysterium salutis, & prædestinationis ad vitam æternam, hæc traducantur, & contraria voluntas in Deo probari ex his instituatur, alibi expenditur.

## *Nota.*

ADverbium Temporis indefiniti, *Cum*, exprimitur etiam quandoque in Nov. Test. per conjunctionem causalem, ὅπως, ὡς, ἵνα.

I. ὅπως. Act. 3: 19. *Resipiscite & convertimini, ut deleantur peccata vestra*, ὅπως ἂν, *quùm seu postquam venerint tempora refrigerationis à conspectu Domini.* Ponitur ὅπως ἂν pro ἐπειδὰν, quam significationem ex Herodoto in Clio & Thalia; & Sophocle in Tyran. Beza confirmat.

II. ὡς, Rom. 15: 24. ὡς ἐὰν *quando proficiscor in Hispaniam, veniam ad vos.* ὡς ἐὰν, pro ὅταν.

1 Cor. 11: 34. *Reliqua verò*, ὡς ἐὰν, *quùm venero, disponam.*

III. ἵνα, *ut*, pro ὅτε, *quùm.* Joh. 16: 2. *Venit hora*, ἵνα, *cùm omnis, qui interficit vos, putet se servitium præstare Deo.* Sic vers. 32. 3 Joh. vers. 4: &c.

## Canon IX.

*Adverbium Temporis*, *statim*, cito, *quandoque moram temporis includit.*

DE instanti tempore & quasi momento accipitur in illis locis, ubi miracula Christi & Apostolorum describuntur; illa enim, simul ac verbum Christi sonuit, facta è vestigio fuêre. Matth. 8: 3. cap. 20: 34. Marc. 2: 12. Item in quibus de Christi cognitione activâ agitur. Marc. 2: 8. In aliis verò locis cum quadam temporis morâ accipiendum est, Ps. 37: 2. *Sicut gramen* מְהֵרָה *citò* (impii) *succidentur.* vers. 38. *per* אַחֲרִית *tandem* seu *in extremo* hoc explicatur, confer etiam vers. 10: 35. 36. Ps. 73: 17. 18. 19. Sic in N. T. Matth. 13: 5. Marc. 4: 5. *καὶ εὐθέως ἐξανέτειλε, & statim exortum est*, scil. semen. Cum morâ aliquâ temporis hoc accipiendum esse, ipsa natura docet. Sic Marc. 1: 21. Jac. 1: 24. 3 Joh. vers. 14. Et præsertim Marcus creberrime hac voce utitur, quâ quasi sequentia præcedentibus connectit, uti concordantiarum inspectio ostendit.

a De εὐθέως novissimi diei. Matth. 24.

a Notandum verò præcipuè venit εὐθέως illud, quod Matth. 24: 29. à Christo ponitur, qui, cùm de excidio Hierosolymitano & ejus prænunciis signis fuisset ad Apostolos locutus, de die extrema sic fari incipit: εὐθέως δὲ, *statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur &c.*

*&c.* εὐθέως illud non ad nostrum computum, sed divinum, metiendum est, in quo dies mille, sicut dies unus, Ps. 90: 4. 2 Petr. 3: 8. Et sequitur Christus hac voce consuetudinem Prophetarum, qui tùm de judiciis particularibus, tùm de die universalis judicii, sic loqui solent, ac si esset in propinquo, etiamsi aliquot seculis ab ipsorum temporibus abfuerit, Deut. 32: 35. Esa. 5: 26. Soph. 1: 14. 15. &c. Idem & Apostoli Domini secuti sunt, qui τὸ εὐθέως Magistri sui ita exprimunt, ut totum illud tempus, quod a primo Christi adventu ad ultimum usque intercedit, vocent *ultimum*, imò *novissimam horam*, Act. 2: 17. 1 Cor. 10: 11. Phil. 4: 5: Hebr. 1:1. cap. 9: 26. cap. 10: 25. 37. Jac. 5: 8. 1 Pet. 4: 7. 1 Joh. 2: 18. Imò Paulus de extremæ diei tempore ita loquitur, ac si ipse cum suis auditoribus ad eum usque superstes vitâ mansurus esset, 1 Thess. 4: 15. Et hæc loquendi de extremæ diei propinquitate ratio, à Spiritu sancto adhibetur, (1.) ad excutiendam hominibus securitatem, Matth. 24: 47. 1 Thess. 5: 1. 2. 3. 4. (2.) Ad occurrendum curiositati temerè scrutantium dies ac tempora, Act. 1: 7. &c. Quæ omnia latiùs & accuratiùs exposita habentur in aureâ Harmoniâ Dn. D. Gerhardi tom. 2: cap. 161. p. 543. seqq. uti & Tomo ult. Locor. Theolog. de extremo judicio §. 93.

Huc pertinet Apoc. 1: 1. *Quæ oporteat fieri ἐν τάχει citò* (nomen pro adverbio) quod ex jam dictis explicandum. Præterea cum continuam futuri temporis prophetiam (usque ad finem mundi) Johannes describat, significat hac voce, fore, ut eorum, quæ hîc patefiunt, executio statim inchoëtur, non autem ut uno quasi momento omnia perficiantur. Benè etiam Dn. D. Hoë in comment. Apoc. 1. pag. 68. *Scriptura* (inquit) *tempus oportunum pro cito tempore habet, & quidem non quod nobis, sed quod Deo oportunum videtur*. Quod exemplis posteà declarat.

## *Continuatio.*

HActenus de Adverbio temporis indicativo; sequitur ejusdem *Continuativum*, quòd tùm *affirmativè*, tùm *negativè* exprimitur, unde duo emergunt canones.

## Canon X.

*Adverbium Temporis continuativum*, עוֹד, ἔτι, adhuc, *quandoque in futurum, quandoque verò ex præterito, tempus continuat. Seu, & futurum, & præteritum respicit tempus.*

### 1. Futurum.

JErem. 28: 3. בְּעוֹד שְׁנָתַיִם יָמִים *adhuc duo anni dierum sunt*, (hoc est, intra biennium justum seu completum) *ego reducturus sum in locum hunc, omnia instrumenta domus Jehovæ &c.*

Jon. 3: 4. עוֹד *adhuc quadraginta dies, deinde Nineve subvertetur*. Sic & Gen. 7: 4. 1 Reg. 5: 12. Amos 4: 7. Job. 27: 2.

a Joh. 4: 35. *Nonne vos dicitis*, ἔτι τετράμηνον (vel ut alii codices habent τετράμηνός ἐστι scil. χρόνος) *adhuc quadrimestere est*, seu *quatuor menses sunt, & messis venit*. Hunc locum D. Chemnitius in Proleg. Harm. Euang. cap. 3. Andream Osiandrum secutus, eruditè cum cap. 2: 13. & cap. 5: 1. cap. 6: 4. confert, & festum Judæorum, cujus cap. 5: 1. fit mentio, Pascha fuisse ostendit, fine eo, ut quatuor paschata, quæ ad ministerii Christi tempus constituendum necessaria sunt, numerari possint. Quia enim in historia cap. 2: 13. Paschatis fit mentio, & in cap. 4: 35. adhuc quatuor menses ad futuram messem usque statuuntur; igitur festum cap. 5: 1. non potuit esse Pentecoste, quæ proximè post Pascha cap. 2: 13. secuta sit: cùm inter hæc duo non quatuor mensium, sed quinquaginta duntaxat dierum spacium sit. Nec ex reliquis festis unum esse potuit. *Ponatur enim* (inquit Chemnitius) *messem in Palæstina incboatam fuisse post Pascha vel in Aprili, vel Majo: & supputatio ostendet, illud, quod Job. 4. vers. 35. Christus dicit (adhuc quatuor menses, & tunc messis erit) factum esse in Decembri vel in Januario. Ergò festum Joh. 5. vers. 1. non potuit esse vel Tabernaculorum festum, vel Encæniorum primi anni ministerii Christi. Illud enim mense Septembri; hoc Novembri jam celebratum fuerat, priusquam in Decembri Joh. 4. vers. 35. Christus diceret: adhuc quatuor menses sunt ad messem. Porrò à mense Decembri, usque ad sequens Pascha, nullum Legale festum, ad cujus celebrationem Hierosolymam ascendendum erat, incidit, sicut ostendit descriptio festorum &c.* Consequens igitur est,

a De τετραμήνῳ Johan. 4.

est, festum Joh. 5. fuisse festum Paschatis. Vide ipsum Chemnitium pag. 22. Huic expositioni verborum Joh. 4. vers. 35. Vir Clarissimus, Daniel Heinsius, in Aristarcho sacro pag. 368. aliam substituit, 1. *æstate, non hyeme, hoc contigisse, quod Joh. 4. memoratur*, asserens, & quidem *quindecim vel circiter ante Pascha diebus.* 2. Voce ἔτι, ob auctoritatem codicum quorundam antiquorum (quos Rob. Stephanus & Camerarius viderunt) remotâ, sic legens: οὐχ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι τετράμηνός ἐςι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται, h. e. ἐν ᾧ θερισμός. Τετράμηνον autem θερισμοῦ dici, in quo duo רגלים Pascha & Pentecoste concurrerent, quorum altero initium, altero finem sumebat messis, quemadmodum ἑορτὴ θερισμοῦ Pentecoste (sicut hic τετράμηνος θερισμοῦ, ea pars anni, cujus initium Nisan) à Mose in Exodo dicitur &c. Hæc ille. Etsi autem eundem cum sententiâ superiori scopum, expositio hæc attingere videtur (si enim quindecim circiter diebus ante Pascha, hoc contigit; utique festum, cujus proximè in cap. 5: 1. fit mentio, erit festum Paschatos, cùm inter Pascha & quindecim antecedentes dies nullum aliud solenne festum apud Judæos intercedat) nondum tamen ea, quæ adducuntur, persuadere videntur posse, ut à recepta, & ex Chemnitio declaratâ tùm lectione, tùm expositione, discedatur. Nam, *Primum* quod attinet, *Domini defatigatio, ad fontem accessus, sitis &c.* hyeme etiam (præsertim in calidioribus istis regionibus) contingere potuêre. Dicitur Jesus κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας. Iter igitur emensum, non æstus defatigationis causa statuitur. *Quia dies ille* (inquit B. Chemnitius cap. 31. Harm.) *non fuit primus profectionis; secedens n. ex terra trib. Juda ultra Jerusalem, vix tertio die pervenit ad Sichem: ideò dicit Jesum defatigatum fuisse; & utitur verbo κοπιάζεσθαι quo Græci Deuter. cap. 25. vers. 18. 2 Samuel. 23. vers. 10. reddiderunt verbum יגע, quod significat, quando membra ex labore contrahunt talem defatigationem, ut corpus anhelitum trahat, & quærat refocillationem &c.* Horæ autem *sextæ*, non ad indicandum diei æstum, sed ad exprimendam temporis circumstantiam (ut & aliàs in Evangelistis) fit mentio. *Non verisimile fuisse Dominum quatuor mensibus ante messem, de messe spirituali fuisse locutum, cum suavissimæ allegoriæ sint, quæ proximè ad significatum, seu τὴν ἀλήθειαν accedunt:* gratis dici videtur. Quis enim divinæ illi sapientiæ loquendi metas ponet? Ex re præsenti quandoque occasionem dicendi Salvator dulcissimus arripuit; at non semper: Et satis etiam occasionis in præsenti fuit, panis & cibi porrectio, à discipulis facta, vers. 31. ex quo tùm *de cibo spirituali*, vers. 32. 34 tùm *de semente & messe spirituali* (quibus mediis, si propriè & naturaliter intelligantur, panis à Deo confertur, & per naturam comparatur) vers. 35. & sequentibus, disserere incipit. Quin & conjecturæ illi (quòd ex *messe præsenti*, de figurata messe Christus dicendi occasionem sumserit) contraire ipse textus, & in eo hæc oppositio esse videtur: vers. 35. *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & tunc messis venit* (q. d. annon procul adhuc esse messem vos dicitis? verùm) *ecce dico vobis, levate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem:* q. d. procul quidem messis in natura est; at ecce! spiritualis jam jam incipit. His enim verbis figuratam & allegoricam messem describi, & ad copiosè accedentes Samaritanos, vers. 30, 39, 40. discipulis coràm quasi digito ostensos, respectum haberi, dubium nullum est. Jam, *alterum* quod attinet, obscura est τοῦ τεθραμήνου appellatio, quomodo ea pars anni, in qua Pascha & Pentecoste concurrunt, à quatuor mensibus appellationem sortita sit? Num in tres partes annus divisus tùm fuit, quarum unaquæque τετραμήνον, seu quatuor menses comprehendit? At in quatuor תקופות seu *revolutiones* annum fuisse distinctum, certò novimus (videatur inter alios Münsterus in Calend. Hebr. pag. 47: vers. 59: Schind. in Lex. rad. קוף) De tribus autem τετραμήνοις non constat. Num verò sola illa anni pars, in quo duo illa רגלים concurrerunt, hoc τεθραμήνου nomine insignita fuit? At utrumvis accipiatur, num ex Hebræis, vel aliis fide dignis auctoribus, hoc probatum dari poterit? Nam in vulgari usu positam fuisse τετραμήνου appellationem, sermo Christi ad discipulos innuit; *Vos dicitis &c.* Alia autem ratio τῆς ἑορτῆς θερισμοῦ, cujus declaratio ex Mosaico textu plana est. Codices antiquos quod spectat, in illis *vel* ἔτι, *vel* in posteriori membro alius vocis ellipsis, statuenda esse videtur, hoc modo: *An non dicitis*, τετράμηνός ἐςιν, *quadrimestre est*, & (scil. tùm, vel, elapso eo) *messis venit &c.* Sed monuisse hæc, & de loco isthoc consideratione digno, uberiùs cogitandi ansam eruditis præbuisse, hac vice sufficiat.

## 2. Præteritum.

Gen. 45: 3. העוד *an adhuc pater meus vivit?* Sic cap. 43: 27. 28.

2. Sam. 12: 22. בעוד הילד חי *adhuc puero vivente jejunavi & flevi &c.*

Jerem. 40: 5. ועודנו לא ישוב *aut quia ille nondum*

*dum revertitur:* vid. Gedalia, qui mox nominatur. Sensus est, si non placet mecum esse, præmisi Gedaliam Mitzpam, qui in legatione sua occupatus, ad me nondum revertitur. Si itaque videbitur, poteris te ad eum recipere. Lutherus impersonaliter vertit, Denn weiter hinaus wird kein wiederkehren seyn.

Sic מֵעוֹר, Gen. 48: 15. *Deus ille, qui pascit me* מֵעוֹדִי *ex quo adhuc* sum, *usque in diem hunc.* Targ. מִדְּאִיתַנִי *quamdiu sum.* LXX. ἐκ νεότητός μου, *à juventute mea.*

Num. 22: 30. *Nonne asina tua sum, quâ vectus fuisti* מֵעוֹדְךָ *ex quo adhuc tibi* sum; seu ex quo hactenus tua fui.

Hunc particulæ עוֹד sensum amplectitur Sanctius Jesuita in Esa. 7. vers. 8. וּבְעוֹד *& adhuc sexaginta quinque annis atteretur Ephraim, ut non sit populus.* Respectum haberi dicit ad præteritam prophetiam Amos cap. 4: 1. seqq. q. d. cadet Samaria, sicut sexaginta quinque annis abhinc prædictum fuerat ab Amoso. Hæc sententia non multùm aliena est ab ea, quam R. Kimchi tradit, qui hæc verba Esaiæ sic explicat: בהשלמת ששי וחמש שנה מנבואת עמוס שהתנבא על דמשק *in completione sexaginta quinque annorum à prophetia Amos, quam prophetavit de Damasco,* cap. 1: 5. Deinde computationem annorum instituit; cui similem Junius & Tremellius proponunt super h. l. *Tempus* (inquiunt) *plerique ex antecedente Amosi prophetia petunt, in fine capitis septimi, hoc modo: Amos biennio prophetavit ante terræ motum, quem Zacharia cap. 14: 5. temporibus Huzziæ contigisse docet: Judæi eodem anno putant, quo Rex Huzzia sacrificandi munere sibi arrogato percussus est leprâ.* (*Fuit autem is annus vigesimus quartus regni Huzziæ.*) *Itaque hoc modo supputant; à vigesimo secundo Huzziæ ad ultimum sunt triginta anni, Jothami quindecim, Achàzi quatuordecim, Chitzkiæ sex: ita conficiuntur anni sexaginta quinque, intra quos regnum Syriæ primùm, deinde regnum Israelitarum deletum est.* Operæ pretium autem fuerit, etiam contrariam priori sententiam, eorundem doctissimorum Interpretum, in loco hoc difficilioir subjungere. *In hac prophetia* (inquiunt) *non antecedentium temporum, sed sequentium ratio ex prophetarum usu habetur. Nam Esaias his verbis ostendit primum, regnum Syriæ mox excisum iri, & Regem moriturum, quod ad summum quarto pòst anno necesse est evenisse, ut ponamus, hæc à Propheta dici primo ipso Achazi anno: Deinde à Syrorum clade usque ad plenam Israelitarum deportationem, aut ab ipso tempore hujus prophetiæ, fore, ut effluant sexaginta quinque anni. Quamvis enim sexto anno Chitzkiæ regnum Israelis fuerit abolitum, tamen non statim Israel destitit esse populus, cùm pars tantùm aliqua illius deportata esset. Verùm omnino populus esse tùm demùm destitit, cùm per Essarchaddonem filium Sancheribi novæ coloniæ introductæ sunt, & Israelitæ omnes in servitutem rapti, quod ipsi Samaritani exponunt Ezr. 4: 5. Quamobrem seriem temporum ita statuimus: A quarto Achazi anno, quo regnum Syriæ intercidit, ad finem sunt anni undecim, Chizkia viginti novem; ita anno Menassis regnantis vigesimo quinto fuerit ultima illa Israelitarum translatio. Sin autem à prophetiæ tempore inceperis, dicetur res incidisse in annum primum aut vigesimum secundum Menassis, quò fortè tempore Menasse captivus in Babyloniam abductus est.* Hæc illi, quorum sententiæ magis, quàm antecedenti, phrasis Hebræa convenit.

## Canon XI.

*Adverbium temporis continuativum negans,* οὐκ ἔτι, οὐκέτι, μηκέτι, non ampliùs, *quandoque nullum respectum ad antecedens tempus habet, sed simpliciter pro negativo,* Non, *ponitur.*

VUlgari usu vocula hæc *antecedens* tempus respicit, de quo affirmandum est illud, quod vi negativæ illius particulæ in subsequenti tempore negatur. Ut Matth. 21: 19. μηκέτι *non ampliùs ex te fructus nascatur in sempiternum.* Antea igitur ficus illa fructus tulit, ut ex Marc. 11. vers. 13. colligitur, Joh. 5. vers. 14. *Ecce sanus factus es,* μηκέτι ἁμάρτανε, *ne amplius pecces &c.* igitur antè graviter peccavit, & peccatis hoc malum sibi attraxit. Sic Eph. 4. vers. 28. ὁ κλέπτων, μηκέτι κλεπτέτω. 1 Tim. 5: 23. μηκέτι ὑδροπότει. Eph. 2: 19. ἄρα οὖν οὐκέτι ἐςὲ ξένοι καὶ πάροικοι &c. Sic aliàs sæpè.

Verùm sunt quædam Scripturæ loca, quibus particulæ hæ ad præcedens tempus respectum obtinent nullum, (nec de præcedenti tempore affirmatur, quod de subsequenti per eas particulas negatur,) sed simpliciter, uti Canon habet, pro *negativo adverbio* accipiuntur.

Joh. 15. vers. 15. οὐκέτι *non ampliùs vos dico servos, quia servus nescit, quid faciat ipsius Dominus: Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Οὐκέτι hìc pro οὐχ, *non,* ponitur: neque enim Christus discipulos suos unquam vocavit *servos,* respectu eo, quo amicis opponitur hoc

nomen, & timoris servilis ac coactionis despoticæ statum denotat: sed continuè ut amicus amicissimè iis conversatus fuit, (confer Luc. 12. vers. 4.) & ab initio vocationis ea, quæ audivit à patre, nota iis fecit. Alio autem respectu, videl. servitii & obsequii debiti Christus discipulos suos servos vocavit & ministros, Matth. 10: 24, 25. Johan. 13: 16. De hoc autem respectu Christus in verbis positis non loquitur, cùm & pòst vocet eos *servos*, cap. 15: 20.

Act. 13: 34. De Christo hæc extant verba: *Suscitavit eum* (Pater cœlestis) *à mortuis*, *μηκέτι non ampliùs reversurum in corruptionem*: h. e. non reversurum: imò potius, non perventurum; nam & ipsa vox ὑποστρέφειν, quandam ad præcedens tempus obtinet σχέσιν, qui respectus hic planè negandus: nam Christus nunquam in corruptione ullâ fuit, Psal. 16: 10. Simpliciter igitur phrasis, μηκέτι ὑποστρέφειν εἰς διαφθορὰν, accipitur pro altera illa, in v. 37. οὐκ ἰδεῖν διαφθορὰν, *non videre seu experiri corruptionem*.

Rom. 6. vers. 9. *Scientes, quòd Christus resuscitatus ex mortuis, non ampliùs moritur, mors ipsi οὐκ ἔτι non ampliùs dominabitur.* [a] Ex hoc videtur colligi posse, Christo mortem aliquando dominatam fuisse, cùm particula οὐκ ἔτι respectum habeat ad id, quod aliquando præcesserit. Et Urbanus Pierius Calvinista Bremensis (cumque eo Ludov. Crocius) hoc argumento utitur, ad probandam suam thesin, quâ statuit, *Christum per triduum illud, quod in sepulcro exegit, fuisse sub imperio & dominio mortis, quod in triduum usque mors continuarit*, in defens. orthod. conf. pag. 125. Sed huic assertioni opponenda, (1.) expressa Scripturæ ἀντίθεσις. Hebr. 2: 14. dicitur, quòd Christus διὰ θανάτου *per mortem destruxerit seu aboleverit eum, qui mortis habebat* κράτος, *robur*, (seu *potentiam*,) *hoc est, diabolum.* Si hoc, utique in ipsa sua morte sub diaboli & mortis dominio & imperio fuisse Christum, dici non potest. Repugnat enim, esse in morte sub mortis dominio, & per illam ipsam mortem κράτος seu dominium & robur mortis destruxisse. Actor. 2: 24. dicitur, *impossibile fuisse*, κρατεῖσθαι χριστὸν ὑπὸ τοῦ θανάτου, *ut Christus superaretur seu vinceretur à morte*, seu ut mors imperium obtineret in Christum, & Christo dominaretur, (id enim verbum κρατεῖν propriè significat:) quòd si hoc, utique Christum sub mortis imperio fuisse, asserere, est Apostolo in faciem contradicere. Act. 3: 15. Christus etiam interfectus dicitur ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς *Dux & auctor vitæ*: quòd si autem sub imperio mortis per triduum mortis extitit, auctor vitæ tùm temporis dici verè non potuit. Joh. 14: 30. inquit Christus: *Venit Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.* Princeps autem mundi dominatur per mortem. Hebr. 2: 14. quòd si Princeps mundi (Diabolus) in Christo non habet quicquam (imperii ac dominii) utique etiam nec mors habet, & p. c. nec Christo dominata ea fuit. (2.) Christianorum σύγκρισις. Mors ne piis quidem & eorum corporibus, in sepulcris placidè requiescentibus (accuratè loquendo) dominatur, Hebr. 2: 15. sed *ii constituti sunt Reges &c.* Apoc. 1: 6. & *vivunt, etiamsi moriantur*, Joh. 11: 25. 26. Christus ipsorum, etiam mortuorum, Dominus est, Rom. 14: 9. in cujus dominii participationem mortem à se devictam haudquaquam admittit. Quantò minùs igitur ipsi Christo, piorum capiti, & vitæ auctori, ac Domino gloriæ, dominatam eam fuisse asserendum? &c. Plura vide apud Dn. D. Mentzerum in defens. collat. A. C. disp. 7. §. 21. seqq. Ad locum autem ex Rom. 6: 9. à Pierio adductum, quidam respondent, loqui Apostolum ex ὑπολήψει καὶ δοκήσει ἀνθρώπων, non quòd mors verè dominata fuerit Christo, sed quòd exteriùs ita apparuerit, ac si mors ei dominaretur. Simpliciùs respondetur, οὐκ ἔτι simplicem h. l. (ut & in exemplis antè positis) notare negationem, ut sit sensus: *Mors non dominabitur ei.* Utitur autem Apostolus hac particulâ, quia in antecedenti membro fuerat eâ usus, (nisi quòd priori loco una vox οὐκέτι extat: posteriori, divisæ voculæ οὐκ ἔτι,) ubi propriam significationem retinet: *Christus non ampliùs moritur*, quia verè fuit mortuus, etsi mors ei non fuit unquam dominata.

[a] An mors Christo fuerit dominata?

Alia exempla de οὐκ ἔτι videantur Rom. 7: 17. 20. cap. 11: 6. Gal. 3: 18. Quidam illud οὐκ ἔτι his locis reddunt, *non jam*, ut ἔτι *jam*, particulæ illativæ vim obtineat, &c.

## *Continuatio.*

POst ἐξήγησιν adverbii temporis continuativi, sequitur ejus *exclusivum*. Quod vel *affirmans* est, vel *negans*. Affirmans est, *DONEC, USQUE*; quod & terminativum dici potest, quia temporis certum terminum ponit: de quo can. 12: Negans est, *NON AMPLIUS* seu *ulterius*: Etsi enim, quà præteritum tempus hæc particula respicit, continuativum temporis adverbium est, ut canone præcedenti dictum; quatenus tamen futurum tempus respicit, rectè exclusivum temporis (futuri, scil.) vocatur. De quo can. 13:

Canon

## Canon XII.

*Adverbia*, DONEC & USQUE, *non semper tempus præteritum determinant, & futurum excludunt; sed & sæpiùs indeterminatè accipiuntur, ita ut sequens tempus omne includatur: ac proinde per* SEMPER, vel NUNQUAM, *oratio exponenda*: Illud *in affirmativis;* hoc *in negativis prædicationibus.*

QUidam sic: Particula, *donec*, non semper terminum, sed sæpiùs continuitatem & perpetuitatem significat. Vel, ita negat præteritum, ut non ponat futurum; imò nec quidem possibilitatem futuri involvat.

Vel sic: Exclusiva temporis antecedentis non semper infert inclusionem temporis sequentis, sed adjecta illa exclusiva sæpiùs simplicem negationem continet.

Sanctius in Act.2.p.80. Particulæ exclusivæ, *donec*, *usque*, *antequam*, adhiberi solent, non ut aliquid excludant, sed ut explicent id, in quo difficultas esse poterat, aut dubitandi causa; aut quod ad institutum facit, assumant, reliqua non curent.

Nazianzenus orat. 2. de Filio, eundem canonem his proponit verbis: ἄχρι καὶ ἕως οὐ πάντως ἀντιδιαιρεῖται τῷ μέλλοντι, ἀλλὰ τὸ μέχρι μὲν τόδε τίθησι, τὸ μὲν τοῦτο δὲ οὐκ ἀναίνεται, hoc est, *Particula donec*, *usque*, *non simpliciter opponitur futuro tempori*, *sed ponit quidem illud quousque*, *alterum autem* (*quod ab eo sequitur*) *non inficiatur*: id est, interprete D. Chemnitio, ita interjectum tempus statuit, ut interim sequens tempus non neget vel excludat.

Ad meliorem intelligentiam verba Chemnitii huc adponenda, quæ in harm. Euangel. cap. 7: pag. 168: leguntur: Particulæ, *priusquam & donec*, terminum temporis aliquando ita significant, ut illud, quod ante terminum illum temporis removetur, posteà factum fuisse intelligatur. Ut Gen. 19: 22. *Non potero pluere ignem super Sodomam, donec ingrediaris Segor.* Lev. 12: 4. *Erit immunda, donec impleantur dies purificationis ejus.* Actor. 25: 16. *Non est Romanis consuetudo, tradere hominem ad supplicium, priusquam accusatores habeat præsentes &c.* Aut si dicam, *non cœnabo, priusquam, vel donec audita fuit sexta bora.* Aliquando verò particulæ illæ terminum temporis ita describunt, ut de præcedenti tempore, de quo vel dubium aliquod esse poterat, vel quod maximè scire intererat, expressè affirment, vel negent: unde quasi ex contrario sensu de tempore sequenti consequentiæ texi nec possunt nec debent: h. e. ita negant præteritum, ut non ponant futurum. Hæc perspicuè, ut omnia, Chemnitius.

Proponentur exempla tùm *affirmantia*, tùm *negantia*.

### 1. Ex affirmantibus hæc sunt.

Ps. 110: 1. *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam*, עַד־אָשִׁית *donec ponam inimicos tuos scabellum ad pedes tuos.* Rectè Genebrardus in h. l. Particulâ *donec*, Scriptura affirmat, quod in dubitationem posset incidere, q. d. regna mecum, etiam donec inimicos tuis supponam pedibus; etiam eo tempore, quod tuo regno videtur oppositum & contrarium, ob hostium rabiem, qui & ipsi regnare videntur &c. Sensus igitur propositionis est: Sede semper & in perpetuum ad dexteram meam, & regna, etiam tempore difficillimo.

Psal. 123: 2. *Oculi nostri ad Jehovam Deum nostrum*, עַד־שֶׁיְּחָנֵּנוּ *donec misereatur nostri:* q. d. etiam tempore duro & difficili, interim tamen semper oculi nostri ad Dominum defixi erunt.

Esa. 46: 4. וְעַד־זִקְנָה *& usque ad senium ego ipse*, וְעַד־שֵׂיבָה *& usque ad caniciem ego portaturus sum:* q. d. etiam ad illud usque tempus, quo portatione & curatione maximè opus est; & sic SEMPER.

Matth. 28: 20. *Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus*, ἕως *usque ad consummationem seculi:* q. d. vobis & Ecclesiæ meæ gratiosè adero, etiam quamdiu militans est inter varios hostes, & multiplices ærumnas ac tribulationes, quæ præsentiam meam dubiam facere poterant. Post consummationem autem seculi dubium nullum, fore Christum cum suâ Ecclesiâ. Sensu ipso igitur perpetuitas præsentiæ Christi intelligitur.

Act. 3: 21. *Quem* (Christum) *oportet cœlum accipere*, ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων, *usque ad tempus restitutionis omnium &c.* Beza hæc verba opponit explicationi phraseos (*cœlum accipere*) orthodoxæ, quâ idem notat, ac cœleste imperium ac dominationem in se recipere. Quia enim tempore restitutionis omnium, in extremo die & vitâ æternâ, omnium maximè patefacienda est Christi dominatio; & verò h. l. acceptionis cœli terminus ponitur tempus restitutionis omnium: igitur de dominatione cœli phrasin illam intelligi non posse, colligit. Sed rectè à D. Chemnitio ipsi respondetur, ex hoc adverbii *donec* idiotismo, in epist. de cœna Domini ad D.

Kirchnerum, ſubnexâ loco de cœna p. 179: Idem reipſa hîc dicitur, quod in Pſ. 110: 1. ante adducto. Quod ibi eſt, *ſedere ad dextram Dei*; id hîc dicitur, *cœlum accipere*, ſeu cœleſte dominium accipere & exercere, (Confer 1. Cor. 15: 25.) quod ibi eſt, *donec ponam inimicos tuos &c.* id hîc dicitur, *uſque ad tempus reſtitutionis omnium*, q. d. eo etiam tempore cœleſte Chriſtus imperium in hoſtes univerſos obtinet, quo nondum omnia plenâ glorificatione reſtituta & conſummata ſunt, & hoſtes vigere & dominari videntur. Sicut autem ibi per *determinativum* adverbium ſubſequens tempus (vel æternitas potiùs) non excluditur à ſeſſione Chriſti ad dextram Dei; ſic nec hîc à cœli acceptione ſeu cœleſti & divino imperio &c.

Rom. 5: 13. ἄχρι νόμυ *uſque ad legem peccatum erat in mundo*, h. eſt, etiam uſque ad legem, ſeu ſolennem legis promulgationem, & ante eam, peccatum erat in mundo, quo ſc. tempore dubium eſſe poſſet, an peccatum fuerit in mundo, quia ubi non eſt lex, ibi nec prævaricatio. Ponitur antecedens tempus, & tamen ſubſequens non tollitur: ſemper enim peccatum eſt in mundo.

1 Tim. 4. verſ. 13. ἕως ἔρχομαι, *donec venio*, *attende lectioni*, *exhortationi*, *doctrinæ*. Non vult Apoſtolus, ut Timotheus poſt adventum ſuum à lectione, exhortatione, & doctrinâ ceſſet: ſed de futuro nihil hac vice ſolicitus, monet, ut intereà temporis, & in abſentiâ etiam ſuâ in his, quæ commemorat, ſit aſſiduus. Sic ſi ad amicum dicam: *Vale*, *donec rediero*; non hoc volo, ut poſt meam reverſionem non ampliùs valeat, ſed potiſſimùm illud tempus deſigno, quod propter abſentiam me de amici valetudine dubium & ſolicitum reddere poteſt.

## 2. Ex negantibus hæc ſunt;

Gen. 28: 15. *Non deſeram te*, עַד־אֲשֶׁר *donec perfecero id*, *quod locutus ſum tibi*: h. e. nunquam te derelinquam: ſunt enim æternæ promiſſiones Dei in Chriſto. 2 Tim. 4: 8. Simimile exemplum eſt. Pſal. 112: 8.

Deut. 34: 6. *Neque novit quiſquam ſepulcrum ejus* (Moſis) עַד *uſque in diem hunc*. Non ſenſus eſt, quòd futuro tempore quiſquam cogniturus ſit ſepulcrum hoc; ſed ſimpliciter præcedens tempus ponitur, non attendendo ad ſubſequens. Reipſâ autem ſepulcrum hoc cognitum nunquam fuit, nec cognoſcetur in hoc ſeculo.

1 Samuel. 15: 35. *Et non perrexit Samuel videre ſeu inviſere Saulum*, *uſque ad diem mortis ſuæ*, h. e. nunquam perrexit videre ſeu inviſere.

2 Sam. 6: 23. *Et Michali filiæ Saulis*, *non fuit ipſi proles uſque in diem mortis ſuæ*, hoc eſt, nunquam.

Eſa. 22: 14. *Et revelavit ſe in auribus meis Jehova exercituum* (ne vivam) *ſi expietur iſta iniquitas vobis*, (h.e. non expiabitur) עַד־תְּמֻתוּן *donec moriamini*, h. e. nunquam expiabitur. Chaldæus de morte æternâ hoc interpretatur, עַד־דִּי תְמוּתוּן מוֹתָא תִנְיָנָא *uſque dum moriamini morte ſecundâ*, h. e. ut R. Kimchi explicat, מיתת הנפש בעולם הבא *morte animæ in ſeculo venturo*. Ita æterna mors Apoc. 21: 8. c. 20: 6, 14. quoque vocatur.

Eſa. 42. verſ. 4. *Non faciet ut fumiget*, *neque quaſſabit*, עַד־יָשִׂים *donec diſponat in terrâ judicium*, h. eſt, nunquam. Sic Matth. 12. verſ. 20. ubi verba Prophetæ ſic redduntur, ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν, *donec ejiciat in victoriam judicium*, h. e. donec pronunciet ſententiam juſtam, quâ ſe victorem omnium inimicorum declaret: id quod factum eſt, cùm Euangelium promulgaretur per univerſum orbem.

Matth. 1: 25. *Et non cognoſcebat eam* (Joſephus Mariam) ἕως οὗ *donec peperit filium ſuum primogenitum*. Malè ex hoc loco Helvidius olim collegit: Ergò poſt partum cognovit Joſephus Mariam. (Vide Hieron. adverſus Helvid. tom. 3. f. 2, 3.) Malè etiam ex v. 18. (πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς:) Si gravida inventa eſt, priuſquam convenirent; ergò poſteà congreſſi ſunt. *Uſus eſt Euangeliſta* (inquit D. Chemnitius cap. 7. harm.) *illis particulis*, *quia fidei noſtræ plurimùm intererat ſcire*, *Mariam ante conceptionem Chriſti*, *& poſt conceptionem uſque ad nativitatem ejus*, *non fuiſſe cognitam à viro*. *Quod ſi de tempore ſequenti quæritur*, *optima eſt Hieronymi reſponſio: Natum eſſe Deum per genitalia virginis credimus*, *quia legimus: Mariam autem poſt partum cum Joſepho concubuiſſe*, *aut filios ex ipſo ſuſtuliſſe*, *non credimus*, *quia non legimus*. *Et bonum eſt argumentum Hieronymi* (tom. 3. f. 3.) *Si Joſeph ex ſola revelatione Angeli in ſomnis*, *tali reverentiâ motus fuit*, *ut non cognoſceret Mariam*, *donec pareret: quidni motus fuiſſet poſteà: cùm audiret Paſtores*, *Simeonem*, *Hannam*, *tàm divina de puero illo prædicantes*, *tùm quidem ſcriptum ſit*, *erant pater & mater ejus mirantes de his*, *quæ dicebantur de illo*. Hactenus Chemnitius.

Huc etiam referunt. Matth. 5: 26. *Amen dico tibi*, *non exibis inde*, ἕως, *donec reddas noviſſimum quadrantem*, h. eſt, nunquam inde exibis.

exibis. Indicatur enim pœnæ continuitas & solutionis impossibilitas. Vide de hoc loco, contra Pontificios, πυρκαθαρτήριον seu ignem purgatorium suum ex eo probantes, D. Chemnitium, in examin. C. T. part. 3. pag. 568. D. Gerhard. tom. 8. locor. de morte pag. 489. Doct. Meisner. Phil. sobr. part. 2. pag. 654. D. Finck. postill. Eccles. & Acad. part. 3. pag. 327. &c. Notandum verò, satius esse totam locutionem, quæ metaphorica & proverbialis est, quàm particulæ *donec*, idiotismum, in explicatione hujus loci, attendere. Nunquam enim reddi novissimus quadrans in carcere infernali potest: igitur, *non exire inde, donec reddatur novissimus quadrans*, est, nunquam exire. Beza: *Ad ultimum quadrantem solvere* dicitur is proverbialiter, quî cum summo jure agitur, Cicero epist. ult. ad Att. utitur phrasi, *ad nummum solvere*, eodem ferè sensu. Ita tamen summum illud jus intelligendum, ut ultimi illius quadrantis solutio simul impossibilis esse statuatur.

Ex vulgatâ versione Latinâ huc referunt Gen. 8: 7. *Corvus non revertebatur, donec siccarentur aquæ*. Pererius in h. l. Illud, *donec siccarentur aquæ*, significat, nunquam reversum fuisse in arcam ante finem diluvii: non autem significat, post siccatas aquas & finitum diluvium rediisse ad arcam. Sed in Hebræo aliter legitur, & particula *donec* significationem nativam retinet.

## *Nota.*

Ad hunc canonem referri possunt illæ quoque loquendi formæ, cùm per particulas, *donec*, *usque*, creaturis additas, æternitas innuitur.

Gen. 49: 26. *Benedictiones patris tui (quæ validæ sunt plus quàm benedictiones progenitorum meorum)* עַד תַּאֲוַת גִּבְעֹת עוֹלָם *usque ad finem collium seculi; sunto in capite Josephi &c.* hoc est, benedictiones non temporales tantùm, sed æternæ. Perpetuitatis descriptio metaphorica, desumta à collibus, qui sunt terræ pars firmissima.

Psal. 72. vers. 7. *Florebit temporibus ejus justus, & amplitudo pacis* עַד־בְּלִי יָרֵחַ *donec non sit luna*, hoc est, in perpetuum: Sic paulò mutatâ phrasi, vers. 5. *reverebuntur te* עִם שָׁמֶשׁ *cum sole* (hoc est, quamdiu erit Sol) וְלִפְנֵי יָרֵחַ *ante Lunam* (hoc est, durante luna) *in generatione generationum*. Et vers. 17. *Erit nomen ejus in seculum*, לִפְנֵי שֶׁמֶשׁ *ante solem* (h. est, durante sole) *sobolescet nomen ejus*. Confer Psal. 89: 37, 38.

Matth. 5: 18. *Amen dico vobis, ἕως donec transeat cœlum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit de lege, donec omnia fiant*, h. e. in æternum. Lex Dei stabilis est.

## Canon XIII.

*Adverbium*, non ampliùs, *non semper omne futurum removet tempus, sed pro aliquo temporis spacio quandoque sumitur.*

1. SAm. 7: 13. (al. 12.) *Sic depressi sunt Philistæi, neque perrexerunt* עוֹד *ampliùs invadere terminum Israelitarum*. Intelligendum hoc de certo temporis spacio, quamdiu scil. Samuel, ut judex, regnavit super Israel, ut in textu additur. Saulis tempore hostiles Philistæorum invasiones memorantur cap. 13. & seqq. Cæterùm, quod de invasione dictâ, tempore Samuelis, negatur, id cum hac quoque limitatione accipiendum, quòd non invaserint terminum Israelitarum scil. justo exercitu, ut dilatarent regionem suam, sed contenti fuerint stationario milite tueri, quæ acquisiverant. Confer c. 10: 5. c. 13: 3.

2 Reg. 24. vers. 7. (al. 9.) *Et non perrexit* עוֹד *ampliùs Rex Ægypti egredi è regione suâ &c.* sc. usque ad ultimos annos Zidkiæ, cùm obsideretur Jerusalem à Chaldæis, Jerem. 37. vers. 5.

Esa. 23: 12. *Non addes* עוֹד *ampliùs exultare, ô oppressa virgo filia Zidonis* (h. e. ô Tyre, à Zidoniis condita: nam Zidonii à Rege Ascaloniorum expugnati, navibus appulsi Tyrum urbem condiderunt, ut est apud Justinum.) Hic non omne futurum excluditur, sed longum indicatur tempus, ut ex v. 15. & seqq. constat, ubi ad *septuaginta annos* restringitur, post quorum effluxum Tyrus prædicitur reversura ad exultationem, h. e. negociationem suam. Negatur igitur continuatio pristinæ exultationis, sed ad tempus.

Hos. 1: 6. *Non addam* עוֹד *ampliùs misereri domus Israel:* non in æternum toti Israeli omnibusque individuis misericordia à Deo denegatur (ea enim multis promittitur vers. 10. & præstita est tempore N. T.) sed tantùm diu afflictum iri eos graviter, dicitur. Illud autem Joël. 2: 19. *& non exponam vos* עוֹד *ampliùs opprobrio in gentibus;* cum conditione illâ intelligendum, *quamdiu me ex amico colueritis* v. 12. seqq. Hac non impleta, tùm in aliorum, tùm Romanorum potestatem tandem pervenerunt.

## *Nota.*

CÆterùm referuntur huc exempla, quæ & aliter explicari commodè possunt. Ubi notandum, non de expresso tantum adverbio, לא עוד *non ampliùs*, sed de adverbiali etiam constructione (*non addere ad faciendum*, h. e. non ampliùs facere) de qua superiùs tract. 3. can. 35. sermonem hîc esse.

Gen. 32:28. *Non dicetur nomen tuum ampliùs Jacob, sed Israel.* Hîc de brevi (inquiunt) tempore usurpatur, *non amplius*: siquidem statim pòst ita nominatur. At ex alio dicendi idiotismo meliùs hoc explicatur, quòd scil. negativa per ellipsin particulæ exclusivæ sit exponenda; de quo inferiùs. *Non dicetur*, scil. solùm, nomen tuum Jacob, sed & Israel. Aliàs nulla reddi potest ratio, cur ejusmodi phrasi Spiritus sanctus fuerit usus.

2 Reg. 6: 23. *Neque perrexerunt* עוד *amplius turmæ Syrorum invadere terram Israelis*, hoc est: longo tempore non invasêre. Verûm cùm statim vers. 24. subjungitur: *Et fuit posteà, ut congregaret Benhadad Rex Syriæ totum exercitum suum, & ascenderet, & obsideret Samariam:* igitur satius est, verba priora sic limitare, quòd Syri non ampliùs Israelitas ausi fuerint aggredi, nempè turmis insidiantibus, sed tamen id tentarint justis & numerosis castris.

Esa. 2: 4. *Non elevabit gens contra gentem gladium, neque discent* עוד *amplius bellum.* Hoc Judæi nobis objiciunt hodiè (inquit Drusius l. 16. observ. cap. 6.) cùm de Messia sermo est. Sed respondemus; Christum natum fuisse sub principatu Augusti, quo tempore pax erat per universum orbem Romanum, pax inquam, erat aliquanto spacio, & hoc satis est, cum particula *amplius* non semper perpetuitatem denotet. Hæc ille. Verùm cùm de tempore universalis Euangelii prædicationis inter gentes hic textus loquatur, satius est, allegoriam istam de spirituali pace & unitate, quæ est & semper erit inter vera Ecclesiæ Christi membra, quàm de externa & politica tranquillitate, exponere. Confer Eph. 4: 3. seqq. Et vide D. Tarnov. in com. Mich. 4: 3.

Amos 5: 2. *Cecidit non addet surgere* (h.e. non ampliùs surget) *virgo Israel.* Judæi de longo tempore hoc explicant, quia scil. illis persuasum est, Israelitas aliquando in patriam terram redituros, nempè cum ἠλειμμένος ipsorum advenerit. R. Kimchi, לא הוסיף קום לזמן ארוך *non addet surgere ad tempus longum. Et hoc dicit* (ait porrò) *de decem tribubus, quæ in captivitatem abductæ sunt tempore Hoseæ filii Ela, per Regem Assyriæ, quæ hactenus nondum reversæ sunt ad terram suam, quia in solutione captivitatis Babylonicæ non fuêre reversæ illæ: verùm adhuc futurum est, ut revertantur, quia sic prophetæ prædixerunt.* Sic ille. At rectè Drusius: Quasi verò non multa prædixerint (Prophetæ) quæ secundùm Spiritum, & non secundùm historiam accipienda sunt. Fatemur ergò Israelem restitutum iri suo tempore, atque adeò jam restitutum esse, sed alio modo, quàm Judæi somniant: h. e. spiritualiter, non carnaliter, ut loquuntur &c. R. Salomo hîc à reliquis discedit, ita enim in h. l. commentatur: משגלו בימי הושע בן אלה לא יעמוד עוד מלך מעשרת השבטים *Ab illo tempore, quo transportati sunt* (Israelitæ) *tempore Hoseæ filii Ela, non stabit seu exurget amplius Rex ex decem illis tribubus.* Absolutè igitur & omninò corporalis Israelitarum in regnum suum restitutio verbis Amosi negatur.

## *Nota.*

AGmen adverbiorum temporis claudat particula νῦν, *nunc.* Hæc interdum non est temporis adverbium, sed quasi conjunctio vel adversativa, vel ratiocinativa, argumentorum seriem connectens. 1. Cor. 12: 18. 20. cap. 7: 14. Hebr. 11: 16. Sed etiam à Demosthene usurpari in assumtionibus argumentorum, ajunt. Est etiam conjunctio expletiva, Luc. 11: 39.

ADVER-

# ADVERBIA NUMERI.

## Canon XIV.

*De quibusdam adverbiis, numerum denotantibus, observatione digna sunt, quæ sequuntur.*

### SEMEL.

Quandoque, idèm est, ac *prorsus, certò, immutabiliter, perfectè:* ἅπαξ pro ἀπαξαπλῶς. Ps. 89: 36. אחת *semel juravi per sanctitatem meam &c.* h. e. certò, veraciter ac immotè, ut vers. 34, 35. explicatio habetur. Confer Psal. 62: 12. Est. 4: 11.

Jud. vers. 3. *Exhortans, ut decertetis* τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ *pro semel tradita sanctis fide*, h. est, perfectè. Intelligit doctrinam Euangelii, quæ est doctrina de fide, & *semel tradita est sanctis*, h. e. ita perfectè, ut posteà nunquam sit immutanda. ibid. v. 5. *Commonere vos volo, scientes vos* ἅπαξ *semel hoc, quod Dominus, cum populum ex terra Ægypti liberâsset, posteà tamen nihilominus incredulos perdidit.* Scientes *semel*, h. e. certò & immutabiliter. Ita quidam: sed præstat significationem vocis propriam hoc loco retinere. Duæ enim illæ voces, ἅπαξ τοῦτο, cum verbo præcedente ὑπομνῆσαι congruè cohærent, tanquam si hoc modo legeretur, ὑπομνῆσαι δέ ὑμᾶς βούλομαι ἅπαξ τοῦτο, καί περ εἰδότας ὑμᾶς. q. d. etsi scio vos hæc tenere cognita, tamen *semel* adhuc (dum scil. in tabernaculo hoc sum) vos de eo commonefaciam. Confer 2 Petr. 1: 12.

1 Petr. 3: 20. *Qui increduli fuerunt olim, quando* ἅπαξ *semel expectabat DEI longanimitas in diebus Noë &c.* Adverbio *semel* declaratur tempus ultimum præfixum fuisse antediluvianis ad pœnitentiam, quo elapso nullum posteà superesse μακροθυμίας divinæ spacium.

Hebr. 6: 4. *Impossibile est*, τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας, *qui semel sunt illuminati &c.* h. e. Planè & verè illuminati sunt.

Hebr. 9: 26. *Nunc autem* ἅπαξ *semel in consummatione seculorum, ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit.* Sic vers. 28. 1 Petr. 3: 18. Hic adverbium *semel* non tantùm unam vicem, sed etiam summam quandam perfectionem denotat, quòd videl. unicum, & perfectissimum quidem pro peccatis mundi sacrificium obtulerit, & Deum nobis peccatoribus reconciliaverit. Confer Hebr. 10: vers. 10, 12, 14. &c.

### PRIMÙM.

Quandoque non ordinis particula est, *secundum* respiciens, sed intensionis, significans idem ac *inprimis*. Rom. 1: 8. πρῶτον *primùm quidem gratias ago DEO meo per Jesum Christum &c.* h. e. ante omnia, inprimis. Sic cap. 3: 2. Eadem ratione adjectivum πρῶτος etiam non *primum* in ordine tantùm significat, sed & *præcipuum*, Luc. 15: 22. &c.

Notandum etiam de adverbio *primùm*, pro *priùs* aliquando usurpari, perinde ut nomen πρῶτος pro πρότερος (vide tract. 1. can. 18. §. 2.)

Matth. 17: 10. *Quid ergò Scribæ dicunt, quòd Eliam oportet venire primùm*, h. e. priùs, videlicet, quàm Messias veniat. Erasmus in paraphrasi h. l. *Scrupulus quidam ceperat animos discipulorum, ex eo, quòd Eliam conspexerant, assistentem Jesu: hunc inter eundum proponunt illi. Quid est, igitur, inquiunt, quòd Scribæ docentes adventum Messiæ, dicere soleant ex auctoritate Malachiæ, quòd priusquam veniat Messias, venturus sit Elias Thisbites. At is non præcessit adventum tuum, sed bodiè demum visus est in monte.* Hæc ille in eximio (quod pauci credunt) paraphraseos N. Test. libro.

Johan. 19: 39. *Venit auetm & Nicodemus, qui venerat ad JESUM noctu primùm*, hoc est, priùs.

2 Thess. 2: 3. *Nisi venerit defectio primùm*, hoc est, priùs, scilicet, non adveniet dies Christi, seu dies ultima.

## SECUNDÒ.

Jos. 5: 2. *Tempore illo edixit Jehova Josue, para tibi gladios acutos, & iterum circumcide filios Israel* שֵׁנִית *secundò.* Hic adverbium *secundò* non ad filios Israel, ac si antè circumcisi fuissent, & jam in iisdem circumcisio repetenda esset, (expressissimé enim textus vers. 4, 5, 6, 7. in contrarium est: Et futilis est Judæorum opinio, qui asserunt, hîc præcipi פריעה distensionem pelliculæ, post præputii ablationem in mentula relictæ, quam ipsi unà cum מציצה seu exsuctione sanguinis, ex traditione superstitiosè adhibent: videatur Munsterus in h. l.) sed ad circumcisionem primam, quæ sub Abrahamo facta fuerat, respicit. Ibi enim totus populus DEI, qui tunc extabat, in fœdus per circumcisionem recipiebatur. Diu autem intermissa ea erat; secundò igitur fieri jubetur, ac si de novo planè fieret, in deserto defunctis majoribus. R. Salomo adverbio שנית *secundò*, ad priorem circumcisionem in Ægypto ante egressum factam respici existimat, his verbis: *S.cundo; quia jam tum circumcisa erat, in nocte egressus ex Ægypto, multitudo magna simul: & hic facta fuit* (circumcisio) *vice altera.* Attingit deinde intermissæ circumcisionis in deserto per 40. annos rationem frivolam, (quam & R. Kimchi ponit & latè explicat) *quòd per illud tempus non spiraverit Boreas, ventus nubibus inimicus* (ne illa sanctuario familiaris nubes dissiparetur) *atque ideò abstinuerint Israelitæ à circumcisione, cùm eum ventum sibi putent observandum, ut qui plagis medeatur.* Quæ ex Thalmud in יבמות cap. 8. desumta. Vatablus in notis ad h. l. *Intermissa fuerat circumcisio ab eo tempore, quo celebraverant pascha: nempè ab anno secundo post egressum ex Ægypto: quòd quamdiu fuerunt in deserto, subinde figebant castra, & movebant illa ad imperium Domini: neque sciebant, quàmdiu manendum esset in eodem loco. At motio loci nocebat admodum recenter circumcisis.* Hoc etiam addendum, quòd R. Kimchi putat, voces illas in textu positas, quæ iterationem notant, שוב & שנית non ad circumcisionem, sed ad *ejus procurationem* spectare, q. d. *iterum iterumque, ultrò citroque per castra commeans, procura, ut circumcidantur omnes, ne quisquam maneat præputiatus.* Confertque loca Prov. 26: 11. *Stolidus* שׁנה *iterat stultitiam suam*, h. e. in illa perseverat. Prov. 24: 21. עם שונים *cum iterantibus ne commisceto te*, h. e. cum iis, qui ad impietatem suam sæpiùs revertuntur &c. Sed prima interpretatio est simplicior. Frustra igitur Hieronymus se fatigat, cùm disputat, *qualis ea fuerit circumcisio, quam repetiverit Josua? Nam si juxta literam illud accipimus*, inquit, *penitus stare non potest: non enim excisa pellicula iterum nascitur.* Tandemque ad allegoriam labitur, *cultellum quendam Euangelicum fingens* in hac iteratâ circumcisione, neque aliud significari ait, nisi *mundationem animorum.* Hæc ille, annotante Cunæo lib. 3. de Repub, Heb. c. 5.

Esth. 2. vers. 19. וּבְהִקָּבֵץ בְּתוּלוֹת שֵׁנִית *Et dum congregarentur virgines secundò.* Hoc adverbium *secundò*, quale *primum* respiciat, dubium est. Junius & Tremellius ita hoc explicant: *Dum essent aggregatæ virgines secundò*, h. e. à gynæceo Regis, singulæ ad suos se recepissent. Sed קָבַץ non *revertendi & dissociandi*, sed *congregandi & consociandi* significationem habet. R. Aben Ezra: שֵׁנִית ad Mardochæi mansionem in portà Regis refert, de qua posteriori versiculi parte. Sed ad priorem pertinere, accentus distinctivus ostendit. Commodior Vatabli expositio videtur, qui de tempore *secundarum nuptiarum Regis* hoc explicat, respectu habito ad priores nuptias cum Vasthi.

Epist Jud. v. 5. Τὸ δεύτερον *secundò*, *posteà* (adverbio temporis) accipitur. Primùm enim Deus servâsse suum populum dicitur: *secundò* (h. e. posteà) incredulos perdidisse.

## ITERUM.

עוד non tantùm continuum actum significat, *amplius*; sed & post interruptum actum, novum similem, & per *iterum*, *rursus*, explicandum Gen. 8: 21. bis. Hos. 3: 1.

Πάλιν, *rursus* non semper est particula repetitiva, quæ significat repetitionem rei jam factæ, aut sermonis jam dicti, Joh. 16: 19. c. 20: 10. 2 Cor. 13: 2. Sed quandoque est oppositiva, significans oppositionem, idem quod *è diverso*, *è contrario*, 1 Joh. 2. vers. 8, Quandoque idem est, ac *præterea*. Matth. 18. vers. 19. vel *etiam* Matth. 4. vers. 7. cap. 5: 34. &c.

Galat. 4: 9. *Nunc autem cùm cognoveritis DEUM &c. quomodo convertimini πάλιν, iterum ad infirma & egena elementa, quibus πάλιν denuò servire vultis?* Per στοιχεῖα illa seu *elementa* intelligit ceremonias legales Judaicas, ut ex vers. 10. apparet. Quomodo igitur Galatæ ad ea *denuò reverti* dicuntur, quibus nunquam fuêre subjecti, cùm gentiles fuerint à vero Deo alieni, vers. 8? Resp. Respicit vocula πάλιν non rem eandem, sed similem.

Galatæ rebus terrenis & inutilibus ſervierant, videl. idolis, jamque denuò ſe convertere volebant ad ſervitutem ceremoniarum legalium; quæ itidem erant res terrenæ, ac per ſe neminem ſalvare poterant, neque Chriſto exhibito quicquam ampliùs utilitatis habebant. Poteſt etiam dici, habere hic πάλιν ſignificationem oppoſitivam, de qua antè dictum.

### Ter.

Prov. 22. ℣. 20. *Nonne ſcripſi tibi* שָׁלִשִׁים. Hanc vocem adverbialiter accipit Chaldæus, ac ſi eſſet, *ter* ſeu *tribus vicibus*, עַל תְּלָתָא זִמְנִין LXX. vertunt, τρισσῶς. Vulg. *tripliciter* (R. AbenEzra, quia in textu ſcribitur שלשום cum י, ſignificare ait, *nudius tertius*, ut alibi שִׁלְשׁוֹם uſurpatur, Exod. 4: 10. &c.) Et ita numerum certum pro incerto poni dicendum eſt, ſynecdochicè: *Ter*, h. e. ſæpè: *tripliciter* h. e. multifariam: *nudius tertius*, hoc eſt, jam antè & hactenus ſæpiùs. Lutherus: Hab ich dirs nicht mannifaltiglich fürgeſchrieben. Forſt. *nonne ſcripſi tibi trifariam*, h. e. multifariam. R. Salomo numeri ſignificationem nominalem retinens, *tria* ſeu *triplicia* exponit, *Legem* videl. *Prophetas*, *& hagiographa*: quæ tres Scripturæ V. Teſt. partes ſunt. Sed cùm שָׁלִשִׁים cum Cametz ſcribatur, quod à ſingulari eſt שָׁלִשׁ *magnus*, *dux*, *princeps*, q. d. *tertius à rege* (quæ vox in plur. cum Cametz ſcribitur, ad differentiam שְׁלִשִׁים *tertii*, *tertiam*, Gen. 6. verſ. 16. Num. 2: 24.) ideò rectiùs R. Levi Ben-Gerſom explicat דברים נכבדים *verba honorabilia*, *ſeu nobilia & egregia*. Junius: *nonne ſcripſi tibi præſtantiſſima* (documenta, poſita) *in conſiliis & ſcientia*. Ubi ad שָׁלִשִׁים ſubintelligit דִּבְרֵי *verba ducum*: Sicut cap. 8: 6. dicitur: *audite*, *quia* נְגִידִים *ducum* (ſcil. verba) *eloquar*, h. e. inſignia & præcipua.

Aliàs *Ter* pro *aliquoties* indefinitè ſumitur, 2 Cor. 12: 8. Sicut *ſepties* pro *ſæpè*, Pſ. 12: 7. &c. De quo plura in Rhetorica Sacrâ de Synecdoche ſpeciei.

# ADVERBIA DEMONSTRANDI.

## Canon. XV.

*Adverbia Demonſtrandi* הֵן vel הִנֵּה, ἰδὲ vel ἰδού, En, ecce! *quamvis interdum explendi tantùm gratiâ poni videantur*, *ſæpiùs tamen notabiles Spiritus ſancti aſteriſmi ſunt*, *ad attentionem excitandam poſiti*.

USus eorum eſt.

1. In mirandæ & novæ, etiamque expetitæ rei enarratione. Eſa. 7: 14. *Ecce VIRGO concipiet & pariet filium*, *cujus nomen Immanuel*. Matth. 21: 5. *Ecce REX tuus venit tibi manſuetus*. Sic & Zach. 9: 9. Matth. 25: 6. & aliis in multis locis.

2. In rei præſentis exhibitione & demonſtratione. Geneſ. 29: 2. *Cumque circumſpiceret*, *ecce puteus in quodam agro*: *& ecce ibi tres greges pecudum &c.* v. 15. *& fuit manè*, *& ecce Lea &c.* Joh. 1: 29. *Ecce agnus Dei*, *qui tollit peccatum mundi*. Sic Act. 1: 10. &c. Additâ negatione, certam rei abſentiam notat. Gen. 37: 29. *Et reverſus eſt Ruben ad ciſternam*; *& ecce non erat Joſeph in ea ciſterna &c.*

3. In certitudinis rei aſſeveratione. Gen. 1: 29. *Ecce dedi vobis omnes herbas ſementantes ſemen &c. vobis ea ſint ad comedendum.* Ibid. verſ. 31: *Et vidit Deus omne*, *quod fecerat*, *& ecce bonum erat valdè* cap. 12: 11. *Et dixit ad Saram uxorem ſuam*: *Ecce novi*, *mulierem pulchram eſſe te &c.* cap. 16: 2. *Dixit Sarai ad Abrahamum*: *Ecce nunc*, *occluſit me Jehova*, *ne parerem &c.* cap. 28: 15. *Et ecce ego tecum ſum*, *ut cuſtodiam te &c.*

4. In promtitudinis obſequendi declaratione. Pſal. 40: 1. *Tunc dixi*, *ecce venio*, *in volumine libri ſcriptum eſt de me*. Conf. verſ. 9: Hebr. 10: 7. ſeqq. Luc. 1: 38. *Dixit autem Maria*: *Ecce ancilla Domini*, *fiat mihi ſecundùm verbum tuum*. Ita uſurpatur cum affixo, הִנְנִי *ecce ego*. Gen. 31: 11. 1 Sam. 3: 4, 8. Eſa. 6: 8. Deo attributum, exaudiendi & benefaciendi promtitudinem notat. Eſ. 58: 9. cap. 65: 1.

## Nota.

1. Pro adverbio demonstrandi usurpatur quandoque imperativ. רְאֵה *vide*. 2 Sam. 7: 2. רְאֵה נָא *vide, quæso, ego habito in domo Cedrina &c.* pro quo 1 Paral. 17: 1. dicitur, הִנֵּה *ecce*. Gen. 27: 27. רְאֵה *vide, odor filii mei, sicut* ...*or agri, cui benedixit Jehova*: pro הִנֵּה *ecce*. Neque enim de visu, sed odoratu propriè loquitur. Ita & ἴδε *vide*, pro ἰδοὺ, ecce, in N. Test. usurpatur, Matth. 25: 20, 22, 25. Marc. 2: 24. cap. 11: 21. &c. Joh. 1: 29, 36. cap. 3: 26. cap. 5: 14. &c.

2. Pulcherrima est observatio Flacii, quòd adverbio demonstrantis *Ecce*, æquipolleat pronomen demonstrativum. Quod enim Exod. 24: 8. dicitur, הִנֵּה *ecce sanguis illius fœderis, quod pepigit Jehova vobiscum*: id Hebr. 9: 20. (ubi eadem verba recitantur) sic effertur, τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ Θεός. Observa, (1.) adverbium הִנֵּה *ecce*, rem ipsam, sanguinem scil. coram monstrat adesse, nec admittit figuras, umbras aut metonymias: ipsam inquam, rem adesse coràm dicit, sensu eo: Ecce sanguis victimarum, quo jam in vos distributo aut sparso hoc fœdus inter vos & Deum sancitur. (2.) Eandem igitur (demonstrationis scil. rei præsentis) vim habere omninò censendum est demonstrativum pronomen τοῦτο, quod pro הִנֵּה d. l. ponitur. (3.) Cùm verò eadem verba recitentur etiam à Christo in sacræ cœnæ institutione, ita ut novum fœdus sanciendo Dominus ad fœdus illud antiquum respexerit, & inde verba fœdera lia mutuatus fuerit (discriminis causâ duabus tantùm voculis, *meus*, & *novi* additis: *Hic est sanguis meus novi fœderis*,) non est dubium, quin & hìc verè præsens demonstretur sanguis Christi in Eucharistico poculo: & propter paritatem rationis, etiam verè præsens demonstretur corpus domini, his verbis: *Hoc est corpus meum*. Vide clavem Script. part. 2. col. 265.

# ADVERBIA CONFIRMANDI.

## Canon XVI.

*Inter adverbia confirmandi eminet dictio* אָמֵן ἀμήν, Amen; *de qua notatu quædam digna adferri opera pretium est.*

1. *Etymologia*. Radix אמן, in Niphal נֶאֱמַן significat *firmum, fidum, stabile esse, verificari, confirmari*: in Hiphil. הֶאֱמִין *credere, fidere*. Unde אָמֵן *veritas*, Esaiæ 65: 16. quæ vox adverbiascens est illa, de qua loquimur. Synonyma ipsi sunt, אָמְנָה *veritas*, item *verè, reverà*, Gen. 20: 12. Jos. 7: 20. אָמְנָם *sanè, verè*, Job. 9: 2. Dinckelius in orat. de Hebr. Ling. N. 4. compositam vocem esse אמן statuit, ex trium scil. dictionum capitalibus literis, אֵל מֶלֶךְ נֶאֱמָן *Deus fortis Rex verax*: & monere nos, ut ad Deum fortem, potentem, & Regem nostrum veracem promissionumque servantem respiciamus, & fideli Amen, hoc est, clausulâ ardenti precationi conveniente, & verâ fiducia in hunc, quem dictio describit, orationem nostram finiamus. Pium hoc quidem, sed allusivum & Cabbalisticum magis, quàm solidum & accuratum.

2. *Versio* LXX. reddiderunt γένοιτο, 1 Regum. 1: 36. Deut. 27: 15. Num. 5: 22. Psal. 41: 14. ἀληθῶς, Jerem. 28: 6. Aliquando ipsam Hebræam vocem retinuerunt, 1 Paral. 16: 36. Nehem. 8: 6. Jerem. 11: 5. Symmachus reddidit, πεπιστωμένως. Arabicus interpres nusquam vocem Hebræam retinuit, sed in sua lingua vertit per אלחק, quod τὸ ἀκριβὲς καὶ ἀληθὲς significat. In N. Test. ut plurimùm retinetur, quandoque tamen per Græca vocabula explicatur: idque vel *in eodem loco*. 2 Corinth. 1: 20. *Quotquot promissiones Dei in ipso* (Christo) *sunt*, τὸ ναὶ *etiam*, & *in ipso sunt* τὸ ἀμὴν, *Amen*. Ubi confirmandi particula ναὶ Hebræam explicat. Sic Apocal. 1: 7. cap. 22: 20. Vel *in diversis locis*. Quod Matth. 16: 28. Christus ait, ἀμὴν λέγω ὑμῖν: id Luc. 9: 27. ita effertur, λέγω ὑμῖν ἀληθῶς. Confer etiam Marc. 12: 43. & Luc. 21: 3.

21: 3. Huc pertinet, quòd Lucas cap. 4: 24. ἀμὴν ponit, verſ. 25. ἐπ' ἀληθείας, quâ priori ἐν παραλλήλῳ ſubjectâ, Hebræam vocem dilucidè exponere voluiſſe videtur. Sic Matth. 23: 36. de vindicta cædis prophetarum Chriſtus uſurpat ἀμὴν, quod Luc. 11: vers. 51. per *ναὶ etiam*, *verè*, exponitur.

3. *Significatio*. *In genere* vox ea eſt βεβαιωτικὴ ac confirmatoria, unde Hebræis vocatur חוק המאמר וקיומו *corroboratio ſermonis & confirmatio ejus*. *In ſpecie* verò, quia confirmat rem, tàm qui proponit, quàm qui accipit eique aſſentitur; igitur duplex hæc vocula confirmationis ſignificatum habet.

1. *In confirmando divino verbo ac promiſſo*. 2 Cor. 1: 19. *Filius Dei non eſt ita & non* (quaſi ſc. ab ipſo aliud verbis dicatur, aliud corde cogitetur: vel verbis quidem promittatur, re ipſa autem non præſtetur) *ſed ναὶ verè, in ipſo fuit*, verſ. 20. *Quotquot enim promiſſiones Dei in ipſo, τὸ ναὶ, & in ipſo τὸ ἀμὴν, Dei ad gloriam per nos*. Cui quaſi ἐξηγήσεως loco ſubjungitur, verſ. 21: ὁ δὲ βεβαιῶν ἡμᾶς, *qui verò confortat nos* (per verbum ſuum veritatis, quod Amen & firmum eſt) *Deus eſt*. Confer Eſa. 65: 16. Huc pertinet aſſeveratio Chriſti, quâ crebrò utitur in effatis ſuis & promiſſis. *Amen dico vobis*, hoc eſt, verè, certò, profectò. Geminatio autem hujus vocis ſuperlativè ſignificat, ex idiotiſmo Hebræorum (de quo can. 2) & aſſeverationem intendit, q. d. certiſſimum & firmiſſimum eſt, quod dico. *Si ad perſonam dicentis referatur* (verba ſunt D. Chemnitii cap. 21. harm.) *ſenſus erit: non obiter, temerè aut leviter dico, ſed verè, certò, ſerio & conſtanter, tanquam interpoſito juramento affirmo & aſſevero, quod dico. Aut ſi ad id, quod dicitur, referatur, ſenſus erit: quod dico, non incerta cogitatio, aut dubia opinio eſt, ſed verum, certum, firmum & ſtabile eſt, quod dico, quod nec mutatur nec retractatur, ſed certò ita decretum eſt in voluntate divina, & reipſa ita implebitur*. Quod de interpoſito *juramento* hìc dicitur, reprehendit Fullerus miſcell. ſacr. lib. 1: cap. 2: & Amen *jurisjurandi formam* non eſſe, evincere laborat. Sed diſtinguendum inter ſolennem jurisjurandi formam, & inter firmam aſſeverationem, jurijurando ratione veritatis & firmitudinis æquipollentem, qualis voce *Amen* omninò exprimitur. Idem igitur à Chemnitio & aliis Theologis dicitur, quod ipſe Fullerus his verbis pronunciat: *Cæterùm nobis hìc opponantur verba Hieronymi, quibus ait: in V. Teſtamento Dei juramentum eſſe, vivo ego, dicit Dominus; In novo autem, Amen, Amen dico vobis. Sed ſenſus eſt, recentem hanc N. Teſt. formulam perinde valere, ac antiquum illud veteris juramentum, ejusque inſtar eſſe, & parem ad veritatem confirmandam vim locumque obtinere*. Quòd autem, formaliter & propriè loquendo, *Amen* illud Salvatoris noſtri, vel tota etiam phraſis: *Amen, Amen, dico vobis*; juramenti formula præciſè non ſit, patet ex eo, quòd ex ipſa jurisjurandi natura & conditione, ut & ex inductione exemplorum, liquet, per aliquem ſuperiorem fieri, ſi homines jurent; vel per ſeipſum, ſi Deus, uti expreſſè Hebr. 6: 13. 16. habetur. At in formulâ à Chriſto uſurpata hoc non fit. Ergò &c. Præterea Matth. 5: 37. juramento (falſo tamen) opponitur *τὸ ναὶ ναὶ*: at hoc idem cùm *Amen, Amen*, eſſe, ex reipſa, & 2 Cor. 1: 20. Apoc. 22: 20. conſtat. Formula autem loquendi, *Dico vobis*, ſine addita voce *Amen* Salvatori noſtro non minus familiaris fuit, Matth. 5: 18. 22. 26. 28. 32. 34. 39. 44. cap. 6: 25. non tamen eſt juratoria, propriè loquendo.

2. *In confirmando hominis aſſenſu & fide verbis Dei habita*. Ut autem *duplex* Jehovæ verbum eſt, vitæ & mortis; ſeu promiſſionis benevolæ, & comminationis ſeveræ; vel quod idem eſt, εὐλογίας καὶ κατάρας, benedictionis & maledictionis: Sic ex adverſo, duplici etiam ratione vox *Amen* (reſpectù verbo DEI aſſentientium, & illud repudiantium) uſurpatur.

1. *Ratione divinæ benedictionis*. Idque vel (1.) cùm fides promiſſionem propoſitam accipit, eique aſſeveratione fideli & conſenſu firmo aſſurgit. 1 Paral. 16: 36. recitatis promiſſionibus divinis ſubjungitur: *Et dicat omnis populus, Amen*. Jer. 11: 5. poſt propoſita Dei promiſſa magnifica, reſpondet Jeremias, *Amen Jehova*. Huc referri poteſt 1 Reg. 1: 36. cùm ſucceſſio in regno promitteretur & confirmaretur Salomoni à parente Davide (quæ promiſſio ex Dei oraculo profluxit) reſpondit Benaja filius Jehojadæ, Regi dicens: *Amen, ita dixerit Jehova Deus Domini mei Regis*: quæ illuſtris vocis *Amen* explicatio eſt. Jer. 28: 6. ironicum *Amen* occurrit. Cùm enim Hananias pſeudopropheta fauſta vaticinaretur, & loco DEI promitteret, dixit Jeremia Propheta: *Amen, ita faciat Jehova: præſtet Jehova verba tua, quæ prophetâſti &c*. Poſteà veram Jehovæ ſententiam comminatoriam ſubjicit. Vel (2.) cùm fides in precatione Deum invocat; tùm enim & *confirmantis* vox eſt, fiduciam in Deo promittente poſitam declarans; & *optantis*, cordis deſiderium & ſpem in Deo poſitam exprimens. Et ita ab ipſo Chriſto præſcriptæ orationis Dominicæ formulæ ſubjicitur, Matt. 6: 13. Videatur & Apoc. 7: 11. 12. 1 Cor. 14: 15. 16. Huc pertinent Apoſtolicæ apprecationes,

precationes, quibus *Amen* subjungitur, Rom. 15: 33. 16: 20, 24. Gal. 6: 18. Phil. 4: 23. 2 Thess. 3: 18. 1 Tim. 6: 21. Tit. 3: 15. Philem. ỷ. 25. Hebr. 13: 25. &c. *Quod oratio* (inquit Chemnitius cap. 51. harmon.) *hac particulâ concluditur, commonefactio est, ut quando in oratione ad finem pervenerimus, consideremus, quâ devotione preces nostras recitaverimus, ne frigida sit battologia. Excitatur etiam animus ad serium votum concipiendum, & inter nos gemitus, ut rata habeatur apud Deum oratio propter Christum mediatorem &c. Secundò hac particula fides ostendit, se non hæsitare & dubitationum fluctuationibus circumferri, an Deus exaudiat, & ea, quæ petimus, præstare velit? sed certò statuit, Deum, sicut petere jussit, & se exauditurum promisit, fideliter præstiturum. At simul hac ipsâ particula fides se erigit, sustentat, munit ac confirmat contra dubitationes. Sumit enim particulam Amen ex illa promissione, Amen, Amen dico vobis, quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis: atque huic subjungit suum Amen, tanquam obsignationem, quod statuat Deum veracem & fidelem esse, Job. 3: 33. inde Hieronymus particulam, Amen, eleganter vocat signaculum orationis.* Vel (3.) cùm fides Deum celebrat, & sic laudem veritatis & fidelitatis ipsi dat. Neh. 8: 7. *Et benedixit Ezra Jehova Deo maximo, & omnis populus cum elevatione responderunt, Amen, Amen.* Psal. 41: 14. *Benedictus Jehova Deus Israelis, à seculo usque in seculum, Amen, Amen.* Confer 1 Paral. 16: 36. ubi tria dicta membra ferè concurrunt. Nam & promissa Dei, & preces ad Deum & laudes divinæ ibi proponuntur, quorum clausula est, *Amen.* Vide etiam Roman. 1: 25. cap. 9: 5 cap. 11: 36. cap. 16: 27, Galat. 1: 5. Ephes. 3: 21. Philip. 4: 20. 1 Tim. 1: 17. 2 Tim. 4: 18. Hebr. 13: 21. &c.

2. *Ratione divinæ maledictionis.* Quando enim execrationes DEI proponebantur in lege, confirmationis vocem, *Amen*, ab hominibus Dei mandato, subjici necessum erat, Num. 5: 22. Deut. 27: 15. seqq. Rab. Kimchi inquit, *dictum hoc esse per modum receptionis, quâ in se & super se recipiebant illas imprecationes, si trangressi essent.*

Hæc de voce *Amen*, cujus significata quidam sic exprimunt, quòd Amen sit (1.) ἐμφατικὸν. *nervosum*, Apoc. 1: 8. (2.) εὐκτικὸν *votivum* seu optativum, 1 Reg. 1: 36. Psal. 72: 19. (3.) τελικὸν *finale*, Psal. 41. ult. (4.) κατασκευαστικὸν, *assertivum* seu affirmativum, 2 Cor. 1: 20. &c.

Tandem, ὡς ἐν παρόδῳ, notetur, quod Thalmudistæ, suorum hominum somnolentiam in oratione carpentes, *triplex* dicant esse *Amen*, יְתוֹמָה *pupillum*, חֲטוּפָה *surreptitium*, & קְטוּעָה *sectile*. *Pupillum* vocant, cùm quis precatione tenetur, nec intelligit, quod respondet; *Surreptitium*, cùm surripit, & dicit Amen, antequam absolvatur precatio. *Sectile*, cùm secat in duas partes, nempè oscitanter audiens, & alias res agens. Hæc Caninius, & ex eo Guido Fabricius in dictionario Syrochald. voce אמן. Conveniunt autem ferè cum iis, quæ 1 Cor. 14: 16. à Paulo dicuntur: ex quo loco patet, receptum fuisse in primitiva Ecclesia, ut populus post recitatas preces responderet *Amen*: quod neminem rectè dicere ait, qui preces non intellexerit.

## Canon XVII.

*Præter dictionem* אָמֵן Amen, *sunt & alia asseverationis & confirmationis adverbia* apud Hebræos.

I. אֲבָל *verè, imò, certè.* Gen. 17: 19. *Et dixit Deus,* אֲבָל *imò, Sara uxor tua paritura est tibi filium.* Chald. בְּקוּשְׁטָא *in veritate.* Genes. 42: 21. *Et dixerunt alter ad alterum,* אֲבָל *verè seu profectò rei sumus fratris nostri causâ &c.* R. Kimchi in Lexico de voce: ענינו אמת *significatio ejus veritas.* LXX. reddunt. ναί. II. אַךְ *profectò, certè.* Genes. 29: 14. Job. 14: 22. Psal. 73: 1. Psal. 85: 10. Esa. 45: 24. Hos. 4 vers. 4. Jon. 2: 4. III. אָכֵן *certè, verè*, quæ cum אָמֵן convenit aliquantum. Rab. Mard. Nathan. in concord. Hebr. significationem ejus esse dicit. אמת הדבר וקיום מציאותו *veritas rei & stabilitas existentiæ seu substantiæ ejus.* Genes. 28. vers. 17. Exod. 2: 14. 1 Sam. 15: 31. 1 Reg. 11: 2. Job. 32: 8. Psalm. 82. vers. 7. Esa. 45. vers. 15. cap. 49: 4. cap. 53: 4. in quibus duobus posterioribus, Junius adversativo modò vertit, *veruntamen:* sed malè. IV. כִּי causalis particula quandoque אמת seu *veré* significat. Esa. 7. vers. 9. Thren. 4: 18. Hos. 7: 6. cap. 8: 6. Cum particulâ interrogativâ, הֲכִי eodem modo interpretatur AbenEsra Genes. 27: 35. cap. 29: 15. Vide & infrà tract. 7. can. 18. Conjunctionem כִּי pro *certè* poni etiam dicunt, in formulis jurandi, *vivó ego, vivit Dominus.* 1 Sam. 25: 34. &c.

Apud Græcos. 1. ναί. Matth. 11: 26. ναὶ ὁ πατήρ, *Profectò Pater, quoniam sic fuit placitum coram te.* Sic Luc. 11: 51. cap. 12. vers. 5. Apoc. 1: 7. cap. 14: 13. cap. 16: 7. aliàs simplicem affirmationem notat, Matth. 5: 37. cap. 9: 28. cap. 13: 51. Itemque *obsecrantis* particula

ticula est, ut infrà de interject. can. 1. sub fin. dicetur.

2. ἦ μὴν, Hebr. 6. vers. 14. quæ vox cum ἀμὴν convenire videtur pronunciatione, sed reipsa discrepat: ἀμὴν enim unica est dictio, ἦ μὴν duæ dictiones sunt. Significatio ejus est, ἀληθῶς, seu ὄντως, *verè*, *profectò*. Et in allegato loco Hebr. 6. vers. 14. omninò ut jurantis particula ponitur, quod contextus docet.

3. Τὴν ἀρχὴν accusativus nominis adverbiascens Joh. 8:25. *Dicebant ergò ei* (Judæi Christo) *tu quis es? Dixit eis Jesus*, τὴν ἀρχὴν, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, *omnino* (sum id) *quod & loquor vobis*; seu quod vobis annuncio & inculco, nempè *Lux mundi vera*, vers. 12. & promissus Salvator. Sic Demosth. κατ' Ανδρωτιῶνος: περὶ ὧνγε μὴ κεῖνται νόμοι, οὐδὲ γράφειν τὴν ἀρχὴν προσήκει: *quæ legibus non ponuntur, ea scribere omninò non licet*. Sophocles in Antigone: ἀρχὴν θηρᾶν οὐ πρέπει τ' ἀμήχανα: *Prorsus non sunt tentanda impossibilia*. Flac. in clave script. col. 123. *Est autem*, τὴν ἀρχὴν, *phrasis continens seriam asseverationem. Prorsus ille ipse sum, qui loquor vobis: Sum persona, cujus officium fuit, & nunc est, ut cœlestem doctrinam vobis annunciem, ac videtur ad etymologiam vocabuli* τοῦ λόγȣ *alludere: nam de suo ministerio, eloquendi audita à patre, multa in eo loco disserit*. Vide eund. in voce *Principium*. col. 958. Et confer Lud. Vivem in notis ad l. 10. Aug. de C. D. cap. 24.

4. ἀλλὰ quandoque significationem βεβαιώσεως habet. Johan. 16:2. *Ex synagogis excludent vos*: ἀλλ' ἔρχεσθαι ὥρα, *quin imò venit hora: quâ qui vos sustulerit &c*. Heinsius in exerc. super Nonnum p. 475. per אָכֵן *verè*, explicat, ex Job. 32:8. ubi quod in Hebr. אָכֵן est Chald. בְּקוּשְׁטָא *in veritate*; LXX. ἀλλὰ reddunt.

5. γὰρ, asseverationis vim habet in illo Act. 16:37. *Et nunc clam nos ejiciunt? οὐ γὰρ, non profectò, sed veniant ipsi, & nos educant*.

# ADVERBIA NEGANDI.

Multa in his utiliter observantur, quæ in certa distingui possunt capita, quorum (1.) constructio est, can. 18. (2.) Significatio, can. 19, 20. (3.) Permutatio seu enallage, can. 21, 22. (4.) Transpositio, can. 23. (5.) Abundantia seu pleonasmus, can. 24.

## Canon XVIII.

*Adverbia negandi non promiscuè in syntaxi usurpantur, sed cum notabili discrimine.*

SUnt negandi adverbia septem apud Hebræos, אַיִן, אַל, בַּל, בְּלִי, בִּלְתִּי, לֹא, פֶּן quæ in syntaxi ita se habent.

1. אַיִן *participio* tantùm jungitur (si de *verbis* loquamur: nam & nomini additur aliàs) & negare dicitur de tota aliquâ specie, cùm לֹא participiis additum, de certo aliquo ac individuo neget.

Exod. 5:16. תֶּבֶן אֵין נִתָּן *palea non* (est) *data servis tuis &c*. hoc est, nulla plane datur.

1 Sam. 26:12. וְאֵין רֹאֶה וְאֵין יוֹדֵעַ וְאֵין מֵקִיץ *& non* (erat) *videns nec advertens, nec evigilans*, h. est, non fuit ullus, qui videret, neque quisquam, qui adverteret, aut ex somno profundo evigilaret.

Si verbo *infinitivo* addatur, tùm enallage ejus est, pro participio positi, Ps. 32:9. Vide suprà tract. 3. can. 44. §. 4.

Si *futuro* addatur, tùm vocis alicujus ellipsis est. Jer. 38:5 כִּי אֵין הַמֶּלֶךְ יוּכַל אֶתְכֶם דָּבָר *quia non Rex possit* (facere aliquid) *contra vos*: ut Pagninus vertit. Hic videtur אֵין futuro jungi, יוּכַל *poterit*. Sed ostendit accentus distinctivus Zakephkaton, in voce הַמֶּלֶךְ: distinctionem faciendam, & relativum ad sequens יוּכַל subaudiendum esse, hoc modo: *non* (est) *Rex, qui possit contra vos quicquam*. Vel, ut Tremellius & Junius, *minimè is est Rex, qui possit contra vos quicquam*. אֵין enim ante nomina ellipsin verbi substantivi inducere solet, Prov. cap. 21:30. Jer. 8. vers. 13. Pronominis vero relativi ellipsis creberrima est, ut suo loco dictum &c.

Verba Danielis c. 9:26. *Post sexaginta duas hebdomadas exscindetur Christus*, וְאֵין לוֹ *& non ei*. Osiand. & Kircher. tract. de concord. Bibl. usu L. 3. & quidam alii sic explicant, ut לוֹ reciprocè sumatur, *& non sibi*, seu sui ipsius culpâ, eodem sensu, cum illo Esai. 43. vers. 4. 5. Messiam non ob propria peccata, sed pro nobis peccatoribus fuisse passum & mortuum. Proba sanè explicatio, nisi indoles voculæ אֵין obstaret, quæ, ut usus Sacræ Scripturæ ostendere

dere videtur (1) ipsam rem negat, non verò aliquam actionis περίςασιν: (2) præterito & futuro nunquam jungitur. Sin jungi videatur, ellipsin alicujus vocis inducit, ut antè dictum. In hoc autem loco Danielis, si data expositio acceptetur saltem negaret aliquam excisionis Christi caussam, (quod non sui caussâ mortuus sit) & futuro jungeretur, יִכָּרֵת exscindetur, quod præcedit. Haberet autem significationem dictam, si scriberetur in textu, וְלֹא לוֹ, ut Hab. 1:6. cap. 2:6. (licet paulò alia significatione.) Optima videtur verborum interpretatio, si de opinione Judæorum Christum exscindentium & occidentium intelligatur; (quò etiam Lutheri versio videtur respicere.) וְאֵין לוֹ *& non ei* (quicquam erit,) q.d. putabitur planè excisus, ut nihil ejus supersit, (conf. Jer. 11:19. ubi de machinationibus hostium prophetæ agitur: Similia certè cogitarunt Judæi contra Christum.) Hujus autem opinionis falsitatem propheta (vel Angelus potiùs prophetæ) ostendit, opponendo justitiæ divinæ, in populo illo exercendæ, futurum actum.

*a* אֵין non. *a* Cæterùm habet אֵין quasi formam nominis constructi, cujus absoluta forma est אַיִן (sicut ab עַיִן *oculus*, in statu regiminis est עֵין) & hujus adverbii אַיִן locus est in fine alicujus membri sententiæ, & ab antecedentibus semper dependet, nunquam autem cum sequentibus cohæret, ut אֵין, facitque ellipticam locutionem, Exod. 17:7. *An est Dominus inter nos, אִם אָיִן an non?* Gen. 30:1. *Cedò mihi liberos,* וְאִם אַיִן *& si non, morior ego.* Job. 3:8. Utinam *tenebrosæ fuissent stellæ diluculi ejus,* יְקַו־לְאוֹר וָאַיִן *expectâsset lucem, & non,* scil. adfuisset. Sic cap. 33:33. & alibi.

*b* Apocope vocula אֵין non. *b* Notanda insuper voculæ hujus apocope, אִי & אֵי pro אַיִן & אֵין (uti 1 Sam. 21:8. scribitur.) Prov. 31:4. (al. 1.) *Non* convenit *regibus bibere vinum, & dominatoribus* אֵי *non* (conveniens est) *inebrians potus.* Scribitur in textu אוֹ sed juxta Masorethas legendum אֵי, Junius & Tremellius Tò *Kethib*, seu in textu scriptam vocem sequuntur, & *desiderium* vertunt, (ab אוה *desideravit:*) *Absit Regibus, bibere vinum, & dominatoribus desiderium potus inebriantis.* Pagninus, Hebræos secutus, Tò *Keri*, seu lectionem marginalem exprimit; *principum non est Sechar.* Sed Ariæmontanus correxit ita: *Et gubernatoribus ubi Sechar* (אֵי *ubi* significat, Gen. 4:9. 1 Sam. 9:18. &c.) sed fine ratione ac sensu. Forsterus in Lexico, rad. אוה *expetivit,* & מאן *renuit,* (unde particulam אַיִן *non,* deducit) utramque ponit expositionem.

Alterum apocopes exemplum est Job. 22:30. *Liberabit* (Deus) אִי־נָקִי *non innocentem* (seu *noxium*) *eritque liberatus puritate manuum tuarum.* Ita Junius & Tremellius, cum hac additâ annotatione: *Id est, tanta erit illius* (Dei) *erga te benedictio, ut etiam aliorum misereatur, qui non fuerint innocentes propter te, ex promissione factâ Abrahamo,* Gen. 11:35. c. 18:24. & sequentibus. *Atque huc videtur spectâsse Propheta Jechezkel* cap. 14:14. & sequentibus; *ubi Iiobi intercessio cum Noachi & Danielis intercessione conjungitur.* Chaldæus itidem: *Liberabit virum, qui non est innocens, in innocentia tua.* R. Salomo similiter, אִי־נָקִי pro אֵין נָקִי, ubi antè positum, & pòst secuturum, exemplâ confert: simulque peregrinam quorundam adjicit opinionem, אִי־נָקִי esse unam vocem, ab אנק *gemuit, suspiravit:* ac si esset, *qui commoratur in anxietate & suspiriis:* Jod ultimo redundante היושבי *sedens,* Psal. 123:1. Quò pertinent, quod AbenEzra quædam ait אִי per apocopen accipere, pro איש, ut sit, *vir innocens:* Verùm ipse rejicit hoc, & אִי significatu *insulæ* accipit (ut Esa. 20:6. &c.) metonymicè, ac si esset יושב האי הזה, *qui habitat in hac insula.* Quem sequitur Pagninus: *Liberabit habitatores insulæ innocens.* Ariæmontanus: *Liberabit insulam innocens.* Schindlerus: *Liberavit provinciam innocens.* LXX. Vulg. planè omittunt, & simpliciter *innocentem* vertunt. Prima explicatio est omnium simplicissima; & simile exemplum apocopes in hac vocula, est in nomine proprio. 1 Sam. 4. vers. 21. אִי־כָבוֹד *non est gloria,* seu, uti v. 22. explicatur, *emigravit gloria ab Israele.*

2. אַל tantùm *futuro* convenit, & communiter *debortantis* aut deprecantis est. Prov. 23. vers. 4. אַל תִּיגַע *ne labores seu fatiges te, ut ditescas.* Ibid. vers. 13. אַל תִּמְנַע *ne subtrahas à puero castigationem.*

*Negantis* significationis rarissimè est. Prov. cap. 3:25. אַל תִּירָא *non timebis à terrore repentino.* Sed & hic prohibentis seu dehortantis esse, dici benè potest? *Ne timeas à pavore repentino.* Cur non? sequitur vers. 26. *quia Dominus fiducia tua* &c. Et ita seqq. versib. אַל semper usurpatur R. Kimchi in Michlol vult etiam negantis esse Gen. 49. vers. 6. Exod. 12. vers. 9. Psalm. 121:3. Sed dehortativa significatio retineri in his quoque commodè posse videtur.

2 Reg. 6. vers. 26. אַל יוֹשִׁיעֵךְ יְהוָה *ne servet te Jehova! unde servarem te?* Hic impatientis & indignabundi nota est hæc particula; erumpit enim in hæc verba Rex infidelis, cùm indignaretur & fremeret, videns, juvandi facultate in miseriis illis se destitutum esse.

Speciale est 1 Sam. 27:10. אַל־פְּשַׁטְתֶּם הַיּוֹם *quo*

*quo irruistis hodie?* ubi אֶל pro אָן *quò*, ponitur, juxta Chaldæum interpretem, qui habet, לְאָן, vel pro עַל, subaudito pronomine מִי *contra quem?* quæ interpretatio sequentibus textus verbis comprobatur. Vide Schindl. col. 74.

3. בַּל jungitur *præterito* & *futuro*. Præterito, Prov. 9. verf. 13. cap. 23: 36. Futuro, Prov. 22. verf. 29. Ef. 26: 11. Hof. 7. verf. 2. Irregulariter cum *infinitivo* est: Pfalm. 32: 9. בַּל־קְרֹב אֵלֶיךָ *non appropinquare ad te*, pro לְבַל *ad non*, hoc est, שֶׁלֹּא יִקְרוֹב *ne appropinquet*. Occurrit hoc verfu & altera anomalia vocis אֵין, infinitivo pro participio junctæ, de qua fupra.

4. בְּלִי *præterito* & *futuro* junctum reperitur, negatque abfolutè. *Præterito*, Gen. 31. verf. 20. עַל בְּלִי הִגִּיד לוֹ *eò quòd non indicavisset ei*. Pf. 19: 4. *Non est sermo, neque sunt verba* בְּלִי נִשְׁמָע *non auditor vox eorum*: gradatio elegans; non fermo, non verbum, ne vox quidem aut ullus fonus eorum percipitur. Tremellius & Junius contrarium hîc tenet fenfum, & בְּלִי pro *absque* accipiunt, & nomen relativum fupplent: *Non est sermo, neque sunt verba*: בְּלִי *sine* his *tamen intelligitur vox eorum*, q. d. non loquuntur quidem (cœli) ut homines, fed tamen velut loquentes à nobis intelliguntur, Rom. 1: 20. *Futuro* jungitur Efa. 32: 10. Hof. 8: 7. *Participio* etiam Hof. 7: 8.

5. בִּלְתִּי cum *præterito* conftruitur. Num. 21: 35. Cum *participio*, Ef. 14: 6.

Affumto ab initio ל frequentiffimé cum *infinitivo* conftruitur, exponiturque per שֶׁלֹּא *ut non*. Deut. 17: 20. לְבִלְתִּי רוּם לְבִלְתִּי סוּר *ad non recedere, ad non elevari*, h. e. ut non recedat, ut non elevetur. Idem cum *præterito*, Jer. 23: 14. cap. 27: 18. Ezech. 13: 3. Et *futuro*, Exod. 20: 20. &c.

6. לֹא *omnibus temporibus* convenit, excepto imperativo, pro quo in prohibitivis ufurpatur futurum, ut ex decalogo notum eft.

Cum *participio* de certo quodam & individuo negat. Soph. 3: 5. וְלֹא יוֹדֵעַ עַוָּל בֹּשֶׁת *sed non* eft *sciens iniquus erubescere*: nempè populus Judaicus, de quo propheta agit. Sic fi dicas, לֹא רֹאֶה *non videt*, nempe hic vel ille. Sic loquimur עַל אָדָם מְיֻחָד *de certo & proprio sive definito homine*, fcribit R. Kimchi in lib. rad. citante Buxtorffio.

Cæterùm pro לֹא quandoque לוֹ legendum effe, ex Maforetharum obfervatione, vide apud Schindl. col. 927.

7. פֶּן cum futuro conftruitur. Gen. 3: 21. פֶּן יִשְׁלַח *ne extendat*. Sic Prov. 5: 6. Mal. 4. ult. Semel cum *præterito* loco futuri pofito, 2. Sam. 20: 6. פֶּן מָצָא *ne inveniat fibi civitates munitas*: pro יִמְצָא. Sic & Chaldæus in futuro, דִּילְמָא יַשְׁבַּח *ne inveniat &c*.

## Canon XIX.

*Particula negativa* אֵין, לֹא, בִּלְתִּי *universali* כָּל omnis, *addita*, *universalem negationem indicat*, *ut* non omnis, *idem sit*, *quod* nullus.

Gen. 4: 15. *Posuit Jehova in Kaino signum*, לְבִלְתִּי הַכּוֹת אֹתוֹ כָּל־מֹצְאוֹ *ut non cæderet eum omnis inveniens illum*, hoc eft, ut nemo illum cæderet vel occideret: ne ullus eum cæderet.

Gen. 39: 23. אֵין *non præfectus carceris inspiciebat* אֶת־כָּל־מְאוּמָה *omne quicquam*, hoc eft, nihil quicquam, in rem planè nullam refpiciebat. Sic 2. Sam. 12: 3. Eccl. 1: 9. ubi כָּל־ fine additâ voce מְאוּמָה eft.

Deut. 9: 9. לֹא־תֶחְסַר כֹּל בָּהּ *non indigebis omni in ea*, h. e. nullâ re indigebis. Sic Pf. 49: 18. Jer. 13: 7. Dan. 11: 37.

Pfalm. 143: 2. לֹא־יִצְדַּק לְפָנֶיךָ כָל־חָי *non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, h. e. nullus vivens. Hieron. in comm. Eph. 1. ad Latini fermonis confuetudinem explicat: *Non dixit: non justificabitur in conspectu tuo quisquam vivens, sed, omnis vivens: i. e. Non justificabuntur omnes, justificabuntur verò aliqui*. Sed fenfus univerfaliter negans fatis claret.

In Chaldaica lingua idem loquendi modus eft: & vehementior eft negatio, fi addatur univerfali particulæ מִדַּעַם *quicquam*. Deut. 8: 9. לָא תֶחְסַר כָּל מִדַּעַם בַּהּ *non deficiet omne quicquam in ea*, h. eft, nihil prorfus.

In N. Teft. idem Hebraifmus occurrit.

Matth. 24: 22. *Et nisi abbreviarentur dies illi*, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ, *non fieret salva omnis caro*, h. eft, nulla caro falva fieret.

Luc. 1: 37. οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ θεῷ πᾶν ῥῆμα, *non impossibile erit apud Deum omne verbum*, h. e. nullum verbum impoffibile erit.

Rom. 3: 20. *Ex operibus legis* οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ, *non justificabitur omnis caro*, h. e. nulla caro juftificabitur. Convenit cum Pf. 143: 2. Vide & Johan. 6: 39. Eph. 4: 29. 1 Joh. 2: 21. cap. 3: 6. 15. 2 Pet. 1: 20.

Referri huc analogicè poteft, (quod congruè monet Flacius part. 1. clavis Script. col. 1235. & 1304.) quando negativa additur voculis עַד־מְאֹד *usque valdè*. Per fe, *vehementer*, *ut plurimùm*, *supra modum*, eæ fignificant, Genef. 27: 34. 1 Samuel. 11: 15. At fi negativa addatur, *non usque valdè*, fignificatio eft *penitus non, prorsus non*. Latinis effet particularis

cularis negativa (negans tantùm summum gradum, inferiorem admittens) sed Hebræis est universalis, ac prorsus eandem rationem obtinet hæc formula, ut illa, *non omnis*, h. e. nullus. E. G. Psal. 119: 8. אַל *ne derelinquas me* עַד־מְאֹד *usque valdè*, h. est, nequaquam, ne in minimo quidem me derelinquas. Ib. vers. 43. וְאַל *& ne eripias verbum veritatis de ore meo* עַד־מְאֹד *usque valdè*, h. est, omninò ne eripias, ne in minimo quidem. Sic in negatione implicitâ. Esa. 64. ult. *An Jehova sileres, & affligeres nos* עַד־מְאֹד *usque valdè?* Interrogatio æquipollet negativæ seu prohibitivæ, q. d. ne quæso hoc facias, ne irascaris nobis usque valdè seu ut plurimùm. Latinis auribus sonat, acsi tantùm summum gradum iræ divinæ deprecarentur, inferiores autem non difficulter admitterent: cùm deprecentur omnem omninò Dei iram.

## *Nota.*

In his locutionibus negatio afficit *verbum*, non particulam universalem: Quòd si in eam particulam cadat, particularis negatio est. Ut Matth. 7: 21 ὀ πᾶς, *non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* Sensus est, aliquis intrabit, & aliquis non. Sic Num. 23: 17. (v. 13.) וְכֻלּוֹ לֹא תִרְאֶה *totum ipsum non videbis*, hoc est, partem tantùm ipsius videbis, &c.

## Canon XX.

*Sunt & alia quædam de significatione adverbiorum negantium observanda.*

1. Adverbia negandi *verbis* adposita, ἀυξητικὰ sunt, & contrarium affirmatum cum emphasi denotant. Vide suprà tract. 3: can. 20. Huc pertinent Psal. 83: 2, Amos 1: 3. &c. Zeph. 1: 6. cap. 3: 2.

Idem in *nominibus* quibusdam videre est, si vocula negativa addatur.

Psal. 43: 1. מִגּוֹי לֹא־חָסִיד *à gente non benigna*, hoc est, malignâ & crudeli.

Hos. 13: vers. 13. *Ipse* (Ephraim) est *filius non sapiens*, hoc est, maximè insipiens & stultissimus.

Prov. 18: 5. *Accipere personam impii* לֹא־טוֹב *non bonum*, h. e: pessimum est.

Matth. 2: 6. *Et tu Bethlehem terra Juda*, ὀδαμῶς ἐλαχίςη, *nequaquam minima es in principibus Juda*, hoc est, μεγίςη εἶ, *maxima es.* Sic apud Herodotum: ἑλλήνων ὀ τῷ ἀσθενεςάτῳ σοφίςῃ Πυταγόρῃ. Et idem, quod in Euangelista extat, in verbis Mich. 5: 1. exprimi Drusius annotat, ut ibi sit, צָעִיר לִהְיוֹת pre ellipsin ה interrogativi, pro הַצָּעִיר לִהְיוֹת *parva an sis?* hoc est, interprete Matthæo, μηδαμῶς ἐλαχίςη. Interrogatio enim affirmativè concepta, negationem simplicem significare solet, ut suo loco in Rhetorica sacra dicetur.

Apoc. 11: 7. *Vidua non sum*, hoc est, populosa sum admodum &c.

2. Adverbia negandi ante *nomina* interdum habent vim στρητικήν, ut apud Græcos, & *in* apud Latinos, si cum adjectivis coalescant.

1. Sam. 20: 25. בִּלְתִּי טָהוֹר הוּא *non mundus est*, h. e. immundus.

Prov. 12: 28. *In itinere justitiæ est vita, & via semitæ (ejus)* אַל־מָוֶת *non mors est*, hoc est, immortalis est. Quidam tamen ut antitheton prioris membri accipiunt: *Et est vir semitæ* אַל־מָוֶת *ad mortem*; ut sit pro אֶל aut עַל, literis אע permutatis. Chald. *Via iniquitatis est ad mortem.* Sic 2 Sam. 13: 16. *Et dicebat ad eum* אַל־אוֹדֹת *propter malum magnum illud*, pro עַל *propter*: sicut & Targum habet.

Prov. 30: 25. *Formicæ sunt populus* לֹא־עָז *non validus*, h. e. invalidus, infirmus.

Esa. 14: 6. מַכַּת בִּלְתִּי סָרָה *plagâ non recedente*, h. e. indesinente, immotâ. Sic & Psal. 36: 5. Esa. 5: 14. Jer. 8: 6. Hos. 13: 13.

3. Duæ negationes apud Græcos fortiùs negant.

Luc. 21: 33. *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea* ὀ μὴ *non transibunt.*

Sic ὀ vel ὀκ, cum ὀδεὶς *nullus*, vel ὀδὲν *nihil*, conjunguntur, & tùm nomina illa negativa *quisquam* vel *quicquam* Latinè exponenda. Luc. 20: 40. *Et ampliùs non audebant interrogare eum* ὀδὲν *nihil*, h. e. quicquam. Sic Joh. 5: 30. cap. 12: 11. cap. 15: 5. cap. 16: 24.

Joh. 19: 41. *Et in horto erat monumentum novum*, ἐν ᾧ οὐδέπω οὐδεὶς ἐτέθη, *in quo nondum quisquam positus fuerat.*

Interdum triplicantur vel quadruplicantur negationes apud Græcos.

Matth. 24: 21. *Erit tunc afflictio magna, qualis non fuit &c.* οὐδ' οὐ μὴ γένεται, *neque futura est.*

Marc. 14: 25. οὐκέτι οὐ μὴ πίω, *non ampliùs bibam &c.*

Luc. 10: 19. καὶ οὐδὲν ὑμᾶς οὐ μὴ ἀδικήσει. *& nihil omninò vos lædet,*

Luc. 23: 53. οὗ ὀκ ἦν οὐδέπω οὐδεὶς κείμενος, *ubi nondum quisquam fuerat positus.*

Sic apud profanos. Plato. οὐ δυνατὸν οὐδὲ πώποτε

οὐδὲν τούτων πράττειν, *non potest horum quicquam facere*: seu nihil horum facere potest.

Demosth. οὐδέποτε οὐδὲν οὐ μὴ γένηται τῶν δεόντων, *numquam quicquam fiet eorum, quæ oportet.*

## Nota.

Rectè tamen Grammatici Græcorum annotant, aliquando duas vel plures negationes apud Græcos *affirmativam* efficere sententiam, perinde ut apud Latinos.

Act. 4:20. οὐ δυνάμεθα γὰρ ἡμεῖς, ἃ εἴδομεν καὶ ἠκούσαμεν, μὴ λαλεῖν, *non possumus nos, quæ vidimus & audivimus, non loqui*, h. e. oportet nos ea loqui.

Sic in Xenoph. οὐ δύναμαι μὴ μεμνῆσθαι αὐτοῦ, *non possum ejus non meminisse*, h.e. cogor ejus meminisse. Id. οὐ δύναμαι μὴ οὐκ ἐπαινεῖν, *non possum non laudare*. h.est, cogor laudare. Arist. οὐχ οἷον τε μὴ οὐχὶ τούτων θάτερον ὑπάρχειν, *fieri non potest, quin alterum horum sit*, id est, necesse est, ut alterum horum sit.

Chrysostomus. οὐδεὶς, ὅστις οὐ γελάσηται, *nemo est, qui non sit risurus*, id est, omnes homines ridebunt.

Sic contrà Latinis quandoque duæ negationes fortiùs negant, quod ex Græcismo fluit. Plaut. Mil. 5:1. *Jura te non nociturum esse homini de hac re nemini.* Non nemini, hoc est, plane nemini. Epid. 5. 1. *Neque ille haut objiciet mihi pedibus sese provocatum.* Bacch. 4. 9. *neque ego haud committam, ut si quid peccatum fiet, fecisse dicas de mea sententia &c.*

## Canon XXI.

*Pro negativo adverbio quandoque comparativa particula ponitur.*

SEu quandoque duo, quorum alterum simpliciter negandum est, alterùm verò affirmandum, *comparative* efferuntur. Seu: Compatio sæpè adversativæ æquipollet.

Psalm. 118. vers. 8. *Bonum* (melius) *est sperare in Jehova*, מִבְּטֹחַ *quàm sperare in homine*, h. est, in Jehovâ sperare bonum est, non verò, sperare in homine, ut Luth. optimè in versione vernacula expressit. Et ita Psalm. 146: 3. Jerem. 17: 5. explicatur. Simile exemplum est Prov. 25. 7. Jon. 4. vers. 3. Hebr. 2. vers. 15. Matth. 18: 8.

Hos. 6: 6. *Quia pietate* (seu misericordia) *delector, & non sacrificio, & cognoscere Deum* (seu *cognitione Dei*, scil. delector) מֵעֹלוֹת *præ holocaustis*, seu, magis quàm holocaustis, hoc est, cognitione Dei delector, & non holocaustis. Sic 1 Sam. 15: 22. loquitur non de sacrificiis ritè & fideli corde, sed sine fide ex hypocrisi oblatis, quæ utique non vult Deus, Esa. 1: 11. Prov. 15: 8. cap. 21: 27. Esa. 66: 3. Jer. 7: 9, 10. &c. Sic Matth. 9: 13. in sensu oppositivo Prophetæ verba priora (quæ posteriorum sunt exegetica) allegantur, uti *tùm* reliquæ duæ vers. 12: 13. ἀντιθέσεις, expressæ, *tùm* scopus Christi & adversarii, contra quos agit (ii Pharisæi erant) ostendunt; uti & cap. 12: 7.

Luc. 18: 14. *Descendit hic justificatus in domum suam* (magis) ἢ ἐκεῖνος, *quàm ille*; hoc est, hic descendit justificatus publicanus nempe; ille verò plane non, videl. Pharisæus tumidus opinione meritorum propriorum. Confer B. Lutheri gl. marg. in h. l. Vir Clariss. Sixt. Amama in Gram. Hebr. lib. 2. p. 199. h. l. addit: ἢ ἐκεῖνος *quàm ille*, id est, non autem ille, ut ἢ non ineptè illic exponas per οὐ, *non*, non ille, atque ita supplementum illud, *magis*, non est necessarium. Sic veteres exposuerunt illud Homeri sine ellipsi τοῦ μᾶλλον: βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι, id est, οὐ δὲ ἀπολέσθαι.

1 Cor. 7: 9. *Melius est nubere, quàm uri*, hoc est, bonum est nubere, sed non bonum est uri, seu flammis libidinum succumbere.

1 Petri. 3. vers. 17. *Meliùs est enim, benefacientes, si voluntas Dei sit, pati, quàm malefacientes*, hoc est, bonum illud est, non verò hoc.

a Cumprimis autem particula μᾶλλον hunc idiotismum efficit, quæ non semper *comparationis* est, sed sæpiùs *correctionis* vel *oppositionis* nota: hoc est, non semper ita comparat, ut aliquid quidem utrique tribuatur, uni verò magis quàm alteri; sed sæpiùs simpliciter rem totam transfert in unum, & alterum ei contradictoriè opponit. Unde per *potiùs* correctivum, non per *magis* comparativum vertendam esse, quidam ajunt. Fit autem id tripliciter. (a Particula μᾶλλον.)

1. Cùm particulæ μᾶλλον comparationis altera particula, ἢ *quam*, additur. Joh. 3: 19. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines*, μᾶλλον τὸ σκότος, ἢ τὸ φῶς, *magis tenebras, quàm lucem.* Videtur dicere, quòd homines etiam lucem dilexerint, licet minùs quàm tenebras: cum sensus contrarius sit, eos planè non dilexisse, sed odisse lucem, & tantùm dilexisse tenebras. Confer vers. 20. & 21. cap. 1: vers. 15. Latinè igitur commodiùs forsan ex-

primi posset: *Et dilexerunt homines potiùs tenebras, quàm lucem.* Quanquam & hæc particula non videatur satis proprietatem sensus assequi.

Joh. 12:43. *Dilexerunt gloriam hominum* μᾶλλον ἤπερ *magis quàm gloriam Dei*, hoc est, gloriam hominum dilexerunt, nequaquam verò gloriam Dei. Confer Johan. 5. vers. 44.

Actor. 4:19. *An justum sit in conspectu Dei*, ὑμῶν ἀκούειν μᾶλλον, ἢ τοῦ θεοῦ, *vos audire magis, quàm Deum, judicate*, cap. 5:29. πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις, *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Nota, non agitur de obedientia in genere, sed de obedientia in casu conscientiæ & doctrinæ cœlestis, ubi magistratus DEO adversatur. Quo casu non hominibus, sed Deo soli obediendum. Et hic verborum horum sensus est.

Similia exempla sunt, 1 Tim. 1:4. 2 Tim. 3. vers. 4. (Confer vers. 5. Tit. 1:16. Hebr. 11. vers. 25.

2. Cùm μᾶλλον negativæ expressæ subjicitur. Matth. 10:5,6. *In viam gentium ne abieritis, &c. Ite autem* μᾶλλον *potiùs ad oves, quæ perierunt, domus Israel.* Sic & v. 28. Luc. 10:20. Rom. 14:13. Eph. 4:28. c. 5:4.

3. Cùm simpliciter μᾶλλον ponitur, & tamen oppositio tacitè fit. Marc. 15. vers. 11. *Pontifices concitaverunt turbam, ut* μᾶλλον *magis Barrabam dimitteret eis*, h.e. potius Barrabam quàm Jesum: seu Barrabam, & non Jesum. Sic Matth. 25:9. 1 Cor. 5:2. cap. 6:7. 2 Petr. 1:10.

## *Nota.*

1. Ad hunc canonem ἀναλόγως quædam referri possunt, in quibus non adverbia quidem comparativa occurrunt; sed in textu tamen comparatio institui videtur, quæ oppositivè intelligenda.

Matth. 21:31. Christus ad Pharisæos dicit: *Publicani & meretrices præcedunt vos in regnum cœlorum.* Quod ita sonare videtur; ac si publicani & meretrices prius, Pharisæi autem posterius ingressuri sint regnum cœlorum: cùm tamen sensus sit; illi intromittentur in regnum Dei, vobis exclusis. Beza: *Cessantibus & recusantibus vobis properant* (publicani & meretrices) *ad regnum Dei, ut vos oportuerit saltem eorum exemplum imitari.* Itaque *præire* impropriè hic dicuntur, quos nemo sequitur. Quidam nomen *Primogeniti* huc conferunt: Quemadmodum *primogenitus* dicitur etiam is, ante quem nullus natus, quamvis post eum nemo nascatur: Sic *præcedere* dicitur etiam is, quia alteri suo exemplo præit, & neminem se præeuntem habet, quamvis alii ipsum non sequantur.

Eâdem ratione *primi* respectû regni cœlorum dicuntur, qui ejus fiunt participes; *ultimi*, qui ejus possessione excidunt. Matth. 19. ult. Luc. 13:30. Et eadem ratione *maximus* in regno cœlorum, hoc est, qui illud ingreditur, Matth. 18:4. *minimus*, qui eo excluditur, Matth. 5:19. quibus locis ad sermonem aliorum fit à Christo allusio.

Flacius huc refert Luc. 7. cap. ubi Dominus tribuens peccatrici plenam justificationem, videtur etiam Pharisæo aliquam tribuere. Positâ enim universali regulâ, *quod ille plus diligat, cui plus remissum sit*, vers. 42, 43. incipit comparare eum cum illa in dilectione, tanquam evidenti justificati animi indicio, illiusque dilectionem longissimè officiis Pharisæi præfert: ut ostendat, eam multò magis justificatam esse illo, qui sibi summum apicem justitiæ arrogabat. Cùm alioqui reverâ Dominus dicere velit, ipsam quidem perfectè justificatam; illud verò adhuc in profundo suorum peccatorum hærere.

a De loco Hebr. 1. præ consortibus tuis.

a 2. Sunt, qui ad canonem hunc etiam illam locutionem comparativam referunt, quæ Hebr. cap. 1:9. (ex Psal. 45:8 desumta) habetur: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ* παρὰ τοὺς μετόχους σου, *præ consortibus tuis.* Calviniani quidam ex comparativa locutione inferre hic conantur, *eadem quidem finita dona, verùm gradu longè sublimiore, Christo secundùm carnem collata esse, quàm sanctis hominibus.* Ad hoc respondetur, *quòd terminis comparativis sæpè simplex negatio exprimatur. Non ergò sensum esse, quòd credentes etiam veniant in* κοινωνίαν *istorum infinitorum donorum: sed quòd nullatenus istorum fiant participes, licet fructus istius unctionis ad eos redundet. Ut enim unio hypostatica ab inhabitatione gratiosâ toto genere differt, sic & unctio Christi & Sanctorum &c.* Hæc verè quidem dicuntur, sed ad canonem præsentem non ritè applicatio fieri videtur. Si enim *comparatio* hic instituta, *negativè* intelligenda est; sequetur, sensum esse, quod Christus unctus sit, & μέτοχοι non ungantur (secundùm exempla superiùs proposita) quod tamen dici nequit, cùm contrarium Esai. 61. vers. 3. (ubi eadem vox, שֶׁמֶן שָׂשׂוֹן *oleum lætitiæ*, de unctione credentium usurpatur, quæ Psalm. 45:8. de unctione Christi) 1 Joh. 2:20, 27. & alibi extet, quod & ipsa τῶν μετόχων appellatio, a *participatione* deducta, indicat. Quid igitur? Simpliciùs ex Logicorum, quam Grammaticorum regulis Calviniano sophismati responderi potest, consequentiam videlicet illam, cui argumentum innititur, esse nullam: *Si inter unctionem Christi &*

*& credentium instituitur quædam comparatio* (& illa huic præstare vel sublimior esse dicitur) *sequitur, quòd gradu tantùm, & non specie, vel toto etiam genere, duo illa differant:* Hæc, inquam, consequentia nulla est. Notetur 1. instantia. De Jehova dicitür. Psalm. 135:5. *quod magnus sit* מִכָּל־אֱלֹהִים *præ omnibus diis*, παρὰ πάντας τοὺς θεοὺς, ut LXX. Interpretes reddunt. Hîc eadem phrasi, quæ in Psalm. 45. & Hebr. 1. occurrit, inter unum verum Deum & λογομένυς θεοὺς, uti 1 Cor. 8:5. vocantur, instituitur comparatio, & tamen plus quàm toto genere ac infinitis modis ab iis Jehova differt: unde Psal. 96:4. id ita effertur, *quod Jehova sit terribilis* עַל־כָּל־אֱלֹהִים *super omnes Deos.* 2. Etiam ea, quæ specie omninò differunt, respectu differentiæ specificæ (quâ una species alteri præstat) conferri inter se possunt. Sic homo longè præstantius animal est, quàm bestia, quia longè perfectiorem & eminentiorem formam sive differentiam, quâ à bestia distinguitur, obtinet &c. Sic Christus παρὰ τοὺς μετόχους dicitur unctus, hoc est, longè sublimiori ratione se habet unctio illa, quæ Christo competit, quàm quæ ex Christo credentibus, à qua tamen specie, imò genere toto, illa differt. Simile exemplum Hebr. 1:4. est ubi de Christo dicitur, *quòd longè excellentius nomen præ angelis sortitus sit*: nec tamen sequitur, quòd nomen illud & Christo & Angelis competat, licèt illi gradu sublimiori, his inferiori: cùm in v. 5. planè nomen illud Christi, de angelis negetur.

## Canon XXII.

*Vice versâ negativum adverbium quandoque pro comparativâ particulâ ponitur.*

SEu: Comparativus sæpè ita circumscribitur, ut alterum, & quidem inferius ex duobus comparatis negetur, alterum affirmetur, cui excellentia tribuenda est.

Gen. 45. vers. 8. *Nunc itaque, nequaquam vos misistis me huc, sed Deus ipse*: hoc est, potiùs Deus, quàm vos, hanc in Ægyptum profectionem meam efficit: vel, non tàm vos, quàm Deus.

Exod. 16:8. *Non contra nos* sunt *murmurationes vestræ, sed contra Jehovam*: h.e. potiùs contra Jehovam, quàm contra nos: vel, non tàm contra nos, quàm contra Jehovam.

Psalm. 34:11. *Juvenes leones pauperantur atque esuriunt, quærentes autem Jehovam non indigent omni bono:* hoc est, potiùs illi esurient, quàm timentes Dominum necessariis destituantur. Quidam negativam oppositionem hîc retinent, hoc sensu: Quicunque viribus suis freti atque præsidentes, non respiciunt ad Deum, miserè pereunt: fideles verò à Deo conservantur & suaviter pascuntur. Conf. Luc. 1:53.

Prov. 8:10. *Accipite eruditionem meam, ac non argentum*, hoc est, potiùs illam accipite, quàm argentum: unde statim sequitur: *Et scientiam meam potiùs, quàm aurum effossum lectissimum.*

Prov. 17:12. *Occurrat ursa orba in virum, & non stultus in stultitia sua*; hoc est, satius fuerit in ursam, quàm in stultum incidere. De gravitate autem periculi ab ursis vide 1 Sam. 17:8. Hos. 13:8. Vulg. *Expedit magis ursæ occurrere, raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti sibi in stultitia sua.*

Jer. 7:22. *Non sum locutus cum majoribus vestris, neque præcepi eis, quo die eduxi eos è terra Ægypti, de rebus holocausti & sacrificii.* vers. 23: *Sed rem hanc præcepi eis, edicendo, auscultate voci meæ, ut sim vobis Deus &c.* hoc est, potiùs hoc, quàm illud præcepi.

Joël. 2:13. *Lacerate corda vestra, & non vestes vestras, & revertimini ad Jehovam Deum vestrum*, hoc est, potiùs corda vestra, quàm vestes: ut nimirum contritio sit vera & seria, non hypocritica.

Matth. 5:39. *Ne resistite malo* (vel *improbo*, in mascul.) *sed qui te cædet in dextram tuam maxillam, obverte ei & alteram &c.* h. e. potiùs hoc fac, quàm ut resistere malo velis. Sermocinatur autem Christus de vindicta privata, quæ sine jure & mandato, ex animo iracundo & impatiente suscipitur: non de publica, quæ fit secundùm leges per magistratum &c. Conf. D. Chemn. part. 2. locor. de vindicta, p. 134. D. Meisn. de legib. p. 223. seqq.

Luc. 14:12. *Cùm facis prandium aut cœnam, ne voca amicos tuos &c.* vers. 13. *sed pauperes, debiles, claudos, cæcos &c.* h. e. potiùs hos, quàm illos: sc. ut beatus sis, & fidem tuam beneficentiâ declares. sicut vers. 14. subjungitur.

Johan. 45:5. *Non ego accusaturus sum vos apud patrem; est, qui accusat vos, Moses:* hoc est, potiùs Moses vos accusabit, quàm ego, cùm ipsi de me testificanti non credatis. Beza: *Negatio non prorsus id removet, quod dicitur, sed corrigit, q.d. Christus, ipsos nullum habituros acriorem accusatorem Mose, cujus patrocinio confidebant.*

Joh. 6:27. *Non operemini* (seu præparetis) *cibum, qui perit: sed cibum, qui permanet in vitam æternam*, h.e. non tam illum quam hunc, seu

seu potius hunc, quam illum. Neque enim Christus prohibet necessariam & legitimam pro conservanda vita hac terrena solicitudinem, quod inscitè Massiliani hinc olim colligebant, ut est apud Epiph. hær. 80. contra evidentia dicta Pauli 1 Corinth. 4: 12. Eph. 4: 28. 1 Thess. 4: 11. 2 Thess. 3: 10, 11, 12. sed curam & zelum in spiritualibus ante omnia reliqua inculcat. Conf. Matth. 6: 33.

1 Cor. 1: 17. *Non misit me Christus ad baptizandum, sed ad euangelizandum*, hoc est, potiùs ad hoc, quàm ad illud: seu, non misit me principialiter ad baptizandum. Nisi enim ad baptizandum quoque missus fuisset, neminem omninò baptizâsset, quod tamen fecisse legitur in hoc capite, vers. 14, 16.

## *Nota.*

Huc pertinet, quòd NON ἐλλειπτικῶς pro *non solùm* frequenter accipitur: & in altero, quod per adversativam opponitur, quædam præeminentia præ priori intelligitur, ac si subintelligendum esset, *cumprimis*, vel *potissimùm*. Quâ significatione & ex præcedentibus pleraque accipi possunt. Et si rem rectè æstimemus, cum præcedenti hoc coincidit.

Gen. 32: 28. *Non Jacob dicitur ultrà nomen tuum, sed Israel*, h. e. non solùm Jacob diceris, sed & cumprimis Israel. Utroque nomine posteà vocatur indiscriminatim.

1 Sam. 8: 7. *Non te spreverunt, sed me spreverunt, ne regnem super ipsos*, h. e. non solùm Te, sed & potissimùm me.

Jer. 31: 34. *Et non docebunt ampliùs quisque amicum suum, & quisque fratrem suum, dicendo, cognoscite Jehovam: sed* (כִּי *quia* pro *sed*) *quotquot erunt, cognoscent me, à minimo eorum usque ad maximum eorum, dictum Jehovæ. Non docebunt ampliùs*, scil. solùm. (Sic Heb. 8: 11.) Est enim oppositio inter tempus fœderis legalis, quò quisque fratrem in vera doctrina instituebat. Israelita scil. Israelitam: & inter tempus fœderis novi Euangelici, quo non solùm Judæi, sed omnes etiam gentes cognitione verâ salutis imbuendæ sunt. In quo autem cognitio illa consistat, statim subjicitur: כִּי *quòd condonaturus sim iniquitatem eorum, & peccati ipsorum non recordaturus sim ampliùs.* Hæc est cognitio salutis, in remissione peccatorum Luc. 1. v. 77. & notitia solius Jesu crucifixi, 1 Corinth. 2. vers. 2. in quo remissio peccatorum credentibus obtingit, Col. 1: 14. Act. 10: 43.

Ezech. 16: 47. *Et non in viis eorum ambulâsti, & secundùm abominationem eorum fecisti: tanquam parvum fastidio fuit hoc, & corruptionem adhibuisti majorem eis, in omnibus viis tuis*, h. e. non solùm in viis eorum ambulâsti, sed etiam longè deterior eis es facta.

Sic si negativa ponatur implicitè, per interrogationem affirmativam (vide lib. 4. tr. 1. obs. 1. de ה interrogativo not. 2.) Amos. 5: 25. *An sacrificia & munus obtulistis mihi*, scil. tantum; h. e. non mihi tantùm sacrificia & munus obtulistis in deserto, sed & diis alienis, quod v. 26. exprimitur.

## *Exempla N. T.*

Matth. 10: 20. & Marc. 13: 11. *Non vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus*, h. e. non tantùm vos, sed & cumprimis Spiritus Sanctus. Vide & Matth. 18: 22.

Act. 5: 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo*, hoc est, non tantùm hominibus, sed & Deo principaliter.

Ephes. 6: 12. *Non est nobis colluctatio contra carnem & sanguinem, sed adversus principes &c.* hoc est, non tantùm cum hominibus & mundo perverso; sed & cumprimis cum Diabolis est credentibus decertandum.

1 Thess. 4: 8. *Itaque qui spernit, non hominem spernit, sed Deum &c.* h. e. non tantùm hominem, sed & potentissimùm Deum.

Ex exemplis adductis patet, locutionem hanc fieri inter alia, quando sermo est *de legatis & ministris Dei*, qui in suo officio nomine Dei loquuntur, agunt, vel sustinent. Exod. 16: 8. 1 Sam. 8: 7. Marc. 13: 11. Act. 5: 4. 1 Thess. 4: 8. Et significatur hoc loquendi modo, honorem legato exhibitum, ut etiam ignominiam, quâ affectus est, redundare in ipsum legantem, qui illum sit remuneraturus; hanc verò graviter ulturus, tanquam sibi factam. Et sic negatio in his dictis non tàm negat, quàm exaggerat; est potius αὐξητικὴ, quam ἐκολειςικὴ.

*Locutiones de Christo & Patre.* Utitur hoc loquendi modo sæpiùs etiam Salvator noster, quando de se & Patre loquitur, non ob dictam modò rationem, quia Patris legatus est, sed & respectu sublimiori. Dum enim se Patri per negativam particulam opponere videtur, eo ipso reverà ὁμουσίαν suam cum Patre demonstrat.

Marc. 9: 27. *Qui me susceperit, non suscipit me, sed eum, qui misit me;* h. e. non me solum, sed etiam eum, qui me misit: quia sc. *unum sumus*, Joh. 10: 30.

Joh. 5. v. 30. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*, h. e. non tantùm meam, sed & Patris: quia scil. una no-

ftri utriusque voluntas & essentia. Præcedit hoc versu: *non possum ego à me ipso facere quicquam.* Conferatur hoc cum v. 19. & perspicuum evadet, ad ὁμουσίαν (cui ὁμοθέλησις conjuncta) Patris & suam, Christum dictâ phrasi respicere. Sic Joh. 6: 38. c. 7: 16.

Johan. 12. vers. 44. *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me*, hoc est, non credit in me solum, sed etiam in Patrem, cum quo videl. unius naturæ, & æqualis majestatis sum. Confer Joh. 14: 1, 9, 10.

Sic vice versâ Patrem sibi opponere per negativam videtur, cùm eâdem ratione Patris ὁμουσίαν cum seipso ostendat. Joh. 5: 2. *Pater non judicat quenquam, sed omne judicium dedit Filio*, hoc est, non solus judicat absque Filio, sed cum Filio & per Filium, qui est character substantiæ ejus, & splendor gloriæ ejus. Heb. 1: 3. Confer Actor. 17: 31. Unde statim subjungitur, v. 23. *Ut omnes honorificent Filium, καθὼς sicut honorant patrem, &c.*

## Canon XXIII.

*Negativum adverbium quandoque extra suum locum ponitur, unde obscurior paulò sit oratio.*

ECcl. 10. vers. 10. *Si bebetatum fuerit ferrum & ipse* קִלְקַל לֹא־פָנִים *non aciem tersverit*, hoc est, & ipse (scindens) aciem non terserit.

Joh. 6: 32: *Non Moses dedit vobis panem illum ex cœlo.* Pro *Moses non dedit vobis panem illum de cœlo.* Quæstio est, non *quis Manna dederit*, Moses, an Deus? sed *quid tùm datum fuerit*, an verus cœlestis panis, an alius corporalis tantùm? Negatio igitur NON, determinat non personam dantem, quæ Moses est; sed rem datam qui panis ille verus cœlestis est. Nempè hoc vult: Manna non fuisse verè cœlestem panem, quia jam demum adsit ille panis à Patre datus, nempè Christus Jesus, ut sequentia ostendunt verba.

Rom. 1: 21. *Cùm cognovissent Deum, non ut Deum bonoraverunt:* pro, ut Deum non honoraverunt. Posset enim quis putare, quòd aliter eum nihilominus honoraverint. Adverbium igitur NON, negat verbum *bonorare*, & non adverb. similitudinis *ut*, vel *sicut*. Simile exemplum est 1. Cor. 10: 5.

Est etiam trajectio negativæ particulæ in illo Rom. 3: 9. *quid ergò? præcellimus?* οὐ πάντως, *non omninò:* pro, πάντως οὐ, *omninò non.* Neque enim οὐ determinat vocem πάντως, ut *non omnino* sit, pro *aliquatenus:* sed Tò *omnino* negativam intendit, ut fortior sit inficiatio.

### Nota.

Huc pertinet & illud, quòd negativum adverbium quandoque *priori* propositionis connexæ membro additur, cum deberet *posteriori:* & in priori simul ellipsis est particulæ *SI.*

Exod. 33: 20. לֹא *non videbit me homo & vivet*, h. e. si videbit me homo, non vivet. Junius. Non potest videre me ullus homo, dum vivit, scil. in hac mortali vita.

Deuter. 22: 1. *Non videbis bovem fratris tui, aut pecudem ejus, depulsos, & ocultabis te ab illis*: hoc est, si videris bovem &c. non occultabis te. Sic & vers. 4.

## Canon XXIV.

*Verbis negativis prohibitivis particula negativa adduntur, & videntur abundare.*

LUc. 20: 27. *Accesserunt quidam Sadducæorum,* οἱ ἀντιλέγοντες, ἀνάστασιν μὴ εἶναι, *contradicentes* (negantes) *resurrectionem non esse*, h. e. qui contradicunt vel negant, resurrectionem esse. Quidam ἀντιλέγοντες pro simplici λέγοντες positum esse ajunt.

Luc. 22: 34. *Non cantabit bodiè gallus*, πρὶν ἢ τρὶς ἀπαρνήσῃ, μὴ εἰδέναι με, *priusquam ter neges, te non nôsse me*, hoc est, te nôsse me, seu, me tibi notum esse.

1 Joh. 2: 22. ὁ ἀρνούμενος, ὅτι Ἰησοῦς οὐκ ἔστιν ὁ χριστὸς, *qui negat, quòd Jesus non est Christus*, h. est, qui negat, quòd sit: vel, qui negando ait, quòd non sit &c.

Huc referri potest, quando particula negativa non quidem expressè ponitur, implicitè tamen in verbo continetur. 1 Tim. 4: 3. κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων, *probibentium contrabere matrimonium, abstinere à cibis.* Quid hoc posterius, *probibentium abstinere*, pro, prohibentium vesci vel frui cibis? ἀπέχεσθαι idem est sensu, quòd μὴ ἀντέχεσθαι, *non usurpare.* Et sic verbum prohibitivum κωλύειν, implicitè cum negativa particula construitur, ut in superioribus exemplis verbum negativum &c.

Ex profanis huc pertinent; Arist. ἀπηγόρευε μὴ πωλεῖν τὸν σῖτον, *vetuit non vendere frumentum*, hoc est, vetuit vendere. Thucyd. μὴ διαφθεῖραι ἐκώλυσε, *probibuit non corrumpere*, hoc est, prohibuit corrumpere. Demosth. μὴ

πέμπειν ἀποψηφίζομαι, *non mittere, meo calculo veto*, hoc est, mittere veto. Id. ἀπιςῶ μὴ δυνήσεσθαι, *diffido me non posse*, hoc est, diffido me posse. Lucian. οὐκ ἂν ἔξαρνος γένοιο, μὴ οὐκ ἐμὸς υἱὸς εἶναι, *negare haud queas, te meum non esse filium*, hoc est, te meum esse filium.

Hæc de adverbiis negandi: de eorum ellipsi infrà lib. 4. tractat. 2. observ. 10. dicetur.

# ADVERBIA DUBITANDI.

## Canon. XXV.

*Dubitandi adverbia non semper incertitudinem directè important, sed vel rei difficultatem exprimunt, vel propter aliam rationem emphaticè adhibentur.*

ALii sic: Particulæ ἀπορηματικαὶ in suasionibus & exhortationibus non sunt dubitantis, sed *spem facientis animantisque ad fiduciam consequendi optata*, licet non exigua difficultas sit conjuncta.

Distinctè de illis particulis ut agatur, necesse est.

1. אולי *fortassis*, dubitantis particula est Genes. 18: 24. seqq. Job. 1: 5. &c. (Jer. 26: 3. in sermone Dei usurpatur, per ἀνθρωποπάθειαν. Hieron. in comm. *Verbum ambiguum, forsitan, majestati Domini non potest convenire; sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium ne ex præscientia ejus, quasi necessitate, vel facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo, quòd Deus scit futurum aliquid, idcircò futurum est; sed quia futurum est, Deus novit, quasi præscius futurorum.*) Quandoque tamen *benè sperantis* potiùs, quàm dubitantis est: imò & *optantis* rem speratam affectum exprimit, quam significationem R. Salomo in comment. Genes. 50: 15. ponit in illo 2 Sam. 16: 12. אולי *fortassis videbit Dominus in afflictione meâ*. Ubi אולי idem esse ac לו *utinam*, asserit.

Exod. 32: 30. *Ascendam ad Dominum*, אולי *fortè expiationem faciam pro peccato vestro.* Non dubitat Moses de expiatione & remissione Dei, de cujus infinitâ misericordiâ certus erat, sed solicitudinem potiùs Israelitarum exacuit, gravitatem peccati ostendit, gratiæ Dei expectatione eos erigit, & simul rem à se speratam serio optat. LXX. Interp. particulam hanc prorsus omiserunt: *ascendam ad Dominum*, ἵνα ἐξιλάσωμαι, *ut expiationem faciam pro peccato vestro*. Chald. מָאִים habet, quod non *fortassis* solùm, sed & *utinam* significat, respondens Hebræo לו Job. 6: 2.

Jos. 14: 12. *Da mihi montem istum &c.* אולי *fortassis Jehova erit mecum, ut expellam eos, quemadmodum prædixit Jehova.* Confidentis Calebi hæc verba sunt, non ambigentis, ut vel sola prædictionis Jehovæ allegatio ostendit, cui quin fiducia forti fuerit innixus, dubium non est. Conferatur & v. 9. ubi in memoriam sibi & Josuæ revocat juramentum Mosis, dum inquit: *Juravitque Moses in die illo, dicens: Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum:* Dubitandi igitur quæ videtur particula, confidentis potiùs hîc est & optantis rem humanitùs satis difficilem. Alia exempla sunt 1 Sam. 14: 6. 2 Regum. 29: 4. Amos 5: 15. & cumprimis Thren. 3: 29. quo in loco de veræ expectantis fidei & patientiæ conditione agitur, quæ dubitationem & diffidentiam maximè excludit.

2. פֶּן *ne forte* (à פנן *animi pendere, dubium esse* Psal. 88: 16.) non semper dubitationem de futuro indicat, sed sæpius pro particula *prohibitivâ* simpliciter accipitur.

Gen. 31: 23. *Et dixit Juda, habeat sibi,* פֶּן נִהְיֶה לָבוּז *ne simus contemtui*, hoc est, ne ulteriùs inquirendo, & re divulgatâ, famæ jacturam faciamus. Non dubitat Juda, sed certò novit, fore, ut incommodum istud sequatur, si inquirendo pergat. Erat enim infamis scortatio. Vulgata alienè: *Certè mendacii nos arguere non potest.*

Num. 20: 18. *Non transibis per me*, פֶּן *ne gladio egrediar in occursum tui* Sic Jud. 15: 12. Prov. 24. vers. 18. Mal. 4. ult. &c. Gen. 3: 3. פֶּן־תְּמֻתוּן *ne moriamini*. Vulg. *ne fortè moriamini*. Hîc de suo addere Evam illud *fortè* dicunt, cùm tamen non incertam & dubiam, sed certissimam mortis comminationem Deus addidisset. Tremel. *Hic videtur cœpisse mulier labascere, substituens voci certitudinis dubitandi particulam.* Sed hoc incertum: & Mercerus rectè statuit, simpliciter vertendum, *ne moriamini* LXX. ἵνα μὴ ἀπο-

*μὴ ἀποθανεῖσθε*) ficut hæc particula accipitur, quando præceptis additur, significat incertitudinem.

Quidam huc addunt Eccl. 5: 5. *Ne dicas, non est providentia, ne fortè iratus Deus contra sermones tuos te dissipet.* Atque ita Vulg. habet: in fonte autem sic legitur: לָמָּה יִקְצֹף *quare irascatur Dominus propter vocem tuam?* h. e. cur causam dare vis iræ divinæ?

3. Conditionalis particula, *SI*. In exhortationibus ad pœnitentiam & vitæ emendationem, ea quandoque ponitur, & de remissione dubitationem inferre videtur: sed rectè expensa, non infert. Duplex videamus exemplum, unum ex *Chaldaismo*; ex *Hellenismo* alterum.

Dan. 4: 24. *Peccata tua justitiâ abrumpe, & iniquitates gratiâ erga afflictos:* הֵן תֶּהֱוֵה *si erit prorogatio tranquillitati tuæ.* Pagninus & Tremellius reddunt, *Si fortè* (sed *fortè* illud in ipsa vocula non continetur.) Ariæmontanus & Flacius, ut Hebræum הֵן accipiunt, & per *Ecce* vertunt. Sed ostendit collatio aliorum locorum, cap. 2: 5, 6, 9. cap. 3: 15, 18. &c. Chaldæis esse conditionalem particulam. Ita etiam ex usu Chaldaico Exod. 8: 22. 2 Paral. 7: 13. (al. 8: 3.) Job. 13: 15. Jerem. 3: 1. Hagg. 2: 12. (Confer verf. 13. ubi per אִם *Si*, fit explicatio) usurpatur. Rab. Salomo idem significare apud Danielem docet, ac אוּלַי Hebræum. Et sanè eadem hujus loci videtur esse ratio cum illis, quæ membro primo adducta sunt, quibus אוּלַי non dubitantis, sed benè sperantis & optantis particula est. Ostendit Daniel Regi peccatorum gravitatem, & gratiæ divinæ expectatione (si veram pœnitentiam agat) ipsum erigit.

Actor. 8: 22. *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, εἰ ἄρα ἀφεθήσεται, si forte remittatur tibi hac cogitatio cordis tui.* Ita Vulgata versio. Sed notandum, *ἄρα* vel *concludentis*, vel *asseverantis*, vel denique *expletivam* particulam esse, uti collatio concordantiarum Græcarum docet: nequaquam verò *dubitantis*. Malè igitur per *fortè* redditur. Et videtur *ἄρα* particulæ *εἰ* vim potiùs illam addere, ut conjunctim sit idem, ac *ὅπως δή, ut sane dimittatur tibi &c.* Quòd si dubitatio quædam subest, non ad Dei indulgentiam, sed Simonis Magi resipiscentiam ea referenda, de qua exigua spes reliqua erat, cùm in felle amaritudinis totus esse verf. 23. dicatur. De verè autem pœnitentibus Johannes dicit 1 Epist. cap. 3. v. 14. *ἡμεῖς οἴδαμεν, nos scimus, quòd translati sumus ex morte* (peccatorum) *in vitam &c.*

Huc pertinet Phil. 3: 10. *Ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis ejus, & communionem passionum illius, conformatus morti ejus.* v. 11: *εἴπως καταντήσω si quo modo occurram ad resurrectionem mortuorum.* v. 12: *Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus sim: insequor autem, εἰ καὶ καταλάβω, si comprehendam &c.* Conditionalis hîc nullam dubitationem in animo Pauli infert, cùm de resurrectione suâ ad vitam æternam & perfectionis cœlestis comprehensione esset certissimus: Sed rei hujus difficultas indicatur, ad acuendum desiderium.

4. Particula *ἄν*. quam vulgata versio dubitativè exponit. Johann. 5: 46. *Si crederetis Mosi, crederetis ἄν forte & mihi.* c. 8: 19. *Si me sciretis ἄν forsitan & patrem meum sciretis.* Sed rectè Salmeron tom. 1. p. 320. *Particula ἄν sæpius est expletiva; vel certè sumitur pro sanè, utique*: ubi exempla ex Matth. 11: 21. 23. Joh. 4: 10. adducuntur. Plura concordantiæ Græcæ suppeditant. De loco Matth. 11: 23. ita Chemn. cap. 56. harm. Vetus interpres, *ἔμειναν ἄν* reddit, *fortè mansissent.* Valla verò ostendit ex Prisciano, præteritum vel aoristum indicativi cum particula *ἄν* æquipollere affirmationi vel negationi, quæ per subjunctivum effertur. Et hoc modo vetus interpres sæpè particulam *ἄν* reddit, Matth. 12: 7. Hebr. 8: 7: Psal. 51: 8. Et rectè stomachatur Valla, pravè redditam esse illam sententiam. Joh. 8: 19. *Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis.* Rectiùs, utique & patrem meum sciretis. Matth. 11: 23. reddendum, *mansissent utique.* Sic ostendit, pœnas corporales vel mitigari, vel averti & tolli, verâ & seriâ pœnitentiâ.

5. *Μήπως* Rom. 11: 21. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, μήπως ne forte neque tibi parcat.* Ita vulgata versio. Sed non dubitantis sermonem esse, quin potiùs *certò asseverantis*, ex verf. 22. constat. Et *μήπως* contrarium dubitationi significat, *ne quo modo, ne ullâ ratione* (à *μὴ non & πῶς quomodo*) Rom. 9: 11 2 Cor. 9: 27. Gal. 2: 2. cap. 4: 11. 1 Thess. 3: 5.

a 6. Tandem (cùm in hac dubitationis vocabulorum materiâ versemur) addatur *κατ᾽ ἀναλογίαν* & hoc, quòd phrasis מִי יוֹדֵעַ *quis scit?* non tàm dubitantis sit, quàm *benè sperantis, & opem Dei desiderantis*, ut ex 2 Sam. 12: 22. Joel. 2: 14. Joh. 3: 9. videre est. Luth. in comment. Joel. 2. tom. 3. Jen. Lat. fol. 504. *Quis scit, si convertatur & ignoscat. Loquitur ad modum perterrefacta conscientia, qua vix tandem post afflictionem erigitur, & incipit respirare ad spem & Dei bonitatem. Porrò est hac phrasis Hebraica, qua non significat dubitationem, sed affirmationem cum voto, ut si dicam Germanicè,* es wird sich/ ob Gott wil/ noch wenden. *Utrum-*

a De phrasi quis scit?

*que enim significat, spem mutationis & votum. Latinè non ita benè reddi potest. Si enim dicas, quis scit? dubitativè sonat.* Fr. Junius in comm. Jonæ tom. 1. operum col. 1359. *Hac phrasi* (quis scit?) *quemadmodum etiam voce, fortè aut fortassè, modò fideles, modò infideles, utuntur: sed fideles piè, infideles autem impiè. Nam infideles cùm utuntur, vox est diffidentiæ: fideles verò cùm utuntur, ratio planè diversa est, quia non ex diffidentia; sed ex comparatione confidentiæ in Deum, cum suâ propriâ infirmitate: nec propter ipsos plurimùm, sed magis propter alios adhibent, ut fiducia rerum consequendarum magis ac magis accendatur, &c.* Tandem notetur, Chaldæum paraphrasten Joel. 2:14. Jon. 3: 9. phrasin, *quis scit?* alio sensu & per ellipsin interpretari, hoc modo: *Qui scit se peccatorum esse reum, revertatur ab iis, & miserebitur ejus Deus &c.* Ex quo simul patet verbum ישוב *revertatur*, quod utrobique habetur, non ad Deum, sed ad hominem ab ipso referri.

Ex dictis igitur patet, quid de exemplis scripturæ, quæ Bellarminus pro *dubitationis de gratia DEI & remissione peccatorum*, dogmate adducit, lib. 3. de justif. cap. 6. statuendum sit.

## *Nota.*

CÆterùm dubitandi particula apud Græcos est *τάχα fortassis*, Rom. 5: 7. Philem. v. 15. Quidam ἴσως etiam addunt, Luc. 20: 13. (quo & LXX. utuntur Dan. 4: 24.) quod propriè significat *æqualiter* vel *pariter*, & notat, par seu consentaneum esse id, de quo sermo est. Particula igitur videtur esse *affirmandi opinabiliter* & cum dubitatione. Arist. Rhet. 2. *καὶ ἀμφισβητοῦντες προστιθέασιν· ἀεὶ τὸ ἴσως καὶ τάχα, cùm de re aliqua dubitant, apponunt semper particulam ἴσως & τάχα.* Quidam per *utique* vocem ἴσως reddunt, quod locis allegatis valdè convenit.

# ADVERBIA EXCLUDENDI.

## Canon XXVI.

*Adverbium excludendi* præterquàm, nisi, *non rarò pro conjunctione adversativâ, SED, peculiari idiotismo ponitur.*

NOta, 1. non de conjunctione conditionali *nisi* (quæ verbis præposita conditionem importat, E. G. *ἐὰν μὴ nisi conversi fueritis, non intrabitis in regnum cœlorum*, Matth. 18: 3.) canonem intelligendum esse; sed de adverbio *exclusivo*, vel *exceptivo* potiùs, *præterquàm*, quod respectum ad antecedentia obtinet, & ex illis quiddam excipit: quam significationem etiam vocula *nisi* apud Latinos obtinet. 2. Non igitur huc pertinent exempla ex Hebræo textu Vet. Testam. in quibus אם לא *nisi*, conditionalis conjunctio, ponitur. Quale est Gen. 24: 38. אם לא *nisi ad domum patris mei proficiscaris, & ad familiam meam, ut accipias uxorem filio meo.* אם לא hic conditionalis conjunctio est, & in juramento ponitur, quo servus ab Abrahamo Domino suo obstrictus fuit, vers. 37. De quo infrà suo loco. 3. Nec illa huc pertinent, in quibus כי אם extat. Hæ enim voculæ sic connexæ, adversativam *SED*, ex scripturæ usu denotant, Psal. 1: 2. Esa. 55: 10. cap. 59: 2. Quò pertinet 2 Reg. 5: 17. *Non facturus est ampliùs servus tuus holocaustum aut sacrificium Diis alienis,* כי אם *sed Jehovæ*, Deut. 16: 5. *Non poteris mactare pascha intra aliquam è portis tuis &c.* vers. 6. כי אם *sed ad locum illum, quem Jehova Deus tuus elegerit &c.* Ubi LXX. ἀλλ' εἰς τὸν τόπον &c. 4. Potissimùm igitur ex N. Test. exempla adferenda, quibus ἐὰν μὴ, vel εἰ μὴ, *præterquam, nisi*, pro ἀλλὰ *sed*, ponitur.

Matth. 12: 4. *David panes propositionis comedit, quos non licebat ei comedere, neque iis, qui cum eo erant,* εἰ μὴ, *nisi sacerdotibus solis*, h. e. sed sacerdotibus solis.

Luc. 4: 27. *Et multi leprosi erant in Israel, & nemo illorum mundatus est,* εἰ μὴ *nisi Naeman Syrus*, hoc est, sed Naeman. Neque enim ex Leprosorum in Israel numero Naeman excipitur, sed iis opponitur.

Joh. 5.

Joh. 5: 19. *Non potest Filius facere à semetipso quicquam*, ἐὰν μὴ, *præterquàm quod viderit Patrem facientem*, h. e. sed quod viderit Patrem facientem, scil. hoc ipse facit. Non fit exceptio ex negativa universali, sed priori membro adversativè hoc subjungitur. Utitur autem phrasi, *videre Patrem facientem*, ἀνθρωποπαθῶς: non videt Filius Patrem facientem, ut discipulus, qui ab artifice discit, sed ut unigenitus Patris Filius, absque quo Pater nihil operatur. Bellarm. lib. 1. de Christo cap. 8. *Filius Patrem facientem videre, sive à Patre discere dicitur, quia scientia Filii à Patre est, non tamen per doctrinam, sed per generationem. Nam idem est Deo, scire & esse, & proinde idem est Filio Dei, accipere sapientiam, & accipere essentiam &c.* Eâdem ratione phrasis v. 20. ἐκ παραλλήλε subjuncta exponenda, *quòd Pater ostendat filio, quæ ipse facit.* Vide supra tract. 3. de verbo can. 16.

Joh. 17: 12. *Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex iis periit*, εἰ μὴ *nisi filius perditionis*, h. est, sed filius perditionis (Judas) periit. Non excipitur ex Christo datorum numero Judas (inter quos nunquam fuit, cùm datio illa electionem ad vitam æternam includat, vide Joh. 6: 39. c. 13: 18.) sed iis tantùm opponitur per adversativam. Confer Luth. comment. in h. l. tom. 6. Jenens. f. 192. b.

Gal. 1. vers. 7. *Quod* (Euangelium) *non est aliud*, εἰ μὴ nisi (h. e. sed) *nonnulli sunt qui pervertunt vos, & volunt pervertere Euangelium Christi.*

Gal. 2: 16. *Scientes, quod non justificatur homo ex operibus legis*, ἐὰν μὴ *nisi per fidem Jesu Christi*, h. e. sed per fidem. Ea enim operibus legis per adversativam opponitur, quod statim sequentia verba explicant: *Et nos in Christum Jesum credidimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.* Salmer. tom. 1. q. 328. *Si sensus h. l. esset, nisi per fidem, inferretur, quòd si adsit fides, justificaretur homo ex operibus legis, & ita Apostolus sibi non constaret, qui omnia opera legis à virtute justificandi excludit. Ergò nisi accipienda est pro particulâ adversativa*, sed &c.

Alia exempla videri possunt 1 Cor. 7: 17. Apoc. 9: 4. c. 21. ult.

De Syriacâ paraphrasi notandum, quòd in allegatis locis utatur vocula אֶלָּא, *sed*, quæ Græca vox ἀλλὰ videtur esse. Verùm quia in aliis etiam locis eam voculam usurpat, ubi particulæ εἰ μὴ, & ἐὰν μὴ, merè conditionales sunt, igitur eam vocem Syriacam contractam esse volunt ex אִם לָא *si non, nisi.*

## *Nota* 1.

Vicissim ἀλλὰ *sed*, pro *nisi* accipitur. Marc. 9: 8. *Et repentè cùm circumspexissent, non ampliùs viderunt quenquam*, ἀλλὰ *nisi solum Jesum secum.* Ex Herodiano lib. 2. in Pertinace, exemplum adducitur à Pfochenio: *Causa mortis nullus fuit alius*, ἀλλὰ *nisi ipse sibi.* Sed reverâ hîc adversativa significatio obtinet: Non quisquam alius, sed ipse sibi in causâ fuit &c.

## *Nota* 2.

De adverbio exclusivo לְבַד *solùm, seorsim*, observat Flacius in clave Script. col. 1152. non solùm cum affixis fieri adjectivum *solus*; sed & pro *ipsemet* poni, ita ut circumstantia pro ipsa substantiâ seu personâ accipiatur. Prov. 9: 12. *Si fueris sapiens, tibimet sapies; sin derisor fueris:* לְבַדְּךָ *solus feres*; id est, tutemet, tu ipse potissimùm: non excludit alios, ad quos etiam sæpè ex unius stultitia calamitas venit; sed ipsam substantiam aut personam denotat. Gal. 6. v. 4. *Probet unusquisque suum opus, tunc in se solo gloriam habebit, non in alio*, id est, habebit, quo glorietur de semetipso. (Syrus h. l. exclusivam *solus* non habet.) Atque huc refert verba Davidis Psal. 51: 6. *Tibi* לְבַדְּךָ *soli peccavi*, h. e. tibi ipsi aut in teipsum peccavi; ut sit amplificatio peccati, q. d. non tam peccavi in secunda tabula lædendo proximum, quam in primâ contra Teipsum agendo, ut qui sciens ac volens neglexerim ac violaverim tuum mandatum, tuamque contemserim auctoritatem, & insuper causam præbuerim, ut nomen religioque tua apud impios blasphemaretur. Solent enim sic peccata amplificari, aut eorum amplitudo declarari. Conf. 2 Sam. 12: 13. Luc. 15: 18, 21. Hæc Illyricus; qui de Illyrica linguâ simile quid addit, quod in ea, solus, Sam, pro ipsemet usurpetur: *Quod alteri præcipis, fac solus*, id est, ipsemet.

# ADVERBIA COMPARANDI.

Quatuor de his (præter ea, quæ de comparativa vocula, præfixa inferiùs lib. 4. tract. I. dicentur) in observationem veniunt: *Significatio*, *Permutatio*, *Defectus*, *& Redundantia*.

De significatione tres sunt Canones.

## Canon XXVII.

*Adverbium comparandi*, ὡς, ὥσπερ, καθὼς, οὕτως, *illa duo*, *quibus interjicitur*, *non semper perfectæ similitudinis vel æqualitatis vinculo colligat.*

FLacius: *Particula similitudinis sæpè non de modo, sed de facto; non de causâ aut ratione, sed de exemplo; non de specie, sed genere; non de omnimodâ & perfectâ, sed de aliquali convenientiâ, sunt intelligendæ.*

Potissima vocularum istarum (si duo invicem comparentur) significatio est, quòd existentiam unius actus ad existentiam alterius actus, tanquam ad normam vel exemplum referunt. Quòd si in actus utrobique modo collatio institui simul potest, non exactissimæ ea est convenientiæ, sed aliqualis tantùm congruentiæ; non in specie, sed in genere; non ἰσότητος, sed cujuscunque ὁμοιότητος. Aliqui sic efferunt: *Quando humana comparantur cum divinis, non intelligitur æqualitas, sed aliqualis similitudo.*

Ignorantia hujus observationis tetra & horrenda peperit opinionum monstra, ut exempla declarabunt.

Matth. 5: 48. *Estote vos perfecti*, ὥσπερ, *sicut & pater vester, qui in cœlis, perfectus est.* Non injungitur à Christo perfectionis nostræ cum perfectione divinâ æqualitas (quæ impossibilis) sed perfectionis ejus, de qua loquitur, necessitas: ut quemadmodum Pater cœlestis & bonis & malis ex amore benefacit, ℣s. 45. sic & nos amicos & inimicos diligamus, iisque benefaciamus vers. 44, 45. id quod à Christo *perfectio* dicitur, in comparatione charitatis illius ἡμιτελοῦς & dimidiatæ, quam hypocritis & publicanis adscribit, ℣s. 46, 47. Pontificii & Weigeliani credentium ἀναμαρτησίαν, & perfectæ legis divinæ impletionis δύναμιν, ex hoc loco probare satagunt, sed frustra.

Luc. 6: 36. *Estote misericordes*, καθὼς, *sicut & pater vester misericors est.* Neque hìc misericordiæ nostræ cum misericordia Dei ἰσότης præcipitur, sed ejusdem in homine credente, & filio Dei adoptivo, necessitas. Confer Col. 3: 10, 12.

Joh. 17: 21. *Ut omnes unum sint*, καθὼς *sicut tu Pater in me, & ego in Te, ut & ipsi in nobis unum sint*, ℣s. 22. *ut unum sint*, καθὼς *sicut & nos unum sumus.* Periculosissimi hic sunt duo scopuli, in quos caterva hæretica impingit. Ariani & Photiniani Filii Dei cum Patre ὁμοουσίαν, ex malo verborum intellectu labefactant. *Quâ ratione* (inquiunt) *credentes unum sunt inter se, eâ ratione Filius cum Patre unum est, per comparationis enim particulam connectuntur. At credentes unum sunt inter se, non* ὁμοουσίᾳ (de spirituali si loquamur unitate, de qua Christus loquitur) *sed* ὁμονοίᾳ *affectu & corde, Actor.* 4: 32. *Ergò tali ratione etiam unum tantùm sunt Pater & Filius.* E contrario Weigeliani & Stifeliani pro eâ, quam somniant, credentium ἀποθεώσει καὶ χριστωσίᾳ sic concludunt: *Quâ ratione Pater & Filius unum sunt, eâdem pii cum DEO unum sunt. At illud est per essentialem inhabitationem & unitatem. Ergò & hoc.* Sed utrique errant, dum particularum dictarum significationem genuinam non attendunt. In unitate ipsâ ejusque generali quadam convenientiâ (utraque enim non terrena est & carnalis, sed cœlestis) instituitur à Christo comparatio, non verò in unitatis identitate & exactissima æqualitate. Ex aliis scripturæ locis evidentissimum utriusque addiscitur discrimen. Unitas inter Patrem & Filium *essentialis* est, Joh. 10: 30. cap. 14, 9, 10. 1 Joh. 5: 7, 9. Unitas credentium in se & cum Christo, *spiritualis & mystica*, Eph. 3: 14. &c. Conferatur (Photinianos quod spectat) nostra capitis 17. Joh. explicatio, Jenæ edita, pag. 253. seqq.

Rom. 5: 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi:* οὕτως *sic & per obedientiam unius justi constituentur multi.* Subsumunt hìc Pontificii: *At per inhærentem qualitatem in Adamo constituimur injusti. Ergò & in Christo tali modo justi constituimur seu justificamur: cùm per comparativas particulas ab Apostolo utrumque conjungatur.* Sed non in constitutionis illius injustorum & justorum modo, sed ipso tantùm (ut sic dicam) actu instituitur per particulas illas comparatio. August. lib. 2. de pecc. orig. cap. 24. *In horum duorum hominum causa propriè fides Christiana consistit, quorum*

*quorum per unum venundati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis, quorum ille nos in se perdidit, faciendo voluntatem suam, non ejus à quo factus est; ille nos in se salvos fecit, non faciendo voluntatem suam, sed ejus, à quo missus est.*

Alia exempla occurrunt Matth. 6: 2. confer vers. 14. & Luc. 11: 4. Item Joh. 6. vers. 57. cap. 10: 14, 15. cap. 15: 10. cap. 17: 16, 18, 23. cap. 20: 21. 1 Cor. 10: 6. seqq. & ℣s. 33. cap. 15: 49. 1 Joh. 3: 3, 7.

## *Nota.*

1. Observanda hîc simul Cyrilli regula, lib. 2. in Joh. c. 41. *Sicut* similitudinis dictio est, & similitudinem quandam, non æqualitatem rerum significat. Quando igitur de rebus dicitur diversis ac naturâ differentibus, tunc non æqualitatem, sed similitudinem significat. Quando autem de iis dicitur, quæ ejusdem naturæ sunt, tunc ultimam similitudinem, imò identitatem & æqualitatem ostendit. Exemplo esse potest Joh. 5: 23. *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorent Filium,* καθὼς *sicut honorant Patrem.* Ubi honoris aut cultus Filio debiti æqualitas cum Patris honore aut cultu indicatur, sicut etiam tùm operum ταυτότητα, tùm agendi ὁμοιότητα καὶ ἰσότητα cum Patre sibi Christus attribuerat, ℣s. 19. Quidam addunt Ephes. 1: 4. καθὼς *sicut nos elegit in ipso ante fundationem mundi.* Particula καθὼς electionis modus notatur, collatione cum præcedenti versu institutâ. Quomodo & ob quas causas benedixit nobis Deus in tempore, vers. 3. eodem modo & ob easdem causas elegit nos ab æterno. Electio enim & benedictio sive justificatio pariter se omninò habent, cùm hæc illius, ceu divini decreti, sit executio.

2. Quidam de particula ὡς & καθὼς sic loquuntur, quòd *tribus* modis usurpetur; de *eadem*, de *pari*, & de *simili* convenientiâ. De eâdem, Matth. 20: 14. *volo huic novissimo dare,* ὡς *sicut & tibi:* eundem videl. specie denarium. Luc. 15: 19. *Fac me,* ὡς *sicut unum ex mercenariis tuis*, pro, fac me unum ex mercenariis. De pari, Matth. 10: 25. *Sufficit discipulo, ut sit* ὡς *sicut magister ejus.* cap. 18: 17. *sit tibi* ὥσπερ *sicut ethnicus & publicanus.* c. 19: 19. *Diliges proximum tuum,* ὡς *sicut te ipsum.* 1 Petr. 3: 6. ὡς *sicut Sara obediebat Abrahæ.* De simili, Matth 6: 12. ὡς *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* cap. 10: 16. *Ecce ego mitto vos,* ὡς *sicut oves in medio luporum.* Ibid. *Estote prudentes,* ὡς *sicut serpentes, & simplices,* ὡς *sicut columbæ.* cap. 18: 33. *Nonne oportuit & te misereri conservi tui,* ὡς *sicut & ego tui misertus sum.* Sic Joh. 17: 22. *ut sint unum,* καθὼς *sicut & nos unum sumus &c.*

## Canon XXVIII.

[a] *Similitudinis particulis quandoque non similitudo, sed res ipsa notatur.* [a] De Caph veritatis.

GRegor, lib. 18. moral. cap. 4. In sacro eloquio, *sicut & quasi*, aliquando non pro similitudine ponitur, sed pro veritate.

R. Kimchi in Esa. 1: 9. *Caph* illud, seu particulam similitudinis, hoc significatu acceptam, ita describit, quod sit כ״ף האמתות שבאה על״ המלין לאמת הדבר *Caph veritatis, quod additur dictionibus, & notatur ipsa veritas rei.* In Esa. 58: 4. vocat כ״ף האמתי *Caph veritatis.*

[b] Duplici verò ratione hoc fit. 1. ut particula comparativa seu similitudinis non habeat singularem & emphaticam significationem, sed quasi redundare videatur: 2. ut particula illa habeat significationem ὁριστικὴν & determinativam, vertenda per *utpotè*. Exempla mixtim producentur. [b] Duplex Caph veritatis.

Num. 11: 1. *Et fuit populus* כְּמִתְאֹנְנִים *sicut quiritantes*, h.e. ut Junius vertit, *cum populus planè queribundi essent*, LXX. καὶ ἦν ὁ λαὸς γογγύζων πονηρὰ ἔναντι κυρίου. Quo pertinet Schindleri annotatio, rad. און. *Et factus est populus quasi murmurantes. Erant mœsti, & mussitabant invicem, nec apertè dicebant, quid faciemus & unde vivemus? sicut mœsti solent.* Unde & 11. *Æn. Flent mœsti mussantque patres.* Emphaticè participium Hithpael ponitur, quod significationis reciprocæ est, q.d. ipsi se querimoniis injustis dediderunt, ob defectum sc. carnis piscium, ceparum &c. v. 4, 5, 6. cùm tamen causam alioquin sufficientem in tanta mannæ abundantiâ non haberent. Benè B. Luth. Da sich das Volck ungedültig machet: quæ phrasis Germanicæ linguæ quidem est, sed Hebraismum non obscurè exprimens. *Nun* prius in voce Hebræâ inversum scribitur, quod ad perversitatem populi indicandam fieri tradunt. Cæterum Chaldæus vertit: *Occasionem quærentes*, scil: discedendi à Deo: ut sit à תֹּאֲנָה *occasio*, (ab אָנָה) Jud. 14: 4.

Deut. 9: 10. *In talibus erat* כְּכָל־הַדְּבָרִים *sicut omnia verba*, seu secundùm omnia verba, *quæ locutus fuerat Jehova &c.* h.e. erant in illis omnia ea verba. Potest tamen similitudinis significatum hîc retineri, cùm secundùm ipsa verba, prout prolata à Deo erant, scriptura

in tabulis expressa, atque illa hujus πρωτότυπον, hæc illius ἀπεικόνισμα & character certus fuerit.

Jud. 13:23. *Si vellet Jehova occidere nos, non accepisset è manu nostrâ holocaustum & munus, neque ostendisset nobis omnia* וְכָעֵת לֹא הִשְׁמִיעָנוּ כָּזֹאת *& secundùm hoc tempus non fecisset, ut audiremus quemadmodum hæc*, h. e. tempore: & hæc. Neh. 7:2. *Quia ipse* כְּאִישׁ *sicut vir veritatis, & timens Deum præ multis*, h. e. verè seu procul dubio erat vir veritatis seù verax.

Job. 24:14. *In ipsa luce surgens occisor interficit pauperem & egentem, noctu verò est* כַגַּנָּב *sicut fur*, h. e. fur est.

Psal. 122:3. *Jerusalem, illa constructa,* כְּעִיר *sicut civitas, quæ coagmentata est sibi pariter*, h. e. est civitas, quæ pulchrè inter se coagmentata & constituta est.

Esa. 1:7. *Regio vestra desolata est,* כְּמַהְפֵּכַת זָרִים *sicut subversione extraneorum*, h. e. subversione extraneorum seu hostium. Notatur ipsa veritas. Præcedit enim; *terram vestram coram vobis extranei consumserunt*. Junius & Tremellius paulò aliter: de intestinis enim motibus agi putant.

Esa. 13:6. *Ejulate, nam propinquus est dies Jehovæ*, כְּשֹׁד מִשַּׁדַּי יָבוֹא *sicut vastatio ab omnipotente veniet*, h. e. vastatio seu vastitas veniet.

Hos. 4:4. *Et populus tuus* (populares tui) sunt כִּמְרִיבֵי *quasi litigantes cum sacerdote*, h. e. cum sacerdotibus (qui eos reprehendunt ob vitia & peccata) litigant, eosque reprehendunt & insectantur: id quod est planè malorum & corrigi nesciorum. Confer Luth. in h. l. tom. 4. Lat. Jen. f. 627.

Obad. 1:11. *Tu quoque* (eras) כְּאַחַד *tanquam unus ex eis*, h. e. verè eras illorum in crudelitate socius. Vide & Thren. 1:20. c. 2:4.

R. Kimchi hujus generis esse dicit, כַּיּוֹם *sicut hodiè*, h. e. hodiè, Gen. 25:33. (cujus sensum esse ait Drusius hunc: *Jura mihi, sicut hic dies*, h. e. tâm verè, quàm verum est, diem hunc existere. lib. 2. animad. c. 47. Sed sequentia exempla ostendunt, simpliciter esse pro *hodiè*) 1 Sam. 9. vers. 13. 1 Reg. 1:49. Es. 58. vers. 4. Item כִּמְעַט *secundùm pauxillum*, h. e. pauxillum, momento, Esa. 1:9. Psal. 81:15. Referunt etiam huc Gen. 2:18. כְּנֶגְדּוֹ *quasi coram eo*, h. e. coram eo, ipsi sc. ministrans. Alii similitudinis esse volunt, q. d. per omnia ipsi conveniens. *Simile sibi.*

Referunt huc & illud, Hos. 5. vers. 10. *Sunt principes Juda* כְּמַסִּיגֵי גְּבוּל *sicut moventes terminum*, h. e. moventes. Sed hîc similitudo retineri commodè potest, sensu eo: Fines transgrediuntur sui officii, neque iis terminis, quos posui, seipsos continent; sed ultrò & malitiosè transcendunt & movent eos. Magnum enim fuisse termini moti crimen, jura divina & humana testantur, Deut. 19. cap. 27:17. Cum corporali hac terminorum motione confertur contumacia & impietas, quæ spiritualis quasi terminorum a Deo positorum transgressio est. Consuetudo hujus Prophetæ est, ut similitudinibus sæpè utatur, vide cap. 4:16. cap. 5:1, 12, 14. cap. 6:3, 4, 7, 9. cap. 7:4, 7, 8, 11. cap. 8:1, 8. cap. 9:1, 9. cap. 10:4, 7. cap. 11:11. cap. 13:3, 7, 8. cap. 14:5. &c.

*Exempla N.T.*

Matth. 14:5. *Quia* ὡς *sicut prophetam eum habebant*, h. e. pro propheta vero eum habebant & existimabant.

Luc. 22:44. *Erat sudor ejus*, ὡσεὶ θρόμβοι *sicut guttæ sanguinis*, h. e. erant guttæ sanguinis. Hier. lib. 2. adv. Pelag. tom. 3. in fin. *Tàm vehementer orabat Dominus, ut guttæ sanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in passione fusurus.* Theophyl. ex particula ὡσεὶ colligit, παροιμιακῶς *intelligendum esse, quòd Christus sanguinem sudâsse dicitur; sicut, qui amarè flent sanguinem flere dicuntur.* Sed certum est, verum sanguinem ex corpore Christi prorupisse, idque in tanta copia, ut θρόμβοι ejus in terram defluxerint.

Joh. 1:14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam* ὡς μονογενοῦς, *ut unigeniti à Patre*, h. e. gloriam ὄντως καὶ ἀληθῶς unigeniti à Patre. Chrysost. hom. 11. in Joh. dicit, *particulam illam* h. l. esse βεβαιώσεως καὶ ἀναμφισβήτου διορισμοῦ, *confirmationis & indubitatæ definitionis*. Et sanè potiùs ὁριστικὴ & determinativâ hîc est particula, quam ut similitudini inserviat, vertendaque per *utpote*. *Vidimus gloriam ejus, gloriam, utpote unigeniti à patre.* Si quis de Monarcha (ait Heinsius in h. l.) dicat, majestatem se vidisse in eo, & quidem majestatem, ut unici in terra Regis; & ex eo alius inferret, Regi ergò similem, non Regem esse; jocum ac ludibrium haud dubiè deberet.

Rom. 9:32. *Quare? quia non ex fide: sed* ὡς *tanquam ex operibus*, h. e. ex operibus, scil. justicari voluerunt.

1 Cor. 4:1. *Sic nos æstimet homo,* ὡς *ut ministros Dei & dispensatores mysteriorum Dei*, h. est, ministros.

2 Cor. 2:17. ὡς *ut ex sinceritate de Christo loquimur*, h. e. ex sinceritate.

2 Cor. 3. vers. 18. *Transformamur in eandem imaginem à claritate in claritatem*, καθάπερ *quasi à Domino Spiritu*, hoc est, ab ipso spiritu domino transformamur. Vel καθάπερ h. l. est *utpotè*: transformamur, utpotè à Spiritu Do-

Domino: voce ὁριστικῇ & determinativâ. Sic & ὡς usurpatur cap. 5: 20. 1 Petr. 2: 13, 14.

Phil. 2: 12. *Sicut semper obedistis, non* ὡς *ut in præsentia mea solùm, sed multò magis nunc in absentia mea*, h. e. non in præsentia mea solùm &c. Sic & 1 Cor. 5: 3.

Philem. vers. 9. *Propter charitatem magis obsecro*, τοιοῦτος ὢν ὡς Παῦλος, *cum sim talis, tanquam Paulus, senex, nunc autem & vinctus Jesu Christi*. Ubi ὡς per *utpote* vel *nempe* exponenda. Dicit autem τοιοῦτος ὢν *cùm sim talis*, scil. Christi Apostolus, qui posset tibi præcipere, non autem multis precibus cogerer hoc impetrare, idque 1. ratione officii, quia sum Apostolus, 2. ratione ætatis, quia senior, 3. ratione status & conditionis, quia vinctus propter Christum.

1 Pet. 1: 19. *Sed pretioso sanguine*, ὡς *ut agni immaculati & incontaminati Christi*, h. e. utpote agni immaculati &c.

2 Pet. 1: 3. ὡς πάντα ἡμῖν τῆς θείας δυνάμεως αὐτοῦ, τὰ πρὸς ζωὴν εὐσέβειαν δεδωρημένης. Particula ὡς *sicut* h. l. non notat similitudinem, sed rei veritatem, & abundare rectè dicitur. Est enim constructio, quâ duo genitivi consequentiam designantes absolutè junguntur, sed alter nominis, alter participii. Et δεδωρημένης mediæ διαθέσεως significationem obtinet, hoc sensu: *Omnia nobis divinâ virtute ejus, quæ ad vitam & pietatem pertinent, donante*, h. e. cùm omnia ea nobis donaverit. Sicut in illo Nili: πάντων σοῦ πραγμάτων κατευοδουμένων, ἐνδέχου μεταβολήν, *cùm omnia tibi prosperè succedunt, expectes mutationem*. De passivi autem hujus significatione activâ vide suprà tract. 3. de verbo can. 24.

## Nota. 2.

1. Refertur etiam huc Eph. 5: 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*, ὡς *ut filii lucis ambulate*. Sed particula ὡς non potest h. l. non esse similitudinis: quis enim absente eâ, sensus: *filii lucis ambulate?* Imò ambulationis exemplum per particulam istam ponitur, hoc sensu: *cùm sitis facti lux in Domino, igitur etiam ambulate, seu, vivite*, ὡς *ut filii lucis* sc. ambulare debent: seu, ut filios lucis decet.

2. Locum Phil. 2: 8. *habitu inventus* ὡς ἄνθρωπος *ut homo*. Ambrosius ad hanc classem refert, in epist. ad Iren. 47: lib. 7. tom. 3. *Non sibi blandiatur* (inquit) *virus Apollinare, quia ita legitur, & specie inventus ut homo. Non enim negatus est homo Jesus, cùm alibi ipse Paulus de eo dicit; mediator Dei & hominum, homo Jesus Christus: sed confirmatus est. Is enim est usus & moris scripturæ sic significare. Sic & in Euangelio legimus: Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à patre. Sicut ergò quasi unigenitus dicitur, & non abnuitur unigenitus Dei filius: ita & homo dicitur, & perfectio fuisse in eo hominis non negatur &c.* Verùm non de humanæ naturæ veritate, sed de humanæ & vulgaris vitæ conversatione Apostolus agit, sensu eo: Christus, qui verus homo est, potuisset ab initio in formâ Dei esse, & gloriose in regno suo se ostentare; sed spontè exinanivit seipsum, & σχήματι, habitudine, exteriori vitâ & conversatione, inventus fuit ὡς ἄνθρωπος, *ut quilibet alius homo*. Sic Jud. 16: 7, 11. dicit Simson, peculiari dono præ reliquis hominibus à Deo ornatus: *Si vincirent me &c. tùm infirmarer, & essem* כְּאַחַד הָאָדָם *sicut unus aliquis homo*; vs. 17. כְּכָל־הָאָדָם *sicut quivis homo*; h. e. in communem hominum quorumvis statum redigerer. Ps. 82: 7. *Verumtamen* כְּאָדָם *sicut homo moriemini*, h. e. ut quivis plebejus homo: loquitur enim de constitutis ἐν ἐξουσίᾳ.

3. Ex profanis referri potest ad hunc idiotismum, illud Platonis: νῦν δὲ θαυμασίως ὡς ἄθλιος γέγονεν, *nunc verò mirificè quam miser factus est*. Et Demosthenis; θαυμαστῶς ὡς ἐλυπήθην, *mirè quam luxi*. Iterum Plato; ὑπερφυῶς ὡς χαίρω, *immodicè quàm lætor*. Plaut. Amphitr. *Ex amore hic admodum quàm sævus est*. Apulejus: *quæsisti tu minis quàm prudenter*. Vide Vechner. l. 1. hellenolex. p. 112.

## Canon XXIX.

*Adverbium similitudinis* οὕτως, sic, *non in comparatione solum, sed & aliis modis usurpatur*.

1. Qualitatem rei exprimit Matth. 1: 18. *Jesu Christi autem nativitas* οὕτως ἦν *sic erat*, h. e. hac ratione se habebat. Sic cap. 3: 15. cap. 5: 19, 47. & aliâs sæpissimè. Huc pertinet, quòd rei magnitudinem & præstantiam ἐμφατικῶς exprimit, idem notans ac *tantopere*, Joh. 3: 16. οὕτως *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*: q. d. tantus est & tàm ardens ac immensus Dei amor &c. Joh. 7: 46. *Nunquam* οὕτως *sic locutus est homo*, q. d. tam mirè suavia & penetrantia verba nemo locutus hactenus fuit.

2. Formale verborum scripturæ denotat. Matth. 2: 5. οὕτως *sic enim scriptum est per Prophetam &c* Sic 1 Cor. 15: 45. Luc. 24: 46. &c.

3. Pro conjunctione conclusivâ ponitur, Apoc. 3. vers. 16. οὕτως, *itaque quia tepidus es, & nec*

*& nec frigidus nec calidus, evomam te ex ore meo.*

4. Notanda & illa significatio, quæ Joh. 4: 6. occurrit, ubi de Christo dicitur: *Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergò fatigatus ex itinere*, ἐκαθίζετο ὅτως ἐπὶ τῇ πηγῇ, *sedit ita ad fontem*, h. est, ut Chrysostomus (referente D. Chemnitio c. 31. harm.) interpretatur, *sedebat simpliciter seu neglectim, prout locus ille admittebat.* Erasm. in paraph. *Sedebat illic, ut se dabat locus, fonti imminens, ac veluti ex aurâ fontis refocillationem captans.* Suavissimus idiotissimus; (inquit Heinsius in Arist. sac. p. 361.) vult enim, sine ullâ cura aut delectu, & quod Græci dicunt, ὡς ἔτυχε, ad puteum, qui sese in viâ obtulit, sedisse Dominum. Quo mirificam in Domino ac Rege nostro ἀδιαφορίαν notat, qui afflictus æstu, non quæsivit locum, sed invenit. Ut œconomiam ejus planè admirandam hîc omittam, qui ex humili hac sessione occasionem disputationis tàm divinæ invenit, quâ ostendit, fore, ut Samaritani, gens contemta, ex æquo cum Judæis, qui eum non rejicerent, ad gratiam admitterentur. Quare non ineleganter Theophylactus, qui ἁπλῶς, ὡς ἔτυχε, καὶ ἄνευ θρόνȣ, ἐπὶ ἐδάφȣς, *simpliciter ut res dabat, sine sede, & in terrâ.* Neque multò aliter hac voce Maro usus est, cùm de Jove suo dixit:

*Et jam finis erat, cum Juppiter æthere summo*
*Despiciens mare velivolum terrasque jacentes,*
*Æquoraque & latè populos, sic vertice cæli*
*Constitit.*----------

## Nota.

כֵּן *Sic* quandoque intendendi etiam significationem habet, *tantò magis* notans. Exod. 1: 11. *Et sicut affligebant eum* (populum) כֵּן *sic multiplicabatur* וְכֵן *& sic erumpebat in multitudinem*, h. e. quò magis affligebant, eò magis multiplicabatur. Hos. 4: 7. כְּרֻבָּם כֵּן חָטְאוּ לִי *prout aucti sunt à me*, (numero, opibus, honoribus) *ita* seu *tantò magis peccant in me.* cap. 11: 2. (prout) *clamaverunt ad eos* (scil. prophetæ) כֵּן *sic abierunt à conspectu illorum*, hoc est, tantò magis abierunt &c.

a De adverbio similitudinis duæ Flacii observationes.

a Tandem his addenda, quæ Flacius in cl. Script. p. 1133. ponit. 1. Quandoque adverbium *sic* apud Hebræos esse ἐλαττωτικόν, seu rei diminutivum. Idque tùm in *negativo* sermone: Quando hanc particulam (inquit) mox præcedit negatio, tùm idem Hebræis valet, quod Græcis *ne my, ne gry*, aut quid simile: & Latinis, *ne tantillum.* Prov. 15: 7. *Labia sapientum seminant sententiam, sed cor stultorum non sic*, h. e. ne tantillum. Es. 16: 6. *Audivimus superbiam Moab, quòd superbus sit valdè, sed nec sic quidem robur ejus*, h. e. ne tantillum; Demonstratâ re aliqua levi, & nullius momenti, vel facto talitro. Jerem. 8: 6. *auscultabam & audiebam, sed non sic*, h. e. ne tantillum *loquebantur.* Jerem. 48: 30. *Ego novi, ait Jehova, furorem ejus, sed non sic*, h. e. ne tantillum *robur ejus.* Tùm in *affirmativo* sermone. Esa. 51: 6. *Et habitatores ejus velut sic morientur*; wie das: quemadmodum Germani dicunt, Ich gebe nicht das drumb/ facientes crepitum digitis. Hæc Illyricus, (ex D. Forsteri Lexico p. 372.) de cujus exemplis notandum, aliter ab aliis, nec incongruè, explicari. In primo, Prov. 15: 7. cor stultorum dicitur לא־כן h. e. אינו אמת (uti R. Salomo) *non rectum*, uti Pagninus vertit: h. e. perversum, malignum (ut לא sit αὐξητικόν, secundum can. 20. §. 1. & כֵּן nominaliter accipiatur, *rectum, firmum, certum* significans, uti Num. 27: 7. 2 Reg. 7: 9: &c.) vel sit in accusativo, ut regatur à præcedente verbo יְזָרוּ *spargunt: Labia sapientum spargunt scientiam: cor autem stultorum* (spargit) *non rectam*, seu quod abest à recto. Confer v. 28. AbenEzra ex præcedentibus repetit quædam: *Et cor stultorum non sic*, scil. novit spargere scientiam. In secundo Esa. 16: 6. (al. 15.) verba ita habent: לֹא־כֵן בַּדָּיו *non ita mendacia ejus*, scil. erunt vel fiunt, nimirum, uti fastus ejus, & superbia ejus, & excandescentia ejus præ se ferunt, quæ voces præcedunt in hoc versu. Sensus est: Conatus ejus præsumtuosi fient irriti, inanes, mendaces. Vel, utcunque turgeat, nihilominus planè de mendace jactatione sua decidet, quæ Junii ac Tremelli nota est. Pagninus, & hîc כֵּן nominaliter accipit; *non sunt recta verba ejus:* Secutus R. Kimchi, qui explicat, לא אמת כזביו *non sunt recta mendacia ejus:* q. d. verba ejus, quæ loquitur in superbia sua, non consistent tunc, dum obvenerit ei malum. In tertio. Jer. 8: 6. itidem כֵּן per *rectum* explicant commodè Chaldæus, Pagninus, Junius, Lutherus לא־כן *non rectum loquuntur*, h. e. prava & perversa, uti in exemplo primo. In quarto Jer. 48: 30. eadem verba sunt, quæ in secundo, & idem de illis habendum. In quinto, Esa. 51: 6. כְּמוֹ־כֵן *similiter*, à plerisque exponitur: *similiter morientur habitatores terræ*, sc. ut cœlum & terra peribunt; quod præcedit. 2. Altera Flacii observatio est, כֵּן *sic*, quandoque nominis vim obtinere, & significare *tùm* substantiam alicujus rei, ut substantivum; *tum* accidentia, ut nomen adjectivum, Gen. 34. vers. 7. *quod pravitatem*

*tem fecisset in Israel, concumbendo cum filia Jacob, & sic non fiet*, i. e. talia sunt fœda ac illicita. 2 Sam. 13: 12. *non enim sic fit in Israele*, pro, talia non solent aut debent fieri. Job. 9: 35. *non sum sic apud me*, id est, non sum talis, qualem me putatis. Jer. 5: 31. post descriptionem tristissimi status adjicitur; *& populus meus dilexerunt sic*, id est, hæc tàm tristia facta ac rerum statum. Monet etiam, אַחֲרֵי־כֵן *post sic*, valdè crebro poni pro, *posthac facta aut negotia*. E. G. 2 Sam. 2: 1. *Et fuit* אַחֲרֵי־כֵן *post sic, consuluit David Dominum &c.*

## *Continuatio.*

Hactenus de adverbii comparativi *significatione*: sequuntur reliqua tria; *permutatio*, *defectus & redundantia*.

## Canon XXX.

*Pro particulâ comparativâ quandoque alia particula usurpantur.*

1: Copulativa ו, &; cujus exempla ponentur infrà lib. 4: tract. 1.

2. Præfixum ל, *ad*; de quo itidem lib. 4: tract. 1.

3. Propositio עִם *cum*. Job. 9: 26. *Dies mei transmeârunt* עִם אֳנִיּוֹת *cum navibus desiderii*, seu cum navibus celocibus; sic dictis, quod homines citò compotes faciant desiderii sui, perducendo eos, quò volunt & desiderant, ut R. Levi Gerson exponit. *Cum navibus*, h. e. sicut naves. Unde & alia comparatio statim subjicitur: *sicut aquila involans in escam.*

Psal. 120: 4. *Sagittas robusti acutas* (hoc est, illis similia verba datura est lingua dolosa, de quâ vers. 13.) עִם *cum prunis juniperorum*, h. est, sicut prunæ, scil: sunt verba ejus: vel comparanda prunis.

Ibid. v. 5. *Habito* עִם *cum tentoriis Kedaris*, h. e. tanquam scenitæ Kedareni, id est, indesinenter vagari cogor, ut incolæ Arabiæ desertæ & petrææ faciunt. Propriè enim nusquam legitur David ad regiones illas, in tam variis errationibus suis, profugisse. Drusius observ. 6: 20. putat, h. l. proverbiali sermone denotari homines improbos ac sceleratos, cum קֵדָר *à nigredine* nomen habet.

Quidam huc referunt Psalm. 73: 25. *Quid mihi in cœlis* וְעִמְּךָ *& tecum neminem volui in terra*, h. e. perinde ut te, neminem diligo. Sed desiderium cordis sui, de quo loquitur, & sic amorem suum, Psaltes non dividit comparando inter Deum ac creaturas, sed solummodò in Deum se cordis sui desiderio ferri indicat. Sensus igitur est: *Tecum nullo delector in terra*, h. e. tu solus es, quo delector; præter te nemine delector. Luth. benè: Wann ich nur dich hab / so frag ich nichts nach Himmel und Erden.

Ex N. T. huc referri potest, Matth. 24. ul. *Partem ejus μετὰ τῶν ὑποκριτῶν, cum hypocritis ponet*, h. e. perinde cum tractabit, ut hypocritas.

4. Pronomen אֲשֶׁר ut sit pro כַּאֲשֶׁר *sicut*. Jer. 33: 3.

## Canon XXXI.

*Comparandi particula non rarò in oratione desunt.*

1. In similitudine *contractâ*.

Genes. 16. vers. 12. *Et ipse erit* פֶּרֶא אָדָם *onager homo*, hoc est, כְּפֶרֶא *ut onager*. Chald. vertit, *& ipse erit rebellis seu ferus inter homines.*

Exod. 19: 4. *Vos vidistis: quæ fecerim Ægyptiis, ut sustulerim vos* עַל־כַּנְפֵי *super alas aquilarum*, h. e. כְּעַל vel כַּאֲשֶׁר עַל quasi super alas aquilarum: Ut scil. brevissimo tempore vos à durissima servitute liberans, huc incolumes extra omne periculum paterno studio transtulerim, ut aquila pullos. R. Salomo in h. l. sic scribit: *Omnes reliquæ aves ponunt pullos inter pedes suos, eò quod sibi timeant ab aliis avibus, quæ supra se volitant: verùm aquila non sibi timet, nisi ab homine, ne fortè petat eum jaculo, quia nulla avis altiùs ipsâ volat: propterea collocat pullos super alas suas, quasi secum dicens; melius est, ut me penetret jaculum, quàm pullos meos. Ita & ego feci, inquit Dominus. Juxta illud* (cap. 14: 19.) *Et profectus est Angelus DEI &c. & venit inter castra Ægyptiorum &c. Cumque Ægyptii mitterent lapides & jacula, ipsa nubes excepit ea.* Confer. Deut. 31: 11.

Psal. 11: 1. *Fuge è monte vestro*, צִפּוֹר *avicula*, h. e. velut avicula.

Psal. 12: 7. *Eloquia Dei, eloquia pura*, כֶּסֶף *argentum purgatum in catino terræ, defæcatum septies*, h. e. ut argentum.

Esa. 9: 18: *Et elevantur* גֵּאוּת (sicut) *elevatio fumi.*

Esa. 21. 8. וַיִּקְרָא אַרְיֵה *& clamavit Leo; in specula, Domine, ego consistam jugiter &c.* h. e. ut Leo. Sermo est de speculatore, v. 6.

Huc

Huc refert Junius Esa. 60: 21. *Et populus tuus, omnes ipsi justi in seculum possidebunt terram,* נֵצֶר *surculus plantarum mearum*, h. e. כְּנֵצֶר ut surculus, per quem *Christum* intelligit, cui tanquam surculo è stirpe Davidis, cap. 11: 1. insita sunt Ecclesiæ membra à Domino, quæ plantæ ejus vocantur. Lutherus collectivè נֵצֶר accipit, & ad ipsos credentes refert, perquam congruè. Ita verò comparativâ particulâ opus non est, cùm metaphoricè sic vocentur.

Chaldæus Interpres etiam huc refert 1 Sam. 13: 1. בֶּן *filius anni Saul in regnando ipsum.* Ita enim transfert: כְּבַר *Sicut filius anni, in quo non sunt culpæ; sic Saul fuit, cùm regnaret* &c. Verùm satius est ex illo idiotismo hoc explicare, de quo tract. 1. de nomine, can. 36. Cæterùm cùm statim sequatur; *& duobus annis regnavit super Israel*: Diversitas in explicatione hujus versus oritur. Quidam prius membrum *de uno anno regni Saulis*, conjungunt cum v. 2. quod primo anno regni hoc factum sit: & verba *de duobus annis*, parenthesi includunt, utpotè quæ loquantur de toto tempore regni Saulis, sc. legitimè administrati. Videatur Junius in h. l. Alii verò verba priora *de uno anno* conjungunt cum antecedentibus, nempè c. 11: 14, 15. posteriora verò cum proximè sequentibus, quòd biennio exacto elegerit sibi Saul stationarios milites &c. Quam sententiam B. Lutheri etiam versio exprimit, estque omnium simplicissima; eamque R. Levi Ben Gerson in h. l. dilucidè proponit & probat.

2. In similitudine *explicatâ*. Ubi quandoque προτάσεως particula deficit, & in ἀποδόσει conjunctio copulativa pro comparativa ponitur.

Psal. 125: 2. *Jerusalem, montes circum illam: Et Jehova circa populum suum*, h. e. Ut circa Jerusalem montes sunt: Sic Jehova est circa populum suum.

Prov. 26: 9. *Spina venit in manum ebrii; & sententia in ore stultorum:* h. e. sicut spina; sic sententia &c. Sensus est, non meliùs utitur stultus verbis, quam ebrius spinis, qui & seipsum, & quosque obvios, vino mentem abripiente, sauciat. Confer vers. 10.

Joh. 5: 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*: h. e. sicut Pater operatur, ita & ego cum Patre operor. vers. 19.

Joh. 14: 1. *Creditis in Deum, & in me credite*, h. e. sicut in Deum creditis, sic in me quoque credite.

Ibid. vers. 9, *Ego vivo, & vos vivetis*: h. e. sicut ego vivo, ita & vos vivetis.

Quandoque simpliciter προτάσεως particula deest, quæ in ἀποδόσει expressè ponitur.

Jac. 1: 11. *Exortus est Sol cum ardore & arefecit fœnum &c.* οὕτως *sic & dives in profectionibus* (in consiliis & negotiis malis) *arescet.*

Quandoque ἀποδόσεως particula deest. Obad. vers. 15.

Quandoque utraque, & προτάσεως, & ἀποδόσεως particula comparativa deest.

Job. 24: 19. (Ut) *siccitas & æstus rapiunt aquas nivis* (ita) *sepulcrum* (rapit eos, qui) *peccârunt.* Sensus, juxta Mercerum, est: sicut siccitas & calor quàm citissimè absumunt aquas nivis; ita & mors rapit eos, qui peccârunt, q. d. moriuntur facillimè & suavissimè: non contabescunt lentâ morte, ut magnâ ex parte probi, sicuti & Psalm. 73. vers. 4. & Job. 21. vers. 13. Dicit ergò hoc ad felicitatem eorum ostendendam, quòd cùm totam vitam in sceleribus transegerint impunè, suaviter etiam moriantur &c. Refutat Job Eliphazi sententiam, asserentis, *Deum in hac vita semper punire impios.* Chaldæus similiter παραφράζει.

Eccl. 10: 1. (Sicut) *muscarum mortis* quælibet *fœtere facit & emanare* fœtorem *unguentum aromatarii*: (Sic hominem *preciosum ob sapientiam & gloriam, stultitia modica* scilicet fœtere facit. Vide & Prov. 11: 22.

Jer. 17: 11. *Perdix colligit ova, & non excludit: Comparans divitias, sed injuriâ*, h. e. ut perdix &c. sic comparans &c. Talia multa, in Jobi & proverbiorum libro cumprimis occurunt.

## Nota.

DEest & alicubi particula comparativa *magis*. 1. Cor. 14: 19. *In Ecclesia* θέλω *volo quinque verba intelligentiâ meâ loqui, ut & alios instituam, quàm decem millia verborum linguâ* θέλω μᾶλλον, *volo magis*, vel *malo*. Simile in Homero exemplum est, Vide tract 1. can. 18: §. 1.

## Canon XXXII.

*Comparationis adverbium quandoque abundat.*

1. Cùm non similitudo, sed rei veritas indicatur, de quo can. 31.

2. Cùm verbum ipsum comparationis adest, & tamen adverbium similitudinis ponitur, quod in Hebr. pro ל est.

Job. 30: 19. *Projecit me in ignem, adeò ut comparare meipsum possim* כֶּעָפָר וָאֵפֶר *sicut pulverem &*

*vem & cinerem*, h.e. pulveri & cineri.

Pf. 49: 13, 21. *Et homo* qui *in honore est, non commoratus est: similis fit* כַּבְּהֵמוֹת *sicut jumenta, quæ intereunt*, h.e. jumentis. Confer Pf. 143: 7.

Marc. 4: 30. *Cui assimilabimus regnum Dei?* verf. 31. ὡς κόκκῳ, *ut grano sinapis*, h.e. grano sinapis, fc. comparabimus illud.

Rom. 9: 29. *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus*, καὶ ὡς Γόμοῤῥα ἂν ὡμοιώθημεν, *& sicut Gomorrha similes fuissemus*, h.e. ut in Hebræo pro hoc Esa. 1: 9. est: לַעֲמֹרָה דָּמִינוּ: *Gomorrha similes fuissemus.*

3. Quidam particulæ *Magis* pleonasmum ponunt in illo Matth. 6: 26. οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν, *annon vos magis præstatis illis?* Verbum διαφέρετε per se comparationem includit: particulâ igitur μᾶλλον opus esse non videtur. Sed particula hæc emphasin verbo addit, q.d. annon multùm omnino præstatis? Sic apud Græcos, Aristoph. τίς γὰρ μένοιτο μᾶλλον ὀλβιώτερος, *quis enim esset magis felicior?* Eurip. θανὼν δ' ἂν εἴη μᾶλλον εὐτυχέστερος. Virg. in Culice: *Quis magis optato queat esse beatior ævo.* Boëtius 3. consol. *Dulcior est apium magè labor, &c.*

# ADVERBIA LIMITANDI

## Canon XXXIII.

*Adverbium limitandi vel restringendi*, quatenus, *Hebræa lingua non habet, sed illud aliis particulis exprimit.*

GEn. 39: 9. *Non subtraxit à me* (Dominus meus) *quicquam præter te*, בַּאֲשֶׁר *in quo uxor ejus es*, h.e. quatenus uxor ejus es. In cæteris sustentationem quod attinebat, ipsa etiam, Josephi curæ, ut reliqua omnia, commissa erat.

Matth. 10: 41. *Qui recipit prophetam, nomine prophetæ*, h.e. ut seu quatenus prophetam. Sic mox, *nomine justi*: v. 42. *nomine discipuli.* Ita scil. ut beneficentiâ isthac respiciat Deum & Christum, quem attinet is, cui beneficium exhibetur.

Joh. 5: 27. *Et potestatem dedit ei etiam judicium facere*, ὅτι *quà filius hominis est*, h.e. quatenus. Particula illa non est αἰτιολογική; humana enim natura non est causa, unde illa ἐξουσία judiciaria dependeat: sed est διοριστικὴ καὶ δεικτικὴ, naturam ostendens, seu Christi personam ratione naturæ limitans, cujus fc. respectu fit communicata illa potestas, ac si esset, καθότι. Chemnitius de duabus nat. in Christo, c. 24. p. 141. *Secundùm utramque nat. Christus habet potestatem faciendi judicii; Et secundùm divinam habet illam potentiam essentialiter & ab æterno: sed quatenus homo est, accepit illam in tempore, eo modo, sicut omnis potestas ei data est in cælo & in terra. Et coram tribunali Christo omnes illam potestatem judicii, etiam in humana ejus natura agnoscent, sentient & fatebuntur, Rom. 14. Phil. 2. &c.* Vide ib. plura pulcherrimé.

Rom. 1: 3. *De filio suo, ex semine Davidis* κατὰ σάρκα, *secundùm carnem*, h.e. quatenus homo est. *Caro* enim synecdochicè pro toto homine sumitur.

Rom. 11: 13. ἐφ' ὅσον μὲν εἰμι ἐγὼ ἐθνῶν ἀπόστολος, *quatenus equidem sum gentium Apostolus, ministerium meum glorificabo.* Vulg. reddidit, *quamdiu.*

Tantum de doctrina ADVERBII.

*AD-VERBI-UMbonem & gladium mens dedita JOVÆ*
*Confugit: his pugnans cuncta pericla fuget.*

Ephes. 6.

v. 16. ἐπὶ πᾶσιν ἀναλαβόντες τὸν θυρεὸν τῆς πίστεως &c.
v. 17. καὶ τὴν μάχαιραν τοῦ πνεύματος, ὅ ἐστι ῥῆμα θεοῦ.

# TRACTATUS VI.

## DE

# PRÆPOSITIONE.



Atissima præpositionum, præsertim apud Græcos, materia est. Hic autem ea modò tradentur, quæ præ aliis observatione videbuntur digna.

Ad duo autem reduci ea possunt, quorum primum *constructio* est; alterum *significatio*: cui variæ enallagæ, tùm pleonasmi, tùm etiam ellipses intermixtæ sunt. De constructione duo peculiariter notanda.

### Canon I.

*Quædam præpositiones junguntur infinitivo, & commodè per verbum finitum & conjunctionem explicatio fieri potest.*

GEn. 5: 4. אחרי הולידו *post gignere ipsum*, hoc est, postquam genuit. Græci μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτόν.

Gen. 18: 12. אחרי בלתי *post consenescere me*, h.e. postquam consenui.

Ibid. vers. 19. למען הביא *propter adducere Jehovam Abrahamo*, h.e. ut adducat seu præstet Jehova Abrahamo.

Exod. 9: 16. בעבור הראתך *propter ostendere tibi potentiam meam*, ולמען ספר *& propter narrare nomen meum*, hoc est, ut ostendam: ut enarres seu enarretur.

Exod. 20: 20. לבעבור נסות *propter tentare vos*, h. e. ut tentaret vos.

Num. 9: 17. ולפי העלות *& secundum tolli nubem*, h.e. cùm seu pro ut tollebatur nubes.

Ezech. 13: 8. יען דברכם *propter loqui vos vanitatem*, h.e. quia loquimini.

Joh. 4: 2. עד־היותי *usque ad esse me in terra mea*, h.e. dum adhuc essem.

Matth. 24: 12. καὶ διὰ τὸ πληθυνθῆναι τὴν ἀνομίαν *& propter abundare iniquitatem*, h. e. quia abundabit iniquitas.

Luc. 22: 20. *Similiter & calicem* μετὰ τὸ δειπνῆσαι, *post cœnare*, h. e. postquam cœnâssent.

Luc. 23: 8. διὰ τὸ ἀκούειν πολλὰ περὶ αὐτοῦ, *propter audire multa de ipso*, hoc est, eò quòd audiret.

Jac. 4: 15. ἀντὶ τοῦ λέγειν ὑμᾶς, *pro dicere vos*, h.e. pro eo, ut dicatis.

### Canon II.

*Præpositio* EX *vel* DE, *cum* IN *constructa, augmentum & continuitatem rei denotat.*

PSalm. 84: 8. ילכו מחיל אל־חיל *ibunt de victoriâ in victoriam*, hoc est, subinde magisque vincent.

Psalm. 144: 13. *Promptuaria nostra plena proferant* מזן אל זן *de alimento in alimentum*, h. e. juge alimentum.

Jer. 9: 2. (al. 3.) כי מרעה אל־רעה יצאו *quia de malitiâ in malitiam exeunt*, h. e. subinde pejores fiunt.

Rom. 1: 17. *Justitia Dei in eo* (Euangelio) *revelatur*, ἐκ πίστεως εἰς πίστιν, *ex fide in fidem*, hoc est, progressu & incremento fidei, seu fide, quæ quotidiè incrementum accipiat. Sic dicitur, ἐκ γενεᾶς εἰς γενεὰν, *ex generatione in generationem*, hoc est, progressu temporis jugi & continuo.

2 Cor. 3: 18. *In eandem imaginem transformatur*, ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, *de gloriâ in gloriam*, hoc est, subinde majori gloriâ seu claritate.

Quandoque ob peculiarem constructionem cum verbo, prior præpositio omittitur. Rom. 6: 19. *Sicut stitistis membra vestra serva impuritati*, καὶ τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν *& iniquitati in iniquitatem*, h. e. subinde ad aliam atque aliam iniquitatem patrandam.

Apud profanos hunc sensum præpositio ἐκ habet, eidem nomini repetito interposita. Hom. Il. 19. ὥς μοι δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεί, *ut mihi semper aliud malum ex alio existit*. Heliod.

βάσιν

*βάσιν ἐκ βάσεως παραμεῖβειν, continuo gressu progredi.* Cujus ferè generis est illud quoque Phil. 2:27. λύπην ἐπὶ λύπην ἔχειν, *dolorem super dolorem habere.*

## *Continuatio.*

DE *significatione* præpositionum ut ritè agatur, præmittenda earum distinctio. 1. Quædam *terminum* vel locum motus aut quietis denotant; *Ad, in, coram, ex, per, trans, post, super, subter*: Ita tamen locum hæ denotant, ut ad tempus etiam quædam illarum referantur, 2. Quædam *causam* notant, inter quas eminet, *pro*. 3. Quædam *comitatum*, ut, *cum*. 4. Quædam *exclusionem*, ut, *præter*. 5. Quædam deniqué *distributionem*, ut ἀνὰ, præpositio Græca. De præpositionibus locum denotantibus primo agetur.

## Canon III.

AD, *præpositio motum ad locum denotans, Hebræis per* ה *in fine nominibus loci additum, exprimitur.*

OMnes præpositiones apud Hebræos antecedunt vocem, excepta hâc unâ, quæ nominibus à fine adponitur. Notatque illud ה terminum loci ad quem, idem significat ac ל initio nominis adhibitum. Unde Hebræorum regula: כָּל־הַתֵּיבָה שֶׁצָּרִיךְ לָמֶד בְּרֹאשָׁהּ הַטֵּל לָהּ הֵא בְּסוֹפָהּ hoc est, *omni dictioni, cui opus est Lamed in capite ejus, appone ei He, ad finem ejus.* Habet ante se Cametz, ac vocem constituit penacutam.

Genes. 19:1. *Et pervenerunt duo Angeli illi* סְדֹמָה *Sedomam vespere.*

Genes. 33:14. *Usque dum veniam ad Dominum meum* שֵׂעִירָה *in Sebir.*

Genes. 46:4. *Descendam tecum* מִצְרַיְמָה *in Ægyptum.* Sic Genes. 10:19. cap. 12:5. 1 Reg. 18. ult.

Deut. 1:47. *Et convertimus nos, & profecti sumus* הַמִּדְבָּרָה *desertum versus*, vel *in desertum.*

Deuter. 2:2. *Convertite vos* צָפֹנָה *Aquilonem versus.* Sic. Ezech. 47:17.

1 Sam. 9:22. *Et assumsit Samuel Schaulem, & puerum ejus, & introduxit eos* לִשְׁכָּתָה *in cubiculum*, seu, ut alii reddunt, *in cœnaculum.*

1 Reg. 19:15. *Et dixit Jebova ad ipsum* (Eliam) *abi, revertere itinere tuo* מִדְבָּרָה דַמָּשֶׂק *versus desertum Damasci*, Patach sub ב nota est status constructi, ut & R. Kimchi notat. Masora bis sic reperiri docet, nempè hîc, & Jos. 18:12. ubi tamen in nostris libris cum Cametz legitur, מִדְבָּרָה בֵּית אָוֶן *versus desertum Beth Aben.* Sed debebat & hic esse patach: *tùm* ob testimonium Masoræ *tùm* R. Kimchi, qui ad h. l. sic annnotat: מִדְבָּרָה סמוך לבית און לפיכך הבי״ת פתוחה ר״ל למדבר בית און hoc est, *Vox Midbbara constructa est cum Beth Aven, propterea litera Beth habet patach. Vult dicere, ad desertum Beth-Aven.* Sed & in priori loco quædam exemplaria habent Cametz, quod pravum.

Jerm. 29:15. *Cùm dixeritis, excitaverat nobis Jebova Prophetas* בָּבֶלָה in *Babyloniam*, scil. prophetantes, eò eundum esse, seu nos deportandos eò esse.

Jon. 1. v. 3. *Et surrexit Jonas, ut fugeret* תַּרְשִׁישָׁה *Tarsum, à conspectu Jebovæ.* Quidam nomen primariæ urbis esse ajunt in Cilicia, de qua Joseph. l. 9. antiq. c. 11. Apostoli Pauli patriam, Act. 21:39. c. 22:3. vel ipsam etiam Ciliciam à Tarschisch filio Javan dictam, Gen. 10:4. Benjamin in itinerario: *Tarsis hodiè Malmistras dicta, urbs est ad mare sita. Distat duobus itineribus à Corcos: quæ terra Edom initium est ejus, quæ Armenia vocatur.* Arias Montanus in lib. Phaleg. seu gentium region. p. 10. Tarsis esse eam urbem existimat, quam postera secula deductis ex Tyro colonis *Carthaginem* dixêre. Interpres autem Chaldæus per *Tarschisch* d. l. *mare* intelligit, quem R. Salomo & Hieron. sequuntur; non tamen probatur Drusio: quem vide lib. 6. observ. cap. 2. Alibi tamen *Oceanum* seu mare magnum significare videtur, Ps. 48:8. Esa. 2:16. c. 23:1. *per metonymiam adjuncti* (uti Piscator in Jon. 1. statuit) *quia urbs Tarsus in littore Oceani sita fuit commodissimo loco, ita ut inde per Oceanum in varias regiones navigaretur.* Et ex *Tarschisch*, θάρασσα ac per mutationem τȣ̃ ρ in λ, θάλασσα apud Græcos factum esse, sunt qui statuant. Chytr. in onomast. p. 741. *Naves Tarsis, h. e. maris mediterranei, quo plurimum utebantur Tarsenses, Ebræi vocant, & quia nullum aliud mare ab illo Tarsensi noverunt, omnia maria Tarsis vocârunt.* Vide D. Tarnovium in c. 1. Jon. p. 6. seqq.

## *Nota.*

QUandoque nomini proprio loci composito per tmesin diviso, ה locale interponitur. Gen. 46:1. *Et profectus est Israel, cum omnibus, quæ erant ei, & venit* בְּאֵרָה שָּׁבַע *in Bersaba.*

Quandoque pleonasticè à fronte ל voci quoque additur. 1 Par. 26:17. לְצָפוֹנָה *ad septentrionem*, לַנֶּגְבָּה *ad meridiem.* Ps. 9:18. לִשְׁאוֹלָה *ad sepul-*

*sepulcrum usque*. Speciale illud Amos 4:3. *Et per rupturas exibitis quisque è regione sui, ac abjicietis ea* הַהַרְמוֹנָה *ad palatium, dictum Jehova*. Ubi sensus vocis obscurus est. Videtur autem ellipsis esse, hoc supplenda modo: *Abjicietis ea* (quæ) *ad palatium* scil. prius attulistis, h. e. dona, thesauros & res omnes charissimas, quas palatio ut firmo & tuto loco, custodiæ ergò, intulistis.

Quandoque tamen ה locale vel consimilis conjunctio deficit 1 Reg. 3:15. Et venit יְרוּשָׁלַםִ *Jerusalem*, pro יְרוּשָׁלַמָה vel לִירוּשָׁלַםִ *in Jerusalem*. Sic 1 Reg. 19:3.

Motum *de loco* ה illud notare quandoque, ex Gen. 13:1, 3. quidam probant, ubi quod v. 1. dicitur הַנֶּגְבָּה in v. 3. per מִנֶּגֶב *è meridie* seu meridiano tractu, explicari videtur.

Tandem & hoc adde, quandoque ה illud poni, & significare *AD*, etiam cùm de loco sermo non est. Psalm. 44:27. *Surge* עֶזְרָתָה *ad auxilium nobis* &c. 1 Sam. 1:3. יָמִימָה *in dies*.

Tantum de ה motum ad locum significante. Aliàs autem per præfixum ל, item per præpos. אֶל vel עַל *ad*. item per עַד *usque ad*, hæc syntaxis effertur. Genes. 6:16. Jud. 7:7. Deut. 1:31. Esa. 40:10. &c.

## Canon. IV.

*Præpositiones, quæ motum ad locum, & quæ quietem in loco significant, sæpius permutantur.*

SEu, AD pro IN; & vice versa, IN pro AD, crebro usurpatur.

### 1. AD pro IN. εἰς pro ἐν.

Gen. 49:29. *Sepelite me cum patribus meis*, אֶל־הַמְּעָרָה *ad speluncam illam, quæ est in agro Ephronis Chittei*, h. e. in spelunca illâ. Vide & 1 Sam. 10:22.

1 Reg. 8:30. *Et tu auscultes* אֶל־מְקוֹם *ad locum habitationis tuæ*, אֶל *ad cœlos* h. e. in loco in cœlis. 2 Paral. 6:21. pro אֶל ponitur מִן *ex loco, ex cœlis*. Quod sensu idem est. In sede majestatis suæ Deus supplicantes fideles exaudit: & ex illâ, exauditionem, mittendo auxilium opportunum, manifestat.

Matth. 2:23. *Et veniens habitavit* εἰς πόλιν *ad civitatem, quæ vocatur Nazareth*, h. e. ἐν πόλει in civitate. Quidam κατῴκησεν de mutatione loci exponunt, pro *transmigravit*, & sic propria vis præpositionis manet, & c. 4, 13. Junius in hac phrasi hypallagen statuit, ἐλθὼν κατῴκησεν, pro ἦλθε κατοικῆσαι, & sic cap. 4:13. c. 5:24.

Marc. 1:9. *Venit Jesus, & baptizatus est à Johanne* εἰς τὸν Ἰορδάνην, *in Jordanem*, pro ἐν τῷ Ἰορδάνῃ in Jordane. Sic vers. 39. cap. 2:1. cap. 13:16. cap. 14:9. Luc. 9:61. cap. 11:7. Joh. 8:26. Hebr. 11:9.

Johan. 1:18. *Filius, qui est* εἰς τὸν κόλπον, *in sinum Patris*, hoc est, ἐν τῷ κόλπῳ, in sinu. Quod ἀνθρωπικῶς de æterna Filii Dei apud Patrem existentiâ, & arcanâ amborum περιχωρήσει essentiali ita dicitur.

Actor. 2:31. *Quia non relicta est anima ejus* εἰς ᾅδου scil. οἶκον, *in inferni domum*, pro ἐν ᾅδου scil. οἴκῳ, *in inferni domo*; seu ἐν ᾅδῃ, *in inferno*, ut Luc. 16:23. dicitur. Vide præterea c. 8:23, 40. c. 21:13.

Apud LXX. Interpretes. Jud. 20:48. *Quicunque inventus fuerat* εἰς πάσας τὰς πόλεις, *in omnes urbes*, h. e. in omnibus urbibus. In Hebræo non est, quod huic respondeat.

In prophanis. Diodorus: ὃς ἔφησεν, αὐτὸν εἰς τὴν ὑστεραίαν εἰς Συρακούσας δειπνήσειν, *qui dixerat eum postridiè in Syracusas cœnaturum*, h. e. Syracusis.

### Nota.

USus hujus vocularum ἐναλλάξεως est & in aliis, ubi non de loco sermo est.

Gen. 6:6. *Et doluit* אֶל *ad cor suum*, h. e. in corde suo. Sic & c. 8:21. *& dixit* אֶל *ad cor suum*, h. e. in corde suo. Chald. בְּמֵימְרֵיהּ *in verbo suo*. Sic c. 24:45. *Ego antequam finirem loqui* אֶל־לִבִּי *ad cor meum*, h. e. in corde meo.

Matth. 12:18. *Dilectus meus*, εἰς ὃν εὐδόκησεν *in quem complacuit anima mea*, h. e. ἐν ᾧ *in quo*, uti c. 3. ult. dicitur.

Matth. 12:41. *Quia pœnitentiam egerunt* εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ *in prædicationem Jonæ*, h. e. ἐν τῷ κηρύγματι, in prædicatione Jonæ, seu Jonâ prædicante.

Marc. 5:34. *Filia, fides tua te salvam fecit*, ὕπαγε εἰς εἰρήνην, *vade in pacem*, pro ἐν εἰρήνῃ, *in pace*. Sic Luc. 7:50. c. 8, 48. Convenit cum Hebræo לֵךְ לְשָׁלוֹם *abi ad pacem*, uti dicitur Exod. 4, 18. pro לֵךְ בְּשָׁלוֹם *abi in pace*, quod extat 2. Sam. 15. 9. Judæi benè precantes abeuntibus, *priori* utuntur formulâ, quia Jethroni, cui sic à Mose dictum est, benè cessit iter: non *posteriori*, quia Absalom, cui sic à Davide dictum est, abiit, & suspensus fuit. Quod sic notatur à Thalmudicis in fine codicis Berachoth, citante Buxtorffio. Sed nugæ hæ sunt aniles.

Luc. 16:8. *Quia filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis*, εἰς τὴν γενεὰν ἑαυτῶν, *in genus suum*, h. e. in genere suo.

Act. 7:53. *Qui accepistis legem εἰς διαταγὰς in dispositiones Angelorum.* h. e. *ἐν διαταγαῖς in dispositionibus*, seu in mediis agminibus (inter medios exercitus) Angelorum, stipantium videl. honoris & officii causa Jehovam Imperatorem suum. Confer Deut. 33:2. Gal. 3:19.

Act. 8:13. *Video te εἰς χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὄντα, in fellem amaritudinis & nexum injustitiæ positum*, h. e. in felle, & nexu. De *felle amaritudinis* vide Deut. 29:18. ubi similis phrasis, & Heb. 12:15. De *nexu injustitiæ*, Esa. 58:6. 1 Tim. 2:26.

Actor. 13:42. *Exeuntibus autem ex Synagoga Judæis, rogabant gentes, εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον λαληθῆναι αὐτοῖς τὰ ῥήματα ταῦτα*, h. e. *ἐν τῷ μεταξὺ*, Scalig. l. 6. emend. temp. *intelligitur sextiduum inter duo Sabbatha, quod Hebræis* חול *vocatur: σαββατὼν merum Hebraicum est*, שבתון, *pro quo hodiè σάββατον legitur. Porro εἰς τὸ μεταξὺ, dictum pro ἐν τῷ μεταξὺ, notissimo Hebraismo, quale illud Marci, εἰς οἶκόν ἐστι, pro ἐν οἴκῳ. Quia igitur Paulus prædicabat verbum Dei die Sabbathi, propterea quod non aliàs Judæi solent in proseuchas convenire: gentes, quæ sitiebant verbum Dei, orant, ut in diebus reliquis septimanæ, etiam ad se verba haberet Paulus, quod in diebus* חול *Judæi rebus div. non operentur, sed opus manibus faciant &c.* Sensus est: non Sabbathum hic intelligi, sed septimanam, quæ proximum Sabbathum præcedebat, uti Scaligeri mentem explicat, eamque approbat Causabonus in notis.

Eph. 1:10. *εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, in dispensationem plenitudinis temporum*, h. e. *ἐν οἰκονομίᾳ*. Intelligitur illa temporis plenitudo, de qua Gal. 4:4.

Apud LXX. Interpretes Genes. 21:2. *Sara peperit filium εἰς τὸ γῆρας, in senectutem*, Hebr. לזקניו. Quod v. 7. redditur *ἐν τῷ γήρᾳ in senectute.*

In profanis. Demosthen. περὶ στεφ. *τοσαύτῳ ἀμείνων πολίτης γέγονα εἰς αὐτὰ ἃ λέγω*, pro *ἐν αὐτοῖς τούτοις; tanto in his rebus, quas dico, præstantior civis fui.* Eurip. in Rheso: *εἰς καιρὸν ἦλθες, in tempus venisti*, h. e. in tempore.

## 2. IN pro AD ἐν pro εἰς.

Lev. 16:22. *Et emittet hircum illum* במדבר *in deserto illo*, pro למדבר vel אל־המדבר *in* vel *ad desertum.*

Luc. 7:17. *Et exiit hic sermo ἐν ὅλῃ τῇ Ἰουδαίᾳ in universa Judæa, de ipso, & ἐν πάσῃ τῇ περιχώρῳ in tota regione circumjacente:* pro *εἰς Ἰουδαίαν εἰς περίχωρον* &c. Ita & cap. 10:3.

Luc. 21:3. *Erit pressura magna super terrâ, & ira ἐν τῷ λαῷ τούτῳ in populo hoc*, h. e. *εἰς τὸν λαὸν τοῦτον, in*, vel *contra populum hunc.*

Quidam huc referunt Matth. 16:38. *Donec videant Filium hominis venientem ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, in regno suo*, h. e. ad regnum suum. Sed Marc. 9:1. hoc ita effertur: *Donec videant τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει, regnum Dei veniens in potentia.* Idem igitur exprimit phrasis prior, quòd Christus veniat in regno hoc suo virtutis & potentiæ. Factum hoc post ascensionem Dominicam, cum Christus in regno suo gratiæ venit, per Apostolorum prædicationem Euangelii, in omnes orbis terrarum partes & angulos, seque virtute verbi & miraculorum gloriosum Regem ostendit.

Ex profanis huc referuntur. Xenoph. *ἔλθοι ἐν Ἑλλάδι*, pro *Ἑλλάδα, veniret in Græciam*. Homer. *κάππεσον ἐν Λήμνῳ, decidi in Lemnum.*

### Nota.

Ponitur & IN pro AD, sine respectu ad locum.

Marc. 1:15. *πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ* pro *εἰς τὸ εὐαγγέλιον, credite in Euangelium.* Alii pro *τῷ εὐαγγελίῳ, credite Euangelio.*

Luc. 1:17. *Ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ἐν φρονήσει δικαίων, in prudentia justorum*, pro *εἰς φρόνησιν*, ad prudentiam; ut scilic. sciant, apud quem salutem suam quærere, & quomodo justè vivere debeant? Sic Rom. 1: 23, 24, 25. confer v. 26. cum v. 24.

1 Thess. 4:7. *Non vocavit nos Deus ἐπὶ ἀκαθαρσίᾳ ἀλλ' ἐν ἁγιασμῷ, non ad immunditiem, sed ad sanctificationem.*

1 Joh. 4:9. *in hoc patefacta est charitas Dei ἐν ἡμῖν*, h. e. *εἰς ἡμᾶς, in nos*, seu *erga nos.* Sic Heb. 4:11.

Quidam etiam sic explicant locum, 1 Joh. 4:2. *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, in carne venisse, ex Deo est*: h. e. *εἰς σάρκα, in carnem*, uti v. 9. dicitur filius Dei missus *εἰς τὸν κόσμον. Sic legimus* (inquit Drusius) *ἐν οἴκῳ ἰέναι, pro, εἰς οἶκον, domum ire. Sanè ἐν & εἰς Atticâ dialecto alternant, sicut Hebræum* ב *pro* ל *usurpatur, & motum ad locum denotat, Lev. 16:22.* Hæc ille. Sed quia subjecti loco in propositione Apostolica ponitur nomen personæ JESUS Christus (de qua non rectè dicitur, quòd in carnem venerit, seu incarnatus fuerit, sicut de λόγῳ, persona Filii Dei simplice dicitur Joh. 1:14.) & quia aliud est, *venire in carnem* & aliud, *venire in carne* (*in carnem* venit Filius Dei, naturam humanam assumendo; *In carne* venit

Jesus Christus nascendo, crescendo, docendo, patiendo, moriendo, resurgendo &c. posterius hoc præsupponit prius) ideò simpliciùs propria voculæ *ἐν* significatio retinetur, & phrasis, *in carne venire*, de diebus carnis Christi, Heb. 5: 7. seu, de tota salutis nostræ *οἰκονομίᾳ*, à Christo susceptâ, & in diebus carnis consummatâ, explicatur. Ad illam enim totus vitæ Christi cursus, quem in his terris exegit, & omnes officii partes, quas mandato Patris absolvit, pertinent. Johanni negocium hîc est cum falsis Prophetis, qui contradicebant doctrinæ Euangelicæ de Christo, negantes eum esse Messiam. Non ergò de initio solùm vitæ Christi seu incarnatione, sed de toto ejus vitæ & officii peracti curriculo loquitur. Conferri ferè cum phrasi hâc, *venire in carne* (significatione jam expositâ) potest, cùm בּוֹא *venire in congregationem Domini*, pro publici muneris administratione accipitur, Deut. 23: 1, 2, 3. item cùm בָּא *venit*, verbo יָצָא *exivit*, junctum, itidem significationem publici muneris, ejusque administrationis obtinet, Num. 27: 16, 17. Deut. 31: 2. 2 Par. 1: 10. (ubi metaphora à pastoribus desumta est, ut ex Num. 27: 17. apparet, qui ante gregem domo egrediuntur, & eandem ingrediuntur; Et ad Christum *ἀρχιποιμένα* id pulchrè accommodari potest.) Et cùm הָלַךְ *ire*, seu *ambulare*, in Hithpael, de officii publici administratione accipitur, 1 Sam. 2: 30, 35. c. 12: 2. Cumprimis verò conferendus est locus Ps. 40: 8, 9. ad quem respexisse B. Apostolus omninò videtur. Vide & Heb. 10: 5, 6, 7, 8, 9, 10.

## Canon V.

*Præpositio motus ad locum*, AD, IN, *quandoque etiam aliter explicanda venit.*

### 1. AD vel IN, pro DE, quando de *objecto* sermo est.

JOb 42: 8. *Non estis locuti rectè* אֵלַי *ad me*, hoc est, de me.

Ezech. 21: 33. *Sic ait Dominus* אֶל *de filiis Ammon*, וְאֶל *& de opprobrio eorum.* Sic Psal. 2: 7. Psal. 69: 27.

Luc. 19: 9. *Ait Jesus πρὸς αὐτὸν, ad ipsum: hodiè salus domui huic facta est; eò quod & ipse filius Abrahæ est.* h. e. de eo. Non enim ad ipsum Zachæum, sed de ipso ad circumstantes sermo directus est, ut verba ipsa declarant.

Actor. 2: 25. *David dicit εἰς αὐτὸν in eum* (Christum) h. e. de eo. Quidam propriâ significatione reddunt; *David dicit in eum* scil. respiciens, uti Galat. 3: 24. Referuntur enim ipsius Messiæ verba per os Davidis prolata, Psal. 16: 8. seqq.

Ephes. 5: 32. *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem loquor εἰς χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν, in Christum & Ecclesiam*, h. e. de Christo & Ecclesia.

Heb. 1: 7. *καὶ πρὸς μὲν τοὺς ἀγγέλους λέγει, & ad angelos quidem dicit*, hoc est, de Angelis. Afferuntur ab Apostolo verba Psal. 104: 4. Sic Hebr. 4: 13.

### 2. AD pro SUPER, אֶל pro עַל.

Levit. 14: 50. *Et mactabit passerem unum* אֶל־כְּלִי *ad vas fictile*, hoc est super vas fictile, vid. in quo fuerit aqua fontana aut fluviatilis, unde sequitur, עַל *super aquas vivas.*

2 Sam. 2: 9. *Et constituit eum Regem* אֶל־הַגִּלְעָד *ad Gilead*, h. e. super Gilead; unde mox sequitur וְעַל־אֶפְרַיִם *& super Ephraim &c.*

### 3. AD pro PROPTER, אֶל pro עַל.

Gen. 37: 35. *Quia descendam* אֶל־בְּנִי *propter filium meum lugens in sepulcrum.* Ita R. Salomo in h. l. ubi & sequentia duo adducit.

2 Sam. 21: 1. *& dixit Jehova* אֶל־שָׁאוּל וְאֶל־בֵּית הַדָּמִים *propter Saulem, & propter domum illam sanguinum* (sanguinariam) *eò quòd morte affecit Gibeonitas:* scil. ista fames in terram advenit.

1 Sam. 4: 21. *& vocavit* (nomen) *puero, Icabod, dicendo: emigravit gloria ab Israele:* אֶל־הִלָּקַח *propter capi arcam Dei* (h. e. propterea quòd capta esset arca Dei) וְאֶל־חָמִיהָ וְאִישָׁהּ *& propter socerum suum & virum suum.* Conf. vs. 22. ubi per כִּי *quoniam*, fit expositio. In v. 19. eadem phrasis occurrit, sed ibi אֶל in prima significatione antè positâ accipitur: *& audivit rumorem* אֶל *de capi arcam DEI*, h. e. de eo, quòd capta esset arca Dei &c.

Huc pertinet 1 Sam. 1: 27. אֶל *propter puerum istum oravi.* Sic Ezech. 6: 9. ubi præfixum ל eâdem significatione subjungitur. Videatur etiam vs. 11.

### 4. AD pro CONTRA, πρὸς pro κατὰ

Esa. 32: 6. *Ad loquendum errorem* אֶל־יְהוָה *ad Dominum*, h. e. contra Dominum.

Ezech. 13. vers. 9. *Erat enim manus mea* אֶל־הַנְּבִיאִים *contra prophetas* istos. Sic vers. 20.

Marc. 12: 12. *Cognoscebant enim, quod πρὸς αὐτοὺς,*

*αὐτοὺς, adversus se parabolam hanc dixerit:* quæ scil. in gravissimam pœnæ denunciationem exibat, vers. 9.

Joh. 10: 35. *Si illos dixit Deos, πρὸς οὓς contra quos sermo Dei factus est;* sermo videlicet תוכחות acerrimæ increpationis in Psal. 82: 2, 5, 7. Sunt autem illi magistratus, qui d. l. vehementer atque acerbè compellantur; q. d. si eos, adversus quos Psalmus agit, quos vehementer officii neglecti atque acerbè monet, imò reprehendit Deus, tamen dignitatis causâ Deos dixit, quia Deum repræsentant magistratus: cur vos eum, qui à Patre separatus ab æterno, ac sanctificatus, in terram missus est, blasphemum judicatis, quòd se Dei dicat Filium? Heinsii hæc verba sunt in Aristarcho sacro cap. 23.

Actor. 9: 5. *Durum est tibi πρὸς κέντρα λακτίζειν, adversus stimulos calcitrare.* Quo eodem adagio & Euripides, & Pindarus, & Menander apud Stobæum utuntur. A bobus deducta metaphora, qui cùm βουκέντροις aut stimulis recalcitrant, seipsos lædunt. Vide Erasmi adagia, chil. 1. cent. 3. adag. 46.

Rom. 10: 21. *πρὸς δὲ τὸν Ισραὴλ λέγει, contra Israelem autem dicit,* scil. Deus. Verba allegantur Prophetæ Esaiæ c. 65: 2. ubi gravissima adversus populum increpatio. Rom. 11: 2. *κατὰ τοῦ Ισραὴλ contra Israelem* habetur. Ita *πρὸς* pro *κατὰ*, *ad* pro *contra* usurpatur etiam Eph. 6: 11, 12.

Sic & *εἰς*, *In* pro *adversus*. Luc. 7: 30. *Pharisæi & Legisperiti consilium Dei rejecerunt εἰς ἑαυτοὺς contra semetipsos.* Irritum faciendo consilium Dei (& baptismum Johannis rejiciendo) non Deum, sed seipsos læserunt, ne consilium hoc Dei ipsis ad salutem prodesse potuerit. Quidam reddunt, *intra seipsos*, *εἰς* pro *ἐν*: quia scilic. non audebant palàm Johannis doctrinam adspernari, quod populum metuerent, ut traditur Matth. 21: 26.

1 Cor. 8: 12. *εἰς χριστὸν, in* vel *contra Christum peccatis.* Sic Luc. 12: 10. Confer Matth. 12: 32.

## 5. AD, pro CUM. אֶל pro עִם

Thr. 3: 41. *Attollamus cor nostrum אֶל־כַּפַּיִם cum manibus ambabus ad DEUM fortem.*
Ezech. 16: 26. *Et scortata es* אֶל בְּנֵי *cum filiis Ægypti*, seu cum Ægyptiis &c.
Sic Ezech. 25: 9. ut quidam volunt.

## 6. εἰς pro πρὸς, in pro ad.

Actor. 16: 40. *Egressi autem è carcere introierunt εἰς τὴν λυδίαν, in Lydiam*, hoc est, ad Lydiam. Sic Matth. 15: 24. Johann. 11: 31, 32. Sic apud Appian. *εἰς Σύλλαν ἔπεμψεν.* Demost. *ἀναφέρειν εἰς τὸν ἄρχοντα.* Et, *εἰς ὑμᾶς λέγω.* Eurip. *ἀποβλέπειν εἰς τοὺς πλουσίους.* Homer. *ἐλθὼν ἐς δέσποιναν ἐμὴν, veniens ad heram meam &c.*

Contra *πρὸς* pro *εἰς* positum esse Joh. 14: 23. quidam dicunt, uti & Nonnus vertit. De inhabitatione enim S. Trinitatis in credentibus sermo ibi est.

## 7. Ad, אֶל pleonasticè additur.

AD אֶל, in naturam vertitur alterius *præpositionis*, cui pleonasticè adjungitur.
Exod. 26: 9. אֶל־מוּל *è regione faciei tentorii.* Sic cap. 34: 3.
Lev. 4: 12. אֶל־מִחוּץ *extra* cap. 14: 42. אֶל־תַּחַת *in locum*, seu *pro*. Item *sub*, Zach. 3: 10.
Num. 19: 4. אֶל־נֹכַח *coram*, seu *è regione.*
Deut. 30: 13. אֶל־עֵבֶר *trans.* 2 Paralip. 23: 14. אֶל־מִבֵּית *extra.*
Job. 5: 5. אֶל־מִן ex Ezech. 41: 9. אֶל־הַחוּץ *extrinsecus, foris.*
Zach. 6: 6. אֶל־אַחֲרֵי *post.* &c.
Et cum *adverbio*. Ezech. 6: 10. אֶל־חִנָּם *frustra.*

## 8. AD vel IN, deficit.

Act. 5: 3. *Cur implevit Satanas cor tuum, ut mentireris τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, Spiritum sanctum*, pro *εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον*, in Spiritum sanctum. In v. 4. per Dativum fit explicatio: *Non mentitus es hominibus, sed Deo.* Beza testatur, in uno Græco manuscripto particulam eam *εἰς* h. l. extare. Et Syrus interpres sic legit.

2 Pet. 3: 12. *Expectantes & properantes τὴν παρουσίαν*, pro *εἰς τὴν παρουσίαν*, *ad* vel *in adventum diei Dei.* Sic Thucyd. *σπεύδω τὴν ἡγεμονίαν*, pro *πρὸς τὴν ἡγεμονίαν, ad principatum propero.* Pind. *βίον ἀθάνατον σπεῦδε*, pro *πρὸς βίον.* Aliàs cum præposit. construitur. Hesiod. *σπεύδειν εἰς ἄφενον, properare ad divitias.* Aristoph. *σπεύδω πρὸς σε, festino ad te &c.*

## Canon VI.

*Præpositio IN, quietem in loco notans, quandoque aliam significationem induit.*

### 1. IN pro DE; seu de *objecto*.

1. SAm. 19:3. *Et ego alloquar* בְּךָ *in Patrem meum*. h.e. de te.

Rom. 11:2. *An nescitis, ἐν Ἠλίᾳ in Elia quid dicat scriptura*, h. e. de Eliâ.

2 Tim. 1:13. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audivisti, ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ in fide & dilectione, quæ est in Christo Jesu*, h. e. de fide & dilectione. Notatur enim objectum & materia doctrinæ Pauli. Sic & Phil. 1:30. Matth. 10:52.

### 2. IN pro A; de *causâ efficiente*.

Luc. 4:1. *Jesus actus est, ἐν τῷ πνεύματι, in Spiritu in desertum*, h. e. ὑπὸ τοῦ πνεύματος, *à Spiritu*, ut Matth. 4:1. exponitur.

### 3. IN pro CUM; de *causa instrumentali*.

Matth. 3:11. *Ego baptizo vos ἐν ὕδατι, in aquâ*, h. e. cum aquâ.

Luc. 14:34. *Si sal infatuatum fuerit, ἐν τινὶ, quo cum salietur*, scil. αὐτὸ, *ipsum* (confer Marc. 9. vers. ult.) Sic c. 11:20. 22:49. Quia verò apud Latinos instrumenti vox per solum ablativum, sine præpos. effertur, igitur in Græco etiam quidam dicunt, præpos. ἐν, in hoc sermonis genere redundare.

Et aliâ ratione ἐν pro σὺν, concomitantiam notante. Matth. 6:29. cap. 11:21. 2 Cor. 13:4. Eph. 6:2. 1 Thess. 4:16. 2 Petr. 1:5, 6, 7. Jud. vers. 14.

### 4. IN pro PER; de *quâcunque causâ*

Rom. 5:9. *Justificati ἐν τῷ αἵματι, in sanguine ejus*, h.e. per sanguinem. Sic Galat. 2:16, 3:11.

Col. 2:18. *Ne quis vos decipiat ἐν ταπεινοφροσύνῃ in humilitate* &c. h. e. per humilitatem & cultum Angelorum. Ita & Hebr. ב accipitur, ut suo loco dicetur.

Sic in juramentis. Matth. 5:34. *jurare ἐν τῷ οὐρανῷ in cœlo*, h. e. per cœlum. Quo sensu & εἰς usurpatur vers. 25.

### 5. IN pro PROPTER; de *causa* seu *objecto*.

Gen. 29:18. *Serviam tibi septem annos* בְּרָחֵל *in Rachele*, h. e. propter Rachelem, seu, pro Rachele. Sic Hos. 12:13.

Deut. 24:6. *Quisque* בְּחֶטְאוֹ *in peccato suo morte afficitur*, h. e. propter peccatum suum. Plura ex Vet. Test. afferentur infra de præfixo ב.

Matth. 6:7. *putant enim, quod ἐν τῇ πολυλογίᾳ αὐτῶν, in multiloquio suo exaudiantur*, h. e. propter multiloquium suum.

Matth. 11:6. *Beatus, qui non fuerit scandalizatus ἐν ἐμοὶ, in me*, h. e. propter me, seu mei causâ. Sic cap. 26:31, 33.

Luc. 22:20. 1 Cor. 11:25. *Hoc poculum est novum testamentum ἐν τῷ αἵματί μου in sanguine meo*, h. e. propter sanguinem meum, quem scil. mediante benedicto vino bibendum exhibeo.

Actor. 7:29. *Fugit autem Moses, ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ in verbo hoc*, hoc est, propter verbum seu rumorem hunc.

Ephes. 1:3. *Benedictus DEUS &c. qui benedixit nos ἐν χριστῷ in Christo*. vers. 4. *Sicut elegit nos ἐν αὐτῷ in ipso*, hoc est, propter Christum. Notatur causa meritoria tùm salvationis, tùm æternæ ad salutem electionis. Sic vers. 6. cap. 3:13. 4:1, 32. Col. 2:16. Apoc. 14:13.

Nota. 1 Tim. 4:10. significationem hanc habere præpos. εἰς: *εἰς τοῦτο, in hoc enim laboramus & maledicimur, quia speramus in Deum vivum*, h. e. propter hoc.

### 6. IN pro POST; de *complemento*.

Num. 28:26. *Et in die primitiarum, cùm offeretis munus novum Jehovæ*, בְּשָׁבֻעֹתֵיכֶם *in septimanis vestris, convocatio sancta esto vobis*, h. e. post septimanas vestras; exactis septem illis septimanis, de quibus cautum est Lev. 23:15, 16. Luth. Wenn eure Wochen umb sind.

Esa. 20:1. בִּשְׁלֹחַ *in mittere ipsum*; h. e. post mittere ipsum, seu postquam misisset eum.

Luc. 9:36. *καὶ ἐν τῷ γενέσθαι & in fieri vocem illam, inventus est Jesus solus*, h. e. μετὰ τὸ γενέσθαι, post fieri illam vocem, postquam vox illa extitisset.

Luc. 11:37. *ἐν δὲ τῷ λαλῆσαι, in loquendo autem rogavit eum quidam Pharisæus &c.* h. e. post loqui, seu postquam hæc locutus esset. Sic c. 14:1.

Nota.

### *Nota.*

IN, quandoque *verbo* in compositione additur, cùm deberet *nomini* præcedenti adjungi. Actor. 3: 25. τῷ σπέρματί σου ἐνευλογηθήσονται πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς, *in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Talis ratio aliarum quoque præpositionum est, Rom. 7: 23. 8: 16.

### Canon VII.

*Præpositio CORAM ab Hebreis non per* נֶגֶד *præpositionem solùm, sed & per nomen* פָּנִים facies *cum præpositione, effertur.*

DIcitur enim אֶל־פָּנִים *ad faciem*, עַל־פְּנֵי *juxta faciem*, לִפְנֵי *ad faciem*, h. e. *coram*, *è regione*, *versus*; ratione loci: Item *antè*, ratione temporis. Exempla videantur in Lexico Schindleri, col. 14: 55.

In N. T. referri huc potest Actor. 13: 24. *Cùm antè prædicasset Johannes*, πρὸ προσώπου τῆς εἰσόδου αὐτοῦ, *ante faciem ingressus ejus*, h. e. coram ingressu ejus, seu coram eo jam ingrediente seu adventante &c. Hebraicè esset לִפְנֵי בֹאוֹ. Indicat, Johannem fuisse apparitoris instar, qui Christum non procul, ut alii Prophetæ, venturum significaret, sed jam iter ingressum, imò jam præsentem, & sibi à tergo imminentem commonstraret. Et sic phrasi hac exprimitur illud Mal. 3: 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & parabit viam* לְפָנָי πρὸ προσώπου μου, *coram facie meâ*, seu coram me. Confer Matth. 11: 10. Marc. 1: 2.

Referunt quidam huc Actor. 9: 19. *Cum venerint tempora refrigerii* ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου, *à facie Domini*, h. e. coram Domino, jam in majestate sua apparente, & credentes glorificante beatissimo sui conspectu &c. 2 Thess. 1: vers. 19. aliter hæc phrasis videtur usurpari de impiis & damnatis: *Qui pœnas sustinebunt, interitum æternum* ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου, *à facie Domini*, scil. abjecti &c. Vel etiam, *coram Domino*, quem scil. cum tremore ineffabili in judicio conspicient in majestate sua, Matth. 25: 31, 32. Apoc. 1: 7. & ab illo, utpote judice severissimo, æternis adjudicabuntur pœnis.

### Canon VIII.

*Præpositio EX, motum ex loco, vel materialem causam significans, aliis etiam modis usurpatur.*

ALiqua saltem notabilia adferemus.

#### 1. EX pro A; de causa efficiente.

Matth. 1: 20. *Quod in ea natum est*, ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου, *ex Spiritu sancto est*, h. e. à Spiritu. Confer Luc. 1. 35.

Joh. 6: 65. *Propterea dixi vobis, quòd nemo potest venire ad me, nisi fuerit datum ipsi* ἐκ τοῦ πατρός μου, *ex Patre meo*, h. e. παρὰ τοῦ πατρός, *à Patre*, ut vers. 45. exponitur.

Joh. 18: 3. ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ Φαρισαίων, *ex Pontificibus & Pharisæis*, h. e. ab illis.

Rom. 11: 36. ἐξ αὐτοῦ *ex ipso* (DEO) *sunt omnia*, h. e. ab ipso.

1 Cor. 10: 4. *Bibebant* ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας, *ex spirituali eos comitante petrâ*, h. e. bibebant seu potum accipiebant ab illa spirituali petra, *quæ Christus est*, ibid. Notatur aquæ miraculosè productæ auctor & scaturigo, Christus, deducens Israelitas in deserto. Confer vers. 9. Vide hoc de loco Bellarm. l. 1. de Christo c. 4. Junium in parallel. l. 2. Par. 36.

Sic in profanis etiam ἐκ usurpatur. Theocr. ἐκ μουσῶν ἀγαθὸν κλέος ἔρχεται ἀνθρώποις, *à Musis illustris fama venit hominibus*, ἐκ θεοῦ ἡ νίκη *à Deo est victoria.*

#### 2. EX pro POST; de tempore completo.

Joh. 13: 4. *Surgit* (Jesus) ἐκ τοῦ δείπνου *ex cœna*, h. e. cœnâ jam factâ, seu post cœnam. Finitâ enim jam cœnâ tùm paschali, tùm vulgari, (antequam tertia, sacramentalis inciperet) Christum ex mensa surrexisse, & discipulorum suorum pedes lavisse, ex Euangelistis colligitur. Vide harm. Euang. D. Gerhardi cap. 170. in princ. Significatione illâ præpositio ἐκ usurpatur etiam à profanis auctoribus. Eurip. in Hecuba: ἐκ δείπνου ὕπνος ἡδὺς ἐπ' ὄσσοις κίδναται, *post cœnam somnus dulcis oculis inspergitur* Xenoph. ἐξ ἀρίστου, *à prandio*, seu *post prandium*, ἐκ τούτου sc. χρόνου, *post hoc tempus*, *deinceps.*

## Canon VI.

*Præpositio IN, quietem in loco notans, quandoque aliam significationem induit.*

### 1. IN pro DE; seu de *objecto*.

1. SAm. 19:3. *Et ego alloquar* בְּךָ *in Patrem meum*. h.e. de te.

Rom. 11:2. *An nescitis, ἐν Ἠλίᾳ in Elia quid dicat scriptura*, h. e. de Eliâ.

2 Tim. 1:13. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audivisti, ἐν πίςει καὶ ἀγάπῃ in fide & dilectione, quæ est in Christo Jesu*, h.e. de fide & dilectione. Notatur enim objectum & materia doctrinæ Pauli. Sic & Phil. 1:30. Matth. 10:52.

### 2. IN pro A; de *causâ efficiente*.

Luc. 4:1. *Jesus actus est, ἐν τῷ πνεύματι, in Spiritu in desertum*, h. e. ὑπὸ τοῦ πνεύματος, *à Spiritu*, ut Matth. 4:1. exponitur.

### 3. IN pro CUM; de *causa instrumentali*.

Matth. 3:11. *Ego baptizo vos ἐν ὕδατι, in aquâ*, h. e. cum aquâ.

Luc. 14:34. *Si sal infatuatum fuerit, ἐν τινὶ, quo cum salietur*, scil. ἀυτὸ, *ipsum* (confer Marc. 9. vers. ult.) Sic c. 11:20. 22:49. Quia verò apud Latinos instrumenti vox per solum ablativum, sine præpos. effertur, igitur in Græco etiam quidam dicunt, præpos. ἐν, in hoc sermonis genere redundare.

Et aliâ ratione ἐν pro σὺν, concomitantiam notante. Matth. 6:29. cap. 11:21. 2 Cor. 13:4. Eph. 6:2. 1 Thess. 4:16. 2 Petr. 1:5, 6, 7. Jud. vers. 14.

### 4. IN pro PER; de *quâcunque causâ*

Rom. 5:9. *Justificati ἐν τῷ αἵματι, in sanguine ejus*, h.e. per sanguinem. Sic Galat. 2:16, 3:11.

Col. 2:18. *Ne quis vos decipiat ἐν ταπεινοφροσύνῃ in humilitate* &c. h. e. per humilitatem & cultum Angelorum. Ita & Hebr. ב accipitur, ut suo loco dicetur.

Sic in juramentis. Matth. 5:34. *jurare ἐν τῷ ὀρανῷ in cœlo*, h. e. per cœlum. Quo sensu & ἐις usurpatur vers. 25.

### 5. IN pro PROPTER; de *causa* seu *objecto*.

Gen. 29:18. *Serviam tibi septem annos* בְּרָחֵל *in Rachele*, h.e. propter Rachelem, seu, pro Rachele. Sic Hos. 12:13.

Deut. 24:6. *Quisque* בְּחֶטְאוֹ *in peccato suo morte afficitur*, h. e. propter peccatum suum. Plura ex Vet. Test. afferentur infra de præfixo ב.

Matth. 6:7. *putant enim, quod ἐν τῇ πολυλογίᾳ ἀυτῶν, in multiloquio suo exaudiantur*, h. e. propter multiloquium suum.

Matth. 11:6. *Beatus, qui non fuerit scandalizatus ἐν ἐμοὶ, in me*, h. e. propter me, seu mei causâ. Sic cap. 26:31, 33.

Luc. 22:20. 1 Cor. 11:25. *Hoc poculum est novum testamentum ἐν τῷ αἵματί μȣ in sanguine meo*, h. e. propter sanguinem meum, quem scil. mediante benedicto vino bibendum exhibeo.

Actor. 7:29. *Fugit autem Moses, ἐν τῷ λόγῳ τȣ́τῳ in verbo hoc*, hoc est, propter verbum seu rumorem hunc.

Ephes. 1:3. *Benedictus DEUS &c. qui benedixit nos ἐν χριστῷ in Christo.* vers. 4. *Sicut elegit nos ἐν ἀυτῷ in ipso*, hoc est, propter Christum. Notatur causa meritoria tùm salvationis, tùm æternæ ad salutem electionis. Sic vers. 6. cap. 3:13. 4:1, 32. Col. 2:16. Apoc. 14:13.

Nota. 1 Tim. 4:10. significationem hanc habere præpos. εἰς: εἰς τοῦτο, *in hoc enim laboramus & maledicimur, quia speramus in Deum vivum*, h. e. propter hoc.

### 6. IN pro POST; de *complemento*.

Num. 28:26. *Et in die primitiarum, cùm offeretis munus novum Jehovæ,* בְּשָׁבֻעֹתֵיכֶם *in septimanis vestris, convocatio sancta esto vobis*, h. e. post septimanas vestras; exactis septem illis septimanis, de quibus cautum est Lev. 23:15, 16. Luth. Wenn eure Wochen umb sind.

Esa. 20:1. בִּשְׁלֹחַ *in mittere ipsum*; h. e. post mittere ipsum, seu postquam misisset eum.

Luc. 9:36. *καὶ ἐν τῷ γενέσθαι & in fieri vocem illam, inventus est Jesus solus*, h. e. μετὰ τὸ γενέσθαι, post fieri illam vocem, postquam vox illa extitisset.

Luc. 11:37. *ἐν δὲ τῷ λαλῆσαι, in loquendo autem rogavit eum quidam Pharisæus &c.* h. e. post loqui, seu postquam hæc locutus esset. Sic c. 14:1.

Nota.

### *Nota.*

IN, quandoque *verbo* in compositione additur, cùm deberet *nomini* præcedenti adjungi. Actor. 3:25. *τῷ σπέρματί σου ἐνευλογηθήσονται πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς*, *in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Talis ratio aliarum quoque præpositionum est, Rom. 7:23. 8:16.

## Canon VII.

*Præpositio CORAM ab Hebreis non per* נֶגֶד *præpositionem solùm, sed & per nomen* פָּנִים facies *cum præpositione, effertur.*

DIcitur enim אֶל-פָּנִים *ad faciem*, עַל-פָּנִים *juxta faciem*, לְפָנִים *ad faciem*, h. e. *coram, è regione, versus;* ratione loci: Item *antè*, ratione temporis. Exempla videantur in Lexico Schindleri, col. 14:55.

In N. T. referri huc potest Actor. 13:24. *Cùm antè prædicasset Johannes, πρὸ προσώπου τῆς εἰσόδου αὐτοῦ, ante faciem ingressus ejus*, h. e. coram ingressu ejus, seu coram eo jam ingrediente seu adventante &c. Hebraicè esset לִפְנֵי בוֹאוֹ. Indicat, Johannem fuisse apparitoris instar, qui Christum non procul, ut alii Prophetæ, venturum significaret, sed jam iter ingressum, imò jam præsentem, & sibi à tergo imminentem commonstraret. Et sic phrasi hac exprimitur illud Mal. 3:1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & parabit viam* לְפָנָי *πρὸ προσώπου μου, coram facie meâ*, seu coram me. Confer Matth. 11:10. Marc. 1:2.

Referunt quidam huc Actor. 9:19. *Cum venerint tempora refrigerii ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου, à facie Domini*, h. e. coram Domino, jam in majestate sua apparente, & credentes glorificante beatissimo sui conspectu &c. 2 Thess. 1: vers. 19. aliter hæc phrasis videtur usurpari de impiis & damnatis: *Qui pœnas sustinebunt, interitum æternum ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου, à facie Domini*, scil. abjecti &c. Vel etiam, *coram Domino*, quem scil. cum tremore ineffabili in judicio conspicient in majestate sua, Matth. 25:31, 32. Apoc. 1:7. & ab illo, utpote judice severissimo, æternis adjudicabuntur pœnis.

## Canon VIII.

*Præpositio EX, motum ex loco, vel materialem causam significans, aliis etiam modis usurpatur.*

ALiqua saltem notabilia adferemus.

### 1. EX pro A; de causa efficiente.

Matth. 1:20. *Quod in ea natum est, ἐκ πνεύματος ex Spiritu sancto est*, h. e. à Spiritu. Confer Luc. 1.35.

Joh. 6:65. *Propterea dixi vobis, quòd nemo potest venire ad me, nisi fuerit datum ipsi ἐκ τοῦ πατρός μου, ex Patre meo*, h. e. *παρὰ τοῦ πατρὸς, à Patre*, ut vers. 45. exponitur.

Joh. 18:3. *ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ Φαρισαίων, ex Pontificibus & Pharisæis*, h. e. ab illis.

Rom. 11:36. *ἐκ αὐτοῦ ex ipso* (DEO) *sunt omnia*, h. e. ab ipso.

1 Cor. 10:4. *Bibebant ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθήσης πέτρας, ex spirituali eos comitante petrâ*, h. e. bibebant seu potum accipiebant ab illa spirituali petra, *quæ Christus est*, ibid. Notatur aquæ miraculosè productæ auctor & scaturigo, Christus, deducens Israelitas in deserto. Confer vers. 9. Vide hoc de loco Bellarm. l. 1. de Christo c. 4. Junium in parallel. l. 2. Par. 36.

Sic in profanis etiam *ἐκ* usurpatur. Theocr. *ἐκ μουσῶν ἀγαθὸν κλέος ἔρχεται ἀνθρώποις, à Musis illustris fama venit hominibus, ἐκ θεοῦ ἡ νίκη à Deo est victoria.*

### 2. EX pro POST; de tempore completo.

Joh. 13:4. *Surgit* (Jesus) *ἐκ τοῦ δείπνου ex cœna*, h. e. cœnâ jam factâ, seu post cœnam. Finitâ enim jam cœnâ tùm paschali, tùm vulgari, (antequam tertia, sacramentalis inciperet) Christum ex mensa surrexisse, & discipulorum suorum pedes lavisse, ex Euangelistis colligitur. Vide harm. Euang. D. Gerhardi cap. 170. in princ. Significatione illâ præpositio *ἐκ* usurpatur etiam à profanis auctoribus. Eurip. in Hecuba: *ἐκ δείπνου ὕπνος ἡδὺς ἐπ' ὄσσοις κίδναται, post cœnam somnus dulcis oculis inspergitur* Xenoph. *ἐξ ἀρίστου, à prandio*, seu *post prandium*, *ἐκ τούτου* sc. *χρόνου, post hoc tempus, deinceps.*

## 3. Ex, nota praeminentiae.

Praepositio EX, nomini adposita, ἐξοχῆς & praeminentiae cujusdam ipsi significationem quandoque tribuit: seu ἐξαίρετόν τι notat.

Amos 6:4. *Et comedentibus agnos* מִצֹּאן *è grege, & vitulos* מִתּוֹךְ *è medio saginarii*, h.e. agnos optimos è grege, & vitulos optimos ex saginario. Chald. ואכלין פטימין מענא *& comedentibus pingues è grege.*

Drusius huc refert Ps. 28:7. וּמִשִּׁירִי *& ex cantico meo celebrabo eum*, h.e. cantico aliquo eximio & singulari. Item Hag. 1:13. *Nuncius Domini de nunciis Domini.* Sed in vulgata versione ita legitur: in fonte verò aliter, ut alibi dictum.

Phil. 3:5. ἑβραῖος ἐξ ἑβραίων, *Ebreus ex Ebrais.* Loquitur de seipso Paulus. Drusius lib. 4. obser. c. 20. explicat de praeminentia Pauli inter Hebraeos: Confertque praeter superiora, verba Gorionidis Hebraei, hist. Jud. l. 4. cap. 29. *Discipulus è discipulis eorum*, quibus verbis significat, Hircanum Regem discipulum eximium & singularem fuisse inter discipulos Pharisaeorum. cap. 30. *Secundum verbum, quod locutus fuerat discipulis suis sapiens Juda Hasidaus ex Hasidais.* Ibid. praecedit, *ibi erat vir quidam nomine Juda sapiens, is erat ex illustribus inter Hasideus*: quo prior phrasis explicatur. Si simpliciter Paulus hoc vellet, *Ebraeus ex Ebrais parentibus*, bis idem diceret: cùm praecedat, *genere Israelita.* Haec Drusius, qui tamen lib. 7. pag. 289. ita scribit: *Fortè significare* (his verbis Paulus) *voluit, se non esse proselytum. Tales enim Ebrai sunt ex gentibus, non ex Ebrais. Unde quidam per sigla* (Cabbalam, quae dicitur *Rasche Theboth*, initia dictionum) *dictus fuit Bag Bag, quod scribunt* בגבג *& valet,* בֶּן גֵּר בֶּן גִּיֹּרָה *filius proselyti, filius proselyta.* Prior explicatio simplicior; nam proselyti suspicionem removerat vocibus praecedentibus, ἐκ γένους Ἰσραήλ, φυλῆς Βενιαμίν. quod de proselytis dici non poterat.

## Canon. IX.

*Praepositio PER, διὰ, non de solo motu & transitu locali, sed aliis etiam modis diversimodè usurpatur.*

Usurpatur (potiora ut attingantur) haec praepositio.

1. ἐμμέσως, de medio vel via. Luc. 17:11. *Et factum est, dum iret in Jerusalem & ipse transibat διὰ μέσου per medium Samariam & Galilaeam.*

Heb. 11:29. *Fide διέβησαν transierunt mare, ὡς διὰ ξηρᾶς tanquam per aridam.*

2. Ταγματικῶς, de modo vel ordine. Actor. 14:22. διὰ πολλῶν *per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnum coelorum.* 2 Cor. 6:8. διὰ δόξης καὶ ἀτιμίας, *per gloriam & ignominiam.* Ita accipitur, ut cùm dicimus, per campos & per urbem incedere. Describit enim veluti iter difficillimum, quo contendetur ad metam. Beza. Heb. 2:10. *Decebat auctorem salutis διὰ παθημάτων per passiones consummare.* Sic vers. 9.

3. συνεχῶς: de tempore continuato. Heb. 2:15. *Et liberaret eos, qui metu mortis διὰ παντὸς τοῦ ζῆν, per totum vivere*, seu *totam vitam, obnoxii erant servituti.* Sic dicitur, διὰ ἔτους *per totum annum*; διὰ ὅλης νυκτὸς *per totam noctem*; διὰ παντὸς, *semper, in perpetuum*; διαιωνίως *in aeternum* Matth. 26:61. *Possum destruere templum Dei, καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν & triduo aedificare illud.* Christus id dixerat, ἐν τρισὶν ἡμέραις, Joh. 2:19.

Quandoque temporis terminum notat, Marc. 2:1. *Et iterum intravit Capernaum* δι' ἡμερῶν, *post dies aliquot.* Actor. 24:17. δι' ἐτῶν δὲ πλειόνων, *post annos autem plures veni, eleemosynam facturus in gentem meam* &c. Sic apud Budaeum in Epist. διὰ ἐννάτης ἡμέρας ἐπανιὼν, *nono post die reversus.* Plut. διὰ ἔτους τρίτου *post tertium annum.*

4. Ἐνυπαρκτικῶς, de nuda inessentia: seu ponitur *PER* pro *IN.*

Rom. 2:27. *Praeputium judicabit te*, τὸν διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς, *qui per literam & circumcisionem praevaricator Legis es*, h.e. in litera & circumcisione.

Rom. 4:11. *Ut sit Pater omnium credentium* δι' ἀκροβυστίας, *per praeputium*, h.e. in praeputio, seu in statu illo gentilium incircumcisorum.

Rom. 7:4. *Vos quoque mortificati estis legi*, διὰ τοῦ σώματος τοῦ χριστοῦ, *per corpus Christi*, h.e. in corpore Christi. Intelligitur arctissima Christi cum membris communio.

Gal. 4:13. *Scitis, quòd* δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς *per infirmitatem carnis Evangelizavi vobis*, h.e. in imbecillitate.

1 Tim. 2:15. *Salvabitur autem* (mulier) διὰ τῆς τεκνογονίας, *per filiorum generationem*, h.e. in filiorum generatione, in statu illo & conditione durâ, in quâ à Deo post lapsum posita est. Consolatur Apostolus mulieres, contra hanc à Deo impositam poenam (Gen. 3:16.) quòd istâ non impediatur aeterna ipsarum salus.

Heb. 7: 9. διὰ Ἀβραὰμ per Abraham, h.e. in Abrahamo decimatus est etiam Levi.

2 Pet. 3: 5. *Et terra ex aqua, & δι' ὕδατος, per aquam consistens*, h.e. in aqua

Ibid. vers. 12. δι' ἣν per quam (diem Domini) *cœli incensi solventur*, h.e. in qua.

Sic in Sophocl. Tyran. νόμοι οὐρανίαν δι' αἰθέρα τεκνωθέντες, *Leges cœlesti in æthere generatæ*. Apollon. διὰ στόματος ἔχειν in ore habere. Plato; διὰ φόβου γίγνεσθαι, in metu versari. Plutar. διὰ χειρὸς ἔχειν, in manu habere: διὰ τιμῆς ἔχειν ἢ ἄγειν, in honore habere.

Huc pertinet, cùm διὰ pro *Inter* ponitur. Gal. 3: 19. *Lex disposita*, δι' ἀγγέλων inter Angelos; quibus sc. tribuendus tubæ clangor, sonus, fulgura &c.

2 Tim. 2: 2. *Et quæ audivisti à me*, διὰ πολλῶν μαρτύρων, *inter multos testes* &c.

5. αἰτιολογικῶς causaliter & quidem

1. De causa *efficiente principali*. Actor. 3: 16. *Et fides*, ἡ δι' αὐτοῦ, *quæ per ipsum* (Christum) *est, dedit ipsi integram sanitatem istam*, hoc est, quæ ab ipso Christo fuit in ipso accensa. Sic Joh. 6: 57. Rom. 1: 5. c. 5: 2. c. 11: 36. Gal. 1: 1. Ebr. 2: 10. c. 9: 14. 2 Tim. 1: 14. Quò pertinet, cùm διὰ per *filium* dicuntur *omnia esse condita*, Joh. 1: 3. Heb. 1. vers. 2. non enim in agendo ἀνομοιότης, sed personarum divinarum duntaxat ordo hac voculâ innuitur: Sic & ביהוה per *Jehovam* (filium) *Jehova* salvaturum se populum suum ait, Hos. 1: 7.

De causa *ministeriali & instrumentali*. Heb. 2: 2. *Si sermo, qui δι' ἀγγέλων per Angelos dictus est, fuit firmus &c.* Intelliguntur sermones & revelationes, quas Deus per angelos ministros suos olim in V. T. exposuit: et comparantur cum sermone Euangelico, quem Christus N. T. μεσίτης docuit & miraculis confirmavit. Vide & 2 Tim. 1: 6. Sic in profanis auctoribus. Diodor. lib. 19. διὰ τῶν κριῶν ἐσάλευσε τὰς πύργους &c. *arietibus concussit turres*. Plut. διὰ χειρῶν προσενεχθεὶς ταῖς θύραις *manibus ad januam deportatus est*. Sic διὰ μαχαιρῶν πολεμίζειν, *gladiis pugnare*.

3. De causa *materiali*. In sacris literis exemplum hactenus non occurrit. In profanis autem res plana est. Athenæus: βρώματα διὰ γάλακτος καὶ μέλιτος γινόμενα, *edulia, quæ è lacte & melle conficiuntur*. Galen. διὰ ῥοφημάτων θρέψαι, *sorbitiunculis alere*. Plut. δι' ἀλφίτου πεποιημένος, *ex farina confectus*.

4. De causa *formali* seu modo. Rom. 5: 18. *Sicut* δι' ἑνὸς παραπτώματος, *per unius delictum in omnes homines* (propagatum est malum) *ad condemnationem: ita & δι' ἑνὸς δικαιώματος per unius justificationem* (propagatur bonum) *in omnes homines ad justificationem vitæ*. Describitur forma & modus tùm propagationis mali, tùm restitutionis boni in mundo. Sic apud Xenoph. διὰ πένθους τὸ γῆρας διάγειν, *cum luctu vel in luctu senectutem degere*.

5. De causa *finali*. Rom. 4: 5. *Mortuus est Christus* διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν, *propter peccata nostra, & resurrexit* διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν, *propter justificationem nostram*. Rom. 6: 4. *Ut sicut suscitatus est Christus ex mortuis* διὰ τῆς δόξης *in gloriam* seu *propter gloriam Patris: ita & nos in nova vita ambulemus*. Conf. v. 10: 11. 1 Tim. 4: 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi* διὰ προφητείας *per prophetiam*, h.e. ad vel propter prophetiam. Heb. 1: 9. διὰ τοῦτο, *propter hoc unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ &c.* h.e. in hunc finem plenitudinem Sp. accepisti, ut ea præstes, quæ in præcedentibus Psalmi 45. verbis prædicantur. In Hebræo respondet ei עַל־כֵּן *propterea* vers. 8. quod ipsum de finali causa explicandum.

Sic apud Nazianz. δι' ἡμᾶς τὴν ἀνθρωπότητα θεὸς ὑπέστη, *nostri causâ*, seu *propter nos Deus humanam naturam subiit*. Plut. διὰ λόγων ἐλθεῖν, *venire ad colloquium*.

a Observandum cumprimis, *in causa justificationis nostræ*, de omni causarum genere præpos. διὰ per Scripturam uti. (1.) De causa *efficiente primariâ*, quæ gratia Dei est. Gal. 1: 15. *Deus vocavit me* διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ, *per gratiam suam*, Rom. 3: 24. in Vulg. Lat. extat; *justificati gratis per gratiam ipsius*. Sed in Græco est, τῇ αὐτοῦ χάριτι. (2.) De causa *meritoriâ*, Rom. 3: 24. *Justificati* διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως *per redemtionem, quæ est in Christo Jesu*. Sic, c. 5: 1, 19. Ephes. 1: 7. c. 2: 18. (3.) De causa *impellente* Rom. 4. ult. *Traditus est Christus* διὰ τὰ παραπτώματα, *propter peccata nostra*. Hæc enim moverunt ipsum, ad subeundam passionem & mortem ignominiosissimam. Ubi tamen & notatio causæ finalis subest (ut antè dictum:) propter peccata enim expianda Christus mortuus est. Omnis enim causa finalis simul impellens est ad agendum. (4.) De causa *instrumentali* ex parte Dei Actor. 21: 19. *narrabat, quæ Deus fecisset in gentibus* διὰ τῆς διακονίας αὐτοῦ, *per ministerium ejus*. 1 Cor. 4: 15. *In Christo Jesu* διὰ τοῦ εὐαγγελίου *per Euangelium ego vos genui*. Sic Ephes. 3: 6. Tit. 3: 5, 6. (5.) De causa *instrumentali* ex parte nostra, seu de fide salvifica, apprehendente gratiam Dei in Christo per verbum veritatis. *Rom. 3: 22. justitia Dei* διὰ πίστεως *per fidem Jesu Christi* vers. 25. *Quem proposuit Deus propitiationem* διὰ τῆς πίστεως, *per fidem in sanguine ipsius*. Sic Ephes. 3: 12, 17. Col. 2: 12. Heb. 11: 33. 1 Pet. 1: 5. &c. (6.) De causa *formali*, seu de peccatorum remissione. Rom. 3: 25. διὰ τὴν πάρεσιν *per remissio-*

a διὰ in negotio justificationis nostræ usurpatum.

*missionem praecedentium delictorum &c.* (7.) De causa *finali*. 2 Pet. 1: 3. *Per agnitionem illius, qui vocavit nos*, διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς *ad gloriam & virtutem*. Vocat nos Deus *ad gloriam suam*, Rom. 9: 23. c. 15: 7. 1 Thess. 2: 11. vocat & *ad virtutem*, ut sequitur v. 5. & ita gloria *vitae* respondet; virtus *pietati*; quae duo paulò antè proposuerat Apostolus.

a Bellarmini effatum.

a Ex his igitur patet, quid de effato Bellarmini sit sentiendum, cùm probaturus, *fidem justificare, non σχετικῶς, sed ἁπλῶς, non Christum amplectendo, sed justificationem promerendo & inchoando*, lib. 1. de justif. c. 17. sic loquitur: *Si in omnibus aliis locis Per significat causam* (meritoriam) *cur non etiam causam significabit, cùm homo dicitur justificari per fidem?* At de latitudine significationum voculae *PER*, ex dictis satis liquet.

## Canon X.

*Praepositio TRANS, Hebr.* עֵבֶר, *Graece* πέραν, *non semper ulteriorem partem loci significat, sed & citeriorem, adeoque etiam vicina & proxima citerioris partis loca.*

Junius parall. 1: 14. *Significat* עֵבֶר *apud Hebraeos omnem tractum, qui fluvio alluitur, aut interfluente aquâ dirimitur, sive tractus sit ille citerior, sive ulterior. Sic & Graeca vox* πέραν &c.

Deut. 1: 1. *Haec sunt verba, quae locutus est Moses ad omnem Israelem*, בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן *cis Jordanem*. Moses enim Jordanem nunquam transiit. Sic Jos. 1: 14.

Esa. 9: 1. *Terra Zabulon & terra Naphtali &c viâ maris*, עֵבֶר הַיַּרְדֵּן *secundùm Jordanem*, Sic Matth. 4: 15. πέραν τοῦ Ἰορδάνου. Habitâ Judaeae ratione, Galilaea utraque est cis Jordanem, ut Chorographia ostendit.

Matth. 14: 22. *Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, & praecedere se* εἰς τὸ πέραν. Marc. 6: 45. exprimitur simul locus, quo jussit Christus suos discipulos sibi praeire, nempe *Bethsaida*. At eremus & Bethsaida atque Capernaum ad idem latus sunt sitae. Igitur πέραν non *trans* (uti suprà Matth. 8: 28.) sed *citra* significat, remotiorem scil. citerioris partis locum. Ita Casaubonus.

Marc. 10: 1. *Venit Jesus in fines Judaeae* διὰ τοῦ πέραν Ἰορδάνου, h. e. iter faciens *secundùm Jordanem*; neque enim trajicere Jordanem fuit necesse. Ita Casaub. qui addit, quòd regio secundùm Jordanem *Peraea* vocata fuerit, teste Plinio, ut etiam διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου exponi fortasse possit, διὰ τῆς Περαίας. Commodiùs, ut videtur, Beza vertit, *per regionem, quae est trans Jordanem*. Describitur enim non situs Judaeae (neque enim Jordanes medius fuit inter Judaeam & Galilaeam) sed iter, quo Dominus in Judaeam venit, trajecto vid. Jordane, per regionem, quae Peraea dicitur, cùm posset per Samariam, non trajecto lacu, in Judaeam pervenire, & sic parallelus locus Matth. 19: 1. etiam explicandus, ubi simpliciter dicitur, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, quod Beza vertit, *tracto Jordane*, ob allatam rationem.

b Bethabara.

b Johann. 1: 28. *Haec in Bethabara facta sunt*, πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *penes Jordanem*; *ubi Johannes baptizabat*. Duplex hujus loci lectio est. Quaedam exemplaria legunt *Bethabara*, & ita accuratiores codices habuisse, testatur Theophylactus. Alia verò legunt *Bethania*, quam lectionem vulgata versio habet, & sequitur eam Syrus interpres cum Nonno: item Regia Biblia. Et sic in omnibus vetustis codicibus legi, annotat Beza. Existimat Casaubonus, hanc posteriorem esse antiquiorem; alteram autem (*in Bethabara*) ab iis esse profectam, qui Chrysostomum secuti, locum censuerunt esse emendandum, cùm Bethania non sit πέραν τοῦ Ἰορδάνου, trans Jordanem, sed cis Jordanem. Verùm observare eos debuisseat, πέραν ex Hebr. idiotismo non semper ulteriorem ripam, sed simpliciter τὴν παραποτάμιαν notare. Ergò & hîc, & Joh. 10: 40. commodè posse verti, *secundùm Jordanem*. Et sanè (inquit) praedicavit Johannes in eremo Judaeae sic propriè dictae, cujus fines ultra Jordanem non pertinebant. Nam in eo tractu patrem Zachariam habitasse, rectè docti viri annotant ad Luc. 1: 40. Ideò etiam dicuntur, qui ad Jordanem veniebant, venisse ἐπὶ τὸν Ἰορδάνην, nusquam factâ trajecti ab eis Jordanis mentione. Haec ille. Caeterùm *Bethabaram* etiam non ultra, sed cis Jordanem fuisse sitam, ex Jud. 7: 24. constat, ubi ejus in tribu Ephraim fit mentio, & sic cis Jordanem, ut ita πέραν, *citra* seu παραποταμίαν notet, etsi lectio altera, quae Bethabara habet, acceptetur. Significat *Bethbara* seu *Bethabara* domum transitus, seu locum trajectus, quòd ibi fluvius Jordanes trajiceretur, atque filii Israel ex Aegypto in terram Canaan tendentes, per locum illum (miraculosè siccato flumine) transierint. Et hinc iste locus Baptismi Johannis administrationi perquam videtur convenire. Barradius conciliationem instituere conatur, dicit enim locum hunc fuisse binominem, & *Bethabara* & *Bethania* dictum. Cui adstipulatur Chr. Adrichomius in theatro terrae sanctae: qui tamen Bethabaram, ubi Johannes baptizabat, trans

Jorda-

Jordanem collocat (uti & Buntingus in itiner. Script. sacr. N. Test. pag. 10.) & ab illa, de qua Jud. 7: 24. quæ cis Jordanem sita, diversam esse statuit. Hæc de πέραν. Pertinet huc verbum διαπερᾶν. Matth. 14: 34. καὶ διαπεράσαντες ἦλθον εἰς τὴν γῆν Γεννησαρέτ. De qua voce Casaub. in not τὸ πέραν ℣. 22. *non est accipiendum de altera ripa lacus Genesaretici, ita h. l. διαπερᾶν non est trajicere, sed διαπλεύσαι & διανύσαι τὸν πλοῦν, pernavigare & perficere navigationem.*

## Canon XI.

*Præpositio POST, quandoque ad locum, quandoque ad tempus designandum refertur: & ratione utriusque singulare quid observandum.*

1. אַחֲרֵי *post*, de loco si accipiatur, quandoque pro *nomine* usurpatur.

1 Reg. 14: 10. *& removebo seu tollam* אַחֲרֵי *post domum Jerobbam*, hoc est, asseclas domus Jerobhami. Sic cap. 16: 3. Quidam ellipsin statuunt participii, *euntes*: Post domum Jerobhami, scil. euntes. Res eodem redit.

Hos. 5: 8. *Clangite buccina Gibea, tubâ Rama; vociferamini Bethaven,* אַחֲרֶיךָ *post te, Benjamini*, hoc est, posterior te, ô Benjamin, scil. clangat. Sensus est: Jehuda quoque ad bellicas clades perferendas seipsum comparet, qui post regionem tuam habitat. Quamobrem de Israele agitur ℣. 9. & de Juda ℣. 10.

Sic & ferè accipi videtur vox ista Jud. 5: 14. אַחֲרֶיךָ *ex post te* (repetenda enim ex membro præcedente particula מ *ex*) *Benjamin inter populos tuos*, hoc est, ex sequentibus te Benjaminitis &c. Ut sit apostrophe ad Deum, quâ Benjaminis reliquias servatas ab excidio ejus tribus (cap. 19. seqq. quæ historia temporis ratione prior est eâ, quæ cap. 4. & 5. describitur) paucitate suâ non impeditas fuisse docet, quo minus in populis Dei numerarentur, id est, unam tribum efficerent; Deumque secuturæ essent. Ita Junius.

2. Μετὰ, *post*, de tempore si accipiatur, quandoque pro *intra* accipitur: seu ultimam temporis partem (quam notat) non semper planè exactam & præteritam esse significat. Alii: μετὰ non semper declarat consequens tempus, sed quandoque interjectum & adhuc vigens.

Deut. 14: 28. מִקְצֵה *à fine trium annorum depromito omnes decimas proventus tui illo anno, & relinquito intra portas tuas.* LXX. μετὰ τρία ἔτη, *post tres annos*, hoc est, quovis tertio anno, seu intra tres annos. Tertio enim anno hoc fieri debebat, ut ex cap. 26: 12. apparet, ubi explicatiùs dicitur, בַּשָּׁנָה הַשְּׁלִישִׁת ἐν τῷ ἔτει τῷ τρίτῳ.

Deut. 31: 10. מִקֵּץ *à fine septem annorum &c.* LXX. μετὰ ἑπτὰ ἔτη, *post septem annos*, hoc est, septimo anno, qui annus intermissionis est, ut sequentia declarant. Dissentiunt hîc Rabbini Interpretes, qui annum *octavum*, & ita primum sequentis שְׁמִטָּה seu hebdomadis annalis annum intelligunt.

Jos. 9: 16. *Et fuit* מִקְצֵה *à fine trium dierum &c.* LXX. μετὰ τρεῖς ἡμέρας, hoc est, ἡμέρᾳ τρίτῃ, *tertia die*, quæ explicatio ℣. 17. clarè extat.

2 Reg. 18: 10. *Et cepit eam* (Samariam) מִקְצֵה *à fine trium annorum* (LXX. εἰς τέλος τριῶν ἐτῶν) seu *post tres annos*: hoc est, ipso tertio anno; nam anno Hoseæ septimo obsedit eam, ℣. 9. & nono anno expugnavit, ut ℣. 10. & cap. 17: 5. dicitur.

Jerm. 34: 14. מִקֵּץ *à fine septem annorum*, seu *post septem annos dimittitote quisque fratrem suum &c.* LXX. ὅταν πληρωθῇ ἔτη. Ipso anno septimo servi erant dimittendi Exod. 21: 2. Deut. 15: 12. igitur inclusivè hoc intelligendum; exactis sex annis, & initio septimi, uti statim explicatio subjicitur.

De Hebræa locutione isthac quidam sic statuunt, quòd *cardinalis* numeri vox in *ordinalem* mutanda, & per קֵץ non *terminus ad quem*, sed *terminus à quo* illius temporis sit intelligendus. E. G. Jerem. 34: 14. מִקֵּץ *à termino septem annorum* h. e. in termino septimi anni, videlicet *termino à quo*, seu in initio septimi anni, ineunte septimo anno. Sed hoc durius est. קֵץ *finem & extremum* notat, & sic terminum ad quem, si de tempore sermo sit. Flacius de locutione ista Hebræa rectiùs sic loquitur, part. 1. clav. pag. 931. *Observanda est cumprimis Hebræa præpositio* מִקֵּץ *à fine: quæ cùm etiam magis videatur excludere præcedens tempus, quàm vel Græca μετὰ, vel Latina post, ut quæ dicat, post finem tot dierum, ipsumque etiam finem excludere videatur, nihilominus non rarò includit illud: multo magis Latina & Græca.*

In Nov. Test. Matth. 27: 63. μετὰ τρεῖς ἡμέρας, *post tres dies resurgam*, hoc est, die tertiâ, ut ℣. 64. explicatio sequitur. Sic quod Marc. 8: 31. Christus eâdem phrasi dicit, μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι: id Matth. 16: 21. ita exprimitur, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι. Alii μετὰ τρεῖς ἡμέρας ita explicant, ἐν τρισὶν ἡμέραις, vel διὰ τριῶν ἡμερῶν, vel εἰς τρίτην ἡμέραν: & ut Latini loquuntur, *tertio post die*, vel *tribus post diebus*.

Huc referunt etiam hæc. Luc. 2: 46. *Et factum est ;* μεθ' ἡμέρας τρεῖς *post dies tres invenerunt ipsum in templo*, hoc est, die tertiâ, posteaquam redire cœperunt ad quærendum Jesum.

Luc. 22: 20. *Similiter & calicem*, μετὰ τὸ δειπνῆσαι, *post cœnandum*, vel *post cœnam*, hoc est, inter cœnandum, ut Matth. 26: 26. dicitur, ἐσθιόντων αὐτῶν *comedentibus ipsis*. Sed quia sacra cœna à Christo instituta est finitâ cœna & paschali & vulgari, ut probatum firmiter dari potest: igitur μετὰ τὸ δειπνῆσαι transactam jam & finitam cœnam, tùm paschalem tùm vulgarem, denotare dicendum: & in voce à Matthæo usurpatâ, ἐσθιόντων, conciliatio inter hæc duo quærenda est. Illud enim *participium aoristi secundi* est, ab ἐσθίων (sicut πιών à πίνω formatur) in aor. 2. indicat. ἤσθιον. Significationem igitur præteriti habet, *cùm comedissent illi*. Hoc observavit Jos. Scaliger lib. 6. de emend. temp. pag. 272. & approbat D. Gerh. in harm. Euang. part. 2. cap. 171. pag. 1489.

Quidam usum hunc particulæ μετὰ, quo *intra* significat, etiam ex profanis auctoribus eruunt. Hom. ὀδ. χ. μνηστῆρας δειδόμενος μετὰ δαῖτα, hoc est, ἐν δαιτί, seu μεταξὺ δαιτὸς aut παρὰ δαῖτα, *inter prandendum*, seu *in prandio*. Eurip. Bacch. τὰ δ' ἱερὰ νύκτωρ ἢ μεθ' ἡμέραν τελεῖς, *post diem*, id est, *interdiu*.

## Nota.

a Tempus completum incompletè explicandum.

a OCcasione præpositionis μετὰ, de tempore usurpatæ, de alio etiam sermonis idiotismo, præsenti scopo conformi, agendum. Quandoque enim de completo jam tum tempore oratio sonat, quæ tamen de incompleto intelligi debet. Sic verbum מלא *impletus fuit*, Hebræis usurpatur, cùm agitur de certo temporis præscripti spatio, quod tamen non est prorsus expletum, sed cujus ultimus dies vel annus advenit. Veluti si *intra decem dies* me facturum aliquid promisero, statim post novem exactos dies ineunte decimo, dicerentur ab Hebræis *decem dies* completi, hoc est, decimus dies advenisse. Annotat hoc Beza in Act. 2. & exemplum adfert ex Jerem. 25: 12. ubi de reditu Israelitarum dicitur כמלאות *cum impleti fuerint septuaginta anni*; cùm tamen anni ipsius septuagesimi initium significetur, quo liberari sint Israelitæ, ut ex chronographicis liquet. Nota; dicit Beza haberi in Hebr. ב, respondens Græco ἐν, & legit במלאות ἐν τῷ συμπληροῦσθαι. Sed & in Hebræo כ est כמלאות quod & nota Masorethica confirmatur, quæ ter hanc vocem in scripturis legi ostendit, bis deficiente ¹, nempè 2 Reg. 4: 6. Ezech. 5: 2. & semel cum ¹, Jerem. 25: 12. Idem tamen sensus est: nam præfixa ב & כ infinitivis addita, significatione conveniunt, ut in doctrina præfixorum dicetur.

Alii exemplum adducunt ex Gen. 25: 24. *Et impleti sunt dies ejus ad pariendum*: quæ phrasis etiam Luc. 1: 57. cap. 2: 6. reperitur. Sed de solida impletione hoc dicendi genus intelligendum: neque enim dicitur, impletum quoque ipsum tempus partus esse; sed dies illos, qui à Deo & natura usque ad partum destinati sunt.

In Nov. Test. hæc occurrunt exempla Luc. 2: 21. καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ, *& postquam completi sunt dies octo, ut circumcideretur puer*, hoc est, cùm exactis septem diebus octavus dies advenisset. Octavo enim die circumcisio fiebat, ut ex Levit. 12: 3. Luc. 1: 59. constat.

Luc. 9: 51. *Factum est autem*, ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ, *cum completi essent dies assumtionis ejus*, hoc est, cùm tempus illud instaret.

Act. 2: 1. καὶ ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς *& cùm compleretur dies Pentecostes*, hoc est, cùm advenisset illa dies, ut Beza reddit.

## Canon XII.

*Præpositio Hebræa* על *super, latissimè patet, & variis modis usurpatur.*

I. SUPER, propria ejus significatio. Est enim ab עלה *ascendit*. Ita verò exprimit

*Tùm Locum*. Jerem. 22: 26. *Et projiciam te & matrem tuam, quæ peperit te*, על הארץ אחרת *super terram aliam* &c. Usitatior verò hac significatione est מעל *super, suprà, supernè*. Gen. 22: 9. *Et posuit ipsum super altare* ממעל לעצים *supernè super ligna*. Sic 1 Reg. 8: 23. &c.

Pertinet huc, cum על de vestibus vel armis usurpatur, quæ dicuntur esse *super homine*, quia superficiem ejus tegunt. Exod. 28: 35. *Et erit* (vestis sacerdotalis) על אהרן *super Aharone, ad ministrandum* &c. Sic 2 Sam. 18: 28. 1 Reg. 11: 30. &c.

*Tùm statum*, præeminentiæ scil. super alios. Gen. 41: 33. *Et nunc provideat Pharao de viro prudenti & sapienti, & ponat eum* על ארץ *super terram Ægypti*. Sic. ℣. 40. Psalm. 2: 6. *Et ego unxi Regem meum* על ציון *super Zionem sanctitatis meæ*. Confer ℣. 8.

Nehem.

Nehem. 12:8. עַל־הֻיְּדוֹת *super hymnos, ipse & fratres ejus*, hoc est, præerat laudibus divinis; erat præcentor.

Huc pertinet, cum עַל *victoriam* exprimit, quâ quis superemineat aliis.

Jud. 16: 9, 12, 14. Philistidi עָלֶיךָ *super te, Simson*: hoc est, supereminent tibi; jam jam te vincent & vincent.

2 Sam. 23: 8. עַל־שְׁמֹנֶה מֵאוֹת *super octingentos is erat*, hoc est, eos debellando vicit.

2. *JUXTA*. Genes. 1: 20. *Et volatile volet* עַל־הָאָרֶץ *super terram* (hic prima obtinet significatio) עַל פְּנֵי רְקִיעַ *juxta* vel *ad expansionem cælorum*. Non enim super ipsum cœli firmamentum aves volitant. Potest & *versus* reddi juxta sequentem significationem.

Genes. 16: 7. *Et invenit eam Angelus Domini* עַל־עֵין *juxta fontem aquarum*.

Exod. 14: 9. *Et apprehenderunt eos castra metantes* עַל־הַיָּם *juxta mare*.

Psal. 1: 3. *Et erit sicut arbor plantata* עַל־פַּלְגֵי *juxta rivos aquarum &c.*

Amos 9: 6. *Fasciculum suum* (hoc est, mare omnium aquarum colluviem Genes. 1: 10. confluxum & qs. conceptaculum) עַל *juxta terram fundavit*, nempe ut aqua & terra unum globum constituant; sic ut vice versâ terra עַל *juxta mare fundata* dicitur Psal. 24: 2. Loquitur de opere creationis magnifico. Videatur D. Tarnov. in h. l. Alia exempla videantur Gen. 24: 6. cap. 29: 2. Exod. 2: 15. Job. 1: 14. Psal. 137: 1. Zach. 4: 3, 14. Sic ἐπάνω videtur accipi Luc. 4: 39.

3. *VERSUS*. Gen. 19: 28. *Et respexit* (Abraham) עַל־פְּנֵי סְדֹם *versus Sodomam & Gomorrham*, וְעַל־כָּל־ *& versus omnem terram planitiei &c.*

Exod. 9: 22. *Et dixit Jehova ad Mosen; extende manum tuam* עַל־הַשָּׁמַיִם *versus cælum &c.* ℣. 8, 10. per ה locale id exprimitur, הַשָּׁמַיְמָה *ad cælum, cœlum versus*. Ita & עַל usurpatur cap. 10: 12, 22. Item cap. 7: 19. &c.

4. *AD*. Genes. 38: 12. *Et ascendit* (Juda) עַל־גֹּזְזֵי *ad tonsores gregis sui &c.*

Jos. 2: 7. *Et viri illi persecuti sunt eos viâ ad Jordanem*, עַל־הַמַּעְבְּרוֹת *usque ad transitus*. Alii, *per vada singula*, ob pluralem numerum.

Exod. 20: 26. *Neque ascendito per gradus* עַל־מִזְבְּחִי *ad altare meum*. Molli & acclivi ascensu ad illud accedebatur: cum trium cubitorum fuerit altitudine, cap. 27: 1. Salomonis verò, cubitorum decem, 2 Paral. 4: 1. *Et descendisse* dicitur Aharon, ab altari discedens, Levit. 9: 22. qui vers. 7, 8. dicitur accessisse אֶל־הַמִּזְבֵּחַ *ad altare*.

Psal. 18: 41. *Clamant* (hostes mei) *& non est Salvator;* עַל־יְהוָה *ad Dominum, & non respondet eis*. ℣. 7. per אֶל hoc exprimitur.

Esa. 22: 15. *Sic dixit Jehova Deus exercituum: Ito & veni* אֶל־הַסֹּכֵן הַזֶּה עַל־שֶׁבְנָא *ad præfectum aulæ istum, ad Sebnam*: &c. Utraque præpositio אֶל & עַל h. l. est ejusdem significationis.

5. *CORAM*. Ita accipitur, si cum פָּנִים construatur. Exod. 20: 3. *Non sint tibi Dii alieni* עַל־פָּנָי *coram me*. Propriè est, *ante faciem meam*: seu *coram facie meâ*. Quâ phrasi omnis, etiam occultissima cordis idololatria prohibetur. Nam si vel sola cogitatione adhibetur Deus alienus, ante faciem Jehovæ id est, cui etiam intima cordium sunt perspecta & explicata.

Deut. 21: 16. *Non potest primogenitum constituere filium dilectæ*, עַל־פְּנֵי *coram filio exosæ primogenito;* vel in conspectu filii &c.

Psalm. 9: 20. *Judicentur omnes gentes* עַל־פָּנֶיךָ *coram Te*.

Zach. 4. ult. *Illi duo sunt filii olei, stantes* עַל־אֲדוֹן *coram Domino totius terræ*. Ubi sine פָּנִים ista est significatio.

6. *IN*. 2 Par. 1: 1. *Et roboratus est Salomo filius Davidis* עַל־מַלְכוּתוֹ *in regno suo*. Ps. 22: 11. עָלֶיךָ, *In te rejectus sum ex utero*, hoc est, totus curæ fideique tuæ, ab utero inde commissus. Confer Psal. 55: 23.

Esa. 38: 20. *Odas meas pulsabimus omnibus diebus vitæ nostræ* עַל־בֵּית יְהוָה *in domo Domini*.

Ezech. 36: 11. *Et multiplicabo* עֲלֵיכֶם *in vobis homines &c.* Sic Jon. 4: 12.

7. *EX*. Exod. 23: 13. *Nomen Deorum alienorum ne recordemini; non audiantur* עַל־פִּיךָ *ex ore tuo*.

Jerem. 7: 31. *Quod non præcepi, & non ascendit* עַל־לִבִּי *ex corde meo*. Sic cap. 32: 35.

Ezech. 20: 32. *Et quod ascendit* עַל־רוּחֲכֶם *ex spiritu vestro, minimè omnium futurum est*, hoc est, non succedent cogitationes vestræ, plurimum aberitis à vestris rationibus.

Ezech. 38: 10. *Et erit in die illa, ascendent verba* עַל־לְבָבֶךָ *ex corde tuo*; sequitur ἐξηγήσεως causâ, *& cogitabis cogitationem pravam*.

8. *ERGA*. Gen. 19: 16. *In clementia Jehovæ* עָלָיו *erga eum*. Sic 1 Sam. 20: 8.

Psalm. 4: 7. *Attolle* עָלֵינוּ *erga nos lucem faciei tuæ, Domine*. Denotatur gratia DEI erga credentes. Num. 6: 25, 26. per אֶל *ad* seu *erga*, hoc exprimitur.

9. *CONTRA*. Num. 1: 2. *Et murmuraverunt* עַל־מֹשֶׁה וְעַל־אַהֲרֹן *contra Mosen & Aaronem*.

Psalm. 2: 2. *Ineunt consilium pariter* עַל־יְהוָה וְעַל־מְשִׁיחוֹ *contra Dominum & contra Messiam ejus*. Sic Psal. 3: 2.

Psalm. 16: 2. *Dixisti* (scil. ô anima mea, quod

quod Chaldæus supplet, est enim verbum fœm. generis. *Domino: Dominus meus es tu, bonum meum non* עָלֶיךָ *contra te est*, q. d. quod ego in officio meo præsto, non repugnat voluntati tuæ, sed potius ita in consilio tuo æterno decretum, & mihi injunctum est. Tuâ, pater, εὐδοκίᾳ & jussu ago, quodcunque ago, & proinde omne illud bonum est. Lutherus commodè vertit: **Ich muß umb deinet willen leiden**; propter te patiendum, quia nimirum ita voluisti & decrevisti: Voluntate tuâ in tanta mala perveni: igitur voluntas tua sit etiam, ex his me eripere, ut ita summum malum, in quo constitutus sum, fiat summum bonum & felicitas, tam mihi, quam Ecclesiæ meæ. Sunt enim verba patientis Christi. Alii עַל quarto significatu, paulò ante exposito, accipiunt, sensu hoc: *Bonum meum non* עָלֶיךָ *ad te*, sc. pervenit vel pertingit, q. d. non reddit te beatiorem; tu posses illo carere, quippe qui שַׁדַּי αὐτάρκης, per te es beatissimus. Cui versus sequens ἀντιθετικῶς respondet: *Sed* (bonum seu beneficium meum contingit) *sanctis, qui in terra sunt*. D. Brentius: *Obedientiâ meâ non indiges*, sed sancti. Nomine *bonitatis* obedientiam suam Christus intelligit, patri præstitam. Sed prior interpretatio simplicior est.

Esa. 2:12. *Quia dies domino exercituum* עַל־כָּל *contra omnem elatum & excelsum &c.* Sic in seqq. decies usurpatur hac significatione.

Jon. 1:11. *Ut mare conticescat* מֵעָלֵינוּ *à contra nos* hoc est, ab infestandis nobis. Sic ℣. 12.

Ita ferè usurpatur, cùm vel *peccatum*, vel *ejus reatus* ac pœna dicitur esse עַל *super aliquo*: tùm enim maledictio, quam contra peccatorum lex Dei vibrat, innuitur. Ez. 33:10. *Vos dicitis, peccata nostra & transgressiones nostræ* עָלֵינוּ *super nos*, vel *contra nos* sunt: accusantes sc. nos, & iræ Dei obnoxios reddentes. Gen. 27:13. עָלַי *super me* vel *contra me sit maledictio tua, fili mi*: q. d. si tibi parens maledixerit, id contra me erit, seu me tanget: ego feram. Sic Jon. 1:14.

Huc usque significata voculæ עַל quæ *locum*, eique analogon quid, exprimunt. Sunt verò insuper & alia. Denotat enim

10. *CAUSAM*. Et vertenda est, *PROPTER*. Gen. 26:7. *Ne fortè occidant me viri hujus loci* עַל־רִבְקָה *propter Rebeccam*.

Gen. 43:18. *Et dixerunt;* עַל־דְּבַר *propter negocium argenti, quod reversum est in saccos nostros, adducimus &c.* Sic Gen. 37:8. 2 Sam. 1: ℣. 26. Psal. 7:8. Psal. 44:23. Jerem. 15:15. Amos 1:3. cap. 2:6.

Quandoque vertenda est, *PRO*. Lev. 4:3. *Offeret* עַל־חַטָּאתוֹ *pro peccato suo, quod peccavit, juvencam &c.* vel etiam *propter peccatum* scilic. expiandum.

Neh. 4:14. (al. 8.) *Et pugnate* עַל־אֲחֵיכֶם *pro fratribus vestris*.

Aliâ ratione causam denotat, reddenda, *IN* vel *SUPER* Gen. 16:5. *Et dixit Sarai ad Abram: Injuria mei* עָלֶיךָ *super te*, vel *in te* est, hoc est, injuriæ, quam patior, tu causa es: quòd videlic. insolentiam ancillæ non satis corrigis. LXX. ἀδικοῦμαι ἐκ σοῦ.

Jerm. 51:35. *Injuria, quæ fit mihi & carni meæ* עַל־בָּבֶל *super Babel, dicit habitatrix Zionis, & sanguis meus* אֶל־יֹשְׁבֵי *in habitatores Chaldææ dicit Jerusalem*, hoc est, Babylonii & Chaldæi causa sunt, & illis imputabunt Zion & Jerusalem injurias ac cædes, quas passæ sunt.

Denotat & causam *instrumentalem*. Genel. 27:40. וְעַל־חַרְבְּךָ *& ex gladio tuo vives*, hoc est, hostibus cinctus, militarem & inquietam vitam ages. Loquitur autem de Esavi posteritate.

Ezech. 4:15. *Dedi tibi stercora boum pro stercoribus humanis, & facies panem tuum* עֲלֵיהֶם *cum eis*. In ℣. 12. præfixo בְּ hac significatione erat usus.

11. *Objectum*. Et vertenda est, *DE*. Genes. 41:15. *Et ego audivi* עָלֶיךָ *de te dici, te esse intelligentem somnii, ut illud interpreteris*. LXX. περὶ σοῦ. Ibidem ℣. 32. וְעַל הִשָּׁנוֹת *de eo autem quod iteratum fuit somnium Pharaoni, &c.* hoc est, quod attinet illud.

Esai. 2:1. *Verbum quod vidit Jesaiah filius Amoz* עַל־יְהוּדָה *de Juda & Jerusalem*. Sic sæpe in Prophetis. Vide Zach. 12:1. &c.

Joel: 1:3. עָלֶיהָ *De ea filiis vestris narrate &c.* Tale ferè est illud Virgilii 1. Æn. *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa*.

Quandoque nudum nomen sine præpos. exprimendum. Ps. 32:5. *Dixi, confitebor* עֲלֵי פְשָׁעַי *peccata mea Domino*: Vel etiam de peccatis meis.

12. *Comitatum*. Et vertenda est, *CUM*. Exod. 35:22. *Venerunt viri* עַל *cum mulieribus*.

Levit. 2:2. *Et accipiet inde plenum pugillum suum è simila ejus* (muneris) *& ex oleo ejus*, עַל כָּל לְבֹנָתָהּ *cum toto thure ejus &c.* Sic cap. 3:4. עַל־הַכְּלָיוֹת *cum renibus auferet illud*. Sic cap. 4:11. cap. 19:26. 1 Sam. 14:35. Ezech. 25:10. Mich. 7:13. &c.

Esai. 7:2. *Et nunciatum est domui David, dicendo, requiescit Aram* עַל *cum Ephraim*: hoc est, venerunt propè Jerosolyma, ibique castra sua tetenderunt, & quiescunt ibi ad obsidendam urbem. Ita נוּחַ *quiescere* etiam ℣s. 19. accipitur. Chaldæus. *Copulatus est Rex Syriæ* עִם *cum Rege Israelis ad veniendum contra urbem*.

Quan-

Quandoque vertenda est *Ultrâ* Ezech. 7:26. הוה על־הוה *ærumna ultra ærumnam veniet*: seu una calamitas post aliam. Notatur accumulatio ærumnarum ac malorum. Tale est illud Phil. 2. vers. 27. λύπην ἐπὶ λύπην ἔχειν, *dolorem ultra dolorem habere*, quòd supra notatum can. 2.

13. *Debitum* seu obligationem. Jud. 19:20. *Et dixit vir ille senex: pax esto tibi, omnes defectus tuus* עלי *super me est*, h: e. ego me constituo debitorem, aut obligo ad suppeditanda tibi omnia necessaria.

2 Paral. 2:4. *In seculum hoc* על־ישראל *super Israel;* h.e. incumbit Israëli: perpetuò tenebitur offerre sacrificia Domino, propter accepta beneficia. Sic Esr. 10:4. Psal. 56:13. 1 Paral. 9:27. &c.

## *Nota.*

1. Ezech. 9:5. scribi in textu על, & ex Masoretharum notâ legendum esse, אל *non*; quam lectionem sequentia verba confirmant. Contrà אל pro על scribitur alicubi, ut suprà dictum tract. 5. can. 20. §. 2.

2. על quandoque abundat, si scilicet cum מ conjungatur, 2 Regum. 15. vers. 18. *Non recessit* מעל *à peccatis Jeroboami.* Sic 1 Samuel. 6:5. Atque hic pleonasmus in aliis etiam præpositionibus est, cum præfixo מ connexis. 1 Samuel 7:8. מאחר הצאן *ab ovibus.* 1 Regum. 20:36. וילך מאצלו *& discessit ab eo,* Sic 1 Sam. 20:41. &c.

3. על quandoque deest. Psal. 3:8. *Quia percussisti omnes inimicos meos* לחי pro על־לחי *super maxillam*, vel *in maxilla*, quæ particula expressè adjecta est 2 Par. 18:23. Mich. 4:14. &c. Ezech. 12:10. *Sic dixit Dominus*, הנשיא pro על הנשיא *super ducem est prophetia hæc in Jerusalem* וכל *&* (super) *omnem domum Israel, &c.* Chaldæus hanc præpositionem deficientem complet.

## Canon XIII.

*Præpositio Hebræa* תחת sub, subter; *non uno significatu in Scripturis accipitur.*

1. SUB seu SUBTER, propria ejus significatio. Est enim à תחת quod *dejiciendi*, & *prosternendi* significationem habet. Ita verò exprimit

*Tùm* Locum. Exod. 24:4. *Et ædificabit altare* תחת *sub monte.* Chald. בשפולי *in infimis montis.* Sic Deut. 4:11. c. 25. ult.

Sine casu adverbiascit. Gen. 49:25. *Benedictiones abyssi cubantis* תחת *infra.*

*Tùm* Statum, subjectionis scilicet dominii. 2 Reg. 8:20. *Diebus ejus* (Jorami) *defecit Edom* מתחת *de sub manu Juda*, hoc est, defecit à regno Juda, seu ab eâ subjectione ac obligatione, qua regno Judæ obstrictus fuerat. Sic v. 22.

Psalm. 18:40. *Subjicis hostes meos* תחתי *subter me*, hoc est, meo imperio subjicis. Confer vers. 44.

Os. 4:12. *Scortati sunt* מתחת *à sub Deo suo*, h. est, excutiendo jugum Dei sui, ejusque subjectioni se subducendo.

2. Locum ipsum cujuscunque rei denotat. Exod. 16:29. *Manete quilibet* תחתיו *in loco suo*, sequitur: *ne egrediatur quis* ממקומו *ex loco suo, in die septimo.* Sic cap. 10:23.

Jos. 5:8. *Et manserunt* תחתם *in locis suis.* Chald. באתריהון *in locis suis.* Sic c. 4:9.

Jos. 6:4, (al. 5.) *Et cadet murus urbis* תחתיה *in loco suo.* Quidam propriam significationem, *SUB*, retinent, Chaldæum interpretem secuti, qui habet, ויתבלע תחותה *& absorbebitur sub se.* Sic v. 20. Schindl. *Murus absorptus fuit à terra in loco suo. Si enim corruisset, non potuissent præ illo urbem ingredi.* Sed si miraculum hoc (quod & terræ subitam disruptionem, ejusque post absorptos muros reclusionem, ut transiri locus potuerit, includit) fuisset factum, pluribus procul dubio verbis Spiritus sanctus id exposuisset, uti Num. 16. vers. 31, 32. factum. Et mœnia etiam diruta militibus ad irruptionem pervia esse, experientia docet.

2 Sam. 3:12. *Et misit Abner nuncios ad Davidem* תחתו *ex loco suo.* Chald. מאתרה eodem significatu. Sic 1 Sam. 14:9.

Psalm. 47:4. *Adducet populus* תחתינו *in locum nostrum.* Vide tract. 3. de verbo can. 33. §. in tertia &c.

Esa. 25:12. (al. 10.( *Et triturabitur Moab.* תחתיו *in loco suo* seu *regione.*

Jer. 38:9. *Et morietur* תחתיו *in loco suo propter famem.* Sic Job. 34:24. Esa. 46:7. Amos 2:13. Zach. 12:6.

3. *PRO, LOCO, VICE*, significat. Gen. 4. vers. 25. *Posuit mihi Deus semen aliud* תחת *pro Habel, quem occidit Cain.* Vel *vice Abel &c.*

Gen. 30:2. *Et iratus est Jacob contra Rachelem, & dixit,* התחת אלהים אנכי *num pro Deo ego sum?* vel *num loco DEI ego sum?* quasi dicat, possémne ego mihi arrogare, quod solius Dei est? ipse te sterilem reddidit, & solus fœcundare potest. Eadem phrasis ἐρωτηματικὴ occurit Gen. 50:19. *Dixit verò eis Joseph, ne timea-*

*timeatis*: *nam an loco Dei sum ego?* quasi dicat, non est meum mutare divinum decretum, & vobis nocere, quibus Deus prodesse voluit: Servi Dei estis, vers. 17. & ego sum; quapropter ejus consilium utrique spectemus, ut seqq. verbis exponitur. Junius.

Exod. 21: 24. *Et dabit animam* תחת *pro anima*. Sic vers. 25: 26. Jos. 5: 7. Ps. 45: 17.

4. *PROPTER*: *EO QUOD*: Ut causam significet. Prov. 30: 21. תחת שלש *propter tria contremiscit terra*, ותחת ארבע *& propter quatuor, quæ non potest ferre*, q. d. quatuor hæc sunt intolerabilia. Sic v. 22, 23.

Esa. 60: 15. תחת היותך *pro eo quòd fuisti relicta*.

Hac significatione adjicitur aliquando אשר Es. 53. ult. תחת־אשר הערה *propterea quòd effudit in mortem animam suam* &c. Sic Deut. 28: 47.

5. Causam instrumentalem videtur aliquando innuere, sicut ב præfixum usurpatur.

Psalm. 10: 7. *Execratione os ejus* (impii) *plenum est, & fraudulentiâ & dolo*: תחת לשונו *sub lingua ejus molestia & vanitas*, hoc est, lingua suâ molestiam & vanitatem videl. effutit seu proloquitur. Sic Psal. 140: 4. Quidam: *sub lingua ejus*, h. e. in corde, quod sub lingua positum est.

Psal. 66: 17. *Ad ipsum* (Dominum) *ore meo clamavi, & exaltatus est* תחת לשוני *sub lingua mea*, h. e. linguâ meâ, sermone meo. Phrasin illam, ורומם תחת לשוני Junius ac Tremellius in priori editione Bibliorum sic reddiderunt: *& quidem elato eo quod subest linguæ meæ*, hoc est, erecto ad ipsum animo (clamavi ad Dominum) ut sit periphrasis cordis, ut in præcedenti exemplo. Sed in posteriori editione mutatum hoc est, & hæc versio reposita: *Eum ore meo inclamavi, & fui elatus pro sermonibus linguæ meæ*, hoc est, eruptus & evectus fui ex meis calamitatibus, propterea quòd fide inclamavi eum. In Psalm. 10: 7. autem ad priorem versionem lector remittur.

## *Continuatio.*

Hactenus de præpositionibus, quæ terminum motus aut quietis notant, tum locorum, tùm temporis respectu. Sequuntur reliquæ propositionum classes, quæ scilic. *causam*, vel *comitatum*, vel *privationem*, vel *distributionem* significant.

## Canon XIV.

*Præpositio Græca*, ὑπὲρ, PRO, *non semper causam & meritum significat, sed & aliis modis usurpatur.*

ET *causam* & *locum* hæc præpositio ὑπὲρ notat (hoc est, per *PRO* & *SUPER* reddi potest) quia verò *prior* significatio est usitatior, igitur à potiori denominatur, & ad causales refertur. Ad tria significata reduci exempla scripturæ possunt.

1. PRO. 2. SUPER. 3. DE.

### 1. Significatio PRO.

Ita notat 1. causam impulsivam. Phil. 2: 13. *Deus est, qui operatur in vobis & velle & perficere*, ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας *pro beneplacito suo* seu *ex gratia sua*, quâ ad nos salvandum movetur. Sic Rom. 15: 8, 9. 2 Thess. 1: 5.

2. Vicem alterius. Philem. v. 13. *Quem ego volueram mecum detinere, ut* ὑπὲρ σοῦ *pro te ministraret mihi in vinculis Evangelii*. Sic 2 Cor. 5: 20. Sic in Demosth. μᾶλλον δ᾽ ἐγὼ τοῦ ὑπὲρ σε ποιήσω, *Potiùs ego hoc pro te faciam*.

3. Usum & commodum (ubi causæ finalis significatio eminet.) Et quidem:

1. *Vel* ἐξοχικῶς καὶ μονοτρόπως illud commodum, quòd Christus Salvator sanctissimo suo merito hominibus præstat. Joh. 6: 51. *Caro mea, quam ego dabo* ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς *pro mundi vita*. Rom. 5: 8. *Christus* ὑπὲρ ἡμῶν *pro nobis mortuus est*. Sic & c. 8: 32. c. 14: 15. 1 Cor. 15: 3. 2 Cor. 5: 15. 1 Tim. 2: 6. Hebr. 2: 9. c. 6: 20. In his & similibus multis Scripturæ effatis præpositio ὑπὲρ non tantùm vulgarem utilitatem notat, quòd Christus nostri causâ sit mortuus, ut salutis viam nobis ostenderet, veluti Photinianorum blasphemiæ habent, sed ἐξαιρέτως commodum illud, quòd per plenissimam & perfectissimam λύτρωσιν & satisfactionem, à Christo nostri loco præstitam, gratia Dei & vita æterna, per lapsum amissa, reparata fuit, ut pleniùs Theologorum scripta orthodoxa docent, &c. Huc referenda illa scripturæ dicta, quibus beneficia Dei exprimuntur, ea enim unicè ob meritum Christi nobis obtingunt Rom. 8: 31. *Si Deus* ὑπὲρ ἡμῶν *pro nobis, quis contra nos?* hoc est, si à nostris stat partibus; si nobis favet, & clementissimus noster Pater est, per Christum fide apprehensum nobis reconciliatus.

2. *Vel*

2. *Vel* vulgariter, de quavis utilitate & commodo. Luc. 9:50. *Qui non est adversum nos ;* ὑπὲρ ἡμῶν, *pro nobis est*, hoc est, pro nobis facit, à nostris stat partibus. Sic Joh. 11: 4. Rom. 1:5. cap, 16:4. 3 Joh. ℣. 7.

1 Joh. 3:16. utrumque occurrit: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quòd ille* ὑπὲρ ἡμῶν *pro nobis animam posuit : Et nos debemus* ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν *pro fratribus animas ponere. Priori* loco ὑπὲρ meritum & satisfactionem notat; *posteriori* simpliciter utilitatem & commodum: non enim fratrem redimere ullo modo potest quisquam, Psalm. 49: 8. *Animam ponere pro fratre* (sunt verba Cl. D. Menzeri) *significat summam in officio suo fidem præstare, ut ne vitæ quidem ipsi parcere velimus, re ita postulante: quemadmodum Christus monstraturus discrimen inter verum pastorem ovium, & mercenarium*, Joh. 10: 11. *dicit, bonum pastorem ponere animam pro ovibus suis. Cujus fidelis curæ insigne exemplum præbuit David* 1 Sam. 17. *interfecto leone & urso gregem infestantibus*, ℣. 34, 35, 36. *Idque de omnibus verè dici potest fidelibus Regibus, Ducibus, Prophetis & Pastoribus, qui fortiter, strenuè & piè usque ad mortem pugnare pro pace & veritate non dubitârunt, ut prodessent suis &c.*

[a] Pertinet huc locus Col. 1:24. *Nunc gaudeo in passionibus meis* ὑπὲρ ὑμῶν *pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt, passionum Christi, in carne mea* ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ, *pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Pro vobis*, hoc est, vestri causâ, seu in commodum vestrum, nempè ad vos in fide confirmandos, & constantia meâ erigendos. *Pro Ecclesia*, hoc est, propter Ecclesiam & ejus incrementum. Probatur hæc explicatio ex locis parallelis, 2 Corinth. 1:5, 6. cap. 4: 15. 2 Tim. 2: 10. & omnium evidentissimè Phil. 2: 12, 13, 14. Eadem ratio verborum 2 Cor. 12: 15. est Bellarmin. lib. 1. de indulg. c. 3. §. 2. *de satisfactionum Apostoli communicatione* hæc loca exponit; sed malè, & in λύτρον Christi injuriosè. Patitur Paulus pro Ecclesia, non ut Redemptor & λυτρωτὴς, 1 Cor. 1: 13. sed ut minister Ecclesiæ, dispensans & implens prædicationem Euangelii, in cujus veritatis testimonium & confirmationem tot afflictiones patitur. D. Chemn. Cæterùm quod attinet verba, ἀνταναπληρῶ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ χριστοῦ, sciendum est, quòd passiones Christi sint duplices, 1. *propriæ*, quas sustinuit in cruce, in proprio corpore: Hæ sunt satisfactoriæ & perfectissimæ. 2. *appropriatæ*, quas non in sua carne, sed in sanctis, quibus per fidem gratiosè unitus est, patitur, Actor. 9:4. Hæ passiones nondum sunt omne complementum assecutæ. Et de his loquitur Apostolus. Luth. tom. 5. Jen. f. 30. b. Als wolt er sagen (S. Paulus,) seine gantze Christenheit ist noch nicht vollbereitet / wir müssen auch hinnach / dasz nichts an dem Leiden Christi fehle / noch abgehe / sonderen dasz es alles auff einen Hauffen komme. Also musz sich ein jeglicher Christ desz erwegen / dasz das Creutze nicht werde aussen bleiben.

## 2. Significatio SUPER.

Ita notantur superioritates vel *loci* vel *status*.

1. Loci. 1 Cor. 15: 29. *Qui baptizantur* ὑπὲρ τῶν νεκρῶν *super mortuos*, q. d. ὑπεράνω, quæ vox Hebr. 9: 5. usurpatur. Loquitur enim de ritu baptizandi Christianos super mortuorum sepulcra, quod fuit symbolum fidei & confessionis de resurrectione mortuorum, &c. Confer Lutherum in explicat. hujus capitis, tom. 6. Jen. f. 246. Ita ὑπὲρ apud Græcos crebro usurpatur. Plut. τὸν ὑπὲρ γῆς καὶ ὑπὸ γῆν χρυσὸν ἀρετῆς ἀντάξιον οὐ τίθεσθαι δεῖ; *virtus non conferenda est cum auro, quod super terram, & sub terra est.* Plato in Timæo: ὑπὲρ γῆς χάλαζα συνίσταται, *supra terram grando concrescit.* Xenoph. in Sympos. ὑπὲρ ξίφων ἐξεκυβίστα, *super gladiis saltabat.* Homer. Iliad 2. στῆ δ' ἄρ ὑπὲρ κεφαλῆς, *stetit autem super caput.* Thucyd. οἱ ὑπὲρ τῆς πόλεως *urbi imminentes &c.* Confer D. D. Gerhard. tom. 8. locor. de morte §. 286. & Th. Mortonum Apol. Cathol. part. 2. lib. 5. cap. 44.

[a] Locus Col. 1:24. De passionibus Pauli pro Ecclesia.

2. Status. Ita excessum vel excellentiam notat. Matth. 10: 24. *Non est discipulus* ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον *supra magistrum, nec servus* ὑπὲρ τὸν κύριον αὐτοῦ, *super Dominum suum.* Sic ℣. 37. Actor. 26: 13. 1 Cor. 4: 6. 2 Cor. 8: 3. c. 11: ℣. 23. cap. 12: 6, 13. Phil. 2: 9.

Hac significatione & in comparationibus usurpatur. Luc. 16: 8. *Filii hujus seculi prudentiores sunt* ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς φωτὸς, *super filios lucis*, hoc est, quàm filii Lucis.

## 3. Significatio DE.

Ita notat materiam de qua, seu objectum. Rom. 9: 27. *Esaias autem clamat* ὑπὲρ τοῦ Ἰσραὴλ *de Israel.* 2 Cor. 1: 6. *Et spes nostra firma est* ὑπὲρ ὑμῶν *de vobis.* Sic cap. 7: 4. cap. 8: 23, 24. cap. 12: 5. Phil. 1: 7.

2 Thess. 2: 1. *Rogamus autem vos, fratres,* ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου *de adventu Domini nostri Jesu Christi, & nostrâ congregatione ad ipsum*; seu, *adventum Domini &c. quod attinet.* Flacius in clave Script. part 1. col. 871. *Omnes*

*h. l. vertunt illud Graecum ὑπὲρ praepositione PER; cùm potiùs in sua nativa significatione intelligendum ac vertendum esset DE, sicut solus Lutherus in vulgari convertit. Indicat enim ibi Apostolus materiam aut argumentum, de qua re Thessalonicenses orare aut monere velit, nempè de extremo judicio, ne id putent prorsus instare, eoque temerè tumultuentur. Quare alii versores vel mutilum obscurumque textum, vel etiam de suo supplere coguntur.* Quidam formulam gravis obtestationis hîc agnoscunt. q.d. quàm cupidè desideratis Christi adventum, & nostram ad eum congregationem.

## Canon XV.

*Praepositio ἀντὶ, PRO, non uno modo in scripturis accipitur.*

SIgnificat 1. permutationem, vertenda *Loco, vice*, vel *PRO*. Matth. 5:35. *ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, oculum pro oculo*, seu *vice oculi*. Sic cap. 2:22. Luc. 11:11. Rom. 12:17. Heb. 12:2, 16. Jac. 4:15. 1 Petr. 3:9.

2. Commodum vel utilitatem Matth. 20: 28. *Filius hominis venit, ut daret animam suam redemtionem ἀντὶ πολλῶν pro multis*, h. est, in usum & salutem multorum. Sic cap. 17: 27. Marc. 10: 45.

3. Finalem causam. 1 Cor. 11:5. *Coma data est ei* (mulieri) *ἀντὶ περιβολαίου pro velamine*, h. est, ut esset velamen.

4. Rationem & causam quamcunque, vertenda *propterea, quod, igitur*. Lucae 1. vers. 20. *ἀνθ' ὧν, propterea quod non credidisti verbis meis*. cap. 12: 3. *ἀνθ' ὧν, igitur quae in tenebris dixistis, in luce audientur* &c. Vide & cap. 19: 44. Actor. 12: 23. Eph. 5: 31. 2 Thess. 2: 10.

5. *Contra*, seu *adversus* non significat, nisi in compositione; *partim* cum nominibus, *ἀντίδικος adversarius*, Matth. 5: 25. *ἀντίθεσις oppositio*, 1 Tim. 6: 20. *ἀντιλογία controversia*, Hebr. 6: 16. *ἀντίχριστος hostis seu adversarius Christi*, 1 Joh. 2: 18, 22. *Partim* cum verbis, *ἀντίκειμαι oppono*, Luc. 13: 17. *ἀντιλέγω contradico*, Luc. 2: 34. *ἀντιπίπτω obnitor*. Actor. 7: 51. *ἀντιτάσσομαι oppono me*, Rom. 13: 2. &c. *Partim* cum particulis, *ἀντιπέραν opposita ripa*, Luc. 8:26. *ἀντικρὺ contra, è regione*, Act. 20: 15.

### Nota.

Verba Joh. 1: 16. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος* in dubio, ratione dubiae praepositionis *ἀντὶ*, sunt posita. 1. Quidam illam in significatione *primâ* accipiunt, ut *ἀντὶ* sit, *loco seu vice*. Et hoc vel *ineptè & alienè*, ut Leontius, citante Maldonato in comm. h. l. qui dicit, *gratiam* vocari flatum illum, quem Christus inspiraverat in Adam, Gen. 2: 7. Loco illius gratiae seu flatus meliorem in Apostolos flatum gratiamque Christum insufflasse, Joh. 20: 22. Vel *aptè & congruè*, ut illi, qui ad primaevam Dei imaginem respici dicunt, q. d. accepimus gratiam regenerationis, per quam ad imaginem Dei eramus conditi, sed eandem in Adamo amisimus. Vel *aptiùs* adhuc & magis congruè, ut Chrysostomus, qui per *priorem gratiam* intelligit promulgationem legis, secundùm illud Ps. 103: 6: 7. per *posteriorem* autem gratiam, quae pro priori data, patefactionem Euangelii. Hunc sequitur Heins. in Arist. sacr. p. 305. *Judaei*, inquit, *in lege gratiam agnoscunt, & favorem Dei singularem, & perpetuò in ore habent illud: non ita fecit omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis*, Psal. 147: 20. *Ita* Neh. 9: 13. *Deo gratia aguntur, quòd νόμους ἀληθείας καὶ ἐντολὰς ἀγαθὰς, i. e. πλήρεις χάριτος, ut loquitur Euangelista, dederit. Nam Chaldaeus, Syrus, & interdum Hellenistae, ἀγαθωσύνην pro ea dicunt. Haec est ergo illa gratia. At nunc, inquit, χάριν ἀντὶ χάριτος, gratiam pro gratia accepimus, quod optimè Chrysost. interpretatur, ἀντὶ τῆς παλαιᾶς τῆς νέαν.* 2. Alii *quartâ* significatione vocem *ἀντὶ* accipiunt, ut sit, *propter*. Et hoc etiam, vel *minùs congrue*, ut Piscator, qui sic exponit: *Accepimus gratiam propter gratiam*; gratiam consequentem propter rectum usum gratiae antecedentis, ut gratiis Dei simus cumulati. Vel *benè & congruè*, ut illi, qui ex Rom. 5: 15. Eph. 1: 6. explicationem deducunt, quòd sc. misericordia & dilectio coelestis patris nobis contingat propter Filium, quem amore summo prosequimur, & à quo per satisfactionem ejus nobis est propitius factus. 3. Praeter has interpretationes, alii sic explicant: *Gratiam pro gratia*, h. est, omnem gratiam, aut cumulatam gratiam, sicut Job. 2: 4. *pellem pro pelle, & cuncta quae habet homo, dabit pro anima sua*, h. e. omnem pellem, omnes facultates suas (ut statim exponitur) quae tunc in pellibus & pecudibus sitae erant, q. d. accepimus gratiam aliam super aliam, h. e. cumulatam.

tam. Similis locutio ferè extat Amos 3: 15. Quo cum convenit, quod quidam simpliciter ἀντὶ vertunt *super: gratiam super gratiam*, h. e. accumulatissimam & copiosissimam. Intelliguntur autem beneficia τῆς χάριτος divinæ, justitia & remissio peccatorum, sanctitas & renovatio Spiritus sancti, υἱοθεσία & hæreditas vitæ æternæ &c. Denique Maldonatus ita explicat: *non omnes eandem, sed diversi diversam accipimus gratiam*, juxta illud 1 Cor. 12: 4. seqq. Rom. 12: 3. seqq. Gratiam pro gratiâ, h. e. alius unam, alius pro illa aliam accepit. Sed hoc alienum; non enim de donis ministrantibus Euangelista loquitur, sed de sanctificantibus, seu de gratia Dei in Christos nos regenerante ac salvante.

## Canon XVI.

*Præpositio* CUM, *aliquot apud Hebræos exprimitur vocibus.*

### 1. עִמָּד cum.

NOn nisi cum adjuncto pronomine primæ personæ reperitur, עִמָּדִי *mecum.* Genes. 3: 12. *Mulier quam dedisti* עִמָּדִי *mecum* &c. Sic Ps. 23: 4. Job. 9: 35. &c. Est quasi *apud me stans*, *ab* עָמַד *stetit.* Ejusdem soni ac prolationis, sed non ejusdem radicis & originis est præpositio a עֻמַּת *è regione, juxta*, quæ semper cum præfixo ל ponitur, לְעֻמַּת Exod. 25: 27. 2 Sam. 16: 13. Ez. 1: 20. &c. Semel scribitur כָּל־עֻמַּת Eccl. 5: 15. quod quidam positum dicunt pro כִּלְעֻמַּת *prout, quemadmodum* (cum כ & ל præfixis) alii divisim acceptis voculis vertunt: *Omne sicut venit, ita abit.* Vel *omninò prout venit, sic abit, &c.*

### 2. עִם cum.

Hæc vocula notat 1. simplicem comitatum seu conjunctionem, Exod. 19: 24. *Ascendas Tu & Aharon* עִמָּךְ *tecum.* Gen. 39: 7. *Dormi* עִמִּי *mecum &c.* Sic Cant. 4: 13, 14. Et in genere quamvis analogiam seu convenientiam. Psal. 106: 6. *Peccavimus* עִם *cum patribus nostris*, h. e. perinde ut patres nostri, eorum videlic. imitanda peccata. Ita August. in h. l. tom. 8. col. 1238. qui exemplum aliud hujus significationis præposit. CUM, sibi non occurrere ait. Verùm extant talia suprà tract. 5. de adverbio can. 30.

2. Propinquitatem seu vicinitatem, si cum nominibus *locum* denotantibus construatur. Gen. 25: 11. *Et habitavit Isaac* עִם בְּאֵר *propè* seu *juxta puteum* &c. Sic cap. 35: 4. Jos. 7: 3. (al. 2.) Jos. 18: 22. c. 19: 2. 2 Sam. 19: 37. &c.

3. Præsentis συνεργίαν, vel ἐνέργειαν potiùs & auxilium. De Deo usurpatum. Gen. 26: 3. *Et ero* עִמְּךָ *tecum, & benedicam tibi*, v. 29. אִתְּךָ *tecum* habetur. Targ. *Et erit verbum meum in auxilio tuo.* Sic Jos. 1: 5, 17. Huc referunt nomen עִמָּנוּאֵל *Immanuel*, Es. 7: 14. quod interpretatur, μεθ' ἡμῶν ὁ θεός, *nobiscum Deus*, Matth. 1: 23. Chald. Es. 8: 10. vertit בְּסַעְדָּנָא אֱלָהָא *in auxilio nostro Deus.* Sed plura omninò hoc nomine continentur. Plenam ejus expositionem tradit Johannes cap. 1: 14. Confer explicationem insignis hujus Messiæ Nominis in Post. Prophet. part. 4. in Esa. 9. De *hominibus* usurpatum. 1 Reg. 1: 8. *Non fuerunt* עִם *cum Adonia.* Chald. *in consilio Adoniæ.* Sic vers. 7.

4. Ἐνύπαρξιν & existentiam. Deut. 8: 5. *Et cognoscis* עִם לְבָבֶךָ *cum corde tuo*, h. est, בִּלְבָבְךָ *in corde tuo*, ut v. 3. dicitur. Sic etiam אֶת *cum* usurpatur, Prov. 3: 32. *quia abominatio Domino est aversus:* וְאֶת *& cum rectis arcanum ejus*, h. est, in rectis est, seu rectis notum est arcanum ejus. Ps. 25: 14.

Psal. 130: 7. *Expectet Israel Dominum, quia* עִם *cum Domino misericordia, multa est cum ipso liberatio*, h. est, in ipso est: seu Dominus misericors est, & multùm liberare seu redimere potest. a עֻמַּת.

5. Oppositionem Gen. 26: 20. *Et certaverunt pastores Gerar* עִם־רֹעֵי *cum pastoribus Isaac.* Ps. 94: 16. *Quis stabit apud me* עִם־מְרֵעִים *contra malignos? quis consistet apud me* עִם *contra operatores vanitatis?*

6. Approbationem & judicium. Psal. 39: 13. *Quia peregrinus sum ego* עִמָּךְ *tecum*, seu *coram te, inquilinus, ut omnes patres mei.* 1 Sam. 2: 26. *Et puer Samuel ibat & crescebat; & bonus erat, tàm* עִם *cum Domino, quàm* עִם *cum hominibus:* hoc est, judicio Dei & hominum probabatur. Sic & de Christo puero dicitur Luc. 2. ult. Vide & 1 Sam. 2: 21.

7. Durationem respectu temporis. Ps. 72: 5. *Timebunt te* עִם *cum Sole*, h. est, quamdiu Sol stabit & durabit.

### 3. אֵת cum.

De hac particulâ notandum. I. Si cum affixis conjungatur, Zere mutatur in hirec, sequente dages forti, ut אִתִּי *mecum*, אִתְּךָ *tecum*,

*cum*, אִתָּם *cum eis &c.* Sed cum naturam præpositionis amittit, & nota accusativi est, discriminis causâ notatur cum holem, ut אֹתִי *me*, אֹתְךָ *te*, אֹתָם *eos* &c.

II. Quandoque tamen, si præpositio sit, cum holem notatur. Gen. 34: 2. *Et dormivit* אֹתָהּ *cum illâ.* Jos. 14: 12. *Jehova erit* אוֹתִי *mecum.* 2 Reg. 3: 12. יֵשׁ אוֹתוֹ *est cum ipso verbum Jehova.* Es. 59: 11. *Fœdus meum* אוֹתָם *cum eis.* Sic Jer. 16: 8. Ita punctatum, quandoque *EX* significat. Exod. 1: 7. *Et repleta est terra* אֹתָם pro מֵהֶם *ex illis.* Joel. 2:19. *Et saturabimini* אֹתוֹ *ex eo.* Absolutè etiam אֶת significare *EX* quidam dicunt, in illo, Gen. 44: 4. *Ipsi egressi erant*, אֶת־הָעִיר *ex civitate.* Sic Exod. 9: 29. Sed rectiùs dicitur, אֶת hic esse articulum accusativi, quæ constructio verbi *Egredi* & apud Latinos est: *Egredi urbem* &c.

III. Significata voculæ אֶת ferè respondent significatis præcedentis voculæ עִם *cum.* Significat enim.

1. Comitatum & conjunctionem. Exod. 1: 1. אֶת *cum Jacob venerunt in Ægyptum.* Sic Gen. 34: 10. Cant. 4: 8. Esa. 40: 14. &c. De intima conjunctione personarum divinarum, vel identitate potiùs in agendo divinâ explicant quidam illud Hagg. 24. *Sum vobiscum, dicit Jehova exercituum*, vers. 5. אֶת־הַדָּבָר *cum VERBO, quo pepigeram vobiscum exeuntibus vobis ex Ægypto &* (cum) *Spiritu meo stante in vobis ne timeatis.* Junius & Tremell. in annotat. ad h. l. Hunc locum qui aliter interpretantur, aut synchysin durissimam horum duorum versuum coguntur invehere, & à Prophetæ consilio alienam, aut vim facere particulæ, quâ hîc Propheta utitur. Nos verò, cùm mysteria Dei procedente tempore magis ac magis innotuisse prophetis, & fuisse Ecclesiæ proposita, ex ipso Dei verbo cognoscamus, simplicitatem verborum secuti, & argumenti genus, statuimus, Deum Patrem præsentiam sui ipsius cum Christo Servatore & cum Spiritu sancto promittere Ecclesiæ suæ, atque hoc vindice adversùs omnia mala confirmare. Est itaque hic locus de sancta Trinitate evidentissimus. Hæc illi, qui parallelum locum, in quo Filius Dei דָּבָר *verbum* appellatur, adferunt 2 Sam. 7: 21. Verba autem, *quo pepigeram vobiscum*, explicant; in quo, per quem, & propter quem vos acceptos habueram, & receperam in fœdus, quamobrem idem etiam appellatur *Angelus fœderis* Malach. 3: 1. Potest commode huic loco componi, quod Esa. 63. v. 9, 10. in Cantico Prophetæ eucharistico *de Deo, & Angelo faciei ejus, & Spiritu sanctitatis* ejus habetur, & in eadem quidem materia, eductione populi ex Ægypto.

2. Propinquitatem, in phrasi אֶת־פְּנֵי Est. 1. vers. 10. *Septem Eunuchi, qui ministrabant* אֶת־פְּנֵי *coram facie Regis Ahasueri.* Sic Ps. 16. ult.

3. Συνεργίαν & auxilium. 2 Reg. 9: 32. מִי אִתִּי *quis mecum est?* h. e. quis ex partibus meis staturus, & mihi auxiliaturus est?

4. Ἐνύπαρξιν & existentiam. Num. 35. v. 6. וְאֵת הֶעָרִים *in urbibus autem*, seu *inter urbes, quas dabitis Levitis* (erunt) *sex urbes refugii &c.* Quidam אֶת pro מִן *de* accipiunt: *de urbibus &c.* Prov. 3. vers. 28. וְיֵשׁ אִתָּךְ *& est tecum*, hoc est, in te est *potestas benefaciendi.* LXX. δυνατȣ̃ σοῦ ὄντος εὐποιεῖν. Vide & supra in עִם.

5. Oppositionem, 1 Paral. 20: 5. *Et fuit amplius bellum* אֶת *cum Philistæis &c.* v. 4. habetur עִם Ezech. 21: 20. *Et viam proponito, quâ adveniat gladius* אֵת רַבַּת *contra Rabbath Ammonitarum*, וְאֶת־יְהוּדָה *aut contra Judæos in Jerusalem munita.* Sic Es. 54: 17.

6. Approbationem demum in phrasi illa, Gen. 5: 22. *Et ambulavit Henoch* אֶת־הָאֱלֹהִים *cum Deo*, h. e. ita vitam instituit, ut verâ & vivâ fide se Deo probaret. Targ. בְּדַחֲלְתָא דַּיְיָ *in timore Domini*, Conf. Heb. 11: 5.

Aliam particulæ אֶת significationem quære paulò pòst can. 18. §. 5.

## *Nota.*

1. Quandoque abundant particulæ עִם & אֶת, si illis præponatur מ præfixum. עִם Ps. 121: 2. *auxilium meum* מֵעִם *à Jehova.* Sic מֵעִמּוֹ *ab eo*, מֵעִמָּנוּ *à nobis*, Gen. 26: 16.

אֶת Jer. 2: 37. *Etiam* מֵאֵת זֶה *ab hoc egredieris*, scil. Ægypto, seu Rege Ægyptiorum. Sic dicitur מֵאִתִּי *à me*, מֵאִתְּכֶם *à vobis.* Vide & Gen. 19: 24. &c.

2. Quandoque etiam עִם vel אֶת *cum*, deest. Lev. 26. vers. 42. *Et recordabor fœderis mei Jacob, & etiam fœderis mei Isaac, & etiam fœderis mei Abraham*: hoc est, אֶת *cum Jacob, cum Isaac, cum Abraham*, Deut. 32. v. 43. *Cantate gentes*, עַמּוֹ pro אֶת־עַמּוֹ *cum populo ejus*: μετὰ τȣ̃ λαοῦ αὐτοῦ, ut Rom. 15: 10. exponitur.

Sic per ellipsin præpositionis *cum*, σὺν explicant illud Apoc. 8: 3. *Et dati sunt ei* (Angelo) *suffitus multi*, ἵνα δώσῃ ταῖς προσευχαῖς τῶν ἁγίων, *ut offerret cum precibus sanctorum*; pro σὺν ταῖς προσευχαῖς. Sic v. 4. *Ascendit autem fumus suffituum* (cum) *precibus sanctorum.* Fumus suffituum typus satisfactionis & intercessionis Christi est, Eph. 5: 2. Nullius enim precii sunt nostræ preces, nisi adsit unicæ illius oblationis verè gratus odor, i. e. nisi prius in Filio per fidem justificati Deo placeamus.

Canon

## Canon XVII.

*Præpositio CUM, Hebræis quandoque per copulativam ET in oratione negativâ, vel negativa æquipollente, exprimitur.*

JOS. 22: 24. מַה־לָּכֶם וְלַיהוָה *quid vobis & Jehovæ?* hoc est, cum Jehova, q. d. non est vobis quicquam cum Jehova.

Jud. 11: 12. מַה־לִּי וָלָךְ *quid mihi & tibi?* h. e. quid mihi tecum? Sic 2 Sam. 16: 10. 1 Reg. 17: 18. 2 Reg. 3: 13.

Esr. 4: 3. לֹא־לָכֶם וָלָנוּ *non est vobis & nobis*, h. e. nihil est vobis nobiscum. Alii, *non est vestrum nobiscum ædificare domum Deo nostro*: Eod. sensu.

Hos. 14: 9. *Ephraim* (dicet) מַה לִּי עוֹד לָעֲצַבִּים *quid mihi amplius cum idolis?* Ubi copulativa omittitur.

Joel. 3: 9. (al. 4.) מָה־אַתֶּם לִי *quid vos mihi?* h. e. quid vobis mecum. Omissa hîc est copulativa, & pro dativo priori ponitur nominativus.

### Nota.

In Græca lingua eadem loquendi formula in usu est: in qua subintelligendum volunt nomen κοινὸν vel πρᾶγμα Joh. 2: 4. τί ἐμοὶ καὶ σοί, γύναι, *quid mihi & tibi mulier?* h. e, quid mihi tecum, videl. commune, vel negocii. Matth. 28: 19. μηδέν σοὶ καὶ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ, *nihil tibi & justo illo*, h. e. nihil tibi sit cum illo, videl. negocii. Sic cap. 8: 29.

Sic apud Anacr. τί γὰρ μάχαισι κἀμοι, *quid mihi cum bellis?* Additur quandoque deficiens nomen. Arist. τί κοινὸν κυνὶ καὶ βαλανείῳ, *quid cani commune cum balneo?* Demosth. οὐδὲν ἐστὶν ἐμοὶ καὶ σοὶ πρᾶγμα, *nihil mihi est tecum negocii &c.*

## Canon XVIII.

*Præpositio PRÆTER, non uno modo Hebræis effertur.*

1. לְבַד *seorsim*, Zach. 12: 12. (à בָּדַד *solitarius fuit*, unde, בַּד *solus*, Exod. 30: 34. & cum prosthesi ל, לְבַד) si מ vel מִן subjunctum sibi habeat, sequenti nomini additum, *Præter* significat. Jud. 8: 26. לְבַד מִן־הַשַּׂהֲרֹנִים *solùm præ lunulis, præter lunulas.* Exod. 12: 37. לְבַד מִטָּף *præter parvulos &c.* Quandoque præfixum מ sibi additum habet. Lev. 23: 38. מִלְּבַד *præter sabbatha.*

2. אֶפֶס (quod adverbialiter *tantùm, nisi*, significat) *præter* notat, Num. 17. vers. 28. & alibi.

3. אַחַר *post*, significat *præter*, Neh. 5: 15.

4. *Extra*, חוּץ cum subjuncto מ *præter* significat. Eccl. 2: 5. חוּץ מִמֶּנִּי *extra, præ me, præter me, præterquam ego.* Alii, *potiùs quàm ego.*

5. אֵת *cum*, quandoque idem est ac *Præter.* Exod. 1: 14. *Et amaram effecerunt vitam eorum, servitute durâ, in luto, & in lateribus & in omni servitute rustica*, אֵת *præter omnem servitutem ipsorum, quum exigebant ab eis sævitiam*, scilic. domi, ut sit ellipsis antitheti, de qua infrà. Junius.

2 Reg. 11: 1. *Et Rex Salomo adamavit mulieres alienigenas*, וְאֶת־ *idque præter filiam Pharaonis*, scil. quam legitimè duxerat, c. 3: 1.

Ibid. vers. 25. *Et erat adversarius Israeli omnibus diebus Salomonis*, וְאֶת־ *idque præter malum illud, quod* (inferebat) *Hadad.*

2 Paral. 11: 18. *Et acceperat sibi Rehabeam uxorem*, אֶת־ *præter Machalath filiam Jerimoth* &c.

Sic & ejusdem significati particula עִם *cum* accipitur, Psal. 73: 25.

Nota autem, in his, vocem *Præter* potiùs accumulativam seu additivam esse, quàm exclusivam: Aliis enim superaddit, non alia excludit: excepto loco Ps. 71: 25.

6. Præpositio מִבַּלְעֲדֵי & בִּלְעֲדֵי *præter, absque* vel, *præterquam* exponitur, Num. 5: 20. Job. cap. 34: 32. Esa. 43: 11. Jer. 44: 18. Psal. 18. vers. 32.

Cum affixo primæ personæ, בִּלְעָדַי quod reddunt, *præter me.* Sed cùm absolutè in oratione ponatur, & sententiæ partem constituat, atque à sequentibus per accentum distinctivum sejungatur, igitur commodè à Junio ac Tremellio vertitur, *penes me nihil, non penes me.* Videtur enim vox composita ex בַּל *non* & עַד *usque* &c.

Gen. 14: 24. בִּלְעָדַי *penes me nihil; tantùm quòd comederunt hi famuli &c.* Quidam cum sequenti voce רַק *tantùm*, conjungunt, ut duæ exclusivæ significationem intendant, *præter duntaxat.* Sed per accentum Rebhia à particula illa sejungitur.

Gen. 41: 16. *Respondit verò Joseph Pharaoni; dicendo*: בִּלְעָדָי *non est penes me: Deus respondebit pacem Pharaonis.* Modestè hac voce Regis animum in se defixum, ad Deum attollit, cujus solius sapientiæ est præstare, quòd Rex petebat.

petebat. Confer Dan. 2:27, 28. Symmachum eodem modo vocem Hebræam interpretari, Junius testatur.

## Canon XIX.

*Præpositio, ἀνὰ, numerum distributivum æqualitatis sæpè exprimit, & per nomina numeralia distributiva explicatur.*

MAtth. 24: 19, 20. *acceperunt*, ἀνὰ δηνάριον, *singuli denarium*.

Luc. 9: 3. μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν, *neque binas tunicas habeatis*,

Joh. 2: 6. *Hydriæ capientes* ἀνὰ μητρητὰς δύο ἢ τρεῖς, *singulæ circiter metretas binas aut ternas*.

Apoc. 21: 21. *Et duodecim portæ duodecim margaritæ*, ἀνὰ εἷς ἕκαστος τῶν πυλώνων, *singulæ portæ erant ex singulis margaritis*. Sic Marc. 6: 40. Luc. 9: 14. c. 10: 1. Apoc. 4: 8.

Sic in Aristot. ἐν τέτταρσι τόκοις ἔτεκεν εἴκοσι ἀνὰ πέντε γὰρ ἔτεκε. *In quatuor partibus (à partus) peperit viginti: singulis enim vicibus quinque peperit*: quinos quater enixa est. Et hinc Medicorum *ana* est. Dicitur enim in medicamentorum compositionibus ἀνὰ οὐγκίαν μίαν, *de singulis unciam unam*; ἀνὰ δράχμην, *singulorum drachmam unam*.

Accipitur & de distributione per vices. 1 Cor. 14: 27. ἀνὰ μέρος *vicissim*, seu *per vices*, eins umbs ander. Sic Zonaras tom. 1. ex 2 Reg. 6. ἀνὰ μίαν ἀλλήλας θρέψαι, *alternis diebus invicem alere*. Loquitur de duabus mulieribus in fame mactationem filiorum ad sese alendas pactis.

### *Nota.*

Aliàs ἀνὰ cum μέσον constructum, *intermedium* significat; Tùm ratione *loci* Matth. 13: vers. 25. *Seminavit Zizania* ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, *in medio tritici*. Març. 7: 31. *Venit Jesus* ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων *inter medios fines decapoleos*. Sic Arist. τὰ ἀνὰ μέσον scil. ὄντα, *intermedia*. Tùm ratione *personarum*. 1 Cor. 6: 5. *Sic ne non est inter vos sapiens, ne unus quidem, qui possit judicare* ἀνὰ μέσον τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, *inter fratrem suum*, scil. cum altero fratre contendentem, ut ex versu sequente patet. Syr. vertit, דִנְשַׁפֵּט בֵּית אַחָא לְאַחוּי *qui possit æquo judicare inter fratrem ad fratrem suum*. Unde quidem in textu Græco legendum esse contendunt, ἀνὰ μέσον τῶν ἀδελφοῦ καὶ ἀδελφοῦ: Quidam etiam ἀνὰ μέσον τῶν ἀδελφῶν.

## APPENDIX.

PLacet coronidis loco præcipua præpositionum Græcarum significata, quæ in antecedentibus sunt omissa, hìc annotare, cùm cognitione eorum apprimè in scripturæ N. T. interpretatione opus sit. Ordo autem esto alphabeticus.

### 1. Ἀμφὶ.

In scriptura N. Test. non occurrit separatim. In profanis significatio ejus ferè, ut περὶ: Sed rarior ejus usus est.

In compositione exempla scripturæ occurrunt, & significatio ejus est, *circùm*, *undique &c.* ἀμφίβληστρον *rete*, ita dictum, quòd undique complectatur, ἀπὸ τοῦ ἀμφιβάλλειν. Matt. 4: 18. Marc. 1: 16. ἀμφιέννυμι *circumvestio*, *amicio*, Matth. 11: 8. &c.

### 2. ἀνὰ.

De hac can. 19. dictum:

In compositione significat, 1. *Rursus*, ἀναζάω *revivisco*, Luc. 15: 24, 32. ἀναγγέλλω *renuncio*, quod tamen in plerisque *nunciare* simpliciter significat, Marc. 5: 14. Joh. 4: 25. &c. ἀναγεννάω *regigno*, 1 Pet. 1: 3. ἀναχωρέω *redeo*, Matth: 4: 12.

2. *Sursùm*, ac si ab ἄνω esset: ἀναβαίνω *ascendo*, Matth. 3. v. 16. cap. 5: 1. ἀναφέρω *sursum fero*, Matth. 17: 1. Luc. 24: 51. 1 Petr. 2: 24. ubi ad victimarum in Vet. Test. elevationem in oblatione alluditur, & ostenditur, quòd Christus, victima pro mundi vitâ morti data, sustulerit una cum corpore suo suspenso in ara crucis (Joh. 12. v. 32.) omnia peccata &c. quæ verba D. D. Tarnovii sunt in explicat. Psa. passional. pag. 440.

3. Intendit simplicis verbi significationem. ἀναβοάω *exclamo*, Luc. 9: 38. Alia, quæ suppeditabit usus, non attingimus.

### 3. ἀντὶ.

De hac can. 15. dictum.

In compositione significat, 1. oppositionem, de quo can. 15.

2. Commutationem. ἀντιλοιδορέω *vicissim convicior*, 1 Petr. 2: 23. ἀντιμετρέομαι, *vicissim metior*, Matth. 7: 2.

3. Vicem,

3. Vicem, seu ad alterum relationem, *ἀνθύπατος*, *Proconsul*, seu *vicarius consulis*, Act. 13:7. c: 18: 12. c. 19:38. Talia sunt, *ἀντιστράτηγος*, *qui* (in bello) *est loco ducis: ἀντιβασιλεὺς*, *qui est loco Regis*, *Prorex: ἀντίδειπνος*, *qui alterius loco ad cœnam venit &c.* Vide Kirch. tract. de usu concord. Hh. 4.

4. *ἀπό.*

Significat 1. *A vel AB.* Idque *tùm*, quando motus à persona vel re, vel loco innuitur, Matth. 2: 1. cap. 3: 7, 13. cap. 4: 25. cap. 5: 29. Col. 1: 23. &c. *tùm* quando locus sine motu innuitur, Apoc. 21: 13. *tùm*, quando terminus temporis à quo innuitur, Matth. 2: 16. Rom. 1: 20. Eph. 3: 9. *tùm*, quando causa efficiens notatur, Actor. 19: 21. Gal. 1. v. 1. Col. 1: 2. *tùm* quando privatio indicatur, Luc. 8: 2. 1 Joh. 1: 7. *tùm*, quando objectum innuitur. 2 Cor. 7: 13. *quòd refocillatus sit spiritus ejus ἀπὸ πάντων ὑμῶν, ab omnibus vobis*, h. est, ex intuitu & consideratione vestrum omnium.

2. *DE vel EX.* Idque *tùm* de materia, Matt. 3. vers. 4. *tùm* de objecto, Luc. 8. vers. 2. *tùm* de numero. Matth. 27: 21. *tùm* de signo, Matth. 7: 16. *tùm* de continente. Luc. 19. v. 39. *Et quidam Pharisæorum ἀπὸ τοῦ ὄχλου de turba &c.* h. e. è medio turbæ, cui intermixti erant.

3. *Per*, de spacio, Apoc. 14: 20. *ἀπὸ σταδίων, per stadia mille sexcenta.*

4. *Antè.* Matth. 2. vers. 34. 2 Thess. 2. v. 13. Apoc. 13. vers. 8. Confer Ephes. 1: 4. 2 Tim. 1: 9.

5. *Post.* Luc. 2: 36.

6. *Præ*, vel *propter*, Matth. 13. v. 44. cap. 18: 7. cap. 28: 4. Luc. 19: 3. cap. 21: 26. cap. 22: 45. Joh. 21: 6. Act. 20: 9. c. 12: 14. Heb. 5: 7.

Abundat in phrasi *ἀπὸ μακρόθεν*, *procul*, *eminus*, Matth. 26. vers. 58. Luc. 16. v. 23. quod simpliciter dicitur *μακρόθεν*, Luc. 18: 13.

In compositione significat *inde*, *ex eo. ἀπελπίζειν inde sperare*, Luc. 6: 35. Sicut ab Athenæo l. 14. notatur, *ἀπεσθίειν* dixisse veteres, pro *ἀπό τινος ἐσθίειν*. Et *ἀπογεύσασθαι*, pro *ἀπό τινος γεύσασθαι*. Sic *ἄφιξιν* pro *discessu ab aliquo* dixit Lucas Act. 20: 29. Syrus *ἀπελπίζειν* pro *desperare* accepit. Hæc Casaubonus, qui percommodè v. 34. confert, *παρ' ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν*. Cui *ἀπελπίζειν* respondet. De verbo *ἀπεκδεχομένους* 1 Cor. 2: 7. ita Musculus in comm. h. l. *Significat hoc aliunde aliquid expectare cum gaudio. Vel certe significat vehementem expectationem. Nam ἀπὸ aliquando intendit significatum, ut si dicas, ex corde expectare.*

Item separationem, *Ἀποσυνάγωγος ex synagoga exclusus*, Joh. 16: 2.

Et privationem, *ἀποκεφαλίζειν decollare*, Matt. 15: 10. Marc. 6: 16. *ἀπογενόμενοι mortui*, q. d. denati, vitâ privati, 1 Pet. 2: 24. Alia usus suppeditat.

5. *διά.*

De hac can. 9. dictum.

In compositione *vel* diversitatem notat, *διασκορπίζειν dispergere*, Matth. 25: 23. *Vel* continuationem, *διαγνωρίζειν divulgare*, Luc. 2: 17. *Vel* aliam emphasin, *διακαθαρίζειν*, *perpurgare*, *omninò purgare*, Matth. 3: 12. *διακωλύειν obnixè prohibere*, ibid. v. 14.

6. *εἰς.*

De hac can. 5. dictum. Illic adde, quòd causam finalem vel usum denotet, 1 Cor. 10: 6. 1 Tim. 4: 3. Eph. 4: 19. Et eventum, præter agentis intentionem & finem proprium. Luc. 2: 34. Joh. 9: 39. It. *usque ad*, Joh. 13: 1. Gal. 3: 23. Eph. 3: 19. PER, Matth. 5: 35. 1 Cor. 10: 2. PRO, 2 Cor. 4: 3. *Propter*, Matth. 6: 34.

Quandoque periphrasin *nominativi* constituit, Matth. 19. vers. 5. Hebr. 8. vers. 10. 1 Joh. 5: 8. Et *dativi*, Col. 1. v. 20. *εἰς αὐτὸν*, pro *ἑαυτῷ*.

Cum infinitivo ponitur pro *ἵνα*, *ut*, Rom. 4: 18. vel pro *ὥστε*, ut consequentia innuatur. Rom. 1: 20. Heb. 11: 3.

In compositione significat *In. εἰσάγειν introducere*, Luc. 2: 27. *εἰσέρχομαι ingredior*, Matt. 5: 20. Quandoque emphasin notat, *εἰσακούειν*, *exaudire*, Matth. 6: 7. &c.

7. *ἐκ* vel *ἐξ.*

De hac can. 8. dictum. Illis adde, quod terminum à quo temporis notat, Matth. 19: 20. aliàs motum ex loco, Matth. 5. vers. 15. Quandoque causam impulsivam, Rom. 9: 12. interdum etiam instrumentalem, Rom. 9. v. 30, 32.

In compositione præter propriam significationem *ex*, vel *extra*; vehementiam quandoque notat. *ἐκπλήσσεσθαι percelli*, Matth. 7. v. 28. *ἐξηρτισμένος*, *perfectè instructus*, 2 Tim. 3: 17.

Huc pertinere volunt Jud. v. 7. ubi de Sodoma, Gomorra & vicinis civitatibus (h. e. eorum incolis) dicitur, quòd fuerint *ἐκπορνεύσασαι*,

*σαι*, q. d. *in scortationem penitus effusæ, in summo gradu impietatis scortationi deditæ &c.* Sed videtur prima potiùs significatio habere hîc locum. Ἐκ præpositio Deum respicit, à quo scortando defecêre, q. d. *scortatæ defectione, vel deficientes à Deo.* Et videtur hæc vox respondere Hebræorum phrasi, quâ impii dicuntur *scortari à Deo.* Psal. 73: 27. *Perdis omnem* זוֹנֶה מִמֶּךָּ *scortantem à te*, hoc est, scortando deficientem à te. Utrobique scortatio spiritualis intelligitur, quæ apostasia est & infidelitas. Quod in loco Judæ ex illis verbis patet, cùm de civitatibus illis scortantibus dicitur, *τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον*, *simili modo atque illi* (in masculino: non, *illæ*, in fœm.) quod ad Israelitas, v. 5. & deficientes à Deo Angelos, v. 6. referendum. Corporalis autem & carnalis scortationis mentio aliis verbis subjicitur. Confer Rom. 1: 25, 26, 27.

8. *ἐν*.

De hac can. 6. dictum. Illis adde, quòd *inter* significat, Matth. 16: 7. Luc. 16. vers. 15. Eph. 5. v. 1. Col. 1: 18. 1 Tim. 4: 15. Hebr. 13: 4.

Cum articulo, *eò quod* significat, Rom. 8. vers. 3.

Cum infinitivo *gerundium* constituit, Luc. 8: 42.

Quandoque *πλεονάζειν* videtur. Joh. 11: 10. *Si quis ambulat nocte, offendit; quia lux non est ἐν αὐτῷ ipsi.* Act. 4: 12. *Non est aliud nomen datum ἐν ἀνθρώποις, hominibus.* Sic Marc. 1: 15. 1 Cor. 14: 11.

In compositione quandoque emphasin verbo addit, *ἐμβριμᾶσθαι graviter interminari.* Matth. 9: 30. &c.

9. *ἐπὶ*.

Significat 1. *In*, de loco, subjecto, instrumento &c. Matth. 6: 10. c. 14: 11. Marc. 2: 4. Luc. 1: 47. cap. 9: 49. Hebr. 8: 10. De tempore, Matth. 1: 10. Luc. 10: 35. Actor. 4: 5. 3: 1. &c.

2. *Ad*, de loco, subjecto &c. Luc. 1: 17. cap. 3: 2. cap. 10: 9. De causa finali, Matth. 50. Sic Eph. 2. v. 10. *Creati sumus in Christo Jesu, ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς, ad bona opera*, Vulgata: *in bonis operibus.* Sed rectè Vega opusc. de meritis & justif. pag. 803. (citante Mortono in Apol. Cathol. part. 2. l. 1. cap. 13.) *Non satis commodè vertit vulgatus interpres: commodius esset, non sic vertere, ne inde quis ansam sumeret, operibus imputandi suam creationem in Christo: nihil enim magis Paulo alienum fuit, qui ubique eam gratiam operibus nostris abrogat, & uni Christo ex asse adscribit.*

3. *Ad, apud:* sine motu. Matth. 9: 9. Luc. 24: 22. Marc. 13: 9. Huc pertinet, quòd *juxta* significat. Matth. 21: 19. *Et videns ficum ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, juxta viam.* Ubi distantia quædam notatur, â via enim paulum distitit, ut Christus fructum quærens, à via ad locum illum declinaret: unde Marc. 11: 13. *μακρόθεν* stetisse dicitur; quod de distantia non ita magna accipitur Matth. 27: 55. Marc. 5: 6. cap. 13: 40. Luc. 18: 13.

4. *Cum.* Apoc. 7: 15. *σκηνώσει ἐπ' αὐτοὺς habitabit cum illis.* cap. 21: 3. pro hoc dicitur *μετ' αὐτῶν, cum illis.*

5. *Super, supra:* Tùm de loco, persona, vel re. Matth. 24: 2, 3. Joh. 1: 32, 33. Luc. 3: 22. Eph. 2. vers. 20. *Tùm* de statu & præeminentiâ, Matth. 24: 47. cap. 25: 24. Luc. 1: 33. Actor. 8: 27. Eph. 4: 9.

6. *Contra*, Luc. 11: 17. c. 9: 5. Eph. 5: 6.

7. *Sub*, quando personæ additur, & tempus innuitur. Marc. 2: 26. *ἐπὶ Ἀβιάθαρ sub Abjathare &c.* h. e. illius tempore. Sic Luc. 3: 2. c. 4: 27. Huc refertur * 1 Tim. 6: 13. *Et Christo Jesu, qui testificatus est ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, sub Pontio Pilato, bonam confessionem.* Testimonium hoc congruè intelligi potest de omnibus, quæ dixit fecitque Christus toto passionis tempore, quæ sub Pontio Pilato, seu ejus tempore eoque præside Judææ contigit. Cùm enim *testis* vocetur, non tantùm qui verbis, sed etiam qui factis aliquod confirmat (unde *martyrum* sive testium nomen iis tribuitur, qui sanguine fuso Christi doctrinam confirmant) Christus præcipuâ ratione vocari *testis divinæ veritatis* potest, quia sc. omnia vaticinia Patris cœlestis, in Prophetis edita, cumulatissimè implevit, præsertim in passione ac morte. Ad hujus ego imitationem hortatur Paulus Timotheum, ut quemadmodum Patris sui verbis admirabili constantiâ, obedientiâ, imò ipso mortis supplicio; sic ipse vitæ exemplo morumque sanctitate testimonium reddat Euangelio. Quæ ferè verba sunt Sanctii in Es. 5. vers. 43. pag. 355. Huc etiam reduci potest, Hebr. 9: 17. *Testamentum enim ἐπὶ νεκροῖς sub mortuis firmum est*, hoc est, tempore illo, quo testator obiit diem suum: sequitur: *alioqui nondum valet, dum vivit, qui testamentum fecit.*

* 1 Tim. 6: 13. Bona Christi confessio.

8. *Secundùm*, ut normam denotet, Luc. 5: 5. c. 1: 59.

9. *PER*, de instrumento: Act. 3: 16.

10. *Propter*. Luc. 1: 29. cap. 9: 43. Apoc. 1. vers. 7. Heb. 7: 11. Huc pertinet Act. 11: 19. *Illi igitur; qui dispersi fuerant à persecutione facta, ἐπὶ*

θα, ἐπὶ Στεφάνῳ, *propter Stephanum*. Ob ipsum enim, cùm liberrimè professus fuisset Christianismum, orta fuit hæc persecutio, cùm metuerent, ne latiùs hæc serperet hæresis. Drusius verti posse ait, *post Stephanum*, scil. lapidatum. Id enim (ait) ἐπ' etiam significat. Scholiastes Thucydidis, ἐπὶ τούτοις exponit μετὰ ταῦτα.

11. Cum pronomine constituit adverbium temporis. Joh. 4: 27. καὶ ἐπὶ τούτῳ *& intereà venerunt discipuli ejus*. Potest etiam verti, *& in hoc*, seu *hac ipso loquente* &c. Et adverb. congregandi *unà*. Actor. 2. verf. 1. ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *unà*, *simul*. Sic c. 3: 1. Item conjunctionem causalem, *propterea quòd*, Rom. 8: 3. c. 5: 12.

12. Quandoque abundat. Act. 10: 16. ἐπὶ τρὶς; *ter*. 1 Corinth. 8: 11. ἐπὶ τῇ σῇ γνώσει, *tua ista notitiâ*.

In compositione vel *Ad* significat, ἐπισπάομαι *attraho*, 1 Cor. 7: 18. ἐπιτυγχάνω, *assequor*, Rom. 11: 7.

Vel *in*, ἐπιβάλλω *injicio*, Matth. 9: 16. quod verbum alia etiam significat &c.

Vel *super*, ἐποικοδομεῖν *superædificare*, Eph. 2: 20. Jud. verf. 20. quo in loco posteriori Junius voculæ ἐπὶ hanc emphasin esse ait, ut significet *ampliùs*, & innuatur piorum officium, qui non debent adeò oscitanter acquiescere in demenso fidei, quod à Deo antè acceperint, quin magis ac magis studeant sacris literis, & fidem suam studio earum excolant atque statuminent. Confer 2 Tim. 1. verf. 6. cap. 3: 14. cap. 4: 25. Hæc significatio ferè est in ἐπιδιατάσσεσθαι, *ultrà* vel *ampliùs ordinare*: seu ordinando vel disponendo superaddere, Gal. 3: 15.

Vel sine etiam emphasi & significatione voci additur. ἐπιδίδωμι, *do*, Matth. 7: 9. Etsi non redundare hîc existimat Junius, sed perinde sonare inquit, ac si dixeris, *super petitione ejus* &c. Quid sit, & cur vocetur *panis* ἐπιούσιος, Matth. 6: 11. vide D. Meisn. Philos. sobr. part. 2. p. 546.

10. κατὰ.

Significat 1. *Contra*. Rom. 8: 32. 1 Pet. 2: 11. Jud. v. 15.

2. *Ad*, de loco. Luc. 10: 32. Act. 16: 7. Et de re. Act. 25: 14. τὰ κατὰ τὸν Παῦλον, *quæ ad Paulum*, seu quæ Paulum attinebant: c. 17: 28. *Sicut & quidam* τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν, *poetarum*, *qui ad vos pertinent* (seu vestratium poëtarum) *dixerunt*.

3. εἰς, *In*. Marc. 14: 3. Gal. 2: 11. 2 Tim. 1: 1.

4. ἐν *In*, de loco, Act. 22: 19. cap. 24: 12. De tempore, Luc. 11: 3. Actor. 27: 27. c. 17: 17. 2 Tim. 4: 1. Hebr. 3: 13. Distributivè accipitur, Marc. 15: 6. κατὰ ἑορτὴν, *in singulis festis*, Luc. 21: 11. κατὰ τόπους *in singulis locis*. Act. 16: 5. καθ' ἡμέραν, *singulis diebus*, seu quotidiè. 1 Cor. 16: 2. κατὰ μίαν σαββάτων, *primo unoquoque die Sabbathi*. De re quacunque, Matt. 1: 20. κατ' ὄναρ *in somno*. Heb. 11: 13. κατὰ πίστιν *in fide*.

5. *Ex*. Marc. 5. verf. 13. κατὰ τοῦ κρημνοῦ, *ex præcipitio*. Tit. 3. v. 5. κατὰ ἔλεον, *ex misericordiâ*. Philem. v. 14. κατὰ ἀνάγκην, *ex necessitate*.

6. *PER*, de loco. Act. 9: 42. cap. 21: 21. Cum distributione: Tit. 1: 5. κατὰ πόλιν *per civitates singulas*, seu oppidatim. Act. 20: 20. κατ' οἴκους *per domus singulas*, domesticatim. De tempore, Apoc. 22: 2. De jurejurando Heb. 6: 13. De causa & modo agendi. Marc. 1: 27. κατ' ἐξουσίαν, *per potestatem*. 1 Tim. 5: 21. κατὰ πρόσκλισιν *per inclinationem*, seu in alteram partem inclinando.

7. *Ante*. Luc. 2: 31.

8. *Propter*. Phil. 4: 11.

9. *De*. 1 Cor. 15: 15. Tit. 1: 9.

10. *Secundùm* Matth. 1: 1. *Evangelium* κατὰ ματθαῖον, *secundùm Matthæum*. Quidam per genitivum reddunt, *Matthæi*: sicut in Hebræo dicitur מִזְמוֹר לְדָוִד *Psalmus Davidis*, Syrus ܕܡܬܝ *Matthæi*: Luc. 6: 23, 26. Rom. 8: 1. c. 9: 11. 2 Cor. 11: 29. 1 Tim. 1: 11.

11. Distributioni inservit. ut §. 3. dictum. Sic Act. 21: 9. καθ' ἓν ἕκαστον, *singula*.

12. *Adjectivi* periphrasi inservit. Actor. 25: 23. τοῖς κατ' ἐξοχὴν οὖσι τῆς πόλεως, *principalibus* seu *magnatibus urbis*. 2 Cor. 8: 2. ἡ κατὰ βάθους πτωχεία, *profunda egestas*.

13. *Adverbii* periphrasi inservit. Tùm *qualitatis*. Actor. 19 v. 20. κατὰ κράτος *fortiter*. Tùm *similitudinis*. Actor. 15: 11. καθ' ὃν τρόπον *quemadmodum*. Sic cap. 27: 25. Tum *separandi*, Marc. 9: 13. κατ' ἰδίαν *seorsim*. Act. 28. v. 16. καθ' ἑαυτὸν, *seorsim*. Huc pertinet Joh. 10: 3. κατ' ὄνομα, *nominatim*. Marc. 14: 19. & Joh. 8: 9. habetur: εἷς καθ' εἷς *singulatim*. Ubi quidam dicunt, καθ' esse idem ac καὶ εἶτα, *unus*, *& deinde unus*, h. e. singulatim. (Sicut κἀγὼ dicitur pro καὶ ἐγὼ.) Sed negat hoc Casaubonus, propter locum Rom. 12: 5. ὁ δὲ καθ' εἷς. Confer Eph. 5: 33. Apoc. 4: 8. ubi accusativus ponitur.

Notetur etiam, κατὰ deesse, Matth. 4: 15. ὁδὸν θαλάσσης, pro καθ' ὁδὸν, *secundum viam maris &c.*

In compositione quandoque significat *contra*, κατηγορεῖσθαι *accusari*, Matth. 27: 12. καταγινώσκειν

γινώσκειν *condemnare*, 1 Joh. 3: 20. καταφρονεῖν, *contemnere*, Matth. 6: 24. κατακαυχᾶσθαι *contra gloriari*. Rom. 11: 18. Placet hic verba Erasmi annotare de verbo ᵃ καταστρηνιᾶν 1 Tim. 5: 11. στρηνιᾶν (inquit) *est licentiùs & immoderatiùs agere, quod mibi videtur commodissimè reddi posse, si dixerimus lascivire. Vocem compositam putant*, παρὰ τὸ στερεῖν, *quod est auferre, &* ἡνία, *id est, babena: ut translatum sit ab animantibus brutis, quæ freno vel babenis revulsis suo feruntur arbitrio, & pastu ferocientia non obtemperant babenis. Sive à* στρηνὸν, *quod est durum, propterea quod jam intractabiles sint, nec regi possint. Deinde præpositio* κατὰ *addita in compositione, significat incommodum ejus, quod apponitur in genitivo. Siquidem hæc præpositio, quoties bunc adsciscit casum, reddit verbum relativum, & ferè significat in malam partem: ut* καταφρονεῖν *&* καταψηφίζομαι, *id est, sentire in contemtum alicujus & ferre suffragium adversus bunc aut illum. Ita* καταστρηνιᾶν τοῦ χριστοῦ, *est lascivire in contumeliam & injuriam Cbristi, seu ferocire adversùs Christum, cujus prætextu alitæ sunt* (viduæ juniores) *usque ad intemperantiam*. Hæc ille, in annot. ad Epist. Hieronymi ad Gerentiam viduam, de monogamia, tom. 1. f. 39.

ᵃ καταστρηνιᾶν. 1 Tim. 5. v. 11.

Quandoque oppositum est τῷ ἀνὰ, & significat κάτω *deorsum*. Ut ἀναβαίνω, *ascendo*, καταβαίνω, *descendo*, Matth. 3: 16. &c.

Quandoque significationem tantummodò intendit. κατεσθίειν & καταφάγειν, *devorare*, Matth. 23: 14. cap. 13: 4. κατέχειν, *obtinere*, 21: 42. κατανοεῖν, *animadvertere, probè considerare*, Matth. 7: 3. Luc. 12: 24. Quò pertinet, quòd copiæ seu multitudinis significationem voci simplici addit, κατείδωλος *idolis infertus*, Act. 17: 16. (alii, *idololatriæ deditum* vertunt) sicut Geographis dicuntur loci κατάδενδροι, *multis arboribus referti*, & κατάδρυμοι, q. d. *Sylvosi*. Hanc significationem Act. 17: 16. Syrus etiam amplectitur, qui vertit, civitatem מליא פתכרא *plenam idolis*.

Quandoque etiam nihil præter significationem verbi simplicis addit καταβαρεῖν *gravare*, 2 Cor. 12: 16. καταγγέλλειν *nunciare* Act. 13: 5. c. 13: 38. ᵇ κατακυριεύειν *dominari*, Matth. 20: 25. Marc. 10: 42. Bellarm. lib. 5. de Pontif. Rom. cap. 10. *non simplicem, sed violentum dominatum, qualis Tyrannorum est, verbo boc exprimi* contendit, sed perperam. Nam de Regibus & principibus in genere & indefinitè loquitur Christus: Et Luc. 22: 25. per simplex κυριεύειν fit explicatio. Et de εὐεργέταις *beneficis* sermo est, ibid. quod nomen Tyranno non rectè convenit: Et aliàs in bonam etiam partem à LXX. Interpretibus accipitur, Gen. 1: 28. de primis parentibus ante lapsum: Psal. 73: 8. de Salvatore Christo. Sic in Homer. Il. μ. οὐ μὲν ἀκλειεῖς Λυκίην κατακοιρανέουσιν ἡμέτεροι βασιλῆες, *nequaquam inglorii Lyciam administrant nostri Reges*. Confer D. Meisn. Phil. sobr. part. 2. p. 434. seqq.

ᵇ κατακυριεύειν.

ᶜ μετανοεῖν.

## 11. μετὰ.

Significat 1. *Cùm*, Matth. 12: 30. cap. 17: 3. Marc. 14: 48. 1 Joh. 1: 6.
2. *Apud*, Joh. 3: 26.
3. *Coram*, Actor. 2: 28.
4. *Inter*, Luc. 24: 5.
5. *Per*, Actor. 14: 27. c. 15: 4.
6. *Contra*, Apoc. 11: 7.
7. *Post*, Joh. 3: 22. Act. 7: 4. cap. 13: 15. c. 28: 11. Quandoque tamen pro *intra* accipitur, si de tempore sermo sit, ut supra dictum can. 11.

Cum infinitivo, per *postquam*, & verbum finitum fit explicatio. Actor. 7. v. 4. cap. 15: 13. &c.

In compositione quandoque *trans* significat, μεταβαίνειν *transire, digredi*, Matth. 11: 1. c. 17: 20. Luc. 10: 7. &c. μεθιστάνειν *transferre*, 1 Cor. 13: 2. μετοικεσία *transmigratio*; Matth. 1: 11. μετασχηματίζειν *transfigurare*, 1 Cor. 11: 13. Phil. 3. v. 21. Huc pertinet μετανοεῖν Matth. 3: 2. quod Lutherus *transmentari* reddidit. tom. 1. Jen. Lat. f. 80. μετανοεῖτε (inquit) *pœnitentiam agite, quod rigidissimè transferri potest, transmentamini*, id est, *mentem & sensum alium induite, resipiscite, transitum mentis & phase Spiritus agite, ut scil. nunc cœlestia sapiatis, qui huc usque terrena sapuistis &c.* Quidam ad significationem *POST* respectum habentes, reddunt, *post factum sapere*, & de errore admisso ita dolere, ut corrigas. Sed res eodem redit. Sic μεταμέλεσθαι, *pœnitudine duci*, vel post rem aliquam perperam patratam anxium & solicitum esse: à μετὰ post, μέλει *curæ est*. De differentia inter μετάνοιαν & μεταμέλειαν, & utriusque significatione videatur Meisnerus Philos. sobr. part. 2. p. 509. seqq.

Quandoque significationem *ad* habet: μετακαλεῖσθαι *advocare, accersere*, Actor. 7: 14. c. 10: 32. Quandoque *circum*: μετάγεσθαι *circumagi*, Jac. 3: 3. 4. Quandoque *cum*: μετέχειν *participare*, q. cum aliquo frui. 1 Cor. 9: 10, 12. &c.

## 12. παρὰ.

Significat 1. *A vel ab* Luc. 5: 45. Joh. 6: 45. c. 16: 28. 2 Tim. 3: 14.

2. *Ad*,

2. *Ad*, Matth. 15: 29, 30. Act. 4: 35, 37. c. 16: 13.

3. *Apud*. Luc. 1: 30. c. 5: 1. c. 18: 27. Act. 21: 16. c. 26: 8. &c.

4. *Juxta*. Matth. 4: 18. cap. 20: 30. Luc. 18: 35.

5. *In*, Matth. 13. vers. 4. 19. Johann. 14: vers. 23.

6. *Præter*, ultrà. Luc: 3: 13. 1 Cor. 3: 11. Gal. 1: 8, 9.

7. *Contrà*. Act. 18: 13. Rom. 1: 25, 26. c. 4: 18: cap. 11: 24. cap. 16: 17. Gordonus Huntlæus, in epit. controv. pag. 126, 127. (Bellarminum secutus) addit citatum paulò antè locum a Gal. 1: 8, 9. ad astruendum, ea tantùm prohiberi dogmata, quæ contra Apostolorum doctrinam sint: confert exempla antè citata, Actor. 18: 13. Rom. 1: 26. cap. 11: 24. (ubi παρὰ φύσιν, *contra naturam* significat, quomodo Ciceronem ex Græco vertisse testatur H. Stephanus.) cap. 4: 18. cap. 16: 17. &c. Sed resp. disparitatem huic loco cum cæteris exemplis intercedere sat evidentem. In illis enim παρὰ construitur cum suo nomine, & ad antecedens verbum respectum non ita habet: *contra legem*, *contra naturam*, *contra spem*, *contra doctrinam* &c. At Gal. 1: 8, 9. constructio est cum præcedenti verbo, quod significationem *præter* vel *ultrà* requirit: *Sed licet nos, aut angelus de cœlo euangelizaret vobis*, παρ' ὃ *præter id, quod euangelizavimus vobis, anathema esto &c.* Ipse verborum sonus indicat, prohiberi, ne quicquam præter & ultra doctrinam ab Apostolis traditam divinitùs, in negocio salutis doceatur recipiaturque. Conferatur igitur locus iste potiùs cum 1 Cor. 3: 11. *fundamentum aliud nemo potest ponere*, παρὰ τὸν κείμενον, *præter id, quod positum est, qui est Jesus Christus.* Quemadmodum nullum salutis fundamentum, præter Christum, poni potest & debet: Sic nulla doctrina salutis, præter Euangelium de Christo, ab Apostolis traditum, acceptanda & credenda. Sicut Christus fundamentum salutis perfectissimum est: Sic Euangelium ejus doctrina salutis perfectissima est, ut supplemento alio traditionum humanarum non indigeat. Hæc immediata & proxima voculæ παρὰ h. l. significatio est. Interim, rem ipsam quod attinet, lubenter concedimus, quæ præter doctrinam Apostolicam adferuntur, ut necessaria æternæ salutis dogmata, ea etiam doctrinæ Apostolicæ esse contraria. Ideò enim Paulus v. 6. Galatas dicit *transferri à vocante eos in gratiam Christi*, εἰς ἕτερον εὐαγγέλιον, & vers. 7. Pseudoapostolos dicit μεταστρέψαι *pervertere Euangelium Christi*: etsi illi docebant, non contraria prædicationi Pauli à se proponi, cùm ipsi fidem ad salutem necessariam doceant, additis tamen legis divinæ operibus. At hæc additio deterrima doctrinæ salvificæ depravatio, & alieni contrariique dogmatis intrusio erat. Subsumatur nunc de traditionibus Papisticis (quem scopum Gordonus intendit) & res erit plana. Confer D. Gerhard: in exeg. tom. 1. p. 366. & tom. 1. Confess. Cathol. p. 31, 46.

a Locus Gal. 1: 8, 9.

8. *Præ*, Luc, 13: 2, 4. Rom. 14: 5. Hebr. 1: 4, 9.

9. *Propter*. παρὰ τούτω, *propter hoc*, 1 Cor. 12: 16.

10. *Minùs*, de numero, 2 Cor. 11: 24.

11. *Suprà*, vel magis quàm, Rom. 1: 25. c. 14: 5. Heb. 1: 9.

In compositione, *ad*, significat, παραγίνομαι, *adsum*, *advenio*, Matth. 2: 1.

*Præter*, vel *trans*. παραβαίνω, *transgredior*, Matth. 5. v. 2. Atque huc Junius in notis ad epist. Judæ tom. 1. oper. col. 1670. refert verbum emphaticum, παρεισέδυσαν, Jud. vers. 4. quo significatur, *præter* jus & fas, subdolè & sensim se insinuâsse in sanctorum cœtum, homines istos damnabiles. Ut tria hac voce exprimantur, 1. *factum*, quòd in cœtum sanctorum venerint, 2. *modus*, quod irrepserint, & clanculùm se insinuârint (quæ vis verbi δύειν seu δύνειν est,) 3. *causa*, voculâ παρὰ notata, quòd *præter* jus & fas, Satanæ instinctu id fecerint. Vide duas voces similes, ejusdemque emphaseos Gal. 2. v. 4. Item 2 Petr. 2: 1.

Comparationem παραβάλλω, *confero*, Marc. 4: 30. Unde παραβολή *parabola*, *collatio*.

Significationem intendit, παραδειγματίζειν, *ignominiæ exponere*, Matth. 1: 19. Significatio est severæ animadversionis, & publicæ τιμωρίας. Demosth. παράδειγμα ποιῆσαι τοῖς ἄλλοις ἵν' ὦσι μετριώτεροι &c. Beza παραδειγματίζειν, *publicæ infamiæ exponere* dicit significare, etiam cùm à judice non intenditur pœna, ut apud Plutarchum Archilochus scribitur editis parùm honestis versiculis sese παραδειγματίσαι.

Vocem παράδεισος, *hortus*, *viridarium*, quidam ex παρὰ præpos. & nomine δεῖσα, *humor*, compositam putant, vel ex verbo δεύειν *rigare*, *madefacere*, deducunt, ut sit hortus irriguus; sicut Suidas sentit. Sed manifestum apprimè est, ex Hebræo פרדס *Pardes*, originem duxisse, quod locum arboribus consitum significat. Neh. 2: 8. Eccl. 2: 5. Cant. 4: 13. Septuaginta Interpretes *hortum in Eden* Gen. 2: 8. hoc nomine indigitant; & aliàs sæpè pro horto quovis usurpant. In N. T. metaphoricè cœlum ipsum, in quo se Deus beatis manifestat, designat. Luc. 23: 43, 2 Cor. 12: 4 Apoc. 2: 3.

13. περὶ.

Significat 1. *De*. Joh. 1. verf. 22. cap. 5: 46. 1 Cor. 1. v. 4. cap. 7: 25. cap. 12: 1. c. 16: 12.

2. *Pro*, de utilitate. Matth. 26. verf. 28. Marc. 14. verf. 24. Luc. 4 v. 38. cap. 22: 32. Joh. 16. verf. 26. Joh. 17: 9. 20. Actor. 8. v. 15. Col. 4: 3. 1 Petr. 3: 18. 2 Theff. 1: 11. Heb. 5: 3. c. 10: 18. 1 Joh. 2: 2. c. 4: 10. cap. 5: 16.

3. *Per*, Rom. 8: 3. περὶ ἁμαρτίας, *per peccatum condemnavit peccatum in carne*. Conferatur locus infignis 2 Cor. 5. ult. qui hunc explicat. Luth. tom. 4. Lat. f. 54. *Ita peccatum meum, ne me accuset & damnet, damnatum est, per peccatum, id est, per Christum crucifixum, qui factus est pro nobis peccatum, ut justitia Dei per illum fieremus &c.* Tit. 2. v. 7. περὶ πάντα *per omnia*.

4. *Propter*. Luc. 19: 37. Joh. 6: 41, 61. c. 10: 33.

5. *Contra*. Joh. 6: 41.

6. *Cum*. Actor. 21: 8.

7. *Circum*. De loco Act. 28: 7. Apoc. 15: 6. De tempore, Act. 22: 6. De re aliâ 1 Tim. 6: 4.

8. Obfervanda etiam phrafis, ἐξουσίαν ἔχειν περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, *in potestate habere propriam voluntatem*, 1 Cor. 7: 37.

In compofitione fignificat *circum*. περιάγειν: *circumire*, Matth. 4: 23. Significationem etiam intendit, περίλυπος, *valdè tristis*, q. d. circumcircâ feu undiquaque triftis &c.

14. πρὸ.

Significat *Ante*, de tempore. Matth. 5. v. 12. cap. 8: 29. 1 Cor. 4. verf. 5. 2 Tim. 4: 21. &c. *Ante*, *præ*, de loco, Act. 5: 23. cap. 12: 6.

Cùm infinitivo, *priusquàm* redditur, Joh. 1: 49.

In compofitione fignificationem dictam fervat. Tùm ratione *loci*: προάγειν, *præire*. Matt. 2: 9. προβαίνειν *progredi*, Matth. 4: 21. προαύλιον *vestibulum*, Marc. 14: 68. Tùm ratione *status*: προΐστασθαι, *præesse*, Rom. 12: 8. Tùm ratione *temporis* προγινώσκειν *anteà noscere*, Act. 26: 5. Rom. 8: 29. προελπίζειν *priùs sperare*, Eph. 1: 2. (quod de Judæis dicitur, qui ad fidem Chrifti vocati funt ante gentes. Conf. v. 13.) προβιβασθεῖσα, *priùs edocta seu subornata*, Matth. 14: 8. ut συμβιβάζειν eft *astruere dicendo*, five *docere*, Act. 9: 22. &c.

15. πρὸς:

Significat *Ad*, Joh. 14. verf. 12. 1 Cor. 7: 3. 1 Joh. 5: 19. *Apud*, Matth. 13: 56. Marc. 14: 49. Luc. 9: 41. Joh. 1: 1. *Propè ad*, Joh. 18: 16. *Usque ad*, Apoc. 1: 13. *Contra*, *adversùs*, Luc. 20: 19. Actor. 9: 5. Hebr. 12: 4. Vide fupra can. 5. §. 4. *Ergu*, 2 Tim. 2. v. 24. *De* Hebr. 1: 7, 8. cap. 4: 13. *Ex*, Eph. 3. v. 4. *Inter*. Actor. 28. verf. 25. *Pro*, Actor. 27: 34. *Secundum*, 2 Cor. 5: 10. Galat. 2: 14. *Circiter*, Luc. 24. v. 24. *Comparationem*, Rom. 8: 18.

Cum infinitivo caufam finalem notat, & *UT* redditur, Matth. 6: 1. cap. 13: 30. Quandoque eventum, Marc. 13: 22. Item adjunctum feu conditionem rei. Matth. 5: 28. *Qui viderit mulierem*. πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, h. e. ὥστε, *ita ut eam concupiscat*: declaratur afpiciendi modus, qui eft, certam voluntatem habere adulterandi, fi poffet, aliquam &c.

In compofitione vel *ad* fignificat, προσεγγίζειν, *appropinquare*, Marc. 2: 4. προσέρχεσθαι *accedere* Matth. 4: 3. προστίθεσθαι *adjici*, *adponi*, Matth: 6: 33. Vel verbo certum refpectum addit: προσαιτεῖν *mendicare*, Marc. 10: 46. cùm αἰτεῖν fimpliciter *petere* fignificet &c.

16. σὺν vel ξὺν.

Significat *Cum*, Matth. 27. v. 38. Luc. 2: 5. Connotat etiam opem & auxilium, Actor. 14: 4. Sic dicimus σὺν θεῷ, *cum Deo*, h. e. Dei auxilio.

*Apud* Luc. 1: 56. Phil. 1: 23.

Quandoque deeft. Exemplum vide can. 16. in fine. Cui conforme eft illud Philonis: ὃς αὐτοῖς ἅρμασι καὶ ἵπποις καταποντοῖ, *quos* (unà cum) *ipsis curribus & equis in mare demergit*. Et Thucyd. πορευόμενος χιλίοις ὁπλίταις ἐς τὰ ἐπὶ θράκης, *cum mille armatis militibus in Thraciam proficiscens*, *&c*.

In compofitione retinet fignificationem *cum*: συνευδοκεῖν *consentire*, *comprobare* Luc. 11: 48. συνεφίστασθαι *unà insurgere*, Act. 16: 22. Quandoque tamen aliud, vel nihil etiam fignificat, συνήδομαι *delector*, Rom. 7: 22. συνιδεῖν *considerare*, Actor. 12: 12. συνιστάνειν *commendare*, 2 Cor. 3: 1. συνιέναι *intelligere*, Matth. 13: 13. Et *considerare*, v. 19. Emphafin verbi Græci volunt h. l. effe, *simul mittere*, cùm fcil. is, qui audit, mentem fuam fimul mittit cum fermone, quem audit, ut pari quafi paffu incedant. Talis Latinorum phrafis eft: *assequi*, *quod dicitur*, *non assequor*, *quid velis*, *&c*.

17. ὑπέρ.

De hac can. 14. dictum, quantum sufficit, In compositione *Super* significat, ὑπερβάλλειν, *superare*, 2 Cor. 3. v. 10. ὑπερέχειν, *supereminere*, Rom. 12: 1. &c. ὑπεριδὼν Act. 17: 30. est, *dissimulans*, & connivens. Cui Germanorum respondet verbum übersehen.

18. ὑπό.

Significat 1. *Sub, subter:* De loco, Joh. 1: 49. Col. 1: 23. De statu seu subjectione, Matth. 8: 9. Rom. 6: 14, 15. Gal. 4: 2. 1 Petr. 5: 6.

2. *A vel Ab*, cum verbis passivis & neutris. Matth. 2: 17. c. 4: 1. Actor. 15: 3. cap. 16: 46. 1 Thess. 2: 14.

3. *Per*, de instrumento, Rom. 3: 13. *Venenum aspidum* ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν *per labia eorum* scilic. profunditur seu expuitur. Desumtum est ex Psal. 140: 3. ubi in Hebr. est עכשוב significans *ptyadem*, seu illud serpentis seu aspidis genus, quod venenum suum procul expuit. Vide can. 13. §. 5. Apoc. 6: 8. ὑπὸ τῶν θηρίων τῆς γῆς *per bestias terræ*.

In compositione *Sub* significat, ὑποβάλλειν *subjicere*, Act. 6: 11. ὑποτάσσεσθαι, *subjici* Luc. 2: 51. Item *Re*, ὑποστρέφειν, *reverti*, Luc. 1: 56. Significat & alia; ὑπομένειν *tolerare, perseverare*, Matth. 10: 22. Luc. 2: 43. &c. ὑποκρίνεσθαι *simulare*, Luc. 20: 20. unde *hypocrisis simulatio, &c.* De voce ὑπόστασις vide Meisn. Phil. sobr. part. 2 p. 411. & 515.

## *Nota.*

Sunt & aliæ particulæ, quæ cum Latinè præpositiones exprimant, in Græco sermone ad adverbia referuntur, χωρὶς *sine, absque* Matth. cap. 13: 34. Rom. 3. vers. 21. &c. ἄνευ *sine*, 1 Petr. 3: 1. c. 4: 9 ἄτερ, *absque*. Luc: 22: 6, 35. (χωρὶς etiam *separatim*, & *seorsim* significat, Joh. 20: 7. quò pertinet illud Joh. 15: 5. χωρὶς ἐμοῦ *separatim à me nihil potestis facere*, q. d. χωρισθέντες ἀπ' ἐμοῦ, *separati à me*, ut si palmes separatus sit à vite. Sic Eph. 2: 22.) ἐγγὺς, *propè*, Joh. 3: 23. c. 6: 19, 23. ἕνεκα & ἕνεκεν *propter*. Matth. 5: 10, 11. c. 10: 18. χάριν, *propter*, 1 Joh. 3: 12. νὴ, *per*, in confirmatione si ponatur 1 Cor. 15: 31. νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν, *per gloriam nostram!* q. d. quàm verè gloriari possum de benedictione divinâ in meo Apostolatu, de plurimorum scil. per ministerium meum conversione; tam verè etiam testari possum, quòd sim in quotidiano & perpetuo mortis periculo.

2. Sunt Græcis quædam particulæ, quibus loco inseparabilium præpositionum utuntur, quæ per se quidem nihil significant, præfixa tamen aliis dictionibus, significationem vel augent vel minuunt, vel alio modo variant. Inter illas in N. T. observandæ δυς & α.

Δυς difficultatem & vitium significat, estque contraria particulæ εὖ *benè;* δυσβάστακτος *difficilis portatu*, Matth. 23: 4. δυσερμήνευτος *explicatu difficilis*, Heb. 5: 11. δυσνόητος *difficilis intellectu*, 2 Pet. 3: 16. δύσκολος *difficilis in sumendo cibo* (à κόλον *cibus*) & generalius, *difficilis, arduus*, Marc. 10: 24.

A in compositione est (1.) στερητικὸν ἢ ἀρνητικὸν, *privativum, aut* negativum, & videtur esse ex ἄνευ vel ἄτερ, *absque* decisum. ἀθάνατος *immortalis*, ἀθανασία, *immortalitas*, 2 Cor. 15: 53, 54. 1 Tim. 6: 16. ἀθέμιτος *illicitus, nefarius*, Actor. 10: 28. ἄθεος *Dei expers*, Eph. 2: 12. ἀθῷος *innoxius*, Matth. 27: 4. ἀκατάπαυστος *cessare nescius*, 2 Pet. 2: 14. ἄφθαρτος *incorruptibilis*, Rom. 1: 18. &c. (2.) ἐπιτατικὸν *intensivum*, & videtur decisum ex ἄγαν *valdè*. Ἀτενὴς *intentus*, unde est, ἀτενίζω, *oculos defigo, vel accuratè intendo*. Luc. 4: 20. Huc referunt quidam nomen ἀσέλγεια, Marc. 7: 22. Rom. 13. v. 13. Gal. 5. v. 19: &c. quod idem esse dicitur, ac *indefinens lascivia, intemperantia, & voluptatis studium:* ab α intendentis, & nomine *Selga*, quod oppidum fuit vel Pamphyliæ vel Pisidiæ, cujus cives luxûs nomine fuerunt infames. Plinius l. 15. nat. hist. c. 7. & l. 23. c. 4. *Selgitici olei* meminit, quod nervis utile esse ait: à Selgitis inventum & usurpatum dicunt, ut vires luxu libidinibusque deperditas reciperent, nervosque debilitatos confirmarent. Syrus vertit vocem ἀσελγείας ܛܢܦܘܬܐ *putredo, fœtor;* ad eandem, ut videtur, notationem respiciens: Corpore enim Selgitarum luxu lasciviaque quasi putrescebant & foetida flebant &c. (Quidam tamen de Selgis aliter & honestius sentiunt. Aretius in comment. Rom. 13. vers. 13. Ἀσέλγεια *intemperantia, vitium temperantiæ oppositum. Selgæ erant Lacenum coloni, sobrii & temperantissimi: his contrarii cœperunt dici ἄσελγοι, q. d. asotos, & minimè idoneos ad Selgorum Rempublicam.*) Sic in profanis; ἄξυλος, *lignosus, lignis abundans*, ac si esset πολύξυλος. (3.) ἀθροϊστικὸν *congregativum*, & videtur decisum ex ἅμα *simul*. Sic ἀδελφὸς *frater*, deducitur â Grammaticis ab ἀ, simul, & δελφὺς, *uterus*, quasi ὁμόδελφυς, frater uterinus, Matth. 4: 18. Marc. 1: 16. &c. Sic ἄκοιτις *uxor*, παρὰ τὸ εἶναι ἅμ' ἀνδρὶ ἐν αὐτῇ κοίτῃ, *quòd unà cum viro sit in eodem lecto* quasi ὁμόκοιτις, σύνευνος. Dicitur & ἄλοχος, quasi ὁμόλοχος, *uxor* à λέχος *lectus*.

Huc

a ἀκολουθεῖν. comitari. Huc pertinet verbum a ἀκολουθεῖν, *comitari*, ab ἀκόλουθος, id eſt, ὁμοκέλευθος, *comes*, *aſſectator*, à κέλευθος, *via*. Vulgò per *ſequi* redditur, ſed non ſemper reſpectu præeuntis hoc intelligendum. Dicitur ſæpè populus ἀκολουθεῖν χριστῷ, Matth. 4: 25. c. 8: 1. & tamen Luc. 18: 39. ex populo memorantur οἱ προάγοντες, *præeuntes* vid. Jeſum, cujus in via erant comites b 1 Cor. 10: 4. mentio fit πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας, *ſpiritualis comitantis* (Iſraelitas in deſerto) *Petræ*, *quæ ipſe Chriſtus erat*, ut in textu ſequitur. Piſcator Herbornenſis (per Petram ἀκολουθοῦσαν metonymicè *aquam ex petra profluentem*, Pſal. 78: 20. Pſ. 105: 41. intelligens, quæ Chriſtum ſignificaverit) huic expoſitioni inter alia opponit hoc, quod ἀκολουθεῖν propriè ſignificet *ſequi*: jam verò Chriſtus non fuit comes, ſed *dux Iſraelitarum*. Num. 19: 13. Sed benè Franc. Junius huic objecto reſpondet, lib. 2. parall. 36. *Dixerit fortaſſe quiſpiam; atqui illa ſpiritualis Petra Iſraelitas ſecuta dicitur. Reſpondeo, minimè verò. Nam verbi ἀκολουθεῖν homonymia materiam iſtius dubitationis tollit, quâ plurimi opinionem falſæ illius hiſtoriæ* ( de ſecutis aquis ad caſtra Iſraelitarum) *abrepti ſunt. Eſt enim verbum ἀκολουθεῖν non ſolùm ſequi præeuntem ( ut vulgò ſolet accipi) verùm etiam generaliter ſignificat ſimul iter facere cum altero, ſive præeas, ſive ſequaris, ſive te comitem ad latus euntis adjunxeris. Factum eſt enim ex particula ἀ, qua apud Græcos non infrequenter ſignificationem habet τοῦ ὁμοῦ, ſimul, & nomine κέλευθος via, iter: unde primaria hæc & generalis ſignificatio profecta eſt &c.*

b 1 Cor. 10. petra comitans Iſraelitas in deſerto.

## Tantùm de doctrinâ PRÆPOSITIONIS.

*Ex mundo; IN Chriſto; PER θλίψιν; AD aſtra, fideli*
*PRÆPOSITA, in fletus valle, beata via eſt.*

Actor. 14: 22.

Διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ



*TRA-*

## TRACTATUS VII.

# DE CONJUNCTIONE.

Conjunctio vel *enunciativa* eſt, vel *ratiocinativa*. Enunciativa, quâ enunciationis partes cohærent; tùm *affirmativè*, & hæc eſt *copulativa*, & *conditionalis*; tùm *oppoſitè*, & hæc eſt *disjunctiva* & *adverſativa*. Ratiocinativa eſt, quâ enunciationis pars alia ex aliâ ratiocinando velut aſſeritur. Eſtque vel *cauſalis*, quâ antecedentis cauſa redditur: Vel *concluſiva* (quæ & rationalis dicitur) quâ ex antecedente conſequens concluditur.

## CONJUNCTIO COPULATIVA.

Copulativa eſt, quâ enunciationis partes tanquam ſimul veræ, abſolutè copulantur. Eæ ſunt, 1. *Inſeparabilis* ו de cujus multiplici uſu & ſignificatione lib. 4. tract. 1. hìc tantùm ſpecialia de ipſâ quædam. 2. *Separabiles* אַף גַּם *etiam*: Et in Græca linguâ καὶ, *&*, *etiam*.

### Canon I.

*Pro copulativâ conjunctione quandoque aliæ uſurpantur particulæ.*

1. Pronomen relativum אֲשֶׁר *quod*. Eccl. 5: 17. *Ecce quod vidi ego* טוֹב אֲשֶׁר־יָפֶה *bonum & pulchrum eſſe, comedere ac bibere, & frui bono ex toto labore ſuo.*

Hoſ. 12: 9. *Et dicit Ephraim, utique ditatus ſum, inveni divitias mihi: omnibus laboribus meis non invenient mihi* עָוֹן אֲשֶׁר־חֵטְא *iniquitatem & peccatum*, ut Pagninus vertit. Ita etiam R. Kimchi, qui & aliam interpretandi rationem ſubjicit, ut ſit ellipſis, pro וְלֹא דָבָר אֲשֶׁר בּוֹ חֵטְא *neque quicquam, in quo ſit peccatum. Peccatum enim,* חֵטְא (inquit) *minus eſt quàm* עָוֹן, *cùm quandoque idem ſignificet ac* שְׁגָגָה *error, ſeu peccatum ex ignorantiâ.* Addit & tertiam, ut ſit idem ac, *iniquitas,* אֲשֶׁר הָיָה לִי בּוֹ חֵטְא *in quâ mihi ſit peccatum*, q. d. in quâ ego peccaverim ſcil. ſcienter & volenter: Sicut Lev. 22: 16. voci עָוֹן per ſtatum regiminis additur אַשְׁמָה *reatus*, q.d. iniquitas, in quâ reatum contrahunt. Sed prima explicatio eſt ſimplicior. Tremellius & Junius aliter, at incommodius: *Omnes labores mei non ſufficiunt mihi, iniquitas eſt, quæ eſt aberratio:* h.e. (inquirunt) quiſquis non init hanc viam, iniquus habendus eſt, & omnis aberratio ab hac lucrandi via, mihi cenſetur improbitas. In poſteriori editione hæc incommoda verſio ita mutata eſt, ut per עָוֹן *pœna iniquitatis* metonymicè intelligatur: *Iniquitatis pœna* eſt illi, *cui peccatum eſt:* q.d. ex eo facilè conſtat, me non eſſe peccati reum, quod mihi benè eſt: nam qui rei ſunt, eos Nemeſis impunè abire non ſinit.

2. Præpoſitio עִם *cum*. 1 Sam. 16: 12. *Et ipſe* (David) *ruffus* עִם־יְפֵה *cum pulchro oculis*, h. e. & pulcher oculis. Sic cap. 17: 42. Quidam vertunt, *cum pulchritudine oculorum.* Sed in Hebræo non abſtractum eſt (quod יְפִי ſcribitur Ezech. 28: 7, vel יָפִי Zach. 9: 17.) Sed concretum, יְפֵה quod conſtructum eſt ex יָפֶה *pulcher*. Sic & Geneſ. 39: 6. יְפֵה in ſtatu conſtructo ponitur.

Nah. 3: 12. *Omnes munitiones tuæ* (ſicut) *ficus,* עִם *& primitivi fructus &c.*

3. Præpoſitio עַד *uſque*, repetita, 1 Sam: 18. verſ. 4. *Et exuit ſe Jonathan pallio, quo erat indutus, & tradidit illud Davidi, & veſtes ſuas,* וְעַד *& gladium ſuum* וְעַד *& arcum ſuum,* וְעַד *& zonam*

*zonam suam*. Quidam pleonasticè עד poni, dicunt. Similis copulativâ locutio Gen. 7: 22. extat: *Et deleta est omnis substantia, quæ erat in facie terræ, ab homine* עד־בהמה עד־רמש ועד עוף *usque ad jumentum, ad reptile & ad avem cœli*, h. est, & homines, & jumenta, & reptilia, & aves cœli interierunt, &c.

## Canon II.

*In copulativâ enunciatione contingit quandoque ἀσύνθετον, quandoque πολυσύνθετον.* Seu, copulativa conjunctio quandoque omittitur in pluribus membris, cùm vel semel debebat poni; quandoque pluries repetitur, quàm necesse erat.

ΑΣύνθετον. Exod. 15: 9. *Dixit inimicus: persequar, apprehendam; dividam prædam, explebitur ei anima mea; exseram gladium meum, asseret eos in hereditatem manus mea.* Quæ hypothesis est præfidentis hostium consilii, victoriam sibi promittentium.

Jud. 5: 27. *Inter pedes ejus incurvavit se, cecidit, jacuit: inter pedes ejus incurvavit se, cecidit; ubi incurvavit se, ibidem cecidit, devastatus.*

1. Sam. 15: 6. *Edixit Saul Kenæis: abite, recedite, descendite è medio Amalekitæ &c.* Celeritatis index hoc asyntheton est.

1. Cor. 12: 4. seqq. prolixum in descriptione dilectionis asyntheton est. Vide & 1 Thess. 5: 14. seqq.

Πολυσύνθετον. Gen. 25: 34. *Et Jacob dedit Esavo panem, & jusculum lentium; & comedit ille, & bibit, & surrexit, & abiit, & contempsit Esau primogenituram suam.*

Gen. 43: 8. *Et surgemus, & abibimus, & vivemus, & non moriemur, etiam nos, etiam tu, etiam parvuli nostri.* Vide & 2 Reg. 2: 14. Jos. 7: 11, 24. Psal. 107: 35. seqq. Esa. 37: 37. Et in N. T. Joh. 10: 27, 28. 1 Cor. 13: 1, 2, 3. &c.

Ad polysyntheton & illud referri posset, quod in versuum initiis crebriùs particula copulativa usurpatur, quod cumprimis in Marco observare licet.

Repetitione copulativæ notatur etiam distributio, uti apud Latinos, *ET*, vel *tùm*, usurpatur. Gen. 36: 24. ואיה וענה *tùm Aia, tùm Ana.* Psal. 76: 7. *Præ increpatione tuâ, ô DEUS Jacob, consopitus est* ורכב וסוס *& currus & equus*, h. e. quicunque valuerunt robore & auctoritate: hi enim curribus & equis maximè vehi solent. Metonymia subjecti. Vel: tàm illi qui equis, quàm qui curribus vehebantur, milites, & eorum duces. Vide etiam Ezech. 43: 11.

## Canon III.

*Conjunctio copulativa non solùm conjungit, sed & quandoque in eo, cui additur, aliquid præ reliquis singulare designat; atque in eo genere majus.*

Alii sic: Aliquid seorsim ab aliis numeratur, licet jam priùs esset aliquo signo aut numero comprehensum, cùm in eo aliquid præter cætera eximium est. Vel: *Quod in aliquo genere excellit, seorsim ponitur ab aliis, quibus communis ratio.* Vel: Species vel pars excellens & præcipua, per copulativam interdum subjicitur generi seu toti.

Hoc in loquendi genere copulativa ET, idem valet, ac *Et præsertim*, seu *potissimùm*.

Jos. 2: 1. *Ite, inspicite terram istam, & Jericho*, h. e. & potissimum Jericho. In eâ enim urbe capessendâ maximum victoriæ momentum erat positum.

2 Sam. 2: 30. *Desiderati sunt ex servis Davidis novemdecim viri, & Hasael*: Is enim facilè primus erat inter ministros Davidis.

2 Chron. 26: 10. *In montibus & in Carmel.* Is enim montium præcipuus erat.

Neh. 8: 15. *In omnibus civitatibus, & in Jerusalem.* Hæc enim urbium Judææ metropolis.

Ps. 18: 1. *In die, quâ eripuit Jehova eum è manu omnium inimicorum ipsius, & è manu Saulis.* Seorsim Saul numeratur ab aliis hostibus, quia is erat hostis Davidis præcipuus. Sic Jer. 4: 3. Zephan. 1: 4. ubi Jerusalem subjicitur Judææ: & Zach. 2: 2.

Huc referunt Prov. 6: 16. *Sex ista odit Dominus, & septem* (h. e. septimum) *abominatio est animæ ejus*; h. e. sed præcipuè septimum maximè præ reliquis Deus abominatur. Potest tamen numerus cardinalis retineri, ut posterius membrum quasi correctio prioris sit: *Sex ista odit Dominus, imò septem abominationi sunt animæ ejus.* Æquè enim magna & coram Deo maximè abominabilia sunt scelera, quæ priori senario continentur, ac illud, quod septimo loco ponitur. Et hujus epanorthoseos exempla alibi etiam hoc in libro obvia sunt. cap. 30: 15. *Tria ista sunt insatiabilia:* (imò) *quatuor non dicunt, sufficientia est.* Ubi de numero

mero ordinali non potest posterius exponi, cùm in Hebræo verbum plurale sit additum. Sic v. 18. *Tria ista occulta à me*, וְאַרְבָּעָה *imò quatuor non novi.*

In N. T. Marc. 3:7, 8. *A Galilæa, & à Judæa, & ab Hierosolymis.* Hæc urbs in Judæa sita est, sed speciatim ob dignitatem ejus memoratur.

Marc. 16:7. *Sed ite, dicite discipulis ejus, & Petro*, q. d. & cumprimis Petro; quia scil. is præ reliquis lætissimo hoc resurrectionis Dominicæ nuncio exhilarandus erat, ob tristitiam & angorem summum, quo, memoriâ & conscientiâ lapsus sui, obrutus erat. Vide & Act. 1:14. cap. 26:22: 1 Cor. 9:5. Sic in Profanis: *Troas & Hectora. Danaûm atque immitis Achillis. O Dii & Jupiter*, apud Aristoph. &c.

## Nota.

Conjunctio copulativa quandoque affectum emphaticé exprimit, & quasi instar *interjectionis* est.

Act. 23:3. καὶ, *& tu sedens judicas me &c.* ubi affectus Pauli indignantis exprimitur. Sic in illo Virgilii: *Et quisquam Numen Junonis adoret?*

2 Cor. 2:2. καὶ *& quis est, qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me.* Ubi affectum blandientis denotat, q. d. quis, quæso est, qui me &c.

## Canon IV.

*Copulativa* אַף & גַּם, *etiam, præter copulationis officium non carent emphasi.*

Notentur quædam de his conjunctionibus in specie.

1. Quandoque augendæ & intendendæ sententiæ, non simpliciter copulandæ gratiâ ponuntur. Gen. 18:23. הַאַף *nunquid etiam disperdes justum cum improbo?* Chald. vertit הַבְּרֻגָז *an in ira?* accepit pro nomine אַף *ira*. Gen. 31:15. *Et comedendo* גַּם *etiam comedit*, h. e. etiam continenter exederit pecuniam nostram. Vide & Lev. 26:28, 29.

Sic in Græco, καὶ, *&*, *etiam*. Apoc. 1:7. *Et videbit eum omnis oculus*, καὶ *etiam qui eum transfixerunt*. Copulativam simpliciter non esse patet ex eo, quòd jam tùm omnium hominum mentionem fecit, c. 2:13. *Neque negâsti fidem meam*, καὶ *etiam in diebus quibus Antipas trucidatus est &c.* Amplificatur Pergamensium fides ex constantia in medio persecutionum æstu. Tale est illud Matth. 10:30. καὶ *etiam pili vestri capitis omnes numerati sunt*. Significat Christus, omnia nostra etiam minima, fide summâ & optimâ à Deo custodiri & conservari, nedum majores & pretiosiores partes. August. in Psalm. 109. *Illi in morte de animabus suis pertimescebant; ille ipsis securitatem etiam de capillis dabat. Itane verò anima perit, cujus capillus non perit?*

a Considerandum est & illud Luc. 19:42. ubi verba Christi lacrymantis super urbe Jerusalem, pathetica referuntur: ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σὺ, καίγε ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ &c. *Si vel tu nôsses, vel hoc saltem tuo die, quæ ad pacem tuam pertinent.* καὶ, bis repetitum, emphaticè ponitur pro Latino, *vel saltem*. *Si vel tu scires*, cui vel maximè hoc scire convenit: *vel saltem hoc ipso die tuo*, quo ego Salvator tuus ad te venio, ac me præsentem tibi sisto &c. Emphatica insuper in hoc sermone est vox *diei*: hoc enim vult dicere: dies gratiæ adhuc vobis lucet; sequetur autem nox, in qua non poteritis salutem vestram ampliùs operari, Joh. 9:4. cap. 12:35, 36. hæc dies est ultima occasio, quæ vobis ad salutem offertur. Emphaticum etiam epitheton diei, ἡμέρα σου vocat *diem urbis Hierusalem*, q. d. utinam vel in hoc die, qui peculiariter est *dies tuus*, à Deo ad salutem tibi datus, me Regem tuum & Messiam agnosceres &c.

a Verba Christi lacrymantis Luc. 19.

2. כִּי אַף *etiam quia*, in collatione rerum affirmativâ valet, *quantò magis*; in negativa, *quantò minus*.

In affirmativa, Deut. 31:27. *Dum adhuc ego vivo vobiscum hodiè, rebelles fuistis contra Jehovam*, וְאַף כִּי *& etiam quia post mortem meam*, h. e. quantò igitur magis. Sic 1 Sam. 14:30; Prov. 11:31. c. 15:11.

In negativa 1 Reg. 8:27. *Cæli, & cæli cælorum non capiunt te*, אַף כִּי *quantò minùs domus hæc, quam ædificavi*. Sic Job. 9. vers. 14. Hoc sensu ellipsis est particulæ כִּי Job. 4. vers. 19. Negativa vero לֹא additur 2 Paral. cap. 32. vers. 15.

Extra comparationem כִּי אַף est *eò quòd*, Prov. 21:27. *Sacrificium impiorum abominatio*, אַף כִּי *eò quòd in scelere adducit illud*. Quidam & in hoc comparationem agnoscunt: *quanto magis, cum scelerate offert illud*, h. e. scelerato animo, ut Bileam, Num. 23. & rationibus sceleratis interdictisque â Deo, ut Mal. 1.

כִּי גַם *etiam quia*, h. e. etiamsi, Ps. 23:4. Sic & גַּם solum, pro *etiamsi* ponitur Psal. 95: vers. 9. Sic & καὶ Hebr. 3:9. *Ubi tentaverunt*

*me patres vestri, tentaverunt me, καὶ etiamsi viderunt opera mea quadraginta annis.* Pertinet hoc ad amplificandam querelam institutam. Nota גם pro *tamen* accipi, Ruth. 3:12.

3. Copulativæ hujus & repetitio & conjunctio cum altera contingit, pleonasticè quidem, sed non absque emphasi.

Genes. 50:9. גם־רכב גם פרשים *etiam currus, etiam equites*, h. est, tum equites. Sic Exod. 12:31.

Lev. 26:42. *Et recordabor fœderis mei* cum *Jacob*, ואף *& etiam fœderis mei* cum *Isaac*, ואף *& etiam fœderis mei* cum *Abraham recordabor*, vers. 44. ואף גם־זאת *& etiam quoque hoc, cùm fuerint in terra hostium suorum &c.* Judæi mirificè delectantur hoc textu, & illum vocant ᵃ*Simiam auream*, den güldenen Affen / quòd Germanis אף *Aff* sit *Simia*. Inde enim pollicentur sibi certam ex servitute modernâ liberationem, & reductionem in terram Canaan, per adventurum Messiam. Et hanc simiam meritò aureis literis scribendam esse statuunt. Sed Judæos nostri temporis hanc promissionem haud quaquam attinere, ostendit D. Helvicus tom. 4. Giss. p. 371. seqq.

ᵃ Simia aurea Judæorum.

Apud Latinos his similia adferuntur, ex Cicer. *Auctoritate tuâ nobis opus est, & consilio, & etiam gratiâ.* Terent. *Ego quoque etiam credidi.* Item: *Ego pol quoque etiam timida sum.*

ᵇ ἀφφώ.

4. Denique notanda specialia quædam exempla de אף *etiam.*

Gen. 3:1. אף כי *etiam quia dixit Deus &c.* Verba Satanæ per serpentem Chald. vertit בקושטא *in veritate quod dixit Dominus*: vel: *verumnè est, Deum vobis dixisse?* LXX. τί ὅτι, *quare?* Vulg. *Cur præcepit?* ac si esset למה, & sic voluisset Satanas ad temerariè scrutandam causam istius prohibitionis, Evam permovere. Trem. *etiam quia edixit Deus.* Paralepsis, quâ Moses ex longiore Diaboli sermone id tantùm commemorat, quo obtinuit, quod moliebatur. Videtur enim inter multas rationes (quibus persuadere voluit, non ita à Deo amari homines, ut putabant, imò odisse eos, & ipsorum bono invidere) hanc adferre, quòd esu illius arboris prohibuisset, à quo penderet maximum hominis bonum, cognitio vid. boni & mali. Schindl. in lex. *Accentu duæ hæ particulæ dirimuntur* (is accentus Jethib est) *& interrogatio est ex sensu aut gestu pronunciantis intelligenda, pro* האף *an etiam ita est, quod &c. verumné est? ut sit admirantis.*

2 Reg. 2. vers. 14. *Ubi est Jehova Deus Eliæ,* אף הוא *etiam ipse*, (Elisæus) *& percussit aquas, & divisa sunt huc & illuc; & transivit Elisa.* Videtur ו post illas particulas, in ויחצו redundare, & solùm esse conversivum, nequaquam copulativum, ut lib. 4. tract. 1. observ. 7. dicetur, sensu hoc: *etiam ipse percussit aquas, & divisæ sunt &c.* Ad sequentia enim pertinere voculas illas, non ad præcedentia, *ubi est Jehova Deus Eliæ?* accentus Athnach ostendit, sub voce Eliæ. R. Kimchi ellipsin ad voces illas statuit, quam ita supplet: אף הוא נעשה לו נס *etiam hoc ipsum factum est ei miraculum; nam percussit aquas* (inquit) *vice altera, postquam dixit, ubi est Deus Eliæ? & divisæ sunt huc & illuc.* Addit, quosdam de Elia hoc exponere, ac si is, postquam spiritualis factus est, venisset, & aquas percussisset, & sic in transitum Elisæ discissæ illæ fuissent. LXX Hebræas particulas retinentes, in vocem unam eas contraxerunt, ᵇ ἀφφὼ, vel ut alii codices habent, ἀφῶ: & cum nomine *Jehovæ Dei Eliæ* connectunt, fortean, quia & הוא pro Dei nomine habuerunt, ut alibi nomini Jehovæ additum legitur, Thren. 1:18. Zach. 9. vers. 9. Athanas. in lib. de communi essentia Patris, Filii & Spiritus S. tom. 3. fol. 609. *Dicit igitur Elisæus, ubi Deus ἀφφὼ, quæ vox significat ambo, sive geminum. Ubi igitur Deus ἀφφὼ, pro eo, quod est Spiritus geminus?* Ex quo inter alia Spiritus sancti Deitatem probat, quia scil. hic *Deus geminus* dicitur, qui v. 9. dicitur *spiritus geminus.* Sed ex Hebrææ linguæ ignorantia hæc interpretatio τῦ ἀφῶ profluxit.

Psalm. 18. vers. 49. אף מן קמי *etiam ab insurgentibus* contra *me exaltasti me.* Pro hoc 2 Sam. 22:49. legitur ומקמי *& ab insurgentibus* contra *me.* LXX. & Latina vulg. אף ut nomen, quod *iram* significat accepêre, & antecedentibus verbis conjunxêre. Vertunt enim: ὁ ῥύστης μου ἐξ ἐχθρῶν μου ὀργίλων, *Liberator meus de inimicis meis iracundis.*

CON-

# CONJUNCTIO CONDITIONALIS.

Conditionalis seu connexiva est, quà pars enunciationis consequens ex antecedentis conditione connectitur: inter quas eminet, אם *εἰ*, *si*.

## Canon. V.

*Conditionalis conjunctio aliis etiam modis, quam per* SI, *effertur.*

Ponitur pro illa quandoque

1. Pronomen אשׁר *quod*. Lev. 4:22. אשׁר *si princeps &c*. Conf. v. 3, 27. ubi in simili locutione אם est. LXX. *ἐὰν ὁ ἄρχων ἁμάρτῃ*. Vide & Exod. 21:13.

Deut. 11:27. *Benedictionem*, אשׁר *si obedieris praeceptis Domini*. Confer vers. 20. ubi pro eo אם *est*.

1 Reg. 8:31. את אשׁר *si peccaverit quis in proximum suum*. Pro hoc 2 Par. 6:22. habetur אם *si*.

2. Particula temporis indeterminati *ὅταν* *quùm*. Luc. 17:10. *Sic & vos, ὅταν cùm feceritis omnia, quae praecepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus &c*. h. e. si feceritis. Nemo enim ad perfectionem eam in hac vita pervenire potest. Conditionaliter igitur Christus loquitur, quòd si possibile id esset, ut omnia, quae debuerunt, fecissent, tamen deberent se agnoscere servos inutiles. Flacius huc refert Rom. 2:26.

3. *μήποτε*, *ne quando*, accipitur quandoque pro *εἴποτε*, *si quando*, vel *εἰ ἄρα si forte*, 2 Tim. 2:25. Luc. 3:15. Negativa igitur particula affirmativè intelligenda. Simile huic est, *εἰ δὲ μή*, *quòd si non*: quae voculae subjiciuntur, non solùm affirmativis sententiis. Luc. 10:6. Joh. 14:2, 11. Apoc. 2:5, 16. sed etiam negativis, ubi contra quàm sonant, affirmativè accipiendae sunt. Matth. 9:17. *Neque infundunt vinum novum in utres veteres, εἰ δὲ μήγε, quòd si non, rumpuntur utres, & vinum effunditur*; h. e. *sin autem*, vel, *quòd si*, scil. infundant vinum novum in utres veteres &c. Sic & Matth. 6:1. Marc. 2:21, 22. 2 Cor. 11. vers. 16.

## Canon VI.

*Conditionalis conjunctio alienam quandoque significationem obtinet.*

Ponitur enim, 1. pro adverbio interrogandi. In V. Test. tritissimum hoc est: אם enim & *conditionalis* est, & *interrogativa* particula. Jud. 9:2. Job. 6:5, 6, 12. cap. 7:12. cap. 10:4:5. Esa. 66:9. Thren. 5. ult. Et cum praefixa litera ה interrogativa, האם *an?* Job. cap. 6:13. In N. Test. Matth. 12:10. cap. 19:2. *εἰ ἔξεστιν*, *si licet homini dimittere uxorem?* h. e. an licet? Sic Marc. 15:44. Luc. 13:23. c. 14:3. c. 22:49. Actor. 1:6. c. 4:19. c. 19:1. Phil. 1:22. &c.

In profanis. Lucian. *ἄκουσον ὦ Μίνως, εἴ σοι δίκαια δόξω λέγειν*, *audi Minos, an tibi justa dicere videar?* Terent. *Visam, si domi est*, h. e. an sit domi? *Estne ea intus? si sit rogas?* h. e. an sit. Cicero ad Att. *Delatus est ad me fasciculus: solvi, si quid ad me literarum? nihil erat, &c.*

2. Pro adverbio negandi. Id fit in formulis *juramenti* ellipticis, quando scil. membrum illud orationis conditionalis, quod mali imprecationem (si jurans fallat) continet, per aposiopesin reticetur. Et tùm conditionalis, quoad sensum idem est ac *non*.

Gen. 14:23. *Elevo manus meas ad Dominum &c.* אם *si à filo usque ad corrigiam calceamenti, imò si accepero de omni, quod tuum est*, h. e. quod non velim accipere. Integer sermo esset: *Elevo manus meas ad Dominum, seu juro, si à filo &c. tùm mihi Deus faciat sic, & sic addat*: quâ phraseos euphemia aliàs scriptura (pro imprecatione infausta & mali ominis) utitur, 1 Sam. 3:17. &c.

1 Reg. 1:51. *Juret mihi hodiè Rex Salomo*, אם *si interficiet servum suum gladio*, h. e. quod non velit interficere, Sic & Chald. habet דִלָא *quòd non*. Alia exempla videantur Gen. 21:23. c. 6:28. Deut. 1:34. Jud. 5:8. 1 Sam. 3:14. Ps. 95:11. &c.

In N. T. Marc. 8:12. *Amen dico vobis, εἰ δοθήσεται, si dabitur generationi isti signum*: ubi pro *εἰ*, Syrus habet לָא *non*, Matth. 16:4. pro eo est: *signum non dabitur ei.*

Quandoque לא negativa in hac forma loquendi expressè ponitur, Ez. 14:18.

E contrario in hac jurandi formula particulæ, *Si non*, affirmativum sensum habent. 1 Reg. 20:23. *At certè pugnemus contra eos in planitie:* אם־לא *Si non prævaleamus eis*, h. est, prævalebimus utique.

Es. 14. vers. 24. *Juravit Dominus exercituum dicendo*, אם־לא *si non*, *ut cogitavi*, *sic fiet*, h. e. certè sic fiet Sic Jer. 22: 6. Ezech. 3. v. 6. &c.

Huc pertinet Gen. 24: 37. *Jurejurando obstrinxit me Dominus meus*, *dicendo*, *ne accipias filio meo &c.* vers. 38. אם־לא *si non ad domum patris mei proficiscaris*, *& ad familiam meam*, *ut accipias uxorem filio meo*, h. e. utique proficisceris eò.

Pro אם־לא *si non*, quandoque est copulativa ו, Ez. 35: 11. & causalis כי *quia*, Gen. 24: 3. 1 Reg. 2: 23. Ruth. 1: 17. Jer. 22: 5. Ez. 35: 6. quo in loco notandum, post כי in posteriori versus parte sequi אם לא quod non ad jurandi formulam pertinet, sed propositionem affirmatam de subjecto infinito efficit: אם־לא דם שׂנאת *quia non sanguinem odisti*, *etiam sanguis persequetur te*, h. est, quia odisti vacuitatem à sanguine vel cæde. Lutherus: Weil du Lust zu Blut hast / eodem sensu.

3. Pro conjunctione causali, *quia*, Job. 14: 5. Ez. 35: 6. ut paulò antè. *Quòd*. Act. 26: 8, 23. 1 Tim. 5: 10. Marc. 15: 44. Hebr. 7: 15. *Cùm* seu *Quandoquidem* Gen. 23: 13. *Sed*, אם *si tu*, is es, *quæso audi me*, h. e. quandoquidem tu is es. Hephronem antè de facie non noverat, neque adesse putabat: cùm verò ipsummet loquentem audivisset, v. 10: 11. jam ad cognitum sic loquitur. Sic c. 43: 10. c. 47: 18. Jer. 14: 7.

Act. 4: 9. εἰ ἡμεῖς, *si nos hodiè accusamur &c.* h. e. quandoquidem. Sic c. 11: 17. Rom. 11: 17. c. 8: 31. 1 Pet. 1: 17. Joh. 10: 35. c. 13: 32. 1 Joh. 2: 29.

a Luc. 12. v. 49. Eadem significatio videtur esse in illo Salvatoris, a Luc. 12: 49. *Ignem veni mittere in terram: & quid volo*, *si jam accensus est?* Ignis hic metaphoricus verbum Euangelicum est, uti Theophylactus in comment. rectè interpretatur, (confer Jer. 20: 9. cap. 23: 29. Luc. 24: 32. Act. 2: 3, 4.) is ut in terrarum orbe toto arderet, & hominum corda accenderet amore Dei, Christus venerat, uti h. l. id testatur; per epanorthosin quandam subjiciens: b Joh. 21. 22: 23. Si volo eum manere &c. *Et quid volo* (quid tantoperè desidero, & anhelo, ut plenè prædicatione Apostolorum meorum in mundo ardeat?) εἰ ἤδη ἀνήφθει, *quandoquidem jam accensus est*. Quomodo? meâ doctrinâ, quam de cœlo attuli, & hominibus manifestavi. Idem igitur dicitur, quod Joh. 17: 4. verbis propriis & perspicuis Christus in suis ad patrem cælestem precibus edisserit: *Ego te clarificavi super terram*, *opus consummavi*, *quod dedisti mihi ut faciam*. v. 9. *Manifestavi nomen tuum hominibus*, *quos dedisti mihi de mundo &c.* Hic ille ignis cœlestis est, à Christo ipso accensus (confer Prophetiam Malach. 3: 2, 3.) sed non consummatus; complementum enim in Apostolicâ prædicatione universali secutum est, (confer Hebr. 2: 3.) antequam autem id veniret, *baptismate sibi opus esse* Christus ait, ob cujus recordationem nimis animo coarctetur & angatur. Luc. 12: 50. qui baptismus sanguinis & amaræ passionis ac mortis est, Matth. 20: 22. Secutura autem verbi prædicationem catholicam porrò, inquit, dissidia varia inter homines, ob religionem &c. v. 51, 52, 53. De quibus vide suprà tract. 3. cap. 22. §. 7. Hæc per occasionem de verbis Christi Salvatoris &c.

4. Pro adverbio indeterminati temporis *quum*, *postquam* Gen. 28: 20. cap. 38: 9. Exod. 10: 23. Psal. 63: 6. Prov. 3: 24. Esa. 4. vers. 4. Amos 7: 2. Joh. 13: 20. cap. 14: 3. cap. 16: 7. 1 Joh. 3: 2. Sic in illo Virgilii Æn. 5. *Præterea si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit*, h. e. postquam extulerit, Donato interprete.

5. Quidam etiam significationem *confirmatoriam* obtinere ajunt, ut idem sit quod *verè*, *utique* unde & ab אמן *firmum esse* (per apocopen ultimæ literæ) deductum esse Hebræorum אם *si*, ajunt. Psal. 139: 19. *Si occideris DEUS peccatores*, id est, verè occides eos. Sed pro *quandoquidem* hic positum esse *SI*, commodè dicitur (quæ significatio paulò antè indicata) *quandoquidem interemturus es*, *ô DEUS*, *improbum*, *itaque vos viri sanguinarii*, *recedite à me*. R. Salomo & alii optativè accipiunt, *utinam occidas!* sed vix suppetent alia exempla. Flacius ex Virgil. Æn. 6. illud Æneæ votum affert: *Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus ostendat!* Eadem ratio aliorum est, quæ adducuntur ex Gen. 47: 18: Psal. 59: 16. Psal. 63: 7. Prov. 3: 34. cap. 23: 18. Job. 22: 20. ubi אם *si*, pro *cum*, vel *quandoquidem* usurpatur: Quæ voculæ affirmationi propiores quidem sunt, quàm conditionalis, *si*, (præsupponunt enim rem ut certam, & ei aliud quid in sermone connectunt.) non tamen idem significant, ac *verè*, *utique*, *certè*, directè rem asseverantes particulis &c.

b Tandem verò malæ causæ patronum audiamus, Gordonum Huntlæum, qui particulæ אם *si*, affirmativam significationem (ut sit pro *verì*,

*rè*, *utique*, *certè*,) ideò ponit, & exemplis adstruit, in epit. contr. p. 560. seqq. ut errori vulgatæ versionis Latinæ, Joh. 21: 22, 23. suppetias ferat, eamque cum textu Græco conformet. Ubi enim in vulgatâ est: *Sic eum volo manere, donec veniam*: in Græco habetur, ἐὰν, *Si*. Verum itaque sensum verborum, *Si volo eum manere*, esse istum dicit, *verè volo eum manere, donec veniam*; quod vulgatus Interpres clariùs expresserit, per particulam affirmantem, *Sic*. Resp. (1.) *Quoad textum originalem*; In Johanne quadragies bis vocula ἐὰν extat (hoc non connumerato loco) nec tamen ullibi affirmativè significat id, quod Jesuita vult: Extra Johannem ducenties vicies ter in Nov. T. legitur, sed ne unicus significationem eam admittit locus. Ecqui igitur in hoc solo loco significatio ea acceptanda esset? præsertim, cùm & usus conditionalis in V. T. repugnet (uti anteà dictum) & significationem hanc ipse h. l. contextus repudiet. Nam (2.) non cohæret aptè sequens verbum increpatorium Christi, *quid ad te?* si legatur, *sic eum volo manere, donec veniat*: cohæret autem optimè, sermone hypotheticè per *si* formato. *Christus noluit* (ait ex Chrysostomo Erasmus) *respondere Petro, quid esset facturus de Johanne, sed voluit temerariam & curiosam illius interrogationem retundere: at id non fecit, si respondit illum mansurum.* ª Idem Erasmus verba Cyrilli adducit: *Hunc igitur ita Domino dilectum cùm respexisset Petrus, statim interrogavit, quis vitæ illi terminus immineret? Sed quoniam curiosa magis, quam utilis rerum alienarum inquisitio est, respondet quidem, sed ita, ut rogantis animum abducat ad alia, nec mortis expertem futurum Johannem ait, sed, si eum volo manere, donec venio, quid ad te? id est, audisti Petre, quæ ad te pertinent, cur aliena quæris? cur divina justitiæ secreta rimaris? nam si etiam vellem minimè istum mori, quid tu unquam emolumenti, aut quid consolationis consequeris? &c.* (3.) Si Christus categoricè voluisset loqui, *vel* nullâ fuisset usus confirmatoriâ particulâ; id enim satis fuisset ad quæstionem Petri, v. 21. *Domine, quid autem hic?* Resp. *volo eum manere usque dum veniam*: vel consuetâ sibi usus fuisset asseveratoria formula *Amen, Amen, dico tibi*, uti v. 18. & aliàs sæpissimè. (4.) Euangelista errorem discipulorum ex verbis Christi haustum corrigens, accuratam facit oppositionem. vers. 23. inter enunciationem categoricam (*& non dixit ei Jesus, non moritur*) & hypotheticam (*sed, ἐὰν si eum volo manere, donec veniam, quid ad te?*) Si posterior etiam categorica est, exspirat oppositio, & error discipulorum constabilitur; quid enim aliud Christus dixisset, asserendo, se velle, Johannem manere, donec veniat; quàm eum non moriturum? (5.) *Quoad Latinam versionem*; Particula *sic* diversimodè accipitur. Est adverbium *comparationis*, respondens alteri *sicut*. Est etiam *qualitatis*, rei conditionem & modum innuens. Est & *affirmationis*, perinde ut *ita*. Posteriori hoc significatu usurpatur, *vel* ut respondeat ad quæstionem per *an*, *num?* formatam: *vel* alias cum substantivo, eique æquipollente verbo: *sic est factum*, *sic est res*, *sic res habet*, *sic est ingenium* &c. At in hoc sermone: *sic volo eum manere, donec veniam*; non esse affirmativum linguæ ipsius character & vocis usus ostendit. Potiùs igitur, si interpres affirmativè τὸ ἐὰν voluisset reddere, vertisset, *certè*, *utiquè*, *verè*; quàm *SIC*. (6.) In exemplaribus quibusdam manuscriptis, non *sic*, sed *si*, reperisse se, Lovanienses tradunt. Qualia Erasmus etiam memorat, antiquitate trecentos aut quadringentos annos tùm temporis excedentia. Quæritur jam, an hæc ipsa, an verò alia (quæ *sic* legunt) rectè se habeant? Pro iis quæ *si* legunt, textus militat Græcus, qui ἐὰν habet, cujus nativa & perpetua significatio est conditionalis *Si*. Reliqua ab hoc fonte discedunt: meritò igitur pro turbidè fluente rivulo habentur. Et certè, disparitas hæc exemplarium evidenti indicio est, per librarii errorem *Si* in *Sic* fuisse olim mutatum, quod proclive fuit valdè, ob vocularum affinitatem. Et magis hoc verisimile facit, quod in quibusdam, *si sic*, conjunctim scriptum, fuisse repertum, Lovanienses & Erasmus testantur, ubi errorem esse, dubitari non potest. Plura de hoc loco qui desiderat, Reverend. plur. Dn. D. Gerhardi adeat Harmoniam Euangelicam historiæ de resurrect. Dominic. p. 403. seqq.

ª Erasm. in annot. N. Test.

## Canon VII.

*Conjunctio conditionalis quandoque deest, quandoque etiam redundat.*

1. DEest in his; Gen. 42:38. וּקְרָאָהוּ & (si) *obveniet ipsi exitium in viâ, demittetis canitiem meam cum mœrore in sepulcrum.*

Lev. 10:19. וְאָכַלְתִּי & (si) *comedissem hostiam peccati &c.*

Deut. 30:8. וְאַתָּה *& tu reverteris, & auscultabis voci Jehovæ, & facies omnia præcepta ejus &c.* h. e. si reverteris. Sequitur v. 9. *tùm abundare te faciet Jehova DEUS tuus in omni opere manus tuæ.*

Psal. 139:17. *Numerarem eas, præ arena multipli-*

*tiplicabuntur*, h. e. si numerarem vel numerare vellem. Alii in posteriori membro subintellecta adversativâ reddunt; *numerarem eas, sed arenâ plures sunt*. Eodem sensu.

Huc referunt Exod. 4: 23. וַתְּמָאֵן *& recusabis*, pro וְאִם־תְּמָאֵן *& si recusaveris demittere &c.* Sed Vau conversivum cum pathach præteriti significationem indicat. Sensus est: Sed cùm edicerem tibi, dimitte filium meum, ut serviat mihi, renuisti dimittere eum: ecce ego occisurus sum filium tuum, primogenitum tuum. Commemoratur, quid in ultimo cum Pharaone congressu sit ipsi nomine DEI indicaturus Moses. Confer c. 11: 1. c. 12: 29.

Ex N. Test. huc pertinet, Matth. 18: 21. *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* h. e. si peccaverit sæpiùs in me frater meus, quoties debeo remittere ei? Ubi simul interrogandi adverbium, *quoties*, non est loco suo positum: ut suprà tract. 5. can. 23. de adverbio negandi exempla fuêre. Et ibidem circa fin. vide similem conditionalis *SI* defectum.

## *Nota.*

Ellipsin conditionalis Socinus Photinianus ponit etiam in illo, Joh. 8: 56. *Abraham pater vester ἠγαλλιάσατο exultâsset* (ita ipse exponit) *videre diem meum: καὶ εἶδε & si vidisset, gavisus fuisset.* Sed conditionalis omissæ nulla conjectura omninò ex textu depromi potest. Non igitur licuit hæretico tàm audacter categoricam Christi propositionem in hypotheticam convertere. *καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη & vidit, & gavisus est*, in textu habetur: non verò, *εἰ ἴδῃ, ἐχάρη, si vidisset, & gavisus fuisset.* En igitur audacissimum tabularum Christi falsarium! De depravatione verborum sequentium v. 58. (quam respicit ea, quæ allata modò fuit) vide supra tract. 3. can. 47.

2. Redundat אִם, cum aliis particulis otiosè conjuncta.

Gen. 28. vers. 15. עַד אֲשֶׁר אִם *usque dum si perfecero* pro עַד אֲשֶׁר *donec*. Gen. 47: 18. בִּלְתִּי אִם *præterquam corpus nostrum:* pro בִּלְתִּי solo &c.

# CONJUNCTIO DISJUNCTIVA.

## Canon VIII.

*Conjunctio disjunctiva*, aut, sive, *non semper separandi, sed sæpius distinguendi tantùm, imo & conjungendi vim habet.*

S*eparandi* vim in illis obtinet, quæ sunt opposita. Matth. 5. v. 36. *Non potes unum capillum album facere aut nigrum.* Sic cap. 6. v. 24.

2 Cor. 5. vers. 9. *εἴτε ἐνδημοῦντες, εἴτε ἐκδημοῦντες, sive præsentes sive absentes &c.* v. 10. *εἴτε ἀγαθὸν, εἴτε κακὸν, sive bonum, sive malum.* Sic cap. 12: 3. Phil. 1: 18, 20, 17. 1 Thess. 5: 10. &c.

*Distinguendi* vim in illis obtinet, quæ ejusdem conditionis & naturæ sunt. Et hic magis copulativæ significationem habere videtur. Quâ ratione per particulam *Sive, aut*, conjunguntur in sermone vulgari, quæ se mutuò explicant & idem sunt. Sic in S. Bibliis huc pertinent, quæ sequuntur.

Lev. 4: 22. *Si princeps peccaverit, feceritque unum præter quæcunque præcepta Jehovæ Dei sui, quæ non sunt facienda &c.* v. 23. אוֹ־הוֹדַע *aut notum factum fuit ei peccatum suum &c.* h. e. & notum factum fuit. LXX. *καὶ γνωσθῇ αὐτῷ ἡ ἁμαρτία.* Sic Prov. 30: 31.

Matth. 5: 17. *Nolite putare, quòd veni solvere legem aut Prophetas.* Non separatur Lex à Prophetis, sed cùm distinctæ quidem, attamen ejusdem conditionis & homogeneæ Scripturæ sacræ partes sint, conjunguntur.

1 Cor. 12: 13. *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi.* Sensus est: & Judæos & gentiles, adeoque omnes Christianos in unum corpus baptizatos esse.

1 Cor. 13: 8. *Charitas nunquam excidit: εἴτε sive prophetiæ, evacuabuntur, εἴτε sive linguæ, cessabunt: εἴτε, sive scientia, destruetur:* Apostoli mens est, & prophetias, & linguas, & scientiam cessatura; solam verò charitatem permanere. Lutherus copulativè reddidit es müssen auffhören die Weissagungen / und auffhören die Sprachen / und das Erkäntniß wird auch auffhören.

1 Cor. 15: 11. *Sive ego, sive illi, sic prædicamus:* h. e. & ego & illi.

Colos. 1. vers. 20. *Per eum reconciliata sunt omnia &c.* εἴτε *sive quæ in terris*, εἴτε *sive quæ in cœlis sunt:* h. e. quæ & in terris & in cœlis sunt. Reconciliatio Christi ad omnia ea se extendit.

Evidentissimum omnium exemplum Gal. 1: 12. *neque ego ab hominibus accepi illud* (Euangelium prædicatum à me, v. 11.) ὄτε *neque edoctus sum, sed per revelationem Jesu Christi.* Hîc *edoceri* ἐξήγησις est alterius, *accipere* (λαβεῖν enim *accipere*, pro *edoceri* usurpatur, ut tract. 3. can. 15. in fine dicitur,) & tamen per disjunctivam ei annectitur.

## *Nota.*

HÆc cùm ita se habeant, lubrico innituntur fundamento, quæ Pontificii proferunt, duo sequentia.

I. 1 Cor. 11: 27. *Quicunque manducaverit panem hunc, ἢ aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Hinc Pontificii olim *communionem sub unâ specie* deducere voluerunt: quia sc. disjunctiva particula innuat, unam speciem ab altera separari posse, & Apostolum liberum relinquere, sive sub una, sive sub utraque specie Eucharistia sumatur. Verùm disjunctiva & h. l. magis unit, quàm separat, ut ex textu antecedente & consequente patet: unde Syrus interpres copulativâ hîc usus est. Ponitur ab Apostolo disjunctiva, ut ostendat, parem reverentiam utrique parti deberi, & pluribus modis posse reatum incurri, in sumtione Eucharistiæ; utram enim partem quis contumeliâ affecerit, reus erit. Videatur D. Chemnitius part. 2. Exam. C. T. p. 313. ubi argumentum hoc pulchrè retorquetur in adversarios. Ut & D. Gerh. tom. 3. confess. Cathol. p. 1122.

II. 2 Thess. 2: 15. *State & tenete traditiones, quas didicistis,* εἴτε *sive per sermonem,* εἴτε *sive per epistolam nostram.* Bellarm. lib. 4. de V. D. c. 5. §. 6. ex disjunctiva colligit, diversa esse, quæ tradiderat, & quæ scripserat Apostolus. Sed & hîc magis copulat, quàm separat hæc particula, sensu eo: Tenete traditiones, quas & per sermonem vivum, & per epistolam etiam didicistis. At ea ejusdem naturæ & conditionis erant, nec diversa à scriptis epistolis dogmata, quæ Apostoli vivâ voce tradiderunt, 1 Joh. 1: 3, 4. Rivetus in Isag. ad Script. S. c. 27. §. 15. *Ex hoc loco non sequetur, alias fuisse,* (traditiones) *quæ per epistolam tradita fuerant, ab illis, quas per sermonem dedicerant; quia particula* εἴτε *non semper disjungit res ipsas, sed tantùm aliquando modos diversos, quo una & eadem res tradatur. Nihil enim obstat, quò minùs unam & eandem doctrinam possit aliquis inculcare, sive verbo præsens, sive scripto absens.* Pontificiorum autem dogmata non diversa solùm à scriptis Epistolis Paulinis sunt, sed & planè iis contraria &c. Vide Dn. D. Gerh. exeges. tom. 1. de script. §. 404. D. Meisn. Phil. sobr. part. 2. c. 4. q. 1.

## Canon IX.

*Pro disjunctiva conjunctione quandoque copulativa ponitur.*

EX V. T. exempla inferiùs ponentur, de præfixo ו. *a Contra Pontificios.*

Ex N. T. huc pertinet, Matth. 12: 37. *Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis:* h. e. vel ex verbis tuis &c. sunt enim hæc duo opposita, *justificari* seu absolvi, *& condemnari*, nec in unum subjectum cadere possunt.

Bellarminus lib. 4. de Euchar c. 25. hæc etiam adfert. Act. 3: 6. *argentum & aurum non est mibi*, h. e. argentum vel aurum, neque argentum, neque aurum. *Non enim aliter* (inquit) *rectè S. Petrus docuisset, se pecuniariam eleemosynam facere non potuisse.* Sed parum hîc interest, sive copulationis, sive distinctionis officium particula ea sustineat, ut quivis videt.

Joh. 15: 22. *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent.* Sensus est, si neque venissem, neque locutus fuissem. Sed hîc potiùs ex præcedenti membro *negativa repetitione* (ut ipse Bellarminus ibidem agnoscit) quàm copulativæ pro disjunctiva expositione opus est.

Joh. 6: 53. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* h. e. si neque manducaveritis, neque biberitis &c. vel, si non manducaveritis, aut non biberitis. Ita Bellarminus explicat, ut contra Bohemos (pro communione sub utraque specie, hoc loco utentibus) obtinere possit, *non obstare particulam ET, quo minus una Eucharistiæ species ab altera separetur.* Sed etiam si hîc locus de sacra cœna ageret, & pro copulativa disjunctiva in textu extaret, non tamen, quod vult, Bellar. obtineret, ob ea, quæ can. 8. dicta sunt. Præterea non tam temerè copulativa in disjunctivam

vam transmutanda est, cùm & manducatione & bibitione isthac, quæ spiritualis est, una eademque fides in Christum intelligatur, ut ex vers. 47. constat; qui versus exegesin continet sequentis, de pane & potu vitæ, allegoriæ &c.

## Canon X.

*Disjunctiva particula quandoque deest.*

1 Sam. 20: 12. *Juxta tempus crastinum* (aut) *postridiè.*

2 Reg. 3: 32. *Duo* (vel) *tres aulici.*

Esa. 17: 6. *Duæ* (vel) *tres baccæ in vertice rami: quatuor* (aut) *quinque in ramis ipsius.*

Esa. 38: 14. *Sicut grus* (aut) *hirundo.*

Jer. 11: 19. *Sicut agnus* (aut) *bos, qui ducitur ad mactandum &c.*

### Nota.

a Particulæ Aut, usus in argumentatione.

a NOtandus demum disjunctivæ particulæ ἢ, *aut*, usus in argumentationibus, quem verbis Junii proponam in Matth. 7: 9. ἢ *aut quis* [illegible] *ex vobis homo, quem si petierit filius ejus panem, nunquid lapidem dabit ei?* Optimè (inquit) Matthæus & Syrus interpres particula disjunctivâ hoc in loco usi sunt, quia transivit Christus ad alterum argumentationis locum. Nam illius moniti, *petite & dabitur vobis* &c. duplex affertur confirmatio: prior, à Natura Dei, *quisquis enim petit, accipit &c.* posterior, à comparatione naturæ nostræ: *aut, si hoc nondum capitis*, ait Christus, *reputate naturam vestram, quis est vir ex vobis, qui petente à se filio suo panem, recuset? num lapidem porrigit ei?* &c. Eundem usum particulæ, *aut*, vide c. 12: 29. c. 20: 15. c. 29: 53.

# CONJUNCTIO ADVERSATIVA.

## Canon XI.

*Pro adversativa SED, aliæ etiam particulæ usurpantur.*

1. COnjunctio copulativa. Exempla V. T. dabuntur inferiùs. Ex N. Test. huc pertinent Matth. 11: 19. καὶ ἐδικαιώθη, *sed justificata est sapientia à filiis suis.* Est enim oppositio: Pharisæi me reprehendunt (inquit Christus, Sapientia Dei) sed tamen absolvor, seu justitiæ testimonium consequor à filiis meis. Conf. Luc. 7: 29, 35.

Matth. 12. v. 39. *Generatio mala & adultera signum quærit*, καὶ σημεῖον, *sed signum ei non dabitur &c.* Sic Matth. 1: 25. c. 13: 22. Joh. 5: 40. Act. 10: 28. 1 Joh. 2: 20. Apoc. 20: 9. 1 Cor. 5: 10. c. 16: 12. 1 Thess. 2: 18. Hebr. 10: 38.

2. Conjunctio causalis כִּי *quia*, Deut. 11. v. 7. כִּי *sed oculi vestri* sunt, *qui viderunt quodque opus Jehovæ maximum, quod fecit.* Præcedit vers. 2. *agnoscitis hodiè, quòd non filii vestri, qui non noverunt &c.* cui adversativa v. 7. subjicitur.

Psal: 37. vers. 20. כִּי *Sed improbi pereunt, & inimici Jehovæ &c.* Præcedit, *non erubescent* (justi) *tempore malo, & diebus famis saturabuntur.* Cui per adversativam exitus impiorum subjicitur.

Jer. 48: 45. *In umbra Chesbonis stabant à vi fugientes*, כִּי *sed ignis egredietur Chesbone &c.* Vide & Exod. 5: 11. Jud. 1: 19. Esa. 2: 6. Act. 8: 39. Phil. 3: 20.

3. Adverbium excludendi. Vide tractat. 5. can. 26.

### Nota.

ADversativa *sed*, quandoque deest. Esa. 1. v. 3. *Agnoscit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui:* (sed) *Israel non agnoscit &c.*

## Canon XII.

*Pro adversativa* atqui, & attamen, *quandoque usurpatur conclusiva* לָכֵן propterea *seu* idcircò.

PRo *atqui*. Gen. 4: 15. *Et dixit illi Jehova*, לָכֵן *atqui omnis, qui occiderit Cainum, septuplum vindicabitur*. Per adversativam versui præcedenti hoc cohærere, ipsa verba ostendunt.

Pro *attamen*. Hos. 2. vers. 14. לָכֵן *attamen ecce ego pellecturus sum eam, & deducam eam in desertum, & elocuturus sum, quæ sunt ei cordi*. Commemoravit Dominus in præcedentibus scelera uxoris adulteræ, & multa ipsi fuit comminatus. Cui per adversativam promissio hæc subjicitur, q. d. non obstantibus his, quæ dixi, misericordiæ meæ recordatus blandè ipsam tractabo.

Joh. 7: 22. διὰ τοῦτο, *propterea Moses dedit vobis circumcisionem &c.* h. e. attamen dedit vobis &c. Inchoatur novum argumentum, quo adversariorum opinio convellatur. Quidam propriam significationem conclusivæ retinent, & verbum aliquod subintelligunt: *Propterea*, scil. audite: seu, dico vobis, vid. ad mei defensionem: *Moses dedit vobis legem circumcisionis &c.* Theophylactus διὰ τοῦτο præcedenti versui annectit, καὶ πάντες θαυμάζετε διὰ τοῦτο. Μωυσῆς δέδωκεν &c. quam lectionem ut optimam Casaubonus amplectitur.

### Nota.

PRo *attamen* seu *veruntamen* ponitur etiam causalis כִּי *quia*. Esa. 39. vers. 8. כִּי *quia futura est pax & stabilitas in diebus meis*, h. est, attamen futura est &c. Esa. 66. vers. 8. כִּי *quia parturivit & peperit Sion filios suos*, hoc est, veruntamen seu attamen. Opponitur enim hoc per adversativam præcedentibus. Sensus est: non posse sine longa parturitione foeminam eniti sobolem, aut terram germinare: veruntamen posse Deum Sioni, antequam parturiret, numerosum filiorum largiri gregem.

## Canon XIII.

*Pro adversativa*, Quamvis, etsi, *sæpius causalis* כִּי quia, *ponitur*.

GEnes. 8: 21. *Non maledicam ampliùs terræ propter hominem*, כִּי *quia* (h. e. quamvis) *figmentum cordis humani sit malum à pueritia ipsius*, q. d. etsi ob peccatum possim terræ in posterum maledicere, tamen ex misericordia non faciam &c. Nisi maluerimus propriam vocis כִּי significationem retinere, & hæc verba ut ἐξηγητικὰ illius (*propter hominem*) accipere, hoc sensu: Non maledicam ampliùs terræ propter hominem, videl. quia figmentum cordis humani malum à pueritia ipsius: non, inquam, propter hanc causam ampliùs maledicam terræ. Et sic collatio optima erit cum cap. 6: 5. ubi ob eam causam (qui vid. *figmentum cordis humani tantummodò malum sit omni tempore*: ex quo malo fonte impietas & protervia nefanda totum terrarum orbem occupaverat) diluvii poena à Deo decernitur. cap. 8. autem misericordiæ suæ recordatus Jehova aliud decretum facit; non obstante illa causa, quæ ad iram & vindictam ipsum concitare ampliùs posset. D. Brentius ita παραφράζει: *Si vellem semper humanum genus punire diluvio propter impietatem, tunc nunquam mihi à diluvio cessandum esset, quia totus homo in malitia positus est ab ineunte ætate. Quare deinceps non inducam diluvium, &c.*

Gen. 47: 15. *Dato nobis cibum*, [illegible]*r enim moreremur coram te?* כִּי *quia* (h. e. quamvis) *deficiat pecunia*, q. d. quanquam argentum non superfit, quo emamus cibum, dato tamen cibum, ne fame pereamus, pro facultatum reliquiis, quas tibi offerimus &c. v. 16.

Gen. 48: 14: *Intelligere fecit manus suas* (h. e. sciens & consultò manus suas direxit) כִּי *quia Manasse erat primogenitus*, h. e. quamvis esset, ut Aben Ezra explicat.

Exod. 13: 17. *Et fuit cùm dimisisset Pharao populum, & non duxit eos DEUS viâ terræ Philistæorum*, כִּי *quia* (h. e. quamvis) *propinqua ipsa esset*.

Exod. 34: 9. *Si nunc inveni gratiam in oculis tuis, Domine, eat quæso Dominus in medio nostri*, כִּי *quia populus durus cervice est, & condones iniquitatem nostram*, h. e. quamvis sit durus populus, tamen condones &c. Aben Ezra hic propriam vocis significationem retinens, ellipticum sermonem agnoscit, sensu eo, *ego fateor quidem*, כִּי *quòd populus durus cervice sit*

(uti tu Domine dixisti, c. 32: 9. c. 33: 3, 5.) *at tu remitte iniquitatem nostram.* Confert verba Psal. 41: 5. *Domine miserere mei, sana animam meam,* כי *quia peccavi tibi*, h. e. quia confiteor me tibi peccâsse.

Jos. 17: 18. *Expelles Cananæum* כי *quia currus ferrati sunt ei,* כי *quia robustus est*, h. e. quamvis hoc ita se habeat.

2 Sam. 24. v. 10. *Transfer quæso iniquitatem servi tui,* כי *quia stultè egi valdè*, h. e. quamvis stultè egerim valdè. Sic Psal. 25: 11. Ps. 41: 5. Videtur tamen in his & aliis confessionibus peccatorum כי propriè accipi, sensu hoc: *quia agnosco & confiteor me peccâsse:* quæ integra phrasis extat Psal. 51: 5; 6. Non quidem causa promerens remissionis peccatorum est eorundem humilis confessio: est tamen conditio quædam, pœnitentibus necessaria ex ordine divinitùs constituto, Psal. 32: 5. Jer. 3: 12, 13. (al. 7, 8.) Rom. 5: 20. Et conferri hîc potest, quod habetur Numer. 14. vers. 40. *præsto sumus, ut ascendamus in locum illum, de quo dixerat Jehova,* כי *quia peccavimus;* Hîc adversativa *quamvis*, locum non habet, sed propriè acceptâ voculâ כי sensus est: Quia agnoscimus nos peccavisse, videl. cùm noluimus ascendere, sed reditum in Ægyptum cogitavimus.

Psal. 71: 15. *Os meum narraturum est justitiam tuam, quotidiè salutem tuam,* כי *quia non novi numeros ejus*, h. e. quamvis &c. Confer Sirac. 43: 39. seqq. Vulgatus interpres, & à fonte Hebræo alienè, & in piè literatos minùs honorificè reddidit: *quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentiam Domini.* Non multò recti[illegible]XX. ὅτι οὐκ ἔγνων πραγματείας &c. Alia exempla sunt 1 Paral. 26: 10. 2 Paral. 28: 21. Prov. 6: 35. Esa. 54: 10. Jer. 4: 30. Hab: 3: 17. (confer Ps. 4: 7, 8, 9. Zachar. 9: 2. Nah. 2: 2.

Ex N. T. Luc. 23: 40. *Ne DEUM quidem tu times,* ὅτι *quia* (h. e. etsi) *in eadem es damnatione.* Joh. 8: 45.

Act. 1: 17. ὅτι *quia connumeratus erat* (Judas) *nobiscum &c.* h. e. quamvis connumeratus esset. Præcedit vers. 16. *quòd fuerit dux iis, qui comprehenderunt Jesum:* cui adversativè subjungitur illud, q. d. à Diabolo seductus eò devenit impietatis, ut suum Dominum turpiter prodiderit, quamvis inter alia permulta beneficia hoc etiam fuisset adeptus, ut in numerum & collegium nostrum Apostolicum cooptaretur.

[a] Refertur huc & illud 1 Tim. 1: 13. *Sed misericordiam adeptus sum,* ὅτι *quia ignorans feci in incredulitate* &c. h. e. quamvis ignorans feci. Sed obstare huic videtur particula δὲ, *verò*, v. seqq. posita, & alteri adversativæ, *quamvis*, non satis respondens. Simpliciùs duo hi versus conjunguntur, hoc modo: *Qui priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus. Sed misericordiam adeptus sum; Quia ignorans feci in incredulitate; superabundavit autem gratia Domini nostri, cum fide & dilectione, quæ est in Christo Jesu.* q. d. blasphemus fui quidem & persecutor Ecclesiæ: sed misericordiam consecutus à Deo sum. Quæ hujus causa? *Quia* quod me attinet, inquit, *in ignorantiâ meâ* (in quâ fui versatus, antequàm scientiam salutis adipiscerer) *peccavi; sed superabundavit in me gratia Jesu ad peccatorum remissionem &c.* Misericordiæ igitur Dei, quam Paulus adeptus est, causa non statuitur ipsius peccatum, vel ignorantia: sed *gratia Jesu Christi*, superabundans per sanctissimum suum meritum (quam v. 15. clarius exprimit) hæc autem describitur, tùm ab *opposito* seu *objecto* potiùs, peccato videlicet & infidelitate (& hujus simul exprimitur quædam conditio, quòd in ἀγνοίᾳ ignorantiâ, Christi videl. Salvatoris, fuerit versatus) tùm *effecto*, quòd fidem & charitatem fuerit operata, quarum illa τῇ ἀπιστίᾳ opponitur; *hæc* autem crudelitati & tyrannidi, quam adversus Ecclesiam olim exercuerat. Similis verborum collocatio est Rom. 6: 17. *Gratia autem DEO, quod fuistis servi peccati; obedivistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis.* Ubi gratiarum actio non prius, sed posterius sermonis membrum respicit, quod priori adversativè cohæret.

[a] De loco 1 Timoth. 1. Ignorans feci &c.

## Canon XIV.

*Conjunctiones adversativæ, μὲν & δὲ, se in oratione mutuò sequuntur, & altera alteri necessario (veluti ἀναφορᾶ mutua) respondet.*

MAtth. 3: 11. Ἐγὼ μὲν βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι εἰς μετάνοιαν, ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος &c. *ego quidem baptizo vos aquâ in pœnitentiam: sed qui post me venturus est &c.* Matth. 9: 37. ὁ μὲν θερισμὸς πολύς, οἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι, *messis quidem multa est; operarii verò pauci.* Sic aliàs sæpè. Vide concordantias Græcas N. T.

Ex hoc efficitur, Act. 19: 4, 5. verba sibi cohærere, & unum continuum Pauli sermonem illis describi; cùm particulis his, μὲν & δὲ, connectantur. *Dixit verò Paulus: Johannes μὲν quidem baptizavit baptisma pœnitentiæ, populo dicens, ut in venturum post se crederent, hoc est,*

*in Christum Jesum: ἀκούσαντες δὲ, qui verò audiebunt* (præconium Johannis dé Christo) *baptizati sunt* (à Johanne) *in nomen Domini JESU.* Non igitur versus quintus Pauli factum vel anabaptismum quendam exprimit (ut olim Donatistis visum, & recentiùs Bellarmino etiam lib. 1. de bapt. c. 22.) sed in v. 6. de Pauli facto sequitur, *quod imposuerit discipulis illis manus &c.* Conferatur cap. 8: 14, 15, 16, 17. Hanc explicationem Bellarm. *utcunque argutam, at minimè piam & probabilem vocat.* Qui verò non ? *In v. 4. baptizationis Johannis fit mentio: igitur supervacanea esset ejus v. 5. repetitio.* Hæc vis argumenti. Verùm non est supervacanea illa repetitio. Primum enim in genere proponit integrum Johannis ministerium, quod consistit *in baptismo pœnitentiæ* (quæ phrasis & ipsam Sacramenti administrationem, & pœnitentiæ prædicationem includit: conf. Marc. 1: 4.) postea specialiùs exprimit ministerii ejus ordinem, quòd nimirum primùm fidem in Christum inculcârit, & deinde auditores suos de Christo informatos in nomine Jesu baptizaverit.

### Nota.

1. INterdum tamen μὲν ponitur, sine δὲ subsequente, sed rariùs. Act. 3: 21, 22. In v. 23. sequitur quidem δὲ, sed id non respicit antecedens μὲν, *quod Moses quidem dixerit:* sed ipsius Mosis verborum posteriorem partem indicat.

2. δὲ quandoque pro δὴ *sanè, nimirum,* usurpatur. Gal. 2: 4. *διὰ δὲ nimirum propter irreptitios falsos fratres &c.*

Col. 1: 21. *Et vos quondam abalienatos & hostes, νυνὶ δὲ nunc sanè reconciliavit &c.* Sic sæpè apud Platonem usurpari Beza testatur, Budæum ὁμόψηφον adducens.

# CONJUNCTIO CAUSALIS.

CAusalis est, quâ antecedentis rei causa, vel in genere ratio redditur. Et sunt potissimùm duæ, cum suis synonymis. 1 *Quia* vel *quòd.* 2. *Ut.*

## Canon XV.

*Causalis conjunctio,* quia, quòd &c. *aliis etiam modis, quàm per* כִּי *Hebr. effertur.*

POnitur pro illâ 1. Copulativa ו, ut infrà dicetur.

2. Conditionalis *Si*, ut can. 6. §. 3. dictum.

3. Causalis altera, ἵνα, *ut*, 1 Cor. 4: 3.

4. Conclusiva עַל־כֵּן *quapropter, idcirco*, Ps. 45. vers. 8. *Diligis justitiam, & odio habes impietatem:* עַל־כֵּן *propterea quòd unxit te DEUS, DEUS tuus oleo gaudii, præ consortibus tuis.* Non unxit Pater Christum, quia rectè administravit regnum: sed ideò unxit, ut rectè administrare possit. Confer Esa. 61. vers. 1. Luc. 4: 18. Ita etiam עַל־כֵּן accipitur Gen. 38: 26. Jud. 6: 22. vide & suprà tract. 6. can 9. §. 5. de loco Ps. 45: 8. & Heb. 1: 9. qui illi παραλλήλως respondet.

5. Præpositio תַּחַת *sub*, ut suprà dictum, tract. 6. can. 13. §. 4.

6. Præpositio ἐν & ἐπὶ cum articulo. Rom. 5: 12. ἐφ' ᾧ *eo quòd omnes peccaverunt.* Sic 2 Cor. 5: 4.

Rom. 8: 3. *ἐν ᾧ eò quòd infirmabatur per carnem &c.*

Sic διὰ, 2 Petr. 1. vers. 4. δι' ὧν, *ex eo quòd maxima nobis & preciosa promissa donavit &c.* Est verò hæc eadem particula *etiam conclusiva*, 2 Petr. 3: 6. δι' ὧν *quamobrem is, qui tùm erat, mundus, aquâ inundatus periit.*

Sic ἀντὶ Luc. 1: 20. ἀνθ' ὧν *eo quòd non credidisti verbis meis &c.* Sic c. 19: 44.

7. Pronomen אֲשֶׁר *quòd;* perinde ut Latinis *quòd*, conjunctionis vim induit. Gen. 34. vers. 29. אֲשֶׁר *quia polluerant sororem eorum.* Sic Gen. 24. v. 3. 1 Reg. 15: 13. Psal. 8: 2. Psal. 31: 8.

8. Nomen עֵקֶב *finis*, quandoque causalis particulæ naturam induit. Gen. 22: 18. עֵקֶב אֲשֶׁר *propterea quòd auscultâsti voci meæ.* Sic cap. 26: 5. Num. 14. vers. 24. Amos 4. vers. 12. Exponitur autem alicubi, *propter*, Es. 5: 23. עֵקֶב שֹׁחַד *propter munus*, vel *pro munere.* Alienam vocis hujus עֵקֶב versionem dat interpres vulgatus Ps. 119: 112. *Inclinavi cor meum ad faciendum justificationes tuas, in æternum,* עֵקֶב *propter retributionem.* Quem locum Bellar. lib. 5. de justif. cap. 8. adducit ad probandum, *licitum esse operari bona opera intuitu mercedis æternæ.*

*terna*. Sed עַד h.l. significat, *in finem*, seu, ut Pagninus vertit *in finem usque*, h.e. tota vita mea: unde v. 33. eadem vox, in Latina interpretatione, redditur *semper*, ubi Pagninus malè, *propter mercedem*.

## Canon XVI.

*Causalis conjunctio* כִּי ὅτι, quia, quod, *quandoque alias etiam significationes obtinet*.

Ponitur 1. pro pronomine אֲשֶׁר *qui*. De quo tract. 2. can. 15.

2. Pro adverbio temporis indeterminati, *quùm*, *quando*. De quo tract. 5. can. 8. In N. T. vid. Joh. 9: 8.

3. Pro adversativa conjunctione, *SED*, de quo superiùs, can. 11. & *attamen*, can. 12. & *quamvis*, can. 13. Item pro conclusiva, *igitur*, *quaré*. De quo can. 2: 11.

4. Pro particula interrogativa. Esa. 36: 19. וְכִי *& nam eruerunt Samariam, de manu meâ?* Marc. 9. 11. *Et interrogabant eum dicentes*, ὅτι (h.e. διὰ τί) *quare scribæ dicunt, quòd Eliam oportet venire primùm?* Sic v. 28. Homer. δδ. 19. *& interrogabant singula*, οὐλὴν ὅτι πάθοι, *cicatricem pateretur*.

5. Quandoque explicativa est particula significans *nempè*: aliàs hoc vocant εἰδικῶς accipi Matth. 26. v. 54. *Quomodo igitur implebuntur scripturæ?* ὅτι *nempe*, *sic oportet fieri*. Rom. 9: 30. *Quid ergo dicemus?* ὅτι *nempe* (hoc dicemus) *gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam &c.* 1 Cor. 11: 23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, ὅτι, *nempe Dominus noster Jesus Christus eâ nocte, quâ tradebatur, accepit panem &c.* Sic 2 Cor. 1: 14. Latinis causalis *quòd*, eadem ratione in usu est.

De γὰρ, *enim*, exemplum extat significati hujus Rom. 6: 19.

Paulò diversa ratio est, cùm post verbum *dicendi* כִּי ὅτι, *quòd*, abundare dicitur, can. 18.

## Canon XVII.

*Causalis conjunctio*, quia, enim, *non semper est*, αἰτιολογικὴ, *sed sæpè* συλλογιστικὴ, *h. e. non notat semper causam rei, sed sæpè rationem conclusionis*.

Vel, est nota medii termini, qui non semper à causa rei exquisitè sic dicta, sed sæpiùs ab *effectu*, vel *adjuncto*, vel aliis locis desumitur.

Aliqui distinguunt inter causam *consequentis & consequentiæ*; seu inter causam *rei & argumenti*. Causa *consequentis vel rei* notat id, quod dat esse rei. Causa *consequentiæ* tantùm notat medium terminum, propter quem in conclusione prædicatum de subjecto enunciatur. Quando igitur effectus fit argumentum vel medius terminus ad ostendendam causam, ibi conjunctio causalis adponitur effectui, etiamsi is suæ causæ causa nec sit, nec esse possit. Sic in communi sermone dicitur: *Sol ortus est, quia dies est. Iste vivit, quia respirat. Homo est, quia videt.* Ubi conjunctio causalis causam quidem notat, sed non rei (siquidem nec dies orti solis, nec respiratio vitæ, nec risus hominis causa est) sed argumenti seu conclusionis, quia dies de orto sole, respiratio de vita, risus de homine tanquam effectus de sua causa testatur. Par aliorum locorum, ex quibus medii termini sumuntur, est ratio. Sed adferemus Scripturæ sacræ exempla.

Psal. 17: 6. *Ego invoco te*, כִּי *quia exaudis me, Deus fortis:* ut Salmeron exponit, effectus promtæ exauditionis tuæ reddit me clamosum in precibus, non dubitantem de exauditione.

Matth. 16: 2. *Facto vespere dicitis, serenum erit*, πυῤῥάζει γὰρ, *rubicundum est enim cœlum.* Sic v. 3. Allegatur signum serenitatis & tempestatis à Christo, non propria ejus causa.

Joh. 8. vers: 44. *Diabolus homicida erat ab initio, & in veritate non stetit*, ὅτι *quia non est in eo veritas.* Posterius hoc non est causa, sed consequens prioris. Ex eo enim, quòd Diabolus in veritate non stetit, secutum fuit hoc, quòd in ipso veritas non est. Quod pulchrè explicat, & exemplo Ps. 17: 6. (de quo paulò antè) illustrat Augustinus lib. 11. de C. D. cap. 14.

Joh. 10: 26. *Sed vos non creditis*, οὐ γάρ ἐςε *non enim estis ex ovibus meis, sicut dixi vobis.* Ex ovibus Christi esse, non est causa fidei, sed effectus,

effectus, Joh. 1: 12, 13. Ex consequentis igitur remotione Christus procedit ad remotionem antecedentis seu causæ: *Vos non estis ex ovibus meis* (quia repellitis verba mea; *at oves meæ vocem meam audiunt, & ei obsequuntur*, v. 27.) *igitur etiam non creditis*. Lyran. *Vos non estis ex ovibus meis, hoc e. innocentes & humiles, sed superbi & maligni, & ideò Dei judicio excæcati.*

1 Cor. 10: 5. *Sed in pluribus illorum non beneplacitum est Deo:* κατεστρώθησαν γὰρ, *prostrati enim sunt in deserto.* Hæc prostratio & interitus Israelitarum consequens & effectus est reprobationis divinæ, non causa, quæ peccatum & iniquitas est, v. 5. seqq.

1 Joh. 3: 14. *Scimus, quod translati sumus de morte in vitam*, ὅτι *quia diligimus fratres.* Ab effectu & fructu colligitur, nos esse renatos & Dei filios.

Ex vulgata versione Latinâ potest huc referri 1 Thess. 2: 17. *Festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio*, v. 18. *quoniam voluimus venire ad vos.* Adventus non est causa, sed consequens desiderii Paulini. Sed in Græco est διὸ, *propter quod, vel igitur*, conjunctio conclusiva, uti & c. 3: 1.

## *Nota.*

a EXpendenda hîc breviter ea, quæ Pontificii malè intelligunt & explicant, Matth. 25: 34. *Venite benedicti Patris mei, hæreditate regnum, paratum vobis à constitutione mundi*, v. 35. ἐπείνασα γὰρ, *esurivi enim & dedistis mihi manducare &c.* Non causa salutis, sed τεκμήριον, & testimonium credentium electorum, hac vocula innuitur, ut latè probatum dedêre orthodoxi. Opera, quæ Christus prædicaturus est, non ποιητικὰ sunt, sed σημαντικὰ, respectu fidei & finis ejus, vitæ æternæ, quidquid etiam in contrarium Bellar. lib. 5. de justif. cap. 3. adducat. Qui & locum Matth. 25. vers. 21, 23. urget, ut ostendat, voculam *quia* causalem esse. Sed in Græco fonte ea non extat.

Luc. 7: 47. *Remittuntur ei peccata multa;* ὅτι *quoniam dilexit multum.* Bellarm. lib. 2. de pœnit. cap. 12. *Hoc loco dilectio sive contritio ex dilectione, quam lacryma testabantur, apertissimè dicitur esse causa remissionis peccatorum, siquidem particula illa, quoniam, causalis est.* Contrà verò Salm. Jesuita tom. 1. pag. 327. de hoc loco sic loquitur: *Quia, quoniam*, conjunctiones sunt, causam reddentes, vel *à priori*, ut frequenter faciunt; vel à *posteriori*, juxta illud, *dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm:* probat remissionem peccatorum factam ab effectu dilectionis magnæ. Ubi exemplum ex Psal. 17: 6. adducit, quod suprà positum. Vide Flacium part. 1. clav. Script. col. 706. ubi post expositionem hujus loci subjungit: *Sit autem hoc exemplum nobis admonitionis loco, ut sciamus, sæpe in minimis voculis maximarum rerum momenta sita esse, eoque tantò diligentiùs sacras literas in timore ac invocatione Dei, secundùm Christi præceptum, scrutemur ac rimemur, nec somnolenter, ut in Papatu, transcurramus.*

Joh. 16: 27. *Ipse pater amat vos*, ὅτι *quia vos me amâstis, & credidistis, quia ego à Deo exivi.* Toletus ex hoc loco colligit, *quòd nostra dilectio sit meritoria divinæ dilectionis causa.* Certum est, inquit, particulam *quia* aliquando non causam, sed consecutionem significare. Hoc autem loco habet causæ significationem. Non enim dictum est, *pater vos amavit*, sed *pater amat vos, quia me amâstis.* Hoc autem præteritum conjunctum præsenti, indicat amorem & fidem discipulorum in Christum, præcessisse amorem Dei erga illos &c. Verùm adversatur hoc διαῤῥήδην Apostolico effato 1 Joh. 4: 10, 19. ubi charitas Dei nostræ charitatis causa, non contrà statuitur. Rectè igitur Albertus in h. l. Conjunctio, *quia*, non est causalis, sed quandam signi dat rationem, & est sensus: *hoc, quòd me amâstis, signum est, quòd Pater amat vos*, sicut dicitur Prov. 8. *diligentes me diligo.* Similia Barradius habet in h. l. Frivola est Toleti ratiuncula, à verbo præteriti temporis, πεφιλήκατε, *amâstis*, deducta. Nam præsentis significationem obtinere, res ipsa ostendit, & exempla hujus enallages alia sunt superiùs data, tract. 3. can. 46. Ita igitur præsens præsenti respondet, & conjunctio ὅτι, συλλογιστικῶς accipitur, h. e. non causam rei (amoris divini,) sed assertionis probationem infert, desumtam à fidei salvificæ effecto (amore erga Deum) quæ fides (in textu adposita) divini amoris instrumentalis causa καὶ ὄργανον ληπτικὸν est, non causa meritoria.

a Pontificii.

## Canon XVIII.

*Conjunctio causalis*, quia, quod &c. *quandoque deest, quandoque etiam redundat.*

1. Deest in his Gen. 17: 14. *Præputiatus excindetur è populis suis &c. pactum meum irritum fecit.* Pro, nam irritum fecit.

Exod. 29: 14. *Et carnem juvenci, & pellem ejus,*

*ejus, fimumque ejus igne comburito extra castra:* (nam) *oblatio est pro peccato.*

Psal. 115:9. *Israel confide Jehova*, (quia) *auxilium eorum & scutum eorum est*, videlic. credentium sive timentium se.

Sic quando כִּי *quòd*, explanativa particula est. Psal. 9. vers. 21. *Cognoscant gentes* (quod) *homo sint*, id est, se homines esse. Accusativus enim infinitivorum in Hebraismo rarus est, Gen: 2. vers. 18. Effertur autem per nominativum additâ conjunctione כִּי *quia* Gen. 3: 13. Et hæc conjunctio quandoque deest, ut d. l. Zach. 8: 23.

2. Redundat in his Ruth. 3: 12. *Jam igitur* כִּי אָמְנָם אם כִּי *vere* (sic est) *quòd cognatus sum.* Prius כִּי superfluit. Posterius אם subnexum habet in textu, sed non legitur juxta Masorethamrum notam. 2 Sam. 23: 5. *Quia omnis salus mea & omnis voluntas*, (id est, omne studium) כִּי־לֹא יַצְמִיחַ *quia non germinabit*, hoc e. (sine causali particula) *non germinabit*. Sensus est: etsi ego quidem in regni mei administratione multa salutariter, & magnâ cum felicitate gessi; tamen hoc omne decus meæ gubernationis caducum & fragile est, & si cum regno filii mei, id est, Messiæ conferatur obscurum est, & veluti aridus ramus & truncus, qui non germinat. Hæc simplex videtur hujus loci sententia. הצמיח autem in Hiphil, neutraliter, pro *florere* seu *germinare* alibi etiam accipitur, Es. 45: 8. &c.

Zach. 3: 8. *Audi jam, Jehoschua Sacerdos maxime, tu & amici tui, qui sedent coram te, quandoquidem ostento sunt*, כִּי־הִנְנִי *quia ecce ego adducturus sum servum meum, Zemach.* h. e. (sine causali particula) ecce ego adducturus sum &c. Vide & Dan. 6: 14. ubi דִּי *quòd*, hoc modo usurpatur.

Matth. 1: 18. *Christi autem generatio sic erat: μνηστευθείσης γὰρ, cùm enim desponsata esset mater ejus Maria Josepho &c.* h. e. (sine γὰρ causali) cùm desponsata esset.

1 Joh. 3: 20. *Quoniam si condemnet nos cor* (nostrum) *ὅτι quia major est DEUS corde nostro, & novit omnia*, h. e. (sine causali) *major est Deus &c.*

Huc pertinet, cùm duplex causalis particula ponitur, cùm sufficeret una. Lev. 26: 43. יַעַן וּבְיַעַן *quia & quia judicia mea spreverunt.* Ita & Ezech. 13. vers. 10. ᵃSic & conjunguntur יַעַן כִּי, יַעַן־אֲשֶׁר *quòd quandoquidem*, *propterea quòd &c.*

ᵃ כִּי adustio.

Præter dicta, in N. T. particula ὅτι sæpè redundat, nec ferè ullam vim habet aliam, quam σύνδεσμος παραπληρωματικός habere solet. Quidam sensu eodem: *Sæpè ὅτι inservit mimesi;* dum vid. verba vel propria, vel aliorum recensentur, atque iis ὅτι præponitur quod in Lat. sermone vertendum non est. Exempla sunt Matth. 4. v. 6. cap. 7: 23. cap. 9: 18. cap. 20: 7. cap. 21: 3. cap. 26: 65, 72: Marc. 1. v. 40. cap. 3: 21. cap. 14: 58, 69, 71. Luc. 4: 11, 21, 43. cap. 5: 26. cap. 6: 5. cap. 7: 4. 16. c. 12: 55. cap. 19: 7, 9, 40, 42. cap. 20: 6. cap. 21: 8. c. 24: 7. Joh. 1: 20. cap. 4: 17. cap. 9: 41. Actor. 3: 22. Rom. 3: 8, 10. cap. 10: 5, 9. cap. 14: 11. Gal. 1: 23. Jac. 1: 13. Apoc. 3: 17. Originem τοῦ ὅτι hujus παρέλκοντος quidam ex Chaldæo-Syrismo deducunt, in quo conjunctio inseparabilis expletiva ד, cui Græcum ὅτι respondet, sæpissimè occurrit, & usus ejus longè frequentissimus est, perinde ut apud Rabbinos τοῦ ש. Henricus Stephanus in concordantiis Matth. 7: 23. vertit ὅτι, *certè nunquam novi vos.* Et addit, quòd hæc particula non redundare, sed confirmandi vim habere videatur, ut & 1 Joh. 3: 20. Beza enim Luc. 7: 16. *ὅτι Certè Propheta magnus surrexit inter nos &c.* Sed omnibus exemplis id haudquaquam applicari potest, & prior explicatio solidior est & concinnior. Quidam ita: τὸ ὅτι συνδυαζόμενον dupliciter usurpatur: *αἰτιολογικῶς ratiocinativè*, quomodo dicit rei, de qua agitur, argumentum. 2. *ὁρισολογικῶς specificativè*, quomodo nihil aliud est, quàm specificatio & nota objecti illius, de quo sermo est. Illud explicatur per *quòd*, *quia &c.* hoc voce Latinâ aptè reddi nequit. Malè igitur Vulgatus interpres (quod in Erasmi versione quandoque observare est) ὅτι illud *quòd* vel *quia* reddidit, cum potiùs omittenda in Latino sermone sit, ut ociosa, & Hellenisticæ linguæ, (ex origine Chaldæosyrâ) propria. E. G. Apoc. 3: 17. *ὅτι λέγεις, ὅτι πλούσιός εἰμι καὶ πεπλούτηκα*, Vulg. reddit: *quia dicis, quòd dives sum, & locupletatus.* Malè, sic enim opinari quis posset, angelum Ecclesiæ Laodicensium, sive peccatorem loqui de Deo, non autem de seipso. Omittenda igitur fuerat conjunctio *quòd*, & sensus μιμητικῶς esset magis perspicuus.

## *Nota.*

ᵃ COronidis loco de particula כִּי notandum, quòd aliquando nomen sit, *adustionem* significans, idem quod כְּוִיָּה & מִכְוָה, à radice כוה in Niph. נִכְוָה *adustus fuit*. Ita כִּי usurpatur Esa. 3: 24, כִּי־תַחַת יֹפִי *adustio pro pulchritudine* erit. Ita & Pagnînus vertit, qui tamen ab Ar. Montano corrigitur, & causalis conjunctio *quia* supponitur. Luth. folches alles/

ac si

ac si esset כָּל. Etsic etiam R. Kimchi: *Omnis ista fœditas* (inquiens) *obveniet ipsis propterea, quòd seipsas pulchras effecerunt suis ornatibus &c.* Qui tamen & alteram expositionem, quâ *adustionem* notat, addit. Chald. כִּי ita παραφράζει: *Hæc ultio sumetur ab illis, quia scortata sunt in pulchritudine suâ &c.* Notetur, in ejusdem versus antecedentibus, quater vocem תַּחַת inter duo nomina poni, ut dubium non sit כִּי etiam nomen esse; formæ רִי *irrigatio*, Job. 37:11. à רָוָה *irrigari*. Intelligitur autem adustio ex Solis æstu, q.d. pro eo quòd colebant faciem suam venustatis causâ, & à Solis cœlique injuriis studiosè defendebant, trahentur & rapientur foràs ab hostibus, retectæque Soli exponentur atque torrefient, quæ verba Junii sunt. Ita etiam כִּי accipitur Esai. 32:13. *In terra populi mei spina sentis assurget,* כִּי *ustio in omnibus domibus gaudii, in urbe exultabunda.* Loquitur de desolatione Hierosolymitanæ urbis, & Judææ, quæ per ignem etiam facta. Vide 2 Reg. 25:12. 2 Par. 36:19. Neh. 1:3. c. 2:3.

## Canon XIX.

***Causalis conjunctio* לְמַעַן *ἵνα*, ut, *& æquipollentes, non semper notant causam rei finalem, sed sæpius sequelam tantùm, aut eventum.***

Alii sic: Conjunctio *ut*, non semper *αἰτιολογίας* significationem habet, sed crebro *ἐκβάσεως*, *eventus* seu exitus.

Damasc. lib. 4. orth. fid. cap. 20. ἔθος τῇ γραφῇ, τινὰ ἐκβατικῶς ὀφείλοντα λέγεσθαι, αἰτιολογικῶς λέγειν. Albert. in comm. Joh. 12. *Ut*, aliquando non notat causam finalem, sed tantùm terminum, ad quem opus, absque intentione operantis, terminatur, velut si dicam, *hic intrat in aquam, ut submergatur.*

### *Exempla V. Test.*

Exod. 11:9. *Non audiet vos Pharao,* לְמַעַן רְבוֹת *propter multiplicari, seu ut multiplicentur portenta mea in Ægypto,* hoc est, quia non audiet vos, inde consequetur, ut multiplicentur portenta.

Exod. 17:3. *Quare fecisti, ut ascenderemus ex Ægypto,* לְהָמִית *ad interficiendum,* seu *ut interficeres me & filios meos, & pecus meum siti?* hoc est, cur eduxisti nos, ut ita consecutus inde fuerit præsentissimæ ex siti mortis metus?

Num. 32:14. *Ecce autem surrexistis loco patrum vestrorum turba, homines peccatis dediti,* לִסְפּוֹת *ad addendum,* seu *ut addatis adhuc æstum iræ Jehova contra Israelem,* h.e. ex conservatione vestri in vita consecutum est tantummodò hoc, quòd peccatis vestris iram Dei cumulatis.

Deut. 29:19. לְמַעַן *ut consumatur ebria cum sitiente,* h.e. ex quo (peccandi studio) consequetur consumtio & ebriæ & sitientis. Vide tract. 1. can. 2.

Psal. 51:5. *Nam defectiones meas ego agnosco, & peccatum meum coram me est jugiter.* vers. 6. *Tibi, soli tibi peccavi, & malum in oculis tuis feci,* לְמַעַן *ut justificeris in loquendo te, purus sis in judicando te.* Sive ad *peccati confessionem* verba hæc referantur, utrobique non causaliter, sed *ἐκβατικῶς* sunt intelligenda. Sensus est: quia tam graviter peccavi, idipsum agnosco in mea conscientiâ, hinc ostensa est justitia & veritas tua; quòd scil. omnis homo mendax & peccator sit, & tu solus verax & justus sis, frustraque ab hominibus judiceris, seu in judiciis tuis reprehendaris. Confer, quæ de hoc loco, & parallelo Rom. 3:4. tract. 3. can. 23. §. 2. sunt dicta.

Jerem. 7:18. *Ipsi filii colligunt ligna, & patres accendunt ignem &c.* לְמַעַן *ut irritent me,* hoc est, ex quo ipsorum facto evenit, ut irritatus fuerim.

Jer. 27:15. *Non enim misi eos, dictum Jehovæ, sed ipsi prophetant nomine meo falsò,* לְמַעַן *ut depellam vos, & pereatis vos, & ipsi prophetæ, qui prophetant vobis:* hoc est, quo fit, ut depellam vos &c.

Ezech. 21:19. (al. 15.) *Iterabitur gladius tertiò, gladius confossorum &c.* v. 20. לְמַעַן לָמוּג לֵב *ut diffluat animus &c.* h.e. ex quo fiet, ut diffluat præ terroribus animus. Est autem hic pleonasmus præfixi לְ.

Amos 2. vers. 7. *Et vir ac pater ipsius accedunt ad eandem puellam,* לְמַעַן *ut profanent nomen sanctitatis meæ;* hoc est, ex eo fit, ut profanetur nomen meum inter gentes. Vide & Hos. 8:4.

### *Exempla N. Test.*

Matth. 23. vers. 34. *Mitto ad vos Prophetas, illos occidetis & crucifigetis &c.* vers. 35. ὅπως *ut veniat super vos omnis sanguis justus &c:* h.e. unde eveniet, ut super vos omnis illius sanguinis reatus & pœna veniat, uti vers. 36. explicatur.

Joh. 9:2. *Quis peccavit, hic, an parentes ejus, ἵνα τυφλὸς γεννηθῇ, ut cœcus nasceretur?* apertissimè hîc ἔκβασις intelligitur, non causa finalis.

Ibid. vers. 3. *Respondit Jesus, neque iste peccavit, neque parentes ejus, sed ἵνα ut manifesta fiant opera Dei in ipso*, hoc est, ex eo, quòd cœcus natus fuit, manifesta fiet Dei potentia & bonitas, in ejus sanatione à me præstanda. Beza vertit: *oportet opera Dei manifesta fieri in eo.*

a De loco Joh. 9. in judicium veni &c.

[a] Ibid. v. 39. *Et dixit Jesus: εἰς κρίμα in judicium ego in hunc mundum veni, ἵνα ut qui non vident, videant, & qui vident, cœci fiant.* Ἐκβατικῶς, non αἰτιολογικῶς exponendum est, tùm, quòd *in judicium* seu judicandi causâ *se venisse* Christus dicit; per se enim & fine proprio Christus non venit ad judicandum, sed salvandum & illuminandum homines, Joh. 1: 6. cap. 3:17. cap. 22:47. tùm, quòd ait, *ut qui vident, cœci fiant*; ex prædicatione enim Euangelii de Christo per accidens sequitur, quòd increduli & contumaces, justo Dei judicio, à Satana excœcantur, indurantur, & æternùm damnantur. Confer 2 Cor. 2:15. 16. c. 4:3, 4. &c. Quæritur autem, quomodo cohæreant his verba media, *ut qui non vident, videant*, (h. e. ut qui cœcitatem suam nativam agnoscunt, & à Deo illuminari humiliter petunt, ad spiritualem visum, seu salutarem Christi agnitionem, per Euangelicum verbum perducantur,) hoc enim non *judicii* est, sed misericordiæ & gratiæ opus: nec ἐκβατικὸν solùm respectu adventus Christi in mundum, sed τελικὸν, & propria finalis causa? Resp. Phrasis non disjunctim, sed connexè accipienda est, hoc modo: *In judicium ego in hunc mundum veni* (hic adventûs mei & Euangelii in plurimis est, ad judicium ipsorum proprium, eventus) *ut, cum ii, qui non vident, videant*, h. e. spiritualiter cœci illuminentur & salventur (qui adventus mei proprius finis est) *plurimi tamen videntes cœci fiant*, hoc est, qui falsò sibi persuadent, se in negocio salutis extra & præter me satis oculatos esse, prædicatione Euangelii magis offendantur & excœcentur. Breviùs, ex Johan. 3. vers. 19. *Hoc est judicium, quod lux venit in mundum* (& credentes etiam secuti illuminantur & salvantur) *& dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem* (& ita damnantur, v. 18.)

b De Prophetiis respectu eventus & impletionis.

Similia exempla, quibus primum in sermone membrum, non immediatè consequens, sed remotius membrum spectat, etiamsi certa ratione ea cohæreant, occurunt & alibi. Matth. cap. 11:27. *In illo tempore respondens Jesus dixit: gratias ago tibi Pater, Domine cœli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelâsti ea simplicibus*, h. e. gratias ago tibi, quòd cùm absconderis mysteria verbi tui sapientibus hujus seculi, tamen ea revelâsti gratiosè simplicibus & humilibus. Pro *posteriore*, non *priori*, Christus patrem laudat, & tamen hæc membra cohærent. Sic Rom. 6:17. 1 Timot. 1:13, 14. quæ duo can. 13. adducta sunt. Hæc de loco isto, cui similes sunt, de ἐκβάσει itidem explicandi, Luc. 2:34. Matt. 10:34, 35. &c.

Rom. 1:20. de notitiis naturalibus in gentilibus agitur, & subjungitur, *εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, ut sint inexcusabiles.* Ubi Theophylactus monet, hoc non esse de fine, sed de *consequentia* intelligendum, ut sit pro ὥστε εἶναι, Luth. also daß sie keine Entschuldigung haben.

1 Cor. 11:19. *Oportet & hæreses inter vos esse, ἵνα, ut qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*, h. e. inde consequitur, ut οἱ δόκιμοι manifestentur. Bezà in h. l. *Quod annotat Chrysostomus, ἵνα non significare causam; sed eventum, eatenus admitto, ut sciamus, hoc propriè non manare ab hæresi, sed κατὰ συμβεβηκός, & tamen DEI consilium & scopum hunc esse &c.* Quæ verba ultima si hoc velint, Dei consilium & scopum esse, ut hæreses veniant, falsa sunt. Sin verò hoc, Deum permittere, hæreses venire, ut bonus iste finis τῆς δοκίμων φανερώσεως exinde sequatur; tolerari hoc sensu queunt.

2 Cor. 3:13. *Et non sicut Moses ponebat velamen super faciem suam, πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι, ut non intenderent filii Israel in finem ejus, quod evacuatur.* Non innuitur Mosis consilium & actionis causa finalis, sed eventus excœcationis Judæorum, cujus quasi σύμβολον quoddam & typus fuit impositio illa καλύμματος externa super facie Mosis. Confer & expende verba sequentia, usque ad finem capitis.

1 Johan. 2:19. *Sed* (exierunt à nobis) *ἵνα ut manifestentur, quòd non sunt omnes ex nobis*, hoc est, quia illi exierunt à nobis per apostasian, inde factum, ut manifestaretur, quòd non omnes ex nobis sint, seu mystici corporis Christi viva membra sint, qui in externa societate nobis conversantur.

## *Nota. I.*

[b] Pertinent ad hunc canonem ea quoque dicta, in quibus hoc vel illud malum dicitur factum, *ut implerentur prophetica oracula.* Ibi enim consequens & eventus prædictionis, non proprie sic dictus effectus innuitur. Non enim vult Deus mala, nec prædicit, ut fiant: Sed quia futura sunt ex agentium malitiâ, igitur ad bonum

num finem ea permittere constituit, & per prophetas suos prædicit.

Matth. 27: 35. *Postquam crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes, ἵνα ut impleretur, quod dictum est per Prophetam*, h. e. sic evenit illud, quod olim prophetatum fuit, nempè Psal. 22: 19. Sic Joh. 15: 25. cap, 17: 12. cap. 19: 24.

Johann. 12: 38. *Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*, vers. 39. *ἵνα ut sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, Domine quis credidit auditui nostro &c.* hoc est, sic evenit, quod prædixit propheta; seu, ita cognitum fuit verax prophetæ vaticinium. Non constituitur prophetia incredulitatis causa, sed indicatur exacta prophetiæ & eventus convenientia. Ejusdem etiam sententiæ verba in sequenti versu sunt: *Proptereà non poterant credere, quia iterum dixit Esaias &c.* Non in prædictione prophetica, sed in re prædicta, hoc est, excoecatione & induratione Judæorum, causa ἀδυναμίας illius statuitur: hoc sensu: *non poterant credere, quia erant excœcati & indurati, prout Esaias de illis prædixerat.* Vel, non poterant credere, quia verum in illis compertum fuit, quod Esaias prædixit. Et sic prædictio prophetica adjunctum est excœcationis, quæ illius ἀδυναμίας genuina & propria causa est. Vide igitur in textu Euangelistæ gradationem versu 37. Judæi, etsi viderunt tot & tanta Christi miracula, tamen non crediderunt: versu 38. sic evenit, quod Esaias dixit, cap. 53. *quis credit auditui nostro?* versu 39. imò etiam non potuerunt credere, quia planè erant excoecati à Diabolo; Et hoc ipsum etiam non caret prædictione Dei per prophetas, sed de eo in Esaia vaticinium extat, cap. 6. Quæris, cur Judæorum ἀπιςίαν & credendi ἀδυναμίαν ab hoc adjuncto propheticæ prædictionis Johannes describat? Resp. factum id esse, ut occurreret scandalo ex gentis Judaicæ incredulitate orituro. Quia enim hoc ipsum à prophetis olim ex inspiratione Dei omniscii prædictum, igitur neminem turbare, vel à fideli Messiæ receptione absterrere debet. Observa hîc prætereà duo (1.) Datam expositionem de vera credendi ἀδυναμίας causâ, apertè comprobari verbis Christi Matth. 13: 13. *Ideò in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt*, hoc est, quia in incredulitate & obstinatione diabolica toti immersi sunt, adeò ut *videntes* (miracula tot ac tanta) *non videant* (oculis mentis, ad recipiendum me) & *audientes* (tam apertam & perspicuam Euangelii de regno Dei prædicationem, à me hactenus factam) *non audiant, neque intelligant*, versu 14. *& adimpletur in eis prophetia Esaiæ, dicens, auditu audietis &c.* hoc est, quia ita se res habet de Judæorum cœcitate, exinde patet, verificari in ipsis prophetiam Esaiæ. (2.) In ipsis verbis Johann. 12: 40. particulam ἵνα accipi non αἰτιολογικῶς sed ἐκβατικῶς: *Excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum ἵνα μὴ ἴδωσι, ut ne videant oculis, & intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.* Pro hoc Matth. 13: 15. Marc. 4: 12. (ubi etiam prophetia citatur) est μήποτε ἴδωσι, *ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur & sanem eos.* In quæ verba benè Luth. tom. 4. Jen. Lat. fol. 338. *Illud verbum, ne convertantur & sanem eos, etiam videtur invidè dictum, quasi non vellet eos videre & sanari. Sed totus ille locus est copulativè legendus, ut dependeat hoc modo quasi catena: Populus iste habet cor induratum, & oculos clausos, quo fit, ut non possint converti & sanari*: q. d. *induratio cordis eorum obstat, ne videant & sanem eos. Vellem, inquit, sanare, ideò mitto filium, sed meæ voluntati & eorum saluti obstat induratio cordis &c. Voluntas sanandi prædicatur in DEO, sed obstaculum cordis in homine reprehenditur.* Consulatur insuper Dn. D. Gerh. harmon. Euang. cap. 147. ex qua potiora hîc deducta.

## *Nota II.*

Non congruunt canoni proposito exempla, quæ olim ei adscripsi. Matth. 5: 16. *Luceat lux vestra coram hominibus, ὅπως ut videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.* Per *lucem* prædicationis Apostolicæ opus potissimum intelligitur, ut ex præcedentibus constat. Illud igitur omninò hoc fine expediendum erat, ut homines hanc lucem, & hoc opus videntes ad glorificandum Deum, seriâ conversione, perducerentur. Luth. tom. 5. Jen. f. 37. S. Matthæus ist hie nicht zu verstehen von den gemeinen Wercken / die ein ieglicher gegen dem andern thun sol / aus der Liebe / davon er Matth. 25. redet / sondern allermeist von dem rechten Christlichen Werck / als rechtschaffen lehren / den Glauben treiben / und darinn unterrichten / stärcken / und erhalten &c. darumb ist das allein das gewisseste Werck eines rechten Christen / wenn er Christum so preiset und predigt / daß die Leute solches lernen / wie sie nichts / und Christus alles ist. Ex hoc conciliatio cum Matth. 6: 1. facilè institui potest. Ibi enim non de

 operi-

operibus ex vera fide profectis, sed hypocriticis; non de vero fine, qui gloria Dei, & conversio hominum; sed de perverso fine propriæ laudis & gloriæ agitur.

Johann. 5:20. *Et majora his demonstrabit ipsi opera, ἵνα ut vos miremini.* Omninò pater cœlestis Filio majora hæc ostendit opera, & per filium ea operatus est [ quæ vis phraseos hujus est ] ut ad fidelem operum illorum considerationem & admirationem perducti homines, filium ὁμοίως ut patrem honorent & glorificent, vers. 23.

Rom. 5:20. *Lex subintravit, ἵνα ut abundaret delictum*, hoc est, ut abundantiùs seu clariùs patefieret. Omnino hic finis & usus legis est, quod ostendit peccatum, cap. 3:20. Confer cap. 4:13. cap. 7:7. Gal. 3:19. August. de pœn. med. c. 1. *Ad hoc lex data est, ut superbo infirmitatem suam notam faceret, infirmo pœnitentiam suaderet. Ad hoc data lex est, ut vulnera ostenderet peccatorum, quæ gratia benedictione sanaret &c.*

Roman. 11:32. *Conclusit Deus omnes in incredulitatem, ἵνα ut omnium misereretur.* Omninò Deus hoc fine omnes homines peccati reos voce scripturæ constituit, Gal. 3:22. ut omnium se misereri, & neminem â sua gratia absoluto decreto excludere, declararet.

## Canon XX.

*Causalis conjunctio* לְמַעַן *ἵνα, ut, præter ἐκβάσεως significationem dictam, aliis adhuc modis interdum usurpatur.*

1. לְמַעַן *ut*, pro *propterea quòd.* Esa. 66:10. *Gaudete de Jerusalem & exultate in illa omnes amantes eam; lætamini cum illa, lætitia, omnes lugentes de ea*, vers. 11. לְמַעַן *propterea quòd sugitis & saturamini ex ubere consolationem ejus:* לְמַעַן *propterea quod exprimitis & delicias agitis è splendore gloria ejus.* Chald. בְּדִיל *propterea quòd deliciamini &c.*

Huc pertinet, quòd *propter* significat, & cum nominibus vel pronominibus affixis constructum, non causam finalem semper, sed & efficientem & promoventem notat. Genes. 18: vers. 24. *An etiam perdes, & non remittes isti loco* לְמַעַן *propter quinquaginta justos?* q. d. annon quinquaginta isti precibus suis efficere & permovere te poterunt, ut toti illi loco clementer parcas?

Deuteron. 3:26. *Et iratus fuit mihi Dominus* לְמַעַנְכֶם *propter vos*, hoc est, vos in causa fuistis, ut Dominus mihi irrasceretur. Id verò mediatè accipiendum. Iram enim Dei sibi accersiverat Moses suâ infidelitate, Num. 20:24. Loquitur autem sic, quia occasione regendi tàm morosi & increduli vulgi, lapsus erat in eam incredulitatem.

a De loco Proverb. 16:4. Omnia facit Dominus propter seipsum &c.

a Illud autem Proverb. 16:4. *Omnia facit Jehova* לַמַּעֲנֵהוּ quod vertitur *propter seipsum:* potiùs nomen מַעֲנֶה cum affixo est, sensum hunc reddens: *Omnia operatur Dominus* לַמַּעֲנֵהוּ *ad responsum suum*, hoc est, ut cuncta humiliter respondeant ipsius voluntati, & singula suæ creationi, idque præstent, ad quod sunt facta, & quod jubentur à suo factore. Atque ita *etiam* Deus creavit, quod ad substantiam, *ipsum impium*, & mandavit ut faceret, quod Deus voluit: qui tamen propriâ malitia *ad diem malum*, hoc est, promeritas pœnas trahitur. Ita D. Tarnov. in exerc. Bibl. pag. 130. verbum עָנָה hoc significatu venit Eccles. 10:19. *Et argentum* יַעֲנֶה *respondet omnibus*, hoc est, votis omnium: q. d. præeunte pecuniâ, omnes fiunt voti compotes. Vocem autem לַמַּעֲנֵהוּ esse nomen cum affixo, *tùm* exclusum ה demonstrativum (id quod punctum ejus pathah cum dages forti ostendit) quod nominibus præfigi solet, ostendit: *tùm* affixum הוּ præcedente zere, quæ forma in hoc nominum genere usitata: sic dicitur מִקְנֵהוּ *possessio ejus*, à מִקְנֶה Job. 1:3. Ab hac interpretatione non multùm abesse videtur Chaldaica versio, quæ sic habet: *Omnia opera Dei ad istos* (justos) *ut obtemperent ipsi*, scil. Deo. Junius eandem vocis hujus significationem in notis ad h. l. amplectitur, sed relativum non ad Deum, sed ad ipsam, de qua textus loquitur, creaturam refert: *Haud scio* (inquiens) *an non melior sit futura ex Hebræo contextu interpretatio: Omne operatur Jehova ad id, quod respondeat ipsi, etiamque improbum ad diem mali. Est enim ætiologia à providentia Dei, cujus sapientissima vi & ordinatione sic disponuntur omnia, ut singula antecedentia facta cogitationesque suis consequentibus, & singula consequentia suis antecedentibus respondeant. Hæc interpretatio magis scripturæ verbis videtur respondere.* Sed cavendum hîc videtur quoddam ὕπουλον. Nisi enim nova & commoda posteriori versus membro addatur explicatio, sequitur, illud, *quod Deus operatur improbum ad diem mali* (quod de perditione vasorum iræ, destinatorum exitio, ex Rom. 9:22. in antecedentibus verbis exponit) sapientissimâ vi & ordinatione Dei sic disponi, ut hoc consequens suo antecedenti (peccato & indurationi damnandorum) ex Dei proposito respondeat. Quid autem hinc, nisi blasphema, de Deo creante impios ad perditionem & absolutè eos reprobante, doctrina sequitur? Hæc de interpreta-

pretatione vocis לְמַעֲנֵהוּ. Ab aliis autem, ut dixi, vertitur, *propter seipsum.* Quâ in sententia Hebræorum etiam doctores quidam sunt. R Aben Ezra cum præcedenti versu 3. ita hæc verba connectit: *Quia omnia facit Deus* לְמַעַן הַזַּךְ *propter purum seu justum* (cujus mentio versu 2. præcessit) *& dabit petitionem ejus, & faciet voluntatem ejus in eo, quod petierit, & cùm devolvet in ipsum* (Dominum facta sua, ut versu 3. dicitur) *implebit optata ejus: etiamque ultrà quàm optabit purus* (ibi exhibebit,) *unde dicit, etiam impius venit ad diem malum, ne scil. noceat puro seu justo.* R. Levi paulò aliter: *omnia quæ facit Deus, illa ad perfectionem & utilitatem seu bonum* (directa sunt) *etiamque si videris, quòd plectitur impius ad diem malum, hoc ipsum etiam ad bonum est, quia in hoc bonum consistit, quòd* (impius) *accipit correctionem &c.*

2. ἵνα, *ut*, non semper τελικῶς, seu de causa finali accipitur, sed quandoque εἰδικῶς, ita ut specificativa seu explanativa sit particula, Joh. 15: 8. *In hoc glorificatus est Pater meus, ἵνα ut fructum plurimum feratis, & efficiamini mei discipuli*, hoc est, dum fructum fertis &c. in hoc ipso glorificatur Pater. Sic versu 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ἵνα ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, hoc est, tantam dilectionem, quâ etiam ponat. cap. 16: vers. 7. *expedit vobis, ἵνα ut ego vadam*, h. e. idipsum quòd vado. Sic vers. 32. c. 16: 2. cap. 17: 3. 1 Johann. 3: 1, 23. 3 Johan. vers. 4. &c.

3. ἵνα idem quandoque est, ac, *adeò, ut* 2 Cor. 1: 17. *an quæ cogito, secundum carnem cogito? ἵνα adeò ut sit apud me, est & non?* Sic cap. 7: versu 9. Apoc. 8: 12.

## Nota.

1. Pro conjunctione causali לְמַעַן usurpatur interdum אֲשֶׁר *quòd* Jos. 3: 7. אֲשֶׁר יֵדְעוּן *ut sciant, quòd quemadmodum fui cum Mose, sic ero tecum.* Vide & Genes. 11: 7. Exod. 20: 25. Ruth. 3: 1. Sic præfixum שׁ, Eccle. 3: 14.

2. τὸ πῶς, pro ὅπως, *ut* videtur poni Luc. 22: 4. Act. 4: 21.

# CONJUNCTIO CONCLUSIVA.

Conclusiva seu rationalis est, quâ ex antecedente consequens concluditur. Ejusmodi sunt, *quare, ideò, ergo &c.* De quibus duo restant canones,

## Canon XXI.

*Conjunctio conclusiva aliis etiam particulis effertur.*

Ponitur pro illa 1. causalis כִּי *quia.* Genes. 22: 16. *Per meipsum juro, dictum Jehovæ, quia fecisti rem hanc &c.* vers. 17. כִּי *igitur benedicendo* benedicam tibi &c.

1 Sam. 2: 52. *Et non attenderunt ad vocem patris sui,* כִּי *quapropter voluit Jehova eos occidere*, hoc est, quare sententiam voluntatis suæ judiciariæ, de morte plectendis filiis his Eli contumacibus, per prophetam declaravit apertè, uti vers. 27, 34. sequitur. Hoc significatu vocem כִּי Buxt. in Lexico, contra alios Calvinianos exponit: uti & Vorstius & Alstedius, allegante Sixt. Amama, in Grammat. Hebr. pag. 228.

Psalm. 116: 10. *Credidi* כִּי *igitur locutus sum*; 2 Cor. 4: 13. ἐπίςευσα, διὸ ἐλάλησα.

Didacus Stella scriptor Pontificius, ita etiam explicat illud Lucæ 7: 47. *Remittuntur ei peccata multa, ὅτι quia*, hoc est, idcircò *dilexit multum.* Vide de hoc loco can. 17.

2. Adverbium temporis וְעַתָּה *& nunc*, quod crebrò illativum est, positum pro *igitur, ergo itaque.* Genes. 4: vers. 11. cap. 21: vers. 23. cap. 27: 38. Psal. 2: 8. &c.

3. Adversativa ἀλλὰ *sed*, 2 Corinth. 8: 7. Galat. 2: 14. Item πλὴν *veruntamen.* Matth. 11: vers. 22, 24. πλὴν λέγω ὑμῖν, *quapropter dico vobis.* Ostendunt enim præcedentia, illationem hîc poni. Sic & Matth. 26: 64. Luc. 6: vers. 35. cap. 12: 31. Ephes. 5: 33.

4. Præpositio cum pronomine demonstrativo. Matth. 19: 5. ἕνεκεν τούτου *propter hoc relinquet homo &c.* hoc est, quapropter: respondet Hebræo עַל־כֵּן Genes. 2: 24.

Joh. 12: 39. διὰ τοῦτο *propter hoc*, seu *propterea non poterant credere &c.* quia sc. adeò excœcati erant, uti propheta id prædixit.

5. Adverbium similit. οὕτως Apoc. 3: 16. &c.

## *Nota.*

Conclusiva, ἂν, *igitur*, quandoque redundat. Matth. 7: 12. *Omnia igitur, quæ vultis, ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis.* Nihil hîc præcedit, ex quo conclusio hæc elici possit, sed est simplex mandatum, à superioribus sensu distinctum. Potest etiam dici, quod sit particula *ordinis*, non causalis. Sicut etiam לָכֵן *idcirco*, quandoque usurpatur. Hos. 2: vers. 14. (al. 16.) &c. Interdum transitioni servit, Johann. 9: 18. 1 Corinth. 14: vers. 23.

## Canon XXII.

*Conjunctio conclusiva διὸ* quapropter, *in se non causam rei exprimit, sed consequens in ratiocinatione infert, sive ex causa, sive ex alio loco desumtum argumentum præcesserit.*

INfert autem particula διὸ consequens & conclusionem.

1. Ex loco *causarum*. Tùm *procreantis*. 2 Corinth. 4: 13. *Habentes eundem Spiritum fidei, sicut scriptum est, credidi, διὸ quapropter locutus sum: & nos credimus, διὸ, quapropter & loquimur.* Fides confessionis Christianæ mater & causa est. Ephes. 4: 25. *διὸ propterea deponentes mendacium, loquimini veritatem &c.* Deducitur hoc ex induitione novi hominis, quæ causa & fundamentum est exercitii veritatis & aliarum virtutum.

Tùm *promerentis*. Roman. 1: 24. *Propterea etiam tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam &c.* Deducitur hoc ex nefanda gentilium idololatriâ, quâ hanc in reprobum sensum traditionem fuêre promeriti. Sic vers. 26, 28. ubi synonymæ habentur particulæ.

Tùm *instrumentalis*. Roman. 4: 22. *διὸ ideò & reputatum est illi ad justitiam.* Deducitur hoc ex descriptione fidei Abrahami, quæ causa instrumentalis & ὄργανον ληπτικὸν est justitiæ Dei in Christo. Vide & Hebr. 11: vers. 12.

2. Ex loco *effectuum* & actionum. Matth. 27: vers. 8. *διὸ quapropter vocatus est ager iste, ager figuli &c.* Deducitur hoc ex emtione agri figuli, à Sacerdotibus facta.

Roman. 15: 22. *διὸ propterea etiam impediebar plurimùm, venire ad vos.* Deducitur hoc ex σπουδῇ & fervore Pauli in prædicando Euangelio inter gentes: quo impeditum se fuisse, quò minùs veniret, testatur.

3. Ex loco *adjunctorum*, quæ vel *interna* sunt, vel *externa*. Interna vel in *personis*, vel *actionibus*.

In *Personis*. Actor. 26: 3. *διὸ quapropter peto à te, ut patienter me audias.* Deducitur hoc ex conditione & scriptione judicis Agrippæ. Luc. 7: vers. 7. *διὸ propterea meipsum non æstimavi dignum, ut venirem ad te.* Deducitur hoc ex tenuitate & indignitate personæ propriæ; & contrà majestate personæ Christi.

In *actionibus*. Ephes. 5: vers. 14. *διὸ propterea dicit, surge qui dormis &c.* Deducitur hoc ex turpitudine actuum malorum & Deo exosorum.

Externa adjuncta sunt, Tum *tempus*: vel præteritum. 1 Corinth. 12: 3. *διὸ igitur notum vobis facio, quòd nemo in spiritu loquens, dicit anathema Jesum &c.* Deducitur hoc ex pristino tempore & statu Corinthiorum ante conversionem. Vel *futurum*, Actor. 20: 26. *διὸ quapropter contestor vobis hodiernâ die &c.* Deducitur hoc ex futuri temporis conditione, quia scilicet non ampliùs visuri sint Paulum. 2 Corinth. 4: 16. *διὸ propterea non defatigamur &c.* Deducitur hoc ex futura & speratâ ex mortuis resurrectione, vers. 14.

Tùm *instans periculum*. Actor. 20: 31. *διὸ, quapropter vigilate &c.* Deducitur hoc ex periculo seductionis falsiloquorum doctorum in Ecclesia.

4. Ex loco *contrariorum*. 2 Corinth. 6: 17. *διὸ quapropter exite de medio illorum &c.* Deducitur hoc ex ἀντιπαθείᾳ & contrarietate, quæ est inter Christum & Belial, & inter utriusque filios & sectatores. Hebr. 10: 5. *διὸ igitur ingrediens mundum dicit &c.* Deducitur hoc ex sacrificiorum Vet. Test. ἀδυναμίᾳ in tollendis peccatis, quæ respectu meriti Christi ἀντιθετικῶς se habet:

5. Ex loco *comparatorum*. Hebr. 13: 12. *διὸ quare etiam Jesus extra portam passus est.* Deducitur hoc ex typo & comparatione sacrificiorum, quorum sanguis infertur in sanctum sanctorum.

6. Ex loco *testimonii*. Actor. 10: 29. *διὸ propterea etiam sine contradictione veni accersitus.* Deducitur hoc ex oraculo divino, testante, gentiles non esse pro impuris haben-

bendos. Sic cap. 27: 24, 25. 2 Cor. 12: vers. 9, 10.

7. *Ex congerie plurium locorum*, & toto præcedenti sermone, distinctis partibus constante Luc. 1. vers. 35. διὸ *propterea etiam, quod ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius* Dei. Deducitur hoc συμπέρασμα ex distinctis membris antecedentibus, in sermone Angeli: quia filius ille, quem concipies & paries, erit Jesus, promissus ille Messias, *cui Pater cœlestis dabit sedem David, ut sit Rex in æternum*, vers. 31, 32, 33. & *quia Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit te*, vers. 35. (quo simul divinæ & humanæ naturarum unio innuitur:) igitur, *quod nascetur ex te, vocabitur*, & erit verè, *Filius Dei*, & verus Deus in carne manifestatus, Sic Actor. 15. vers. 19. διὸ *quare ego judico, non turbare eos, qui ex gentibus converterunt se ad Deum.* Deducitur hoc ex multis membris antecedentibus in sermone Jacobi Apostoli. Videantur etiam Roman. 2: 1. cap. 13: 5. cap. 15: 7. 2 Corinth. 1: 8. Ephes. 2: 11. cap. 3: 13. 1 Thess. 5: vers. 11. Hebr. 13: 7. cap. 12: 12. Jacob. cap. 1. vers. 21. 2 Petr. 1: versu 10. cap. 3: vers. 14.

## *Nota.*

Ponendus & explicandus fuit canon hic ob Bellarminum, qui lib. 5. de Christo cap. 9. thesin suam, *quòd Christus meruerit sibi illa omnia, quæ accepit post passionem suam, corporis scil. gloriam & nominis exaltationem;* ex his dictis Pauli probare intendit. Phil. 2: 8. *humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, vers. 9. *propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen &c.* Hebr. 2. vers. 9. *Videmus Jesum propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum.* Dumque Calvinus respondet, his testimoniis solùm significari, Christum *post passionem* suam habuisse gloriam, non autem, unum fuisse caussam alterius: sicut cùm dicitur Luc. ult. *oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam*, Bellarm. ita regerit: Phil. 2. & Hebr. 2. *habetur particula, propter, quæ particula causam ubique significare solet.* Hujus posterioris effati falsitas ut ostendatur, distinctè progrediendum.

1 Phil. 2. vers. 9. non habetur præpositio *propter*, sed conjunctio conclusiva διὸ *quapropter, igitur.* Hæc autem, ut canon habet, & hactenus demonstratum est, in se & per se consequens in ratiocinatione infert, sive ex caussa, sive ex alio loco desumtum argumentum præcesserit. Non igitur pro meritoriæ cujusdam causæ probatione ratio inde duci potest.

Quod si quæratur, ad quod locorum (superiùs enumeratorum) genus pertineat sermo Apostolicus, ex quo particulam διὸ exaltationem Christi Paulus Phil. 2. vers. 9. deducit? Resp. quòd partim ad *secundum* genus pertineat; dicitur enim vers. 7. *quòd Christus in forma Dei existens seipsum exinaniverit, formam servi accipiens:* partim ad *tertium*; est enim vers. 7, 8. descriptio summæ & humilitatis & paupertatis, & ignominiosæ passionis mortisque, quo statu ærumnoso deposito ingressus est Christus in suam gloriam, Luc. 24. vers. 26. Non igitur causa meritoria exaltationis in vers. 7, 8. sed hujus tantùm antecedens: nec exinanitionis meritum seu meritorius effectus in vers. 9, 10, 11. sed ejus tantùm consequens, particulâ διὸ indicatur: *Factus est patri obediens usque ad mortem, ideò seu hinc consecutum est, ut exaltaretur.* Humiliatio fuit via, per quam Christus ad gloriam pervenit, non verò causa meritoria, sicut & nostra παθήματα sunt via regni, non causa regnandi.

2 Hebr. 2: vers. 9. non conjunctio conclusiva, sed præpositio extat διὰ. Verùm & illam non semper causam meritoriam; sed & alia causarum genera notare, itidemque aliis significationibus venire, demonstratum suprà fuit, tract. 6. can. 9. Et Hebr. 2. vers. 9. διὰ τὸ πάθημα, non *propter passionem*, ut vulgata habet, sed, *per passionem*, vertendum est, sicut vers. 10. διὰ παθημάτων eodem sensu dicitur. Confer 1 Petr. 1. vers. 11. Flacius & alii, verba sic ordinant, ut διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, *propter passionem mortis*, exinanitionis vel terminum, vel causam finalem, non verò exaltationis causam describere dicant, sensu eo: *factus est Angelis inferior, propter passionem mortis*, hoc est, ideò quia passionem & mortem sustinuit; sicut Philipp. 2. vers. 8. dicitur, *exinanivit se, factus obediens usque ad mortem &c.* Vel *propter passionem mortis*, hoc est, ut mori posset, uti Beza sentit. Sed prima explicatio est simplicior. Quòd si obstare quis dicat, quò minùs *Per* possit d. l. reddi, quia cum accusativo construitur, quæ constructio causam innuit. Resp. etiam alibi cum accusativo construi, & à vulgata etiam Latina *Per* reddi. Vide Ephes. 4. vers. 18. &c. Sic igitur Jesuita non obtinet ex his particulis, quod intendit. Quod autem insuper in copulativa *ET*, voculæ διὸ Phil. 2: 9. additâ, præsidiolum

diolum suæ causæ quærit, ac si illa apertè causam indicaret: id frivolum sanè est, uti ex aliorum locorum collatione apparet, in quibus conjunctæ reperiuntur, διὸ καὶ, nec tamen & sic causa indicatur. Act. 10:29. cap. 13:35. Hebr. 13:12. &c.

Tantùm de doctrinâ CONJUNCTIONIS.

*Quàm suavis JESU atque animæ CONJUNCTIO sancta!*
*CONJUNCTUS maneam Tì quoque, CHRISTE, precor!*

1 Cor. 6:17.

ὁ δὲ κολλώμενος τῷ κυρίῳ, ἓν πνεῦμά ἐστι.



TRA-

# TRACTATUS VIII.

# DE

# INTERJECTIONE.



Nterjectio est vox indeclinabilis, animi affectum indicans. Eaque cùm variorum sit generum, hac vice aliqua saltem proferentur, quæ notatu digna sunt.

## Canon I.

*Obsecrantis interjectio ut plurimum* נָא *est &* אָנָּה quæso, obsecro.

1. נָא quandoque temporis est particula, *Nunc*. Chaldæus כְּעַן vel כְּדוּן vertit. Unde R. Aben Ezra Gen. 12: 11. מלת נא כמו עתה *dictio* נָא *idem est, quòd* עַתָּה *nunc*. Sic Gen. 18: 27. הִנֵּה־נָא *ecce nunc cuperem loqui ad Dominum*. Cantic. 3: 2. אָקוּמָה נָּא *Surgam nunc, & obibo civitatem &c.* Quandoque autem obsecrantis interjectio est. Gen. 18: 30, אַל־נָא *ne quæso irascatur Dominus meus &c.* Num. 12: 12. אַל־נָא *ne quæso sit similis mortuo &c.* v. 13. אֵל נָא רְפָא נָא לָהּ *Deus, obsecro! sana quæso illam*. Chaldæus prius נָא per בְּבָעוּ *obsecro*; posterius נָא per כְּעַן *nunc*, vertit. Semel נָא nomen est, *crudum* significans, seu non satis coctum. Exod. 12: 9. *ne comedatis ex illo* נָא *crudum*. Chald. כַּד חַי *quasi vivum*. (Sic & cruda caro חַי *viva* vocatur in Hebræo, 1 Sam. 2: 15.) R. Aben Ezra convenientiam hîc ponit cum Arabica lingua, quâ crudam carnem ניי vocari asserit. Literæ autem אהוי inter se מתחלפות seu permutabiles sunt.

2. אָנָּא idem significat, & quandoque cum ה in fine אָנָּה Psalm. 11: 4. Et sexies sic scriptum reperiri, Masorethæ notant ad locum allegatum. Chald. itidem reddit בְּבָעוּ *obsecro*. In Psal. 118: 25. utrumque, נָא & אָנָּא occurrit: אָנָּא יְהוָה הוֹשִׁיעָה נָּא אָנָּא יְהוָה הַצְלִיחָה נָּא. *Obsecro Jehova, salva quæso; obsecro Jehova, prospera quæso.* Posterius נָא quidam ut temporis adverbium accipiunt, *serva nunc, prospera nunc*: quod eòdem redit. Prior tamen significatio affectui Psaltis & scopo psalmi magis congruit. Enata hinc vulgata dictio *Hosianna*, (vulg. *Osanna*) Matth. 21: 9. Marc. 11: 9. quam Augustinus libr. 2. de doctrina Christiana cap. 11. ait. *Interjectionem lætantis esse*. Idem tract. 51. in Joh. *Vox obsecrantis est, Osanna, sicut nonnulli dicunt, qui Hebræam linguam noverunt, magis affectum indicans, quàm rem aliquam significans, sicut sunt in Latina lingua, quæ interjectiones vocant.* Qui si de vocis posteriori parte loqueretur, benè id esset: tota enim vox est imperativus verbi in Hiphil, cum additâ obsecrandi particulâ: הוֹשִׁיעָה *salutem præsta*, נָא *quæso*. Duplex autem litera N ex dages euphonico est in נָּא. Hieronymus in Epist. 145. ad Damasum, notat Hilarium, quòd ex imperitia linguæ sanctæ *Osanna* interpretatus sit, *redemtio domus David*. Ubi Erasmi suspicio est, Hilarium, cùm hæreret ad eam vocem, ex Judæo quodam sciscitatum fuisse, quid apud illos sonaret Hosanna, atque illum, ut irrideret Christianum, respondisse, quod in buccam veniebat.

3. Est etiam Hebræis obsecrandi particula בִּי *quæso, obsecro*. Gen. 43: 20. *Et dixerunt* בִּי אֲדֹנִי *quæso Domine*. Chald. בְּבָעוּ רִבּוֹנִי *obsecro Domine mi*. Sic Jud. 6: 15. 1 Sam. 1: 26. Quidam pro pronomine voculam hanc accipiunt, ut sit בִּי *in me*, cum ellipsi verbi *attendendi*, vertuntque, *attende ad me Domine*: sicut Gen. 23: 13. dicitur, שְׁמָעֵנִי *audi me &c.* Aben Ezra aliam & alieniorem ponit in voce isthac קצרה seu ellipsin, ac si esset בִּי הֶעָוֹן *in me sit pœna peccati*: ac si sensus esset, עשה בי מה שתרצה ותשמעני *fac mihi, quod libuerit, modò audi me*. Sed simplicius est, ut interjectionem obsecrantis, vocem eam accipere. R. Salomo: לשון ב״יא ותחנונים *significatione est obsecrationis & supplicationis:* super Gen. 43. ubi Syram vocem ב״יא ejusdem significati esse ait.

4. Extat etiam Gen. 23: 13. לוּ significatione hac, pro *quæso, obsecro*.

5. A suprà posito נָא videtur fluxisse Græcum

cum *ναὶ*, quod præter significationem suprà traditam, tract. 5. can. 17. etiam obsecrantis particula est. Matth. 15:27. mulier Chananæa, cùm Christus videretur nolle ei concedere, quod petebat, vehementiùs orando ait, *ναὶ κύριε, obsecro* vel *quæso te Domine.* Deinde rationem adjicit, quâ Christum moveri posse sperabat, ex ipsissimet Christi verbis deductam: *Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum.* Sic usurpatur etiam Philem. v. 20. Apoc. 22: 20. ubi *confirmatorio* Christi *ναὶ* subjicitur *ναὶ obsecratorium* Sponsæ: *ναὶ ἔρχου κύριε Ἰησοῦ, obsecro veni Domine Jesu!* Sic usurpatur & à Nonno in Joh. 13: 9. Euripide in Hippolyto: Aristophane in Nubibus, & lib. Epigram. Græc. 7. allegante Casaubono in not. ad Matth.

## Canon II.

*Hortantis seu excitantis Interjectio verbum* הָבָה *quandoque est.*

יָהַב *dedit*, imperat. הַב da, & cum ה parag. הָבָה *da*, Gen. 30: 1. quòd si aliud continuò verbum sequitur, habet vim hortantis particulæ, ut apud Latinos, *age*, *agite*. Gen. 11: 3. *Et dixerunt alter ad alterum,* הָבָה נִלְבְּנָה *agedum, formemus lateres.* Sic vers. 4. Cui sermo Jehovæ *ἀνθρωποπαθῶς* eadem particulâ formatus vers. 7. subjicitur; הָבָה נֵרְדָה *agedum, descendamus, & confundamus ibi sermonem eorum &c.* Vide & cap. 38: 16. Exod. 1. vers. 10. Rab. Salomo *παραφράζει* per הזמינו עצמכם *parate vos*, & subjungit, כל הבה לשון הזמנה *ubicunque* הָבָה *reperitur, de paratione id intelligendum, dum scil. se parant & conjungunt ad opus vel consilium vel onus aliquod.* Quidam & alios imperativos huc referunt, ut לְכָה *ito*, hoc est, age! Gen. 19: 32. לְכוּ *ite* seu *agite*! Hos. 6: 1. Psal. 95: 1. &c. בֹּאוּ *venite*, hoc est, *agite*! קוּמִי *surge!* Esa. 60: 1. &c. קוּמוּ *surgite*, *benedicite Jehovæ Deo vestro &c.* Neh. 9: 5. hoc est, agite, rumpite moras &c. Surrectione enim opus non erat, cùm stare solerent in orando & laudando Deum.

## Canon III.

*Abominantis interjectio est Hebræis,* חָלִילָה *μὴ γένοιτο*, absit!

Significatio desumta est ex verbo in Piel חִלֵּל quod *profanare* inter alia significat, Psal. 55: 21. & in Niphal נִחַל *profanatur*, Ezech. 25: 3. Unde חֹל *profanum*, 1 Sam. 21: 4. Lev. 30: 11. חָלִילָה igitur est idem, ac *τὸ βέβηλον res profana*, vel *nefas.* Unde pro abominantis particula usurpatur: idque *vel absolutè*, ut 1 Sam. 14: 48. חָלִילָה *absit!* Sic cap. 20: 2. *Vel* cum nominibus ac pronominibus. Gen. 18: 25. חָלִילָה לְּךָ *absit tibi!* Gen. 44: 7. חָלִילָה לַעֲבָדֶיךָ *absit à servis tuis!* Repetita vox majorem habet aversationis emphasin, 2 Sam. 20: 20. *Vel* cum addito etiam nomine Dei. 1 Reg. 21. vers. 3. חָלִילָה לִּי מֵיְהוָה *nefas mihi à Jehova:* subintell. תֵּחָשֵׁב *imputabitur*, si sc. id facerem. Præpositionis מ ellipsis est 2 Sam. 23: 17. חָלִילָה לִּי יְהוָה pro מֵיְהוָה *nefas mihi à Jehova* (imputabitur:) Sequitur, מֵעֲשֹׂתִי *à faciendo illud*, seu ita ut facere non possim.. In eadem hist. 1 Par. 11: 19. additur מ, sed alterum Dei nomen ibi est, מֵאֱלֹהַי *à Deo meo.* Et sic Fullerus etiam explicat illud Jos. 22: 32. (al. 29.) חָלִילָה לָּנוּ מִמֶּנּוּ *nefas nobis* (imputabitur) *ab eo*, hoc est, à Domino, ut relativum pro antecedente ponatur. Sed satius videtur מִמֶּנּוּ ad ipsam rem, quam abominantur, referre, hoc sensu: *absit nobis ab illo*, hoc est, absit illud à nobis: Sequitur explicatio ejus, quod in genere dictum erat, לִמְרוֹד בַּיהוָה *ad rebellandum, seu ut rebellemus contra Dominum.*

LXX. Interpretes חָלִילָה diversimodè vertunt: vel *μηδαμῶς*, vel *μή μοι γένοιτο*: vel *ἵλεώς μοι ὁ Θεὸς τοῦ ποιῆσαι τὸ ῥῆμα τοῦτο*, Latinus Vulg. hoc posterius sic reddit, *propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem*, Unde jam patet ratio phraseos Matth. 16: 22. *Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens:* [a] *Ἵλεώς σοι Κύριε, propitius sit tibi* (Dominus) *Domine, non futurum est tibi hoc.* Erasmus & Beza in secunda persona vertunt, *propitius sis tibi Domine.* Sed in tertia persona reddendum, & vocem *Dominus* vel *Deus* subaudiendam esse, tûm ex Græco LXX. Interpretum usu constat, tùm ex Syra locutione (unde hæc Græcorum formula profluxit) quâ dicitur, חס לך *propitius tibi*, subintellecto nominativo, אלהא *Deus*, vel מרא *Dominus.* Notetur cumprimis, Græcam phrasin quod attinet, Genes. 43: 23. Cùm enim fratres Josephi metuerent, ne conjecti in vincula furti peragerentur rei, ob repertas in manticis pecunias; atque idcircò dispensatorem protinùs adirent, eique se multùm purgarent: respondit ille, *ἵλεως ὑμῖν, μὴ φοβεῖσθε.* Hîc certum est, personæ secundæ locum non dari, cùm non interpretari liceat, propitii sitis vobis ipsis (ô filii Jacob) ne metuite: sed necessarium est personam tertiam adhibere, & Deum ipsum subintelligere, qui periculum, quod timebatur,

[a] Ἵλεώς σοι κύριε.

averteret, q. d. propitius vobis est Deus, ne malum id eveniat, quod tantopere formidatis &c. Plura videantur in miscell. sacris. Nic. Fulleri, lib. 2. c. 2. ex quo pleraque de hac particula aversantis desumta.

## Canon IV.

*Comminantis interjectio est* אוי *vel* הוי, *Græcè* οὐαὶ, Væ! *quæ tamen & dolentis significationem quandoque obtinet.*

1. Comminantis & simul prædicentis particula est in Prophetarum & Christi ad impios vaticiniis. Esa. 1: 4. הוי *væ genti peccatrici!* Matth. 11: 21. οὐαὶ *væ tibi Chorazin*, οὐαὶ *væ tibi Bethsaida!* Matth. 23: 13. οὐαὶ *væ vobis Scribæ & Pharisæi*! Sic & in sequentibus. Octies enim illud *væ* contra progeniem viperinam à Christo ingeminatur, & non tantum comminantis ac prædicentis est, sed & deplorantis & commiserantis. Christus enim non delectatur ipsorum interitu, sed sicut Hierosolymis excidium cum lacrymis prædicit, Luc. 19: 41. ita quoque deplorat tristissimam & miserrimam suorum hostium sortem, quòd animis à Satana excœcatis, in perniciem æternam ruant. Eundem Christi comminantis, prædicentis, & simul deplorantis affectum exprimit *væ* in verbis de Juda prolatis, Matth. 26: 24. Marc. 14: 21. Luc. 22: 22.

2. Dolentis ac lugentis particula est in quibusdam, ut idem fit, quod *ah*, *eheu*! Esa. 9: 5. אוי לי *heu mihi, quod excindor.* Jer. 22: 18. *Non plangent eum*, הוי אחי *heu, frater mi!* Quater in hoc versu extat. Ezech. 30: 2. vocula הה hoc dolentis significatu ponitur: & Eccl. 4: 10. אי: quâ de voce notandum, in textu scribi ואילו & *væ illi*; composita dictione ex duabus. Quidam Codices distinctè legunt ואי לו Sed conjungendas esse, has voculas in unam, Masora tradit, dum inter quinque dictiones, duobus accentibus (Munach & Rebhia) notatas, hanc etiam numerat. (Cæteræ quatuor sunt, Gen. 45: 5. תֵעָצְבוּ *dolore afficiamini.* Exod. 32: 31. אָנָּא *obsecro.* Zach. 7: 14. וְאֵסָעֲרֵם *& turbine disjiciam eos.* Dan. 1: 7. בֵּלְטְשַׁאצַּר *Beltsazar.*) De significatione vocis אי ita Aben Ezra in h. l. *Dictio* אי *est velut* אוי, *& non habet simile exemplum, præterquam in hoc ipso libro*, אי לך ארץ *væ tibi terra.* Extat Eccl. 10. v. 61. ubi & Chaldæus habet וי *væ.* qui in proprio loco ואי לו accipit, ac si Chaldæum ואלו *& si*, esset: quomodo etiam corruptè cùm extat in Bibliis Basiliensis editionis majoribus.

Matth. 24: 19. οὐαὶ *væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus*: q. d. miseret me mulierum uterum ferentium & lactantium, quarum conditio præ aliis miserrima tunc temporis est futura &c.

3. Præ dolore exclamantis particula etiam habetur ἔα, Marc 1: 22. Luc. 4: 34. ubi Spiritus immundus in obsesso ad Christum ait: ἔα, *quid tibi nobiscum est, Jesu Nazarene!* Pro ἐκπλήξεως ἐπιῤῥήματι & voculâ tragicâ habendam esse, textus indicat. Apud Aristophanem ejusdem sensus est ἆ ἆ. Sunt tamen, qui imperativum esse dicunt, ab ἐάω *sino.* Suidas & Varinus exponunt per συγχώρει. Syrus Marc. 1: 22. omittit: Sed Luc. 4: 34. vertit, שְׁבוֹקַיְנִי *sine me.* Diabolus præsentiam & potentiam Filii Dei, quæ in doctrina ejus se exerebat, non ferens, sed eâ torqueri se sentiens, ita exclamavit.

## Canon V.

*Insultantis & exprobrantis interjectio est* הֶאָח εὖγε. vah!

PSal. 35: 21. *Et dilatant contra me os suum, dicentes*, האח האח *euge, euge!* sicut LXX. reddunt εὖγε. Sic v. 25. Exprimit affectum insultantis, & simul præ ἐπιχαιρεκακίᾳ gestientis. Unde Chaldæus vertit חֶדְוָה *lætitia*! Sic Ezech. 36: 2. &c. Job. 39: 28. de sono seu hinnitu, quem equus ferociens edit, accipitur.

Marc. 15: 29. οὐὰ *vah, qui destruis templum, & tribus diebus extruis*! Detestantur vanitatem Christi, quòd ausus fuerit tàm perperam de templo vaticinari: exprobrant illi falsitatem suarum prædictionum: insultant ei propter extremam ἀδυναμίαν implendi suas comminationes: & demum sarcastico risu de infortunio ejus summo gestiunt.

## Canon VI.

*Dubiæ significationis vox* סֶלָה Selah *est.*

EXtat hæc in Psalmis sæpiùs, & uti numerant, septuagies semel, & ter in oratione Habacuc. Nullius significationis esse, sed Musicæ tantùm aut melodiæ inservire, & tanquam encliticam metrum complere ajunt. R. Kimchi sententiam vide in Buxtorff. Lexi-

co. Chald. לְעָלְמִין *in seculum* vertit, & sic Aquilam vertisse per *semper* dicitur, (quod Burgensis aliquot rationibus impugnat: vide Forst. dictionar. pag. 548.) Quò pertinet traditio Judaica ex domo R. Eleazar, cujus ex R. Kimchi in lib. Serafim Galatinus meminit lib. 11: 5. *quòd omnis locus, in quo ponitur* נֶצַח סֶלָה וָעֶד *non habeat intermissionem, sed in seculum, & in secula seculorum significet:* Exemplis adductis, de נֶצַח Esa. 57:16. de סֶלָה Ps. 48:9. de וָעֶד Ex. 15:18. Vatablus notam exclamationis & admirationis esse ait, E.G. Ps. 20:4. *Recordatus omnium sacrificiorum tuorum, & holocaustum tuum incineret: Sela.* q.d. quàm magnum est, holocaustum à Deo probari, & preces ab eo exaudiri! Ps. 21:3. *Desiderium cordis ejus dedisti ei, & prolationem labiorum ejus non probibuisti: Sela.* q.d. ô magnam & admirabilem Dei benevolentiam erga David! &c. R. Aben Ezra in Ps. 3. ait, *Sela* idem esse ac *sic est, & veritas ac firmum est hoc.* Cui adstipulatur Junius, qui, cùm in prima Bibliorum editione vox *Sela* fuisset retenta, in posteriori eam, pro commoditate textus, ut particulam intendendi & asseverandi convertit, ac si esset καθ' ὑπερβολήν, uti Paulus loqui solet. Reddit enim eam *Planè*, Psal. 3:3. *Maximè*, Psal. 3:5, 9. Psal. 4:5. Psal. 20:4. Psal. 21:3. Psal. 47:5. Habac. 3:9, 13. *Summè*, Psal. 4:3. Psal. 9:17. Psal. 24:6, 10. Psal. 44:9. Hab. 3:3. *Vehementissimè*, Psal. 9:21. Psal. 52:5, 7. Psal. 55:8. *Potentissimè*, Psal. 60:6. Psal. 66:15. Psal. 88: 11. *Excellentissimè*, Psal. 68:8, 20. &c. Confer D. Tarnov. in Psal. 3:3. & Psal. 9:17. ubi voci *Sela* præponitur הִגָּיוֹן *meditatio*: quasi dicat, *ô res meditanda summè!* Chald. *Prædicabunt hoc justi in seculum.* De voce *Sela* agit etiam Hieronymus Epist. ad Marcellam, tom. 4. fol. 42.

Tantum de doctrina INTERJECTIONIS.

*INTERJECTA piis, heu! quot sunt scandala vitæ!*
*Ista benè (æternum VAE manet ista) cave.*

Matth. 18:7.

Ἀνάγκη γάρ ἐστιν ἐλθεῖν σκάνδαλα, πλὴν οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ τὸ σκάνδαλον ἔρχεται.

LIBER

LIBER QUARTUS.

# GRAMMATICES SACRÆ APPENDIX.



Ria supersunt, quæ omitti nec possunt nec debent, ut Grammaticæ sacræ sua constet integritas. I. De significationibus literarum *præfixarum* apud Hebræos; quæ tùm ad *Pronominum*, tùm *Adverbiorum*, tùm *Præpositionum*, tùm *Conjunctionum*, classes pertinet. II. De paralipomenis quibusdam, *figuras Grammaticas* concernentibus. III. De *Nomine proprio*, quod sub initium tradi debuerat; sed certas ob causas tractatio ejus in finem est rejecta. Tribus igitur tractatibus, in certas observationes distinctis, hæc ipsa; σὺν Θεῷ, proponentur.

## *TRACTATUS I.*

## DE VOCULARUM PRÆFIXARUM SIGNIFICATIS.

HEbræis vox dividitur in *separabilem* & *inseparabilem*. Separabilis est, quæ separatim consistere potest pleno significatu, extra compositionem. Inseparabilis est, quæ cum aliis componi debet, ut certa ipsi constet significatio. Et hæc vel *præfixa* est, seu aliis vocibus à principio connexa: vel *affixa* (quam & *suffixam* vocant) seu aliis vocibus à calce addita, & sunt significatione *Pronomina demonstrativa, possessiva & relativa*.

*Præfixæ* autem voces (quæ significatione *voces*, scripturâ *literæ* simplices sunt, quæ tamen ex integris dictionibus decisæ) peculiarem requirunt tractationem, ob varias significationes quas obtinent.

Exhibentur conjunctim in duobus nominibus propriis (technicè memoriæ causâ acceptis) משה וכלב *Mosche & Caleb.* possunt ita distingui, quòd primo significatu duæ illarum sint *Pronomina* ה & ש: una *Adverbium*, כ: *tres Præpositiones*, מ, ב, & ל, una demum *Conjunctio* ו. Eodemque ordine hic proponentur.

De punctatione in genere notetur, quod tria; ה & ש, מ, post se ordinariè habeant dages forte, cujus causa est, quòd ex separabilibus dictionibus sunt decisæ: ה ex הֵן *ecce*; ש ex אֲשֶׁר *qui*, מ ex מִן *de*. Adjecta igitur litera postrema per dages forte compensatur in litera prima vocis, cui præfiguntur. De qua punctatione, & aliis ejus anomaliis, consulantur Grammatici Hebræorum. Jam ad significationes rectà progredimur.

### Observatio I.

*De Pronomine præfixo* ה.

SIgnificatio primaria est, quod articulum præpositivum, ὁ, ἡ, τὸ, notat: Et id quidem Vel cum emphasi, unde vocatur ה הַיְדִיעָה hoc est, *He notificationis*, quia scilicet nominis significatum notius reddit, & quasi ostendit. Vocatur & ה demonstrativum. Deut. 3: 25. *Transeam quæso, & videam* אֶת־הָאָרֶץ הַטּוֹבָה *terram*

*ram istam bonam, quæ est trans Jordanem.* Vide & verba sequentia, ubi singula vocabula emphaseos causâ, articulum illum habent. Ester. 7:4. הַצָּר *hostis ille*, Haman scil. Es. 7: vers. 14. הָעַלְמָה ἡ παρθένος, *virgo illa concipiet &c. Vel*, sine emphasi, Deut. 8:3. *Non* עַל־הַלֶּחֶם *de pane solo vivet homo.* Matth. 4: 4. ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ, sine articulo hoc dicitur. Sic Lev. 18: vers. 5. *Qui fecerit ea* הָאָדָם *homo, vivet in illis.* Rom. 10:5. per ἄνθρωπον sine articulo hoc redditur.

In nominibus *gentilibus*, si composita sint, fit divulsio, & posteriori voci præfigitur ה Jud. 6: vers. 11. אֲבִי הָעֶזְרִי *Abi Ezrita.* 1 Sam. 6. v. 14. בֵּית הַשִּׁמְשִׁי *Beth Schimschita.* 1 *Sam.* 16. *vers.* 1. בֵּית הַלַּחְמִי *Bethlechemita.* 1 *Reg.* 2: 8. *Simei filius Gera.* בֶּן־הַיְמִינִי *Benjamita:* quod Psal. 7. vers. 1. sine ה effertur בֶּן־יְמִינִי 1 Reg. 16:34. בֵּית הָאֱלִי *Bethelita.* Plura de ratione ה haiiediah vide in Thesauro Buxt. l. 2. c. 5.

## *Aliæ significationes.*

Præter id, quod modò dictum est, ה præfixum etiam significat.

1. *Qui, quæ, quod?* si addatur verbo Præterito & Participio.

*Præterito* verbo. Esr. 8. v. 25. *Et appendi illis argentum & aurum, & instrumenta,* הַהֵרִימוּ *quæ obtulerant Rex & Consiliarii ejus*, cap. 10. v. 17. הַהֹשִׁיבוּ *qui duxerant* seu *consociaverant domo uxores alienigenas.*

Huc referunt illud ellipticum. 2 Paral. 1. vers. 4. *Arcam Dei deduxerat David ex urbe Jebarimorum*, בַּהֵכִין לוֹ דָּוִיד *in* (locum) *quem paraverat ipsis David.* Deest nomen מָקוֹם *locus* (uti & in exemplis aliis, vide suprà tract. 2. can. 21.) relativum autem exprimitur per ה demonstrativum, quod quidem non expressè ponitur, sed vestigium tamen ejus adest, Patach sc. sub ב, quod indicium est extrusi ה ut sit בַּהֵכִין pro בְּהַהֵכִין *in* (locum) *quem præparavit &c.*

*Participio.* Lev. 7: 10. הָאֹכֶלֶת *quæ comederit.* Ps. 146: 6. הַשֹּׁמֵר *qui servat.* Potest tamen in his significatio articuli præpositivi retineri, ut sit, *illa comedens, ille servans:* cujus locutionis ἀνάλυσις per verbum cum relativo Pronomine fieri solet.

Rarius, si *præpositioni* addatur. 1 Sam. 9: 24. *Et protulit coquus armum,* וְהֶעָלֶיהָ *& quod ad ipsum;* seu quod adhærebat illi.

2. Particulam vocandi, ô! diciturque ab Hebræis הַקְּרִיאָה ה״, *he exclamationis.*

Num. 15: 15. הַקָּהָל *ô congregatio! statutum unum erit tàm vobis, quàm advenæ peregrinanti &c.*

Deut. 32: 1. *Præbete aures,* הַשָּׁמַיִם *ô cœli! & eloquar: & audi* הָאָרֶץ *ô terra! sermones oris mei.*

Ps. 9: 7. הָאוֹיֵב *ô inimice! absolutæ sunt vastitates in æternum.* Confer Es. 33: 1.

Psal. 114: 8. *Quid tibi erat* הַיָּם *ô mare, cur fugeres?*

Joël. 1: 2. *Audite hoc,* הַזְּקֵנִים *ô senes.*

3. *Nam, an?* interrogandi adverbium: sed sic aliter punctatur, & dicitur הַשְּׁאֵלָה ה״ *He interrogationis.*

Gen. 4: 9. הֲשֹׁמֵר *an custos ego fratris mei?* Sic c. 8: 8. Ruth. 1: 19. Ester. 3: 4.

Psal. 14: 2. הֲיֵשׁ *num sit intelligens?* Sic 2 Reg. 1: 3. Ezech. 20: 3, 4 &c.

Interdum tamen punctationem ה demonstrativi sequitur. Idque vel *sine gutturali.* Gen. 17. vers. 17. הַלְּבֶן *an filio centum annorum nascetur?* Interrogatio divinam potentiam cum sua & uxoris impotentiâ comparantis, admirantis, & suspicientis, ut Rom. 4: 17. Apostolus docet.

Gen. 18: 21. הַכְּצַעֲקָתָהּ *non secundùm clamorem ejus?*

Lev. 10: 19. הַיִּיטַב *an bonum videbitur in oculis Jehovæ?*

Num. 13: 19. הַבְּמַחֲנִים *an in castris.*

2 Sam. 3: 33. הַכְּמוֹת *an secundùm mortem stulti, fuit mortuus Abner?*

Es. 27: 7. (al. 9.) הַכְּמַכַּת *an secundùm percussionem? &c.*

Ezech. 20: 30. הַבְּדֶרֶךְ *an in via? &c.*

Amos. 5: 25. הַזְּבָחִים *an sacrificia & munus obtulistis mihi in deserto?* Confer Actor. 7: 42.

Vel *cum gutturali.* Num. 11: 12. הֶאָנֹכִי *num ego concepi totum populum hunc?*

Joël. 1: 2. הֶהָיְתָה *num fuit?* Utriusque (cum & sine) gutturali exemplum est. Eccles. 3. vers. 21.

## *Nota de* ה *interrogativo.*

1. Notant Münsterus & Avenarius, ה *interrogativum* nunquam sequi literas alias præfixas, ad differentiam ה demonstrativi. Et negat Elias Levita, Hebræorum eruditus Grammaticus, ו ante ה interrogativum poni. Sed in contrarium affertur à quibusdam ex Prov. 24: 28. *ne sis testis temerè contra proximum tuum, & nunquid pellecturus esses?* q. d. minimè debes pellicere quenquam labiis tuis, ut det falsum testimonium. Est enim verbum in Piel, à rad. פָּתָה *pellectus, seductus fuit.* Sunt tamen,

tamen, qui, Eliæ sententiam secuti, in Hiphil ponunt (ut הִ sit characteristicum) pro וְהַפְּתוֹת & (ne) *confringas* seu *atteras* à פָּתַת *fregit*. Junius & Tremell. vertunt, aut *fatuum agito*: significatione à nomine conjugato פֶּתִי & פֹּתָה *simplex*, *fatuus*, deductâ.

2. Observatur & hoc, quod ה interrogativum in interrogationibus *affirmativis* neget, in *negativis* affirmet.

In *affirmativis*. 2 Sam. 7: 5. הַאַתָּה *an tu mihi ædificabis domum?* pro quo 1 Par. 17. vers. 4. habetur, לֹא אַתָּה *non tu ædificabis mihi domum*.

Ezech. 18: 23. הֶחָפֹץ אֶחְפֹּץ *an volens volo mortem peccatoris?* pro quo ibid. vers. ult. est לֹא אֶחְפֹּץ *nolo mortem morientis*.

Zach. 1: 5. *Patres vestri ubi sunt? & Prophetæ* הַלְעוֹלָם *an in perpetuum vivent?* Targ. לָא לְעָלְמָא *non perpetuò vivent*.

In *negativis*. 1 Par. 21. vers. 17. הֲלֹא *an non ego dixi numerari populum, & ego is sum, qui peccavi?* Pro quo habetur 2 Sam. 24: 17. הִנֵּה *ecce ego peccavi &c.* Sic Obad. v. 5.

3. Quandoque ה interrogativum deest, quod in sedecim locis fieri Avenarius tradit. Gen. 27: 24. אַתָּה (num) *tu es filius meus Esau?* pro הַאַתָּה.

Exod. 8: 26. וְלֹא & (an) *non lapidaturi essent nos?* pro וַהֲלֹא. LXX. affirmativè reddiderunt, λιθοβοληθησόμεθα, *lapidabimur*: secundùm præcedentia. Vide & 1 Sam. 30: 8.

Exod. 19: 23. לֹא (an) *non poterit populus* (quisquam ex populo) *ascendere montem Sinai, quoniam tu contestatus es nobis, dicendo, terminum pone huic monti, & sanctifica illum?* Cùm purè interdixisset Deus, ne ullus ex toto populo ad montem accederet, quærit Mose, an se vel alium aliquem exceptum velit. Cui respondens Deus vers. 24. ipsum cum fratre ex interdicto excipit.

2 Reg. 5: 26. לֹא לִבִּי הָלַךְ (an) *non cor meum ivit?* pro הֲלֹא. Sunt tamen, qui negativa simplice retentâ, vertunt: *non abierat animus meus*, h. e. aderat præsens.

Job. 2: 10. *Et malum* לֹא (an) *non acceperimus?* cap. 40: 20. (al. 41: 1.) תִּמְשֹׁךְ (num) *extrahes balænam hamo?* pro הֲתִמְשֹׁךְ. Quidam ex Jobi libro addunt illud cap. 13: 15. *Si enecaret me* לֹא *non sperarem*: pro הֲלֹא *an non sperarem?* quæ negatio affirmationi æquipollet, ut paulò antè dictum. Et sic Chaldæus affirmativè exprimit: הָא אִין יְקַטְלִנַּנִי קֳדָמוֹי אֲצַלֵּי *ecce si occiderit*, (tamen) *coram ipso orarem*. (per metalepsin pro fide vel spe, ejus ponit effectum & certum consequens, vid. preces:) Et vulgata versio: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*. Si Masoretharum hìc adhibeamus notam (qui pro לֹא legendum esse לוֹ scribunt) affirmatio sermonis sine interrogatione plana est, hoc modo: *Si enecaret me* scil. Deus) לוֹ *in ipso* (tamen) *sperabo*. Et cum hac præpositione verbum istud construitur etiam alibi, Psalm. 119: 43. Psal. 103: 5. Mich. 5: 7. Et videntur tùm Chaldæus, tùm Latinus Interpretes hanc lectionem Masorethicam attendisse.

Psal. 105: 28. וְלֹא מָרוּ & (an) *non rebellârunt contra verbum ejus?* Loquitur de Ægyptiis, qui tot plagis exagitati & prodigiis obruti, malitiâ tamen plusquàm Gigantæâ θεομαχεῖν non destitére. Si negativè sine interrogatione legatur, non potest commodè de Mose & Aarone intelligi: quid enim opus fuit dici, præstantissimos illos Dei servos non rebellâsse contra Deum? Cumque מָרָה *rebellare*, *amarulenter se gerere*, sit actio personarum propria, iisque ubique attribuatur, impropriè ac duriter signis & ostentis accommodari potest, uti à Tremellio & Junio fit, qui vertunt, *non rebellârunt* (signa) *contra verbum ejus*, hoc est, non fuerunt irrita, sed planè, ut Mose dicebat, effecta sunt. Optimè autem in Ægyptios hoc quadrat, de quibus textus loquitur. LXX. hanc interrogandi particulam subintelligentes, affirmativè (qui sensus proprius est) transverterunt, ὅτι παρεπίκραναν τοὺς λόγους αὐτοῦ. Confer Fuller. l. 3. miscell. sacr. cap. 10.

Jer. 6: 15. הוֹבִשׁוּ (num) *fecerunt, ut erubescerent, cùm abominationes fecerunt?* h. est, an unquam prophetæ isti populum reprehenderunt maleficiorum nomine? Subjicitur statim negativa responsio.

Thren. 1: 12. לוֹא (pro הֲלוֹא *An non ad vos* (hoc spectat) *omnes transeuntes viam?* quasi dicat, omninò: in me intuentes cavete & pœnitentiam agite! Luc. 13: 1. seqq.

Thren. 3: 36. *Dominus* לֹא (pro הֲלֹא *an non videret?* quasi dicat, omninò: Respicit autem hoc ad infinitivos præcedentes, v. 34, 35, 36. Agitur enim de causa divinarum pœnarum προκαταρκτικῇ, quæ peccata sunt. Confer (interrogationem dictam quod attinet) Ps. 94. vers. 4, 10.

Alia exempla sunt 2. Samuel. 13: 26. Job. 3: 26. Ezech. 17: 9. Confer vers. 15. Jon. 4. ult. Malach. 2: 15.

Sic in N. Test. οὐ vel οὐκ, vel μή, *non*, pro interrogativo *nônne*, sæpiùs accipitur, Math. 6: 26. cap. 17: 24. Marc. 6: 4. cap. 11: 17. cap. 12: 24. 1 Cor. 6: 2, 3, 9, 15, 17. cap. 9: 8, 9. cap. 10: 21. &c.

Et aliàs particula interrogandi deest, in sermone affirmativo, 1. Cor. 11: 13. &c.

Obser-

## Observatio II.

*De Pronomine præfixo* ש.

Significatio primaria est, אשר *qui, quæ, quod*. Eccl. 2: 21. *Est homo* שֶׁעֲמָלוֹ *cujus labor in sapientia &c.* Duplex relativum, juxta tract. 2. can. 26. §. 3. Cant. 1: 7. *Indica mihi*, שֶׁאָהֲבָה *quem diligit anima mea.*

*Aliæ significationes.*

Præter id, quod dictum est, etiam significat.

1. *Ut*, ἵνα, Eccl. 4: 14. שֶׁיִּרְאוּ *ut timeant à facie ejus.*

2. *Quia, quod.* Jud. 6: 17. *Facies mihi signum*, שָׁאַתָּה *quod tu es, qui loqueris mecum.* Eccl. 3: 18. *& ad videndum*, שְׁהֶם *quòd ipsi sint bestiæ illis*, h. e quòd involent & irruant bestiarum more, sicut *homo homini lupus esse*, proverbio dicitur. Cantic. 1: 6. *ne aspiciatis me, quòd ego nigra*, שֶׁשֱּׁזָפַתְנִי *quòd* vel *quia aspexit me Sol:* h. est, quòd oppressione vel persecutione, tanquam Sole, torrefacta sim &c.

3. Genitivum casum notare dicitur, si post se habet ל. Cantic. 3: 7. *Ecce lectus* שֶׁלִּשְׁלֹמֹה *Salomonis.* Sed ita primaria significatio obtinet. Est enim periphrasis, quæ ad verbum sic habet: *qui Salomonis* scil. est.

## Nota.

*Quandoque* deficit, *quandoque* abundat præfixum ש.

1. Deficit, 2. Paral. 15: 11. *Et sacrificaverunt* Domino, *die illâ, de præda*, הֵבִיאוּ (quam) *adduxerunt:* pro שֶׁהֵבִיאוּ Vide supra de relativi ellipsi tract. 2. can. 22. §. 1.

Prov. 20: 25. *Laqueus est homini*, יָלַע *deglutit sanctum; & post vota inquirere:* Pro שֶׁיָּלַע *quòd deglutit.* יָלַע autem futurum Hiphil est, pro יַלְעִיעַ contractum: לוּעַ *absorberi, deglutiri.* Sensus: nefas est, res Deo sacratas intervertere, aut in usus profanos convertere: insuper & stultum est vovere, & postea inquirere seu disceptare, utrum velis vel possis exolvere.

Sic ex præcedenti membro ש quandoque repetendum est. Cant. 1: 6. בְּנֵי *filii matris meæ accensi irâ contra me &c.* pro שֶׁבְּנֵי *quòd filii &c.* Bis in præcedentibus hæc conjunctio usurpatur.

2. Abundat. Psal. 124: 1. *Nisi Jehova* שֶׁהָיָה *adfuisset nobis.* Superest ש, ut & v. 2.

## Observatio III.

*DE adverbio præfixo* כ.

Significatio primaria est, *Sicut:* & vocatur ab Hebræis כ הַדִּמְיוֹן *Caph similitudinis.* Psal. 1: 3. *Eritque* כְּעֵץ *sicut arbor plantata ad rivos aquarum.* Psal. 44: 23. *reputamur* כְּצֹאן *sicut pecus mactationis.* Psal. 143: 6. *Anima mea* כְּאֶרֶץ *sicut terra fessa ad te*, scil. sitit, vel desiderando suspirat, ex Psal. 63. vers. 1. ut scil. consolationis rore & verbi cœlestis pluvia recreetur. Buchananus in paraphr. *Intenta mens te respicit, arida Tellus ut imbres sub cane torrido.* De hoc loco nota, in aliquibus codicibus Hebræis (etiam Bombergi Venetiano) legi בְּאֶרֶץ *in terra:* quam lectionem D. Tarnovius ut tutissimam & verissimam amplectitur, & ritè explicat, neque temerè cum Piscatore audace & αὐθάδει corrigendam esse, asserit in comm. super Psalmos pœnitent. p. 124. Verùm alteram lectionem, quæ כ habet, omninò genuinam esse, non solùm interpretes Hebræi testantur, R. Salomo, Aben Ezra, Kimchi; quibus adde translationes, Chaldæam, Græcam, Vulgatam Latinam, Pagnini, Ariæ montani, Vatabli, Tremellii & Junii, Germanicam B. Lutheri &c. Sed & cumprimis *Masoræ* (fidissimæ illius Sacræ Scripturæ custodis & סְיָג *sepimenti*) auctoritas, quæ *quinquies* vocem illam extare in Scripturis h. l. annotat. Id verò de בְּאֶרֶץ intelligi non potest, cùm multò pluries ea extet, ut vel ex primis Geneseos capitibus videre est, cap. 4: 15. c. 10: 10. c. 11: 2, 28. c. 13: 12. c. 15: 13. c 16: 3. c. 21: 34. c. 23: 2, 19. c. 24. 62. &c. De כְּאֶרֶץ autem intelligendum esse, patet ex Masora textuali super Gen. 13. ubi iterum כְּאֶרֶץ *quinquies extare* dicitur, adductis etiam locis, nempè Gen. 13: 10. Deut. 11: 10. Psal. 78: 69. Hos. 2: 3. & Psal. 142: 6. in cujus postremi loci allegatione (quæ per verba Scripturæ fieri ubique solet) per erratum ציה pro עיפה in editione Buxtorfsiana scribitur, qui error, tùm ob significationis convenientiam (illud enim *siccum, siticulosum*: hoc *fessum, sitibundum*, significat) tùm ob locum antecedentem, in quo similiter ציה extat, facilè contingere potuit. Exprimi autem locum illum Psalm. 143. vers. 6. & non alium, res ipsa dilucidè probat. Quæ cùm ita sint, rectè in opere Regio, uti & Basilieensi Buxtorffianâ, Vatabli, Francofurtensi Biblio-

Bibliorum editionibus, כ pro ב, quod in aliis quibusdam Codicibus (etiamque in Concordantiis R. Mardochai Nathan) occurrit, restitutum est. Hæc ὡς ἐν παρόδῳ, de loco isto, cui similis occurit [a] Jer. 18: 17. כְּרוּחַ קָדִים *ut vento orientali dispergam eos &c.* Ubi quidam Codices Hebræi habent בְּרוּחַ *per ventum*, seu *vento:* & hos secuti quidam sunt interpretes, Luth. Münsterus, Junius & Tremellius &c. At priorem lectionem esse veram, non solùm aliorum interpretum nubes comprobat, Chaldæi, Græcorum, Latini vulgati, R. Davidis Kimchi, Pagnini, Ariæmontani, Vatabli, Buxtorffii &c. sed & cumprimis testimonium Masoræ, quæ ל voci illi adscribit, h. e. non ampliùs extare eam, asserit. Jam verò בְּרוּחַ alibi etiam extat, Prov. 15: 4. Esa. 4: 4. Ezech. 37: 1. & conjunctim בְּרוּחַ קָדִים Exod. 14: 21. Psal. 48: 8. At כְּרוּחַ alibi haudquaquam extare, verum est. Habetur quidem כְּרוּחַ Job. 30: 15. (quod Masora bis extare annotat; alter locus est Es. 64: 5.) sed id puncto Cametz à voce altera differt; igitur sensu Masoræ non planè idem est. Tantum etiam de loco hoc, priori planè gemino. Contrarius his locus occurrit [b] Jer. 18: 4. consideratione non indignus. Extat ibi כַּחֹמֶר *sicut argilla*, in opere Regio; Bibliorum editionibus, Basil. in fol. Antverp. & Francofurt. in 4. & ab Ariæmontano vertitur, *velut lutum*: & in Concordantiis Hebr. accensetur aliis duobus locis, in quibus כַּחֹמֶר legitur. Verùm non videtur constare sententiæ propheticæ, secundùm hanc lectionem, certus sensus. Quid enim est: *Et corruptum est vas illud, quod ipse faciebat, sicut lutum in manu figuli?* Et procul dubió ex vers. 6. (ubi eadem omninò extant verba) hæc voculæ corruptela tracta est. Verùm si legatur בַּחֹמֶר *ex luto* (ut vertit Pagninus) vel, *ex argilla*, uti Junius & Tremell. reddunt, sententia ritè fluit, hoc sensu: *Et corruptum est vas illud, quod ipse faciebat ex argilla, in manu figuli; atque iterum fecit vas aliud &c. In manu figuli*, h. e. ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, ut LXX. vertunt, *in manu sua*, repetitur antecedens pro relativo seu reciproco, sicut paulò pôst, *in oculis figuli*, h. e. *in oculis suis.* Vide tract. 2. de pronom. can. 13.) ב autem significationem præpositionis *Ex* habere, inferiùs suo loco dicetur. Num verò hæc lectio per ב Masoræ conformis, & ita genuina & vera est? omninò. Ibidem v. 6. extat כַּחֹמֶר *sicut lutum*, seu *sicut argilla*, ad quam vocem Masorethæ, *bis extare* notant. Alter locus est Job. 10: 9. ubi eadem additur nota. (Legitur quidem כַּחֹמֶר *sicut lutum*, Job. 38. vers. 14. Esa. 10. vers. 6. c. 29: 16. sed id puncto Scheva à voce altera differt, igitur sensu Masoræ non planè idem est) Quare tertius ille locus non rectè additur. Proinde rectè etiam בַּחֹמֶר legitur in Bibliis Venetis & Basileensibus in 8. Rectè etiam, præter superiùs allegatos, Vulgatus interpres Latinus vertit, *è luto.* Lutherus: **Aus dem Thon.** LXX. integram vocem omittunt &c. Observandum tamen, occurrere loca, in quibus perinde fere est, sive ב sive כ legatur, nec certi quid statui in illis potest, quæ lectio alteri præferenda. Sic Psal. 102: 4. *Quia defecerunt* כְּעָשָׁן *sicut fumus, dies mei.* Sic habet exemplar Venetum, Biblia Regia, & legit ita Chaldæus, LXX. Græci, Latinus vulgatus, Lutherus, Pagninus, Junius. Contrà בְּעָשָׁן *in fumo*, habent Biblia Basil. formæ majoris & minoris. Ariæ montan. vertit, *in fumo.* Concordant Buxtorff. כְּעָשָׁן *sicut fumus. Al. habent* בְּעָשָׁן. Sensui, uti planum est, nihil decedit, utrovis modo legatur, ita tamen, ut in בְּעָשָׁן similitudinis particula subintelligatur: *Veluti in fumo defecerunt dies mei.* Si ex contextu conjectandum, probabilior est lectio, quæ כ habet, sequitur enim aliud tale, in eodem hoc versu: & sensum faciliorem ea lectio exhibet, **Meine Tage sind vergangen / wie ein Rauch /** Luth. Ezech. 16: 36. כִּדְמֵי *secundùm sanguines.* Quædam exemplaria & hîc legunt, בִּדְמֵי *propter sanguines:* sensu parùm discrepante. Levia hæc sunt, & tamen ad asserendam textus authentici integritatem perquam necessaria. Revertamur autem de diverticulo in viam, & ad præfixi hujus significata.

[a] Jer. 18. 17. כְּרוּחַ

[b] Jer. 18: 4. כַּחֹמֶר

[c] Quando geminatur, significat rerum inter se ex æquo comparationem, & absolutam utrinque similitudinem: ita ut prius protasin, posterius apodosin similitudinis denotet. Gen. 18. vers. 25. *Et erit* כַּצַּדִּיק כָּרָשָׁע *sicut justus, ita impius.* Aben Ezra ellipticum in his dicendi genus ponit: היא דרך קצרה והטעם והיה הצדיק כרשע והרשע כצדיק hoc est, *dicitur hoc viâ brevitatis, & sensus est; & erit justus sicut impius, & impius sicut justus.* Sic & Gen. 44. vers. 18. 1 Reg. 22. Es. 24. vers. 2. ubi duodecies Caph reperitur.

[c] Geminatio præfixi Caph.

Quandoque tamen repetitum *tùm*, aut per *tàm, quàm*, commodè redditur. Zach. 9: 15. *implebuntque* כַּמִּזְרָק כְּזָוִיּוֹת *tùm cratera, tùm angulos altaris*: Vel, *tam cratera, quàm angulos.*

*Aliæ significationes.*

Præter id quod dictum est כ etiam significat

1. *Circiter, propè*, ut notet *numeri, mensuræ* aut

*aut temporis* conjecturam: vocaturque כ׳ השיעור *Caph mensuræ* vel *æstimationis*.

Numeri. Exod. 12:37. *Et profecti sunt filii Israel &c.* כְּשֵׁשׁ *circiter sexies centena millia virorum.*

1 Sam. 14: 14. *Fuitque plaga illa prior, quâ percussit Jonathan & armiger ejus* כְּעֶשְׂרִים *circiter viginti virorum*, כְּבַחֲצִי *fermè in dimidiato jugero.* Quod posterius jam sequenti membro convenit.

Mensuræ. Ruth. 2. vers. 16. *Et excussit, quod legerat, eratque* כְּאֵיפָה *circiter Epham bordei.* Jos. cap. 3: 4. כְּאַלְפַּיִם *circiter bis mille cubitos &c.*

Temporis. Gen. 18: 10. 14. כָּעֵת חַיָּה *circa hoc tempus vitæ redibo &c.* Chald. כְּעִדָּן דְּאַתּוּן קַיָּמִין *circa tempus, quo vos vivitis.* R. Salomo בעת הזאת לשנה הבאה *circiter tempus hoc in anno secuturo.* Paschatis autem tempus intelligi, ipse putat. חַיָּה ad vitam Abrahæ & Saræ idem refert, *tempus hoc, in quo vita superérit vobis, ut omnes sitis salvi & incolumes.* Arias Montanus: *tempore quo fœtus vitalis erit.* Junius perquam commodè חַיָּה pro adjectivo nomine accipit, ut sit epitheton temporis, per prosopopœiam seu metaphoram ipsi tributum, sicut alibi de structura, 1 Paral. 11: 8. de lapidibus, Nehem. 3: 34. (al. 4, 2.) dicitur, quòd *vivificentur*, cùm ædificatio fit. Sensus igitur ita est: *vivente*, h.e. *vigente hoc tempore*, seu, cùm vigebit hoc ipsum tempus, uti in vers. 14. exponitur.

Ruth. 1: 4. *Et consederunt ibi* כְּעֶשֶׂר שָׁנִים *circiter decem annos.*

Huc pertinet כִּמְעַט *circiter parùm*, h.e. fermè, parum abfuit, Prov. 5: 14.

Respondet huic Græcorum ὡσεὶ Joh. 4: 6. ὥρα ἦν ὡσεὶ ἕκτη, *bora erat circiter sexta.*

2. *Secundùm, juxta*: ut normam vel exemplar respiciat.

Gen. 1: 26. *Faciamus hominem in imagine nostrâ* כִּדְמוּתֵנוּ *secundùm similitudinem nostram.* Vide suprà tract. 1. can. 6.

Esa. 44: 13. *Et facit illud* (sculptile) כְּתַבְנִית אִישׁ *secundum similitudinem, seu in forma viri.* Id per ב effertur Exod. 25: 40. *Vide & fac.* בְּתַבְנִיתָם *in similitudine* seu *juxta structuram eorum, quæ tibi ostensa est in hoc monte.* Quod propter locum præcedentem Gen. 1: 26. notandum, ubi in duabus synonymis vocibus ב & כ permutantur, eadem significatione.

Sic in aliis, ubi *vel* mentis beneplacitum, *vel* causa rei, *vel* quivis respectus aliis indicatur.

1 Sam. 13. v. 14. *Quæsivit sibi Jebova virum* כִּלְבָבוֹ *secundùm cor suum*; κατὰ τὴν καρδίαν, Actor. 13. vers. 22. Explicatio hujus pulchra Psal. 89: 19, 20. habetur: unde Paulus utrumque locum in unum contexit d. l.

Psalm. 51. vers. 3. *Miserere mei* כְּחַסְדֶּךָ *secundùm benignitatem tuam*, כְּרֹב *secundùm multitudinem miserationum tuarum dele defectiones meas.*

Prov. 24: 12. *Reddet* (Deus) *cuique* כְּפָעֳלוֹ *secundùm opus suum*; κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, Rom. cap. 2: 6. Non *propter opera*, sed *secundùm opera*, h.e. prout vel bona vel mala fuère, quæ de hominis vel fide vel incredulitate dant testimonium.

Jer. 31: 32. *Non* כַּבְּרִית *secundùm illud fœdus, quod pepigeram cum majoribus eorum &c.*

3. *Quomodo.* Eccles. 11: 5. *Quemadmodum ignoras, quæ sit via Spiritus* (h.e. animæ, quâ ratione sc. formetur) כַּעֲצָמִים & *quomodo ossa in ventre prægnantis* (sc. concrescant seu compingantur) *si nescis opus Dei, qui facit omnia.*

4. *Postquam, cùm*: & tempus ferè præteritum notat; si scil. *infinitivis* additur.

Gen. 27: 34. כִּשְׁמֹעַ *cùm aud.sset Esau verba Patris sui*, ἡνίκα ἤκουσεν Ἡσαῦ, ut LXX. reddunt.

Deut. 20: 9. כְּכַלּוֹת *cùm finirent moderatores loqui*: seu desinentibus illis loqui.

Jud. 2: 4. *Et fuit* כְּדַבֵּר *cùm loqueretur nuncius Jebovæ verba hæc &c.*

Psalm. 12. vers. 9. כְּרֻם זֻלּוּת *cum exaltantur vilitates* (hoc est, vilissimi) *inter filios hominum.* Tremel. & Jun. aliam signific. vocis זֻלּוּת amplectuntur, ut sit à זולל *comessator*, unde ב per similitudinem vertunt: *quasi extolleretur crapula in filiis hominum*, hoc est, ita circumcursant & circumvolitant (improbi) ad nocendum bonis, ac si crapula cerebrum eorum occupâsset, & dementâsset eos. Sed coactiùs id videtur esse.

Jer. 36: 23. *Et fuit* כִּקְרוֹא *cùm legeret vel legisset Jebudi tres paginas &c.*

Sic cum *participio*, Gen. 38: 29. *sed fuit* כְּמֵשִׁיב *cùm retraxisset manum suam &c.*

Huc pertinet, quod כ & ש conjuncta, *cùm, quandoquidem*, significant. Eccles. 9. vers. 12. כְּשֶׁתִּפּוֹל *cùm irruit in eos.* Quandoque tamen similitudinem notant. Eccles. 12: 7. כְּשֶׁהָיָה *sicut fuerat &c.*

Notandum כ cum *infinitivo* per similitudinem etiam quandoque explicari.

1 Sam. 15: 22. *An delectatur Jebova bolocaustis & sacrificiis*, כִּשְׁמֹעַ *sicut cùm quis obtemperat voci Domini.*

Ezech. 35: 14. כִּשְׂמֹחַ *secundum lætari totam illam terram*, hoc est, prout lætatur tota illa terra. Sequitur v. 15. כְּשִׂמְחָתְךָ *secundum lætitiam tuam &c.*

*Nota.*

## *Nota.*

QUandoque deest, quândoque redundat præfixum כ.

1. Deest, Genes. 49:9. גּוּר *catulus leonis Juda* pro כְּגוּר *ficut catulus.* Sic Deut. 33. vers. 22.

2 Paral. 3: 16. *Fecit & catenas* בַּדְּבִיר *in oraculo, & posuit super caput illarum columnarum*, pro כַּבְּדִיר *ficut in oraculo*; fecit catenas, similes catenis, quæ erant in oraculo seu sanctissimo loco.

Prov. 25: 11. תַּפּוּחֵי *mala aurea cum figuris argenteis, est verbum dictum secundum modos suos*, (hoc est commodè,) pro כְּתַפּוּחֵי *ut mala.* Sic vers. 12, 14. cap. 17, 22. & alias sæpè, præsertim in libro Proverbiorum Salomonis. Hos. 11:9. *Non faciam* חֲרוֹן pro כַּחֲרוֹן *secundum iram furoris mei &c.*

Jer. 51: 13, *Venit finis tuus,* אַמַּת (בְּאַמַּת secundùm) *mensuram avaritiæ tuæ.* Junius *pro mensura.* Luth. quò respexerit, non constat, quando vertit: Dein Geist ist aus. Pagn. alienè: *eò quod brachio opprimebat alios.*

Ezech. 4: 12. וְעֻגַת *& placentam bordeaceam comedes eum:* pro וּכְעֻגַת *& ut placentam &c.* Sensus est: pane illo ex mixtis frumentis ac leguminibus confecto v. 9. perinde vesceris, & perinde eum in deliciis habebis, ac si placenta esset hordeacea; quam olim benè confectam in deliciis fuisse, ex Athenæo lib. 14. deipnosoph. ostendit Junius in com. h. l.

2. Redundat. Vide suprà tract. 5. can. 32.

## Observatio. IV.

*De præpositione præfixa.* מ.

SIgnificatio primaria *triplex* occurrit, 1. *à* vel *ab.* 2. *De* vel *ex.* 3. *Præ.* De quibus ordine priùs agendum, quàm cætera subjungantur significata.

### 1. *A* vel *ab.*

Hac significatione notat,

1. Causam efficientem. Gen. 49: 25. מֵאֵל *à Deo forti Patris tui, qui adjuvat te.* Psal. 118: vers. 23. מֵאֵת יְהוָה *à Domino factum est illud.* Sic Hos. 7: 4.

2. Temporis circumstantiam. 1 Par. 15: vers. 13. *Quia* לְמַבָּרִאשׁוֹנָה *inde à principio non fuistis &c.* Hic irregulariter מ cum pathach notatur, & tres serviles literæ occurrunt. Jes. 64: 3. וּמֵעוֹלָם *& à seculo non audiverunt &c.* Alias & מן separata dictio sic usurpatur, Jer. cap. 7: 7. לְמִן־עוֹלָם *inde à seculo.* Esa. 46. v. 3. מִנִּי־בֶטֶן *ab utero.* מִנִּי־רָחַם *inde à vulva*, hoc est, ex tempore nativitatis. Ubi Jod paragogicum est, ut Mich. 7: 12. Huc pertinet Psal. 22: 11. מִבֶּטֶן *ab utero matris meæ DEUS meus es tu*, h. e. ex illo statim tempore seu momento, quo natus sum.

3. Loci circumstantiam. Job. 39: 29. לְמֵרָחוֹק *à longinquo oculi ejus contemplantur.* De aquila loquitur.

4. Negationem aut privationem. Idque *partim* ante verbum infinitivum, *partim* ante nomina.

Ante verbum infinitivum constituit gerundium in *do*, & ferè negativè sumitur, explicaturque per *ne*, *ut non.*

Genes. 31: 22. *Cave tibi* מִדַּבֵּר *à loquendo cum Jacobo à bono ad malum.* Pro quo v. 24. habetur, פֶּן תְּדַבֵּר *ne loquaris.*

1 Sam. 15: 26. *Ideo sprevit te Jehova* מִהְיוֹת *ab essendo Regem super Israel*, h. e. ne sis Rex. Sic cap. 8: 7.

Job. 33. v. 28. *Liberavit animam suam* מֵעֲבוֹר *à transeundo in foveam*, h. e. ne transiret in foveam.

Psal. 69: 24. *Obtenebrentur oculi eorum* מֵרְאוֹת *à videndo*, h. e. ut ne videant; τοῦ μὴ βλέπειν, Rom. 11: 10.

Esai. 54. v. 9. *Nam ut aqua Noachi hoc mihi est, qui juravi* מֵעֲבֹר *à transeundo* (hoc est, non transituras) *aquas Noachi ampliùs super terram: Sic juro,* מִקְּצֹף עָלַיִךְ וּמִגְּעָר־בָּךְ *ab effervescendo contra te, & ab increpando te*, h. e. fore, ut non effervescam contra te, & non increpem te. Vide & Esa. 5: 6. cap. 8: 11. cap. 17: 1. cap. 23: 1. cap. 24: 10. cap. 33: 15, 19. Hos. 4: 7. Mich. 3: 6. Et observa, Deut. 33: 11. integram voculam מן hoc significatu venire, cum futuro. Quod speciale est.

Quandoque ellipsis est τοῦ מ. Exod. 19. v. 12. *Cavete vobis* עֲלוֹת pro מֵעֲלוֹת *ab ascendendo in montem*, h. e. ne ascendatis. Sic Esa. 58: 13.

Ante nomina itidem negationem aut privationem innuit.

1 Sam. 15: 22. *Et rejicit te* מִמֶּלֶךְ *à Rege*, h. e. ne sis Rex. Pro hoc infinitivus habetur c. 26: 1. מִמְּלֹךְ *à regnando*, ne regnes.

1 Reg. 15: 13. *Et removit eam* מִגְּבִירָה *à domina seu Augustâ*, h. e. ne esset Augusta.

Esa. 23: 1. *Ululate naves Tharsis, quià vastatus est* מִבַּיִת מִבּוֹא *à domo, ab ingrediendo*, h. e. ut nulla supersit domus, nullus introitus &c. Vide & c. 17: 1.

Jer. 48: 2. *Et exscindamus eam* מִגּוֹי *à gente*, h. e. ne sit gens.

Hof. 9:12. *Et orbabo eos* מֵאָדָם *ab homine*, h. e. ut non sint homines, neque supersint. Chald. מִלְמֶהֱוֵי גֻּבְרִין *ne sint viri.* Loquitur enim Propheta de filiis, qui educantur. Sic R. Kimchi: *non pervenient ad eam ætatem, ut dicantur Adam &c.*

Mich. 3:6. *Propterea nox erit vobis* מֵחָזוֹן *à visione, obscuritatem afferet vobis* מִקְּסֹם *à divinando*, h. e. ne sit visio, ne possitis divinare.

Job. 33:21. *Consumetur caro ejus* מֵרֹאִי *à visu*, hoc est, ut non videatur. Sensus: desinet caro ejus videri, id est, reddetur macilentus. Sequitur: & *promineant ossa ejus* (quæ) *non videbantur*. Cujus idem cum antecedente sensus est.

Huc referendum quando מ cum אחרי *post*, conjungitur. 2 Sam. 20:2. *Et ascendit omnis vir Israelis* מֵאַחֲרֵי דָוִד *à post Davide*, hoc est, ne deinceps sequeretur Davidem, seu, relicto Davide. Sic 2 Sam. 7. vers. 8, Psalm. 78:71. Sic Hos. 1. vers. 2. *Quia scortando scortatur terra* מֵאַחֲרֵי יְהֹוָה *de post Jehova*, seu, ne sequatur Jehovam; vel deserto & relicto Jehova. Quidam, aversa à Domino, vel aversata Jehovam. Sicut, qui ritè Deum colunt, dicuntur ire אַחַר *post Jehovam*, 2 Reg. 23. vers. 3. &c. Vide Zephan. 1:6. ubi phrasis, מֵאַחֲרֵי יְהֹוָה per negativam clarè exponitur. Ejus generis quoque præpositionem עַל, esse Junius & Tremel-

* Genes. 40:19. tollere caput. lius asserunt, in illo * Genes. 40:19. *intra dies tres recensebit Pharao caput tuum* מֵעָלֶיךָ *à de te*, hoc est, *nolle te*, scilicet recensio fit deinceps. Sensus: jubebit nomen tuum è catalogo servorum suorum deleri. נָשָׂא ראש *tollere caput*, usitata in Scriptura phrasis est, pro *recensere*, & aliàs de multis dicitur, Exod. 30:12. Num. 1:2, 49. c. 4:2, 22. c. 31:26. hic autem, & 2 Reg. 25:27. Jer. 52:31. de singulis, respectu tamen ad alios habito (R. Salom. לשון מנין לשון חשבון *significatio numerandi & computandi est.*) Eandem verò phraseos esse significationem, quando de pincerna vers. 13. & de pistore vers. 19. usurpatur, (videlicet *recensere*) luculenter ex v. 20. patet. Chaldæus igitur incongruè in vers. 13. de pincerna ubi usurpatur, vertit, יִדְכְּרִנָךְ *recordabitur tui*: In vers. 19. ubi de pistore, יַעְדֵּי יָת רֵישָׁךְ מִנָּךְ *removebit* seu *auferet caput tuum abs te.* Quorum utrumque vulgata etiam Latina versio exprimit. At nequaquam capite truncatus, sed suspensus pistor fuit &c.

Quandoque privationem συγκριτικῶς seu *per comparationem* denotat.

Jos. 19:47. *Et prodierat terminus filiorum Danis* מֵהֶם *ab eis*, h. e. minor, quàm eis sufficeret. Ita accipiendum esse, vel ipsa nomina *Zorba & Estnbol* ostendunt v. 41. quæ possidebant ante occupationem Leschem sive Lajisch, uti ex Jud. 18:2. patet. Videatur etiam Jud. 1:34. Atque hinc ostenditur, quod Jud. 18:1. dicitur, *quia ipsi* (Daniticæ tribui) *non occiderat usque in diem illum inter tribus Israelis in possessione ejus*: non de omnimoda possessionis denegatione: sed de negatione sufficientiæ, pro ratione numerosæ tribus, accipienda esse, q. d. non satis ipsi acciderat.

5. Distributionem, si cum sequente עַד ponatur.

Gen. 31:24. *Cave tibi, ne loquaris cum Jacobo* מִטּוֹב עַד רָע *à bono ad malum*, hoc est, sive bonum, sive malum: quò scil. ipsum à proposito abstrahas, & ad te retrahas. Sic 2 Sam. 13. vers. 22.

Exod. 22:4. *Si deprehendendo deprehensum fuerit in manu ejus furtum*, מִשּׁוֹר עַד חֲמוֹר עַד שֶׂה *à bove usque ad asinum, usque ad parvam pecudem*, hoc est, sive bos, sive asinus, sive parva pecus fuerit. Vide & Num. 6:4.

Joh. 3:5. *Induerunt cilicia* מִגְּדוֹלָם וְעַד קְטַנָּם *à magno & ad parvum*, hoc est, tàm magni quàm parvi eorum: & hi, & alii. Flacius subintelligi ait in hac locutione, *numerando* aut *computando.*

Illud autem Ps. 90:2. מֵעוֹלָם עַד עוֹלָם *à seculo usque ad seculum tu es Deus*, descriptio æternitatis & immutabilitatis divinæ est, q. d. quodcunque seculum ponatur, tu semper idem, ô Deus, permanes. Sic & Psalm. 103. vers. 17. ubi de infinita & æterna Dei misericordia sermo est.

## 4. *Ex* vel *De.*

Hac significatione notat,

1. Materialem causam, Cant. 3:39. מֵעֲצֵי *ex arboribus Libani.*

2. Motum è loco. Hos. 11:1. מִמִּצְרַיִם *ex Ægypto vocavi filium meum*

Mich. 5:2. מִמְּךָ *ex te* (Bethlehem) *egredietur &c.*

3. Subjectum, ex vel de quo. Gen. 15, 4. *Filius qui egredietur* מִמֵּעֶיךָ *ex visceribus tuis, is erit hæres*; h. e. qui ex te nascetur.

Psal. 22:11. *Quia tu es eductor meus* מִבֶּטֶן *ex utero.*

Hac ratione quandoque adjectivi periphrasin efficit, vid. supra tract. 1. can. 9. §. 3.

Et ἐξαίρετον sive præcellentiam innuit, vide tract. 6. can. 8. §. 3.

Et continuationem ac augmentum denotat, si cum sequente אֶל ponatur, vide tract. 6. canon 2.

Et distributionem sive partem aliquam significat. 1. Paral. 9:3. *In Jerusalem habitaverunt*

*verunt* מִן־בְּנֵי *de filiis Juda*, h. e. aliquot de filiis Juda. c. 12: 20. *Cùm iret Ziclagum, transfugerunt ad eum* מִמְּנַשֶּׁה *de Manasse*, h. e. aliquot de Manasse &c. c. 27: 18. Elihu מֵאֶחָי *de fratribus Davidis*, h. e. qui erat unus ex fratribus Davidis 2 Par. 32: 21. וּמִיצִיאֵי *& ex egressis è visceribus ejus ibi occiderunt ipsum gladio*, h. e. quidam filiorum ejus. (Simile exemplum ratione formæ nominis, cum præfixo מ extat 1Par 20:4. מִילִדֵי *de filiis.*) Esræ.9: 3. *Et evulsi* מִשְּׂעַר *de pilo capitis mei*, h. e. partem pilorum. Sic & c. 10. ult.

4. Quamcunque circumstantiam aliam. Job. 23: 12. מֵחֻקִּי *ex instituto meo recondidi sermones oris ejus*, Pagn. *à statuto meo*. Ariæmont. *more meo*. Lutherus significationem, quæ sequitur, attendens, & חוק pro *debito* accipiens, comparativè vertit, Ich bewahre die Rede seines Mundes / mehr denn ich schuldig bin. Opera autem supererogationis (ut vocant) virum sanctum jactitâsse, minùs verisimile est.

### 3. *Præ.*

Hac significatione notat,

1. Causam, Psal. 6: 8. *Contabescit* מִכַּעַס *præ indignatione oculus meus.*

Huc pertinet, quando simul *defectum rei* innuit, ac si ellipsis esset particulæ negativæ vel nominis חסר *defectus*, ut R. Kimchi vult. Psal. 109: 24. *Caro mea emaciatur*, מִשָּׁמֶן *præ defectu pinguedinis*, seu exhaustâ pinguedine. Symmachus ὑπὸ ἀναλειψίας, *præ non unctione*. Luth. Mein Fleisch ist mager / und hat kein Fett.

Thren. 4: 9. *Perfluunt transfixi* מִתְּנוּבֹת *præ defectu frugum agri*; seu destituti proventibus agri. Luth. Vom Mangel der Früchte des Ackers.

Jerem. 48: 45. *In umbra Cheshonis substiterunt*, מִכֹּחַ *præ defectu roboris fugientes*: seu quòd non esset robur. Quidam robur hostile intelligunt, quod fugæ causa est. *præ robore* (hostium) *fugientes.*

2. Comparationem. Tum in *nominibus*. Eccl. 7: 1. *Bonum est nomen* מִשֶּׁמֶן *præ oleo*, h. e. melius est oleo. Confer suprà tract. 1. can. vers. 15.

Sic quando res, quâcum instituitur comparatio, per verbum infinitivum effertur Ps. 118. 8. *Bonum est confidere in Domino*, מִבְּטֹחַ *præ sperare in hominibus*, hoc est, melius est, quam sperare &c. Sic Prov. 25: 7. Quomodo autem hæc comparatio sit intelligenda, suprà dictum tract. 5. can. 21.

Esa. 49: 6. נָקֵל מִהְיוֹתְךָ *levis* (videris) *præ essendo*, seu *quàm ut sis mihi servus*; h. est, levior videris. Loquitur Jehova Pater de Deo filio suo Messiâ, à Judæis spreto, ut verba sequentia explicant in v. 7.

Habac. 1: 13. *Mundus es oculis* מֵרְאוֹת *præ videndo malum*, h. e. mundior es, quàm ut videas malum. Potest hoc etiam negativè exponi, mundus es oculis, *ut non* cernas malum; secundùm signific. 1.

Tùm in *verbis*, iisque tàm *neutris*, quàm *activis*.

In verbis *neutris*, seu qualitatem denotantibus. 2 Sam. 1: 23 *Saul & Jonathan* מִנְּשָׁרִים קַלּוּ מֵאֲרָיוֹת גָּבֵרוּ *præ aquilis pernices fuêre, præ leonibus robore valuêre*; h. e. perniciores fuêre aquilis, robustiores leonibus.

Jerm. 15: 8. עָצְמוּ *numerosiores erunt mihi viduæ ejus* מֵחוֹל יַמִּים *præ arenâ maris*. h. e. numerosiores arenâ &c.

Thren. 4: 7. זַכּוּ *mundi fuerunt Nazaræi ejus* מִשֶּׁלֶג *præ nive, canduerunt* מֵחָלָב *præ lacte, rubuere corpore* מִפְּנִינִים *præ carbunculis*; h. e. mundiores fuêre nive, candidiores lacte, rubicundiores carbunculis.

In verbis *activis*, seu actionem denotantibus Psa. 8. vers. 6. וַתְּחַסְּרֵהוּ *fecisti deficere eum paulò* מֵאֱלֹהִים *præ Diis*: quod Hebr. 2: 7. ita redditur: ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους, *minorem viliorem vè reddidisti eum paulùm præ angelis*. Sermo est de Christo secundùm carnem profundissimè exinanito.

Psal. 45: 8. *Unxit te, Deus, Deus tuus lætitia* מֵחֲבֵרֶיךָ *præ consortibus tuis*, h: e. magis unxit te, quàm consortes tuos. Confer Heb. vers. 1: 9.

Jerem. 48: 32. מִבְּכִי *præ fletu Jabezeris defleo te, ô vitis Sibmæ &c.* h. e. amplius defleo te, quàm olim deflevit Esaias cap. 16: 18. (al. 9.) Et propterea in sequentibus Esaiæ verba amplificantur.

Ezech. 23: 11. *Et soror ejus, & corrupit amasiationem suam* מִמֶּנָּה *præ illâ*, h: e. corruptiùs egit amasiam, quàm illa.

Notandum & hoc constructionis Genus: Esr. 9: 13. *Cohibuisti* לְמַטָּה מֵעֲוֹנֵנוּ *infrà præ peccatis nostris*, h. e. mitius nobiscum egisti, quàm peccatis nostris promeriti eramus.

### *Aliæ significationes.*

Præter ea, quæ allata sunt, מ præfixum etiam significat

1. *Propter*: ut causam moventem & finalem notet.

Deut. 7:8. מֵאַהֲבַת *propter amorem Domini erga vos*, וּמִשָּׁמְרוֹ *& propter custodire ipsum suum juramentum*, h. e. eò quòd amat vos, & custodit suum juramentum,

Ps. 12:6. מִשֹּׁד *propter vastationem inopum*, מֵאַנְקַת *propter clamorem pauperum ego surgam*.

Psal. 68:30, מֵהֵיכָלֶךָ *propter templum tuum*, *propter Jerusalem, tibi adferent Reges munus*.

Prov. 20:4. מֵחֹרֶף *propter hyemem piger non arat*.

a Baalim Judæ. 2 Sam. 6.

Esa. 1:29. *Nam pudefient* מֵאֵילִים *propter lucos, quos desiderâstis, & erubescetis* מֵהַגַּנּוֹת *propter hortos, quos elegistis*. Sic Esa. 21:3. c. 53:5, 8. Jer. 22:22. Zach. 9:8.

Huc pertinet Jer. 10:6. מֵאֵין כָּמוֹךָ *propter non esse sicut tu, Jehova*. h. e. eò quòd non est par tibi: ac si esset בַּעֲבוּר שֶׁאֵין כָּמוֹךָ

2. *Ante:* cùm tempus denotat. Ps. 93:3. *Stabile est solium tuum* מֵאָז *antè tunc*, h. e. ante ullum certum & finitum tempus, de quo vox, *tunc*, ab homine enunciari posset.

Prov. 8:22. *Jehova possedit me principio viæ suæ*, קֶדֶם מִפְעָלָיו מֵאָז *ante opera sua, ante ullum tempus*. vers. 23. מֵעוֹלָם *ante seculum inuncta fui*, מֵרֹאשׁ *ante principium*, מִקַּדְמֵי־אָרֶץ *ante primordia terræ*.

Esa. 43:13. (al. 42:38.) *etiam* מִיּוֹם *ante diem ego ipse*, hoc est, antequam esset dies, seu ante ullum tempus.

Mich. 5:2. *Et egressiones ejus* (æterna Christi, Filii Dei, nativitas) מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם *ante principium, ante dies seculi. Nam* יְמֵי עוֹלָם *dies seculi* non ipsam æternitatem notant, sed tempus longum ab antè, ut ex Malach. 3:4. Amos 9:11. Mich. 7:14, 20. constat. Ante hos dies seculi quod esse dicitur, æternum Scripturæ sensu est.

Conforme huic in N. T. est, 2 Thess. 2:13. ἀπ' ἀρχῆς: Apoc. 13:8. cap. 17:8. ἀπὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου: quod Eph. 1:4. dicitur πρὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου: & 2. Tim. 1:9: πρὸ χρόνων αἰωνίων. Sic 1 Joh. 1:1. *quod fuit ἀπ' ἀρχῆς ab initio*, h. e. ante initium, scil. creaturæ. Joh. 1:1. eadem secunda Trinitatis SS. persona dicitur ἐν ἀρχῇ jam extitisse: igitur jam antè fuit, non verò ab initio seu cum initio cœpit.

3. *Post.* Gen. 2:2. *Et quievit* (DEUS) *die septimo* מִכָּל־מְלַאכְתּוֹ *post omne opus suum, quod fecerat*. In quiete duo sunt, 1. cessatio ab opere, seu post opus absolutum, 2. virium lassarum reparatio. Priori respectu Deo tribuitur quies, non posteriori.

Gen. 4:3. *Et factum est* מִקֵּץ *post finem dierum*, h. e. post finem anni. Vel, ut alii explicant, post dies multos.

Hos. 6:2 *Vivificabit nos* מִיֹּמָיִם *post biduum*.

Speciale quid huc pertinens, videatur suprà tract. 6. can. 11. §. 2.

4. *Ad:* cùm motum ad locum denotat. Gen. 13:11. *Et profectus est Lot* מִקֶּדֶם *ad orientem*, seu *orientem versus*. Nam Sodoma tunc Loto & Abrahamo fuit orientalis.

a 2 Sam. 6:2. *Surrexit abiitque David, & totus populus, qui erat cum ipso*, מִבַּעֲלֵי יְהוּדָה, *ad Baalima* seu *Baalima versus*. Id 1 Par. 13:6. ita scribitur, בַּעֲלָתָה *Baalam versus*, cum ה locali, quod motum ad locum exprimit. Oppidum Baalimorum (quod alio nomine *Baali* vocatur; & *Kiriat Jearim*) erat terminus, ad quem contendebat David, ut inde arcam reduceret Hierosolymam. Luth. מִבַּעֲלֵי יְהוּדָה vertit, aus den Bürgern *Juda*. Chald. ferè similiter, *ex urbibus domus* seu *familiæ Juda*. Sed nomen civitatis esse, & collatio loci alterius adducti, & relativum מִשָּׁם *exinde* (quod ad præcedentem certum locum respicit) indicat. Vide plura apud Fullerum virum eruditissimum, lib. 1. miscell. sac. c. 4. ubi addit: *Rarus est hic usus particulæ istius in Hebræa quidem linguâ; in Arabica verò frequens, præsertim verbis appropinquandi sive accedendi conjunctæ &c.* Huc pertinet Esa. 18:2. (al. 17: vers. 13.) *& fugiet* מִמֶּרְחָק *ad longinquum*, h. e. quàm longissimè seu procul.

Aliâ ratione מ *ad* vel *juxtà* significat, Psal. 16:8. *Dominus* מִימִינִי *ad dextram*, vel *juxta dextram meam*.

5. *Apud:* cùm vel locus, vel aliud subjectum denotatur. Exod. 33:6. *Et spoliaverunt se filii Israelis ornamento suo*, מֵהַר *apud montem Horeb*. Tremell. & Junius vertunt, *procul à monte:* quasi scil. publicè profitentes, se præsentiâ Dei indignos esse, in Horeb monte habitantis.

Num. 32:22. *Et eritis innocentes* מֵיְהוָה וּמִיִּשְׂרָאֵל *apud Dominum & apud Israëlem*.

Psal. 31:12. מִכָּל צוֹרְרַי *apud omnes hostes meos sum probro*.

6. *In.* Vel de tempore, vel de loco. Exod. 25:18. *facies etiam duos Cherubim aureos, ductiles facies eos* מִשְּׁנֵי *in duabus extremitatibus propitiatorii*. Sic vers. 19. in cujus fine pro מ ponitur עַל *super*.

Exod. 32:30. *Et fuit* מִמָּחֳרָת *in die crastino*, postridiè.

Psal. 72:16. *Florebunt* מֵעִיר *in civitate, quasi herba terræ*.

Prov. 25:17. *Rarum fac pedem tuum* מִבֵּית *in domo amici tui*. Ita Drusius lib. 4. observ. cap. 1. ubi nomen יְקַר (unde verbum הֹקַר quod h. l. extat) non solùm *pretiosum*, sed & *rarum* significare ostendit, ex 1 Sam. 3:1. Es. 13:12. Junius hoc verbum הֹקַר (retentâ propriâ τοῦ מ significatione) ita transfert: *Studiosè contine pedem tuum à domo proximi tui*. Sed hoc esset,

nullâ

nullâ ratione, nullovè tempore accedendum esse ad amicum; cum mens sapientis sit, moderatum debere esse ad ædes amici accessum.

Es. 56: 11. *Universi in viam suam reversi sunt, quisque ad avaritiam suam* מִקָּצֵהוּ *in termino suo*, seu *in loco suo*.

Ezech. 48: 29. *Hæc est civitas, quam sorte dividetis* מִנַּחֲלָה *in hæreditatem filiis Israel*. LXX. ἣν βαλεῖτε ἐν κλήρῳ ταῖς Φυλαῖς Ισραήλ.

7. *Contrà*. Jer. 3: 20. *Sicut perfide agit mulier* מֵרֵעָהּ *contra socium suum: Sic perfidè agit* בִּי *contra me domus Israel*.

8. *Præter*: cùm ad normam agendi refertur. Lev. 4. vers. 2. *anima si peccaverit per errorem*. מִכֹּל־מִצְוֹת *præter omnia mandata Dei*, (peccatis) *quæ non sunt facienda, & fecerit* מֵאַחַת *præter unum ex illis mandatis*.

9. *Cum*. Deut. 33: 2. *Et venit* (Jehova) מֵרִבְבֹת *cum decem millibus sanctitatis*. LXX. σὺν μυριάσι. Intelligit populum Israel, quos in populum peculii sibi DEUS sanctificaverat & assumserat.

## *Nota.*

*Quandoque* deficit, quandoque redundat præfixum מ.

1. Deficit. Gen. 18:28. *Si forsitan defuerint* חֲמִשִּׁים (pro מֵחֲמִשִּׁים) *de quinquaginta justis quinque &c.*

Jos. 10: 13. *Donec vindictam sumeret populus* אֹיְבָיו *pro* מֵאֹיְבָיו *de hostibus suis*.

2 Sam. 23. vers. 24. *Elchanan filius Dodonis*, בֵּית־לֶחֶם *pro* מִבֵּית־לֶחֶם *de Bethlehem* sc. oriundus.

Ibid. v. 32. בְּנֵי יָשֵׁן *pro* מִבְּנֵי יָשֵׁן *de filiis Jasen* (erat) *Jonathan*, sc. inter illos triginta heroas.

2 Reg. 11:6. *Et custodietis custodiam domus* מַסָּח *pro* מִמַּסָּח *ab evulsione*, h. e. ne aliqua evulsio, destructio aut damnum domui inferatur. Alii, *à desertione*, h. e. ne quis deserat aciem sive ordinem suum in acie. LXX. ut nomen proprium accepêre: καὶ Φυλάξετε τὴν Φυλακὴν τοῦ ὄικȣ Μεσσάχ. Vulg. *& custodietis excubias domus Messa*.

Es. 52: 2. *Explica te ipsum* מוֹסְרֵי *pro* מִמּוֹסְרֵי *è vinculis colli tui*.

Transpositio τȣ̃ מ vel מִן videtur esse in illo Gen. 2: 7. *Et formaverat Jehova Elohim hominem*, עָפָר מִן הָאֲדָמָה *pulverem de terra*, h. e. מֵעֲפַר הָאֲדָמָה ex pulvere terræ. Vel est simplex ellipsis pro מֵעָפָר מִן הָאֲדָמָה ex pulvere de terra.

2. Redundat מ in illis, quibuscum componitur, מִטֶּרֶם *priusquam*, מִתַּחַת *subter*, מֵעַל *super, suprà*. Mercerus in comm. Gen. 1. inter עַל & מֵעַל sic distinguit, ut prius respondeat Latino *Super*, posterius autem τῷ *suprà*. *Super* autem & *suprà* sic distinguunt, ut *super* de contiguis, *suprà* de supereminentibus sine contiguitate dicatur. E. G. Habeo manum *super* tabulâ, ut tangat: *supra* tabulam, ut non tangat. Sed indifferenter usurpari, usus edocet.

## Observatio V.

### *De Præpositione præfixa* ב.

Significatio primaria est; *IN*, quâ ablativum regit. Et intelligitur,

1. Locus & subjectum in quo. Unde ab Hebræis dicitur בּ כְּלִי *Beth vasis*. Gen. 39: 5. *In omnibus, quæ erant ipsi* בַּבַּיִת וּבַשָּׂדֶה *in domo & in agro*. Exod. 22: 28. *Principi* בְעַמְּךָ *in populo tuo, ne maledicito*. 2. Reg. 4: 40. *Mors* בַּסִּיר *in olla*. Esa. 42: 22. בַּחוּרִים *in foraminibus*. Junius & Tremellius *juvenes* reddunt. Hac ratione ב periphrasin *superlativi* gradus facit. Vide suprà tract. 1. can. 16. §. 3.

2. Tempus. Gen. 1: 1. בְּרֵאשִׁית *in Principio creavit &c.* Habac. 1. vers. 5. בִּימֵיכֶם *in diebus vestris*.

3. Qualitas vel res quæcunque. Et sic periphrasi *adjectivi* inservit, Ps. 33: 4. *Omne opus ejus* בֶּאֱמוּנָה *in veritate* sive *constantiâ*, h. e. verum vel constans. Pertinent verò huc & significata antecedentia, loci & temporis. Vide tract. 1. can. 9. §. 2.

Sic & periphrasin *adverbii* qualitatis facit. Gen. 34: 13. *Et responderunt filii Jacob ipsi Sichémo & Chamori patri ejus* בְּמִרְמָה *in fraude*, h. e. fraudulenter. Sic Exod. 1: 13. Ps. 9: 9. &c.

### *Aliæ significationes.*

Præter id, quod modò dictum, præfixum ב etiam significat,

1. *Inter*. Ps. 35: 16. בְּחַנְפֵי *inter hypocritas*. Ps. 68: 19 בָּאָדָם *inter homines*. (Confer Es. 53. vers. 12.) Ps. 60: 12. *Et non procederes, Deus*, בְּצִבְאוֹתֵינוּ *inter exercitus nostros*. Confer suprà lib. 3. tract. 3. de verbo, can. 42.

2. *Ad*: vel εἰς, *in* cum accusativo. De causa finali Eccl. 10: 17. בִּגְבוּרָה וְלֹא בַשְּׁתִי *ad robur, & non ad compotationem*. Et de motu ad locum vel subjectum. Gen. 11: 4. *Extruamus nobis urbem & turrim, cujus fastigium* (assurgat) בַשָּׁמַיִם *ad cœlum*. Psal. 57. vers. 11. hoc dicitur עַד־שָׁמַיִם *usque ad cœlum*. Jer. 51. vers. 9. אֶל־הַשָּׁמַיִם *ad cœlos*.

Lev. 16: 22. *Et dimittet hircum illum* בַּמִּדְבָּר *ad*

*ad desertum*: vel *in desertum*. In v.21. per ה locale id effertur, הַמִּדְבָּרָה *ad desertum*.

1 Sam. 8 vers. 2. *Judices*, בִּבְאֵר שָׁבַע *usque ad Beersaba*. Sermo est de filiis Samuelis, quos judices constituit in populo Israëlitico, usque ad Beersaba. Estque Synecdoche elliptica, quâ sub una extremitate, altera ei opposita, nempè Danis, simul intelligitur. Confer Jud. 20. vers. 1.

Job. 19: 5. *Non pertinget* בְּךָ *ad te malum*.

Ps. 19: 5. בְּכָל־ *in omnem terram prodiit regula illorum*. Rom. 10: 18. εἰς πᾶσαν τὴν γῆν.

[a] Via Viri ad Alma Prov. 30. [a] Prov. 30: 19. *Viam viri* בְּעַלְמָה *ad virginem*: quæ sc. abscondita est & pudica, quæ abscondendo se intra paternas ædes ab amatoriis insidiis ac complexibus tuetur; talem enim עַלְמָה significat, ab עָלַם *abscondit*. *Via* autem consilia & machinationes viri scortatoris, virgini insidiantis, notat. Cujus rei exemplum in Amnone filio Davidis, sororem Thamarem inhoneste deamante, conspicitur, 2 Sam. 13: 3. *adeò ut angeretur Amnon conficiendo se morbo propter Thamarem sororem suam, quia virgo erat* (q. d. ideoque arctiùs more virginum servabatur) *unde occulta videbatur ratio in oculis Amnonis, faciendi ei quicquam*. Nota, idem verbum נפלא *occultum esse*,, h. l. usurpari, quod Prov. 30: 18. *de via viri in virginem* usurpatur. Est enim hoc inter illa, quæ נִפְלְאוּ *mirabilia sunt* sapienti, quorumque rationem non potest perspicere. Nota etiam, quòd Jonadabi astuti hominis consilio Amnon fuerit usus in obtinendo pessimo sui desiderii impudici fine. Quod ipsum loci propositi expositionem non parùm illustrat.

Es. 10: 22. *Reliquum revertetur* בּוֹ *ad illum*, sc. Deum fortem, cujus mentio præcessit. Sic Hos. 12: 7.

Huc pertinet phrasis, *fugere* חֶדֶר בְּחֶדֶר *conclave ad conclave*, h. e. in intimum conclave, 1 Reg. 20: 30. cap. 22: 25. 2 Reg. 9: 2.

Videtur & *de tempore* hac significatione usurpari. 1 Sam. 1: 7. שָׁנָה בְשָׁנָה *anno in annum*, h. e. quotannis. Es. 66: 23. *Et erit à mense* בְּחָדְשׁוֹ *in mensem suum*, h. e. singulis mensibus. Ibid. *A Sabbato* בְּשַׁבַּתּוֹ *in Sabbatum suum*, h. e. continuis Sabbatis. Significatur enim hac locutione temporis continuatio.

Per *usque ad*, vertunt Tremel. & Junius illud Jer. 28: 1. *Cum autem fuisset illud, ab anno illo, principio regni Zidkiæ Regis Judæ* בַּשָּׁנָה *in usque ad annum illius quartum, mense quinto; allocutus est me Chanania &c. Cùm autem fuisset illud*, h. e. cùm typo & sermone, quem Deus imperaverat c. 27: 4. voluntatem Dei judiciumque significare perrexissem per quadriennium. Munsterus propriam præfixi significationem attendens, de h. l. ita loquitur: *Si fuit in principio regni, quomodo fuit in quarto anno Zidkiæ? Judæi multùm torquentur in hujus loci complanatione, & varias excogitarunt expositiones: sed quia nihil certi de hac re ex textu haberi potest, relinquemus nos illis difficultatem hanc explicandam.*

3. *Contra*. Gen. 16: 12. *Manus ejus* בַּכֹּל *contra omnes, & manus omnium* בּוֹ *contra eum*. Exod. 14: 25. *Nam Jehova pugnat pro eis*, בְּמִצְרָיִם *contra Ægyptum*. Sic Num. 12: 1. cap. 21: 5. 1 Reg. 2: 23. Jer. 31: 20. Mich. 1: 2.

Ps. 105: 27. *posuerunt* בָּם *contra eos Ægyptios verba signorum* (seu signa) *ejus*: Vel *in eos*, tanquam onus & jugum grave imposuerunt, ut ita coërcerentur & perdomarentur: Qua ratione בַּאֲרָם *in Syriam*, & בֶּאֱדוֹם *in Edom* (seu contra Syros & Edomitas) dicuntur à Davide præsidiarii milites positi, 2 Sam. 8. vers. 6. 14.

Es. 21: 13. *onus* בַּעְרָב *contra Arabiam*.

4. *Ex* vel *De*. Et ita innuit, *vel* causam materialem. Exod. 35: 32. *Ad faciendum* בַּזָּהָב *ex auro, & argento, & ære*, & *ferro*. Quidam reddunt, *in auro*, in quo nempè, tanquam objecto & materia, labor ille peragebatur.

[b] De speculis mulierum. Exod. 38. [b] Exod. 38: 8. *Et fecit concham æneam, & basin ejus æneam*, בְּמַרְאֹת *ex speculis* (æneis vid.) *convenientium, quæ conveniebant ad ostium tabernaculi Ecclesiæ*. Dn. D. Frantz. de interp. Script. pag. 40. hanc interpretationem rejicit: *In Hebræis fontibus* (inquit) *omninò aliud dicitur, vid. fecit concham & basin ejus æneam, ut in ea sese contueri possent, scil. Levitæ: non vero è speculis mulierum, quæ conveniebant ad ostium tabernaculi, quia nec ad ostium erat singularis conventus mulierum, & in textu vocabulum mulierum (quod Pagninus ponit) planè abest*. Verum rationes hæ non videntur satis firmiter concludere. Omninò enim ad ostium tabernaculi, conventus piarum & religiosarum mulierum in populo Israëlitico erat, & expressa ejus fit mentio, 1 Sam. 2: 22. ubi eadem phrasis est, quæ h. l. extat, & nomen נָשִׁים *mulierum* additur. Et si verò in textu vox *mulierum* non habetur, habetur tamen particip. fœmininum הַצֹּבְאֹת *turmatim convenientium*, quod substantivum, *mulierum*, includit. Quod autem allatam concernit expositionem, *fuisse concham & basin ejus æneam, ut in ea sese contueri possent Levitæ*: subsistere ea non potest, *tùm*, quòd Levitarum in textu nec ῥητῶς, nec per διάνοιαν, h. l. fit mentio (per הַצֹּבְאֹת verò ii intelligi non possunt, ob genus, quod fœmin. est) *tùm* quòd contuitione hac sui ipsorum haudquaquam fuit opus. Placet R. Aben Ezræ verba, quibus hunc

hunc locum explanat, adducere. *Mos erat omnium mulierum, ut decorarent faciem suam singulis matutinis in speculis aneis, aut vitreis, ad adaptandum tiaras, quas in capitibus suis habebant, quarum & in libro Esaiæ* (cap. 3: 22.) *fit mentio. Ecce autem in Israel erant mulieres Deum colentes, quæ recesserant à concupiscentia hujus seculi, & sua specula Domino spontè offerebant, non enim illis ampliùs opus habebant, ut adornarent sese, sed veniebant per singulos dies ad ostium tabernaculi, ut orarent & audirent verba præceptorum: & hoc est quod dicitur: quæ turmatim convenerunt, sive quæ congregabant se instar exercitus, ad ostium tabernaculi; nam complures erant.* Hæc ille. Chald. similiter habet: *Ex speculis mulierum; quæ convenerunt ad orandum in ostio tabernaculi conventus.* Hier. in Es. 3: 23. *Specula obtulerunt in Exodo, manentes in foribus tabernaculi mulieres, ad lubrum Domini fabricandum.*

2. Paral. 16: 16. *Et ædificavit* בָּהֶם *ex illis* (lapidibus & lignis) *Geba & Mitzpa.* Vide & 1 Paral. 18: 8.

Vel subjectum cujuscunque actionis. Exod. 12: 43. *Nullus alienigena comedat* בּוֹ *ex eo.* Lev. 8: 32. *Quod supereft* בַּבָּשָׂר *de carne ista,* וּבַלָּחֶם *& de pane isto, igne comburite.* Lev. 26: 36. *Qui remanserint* בָּכֶם *ex vobis,* Deut. 6: 7. *Et loqueris* בָּם *de eis,* vid. præceptis meis. Sic c. 11: 19. c. 3: 26. Ps. 48: 9. Ps. 14: 1, 4. Vide suprà tract. 6. can. 6.

*Vel* modum etiam actionis & rei. Deut. 6: 5. *Diligito Jehovam DEUM tuum* בְּכָל־לְבָבְךָ *ex toto corde tuo &c.* ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σȣ. Marc. 12: 30. Luc. 10: 27.

Hab. 2: 4. *Justus* בֶּאֱמוּנָתוֹ *ex fide sua vivet;* ἐκ πίστεως, Rom. 1: 17. Gal. 3: 11. posset & verti, *per fidem suam.*

5. *Pro:* ut commodum innuatur. 1 Sam. 19: 3. *Loquar* בָּךְ *pro te ad patrem.* Sic v. 4. Vel incommodum & damnum. Jos. 6: 26.

Item & precium indicetur, in verbis *mercandi;* & quantitas, in verbis *æstimandi.* Deut. 2: 6. *Cibum emetis ab eis* בַּכֶּסֶף *pro pecunia.*

Thren. 5: 4. *Aquas nostras* בְּכֶסֶף *pro argento bibimus, & ligna nostra* בִּמְחִיר *pro precio obveniunt.*

Esa. 2: 22. *Nam* בַּמֶּה *pro quo æstimatur ipse,* h. e. quanti. Vide Buxt. l. 2. thes. cap. 13. reg. 2.

6. *Propter:* Gen. 18: 28. *An perdes* בַּחֲמִשָּׁה *propter quinque totam civitatem.* Propter quinque sc. deficientes ex quinquaginta.

Prov. 27: 1. *Ne glorieris* בְּיוֹם *propter diem crastinum,* vel etiam *de die crastino.*

Psal. 150: 1. *Laudate Dominum* בְּקָדְשׁוֹ *ob sanctitatem ejus.* v. 2. *laudate eum* בִּגְבוּרֹתָיו *ob potentias seu summam potentiam ejus.*

Jer. 17: 3. בְּחַטָּאת *propter peccatum in omnibus terminis tuis.*

Jer. 18: 18. *Percutiamus eum* בַלָּשׁוֹן *propter istam linguam,* h. e. quia audacter res importunas, falsas & odiosas linguâ suâ effutit &c. Sic Jon. 1: 14. Vide & suprà tract. 6. can. 6. §. 5.

7. *Per:* Num. 12: 2. *An tantùm* בְּמֹשֶׁה *per Mosen loquitur Jehova, annon etiam* בָּנוּ *per nos.* Sic 2 Sam. 23: 2. Hebr. 1: 1. Significatur autem simul emphaticè, inhabitatio Dei singularis in Prophetis. Confer Matth. 10: 20.

Gen. 48: 20. בְּךָ *Per te benedicet Israel, dicendo &c.* Per te, scil. tanquam illustre benedictionis divinæ exemplum. Junius: *Te proposito benedicent Israelitæ.* Quidam ב pro כ usurpari conjiciunt, ut sit, *secundùm te*, seu *sicut tibi* scil. benedixit Deus. Sed id rei ipsi hîc propositæ non convenit. Quæ enim συνάφεια? Sicut tibi benedixit Deus, sic benedicent Israëlitæ &c. Non instituitur inter benedictionem Dei & Israelitarum collatio, sed Josephus (ad quem hîc est προσφώνησις) cum filiis in benedictionis exemplum statuitur, cujus formula (Deum benedicentem exprimens) in textu subjicitur. Præthereà hujus significationis, in præfixo ב, exemplum aliud dari posse haud arbitror. Datur quidem à quibusdam Psal. 42: 11. בְּרֶצַח *cum gladio in ossa mea,* scil. penetrant. Ubi R. Salomo & Aben Ezra ב pro כ sumi existimant, ut sit: *quasi occisio, transfixio, vel vulneratio est.* Quos sequitur Pagninus, vertens, *ut occisio.* Et Lutherus: Es ist als ein Mord in meinen Beinen. Verùm rectius comparationis vocula subintelligitur, ac si esset כְּבְרֶצַח quod Junius ac Tremellius in notis sic exprimunt: *Blasphemias in Deum evomunt, & perinde faciunt, ac si me gladiis confoderent, adeò indignè blasphemias perfero.*

Deut. 32: 21. *Ipsi me commoverunt ad Zelotypiam* בְלֹא־אֵל *per ea, quæ non sunt Deus: Ego quoque ad Zelotypiam commovebo eos* בְּלֹא־עָם *per eum, qui non est populus;* בְּגוֹי *per gentem stultam provocabo eos.* Sensus: Quemadmodum novis diis inductis me ad zelum provocaverunt, ita ego quoque novum populum suscitabo, quo ipsi zelo accendantur: Atque ut Deos fecerunt, qui Dii non sunt, ita gentem constituam ex non gente. Sic factum est, teste Paulo Rom. 10: 19. cum gentes assumtæ sunt per Euangelium. Unde usque hodiè implacabiliter irritantur Judæi, quòd illos negamus esse populum Dei, nos verò asserimus esse populum Dei, ut hic versus prædicit. Hæc Vatablus.

Psal. 78: 2. *Aperiam* בְמָשָׁל *per parabolam os meum.*

*meum*. Sic Marc. 13: 35. *ἐν παραβολαῖς*.

Sic quando *in juramento* adhibetur. Esa. 45: 23. בִּי *per me juravi &c.* Cui ἐν Græcorum respondet, Apoc. 10: 6. Observat bene Drusius lib. 9. obs. c. 10. differre inter se hæc duo, *jurare* ליהוה *Domino*; & *jurare* ביהוה *per Dominum*: & inscitè interpretes hæc duo confundere, præsertim Soph. 1: 5. ubi in Hebræo est הַנִּשְׁבָּעִים לַיהוָה quod vertunt, *qui jurant per Dominum*; cùm sit, *Domino*, ut Psa. 132: 2. Es. 19: 18. Confer 2 Par. 15: 12. seqq. Et sententiam in verbis Sophoniæ ait esse hanc: *qui jurati sunt Domino*, h. e. qui sanctè ac quasi Deo teste polliciti sunt, se in fide, pietate, fœdere mansuros cum Domino, violant quod polliciti sunt, jurando *per Regem suum*, sive, ut alii volunt, *per Deum suum Moloch*.

8. *Cum*. Idque *vel* de causa instrumentali, aut modo actionis: unde ב הָעֵזֶר *Beth auxilii*, h. est, causæ adjuvantis, dicitur. Latini autem sine præpositione hoc efferunt. Genes. 48: 22. *Quem cepi* בְּחַרְבִּי וּבְקַשְׁתִּי *cum gladio meo, & cum arcu meo*. Vel, ut Latini dicunt, *quem cepi gladio & arcu meo*.

Psal. 2: 9. *Confringes istos*, בְּשֵׁבֶט *sceptro ferreo*.

Prov. 24: 3. בְּחָכְמָה *cum sapientiâ*, vel *sapientiâ ædificabitur domus*, וּבִתְבוּנָה *& intelligentia stabilietur*. Vide Buxt. lib. 2. thes. c. 13. reg. 1.

Quandoque ב non additur. Psal. 44: 3. יָדְךָ *manu tua gentes expulisti*. Sic Psal. 60: 7. Psal. 138: 7. Esa. 1: 20.

*Vel* de causa principali, cujus auxilium indicatur. Psal. 18: 30. בְּךָ *tecum transcurro turmam*, h. est, tuâ ope & præsidio. Psal. 60: 14. בֵּאלֹהִים *cum Deo faciemus virtutem*: Sicut Græcè dicitur σὺν θεῷ. Vicissim, cùm Deus nobiscum esse dicitur, itidem ejus gratiosa ἐνέργεια innuitur, vide tract. 6. can. 16.

*Vel* de conjunctione & concomitantiâ, Gen. 32: 10. בְּמַקְלִי *cum baculo transivi Jordanem hunc*; h. est, cùm Jordanem fluvium transirem, nihil præter pedum pastorale mecum habebam. Significat, se planè inopem tunc & destitutum facultatibus præsentibus fuisse. Sic Exod. 10: 9. Jerem. 11: 19.

1 Sam. 1: 24. *Et abduxit eum* בְּפָרִים *cum juvencis tribus &c.*

1 Sam. 25: 39. *Et misit David, & locutus est* (per legatos) בַּאֲבִיגַיִל *cum Abigail, ad ducendam eam sibi in uxorem*.

Psal. 99: 6. *Moses & Aharon* בְּכֹהֲנָיו *cum sacerdotibus ejus*, (scil. Jehova,) *& Samuel* בְּקֹרְאֵי *cum invocantibus nomen ejus*.

Es. 38: 8. בַּשֶּׁמֶשׁ *cum Sole*. Junium vide.

Hos. 5: 6. בצאנם ובבקרם *cum gregibus suis & cum armentis suis ibunt ad quærendum Jehovam*.

9. *Sive*: vel *tàm*, *quàm*, cum repetitur, & distributivè accipitur.

Exod. 12: 19. *Exscindetur anima illa ex cœtu Israel*, בַּגֵּר וּבְאֶזְרַח *tàm peregrini, quàm indigenæ illius terræ*: vel *sive sit peregrinus sive indigena*. Luther. Es sey ein Frembdling oder ein Einheimischer im Lande.

Hos. 4: 3. *Propterea lugebit hæc terra, & languebit quicquid habitat in ea*, בְּחַיַּת וּבְעוֹף *tùm bestia agri, tùm aves cœli &c.* Quidam præcedenti significatione vertunt, *cum bestia agri & cum avibus cœli &c.*

10. *Cùm*, *postquàm*: si infinitivo addatur, & gerundium in *do* constituat.

Lev. 12: 6. בִּמְלֹאת *in implendo dies purgationis ejus*, h. e. cùm impleti fuerint.

Deut. 4. vers. 46. (al. 5: 3.) בְּצֵאתָם *in egrediendo eos ex Ægypto*, hoc est, postquam egressi fuissent.

Psal. 4: 2. בְּקָרְאִי *in invocando me*, h. e. cùm invoco. Sic & Psal. 51: 1. Psal. 102: 23. Es. 20: 1. Ezech. 18: 24, 26. cap. 33: 13, 14, 18, 19. &c.

## Nota 1.

Præfixum ב quandoque *Dativo*, quandoque *Accusativo* casui exprimendo inservit, ex peculiari verborum quorundam constructione.

1. Dativi casus nota est, Gen. 27: 13. *tantum ausculta* בְּקֹלִי *voci meæ*. Sic cap. 22: 18.

Exod. 14: 31. *& crediderunt* ביהוה ובמשה *Domino & Mosi servo ejus*. Sic & alibi verbum הֶאֱמִין *credidit*, construitur. Deut. 28: 66. 1 Sam. 27: 12. 2 Par. 20: 20. Ps. 78: 22. Alibi Dativus est per ל præfixum expressus.

Deut. 9: 23. *Et non credidistis* לוֹ *ei*, vid. Deo. Sic Es. 43: 10.

Ps. 106. utraque locutio occurrit: v. 12. *Et crediderunt* בִדְבָרָיו *in verba ejus*, seu *verbis ejus*. v. 24. *non crediderunt* לִדְבָרוֹ *verbo ejus*. LXX. utramque etiam phrasin exprimunt, 2 Par. 20: 20. ἐμπιςεύσατε κυρίῳ τῷ θεῷ ὑμῶν, καὶ ἐμπιςεύσατε ἐν προφήταις αὐτῦ. Exod. 14: 31. καὶ ἐπίςευσαν τῷ θεῷ καὶ Μωυσεῖ &c. Psal. 78: 22. καὶ οὐκ ἐπίςευσαν ἐν τοῖς θαυμασίοις αὐτῦ, cui convenit illud Marc. 1: 15. *Credite* ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ, *Euangelio*.

2. Accusativi nota est, & objectum actionis exprimit. Gen. 31: 7. *Et pater vester* הֵתֶל בִּי *decepit me*. c. 34: 1. *ut spectaret* בִּבְנוֹת *filias regionis*. c. 37: 2. *Joseph pascebat cum fratribus suis* בַּצֹּאן *pecus*. Exod. 4: 4. *prehende* בִּזְנָבוֹ *caudam*

*dam ejus.* Prov. 9. v. 5. *Comedite* בְלַחְמִי *panem meum.* Psal. 72. v. 3. *Proferunt montes pacem populo, & colles* בִּצְדָקָה *justitiam.* Confer hîc quædam, ubi ב redundare in sequentibus dicitur.

Sic Matth. 10:32. *Qui confitebitur ἐν ἐμοὶ me coram hominibus, confitebor & ego ἐν αὐτῷ illum coram patre meo, qui est in cœlis. Quidam ἐν pro περὶ* h. l. accipiunt.

## *Nota 2.*

*Quandoque* deficit, *quandoque* redundat præfixum ב.

1. Deficit. Psal. 109: 4. *Et ego* תְפִלָּה pro בִּתְפִלָּה *in oratione* sum.

Prov. 8: 22. *Dominus possedit me* רֵאשִׁית *in principio viæ suæ*, pro בְּרֵאשִׁית. Ita exactissima est cum Joh. 1: 1. convenientia. Et confirmatur hæc expositio in textu sequente. Alii sine ellipsi: *Dominus possedit me principium viæ suæ*, seu *operis sui.* Principium scil. non materiale, uti Job. 40: 14. sumitur, sed *effectivum*, per quod omnia facta sunt, Joh. 1: 3. Confer Apoc. 3: 14.

Es. 12: 2. *Et ingredientur* פִּתְחֵי pro בְּפִתְחֵי *per portas ingenuorum.* Ita R. Kimchi, qui Es. 1: 20. plura exempla adducit.

Es. 41: 2. *Posuit ei* (Deus Abrahamo) *gentes,* וּמְלָכִים *& in Reges dominari eum fecit;* pro וּבִמְלָכִים. In sequentibus statim verbis ellipsis etiam est præfixi ל: *Reddidit eos similes pulveri,* חַרְבּוֹ *gladio ejus, similes stipulæ impulsæ,* קַשְׁתּוֹ *arcui ejus.* Pro לְחַרְבּוֹ, לְקַשְׁתּוֹ Chaldæus supplet vocem קֳדָם *coram gladio ejus, coram arcu ejus.* Sine ellipseos vocularum harum complemento, sensus verborum videri posset, quòd Deus ipsos Reges dominari fecerit; & gladium similem pulveri, arcum similem stipulæ fecerit: quod alienum est. Cæterùm intelligi h. l. præcipuè victoriam Abrahæ contra exteros quosdam Reges & gentes, Dei vocatione & virtute, obtentam, de quo Gen. 14. perspicuum est. Latiùs autem patere Jehovæ ista verba de Abrahamo magnifica, eruditè D. Brentius ostendit, in comm. h. l. *Deus* (inquit) *dedit Abrahamo hanc gratiam, ut quocunque proficisceretur, formidabilis esset gentibus. Hoc eò respicit, quòd Abraham instituit Domino altaria in terra Canaan, & vulgavit inter gentes veram doctrinam religionis impunè, Genes. 12. Nisi enim Deus tutatus eum fuisset mirabiliter in hoc instituto, non potuisset evadere violentas impiissimarum gentium, inter quas versabatur, manus. Quod dicitur dominatus fuisse Regibus, respicit in eam historiam, quâ scribitur, Pharaonem Regem Ægypti afflictum fuisse propter Abrahamum, & tractâsse eum clementissimè, Genes. 12. Idem scriptum est de Abimelech Rege Gerar, Genes. 20. v. 21. Nec hæc fuerunt obscura, sed gentibus ita conspicua, ut Abraham apud omnes esset terrori.* Hactenus D. Brentius, cujus verba adducere volui, quia ad totum illum Esaiæ locum rectè intelligendum faciunt. Dignissima profectò sunt hujus insignis Theologi scripta exegetica, præsertim in Vet. Test. libros, quæ diligenter evolvantur ab omnibus, qui Theologiæ, & Philologiæ sacræ etiam studio addicti sunt: quippe doctrinæ cœlestis omnigenæ & observationum variarum ex Hebræo textu plena.

Aliud ellipseos τȣ̃ ב exemplum datur à quibusdam Es. 49: 3. *Et dixit mihi,* (Deus Pater: sunt enim verba Christi) *servus meus tu es* יִשְׂרָאֵל pro בְּיִשְׂרָאֵל *in Israel:* ut conveniat cum illo Rom. 15. v. 8. Sed obstat accentus distinctus Athnachta, qui nomen *Israel* cùm sequentibus verbis cohærere ostendit, sine ellipsi præfixi, idque sensu convenientissimo: *Et dixit mihi servus meus es: Israel est, in quo per te gloriosè me manifestaturus sum,* (אֲשֶׁר pro בַּאֲשֶׁר *in quo:* ubi Esa. 44: 23.) h. e. jubeo te primùm Israëli proponere verbum gloriosum meum, & in Judæis primùm gloriam meam explicare; Confer Matth. 10:6. c. 15: 24. Act. 13:46. 15. 8. & quoad phrasin Joh. 12: 28. c. 17: 4.

Est & ex præcedenti membro ב quandoque repetendum. Exod. 6: 3. *Et apparui Abrahamo, Isaaco & Jacobo* בְּאֵל *in Deo forti;* וּשְׁמִי (pro וּבִשְׁמִי) a *sed in nomine meo Jehova non innotui ipsis.* Cùm enim præter αὐτουσίαν Dei, nomen illud etiam æternitatem, independentiam, efficacitatem (quâ omnes creaturæ suum esse à Deo habent) & veritatem denotet; hoc potissimum potissimùm spectavit Deus Exod. 6: 2. Istorum enim verborum hæc mens est: Apparui quidem Abrahamo in nomine *El Schaddai,* h. e. Dei omnipotentis, atque ita docui me posse ipsis præstare promissionem terræ Canaan: At in nomine יהוה non innotui illis, h. est, nondum præstiti ipsis, quod promisi. Nunc demum cognoscetis vim hujus nominis, vid. cognoscetis, me non solum ὄντα, sed & ἐσόμενα. Quod promisi, quod mihi factu possibile esse Abrahamo declaravi, jam tandem faciam ut existat, jam præstabo: quæ sunt verba D. Sixt. Amamæ. in tract. de nomine יהוה inserto Antibarb. Bibl. p. 477. Eodem sensu quidam Hebræorum (notante Vatablo) emphasin verbi passivi נוֹדַעְתִּי expendit: *Non scribitur, non notum feci, sed non notus factus sum, id est, non cognitus factus sum eis in proprietate veritatis meæ, propter quam vocatur nomen meum* יהוה *h. e.*

a In nomine meo Jehova non innotui ipsis Exod. 6.

*h. e. verax, fidelis, constans, quia ecce promisi eis, & nondum præstiti seu confirmavi.* Alia exempla, quibus ex præcedenti membro ב repetendum est, videantur Job. 12: 12. Esa. 48: 14. Jer. 27: 18.

2. Redundat. Job. 16: 10. *Distendunt contra me* בְּפִיהֶם *os suum.*

Psal. 12: 6. *Ponam* בְּיֵשַׁע *salutem.* Ita Aben Ezra in h. l. Alii autem ב exprimunt. *Ponam in salute*, scil. pauperes & egenos, quorum antè fit mentio.

Psal. 55: 19. *Redimit in pace animam meam à bello contra me: quoniam* בְּרַבִּים *multi erant mecum.* Confer 2 Reg. 6: 16. Intelligit enim sanctos angelos, Ps. 34: 8.

Prov. 9: 5. *Ite, comedite* בְּלַחְמִי *panem meum, & bibite* בְּיַיִן *vinum, quod fundo.* Aben Ezra hoc exemplum adducit ad illud, Psal. 12: 6. quod ante adductum.

Thren. 1. v. 17. *Expandit Zion* בְּיָדֶיהָ *manus suas.*

Sic in illis, בֵּין *inter*, בְּטֶרֶם *antè*, בְּיוֹמָם *interdiu &c.*

In aliquibus sententiis repetitum, *ἀντίςροφον* effecit. 1 Paral. 7: 23. כִּי בְרָעָה הָיְתָה בְּבֵיתוֹ *quia in malo erat domus ejus:* vel *malum erat in domo ejus.* Job. 18: 8. כִּי שֻׁלַּח בְּרֶשֶׁת בְּרַגְלָיו *quia immissum est rete in pedes ejus:* vel, *immissi in rete sunt pedes ejus.* Hos. 13. v. 9. כִּי־בִי־בְעֶזְרֶךָ *quia in me est auxilium tuum:* vel, *quia ego in auxilio tuo sum.* Ita h. l. explicat R. Kimchi. R. Salomo Jarchi priori membro hæc verba conjungit, & ellipsin verbi ponit, hoc modo: שִׁחֶתְךָ *perdidit te*, nimirum hoc *quod in me, in auxilium tuum* scil. מָרִיתָ *rebellâsti.* Hunc ferè sequitur Tarnovius in comm. qui addit: *Ita non perit ἀντίθεσις inter hominum culpam, & Dei gratiam, sed illa utraque exaggeratur magis, quod etiam Deus voluerit esse auxilium, quando contra illum rebellabant Israelitæ. Ita Deus est & manet auxiliator, & homo malus peccator: ille ex exitio eruit, hic sua culpâ perit.* Confer Hos. 14. vers. 1. ubi ellipsis verbi מָרְתָה completur, cui cum מָרַד significatione, & vocis analogiâ convenit.

## Observatio VI.

### *De præpositione præfixa* ל.

Significatio primaria est, *ad*, vel *in*, cum accus. *εἰς*; unde ex אֶל *ad*, decisum esse, quidam volunt. Ita verò denotat:

1. Motum ad aliquid. Psal. 68: 19. *Ascendisti* לַמָּרוֹם *in altum; εἰς ὕψος*, Ephes. 4: 8. Esa. 53: 7. *Sicut pecus, quæ* לַטֶּבַח *ad mactationem ducitur; ἐπὶ σφάγην*, Act. 8: 32.

Deut. 32: 46. *Apponite cor vestrum* לְכָל־ *ad omnia verba &c.*

2. *Essentiam* rei, vel ejus *conditionem* & statum. Essentiam Gen. 2: 7. *Et fuit homo* לְנֶפֶשׁ *in animam viventem; εἰς ψυχὴν ζῶσαν*, 1 Cor. 15: 45. h. e. hac ratione factum est, ut terrea ista statua animata viveret Chald. *Et fuit in homine* (scil. spiraculum vitæ) *in Spiritum loquentem.*

Ibid. v. 22. *Et ædificavit costam* לְאִשָּׁה *in fœminam.*

Jud. 8: 27. *Et faciebat illud Gideon* לְאֵפוֹד *in Ephod.*

Conditionem & statum. Gen. 20: 12. *fuit mihi* לְאִשָּׁה *in uxorem.*

2 Sam: 8. v. 3. *Et unxerunt David* לְמֶלֶךְ *in Regem super Israel.* Sic Actor, 7: 21. *εἰς* usurpatur.

3. Adjectivi periphrasin, vide suprà tract. 1. can. 9. §. 1.

4. Causam finalem. Es. 58: 4. *Ecce* לְרִיב *ad contentionem & jurgium jejunatis*, h. e. ut ad litigia otium habeatis.

Sic quando *infinitivo* præfigitur. Jud. 6: 11. *Gideon autem filius ejus excutiebat frumenta in torculari*, לְהָנִיס *ad fugere faciendum*, h. e. ut fugere faceret, vid. patrem suum & familiam, cui in fugâ præ Midianitis suscipiendâ de commeatu prospexit. Sic cap. 9: 24. Vide & infrà not. 2.

### *Aliæ significationes.*

Præter id, quod modò dictum, præfixum ל etiam significat.

1. *In*, cum ablativo. *Tùm* de loco & subjecto. Psal. 9: 5. *sedes* לְכִסֵּא *ad solium*, pro, בְּכִסֵּא *in solio.* Psal. 16: 10. *Quia non derelinques animam meam* לִשְׁאוֹל *in inferno; εἰς ᾅδου*, Act. 2: 27. pro *ἐν ᾅδου* scil. *οἴκῳ*. Hos. 7: 2. *Neque dicunt* לִלְבָבָם *in corde suo*, pro בִּלְבָבָם Ps. 4: 5. Zeph. 2: 15.

*Tùm* de instrumento, ל pro ב, quod Latinè non effertur. Lev. 26: 7. *Cadent*, (inimici vestri) *coram vobis* לֶחָרֶב *ad gladium*, pro בֶּחָרֶב *gladio*, per gladium.

*Tùm* de tempore. [a] Gen. 3: 8. *Et audiverunt vocem Jehovæ Elohim, itantis per hortum* לְרוּחַ הַיּוֹם *in aurâ diei*, h. e. sub vesperam. Theodotio: *ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας*, Chald. למנח יומא *ad quietem diei*, cùm vid. inclinaret dies ad quietem ac finem. Pro רוּחַ legit רֶוַח LXX. *τὸ δείλινον, ad tempus pomeridianum*, vel, ut alii interpretantur, ad crepusculum

[a] In aura diei, Gen. 3.

pusculum vespertinum. Luth. Da der Tag kühle worden war: ubi annotat. Das war umb den Abend / wenn die Hitze vergangen ist. Idem tamen Lutherus in comment. Gen. paulò alieniorem amplectitur sententiam: *Ad auram diei, q. d. erat vox sicut ventus diei: ut emphasis in vocabulo diei sit. Non enim dicit de vento in nocte; ut exaggeret ingentem pavorem, qui peccatum secutus est, q. d. ita pavidi fuerunt, ut in clara luce metuerent à sonitu folii: quid accidisset, si DEUS in tenebris ac nocte venisset? ibi enim terror longè major est. Sicut enim lux animosos facit, ita tenebræ augent pavorem &c.* Sed prior expositio est omnium convenientissima: cui Fullerus lib. 3. cap. 5. hanc, ex Rob. Stephani editione, adjicit notam: *Ad auram diei, h. e. sub vesperam, quo tempore ventus sese attollere, & aspirare solet Zephyrus. Et satis quidem commodè,* (inquit Fullerus:) *Aristoteles enim in probl. observat,* τὸν ζέφυρον πρὸς τὴν δείλην πνεῖν, *Zephyrum vel Favonium (à Virgilio Felicem; ab Horatio Candidum nominatum ac proinde beatis illis Paradisi sedibus accommodatissimum) vespertinis temporibus spirare.* Vide de eadem phrasi Drusium lib. 16. observ. c. 25.

Dan. 2: 1. *Et anno secundo,* לְמַלְכוּת *in regno Nebucadnezaris, somniavit Nebucadnezar somnia &c.* Multùm controversa est hujus *anni secundi* supputatio. Simplicissima sententia est, intelligendum esse annum secundum ab eo tempore, quo primùm Daniel & socii perducti sunt ad Regem, ut coram eo ministrarent, cap. 1: 18, 19. ל igitur non hic genitivi nota est, ut sit, *anno secundo regni Nebucadnezaris:* sed *in* significat; cumque à præcedente membro per accentum Rebhia hæc vox distinguatur, tempus indefinitè notat, quod *in regno Nebucadnezaris,* vel regnante Nebucadnezare hoc factum sit: ejus autem fit mentio, quia versu præcedente Cyri facta fuerat mentio. Vide Junium in notis Bibl. & lect. in Dan. tom. 1. operum col. 1170. itemque Dn. D. Waltherum in harm. Scrip. p. 323.

Sic ל nomini temporis additum, distributionem quandoque notat. Psal. 73: 14. לַבְּקָרִים *in matutinis singulis.* Es. 27. vers. 3. לִרְגָעִים *in momentis singulis.* Ps. 22. v. 31. לְדוֹר *in quaque ætate* seu generatione: dum durat hic orbis.

2. *Inter.* Exod. 12: 2. *Hic mensis erit primus* לְחָדְשֵׁי *inter menses anni.*

3. *Super.* Ps. 9: 5. *Sedisti* לְכִסֵּא *super solio.* Vel etiam, *in solio,* ut supra expositum.

4. *Juxta.* Gen. 49: 13. *Zebulon* לְחוֹף *juxta littus maris habitabit.*

5. *Erga.* 2 Sam. 18: 5. *Leniter mihi,* לַנַּעַר לְאַבְשָׁלוֹם *erga puerum istum, erga Absolomum,* scil. agite.

6. *Secundùm.* Gen. 1: 21. לְמִינֵהוּ *secundùm speciem suam.* Sic v. 24: 25.

7. *Contra.* Prov. 1: 11. *Abscondamus nos* לְנָקִי *contra innocentem.* Sic Zach. 13: 1.

8. *De.* Gen. 20: 13. אִמְרִי־לִי *dic de me.* Gen. 44: 20. *Et ipse solus* (Benjamin) *relictus est* לְאִמּוֹ *de matre sua:* ut Lutherus benè reddidit. Mater enim jam tum mortua erat. Sic c. 26: 7. Exod. 14: 3. 2 Sam. 11: 7. Est. 3: 2. Psal. 3: 3. Ps. 45: 2. Ps. 91: 11. *Nam Angelis suis præcipiet* לָךְ *de te:* περὶ σοῦ, Matth. 4: 6. Sic Prov. 30: 1. Vide notam Junii & Tremellii Es. 41: 7. Jon. 1: 6. Habac. 2: 6.

9. *A* vel *ab.* Exod. 12: 13. *Et non erit in vos plaga* לְמַשְׁחִית *à percussore.* 1 Paral. 1: 13. *Et venit Salomo* לַבָּמָה *ab excelsò, quod erat in Gibeon, in Jerusalem.* Vide & Prov. 24: 23.

10. *Præ* vel *propter.* Num. 16: 34. *omnes verò Israelitæ, qui erant circa illos, fugerunt* לְקֹלָם *præ voce eorum,* seu *propter vocem &c.* Sic Est. 4. v. 14. Es. 36: 9. Hos. 10: 5. cap. 11: 7.

11. *Pro.* ut commodum notat. Exod. 14: 25. *Quia Jehova pugnat* לָהֶם *pro eis.* Sic Num. 25: 13. Jud. 6: 31. Mich. 2: 11.

Et ut *Loco,* seu *vice,* significat. Gen. 11: 3. *Et eis erant lateres* לְאָבֶן *pro lapidibus,* seu *vice lapidum. c. 16: 3. Dedit eam Abrahæ viro suo* לְאִשָּׁה *pro uxore* seu *vice uxoris.* Ex. 4: 16. *Ipse erit tibi* לְפֶה *pro ore; tu verò eris ei* לֵאלֹהִים *pro Deo;* h. e. vice oris, loco Dei.

12. *Cum,* ut auxilium notat. Gen. 31. v. 42. *Nisi Deus patris mei, Deus Abraham, & timor Isaac* הָיָה לִי *fuisset mecum &c.* Psal. 118. v. 6. יְהוָה לִי *Dominus mecum.* Confer. v. seq. (Hebr. 13. v. 6, κύριος ἐμοὶ βοηθός.) Ps. 124. vers. 1, 2. *Nisi Dominus fuisset* לָנוּ *nobiscum;* nimirum in auxilium nostrum. Potest etiam in his verti *Pro.*

Et conjunctionem vel concomitantiam. Gen. 46: 26. *Omnes animæ,* quæ venerunt לְיַעֲקֹב *cum Jacobo in Ægyptum &c.* Confer vers. 7. Junius huc refert Thren. 3: 14. *Sum risui* לְכָל־ *cum toto populo meo.* Sed rectiùs ut nota Dativi exponitur: *Factus sum risui omni populo meo.* Sic & alibi verbum שחק cum ל construitur, eodem sensu, Job. 12: 4. Prov. 10: 23. &c. Dicit autem populus Judæorum לְכָל־עַמִּי *omni populo meo;* tùm ratione *prosapiæ,* ut sunt Moabitæ, Ammonitæ, Edomæi, Kedareni &c. tùm ratione *subjectionis,* 2 Sam. 8: 1. Reg. 4: 21. tùm ratione *confœderationis,* ut Ægyptii, Assyrii, &c. Confer Psal. 137: 7. ubi illusio illa ex parte describitur.

13. *Sicut.* Esa. 1, v. 31. *Et erit fortis* לִנְעֹרֶת *sicut stupa, & opus ejus,* לְנִיצוֹץ *sicut scintilla.*

Thren. 1: 8. *Peccatum peccavit urbs Jerusalem propterea* לְנִידָה *sicut separata* (propter immunditiem) *facta est.*

Obad. v. 18. *Et erit domus Jacob* (velut) *ignis, & domus Joseph flamma, domus autem Esau* לְקַשׁ *quasi stipula:* quæ scil. ab igne facilè consumitur.

14 *Quoad.* Prov. 25: 3. *Ut cœlo* לָרוּם *quoad altitudinem, & terra* לָעֹמֶק *quoad profunditatem; ita animo Regum non est pervestigatio.*

## *Nota* 1.

Præfixum ל casibus etiam nominum distinctis inservit.

1. *Nominativo* inservit in constructione cum verbo substantivo. Ezech. 37: 27. *Et ero illis* לֵאלֹהִים *Deus, & ipsi erunt mihi* לְעָם *populus.* Sic v. 23. & Lev. 26: 17. Confer 2 Cor. 6: 16. Vide Lib. 3. tract. 3. can. 42. §. 2.

2. *Genitivo* inservit, quando rei alicujus auctor memoratur.

Psal. 3: 1. מִזְמוֹר לְדָוִד *Psalmus Davidis.* Sic Habac. 3: 1.

Item possessor. Gen. 32: 18. (Sunt) לְעַבְדְּךָ לְיַעֲקֹב *servi tui Jacobi.* Psal. 24: 1. לַיהוָה *Domini est terra.*

In *Pronominibus primæ & secundæ personæ*, ex demonstrativis fiunt possessiva pronomina in hac locutione. Psal. 50: 10. לִי *mea est omnibus bestia terræ.* Psalm. 119. v. 94. לְךָ *tuus ego sum &c.* Habac. 2: 6. *væ multiplicanti* לֹא־לוֹ *non Sua.* Luth. Wehe dem / der sein Gut mehret mit fremden Gut. Sic c. 1: 6.

Referri huc commode potest locus Deut. 29: 29. *Occulta sunt* לַיהוָה *Domini: sed revelata* לָנוּ וּלְבָנֵינוּ *nostra sunt, & filiorum nostrorum, in seculum, ad faciendum omnia verba legis hujus.* Sensus est: Occulta quæ Deus esse voluit, ea ipsi relinquenda, nec curiosè nimis inquirenda esse. Revelata autem & donata nobis esse in verbo mysteria cœlestia ad salutem æternam, Ps. 147: 19, 20. Hac igitur patefactione acquiescendum, & operam dandam esse, ut ad verbum illud salutiferum vitam conformemus nostram.

Item aliàs. Genes. 7: 11. *in anno sexcentesimo* לְחַיֵּי־נֹחַ *vitæ Nouchi.*

Psal. 121: 1. שִׁיר לַמַּעֲלוֹת *canticum graduum:* quod in Psal. 120: 1. & sequentibus scribitur הַמַּעֲלוֹת.

Ezech. 10: 3. *à de dextra* לַבַּיִת *domus.*

Mich. 4: 8. *Regnum* לְבַת *filiæ Jerosolymorum.*

3. *Dativum* crebrò & communiter constituit. Genes. 21: 7. *Quis dixisset* לְאַבְרָהָם *Abrahamo?* Sic Deut. 9: 5. Psal. 110: 1. &c.

Huc pertinet specialiter, cùm *officium* & debitum notatur. 2 Par. 20: 17. לֹא לָכֶם *non vestrum erit pugnare in hoc: State & videte salutem Jehovæ &c.* q. d. non erit vestrum officium pugnare in hoc bello, tantùm spectatores eritis; Dominus pro vobis pugnaturus est.

Mich. 3: 1. *Annon* לָכֶם *vobis* (sc. incumbit) *scire ipsum jus?* q. d. annon vestrum est?

Prov. 31: 1. (al. 4.) אַל לַמְּלָכִים *non* (convenit) *Regibus bibere vinum:* non debent Reges bibere vinum. Loquitur de avida & voluptuaria vini ingurgitatione, ut sequens ostendit versus. Ita accipitur Psal. 69: 13. phrasis, *bibere siceram.* Sic οἰνοπότης *vinosus.*

Et cùm *causa rei* & scaturigo notatur. Psal. 3: 9. לַיהוָה יְשׁוּעָה *Jehova est salus*, h. e. Jehova est salutis omnis fons & auctor. Sic Jon. 2: 10. Cui conforme est illud Apoc. 7: 10. ἡ σωτηρία τῷ θεῷ ἡμῶν. Nec enim salutem Deo precantur, sed Deum salutis auctorem agnoscunt & prædicant.

4. *Accusativo* etiam quandoque inservit. 2 Sam. 3: 30. *Joab enim & Abisai frater ejus occiderant* לְאַבְנֵר *Abnerum.* Psal. 104: 32. *Qui intuetur* לָאָרֶץ *terram* Jer. 40: 2. *Et recepit præfectus satellitum* לְיִרְמְיָהוּ *Jeremiam.* Hos. 1: 6. *Qui tollendo tollam* לָהֶם *eos:* pro אוֹתָם. Sic Thren. 4: 5. Psal. 69: 6. Est in his enallage Dativi pro Accusativo: de qua videatur Buxt. lib. 2. cap. 12. Reg. 1. Pertinet huc etiam constructio verborum cum Dativo, qui Latinis per accusativum redditur, de qua ibid. cap. 11. reg. 1.

## *Nota* 2.

Præfixum ל, *infinitivo* prælatum, diversimodè exponitur.

1. Per gerundium in *di.* Eccl. 3: 5. *Tempus* לְהַשְׁלִיךְ *projiciendi lapides.* Sic Esr. 10: 13. &c.

2. Per gerundium in *do.* 2 Sam. 13: 2. *Et angebatur Amnon* לְהִתְחַלּוֹת *conficiendo se morbo*, h. e. præ angustiâ conflictabatur morbo.

3. Per gerundium in *dum.* Genes. 3: 23. *Et emisit eum Jehova Deus ex horto Eden*, לַעֲבֹד *ad colendum terram.* Sic Jos. 10: 14. Cant. 5: 5. Ezech. 44: 13.

4. Per infinitivum. Jud. 19: 10. *Noluit vir ille* לָלוּן *pernoctare.* 2 Sam. 14: 10. & *non perget amplius* לָגַעַת *attingere te.*

Ellipsis hîc est verbi finiti, Jud. 1: 19. *sed non* לְהוֹרִישׁ *expellere habitatores ipsius convallis*, scil. potuit, ut Chaldæus supplet.

Amos 8: 4. *Audite hoc, qui deglutitis pauperes* וְלַשְׁבִּית *& succidere pauperes terræ*, scil. cogitatis, vel anhelatis, ut participium præcedens שֹׁאֲפִים

שׁוּפִים repetatur, sed in alia significatione: priùs enim *deglutionis*, pòst, *anhelationis* significatum obtinet. Chald. supplet, מִרְמָן *qui cogitatis*.

Absolutè infinitivus cum ל (ut in illo: *Didicisse fideliter artes emollit mores &c.*) usurpatur Thren. 3: 34. לְדַכֵּא *conterere* (crudelem hominum) *sub pedibus suis omnes vinctos terræ; v.* 35. לְהַטּוֹת *detorquere jus viri &c.* v. 36. לְעַוֵּת *pervertere hominem in causa sua.* Quam sententiam complet, quod sequitur: *Dominus annon videret?* & sic etiam puniret?

5. Per participium, Jos. 2: 5. *Et erat porta* לִסְגּוֹר *claudenda.* 2 Sam. 18: 3. *Si nunc melius erit, si fueris nobis ex urbe,* לַעְזוֹר *ad opitulandum* h. e. opitulans; seu si ex urbe nobis succurreris, nempè consilio & precibus tuis, ut Hebræi explicant. Quidam vocem מֵעִיר *ex urbe*, ut participium Hiphil ab עיר exponunt, *excubans*, hoc sensu: *Si fueris nostri causâ excubans*, seu *pervigil ad ferendam opem.* Sed prior explicatio simplicior est.

6. Per nomen. Gen. 25: 32. *Ecce ego vado* לָמוּת *ad moriendum*, h.e. ad mortem.

2 Paral. 16: 13. *Anno quadragesimo primo* לְמָלְכוֹ *regnare sui*, seu *regni sui*. LXX. τῆς βασιλείας αὐτοῦ.

Notetur etiam, præfixum ל periphrasi adverbii inservire.

Id quod fit, quando præfigitur.

1. *Nominibus.* Exempla sunt superiùs tradita, Lib. 3. tract. 5. can. 1. ferè circa finem, ex Jud. 18: 7. Job. 36: 31. quibus adde Mich. 7: 14. לְבָדָד *solitariè.* [a] Et notetur inprîmis locus Cantic. 7: 9. (al. 6: 19.) ex versione Junio-Tremellianâ: *Palatumque tuum, ut vinum* (odoris) *optimi*, הוֹלֵךְ לְדוֹדִי לְמֵישָׁרִים *iens ad amores, ad rectitudines*, h. e. *movens se amantissimè rectissimeque.* In notis eorundem est (1.) collatio cum Prov. 23: 31. *Nec respicito vinum cum rubescit, cùm exhibet in poculo colorem suum,* יִתְהַלֵּךְ בְּמֵישָׁרִים *itat ad rectitudines*, h. e. *continenter movetur rectissimè*: speciem ambulantis in poculo exhibet, & servet suâ generositate atque exilit, quæ rectissima sunt generosi vini indicia, (2.) Explicatio vocis לְדוֹדִי *ad amores.* Eam euphoniæ causâ truncatam postremâ literâ esse per apocopen, pro לְדוֹדִים uti cap. 7: 6. (al. 8: 2.) רִמֹּנִי pro רִמֹּנִים *gravatorum.* 2 Reg. 11: 19. הַכָּרִי pro הַכָּרִים *primores*, sic & v. 4. לַכָּרִי) Psal. 144: 2. עַמִּי pro עַמִּים. Hæc illi. Intelligitur autem allegoriâ isthac doctrina pura & salvifica Euangelii, quæ & alibi vino oderato & optimo confertur, Es. 55: 1. Joël 3: 18. Zach. 9: 17. &c.

2. *Verbo infinitivo.* [b] Quò pertinet Mich. 7: 3. *ut male faciant ambæ manus* לְהֵיטִיב *strenuè* seu *valdè.* Propriè est, *benefaciendo.* Notandum quippe הֵיטִיב infinitivum, si adverbiascit, intendendi significationem obtinere, & idem esse ac *valdè, diligenter, strenuè, operosè.* Deut. 9: 21. *molendo* הֵיטֵב *benefaciendo*, h. e. insigniter, omni studio & operâ. Loquitur de commolitione aurei vituli. Deut. 17: 4. *inquiras benefaciendo*, h. e. diligentissimè. Sic cap. 19: 18. cap. 27: 8. 2 Reg. 11: 18. In posito verò exemplo insuper malitiæ exaggerandæ (quæ bonitatis contrarium est) adhibetur. Quò refertur à R. Kimchi Jon. 4: 4. 9. הַהֵיטֵב *an benefaciendo ira est tibi*, h. e. an ita valdè iratus es. Kimchi זה הלשון לחזק ענין *vox isthac adhibetur ad augendam seu confortandam significationem.*

## Nota 3.

Præfixum ל *quandoque* deest, *quandoque* redundat.

I. Deest 1 Sam. 5: 8. גַּת *ad Gad abducatur vel devolvatur arca Dei Israelis:* pro לְגַת. 1 Sam. 16: 16. *Dicat quæso Dominus noster* עֲבָדֶיךָ *ad servos tuos, qui coram te sunt:* pro לַעֲבָדֶיךָ.

2 Sam. 15: 31. וְדָוִד *& Davidi nunciatum est*, pro וּלְדָוִד.

Psal. 45: 7. *Solium tuum, ô Deus,* עוֹלָם *in seculum & sempiternum*, pro לְעוֹלָם ut vers. 3. dicitur.

Ps. 119: 33. *Et custodiam eam* עֵקֶב *in finem*, pro לְעֵקֶב LXX. διὰ παντός. Chald. עַד גְּמִירָא *usque ad consummationem.* Sic v. 112. ubi Chald. habet עַד סוֹפָא *usque ad finem.* [a Cant. 7: 9.]

Eccl. 12: 13. *Deum time & mandata ejus custodi; quia hoc* כָּל־אָדָם pro לְכָל *omni homini*, scil. convenit, secundùm not. 1. §. 3.

Jer. 23: 17. וְכֹל *& omni ambulanti ex sententia animi sui dicunt &c.* pro וּלְכֹל.

Hos. 7: 16. *Revertuntur, non* עָל pro לְעָל *ad Excelsum*, h. e. ad verum Jehovam. Vide & Thren. 3: 2.

Quandoque ex antecedenti membro repetendum est. Gen. 41: 12. *Interpretatus est* לָנוּ *nobis somnia nostra,* אִישׁ *cuilibet secundùm somnium suum*: pro לְאִישׁ. Deut. 33: 4. *legem præcepit* לָנוּ *nobis Moses: hæreditatem* קְהִלַּת *congregationi Jacobi*: pro לִקְהִלַּת.

II. Redundat. Et hoc diversimodè, pro ratione vocum.

1. Quando *nomini* præfigitur, & nominativus simpliciter intelligitur.

1 Paral. 3: 2. *Tertius* לְאַבְשָׁלוֹם *Absalom.* Confer 2 Sam. 3: 3. ubi sine ל est.

1 Paral. 5: 2. *Quia Juda fortissimus fuit inter fratres suos,* וּלְנָגִיד מִמֶּנּוּ *& Princeps ex eo*, scil. egres- [b Mich. 7: 3.]

ª De Vau conversivo.

egressurus erat: q. d. illi erat promissum regnum. Quidam non incommodè Messiam intelligunt, qui ex tribu Juda venturus erat.

1 Par. 28: 21. לְכָל־נָדִיב *Omnes spontanei in sapientia, ad omne ministerium, & Principes & omnis populus in omnibus verbis suis*, scil. aderunt tibi, seu te adjuvabunt. c. 29: 5. לַזָּהָב *aurum ad aurum*, וְלַכֶּסֶף *& argentum ad argentum:* pro הַזָּהָב *aurum*, הַכֶּסֶף *argentum*, ut v. 2. dicitur.

Es. 32: 1. *En justè regnaturus est Rex*, וּלְשָׂרִים *& Principes jure principatum gerunt.*

Esa. 63: 2. אָדֹם לִלְבוּשֶׁךָ *rubrum est vestimentum tuum.*

Jer. 30: 12. אָנוּשׁ לְשִׁבְרֵךְ *desperata est confractio tua.* Sequitur locutio συνώνυμος sine ל. נַחְלָה מַכָּתֵךְ *ægerrima est percussio tua.* R. Kimchi הלמ"ד במקום העצם ויספיק זולתה *Lamed litera est loco ipsius nominis, & sufficeret* (sententiæ) *sine ipsâ.* Ibidem Kimchi alia duo exempla adducit.

2. Quando *præpositionibus* emphaticè subjungitur. Gen. 1: 6. בֵּין מַיִם לָמָיִם *inter aquas ad aquas*, h. e. inter aquas unas & alteras. Ibid. v. 7. מִתַּחַת לָרָקִיעַ *sub expanso.* cap. 22: 9. מִמַּעַל לָעֵצִים *supra ligna.* cap. 35: 21. מֵהָלְאָה לְמִגְדַּל *ultrà turrim Eder.* Plura vide in thes. Buxt. l. 2. cap. 20. p. 525.

3. Quando *vocibus indeclinabilibus* præfigitur. 2 Reg. 19: 15. *Nonne audivisti* לְמֵרָחוֹק *à longinquo?* 1 Paral. 15: 1. לְמִבָּרִאשׁוֹנָה *inde à principio.* Ubi prætereà pleonasmus præfixi ב est, & מ irregulariter cum pathach loco hirec est. Jer. 7: 7. לְמִן *à seculo & usque in seculum.* Sic cap. 31: 34. &c.

Hag. 1: 9. *Et ecce* לִמְעָט *parùm.* Malach. 3: 7. לְמִימֵי *inde à diebus.* Emphaticè.

## Observatio VII.

*De conjunctione præfixa* ו.

SIgnificatio primaria est copulativa, ET. Genes. 1. v. 1. *In principio creavit Deus cœlum* וְאֵת הָאָרֶץ *& terram*; v. 2. וְהָאָרֶץ *& terra erat inanis &c.*

Esa. 6: 9. *Audite audiendo, & non intelligite*, וּרְאוּ *& videte videndo, & non scietis &c.*

Notetur verò, copulativam non semper distinguere illud, cui præfigitur, ab eo, quod antecessit, tanquam diversum, sed sæpè præfigi istis hemistichiis, quibus idem repetitur aliis verbis, quod Rabbini vocant כפל ענין במלות שונות Ut Ps. 8: 7. *Quid est homo? &c. & filius hominis? &c.*

ᵇ וַנִּירָם Num. 21.

Specialiter observandum, quòd præter copulandi usum, in verbis significationes commutet, præteriti in significationis futuri, & contrà. ª Sicut igitur à priori usu ab Hebræis vocatur ו"ו חבור *Vau copulationis;* sic ab hoc altero dicitur ו"ו ההפך *Vau conversionis.* De hoc Vau conversivo nota.

1 Punctatio ex Grammat. Hebræa nota est. Ante *præteritum* retinet scheva, vel aliàs consuetâ ratione illud mutat. Exod. 12: 23. וְעָבַר *& transibit Dominus.* Esa. 19: 16. וּפָחַד *& expavescet*, וַעֲבַדְתֶּם *& servietis &c.* Quando autem conversivum sit, præterito additum, ex contextu eruendum. Quandoque nota ejus est accentûs ex penultimâ in ultimam trajectio, in primâ & secunda singul. De quo Buxt. l. 2. cap, 21. p. 538. Ante *futurum* notatur cum pathach, sequente Dages, quod ex א primæ personæ sing. characteristicâ exclusum (quia gutturalis est) producit pathach in Cametz. Exod. 12: 27. וַיִּקֹּד *& inclinavit se*, 1 Reg. 8: 24. וָאֶבְנֶה *& ædificavi*, De aliis huc pertinentibus vide Buxt. d. l.

2. Interdum tale conversivum, cum pathach, sequente Dages, tantùm copulat, non verò convertit. Esa. 5: 15. וַיִּשַּׁח *& deprimetur homo*, וַיִּשְׁפַּל *& humiliabitur vir.* Sequitur: *Et oculi alti humiliabuntur.* vers. 16. וַיִּגְבַּהּ *& extolleretur Dominus Zebaoth in judicio*, Sic c. 22: 7. seqq.

3. Contrà alibi Vau conversivum, tàm in futuro, quàm præterito convertit solum, non verò copulat. Gen. 22: 4. *In die tertiâ* וַיִּשָּׂא *sustulit Abraham oculos suos &c.* Exod. 12: 15. *Omnis comedens fermentatum* וְנִכְרְתָה *exscindetur anima illa ex Israel.* 2 Paral. 9: 1. *Regina autem Sabæ audiens famam Salomonis*, וַתָּבוֹא *venit, ut tentaret &c.* Num. 14: 37. וַיָּמֻתוּ *mortui sunt homines illi &c.* Sic Jer. 28: 7. Sic initiis librorum. Ruth. 1: 1. וַיְהִי *fuit.* Hîc nullum alium, nisi conversionis usum exhibet, (Notetur, in libro Ruth omnes versus à ו incipere, exceptis octo) de quo plura inferiùs in pleonasmo. Drusius addit & hæc: Esa. 28: 18. *Flagellum inundantis, cùm pertransibit*, וִהְיִיתֶם *eritis ei conculcationi.* Quidam verò vertunt, *tunc.* Esa. 56: 5. וְנָתַתִּי *dabo in illis in domo meâ &c.* Quidam vertunt *etiam* Obad. vers. 8. וְהַאֲבַדְתִּי *perdam sapientes ex Edomæa &c.* Quidam vertunt *quùm* (*quùm perdidero sapientes*) sequitur enim v. 9. וְחַתּוּ *&* (vel *tunc*) *terrebuntur potentes tui &c.*

4. Observanda hîc etiam vox dubia Num. 21: 30. ᵇ וַנִּירָם, quam aliqui ut *nomen cum affixo* pronomine interpretantur. Chald. וּמַלְכוּ *& regnum:* voce נִיר *lucerna*, metaphoricè acceptâ, ut Psal. 132: 17. explicante R. Salomone

Luth.

Luth. Ihre Herrligkeit; eâdem metaphorâ. Hieronymus, quem sequitur Arias Mont. *& jugum eorum*, נִיר enim Chaldæis & Syris *jugum* est. LXX. τὸ σπέρμα αὐτῶν: acceperunt vocem נִיר *lucerna*, metaphoricè pro semine seu posteritate, uti accipitur 1 Reg. 11:36. Alii verò ut *verbum futuri temporis* cum Vau conversivo accipiunt. Pagninus, *& projicimus eos*. R. Aben Ezra והטינם כאשר ירינו אותם אבד חשבון *sensus est, postquam jaculis confecimus eos, periit Hesbon*. Ponit tamen & alteram significationem nominalem. Buxtorff. & Junius hunc sequuntur יָרָה (ex quo נִירָם est, in futuro, נ nota primæ pluralis; ה radicalis ultima abjecta, & loco ejus affixum ם adpositum est) utrumque significat, *& projicere, & ejaculari*, seu *jaculis petere*. Verbum esse, non nomen, tùm punctatio præfixi ו (quæ in nominibus, hac formâ in usu non est) tùm simile verbum in hoc versu ostendit, וַנַּשִּׁים *& desolavimus*, quod in Hiphil est, à שמם. itidem cum ו conversivo in futuro. Est נִירָם sicut נִינָם *deprædabimur eos*, Psal. 74: 8.

*Aliæ significationes.*

Late hoc præfixum varietate significationum diffunditur, & per omnes ferè orationis partes vagatur, unde *Proteus* quidam à nonnullis appellatur. *Interjectionis* q. vicem sustinere conjunctionem Græcam καί, suprà dictum tract. 7. can. 3. in fine. Jam reliquas orationis partes (in quibus copulativæ ו usus obtinet) retrogrado ordine perlustrabimus.

## I. CONJUNCTIO.

In conjunctionum classe ו significationem obtinet.

1. Copulativæ, *etiam*. Prov. 24: 27. *Apta foris opus tuum, & para illud in agro tibi, posteà* וּבָנִיתָ *etiam extrues domum tuam*.

Esa. 24: 22. *Et colligentur collectione, vincti in foveam, & occludentur in claustro*, וּמֵרֹב *etiam post multos dies visitabuntur*. Sensus est, sceleratos illos, quos divina justitia in lacum conjecerit, post multos etiam dies fore torquendos, h. e. nunquam futurum esse pœnarum terminum. Loquitur de visitatione iræ, non gratiæ. Quidam conferunt v. 21. ubi oppositio fit *inter exercitum excelsum in excelso, & inter reges terræ super terrâ*; ubi per exercitum illum intelligunt Diabolos in aëre regnantes, Eph. 2: 2. qui cum damnatis hominibus in æternum cruciabuntur.

Hos. 8: 6. *Quia ab Israel* וְהוּא *etiam ipse est*, scil. vitulus Samariæ, in Dan & Bethel positus, de quo v. 5. & in fine v. 6.

Quidam addunt 1 Paral. 4: 15. *Filii autem Elah* וּקְנַז *etiam Kanaz*. Jun. & Trem. *Secundum Kenaz*. Verùm cùm primi filii non extet mentio, rectiùs R. Salomo & David Kimchi existimant, Vau Schurec ad ipsum nomen pertinere, & vocatum hunc esse *Ukenaz*. De uno autem dici, *filii*, in plurali, non inusitatum est in libro hoc Chronicorum, Vide & Genes. 46: 23. &c.

2. Conditionalis, *Si*. Exod. 12: 13. וְרָאִיתִי *si videro sanguinem, tunc transibo &c.*

Lev. 10: 29. וְאָכַלְתִּי *si comedissem hostiam peccati hodiè, an bonum esset &c.*

Jud. 6: 13. וְיֵשׁ *si est Jehova nobiscum, unde evenerunt nobis omnia hæc?*

3. Disjunctivæ, *aut*. Ex. 12: 5. *Ex ovibus* וּמִן *aut ex capris accipietis*.

Exod. 21: 15. *Qui percutit patrem suum* וְאִמּוֹ *aut matrem suam, morte morietur*. ὁ κακολογῶν πατέρα ἢ μητέρα, θανάτῳ τελευτάτω, Matth. 15. v. 4.

Lev. 6: 3. וְנִשְׁבַּע *aut juraverit falsò &c.* Ita accipiendum esse, ex initio v. 5. patet.

Deut. 17: 9. *Et adibis ad Sacerdotes Leviticos*, וְאֶל *aut ad judicem &c.* v. 12. pro hoc habetur אוֹ *aut*. Distincta esse munera, ex reipsâ constat.

2 Sam. 2: 19. *Nec declinabit eundo ad dextram* וְעַל *aut ad sinistram*. v. 12. per אוֹ, *aut*, exponitur.

Prov. 30: 8. רֵאשׁ וָעֹשֶׁר *paupertatem aut divitias ne dederis mihi*.

Esa. 7: 6. *Ascendamus contra Judæam, ut fatigemus eam, & dividemus inter nos*, וְנַמְלִיךְ *aut præficiamus Regem in eâ, filium Tabeelis*: q. d. aut certè, si non poterit inter nos convenire de regno partiendo, communi nomine præficiamus illi Regem. Sic Ezech. 44: 22.

Huc pertinet illud Jud. 11: 31. *Et erit, qui egreditur è foribus domus meæ in occursum meum, cùm revertar in pace à filiis Ammon.* וְהָיָה לַיהוָה וְהַעֲלִיתִיהוּ עוֹלָה *aut erit Jehovæ, aut offeram illud in holocaustum*: h. e. aut consecrabitur Jehovæ, & cultui divino dicabitur, ut perpetuò serviat Domino, si scil. sit homo; aut immolabitur, si scil. sit animal, quod ex lege immolari possit. Non fuisse in sacrificium oblatam & combustam filiam Jephtha, multa persuadent: & vers. 39. quid fecerit ei pater, perspicuè dicitur: *Et fecit de eâ votum suum quod voverat* (quodnam illud?) *& ipsa non cognovit virum*, h. e. perpetuæ virginitati addicta, & Deo dicata permansit: Unde & quotannis ei collo-

cutæ esse quatriduo dicuntur filiæ Israelis, v. 40. Confer D. Frantz. de interpr. Script. orac. 71. ubi & D. Brentii auctoritas adducitur.

Sic si ו repetatur. Exod. 21. v. 16. *Et qui furatus fuerit hominem*, וּמְכָרוֹ וְנִמְצָא *sive vendiderit eum, sive deprehensus fuerit in manu ejus, morte plectitor*. Confer Amama in Bibl. Antibar. p. 703.

4. Adversativæ, *sed*, *autem*. Genes. 3. v. 2. וּמִפְּרִי *sed de fructu &c.* Sic cap. 30: 30. c. 42: 10. Exod. 13: 18. c. 14: 8. Esa. 9: 9, 10. c. 29: 13. (Confer. Matth. 15: 8.) cap. 35: 5. Zach. 8: 19. Malach. 1: 2. 3. Ex N. Test. exempla videantur tract. 7. can. 11.

*Tamen*. Psal. 44: 18. *Totum hoc evenit nobis*, וְלֹא *nec tamen obliviscimur tui*.

Prov. 21: 1. *Ut undiquaque viâ suâ vir rectus videatur in oculis suis;* וְתֹכֵן *tamen perpendit animos Jehova*. Vide & Exod. 5: 16. Job. 3: 26. Jon. 2: 6.

Sic in N. T. καὶ. Phil. 4: 10. *Gavisus sum autem in Domino valdè, quòd jam tandem refloruistis, ut pro me soliciti sitis; ἐφ' ᾧ καὶ, quâ de re tamen soliciti eratis, sed opportunitas deerat vobis. καὶ pro μέντοι.*

*Quamvis*. Gen. 18: 27. *Ecce nunc cuperem loqui ad Dominum* וְאָנֹכִי *quamvis ego sim pulvis & cinis*. Sic c. 48: 14.

2 Sam. 9: 11. וּמְפִיבֹשֶׁת *quamvis Mephibosetb comederet mensam meam, veluti unus de filiis Regis*, q. d. nihil hactenus defuit illi, alui enim eum regio apparatu, quemadmodum ali solent filii Regum, h. e. lautissimè. Sic & Paral. 30. vers. 19.

Zach. 12: 8. *Ponam Jerusalem lapidem oneris omnibus gentibus* וְנֶאֶסְפוּ *etiamsi congregentur contra eam omnes gentes.*

Sic Act. 7: 5. *Non dedit ei possessionem in eâ, ne vestigium quidem pedis, καὶ quamvis pollicitus esset se illam daturum ei &c.* Luc. 18: 7. *Deus autem annon vindicabit electos suos clamantes ad ipsum die ac nocte, καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς, etiamsi iram differat super ipsis?* h. e. quamvis tardus videatur in ulciscendis ipsorum injuriis. Sic Heb. 3: 9.

5. Causalis, *quia*. Gen. 2: 19. וַיִּצֶר *nam formaverat Jehova Elohim &c.* Genes. 20. vers. 3. *Ecce tu morieris propter hanc mulierem*, וְהִיא *quia est juncta marito*. Sic cap. 30: 27. Psal. 60: 12. Ps. 108: 13.

Esa. 39: 1. *Misit Merodac literas &c.* וַיִּשְׁמַע *quia audierat, quòd ægrotâsset & convaluisset*. 2 Reg. 20: 12. כִּי *quia* ponitur. Sic Esa. 33: 11. c. 64: 4. In N. T. Luc. 6: 32. καὶ *nam si diligitis eos, qui vos diligunt &c.*

Pontificii huc referunt illud Gen. 14. v. 18. וְהוּא *erat enim Sacerdos Altissimi* ut vulgata versio habet. Sed manet hic copulandi significatio, quia Sacerdotalis dignitas Regali in Melchisedeco connectitur. Videatur D. Meisn. Phil. sob. part. 2. p. 602.

Causalis *UT*. Exod. 7: 26. *Dimitte populum meum*, וְיַעַבְדֻנִי *ut serviat mihi*. LXX. ἵνα μοι λατρεύσῃ. Sic c. 5: 1.

1 Sam. 20: 16. *Et pepigit Jonathan cum familia Davidis* (fœdus) וּבִקֵּשׁ *ut requireret Jehova de manu inimicorum Davidis*, h. e. si qui hoc. fœdus cum ipso initum frangerent, & ex amicis fierent inimici.

Thren. 1: 19. *Quærunt escam sibi*, וְיָשִׁיבוּ *ut reficiant animam suam*. cap 3: 26. טוֹב וְיָחִיל *bonum est, ut expectet, & silens sit ad salutem Jehovæ.* Jon. 1: 11. *Et dixerunt ad eum, quid faciemus tibi*, וְיִשְׁתֹּק *ut conticescat mare?* Sic & Esa. 53: 2. Hos. 2: 2.

6. Conclusiva, *itaque*. Amos 5: 27. וְהִגְלֵיתִי *itaque deportabo vos &c.* Sic Psal. 2: 10. Ezech. 18. ult. Hos. 11: 6. In Nov. Test. Marc. 16: 12. cap. 10. 26. 1 Cor. 5: 12. cap. 6: 2. cap. 12: 26. Gal. 4. v. 7. Hebr. 3. v. 19. 1 Joh. 2. v. 28.

## 2. *Præpositio.*

Conjunctio ו pro עִם *cum*, quandoque ponitur.

Gen. 46: 1. *Et profectus est Israel*, וְכָל *cum omnibus, quæ erant ei.*

1 Sam. 14: 19. *Quia erat arca Dei illâ die* וּבְנֵי יִשְׂרָאֵל *cum filiis Israël.* Chald. per עִם *cum*, vertit.

2 Sam. 8. ult. *Et Benaja filius Jehojadah* וְהַכְּרֵתִי *cum Cerethæo & Pelethæo*, scil. erat; h. e. præerat Cerethæis & Pelethæis. cap. 20: 23. ponitur in eadem locutione עַל *super*. Contra עִם pro ו ponitur, de quo vide tract. 7. can. 1.

## 3. *Adverbium.*

In adverbiorum classe præfixum ו significationem habet quandoque.

1. Temporis; *Tunc*. Gen. 3: 5. *Novit Deus, quòd, si comederitis*, וְנִפְקְחוּ *tunc aperientur oculi vestri.* Sic cap. 18: 10. Exod. 7: 9. Lev. 26: 2. 1 Sam. 12: 15.

In N. T. Luc. 2: 15. *Et cùm discederent ab eis Angeli in cœlum, καὶ tunc pastores dicebant inter se.* Cap. 21: 25. καὶ ἔσται, *tunc erunt signa in Sole & Lunâ &c. Tunc*, videl. postquam exacta fuerint tempora gentium, v. 24. Transit Christus ab excidio Hierosolymitano ad futuri & extremi judicii prædictionem.

*Donec*. Gen. 18:4.5. *Innitimini sub arbore istâ*, וְאֶקְחָה *donec accipiens afferam frustum panis*. 1 Sam. 14: 25. *Maledictus vir ille*, *qui comederit cibum usque ad vesperam*, וְנִקַּמְתִּי *donec ultionem sumsero de inimicis*.

*Quùm*, *quando*. Gen. 47:30. וְשָׁכַבְתִּי *cùm dormiero cum patribus meis*, וּנְשָׂאתַנִי *tùm tolles me ex Ægypto*. Neh. 2: 6. *Et misit me*, וָאֶתְּנָה *cùm* seu *postquam dedissem ei tempus*; h. e. cùm certum tempus reditus mei ipsi designâssem. Zach. 7: 2. וַיִּשְׁלַח *cùm misisset* (populum) *in Domum Dei Sarezer & Regem-melech*. Sic Marc. 15: 25. Vide & Exod. 16: 20. Zach. 14: 4.

2. Quantitatis. Jer. 3: 5. (al. 2: 42.) *Ecce loqueris & perficis ista mala*, וַתּוּכָל *quantùm potes*. Chald. וְאַסְגֵּית *& multiplicas*. R. Kimchi, בְּכָל־יְכָלְתֵּךְ *in omni potentia tua*, seu quantum potes.

3. Comparandi; *Sic*. Et vocatur ו הַשְׁוָאָה *Vau adæquationis*. 1 Sam. 12: 15. *Tùm erit manus Jehovæ contra vos*, וּבַאֲבֹתֵיכֶם *ut contra patres vestros*. Chald. כְּמָא דַהֲוָה בַּאֲבָהָתְכוֹן *quemadmodum fuit contra patres vestros*. Alii aliter explicant, sed hæc interpretatio simplicissima est & tutissima.

Prov. 10: 25. *Sicut transit turbo*, וְאֵין *sic non est* (vel perit) *improbus*. Sic cap. 17: 3. cap. 25: 23, 25, 26. &c.

Esa. 53: 7. *Velut ovis coram tonsoribus suis obmutescit*; וְלֹא *sic non aperit os suum*. οὕτως οὐκ ἀνοίγει τὸ στόμα αὐτοῦ, Actor. 8: 32. Vide & Amos 8: 7.

Sic Matth. 6: 10. *Sicut in cœlo & in terrâ*, h. e. sic in terrâ. Vide & Act. 7. vers. 51. Joh. 20: 21.

4. Corrigendi, *imò*, *quin*. Psal. 7: 5. *Si intuli malum mecum colenti pacem*, וָאֲחַלְּצָה *quin eripui hostiliter insequentem me immeritò*. Est amplificatio sermonis Davidis à contrario, cujus veritatem vide 1 Sam. 24. v. 6. seqq. cap. 26: 9.

Prov. 6: 16. *Sex ista odit Jehova*, וְשֶׁבַע *imò septem sunt abominatio animæ ejus*. Vide tract. 7. can. 3.

Sic Actor. 7: 43. καὶ ἀνελάβετε, *imò bajulâstis tabernaculum Moloch &c.*

5. Explanandi, *nempè*. Jerem. 40: 8. *Et venerunt ad Gedalim in Mizpa*, וְיִשְׁמָעֵאל *nempe Ismael &c.*

Ezech. 40: 9. וְאֵלָם *nempe vestibulum*.

4. *Verbum*.

Referimus huc, quando præfixum ו significationem habet.

1. Vocis, *inquam*, quæ rem dictam repetit & explicat. Gen. 14: 23. *Si accepero à filo usque ad corrigiam calceamenti*, וְאִם *si inquam*, *accepero ex ulla re*, *quæ tua sit &c.* Es. 55: 1. *Heus*, *quisquis sitit*, *venite ad aquas*, *& cui nulla est pecunia*, *venite & comedite*: וּלְכוּ *venite*, *inquam*, *comparate absque pecuniâ & absque precio vinum & lac*. Es. 57: 17. *Propter iniquitatem quæstus ejus efferbui & percussi eum*, הַסְתֵּר וְאֶקְצֹף *abscondendo me*, *inquam*, *efferbui &c.*

2. Vocularum, *id est*, cùm aliquid clariùs exponitur.

Gen. 35: 12. *Tibi dabo eam*, וּלְזַרְעֲךָ *id est*, *semini tuo post te*, *dabo hanc terram*. Sic Actor. 7: 5.

Levit. 5: 1. *Et anima cùm peccaverit*, וְשָׁמְעָה *id est*, *audierit vocem juramenti &c.*

Num. 31: 6. *Et vasa sancta* וַחֲצֹצְרוֹת *id est*, *tubæ clanguris in manu ejus*.

1 Sam. 17: 40. *Et posuit eos* (lapides) *in instrumento pastorali*, *quod erat sibi*, וּבַיַּלְקוּט *id est*, *in perâ &c.* cap. 28: 3. *Et sepeliverant eum in Rama*, וּבְעִירוֹ *id est*, *in civitate suâ*. Sic 2 Sam. 17: 12.

Es. 57: 18. *Et reddam consolatione ei*, וְלַאֲבֵלָיו *id est*, *lugentibus ejus*.

Jer. 34: 21. *Etiam Zedekiam & Principes ejus tradam in manum inimicorum*, וּבְיַד *id est*, *in manum copiarum regis Babyloniæ*, *quæ abiverunt à vobis*. Sic Hos. 2: 15. Zach. 1: 4.

Sic Matth. 13: 4. *Mittet filius hominis angelos suos*, *& colligent de regno ejus omnia scandala*, καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν, *id est*, *qui faciunt iniquitatem*.

Joh. 10: 53. *Ob bonum opus non lapidamus te*, *sed ob blasphemiam*, καὶ, *id est*, *quia tu*, *homo cùm sis*, *facis te ipsum Deum*. Sic Coloss. 2: 8.

Polanus in syntag. Theol. lib. 1. cap. 45. refert huc Joh. 3: 5. *Nisi quis fuerit genitus ex aquâ* καὶ πνεύματος, *id est*, *Spiritu*: vel ex aqua, quæ est Spiritus sanctus. Ita & Calvinus lib. 4. inst. cap. 16. sect. 25. & alii. Sed de Baptismo regenerationis organo, & de ejusdem causâ Principe, Spiritu sancto, hîc à Christo agi, & utrumque vocibus *aquæ & Spiritus* conjungi, *tùm* ex contextu, *tùm* ex locis parallelis dilucidè constat. Tit. 3. 5. Vide Dn. D. Gerh. tom. 4. loc. de Bapt. §. 102. 103.

Ex profanis huc referunt illud Hesiodi lib. 1. ἔργ. ἄστρου καὶ κυνὸς ἀρχομένου. Et Virgilii 1. Æn.: *Judicium Paridis*, *spretæque injuria formæ*. h. e. judicium Paridis, id est, spretæ injuria formæ &c.

*5. Pronomen.*

Præfixum ו quandoque pro *relativo* pronomine ponitur. Vide tract. 2. can. 15. Hos. 8:4. 13. Joël. 2:3. Mal. 3:1. Confer Matth. 11:10.

## *Nota.*

Præfixum ו *quandoque* redundat.

1. Deest. 1 Sam. 4:8. *Hi sunt illi Dii, qui percusserunt Ægyptios in omni plagâ,* בַּמִּדְבָּר *in deserto;* pro וּבַמִּדְבָּר *& in deserto,* ubi scil. Ægyptii submersi sunt &c. Chald. addit aliqua verba: *Et populo suo in deserto fecit mirabilia.* R. Joseph Kimchi (notante filio ejus Davide Kimchi) מִדְבָּר significatione illâ accipit, quam habet Cant. 4:5. (al. 3.) וּמִדְבָּרֵךְ *& eloquium tuum decorum est:* ut sit sensus: *Hi sunt Dii, qui percusserunt Ægyptum omni plagâ,* בַּמִּדְבָּר *verbo suo,* q. d. qui solo verbo suo percussit Ægyptios.

Psal. 133:3. *Ut ros Hermonis,* שֶׁיֹּרֵד *qui descendit super montes Sionis,* h. e. & qui descendit. Quomodo enim (si non subaudias copulativam) ros montis Hermon in montes Zionis, à quibus longè distat, descendere potest? Quidam, hanc ellipsin non attendentes, per Hermon *cœlum* intelligunt, sed incongruè & sine exemplo.

Esa. 63:11. *Et recordatus est dierum seculi,* מֹשֶׁה עַמּוֹ *Mose, populi sui,* h. e. & populi sui.

Habac. 3:11. שֶׁמֶשׁ יָרֵחַ *Sol, Luna stetit,* h. e. Sol & Luna.

2. Redundat, & quidem 1. quando solùm convertit futurum in præteritum, & contrà, non verò copulat. Cujus exempla vide suprà de Vau convers. §. 2.

2. Quando aliis vocibus præfigitur. Gen. 20:16. וְאֵת כֹּל וְנֹכָחַת *& cum omnibus correpta fuit;* cum omnibus illis, quæ ipsi, Abrahamum esse fratrem suum prædicanti, evenerunt cum Abimelech & Pharaone, correpta, redarguta & erudita fuit Sara; ne ampliùs diceret, Abrahamum esse suum fratrem. Chald. *Et super omni, quod dixerat, redarguta fuit.*

Lev. 7:16. (al. 6.) *Et die postero* וְהַנּוֹתָר *reliquum ex eo comedetur.*

2 Sam. 13:20. *Et consedit Tamar,* וְשֹׁמֵמָה *desolata in domo Absalomi fratris sui.*

2 Sam. 15:34. *Servus patris tui* וַאֲנִי מֵאָז *ego jamdiu* fui, *& nunc,* וַאֲנִי *ego servus tuus* sum.

Job. 23:12. *Præceptum labiorum ejus* וְלֹא *non dimovi.* Vel est trajectio verborum: *Et non dimovi præceptum &c.*

Psal. 4:4. וּדְעוּ *Scitote,* vel *cognoscite, Jehovam separâsse sibi &c.* Quidam vertunt, *autem.*

Eccles. 5:6. *Quia in multitudine somniorum* וַהֲבָלִים *vanitates.*

Esa. 9:7. וְלָכֵן *Idcircò ecce Dominus faciet, ut ascendant &c.*

Amos 4:10. *Et feci, ut ascenderet fœtor castrorum vestrorum* וּבְאַפְּכֶם *in nasum vestrum.*

Sic Matth. 9:10. *Et factum est, discumbente eo in domo,* καὶ ἰδοὺ, *ecce multi publicani &c.* Vide & cap. 28:9. Luc. 23:51. Joh. 6:51. Act. 1:10. 1 Cor. 10. v. 6, 9. Confer. v. 7, 8. 1 Joh. 1:3. Jac. 2:4.

3. Est & pleonasmus hujus literæ in initiis librorum, capitum, & quarumlibet omninò sententiarum, ubi non copulat, sed inchoat sermonem, ex usu & proprietate linguæ. Incipiunt enim ab hac literâ liber *Exodi, Levitici, Josuæ, Judicum, Ruth, uterque Samuelis & Regum, secundus Paralip. Esræ, Ezechielis, Jonæ.* Usitatissimum etiam est, historicas narrationes incipere à וַיְהִי *& fuit.* Sunt capita, quorum singuli ferè versus ab hac litera initium ducunt, ut in libro Ruth videre est. Kimchi id appellat ו״ תְּחִלַּת הַדְּבָרִים *Vau principii verborum.* Vide de eo Buxt. lib. 2. thes. cap. 21. August. in Psal. 4. tom. 8. *Hoc locutionis genus familiare est illi linguæ, quâ Prophetæ locuti sunt,* (ut conjunctione utatur, cùm nil præcessit annectendum.) *Nam sæpe invenis ita cœptum; Et dixit Dominus ad illum: & factum est verbum Domini ad illum: Quæ junctura conjunctionis, cùm sententia non præcesserit, cui sequens connectatur, mirabiliter fortassis insinuat, prolutionem veritatis in voce, cum eâ visione, quæ fit in corde, esse conjunctam &c.* Sed hoc præter rem videtur dici.

Tantum de doctrinâ PRÆFIXORUM.

*PRÆFIXAM optato cursu contingere metam*
*Qui cupit, abstineat crimine, dura ferat.*


1 Cor. 9:24, 25.

*Οὕτω τρέχετε, ἵνα καταλάβητε. πᾶς δὲ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται.*

TRACTA-

# TRACTATUS II.

# DE FIGURIS GRAMMATICIS.



Ntermixtæ quidem superioribus subinde sunt figuræ, quas Grammaticas vocant, quales sunt *ellipsis*, *pleonasmus*, *enallage &c.* Quia verò non omnia, notatu digna, commodè inseri potuerunt, igitur distincto tractatu de prætermissis illis agere hic lubet. Sunt autem figuræ Grammaticæ potissimùm quinque: 1. *ellipsis*, 2. *pleonasmus*, 3. *enallage*, 4. *hypallage*, 5. *synchysis*.

## DE ELLIPSI.

Ellipsis constitui potest *triplex*: 1. cùm *plane non* extat in textu, quod supplendum est. 2. cùm extat quidem, sed *implicitè*, in voce conjugatâ, contrariâ vel analogâ. 3. cùm extat *explicitè*, sed in præcedentibus vel sequentibus, unde repetendum est.

Prima ellipseos species spectat vel voces *singulas*, vel *connexas*.

In *singulis* vocibus est ellipsis 1. *nominis*, 2. *verbi* & *participii*; (de particularum ellipsi hinc inde dictum superiùs: neque quicquam ulteriùs hîc addendum occurrit.) In *connexis* vocibus, vel *ejusdem* orationis membri verba quædam desunt; vel *integrum* orationis connexæ membrum. De his igitur in observatis sequentibus.

### Observatio I.

#### *De ellipsi Nominis.*

Ellipseos nominis (quatenus cum verbo construitur; de ellipsi enim in constructione cum nomine alio, vel substantivo vel adjectivo, suprà suo loco dictum) triplex est:

1. *Nominativi*, verbum præcedentis. Gen. 3: 1. *Et dixit mulieri*, scil. Diabolus, in serpente: cujus mentionem omittit Moses, & rem solùm adspectabilem (ut Evæ esse videbatur) nominat synecdochicè.

Gen. 14: 20. וַיִּתֶּן־לוֹ *& dedit ei decimam de omnibus*. Dedit, scil. Abraham. Aben Ezra: *Abraham obtulit decimam in honorem Dei, & non invenit hominem dignum, cui eas daret, ut Melchizedeck.*

Gen. 41: 13. *Et fuit, ut interpretatus est nobis; sic fuit seu evenit: me* הֵשִׁיב *restituit in statum meum, illum verò suspendit*, scilic. Pharao. Confer cap. 40: 13, 19, 21, 22. Quidam ad Josephum referunt, hoc sensu: *Joseph me restituit in statum meum*, h. e. restituendum me prædixit: *Et illum suspendit*, h. e. suspendendum prædixit, (juxta tract. 3. can. 15.) sed altera explicatio textui magis convenit, in quo non de prædictione, sed de ejus eventu agitur.

2 Sam. 3: 8. *Fuit autem Sauli concubina, nomine Ritzpa, filia Ajæ;* וַיֹּאמֶר *& dixit ab Abner, quare congressus es cum concubina patris mei.* Dixit, scil. Isboseth, ut ex v. 9. colligitur. Vide 2 Sam. 21: 8.

2 Sam. 24: 1. *Et incitavit Davidem*, scil. Satan seu adversarius, quæ vox 1 Paral. 21: 1. completur.

1 Reg. 1: 6. *Et ipsum* יָלְדָה *pepererat post Absalom*, pepererat scil. Haggith, ex 2 Sam. 3: 4. Sermo est de Adoniiah filio Davidis.

a 1 Reg. 18:26. de altari Eliæ.

a 1 Reg. 18:26. *Insultârunt in altare, quod fecerat*, scil. Elias. De Baalitis sermo est, qui post meridiem, furorem Propheticum simulantes v. 2, 9. altari ab Elia Propheta confecto insultarunt, ut ipsum everterent, provocati nimirum sarcasmis Eliæ, qui v. 27. subjiciuntur. Et hæc causa est, quod v. 30. de Elia dicitur, quod *curaverit* seu restaurârit *altare Jehovæ, quod dirutum erat*, videl. ab insultantibus illis prophetis. Cujus altaris extructio, speciali mandato DEI facta, v. 31, 32. per hysterosin subjicitur. Ita Junius & Tremellius. Cæteri interpretes plerique פסח significatione *claudicandi* accipiunt, uti v. 21. *& claudicabant circùm altare* (vide hîc glossam marginalem B. Lutheri) quorum interpretationi videtur obstare; 1. particula על quæ non significat *circùm*. 2. Singularis numeri verbum עשה *fecerat*, quod ad Baalitas commodè referri nequit, cùm in antecedentibus & sequentibus, pluralis numeri verbis, eorum semper mentio fiat. 3. Sanatio seu restauratio altaris diruti; cujus altaris & extructio & destructio à quo, & quando facta fuerit, non potest ratione aliâ commodè ostendi. Quod enim ex R. Kimchi Munsterus dicit: *Putant altare illud priùs à Saul in monte illo extructum, quod cultores Baal deinde diruerunt, qui passim in montibus illis excelsa construxerunt, ubi Domino exercituum filii Israel ante templi extructionem sacrificia obtulerunt.* Id, inquam, incertum est, nec ex 1 Sam. 14:35. de monte Carmelo (in quo ista acciderunt) quicquam ostendi potest: quin & planè novum altare in nomine Domini extructum fuisse ab Eliâ, dicitur v. 31, 32. quod cum veteris cujusdam altaris sanatione & reparatione conciliari non posse videtur. Tandem notetur, Chaldæum etiam interpretem favere priori interpretationi: transfert enim; *insaniebant adversus altare, quod fecerat*, hoc est, insanientium more illi insultabant.

Job. 3: 2. *Utinam periisset dies, quo nascitutus eram; & nox* אמר (quâ) *dixit, conceptus est mas*, Dixit, scil. parens. Quidam ad tract. 3: can. 23. referunt, Dixit, scil. quisque, seu dictum est. Sed hoc naturæ rei non convenit.

Ibid. v. 19. *Quare* יתן *dat ærumnoso lucem? & vitam amaris animo?* Dat, scil. Deus. Ejus enim est dare lucem & vitam.

Job. 7:4. *Si decumbo, tunc dico, ecquando surgam?* ומדד *& metitur vesperam*, scilic. לבבי cor meum. R. Levi: *Vult dicere, metitur cor meum longitudinem noctis, propterea quòd omninò capere somnum nequeo &c.*

Psal. 34: 18. צעקו *clamant, & Dominus exaudit &c.* Clamant scil. justi seu credentes, quorum etiam v. 16. facta fuerat mentio.

Psal. 50:3. *Et in circuitu ejus* נשערה *tempestate commovebitur valdè*, scil. terra. Ideò enim verbum fœmininum est.

Psal. 105:40. שאל *petivit, & adduxit coturnices.* Petivit, scil. populus.

Prov. 22. vers. 27. *Si non sit tibi, quod reddas, quare* יקח *acciperet cubile tuum à te*, scil. creditor.

Cant. 1: 2. ישקני *Osculetur me osculo oris sui*, scilic. Sponsus meus jucundissimus: quo Christus intelligitur. Non explicat Sponsa, quis sit, cujus oscula petit, quia putat omnibus id notum esse.

Esa. 26: 1. *Salutem disponit muris, & præmunitioni*, scil. DEUS. Vide & cap. 38: 13.

Jer. 8:4. *Si converteretur, annon* ישוב *revertetur*, scil. DEUS.

Thren. 4. vers. 16. *Rationem Sacerdotum non habent, senibus non faciunt gratiam*, scil. hostes eorum. Chaldæus supplet, עמיא רשיעיא *populi improbi*.

Ezech. 46:12. *Si parabit princeps voluntarium, & tum aperiet ei portam, quæ spectat orientem.* Aperiet, scil. Sacerdos.

Amos 4:7. *Et altera portio, super quam non* תמטיר *pluit* &c. scil. העב *nubes* quæ vox in genere fœmin. (uti verbum fœmin. est) usurpatur 1 Reg. 18:44.

Zach. 7:2. *Cùm misisset in domum DEI Sarezerum, & Regem-Melechum, & viros suos, ad deprecandam faciem Jehovæ.* Misisset, scil. populus, redux nimirum & in Judæa versans. Vide hæc contra aliorum opiniones confirmata in Bibliis Junii & Tremellii: itemque in Comment. D. Tarnovii. super h. l.

Actor. 13: 29. *Cumque consummâssent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento*, scil. Joseph Arimathæus & Nicodemus, Luc. 23:50. seqq. Johan. 19: 38. seqq.

1 Johan. 5. v. 16. *Petet, & dabit ei vitam*, scilic. Deus. Vide & Matth. 5: 11, 15. Luc. 6: 38.

Ex prophanis huc referunt; Plutarch. καὶ διὰ τοῦτο μητέρα τῶν μουσῶν ἐμυθολόγησαν εἶναι τὴν μνημοσύνην. Subint. ποιηταί. Catull. *Ut solatiolum sui doloris credunt, cum gravis acquiescit ardor.* Credunt, scil. homines.

2. *Accusativi* verbum sequentis.

Exod. 23: 5. *Relinquendo relinquens*, scil. rem tuam. Confer Chald.

1 Sam. 20: 16. ויכרות *& pepegit Jonathan cum familiâ Davidis*, sc. fœdus. Ita & cap. 22. vers. 8. 1 Reg. 8: 9. Integra autem phrasis extat Deut. 5: 2.

2 Sam. 6: 6. *Et venerunt usque ad aream Naconis*,

*conis*, וַיִּשְׁלַח *& extendit Usa ad arcam DEI*, manum suam, ut complete dicitur Exod. 9. vers. 15.

1 Paral. 16: 7. *Tunc eodem die tradidit David primum, ad celebrandum Jehovam &c.* tradidit, sc. Psalmum hunc, cujus videl. verba statim subjiciuntur.

a Job 24: 6. *In agro* (messem) *non suam demetunt*. Ita Junius & Tremellius. In Hebræo est בְּלִילוֹ, quod cum Chaldæo interprete & Aben Ezra vertunt, *non suam*, ac si esset בְּלִי לוֹ duabus voculis. Alii autem ut unam vocem (uti scriptione ipsâ est) accipiunt, vertentes; *in agro pabulum suum metunt*, seu proventum suum. Pagninus: *in agro segetes suas messuerunt*. Raschi per יבולו, *proventum suum;* Ralbag. per תבואתו ejusdem significati, exponit. cap. 6: 5. idem nomen extat: Ad quem locum, quæ in Lexico Schindleri col. 202. Chaldæi interpretis lectio & interpretatio ponitur, ad eum pertinet, qui paulò antè adductus. Sphalma igitur illud emendandum.

Job. 38: 10. *Et diffregi pro eo, decreto meo*, scil. terram; id est, alveos ejus (maris) exaravi, & circummunivi: sequitur enim; *& adposui vectem & valvas* &c. R. Levi cum Chaldæo שבר significatione *decernendi* (cum decreti vox sequatur) accipiunt: sed ea insolens in scripturis est.

Psal. 44: 11. *Et odio habentes nos* שָׁסוּ *diripuerunt sibi*, scil. opes nostras. Ibid. v. 13. *Vendidisti populum tuum multis divitiis*, וְלֹא־רִבִּיתָ *& non multiplicasti preciis eorum*, sc. rem tuam.

Psal. 103: 9. *Neque in seculum* יִטּוֹר *servabit*, sc. iram. Sic & Nah. 1: 2. Jer. 3: 5, 12.

Psal. 25: 18. וְשָׂא *& aufer omnibus iniquitatibus meis*, sc. reatum. Sic & in aliis locis, quibus נָשָׂא de peccato dictum, cum ל construitur, & de condonatione ejus accipitur, Genes. 50. vers. 17. Exod. 23. vers. 21. 1 Sam. 25. vers. 28. &c.

Psal. 129: 6. *Erunt tanquam fœnum tectorum, quod, antequam extrahat, exaruit.* Extrahat, scil. falcem: vel antequam extrahatur falx. Subest enim hic idiotismus verbi activi pro passivo, tract. 3. can. 23.

Jer. 16: 7. *Neque partientur illis in luctu*, scil. cibum. Sensus est: Comites, qui funus prosecuti fuerint, non conficient silicernium, seu cœnam, quâ veteres, funus executi, utebantur, ad consolandos proximos & necessarios mortui: quæ verba doctissimorum interpretum sunt. Confer Ez. 24: 17. Hanc explicationem R. Kimchi suo etiam parenti adscribit (estque ea sequentibus verbis conformis, in quibus *populi consolationis* mentio habetur) ipse verò פרס significatione *expandendi* accipit, cùm expansio manuum & complexio earum in luctu usitata fuerit.

Luc. 9: 52. *Ut pararent ei*, scil. hospitium.

Act. 9: 34. *Surge, & sterne tibi ipsi*, scil. lectum vel stratum.

Act. 10: 10. *Factus est autem valdè esuriens, & voluit gustare*, scil. cibum. Monet hic Beza, γεύεσθαι non tam *gustare*, quam τὸ ἐσθίειν καὶ φαγεῖν *vesci*, significare: Fortassis etiam γεύσασθαι non ineptè converti, *prandere*. Secundùm Eustathium enim in lib. ὀδυσσ. β. τὸ ἄριστόν ἐστι τὸ κοινῶς λεγόμενον γεῦμα. Sequitur in textu: *Parantibus autem illis*, scil. cibum.

a Job. 24: 6. בְּלִילוֹ.

1 Cor. 7: 17. *Sed unicuique sicuti ἐμέρισεν, distribuit, Deus*, scil. donum.

1 Pet. 2: 23. *Committebat justè judicanti*, scil. ἑαυτὸν, seipsum: vel, ut alii, τὴν αἰτίαν αὐτοῦ *causam suam*. Syrus legit, τὴν κρίσιν αὐτοῦ, *judicium suum*.

3. *Cujuscunque nominis alius.*

Genes. 4: 11. *Maledictus esto* (exul) *ab ista terra, quæ aperuit os suum &c.* Ellipsin præpositio ἀσύντακτος demonstrat, & explet Cain vers. 14.

2 Reg. 25: 3. *In nono* (die) *mensis*, scil. quarti, quæ ellipsis completur Jer. 52: 6.

Psal. 119: 56. זֹאת הָיְתָה־לִּי *hæc est mihi*, scil. consolatio, *me mandata tua custodire.* Luth. supplet, *thesaurus*.

Esai. 2. vers. 6. *Quia pleni sunt præ Oriente*, scil. malis.

Ezech. 13: 18. *Væ consuentibus pulvillos pro omnibus axillis* יָדַי *manuum mei*, h. e. *brachiorum populi mei:* ut *manus* synecdochicè pro toto brachio usurpetur; & inter nomen ac affixum ellipsis vocis *populi* statuatur. Ita Junius & Tremell. in not. ad h. l. Hoc verò cùm insolens esse videatur, placet magis R. Salomonis & Kimchi sententia, יָדַי per apocopen pro יָדַיִם *manus* esse positum, ut חַלֹּנֵי *fenestræ*, שְׂדֵי *agri* &c. vide supra initio tract. 2. Et ita Chaldæus, יְדִין *manus*.

Ezech. 40: 30. *Nam vestibula erant circumquaque longitudine viginti quinque cubitorum, & latitudine* חָמֵשׁ אַמּוֹת *quinque cubitorum*, hoc est, *quinque* decadum *cubitorum*. Ellipsin denarii numeri Junius & Tremellius hîc ponunt, ex collatione vers. 21, 25. qualem etiam observârunt 2 Sam. 8: 4. & cap. 10: 17. Quod autem longitudinis & latitudinis voces in dictis vers. 21, 25, 30. permutantur, id pro ratione itineris Prophetæ factum esse dicunt: qui per portam meridianam vers. 28. ingressus esse dicitur, à qua rectâ tendens ad finem usque vestibuli, spacium illud numerat in longitudine; structuram verò, quæ ad latera portæ utrinque erat, ponit in latitudine.

Matth.

Matth. 28: 1. ὀψὲ δὲ σαββάτων (hoc est *cùm jam transisset hebdomas*, seu *Sabbatum*: sicut dicitur ὀψὲ τῆς ἡμέρας, ὥρας, ἡλικίας, *transacta die, hora, ætate*: διαγενομένου τοῦ σαββάτου habet, Marcus c. 16: 1.) τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, *illucescente in primam hebdomadis*, scil. ἡμέρᾳ *die*: vel, ut alii, ὥρᾳ *hora*: Sensus est: die vel horâ illâ, quæ illucescebat, ut esset dies primus hebdomadis: μίαν, pro, πρώτην, ut Genes. 1: 5. 1 Corinth. 16: 2. Confer Marc. 16: 9.

Act. 18: 22. ἀναβὰς, *ascendens* scil. Hierosolymam. Quod Syrus expressit.

Rom. 9: 11. *Nondum enim natis, neque quicquam facientibus*, scil. pueris.

Specialiter, deesse quandoque vocem τὶς vel τινὲς, *quidam*, exemplis patet, Matth. 23: 34. Luc. 11: 49. Joh. 16: 17. Actor. 21: 16. Huc refert Casaubonus locum Actor. 6: 7. Πολύς τε ὄχλος τῶν ἱερέων ὑπήκουον τῇ πίστει: quem ita legit: πολύς τε ὄχλος, καὶ τῶν ἱερέων ὑπήκουον τῇ πίστει: τῶν ἱερέων, pro τινὲς τῶν ἱερέων: ut sit sententia, multam populi turmam credidisse, & aliquos etiam è Sacerdotibus, *Nam insolens* (inquit) *videtur, ut dicatur Sacerdotum multa turba doctrinam Christi veram, propter hoc factum, esse amplexa &c.*

Ponunt & ellipsin vocis alius, particularitatem denotantis, *aliquid, aliquot* Obad. vers. 5. *Si vindemiatores introiissent ad te, nonne reliquissent racemos*; scil. aliquot.

Marc. 2: 1. δι' ἡμερῶν *post dies*, scil. aliquot. Sic Genes. 4: 3. מִקֵּץ יָמִים *à fine dierum*.

Marc. 2: 21. *Tollit ex vetere*, scil. aliquid. Sic Matth. 9: 16. &c.

## Observatio II.

### *De ellipsi verbi & participii.*

1. DEest quandoque in sermone sancto *verbum*.

Gen. 25: 28. *Quia venatio in ore ejus*, scil. ערב dulcis vel grata erat. Luth. Er aß gern von seinem Wildprat.

Num. 16: 28. *Et non ex corde meo*, scil. confinxi ea. Seu, *non à me ipso* scil. veni.

1 Sam. 19: 3. *Tum ego loquar de te patri meo, & videbo, quid* scil. respondeat: *atque renunciabo Tibi.*

2 Sam. 4: 10. *Qui* (scil. venerat) *ut darem ei præmium nuncii.*

a Ellipsis verbi cavere.

1 Reg. 14: 6. *Ego verò missus sum ad te* קָשָׁה *durum*, subint. לְהַגִּיד ad nunciandum. Chald. *ad prophetandum contra te verba dura*. R. Salomo nomen subintelligit: בשליחות קשה *missione durâ*.

2 Reg. 25: 4. *Omnesque viri bellatores* (scilic. fugerunt) *nocte per viam portæ &c.* Confer Jer. 52: 7.

1 Paral. 15: 13. *Quia principio vos non*, scil. fecistis hoc.

2 Paral. 13: 10. *Nos autem Jehovam DEUM nostrum*, scil. habemus.

Esr. 10: 14. *Usque dum hæc res*, scil. confecta sit v. 19. *Et reatum confitentes, arietem ex grege pro reatu suo*, sc. obtulerunt.

Neh. 2: 1. *Fuit verò mense Nisan, anno vigesimo Artaxerxis regis*, יַיִן לְפָנָיו *vinum in conspectum ejus*, h. e. cùm afferendum esset vinum. Raschi: הביאו *attulerunt vinum coram Rege in atrium.*

Job 4: 6. *Annon religio tua, spes tua, expectatio tua, & integritas viarum tuarum*, scil. perdurabit seu constabit. Confer præcedentia.

Job. 39: 16. *An pennam ciconiæ aut struthiocamelo*, scil. dares?

Prov. 6: 26. *Propter mulierem meretricem usque ad frustrum panis*, scil. devenitur, vel veniet homo. Id quod vulgò dici solet, *in domo adulteri paupertas.*

Cant. 8. ult. *Accurre, dilecte mi, & similis esto capreæ, aut hinnulo cervorum*; (qui versaris) in *montibus aromatum* h. e. in cœlis. Similis conclusio, ut Apoc. 22: 20. *Etiam veni, Domine JESU, Amen.*

Jer. 19: 1. *Abi, & compara lagenam figuli testaceam*, וּמִזִּקְנֵי *& de senioribus populi, & de senioribus Sacerdotum*, scil. adhibe, vel tecum ducito. Chald. וְתִדְבַּר עִמָּךְ *& duces tecum.* R. Kimchi תוליך עמך *facies ire tecum*; ex v. 10. *& frangite ipsum lagenam ante oculos illorum hominum*, ההולכים *qui ituri sunt tecum.*

Hos. 14. vers. 9. *Ephraim*, scilic. dicit: uti Chaldæus supplet. Verba pœnitentium ponuntur.

Amos 3. vers. 11. צר *hostis*, scilic. venturus est: *Et in circuitu terræ*, scilic. positurus est castra.

Rom. 2: 8. *Contentiosis & inobedientibus ira & indignatio*, scil. dabitur, ex v. 6. Sequitur v. 9. *Tribulatio & angustia super omnem animam operantem malum*, scil. veniet. v. 10. *Gloria autem & honor, & pax omnis operanti bonum*, scil. obtinget vel reddetur à Domino.

2 Cor. 9: 6. τοῦτο δὲ sc. φημὶ, *hoc autem* dico, *qui serit parcè &c.*

Gal. 5: 13. *Vos ad libertatem vocati estis; tantùm ne libertatem in occasionem carni*, sc. arripite, vel eâ abutimini. Plura de ellipsi verbi vid. supr. tract. 3. can. 56.

*In specie*, a ellipsis verbi *cavere* frequens est in

in tali locutione: *Cavendum est* (*cave*, *cavete*, *caveamus &c.*) *ne hoc vel illud fiat &c.* Gen. 3: 22. cap. 11: 4. cap. 26: 7, 9. cap. 31: 31. cap. 42: 2. Exod. 13: 17. Deut. 29: 18. 1 Sam. 13: 19. cap. 27: 11. 2 Reg. 2: 16. Neh. 4: 12. Job 36: 18.

[a] Item verbi *dicere*, dum aliorum verba μιμητικῶς recensentur, 1 Reg. 20: 34. Psal. 2: 3. Eccles. 4: 4. (al. 8.) Es. 3: 7. cap. 14: 8. cap. 16: 4. cap. 18: 5. cap. 22: 13. cap. 24: 14. Jer. 8: 19. cap. 11: 19. cap. 30: 6, 17. cap. 49: 10. Thren. 3: 41. &c. De quo plura in Rhetor. sacrâ.

Huc pertinet ellipsis verbi ad *particulam*; vel præcedentem, Act. 5: 4. τί ὅτι ἔθȣ ἐν τῇ καρδίᾳ σȣ τὸ πρᾶγμα τȣ̃το; τί scil. γέγονεν, *quid est*, *quòd posuisti in corde tuo hanc rem?* Completur hæc ellipsis Joh. 14: 22.

Vel sequentem; Ante particulas enim *Si* & *ne*, ellipsis quandoque verbi est, *ut videret*: seu *visurus*. Marc. 11: 13. *Et videns ficum à procul, habentem folia, venit*, εἰ ἄρα *si inveniret quid in eâ*: h. e. ut videret, an inveniret &c. Vide notam Junii ad h. l.

2. Quandoque deest *participium*. Num. 24: 19. *Et dominabitur ex Jacob*, scil. natus.

1 Sam. 15: 7. *Et percussit Saul Amalek*, (habitantem) *inde à Chavila, usque quà venis Schurem, qui est è regione Ægypti*. Non describitur terminus, quem depopulatus est Saul, sed regio, quam occupabant, qui Sauli occurrerant: non enim omnes Amalekitæ: sed isti tantùm cæsi sunt, ut apparet ex cap. 30.

Psal. 49: 17. *Tanquam pecudes* (ubi) *in sepulchro dispositi fuerint, mors depascet eos, donec dominentur eis recti illo manè: & formam eorum consumat infernus* (receptam) *ex habitaculo ejus*. Ita Junius & Tremellius, de resurrectione ex mortuis, hunc & sequentem versum, explicantes. *Donec dominentur*, videl. in Christo, cujus regni participes futuri sunt recti. *Illo manè*, videl. quo resurgent pii quasi ex nocte sepulcri, cùm videlicet Sol justitiæ orietur, Christus, secundo adventu suo, Mal. 4. *Formam*, id est, materiam hanc corpoream & adspectabilem, de integro animæ suæ adunatam. *Ex habitaculo ejus*, id est, sepulcro, communi corporum humanorum sede, usque ad diem resurrectionis, Job 30: 23. In sequenti versu resurrectionis credentium & piorum mentio sequitur.

Ezech. 23: 8. *Scortationes suas* (delatas) *ab Ægypto non dereliquit*. Vide Junii notam.

[b] Act. 13: 20. Καὶ μετὰ ταῦτα, ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις πεντήκοντα, scil. γενόμενα, *& post hæc, circiter 450 annis*, scil. facta, *dedit judices; usque ad Samuelem Prophetam*, Numerus positus respicit antecedentia in sermone Pauli, cujus initium est, *electio Patrum*, v. 17. terminus, *distributio terræ Canaan*, v. 19. Electio cœpit eo tempore, quo Deus Ismaelem separans, Isaacum semen promissionis posuit, & in illo cum posteritate ejus fœdus pepigit, Gen. 17: 6, 7, 19, 21. Ab illo igitur anno (fuit autem unus ante natum Isaacum cap. 17: 1. cap. 21: 5.) ad tempus usque distributionis terræ Canaan per Josuam Ducem & Judicem, plenariæ, decurrerunt anni 450. minus uno; ad quod indicandum, ὡς particula additur. Hæc simplicissima videtur conciliatio Chronologica, ut ad corruptionem in textu statuendam non opus sit confugere. Vide Junium in parall. lib. 1. par. 95.

[a] Et verbi dicere.

Præsertim ad nomina, quæ *motum loci* denotant. Es. 57: 8. *Quia* מֵאִתִּי *à me* (scil. discedens) *discooperuisti*, videl. turpitudinem tuam &c. Ezech. 11: 11. *In terminum Israelis* (scil. disjectos) *judicabo vos*. cap. 16: 28. *In Chaldæam* scil. discurrens. Mich. 3: 3. *& ossa illorum confringant, & concidant, quasi* (scil. injicienda) *in lebetem, & velut carnes intra ollam*. cap. 5: 7. *Tanquam imbres* (decidentes) *super terram*. Marc. 7: 4. *Et à foro nisi loti fuerint, non edunt*. A foro scil. venientes. Ibid. v. 17. *Et cùm introiisset domum à turba*, scil. digressus. 2 Thess. 1: 9. *Qui pœnam pendent æterni exitii, à facie Domini* scil. expulsi. Hebr. 2: 3. εἰς ἡμᾶς, *in nos* (scilic. allata,) *confirmata fuit*; εἰς in, pro πρὸς, *ad*: vide suprà tract. 6. can. 5. §. 6. Eâdem ratione (tùm ratione particulæ εἰς, tùm ratione ellipseos participii) explicat Junius illud 1 Cor. 10: 2. *Et omnes* εἰς τὸν Μωσῆν, *ad Mosen baptizati sunt*. Ad Mosen scil. venientes sive accurrentes, eumque tanquam protostatem, ut Oecumenius vocat, sequentes diligentissimè &c. parall. 2: 36.

## Observatio III.

*De ellipsi verborum quorundam in eodem orationis membro.*

2 Reg. 19: 9. *Audivit autem, de Thirhaka Rege Cusch, dicendo: Ecce egressus est, ut pugnet tecum: & reversus est, misitque legatos ad Hitzkiam &c.* Hic quædam sunt subintelligenda, hoc modo: *Quod cum audisset, soluta obsidione Libnæ* (v. 8.) *vertit exercitum in Regem Chus sive Æthiopiæ; quo devicto rursum obsedit Jerusalem &c.*

[b] Conciliatio loci Actor. 13. cum chronologia.

2 Reg. 22: 18. *Sic dixit Jehova DEUS Israelis: Verba quæ audisti*: subintell. eventura quidem

dem erant. Sequitur v. 19. *Quia autem emollitum est cor tuum &c.*

1 Par. 18: 10. *Et omnia vasa aurea & argentea & anea*, scil. בְּיָדוֹ הָיוּ *in manu ejus fuerunt:* uti 2 Sam. 8: 10. hæc ellipsis completur.

1 Par. 28: 21. *Et ecce turma Sacerdotum & Levitarum in omni ministerio domus Dei*, scil. aderunt tibi. Sequitur וְעִמְּךָ *tecum inquam erunt, in omni opere &c.*

Ezech. 47: 13. *Hic terminus est, quo possessores constituetis vos hujus terræ, per duodecim tribus Israelis;* יוֹסֵף חֲבָלִים *Josepho funiculis*, scil. duobus attributis. Chald. *Joseph accipiat duas partes*, unam videlicet pro Manasse, alteram pro Ephraimo, uti R. Salom. addit.

Matth. 25. v. 9. *Responderunt autem prudentes, dicendo: Ne non sufficiat nobis & vobis &c.* Ante hæc verba subintelligendum, οὐδαμῶς; βλεπτέον γὰρ, *nequaquam, videndum enim est* (deinde rectè sequitur) *ne non sufficiat nobis & vobis: Abite autem potiùs ad mercatores, & emite vobis.*

Marc. 14: 49. *Sed ut impleantur Scripturæ*, h. e. sed hoc ita fit, ut impleantur Scripturæ. Confer Matth. 26: 56. Sic & Joh. 15: 25. talis ellipsis occurrit.

Luc. 1. v. 17. *Ut convertat corda patrum ad filios:* subintell. & corda filiorum ad patres eorum: quæ ellipsis completur Malach. cap. 4. ult. Notatur autem concordia spiritualis in regno Messiæ, cujus fundamenta jecit Johannes Baptista.

Joh. 2: 18. *Quod signum ostendis nobis, quòd hæc facis?* h. e. quòd tu es Messias, qui ista facis? q. d. jam auctoritatem tibi vindicâsti, neque adhuc debere tibi hanc, probatum dedisti: nondum probâsti, te esse Messiam illum à Deo missum, cui hæc faciendi potestas competit. Non de facto dubitabant, quod ante oculos videbant, sed de auctoritate ejus, qui ista αὐτοκρατορικῶς feciebat (neque enim simplicis Prophetæ erat, domum DEI tantâ auctoritate purgare) unde signum petunt, ex quo constare possit, eum esse, quem præ se ferebat ipse, & quem illi expectabant. Similis ferè ellipsis conspicitur. Jud. 6: 17. *Si inveni gratiam in oculis tuis, facies mihi signum* שָׁאַתָּה מְדַבֵּר עִמִּי *quòd tu loqueris mecum*, h. e. quòd tu es Jehova, qui locutus mecum ista fuisti: de speciali scil. ad ducatum populi Israelitici vocatione.

Joh. 4: 1. *Ut ergò cognovit Jesus, quòd audierant Pharisæi, quòd Jesus plures discipulos faciat & baptizet, quàm Johannes.* v. 3. *Reliquit Judæam &c.* Quod audierant Pharisæi, subint. *& quòd ægrè ferrent seu commoverentur, eique exitium moliri cœpissent.* Hoc enim vera discessus Christi causa erat.

Joh. 9: 2. *Rabbi; quis peccavit? hic, aut parentes ejus? ut cœcus nasceretur.* Peccavit, scil. *tale ac tantum peccatum, propter quod cœcus is natus sit?* Cæterùm, cùm absurdum videatur, quòd quærunt, an ipse cœcus peccato aliquo commeritus sit, ut cœcus nasceretur (qui enim peccare potuit nondum natus?) igitur Piscator in h. l. statuit, niti hanc quæstionem falsâ illâ opinione de migratione animarum ex uno corpore in aliud, nempè ex corpore morientis in corpus nascentis: ut ita quærentes putârint, forsan hanc animam propter præcedentia (in priori corpore) peccata, μετεμψυχώσει factâ, in corpus cœci detrusam esse. Confer Matth. 14: 2. cap. 16: 14. in quem locum Drusius in annot. N. T. part. 2. pag. 32. *Sapientes Mecar*, h. e. *scrutatores hujus seculi aut rerum naturalium, videntur in ea opinione fuisse, in quo olim fuerunt Pythagorici, de traductione sive translatione animarum in aliud corpus, quam vocant μετεμψύχωσιν, in quâ sententiâ & PLATO fuisse putatur, reprehensus eo nomine ab ATHENÆO. Sic & hîc fortè crediderunt, animam Eliæ aut Jeremiæ, aut Johannis Baptistæ, vel denique unius è Prophetis rediisse in ipsius* (Christi) *corpus.* Vide eundem præter. 1. p. 36.

1 Cor. 9: 4. *An non habemus potestatem vescendi ac bibendi?* scilic. Ecclesiæ sumtu. Hoc nisi subintelligatur, inepta erit oratio. Subintelligendum autem esse, sequens Apostoli διήγησις ostendit.

Gal. 2: 9. *Dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem*, scilic. Apostolico munere fungeremur.

Huc pertinet illa in narratione historicâ ellipsis, quando desunt voces μεταβάσεως, *& dixit; at ille dixit &c.* Cujus exempla sunt 2 Reg. 10: 15. Luc. 19: 26. Joh. 1: 21. &c.

## Observatio IV.

*De ellipsi integri in oratione connexâ membri.*

IN oratione seu propositione connexâ quandoque *prius*, quandoque *posterius* membrum deest.

1. *Prius* membrum deest. Matth. 16. vers. 7. *At illi cogitabant inter sese, dicentes: quia panem non accepimus.* Deest hîc prius propositionis discipulorum membrum, nempè: *Ita Christus loquitur, quia panem non accepimus.* Sic in vers. 8. *Quid cogitatis inter vos, pusilli*

fidei

*fide* (quòd hæc dixerim) *eò quod panes non accepistis?*

Marc. 3: 30. *Quoniam dicebant: Spiritum immundum habet.* Deest prius membrum, cum v. 23. aptandum, hoc modò: *Hæc igitur dicebat illis, quoniam dicebant, seu eò quòd dicerent, spiritum immundum habet.*

Luc. 9: 13. *Ipsi verò dixerunt, non sunt nobis plus quàm quinque panes & duo pisces: nisi nos profecti emamus huic populo escas.* Deesse hic membrum aliquod, planum est. Quod ita suppleri potest: *Non sunt nobis plùs quàm quinque panes & duo pisces: Itaque non possumus eis dare, quo vescantur, nisi fortè profecti &c.*

Joh. 5: 6, 7. *Dixit ei Jesus, visnè sanus fieri? Respondit ei ægrotus: Domine hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, projiciat me in piscinam.* Deest prius sermonis membrum: *Omninò volo, & hac de causâ hic expecto motum aquæ: sed non habeo hominem &c.* Oratio ἐλλελειμμένη perturbatum hominis miseri animum arguit.

Rom. 15: 3. *Nam & Christus non sibi ipsi placuit, sed, ut scriptum est, opprobria opprobrantium me ceciderunt super me.* Deest; *sed studio placendi DEO omnia mala tulit, ita ut ipsi verè acciderit, quod scriptum est &c.*

2 Thess. 2: 3. *Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit defectio primùm, & revelatus fuerit homo peccati &c.* Deest orationis membrum prius: *Non adveniet dies Christi, seu dies extremus, nisi prius venerit defectio &c.*

2. *Posterius* membrum deest, quod ἀνανταπόδοτον vocatur.

Genes. 30. vers. 27. *Dixit verò ad eum Laban: Si nunc inveni gratiam in oculis tuis,* scil. missa faciamus hæc: vel, maneas mecum, & porrò mihi servias. Sequitur ratio: *Experimento didici, ut benedixerit mihi Jehova tui causâ.*

2 Sam. 2: 27. *Et dixit Joab* (Abnero) *ut vivit Deus, quòd nisi locutus fuisses,* subintell. nihil fecissemus. Sensus est, nisi prior sermone provocâsses (v. 14.) non initum fuisset illud prælium. Sequitur: *nam inde à matutino tempore abductus fuisset populus, quisque à persequendo fratre suo.*

2 Sam. 5: 8. *Dixerat enim David die illo, quicunque percusserit Jebusæos &c.* Subint. *is erit Dux seu primarius in exercitu,* uti 1 Paral. 11: 6. integrè habetur.

Jer. 46: 18. *Ut vivo ego, dictum Regis illius, cujus nomen est Jehova exercituum: quamvis ut Tabor in montes, & ut Carmel in mare procedat,* subint. tamen hæc futura sunt: videl. de quibus in præcedenti & sequenti textu prophetia editur. Junii nota: *Quamvis Ægyptus situ & naturâ loci videatur esse munitissima, & circumvallata montibus ac mari, non secus ac Tabor montibus circumcluditur, & Carmelus in mare projectus est; ac proinde sibi Ægyptius omninò confidat, ut dicitur v. 25. tamen has minas meas effecturus sum &c.* Chald. *Ut firmum est verbum hoc, quod Tabor est in montibus, & sicut Carmelus in mari: sic veniet confractio ejus.* R. Salom. *Quemadmodum verum est, quod Tabor constitutus seu firmatus est in montibus, & mons Carmel ad mare: sic certissimè veniet verbum hoc super Ægyptum.* R. Joseph Kimchi (annotante Davide filio) in verbis etiam ipsius contextus ellipses statuit, ac si sensus esset: *Quemadmodum mons Tabor constitutus est ad venandum ibi, & pandenda retia, sicut dicitur* Hos. 5: 1. *rete expansum super Tabore: sic venabuntur eos* (hostes ipsorum) *Et quemadmodum ligna Carmeli, quæ mari inferuntur: sic inferent eos in captivitatem.*

Matth. 6: 25. *Nonne anima plus est, quàm cibus, & corpus quàm vestimentum?* Subint. & tamen DEUS animam seu vitam & corpus concessit. Quidni igitur (concludere vult) quod minus est, alimenta scilic. & vestimenta dabit?

Matth. 8: 9. *Nam ego homo sum, sub potestate, habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit &c.* Subint. quantò magis tu, qui Dominus & creator omnium es, imperare vel solo verbo poteris, ut revalescat servus meus.

Marc. 11: 32. *Si verò dixerimus, ex hominibus;* Subint. *quid fiet nobis?* seu *non benè nobis cedet,* Subjungit Euangelista: *Timebant* (enim) *populum &c.*

Luc. 2: 21. *Et postquam consummati sunt dies octo, ad circumcidendum puerum.* Subint. tunc circumcisus est puer, &c.

Joh. 3: 2. *Rabbi scimus, quia à Deo venisti Magister &c.* Subint. ideò venio jam, & peto, ut me de salutis via edoceas. Quia à Deo es, ideò doce me, quomodo ad Deum pervenire possim. Colligitur hoc membrum deficiens ex responso & informatione Christi. Quidam statuunt, Nicodemum quæsivisse de vero verborum sensu, quibus & Johannes & Christus ipse fuerant usi: *appropinquavit regnum cœlorum,* Matth. 3: 2. Marc. 1: 15.

2 Pet. 2: 4. *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit &c.* Deest membrum posterius, *neque illis parcet,* qui scilic. v. 1, 2, 3. descripti sunt, sed gravissimè in eos cum Diabolis animadvertet.

Rom. 9: 22, 23. notabile ἀνανταπόδοτον, seu sermonis ellipsis occurrit: v. 22. *Si verò Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multâ longanimitate vasa iræ aptata in interitum,* vers. 23. *& ut ostenderet divitias*

*divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Versus hic 23. pendet à participio θέλων in vers. 22. constructione tamen mutatâ, hoc modo: v. 22. *Si verò DEUS tulit multâ animi lenitate vasa iræ aptata in interitum, θέλων volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam* (hoc est, ut ostenderet iram & notam faceret potentiam suam;) vers. 23. *& ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Hic tandem subaudiendum posterius sermonis membrum: *quid dicemus?* vel ex v. 19. *cùm dici non poterit; quid conqueritur DEUS: voluntati enim ejus quis resistet?* Sunt, qui in vers. 22. particulam εἰ δὲ perindè accipiunt, ac si dictum esset, *quid autem si?* & in v. 23. ellipsin ita resarciunt: καὶ τοῦτο δῆλον, ὅτι ἐποίησεν, ἵνα γνωρίσῃ, *idque nimirum fecit, ut declararet &c.* Si quæratur, quâ ratione causa isthæc finalis se habeat, *quòd scil. DEUS ideo longanimitate suâ toleravit vasa iræ*, ἵνα γνωρίσῃ, *ut ostenderet divitias gloriæ suæ vasis misericordiæ?* Respond. felicitas terrena; quâ impios Deus allicit ad pœnitentiam, est rude quoddam speculum, in quo futuram gloriam suam noscere pii debent. Si enim impiis ita in hoc seculo benefacit DEUS, quantò major erit gloria, quâ in futura vitâ afficientur pii?

3. Huc pertinet, quòd in collationibus *similium*, uno membro posito, alterum quandoque omittitur, quod & ipsum vocatur ἀνανταπόδοτον.

Rom. 5. vers. 12. *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit &c.* Subintelligenda ἀπόδοσις: *Sic per unum hominem, Christum videl. justitia in mundum venit, & per justitiam vita æterna.* Quod membrum innuitur v. 14. his verbis: *qui* (Adam) *est typus futuri.*

1 Tim. 1: 3. *Sicut te monui manere Ephesi, cùm irem in Mesopotamiam, ut denunciares quibusdam, ne aliter docerent*, v. 4. *neque intenderent fabulis &c.* Deest ἀπόδοσις ejusmodi: *Ita tandem meam monitionem jam repeto.* Vel, *ita & nunc moneo, ut illic maneas, & quod jussi, diligenter exequaris.*

2 Tim. 2: 20. *In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & testacea: & illa quidem in honorem, hæc autem in ignominiam.* Deest ἀποδόσις: *Sic in Ecclesia* (quæ domus Dei est) *non solum sunt homines pii & electi, quæ sunt vasa gratiæ, sed & homines impii & reprobi, quæ sunt vasa ignominiæ.* Sequitur v. 21. *Si quis ergò emundaverit se ab istis*, scil. hominibus improbis &c.

## *Continuatio.*

Hactenus prima ellipseos species; *altera* sequitur, quæ est, quando vox deficit, quæ ex alia voce *vel* conjugata, *vel* contrariâ, *vel* analogâ & correlata eruenda, & ita textus complendus est. De quibus in sequentibus observatis.

## Observatio V.

### *De ellipsi vocis, ex voce conjugatâ eruenda.*

1. Ellipsis *nominis* conjugati. Genes. 4. v. 5. וַיִּחַר לְקַיִן *& accensa est* Caino, scil. חָרוֹן *ira ardens.* Quod nomen in verbo conjugato latet. Sic vers. 6. cap. 18: 30. Jon. 4. vers. 1, 9. &c.

Gen. 18: 21. *Descendam nunc, & videbo, num secundùm clamorem ejus, qui venit ad me,* עָשׂוּ כָּלָה *fecerint consumtionem,* Deest עָשׂוּי *facta consumtionis* seu *consumtione digna*: quod nomen in verbo עָשׂוּ latet. Ita Junius & Tremellius in editione Bibl. priore; sed in posteriore facta est mutatio, & כָּלָה adverbialiter vertitur, *omninò.* Locus parallelus adducitur Ezech. 11: 13. Sed ibi propriè *consumtionem* significat, & ita ipse Junius vertit: *Aha Domine Jehova, tu consumtionem facis cum reliquiis Israelis.* Et in Psal. 106: 33. prior illa versio allegatur & approbatur.

Lev. 4: 2. *Anima cùm* תֶּחֱטָא *peccaverit per errorem præter omnia mandata Dei, quæ non sunt facienda.* Subintell. *peccatis*, quæ non sunt facienda. Aliàs incongruè ad mandata Dei, quorum mentio præcedit, hoc referretur. Latet autem hæc vox חַטָּאת *peccatis*, in præced. verbo תֶּחֱטָא.

Num. 11: 14. *Non possum ego solus ferre totius populi hujus* sc. onus, ex v. 11: 17. Deest מַשָּׂא *onus*, quod in verbo נָשָׂא *portare* (à quo deducitur) latet. Vide tract. 3. can. 32. in fine, de ellipsi, & can. 35. §. 2.

2 Reg. 17: 14. *Et non audiverunt*, וַיַּקְשׁוּ *sed obduraverunt cervices suas*, כְּעֹרֶף *secundùm cervices majorum suorum.* Subintell. *secundùm obdurationem cervicum majorum suorum.* Quidam hypallagen statuunt, ut sit, pro, *sicut majores cervices suas.*

Psal. 76. vers. 12. נִדְרוּ *vovete, & reddite Jehovæ*; scil. נְדָרִים *vota*, quæ vox in verbo נִדְרוּ latet.

Psal. 106: 33. *Quia* הִמְרוּ *exacerbârant Spiritum ejus* (Mosis) *& pronunciavit labiis suis*, sc. *exacerbationem suam*, secundùm versionem Tremellii. R. Salomo hunc versum de DEO intelligit, qui à Mose & Aharone exacerbatus labiis suis pronunciavit, sc. juramentum, quòd non ingressuri sunt terram promissam. Confer Deut. 32: 50. seqq.

Jer. 6: 29. *In vanum conflat conflando*, scilic. conflator. Quo DEUS, summus opifex, sive administri ejus, intelliguntur: quod posterius in paraphrasi suâ intendit Chaldæus.

Hos. 9: 4. *Nam* יִסְּכוּ *libabunt Jehovæ vinum, non suavia erunt ipsi*, scilic. נִסְכֵּיהֶם *libamina eorum.*

Matth. 20: 12. *Hi novissimi unâ horâ* ἐποίησαν *fecerunt*, scil. *facturam* seu *opus*. Aliqui significationem τοῦ διατρίβειν obtinere hîc ajunt, uti Act. 15: 33. c. 18: 23. c. 20: 3. ubi peractum temporis spacium notat, quod διατρίβειν est. Vide & Apoc. 13: 5.

2. Ellipsis *verbi* conjugati. Num. 21. v. 14. *Idcircò dici solet in recensione* מִלְחֲמוֹת *bellorum Jehovæ, contra Vahebum in turbine*, scilic. pugnavit, *& contra flumina*, nempe *Arnonem*. Verbum illud נִלְחַם *pugnavit*, in nomine conjugato מִלְחֲמוֹת latet.

1 Sam. 13: 8. *Et expectavit septem dies* לַמּוֹעֵד *secundùm illud condictum tempus, quod Samuel*, sc. יָעַד *condixerat*. Vide cap. 10: 8. Latet hoc verbum in nomine מוֹעֵד. Integra phrasis legitur 2 Sam. 20: 5. מִן הַמּוֹעֵד אֲשֶׁר יְעָדוֹ *ultra tempus statutum, quod constituerat ipsi.*

1 Par. 17: 18. *Quid perget adhuc David loqui apud te* לְכָבוֹד *de honore* (quo honoras) *servum tuum.*

2 Par. 2: 4. *Ad adolendum coram illo incensum aromatum, & dispositionem jugem &c.* Subint. לַעֲרֹךְ *ad disponendum*, quod verbum in conjugatô nomine מַעֲרֶכֶת *dispositio*, latet.

Psal. 94. v. 10. *Qui docet homines scientiam:* subint. annon cognosceret? quod verbum in nomine conjugato latet. Conferantur præcedentia, ubi similes sunt interrogationes. Chald. *annon Jehova docet homines, & coram ipso scientia est.*

Hos. 1: 2. *Accipe tibi uxorem scortum*, וְיַלְדֵי *& natos scorti*, scil. הוֹלֵד *genera* seu *gigne*. Ita explicandum esse, ex collatione v. 3, 6, 8. patet. Vide supra tract. 3. can. 15. ubi de hoc prophetico loco agitur.

Mich. 7: 3. וְהַשֹּׁפֵט *& judex propter retributionem*, scil. judicat: quod verbum in conjugato nomine latet.

Rom. 13: 7. *Reddite omnibus* τὰς ὀφειλὰς, *quod debetis*, τῷ τὸν φόρον, φόρον, *cui tributum, tributum*. τῷ τὸν φόρον, scil. ὀφειλωμένῳ, *cui tributum debetur*. Sicut in epigram. dicitur, ὁ ὀφειλόμενος τὰς εἰκόνας, *cui debentur imagines*. Participium hoc in præcedenti conjugato nomine ὀφειλὰς, latet.

Huc potest referri Matth. 26: 54. *quomodo ergò implerentur Scriptura* (scil. quibus scriptum est) *sic oportere fieri.*

## Observatio VI.

*De ellipsi vocis, ex voce contraria eruenda.*

GEnes. 33: 10. *Et dixit Jacob*, אַל־נָא *ne quæso*, scilic. recuses. Latet hæc vox in contrariâ, quæ sequitur, וְלָקַחְתָּ *accipe è manu meâ &c.*

Ibid. v. 15. *Et dixit Esau, constituam, quæso, tecum* aliquot *ex populo hoc, qui mecum est; Et dixit* (Jacob) *quorsum hoc? inveniam gratiam in oculis Domini mei*, scil. ne quenquam constituat. Quod membrum in opposito verbe, *constituam*, latet.

Genes. 49: 4. *Rapiditate, aquarum instar*, scil. inde tuas. Sequitur, *ne excellas*. Quâ in voce contrariâ altera latet. Opponitur enim hîc præceps, aquarum instar, decursus ac ruina, excellentiæ juris primogenituræ, de quâ v. 3. q. d. ut aquæ in sublimi non consistunt, sed magnâ rapiditate ad inferiora feruntur, & spontè diffluunt: Sic tu ne in hac excellentia maneas, sed illico in communem cum reliquis filiis gradum descendas. Junius. Sic Exod. 1: 14. Vide suprà tract. 6. de præpos. can. 18. §. 5.

Jud. 5: 6. *Diebus Jaëlis desierant itinera*, scil. recta. Quæ vox ex contraria sequente eruenda. Sequitur enim; *& ambulantes semitis, ibant itineribus tortuosis:* quas videl. præ rectis viis publicis eligebant, ut ferè fit, cùm regionem infestat miles.

1 Sam. 20: 10. *Et ait David ad Jonathan: quis renunciabit mihi* (scil. bonum?) *aut quid responderit tibi pater tuus dari?* Patet hæc oppositio ex v. 12, 13.

Psal. 65: 9. *Egressus matutinos, &* (ingressus) *vespertinos lætificas*, h. e. homines manè egredientes ad laborem, & vesperi revertentes ad quietem suam. Descriptio pacis.

Psal. 66: 20. *Benedictus DEUS, qui non avertit orationem meam*, (scil. à se) *& benignitatem suam à me.*

Psal. 84: 11. *Nam melior est dies unus in atriis tuis; quàm mille*, scil. alibi seu in alio loco. Confer sequentia.

Prov. 19: 1. *Melior est pauper, ambulans in* inte-

*integritate suâ, perverso labiis suis, qui ipse est stolidus.* Perverso scil. divite, quæ vox in oppositâ latet.

Prov. 24: 18. *Ne videat Jehova, & sit malum in oculis ejus, & convertat* מֵעָלָיו *ab eo iram suam;* subintell. עָלֶיךָ *in te*, ut rectè R. Levi observat. Sine hac ellipsi sensus videri posset, cavendum esse sedulò (vitatione ἐπιχαιρεκακίας, v. 17.) ne inimicus convertatur, & ita ira DEI ab eo auferatur.

Prov. 28: 16. *Antecessor carens omni intelligentiâ, multus oppressionibus*, scilic. decurtabit. Sequitur oppositio: *Qui autem odit quæstum, prolongabit dies.* Hoc in contrario verbo deficiens alterum latet.

Jer. 18: 15. *Et impingere faciunt eos in viis suis*, (ut deserant) *semitas antiquas, ut ambulent per semitas, per viam non calcatam.* In verbo *ambulare* latet contrarium ejus, *deserere*.

Dan. 3: 15. *Nunc si parati estis, ut quo tempore audieritis sonum cornu, fistulæ, & procidatis & adoretis imaginem, quam feci;* subint. benè est. Quæ vox in sequenti membro contrario latet, ubi pœna non obtemperantibus denunciatur. Sic Luc. 13: 9. *Et si quidem tulerit fructum*, scil. benè est, vel, sines, relinques, non exscindes: *Si minus, posteà exscindes eam.*

Huc referunt 1 Tim. 4: 3. *probibentium contrahere matrimonium*, (jubentium) *abstinere à cibis &c.* Quo de exemplo suprà dictum, tract. 5. can. 24.

## Observatio VII.

*De ellipsi vocis, ex voce analogâ & correlatâ eruenda.*

GEn. 50: 23. *Etiam filii Maciris filii Manassis nati sunt, super genua Josephi*, h. e. & positi seu educati super genua Josephi: excepti gremio Josephi, ut parvuli solent. Nasci & educari, correlatione aliqua sibi respondent.

Exod. 13. v. 15. *Idcircò ego macto Jehovæ ex omni* (scil. bestia) *aperiente vulvam, masculum: omnem verò primogenitum filiorum meorum redimo.* Hic est ellipsis analogica vocis *bestia:* ut monstrat sequentis membri comparatio.

Levit. 21: 4. *Ne polluito se* (Sacerdos) *maritus in populis suis*, h. e. ne polluito se pro *uxore* ducta in populis suis, seu quam duxit è populo suo, v. 14.

Deut. 15: 12. *Si vendetur tibi frater tuus Hebræus, aut Hebræa*, scil. soror; quæ vox in correlata præcedenti latet.

1 Reg. 13: 12. *Et enarraverunt ea patri suo*, scil. filii.

Psal. 142: 5. *Intuere ad dextram, & respice*, scil. ad sinistram. Dextra & sinistra correlata sunt.

Esai. 30: 17. *Mille hominum ab increpatione unius, ab increpatione quinque fugietis*, scil. omnes vos; *Mille & omnes*, analogæ voces sunt.

Esa. 38: 12. *Præcidi ut textor* (scil. stamen) *vitam meam.* Quemadmodum textor eò usque perducit telam, donec sit tempus staminis præcidendi, quod involutum est jugo: sic ego pertexui vitam meam. Chald. *præcisi sunt* (dies mei) *ut tela textorum.* Textor & stamen, voces analogæ sunt.

Ezech. 22: 10. *Nuditatem patris retegit in te*, scil. filius.

Marc. 1: 16. *Indutus erat Johannes pilis camelorum, καὶ ζώνην δερματίνην, & zonâ coriaceâ circa lumbos suos*, scil. cinctus erat: quam vocem expressit Syrus.

Joh. 7: 39. *Nondum enim erat πνεῦμα ἅγιον Spiritus sanctus*, scil. δοθὲν, vel ἐκχυνόμενον, *datus* seu *effusus*. Syrus אֶתִיהֶבֶה *datus*. Latet hæc vox in correlatâ præcedente, *accipere*. Ita enim antecedentia habent: *Hoc autem dixit de Spiritu, ὃ ἔμελλον λαμβάνειν, quem accepturi erant credentes in eum. Dare* enim & *accipere* relata sunt.

Rom. 14: 21. *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum, neque* (scil. facere quicquam) *in quo frater tuus offenditur &c.*

Huc ferè pertinet integer canon 2. tract. 3. de verbo; in ejus enim exemplis verbum unum, ad analogum seu correlatum alterum, subaudiendum est.

## *Continuatio.*

SEquitur *tertia* ellipseos species, cùm ex præcedenti & sequenti membro aliquid repetendum, & ita textus complendus est. Estque vel *simplex*, vel *complexa. Simplex*, cùm disjunctivè, *vel* ex præcedenti, *vel* ex sequenti aliquid repetendum. *Complexa*, cùm & ex præcedente in sequenti membro, & simul ex sequente in præcedenti aliquid repetendum, & subaudiendum est. *Simplex* vel vocum *singularum* est, vel *conjunctarum*. Singulæ voces sunt, *nomina, verba* & *particulæ*. De quibus porrò ordine.

## Observatio VIII.

*De ellipsi nominis & pronominis ex membro praecedente repetendi.*

GEnes. 14:20. *Et dabat ei decimam ex omnibus*, subintelligitur Abram, ex vers. 19.

Genes. 34:5. *Et Jacob audivit, quòd vitiâsset Dinam filiam suam;* subintellig. Sichem filius Hemor, ex vers. 2.

Exod. 12: 4. *Accipiat ipse & vicinus ejus, qui proximus est domui ejus*, scil. שׂה *parvam pecudem:* cujus mentio hoc eod. versu præcessit.

Jos. 22:20. (al. 23.) *Quamvis ipse* (Achan) *vir unus; non expiravit propter iniquitatem*, scilicet unus. Intelligitur multos cum ipso & propter ipsum simul periisse.

1 Reg. 1:6. *& pepererat eum post Absalomum;* scilic. Haggitha, ex vers. 5.

2 Reg. 3: 25. *Donec reliquos faceret Kirchareseta lapides ejus*, sc. Moabita, ex vers. 24 seu reliquos facerent Moabitæ. Sensus est: donec reliquiæ Moabitarum eò recipientes impedirent, ne sicut cæteræ destrueretur.

Psalm 68:19. *Ascendens in sublime, captivam fecisti captivitatem, accepisti dona inter homines, etiam rebelles, habitando*, scil. captivos tenes. *Rebelles*, id est eos, qui licet victi sint, tamen oppugnant opus tuum, & Ecclesiæ adversantur: *Habitando*, videl. gratiosè in Ecclesia. Sermo est de Christo ad dextram Patris exaltato.

Psalm 126. vers. 4. *Reduc Jehova, multitudinem captivorum nostrorum; tanquam fluenta* (reducens) *in regionem siccam.* Gratiam Dei cum fluentis, populum cum terra siticulosa comparat &c.

Esai. 40: 13. מי *quis direxit Spiritum Jehovæ, & vir consilii ejus, qui indicavit illi;* pro ומי & quis vir &c. Sic. cap. 41: 4. Psalm 106: 2. Psal. 89: 49.

Esa. 57: 8. (al. 12.) *Dilatas cubile tuum, & cadis tibi amplius, quàm illorum sit*, scil. cubile: quæ vox antecedit.

Ezech. 44: 5. *Adhibe, inquam, animum tuum ad* (leges) *aditus domus, cum omnibus* (legibus) *exituum è sanctuario.* Repetenda vox *Leges*, ex antecedentibus. Sunt autem eæ leges pertinentes ad templum accessuros & egressuros.

Amos 8: 14. *Vivit Deus tuus, ô Dan, & vivit* (Deus) *via Bersabæ*, i. e. Deus ille, qui ritibus suis colitur in Bersabe. Lyran. *Vivit via Bersabe, h. e. ille, pro cujus adoratione itur Bersabe.* Sed *viam* pro *Deo* sumi insolens esse, rectè Drusius ait, in quæsit. per Epist. 56. Vide etiam Epist. 84. Est in illis verbis formula juramenti idololatrici.

Zach. 13:6. *Quod si dixerit ad eum* quispiam, *quid plagæ istæ in manibus tuis? dicet:* (plagæ sunt) *quibus percussus fui in domo amantium me.*

Luc. 22: 37. *Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent.* De me, scil. scripta: quæ vox eodem versu antecedit.

1 Pet. 2: 6. *Propterea* περιέχει *continent seu complectitur in Scriptura*, scil. Deus, cujus mentio vers. 5. præcedit. Syrus passivè vertit, אמיר *dicitur enim in Scriptura.* Et sic Beza vertit: *Continetur in Scriptura*, περιέχει pro περιέχεται. Ab hoc verbo est vox περιοχῆς, *locum* seu פרשה sectionem Scripturæ denotans, Act. 8. vers. 32. Vide & 1 Joh. 2. vers. 2. 2 Tim. 2. vers. 13, 14.

## Observatio IX.

*De ellipsi verbi ex membro præcedente repetendi.*

GEnes. 1: 30. *At omnibus bestiis agri, &c. omnes virides herbas ad comedendum*, scil. dedi, ex vers. 29.

Exod. 22. vers. 15. *Si mercede conductum est* (ne rependito) *venerat pro mercede sua.* Repetendum hoc ex præcedenti in eodem hoc versu.

Deut. 1: 4. *Et Og Regem Baschanis, qui habitabat Asthorotis* (percussit) *in Edrehi. Percussit*, in ejusdem versus initio ponitur, ex quo in fine repetendum. In Edrehi enim exercitum contra Israelitas duxisse, Num. 21: 33. & Deut. 3: 1. dicitur.

2 Samel. 19: 12. *Quare essetis postremi ad reducendum Regem domum suam: cùm sermo totius Israelis pervenerit ad Regem* (de reducendo eo) *domum suam.*

1 Reg. 20: 34. *Et dixit* (Benhadad,) *civitates illas, quas acceperat pater meus à fratre tuo, restituam, & limitanea constituas tibi in Damasco, quemadmodum constituerat pater meus in Schomrone.* (Et dixit, sc. Achab Rex Israelis) *& ego cum hoc fœdere dimittam te: sic facto cum eo fœdere dimisit eum.* Ellipsis hæc verbi *dixit*, ex præcedenti membro repetendi, obscuriora hæc verba alioqui facit.

Psalm. 45: 4. *Accingere gladio tuo super femur, ô Robuste* (accingere) *gloriâ tuâ & decore tuo.* Quidam vocem, *gladius* ἀπὸ κοινοῦ repetunt:

*gladium gloriæ tuæ & decoris tui*, hoc est, gloriosa arma majestatis tuæ. Ibid. vers. 6. *Sagittis tuis acutis populi sub se procident*, *ex animo inimici Regis* scilicet, procident. Alii sic: *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent: in cor inimicorum Regis*, scilicet, cadent, nimirum sagittæ.

Prov. 10: 23. *Ut ludus est stolido* עֲשׂוֹת *facere scelus; sic* (facere seu exercere) *sapientiam, viri intelligentis est.*

Prov. 17: 21. *Qui gignit stolidum* (gignit) *ad mœrorem sibi.*

Prov. 22: 10. *Cùm cessat litigium, etiam ignominia*, scil. cessat.

Quandoque præter repetitionem, etiam numeri, personæ, modi vel temporis mutatione opus est. 1 Reg. 14: 14. *Itaque excitabit sibi Jehova Regem super Israelem, qui excîdet domum Jeroboami eadem die: quid etiam? etiam nunc*, scil. excitavit.

2 Reg. 9: 27. *Persecutus est eum* (Achaziam) *Jehu, & dixit: etiam eum* הַכֻּהוּ *percutite illum in curru:* (Et percusserunt eum, וַיַּכֻּהוּ) *in ascensu Guris, qui est ad Jiblebamum, & fugit Megidduntem, mortuus est ibi.*

1 Par. 2: 23. *Hæc omnia* (ceperunt) *filii Maciris, Patris Gilhadis:* præcedit וַיִּקַּח *& cepit*, quod repetendum.

Neh. 5: 4. *Et fuerunt, qui dicerent, mutuamur pecuniam pro canone Regis: agris nostris & vineis nostris*, scil. oppigneratis ex v. 3. ubi habetur עֹרְבִים *oppigneramus.* Potest & simpliciter verti, *agros nostros & vineas nostras* scilic. oppigneramus. Et sic mutatione vocis repetitæ opus non est.

Eccles. 10: 1. (al. 9: 21.) *Ut muscarum mortuarum* (una) *efficit, ut fœtorem eructet unguentum pigmentarii: sic preciosum à sapientia & gloria* (virum) *stoliditatis parum*, scil. fœtidum efficit, quod ex protasi similitudinis repetendum.

Esa. 10: 31. *Migraverit Madmena: habitatores Gebimorum se confirmaverint*, scil. ad migrandum. Non fortitudo, sed timor & pavor ab hostili exercitu appropinquante, hoc & præcedenti v. 29: 30. describitur.

Amos 6: 12. *An current in petra equi? an arabit* (scil. petram) *bobus*, scil. arator? q. d. vos perinde facitis, ac si in rupe equus curreret, aut bos eam rupem araret. Agitis omnia præpostero ordine. Sequitur enim: *Quod convertistis in venenum, judicium, & fructum justitiæ in absynthium*, h. est, loco justitiæ exercetis injustitiam nefandam.

Matth. 20: 23. *Sedere autem ad dextram meam & sinistram meam, non est meum dare, sed* (scil. dabitur) *quibus paratum est à patre meo.* Ita à plerisque hic locus exponitur. Quia verò difficultas relinquitur non minima, quâ ratione oppositio illa se habeat; igitur simplicissimè videtur accipi sine ellipsi, hoc modo: *Sedere autem à dextris meis & sinistris meis, non est meum dare*, ἀλλὰ *nisi* (illis) *quibus paratum est à patre meo.* Revocat eos Christus à stultis opinionibus de regno terreno, ad veram sui cognitionem & fidem; à φιλοπρωτείας studio ad humilitatem (ut & verbis antecedentibus fecerat, metaphorâ *calicis & baptismi*, v. 22, 23. & in sequentibus idem inculcavit v. 25, 26, 27, 28.) q. d. *meum quidem est dare*, τὸ καθίσαι *sedere à dextris meis & sinistris meis* (modo cœlesti, quomodo promisi vobis, Matth. 19: 28.) *sed non nisi illis, quibus paratum est à patre meo.* Paratum autem est *fidelibus & humilibus*, cap. 25: 34. cap. 19: 27, 28. Si igitur gloriæ hujus cælestis vultis esse participes, sitis etiam verè credentes & humiles, abjectâ stultâ de regno quodam mundano imaginatione, omnique carnaliter eminendi studio. ἀλλὰ autem pro *nisi*, alibi etiam accipitur, Marc. 9: 8. Et eâdem ratione vocem אֶלָּא in Syro expressit D. Trostius Matth. 20: 23. Placet autem Augustini adscribere verba, quibus eandem expositionem tradit, tom. 8. in Psal. 126. *Quid est, non est meum dare vobis? non est meum dare superbis; hoc enim adhuc erant. Sed si vultis illud accipere, nolite esse quod estis. Aliis paratum est, & vos alii estote? priùs humiliamini, qui jam vultis exaltari. Intellexerunt ergò humilitatem profuturam sibi, & correcti sunt.*

Joh. 15: 4. *Manete in me, & ego in vobis*, sc. manebo. Sic v. 5.

Eph. 1: 12. *Ut simus in laudem gloriæ ejus*, τοὺς προηλπικότας *nos qui antè speravimus in Christô.* v. 13. *In quo & vos, audito sermone veritatis*, scil. ἐλπίζετε, *speratis &c.*

2 Thess. 2. v. 7. Μόνον ὁ κατέχων ἄρτι, ἕως ἐκ μέσου γένηται: *tantùm qui nunc obstat*, (obstabit) *usque dum è medio sublatus fuerit.* Vide & 1 Cor. 4: 15. 2 Cor. 11: 22. Gal. 2. v. 7. 1 Joh. 2: 22.

## Observatio X.

*De ellipsi particulæ ex membro præcedente repetendæ.*

CUmprimis attendenda *negativa* particula, quæ in sequentia commata vim suam non rarò extendit. Deut. 33: 6. *Vivat Ruben, & non moriatur, &* (non) *sit hominibus ejus numerus.* LXX. particulam negativam haud attendentes,

tendentes, alteram versiculi partem Simeoni accommodârunt, cùm nulla ejus aliàs fiat diserta mentio: *καὶ Συμεὼν ἔσω πολὺς ἐν ἀριθμῷ.*

Jud. 21:22. *Quia non vos dederitis illas* (neque) *jam rei eritis.* Sensus est, non est, cur metuatis, ne non præstetis fidem vestram; non dedistis filias vestras ipsis, sed ipsi ceperunt: & si qua culpa est, eam in nos recipimus.

Psal. 9:19. *Quia non in æternum oblivioni tradetur egens: expectatio pauperum* (non) *peritura est in seculum.* Vide & 1 Sam. 2:3. Psalm. 44:19. Prov. 25:27. cap. 30:3. Esa. 38:18. cap. 41:28. &c.

Huc referunt illud Gen. 2:6. *Et vapor* (non) *ascenderat è terra, ut irrigaret universam superficiem terræ.* Nondum pluerat Jehova & nondum erat homo ad colendum terram (ut v. 5. dicitur) & nondum ascendebat vapor. Sic præter duo media vegetationis terræ, pluviam & culturam hominis, etiam tertium negaretur initio fuisse, nempe vapor ê terra ascendens. Alii affirmatè legunt: & ita Lutherus vertit. Mercerus etiam. Schindlerus monet, τὸ אֵין *non*, quod immediatè præcedit, cum verbo non construi, & proin repeti ad verbum non posse (at præcedit, non solum אֵין, sed etiam לֹא *non.*) Drusius monet, non esse exempla, ubi particula negativa in sequentem versum suam vim extendat, (sed loca adducta testantur contrarium.) Tremellius priori explicationi assentitur, aliâ autem ratione, copulativam pro disjunctiva accipit, v. 5. *non enim pluviam demiserat Jehova super terram, nec ullus homo fuerat ad colendum terram*, ℣. 6. *aut vapor ullus ascenderat è terra &c.* De Verborum sensu affirmativo ita Chemnitius: *Terra erat humectata, non enim ita pridem aquæ ab ea recesserant, & solis lumine erat calefacta. Ascendebat igitur vapor de terra, & sublatus in altum, in modum roris descendebat & decidebat &c.*

De negativa פֶּן *ne* in sequenti membro repetenda, exempla sunt Exod. 19:22. Esa. 6:10. Sic de aliis etiam particulis.

לָמָּה *quare?* Psal. 2:1, 2. Psal. 10:1.

כַּמָּה *quoties?* Job. 21:17, 18, 19, 20. אֵיךְ *quomodo?* Psal. 73:19.

אֵיכָה *quomodo?* Thren. 1: v. 1, 2, 3, 4. cap, 2: v. 1, 2. sequentibus. cap. 4: v. 1, 4, 8, 10.

מָה *quam?* Joël 1:18. עַד־מָה *quousque?* Psal. 4:3. Psal. 89:47. עַד־מָתַי *quousque?* Psal. 94: 4, 5, 6.

## Observatio XI.

*De ellipsi vocum conjunctarum ex membro precedente repetendarum.*

Num. 24:22. *Attamen erit, cùm* (aliqui) *depascent Kaynum; quousque?* scil. erit in petra nidus tuus: quæ verba in versu præcedente habentur.

Num. 26:3. *Itaque locutus est Mose &c. dicendo*, vers. 4. (numerate universam congregationem filiorum Israel) *à filio viginti annorum & suprà &c.* Verba hæc parenthesi inclusa, ex v. 2. repetenda sunt, ut textus sit integer.

Jos. 24:19. *Non potestis colere Jehovam, qui Deus sanctissimus est.* Subaud. si idola vobiscum servaveritis & colueritis. Quod membrum in præcedenti sermone v. 14, 15, 16. extat: & in sequenti etiam v. 20, 23.

Psal. 84:4. *Etiam passer invenit domum & hirundo nidum sibi, in quod ponat pullos suos;* (sic anima mea desiderio afficitur, inveniendi) *altaria tua, Deus Zebaoth, Rex mi, & Deus mi.* Verba parenthesi inclusa, ex præcedenti membro repetenda sunt, Neque enim passeri & hirundini nidificantibus quicquam commune cum dominico altari, nisi Chaldæi interpretationem sequi velimus, qui ita transfert: *Etiam columba invenit domum, & turtur nidum habet, eo quod legitimi sint pulli ejus, ut offerantur super altari tuo; Domine exercituum, Rex mi & DEUS mi.* Sed in Hebræo columbæ & turturis nulla fit mentio; & cum accusativo אֶת־מִזְבְּחוֹתֶיךָ *altaria tua*, translatio illa conformari non potest: nec vera causa nidificationis avium est ἱκανότης ad oblationem sacrificialem: cùm & illæ, quæ ad sacrificia non adhibentur, nidos suos habeant. Potiùs igitur amplexanda prior expositio. A qua non multum abest, quam Junius & Tremellius sequuntur. Hysterosin illi membrorum hîc statuunt, quam ita mutant, & cum præcedenti versu connectunt: v. 3. *Desiderio afficitur, etiamque deficit anima mea* (veniendi) *ad atria Jehovæ; cor meum & caro mea exclamant* (veniendi) *ad Deum fortem viventem*, v. 4. *ad altaria tua, Jehova exercituum, Rex mi & Deus mi; etiam passer invenit domum, & hirundo nidum sibi, in quo ponat pullos suos.* Argumentum (porro annotant) à comparatione minoris; passeribus hirundinibusque niduli in domibus humanis conceduntur, etsi nihil ad homines attinent; me autem, quòd servus sum tuus, & membrum Ecclesiæ tuæ, quantò indignius est à domo tuâ exulare? D. Brentius de N. T. Ecclesiâ Christianâ (cujus fidelium

 mem-

membrorum precationem hoc Psalmo statuit contineri) explicat, & his verbis sensum exprimit: *Quemadmodum aves, etiamsi hinc inde in aere vagentur, tamen seligunt sibi certa loca, ad quæ in tempestatibus sese conferant & præcipuè hirundines construunt sibi in tectis domorum nidos, in quos reponant pullos suos, & si quando opus fuerit, confugiant: Ita ô Domine* ZEBAOTH, *ô Christe Rex meus & Deus meus, refugium & receptaculum nostrum sunt altaria tua, hoc est, Evangelium tuum & Ecclesiæ, quæ ex omnibus gentibus per Euangelium Apostolicum colliguntur: ibi est domicilium nostrum, ibi nidus noster, in quo sicut nos exclusi & foti sumus, ita etiam alios excludimus & fovemus. Huc nos, quicquid acciderit, conferimus, tanquam ad asylum. &c.*

Zachar. 14: 18. *Etsi familia Ægyptiorum non adscenderit, & non venerit, & non super eos*, scilicet הַגֶּשֶׁם יִהְיֶה *erit pluvia*, quod integrè versu præcedente ponitur.

Matth. 2: 10. *Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valdè*. Stellam, scil. stantem supra domum, in qua erat infans JESUS: ex v. 9.

Marc. 5: 23. *Et precabatur eum multùm, dicens: Quoniam filiola mea extremè habet*, ἵνα ἐλθὼν, *ut veniens imponas illi manus &c.* Subintellig. rogo te, seu precor te multùm: quæ phrasis in principio versus ab Euangelista ponitur. Syrus imperativum habet, תָּא סִים *veni, pone manum tuam super eam:* cui vulgata convenit. Et sic in vetustissimo suo exemplari scriptum se reperisse Beza testatur: ἐλθὲ ἵνα ἐλθὼν &c. *veni, ut cùm veneris imponas ei manus &c.*

Joh. 1: 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit*. Deest aliquod membrum in sententiæ posteriori parte, ita ex priori supplendum: *Filius, qui est in sinu patris*, ipse vidit Deum solus, & *ipse Deum enarravit*.

Joh. 9: v. 3. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus*, scilicet ut coecus nasceretur, ex versiculo 2. aliàs videri posset, peccatum omninò in illis negari.

1 Joh. 2: 19. *Ex nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis, si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed* (ex nobis egressi sunt) *ut manifesti fierent, quòd non sint ex nobis*. Repetita illa phrasis, *egressi è nobis sunt*, quæ in Græco textu deest, in Syra versione habetur.

# Observatio XII.

## De ellipsi vocis ex membro sequente repetenda.

NUm. 9: 5. *Et celebrarunt pascha in primo, quartodecimo die ejus mensis*, in primo, scil. mense, quæ vox statim sequitur.

Jos. 3: 3. *Cum videbitis arcam fœderis Jehovæ Dei vestri, & Sacerdotes Leviticos portantes eam, vos quoque proficiscimini è loco vestro*. Sacerdotes scil. proficisci. Ex verbo sequente, *proficiscimini*.

1 Regum. 3: 12. *En dedi tibi cor sapiens, & intelligens, ita ut similis tui non fuerit ante te, nec post te surrecturus sit similis tui*, scil. quisquam inter Reges, quod v. 13. sequente exprimitur. Comparatur Salomo non simpliciter omnibus, sed Regibus tantùm: quare perperam quæritur, num sapientior Mose fuerit? Confer cap. 10: 23.

1 Regum 14: 15. *Percutiet Jehova Israelem* (agitans) *quemadmodum agitatur arundo in aqua*. Descriptio motuum civilium & externorum.

1 Par. 4: 7. *Filii Chelea, Zereth, Jezohar, & Ethnan*. subintell. & Koz. Sequitur v. 8. *Koz autem genuit Hanub*. Sic v. 13. deest nomen *Mehonathai*, ex vers. 14. It. cap. 7: 18. deest nomen *Schemidah*, ex v. 19.

Sic in eodem 1. Paral. libro aliquot exempla in versione Junii & Tremellii videre licet, quibus ex sequenti membro, una & altera vox in antecedenti membro subaudienda. Ut cap. 6: 27. *Samuel filius ejus*. cap. 8: 7. *& Schacharaymum*. cap. 16: 38. *& Chosam*. cap. 25: 3. *& Schimhi*. De h. l. nota, quinque exprimi nominetenus, Jeduthunis filios; & tamen sex fuisse, expressè additur. Iidem, qui versu 2, 3, 4. memorantur, per sortes distributi, ordine suo ponuntur v. 9. & sequentibus: Inter illos viginti quatuor vers. 17. Schimhi ponitur, qui deficit v. 3. & ad complendum numerum senarium adjiciendus est.

Nehem. 5: 2. *Filios nostros & filias nostras, nostrum multi*, scilicet oppigneramus. Confer vers. 3, 4, 5.

Job. 38: 19. *Quænam via* (ad locum, ubi) *habitat lux?* Sequitur: *Et tenebræ, ubi est locus earum?*

Psal. 89: 48. זְכָר־אֲנִי מֶה־חָלֶד *memento, ego, quid tempus*. Pro, quid ego. Dictio מָה repeti & retrahi ad præcedens debet, q. d. memento, quàm fragilis sim, quàm brevis sit vita mea in hoc seculo.

Prov. 13: 1. *Filius sapiens* (auscultat) *eruditioni*

*tioni Patris: at derisor non auscultat increpationi.*

Eccles. 7: 29. *Hominem quidem unum è mille inveni; mulierem verò inter cunctos illos non inveni.* Vox ישר *rectus*, ex versu sequente accersenda est, qui huic subjicitur per antithesin. Sensus itaque est: Etsi Deus hominem fecit rectum (scilic. tum in intellectu, tum in voluntate, hoc est, sapientem & probum) tamenè mille hominibus vix unus invenitur rectus. Significat igitur paucos reperiri viros sapientes ac pios: longè pauciores autem inveniri mulieres sapientes ac pias Conf. Prov. 31: 3, 10, 30.

Esa. 31: 5. *Sicut aves volucres* (scil. protegunt, nimirum nidum suum, seu pullos) *sic proteget Jehova exercituum Jerusalem.*

Habac. 2: 3. *Adhuc hæc visio ad constitutum tempus* scil differetur; quod verbum ex seqq. supplendum. Vide & Mal. 1: 10.

Luc. 22: 36. *Et qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Qui non habet, scil. gladium, quæ vox sequitur. Et ita Syrus *gladii* vocem priori etiam membro expressit.

Actor. 2: 3. *Seditque supra singulos eorum*, scil. Spiritus sanctus. Quod antecedens in versu sequenti habetur.

Ephes. 2: 1. *Et vos, cùm essetis mortui delictis & peccatis &c.* Vos, scil. συνεζωοποίησε τῷ χριςῷ, *vivificavit cum Christo*, quod v. 5. sequitur. Vulg. in v. 1. complet verbum *convivificavit.*

Huc referri potest, cùm duo nomina in statu regiminis conjunctim ponuntur, & genitivus sequitur, qui utrique communis est. In tali enim locutione genitivus ex sequenti voce ad antecedentem etiam subintelligendus est.

Job. 20: 17. *Ne spectet rivos*, נהרי נחלי דבש *flumina, torrentes mellis & butyri*, quasi dicat, flumina mellis, & torrentes mellis. Etsi hîc synonyma ferè conjunguntur, per congeriem & incrementum. Rivus enim minor est flumine, & flumen torrente. Denotatur autem affluentia rerum secundarum.

Psal. 35: 16. בחנפי לעגי מעוג *inter hypocritas sanniones placentæ seu cibi*, q. d. inter hypocritas cibi, sanniones cibi, h. est, parasitos, qui gulæ causâ alii adulantur. Alii מעוג interpretantur *facetiæ &c.*

Esai. 19. v. 11. חכמי יעצי פרעה *sapientes, consiliarii Pharaonis*; quasi dicat, sapientes Pharaonis, consiliarii Pharaoni.

## Observatio XIII.

*De ellipsi repetitionis ex præcedenti & consequenti membro complexa.*

HAnc voco sermonis, duobus membris constantis, παραλλαγὴν & vicissitudinem ellipticam. Quandoque enim in uno membro unum, in altero alterum exprimitur, & tamen in utroque utrumque intelligendum. Quidam *metalepsin* vocant.

1. In vocibus singulis. Prov. 10: 1. *Filius sapiens lætificat patrem, filius verò stolidus mæstitia est matri suæ.* In utroque membro & pater & mater intelligendi, licet in priori pater; in posteriori mater tantùm exprimatur. Filius enim sapiens & patrem & matrem lætificat: filius stolidus & matrem & patrem mœrore afficit. Sic cap. 25: 20. cap. 17: 25. cap. 23: 24. cap. 30: 17.

Matth. 23: 29. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum.* Non solùm ædificabant, sed etiam exornabant sepulchra Prophetarum: nec tantùm ornabant, sed & ædificabant monumenta justorum. Utrumque igitur utrobique intelligendum.

Rom. 10: 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem.* Utrobique conjunctim & *justitia* & *salus* intelligenda, quæ effectus est, & *fidei*, ut causæ organicæ respectu hominum: & *confessionis* seu exercitii cœlestis verbi, ut causæ organicæ respectu Dei. Confer v. 9. ubi duplex istiusmodi connexio; τῷ credere & confiteri; & τοῦ Dominum esse Christum, & τοῦ ex mortuis resurrexisse.

2. In vocibus complexis. Judic. 21: 11. *Hoc illud est, quod facturi estis: omnem marem & omnem fœminam, expertam concubitum maris, internecioni devovebitis.* vers. 12. *Hi autem invenerunt ex inhabitatoribus Jabeschi Gileadis quadringentas puellas virgines, quæ non fuerant expertæ virum concubitu maris, adduxeruntque eas in Schilo ad castra*, quæ manserant *in terra Canaan.* In priori versu deest contrarium, quod in vers. 12. extat. Subintelligendum enim: *Et è contrario servabitis fœminas intactas à viris, easque adducetis.* In posteriori versu deest itidem contrarium, quod in vers. 11. extat. Subintelligendum enim: *quod omnes reliquas fœminas una cum viris interfecerint, sicut illis fuerat mandatum.* Vide & Genes. 11: 7, 8.

Psal. 1: 6. *Quia novit Jehova viam justorum; via autem impiorum peribit.* In utroque membro deest, quod ex altero supplendum. In *priori*

 poni-

ponitur causa, reticetur eventus: in posteriori ponitur *eventus*, reticetur *causa*. Sensus est: *Deus novit* (probat, fovet, curat) *justorum viam* (vivendi rationem & modum; *ideoque ea non peribit: Viam autem impiorum non novit, ideoque ea peribit*. Pii à Deo ad salutem æternam custodiuntur, impii præfractè in sua malitia tandem æternùm pereunt. Vide & Psal. 42: 9.

Esa. 32: 3. *Neque connivebunt oculi videntium, sed aures audientium auscultabunt*. Integra sententia est: neque connivebunt oculi, neque obsurdescent aures; sed videbunt oculi, & aures audient &c.

Matth. 24: 3. *Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum adventus tui & consummationis seculi*. Prius membrum, *quando hæc erunt*, respicit ad excidium Hierosolymitanum, de quo Christus dixerat vers. 2. Non autem accipienda verba discipulorum disjunctivé & exclusivé, quòd excidii Hierosolym. duntaxat tempus, adventus verò Christi & consummationis seculi duntaxat signum quæsiverint: sed quod utriusque horum (tàm excidii Hierosolym. quàm adventus Christi & consummationis seculi) tùm determinatum tempus, tum prævium aliquod signum quæsiverint. Vide Harmon. Euangel. D. Gerhard. capit. 160. pag. 351.

Johan. 14: 10. *Verba, quæ ego loquor, à meipso non loquor: Pater in me manens, ipse facit opera*. Sententia integrè concepta sic habet: Verba, quæ ego loquor vobis, non loquor à me ipso; & opera, quæ facio, non facio à meipso: sed pater in me manens, ipse loquitur ista verba; & iste facit ista opera &c.

## DE PLEONASMO.

PLeonasmus seu abundantia verborum aut sententiarum ita dicitur, non quod ociosa planè sint aut inutilia, quæ repetuntur vel abundant; sed quod sine illis nihilominus videretur necessarius sensus constitutus. Abundantes autem illæ voces *vel* rem plenius exponunt, *vel* emphasin addunt, *vel* affectum dicentis arguunt, *vel* distributionem notant, *vel* demum ex usu linguæ sanctæ ita ponuntur. August. tom. 8. in Psal. 104. *Hoc pertinet ad elocutionis varietatem, medentem fastidio, non ad diversitatem sententiarum*. Uti mysteria cœlestia, verbo scripturæ exposita, ὑπὲρ νοῦν ἀνθρώπινον posita sunt: ita & styli sacrosancti ratio. Quare si quicquam abundare in eo videtur, id admirandum potiùs Spiritu & fide, quàm eludendum & irridendum carnali affectu est.

Malè igitur Augustinus Steuchus, de quo Münsterus in præfat. Bibliorum refert, *quod insimulet sermonem Hebraicum, dicatque illum in hoc peccare, quod tàm sæpe utatur tautologiâ, frequentiusque eadem inculcet absque ulla necessitate: quodque propterea Interpres vulgatus prudenter egerit, ut quæ semel inculcata fuerant, illa non repetiverit, ut Hebraismus facit &c.* Quo fine scopové hæc dicantur, facilè patet, ut videl. elevatâ fontis Sacrosancti autoritate, rivulo vulgatæ versionis Latinæ satis turbido & impuro, concilietur dignitas & præeminentia. Quantò autem rectiùs Ribera Jesuita in Hos. 6. *Non βαττολογία est, quando Spiritus sanctus rem eandem repetit, sed solet verbis facta, quæ narrat, imitari, & ponere nobis ob oculos contentionem animi fervoremque eorum, de quibus loquitur.* Johan. 1. *Confessus est, & non negavit & confessus est. Ter idem repetit, ut intelligamus, Johannem Baptistam non simpliciter negâsse, sed magna asseveratione & repetitione & desiderio persuadendi, se non esse Christum*, q. d. *non sum Christus, nolite errare in re perspicua, longissimè ab eo absum, nullo modo sum.* Hæc ille optimè. Placet autem & B. Lutheri nostri verba adscribere, in comment. Gen. 7: 13, 16. *Hic incipit Moses mirabiliter esse multiloquus, ita ut aures delicatas illa verbositas offendat, quòd toties, &, ut apparet, sine omni fructu eadem repetit. Non satis ei est dixisse in genere; omne volatile, sed tres avium species facit &c. Facit etiam tres species animalium. Deinde de ipso diluvio etiam admodum verbosus est. Dicit, prævaluisse aquas, auctas esse, inundâsse, operuisse terræ superficiem. Tandem cum hujus inundationis effectum narrat, eâdem copiâ utitur; Expiravit omnis caro, mortua est, deleta est &c. Non otiosa hæc verba sunt, sicut sicci, & nihil Spiritus habentibus Lectoribus apparent: Sed invitant ad timorem Dei, & quasi in rem præsentem ducunt, ut tanta ira cogitationibus quasi depressi, incipiamus serio timere Deum, & desinamus peccare. Nam neque Moses sine largis lacrymis scripsisse hæc videtur. Ita enim totus in illud horribile spectaculum iræ, oculis atque animo intentus est, ut non possit non sæpè eadem repetere. Facit autem id sine dubio eo consilio, ut hos quasi aculeos timoris Dei piorum Lectorum animis infigat.*

Distingui pleonasmus linguæ sanctæ potest, quòd sit *vel* vocis simpliciter positæ, *vel* vocis aut sententiæ in textu repetitæ. Ad *prius genus* pertinent, quæ supra tract. 1. can. 4: 38. tract. 2. can. 24. seq. & aliàs hinc inde dicta sunt; quando videl. vox simpliciter & sine repetitione, vel ex usu linguæ, vel emphaseos causâ ponitur. Ad *posterius genus* pertinent, quæ passim de repetitione unius vocis dicta sunt. Hac

vice ita progredimur: Repetitur idem, vel quoad *verba*, vel quoad *sensum*. Repetitio ejusdem quoad verba, fit vel in *una* voce, vel in *pluribus*. Repetitio ejusdem quoad sensum, fit vel per synonyma *affirmantia*; vel per synonyma *opposita* & negantia; vel per synonyma *exegetica* seu figuratam orationem explicantia. De quibus distinctè agendum.

## Observatio XIV.

### *De pleonasmo repetitionis ejusdem, quoad verba.*

1. Repetitio *unius* vocis. Vel *nominis*, ejusque tùm substantivi, de quo tract. 1. can. 5. tùm adjectivi, ibid. can. 16. Vel *pronominis*, tract. 2. can. 5. Vel *verbi*. Exod. 12: 50. ויעשו *& fecerunt omnes filii Israelis, quemadmodum praeceperat Jehova per Mosen & per Aharonem, sic* עשו *fecerunt*: q.d. diligenter & cum fervore executi sunt demandata sibi.

1 Reg. 2: 4. *Ut confirmet Jehova verbum suum, quod locutus est mihi,* לאמר *dicendo, si custodierint filii tui viam suam, ambulando coram me in veritate, in corde suo, & in tota anima sua,* לאמר *dicendo, non abscindetur tibi vir de solio Israel*. Notatur promissionis certitudo, quia Jehova dixit &c.

Ezech. 33: 11. שובו שובו *revertimini, revertimini à viis vestris malis*. Exhortationis divinae ad poenitentiam fervor indicatur. Sic Cant. 6: 12.

Dan. 10: 19. חזק וחזק *confirmare & confirmare*, h.e. etiam atque etiam confirmare, seu, animum ac vires sume.

Ose. 2: 2. ריבו *contendite cum matre vestra,* ריבו *contendite*, quasi dicat, omninò & acriter contendite.

Vel *adverbii*; tract. 5. can. 2: 4.

2. Repetitio *plurium* vocum. Fit ea vel *distributionis* causa. Ezech. 46: 21. *Et ecce, atrium in angulo ipsius atrii, atrium in angulo ipsius atrii*, h. e. atrium in unoquoque angulo ipsius atrii. Loquitur de quatuor Levitarum atriolis, ipsis attributis ad ministerium populi. Vide & Exod. 26: 3.

Vel *Emphaseos* causa. Gen. 13: 5, 6. *Quin & ipsi Loto, qui ibat cum Abrahamo, erant greges, & armenta, & tentoria: & non ferebat eos terra, ut habitarent simul, quia fuit possessio eorum multa, & non potuerunt simul habitare.*

Levit. 18: 8. *Nuditatem patris tui, aut nuditatem matris tuae ne retegito: mater tua est, ne retegito nuditatem ejus*. Sic v. 9. 10, 11, 15. Ingeminatione hac, interdicti Spiritus sancti severitas innuitur.

Plura exempla videantur, Exod. 16: 35. cap. 25: 23, 35. cap. 29: 34. Lev. 20: 10. (ubi prius אשר pronomen est, posterius conjunctio, *eo quod;*) Num. 9: 18. seqq. Jud. 5: 27, 30. 2. Sam. 8: 14. Psal. 94: 3. Psal. 124: 1, 2. Psal. 145: 18. Ezech. 36: 1. usque 7. Dan. 5: 11. 1 Joh. 1: 1, 3. Apoc. 16: 18. &c.

Huc referri potest dicendi genus cyloides & ἀμοιβαῖον, in carminibus sacris usitatum, cùm eadem verba emphaseos causâ, insertis subinde aliis, repetuntur: Quale est carmen lugubre Davidis, super obitu Saulis & Jonathanis factum, 2. Sam. 1. in quo ter repetuntur verba: *Quomodo ceciderunt robusti?* vers. 19, 25, 27. Sic Psal. 56: 5, 11, 12. Psal. 80: 4, 8, 20. Psal. 46: 8, 12. Psal. 42: 6, 12. Psal. 136: 1. sequentibus. Videatur etiam caput de figuris dictionis in Rhetorica sacra.

## Observatio XV.

### *De pleonasmo repetitionis ejusdem quoad sensum.*

De *simplicibus* vocibus synonymis suo loco dictum. Vide tract. 1. can. 6. tract. 5. can. 2. &c. Jam de *pluribus* vocibus & totâ sententia potissimùm agitur. Repetitio illa fit.

1. Per synonyma affirmantia: quod Rabbini vocant כפל הענין במלות שונות h. e. *duplicitas* (potiùs identitas) *significationis in repetitis vocibus*.

Exod. 12: 2. *Mensis iste vobis caput mensium erit: primus ipse sit vobis inter menses anni*. Exod. 15: 26. *Si audiendo audieris vocem Dei tui, & quod rectum est in oculis ejus feceris & auscultaveris praeceptis ejus, & custodieris omnia statuta ejus, &c.* Sic Exod. 1: 7. Deut. 13: 4. cap. 20: 3. Ps. 5: 2, 3. Psal. 6: 9, 10. Psal. 8: 5. Psal. 7: 17. Ps. 29: 1, 2. Psal. 89: 31, 32. Es. 52: 13. &c.

Jer. 13: 17. *Quod si non audieritis, in occultis plorabit anima mea propter superbiam; lacrymando lacrymabitur, & descendet ex oculo meo lacryma; quia captivus abducendus est grex Domini*. Emphatica serii ploratus & συμπαθείας descriptio: quales lacrimae Salvatoris erant, ob futurum urbis Jerusalem interitum, Lucae 19: 41.

Jer. 48: 29. Sexies *superbia*, tùm iisdem, tùm distinctis & synonymis vocibus memoratur, ad exaggerandum hoc nefandum vitium. Sed hoc exemplum ad classem simplicium vocum potiùs pertinet.

Rom. 6: 6. *Hoc scientes, quòd vetus noster homo*

*mo crucifixus est*, *ut aboleatur corpus peccati*, *ne amplius serviamus peccato*. His phrasibus idem omninò significatur; & tria illa, *vetus homo*, *corpus peccati*, *& peccatum*, idem sunt, sed non sine emphasi repetuntur. Ratione Adamicæ originis, regenerationi oppositæ, dicitur *vetus homo*: ratione virium & operationis dicitur *corpus peccati*, q.d. quòd tantas in nobis vires exerit, ac si esset corpus quoddam vivum, ac res quædam per se subsistens. Postremò ipsum nomen *peccati* tanquam & priorum ἐξήγησις ponitur.

2. Per synonyma opposita & negantia. Gen. 42: 2: *Emite nobis frumentum*, *ut vivamus & non moriamur*. Exod. 9: 19. *Quicunque homo aut jumentum invenietur in agro*, *& non receptus fuerit in domum &c.* Exod. 12: 20. *Nihil fermentati commeditote*, *in omnibus habitationibus vestris commedite panes azymos*. Alia exempla sunt Deut. 32: 6. cap. 28: 13, 1 Sam. 1: 11. Esa. 3: 9. cap. 6: 9. cap. 38: 1. Jer. 20: 14. Ezech. 18: 13, 21, 28. Hos. 5: 3. Hab. 2: 4.

In Nov. Testam. Johan. 1: 3. *Omnia per ipsum facta sunt*, *& sine ipso factum est* ὐδὲ ἓν *ne unum quidem*, *quod factum est*, hoc est, nulla res est, quæ sit facta, & non sit facta per ipsum. Quod addidit Johannes propter Spiritum sanctum, ne putaretur inclusus inter omnia illa, quæ facta sunt per verbum, ut inquit Bellarminus lib. 1. de Christo c. 6. Cui addi potest, ideò oppositionem illam cum προσδιορισμῷ (ὃ γέγονεν, *quod factum est*) adponi, ut excludantur τὰ παραγινόμενα accessoria illa & per lapsum introducta, peccatum scil. & mors. Quidam etiam ad divinitatem & æternitatem τοῦ λόγυ uberiùs demonstrandam hoc additum esse dicunt. Certè *si absque ipso nihil factum est*, *quod factum sit*, ipse non erit factus, sive quod idem est, erit increatus. Neque enim ipse per sese ipsum fieri potuit. Necessariò igitur colligitur, quod sit æternus Deus, quæ verba D. Calixti sunt in Harmon. Euang. p. 12.

Johan. 1: 20. *Confessus est*, *& non negavit*, *& confessus est*. De hoc loco superiùs ex Ribera dictum.

Joh. 3: 15. *Ut omnis*, *qui credit in eum*, *non pereat*, *sed habeat vitam æternam*. Ubi emphatica est affirmationis positio, ut intelligatur, non solum σέρησιν κακῶν, sed etiam θέσιν ἀγαθῶν, ex Christo ad credentes ὑπερεκπερισσοῦ pervenire. Sic Joh. 5: 24. Vide etiam Actor. 18: 9. Rom. 4: 20. 1 Cor. 1: 10. Gal. 5: 1. 1 Joh. 1: 5. cap. 2: 4. &c.

3. Per synonyma exegetica. Interdum enim eadem sententia figuratè concepta, propriis verbis, exegeseos gratiâ, repetitur.

Psal. 7: 15. *Ecce parturit molestiam*, *& concepit laborem*, *& parit mendacium* v. 16. *Foveam effodit*, *& excavavit eam*, *& incidet in foveam*, *quam fecit*. v. 17. *Redit molestia ejus in caput ejus &c.* Priores duo versus figurati sunt, quorum exegesis ultimus est.

Esa. 51: 1, 2. Evidens exemplum occurrit, & Hos. 4: 19. cap. 13: 15, 16. 2 Tim. 4: 6. Observa quædam inter exempla hujus observationis esse, quæ solas quandoque voces respiciunt; tales tamen quæ integri sententiæ membri vim obtinent.

# DE ENALLAGE.

ENallage dicitur & ἀλλοίωσις, ἑτέρωσις, ἀντιμέρεια vel ἀντιμερία, & per octo orationis partes fuit suprà hinc inde tradita. Hic seorsim quædam tradenda, quæ totius orationis sanctæ habitum spectant. Concernit enallage partes orationis variabiles (*nomen*, *pronomen*, *verbum*, *participium*) vel *indiscriminatim*; vel *diserte*, tùm *nomina & participia*, tùm *verba*. In *priori*, occurrit enallage personarum & numerorum. In *posteriori*, quoad nomina & participia, enallage *casuum*; quoad verba, enallage *temporum & modorum*.

## Observatio XVI.

### *De enallage personarum.*

IN sacris literis quandoque personæ mutantur in nominibus, pronominibus, verbis &c. non variatâ sententiâ. Rab. David Kimchi in Ezech. 51: 10. כדרך המקרא לדבר לנכח ושלא לנכח כאחד : hoc est, *consuetudo scripturæ est*, *ut loquatur tanquam ad præsentem*, *& tanquam de absente* (hoc est, modò in secunda, modò in tertia persona) *eodem sensu*.

Gen. 49: 4. *Quia ascendisti cubilia patris tui*, *tunc profanâsti ea*; *stratum meum ascendit*. Hac apostrophe & mutatione personæ, Israel reliquis filiis justam esse ostendit privationis primogenituræ causam: & hujus pœnæ exemplo omnes alios à peccatis absterret.

Deut. 32: 15. *Sed saginatus est Jeschurun*, *& recalcitravit*: *saginatus es*, *obesatus es*, *adipem obduxisti*: *& deseruit Deum*, *qui magnificaverat ipsum*, *& vilipendit rupem salutis suæ*. In vers. 16. mutatio etiam numeri est: *ad zelotypiam commoverunt eum &c.* vers. 18. ad secundam singularis fit regressus: *rupis*, *quæ genuit te*, *oblitus es*, *& oblivioni tradidisti Deum fortem formatorem tuum &c.* Per ישרון *Jeschurun* vers. 15. uni

25. ubi & cap. 35:5,26. populus Israel intelligitur, sic dictus à *rectitudine* (ישר enim significationem hanc obtinet) ad quam à Deo vocatus, & in peculium adscitus est, etsi quàm longissimè ab ea discessit. Aliter tamen Forsterus, qui à שור taurus, deducit, q. d. populus in unum corpus coalitus, tanquam taurus. Vide ipsum in dictionario Heb. p. 834.

Psalm. 18: v. 29. *Tu illustras lucernam meam: Jehova Deus meus illuminat tenebras meas.* Sic vers. 30. & aliàs sæpè in precationibus Psalmicis. Vide & Mich. 7. v. 18, 20. ubi in προσφωνήσει ad Deum similis personæ mutatio est. Et Jerem. 11: 18.

Psalm. 22: v. 27. *Comedent mansueti & saturabuntur, laudabunt Jehovam quærentes eum: vivet cor vestrum in seculum.* Ubi apostrophe & mutatio personæ emphatica est. Vide & Psal. 81: v. 6, 7, 14, 15, 17. Es. 22, v. 18, 19, 20. Ezech. 31: 17. (al 10.)

Mich. 2: 3. *Ecce ego cogito contra familiam istam malum, unde non amovebitis colla vestra &c.* ubi simul mutatio numeri est.

Matth. 5: 3. *Beati pauperes spiritu, quia ipsorum est regnum cœlorum.* Sic versib. seqq. in tertia persona loquitur. In v. 11. autem in secunda persona sermonem incipit: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines &c.*

Luc. 1: 42. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uteri tui &c.* v. 45. *Et beata, quæ credidit, quia erit consummatio eis, quæ dicta sunt ei à Domino.* Vide Act. 17: 3. Rom. 7: 4. &c.

Huc refertur ab aliquibus illud Zeph. 2: 12. *Etiam vos Æthiopes, interfecti gladii mei* (seu *gladio meo*) המה *ipsi*, scil. sunt: ut sit enallage personæ tertiæ pro secunda. Quidam etiam ellipsin כ comparativi ponunt; pro כהמה *sicut illi*, videl. Moabitæ & Ammonitæ, quorum mentio vers. 9. præcessit: vel etiam, *cum estis.* Sed benè observat D. Tarnovius in comm. h. l. המה esse omnium trium personarum (*ipsi vos*, scil. eritis ; Demonstrativa enim ellipsin inducunt verbi substantivi, ut tract. 2. de pronom. dictum.) Sicut *idem* & *ipse* apud Latinos, & ἑαυτοῦ cum reliquis obliquis apud Græcos, in utroque numero, Matth. 3: 9. 2 Joh. v. 8. המו *ipsi*, apud Chaldæos Esr. 5: 11. *Id fortè* (inquit) *non adeò notum est in vulgus, & proindè hîc notandum, sicut & affixum tertiæ personæ apud Syros usurpatur &c.*

# Observatio XVII.

*Itidem de enallage personarum.*

AD enallagen personarum petinent etiam sequentia:

1. Quando sermone Prophetico *personarum loquentium* fit mutatio, quæ enallagen etiam personæ in nominibus, pronominibus & verbis non rarò importat. De hoc exempla sunt adducta in Philolog sacr. libr. 1. tract. 4. sect. 1. de stylo Proph. can. 6.

2. Mutatio personarum *in textibus parallelis*, seu vaticiniis Propheticis, & eorum allegatione. Malach. 3. ℣. 1. *Ecce ego mitto angelum meum & expediet viam ante me.* Matth. 11: 10. in secunda persona hoc enunciatur: *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* In Propheta Christus ipse loquitur: In Euangelista Deus Pater ad Filium.

Esai. 6: 10. In tertia persona dicitur ורפא לו *Et sanet eum*, videlicet Jehova populum, vel passivè, *& sanitas obveniat ei*, scilicet populo. Matth. 13: 15. in prima persona id Christus eloquitur: καὶ ἰάσωμαι αὐτούς, *& sanem eos.* Quo se verum illum Deum ostendit, qui solus salvare & sanare potest. Confer etiam Ps. 68: v. 19. cum Ephes. 4: 8.

Zachar. 13: 7. הך *percute pastorem*, scilicet ô gladie, quem Deus alloquitur. Matth. 26: 31. pro hoc imperativo futurum primæ personæ est: πατάξω *percutiam pastorem &c.* Cùm enim gladius iste (calamitas, persecutio, passio, crux) non nisi Dei jussu Christum percutiat, meritò hoc ad ipsum, ut principalem causam, refertur.

3. Cùm persona aliqua de seipsa in tertia persona, & tanquam de persona aliâ loquitur. Exempla sunt Gen. 4: 23. cap. 44: 18. Num. 24: 3, 4. 1. Sam. 12: 11. Matth. 9: 9. Joh. 21: 24. 2 Cor. 12: 2, 3, 4. Sic quando Prophetæ de seipsis loquuntur. Jer. 28: 5, 10, &c. Jon. 1. & per totam historiam. Sic Christus de se in tertia persona sæpissimè loquitur, vocans se *Filium hominis*, Matth. 8: 20. cap. 18: 11. Luc. 24: 26. &c. Vide & suprà tract. 2. can. 8. & tract. 3. can. 50. Videatur Augustin. tract. 61. in Joh. tom. 9. col. 406.

a Observatio de Pronomine.

## Observatio XVIII.

### *De enallage numeri.*

EXod. 10: 2. ולמען תספר *& ut enarres in auribus filii tui, & filii filii tui &c.* וידעתם *& cognoscetis me esse Jehovam.*

Psal. 14: 1. *Dicit stultus in corde suo, non est Deus; corrumpunt, abominandam quamque actionem perpetrant; non est, qui faciat bonum.*

Prov. 1: v. 11. *Abscondamus nos* לנקי *contra innocentem impunè*, vers. 12. נבלעם *absorbebimus eos*, videlicet innocentes, de quo in singulari vers. 11. dixerat.

Esa. 2: 20. *Tempore illo abjiciet* האדם *homo idola &c.* אשר עשו *quæ fecerunt* (sc. homines) *sibi ad adorandum &c.*

Matth. 1: 21. *Ipse salvabit populum suum à peccatis eorum.* In plurali loquitur, quia populus collectivum nomen est, omnes credentes complectens.

Gal. 4: 6. *Quoniam estis filii &c.* v. 7. *Itaque jam non es servus, sed filius &c.* v. 8. *Sed tunc quidem ignorantes Deum serviebatis iis, qui naturâ non sunt Dii.* Sic cap. 6: 1. 1 Tim. 2: 15. Apoc. 1: 3. &c. Vide & suprà tract. 2. can. 17. tract. 3. can. 61: 52, 53.

## Observatio XIX.

### *De enallage Casuum.*

HÆc nomina & participia concernit, & vocatur ἀντίπτωσις.

Luc. 1: 55. *Sicut locutus est*, πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν, τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. Ubi accusativo Dativus respondet, in sententia eadem.

Apoc. 1: 5. καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς &c. τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς &c. v. 6. καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς βασιλεῖς &c. ubi 1. genitivus, 2. nominativus. 3. dativus, 4. verbum ponitur, & tamen oratio eodem sensu continuè fluit. *Genitivus* à præpositione regitur: *Nominativus* verbo in vers. 6. posito respondet: *Dativus* ad finem vers. 6. pertinere videtur, αὐτῷ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας, Ἀμήν.

Apoc. 3: 22. καὶ τὸ ὄνομα τῆς πόλεως τοῦ θεοῦ μου τῆς καινῆς Ἱερουσαλήμ, ἡ καταβαίνουσα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ &c. Quædam tamen exemplaria legunt, ἣ καταβαίνει, *quæ descendit.*

Vide & Apoc. 18: 13. ubi ἀντίπτωσις accusativi in genitivum est. Et 2. Petr. 2. 10. ubi mutatio accusativi in nominativum occurrit.

Sic in libro Apocrypho 2 Macc. 1: 2. *Benefaciat vobis Dominus, & meminerit testamenti sui*, τῆς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ, τῶν δούλων αὐτοῦ τῶν πιστῶν.

De antiptosi seu casuum permutatione suprà etiam in doctrina de nomine & pronomine dictum.

## Observatio XX.

### *De enallage temporum & modorum.*

IN verbis occurrit enallage & mutatio.

1. Temporum. Psal. 1: 1. *Beatus vir, qui non* הלך *ambulavit in consilio improborum &c.* vers. 2. *Sed in lege Domini voluptas ejus, & in lege ejus* יהגה *meditabitur die & nocte.* vers. 3. והיה *& fuit ut arbor plantata. &c.* In præteritimùm, mox in futuro, & iterum in præterito loquitur: & continuitas actionis durantis nihilominus indicatur. Ponuntur enim & præterita & futura pro præsenti, ut suprà dictum in doctrina de verbo. Sic & Psalm. 2. vers. 1. Esaiæ 60. vers. 1, 2, 3. &c.

Matth. 24: 40. *Tunc duo erunt in agro*, *unus* παραλαμβάνεται, καὶ ὁ εἷς ἀφίεται, *unus assumitur, & unus relinquitur.*

Rom. 3: 28. *Concludimus igitur, fide* δικαιοῦσθαι *justificari hominem, absque operibus legis.* vers. 30. *Quoniam unus est Deus*, ὃς δικαιώσει, *qui justificabit circumcisionem ex fide, & præputium ex fide.* Primùm ponitur præsens, postea futurum, & continuitas actionis divinæ utrobique indicatur.

2. Modorum. 1. Cor. 10: 6. *Hæc autem typi nobis facti sunt*, εἰς τὸ μὴ εἶναι ἡμᾶς ἐπιθυμητὰς κακῶν &c. vers. 7. μηδὲ εἰδωλολάτραι γίνεσθε &c. v. 8. μηδὲ πορνεύωμεν &c. v. 9. μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστὸν &c. v. 10. μηδὲ γογγύζετε &c. Hîc 1. infinitivus est, 2. imperativus 3. conjunctivus, cum ἑτερώσει personæ. 4. rursus imperativus. Et sensus idem est sermonis ἑτεροιωτικός &c. De enallage autem temporum & modorum suprà dictum fuit uberiùs in doctrina verborum. [a] Enallage *generis* suis etiam locis declarata est. Peculiariter hîc repete, quod tract. 4. de particip. can. 10. ad Jer. 4: 30. fuit ex R. Kimchi monitum: qui in comm. Jer. 3: 5. eadem ferè notat, his verbis: *Dum dicit* (Propheta) ותעשי *genere fœminino, &* [illegible] *genere masculino, scias hunc morem esse Scripturæ sacræ in multis locis, ubi de Synagoga* (populo) *Israelis agitur, ut utatur modò fœminino genere, respiciendo ad* כנסת *Synagogam seu cœtum* (quæ vox fœm. est) *modò etiam masculino, respiciendo ad* עם *populum* (quod mascul. est) *& eadem*

[a] Observatio de Enallage Generis.

*res redit*. Item in Hos. 4: 19. *Hic Scripturæ mos est, ut loquatur de populo in masculino & fœminino genere. Nam populus genere masculino dicitur* עָם, *& genere fœmin.* עֵדָה *vel* קְהִלָּה *Et sic* (de eodem populo Scriptura loqui solet) *numero singulari & plurali. Singulari* כלל דרך *collectivè; plurali* פרט דרך *particulariter*: (hoc est, priori modo ad integrum q. populi corpus; posteriori ad singula ejus membra respiciendo.) Hæc observatio multis Scripturæ locis commodè explicandis inservit. Vide etiam, quæ Buxt. habet de nominibus collectivè sumtis, species animalium notantibus, thes. l. 2. p. 405.

## DE HYPALLAGE.

HYpallagen in genere vocant transpositionem vocum ejusmodi, quâ de uno dicitur, quod dici deberet de altero: vel uni attribuitur, quod attribuendum esset alteri. Cujusmodi superiùs sunt tradita tract. 1. can. 14, 43. &c. Hic præterea alia sunt consideranda Scripturæ sacræ exempla.

### Observatio XXI.

*De vocum hypallage seu inversione.*

JUd. 1: 8. וְאֶת־הָעִיר שִׁלְּחוּ בָאֵשׁ *& civitatem miserunt in ignem*, hoc est, civitati immiserunt ignem. Sic Psalm. 74: 7.

1 Sam. 23: 7. נִסְגַּר לָבוֹא *inclusit se ad veniendum in civitate munitâ foribus & vecte*, hoc est, venit inclusum, seu ut includat se.

2. Reg. 9: 24. *Sed Jehu* מִלֵּא יָדוֹ בַקֶּשֶׁת *implevit manum suam arcu*, h. e. implevit (plenè intendit) manu suâ arcum: seu vehementissimè adduxit manu sua arcum. Quidam propriâ verborum διαθέσει retentâ phrasin hanc explicant, manu plena arcum tenendo, alterâ nervum adducere, & sic sagittam projicere.

Ibid. v. 30. *Et venit Jehu Jezrebelem, & Isabel id audivit*, וַתָּשֶׂם בַּפּוּךְ עֵינֶיהָ *& posuit in fuco oculos suos*, h. e. adposuit fucum oculis.

Psalm. 80: 6. *Dedisti bibendum eis* בִּדְמָעוֹת שָׁלִישׁ *in lacrymis triental*, h. est, in trientali lacrymas: q. d non cyatho communi, sed immenso poculo calamitates propinâsti.

Psal. 160: 46. וַיִּתֵּן אוֹתָם לְרַחֲמִים *& dedit eos misericordiæ*, h. e. dedit eis misericordiam. Sic Dan. 1: 9.

Psa. 139. ult. *Et vide*, אִם־דֶּרֶךְ עֹצֶב בִּי *an via molestiæ in me sit*, h e. an ego sim in via molestiæ; an ingrediar viâ molestâ tibi. Sequitur: *Et deduc me in via perpetuâ*, seu constante in obsequio tuo. Seu *in via seculi*, h. e. æternitatis, quæ ad beatam æternitatem ducit.

Prov. 7: 22. *Sequitur eam subitò, tanquam bos ad mactationem abit* וּכְעֶכֶס אֶל־מוּסַר אֱוִיל *& sicut compes ad castigationem stulti*, h. e. & sicut stultus ad castigationem compedis. Alii, *& sicut* (vir) *compedis ad eruditionem stultorum*, h. e. in vincula & compedes se implicat, quibus stulti castigari solent.

Es. 1: 18. *Peccata vestra sicut nix albescent, & sicut lana* (candida) *erunt*: h. e. vos à peccatis mundati, instar nivis & lanæ albi & puri eritis; Ps. 51: 9.

Esa. 47: 3. *Ultionem suam*, וְלֹא אֶפְגַּע אָדָם *& non occurram homini*, h. est, & non occurret mihi homo; seu non feram obstare quenquam mihi, aut intercedere. Illam enim significationem פגע obtinet Lutherus, Und sol mir kein Mensch abbitten.

Jerm 52: 5. וַתָּבֹא הָעִיר בַּמָּצוֹר *Et venit civitas in obsidionem*, h. est, & venit obsidio in urbem, seu obsessa fuit urbs. Vel potiùs sine hypallage, *Venit*, h. e. posita seu constituta est urbs in obsidione.

Daniel. 2: 35. *Abstulit ea ventus*, וְכָל־אֲתַר לָא־הִשְׁתֲּכַח לְהוֹן *& nullus locus inventus est eis*, h. e. in nullo loco amplius illa inventa sunt. Sic Apoc. 12: 8.

Amos 5: 16 *Et vocabunt agricolam ad luctum*, וּמִסְפֵּד אֶל־יוֹדְעֵי נֶהִי *& planctum ad peritos lamenti*, h. e. & peritos lamenti ad planctum. Ita R. Kimchi.

Nah. 2: 3. *In igne tædarum* (erunt) *currus*, h. e. in curribus militaribus erunt tædæ ignitæ, quibus scil. utantur per noctem, ut sciant, quò eant; quo modo & tempus occupatæ urbis Nineves quodammodò innuitur: Vel per diem, ut illis incendant hostium ædes. Ita D. Tarnov. omnium optimè.

Matth. 8: 3. *Et confestim* ἐκαθαρίσθη αὐτοῦ ἡ λέπρα, *mundata est ipsius lepra*, h. e. ipse fuit mundatus à lepra sua. Præcedit v. 2 *Domine, si vis, potes me mundare*; & v. 3. inquit Jesus: καθαρίσθητι, *mundus esto*.

Act. 21: 3. Ἀναφανέντες δὲ τὴν κύπρον, *cùm apparuissemus Cypro*, h. e. ἀναφανείσης ἡμῖν τῆς κύπρου, *cùm apparuisset nobis Cyprus*. Ἀναφαίνειν opponitur τῷ ἀποκρύπτειν. Pro hoc Virgilius 3. Æneid. dixit *aperire*: *quarto terra die se attollere tandem visa, aperire procul montes ac volvere fumum &c.*

Rom. 15: 19. *A Jerusalem & per circuitum usque ad Illyricum* πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, *implere me Evangelium Christi*, h. e. illa loca implevi Euangelio Christi. Chemnitius hoc ita explicat: *Implevi Evangelium*, hoc est, plenè & perfectè prædicavi.

*Nota.* 1. Ad hypallagen referri potest & illa phrasis, cùm dicitur, *vocari nomen alicujus vel super aliquo;* cùm id sit, aliquem vocari de nomine alterius. Gen. 48: 16. Esa. 4: 1. Jac. 2:7. Vide supra tract. 3. can. 1. Drusius animadv. l. 2. c. 20. de hoc sic loquitur: *Vocetur super nos nomen tuum* (Esa. 4: 1.) *sensus est, cognominemur à te, V. C. Rebecca cognominatur ab Isaaco, cùm dicimus, Rebecca Isaaci, quæ cognominatio eam distinguit ab aliis, si quæ sunt ejusdem nominis; plures enim esse possunt. Sic Bethsabea cognominatur ab Uria, cum legimus, Bethsabea Uriæ; subintelligitur enim uxor. Sed apud Mosen* (Gen. 48.) *aliud subintelligitur. Cùm enim sic loquimur, Manasse Jacobi, aut Ephraim Jacobi: subintelligitur filius: & credo hoc significat: vocetur super eos nomen meum, hoc est, cognomen accipiant à me, ut dicantur Manasse & Ephraim Jacobi, tanquam si revera mei filii essent, & non ex filio meo Josepho nepotes: ac si diceret, habeantur eo loco, quo cæteri mei filii, sic adeò ut etiam familiam constituant.*

2. Præterea huc pertinet phrasis; quòd *oculus descendat aquam vel lacrimas*, hoc est, quòd aqua seu lacrymæ descendant (seu defluant) ex oculo. Jer. 9: 18. Thren. 1: 16. Quidam ad hyperbolen referunt, ac si diceretur, quòd oculi ipsi videantur præ maximo fletu quasi liquescere & defluere: Uti Germani hyperbolicè loqui solent, die Augen aus dem Kopffe weinen. Chald. vertit per זְלַג *stillare &* שְׁגַר *emittere &c.*

3. Est & hypallages quædam species in illa phrasi, Esa. 7: 11. הַעְמֵק שְׁאָלָה אוֹ הַגְבֵּהַּ לְמָעְלָה *profundum fac petitionem* (vel *petendo*: habetur enim ab aliquibus pro infinitivo) *aut exalta sursum*, scil. petitionem, vel petendo: h. e. pete ex profundis, aut pete ex rebus altissimis. Invertuntur verbum imperativi modi, & ejus objectum Sic Esa. 31: 6. *Revertimini* לַאֲשֶׁר הֶעֱמִיקוּ סָרָה *ad quem profundant*, seu *profundam faciunt apostasiam filii Israelis*, h. e. ad eum, à quo profundè seu maximâ apostasia recedunt. Junius: *quem summa apostasia provocant.*

4. Tandem hypallagæ vicina est illa Græcorum constructio, cùm verbo passivo præponitur nominativus personæ, cùm præponi deberet nominativus objecti seu rei. Roman. 3: 2. ὅτι ἐπιστεύθησαν (οἱ Ἰουδαῖοι) τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ; *Quia concredita sunt eis* (Judæis) *eloquia Dei.* Sicut activè dicitur, θεὸς ἐπίστευσεν Ἰουδαίοις τὰ λόγια αὐτοῦ: sic passivè dici deberet; Ἰουδαίοις ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια Θεοῦ. Sed peculiari Græcismo fit illa constructionis inversio, quâ dativus personæ in nominativum; & nominativus objecti seu rei in accusativum vertitur, vel, quod idem est, accusativus rei verbo activo additus: in passiva voce manet. Vide eandem phrasin 1 Cor. 9: 17. Gal. 2: 7. 1 Thess. 2: 4. 1. Tim. 1: 11. & ferè similem Heb. 7: 11. Conferantur etiam quædam non absimilia tract. 3. de verbo can. 33.

Ex profanis hypallages exempla afferuntur. Ex Virg. 6. Æn. *Ibant obscuri solâ sub nocte;* pro, ibant soli sub obscura nocte. Æn. 12. *Cui plurimus ignem subjecit rubor & calefacta per ossa cucurrit*: pro, cui ignis animi subjecit ruborem faciei. Ovid. metam. 1. *Perdidit effuso per vulnera nigra veneno:* pro, effuso nigro veneno per vulnera. Iterum Virg. *Sceleratum intorserat hastam:* pro, ipse sceleratus intorserat. *Date classibus Austros*: pro, date classes Austris. Cicero pro Marcello: *Gladius vagina vacuus:* pro, vagina gladio vacua.

## Observatio XXII.

*De aliis, quæ hypallagen spectant.*

Placet adferre & alia exempla, quæ per hypallagen quidam interpretes explicant; etsi non adeò certum hoc est.

2. Sam. 12: 27. *Et misit Joab legatos ad Davidem, & dixit, oppugnavi Rabbam, etiam cepi* אֶת־עִיר הַמָּיִם *civitatem aquæ*, h. e. intercepi aquam in civitate. Sed non opus videtur hanc hypallagen ponere, cùm in præcedenti versu dicatur: *Bellum autem gerebat Joab contra Rabbam Ammonitarum, & cepit* אֶת־עִיר הַמְּלוּכָה *civitatem Regiam*; h. e. eam partem civitatis, ubi erat Regia. Cui παραλλήλως respondet versus 27. unde & eodem modo à Chaldæo redditur. R. Kimchi in v. 26. *Urbs Regia est, in qua Rex habitabat, & illa vocatur urbs aquarum, quia in illa parte urbis aquæ erant, & non in reliqua urbe, in qua habitabat populus, & civitas aquæ hæc erat in latere urbis alterius, non in medio ejus &c.* Quidam *civitatem aquæ* vocari Regiam dicunt, quia aquis fuerit circumclusa.

2 Reg. cap. 5: 3. אָז יֶאֱסֹף אֹתוֹ מִצָּרַעְתּוֹ *Tunc colliget eum à lepra ejus*, hoc est, tunc colliget vel auferet lepram ejus ab eo. Sic vers. 6, 7. Auferendi enim significationem Gen. 30: 23. Soph. 1: 2. & alibi hoc verbum obtinet. Sunt tamen, qui sine hypallage vertunt: *Tunc colliget eum à lepra ejus*; hoc est, recipiet in hominum consortium seu restituet. R. Kimchi, *Sanatio lepræ ideò dicitur* אסיפה *collectio, quia leprosus habitat seorsim, & cum sanatur, recolligitur inter filios hominum.* Chaldæus pro אסף verbum אסא *sanavit*, usurpat.

Psalm. 19: 14. *Etiam de contumaciis subtrahe servum tuum*, hoc est, subtrahe contumacias

à servo

à servo tuo; id est, peccata, quæ volens & contumaciter commisi, condona. Sed potest commodè ordo verborum nativus retineri, hoc sensu: *Etiam à contumaciis subtrahe servum tuum, ne dominentur in me*, hoc est, conserva & custodi me spiritu tuo, ne sim contumax & impius, sed ut in obsequio tuo & pietate fervens sim & maneam. Confer phrasin Paulinam Rom. 6: 12. quæ à Davidica non multum discrepat חָשַׂךְ *condonandi* peccata significatione in usu non est.

Job. 31: 27. וַתִּשַּׁק יָדִי לְפִי *osculata est manus mea ad os meum*, h. e. & osculatum est manum meam os meum. Sensus est: *Si vidi Solem & Lunam, & manum meam admovi ad os meum;* q. d. Si, cùm vidi Solem & Lunam, adoravi ea, manu videl. ori admotâ atque ad osculum relata. Ita Drusius l. 1. obs. c. 20. ubi ex Minutio Felice in Octavio; Apulejo apol. 1. Plinio l. 28. c. 2. ritum illum veterum idololatrarum demonstrat, ut, cùm fanum aliquod præterirent, manum ori admoverent, atque ad osculum referrent. Allegat etiam Hieron. in comm. Job. 31. & Hos. 13. & apol. 1. in Ruffin. Ex eodem more, illud vulgati interpretis est, 1 Reg. 19: 18. *Et omne os, quod non adoravit eum, osculans manum.* Ubi in Hebr. est: *& omne os, quod non osculatum est eum.* Moller. in Psal. 2. *Erat id genus idololatriæ. Nam cùm homines ore suo non valerent Solem aut Lunam attingere, manum ad ea sidera extendebant, eam deinde ori admoventes osculabantur. Id etiam in elevatione panis aut calicis sub Papatu fieri à procumbentibus videmus.* Quidam, hypallage retentâ, tropicè phrasin explicant, ut *manus* pro ejus effectu, hoc est, operibus vel operationibus externis, metonymicè; *osculari* verò metaphoricè pro admirari, magnifacere, sumatur: quasi dictum hoc sit de sanctulis hypocritis, quia sua ipsorum opera unicè admirantur, exosculantur, iisque omnem cùm felicitatis terrenæ, tùm etiam beatitudinis æternæ causam adsignant. Quo pacto Jobus verum Deum abnegari, & manifestam idololatriam committi testatur.

Prov. 1: 25. וַתִּפְרְעוּ כָל־עֲצָתִי *sed abstrahitis omne consilium meum a vobis*, hoc est, sed abstrahitis vos ab omni consilio meo. Sic cap. 4: 15. Sed simpliciùs *abjiciendi* significatione hoc verbum פָּרַע accipitur: *sed rejicitis omne consilium meum.* Et in loco altero: *abjice eam*, vel *desere eam*, videl. viam malam.

Jer. 11: 19. *Et nescivi, quòd contra me inivérint cogitationes* (dicendo) נַשְׁחִיתָה עֵץ בְּלַחְמוֹ *corrumpamus lignum in pane ejus*, h. e. corrumpamus panem (vel cibum) in ligno ejus. *Corrumpamus*, h. e. veneno inficiamus; *Ligno*, h. e. catino; עֵץ generali nomine posito pro quocunque vase ligneo. Sensus ille de veneni infectione etiam sine hypallage à Rabbinis acceptatur. Targ. reddit: נִרְמֵי סַמָּא דְמוֹתָא בְּמֵיכְלֵיהּ *projiciamus venenum lethale in cibum ejus.* Hanc versionem fere sequuntur LXX. *ἐμβάλωμεν ξύλον εἰς τὸν ἄρτον αὐτοῦ*: & vulg. *mittamus lignum in panem ejus.* Hebræum נַשְׁחִיתָה accepisse videntur pro נְשִׁיתָה *ponamus*, á שות *posuit;* vel נַשְׁלִיכָה *immittamus*. R. Kimchi Thargumicam translationem explicans dicit, נַשְׁחִיתָה *perdamus*, pro נָשִׂימָה *ponamus* in Hebræo esse positum, quia impositio hæc sit perditio. Et *lignum* esse lignum mortiferum, q. d. lignum, quod venenum lethale est: quale Exod 15: 25. extat: *Et ostendit ipsi Jehova lignum*: ubi dicunt, quòd fuerit illud lignum amarum, ut ita miraculum in altero miraculo fuerit (quòd scil. ligno amaro amaræ aquæ, dulces factæ fuerint: *panem* verò pro cibo in genere esse positum. Hæc Kimchi, quem Pagnin. sequitur: *Corrumpamus veneno cibum ejus.* Junius & Tremell. contortè reddiderunt; *perdamus ligno pro cibo ejus, aut exscindamus eum è terra viventium &c.* hoc est, enecemus eum fame aut gladio, ut demonstrat antithesis pœnarum, ℣s. 22. *Est autem Ironica locutio* (inquiunt) *conjuratorum, qui lignum pro cibo nominant, quasi dicant, includamus eum loco angusto aut abstruso, ubi si volet comedere, ligna ipsa aut parietes comedat.* Sed in altera Bibliorum editione à Junio hoc est mutatum, & illa reposita versio: *Perdamus culmum cum grano ejus. Translatio sumta à segetibus, q. d. eradicemus istum, adeò ut ne stipula quidem extet ipsius. Panem autem pro grano vel semine metonymicè accipi, ex Eccles. 11: 1. patet.* In varietate isthac placet præ omnibus D. Forsteri sententia, qui sic vertit: *Dejiciamus arborem cum fructu suo, & succidamus eum è terra vivorum &c.* Jeremiam vocant figuratè *arborem* & *fructum arboris* doctrinam ipsius, sicut & Christus doctores *arbores* vocat, & doctrinam eorum *fructus*, ex quibus jubet cognoscendos esse, boniné sint an mali, Matth. 7. Hæc ille in præfat. dictionarii Hebr. cui B. Lutheri versio optimé congruit. Phrasis הִשְׁחִית עֵץ de *dejectione* & exstirpatione arborum etiam Deut. 20: 19. accipitur, לֶחֶם autem quemvis cibum & fructum notat: & hic *fructum* significare, Aben Ezra testatur in Exod. 16. Unde R. Kimchi exponit בְּפִרְיוֹ *in fructu suo* ב autem *cum* significare, tract. præced. obs. 5. §. 8. ostensum.



DE

# DE SYNCHYSI.

SYnchysin, seu verborum trajectionem, & quasi commixtionem, Rabbini vocant המוקדם מאוחר *anticipatum & posterioratum*, ὕστερον πρότερον. Item מִקְרָא מְסוּרָס *textum transpositum vel inversum*, uti patet ex Rab. Salomon. in Numer. 22: v. 33. & Rab. Aben Ezra in Esr. 7. ỷs. 6. Alii, verborum ἐμπλοκὴν seu μετάθεσιν, seu ὑστέρωσιν.

Potest ita dividi, quòd sit 1. *in simplicibus vocibus*, 2. *in vocibus conjunctis*, 3. *in tota propositione*, 4. *in continuo sermone*. 5. *in distinctis rerum factarum narrationibus*. In quo ultimo Grammaticæ limites paulùm excedendi.

## Observatio XXIII.

*De Synchysi in simplicibus vocibus.*

GEnes. 10: 14. *Et Patrusim, & Casluchim, ex quibus egressi sunt Pelischtim:* וְאֶת־כַּפְתֹּרִים *& Caphtorim*. Hæc ultima verba, *& Caphtorim*, pertinent ante ea, quæ præcedunt; *ex quibus egressi sunt Pelischtim*, seu Pelischtei: uti patet ex Deut. 2: 23. Jer. 47: 3. Amos 9: 7.

Exod. 22: 20. *Qui sacrificat aliis Diis,* יָחֳרָם *ut anathema perditor, præterquam Domino soli.* Vox illa יָחֳרָם ad fin. sententiæ pertinet.

Lev. 1: 2. *Homo cum obtulerit ex vobis oblationem*, hoc est, homo ex vobis cùm obtulerit &c.

2 Sam. 3: 27. *Et percussit eum ibi* in *quinta* costa, *& mortuus est, propter sanguinem Asabel fratris ejus.* Verbum *mortuus est*, ad finem pertinet. Illis enim verbis, *propter sanguinem &c.* causa percussionis ponitur.

2 Reg. 24: 3. *Enimverò ex præstituto Jehovæ id fiebat contra Judam, ut amoveret eum à facie sua, propter peccata Manassis, similia omnibus, quæ fecit.* Vox *Manasse*, ad fin. pertinet, hoc modo: *propter peccata similia omninò* (seu omnibus) *iis, quæ fecerat Manasse.* Vide & c. 10. ult.

2 Paralip. 3: 1. אֲשֶׁר הֵכִין בִּמְקוֹם דָּוִיד *quem præparavit in loco David*; pro, in loco, quem præparaverat David.

Psalm. 35: 7. *Quandoquidem immeritò absconderunt mihi* שַׁחַת *foveam, rete suum: immeritò fodiunt contra animam meam.* Hic vox שַׁחַת *foveam*, ad posterius membrum pertinet, ut sententia sit integra. Vide & Psalm 66: 16. & confer Lutheri versionem.

Esa. 23: 11. *Ad Chittim surge transi*, hoc est, surge & transi in Chittim, seu ad Chittæos: qui Cilices sunt, unde profectus Alexander Macedo irrupit orientalem tractum.

Jerem. 14: 1. אֲשֶׁר הָיָה דְבַר־יְהוָה *quod fuit verbum Jehovæ ad Jeremiam*, hoc est, verbum Jehovæ, quod fuit ad Jeremiam.

Jerem. 17: 3. *Omnes thesauros tuos direptioni exponam*; בָּמוֹתֶיךָ *excelsa tua, propter peccatum in omnibus terminis tuis*; hoc est, propter peccatum excelsorum tuorum, uti R. Kimchi exponit. Chald. *propter peccata, quod serviistis idolis in omnibus terminis vestris.*

Jer. 31: 7. *Sic ait Jehova, cantate Jacobo lætitiam &c.* h. e. sic ait Jehova Jacobo, cantate lætitiam &c. Ita R. Kimchi, qui h. l. plura adducit exempla, & ad librum suum Michlol remittit.

Ezech. 24: 17. מֵתִים אֵבֶל *mortuorum luctum ne facito*: pro אֵבֶל מֵתִים *luctum mortuorum.* Nomen enim regens alterum in genitivo casu Hebræis præcedit.

Joh. 17: 5. *Clarifica me Tu, Pater, apud temet ipsum, gloriâ, quam habui, antequam mundus esset, παρά σοι, apud te.* Posterius hoc παρά σοι, ad prius membrum pertinet, hoc sensu: *quam* (gloriam) *habui apud te, antequam mundus esset*; uti rectè verba disposuit Syrus interpres.

1 Cor. 9: 10. *Et qui triturat* (debet) *spe suâ frui, ἐπ' ἐλπίδι, in spe.* Hoc ultimum, ἐπ' ἐλπίδι, pertinet ad verbum ὁ ἀλοῶν, *qui triturat in spe &c.*

1 Cor. 12: 3. *Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto*, h. e. nemo potest dicere Jesum Dominum, sc. esse. Intelligitur autem confessio ex vera fide cordis profecta. Alia hypocritarum est, de qua Matth. 7: 21.

Philem. v. 5. *Audiens tuam charitatem, & fidem, quam habes ad Dominum Jesum, & in omnes sanctos*, hoc est, audiens tuam fidem (quam habes ad Dominum Jesum: & charitatem: quam habes) in omnes sanctos. Syriaca versio fidem priori loco ponit, *charitatem* posteriori; ut deinde eodem ordine fides ad Christum, charitas ad sanctos pertineat. Sunt, qui chiasmum (quæ vox per se *decussationem* notat, εἰς τὸ χ κατάκαμψιν Hermog. autem sic figuram vocat, quando quatuor propositis, tertium secundo respondet & convenit, quartum primo;) hic esse putant, ut in illo Matth. 12: 22. ὥστε τὸν τυφλὸν κωφὸν καὶ λαλεῖν καὶ βλέπειν, ubi postremum cum primo, & duo intermedia inter se cohærent, perinde ut in adducto Pauli loco. Drusius: *Potest esse ἓν διὰ δυοῖν: charitatem tuam & fidem* h. est, אַהֲבָתְךָ הַנֶּאֱמָנָה *charitatem tuam fidelem stabilem firmamque.* Pontificii ex hoc loco probant, in sanctos etiam demortuos credendum esse. Sed frigidè & perperam. Vide

Dn. D.

Dn. D. Gerh. tom. 8. loc. de morte §. 368.

Heb. 2. 9. βλέπομεν Ἰησοῦν &c. Paulò intricatior est σύγχυσις, quæ plena fit, si ita invertatur, Ἰησοῦν βλέπομεν &c. Sic c. 12. 11. ultima vox δικαιοσύνης ad remotiorem paulò vocem, καρπὸν εἰρηνικὸν pertinet.

## Observatio XXIV.

*De synchysi particularum.*

QUandoque particulæ etiam transpositæ in textu sacro reperiuntur, unde paulo obscurior evadit oratio.

1 Adverbium *Temporis*. Rom. 5: 6. ἔτι *adhuc enim Christus, cùm essemus infirmi, pro impiis mortuus est:* pro, Christus, cùm adhuc infirmi &c. Confer v. 8.

*Negandi.* Vide tract. 5. can. 23.

*Interrogandi.* Mich. 6: 10. *Adhuc an est in domo impii?* pro, an adhuc est &c.

*Excludendi.* Esa. 28: 19. *Eritque tantùm commotio* (seu pavor) *intelligere rumorem*: pro, erit commotio seu pavor, tantùm intelligere rumorem. Loquitur de gravitate mali seu pœnæ. 1 Cor. 15: 19. *Si in hac vita speramus in Christum solùm:* pro, si in hac vita solùm speramus in Christum &c.

*Comparandi.* Gen. 18: 11. *Desierat esse Saræ* אֹרַח כַּנָּשִׁים *viâ seu consuetudine secundùm mulieres*, h. e. כְּאֹרַח נָשִׁים secundùm viam seu consuetudinem mulierum. Ubi כ præfixum est transpositum.

Psal. 102: 10. *Quia* אֵפֶר כַּלֶּחֶם *cinerem ut panem comedi*, h. e. כְּאֵפֶר לֶחֶם *ut cinerem, panem comedi.* R. Kimchi in h. l. *Per similitudinem hoc dictum est*: כי לחמו בפיו דומה לו לאפר *quòd panis in ore ejus similis factus sit cineri: seu, ut panis* (ceu cibus) *non magis ipsi sapuerit, quàm cinis.*

Psal. 90: 12. *Numerare dies nostros*, כֵּן *sic doce nos, & adducemus in cor sapientiam.* Pro; *Sic numerare dies nostros, doce nos*, q. d. sic fac intelligamus, quàm brevi temporis spacio simus victuri: ac ita reddemur sapientiores & circumspectiores.

Rom. 12: 3. ἑκάστῳ ὡς θεὸς ἐμέρισεν μέτρον πίστεως: pro ὡς ἑκάστῳ &c. Sic 1 Cor. 3: 5. cap. 7: 17. Act. 10: 38.

2 Præpositio *De* Genes. 2: 7. *Formavit Deus hominem pulverem de terra;* pro, de pulvere terræ.

3 Conjunctio *Nisi*. 1 Cor. 14: 9. *Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis &c.* pro, nisi per linguam, &c.

*Quòd* שׁ ὅτι. Eccles. 3: 13. *Et etiam omnis homo* שֶׁיֹּאכַל *quod comedat & bibat.* Pro; *Et etiam* שֶׁכָּל *quòd omnis homo comedat & bibat &c.* Gal. 1: 11. *notum vobis facio, fratres, Euangelium prædicatum à me*, ὅτι *quòd non est secundùm hominem:* pro; quòd Euangelium prædicatum à me non est secundùm hominem.

*Quia*, כִּי Psal. 128: 2. *Laborem manuum tuarum* כִּי *quia comedes:* Pro: quia laborem.

*UT*, ἵνα Rom. 11: 31. *Sic & isti nunc non paruerunt*, τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι, *per vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur:* Pro, ut per vestram &c. h. e. ut misericordiæ gentibus factæ exemplo provocati, misericordiam & ipsi (Judæi) consequantur. Videatur Beza in h. l. Similis trajectio voculæ ἵνα occurrit Joh. 14: 29. 1 Cor. 9: 15. 2 Corinth. 2: 4. Gal. 2: 10. 2 Joh. v. 6.

## Observatio XXV.

*De Synchysi in vocibus conjunctis.*

GEnes. 13: 10. *Et sustulit Lot oculos suos, & aspexit totam planitiem Jardenis totam irriguam esse; antequam perdidisset Jehova Sedomum & Hamoram: similem horto Jehovæ, similem terræ Ægypti, quà venis Zoharem.* Illa verba in medio posita, *antequam perdidisset Jehova Sedomum & Hamoram*, ad finem versus pertinent: & sic sententia plana est.

Exod. 12: 15. *Comedens fermentatum, & exscindetur anima illa ex Israel, à die prima usque ad septimam diem:* h. e. comedens fermentatum à die prima usque ad septimam diem, utique exscindetur anima illa ex Israel.

Deut. 32: 5. *Corrupit sese illi, non filii ejus, in ignominiam suam, generatio prava & perversa.* Ordo verborum transpositorum talis est: *Generatio prava atque perversa, qui non sunt filii ejus, in ignominiam suam corrupit sese illi.*

1 Sam. 21: 9. *Et dixit Sacerdos, gladius Goliathi Philistæi, quem percussisti in convalle querceti, ecce is est involutus panno,* אַחֲרֵי הָאֵפוֹד *post Ephod: si illum accepturus es tibi, accipe, nam non est alius præter ipsum hic.* Verba in medio posita אַחֲרֵי הָאֵפוֹד Chaldæus paraphrastes sic transvertit: בָּתַר דִּשְׁאַל לֵיהּ בְּאֵפוֹדָא *postquam consulit ipsi in Ephod.* Hujus interpretationem sequuntur R. Salomo in comment. & R. Jeschaja, qui ex cap. 22: 10. eam confirmat, ubi de Doeg refertur, quòd ad Saulem dixerit: *Et consuluit pro eo Jehovam, & viaticum dedit ei.* Si igitur recipiatur hæc expositio, planum est, ad initium versus illa verba pertinere, hac serie: *Et dixit Sacerdos, postquam applicuisset*

*amiculum, gladius Goliathi Philistæi, quem percussisti in convalle querceti, ecce is est involutus in panno*; uti Junius & Tremellius collocant. Et hi phrasin Hebræam declarant ex Deuter. c. 24: 20, 21. ubi אחריך *post te*, dicitur pro, *postquam excusseris, postquam vindemiaveris* &c. Sunt tamen, qui naturalem verborum ordinem servant, & ad descriptionem loci, ubi gladius panno involutus fuerit positus, verba referunt. Vide versionem Lutheri. Cui conformia sunt, quæ Rabbi Kimchi in h. l. tradit.

Cant. 1: 5. *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem: sicut tabernacula Kedar, sicut aulæa Salomonis.* Hic *tabernacula Kedar* non possunt connecti cum præcedenti vocabulo *formosa*, erant enim ipsa deformia, utpote æstu adusta, nigra, & fœda. Est igitur metathesis vocum, quæ ita ordinanda: *Nigra sum, sicut tabernacula Kedar; simul tamen formosa sum, sicut pelles* (aulæa) *Salomonis, vermiculatæ & regiæ:* quæ sunt verba Cornelii à Lapide in præfat. Pentateuchi can. 13.

Marc. 12: 12. verborum est trajectio, genuinus autem ordo sic habet: *καὶ ἐζήτυν αὐτὸν κρατῆσαι, ἔγνωσαν γὰρ, ὅτι πρὸς αὐτὺς τὴν παραβολὴν εἶπε. και ἐφοβήθησαν τὸν ὄχλον: καὶ ἀφέντες αὐτὸν ἀπῆλθον.* Vide &c. 16: 3, 4.

Act. 8: 7. Similis trajectio est, quâ coordinatâ sic fluit textus: *πνεύματα γὰρ ἀκάθαρτα πολλῶν τῶν ἐχόντων* (*αὐτὰ*) *βοῶντα μεγάλῃ φωνῇ, ἐξήρχετο: Spiritus enim impuri multorum, qui eos habebant, clamantes magnâ voce, egrediebantur.*

Rom. 1: 13. *Nolo vos ignorare, fratres, quòd sæpè proposui venire ad vos, sed prohibitus sum usque adhuc: ut fructum aliquem haberem inter vos quoque, sicut & inter reliquas gentes.* Illa verba, *sed prohibitus sum usque adhuc*, ad finem versus pertinent.

1 Cor. 15: 2. verba trajecta hoc ordine accipienda sunt: *δι' ὖ καὶ, εἰ κατέχετε, τίνι λόγῳ εὐηγγελισάμην ὑμῖν, σώζεσθε, ἐκτὸς εἰ μὴ εἰκῆ ἐπιστεύσατε. Per quod etiam, si retinetis, quo sermone vobis evangelizaverim, salvamini: nisi si frustrà credidistis.* Quod ultimum, ut absurdum *καὶ ἀδύνατον*, Paulus adsumit, ad credentes scribens, q. d. aut frustrà credidistis, quod absurdum; aut per hoc Euangelium à me prædicatum salvamini, quod certum est.

# Observatio XXVI.

## *De Synchysi in tota propositione.*

Quandoque subjecti & prædicati fit metathesis, quæ evolvenda est.

Psalm. 5: 10. *Sepulcrum apertum* est *guttur eorum*: pro, guttur eorum est (ceu) sepulcrum apertum. Sic Rom. 3: 13. ubi subjecto transposito articulus est additus.

Psa. 111: 3. *Decor & magnificentia* est *opus ejus*: pro, opus ejus est decorum & magnificum.

Esa. 34. vers. 4. *Convolventur tanquam liber* השמים *cæli*; pro, cœli convolventur tanquam liber. Pagninus & Arias vertunt in genitivo: *Sicut liber cælorum.* Sed ut in antecedente & sequente membro, subjecti locum sine dubio obtinet *exercitus cælorum*: Sic & ipsi *cæli*, in media hac propositione, subjectum sunt. Et quis sensus, *totus exercitus cælorum contabescet, & convolvetur tanquam liber cælorum?* Drusius lib. 10. præter. p. 414. observat, in fonte esse כספר cum ה demonstrativo (cujus punctum extat) igitur dici non posse, quòd sit in statu regiminis positum, & genitivum post se habeat. Regulariter enim vocibus constructis ה illud non additur. Licet & in contrarium quædam afferantur exempla à Buxt. lib. 2. th. cap. 5. pag. 353.

Joh. 1: 1. *καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος*, hoc est, *καὶ ὁ λόγος ἦν Θεός*: *Verbum illud erat Deus.* De λόγῳ enim, ut subjecto, & reliqua prædicantur. Johannes autem subjectum hic ultimo loco posuisse videtur: quod tres illas, in hoc versu, admirandas & plane divinas enunciationes, memoriæ ergò, ita connectere voluerit; ut in qua voce præcedens propositio desineret, ab illa sequens inciperet, ut Dn. Calixtus loquitur, harm. p. 12.

Joh. 4: 24. *πνεῦμα ὁ Θεός*, hoc est, [illegible] (*ἔστι*) *πνεῦμα*.

Joh. 7: 4. *ὐδεὶς γὰρ ἐν κρυπτῷ τι* [illegible] *ζητεῖ αὐτὸς ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι. Nemo* [illegible] *quid occultè, & vult ipse celebris esse*: hoc est, nemo volens inclarescere, occultè [illegible]; Seu, nemini, qui famæ studio teneatur, [illegible] eam pervenire postulat; latendum est, [illegible] imprimis talia omnia in publico & luce [illegible] agenda sint. Græci hoc dicerent: *ὐδένα* [illegible] *θέλοντα διαφημίζεσθαι, ἐν κρυπτῷ τι* [illegible]. Non autem est dubium, quin qui hoc dicerent, carnalem aliquem gloriosæ affectum ac ambitionis in Domino notarent. Hæc Heinsius Vir Clariss.

Clariss. in exercit. sacris super Johannem & Nonnum, p. 400.

## Observatio XXVII.

### *De synchysi in continuo sermone.*

QUandoque sermonis continui partes *κατὰ μετάθεσιν* enarratæ habentur. Jos. 2: 15. *Tunc illa demisit eos fune per fenestram &c.* v. 16. *Et dixit illis, ad istum montem ite, ne occurrant vobis, qui persequantur &c.* Hæc posteriora, uti & quæ sequuntur, proculdubio ante demissionem per fenestram fuêre dicta, alioqui res facilé prodi potuisset, si ex fenestrâ foris constitutos acclamâsset.

1 Sam. 6: 14. *Et fiderunt ligna plaustri, & ipsas vaccas obtulerunt holocaustum Jehovæ.* v. 15. *Et Levitæ deposuerunt arcam Jehovæ &c.* Priùs arca deposita est, pôst ligna plaustri fissa, & vaccæ in sacrificium oblatæ fuêre.

Marc. 14:23. *Et accepto calice gratias agens dedit eis : & biberunt ex illo omnes*, v. 24. *Et dixit illis : Hic est sanguis novi Testamenti* &c. Verba illa, *& biberunt ex illo omnes*, per anticipationem posita sunt. Priùs enim audiverunt mandatum Christi, *bibite ex hoc omnes; hoc enim est sanguis meus novi Testamenti &c.* Matth. 26:27, 28. Cui mandato obsecuti biberunt ex eo omnes.

Actor. 9:4, 5. Si cum c. 26: 14, 15. fiat collatio, transpositio verborum in narratione facta in alterutro textu conspicietur.

Rom. 13:9. In enumeratione præceptorum quorundam decalogi, sextum quinto præponitur, ȣ̓ μοιχεύσεις, ȣ̓ φονεύσεις.

1Tim. 3:16. Priùs narratur mysterium *prædicationis Euangelii in gentibus*, antequam narretur mysterium *ascensionis Christi*; cùm tamen hæc illam præcesserit.

1Tim. 5:23, 24. priùs interserit Apostolus præceptum privatum *de bibendo modico vini*; postea ad rationem redit illius, quod v. 22. dixerat.

Apoc. 20:12. *Et vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt &c. & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera eorum.* ℣ s. 13. *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, &c.* Hoc posterius antecedere id, quod priùs narratur, res ipsa docet. Potest hoc præteritum vers. 13. per plusquamperfectum verti, *& dederat mare mortuos &c.* Sic & in locis ex Vet. Test. paulò antè allegatis, Jos. 2: 16. 1. Sam. 6: 15.

## *Nota.*

HUc referri potest ille narrationis in sermone Scripturarum modus, cùm, positâ propositione, membra ejus *κατασκευαστικὰ* vel *ἐξηγητικὰ, καθ' ὕστερον πρότερον*, subjiciuntur.

Job. 27: 5. *Absit à me, ut justificem vos: quoad expiravero, non amovebo integritatem meam à me.* Propositio hæc Jobi, constans criminatione amicorum, & sui probatione, converso ordine duobus sequentibus versibus amplificatur. Posterius membrum v. 6. *Justitiam meam retineo, neque deseram eam: non abjiciet eam cor meum unquam.* Prius membrum v. 7. *Erit ut improbus inimicus meus; & insurgens in me ut iniquus.*

Psal. 133: 1. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum est, habitare fratres etiam unà.* Propositionis hujus duo membra sunt, de communionis videl. sanctorum *bonitate & jucunditate*. Utrumque illustratur congruâ similitudine. Sed observatur *ὕστερον πρότερον*. Posterioris illustratio ponitur v. 2. Prioris v. 3.

Esa. 56: 3. *Neque loquatur alienigena, qui se adjungit Jehovæ, dicendo, omninò discrevit me Jehova à populo suo: neque dicat Eunuchus, en ego sum lignum aridum.* Hæc propositio (in regno Christi non fore discrimen personarum, ostendens) duabus partibus constat, & *καθ' ὑστέρωσιν* in sequentibus explicatur. Posterior pars de *eunuchis* v. 4: 5. Prior, de *alienigenis*, vers. 6: 7.

Jer. 35: 16. *Quandoquidem præstant filii Jehonadabi filii Rechab præceptum patris sui, quo præcepit ipsis: populus verò iste non auscultat mihi.* Hujus propositionis membra duo opposita, inverso ordine in sequentibus, proponuntur, iisque sententia divina regeritur. De *populo* enim vers. 17. *de familia Rechab*. vers. 18: 19. agitur.

Ezech. 16: 3. *Commercia tua, & genitura tua, sunt è terra Chananæorum.* Hujus propositionis membra præpostero ordine posita, deinceps enarrantur naturali ordine. De *genitura* usque ad vers. 14. de *commerciis* verò seu negociatione vers. 15. seqq. Plura lectio Bibliorum accurata, suppeditabit exempla, quæ diligenter notavit suis locis Franciscus Junius.

Co-

## *Continuatio.*

HActenus priores quatuor Synchyseos seu μεταθέσεως verborum modi: Sequitur ultimus, qui est *in distinctis rerum factarum narrationibus.* Narratio enim rerum factarum non semper eo, quo contigére, ordine historico instituitur, sed quandoque κατὰ πρόληψιν seu *per anticipationem*, quandoque καθ' ὑςερολογίαν seu per *recapitulationem*, ut loquuntur, aut *postpositionem.*

## Observatio XXVIII.

### *De narrationis historicæ* προλήψει.

EX septem Ticonii regulis apud August. lib. 3. de doct. Christ. cap. 36. & hæc est: *Divinæ scripturæ mos est, aliqua per anticipationem narrare, ut sc. antequam facta fuerint, quodammodò perfunctoriè narrentur, ut postea suo ordine res quæque gesta latiùs describatur.* Quod tamen posterius non semper fit. Ipse August. similem ponit regulam l. 16. de C. D. c. 15. *Scriptura more suo redit ad tempus, quod jam narratio illa transierat.* Quod exemplis ibidem declarat.

Genes. 1: 27. seqq. creatio primorum hominum ad imaginem Dei, uti & copulatio ac benedictio divina eorundem memoratur. Pòst, interfertis aliis, cap. 2: 7. creatio Adami, vers. 18. seqq. creatio Evæ, ejusque ad Adamum adductio & conjunctio, latiùs atque exactiùs describitur.

Gen. 35: 29. Isaaci mors statim post Jacobi reditum describitur: cum tamen diu pòst contigerit, cùm sc. Joseph fuisset à fratribus venditus, & ultra duodecim annos in Ægypto commoratus. Undè cap. 37: 35. *Pater ejus flevisse ipsum dicitur*, cùm pro dilacerato à bestiis haberetur; quod de Isaaco avo intelligendum. Et chronologica ratio id apertè ostendit.

Exod. 10: 28, 29. προληπτικῶς narratur egressus Mosis à Pharaone, qui post denunciationem illam factus est, cujus mentio cap. 11: 4. seqq. habetur. Unde & repetitur ille egressus, ibid. vers. 8.

Exod. 16: 33. seqq. de asservatione Mannæ narratur, idque per prolepsin: facta enim sunt isthæc, erecto jam tabernaculo exstructâque arcâ, in cujus lateribus asservabantur Manna & virga Aharonis, de qua Num. 17. Hoc autem loco voluit Moses totam historiam de Manna συλλήβδην contexere, unde & tempus desitionis ejus v. 36. addit.

Exod. 17: 6. de executione divini mandati, & percussione rupis in Chorebo memoratur: idque per prolepsin, intercessit enim prælium cum Amalekitis, qui venerunt, cùm se Israelitæ ad profectionem in Chorebum accingerent, ut ex vers. 8. patet. Conferatur Deut. 25: 17, 18.

1 Reg. 22: 51. Josaphati mors describitur: cujus tamen viventis acta quædam in 2 Reg. 3 subjiciuntur. Illud igitur προληπτικῶς factum. Vide etiam Junium in 1 Sam. 17: 54.

Matth. 26: 21. seqq. denunciatio proditoris à Christo facta ante sacræ Eucharistiæ institutionem commemoratur: quam Luc. cap. 22, 21. seqq. ostendit post cœnam esse factam. Vide D. D. Gerhardi harm. Euang. part. 2. c. 171. p. 1465.

Luc. 3: 19, 20. Johannis incarceratio memoratur ante baptismum Christo à Johanne collatum: quæ tamen Christo ministerium suum jam ingresso, contigit, Matth. 4: 12. Eadem etiam Matth. 14: 3. per hysterologiam narratur, ad declarandum vid. sermonem illum Herodis, de nece & resurrectione Johannis.

Joh. 11: 2. unctionis Christi, à Maria ipsi præstitæ, per prolepsin fit mentio. Cujus integra historia c. 12. in initio proponitur.

Hæc de προλήψει, cujus alia species, nomina locis imposita concernens, in sequente tractatu observ. 10. commemorabitur.

## Observatio XXIX.

### *De narrationis historicæ* ὑςερολογίᾳ.

GEnes. 11: 1. seqq. per hysterosin linguarum dispersio, & ejus occasio ac causa memoratur, quæ tamen antecesserunt iis, quæ c. 10. dicuntur: unde linguarum istius varietatis jam tùm injecta fuit hoc 10. cap. mentio, v. 5, 20, 31. &c.

Gen. 11: 23. (al 12: 1.) vocatio Abrahami de exeundo ex Ure Chaldæorum memoratur per hysterosin: antecessit enim profectionem illam, quæ cap. 11: 31. narratur. Confer cap. 15: 7. Act. 7: 3.

Gen 30: 22, 23. nativitas Josephi describitur, per ὑςερολογίαν; contigit enim post nativitatem Naphthali, sexti filii Jacobi, vers. 8. Ex hoc lux infertur narrationi v. 25. quòd post natum Josephum voluerit Jacob, exacto altero septennio servitutis, in patriam abire, verùm deinceps ulteriùs serviendo cum Labano pactus fuerit. Nam secundo septennio ineunte gignere cœpit, cap.

cap. 29, 20. seqq. & his septem annis sex liberos genuit, *Ruben*, *Simeon*, *Levi*, *Juda*, *Dan*, *Naphthali*: & simul septimum, *Josephum*. Sexennio autem servitutis sequentis (c. 31: 41.) reliqui quinque sunt geniti: *Gad*, *Aser*, *Issaschar*, *Sebulon*, *Dina*. De hoc videatur Lutherus in comment. h. l. Aliam autem supputationis horum annorum, quibus Jacob genuit liberos suos in Mesopotamia, vide in annotatis Junii ad c. 29: 18, 21. &c.

Gen. 38. historia Judæ per hysterosin commemoratur, cùm bona ejus pars contigerit ante venditionem Josephi. Vide Junii notam.

Jud. 20. & 21. describitur bellum Benjamiticum, unà cum ejus occasione & causâ, cap. 19. quod tamen multis annis, factum Deboræ, cap. 4. antecellit, attestantibus Scaligero & Calvisio: & non multò post Josuæ mortem factum fuit, ut Junius in notis ad cap. 17. ostendit. Conferatur c. 10: 28. Ubi Pinechæ sacerdotio adhuc fungentis fit mentio. Et c. 19: 12. ubi Jerusalem (quæ Jebus dicebatur) ea pars, quæ ad Benjaminem spectabat, adhuc à Jebusæis obtenta fuisse narratur. Vide jam. c. 1: 9, 21.

2 Sam. 24. hoc caput per hysterologiam ultimis Davidis verbis c. 23. est postpositum, cùm ad caput 21. potiùs pertineat.

Esa 38: 21, 22. per hysterosin de medicamine ægrotanti Ezechiæ Regi adhibito, deque ægrotantis ad hoc interrogatione memoratur: quæ antegressa sunt miraculi divini promissionem & præstationem, uti & oden eucharisticam sanati jam Regis, in hoc capite exaratam. Confer 2 Reg. 20: 7, 8.

Luc. 4: 9. abductio Christi super pinnam Templi, à Diabolo facta, commemoratur post translationem ejus in montem excelsum: & tamen illa præcedit hanc, ut ex Matth. 4: 5, 8. constat, qui particulis ordinem notantibus historiam concinné proposuit August. l. 2. de cons. Euang. cap. 16. *Ad summam rei nihil interest, nec aliquid deperit veritati, quo unus Evangelista easdem sententias aliis verbis & alio interdum ordine, quam alter, explicet, dum manifestum fit, omnia illa, quæ scribuntur, esse facta.*

Matth. 26: 29. similem quidam Interpretes ponunt hysterologiam. Verba enim illa Christi: *Dico autem vobis, non bibam à modo de hoc fructu vitis &c.* quæ post S. Cœnæ institutionem ponuntur, eandem antegressa esse, ex Luc. 22: 18. ostendunt. Sed commodiùs dicitur, Christum his ea verba prolocutum, semel quidem post exhibitum poculum paschale & valedictorium, ut est apud Lucam: & iterum post exhibitum poculum sacramentale, ut est apud Matthæum d. l. & Marcum cap. 14: 25. Matthæus & Marcus in descriptione ultimæ cœnæ nullam planè poculi valedictorii ac paschalis mentionem fecerunt; quomodo igitur hæc verba, quæ post Eucharistiæ institutionem à Christo prolata asserunt, de poculo valedictorio dicta accipi potuerunt, antequam Lucæ historia Euangelica accederet? Vide plura accuratissimè dicta in harm. Euang. D. Gerh. part. 2. c. 171. p. 1587. seqq.

## Observatio. XXX.

### *De quodam, ὑςερολογίᾳ analogo.*

Claudat demum hunc tractatum illa ἐν ἱστορίᾳ ὑστέρησις, cùm in historiæ concisâ repetitione quædam adduntur, quæ in ipso textu, ubi ex professo historia extat, non leguntur.

Gen. 31: 7, 8. Jacobus de varia mercedis suæ mutatione à socero Labano facta narrat; quæ in ipsa historiæ recensione Moses reticuit.

Psal. 105: 18. de Josepho refertur, quòd in carcere *compedibus constrictus* fuerit: id quod à Mose nuspiam disertè scriptum fuit.

Psal. 106: 33. de Mose dicitur, quòd quædam contra Deum duriùs prolocutus fuerit, ab Israelitis irritatus: de quo in libris Mosaicis nil extat.

Hos. 12: 5. de Jacobo refertur, quòd in lucta cum Deo, benedictionem ab ipso *cum fletu* petierit: quod disertè in propria hujus historiæ sede Gen. 32. non legitur.

Hos. 13: 10. de pópulo Israel refertur, quòd postulando Regem, etiam *Principes* sibi dari, seu constitui poposcerit: cujus expressa non fit 1 Sam. 8. mentio.

Amos 5: 25, 26. de idololatria Israelitarum in deserto memoratur, quod in Exodi libro, & cæteris Mosaicis, non disertè extat. Vide & Ezech. 20: 6, 7, 18, 22. seqq. Hos. 10: 14. Amos 1: 1. cap. 2: 1.

Heb. 9: 16. de asperso *libro*, itidemque *hyssopo & lanâ cocco tinctâ* legitur, quod Exod. 24: 8. (qui locus intelligitur) non disertè legitur. Et tamen factum sic esse, meritò statuitur. Nam sine dubio liber legis altari, quod aspersum, impositus fuit: & ad aspersionem faciendam, sumi aliquid manibus, & in sanguinem immergi oportuit. Lev. 14. Confer Junium in parall. l. 3: coll. 1596. seq.

Heb. 12: 21. de Mose refertur, quòd dixerit, in apparitione gloriæ Dei super monte Sinai: *Exterritus sum & tremefactus*: quod expressè

Exod. 16. & 20. non extat. Confer etiam Act. 9:5. cum c. 26:15. usque 18.

Huc pertinent, quæ Paulus de magorum Ægyptiorum nominibus refert, 2. Tim. 2: 8. Et quæ Jacobus de *precibus Eliæ*, déque *trium annorum & sex mensium* spacio refert, c. 5:7:8. (vide Junium in append. parall. sacrorum col. 1644.) Et quæ Judas Apostolus de contentione Michäelis cum Satana ob corpus Mosis, déque vaticinio Enochi refert, v. 9:14. &c.

## Tantum de Figuris Grammaticis.

a Ellipsis. b Pleonasmus. c Enallage. d Hypallage. e Synchysis.

a *DEEST pax alma: malum sed* b *ABUNDAT. Dextera Celsi*
c *MUTAT: &* d *INVERTAT* e *σύγχυσιν orbe malam!*

**Psalm. 77:11.**

חַלּוֹתִי הִיא שְׁנוֹת יְמִין עֶלְיוֹן׃



TRA-

TRACTATUS III.

DE

# NOMINE PROPRIO.



Nimus primùm erat, Grammaticam sacram à doctrinâ de *Nomine proprio* (quæ propria ejus sedes est) exordiri; sed mutatâ pòst sententiâ, necessaria magis, & quæ proprietatem linguæ utriusque sanctæ propiùs attinent, præmitti, consultius esse, & lectori etiam utilius, duxi. Neque tamen omninò διήγησις isthæc silentio prætervehi potuit, cùm multa in ea occurrant, quæ ad interpretationem Scripturæ solidam consideratu utilia, necessaria, & perquàm etiam jucunda sunt. Ultimo igitur loco doctrina ea de NOMINE PROPRIO hîc proponetur, &, quæ tùm ex Scripturis sacrosanctis, tùm ex variis earum interpretibus notatu digna, hinc inde collecta sunt, certis & ordine dispositis observationibus tradentur.

Ad *tria* capita reduci omnia possunt. Primum, *formationem:* Secundum, *impositionem:* Tertium, *peculiarem usurpationem* concernit.

## I. DE NOMINIS PROPRII FORMATIONE.

DE formatione quædam dicenda 1. ratione *ipsius nominis proprii*, 2. ratione *externorum accidentium*.

Ipsum nomen proprium vel ἁπλῶς & *absolute* consideratur, respectu linguæ originalis, quâ traditur, vel *σχετικῶς & comparatè*, respectu aliarum linguarum.

De *absolutâ* consideratione notentur sequentia.

### Observatio I.

*Nomina in se pluralia vel dualia, ex speciali impositione sæpè fiunt singularia & propria.*

*Exempla pluralium.*

GEnes. 25: 3. *Et filii Dedan* (nepotis Abrahæ ex Kethurâ) *fuerunt* אַשּׁוּרִם וּלְטוּשִׁם וּלְאֻמִּים *Assurim*, *& Letbusim*, *& Leummim.* Nomina propria singulorum hominum hæc esse, ex contextu patet, & cumprimis ℣s. 6. ubi hos Abrahæ ex Kethurâ pronepotes donis instructos, vivo adhuc Abrahamo, fuisse ad regionem Orientalem incolendam dimissos, narratur. *Prima* vox, significatu naturali, notat vel gressus, vel beatitudines: *Secunda* homines acuti judicii & politioris ingenii: *Tertia* multos populos. Bono igitur omine nomina hæc dictis Abrahæ pronepotibus, Dedanis filiis fuerunt indita: *Primo* quidem, à multitudine gressuum vel itinerum, quæ confecturum hunc filium fore, parens ominabatur; vel etiam à beatitudine præclarâ, quam ipsi optabat, & ab ipso sperabat: *Alteri* à multitudine hominum doctorum sapientumque, quos ex eo proventuros sperabat. *Tertio* à multitudine populorum, quorum stirpem filium futurum ominabatur. Vatablus dicta nomina ait esse *certorum populorum*, *qui originem traxerunt à filiis Dedan*. Sed mentio horum populorum alibi non extat. Quod enim *Assyrios* attinet, (quorum tàm crebra in Bibliis S. mentio) illi antiquiorem agnoscunt originem, de quâ Gen. 10: 11. Neque verisimile, populum extitisse, qui κατ' ἐξοχὴν לְאֻמִּים hoc est, *populi*, fuerit dictus. Si enim ita esset, percelebris certè fuisset ille populus, & in Scripturis etiam præ aliis celebratus, quod tamen non est.

Gen. 46: 21. inter filios Benjamin recensentur מֻפִּים וְחֻפִּים *Muppim & Chuppim*: quæ

nomina in se pluralia sunt, si terminationem spectes. Notandum tamen, terminationem illam ים. pluralem numerum non semper inferre. תָּמִים *integrum & pium hominem* notat, à תָּמַם & singulare est, licet terminatio videatur esse pluralis. Id de his filiorum Benjaminis propriis nominibus dici etiam potest. Certè qui חֻפִּים *Chuppim* h. l. dicitur, is Numer. 26: 39. חוּפָם *Chupham* appellatur.

Gen. 46: 23. *Filii Dan.* חֻשִׁים *Chussim.* Eadem hujus cum præcedentibus ratio. Dicitur enim Num. 26: 42. שׁוּחָם *Sucham*, transpositis literis, & terminatione plurali in singularem mutatâ. Movere quempiam posset, ut nomen *Chussim* non pro individui hominis, sed pro multorum ἰσωνύμων appellatione habeat, cùm in plurali præcedat: *Et filii Dan.* Sed hæc locutio synecdochica est, ut suo loco in Rhetorica sacra dicetur.

Cæterùm Gen. 20. v. 13. 14. nomina pluralia occurrunt, quæ non singularum personarum, sed populorum nomina sunt, quod ex contextu patet, quem non populorum modò autores & stirpes, sed ipsos etiam ab iis ortos populos recensere, ex v. 5, 20, 31. constat. Primus, qui ibi nominatur, *Ludæorum* populus est, qui à *Ludo* dicitur, cujus mentio Esa. 66: 19. sic *Hanamai* ab *Hanamo*, & sic consequenter. Vide etiam Gen. 10: 4.

## De Nominibus propriis locorum exempla.

טְלָאִים *Telaim* (hoc est, agni) nomen loci 1 Sam. 15: 4. ubi recensitus est à Saule populus in pugnam Amalekitanam. Notatur cum ה demonstrativo (cujus punctum sub ב præfixo ponitur) quod irregulariter fieri, exemplis aliis probat R. Kimchi h. l. Chald. appellativè accipit: *In agnis paschalibus.* R. Salomo cum aliis Hebræorum doctoribus simpliciter vertit, *per agnos*, uti accipitur Esa. 40: 11. *Sensus est* (inquit) *dixit Rex singulis militibus, ut* טלה *agnum accipiant singuli, de grege Regis, & posteà numeravit agnos, propterea quòd prohibitus fuit numerare populum, secundùm id, quod dictum est non numerabitur præ multitudine.* R. Levi addit, ideò hoc factum esse, *ne plaga obveniret ipsis ob numeratum populum, sicut contigit posteà Davidi.* Addit, *eandem ob causam numerâsse Saulem populum* בבזק *in Bazek, cùm pugnaturus esset contra Ammonitas*, 1 Sam. 11: 8. Est autem hîc etiam *Bazek* nomen loci: quod ineptientes Rabbini appellativè sumentes, vertunt, *in lapidibus*, ut R. Kimchi ex quorundam doctorum suorum sententiâ asserit: vel ut R. Salomo, *in fragmentis testarum*, q. d. *sumsit lapidem ab unoquoque eorum, & sic cognovit numerum &c.* Quam significationem ex Targumica quadam significatione perperam educunt.

בחורים *Bachurim* (hoc est, juvenes seu electi) nomen loci 2 Sam. 17: 18. ex quo oriundus Simei. רגלים *Rogelim* (hoc est, exploratores) 2 Sam 19: 31. ubi habitabat Barzillai. שִׁטִּים *Sittim*, (hoc est, cedri vel abietes) Num. 25: 1. c. 33: 49 ubi Israël residens cum filiis Moab fornicatus est. Quæ ex quacunque occasione locis illis, & postremo forsan à sylvâ cedrorum vel abietum, indita fuêre. Plura exempla tàm masculinæ, quàm fœmininæ terminationis, in cap. 33. Num. extant.

### *Exempla dualium.*

כּוּשַׁן רִשְׁעָתַיִם *Cusan Riscahtajim*, nomen Regis Syriæ Mesopotamiæ, Jud. c. 3. vers. 8. (Chald. posteriorem vocem appellativè reddit, כּוּשַׁן חַיָּבָא *Cusan impius*) אֶפְרַיִם *Ephrajim*, nomen filii Josephi, Gen. 41: 12. אַפַּיִם *Appajim* nomen filii Nadab. 1 Par. 2: v. 30, 31. מִצְרַיִם *Mizrajim*, nomen filii Cham, Gen. 10: 6. à quo tota Ægyptus *Mizrajim* vocabatur, Genes. 13: 10. רָמָתַיִם *Ramathajim* 1 Sam. 1: 1. urbs patria Elkanæ, in tribu Ephraim, quod nomen quidam in duali dici putant, quòd urbs ea in duas civitates seu partes divisa esset. Quidam verò nomine hoc duali duas distinctas urbes, *Ramath* dictas, respici putant, ut sit sensus: *Fuit vir quidam de Ramathajim*, hoc est, de alterâ Ramath, quæ dicebatur *Ramath Zophim*, i. e. speculatorum, seu in qua habitant speculatores, hoc est, Prophetæ. Sed prior explicatio est versimilior. (Nota, quod differat hæc urbs ab alterâ, *Ramâ* dicta, in tribu Benjamin, Jos. 18: 25. Jer. 31: 15. Matth. 2: 18. & à tertiâ, in tribu Napthali, Jos. 19: 36.) דִּבְלַיִם *Diblajim*, nomen à parentis Gomer uxoris Hoseæ, Hos. 1: 3. Quod nomen à Junio pro loci nomine accipitur, ex quo Gomer per Propheticam prosopopœiam oriunda esse inducatur, desertum videl. illud immane, cujus Ezech. 6: 14. Num. 33: 47. Jer. 48: 22. fit mentio. Nititur hæc explicatio illa hypothesi, quod res non verè gesta, sed typo tantùm à Propheta jussu Dei adumbrata, & per prophetiam edita capite illo primo describatur. Sed contrarium est vero similius. Vide supra tract. 3. de verbo can. 15.

Nota

## *Nota.*

[a] PErtinet ad hunc canonem ἀναλόγως nomen Dei אֱלֹהִים *Elohim*, quod plurale est, & tamen unius Dei veri nomen. Sed vicissim expende causam pluralis numeri hîc subesse planè divinam: personarum scil. in una indivisa essentia Dei pluralitatem, quam ad ternarium vox ipsius Dei sacrosancta in Scripturis reducit. Ob impositionem igitur nomen proprium est & singulare, sed ob impositionis rationem verè plurale permanet, cum Deum Triunum designet. Confer, quæ superiùs tract. 1. can. 25. dicta sunt.

[b] Quidam huc etiam referunt nomen צְבָאוֹת *Zebaoth*, quod plurale nomen Dei proprium esse volunt, sed falsò. Vide suprà tract. 1. can. 4. Drusius in quæsitis per epist. 23. *Si Sabaoth est nomen Dei, erit & Arez. Nam inter Dei epitheta, Adon Col baaretz, hoc est, Dominus totius terræ. Falsum est, non inveniri Sabaoth nisi de DEO. Quid sibi volunt verba: Reges Sabaoth fugerunt*, *Ps.* 68: 13. *item non egressus es, Deus, cum exercitibus nostris* בצבאותינו *Psal.* 44: 10. Hæc ille.

## Observatio. II.

*Multa nomina propria sunt ex simplicibus vocibus composita, quæ vel sine lineola Maccaph, vel cum eâ connexa conspiciuntur.*

GEnes. 17: 5. *Abram & Abraham* composita nomina sunt אַבְרָם *Abram* ab אָב pa- & רָם *excelsus*: אַבְרָהָם *Abraham* verò ab אָב *pater*, רָם *excelsus*, & הָמוֹן *multitudo*, quam etymologiam Deus ipse d. l. tradit. Aben Ezra literam ר in nomine Abraham ex voce אַבִּיר *fortis robustus*, desumptam, & ipsi insertam esse, ait; quasi Abraham diceretur אָב אַבִּיר הָמוֹן *pater fortis multitudinis gentium*. Alii in nomine Abraham ה ex nomine tetragrammato insertum esse dicunt. Sed prius etymon in textu ipso clarè extat.

Gen. 14: 18. *Melchisedek* compositum nomen; βασιλέα δικαιοσύνης *Regem justitiæ* notat. Heb. 7: 2. vel si affixi jod simul habeatur ratio; *Rex meus* (est) *justitia*. Jer. 23: 5, 6. cum Maccaph autem scribitur, hoc modo, מַלְכִּי־צֶדֶק.

1 Sam. 9: 1. *Binjamin*, hoc est, *filius dextræ*, nomen filii Israëlis ex Rachele בִּן־יָמִין scribitur, quod tamen ex Masoretharum testimonio conjungendum, בִּנְיָמִין sicut aliàs ut plurimùm, Gen. 35: 18. 1 Reg. 4: 18. &c. Cum Maccaph etiam patronimicum est, בֶּן־יְמִינִי *Benjeminita*, Psal. 7: 1. & cum ה interposito בֶּן־הַיְמִינִי 1 Reg. 2: 8. utrobique de Simei sermo est.

[a] Elohim

De compositione cum nomine Dei יָהּ, quæ in quibusdam propriis nominibus putatur esse, ita Scindlerus in lexico col. 743. *In nominibus propriis, ut* עֹבַדְיָה *Obadias, quibusdam videtur esse* יָהּ *Dominus. Sed primò mappic caret: Deinde pro eo* הוּ *usurpatur, ut* חִזְקִיָּה *&* חִזְקִיָּהוּ. *Est igitur syllaba adjectiva. Sic* עֻזִּיָּה *&* עֻזִּיָּהוּ.

[b] Zebboth.

[c] *In nominibus propriis locorum* hæc compositio frequens est.

[c] Nomina locorum.

Gen. 28: 19. Locus à Jacobo denominatur *Bethel*, quod vel בֵּית־אֵל cum Maccaph, vel sine illo בֵּיתְאֵל scribitur. Significat autem *domus DEI*. Quandoque verò appellativum est, quemvis locum notans, ubi arca Dei fuit: 1 Sam. 7: 16. urbs Jeharimorum, arcæ Dei tum temporis domicilium, בֵּית־אֵל *domus DEI* vocatur.

Talia sunt *Beth-Choron*, 1 Sam. 13: 18. *Beth-Lechem*, Mich. 5: 2. *Beth-mehon*, Jerem. 48: 23. &c.

Lev 16: 8. עֲזָאזֵל *Azazel*, nomen loci est; in quem hircus (cui certo & sacro ritu peccata populi Israelitici imponebantur) emittebatur. Junius: Sic horridus locus appellatur & desertus plane, ut exponitur ℣. 10. quasi dicat, *capri abeuntis & oberrantis*, (ab עֵז *capra* & אָזַל *abiit*) quia emissus à Sacerdote caper sine custode liberè huc illuc oberrabat, velut expositus: quod genus sacræ pecudis Græci ἄφετον ζῶον dixerunt: Tranquillus appellat *vagum* in Julio Cæsare. LXX. ἀποπομπαῖον verterunt. Confer ℣℣. 21, 22. &c. Cùm hic hircus emissarius typus Christi Mediatoris nostri & Redemptoris mundi sit (Joh. 1: 29.) non absurdè dicitur, nomen etiam loci *Azazel* ad eundem respicere, ut sit ab עַז *robustus &* אָזַל *abiit*; sitque nomen desertum hujus mundi exprimens: Robustissimus heros, Psalm. 45: 4. in desertum hujus mundi venit, Joh 16: 28. Et sic orbis hic terrarum *Azazel* est, hoc est, locus, in quem abiit ille Fortis & Robustus.

Ez. 3: 15. (al. 2: 25.) *Itaque veni ad multitudine deportatam* תֵּל אָבִיב *Tel Abib, accolas fluvii Cebaris & Haëscheri, ubi habitabant illi.* Ita Junius vertit, & hanc adponit notam: Hebræum *Tel Abib* judicio nostro tractus est Mesopotamiæ à monte Masio ad Euphratem pertinens, inter duos fluvios, Cebarem sive Chaboram, & Saocram, quem Propheta *Hascherum* vocat: cujus regionis superior tractus, compositè Græcâ voce à Ptolemæo dicitur *Acrabene*, quasi ἄκραν ἀϐϐηνῶν dixeris. regionem verò

verò, quæ ad fluviorum ripam est, propter aggestas moles appellari; *Tel* Hebræis, id est, *choma* sive aggestum tractum, nemo Grammaticus dubitaverit. Hæc ille: quem etiam vide in comment. h. l. tom. 1. oper. col. 799. Quod Saocoram à Propheta vocari *Haëscherum* dicit, ex diversa vocis Biblicæ lectione est, כְּתִיב enim seu vox in textu scripta est וְאֲשֶׁר *&* *Haëscher* (ita ut ה in puncto Cametz sub ו lateat:) קְרִי autem, seu à Masorethis in margine posita vox est וְאֲשֶׁב. Et in priori quidem Bibliorum Tremellianorum editione lectio marginalis erat versione expressa (uti & ab Hebræis aliisque exprimitur.) *Ut desiderem ubi habitant illi &c.* Sed in edit. posteriore vox in textu posita, ut nomen proprium fluvii, retenta est. *Posteriori* huic accentus; *priori* autem punctorum ratio favet. Pagninus *Tel Abib* ut nomen appellativum vertit, *ad cervum novarum frugum.* Luth. in priori voce *Tel*, ipsum sequitur, posteriorem verò *Abib*, pro nomine mensis Hebræo, accipit. Vertit enim: **Da die Mandeln stonden/im Monden Abib.** Sed conjunctim nomen proprium esse compositum, ex aliis Chaldæorum nominibus localibus apparet, quæ cum תֵּל componuntur. Esr. 2: 59. *Hi quoque fuerunt ex descendentibus* מִתֵּל מֶלַח תֵּל חַרְשָׁא *à Tel-melacho, Tel-charscha.* Quæ sunt nomina locorum in Babylonia & Mesopotamia. Et videtur [inquit Junius] *Tel Melach* esse oppidum, quod Ptolemæus *Telmen* vocat: significat enim cumulum salsum sive sterilem, ut erant agri sub Ure Chaldæorum, in quos rivi Euphratis ducti sunt, teste Plinio histor. nat. lib. 6. cap. 27. *Telcharscha* autem ad orientem Babyloniæ, quod vel nomen indicat, fortassis, quæ Ptolemæo *Talatha* ad Tigrim &c.

## Observatio III.

*In ejusmodi composito nomine proprio, quandoque prior, quandoque posterior pars solùm extat, alterâ parte omissâ.*

### Prior pars solùm extat.

NUm. 31: 8. Deut. 1: 19. *Kades-barne* dicitur, quod etiam simpliciter *Kades* est. Num. 13: 27. Deut. 1: 46.

2 Sam. 21: 19. nomen *Jaare Oregim* extat, (qui fuit pater Elchanani herois fortissimi,) quod 1. Par. 20: 5. *Jair* solummodò dicitur.

Hos. 10: 14. *Ut vastavit Schalman domum Arbeli Schalman est, qui Schalman Eser* 2 Reg. 17: 3. & alibi dicitur. Per *Arbeli* autem *domum* seu Arbelitida, regio Assyriæ infra Arpadum intelligitur, quæ occupata fuit à Schalmam Esere in ea expeditione, quæ 2 Reg. 18: 34. & c. 19. 13. perstringitur. Dicitur Arbelitis ab oppido Arbelorum, quod Darii clade apud autores celebratum est. Junius in h. l.

Hab. 3. (al. 4.) 7. Pro nihilo vidi tentoria *Chusan.* Loquitur de *Chusan-Rischatajim*, Rege Syriæ, à quo Deus populum suum eripuit, Jud. 3.

### posterior pars solùm extat.

Gen. 10: 38. בֶּן־עַמִּי *Ben-Ammi* (hoc est, *filius populi mei*) vocatur is, quem ex incestuoso cum patre congressu peperit Lot filia, q. d. *filium populi mei*, non autem ex maledicto illo populo procreatum. At is communiter, omissa priori voce עַמּוֹן *Ammon* dicitur. Unde בְּנֵי עַמּוֹן *filii Ammon*, seu populus Ammoniticus ibidem exprimitur, qui etiam simpliciter עַמּוֹן *Ammon* vocatur Ps. 83: 8. Unde עַמּוֹנִי *Ammonita*, Deut. 23: 3.

ª Huc pertinet nomen יְמִינִי *Jemini*, quod ex voce בִּנְיָמִין *Benjamin* decisum, eum notat, qui ex tribu Benjamin ortus est, seu Benjaminitam. Et hac formâ extat 1. Sam. 9: 1. Jud. 19: 16. Unde Est. 2: 5. pro eo, quod in Hebræo dicitur, quòd Kis fuerit אִישׁ יְמִינִי *vir Jemini*, Chaldæus ita transtulit, גַּבְרָא דְמִן שִׁבְטָא בִנְיָמִין *Vir ex tribu Benjamin.* LXX. Interpretes Græcè: ἐκ φυλῆς Βενιαμίν; quod in Græco repetitur cap. 11: 2. (id inter fragmenta ἀκανόνιστα est, cùm in Hebræo non habeatur) ubi vulgata reddidit, *de tribu Benjamin;* quod cap. 2: 5. transtulerat, *de stirpe Jemini.* Non obstat huic vocis Jemini explicationi, quod 1 Sam 9: 1. distinctim de Kis parente Saulis dicitur, & quòd fuerit *Vir de Benjamin*, & quod fuerit *Vir Jemini.* Prius enim ad ipsum *Kis;* posterius ad *Apiach*, qui illius abavus fuit, refertur, ac primùm in genere familiæ Kis fit mentio, quòd fuerit Vir de Benjamin: postmodùm in specie genealogia ejus recensetur, & ad abavum usque protenditur, Abiach nomine, qui & ipse filius *Viri Jemini*, hoc est Benjaminita appellatur. Per virum autem Jemini κατ' ἐξοχὴν καὶ περιφραστικῶς Junius *Jebielem* intelligit, Gibeonitarum patrem, de quo 1. Paral. 9. 35. &c. Sunt tamen, qui familiam Jemini specialius exponunt, ac si primaria in tribu Benjamin fuisset, de quo Tostatus Episcopus Arbulensis in comment. 1 Reg. 9: q. 4. videri potest.

Hebræi huc referunt 1. Par. 20: 5. *Et percussit Elchanan, filius Jair,* אֶת־לַחְמִי *Lachmi, fratrem*

ª Jemini.

*fratrem Goliath*, *Gittæum*. Hic לחמי positum esse dicunt pro בית לחמי *Bethlechemita*. את autem vel pro מן positum esse dicunt, subaudito, אשר היה *qui fuit de Bethlechemitis*: ut ita conveniat cum 2 Sam. 21: 19. ubi Elchanan ille dicitur *Bethlehemita*. Vel את *cum* significare, sensu hoc: quòd percusserit fratrem Goliathi *cum Bethlehemita*, hoc est, cum Davide, qui erat Bethlehemita, q. d. adjutus operâ Davidis. Sed simpliciter dicitur את notam accusativi esse; & לחמי nomen illius esse, qui percussus fuit.

Sic in nominibus locorum. *Ramath-Lechi*, Jud. 15:17. locus à Simsone sic appellatus (h. est, *projectio maxillæ*) *Lechi* appellatur, ℣ſ. 9, 14, 19. *Kiriath-Jearim*, 1 Sam. 7: 1. 1 Par. 13:5. *Jaar*, hoc est *sylva* dicitur, Psal. 132:6. *Jerusalem* etiam *Salem* vocatur, Psalm. 76: 3. Ex *Bethlechem*, *Lachem*, 1 Par. 4: 22. & *Beth-aven* Hos. 10:5. *Aven* ℣ſ. 8.

## Observatio IV.

*Nomen proprium unum idemque variationi & mutationi, in literis vel syllabis, quandoque obnoxium est.* Id fit,

### 1. In additione & omissione literarum.

*Partim ab initio*. Qui 1 Par 2: 9. רם *Ram*; in Matth. 1: 3. Ἀράμ dicitur. Prius Hebræorum, posterius Ægyptiorum Syrorumque esse, Junius in parallel. annotat. l. 1. par. 1.

Quæ regio 2 Par. 22: 5. ארם *Aram* dicitur, hoc est, Syria; ea Job. 32:2. רם *Ram* appellatur, per aphæresin.

Qui locus 1 Sam. 17: 1. אפס דמים *Ephes Dammim* dicitur, is 1 Par 11:13. פס דמים *Pas dammim* appellatur. Quidam primam vocem אפס appellativè acceptam vertunt, *terminum*. Sed ex altero loco, proprium esse, apparet.

Huc pertinet appellatio דומה *Duma*, Esa. 21: 11. quo אדום *Edumæam* Propheta indigitat. Junius in parallelis statuit, artificiosâ ὑπαινίζει κατὰ τὸ παρηχεῖν sic vocari, q. d. *silentem* (à דום *siluit*) ut prænunciaverit Propheta, eam, quæ clamosa fuerit insolentissimè, irruente judicio Dei, silentem fore.

*Partim in medio*. Quæ 2 Sam. 17:25. אביגל *Abigal*; ea 1 Par. 2: 16. אביגיל Abigail dicitur. Qui 2 Sam. 24: 24. ארונה *Aravna*; is 1 Par. 21: 25. ארנן *Ornan* dicitur. Quæ civitas דמשק *Damascus* alias vocatur, ea 2 Par 28: 5. per Epenthesin דרמשק *Damaschus appellatur*.

Qui 2 Sam. 13: 1. אמנון *Amnon* dicitur, ut & in sequentibus; is ℣ſ. 20. vocatur אמינון *Aminon*. Pagninus instit. Hebr. l. 2. c 8. ὑποκορισμὸν hîc statuit, seu diminutivam formam, q. d. *Aminonulus*, contemtus ergò (vocatur enim sic à fratre irato, Absalomo,) sic & R. Kimchi דרך בזיון *per viam ludibrii*, *seu contemtus causâ sic* vocari ait. Sed simplicius est, literam Jod epenthetice esse insertam, dicere.

Eadem ratione idem filius Isaschar modò יוב *Job*, Gen. 46:13, modò ישוב *Jasub*, 1. Paral. 7. 1. Idem filius Isai modò שמה *Sammah*, 1. Sam. 17:13. modò שמעא *Simeah*, 1 Par 2: 14. Idem filius Davidis modò שמעא *Simeah*, 1. Par. 3: 5. modò שמוע *Sammuah*, 2. Sam. 5: 15. vocatur.

[a] Sic idem videtur esse nomen proprium הראה *Haroë*, 1. Par. 2: 52. & ראיה *Reajah*, c. 4: 2. etsi Pagninus, Ariæmont. & Lutherus priorem vocem, ut participium præsens exponunt, *qui videbat*, seu *videnti*. Hic Haroë dicitur 1 Par. 2: 53. [b] חצי המנחות *partis Menuchatorum*, scil. incolarum pater. Intelligi enim videtur regio *Manuchat*, in fine Judæ, Benjaminis, & Danis, cujus fit mentio ℣ſ. 54. & cap. 8: 6. & Jerem. 51: 59. מנוחה *Menucha* dicitur: *Et Seraja princeps Menuchæ*, (quamvis Lutherus appellativè vertat, à נוח *quies*, und Seraja war ein friedsamer Fürst. Alii *Princeps quietis seu recreationis*, h. e. quem assumere sibi socium solebat Rex, quoties animum remittere volebat & recreare, à seriis negociis respirando; qualis fuit profectò illa Regis Sedeciæ ad Nebucadnezarem, invisendi & salutandi causa.) In plurali autem מנחות *Menuchot* dici videtur, quia tractus ille divisus erat inter Judam & Danem &c. Lutherus *Menuchoth* ut proprium retinet, sed dictum הראה *Haroë* appellativè vertit, hoc modo: Der sahe die helffte Menuchoth / h. e. (ut in margine additur) videns seu propheta erat in regione Menuchoth, à quiete sic dictâ. Vatab. *qui aspiciebat dimidium Hammenucboth*, id est, qui curam gerebat, sive princeps erat dimidii loci, qui dicebatur Hammenuchoth. Principis enim est, contemplari suos.

[a] Haroë. [b] Menuchoth.

Sic *Bebon*, Num. 32: 3. est eadem civitas cum *Bahal mebon*, ℣ſ. 38. (per syncopen & contractionem) & *Beth-mebon*, Jer. 48: 23. & *Beth-Bahal-mebon*, Jos. 13: 17.

*Partim in fine*, Jos. 3: 16. urbis אדם *Adam* fit mentio (Lutherus appellativè vertit, von den Leuten) quæ cap. 19: 16. אדמה *Adamah* dicitur.

Esa. 16: 7. קיר חרשת *Kir-Charesth* urbs quæ-

dam

dam nominatur, quæ ŷs. 11. קִיר־חֶרֶשׂ *Kir-chares* vocatur &c.

## 2. In permutatione literarum.

Idem Regis Babylonici nomen est בְּרֹאדַךְ *Berodach*, 2. Reg 20: 32 & מְרֹאדַךְ *Merodach*, Es. 39: 1. & fine א, מְרֹדַךְ 2. Reg. 25: 27. Jer. 50: 2. &c.

Idem hominis sacrilegi nomen עָכָן *Achan*, Jos. 6: 1. & עָכָר *Achar*, 1. Par. 2: 7. ubi ad sequentem vocem עֹכֵר *conturbans*, per paronomasian alluditur.

Idem uxoris Uriæ (pòst Davidis) nomen בַּת־שֶׁבַע *Bathsheba* 2. Sam. 11: 3. & בַּת־שׁוּעַ *Bathsua*, 1. Par. 3: 6.

Idem monarchæ Babylonici nomen, נְבוּכַדְנֶאצַּר *Nebucad Nezar*, Dan. 1: 1. (& א omisso, in medio, c. 2: 1. c. 3: 1.) & נְבוּכַדְרֶאצַּר *Nebucad Rezar*, Jer. 21: 2. Sicut earundem literarum permutatione רְחוּם *Rechum* & נְחוּם *Nechum*, idem nomen est, Esr. 2: 2. Neh. 7: 7.

Idem parentis Davidis nomen יִשַׁי *Jischai*, & אִישַׁי 1. Par. 2: 12, 13. quod ad antecedens membrum etiam referri potest.

Sic ד & ר sæpius permutantur. *Chemdan*, Genes. 36: 26. qui *Chemran* vocatur 1 Par. 1: 41. *Dodanim*, Gen. 10: 4. qui *Rodanim* 1 Par. 1: 7. dicitur, *Riphat*. Gen. 10: 3. qui *Diphat* 1 Par. 1: 6. dicitur. *Debuel* Num. 1: 14. qui *Rebuel* c. 2: 14. vocatur. *Hadad-Ezer*, 2. Sam. 8: 3. qui *Hadar-Ezer*, 1. Par. 18: 5. dicitur.

Act. 1: 23. Inter duos illos, ex quibus cooptandus erat unus in collegium Apostolorum, memoratur *Joseph*, *qui vocabatur Barsabas*. Hunc eundem esse volunt quidam cum eo, qui c. 4: 36. dicitur *Joses*, *qui cognominatus est Barnabas*. Et certè levis est deflexio horum nominum, unius literæ Φ & σ in priori; in posteriori σ & ν, mutatione constans. *Barnabas* c. 4: 36. interpretatur *filius consolationis*. Est enim nomen Syriacum בַּרְנַבָּא quasi בְּרָא דְּבוּיָא hoc est, υἱὸς παρακλήσεως, *filius consolationis*. בַּר *filius* & נְבָא *consolatus est*: נ euphoniæ causâ per epenthesin inserto.

Act. 15: 14. Συμεὼν dicitur, qui alibi Σίμων semper dicitur: Apostolus scil. cognomento Petrus. Fecit hæc γραφῆς diversitas, ut quidam è veteribus (notante Casaubono) magno errore existimârint, non Petrum hic intelligi, sed Symeonem, cujus canticum extat Luc. 2: 29. Et sane facta est mentio à Symeone in cantico suo vocationis gentium: sed ad præcedentem Simonis Petri sermonem Jacobum respicere, nimis clarum est.

Huc pertinet nomen *Baal-zebub*. 2. Reg. 1. 2. quod in N. T. Βεελζεβοὺλ scribitur, mutatione ultimæ literæ B. in L. Matth. 12: 24. Luc. 11: 15. Fuit autem *Baalzebub*, idolum in Ekron, ut in libri Regum adducto loco videre est. Significatio est, *dominus muscæ vel muscarum*: forsan, quod perniciosas muscas, quibus ager Ekronitarum infestabatur, amoliri fuerit creditus. Sicut Hercules κορνοπίων *à fugatis locustis* dicitur, notante Casaubono: & Apollo σμινθεὺς *à muribus*, apud Phrygios. Ex Nazianzeno στηλιτευτ. β. contra Julian. Junius notat, Beel-zebub muscæ etiam figuram habuisse. Plinii verba huc referenda lib. 10. c. 28. *Invocant & Ægyptii Ibes suas contra serpentium adventum*, *& Elei Myiagron Deum*, *muscarum multitudine pestilentiam adferente*, *quæ protinus intereunt*, *quò litatum est illi die*. Et lib. 29. c. 6. sub init. *Eò mirabilius est*, *Olympiæ sacro certamine*, *nubes earum* ) muscarum ) *immolato tauro Deo*, *quem Myiodem vocant*, *extra territorium id abire*. Hujus igitur idoli nomen ad Diabolum denominandum traduxerunt Judæi, (qualis traductio in *Gehinnom* ad denominationem inferni ab iisdem facta est) & insuper Beelzebub in *Beel-zebul* immutârunt, quod sonat *duminum stercoris*, (זְבוּל enim *stercus* est,) notante Drusio in præf. ad N. Test. idque ignominiæ causâ factum, de quo similia exempla vide apud Seldenum de Diis Syr. synt. 2. pag. 211. quem etiam de ipso nomine Beelzebub consule, pag. 207. seq.

*In nominibus locorum*, Idem nomen est נֹף *Noph*, Es. 19: 13. & מֹף *Moph*. Hos. 9: 6. Est autem *Memphis*, oppidum Ægypti summum, Æthiopiam versus, impositum Nilo, conditum à Rege Menecia &c. *Moph* dici ajunt à propinquo monte Mopho, cujus Herodotus lib. 2. meminit. Vide Junium. Chaldæus interpres נֹף & מֹף d, l. & Ezech. 30: 12. reddit מפס quod cum *Memphis* convenientiam habet, & testatur Munsterus, se in Chaldæo Ezech. 30. legisse ממפיס *Memphis*, quæ lectio (nisi מ eo loco præfixum est ut in Hebræo) in Venetiana editione occurrit.

## 3. In transpositione literarum.

Idem nomen Patris Bathsebæ אֱלִיעָם *Eliam*. 2. Sam. 11: 3. & עַמִּיאֵל *Ammiel*, ubi integræ tansponuntur syllabæ, nomine & ejus significatione manente eadem; utraque enim vox *populum Dei* significat.

Idem nomen Regis Judæ יְהוֹיָכִין *Jehojachin*, 2. Reg. 24: 6, 8. & יְכָנְיָה *Jechonia* 1. Par. 3: 16. & כָּנְיָהוּ *Conjahu*, Jer. 22: 24.

Idem nomen Regis Assyriorum תִּגְלַת פִּלְאֶסֶר *Tiglath*

*Tiglath Pileser* 2. Reg. 15: 29. & תִּלְגַת־פִּלְנְאֶסֶר *Tilgath Pilneser*, 1. Par 5: 6. ubi simul in posteriori voce insertio est literæ נ.

Idem Urbis Josuæ hæreditariæ nomen תִּמְנַת־סֶרַח *Timnath Serach*, Jos. 24: ℣s. 30. & תִּמְנַת־חֶרֶס *Timnath Heres*, Jud. 2: 9. חֶרֶס autem *Solem* significat. Jud. 8: 13. unde traditio Rabbinica, eam urbem fuisse hoc nomine insignitam, *quòd imago Solis* (תְּמוּנַת חֶרֶס quasi תְּמוּנַת) *sepulchro Josuæ superimposita fuerit*, in memoriam miraculi illius, quo Josua precibus stare fecit solem, Jos. 10. סֶרַח autem dici ob *superabundantiam* fructuum ejus loci: (סרח enim, *redundandi* significationem obtinet.) Vide R. Salom & Kimchi in h. l.

ᵃ Occasione hujus observationis, de nomine proprio *Bosor*, quod 2 Pet. 2: 15. extat, his verbis; τοῦ Βαλαὰμ τοῦ Βοσὸρ; paucis placet disserere. *Tres* de illo extant sententiæ (1.) Quidam putant esse nomen loci, qui Hebraice בֶּצֶר *Bezer* dicitur, Deut. 4: 43. Jos. 20: 8. 1. Par. 6: 78. quod nomen LXX. reddiderunt βοσόρ, id quod etiam extat 1 Macc. 5: 26. Sed hoc alienum est à præsenti loco Petrino; *Bezer* enim seu βοσόρ, allegatis in textibus, nomen loci est in terra Cananæa, tribus Rubeniticæ: Balaam autem ex Phetor, urbe Mesopotamiæ oriundus fuit, ut patet ex Deut. 23: 4. Num. 22: 5. unde ait; *de Syria eduxit me Balak*, Num. 23: 7. (2) Sunt, qui Βοσόρ putant esse nomen ejusdem loci, qui Num. 22: 5. Deut. 23: 4. פְּתוֹר *Pèthor* dicitur, urbs patria Bileami. Unde vulgata legit, *ex Bosor*, scil. oriundus. Congruentiam autem Hebrææ vocis cum Græcâ, Βοσόρ, quærunt in pronunciatione ת raphati sive aspirati, quod cùm Judæi ut S blæsum efferant, pro *Bethor* dicunt Petrum legisse Βοσόρ, & commutato scheva, quod ut e brevissimum legitur, in o, Βοσὸρ, quod alias apud veteres fieri, notat Weigemei. in tabul. Gramm. p. 5. unde בְּחֹרֵב legisse *Boboreb*; communiter autem sono ad pathach declinante (רְפָאֵל *Raphaël*) scheva prolatum fuisse, idem annotat. Etsi autem ante gutturales tantùm illam τοῦ scheva pronunciationem (ut pro o legatur) locum habere asserit, tamen ante alias etiam literas contingere, patet ex nomine שְׁלֹמֹה *Schelmo*, pro quo LXX. in V. T. 1 Reg. 1: 10. &c. & scriptores N. T. Matth. 12: 42. c. 6: 29. &c. legunt Σολομὼν, scheva in o converso. Verùm utut sit, de antiquitate pronunciationis ת raphati, ad Apostolorum usque tempora pertingentis, non constat. Buxt. th. p. 6. ת *aspiratum Judæi hodiè communiter ut S. efferunt. At hoc vitiosè fieri non est dubitandum. Utut maximè sibilus vel aspiratio cum T conjuncta, T emolliat; tamen literam ipsam prorsus in alienum sonum non detorquet.* Adde, quod si dicta τοῦ ת pronunciatio ejus esset antiquitatis, LXX. quoque ita haud dubiè pronunciassent. Illi verò pro פְּתוֹרָה Num. 22: 5. legunt Φαθουρὰ (Deut. 23: 3. מִפְּתוֹר plane omittunt.) Adde & hoc, in Pethor esse פ initialem literam, quæ non Græco β sed Π vel Φ respondet. Debuisset igitur dici (stante hac sententiâ) ποσόρ; vel Φοσόρ, non Βοσόρ. Beda in comm. 2 Pet. 2. tom. 5. oper. p. 721. eandem de nomine Bosor sententiam tenet, sed mutationis factæ dat rationem allusivam: *Quibus etiam* (mercedem iniquitatis amantibus) *aptissimè nomen congruit civitatis, de qua Balaam venisse perhibetur. Bosòr namque carneus sive in tribulatione dicitur*, (priore significatu ad Hebr. בָּשָׂר *caro*; posteriore ad בָּצַר *in angustia*, videtur respicere,) *neque alia magis causa luxuriosis existit, verbum veritatis amore pecuniæ, vel desideriorum temporalium, adulterare, quàm quòd carnis se concupiscentiæ mancipaverunt &c.* Hæc Beda, quæ ferè etiam Lyranus repetit in comm. h. l. (3.) Alii demum *Bosòr*, nomen patris Bileami statuunt, ut ad τοῦ Βοσὸρ subintelligendum sit, *filii*. Cùm autem Num. 22: 5. Mich. 6: 5. pater ejus בְּעוֹר *Beor* appellatur (unde Lutherus illud nomen in loco Petrino restituit, Balaam des Sohns Beor) ideo vel Βοσὸρ ab interprete mutatum esse ajunt ex Βεὼρ, (cujusmodi mutationes nominum propriorum crebrò accidunt, ut in præsentibus dictum, vel patrem Balaami fuisse binominem, qui & *Beor* & *Bosòr* appellatus fuerit, quod & aliàs in usu esse, infrà dicetur. Inter has sententias commodissimum esse videtur, id amplecti de hoc nomine, quod penultimo loco positum, & in *Bosòr* (qui pater Beleami fuit) variationem ejusdem nominis *Beor* agnoscere. Etsi in hisce talibus quamcunque quis sectetur sententiam, veritatis in articulis fidei principalibus jacturam nullam facit.

ᵃ Bozor 2 Pet. 2. quid.

## *Continuatio.*

HActenus absolutè nomen proprium consideratum fuit, sequitur, ut σχετικῶς, respectu aliarum linguarum consideretur. De eo verò sequentibus duobus observatis.

## Observatio V.

*Nominis proprii etymon nequaquam ex peregrina & aliena linguâ deducendum est.*

HEbræorum nominum origo & etymologia in Hebræa: Græcorum in Græca: Latinorum

norum in Latina lingua quærenda eſt, ne concedenda μετάβασις εἰς ἄλλο γλώττης γένος.

Riſiſſe igitur ſe Druſius ait, lib. 6. obſerv. c. 20. cùm in magno etymologico Græco nomen

a Kedar.

[a] *Kedar* ſic videret expoſitum, κήδαρ τὸ σκοτεινὸν, παρὰ τὸ κήδω, τὸ κοιμῶμαι. *At quid ineptius?* ait Druſius: *nam Kedar Hebraicum eſt, & non Græcum. Quapropter ratio nominis petenda eſt ab iis, quorum verbum eſt. Neque Græci Grammatici in hujuſmodi rebus audiendi ſunt: & alioqui natio hæc vaniſſima ſemper fuit, & in fingendis etymologiis audaciſſima, ut etiam nomina Hebræa revocare ad origines ſuæ linguæ non ſint veriti. Cæterùm Kedar, à quo Kedareni, quos poſterior ætas Saracenos appellavit, regio eſt Arabiæ, ſic appellata à Kedar uno ex filiis Iſmael; ſignificat autem nigredinem &c.* Hæc Druſius.

Riſu non minùs dignus Card. Baronius, qui tom. 1. anal. Eccl. an. 31. n. 27. Syrum nomen

b Cephas. כִּיפָא

[b] *Cephas*, *petram* ſignificans, præter Syriacam ex Græca etiam deducit linguâ, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, quæ vox *caput* ſignificat. *Unde appo-*

c Paulus.

*ſitè* (inquit) *quod apud Syros petram ſolidam ſonat nomen Cephæ, apud Græcos caput ſignificat, ac ſic divina quadam diſpenſatione factum videtur: ut unâ eademque voce, duabus linguis, Petri principatus exprimeretur.* Similia de hoc nomine Bellarminus lib. 1. de P. R. c. 17. ex Optato lib. 2. contra Parmenionem adducit. Sed rectè Junius animadv. in Bell. p. 687. *Aut Græcè neſcivit Optatus, aut alluſit non ſatis aptè, aut illuſit.* Confer D. Meiſn. part. 2. Philoſ. ſobr. ſect. 1. p. 427.

Huc pertinent & ſequentia,

*Beltſchatzar, Sadrach, Meſach & Abednego*, Dan. 1: 7. Chaldaica ſeu Babylonica nomina ſunt, de quorum etymo inferiùs. Sunt autem,

d Jeſus Salvatoris glorioſiſſimi nomen.

qui purè Hebraicam eorundem originationem tradunt, ut Beltſatzar ſit quaſi שֶׁבַּלַּע צַר *qui operit ſuam anguſtiam*, vel quaſi שֶׁבְּלָא צַר *qui non eſt in anguſtiis.* Alii *in occulto portans anguſtiam:* Sadrach, quaſi שַׁד רַךְ *tenera mamilla.* Meſach, à מָשַׁךְ *traxit*, quaſi *arcum attrahens:* Abednego, quaſi עֶבֶד נֹגַהּ *ſervus ſplendoris* & præcipuus. Sed hæc invalida ſunt.

*Philippi* nomen Græcum eſt, eum, qui *equis delectatur*, & p. c. bellicoſum notans. At fruſtra hujus nominis quæſita ab aliquibus eſt Hebræa origo, ac ſi eſſet *os lampadis*, ex פֶּה *os*, & לפיד *lampas.* Conſtat ex Maccabæorum libris, quòd propter confœderationes & commercia cum exteris gentibus Judæi externa etiam nomina adſciverint. Hinc *Jaſones, Menelai, Lyſimachi, Doſithei, Soſipatres, Ariſtobuli: Alexandri, Stephani, Nicolai, Nicodemi, Timothei* &c. apud Judæos. Ex horum numero eſt etiam nomen *Ptolemæi*, quod origine Græcum eſt, à bello deductum (ſicut *Philippus*, *Andreas*,) quod Judæi ex Græcorum conſuetudine ſibi impoſuiſſe, ex apocrypha hiſtoria Eſter c. 11: 1. (ubi *Doſithei* & *Lyſimachi* nomina adjunguntur) & 1 Macc. 16: 11. conſtet. Ex eo Chaldaicum *Tholmai* factum eſt, & *Bartholmai*, ſeu *Bartholomeus*, Matth. 10: 3. hoc eſt, *filius Tholmai* (ſicut Τίμαῖος, Græcum nomen eſt, & inde fit *Bartimæus*, hoc eſt, filius Timai ſeu Timæi, Marc. 10: 46.) Quam eſſe periphraſin Nathanaëlis Joh. 1: 46. Bened. Arias in lib. de arcano ſerm. p. 5. ſtatuit. Hieronymus autem nomini huic Bartholomæo Hebræam tribuit originem, ut ſit *filius ſuſpendentis vel elevantis aquas:* בַּר *filius* תָּלָה *ſuſpendit* מַיִם *aquæ.* Alii *filium ſulcorum* interpretantur, à תְּלָם & בַּר *ſulcus, porca, oratio &c.*

Sic Eraſmus reprehendit gloſſ. ordin. quod nomen Ἰᾶςος, quod Latinum eſt, Act. 1: 23. ut Hebræum interpretatur. Et Hieronymum, in epiſt. ad Philem. qui [c] *Pauli* nomen dicit Hebræis ſonare *mirabilem*, (à פֶּלֶא) *Miror*, inquit, *Hieronymum ipſum committere, quod aliàs reprehendit in aliis, qui vocum etymologias à diverſa lingua petebant. Etenim cùm conſtet, Paulus aut Romanam eſſe vocem, aut certè Græcam, non conveniebat ejus etymologiam ab Hebræis mutuari.* Hæc Eraſmus in annot. Rom. 1: 1. Alii ridiculè Pauli nomen à פֶּה & αὐλὸς *tibia*, quaſi *os tubæ.* De vera etymologia alibi.

De *Saba* nomine ita Lud. Vives comment. in Auguſt. de C. D. lib. 3. cap. 31. *Sabæi populi ſunt juxta Syriam & Arabiam, apud quos naſcitur Thus. Virg. India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi. Servius Sabæos nominatos ait à σέβεσθαι quod eſt colere: quia thure, quod apud eos naſcitur, deos placamus.* (At שבא Hebræum eſt.)

[d] His adjungendum etymon nominis dulciſſimi Ἰησοῦς, *JESUS*, quod quidam (cujus Eraſmus meminit in encomio Moriæ) à *Jehova* tetragrammato Dei nomine deduxit quidem (uti & Ant. Oſiander & alii) ſed & literam S. interpoſitam ex Scotica deduxit linguâ, utpote in qua Syn (quod nomen Hebrææ literæ eſt) *peccatum* ſignificet, ac ſi reſpectum eò eſſet: *Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi.* Non minus à vero deviant illi, qui à Græco *ἰάω ſano*, nomen Jeſus deducunt, uti Baſilius Magnus & alii (*ἰάω* in fut. *ἰάσω*, ex quo *ἰασοῦς*, & converſione, α in η, Ἰησοῦς) ac ſi Ἰησοῦς idem eſſet, ac ἰατρὸς, *medicus.* Videtur idem hoc velle Epiphanius hær. 29. *Jeſus* (ait) *in Hebraica lingua curator appellatus, aut medicus, & Salvator.* Sed oſtendit Angelus evidentiſſimè veram originem ex Hebræo fonte, quòd à

יֵשַׁע sit, quod *salvare*, *servare*, *prosperare*, significat, Matt. 1: 21. Sunt tamen, qui datam nominis Jesu etymologiam Græcam sic excusant, quòd autores ejus *allusionem* tantùm, non exactam derivationem dederint. Perinde ut *Paschatis* nomen (quod Hebræum origine est, à פֶּסַח *transitus*, Chald. פִּסְחָא ex quo facili mutatione factum fuit Græcum πάσχα, quæ vox retenta fuit, ut *Manna*, *Raca*, *Abba*, *Mammona* &c.) Justin. in dial. cum Tryphone. Ambros. lib. 2. de Cain & Abel c. 8. Lactantius lib. 4. cap. 26. & alii à πάσχειν deducere videntur: cùm tamen allusione tantùm quadam respexerint ad mysterium, quòd Christus in paschate Judaico passionem sustinuerit, & per eandem Judaicæ illi festivitati finem imposuerit. Vide August. tract. 55. in Joh. ab initio.

## *Nota.*

Cæterùm, cautelâ isthâc, de non quærendo nominis proprii etymo in peregrina lingua, nihil quicquam derogatur illorum studio, qui inferiorum linguarum originem ex suprema, h. e. Hebræa, quæ mater reliquarum meritò dicitur, commodà ratione deducunt. Ut quòd *Saturni* nomen ex Hebræo סָתַר *latuit*, fluxisse dicunt, unde is *Deus Latius* fuit dictus: & Saturnia sedes fuit *Latium*: *Jovis* nomen à sanctissimo Dei apud Hebræos nomine יְהוָה: *Martis* à מָרָה rebellis fuit: *Mercurii* à מָכַר *vendidit*: *Jani* bifrontis à יַנוּח, ut ipsum nomen *Noachi* sit &c. Quorum nominum ex Hebræo deductorum plura videantur in præfat. Gram. Hebr. Junii: itemque in tom. 1. operum, ejusd. initio & fine, *Ibi*, in orat. de ling. Hebr. antiq. & præstant. p. 6, 7. *Hic*, in libro, quem *Academiam* vocat, c. 2. Sic nomen *Nero* esse ex Heb. נוֹרָא Flacius in clave script. part. 1. voce *Terribilis*, asserit his verbis: *Non accipiendum est nomen* נורא *terribilis* (*si Deo tribuatur*) *pro crudeli ac violento*, *sed pro forti ac potente*, *illustri ac glorioso*: *Deus enim non est crudelis aut Tyrannus. Ad quam significationem tantò rectiùs intelligendam*, *observatu dignum est*, *quod Suetonius in vita Neronis*, *& A. Gellius lib.* 13. *c.* 22. *docent*, *nomen Nero* (*quod procul dubio idem est cum Nora*) *esse Sabinum*, *unde Claudiorum familia venerat & significare lingua Sabina fortem ac virtute præditum. Omninò enim multa Hebræa nomina fuerunt olim in Latio usitata*: *ut est etiam Rama*, *aut Roma*, *in collibus sita*: *Numa*, *id est*, *dormitator*, *sic enim bellicosus populus sacrificulum & tranquillitatis amantem Regem nominavit &c.* Sic acutissimus Heinsius in Aristarcho sacro, caput primum maxima ex parte de originationibus hujusmodi nominum, cumprimis quæ deastrum gentilem *Bacchum* concernunt, conscripsit: ubi præter *Cadmi* nomen pervulgatum quod ab Hebr. קדם esse ostendit, ) *Bacchi* ipsius nomen deducit à בכה quod *ululare* aut lamentari significat: quâ voce de Bacchabus utitur Virgilius Æn. 7. *Ast aliæ tremulis ululatibus æthera complent*, *Pampineasque gerunt incinctæ pellibus hastas.* Baccharum flebilem exclamationem εὐοῖ ab Hebr. אֲבוֹי *heu*, *eheu*, esse ostendit. (Nota 1: אֲבוֹי *væ* illud Prov. 23: 29, 30. de vini immoderato haustu, ex quo ἀσωτία, usurpatur: quo cum convenit Cabbalistarum τηρησείδιον, qui observant literas יין sive *vini*, numeros cum יללה *ejulatus*, eosdem, 75. scil. producere, quo ejulatum & incommoda, quæ vinum consequuntur, significari ajunt. Nota 2. Drusium l. 1. animadv. cap. 33. Bacchicarum εὐάζειν ab εὔα deducere, quod Syrorum חִוְיָא *serpens* esse dicit, *Orgiorum Bacchicorum Serpens fuerit*, teste Eusebio libr. 2. προπαρ.) Ez. 8: ẏſ. 14. fœminas, quæ *Thammutz* sive Adonin, quem eundem cum Baccho volunt esse Græci, celebrant, מְבַכּוֹת flentes, à בכה id est, *Bacchas*, sive Βακχευούσας dici: exque eo patere, ea sacra etiam in Oriente primum, ac potissimum à fœminis, fuisse celebrata. (Confer hic Junium in notis ad Ez. 8. & in comment. tom. 1. p. 853. qui aliter de *Thammutz* sentit.) *Sabasium*, quòd Bacchi apud Græcos nomen est ex סבא esse, quod οἰνοφλυγεῖν *vino se ingurgitare*, significat. *Jacchi* nomen à nomine divino יָהּ. Ex *Halleluja* ortum illud apud Græcos celebratum ἐλελεῦ ἴακχε, quod in contumeliam divini nominis, ab humani generis hoste ita translatum. *Mimallonides*, Sacerdotes Bacchi, a voce & clamoribus sic dictos esse. מְמַלְלִין enim Chaldæis sunt *loquaculi* & garruli. *Thyades* à תעה *vagari errare*, quod de ebriosis Esaias usurpat c. 28: 7. ut Thyades sint μεθυσθάδες, secundùm Græcorum vocem, quæ vino tactæ aut furore vagabantur: unde Sacerdotes Bacchicos πλανάτας Euripides dixit. *Satyros* sodales Bacchicos à סתר *latere*, dictos esse, quòd ferarum instar in speluncis ac nemoribus laterent. Hæc & alia eruditè Heinsius, ut quòd ἄρης *Martis* nomen ab חרס *Sol*, deductum sit, cùm eundem Græci cum Sole faciant: unde *LXX.* Jud: 8: 13. חרס Hebræorum retinuerunt, & sine aspiratione reddiderunt ἄρεος: quod *Pythonis* serpentis nomen à פֶּתֶן sit, quod *aspidem* significat: quòd nomen *Atticorum* sit ab Hebr. עַתִּיקִים *antiqui*, quòd de antiquitate illi maximè fuerint gloriati &c.

a Hebræa lingua reliquarum mater & scaturigo.

De nominum *appellativorum* ex lingua Hebræa deductione (ut quod καμήλυ *Cameli* vox ex He-

Hebræor. נָמֵר est: Ταύρȣ, *tauri* à תּוֹר: σάκκȣ, *sacci*, à שַׂק, quæ vox *sola è Babylonica strage ad omnes linguas salva evasisse*, ut Scickardus loquitur, seu in omnibus linguis primum suum ortum retinere dicitur, (legi possunt Becmanni libri de orig. Lat. ling. & collatio linguarum quatuor principalium, à Crucigero professore Marpurg. edita. Benè Forsterus in præfat. Lex. *Ingentem esse*, inquit, *gloriam & felicitatem hujus linguæ præ cæteris, quòd ab aliis linguis nihil mendicet aut mutuetur, aliæ verò ab hac multas voces mutuentur*. Interim tamen videndum in hac originationum materie, ne idem accidat, quod olim Balbo cuidam, qui (ut est in Cicerone lib. 3. de nat. deorum §. 19. circa fin.) *Neptunum* deducebat à *nando*, unica retenta literâ, (cujus etymol. Fullerus etiam meminit l. 3. cap. 16.) At hoc in persona Cottæ falsè ridet Cicero, aitque *Balbum magis sibi in ea originatione visum natâsse, quàm ipsum Neptunum*.

## Observatio VI.

*Nomina propria debent retineri in versionibus, qualia leguntur in fonte seu originali linguâ: nec ut appellativa transvertenda sunt.*

NOn enim (ait Anton. Nebrissensis in quinquagena seu 50. Script. locor. explanatione cap. 49.) quia *Plato* interpretatur *latus*, & *Athena* fit *Minerva*, pro *Platone Atheniensi* quispiam transferet rectè *Latum Minervalem*. Et quid absurdius dici posset, quàm si pro eo, quod Hebraicè dicitur, *Adam ex Eva genuit Abel*: quoniam *Adam* interpretatur *homo*, *Eva mater Viventium*, *Abel vanitas*, sive *vapor*, sive *nihil hoc*; quispiam interpretaretur, *homo ex matre viventium genuit vanitatem sive vaporem, sive nihil hoc &c.* Ludovicus Vives in lib. 18. August. de C. D. c. 35. *Malachiam septuaginta vocârunt* ἄγγελον αὐτοῦ, *hoc est, angelum ejus. Hebraicè namque nuncium meum sonat. Quam ob causam Origenes, cùm in hunc prophetam scriberet, significationem dedit, putare se, angelum fuisse, qui prophetavit, si Hieronymo credimus: cæteri Malachiam nominârunt. Neque enim nomina, cùm in alias linguas veniunt, ex etymologia mutanda sunt. Nemo enim Platonem vocat latum, vel Athenas Minervas. Relinquuntur enim nomina, ut cuique in proprio sunt imposita sermone. Alioqui non lux adderetur iis, quorum verterentur in alienas linguas nomina, sed obscuraretur claritas, quam habebant prius. Quò magis miror esse, qui sibi peregrina & Græca nomina adsciscunt, juxta etymon suorum patria lingua; qui dum sibi famam parare student, plus media illius parte se fraudant. Quantò simpliciùs & prudentiùs, adde etiam, ad rerum naturam accommodatiùs Cæsar, qui Gallos omnes & Germanos suis ipsorum appellavit nominibus, inflexis tantùm finibus in formam Latinorum.* Hæc ille.

Perperam igitur LXX. Interpretes, & Vulgatæ Latinæ versionis autor, pro nominibus Hebræis propriis Græcam & Latinam eorum significationem (eamque quandoque incongruam) ponunt.

Ex *Græca* LXX. translatione notentur hæc pauca:

Gen. 14: 5. *Et decimo quarto anno veniens Kedor Laomer, & Reges, qui cum ipso percusserant Rephaim in Asthaoth-Carnajim,* וְאֶת־הַזּוּזִים בְּהָם *& Zuzæos in Ham.* Hæc verba LXX. transtulerunt, ἔθνη ἰσχυρὰ ἅμα αὐτοῖς, *gentes validas unà cum eis. Voces* ἔθνη ἰσχυρὰ conformia sunt Targumicæ translationi, in qua nomen proprium הַזּוּזִים itidem appellativè redditur, תַּקִּיפַיָּא *robustos illos*. Pro בְּהָם autem Græci legerunt בָּהֶם *in illis*, ubi ב per ἅμα reddiderunt, fortè alludendo ad vocem Hebraicam.

Deut. 1: 1. וַחֲצֵרֹת וְדִי זָהָב *Et Hazeroth & Dizahab.* LXX. καὶ αὐλὸν καὶ καταχρύσεα *& tibiam & aureum.* Respexerunt ad conformitatem significationis appellativæ. חֲצֹצְרָה *tubam* significat, unde nomen proprium unâ literâ brevius per αὐλὴν verterunt. דִּי זָהָב *sufficientiam auri* notat, unde illi suum καταχρύσεα desumserunt. Vulg. *Et Hazeroth, ubi auri est plurimum.* Chaldæus interpres itidem quædam nomina propria in hoc versu appellativè accipit, ita versum totum exprimens: *Hæc sunt verba, quæ locutus est Moses cum universo Israele citra Jordanem: redarguens eos, quod peccavissent in deserto, & quòd irritavissent Deum in planitie è regione maris rubri: In Paran quòd murmuraverunt super Manna, & in Hazeroth, quòd irritaverunt Deum propter carnes, & quòd fecissent vitulum aureum.* Ubi quod in Hebræo est וּבֵין־תֹּפֶל *& inter Tophel*, Chald. reddit. אִתְפְּלוּ *murmuraverunt.* Quod in Hebr. est וְלָבָן *& Laban*, Chald. reddit: עַל־מַנָּא *super manna*, quia sc. manna album est: לָבָן autem *album* significat. Quod in Hebræo est דִּי זָהָב Chald. παραφράζει: *quod fecerunt vitulum* דִּדְהַב *auri seu aureum*

1 Sam. 25: 3. *Et ipse erat* כָּלִבִּי *Calibita.* Targ. מִדְּבֵית כָּלֵב *ex familia Caleb.* LXX. reddunt. ἄνθρωπος κυνικός, à כֶּלֶב *canis*, q. d. ein hündischer und neidischer karger Mann.

Gen. 31: 13. *Ego sum Deus Beth-El*; LXX. ita παραφράζουσι. ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ Θεοῦ, *Ego sum Deus, qui tibi apparui in loco Dei*. Bethel igitur (*domus seu locus Dei*) appellativè accipiunt, Augustinus locut. sac. lib. 1. dicit locutionem esse, qualis illa: *Et pluit Dominus à Domino*, hoc est, filius à Patre. Sed ex Hebræo fonte optima desumitur interpretatio. *Deus Bethel*, hoc est, qui in Bethel (sic vocato à Patriarcha) se manifestavit, Gen. 28.

2 Par. 3: 17: nomina columnarum à Salomone exædificatarum memorantur: vocavitque nomen dexteræ יָכִין *Jachin*, & nomen sinistræ בֹּעַז *Boaz*. Græci verò ut appellativa hæc nomina vertunt: καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα τοῦ ἐκ δεξιῶν, κατόρθωσις, καὶ τὸ ὄνομα τοῦ ἐξ ἀριστερῶν, ἰσχὺς *& vocavit nomen ejus, quæ à dextris est, directio, & nomen illius, quæ à sinistris est, fortitudo*. In 1 Reg. 7: 21. nomina Hebræa in versione Græca retinentur.

Amos 7: 9. *Et desolabuntur excelsa Isaac.* LXX. καὶ ἀφανισθήσονται βωμοὶ γέλωτος, *& exterminabuntur aræ risus.* Nomen enim Isaaci in Hebræo à *ridendo* deducitur. Luth. in nota marg. Die Kirche wird also genennet seyn / nach Isaac dem Ertzvater; oder werden das Volck Israel auch Isaac genennet haben / aber der Prophet deutet es zu Spott / denn Isaac heisset spotten. Vulg. ad sensum reddit: *Et demolientur* (passivè accepta voce) *excelsa idoli.* Reverà enim *excelsa Isaac* (hoc est, filiorum Isaac seu populi Israël) erant excelsa idolorum. Vide & Zach. 12: 11.

Ex *Latina vulgata* observentur sequentia.

Genes. 2: 8. *Et plantavit Dominus Deus hortum* בְּעֵדֶן *in Eden*, Vulg. *Plantavit Deus Paradisum voluptatis.* Nomen proprium *Eden* esse, tùm præfixum ב; tùm collatio Gen. 4: 16. Ezech. 27: 23. cap. 37: 12. 2 Reg. 19: 2. ostendit. Etsi pro voluptate aliàs sumi non negatur. Plurale enim 2 Sam. 1: 24. extat, & hinc ἡδονὴ vox Græcorum est, sed hæc significatio hîc non primario attenditur.

Gen. 10: 11. *Rechoboth* nomen urbis extat, & additur עִיר *urbs*, ne quis appellativè acciperet (רְחֹבוֹת enim Hebræis sunt *plateæ amplæ*) & est Oroba ad Tigrim, ut Ptolomæus nominat; unde Gen. 36: 37. dicitur *Rechoboth fluminis*, q. d. quæ urbs ad flumen sita est. Sed vulgatus vertit appellativè, *& plateas civitatis.* Ita etiam Targum Hierosolymitanum: *Et ædificavit Ninive*; וְיַת פַּלְטִיָא דְקַרְתָּא *& plateas illius urbis*, sc. Ninives. Et Hieron. quæst. in Gen. tom. 4. f. 93. *Quod autem ait: Niniven & Rechoboth civitatem; non putemus duas esse urbes. Sed quia Rechoboth platea interpretatur: ita legendum est: Et ædificavit Niniven, & plateas civitatis.*

Gen. 14: 3. *Omnes isti conjunxerunt se ad vallem* הַשִּׂדִּים *Siddim.* Vulg. *in vallem sylvestrem*; ac si esset à שָׂדֶה *ager.*, LXX. ἐπὶ τὴν φάραγγα τὴν ἁλυκὴν, *in vallem salsam*: quod ex sequenti membro desumtum; sequitur enim, *quæ* (jam est) *mare salsum*, αὕτη θάλασσα τῶν ἁλῶν.

Gen. 22: 2. *Abi ad terram* הַמֹּרִיָּה *Morijah.* Vulg. *in terram visionis*: nomen enim Hebræum à רָאָה *videre*, deducitur.

Exod. 17: 7. *Et vocavit nomen loci*, מַסָּה וּמְרִיבָה *Massa & Meriba*: Vulg. unâ voce appellativâ: *Et vocavit nomen loci illius, Tentatio.* LXX. duas appellativas adhibent: καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου, πειρασμὸς καὶ λοιδόρησις.

2 Sam. 2: 29. *Et venerunt* מַחֲנָיִם *in Mahanajim.* Vulg. *venerunt ad castra.* Sic & Græci: καὶ ἔρχονται εἰς παρεμβολάς. Sic & ✝. 8. Est autem hoc nomen loci, dicti à duobus castris, Angelorum & Jacobi, Gen. 32: 2.

2 Sam. 13: 20. *An Aminon &c.* LXX. μὴ ἀληθῶς; ac si ab אָמֵן *verè, certè*, esset.

2 Sam. 21: 19. Herois cujusdam ejusque parentis nomen proprium ponitur, אֶלְחָנָן בֶּן־יַעְרֵי אֹרְגִים *Elchanan filius Jaare Oregim.* Vulgata obscurâ interpretatione legit: *Adeodatus filius saltus polymitarius.* Quia sc. voces, appellativè sumtæ tale quid significant. LXX. ultimam vocem אֹרְגִים itidem appellativè vertunt, prioribus ut propriis nominibus retentis: ἐλλανὰν υἱὸς ἰαρὲ τῶν ὑφαινόντων, *Ellanan filius Jare, texentium.* Chaldæus periphrasin *Davidis* his verbis contineri putat, dum ita transfert: *Et occidit David filius Isai, texentis velum domus sanctuarii, qui erat de Bethlehem, Goliatum &c.* De qua translatione ita R. Kimchi: *Vocat Isai* יערי ארגים, *propterea quod fuit textor velorum, quæ erant necessaria ad domum sanctuarii, & hæc vocetur* יער (*sylva*) Ps. 132: 6. *Quid autem sit, quod David vocatur Elchanan, non novi.* Chaldæo subscribit R. Salomo, dum nomine *Elchanan* intelligi Davidem, asserit. In hoc autem dissentit, quòd pluralem ארגים ita explicat, *quòd David fuerit oriundus de prosapia illorum, qui texuerunt vela pro domo sanctuarii, quæ vocatur* יער Quod tamen reipsa cum Chaldæo convenit.

1. Par. 4. 22. ita in Latino legitur: *Et qui stare fecit solem, virique mendacii, & securus, & incendens.* In Hebræo autem sunt nomina propria: וְיוֹקִים *& Jokim.* (Vulg. pro קוּם accipit, *faciet seu fecit stare*, & addit nomen *Solis*, וְאַנְשֵׁי כֹזֵבָא *& viri Cozaba* (Vulg. *viri* men-

*mendacii*, כזב enim *mentiri* est) ויואש *& Joas* (vulg. *& securus*, יאש in Niphal נואש *desperare* significat, & animum ac spem abjicere, quod planè contrarium securitati est: nisi desperationis consequens intelligatur, quod ex desperatione aliqui nimis fiunt audaces & temerarii:) ושרף *& Saraph*, (Vulg. *& incendens* שרף enim *comburendi & incendendi* significationem obtinet.)

1. Par 7:18. *Et soror ejus Malachet, peperit* אישהוד *Ishod.* Vulg. *Soror autem ejus Regina peperit virum decorum.* Appellativè sumtæ voces id significant.

Neh. 9:7. *Et eduxisti eum* מאור *ex Ur Chaldaeorum.* Vulgatus interpres Latinus reddit: *De igne Chaldaeorum:* quod tamen alibi rectè vertit, *ex Ur Chaldaeorum*, Gen. 11:31: &c. Ur enim nomen urbis est, h. l. & alibi, quam Οὐρὴν & Οὐρίαν vocant, in quo asservatus fuit (ut existimant) sacer ille ignis, quem Chaldæi coluerunt, & inde dicta fuit Ur, quòd aliàs ignem significat. Forsterus in lex. pag. 16. *Ur ab igne habet appellationem, quem Chaldæi pro Deo coluerunt: nam cùm vidissent olim igne cœlitus delapso sacrificia patriarcharum consumi, putârunt esse Deum.* Ex hac igitur versione Latinâ Interpretes Pontificii quidam fidem conciliant narrationi illi apocryphæ, & ex Hebræorum quorundam lacunis primitus haustæ (quam Hieron. ponit. in quæst. in Gen. tom. 4. fol. 94.) Abrahamum, quòd ignem adorare detrectaret, jubente Nimrodo, in ignem fuisse conjectum, at Deo curam sui cultoris gerente, illæsum exivisse. De quo nec in sacris Scripturis, nec apud Philonem & Josephum aliosve scriptores fide dignos, quicquam legitur. Uti autem Vulgatus interpres significationem nominis אור appellativi (quæ *ignem* aliàs significat) respexit: ita LXX. vocum similitudinem attendentes, transtulerunt, *καὶ ἐξήγαγες αὐτὸν ἐκ τῆς χώρας τῶν χαλδαίων*, *& eduxisti eum ex regione Chaldaeorum.* Neutrum benè. Confer Sixtin. Amama in Antibarb. Bibl. lib. 3. p. 3. p. 652.

Job. 42:14. nomina filiarum Jobi recensentur: *Et vocavit nomen primæ*, ימימה *Jemima; & nomen secundæ*, קציעה *Kezia; & nomen tertiæ* קרן הפוך *Keren happuch.* Vulg. *Et vocavit nomen unius, diem* (Jemima enim convenientiam habet cum יום *dies*,) *& nomen secundæ Cassiam, & nomen tertiæ Cornu stibii:* קרן enim, si appellativè accipiatur, *cornu* est, & פוך *stibium, fucus*, *&c.* ita & ferè LXX. *καὶ ἐκάλεσε τὴν μὲν πρώτην, ἡμέραν, τὴν δὲ δευτέραν κασσίαν, τὴν δὲ τρίτην ἀμαλθαίας κέρας.* Chaldæus versui huic 14. addit alium, in quo nominum horum reddit rationem: *Jemima fuit dicta, quòd pulchra esset ut dies: Kezia fuit dicta, quod preciosa esset ut Kezia: Kerenhappuch, quòd copiosa esset splendore, & pulchritudine faciei, instar Smaragdi.*

Prov. 30:1. *Verba* אגור *Agur, filii* יקה *Jake, comportatio: Dictum viri* לאיתיאל לאיתיאל ואכל *de Ithiele, de Ithiele* (inquam) *& Ucbale fit.* Vulg. *Verba congregantis, filii vomentis: Visio quam locutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus, ait.* Agur ab אגר *congregare*, est יקה Jake, cum קוא *vomuit*, aliquatenus convenit. *Ithiel* compositum est nomen q. d. אתי־אל *mecum Deus est. Ucbal* cum יכל convenit, *potuit.* His ex significatis versio dicta profluxit.

Cant. 8: ỷs. 11. *Vinea est* לשלמה *Schelomoni.* Vulg. *Vinea fuit pacifico.* Sic vers. 12. Salomonis enim nomen à שלום *pax*, deductum est.

Esa. 16:7, 12. nomen urbis, *Kir-chareseth* extat, quod Vulg. reddit *murus cocti lateris.* קיר aliàs *parietem*, חרש *testam* significat. 2. Reg. 3:25. ejusdem civitatis nomen ponitur; quod quidam interpretes appellativè vertunt. Chald. *In civitate, quam non destruxerunt.* LXX. τοῦ τοίχου καθῃρημένου. Vulg. *muri tantùm fictiles.* Osiand. *in muro latericio.* Luth. Ziegelmauren.

Mich. 1:14. *Domus* אכזיב *Achzib.* Vulg. *Domus mendacii.* Achzib enim à כזב *mentiri*, est.

## *Nota.*

Referendum huc, cùm ut propria nomina accepta sunt, quæ sunt appellativa.

Gen. 22:13: *Et ecce aries unus detentus* בסבך *in perplexitate* (veprium) *cornibus suis.* LXX. Interpretes vocem illam Hebræam vertunt, ut nomen proprium: *ἐν φυτῷ σαβὲκ in virgulto Sabek.* Unde Athanasius, ad allegoriam ascendens, quæst. 98. ad Antiochum, *Planta Sabek*, (inquit) *est veneranda crux, juxta Hebræos videtur Sabek remissio esse & condonatio*, (nota; verum hoc esset, si in Hebræo esset שבק, cui σαβὲκ scripturâ assimilatur propiùs, quàm τῷ סבך secundùm quod scribendum fuisset σαβὲχ.) *Aries verò, qui in Sabek hærebat ad plantam, figuravit Christum pro nobis in cruce immolatum.* Est & inter Pontificios, qui putat Christum in verbis istis in cruce prolatis: ἠλὶ ἠλὶ, λαμὰ σαβαχθάνι, Matt. 27:46. ad eandem plantam *Sabek* allusisse, ut indicaret, se esse illum arietem pendentem atque suspensum ex arbore Sabek, quam Dominus sub typo alterius arietis pendentis ex planta Sabek, Abrahæ olim ostenderat: verbum enim *Sabactani* à nomine *Sabec* inflexum videtur. Fatua certè subtilitas & subtilis fatuitas! שבקתני à Syriaco שבק est, quod signi-

significat *dereliquit*. Vide plura de hac voce malè versâ apud Sixtinum Amamam in Antibarb. Biblico, p. 421. seqq.

Gen. 28:19. ואולם לוז *& certè Luz*. LXX. Interp. Ουλαμλούζ. Ex duobus vocabulis fecerunt unum proprium. Schindl. col. 80.

Gen. 41: 1, 2, 18. באחו *in prato*. LXX. ἐν τῷ Ἄχι. Idem col. 55.

Num. 21: 1. *Cùm audisset Rex Arad, quod veniret Israel viâ* האתרים *exploratorum*, hoc est, eâ viâ, quâ exploratores venerant. LXX. ut nomen proprium acceperunt, vertentes; ὅτι ἦλθεν Ισραὴλ ὁδὸν Αθαρείμ, *quod veniret Israel via Atharim.*

Deut. 3: 11. *Omnes urbes* מישור *planiciei*. LXX. Μισώρ.

1 Sam. 14: 11. מצב *statio*, LXX. Μεσσαβ. Scindl. col. 789.

1 Sam. 20: 20. למטרה *ad scopum*. LXX. εἰς τὴν ἀμμαγγαρὶ, Al. ἀματταρὰ.

2 Sam. 6: 3. *Et tulerunt eam* (arcam) *ex domo Abinadab, quæ est,* בגבעה *in ipso colle*. LXX. τοῦ ἐν τῷ βουνῷ, Sed Vulg. reddit, *in Gabaa*, seu *Gibea*. Et est hæc alias civitas in tribu Benjamin. Jud. 19: 16. cap. 20: 4. 1 Sam. 22: 6. Hos. 5: 8. At ex 1 Sam. 7: 1, 2. patet, nomen urbis, ubi substitit arca, fuisse *Kiriath-Jearim*, quæ fuit urbs tribus Juda, Jos. 15: 60. cap. 18: 14, 15. Ergo non potest hæc esse Gibea Benjamin. Rectè igitur D. Brentius & alii vertunt, *in colle*, appellativè, sicut גבעה accipitur Jerem. 2: 20. 2 Sam. 10: 5. Eadem ratio loci est 1 Sam. 7: 1.

2 Reg. 16: 18. ואת־מוסך *tegmen autem Sabbati* &c. Vulg. *Musach quoque Sabbati*, &c.

2 *Par.* 1: 13. *Venit autem Salomo* לבמה *ab excelso, quod erat in Gibeon*. LXX. καὶ ἦλθεν Σολομὼν ἐκ βαμὰ τῆς ἐν γαβαὼν &c. *Bama* ut proprium nomen accepere, quod tamen v. 3. appellativè vertunt: εἰς ὑψηλὴν τὴν ἐν Γαβαών.

Neh. 3: 6. *Et portam* ישנה *veterem confirmabitis*. LXX. τοῦ Ιασαναί.

Prov. 26: 8. *Ut qui applicat lapidem* במרגמה *balistæ seu fundæ*. LXX. ὃς ἀποδεσμεύει λίθον ἐν σφενδόνῃ, *qui ligat lapidem in funda*. Vulg. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii*. Mira metamorphosis, balistæ in *Mercurium cum acervo*. Cæterùm ex Hebræa voce מרגמה, *Mercurius* ille, ob vocum non dissimilem planè sonum, prodiit. Ex significatione autem vocis primigeniæ *acervus ille*, רגם enim *lapidibus obruere* significat, unde deductum esse מרגמה dici posset, ut sit *acervus lapidum* Quid autem conjunctim *acervus Mercurii* in hac versione denotet, eruditè Seldenus in Syntag. 2. de diis Syriis edisserit; à sacro nimirum ritu id fuisse, & ab Orientali cultu. Erant (inquit) apud priscos ἑρμαῖοι λόφοι sive lapidum acervi Mercuriales, seu ἑρμαῖα, viis publicis & compitis ad itinera demonstranda congesti, quos transeuntes viatores crebro lapidum jactu in Mercurii honorem augebant. Mercurius enim, id est, Hermes, viarum præses erat, & ἐνόδιος dictus, quem maximè superûm fore iratum, si quis viam erranti comiter non monstraverit, canit Theocritus Idyll. κε. &c.

Esa. 22: 24. אגנות *phiala*. LXX. τῶν ἀγανώθ.

Jerem. 51: 27. *Constitute semper eam*, טפסר *imperatorem*. Vulg. *Taphsar*, ut nomen proprium retinet.

Jer. 52: 15. אמון *multitudo*. LXX. τὸν ἀμμών. Schindl. col. 91.

Amos 3: 12. *Desidentes Samariæ in angulo lecti*: ובדמשק *& in latere sponda* LXX. καὶ ἐν δαμασκῷ. Vulg. *& in Damasco grabati*. Legerunt דמשק ut c. 1: 3.

Hos. 6: 9. *Trucidant in via* שכמה *humero*, scil. uno, hoc est, consensu summo, Zeph. 3: 9. Vulg. ut proprium accipit, *Sichem*. Ita esset שכמה ut ex Jud. 9. observat Schindlerus.

Hos. 13. ỷ. 7. *Et velut pardus in via* (illos) אשור *speculabor* seu *observabo*. LXX. & Vulg. ut proprium nomen accipiunt: κατὰ τὴν ὁδὸν Ἀσσυρίων, *in via Assyriorum*.

Actor. 27: 13. *Cùm solvissent*, ἆσσον *propriùs præterlegebant Cretam*. Vulg. *Cùm sustulissent de Asson, legebant Cretam*. At si ἄσσον nomen proprium esset, dicendum foret, ἀπὸ τῆς Ἄσσου, *Asson*, sicut c. 20: 13. εἰς τὴν Ἄσσον. Et hanc civitatem huic maris parti, quâ ferebatur Paulus cum sociis, minùs competere, ostendit Beza.

## *Continuatio.*

De formatione ratione *ipsius proprii nominis dictum*: sequitur de eadem, ratione *externorum accidentium*. Illa sunt duo; 1. vocularum quarundam πρόσθεσις; 2. Nominis proprii περίφρασις.

## Observatio VII.

*Nomini proprio* Hebræo *quandoque* (*at irregulariter*) ה *demonstrativum*: Græco *verò tùm articulus cum præpositione, tùm pronomen* τὶς, quidam, *additur*.

I. Nomini proprio hominis ה præfixum (quod *hajedia* & notificativum vocatur

tur.) regulariter non additur, nam illud, tanquam individui nomen, sui notitiam per se suo nomine exhibet, ac alio signo opus non habet, ut R. Kimchi in Michol scribit. At irregulariter quandoque hoc fit. Exempla vide apud Buxt. in thes. Gram. l. 2. cap. 5. p. 353. seq. quibus adde Num. 13: 22, 28. ubi הָעֲנָק *Anak* dicitur cum ה demonstr. qui simpliciter vers. 33. עֲנָק dicitur. 1 Par. 25: 11. לַיִּצְרִי *ipsi Jizri*; cum ה demonstr. quod punctum ejus indicat. Quidam patronymicum nomen esse volunt, *ipsi Izritæ*: à יֵצֶר *zeri*, cujus v. 3. fit mentio. Sed v. 9. seqq. omnia reliqua sunt propria nomina virorum: quidni igitur & nomen *Jizri?* & additur præterea, ut & in reliquis, *filii ejus & fratres ejus* &c. Quidam huc referunt הַמֶּלְצַר *Melzar*, Dan. 1: 11, 16. quod ut nomen proprium accipiunt. Aben Ezra in comm. ait idem Chaldaicè significare, ac נוֹתֵן הַמָּנוֹת *dans portiones* (cuique suas,) q. d. *promus*, ut Junius & Tremellius vertunt.

At nominibus propriis locorum item gentilibus, ה illud sæpe præfigitur, ut ibidem p. 352. seq. Buxt. ostendit.

2. Nomini proprio Græcorum quandoque additur articulus pluralis cum præpositione, uti superiùs tract. 2. de pron. can. 1. dictum, ubi vide.

3. Nomini proprio ignoti hominis quandoque pronomen τίς, *quidam*, additur. Marc. 15: 12. *Et angariaverunt prætereuntem τινὰ Σίμωνα quendam Simonem Cyrenæum*. Actor 19: 9. *quotidie differens in schola τυράννȣ τινός, Tyranni cujusdam*. Syrus: *In schola cujusdam, cujus nomen erat Tyrannus*. Casaub. Tyrannus Sophista fuit aliquis Ephesinæ scholæ, ille ipse fortassis, de quo sic Suidas: τύραννος, inquit, σοφιστὴς περὶ στάσεων καὶ διαιρέσεως λόγȣ βιβλία δέκα &c. Erasmus propter additam voculam τινός, nomen proprium esse negat. *Deinde* (inquit) *si nomen est proprium, cur addit τινός. Proinde suspicor, fuisse secessum magnatis alicujus, in quo solitus sit otiari, quandoquidem schola Græcis sonat otium*. Hæc ille in annot. h. l. At hoc loquendi genus & alibi usitatum est. Vide Act. 21: 16. c. 24: 1. cap. 25: 19. Sic apud Ciceronem 3. in Verr. *Deducitur iste ad Janitorem quendam hospitem*: Ubi Asconius: *Janitorem* inquit, *cùm dixisset, addidit* quendam, *ut ostenderet, non appellativum nomen esse, sed proprium*. Confer Bezam.

# Observatio VIII.

*Nominis proprii ponitur quandoque periphrasis seu circumlocutio.*

1. Nominis proprii *Personæ*. 1. Paral. 17: 13. *Et misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli* מֵאֲשֶׁר הָיָה לְפָנֶיךָ *ab eo, qui fuit ante te*, hoc est, *à Saule*, uti exponitur 2 Sam. 7: ỳs. 15.

Esa. 7: 6. certus quidam vir, ex primaribus circumscribitur, mentione patris sui factâ. *Et regnare faciamus Regem in medio ejus*, אֵת בֶּן־טָבְאַל *filium Tabeal*. Junius. *Filium Tabeelis, id est, certum aliquem Syrum, hoc nomine dictum. Nam Tabeel sive Tabrimmon Syrorum est appellatio, qui Rimmonem colebant pro Deo*. Chaldæus appellativè hoc vertit, יַת מַן דְּכָשַׁר לְנָא *qui nobis fuerit visus commodus*. R. David Kimchi in comment. inquit, Chaldæum per Notaricon (modum Cabbalæ, quo dictiones quædam in unam conjunguntur) vocem טָבְאַל accepisse, pro חָשׁוּב אֵלֵינוּ *eum, qui bonus seu commodus erit nobis*. Eadem περίφρασις à patre desumpta occurrit. 1 Sam. 22: 9, 12. Referri huc potest titulus Psal. 7: 1. *Propter verba* כּוּשׁ בֶּן־יְמִינִי *Cuschi Benjaminitæ*. Quâ periphrasi *Saulem* Regem intelligi, probabile maximè est. Confer ỳs. 3: 5. Is enim malè de Davide loquebatur, quasi insidias vitæ Regis strueret, 1 Sam. 22: 7. 8. quod crimen objectum hoc Psalmo diluit Rex & Propheta. *Cusch* dicitur (hoc est, Æthiops) per *ἀντονομασίαν*, q. d. hic niger est, minùs candidus ac velut æthiops, qui colorem non mutat, Jer. 13: 23. Additur mentio tribus: Fuit enim Saul *Benjaminita*, 1 Sam. 9: 1, 21. Hæc sententia Chaldæi interpretis est, & Hieronymi: quos Vatablus, Tarnovius & alii sequuntur.

Joh. 13: 13. Johannes seipsum ita περιφράζει: *Erat autem recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus*. Sic cap. 19: 26. cap. 21: 7, 20, 24.

2. Nominis proprii *Loci*. Jud. 5. 21. torrens Kischon dicitur *torrens* קְדוּמִים *antiquitatum*, hoc est, qui à Deo ab initio in hoc fuit destinatus, ut in eo perirent Cananæi, ut Arias Montanus explicat. Junius reddit: *torrens occursuum*, hoc est, ad quem utrique exercitus concurrentes manus conseruerunt.

Psa. 48: 2, 3. insignis urbis Hierosolymorum est periphrasis.

Esa. 18: 1. Æthiopia ita circumscribitur, quòd sit *terra umbrosa alis, quæ est secundùm flumina Cusch* seu Æthiopiæ, hoc est, cujus oræ (quas

(quas alas vocat) montibus maximis & opacissimis circumclusæ sunt, quales undique ad mare rubrum esse, testatur Strabo lib. ult. geograph. Quidam *terram umbrosam alis* explicant, quæ classium velis tanquam alis, opaca est.

Es. 21: 1. Babylonia periphrasticè dicitur *desertum maris*; cujus appellationis ratio videatur in notis Junii. Eadem appellatur *terra negotiatorum, civitas aromatariorum*, Ezech. 17: 4. Confer ℣s. 12. Vide & hîc Junium.

Es. 22: 1, 5. Judæa vocatur *vallis visionis. Vallis* quidem, quia montosa est: *Visionis* verò, quòd sedes fuit, tùm aspectabilis quodammodò Dei præsentiæ, tùm Prophetarum, qui videntes olim dicebantur.

Jerem. 21: 13. *Ecce me contra te, ô quæ desides isti convalli, rupes istius planitiei &c.* Quæ est periphrasis propugnaculi Zionis, quod appellatur civitas David, 2 Sam. 5: 9. Nam Zionem ab omnibus partibus circumstabant convalles, eratque ab ortu planities, quam rupes sive propugnaculum illud defendebat.

Luc. 1: 39. *Exsurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda.* Hæc periphrasis *Hebronis* est. *Scribitur Jos. 21: 9, 11.* (verba Bezæ sunt) *in sorte Levitarum filiis Aaronis data fuisse novem oppida de tribu Juda & Simeon, inter quæ primo loco nominatur Ciriath Arba, quæ & Hebron dicitur, & disertè etiam adjicitur sitam fuisse in monte Juda, ut copiosiùs c. 14. refertur. Cùm igitur Zacharias ex familia Aaronis esset, & una hæc urbs Sacerdotum commemoratur in montibus Juda, non fuit necesse, ut Euangelista de Zachariæ domicilio loquens, ejus urbis nomen disertè exprimeret, cùm nemo esset, qui ubi mentio fieret Sacerdotum, & civitatis Juda, non satis intelligeret, Hebronem intelligi.* Tantum de nominis proprii formatione.

# II. DE NOMINIS PROPRII

## Impositione.

IMpositio nominis proprii vel Prima est, vel Iterata. *Prima* dicitur τῶν ἀνωνύμων respectu, quando scil. personis vel locis innominatis sua primùm imponuntur nomina. Et expendi ea potest 1. κατ' ἔσω, vel ratione *etymi* & significationis, ejusque fundamenti, 2. κατ' ἔξω, vel ratione *extensionis ad alia*, & communionis. De priori 9. & 10. de posteriori 11. observatione agetur.

## Observatio IX.

*Plurima nomina propria personarum à Deo & Hebræis imposita sunt ab eventu.*

[a] IMpositionem nominum à *Patribus solùm* factam, non à matribus, Galat. asserit, lib. 3. cap. 18. ubi illud Esa. 7: 14. explicat: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium & vocabit nomen ejus Immanuel.* In quæ verba sic commentatur: *Ex eo quòd, vocabit ipsa nomen ejus Immanuel, Propheta dixit, Messiam ipsum non habiturum hominem Patrem ostendit, qui ei nomen imponeret. Patres enim apud Hebræos ferè semper, & non matres filiis nomina imponere solebant: ut ex veteri Test. multis in locis apparet; & ex nativitate Johannis manifestè colligitur. Ex hoc igitur, quod nominis impositionem, quæ ad Patrem pertinebat, ad solam matrem Propheta retulit, apertè innuere voluit, Messiam Patrem in terris non habiturum fuisse, qui ei nomen imponere posset. Quod etiam Angelus videtur insinuâsse in eo, quòd Mariæ dixit, Vocabis nomen ejus Jesum. Vocabis ergò dixit: & non vocabitur, ut cum Propheta se convenisse palàm ostenderet &c.* Sed hoc minùs videtur solidum; tùm quod à matribus etiam leguntur imposita filiis nomina, uti de Lea & Rachel, uxoribus Jacobi, Gen. 29. & 30. de Hanna Samuelis matre, 1 Sam. 1: 20. de matre Jahbetz, 1 Paral. 4: 9. & de aliis patet: tùm quòd Josepho etiam sponso Mariæ ab Angelo dicitur, Matth. 1: 21. *Pariet* (Maria) *filium & vocabis nomen ejus Jesum.* Et ex nativitate Johannis tantùm abest, ut manifestè colligatur, patres filiis solitos fuisse imponere nomina, (ut Galatinus ait,) ut potiùs cognatorum & vicinorum etiam id munus ex consuetudine fuisse, apertè exinde colligatur: Ita enim ℣s. 59. dicitur: *Et factum est, in die octavo venerunt, circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam.* Cujus nominis impositio pocul dubio fuisset rata, nisi peculiaris fuisset ratio, Angeli sc. nomen Johannis apertè Zachariæ dictantis, ℣s. 13. cujus ad obsequium, nomen id à matre, ℣s. 60. & Patre Zacharia ℣s. 63. filiolo reipsâ imponitur.

[a] Quinam nomina imposuerint? an soli Patres?

Sed hæc obiter de ὀνοματοθέταις, seu iis, qui nomina imposuerunt olim: Ipsa eorum originatio (uti dictum) ab eventu potissimùm desumpta est. *Eventus* autem intelligitur vel *præteritus*, vel *præsens*, vel *futurus*. Quare nomina propria personarum erant, *vel* memorialia præteritorum, (*voluerunt enim pii talibus nominibus sese ad gratitudinem & laudem Dei excitare,*

*tare, ut quandocunque liberos adspicerent aut nominarent, divinorum beneficiorum memoria eos subiret*, quæ verba doctiss. Vatabli sunt, in notis ad Exod. 2: 22. ubi de nomine Gersom filii Mosis loquitur.) *Vel* de præsenti rerum statu monita, *vel* demùm omina & vota rei futuræ: sæpè enim imponendo alicui nomen, portendebant vel optabant, eum talem fore, qualis illo nomine significabatur. Observanda autem hîc probè Merceri in Genes. p. 106. verba: *Veteres illi Patres nominum indendorum liberis certas semper causas habuerunt quæ aliquando exprimuntur in Scripturis, sæpè omittuntur, & in omissis non est, quod nos immodicè torqueamus, aut certi aliquid pronunciemus temerè, cum multis conjecturis quidem locus est &c.* Hoc quia à Talmudis Scriptoribus non observatum, sed in etymologiis propriorum nominum fingendis, nimis interdum desudatum fuit, ex eo fabularum Judaicarum numero non parva accessio facta est. E. G. *Koracbum* seditionis autorem Num. 16.1. *capite calvum fuisse, & parentibus suis dentes bebetâsse* fingunt, in Sanhed. cap. ult. id verò non aliunde probant, quàm quod d. l. *Kohathi* nepos esse dicitur. *Kohath* autem à קהה deducunt, quod *debilitari*; aut si de dentibus sermo est, *obstupescere*, significat: ipsum verò Korach à קרח deducunt, *glabrare*, *pilos evellere &c.* Hæc D. Schickhardus in prodromo Bechinath happeruschim p. 118. Videamus autem exempla etymologiarum, quæ ex ipsis sacris Scripturis elici possunt.

1. Ab eventu, seu re gestâ *præterita*, imposita sunt nomina.

ISAACI; à *risu* (non Saræ matris, ut quidam volunt, sed) Patris Abrahami, ut ex Gen. 17: 17, 19. patet. Hieronym. quæst. Hebr. *Diversa opinio, sed una etymologia, quare appellatus sit Isaac. Interpretamur enim Isaac risus. Alii dicunt, quòd Sara risit, ideò eum risum vocatum esse, quod falsum est. Alii verò quòd riserit Abraham, quod & nos probamus. Postquam enim ad risum Abrahæ vocatus est filius ejus Isaac, tùm legimus risisse Saram.* Eucherius comment. in Genes. lib. 2. cap. 26. *Risus Abrahæ exultatio est gratulantis, non irrisio diffidentis. Verba quoque ejus illa in animo suo: si mihi centenario nascatur filius, & si Sara nonagenaria pariet, non sunt dubitantis, sed admirantis. Ideò præ gaudio ridentis Abrahæ, filius dictus est Isaac, id est, risus.* Et in libello, ubi nomina Ebraica interpretantur: *Isaac risus non tantùm, ut quidam volunt, ideò sic appellatus est, quia Sara riserit; sed quod Abraham, qui tunc utique prior risisse indicatur.* Hæc Eucherius allegante Drusio lib. 15. observ. cap. 24. Pulchra est allusio, quam de originatione nominis Isaac Dn. Brentius tradit, in comm. Genes. 21. p. 184. his verbis: *Ideò tribuitur hoc nomen huic filio, non tantùm, quia tàm Abraham, quàm Sara riserunt in promissione ejus (potest enim dici, quòd monumento nominis Isaac, admoneamur de promissionibus DEI, quòd videantur quidem initiò Isaac, hoc est, ridiculæ; postea autem reverà impleantur: Sicut & cùm promittebatur Davidi regnum Israelis, videbatur Isaac; mox autem eventus comprobat esse veritatem) sed præcipuè vocatur Isaac, qui ex eo nasciturus sit Christus, qui solus est risus & gaudium humani generis &c. Unde Sara: Risum, inquit, fecit mihi Dominus & quicunque audierit, corridebit mihi, hoc est, ingenti gaudio affecta sum, non tàm quòd nativitate hujus filii liberata sum ex opprobrio sterilitatis, quàm quod ex eo nasciturus est Christus, qui est meum æternum gaudium: Unde & quotquot pii sunt, & audierint hoc nomen Isaac, ingenti lætitia perfundentur &c.*

MOSIS; Exod. 2: 10. quia ex aquis filia Pharaonis ipsum extrah: & conservari curaverat. Ut sit מֹשֶׁה part præs. (quod *extrahentem* significat: pro מָשׁוּי part. præt. quod *extractum* notat: id quod quidam mysterio & divino omini tribuunt, cùm Moses non solùm fuerit extractus ex aquis, sed & ipsemet deinceps vocatus, qui populum Israelis ex servitute Ægyptiacâ extraheret, per mare rubrum perduceret, & in libertatem, fortitudine Dei, assereret. Cùm verò hoc nomen Hebræum sit, non Ægyptiacum, (uti Josephus, Philo, & alii volunt, qui Ægyptiacè compositum putant ex *Mo* vel *Mos* vel *Moy* aqua: & *yses* vel *esis*; servatus: unde *Moyses* ex aquâ servatus. Sed nugæ hæ sunt:) igitur quidam putant, Hebræo infanti Hebræum nomen matrem Ægyptiam adoptantem indidisse. Aben Ezra in comm. hoc l. *Forsan didicit filia Pharaonis linguam nostram, aut quæsivit de illâ.* Idem tamen nomen Mosis in Ægyptiaca lingua fuisse dicit, מוניוס *Monjos*, & sic scriptum esse in libro עבודת האדמה *de cultu terræ*, translato ex Ægyptiaca lingua in Arabicam, itemque in libris sapientum Græcorum. Junius in annot. metuit, ne Aben Ezra fallatur, cum *Monjos* Ægypti's sit Rex ille *Menos*, cujus Herodotus, Diorus Siculus, & alii meminerunt: putatque locum esse corruptum, & Mosen dictum Ægyptiis fuisse *Mueves*, ex Diodoro lib. 1. & Justino Martyre affirmat. Annotat Drusius in pent. p. 161. Orpheum videri de Mose locutum, quando canit: ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑδογενὴς διέταξε. ὕδος poeticè *aqua*, unde ὑδογενής. Nam quia ex aquâ extractus

tractus, ideò in eâ genitus existimabatur. Cabbalisticum demum est, quòd Hebræi quidam tradunt, משה revolutum per anastrophen esse השם h.e. *ipsum nomen*, scil. celebre, magnum, potens & terribile Pharaoni & Ægyptiis. Rursus, *nomen*, h.e. virtus, efficacia & potentia admiranda. quæ data est Mosi &c.

ICABODI, 1 Sam. 4: 21. (h.e. *ubi est gloria?* vel, *non est gloria*) quod nomen filiò Pinehas sacerdotis, ab uxore ejus (viduâ potiùs) impositum, ob transportatam gloriam Israelis, h.e. arcam fœderis captam.

ᵃ Huc referunt Judæi nomina filiorum Benjamin, qui recensentur Gen. 46: 21. Sunt autem, *Bela, Becher, Asbel, Gera, Nahamam, Echi, Rosch. Muppim, Chuppim, & Ard.* De his adscribam verba R. Salom. Jarchi in comment. ad verba Gen. 43: 30 *& incaluerunt miserationes ejus*: quæ conversa in Latinum ita habent: *Interrogavit eum* (Josephus Benjaminum:) *estne tibi frater ex matre: Respondit ipsi: Fratrem quidem habui, sed nescio, ubi nunc sit. Suntne tibi filii? Respondit ei, sunt mihi decem. Dixit ei, & quænam sunt eorum nomina? Respondit ei, Bela & Becher &c. Dixit ei, quæ conditio horum nominum? Respondit ei, omnia* (referuntur) *ad nomen fratris mei, & ad mala, quæ ipsi evenerunt. Bela* (בלע בֶּלַע a בלע) *quia absorptus is est inter populos. Becher* (בכור à בֶּכֶר) *quia ipse fuit primogenitus matris meæ. Asbel* (אַשְׁבֵּל à שָׁבָה & אֵל) *quia captivum detinet ipsum Deus. Gera* (גֵּרָא a גור) *quia commoratur inter peregrinos. Naaman* (נַעֲמָן à נעם) *quia pulcher erat excellenter. Echi & Rosch* (אֵחִי וָרֹאשׁ ab אָח & ראש) *quia frater meus & caput meum erat. Muppim* (מֻפִּים à מִן & פֶּה) *quia ex ore patris mei discebat. Et Chuppim* (חֻפִּים à חֻפָּה) *qui nec vidit ipse thalamum meum, nec ego ipsius. Et Ard.* (אַרְדְּ à יָרַד) *quia descendit inter populos seu gentes.* Ita ille ex Massechet Sota, & addit: *Confestim* (his scil. à Benjamine dictis) *incaluerunt miserationes ejus &c.* Posset nominibus his addi, quod videantur Num. 26: 38, 39. duo alii Benjaminis filii memorari, quibus nomina à fratris Josephi exaltatione imposita videntur. Alter enim nominatur *Achiram*, h. e. *frater meus excelsus*, ab אח *frater* & רם *excelsus*: Alter verò *Schephupham*, h. e. *excellens maxime*, à שפה in Niphal נִשְׁפָּה *eminere, excelsum esse*, ut duplicatio literæ vim vocis intendat. Quidam tamen hos duos esse cum prioribus eosdem contendunt, ut *Achiram* sit *Echi*, qui & *Achrach* 1. Par. 8: 1. dicitur: *Schephupham* verò sit ille, qui *Muppim* Genes. 46: 21. vocatur.

2. A *præsenti* rerum statu deducta sunt & indita nomina.

HABELIS, Gen. 4: 2. הֶבֶל enim *vanitatem* significat: à rerum igitur mundanarum vanitate & miseriâ, in quam post lapsum protoplasti pervenerant, ita nominatus fuit. Vel, ut alii putant, à collatione facta cum Kaine. *Cùm Kain* (verba sunt Dn. Brentii in Gen. 4. p. 66.) *tanquam primogenitus haberetur pro Messiâ seu Christo, Abel tanquam secundò genitus, habitus est pro homine abjecto, unde & nomen ei à vanitate imponitur. Abel enim significat vanitatem, quasi qui præ Caino nihil insigne, nihil memorabile sit gesturus &c.* Veteres interpretati sunt πένθος, *luctum*. August. lib. 15. de C. D. c. 18. Theodor. quæst. 51. in Gen. Euseb. de præp. Euang. lib. 11. &c. Sed hoc ex malâ scriptione est, *Abel*, ac si ab אבל Hebræo esset, quod *luctum* significat. Josephus etiam eam etymologiam amplectitur lib. 1. antiq. cap. 8. Putat autem Drusius lib. 6. observ. cap. 11. fieri posse, ut Josephus in eo loco corruptus sit, cum apud Ruffinum, veterem ejus interpretem, non *luctus* scribatur, ut in Græco, sed ita: *Abel verò secundus, quod significat nihil hoc.* ᵃ Filii Benjamin.

SETHI, Gen. 4: 25. *à reponendo, quia* (inquit Eva mater) *reposuit mihi Deus semen alterum pro Habelo, quem interfecit Cain.* August. lib. 15. de Civ. Dei cap. 17, 18. Seth dicit interpretari *resurrectionem*; & ex hoc fundamento in vanum quædam differit. Vid. Amama in antibarb. bibl. lib. 2. p. 384.

ESAVI, Gen. 25: 25. à *faciendo* seu perficiendo (עָשָׂה) quia perfectior, quàm pueri solent, videl. pilis instructus nascebatur. Vel (ut Dn. Brentius loquitur) Esau significat *factorem*, hoc est principem, præpositum, ein Ausrichter oder Anrichter/ ein Factor. Talis sperabatur futurus Esau, utpote primogenitus naturâ.

JACOBI, ibid. ℣. 26. à *calcaneo* (עקב) quia nascendo manus ejus tenebat calcaneum fratris Esavi. Quidam literam primam Jod, dicunt esse ex יד *manus*.

GADI, Gen. 30: 11. quod à *turmâ* deducitur, uti ex Gen. 49: 19. patet. Ipsam impositi nominis sedem quod attinet, verba ita habent: *Et dixit Lea,* בָּגָד *& vocavit nomen ejus* גָּד. Vocem בגד Masorethæ ut unam vocem scribi, & ut duas legendam esse, annotant, hoc modo, בָּא גָד *venit Gad.* Vocem autem גד *turmam* interpretantur, à גָּדַד, ut sit sensus: jam denuò nascuntur mihi filii, qui prioribus

juncti turmam efficient. Vatab. *Consilium Leæ fuit, de filiorum turma sibi gratulari: nam cum sesquialterâ parte superior esset* (sorore Rachele) *prædicat se habere in magnâ copia liberos.* R. Salomo & alii Hebræi גד interpretantur מזל טוב *bonum sidus* & metaph. *bonam fortunam*, ut sit sensus. Affulsit mihi benignius astrum (ut Seneca loquitur) & fortunæ fluentis donum: seu simpliciùs, *venit bona fortuna*. Quod significatum ex linguâ Ismaëlitica seu Arabica profluere, Aben Ezra scribit. Et conformis huic est versio Græca & Latina vetus. Illa, εὐτύχηκα vertit, *felix facta sum*, (vel, ut alii legunt, ἐν τύχῃ *in bona fortunâ*,) hæc *feliciter*, habet. Esa. 65: 11. itidem vox גד habetur: *Qui instruitis* לגד *Gado mensam.* Ubi eidem sententiarum diversitati nomen *Gad* expositum est. R. Kimchi *stellam Jovis* notari ait, quæ eo nomine Arabibus dicatur. *Fortunam* alii intelligunt, cui non mensam solùm, sed lectum à veteribus instructum fuisse, Drusius affirmat, ex Deuterosi Hebræorum, ubi is lectus ערסא דגדא vocatur. De quo autor Lexici Thalmudici: *Lectus erat factus in honorem bonæ fortunæ, in quo nemini licebat dormire.* Alii autem ex Hebræis præferunt significationem *turmæ*, ut sit sensus: *Parantes turmæ mensam*, hoc est, exercitui cœlorum, cui veteres sacrificâsse satis notum est.

### 3. Ab eventu futuro sperato desumpta sunt nomina.

EVÆ seu potiùs *Chavvæ*, חוה Gen. 3: 20. *à vivendo, quia ipsa futura erat mater omnium viventium*, videl. hominum, ut in textu habetur. De insulsis quibusdam originationibus videatur Sixtinus Amam. antib. p. 369.

NOÆ, Gen. 5: 29. à *consolando*, à rad. נחם *consolatus est* (per apocopen seu ultimæ radicalis literæ resectionem) quæ radix in ipso textu sequitur: Vel à נוח *quievit*, quia quietem & consolationem in hoc filio sibi sperabat Lamech parens, ut in textu habetur.

SALOMONIS, 2 Sam 12: 24. quia pacificum ejus exoptabat & augurabatur pater imperium, & quia typus futurus erat veri Principis pacis, Esa. 9: 6. Alia exempla brevitatis causâ non addo.

## Observatio X.

*Nomina propria locorum quorundam itidem ab eventu & re gestâ leguntur fuisse imposita; & tamen ante impositionem per prolepsin sæpius in Scripturis memorantur.*

DUo sunt hujus canonis membra. 1 De *impositione*. 2. *De anticipata mentione.*

### 1. Exempla nominum locis inditorum.

Gen. 4: 16. terra *Nod*, in qua consedisse Cain dicitur, ab ipso Caini statu nomen accepit, quòd scilicet vagus & infestus agitationibus fuit, prout Deus pœnæ loco ipsi imposuerat, v. 12. נוד enim *vagari* & agitari est. Hieron. in tradit. Hebr. censet, *Nod esse nomen appellativum*, significans vagum, fluctuans, instabile ac sedem incertam, quasi innueretur, Cainum, quocunque locorum in suo exilio venerit, nullo certo substitisse loco, sed modò huc, modò illuc profectum oberrâsse, adeò ut hospitium, quod singulis diebus acquisivit novum, nomine Nod nuncupatum fuerit. Sed descriptio situs in textu addita, & urbis extructio ostendit, hac appellatione certam terræ partem denotari. „ Quomodo autem cum hac instabilitate stare „ potest *urbis ædificatio?* Junius ita conciliat, ut per ædificationem civitatis, conatum & inchoationem ejus intelligat: *Cœperat quidem* (inquit) *ædificare summo studio & contentione; sed vi maledictionis Dei subinde ad errandum impulsus intermittere opus cogebatur.* Sed huic sententiæ impositum civitati nomen repugnare videtur. Placet B. Lutheri sententia, in comm. Gen. fol. 73. *Sic tota* (inquit) *Caini posteritas fuit vaga instabilis, non enim habuit promissionem, nec mandatum Dei, & fuit sine certa regula tùm vivendi, tùm moriendi. Itaque si qui venerunt ad cognitionem Christi, & se cum vera Ecclesia conjunxerunt, hoc eis non accidit ex promissione, sed ex mera misericordia. Sed Seth, qui post est natus, habuit cum sua posteritate promissionem certam, certa loca, certos ritus cultuum Dei, ubi contrà Cain vagus fuit. Etsi enim civitatem condidit Cain, tamen incertus fuit, quamdiu esset eam habiturus. Non enim habebat promissionem Dei. Quæ autem sine promissione Dei habemus, incertum est, quamdiu simus habituri: potest enim ea singulis momentis aut turbare aut auferre Satan. Contrà cùm incedimus muniti mandato & promissione Dei, ibi Satan frustrà luctatur, Deus enim omnia firmat & munit mandato suo.* „ *Etsi igitur Cain esset Dominus totius mundi &* „ *haberet omnes opes mundi, tamen quia caret pro-* „ *missione divini auxilii, & destituitur custodia* „ *Angelorum, nec habet aliud, quo nitatur,* „ *quàm humana consilia, verè vagus & instabi-* „ *lis est.*

Gen. 11: 9. *Babel* civitas dicitur à re divinitùs ibi factâ, confusione scil. linguarum, בלל enim, unde בבל *confundere* significat. Aben

Ezra, quem Junius sequitur, in Gen. 11. ℣. 9. hoc nomen ut compositum accipit, ac si esset בָּא בַּל *venit confusio*, sicut בָּגָר Gen. 30: 10. quod, ut antè dictum, Masorethæ legendum esse notant בָּא גָר *venit turma*. Sed rectiùs à solo בָּלַל deducitur, ut sit *Babel* quasi *Balbel*, elisâ literâ: cujus syncopes aliud exemplum extat in Græca voce Γολγοθᾶ. Matth. 27: 33. pro *Golgoltha*, ab Hebr. גֻּלְגֹּלֶת *Cranium*, & in Syriaca voce eadem גָּגֻלְתָּא ubi prius ל omissum.

Gen. 28: 12. *Bethel* locus ita nuncupatur, à visione divina Jacobo ibi facta: quod nomen civitati etiam illius loci impositum est.

Gen. 31: 47, 48. *Gilead*, à cumulo testimonii seu fœderis, inter Jacobum & Labanem socerum initi, locus appellatur: quod nomen toti pòst regioni illi cessit.

Gen. 32: 1, 2. *Machannym* vocatur locus à Jacobo, à castris duobus, sanctorum videl. Spirituum, ipsi apparentium.

Jos. 6: 1. *Jericho* urbem à suavitate odoris, qui efflatur è balsamo, quod in ejus agro provenit, dici testis est Josephus Ben Gorionis, cujus verba à Drusio lib. 13 observ. c. 5 hæc citantur: *Profectus est ad urbem magnam Jericho, ad locum, ubi arbor balsami, unde exit unguentum optimum, à quo urbs illa nomen accepit. Nam vocatur Jericho propter odorem illum &c.* רֵיחַ enim odorem Hebræis significat. Similia leguntur in Ariæ Montani libro Canaan, sive de duodecim gentibus, pag. 6. *Fuit Jericho regio, situ & operâ apprimè munita, urbs palmetis frequens, unde & palmarum civitas dicta. Sed præter omnes terrarum tractus, ob balsami nobilissimæ arboris copiam, illi uni agro singulariter à Deo concessam, illustris ac celebris; ex cujus odoris vi atque præstantiâ nomen est sortita, Jericho. Namque Ægyptium balsamum, quàm regionis hujus, longè minus est generosum.* Παρέργῳ, hic de *balsamo* notandum, quod Drusius lib. 10. observ. cap. 24. & lib. 15. cap. 9. scribit, illud dici quasi בַּל־בְּשָׂמִים *Dominus aromatum*, ab excellentia ejus in hoc genere. Est autem *Bal* pro *Baal*, contractè, sicut *Bel* pro *Beel*, Es. 46: 1. Plinius dicit, *Balsamum uni terrarum Judaeæ concessum esse*. Ita & Josephus orig. Jud. lib. 15. c. 4. Goriondes addit cap. 38. *post destructum templum secundum hanc arborem in Ægyptum translatam fuisse, ibidemque radices egisse, cum anteà sæpius translata extra Judæam semper exaruisset*. Ferunt autem, radicem balsami primùm Judææ illatam tempore Salomonis ex Arabia Sabæa, videl. per reginam ejus regionis, quæ regina Sabæ & Austri vocatur. *Locus*, ubi balsamum provenit, *Engaddi* dicitur. Hier. super Ezech. 27. *Balsamum, quod nascitur in vineis Engaddi*. Idem in Epitaphio Paulæ matris: *Unde latam despiciens solitudinem contemplata est balsami vineas in Engaddi &c.* Erat autem *Engaddi* locus juxta mare mortuum, vicinus urbi Jericho, ubi & palmæ plurimæ & optimæ, Joseph. orig. Jud. lib. 15. c. 5. & de bello Jud. 1 cap. 5. Cur autem Engaddi *vineas* dicat Hieronymus, ejus rei causam hauries ex Plinii verbis de balsamo: *Viti*, inquit, *similior est, quàm myrto; & malleolis seri dicitur, nuper victa, ut vitis*. Et mox: *Implet colles vinearum modo, quæ sine adminiculis se ipsæ sustinent*. Hæc Drusius dictis in locis.

De nominibus propriis *mansionum populi ex Ægypto per desertum*, de quibus Ex. 14. seqq. & Num 33. videatur Arias Montanus. in. lib. Caleb, seu de terræ promissæ partitione, c. 1. ubi ab eventu pleraque denominata esse ostendit.

Joh. 5: 2. piscinæ nomen traditur, *Bethesda*: Syr. בֵּית־חֶסְדָּא *domus* (seu locus) *benignitatis*, quòd vid. in eo Deus benignè potentiam suam exereret, in curandis quibusvis morbis populi sui. Litera ח in Græco nomine omittitur, uti & in aliis fieri solet. Matth. 1: 3. ἑσρὼμ, pro χεσρὼμ; ℣s. 4. Ναασσὼν, pro Ναχσων. Luc. 3. 25. Ναοὺμ pro Ναχοὺμ ℣s. 27. Ιωαννᾶ pro Ιωχαννᾶ; ℣s. 36. Νῶε pro Νῶαχ; ℣s. 37. Μαθȣσάλα, pro Μαθȣσάλαχ. &c.

## 2. Exempla nominum prolepseos seu anticipatæ mentionis.

Gen. 12: 8. *Posteà refigens inde ad Montana profectus est, versus orientalem tractum Bethelis, & tetendit tentorium suum, Bethel ab occidente & Hai ab oriente erat ipsi &c.* Bethelis mentio hic fit tempore Abrahami, cùm nomen hoc inditum loco sit tempore nepotis ipsius Jacobi, Gen 28: 19.

Gen. 13: 10. *Zoharis* urbis fit mentio, ut & cap. 14: 2. quod nomen posteà urbi fuit impositum, ex eventu, c. 19: 21.

Gen. 14: 7. *Inde reversi, venerant Hen-Mischpatum*, h. e. fontem judicii, qui sic dicitur à severo illo judicio, quod contra Mosen & Aaronem pronunciavit Deus, Numer. 20: ℣s. 12. idque longo pòst tempore. Ita R. Salomo. Onkelos utitur hic periphrasi, vertens לְמֵישַׁר פְּלוּג דִּינָא *ad planitiem divisionis judicii*: quòd R. Salomo ita interpretatur, quòd incolæ ejus regionis convenerint ibi ad exercenda judicia.

Ibidem. *Percusserunt totum agrum Amalekitarum*, h. e. incolas illius regionis, quam posteà occupaverunt Amalekitæ, inter Ægyptum & terram Canaan. Amalek enim, à cujus posteris regio illa inhabitata, & unde denominata

minata fuit, longo pòst tempore natus fuit, ut Gen. 36: 12. memoratur.

ibid. ℣ſ. 14. *Et persecutus est* (Abraham Reges illos) *Danem usque*, h. e. locum, ubi fons Jordanis est, ad radices Libani, in termino septentrionali terræ Israelitarum, sub quo posteà oppidum fuit, primùm Laiisch sive Laschem, deinde Dan, tùm Cæsarea Paneadis à fonte, postmodum Cæsarea Philippi, de nomine illius Tetrarchæ, qui maximis operibus excoluit eam; postremò Neronia per Agrippam Regem, ad Neronis Imp. honorem appellatum: de quo Jos. 29: 47. & Jud. 18. Hæc Junius. Per anticipationem igitur locus vocatur *Dan*. Dubium autem hic oriri potest, quomodo Moses προληπτικῶς hujus nominis mentionem facere potuerit, quod post Mosis mortem in usu demum esse cœpit? Respondent quidam, Mosen Spiritu Prophetico ita locum vocasse, quia ita vocandum aliquando præviderit. Rectiùs dubium solvit Cornelius à Lapide in præfat. Pent. cujus hæc verba sunt: *Moses Pentateuchum simpliciter conscripsit per modum diarii vel annalium. Josua tamen, vel quis similis eosdem libros in ordinem digessit, distinxit, & sententias nonnullas addidit & intexuit. Sic mors Mosis in ultimo capite addita est. Sic Gen. 14: 14. urbs Lais vocatur Dan, cùm diu post tempora Mosis vocata sit Dan, quare nomen Dan ibi pro Lais substitutum est, non à Josua, sed ab alio, qui posterius vixit. Sic Num. 21. ab alio additi sunt ℣ſ. 14, 15, 27.* Hæc ille. (Vide etiam Ex. 16: 35, 36.) Adde & hoc, quòd Jos. 19: 27. terræ *Cabul* fit mentio, quod nomen illi tractui longo pòst tempore à Rege Tyri fuit impositum, 1 Reg. cap. 9: 13. igitur Josuæ hujus nominis mentio, scripto facta, tribui non potest, sed cuidam alteri, qui post tempora Salomonis vixit. Lubet verba Andr. Masii in præf. comment. super librum Josuæ adscribere: *Mihi ea est opinio, ut putem, Esdram sive solum, sive unà cum æqualibus, insigni pietate & eruditione viris, cælesti Sp. afflatum, non solùm hunc Josuæ, verùm etiam Judicum, Regum, alios, quos in sacris Bibliis legimus, libros ex diversis annalibus apud Ecclesiam Dei conservatis compilâsse, in eumque ordinem, qui jam olim habetur, redegisse atque disposuisse. Talia enim diaria & annales fuisse in Ecclesia Dei, satis docent cùm alia, quæ sæpè laudantur, quamvis jam interciderint, Regum historiæ, tùm liber bellorum Domini; & liber recti, in quo & Josuæ, & Samuelis Saulisque gesta fuisse inscripta, certum est.* Hæc ille, qui & exemplo assertum suum comprobat ex 1 Sam. c. 9. ℣ſ. 9. *Quis quæso* (inquit) *non stultus & stupidus existimet, Samuelem, cùm Saulis se quærentis ipsa verba esset recitaturus, sic esse præfatum: Eum, qui hodiè Propheta dicitur, vocabant olim videntem; ac non potiùs hæc esse verba scriptoris res scriptas, & à suo seculo longè remotas narrantis?* Confer & Jos 4: 9. c. 6: 25. c. 7: 26. c. 8: 28.

Gen. 21: 14. *Vagabatur per desertum Beersaba.* At tempore posteriore locus ita denominatus fuit, ex fœdere inter Abrahamum & Abimelechum inito, & juramento confirmato, ut ℣ſ 31. narratur.

Gen. 22: 2. Terræ *Morijah* in sermone Jehovæ ad Abrahamum fit mentio, quæ (uti & mons istius terræ conspicuus) nomen hoc adepta fuit posteà. Eruditè enim non minùs ac piè Fullerus miscell. sacr. lib. 2. cap. 14. à ראה *vidit* nomen Morijah deducit, quod etymon ℣ſ. 14. continetur. Si Grammaticè resolvatur, fit ex eo מְרָאֶה יָהּ id est, Φανερωθεὶς θεός, *Deus manifestus* seu conspicuus factus. Is est Filius Dei in carne manifestatus, 1 Tim. 3: ℣ſ. 16. qui in loco illo & monte (cui nim. Templum superædificatum, 2 Par. 3: 1. narrantque chorographi, quod civitas David, sedes Templi, & locus, Calvariæ appellatus, unius & ejusdem montani tractus colles sint: unde Morijah & Zion pro eodem monte habentur in indice nominum propriorum, Regio Oper. inserto tit. *Morijah*) crucifixus, & in sacrificium pro peccatis nostris Deo oblatus fuit: cujus typica repræsentatio in Isaaco à Deo præmonstrata, & loco illustre hoc nomen mnemonicum inditum fuit.

Num. 14. ℣ſ. 45. *Chorma* nomen loci, memoratur, quod longo pòst tempore impositum ab eventu fuit, cap. 21. ℣ſ. 3. dicitur autem à *devovendo*, seu internecioni ac anathemati tradendo.

Jud. 7: 1. *Castra metati sunt ad fontem Charod.* Hunc fontem προληπτικῶς sic vocari existimant. Nomen enim חרוד (quod *tremorem* significat.) obtinuisse, *vel* à trepidatione 22. millium, qui Gideonem deseruerunt, ℣ſ. 3. *vel* à trepidatione Saulis ibidem factâ, de qua 1 Sam. 28: 5. Estque, ut probabile, fons ille in Jezreele, cujus 1 Sam. 29. ℣ſ. 1. fit mentio. Adjungitur Jud. 7. ℣ſ. 1. *collis More*, sic dictus vel à sagittariis, qui Saulem fugientem assecuti sunt, 1 Sam. 31: 1, 2. (הוֹרָה enim *ejaculari* est. unde מוֹרֶה *ejaculator*) vel à pluviæ tempestivæ commoditate & felicitate (מוֹרֶה enim *pluviam tempestivam* significat) pertinuit ad montana Gilboæ.

1 Sam. 4: 1. cap. 5: 1. *Eben-Ezeris* loci fit mentio, quod ex eventu impositum legitur c. 7: 12.

Alia exempla sunt Num. 13: 24, 25. Jud. 2, ℣ſ. 1.

℣ſſ. 1, 5. cap. 15: 9, 17. 1 Paral. 14: 11. Joh. c. 1: 41, 43. quibus locis anticipata nominum mentio, ab impoſitione eorundem non longiùs, quoad tempus, diſtat.

Ex eadem prolepſeos nominum conſuetudine, Hieronymus rationem reddit ſuæ verſionis in Ezech. 30: 14, 15, 16. (al. 19: 20, 21.) ubi ſecundùm textum Hebræum ſic legitur: *Et faciam judicia in No &c. Et effundam iram meam ſuper Sin, robur Ægypti &c. Priſtinum* (inquit Hier.) *nomen* (ubi poſteà ab Alexandro, Philippi filio, Alexandria eſt condita,) *habet No, quod Aquila, Symmachus & Theodotio, ſicut in Hebræo poſitum eſt, tranſtulerunt, pro quo neſcio quid volentes LXX. dixerunt Dioſpolin, quæ Ægypti parva civitas eſt. Nos autem pro No, Alexandriam poſuimus, per anticipationem, quæ Græcè* πρόληψις *appellatur, juxtà illud Virgilianum: Lavinaque venit Littora: non quòd eo tempore, quando venit Æneas in Latium, Lavinia dicerentur, ſed quæ poſteà Lavinia nuncupata ſunt, ut manifeſtior locus fieret lectoris intelligentiæ. Et Sain nos Peluſium vertimus &c.* Nota, pro *No*, Chaldæus etiam *Alexandriam vertit*, Jer. 46: 25. Nah. 3: 8. in quem locum vide D. Tarnovium.

Hæc de anticipatione nominum locis inditorum. Non autem prætereundum etiam hoc, quòd quandoque contrà locus appelletur eo nomine & περιφράσει, cujus fundamentum & ratio non amplius extat, id quod ὑστέρωσις vocari poſſet. Exemplum eſt 1 Reg. 4: 19. ubi *terra Sihon Regis Emorrhæorum & Ogi, Regis Baſanis* nominatur, cùm tamen jamd udum illorum Regum eſſe deſierit. Conforme huic in appellativis eſt, quod lib. 3. tract. 1. can. 3. habetur.

## Obſervatio XI.

*Diſtinctæ perſonæ & loci ſæpè ſunt uninomines, ſeu, uno eodemque in Scripturis veniunt nomine.*

### 1. Exempla *perſonarum* ὁμωνύμων.

CHemnitius cap. 3. Harm. Evang. p. 113. *Eadem nomina pluribus ſolita imponi, nullum eſt dubium, præſertim, quæ vel boni ominis, vel præſtantium virorum nomina eſſent.*

*Scheba & Dedan* nomina propria ſunt filiorum Rahmæ nepotis Chami, Gen. 10: 7. & filiorum Jokſcham, filii Abrahæ.

*Abia* eſt nomen filii Jeroboam Regis Iſrael, 1 Reg 14: 1. & filii Rehabeam Regis Judæ, 2 Paral. 11: 20. & filii Samuelis Prophetæ, 1 Sam. 8: 2. & Sacerdotis octavæ ſortis, 1 Par. 24: 10. (unde Zacharias, Johannis Baptiſtæ parens, de ἐφημερίᾳ ſeu *ordine Abia Sacerdos* fuiſſe dicitur, Luc. 1: 5.) & alterius Sacerdotis de genere Eleazaris, qui reverſus eſt ex captivitate Babylonicâ cum Zorobabele & aliis quàm plurimis, Neh. 10: 8. cap. 12. ℣ſ. 4. & viri alius ex tribu Benjamin, 1 Paral. 7. ℣ſ. 8. Eſt & nomen *mulieris*, uxoris Hezron, 1 Par. 2: 23. & alterius, matris Ezechiæ Regis, Par. 29: 1.

*Abigail*, nomen proprium eſt & ſororis Davidis, matris Amaſæ, 1 Par. 2: 16, 17. & uxoris Nabalis, quæ mortuo marito nupſit Davidi, 1 Sam 25: 3.

*Mephiboſeth* nomen eſt, tùm filii Jonathæ, 2 Sam. 4: 4. tùm filii Saulis ex Ritzpa, qui à Gibeonitis ſuſpendio necatus eſt, 2 Sam. 21: 8.

*Nathan* nomen proprium eſt, tùm filii Davidis, 2 Sam: 5: ℣ſ. 14. tùm Prophetæ cujuſdam, cap. 7: 2. c. 12: 1. &c. Hos duos Lyranus confundit, cujus ſententiam Lutherus tom. 8. Jen. Germ. f. 126. b. ſic refert; *Nathanem non eſſe genuinum & verum Davidis filium, ſed Prophetam illum, cujus Scriptura meminit, unà cum duobus illis Simea & Sobab (quorum inter filios Davidis fit mentio, 1 Par. 3: 5.) ex Uria & Bathſeba genitum, a Davide verò cum illis adoptatum: ſolum autem Salomonem Davidis ex Bathſeba filium eſſe, ſecundùm illud* Prov. 4: 3. *Unicus eram coram matre meâ.* Sed rectè Lutherus ibidem *hac ratione ſequi*, ait, *Chriſtum non Davidis, ſed Uriæ Hittæi, ſecundùm carnem, eſſe filium.* Quod autem vocem יחיד *unicus*, Prov. 4: 3. attinet, idem ea eſt, ac unicè dilectus, & ſingulari ſtudio inſtitutus.

*Huram*, חוּרָם, quatuor perſonarum nomen eſt. *Primò* Regis cujuſdam Tyri, 2 Paral. 2. *Secundo* parentis ejus, ℣ſ. 12. *Et nunc mitto virum ſapientem, prudentem* לְחוּרָם אָבִי qui erat *Huram patris mei*, h. e. cujus opera pater meus Huram utebatur. *Tertiò*, ejus, quem Rex Tyri Salomoni mittebat, cap. 4: 11. *Quartò*, patris hujus artificis, c. 4: 16. *Lebetes item, & ſcopas, & tridentes, & inſtrumenta eorum fecit* חוּרָם אָבִיו cum *Huram patre ſuo, Regi Salomoni &c.* Ellipſis eſt particulæ עִם *cum*. R. Kimchi ellipſin ſtatuit כ ſimilitudinis, ut ſenſus ſit, *Omnia vaſa ſeu inſtrumenta iſta fecit Huram bona & pulchra,* כְּחוּרָם *ſicut Huram pater ejus, qui fuit peritiſſimus artifex, juxta cap.* 4: 12. Quòd quidam ſine ellipſi particulæ, *Hiramum* dici *patrem illius*, videl. *Salomonis* putant, *quod eum Salomo revereretur & ſingulari honore proſequeretur*; id alienum & coactum eſt. Nota, pro *Huram* ſcribi etiam *Hiram*

in

in nomine tàm Regis Tyri, 1 Reg. 5: 1. seq. quàm Artificis ab eo ad Salomonem missi, c. 7: 13. &c.

EZRA, nomen proprium est, tùm cujusdam Levitici ordinis, qui unà cum Jehoschua summo Sacerdote, & Zerubabele Principe, Hierosolymam ex captivitate ascenderat, Neh. 12: 1. tùm Ezræ illius, qui anno septimo Artaxerxis Mnemonis (Esr. 7: 1, 3.) Perside Hierosolymam cum multis aliis Judæis, ex Regis indultu profectus est: quique nominatur *Sacerdos & Legisperitus*, cum He demonstrativo ac emphatico, Neh. 12: 26, 36. Junius & Tremellius in annot. ad Neh. 12: 1. ex his duobus unum Esram faciunt, statuuntque Nehemiam synecdochice duas profectiones è captivitate, longo tempore à se invicem distantes, conjungere: Priorem sub Zerubabele Duce, & Jehoschua Pontifice: Posteriorem Esra Duce, anno septimo Artaxerxis Mnemonis. Versum ergò primum cap. 12. apud Nehem. hoc modo distinguunt: *Isti sunt Sacerdotes & Levitæ, qui adscenderant, cum Serubabele filio Schaalthielis & Jeschua: Seraja, Jirmeja, Hezra.* In ablativo, repetendo præpositionem עם *cum*, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ: *& cum Seraja, Jirmejâ, Hezrâ.* Docti viderint. Duos distinctos fuisse, idem nomen habentes, manifestè ex Neh. 12: 33, 36. conspicitur. Hactenus verba Clariss. D. Johannis Behm. in Chronol. manuductione, p. 240.

*Nechemia* nomen proprium est, tùm præfecti cujusdam inter reduces Judæos, de quo Neh. 3: 16. tùm celebratissimi illius Ducis populi Judæorum, cujus historia & res benè gestæ ab ipsomet conscriptæ in sacris Bibliis extant. Quidam & nomen *tertii* cujusdam esse ajunt, qui sacerdos fuerit. Neh. 10: 2, 9. cùm Nechemia Dux populi DEI (uti verisimile est, & ex sententia Eusebii in Chron, Cedreni & Rabbinorum certum) ex tribu Juda & stirpe Davidica ortum duxerit. Sed ex Neh. 10: 2, 9. diversitas illa personarum desumi nequit. Quin Nechemiam illum eundem esse cum Nechemia Duce, & libri autore, nomen Parentis indicat, quod hîc, & cap. 1: 1. *Chachalia* est. Sacerdotum quidem ℣s. 9. fit mentio, sed ab illis eximitur Nechemia ℣s. 1. ubi literas fœderales obsignâsse dicuntur *Principes, Sacerdotes, Levitæ.* Posteà ℣s. 2. seqq. nomina obsignantium recensentur, inter quos Principum vicem sustinet Nechemia Dux: hunc Sacerdotes insequuntur usque ad v. 10. quibus Levitæ subjiciuntur. Pone Nechemiam istum, cujus v. 1. fit mentio, fuisse Sacerdotem, & nemo erit, qui ex principibus suum obsignatione factâ dederit suffragium, quod tamen v. 1. manifestò dicitur.

*Zacharias* nomen propium trium est in Scripturis V. Test. memoratorum, qui omnes etiam homonymos habuêre patres. (1.) Zacharias mandato Regis Joasi in atrio domus Jehovæ interfectus, 2. Paral. 24: 20, 21. Ejus parens *Jojadah* fuit, ibid. qui & Matth. 23. v. 35. *Barachias* vocatur Jojadah Hebræum idem est, ac *Dominum novit*; Barachias autem *benedixit Dominum*: quæ duo ita re conjuncta sunt, ut separari nequeant. Nam benedicit Dominum, qui novit, & contrà, qui benedicit, novit eum. Quò minùs mirandum, si hæc nomina permutata, hoc est, si unum pro altero positum fuit, quæ sunt verba Drusii lib. 14. observ. cap. 22. Confer Philolog. sacr. lib. 1. ubi de loco Matth. 23. agitur. Paulò aliter Junius in not. ad Matth. 23: 35. æquè tamen commodè: Multi binomines sunt in Scripturis, sed plurimùm nominibus dicti, quæ idem significant: ut sunt *Jojada*, quem agnovit Jehova, & *Jeberechia vel Berechia*, cui benedicit Jah, itemque *Jochanan*, cui gratificatur Jah, 1 Paral. 6. v. 9. (2.) Zacharias, ab Esaia Propheta in testem cum Uria Sacerdote adscitus, c. 8: 2. cujus parens itidem *Jeberechia* seu *Barachias*, ut ibidem dicitur. Et probabile est, hunc Zachariam fuisse eum, cujus 2 Paral. 26: 5. fit mentio. (3.) Zacharias, qui sub Dario prophetavit, penultimus inter minores Prophetas: cujus etiam pater *Barachias* est, Zach. 1: 1. His ex N. Test. addatur quartus, Zacharias pater Johannis Baptistæ, Luc. 1: 5.

*Herodes* in Nov. Test. tres memorantur: (1.) Herodes Magnus, Rex Judææ, à Senatu Rom. electus anno ante natum Christum 28. filius Antipatri Ascalonitæ Idumæi, quem Julius Cæsar confecto bello Alexandrino Judææ præfecit. Hujus Herodis temporibus CHRISTUS natus fuit, Matth. 2: 1. De ejus familiâ & posteris videatur D. Calixtus in Harm. pag. 25. seqq. De genere autem & stirpe ejus Casaub. exercit. 1. ad app. Bar. num. 3. Scal. animadv. Euseb. p. 148. seqq. D. Frantzius disp. 11. de sacrif. §. 96. (2.) Herodes Antipas, Magni illius filius, Tetrarcha Galilææ: *Rex* tamen dicitur Marc. 6. v. 14. ex vulgi sensu, à quo Rex dicebatur. Unde βασιλικὸς, *Regius*, dicitur, qui ex Herodis aulicis erat, Joh. 4: 46. Is est, qui Johannem Baptistam decollavit, Matth. 14 Marc. 6. Luc. 3. v. 9, 13. & Christum à Pilato ad se missum contumeliosè demisit, Luc. 23. Videatur Josephus lib. 18. antiq. Jud. c. 9: 10, 14. ex quo ἐπιτομικῶς quædam ab Ebero transcripta, in onomastico Theologico Chytræi p. 366. reperiuntur. Fratres habuit, *Archelaum* Ethnarcham Judææ, Matth. 2: 22. & *Philippum* Tetracham Iturææ &

& Trachonitidis regionis, Luc. 3. v. 1. & *Aristobulum*, qui filium reliquit, Herodem, & is (3.) tertius est, Agrippa cognominatus, nepos Herodis Magni ex fratre Aristobulo, qui post Herodem Antipam relegatum in Galliam non modò Galilææ Tetrarcha, verùm etiam Rex Judææ à Claudio factus est, & Jacobum Apostolum capite truncavit, Act. 12. Hujus Herodis Agrippæ filius, *Agrippas* ille est, cujus mentio fit Act. 25: v. 13 (Nota obiter nominis Agrippæ rationem, quam Gellius tradit lib. 16. noct. Attic. c. 16. *Quorum in nascendo*, inquit, *non caput, sed pedes primi extiterant, qui partus difficillimus ægerrimusque habetur, Agrippæ appellati vocabulo, ab ægritudine & pedibus.*) Bernicen, cujus simul d. l. fit mentio, uterinam sororem Agrippæ fuisse tradunt, cum quâ in conjugio incestuoso vixerit &c. De *Herodianis*, quorum Matth. 22. v. 16. fit mentio, quique ab Herode Magno introductam fovebant religionem, ex Judaismo & Paganismo conflatam, & à Sadducæismo parum differentem (uti ex collatione Marc. 8. v. 15. cum Matth. 16. v. 6. patet) vide latè differentem Dn. D. Gerhardum Harm. Euang. part. 1. cap. 145. pag. 1104. seqq..

*Simeon*, aliquot personarum in Bibliis nomen est, uti constat. Inter illos quoque *Simeon* est, cujus Luc. 2: 25. fit mentio. De quo Galatinus lib. 1. de arc. C. V. cap. 1. refert, *quod fuerit filius & discipulus Hillelis, & Præceptor Gamalielis*, Actor. 5. *cognomento Justus.* Videatur idem lib. 4. cap. 8. Sed contrà Drusius 3. præt. pag. 82. *Non sequitur* (inquit) *fuit homo justus, Ergo cognominatus fuit Simeon Justus. Tamen Hieronymus sic eum appellat adv. Helvid. cap. 4. Idem Epist. 46. Simeon Justus in Euangelio loquitur. Id imposuit Galatino, qui hunc Simeonem Justum vocat, & cum eo confundit, qui Alexandri ævo vixit, quem Hebræi vocant* שמעון הצדיק *Simeonem Justum, ajuntque fuisse ex viris Synagogæ magnæ. Error est nimis crassus.* Hæc ille. Videatur Buxtorfius de abbrev. Hebr. pag. 53: 151.

*Juda* nomen pluribus etiam competit. Et in N. T. duo memorantur in sacrâ Apostolorum dodecade, qui *Judæ* nomen gesserunt: *quorum unus fuit Domini sectator, alter verò insectator*, ut August. loquitur tract. 76. in Johan. Unus nomini suo convenienter se gessit, (Judas enim *confessorem* notat,) alter verò minùs. Judas ille (*non Iscariotes*, uti διακριτικῶς appellatur Joh. 14: 22.) Matth. 10: 3. Marc. 3: 18. vocatur *Thaddæus*: De quo nomine ita Junius in procem. not. ad Epist. Judæ, tom. 1. operum col. 1656. *Thaddai vel* [a] *Thaddæus Syris idem est, qui apud Hebræos Jehuda, quemadmodum ex longis Hebræorum vocalibus Syri breves solent efficere, & omnes ferè linguæ nomina extera, quæ sibi peregrina sunt, corrumpere.* [a] *Quamobrem etiam apud Matthæum hæc verba, ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος, perinde accipi possunt, atque si dixisset, ὁ ἐπὶ τούτῳ κληθεὶς τῇ ἐπιχωρίῳ γλώσσῃ, qui insuper patriâ suorum linguâ vocatus est Thaddæus: sive vulgus fuerit hujus appellationis auctor, sive ipsi Apostoli aliquâ ratione ducti, nempè cùm, ut eo facilius à proditore Judâ hunc omnes distinguerent, tùm, ut constantiam hujus in confessione Christi facerent testatam populari voce, quæ hoc significat. Præterea vocatur Lebbai seu* [b] *Lebbæus*, Matth. 10: 3. *id est, egregiè cordatus homo, sive (Rabano interprete) corculum: ut olim prudens ille bis Consul Scipio Nasica fuit appellatus, inquit Tullius Tuscul. quæst.* 1. Hæc de Judâ Junius. Alterius autem, Judæ proditoris, cognomen *Iscarioth*, quale sit, tract. 1. de nomine can. 54. fuit dictum. Qui Syriacam sequuntur paraphrasin (in quâ scribitur ܣܟܪܝܘܛܐ) ii aliam etymologiæ tradunt rationem. Vide Tremell. & Junium in notis ad Matth. 10: 3.

[a] Thaddæus.

[b] Lebbæus.

*Jacobi* itidem duo (præter Patriarcham illum prænobilem Gen. 25. &c. & illum, cujus Matth. 1: 15, 16. fit mentio) in Apostolorum Collegio fuerunt. Unus, Zebedæi filius, Johannis frater: alter verò (*minor* dictus, Marc. 15: 40.) Alphæi filius, Judæ frater, Mat. 10: 2, 3. Prioris matyrium Act. 12. commemoratur. De posteriore historica extat mentio Act. 12: 17. c. 15: 13. c. 21: 18. Gal. 2: 9. & apud Joseph. lib. 20. ἀρχαιολ. c. 26. & Euseb. lib. 2. hist. Eccl. c. 23. ubi ex Egesippo inter alia narratur, quòd propter excellentiam justitiæ fuerit *Justus* appellatus, itemque *Oblias*, hoc est, περιοχὴ τοῦ λαοῦ, *præsidium seu munimentum populi:* vel, ut Clemens interpretatur, τεῖχος τοῦ λαοῦ, *murus populi.* Est enim hoc *Obliæ* nomen, (ut videtur) corruptè scriptum, pro *Hoblihàm*, à חבל *colligavit, constrinxit*, unde חֶבֶל *funiculus*, quo quid colligatur, & עם *populus* (vel etiam ab עֹפֶל *locus munitus, turris*, 2 Reg. 5: 24. Esa. 32: 14. q. d. locus munitus populi) *tanquam si populum continuisset ac circummunivisset doctrinæ suæ puritate, morumque sanctimoniâ & justitiâ: nam impietate & impuritate contrà nudari populum, affirmat Moses* Exod. 32: 25. quæ verba Junii sunt in præf. not. sup. Epist. Judæ, col. 1657.. Cæterùm quod de derivatione à nomine עֹפֶל paulò ante dixi, postmodum in Forsteri etiam dictionario p. 613. legi, cujus hæc sunt verba: *Hinc* (ex עֹפֶל) *originem traxisse arbitror, quòd (ut Eusebius refert) Jacobus frater Domini dictus fuerit Oblias, id est, munitio, seu porta,*

*seu clausa angusta in recessu munitionis causâ ædificata, quâ aditus præcluditur, & patefit: & data quasi operâ sic Jacobum appellare voluerint, quod ut Nathinei olim tenuerunt Hierosolymis portam ad Regem* (Neh. 3. & 11.) *ita Jacobus frater Domini aditum præbuerit ad Dominum: unde* עופליה *porta Domini: vel* עופליעז *porta munitionis dictus sit.*

*Mariæ* nomen (quod Hebr. מרים est, & ejus thema רם *eminuit*, in quo media litera quiescit, quæ in derivato movetur, ut à קם fit קים. *Mariam* igitur est *excelsa*, *sublimis & eminens*. Exod. 15: 20. legitur מרים, sed quæ Hebraicè initio habent I. ea Syriacè cum A pronunciantur: sic *Midgal* Syriæ oppidum, Syriacè est *Madgal*, ut Herodotus docet, qui Μαγδάλον scribit. Sic quod Hebræi dicunt *Ribbon*, Syri *Rabbon* pronunciant, quæ Caninii verba sunt) aliquot mulieribus impositum fuisse, ex S. Bibliis novimus. In N. Test. præter benedictam illam inter mulieres, matrem Salvatoris nostri JESU, fit etiam mentio *Mariæ Magdalenæ* Matth. 28:1. Marc. 16:9. Luc. 8: 2. &c. (quod cognomen traxisse videtur ex patrio vico *Magdala*, Matth. 15: 39. Aliter tamen Hieronymus, epist. ad Principiam, tom. 1. fol. 54. *Maria Magdalena*, inquit *quæ ob sedulitatem & ardorem fidei, turrita* (מגדל enim *turris* est) *nomen accipit.*) *Et Mariæ* sororis Lazari & Marthæ, Luc. 10: 38, 39. Joh. 21: 1, 2. Quas duas confundit, & pro una eademque habet Baronius tom. 1. annal. an. 32. n. 16. confundens cum his etiam mulierem aliam, peccatricem videl. illam, à quâ Christus Luc. 7: 35. in domo Simeonis Pharisæi fuit unctus. Sed distinctas has tres fuisse, contra Baron. demonstratum latè vide in Harmon. Euang. D. Gerhardi c. 143. p. 97. seqq. Est & *Maria Clopæ* (Cleophæ) scil. uxor Joh. 19: 25. Quæ & *Maria Jacobi* (minores) scil. mater, vocatur Marc. 16: 1. Luc. 24: 10. (quod Syrus exprimit ex Marc. 15: 40.) Et *Maria Jose*, scil. mater, Marc. 15: 47. (ab ambobus his filiis denominatur, Marc. 15: 40.)

*Gajus* nomen proprium est alicujus Pauli sectatoris, patriâ Derbæi, Actor 20: 4. & alterius Macedonis, qui & ipse ex Pauli comitibus erat, cap. 19: 29. & tertii cujusdam, Corinthii, quem Paulus baptizavit, 1. Corinth. 1: 14. cujus mentionem Rom. 16: 23. fieri probabile est. Ita Beza.

## *Nota.*

Videndum autem in originali scriptura est, an planè idem nomen sit, quod pluribus personis competit. *Phutiphar*, in vulgata versione Latina, & in LXX. Græca πεντεφρής, nomen est proprium ejus; cui venditus fuit Joseph, Gen. 39: 1. tùm Sacerdotis On, cujus filiam duxit Joseph, cap. 41: 45. Sed in Hebræo est discrimen. *Prius* nomen describitur ita פוטיפר; *posterius* פוטי־פרע. Illud igitur hôc unâ litera brevius est. Ille præfectus satellitum fuit; hic verò Sacerdos sive princeps Oniorum. Inter quæ magna discrepantia. Et malè à quibusdam confunduntur, uti ex glossa juris Canonici part. 2. decr. cap. 1. q. 1. §. *Sicut Eunuchus*, patet, in quâ hæc leguntur verba: *Phutifar, qui primò habuit uxorem filiam Pharaonis, cùm posteà fuit ordinatus Sacerdos Eliopolis, fuit exsectus, vel ut quidam dicunt, siccavit Dominus genitalia ejus, quòd ad turpes usus emerat Joseph.* Desumtum hoc ex traditione Judæorum, quam tradit Hieronymus quæst. Hebr. in Gen. tom. 4. f. 101. b.

*Amos* in Latino vocatur & Pater Esaiæ cap. 1: 1. & Propheta inter minores tertius. Sed in Hebræo discrimen est evidens. Ille enim אמוץ vocatur: hic verò עמוס, ubi in sola litera med à convenientia est. Et hoc fefellit Epiphanium, ut Amos Prophetam minorem statuerit esse patrem Esaiæ. Quem Hieronymus præfat. in Amos, ex differentia nominum in textu Hebræo rectè refellit. *Illud* (inquit) *Amos scribitur per primam & ultimam nominis sui literam, Ain & Samech, & interpretatur populus avulsus* (rectiùs ab *onere* deducitur, עמס enim *onerare* significat.) *Hoc verò Amos per Aleph & Sade, & interpretatur fortis atque robustus: quas literas, quia sermo noster non exprimit, ideò hæc & similia nomina videntur esse communia, quæ tamen apud Hebræos elementorum diversitate & suis proprietatibus distinguuntur.*

Tres *Booz*, avum, patrem & filium, statuit Lyranus in genealogiæ Christi interpretatione, Matth. 1: 5. Sed hac personarum ὁμωνύμων multiplicatione opus non esse, ostendit D. Chemnitius Harmon. Euang cap. 3. pag. 106. (Videatur etiam Junius in notis ad Ruth. 1: 1.) Contrà verò idem Chemnit. p. 113. perspicuè ostendit, diversos esse duos illos, qui *Salathiel & Zorobabel* Matth. 1: 12. Luc. 3: 27. appellantur: cùm ex diversis stirpibus, Salomone sc. & Nathane deducantur &c.

Notetur & obiter, eadem nomina quandoque *viris*, quandoque *mulieribus* imposita fuisse. E. G. *Timna*, Genes. 36: 12, 40. *Abolibama*, ibidem vers. 2, 41. Sic *Abia*, cujus nominis sub initium facta est mentio.

## 2. Exempla *locorum* ὁμωνύμων.

*Rahemses* est nomen certæ regionis in Ægypto, ubi Israëlitæ habitabant, Gen. 47:11. quæ & *terra Gosen* vocatur, v. 27. Est & nomen munitionis in Ægypto, Exod. 1:11. quod *Pelusium* esse volunt. In Hebræo per unicum punctum fit differentia.

*Succoth* nomen est loci in Ægypto, Exod 12: 37. & in terra sanctâ, parte illâ, quæ tribui Gad assignata, Jos. 13:27. Jud. 8:5. 1 Reg. 7:46.

*Beerscheba* (h. e. *puteus juramenti.*) nomen loci seu regionis est, quæ nomen hoc adepta ab actione Abrahami cum Abimelecho, Genes. 21:31. unde *desertum Beer-scheba*, ibid. ℣ſ. 14. προληπτικῶς memorantur. Est verò etiam nomen urbis cujusdam, quæ nomen hoc adepta ab actione Isaaci cum Abimelecho, Gen. 26: 33. Nota, quòd in *priori* textu ab Abrahamo denominatur *locus ille*, ubi fœdus illud dictum est. In *posteriori* verò ipse *puteus* vocatur *Schibba*, hoc est, *juramentum*: & ab hoc puteo urbs vicina *Beer-scheba*, h. e. *puteus juramenti* fuit appellata. 1 Reg. 19:3. dicitur *Beer-scheba Judæ*. Jos. 19:2. tribui Simeonis tribuitur; sed quia tribus illa Judææ olim permixta fuit, pro oppido Judæ etiam habetur.

*Mizpa* (quæ vox *speculam* significat) nomen regionis est, sitæ in ingressu Libani super Jordanem, Jos 11:3. forsan ideò sic dicta, quòd speculatores ibi collocati fuerint, ad regionis securitatem. Et hanc volunt eam esse, quæ Gileadi juncta, de quâ Gen. 31:49. Jud. 11: 1, 31. Est enim Mizpa alia in tribu Judæ, Jos. 15:38. & in tribu Benjamin, cap. 18: 26. Est & Mizpe Moabitarum, 1 Sam. 22:3.

*Eden* duplicis loci nomen est; cujus mentio 2 Reg. 19:12. Esa. 37.12. ubi memorantur *Edenitæ in Thelasar*: De quo etiam Gen. 2: ℣ſ. 8: Esa. 51:3. Ezech. 27:23. cap. 28 13. cap. 31:16. (al. 9.) 2. Cujus mentio Amos 1:5. denotatur autem oppidum, *Eden* dictum, in Cœlosyria, quod Græci vocârunt Paradisum. Vide Junium in notis ad Gen. 2. ubi de Paradiso & ejus situ differit. Ibidemque duo etiam flumina, *Gihon*, memorat. (1.) De quo Gen. 2:13. (2.) De quo 1. Reg. 1:33. 2. Par. 32: 30. cap. 33:14. in Judæa alluens Hierosolyma, qui ad nominis sui explicationem *torrens inundans* dicitur: 2. Par. 32:4. &c.

*Carmel*, mons sic dictus, duplex est. Unus ad meridianam plagam, in tribu Juda, juxta Seir montem, non procul ab Hebron, in deserto Maon, in quo Nabal habitavit: 1. Sam. 25. Alter ad Septentrionem, Tyrum versus, mari seu lacui Galilææ imminens, in quo Elias Propheta habitavit, in finibus Isaschar & Zabulon, juxtà Aco seu Ptolemaidem. 1 Reg. 18:42. Benjamin Tudelensis in Itinerario p. 38. *Ad montis radices Israëlitarum quamplurimorum sepulcra sunt; inque ipso monte Eliæ Prophetæ antrum visitur, juxta quod Christiani sacellum construxerunt, Sancti Eliæ dictum. In summo verò montis dorso vestigium extat altaris diruti & combusti in diebus Achab, cujus in Eliæ historia illustris fit mentio. Estque ara illius locus circularis, quatuor ferè cubitorum diametro. Sub ipso monte ad latus Chison flumen descendit.* Conferatur Hieronymus in Comment. Amos 1. fol. 22.

*Bethlechem* una fuit in tribu Zabulonis, Jos. 19. vers. 15. altera in Judæâ, quæ Mich. 5:1. *Bethlechem Ephrata*; Matth. 2: ℣ſ. 6. *Bethlechem terra Juda*, ad differentiam alterius appellatur. *Ephrata* autem à Propheta dicitur, non (ut quidam volunt) ab *Ephrath*, uxore Calebi, 1. Paral. 2:19. diu quippe ante hanc in lucem editam, Bethlehem *Urbs* id nomen gessit, ut ex Genes. 35: 19. cap. 48: 7. constat: sed à *fructuositate* (פָּרָה enim *fructuosus fuit, fructum edidit*, significat: Unde etiam *Ephraim* nomen deductum) q. d. terram frugiferam &c.

*Cana*, urbs una in tribu Aser, Tyro ac Sidoni interjacens, Jos. 19. ℣ſ. 28. ex quâ oriundam fuisse mulierem illam, quæ *Cananæa* dicitur, Matth. 15:22. præter alios Arias Montanus in lib. Caleb, seu de terræ promissæ partit. pag. 9. statuit. Etsi rectiùs dicitur, vocari χαναναίαν, quia ex Chananæorum stirpe erat, qui in Phœnicia habitabant, unde *Syrophœnissa* dicitur Marc. 7:26. Judæam gentem & religione non fuisse, totus contextus ostendit, in quo Judæis, ut filiis regni, opponitur; tùm & Marcus id declarat d. l. ubi eam ἑλληνίδα *Græcam*, h. e. gentilem appellat: hoc nomine enim gentes in Nov. Test. vocantur, propter linguam Græcam gentibus communem, Rom. 1. 14. Gal. 3. ℣ſ. 28. &c. Hæc igitur una Cana est: altera est *Cana Galilææ*, de qua Joh. 2: 1. &c.

*Kir* duplex est. (1.) *Kir Moabitarum*, Esa. 16: ℣ſ. 1. quæ & *Kir-Cheres* seu *Kir-Charesceth*, vers. 16, 20. dicitur, à Sole, qui fortassis ibi colebatur. (2.) *Kir-Medorum*, de quo 2 Reg. 16:9. Esa 22:6. quæ non sunt confundenda. Vide Junium in notis ad locum ex libro Regum. Quidam addunt *Kir* Assyriorum (quæ Medorum forsan est, de quâ dictum) Amos 1:5. & Ægypti, Act. 2. vers. 10.

*Cæsarea*, καισάρεια, duplex in N. Test com-

memoratur. *Una*, quæ cognominatur à Philippo, Matth. 16: 13. quia condita fuerat à Philippo Tetrarcha Ituraæ & Trachonitidis, Herodis Magni filio, in honorem Cæsaris Tiberii, quæ mutato nomine deinde *Paneas* dicta est, in provinciâ Phœnices ad radices Libani, ubi Jordanis è duobus oritur fontibus, *Jor & Dan*, autore Hieronymo. Videatur Josephus lib. 18. antiq. cap. 4. *Altera*, quam Herodes ipse Magnus Judæorum Rex instauravit in honorem Augusti Cæsaris, sitam prope Joppen ad mare mediterraneum. Ejus fit mentio Act. 8:40. cap. 9: 30. cap. 10: 1. Et priùs πύργος *turris Stratonis* vocabatur: Pòst, ad differentiam alterius, *Cæsarea Stratonis*. Videatur Joseph. lib. 1. de bello Jud. cap. 3. & 16. Plin. lib. 5, cap. 13.

*Laodicea*, cujus Col. 2: 1. c. 4: 15. Apoc. 3: 41. fit mentio, triplex ex Strabone & Plinio memoratur à Nobilissimo Theologo Dn. D. Hoë in comment. Apoc. p. 420. *Prima*, cujus in locis adductis mentio fit, metropolis Phrygiæ Pacatianæ, olim ab Antiocho Theo ædificata Plin lib. 5. cap. 29. (quæque à Beza *Hierapolis & Colossis vicina*, *& Lyco flumini imposita* dicitur: unde in uno codice vetusto Coloss. 2: 1. additum se invenisse testatur, καὶ τῶν ἐν ἱεραπόλει, *& eorum, qui sunt Hierapoli*, quod cap. 4: 13. in Græcis exemplaribus additum habetur.) *Altera* Medorum, à Macedoniis sive Græcis condita, & inde à Strabone civitas Græciæ dicta, lib. 11. *Tertia*, Syriæ urbs, quam Seleucus Nicanor condidit, & à matre Leodice, Leodiceam nuncupari voluit, Strabo lib. 16.

## Nota.

QUidam duas etiam urbes eodem nomine *Salem* insignitas, ponunt, quarum altera fit celebris Judææ urbs, Hierusalem pòst dicta; altera verò civitas Sichemitici agri, de quâ Gen. cap. 33: 18. Ita præter alios Arias Montanus in lib. Canaan, seu de 12. gentibus c. 8. & in libro Caleb, seu de terræ promissæ partitione p. 7. Et ita Lutherus vertit: Darnach zog Jacob gen Salem / zu der Stadt des Sichem / *&c.* [a] Sed idem B. Lutherus in comment. super Genes. illorum potiùs amplectitur sententiam, qui שָׁלֵם h. l. pro appellativo & adjectivo nomine habent, & ad Jacobum referunt, quòd is *integer & quietus*, h. e. sine tentatione & incolumis pervenerit in civitatem Sichem. (Et videtur id addidisse Moses, ut ostenderet completum esse, quòd Angelus pòst luctam Jacobo dixerat cap. 32: 28.) Opinionem autem illam, quòd *Salem* sit nomen civitatis, non facilè probari posse inquit: nec etiam affirmari, quod Sichem veteribus nominata sit Salem. Tandemque sic concludit fol. 511. b. *Etsi autem in tanta varietate opinionum non habeo, quod respondeam aut asseverem, cùm Hebræorum Rabbini ipsi dissentiant, tamen mihi magis placet hæc interpretatio, ut dicatur Jacob liberatus tot vexationibus, plenus fide & consolatione, ac viribus integris venisse in civitatem, quæ vocatur Sichem, à Principe vel à conditore. Sicut multa aliæ urbes nomen sortitæ sunt à conditoribus; & fuit valdè nobilis locus omnibus temporibus in isto populo, ut diximus.*

[a] Salem appellativum.

## Continuatio.

HUcusque de impositione nominis proprii PRIMA: sequitur ITERATA, quæ illorum vel hominum vel locorum est, quibus sua jam antè indita fuerunt nomina. Atque hæc *vel* ipsa ὀνόματα spectat, *vel* simul ὀνοματοθεσίαν. Ad *priorem* classem pertinet, cùm simpliciter πολυωνυμία occurrit, sine expressa impositionis vel occasione, vel ratione. Ad *posteriorem* verò, cùm impositio ipsa cum ejusdem occasione vel ratione in textu extat. De *priori* observ. 12, 13. De *posteriori* observ. 14, 15. agitur. In utroque verò tum *personæ*, tùm *loci* sunt spectandi.

## Observatio XII.

*Personæ in Scripturis sacris sæpè polyonymi.*
Seu: *uni personæ duo vel plura imposita leguntur nomina propria.*

GEnes. 36: 2. uxor Esavi vocatur *Ada*, quæ cap. 26: 34. *Basmath* appellatur: utrobique enim parens *Elon Chittæus* memoratur. Ibid. *Abolibama filia Ana* inter uxores Esavi recensetur, cujus nulla in antecedentibus mentio. Igitur aut alia ab illis est, aut, quod probabilius, eadem, quæ cap. 26: 34. *Judith filia Beeri* nominatur: ita ut ipsa æquè ac pater fuerit binominis: Imò verò trinominis videtur pater esse. Dicitur enim d. l. *filia Ana*, *filia Zibbonis Chivvai*. Ergo *Ana* quoque *Zibbon* dictus fuit (nisi per *Zibbonem* avum voluerimus intelligere) & *Beeri*, ut in altero loco est. Nec obstat, quòd cap. 36: 2. *Chivvæus* is dicitur, & c. 26: 34. *Chittæus*, qui populi diversi erant, ut patet ex cap. 10, 15, 17. Exod. 3: 8. Chittæorum

tæorum enim fines amplissimi erant, quibus Chivvæi etiam continebantur. Exemplum simile, ubi & filia & mater binominis fuit, videre est in matre Abijæ Regis Judæ. Ea 1 Reg. 15: 2. dicitur *Mahaca filia Abisalomi*: at 2 Par. 13: 2. *Micaja filia Urielis è Gibha*.

Ibid. ℣ſ. 3. *Besemath* dicitur, quæ cap. 28: 9. *Machalath*.

1 Sam. 12: 11. (al. 13.) *Misit Jehova Jerubbaalem, & Bedanem & Jeptham, & Samuelem.* Pro *Bedan*, in Chaldæo exprimitur *Simson*. Et hinc R. Kimchi: *Bedan est Simson secundum Thargum Jonathæ, & dicitur* בדן *quasi* בן דן (*filius Dan*) *quia de stirpe Dan ipse oriundus fuit: Etiamsi autem extiterit post Jephtham, tamen huic præponitur, eò quòd major seu celebrior extiterit.* Ita etiam Lutherus in chronologiâ Biblicâ, tom. 4. Jen. Lat. fol. 719. Brent. in h. l. *Hoc nomine ajunt Simsonem vocatum, non tàm hâc ratione, quod in familiâ Dan natus, quàm quòd de ipso scriptum sit, Spiritum Domini cœpisse cum eo esse in castris Dan. Bedan* בְּדָן *enim Latinè sonat, in Dan.* Cæterùm *Jairem* Manassitam (de quo Jud. 10: 3.) per *Bedan* intelligi, Junius & Tremellius volunt, propterea quòd hoc ordini vocum congruat, quo utitur Samuel; uti & loco, qui est 1 Chron. cap. 7: 17.

1 Sam. 21: ℣. 1. *Abimelech* Sacerdos memoratur, qui & *Abjathar* fuit dictus, Marc. 2. ℣ſ. 26. Si quis loca 1 Paral. 24: 3. & 2 Sam. 8: 17. contulerit cùm 2 Sam. 15. ℣ſ. 29, 35. & 1 Regum 2: 26. comperiet, & patrem & filium binomines fuisse, cùm uterque modò *Abimelech*, modò *Abjathar* dicatur.

2 Sam. 3: 2. *Chileab* filius Davidis & Abigail vocatur etiam *Daniel*, 1 Par. 3: 1.

2 Reg. 8. ult. 2 Paral. 22: 6. Hæc duo loca si conferantur, apparet, quòd *Achazia* filius Joram, & Rex Juda, alio nomine *Azaria* vocetur. Unde Lutherus nomen *Achazia* in posteriori loco retinuit. Vocatur & Jehoachaz 2 Par. 21: 17. quæ prioris nominis inversio est.

2 Reg. 23: 3. *Jehoachaz* filius Josiæ Regis Judæ, vocatur etiam *Jochanan*, 2 Paral. 3: 15. & *Schallum*, Jerem. 22: 11. De quo nomine postremo Junius annotat, quòd fortè boni ominis causâ à populo, cùm ungeretur, inditum sit (deductum enim est ex nomine, quod *pacem* & tranquillitatem significat:) Vel, quod probabilius, à Propheta ipsi tribui ironicè. q. d. hunc alterum fuisse Schallumum, ut qui non multò ampliùs regnum obtinuerit, quàm Schallum filius Jabeschi præfuit Israeli, 2 Reg. 15: 13.

1 Par. 9: 39. *Ner* avus Saulis vocatur etiam *Abiel*, 1 Sam. 9: 1.

1 Par. 10: 3. *Aminadab* filius Saul vocatur etiam *Jisvi*, 1 Sam. 14: 49.

2 Par. 11: 20. *Maëcha filia Absalom*, dicitur c. 13: 2. *Michaja filia Uriel de Gibea*. Confer cap. 15: 16. Ubi binomines sunt & pater & filia. Et Absalom non esse filium illum Davidis, patet ex 2 Sam. 14: 27. ubi sola *Thamar* filia Absalomi memoratur. Alius igitur fuit, qui 1 Reg. 15. 2. *Abisalom* vocatur. Pertinet autem hoc posterius exemplum ad observat. 11.

2 Paral. 15: 1. *Azariah* filius Oded, dicitur etiam *Oded*, ℣ſ. 8. nomine patris sui.

2 Paral. 24: ℣ſ. 20. *Jejadah* Sacerdos vocatur etiam *Barachias* Matth. 23: 35. & *Jachanan*, 1 Par. 6: 9. Vide suprà obſ. 11. in nomine Zacharias.

2 Paralip. 26: 1. *Uzias* Rex Judæ vocatur etiam *Azarias* 2 Reg. 15: 1, 2. quæ sunt nomina cognatæ significationis: Prius *fortitudinem Domini*; posterius *auxilium Domini* significat.

Ezr. 7: 1. *Ezra* legisperitus vocatur etiam *Josedek*, 1 Paral. 7: 15. uti genealogia utrobique posita ostendit.

Neh. 7: 70. c. 8: 9. c. 10: 11. *Nehemia* vocatur *Hathirsata*. Sed observa, nomen hoc *officii* potiùs esse, quàm proprium. Aben-Ezra postquam illorum sententiam adduxisset, qui Hathirsata vocari dicunt בעבור שהיתר לו שתיות יין של-גוים *propterea quod permissum ipsi fuerit* (à sapientibus) *bibitio vini gentilium* (quia scil. erat pincerna Regis, cap. 2. 1.) posteà suam adducit sententiam, quòd nimirum *Hathirsata* sit nomen honoris & gloriæ in linguâ Chaldæorum, significans *Principem aut Ducem*. Quidam *legatum Regis & commissarium* (ut vulgus vocat) reddunt, & Persicam vocem esse dicunt, attributam etiam Schasbazari. Confer Esr. 1: 8. cap. 2: 63. cap. 5: 14 &c.

Observare hic licet, nomina quædam cum בַּעַל *Baal* composita, componi etiam cum voce בֹּשֶׁת, & eidem personæ attribui, forsan in Baalis, DEI gentilis, ignominiam. בֹּשֶׁת enim *pudorem*, Ps. 35: 26. & metonymicè *pudendum idolum* significat, Jer. 3: 19. cap. 11: 13. Hos 9: 13. Exempla sunt, Jud. 6: 32. ubi *Gideon* vocatur *Jerubbaal* (h. e. *contendet Baal*, cujus impositionis ratio ibidem additur) qui 2 Sam. 11: 21. יְרֻבֶּשֶׁת *Jerubbeseth* dicitur. Sic 2 Sam. 2: 8. filius Saulis vocatur אִישׁ בֹּשֶׁת *Isboseth*, q. d. *vir pudoris* seu *pudendi idoli*, qui 1 Paral. 8: 33. c. 9: 39. אֶשְׁבַּעַל *Eschbaal* dicitur. Sic *Mephiboset*, filius Jonathanis, de quo 2 Sam. 4: 4. & alibi, vocatur *Meribbaal*, 1 Paral. 8: 34.

## *Nota.*

a Quænam incerta & dubia.

HUc referunt Interpretes quidam & sequentia, quæ tamen ex parte incerta sunt, vel etiam apertè falsa.

NIMROD, cujus Genes. 10: 8, 9. mentio fit, fuisse *Amraphel* Regem Sinear, de quo Gen. 14: 1. R. Salomo in comment. tradit, & appellationis אַמְרָפֶל rationem dat istam, quòd אָמַר *dixerit ad Abrahamum*, פּוֹל *cade*, *in medium*, *scil. fornacis ignis*. Alii ab אָמַר & נָפַל, quòd Abrahæ doctrinam & religionem opprimere conatus sit. Sed coactum hoc esse & incertum, quivis videt. Locus quidem convenit, in terrâ Sinear enim Babel sita fuit, cap. 10. ℣s. 10. unde Onkelos pro Sinear nomen *Babel* ponit: sed eandem personam notari, ex hoc erui non potest.

MELCHIZEDEK, Gen. 14: 18. esse eundem cum *Semo*, filio Noæ, Targum Hierosolymitanum in h. l. tradit. Et hujus sententiæ R. Salomo, Aben Ezra, & Baal Turim quoque meminêre. Contrà verò sunt, qui ex situ loci hoc infringunt. Sem enim cum posteris occupavit Orientem: Cham verò cum suis occupavit terram Canaan, in quâ erat Salem, cujus Rex fuit Melchisedek. Fuisse igitur Cananæum, non verò Semum vel Semitam, tradunt; Hebr. 7: 3. *Sine patre, sine matre, & sine genealogiâ* esse Melchizedek dicitur: quia in Scripturis hæc tacentur. Meritò igitur, tacente Scipturâ, & nos de persona isthac, quænam certò fuerit, tacemus. Plura de hoc dixi in disp. 4. ex Ps. 110. instituta.

KETURAM, uxorem secundam Abrahami, Gen. 25: 1. esse *Hagarem*, ex quâ natus Ismael, Gen. 16. R. David Kimchi existimat, in comment. Jud. 8: 24. argumento adductus eo, quòd *Ismaëlitæ & Midianitæ* pro iisdem h. l. habeantur, uti & Gen. 37: 25, 28. Jam verò Midianitæ à Midiano filio Keturæ dicuntur. cap. 25: 2. Sed appellationum illarum inter se permutatio, propter confusam Midianitarum cum Ismaelitis habitationem fit. Qui *Midianitæ* sunt genere, dicuntur *Ismaelitæ* habitatione; quâ ratione Judæi quidam dicuntur *Cerethæi*, 2 Sam. 8. ult. ab habitationis loco Et *Uria Chittæus* dicitur 2 Sam. 11. vers. 3. *Ithai Gittæus*, 2 Sam. 15: 19. &c.

RAGUEL, cujus Ex. 2: 18. fit mentio, quatuor habuisse nomina, Hebræi tradunt, quos sequitur Lyra & Tostatus. Vocatum enim insuper fuisse *Ietro*, Ex. 3: 1. cap. 18: 1. (vel Jether, Ex. 4: 18.) & *Cinæum*, Jud. 4. ℣s. 11. & *Chobab*, Num. 10: 29. Notetur de hoc: (1.) *Chobab* expressè vocari חֹתֵן *socerum Mosis*, Jud. 4: 11. cúmque Jethro etiam sic vocetur, Ex. 3: 1. ex eo sequitur, *Chobab & Iethro* eundem esse. (2.) *Chobab* vocari filium *Rehuelis*, Num. 10: 29. ex quo patet, *Rehuelem* cum *Chobab* non fuisse eundem, sed ejus patrem. (3.) Cum *Rehuel* vocetur *Pater Zipora*, quam Mose duxit Exod. 2: 18, 21. ex eo patet, nomen *patris* ibi pro avo, & *filia* pro nepte usurpari, uti usitatum in Scripturis est.

b De Pinchas Sacerdote, & Elia Propheta.

b PINCHAS Sacerdotem, filium Eleazaris, nepotem Aharonis, eundem esse cum ELIA Prophetâ, & sic binominem fuisse hanc personam (quæ Sacerdos & Propheta fuerit) pars Rabbinorum veterum tradit, uti R. Kimchi in 1. Reg. 17: 1. refert. Quam opinionem latè ibi tractat R. Levi Ben Gersom, eamque ex analogia quâdam inter Pinchasum & Eliam, ex Scripturis verisimilem facere conatur: præsertim ex longævitate vitæ utrique attributâ. De *Pinchasô* refertur, Num. 25: 12. *quòd Deus dederit ipsi fœdus suum pacis:* quod Malach. 2: 5. ita exponitur: *Fœdus meum fuit cum illo vita & pax.* Verisimile igitur, mirabilem vitæ longitudinem à DEO fuisse sortitum. Quo cum convenit, quòd Sacerdos fuit in tempore illo, quod de pellice Levitæ, & de Gibhonitarum flagitio ponitur, Jud. 20: 28. Et tempore Davidis scriptum extat: *Et Pinchas, filius Eleazar, Præses fuit super eos olim, & Dominus fuit cum ipso*, 1. Paral. 9: 20. & ipse est *Angelus Domini, qui apparuit Gideoni*, Jud. 6: 11. Pari ratione de *Elia* notum est, quòd non fuerit mortuus. Etsi enim *petit animam suam à se tolli*, 1 Reg. 19: 4. tamen hoc votum suum non est consecutus, sed vivus in cœlum sublatus, 2 Reg. 2: 11. ex quo literas scripsit ad Joramum 2 Paral. 21: 12. Prætereaque Mal. 4: 5. Deus dicit: *Ecce ego mittam vobis Eliam* הַנָּבִיא *Prophetam illum*, cum ה haiedia &c. Hæc & alia d. l. R. Levi. Cui, si descriptio *Eliæ* opponatur ex 1 Reg. 17: 1. ubi dicitur: *Thisbites, ex inquilinis Gilhadis* Respondet, *Pinchasum sic vocari, quia tùm temporis ibi constitutus fuit. Fuisse enim in more ipsi positum, ut se ad benè longum tempus occultaverit ab hominibus, & posteà iterum fuerit ab iis conspectus &c.* Sed rectè hæc & ejusmodi alia è longinquo petita esse Kimchi asserit. Quod *de fœdere DEI cum Pinchaso* refertur; non ad personam, sed ad successionem Sacerdotii in familiâ ejus pertinet, uti ex recensione 1 Paral. 6: 4. seqq. patet. Mal. c. 2. ℣s. 5. *de tribu Levitica* in genere, non in specie de Pinchaso agitur, ut ex ℣. 4. patet. Historia Judic. 19. & 20. per hysterologiam memoratur. Contigit enim non multò post tempora Josuæ; & ad cap. 2. ℣s. 11. pertinet.

Videa-

Videatur Junii nota ad cap, 17: 1. Verba 1 Paral. 9: 20. de *præterito* tempore loquuntur, cùm adhuc in vivis Pinchas fuit, ut ex ℣. 19. patet. Dominus autem dicitur adfuisse illi, quia charus fuit DEO, & peculiari fœdere ipsi ex gratiâ conjunctus, Num. 25. ℣. 11. seqq. *Angelum*, qui Gideoni apparuit, fuisse Pinchasum, absurdè dicitur, cùm is *Jehova* dicatur, Jud 6: 16. quod nomen solius DEI proprium, & nulli creaturæ vel hominum communicabile. Nec verum est, Pinchasum Angelum & incorporeum fuisse, quod delirium Judaicum extat in R. Salom. Jarchi, & Kimchi super Jos. 2: 4. ad vocem ותצפנו *& abscondit eum*. Porrò quòd de *Eliæ ἀθανασίᾳ* & ejus translatione dicitur, Pinchasum nullâ ratione attinet, nec contrarium evidenter doceri potest. Quomodo autem *missio Eliæ Prophetæ* Mal. 4: 5. promissa sit intelligenda, Nov. Testam. collatione nos clarè docet. Videatur Luc 1: 17. Matth. 11: 14. c. 17: 10. seqq. Cæterùm, ut & hoc addamus, quod de Eliæ patriâ 1 Reg. 17: ℣. 1. habetur, de eo verum quid & certum se scire negat Kimchi: [a] Chaldæus התשבי *Thisbites* reddit, דמתושב *qui ex Toschab*, scil. oriundus est: quod *regionis* cujusdam nomen esse R. Salom. testatur. Kimchi autem nomen *civitatis* ubi primùm Elia fuerit, pòst verò habitaverit in Gilead. Junius: *Thisbites*, h. e. incola partis illius Gilhadis, quæ ad orientem spectat, temporibus Saulis Hâgarenis ademta. Hæc autem *Teschbeb* dicta est; *vel* eò, quòd veteres incolæ ad centum millia captivi abducti sunt: *vel* quòd ex Israëlitis trans Jordanem coloniæ eò transmissæ sunt, ut eam inhabitarent. Vide 1 Par. 5: 21. *Ex inquilinis Gilhadis*, hoc est, colonis è Gilhade transmissis. Hæc ille. Cujus sententia probabilissima. R. Elias Levita Germanus, in Thisbi (Lexico Chald. sic à se dicto, à numero radicum, quæ in eo traduntur) peregrinam omninò rationem adfert, cur Elias dicatur fuisse מתושבי גלעד *de habitatoribus Gilead*. Ait enim, *Eliam (qui & Pinehas) effugisse ex Gilead in strage illâ, quæ Jud. 21: 8. seqq. memoratur: posteà verò ubi iterum cœpit inhabitari urbs illa, reversos fuisse & habitâsse ibi denuo primos istius urbis incolas, qui evaserunt, atque inde vocatos fuisse* תושבי גלעד *& inter hos Eliam etiam fuisse*. Sed præterquam, quòd falsa huic opinioni substernitur hypothesis, Eliam scil. *Pinehasum* fuisse: falsum insuper est, omnes habitatores Gileadis fuisse percussos, cùm tantùm civium *Jabes in Gilead* fiat mentio. Et quis prætereà sibi persuaderi patiatur, Pinehasum Sacerdotem inter eos fuisse, quos vel strages illa, vel fugiendi necessitàs comprehendit. Israëlitis adfuit Pinehas, qui summâ apud eos in autoritate fuit, cap. 20. ℣. 28. non verò illis, qui ob denegatam præsentiam clade illâ sublati sunt. Plura in re planè apertâ addere necessum non est.

PETHUEL, patrem Prophetæ *Joël*, cap. 1: 1. esse *Samuelem* Prophetam cujus primogenitus filius *Joël* dicitur, 1 Sam. 8: 2 (& hunc esse Prophetam *Joël*) statuit R Salomo Jarchi in comment. Dictum autem Samuelem fuisse פתיאל *Pethuel*, ait, שפיתה לאל בתפלתו *quòd persuaserit DEO in precatione suâ*, h. e. quòd precibus suis à DEO obtinuerit cùm alia, tùm miraculosam pluviam tempore messis triticeæ. 1 Sam. 12: 18, 23. Sed falsa hæc est Rabbinorum traditio, tùm quòd Joël Propheta ejus antiquitatis esse non videatur: tùm verò cumprimis, quòd Samuelis filii, inter quos Joël, Judices Israelis, & impii improbique fuerint, 1 Sam. 8: 1, 2, 3, 5. quorum neutrum de Joele Propheta dici potest.

ESDRAM scribam seu Legis peritum, cujus liber de reducibus Judæis ex Babyloniâ extat, eundem esse cum MALACHIA Prophetâ, cujus Prophetia in libro תרי עשר seu *duodecim Prophetarum* ultima est, Rabbini quidam statuunt, annotante etiam Hieronymo in princ. comment. in Malach. & ex hoc, Augustino lib 20. de Civ. Dei cap. 25. Et confirmat Elias Levita in præfat. 1. rhythmica libri Masoreth. Targum in Malach. 1. ℣. ita transfert: *Onus verborum Jehovæ super Israel, in manu Malachiæ, cujus vocatur nomen Ezra Scriba*. Et dicit quidem R. Kimchi in h. l. *Rabbini nostri, beatæ recordationis, dicunt, hunc Malachiam esse Ezra*. Rectè autem addit: *Sed non reperimus in quodam loco Scripturæ, quòd vocarunt ipsum (Ezram) Prophetam, sed Ezram Scribam.*

[a] Eliæ patria, Thisbites.

*Exempla ex Nov. Test.*

JUDAS Apostolus Christi (non Iscariotes ille) dicitur *Thaddæus*, (quod ipsum Judæ nomen est, Syriacè expressum, *Thaddai*) & insuper *Lebbæus* Matth. 10: 3. De nomine *Thaddæus* dictum est observ. 11. nomine *Juda*. Illis addere lubet cogitationes D. Chemnitii de his nominibus, cap. 50. Harm. Euang. p. 273. ubi sic loquitur: *Post proditionem Iscariotis nomen Judæ adeò fuit invisum, ut ob detestationem flagitii Matthæus & Marcus fratrem Jacobi nolint appellare Judam, ne si appelletur Judas, appellatio cogitationem de proditore ingerat, maximè, quia juxta Lucæ descriptionem, in prima legatione socii fuerant Judas Jacobi & Judas Iscariotes. Sumserunt igitur aliud vocabulum ab eadem radice, & ejusdem significationis, sicut no-*

nomen

*men Judæ: sed quod sono parumper variaret, & pro Juda vocarunt Thaddæum: sicut in Hebraica origine cognatio illa manifestior est. Nam à radic* ידה *derivatur* יהודה *&* תודה *Juda & Thoda, quæ à confessione, laudatione & gratiarum actione nomen habent. Porrò, quia Jacob Judam Patriarcham* Gen. 49: 9. *vocat leonem & catulum leonis, Apostoli igitur, cùm fratrem Jacobi nollent vocare Judam, propter cognominem proditorem, per antonomasiam ipsum vocarunt Lebbæum,* לְבִיא *enim significat leonem, unde Lebbæus dicitur. Hanc judico esse rationem mutati nominis in Juda Jacobi; quæ convenit & cum Grammaticâ, & cum significatione nominis Juda.* Hactenus Chemnitius.

MATTHÆUS Apostolus, dicitur Λευῒν, *Levi*, Matth. 9: 9. Marc. 2: 14. Luc. 5: 27. Quidam ut patronymicum accipiunt, ac si de tribu Levi oriundus, seu Levita fuerit. Sed hoc incertum. Nomen hoc, ut proprium, aliis quoque personis tribuitur, Luc. 3. vers. 24. &c.

a Paulus. [a] SAULUS Apostolus dicitur *Paulus* Act. 13: 9. & posteà ubique. De hoc ita Beza in Act. 13: 9. *Quem Judæi & Syri* שאול *Schaul vocant, idem à Græcis, qui eo tempore Romanis nominibus magis assueverant, Paulus fuit dictus, propter summam horum nominum affinitatem. Cùm igitur ab hoc tempore, atque adeò ab hac historiâ incipiat Paulus suo illo inter gentes Apostolatu defungi (priùs enim non nisi inter Syros & Judæos erat versatus) meritò incipit ab hac historiâ Lucas illud nomen ei tribuere, quod ipsi perpetuum posteà fuit inter gentes, quibus videlicet nunquam posteà destitit Euangelium prædicare. At facilè mihi quidem persuadeo, primùm à Proconsulis Rom. familiâ ita vocari cœpisse.* (Posterius hoc etiam Hieronymus statuit in comment. epist. ad Philem.) Sunt, qui à teneris unguiculis Apostolum hunc binominem fuisse dicunt: à parentibus enim *Saulum* vocatum fuisse, quia erat ex tribu Benjamin, Phil. 3: 5. in qua nomen Sauli propter primum Regem, ex eadem tribu oriundum, erat celebre. Additum autem nomen *Pauli*, quia Tarsenses erant cives Romani, apud quos vel maximè Pauli nomen erat illustre. Drusius 5. præter. p. 180. *Saulus & Paulus ita differunt, ut Jesus & Jason, Dosthai & Dositheus, Simon & Simo, id est,* Σιμὼν, *Tarphon & Trypho, id est,* τρυφὼν, *quod est nomen merè Græcum. Major etiam pars Judæorum binomines erant, altero nomine Judaico, & altero Græco: Janneus, Alexander: Joakimus, Alcimus: Onias, Menelaus: Johannes, Hircanus: Alexander, Salome, &c.* Erasmus in Rom. 1: 1. *Arbitror, Paulo primùm Hebræo, nomen Hebraicum inditum Saul. Nam hoc nomine compellat illum Christus in viâ:* Σαοὺλ, Σαοὺλ, τί με διώκεις; *id est, Saul, Saul, quid me persequeris? Deinde quoniam Ægyptus, Cilicia, & huic finitima Syriæ pars, propter Alexandri Magni imperium, & posteà Romanam administrationem, jam ferè Græco sermone utebatur, Hebraicam vocem in Græcam formam fuisse deflexam, quod Græci nullum habeant vocabulum in λ desinens, atque ita ex Saul factum esse Saulum, quemadmodum & hodiè Latini ex Adam faciunt Adamum, ex Abraham Abrahamum, ex Joseph Josephum. Deinde quoniam Pauli nomen juxta Græcis ac Romanis erat familiare, è Saulo rursum factum esse Paulum, ut vocabulum etiam libentiùs agnoscerent, quorum se Doctorem profitebatur, & hîc quoque omnia fieret omnibus. Ipse certè hoc nomine perpetuò est usus in scriptis suis.* De etymologiâ nominis Pauli hæc addit Erasmus: *Paulus Græcis sonat quietum, à verbo* παύομαι, *inde &* παύλαν *quietem appellant; Romanis pusillum sonat.* Chytræus in onomast. Theol. pag. 592. Hebræam etiam originationem tradit, quod Paulus δραςήριον, πρηκτῆρά τε ἔργων, seu *magnarum rerum effectorem significat*, à פָּעַל. Sed de hac similiter judicandum cum illâ, quæ ex Hieron. suprà observ. 5: tradita.

Huc referri potest nomen *Magi Cyprii*, cujus Actor. 13: 6. fit mentio; *Bar-Jesu* is dicitur (vel, ut alii exstimant, *Bar-Jesu*, Βὰρ Ἰησ. Syrus habet בַּר שׁוּמָא *filius nominis*, hoc est, percelebris, voce appellativa: vel, ut alii vertunt, *filius tumoris*, qui enunciandis suis divinationibus intumescit, tanquam si è ventre creparet oracula, ἐγγαςρίμυθος, quod nullius Græci codicis autoritate confirmari posse, Beza ait.) Idem verò *Elymas* vers. 8. appellatur. Ubi sciendum, nomen *Elymas*, quod interpretatur *Magus* (ut in textu dicitur) per antonomasian illi Bar-Jehu competere. Ipsum quod etymon attinet, varii varia adferunt: sed prævalere iis Bezæ conjectura videtur, quam repetit Fullerus lib. 5. cap. 11. misc. sacr. *Elymas* esse, quasi עלימא quod τὸν κρύφιον ἢ τὸν κρυφιαςὴν notat, hoc est, *occultum*, vel rerum occultarum studiosum; vel qui in occulto omnia sua factitat: qualis inprimis est quilibet magiæ impiæ deditus. Et in Arabicâ Pentateuchi interpretatione, cujus autor R. Saadias habetur, pro חרטם quod *magum* significat, עלמא pro עלימא haberi, idem Beza testatur. Videantur etiam Tremellius & Junius in notis.

Referunt etiam huc, quod *Thomas* Apostolus dicitur *Didymus*, Joh. 20: 24. quod Latinè *geminum* seu gemellum sonat. Sed hoc non diversum nomen, sed Hebrææ vocis *Thomas*, interpretatio est: (perinde ut *Bartimæus* interpretatur *filius Timæi*, Marc. 10: 46. Et *Tabbitha*

Græcè δορκὰς, hoc est, *caprea* interpretatur, Actor. 9:36, 39.) תְּאוֹמִים enim Hebr. *gemellos* significat, quo nomine Masorethæ voces, quæ continuò in eodem versu repetuntur, appellant. Non minus in paraphrasi Joh. 14:5. Thomam διώνυμον fuisse, & in circumcisione *Didymi* nomen accepisse èxistimat, sed neutrum subsistere posse, ex dictis patet.

## Observatio XIII.

*Sunt & loci quidam in Scripturis sacris polyonymi.* Seu: *uni loco duo vel plura imposita leguntur nomina.*

Respiciendum hîc ad denominationem 1. *simplicem*, 2. *emphaticam & propheticam.*

### 1. Exempla denominationis *simplicis.*

Genes. 14:7. duplex nomen unius loci ponitur: *Inde reversi venerant En-Mischpatum: ipsum* (jam dicitur) *Kadesch.* Targum Onkelos addit tertium, quando pro Kadesch vertit *Rekam*, (uti etiam Num. 13: 26. reddit & alter paraphrastes Chaldæus Psal. 29: 8.) cui Epiphanius adstipulatur κατὰ Μελχισεδεκιανῶν. Ibidem *Chazazon-thamaris* fit mentio; pro quo Chaldæus ponit *Engedi*, uti & 2 Paral. 20: 2. conjunguntur in Hebræo hæc duo nomina. Historicis *Engadda dicitur*, quod oppidum est ad mare mortuum. Vide supra observat. 10. de nomine Jericho, Jos. 6:1.

Genes. 31:47. *Jegar-Sahadutha* à Labane; *Gilead* à Jacobo nomen tumulo erecto, & ipsi loco imponitur. Utrumque *cumulum testimonii* significat; illud Syrâ, hoc Hebræâ appellatione, ut utriusque posteris documento esset. Ibid. ꝟs. 49. idem locus etiam *Mizpa* denominatur, hoc est, *specula.* Unde fortassis *Mizpa Gilbadis* appellatur Jud. 11:29.

Deut. 3:9. mons *Hermon* à Sidoniis *Sirion*, ab Ammonitis *Senir* appellari dicitur: idem etiam *Sion* vocatus esse, Deut. 4:48. memoratur, שִׂיאֹן (quod nomen à *Zion* monte sancto, scripturâ differt maximè: est enim hoc in Heb. צִיּוֹן) Quidam etiam *Hor* ejus montis nomen esse, quod Num. 34:7. extat, tradunt.

1 Sam. 7: 1. *Kiriath-Jearim* etiam dicitur *Baala*, 1 Paral. 13:6. & *Baalim Judæ*, 2 Sam. 6:2. & per aphæresin in primo nomine *Jaar*, hoc est, sylva, Psal. 132:6. Est enim *Kiriath-Jearim*, idem ac *civitas sylvarum*, quia in loco sylvoso sita fuit.

Psal. 78: 51. *Ægyptus* vocatur *Cham.* Et Psal. 105: 23, 27. *terra Chami*: à Chamo filio Noæ, Gen. 5:32. qui à parente posteà maledictus fuit, cap. 9. Huic obtigit habitanda tertia orbis pars, Africa, Lybia à Græcis dicta. Ideoque Ægyptus, quæ Africæ quasi frons est, & pars primaria, antiquitùs χημία (ut refert Plutarchus) à peritissimis Sacerdotum Ægyptiorum appellata est. Et Hieronymus tradit. Hebr. in Gen. *Ægyptus* (inquit) *usque hodie Ægyptiorum linguâ Ham dicitur.* Hæc Fullerus lib. 2. miscell sacr. cap. 4. qui & addit, χημείαν, [a] *Chimiam*, hujus esse originis, quam ἀργύρου καὶ χρυσοῦ κατασκευὴν definit Suidas, h.e. *artificiosum argenti aurique apparatum*: de qua scriptos libros diligenter conquisitos Diocletianus Imp. comburi jussit, ne istius artis beneficio locupletari & inflati Ægyptii (gens novarum rerum avida, ut ait Vopiscus) Romanis deinceps rebellarent. Arabes addito articulo *Alchemiam*; Ægyptii simpliciter *Chemiam* vocabant, quò commendatior esset, quasi scil. à *Chamo*, primo parente inventa, & per manus ipsis tradita: Hæc Fullerus. [b] Ex quo etiam de *Nilo* Ægypti fluminis nominibus paucula placet adducere. שִׁיחוֹר *Sichor* illum Jos. 13:3. vocari, ex Hieronymo asserit, quæ appellatio etiam Esa. 23: 3. Jer. 2: 18. occurrit. Ratio etymi à natura rei desumta, שחר enim *nigrum esse* significat: inde Nilus Ægypti fluvius *Schichor* dictus, quòd turbidas limo aquas haberet. Inde etiam μέλας primo Græcis dictus est, teste Eustathio; exinde Latinis *Mela*, autoribus Servio & Festo. Æthiopibus *Siris* dicitur, teste Dionysio, quæ vox non multum deflectit à *Sichor* vel *Sior* Hebræo. (Inde forsan appellatio *stellæ caniculæ* dictæ, quæ σείριος ἀςὴρ nuncupatur Græcis, licet non Græca, sed Æthiopicâ origine, q. d. Νιλαῖος *Niliaca stella*, quia nimirum eodem ardentissimo æstatis tempore & caniculæ sidus, Sirius iste exoriebatur, & Nilus abundantissimé excrescebat, Sole vid. Leonem transeunte, ut est apud Plinium lib. 2. nat. hist. cap. 47. & lib. 5. cap. 9.) Cæterùm ex nomine dicto *Melo*, factum fuisse *Nilum*, M. in N converso, quidam putant. Sed aliter Fullerus. Quia enim flumen hoc κατ' ἐξοχὴν נַחַל *torrens Ægypti* dicitur Num. 34: 5. & περιφραςικῶς *torrens deserti*, Amos 6:14. igitur ex Hebræorum *Nahal*: Phœnicum & Ægyptiorum *Neel* (per elisionem τοῦ ה, cujus exempla & alibi obvia ut paulò pòst dicetur) & ipsum nomen *Nili* promanâsse inquit, mutato, ut fieri solet, nomine appellativo in proprium. Atque hanc deductionem anteponit ei, quam Græci commenti sunt: dictum videl. Νεῖλον quasi νεῖλον, παρὰ τὸ νέαν, ἤτοι ἐνιαυσίαν ἄγειν, ἰλὺν,

[a] Chimia.

[b] De Nili nominibus.

ἰλὺν, *quod novum quotannis limum adductum agris illinat.* Nihil enim alienius (inquit) quàm originem nominis Ægyptii à linguâ peregrina penitus, qualis est Græca, derivare. Hæc ille lib. 2. misc. sacr. cap. 8. quem, si lubet, adi & lege: non certe pœnitebit. De quibusdam aliis nominibus, quibus apud Æthiopas Nilus appellatur, videatur Junius ad Gen. cap. 10: 7. num. 29.

Esa. 16: ℣s. 2. (al. 15. 2.) *Bajith*, oppidum Moabitarum, ab insigni idololatria κατ' ἐξοχὴν sic dictum, dicitur etiam *Behon*, *Babalmebon*, *& Beth-Baal-Mebon*, Num. 32: 3, 38. Jos. 13: 17. *Et Behon*, quidem contractum videtur ex *Babal-Mebon*, quod & suprà monitum. Situm fuit in finibus Rubenitarum, 1. Paral. cap. 5: 8.

Huc pertinet πολυωνυμία, quæ ex collatione Chaldaicarum paraphraseων seu Thargumim desumitur.

a Chaldaicæ paraphrases. Kardu quid sit? Genes. 8: 4. narratur, arcam Noë requievisse super montes *Ararat.* Targum Onkelos habet קַרְדוּ *Kardu*, quod pro קַרְדוּתְ *Karduach* dicitur, per usitatam in Aramæa linguâ elisionem, sic & 2. Reg. 19 v. 37. (quæ præcipué in literis ע & ח contigit. Sic בל pro בְּעֵל *Baal:* נַשׁ pro נְחָשׁ *serpens* תְּחוֹת pro תַּחַת *sub*: שב pro שִׁבְעָ *septem:* קט׳ pro קְטִיעַ *succisus*: ישו pro יֵשׁוּעַ *Jesus.* Sic Matth. 16: 17. *Simeon Bar Jona*, pro יוֹחָנָן *Jochanan*, eliso ח. Sic in aliis literis, בֵּי pro בַּיִת *domus*, אוקי pro אוֹקִים *statuit.*) Quid autem hoc nominis sit, ex Epiphanio lib. 1. contra hæres. patet, cujus verba hæc sunt, in Latinum conversa: *Post diluvium, cùm consedisset arca Noæ in montibus Ararat, inter Armenios & Carducos, nempè in monte quodam Loubar, vocato, ibi primum habitatio hominum post diluvium fieri cœpta est.* Plinius lib. 6. nat. hist. cap. 15. *Adiabenis connectuntur Carduchi quondam dicti: nunc Coduceni, præfluente tigri.* D. Leonh. *Rauwolff*, in itinerario regionum Orientalium lib. 2. cap. 9. Der Curter Provintz erstrecket sich zwischen Meden und Mesopotamien hinauf an den Fluß Tigri, biß an Armenien. Diese Curti/ so fast Nestoriani sind/ reden eine sondere Sprach. Et paulò pòst: Die obgemelten Curti, voor Jahren Carduchi/ und hernacher auch Carduchi geheissen/ haben (wie sonderlich Xenophon meldet) ihre sondere Policey und Ordnungen lange Zeit gehabt/ nach vielfaltigen Veränderungen aber/ sind sie endlich kommen unter den Gewalt des Türckischen Käysers/ dem sie noch zu diesen unsern Zeiten gehorsamen/ &c. In hoc *Carduchæorum* vel *Gordyæorum* tractu montem unum præcelsum esse, nomine *Lubar*, in quo arca requieverit, Epiphan. d. l. tradit. De quo Junius, ex Josepho libro 1. ἀρχαιολ. cap. 4. tradit, quòd idem sonet, ac ἀποβατήριος τόπος, *descensionis locus*, unde in omnes partes descenditur. Contradicit ipsi, & alia de hoc nomine *Lubar* tradit, Fullerus lib. 2. misc. sacr. c. 1. quem vide.

Genes. 10: 10. *Terra Sinear* in Targum Hierosolymitano vocatur *terra Babel.* Quia terra Sinear pòst Mesopotamia & Chaldæa dicta est. Notetur autem, Targum hoc à seipso diffidens cap. 11: 2. terram Sinear per *Pontum* interpretari.

Ibidem nomen *Erech* extat, quam Chaldæus idem הֲדַס vocat, procul dubio *Edessam* ad Euphratem sitam intelligens. *Accad* idem vocat נִצִּבִין *stationarios*, ad *Nisibin* Mesoporamiæ respiciens. *Calne* idem vocat קְטִסְפּוֹ *Ctesiphontem.* Videatur etiam vers. 11: 12. & conferantur notæ Junii super caput.

Num. 32: 3. pro nominibus locorum in Hebræo, habentur itidem quædam peregrina in Chaldæo.

Deut. 1: 2, 44. cap. 2: 8. *Seir*, hoc est, *Edomæa*, ab Hierosolymitano interprete vocatur גַּבְלָא *Gabla.* Hieron. comment. in Obad. *Unus atque idem* (inquit) *tribus nominibus appellatur; Esau, Edom, Seir, posseditque regionem, quæ nunc Gebalena dicitur, & in finibus est Eleutheropoleos ubi antè habitaverunt Horræi &c.* A Gebalena anteà fuisse diversam Idumæam, ex Psal. 83: 7, 8. patet, ubi distinctè recensetur. Vide de his Fuller. lib. 5. misc. cap. 15. ubi duplicem *Gebal* vel *Gabalenem* constituit (dicitur autem à גבל *limite* seu termino, q. d. limitaneam, respectu terræ sanctæ:) *Septentrionalem*, quæ est Gabala urbs, regioque ei adjacens, in extremo Phœnices limite posita: & *Australem*, quæ est Barseba, & tractus undique finitimus. *Beersaba* quippe nunc *Giblin* dicitur, & est terminus Judææ, juxta Brochardum cap. 10. Unde & Idumæorum regioni adjacenti hoc nomen cessit. *Priorem Gebalenem* qui incolebant, *Giblæi* dicti, in omni artificio architectonico & frabrili excelluerunt, uti ex 1 Reg. 5: 18. Eze. 17: 9. patet. In quorum priori loco Targum habet אַרְגּוּבְלַיָּא voce composita ex Græco ἀρχη, exemto & quasi præfecto, & גִּבְלוֹן seu גִּבְלַיָּא q. d. *qui lapides certis terminis descriptos ac definitos formant, sculpunt & poliunt:* q. d. ἀρχιλιθουργὸς seu *archilatomus*: quâ ratione & אַרְדִּבְלָא pro ἀρχιτέκτων Chaldæus & Syris dicitur. Confer etiam Scindlerum in Lex rad. גבל; & Junium tom. 1. oper. col. 1026.

Es. 15: 1. *Ar-Moab* in Chaldæo dicitur לְחַיַּת

*Le-*

*Lecbaijath Moab*. Sic & locum ab Hebræis *Basan* dictum, Chaldæi paraphrastæ vocant semper *Mathnan*, quod eorum temporibus jam nomen esset mutatum, ut aliorum locorum quam plurium.

[a] N. T. Exempla.

[a] Exempla N. Test. Matth. 15:39. *Et venit* (Christus) *in fines* Μαγδαλά. Vulgatus interpres legit *Magedam*, atque ita etiam Hieronymum legisse, ait Erasmus in h. l. Syrus habet מגדו *Magodu*. Cæterum pro hoc nomine legitur Marc. 8:10. ita: *Venit* (Christus) *in partes* Δαλμανυθά. Ex quo patet, vel locum fuisse binominem, vel *Dalmanutha* esse nomen regionis: *Magdala* verò civitatis: Vel (ut Beza existimat) *Dalmanutha* fuisse generalius istius tractus nomen; *Magdala* specialius, quem tractum fuisse suspicatur illum, qui *Maceda* Jos. 10:28. vocatur. Observetur, Marc. 8:10. lectionis diversitatem à Casaubono notari εἰς τὰ ὅρια μαδεγαδὰ, quod ferè cum Matthæo convenit.

Matth. 8:27. regionis *Gergesenorum* fit mentio: pro quo Marc. 5:1. Luc. 8:26. habetur regio *Gadarenorum*. Putant igitur aliqui, *Gergessam* & *Gadaram* eandem fuisse urbem. Sed rectiùs Tremellius in notis ad Syriac. N. Test. *Gadara* (inquit) *à quo Gadareni, & Gergessa sive Gerassa* (*à quo Gerasseni vel Gergesseni*) *oppida erant diversa, sed ambo vicina erant, ad lacum Genezareth sita, & eorum fines erant commixti, ut cùm in horum regionem Christus venisse legitur, in illorum quoque regionem venisse intelligendus sit.* Videatur etiam Casaubonus in not. ad Marc. 5:1. Cæterùm *Gadara*, teste Josepho lib 17. cap. 13. erat Græcanici instituti. Ergò mirum non est, illic fuisse gregem porcorum, quorum carnes Judæis erant prohibitæ.

Actor. 21. v. 7. *Nos verò navigatione expletâ, devenimus Tyro* εἰς Πτολεμαΐδα, *Ptolemaida*. Pro hoc nomine Syrus interpres habet עכו *Acho*. Vel igitur locus fuit binominis: vel *Acho* civitas, cujus Jud. 1:31. & alibi fit mentio, mutato nomine *Ptolemais* post vocata fuit.

## 2. Exempla denominationis emphaticæ & Propheticæ.

2 Reg. 23:13. *mons* משחית h. e. *corrumpentis*, per paronomasian appellatur, propter idololatriam à Salomone ibi constitutam, qui aliàs à fructu *mons* משחה h. e. *unctionis*, seu *mons olivarum* dicitur. Unde Chaldæus *montem* משחית expressè טור זיתיא *montem olivarum* vertit. Lutheri rationem, cur à corruptione nomen habeat, vide in notâ marginali Germanicâ. Alii tamen verum id montis nomen esse existimant. D. Leonh. *Rauwolff*, in itinerario regionum orientalium, lib. 3. p. 41. Von dem Berge Sion uber / gegen Mittag / jenseit des giessens Kidron / ligt der Berg der Ubertrettung / 4 Reg. 23. Mashith genant / zwischen welchen / und dem Oelberge ein Thal / dadurch der Weg auff Bethanien zu / gen Jericho hinab gehet *&c.* Der ist bald höher und gäher / als die andern alle herumb / darauff ersihet man noch alte Mauren der Behausungen / darinnen die Kebsweiber Salomonis gewohnet / hinter welche sich der König in seinem Alter gelassen / die ihn auch dermassen eingenommen / daß er sein Hertz von GOtt hat abgewandt / und zu ihren frembden Göttern geneigt. 3 Reg. 11. &c. Idem nomen montis המשחית *corrumpentis seu perditoris*, datur *Babyloni* Jer. 51:25. quod à murorum, instar montis assurgentium, vastitate & amplitudine fieri, Junius ait.

Esa. 14:4. *Babilonia* vocatur voce Chaldaica מדהבה q. d. *aurea*, *aurifica*, seu *auri cupida* (à דהב Chald. pro זהב Hebr. *aurum*) quâ appellatione Chaldaicæ Monarchiæ superbia, ex fiducia opum maximarum concepta, perstringitur, q. d. quâ ratione fieri potuit, ut Rex Babilonicus, auri adeò sitiens, desierit opprimere Jerusalem?

Es. 29:1. *Jerusalem* vocatur *Ariel*, h. e. *leo Dei*, seu *leo potens*. Quidam sic dici volunt, quòd ad tribum Judæ ex parte pertinuerit, cujus insigne Leo est. Gen. 49. 9. Alii synecdochen ponunt: Arielis enim nomine alias *altare holocausti* appellatur, Ez. 43:15, 16. quod sanguine victimarum maderet, ut leo prædam discerpens, vel quia velut immanis leo holocausta allata consumebat igne perpetuo, cujus fit mentio c. 31:9. quæ appellatio per synecdochen ad ipsam *urbem* (vel, ut quidam volunt, *Templum*) traducitur. Sic igitur conformanda verba Esa. 29:2. *Eritque mihi* (civitas quæ *Ariel* vocatur ℣. 1.) *sicut Ariel*; h. e. sicut altare ipsum hoc nomine insignitum: q. d. reddam urbem sicut altare, super quo spargitur sanguis: ita tota urbs erit plena sanguinis interfectorum. Luth. in marg. gl. vocari ait Jerusalem *Arielem*, h. e. *leonem Dei*, quia per Deum fortis erat. Nunc autem vocari debet *Leo Dei*, contra quem Deus pugnaturus est.

Es. 51:9. *Ægyptus* vocatur רהב *Rahab*, propter summam suam superbiam, רהב enim apellativè id significat. Sic & Ps. 87:4. Ps. 89:11. Lutherus addit Es. 30:7 sed ibi potius appellativum est, fortitudinem significans ut infinitivus additus docet.

Jer. 25:26. cap. 51:41. *Babilonia* ששך h. e. *festa agens*. Est enim (ut Junius scribit) [b] *Scheschach*

[b] Scheschach.

*ſchach* linguâ Babylonicâ, *feſtum diem celebrans.* Et teſtatur Athenæus, lib. 14. ex Beroſo & Cteſia, Babylonios ſingulare & ordinarium feſtum habuiſſe, quod quotannis, non tamen ſine Baccho & Venere, celebrabant. Verba Athenæi ſic habent: *Beroſus lib.* 1. *Babylonicorum, ſcripſit, die* 16. *menſis Loi* (qui noſtro Auguſto reſpondet) *per quinque dies Babylone feſtum celebrari,* Σακέαν *nominatum, in quo Domini imperium à famulis ferre ſolebant, & ſervi unum ex eis præficere ſolebant domui, induentes ipſi ſtolam Regiæ ſimilem. Hunc ſervum appellatum* ζωγάνην (Chaldaicam id habet originem: סגן enim *præfectus* eſt in ea lingua.) Nullum autem dubium, Cyrum tempore hujus feſti Babylonem expugnâſſe. Scribit enim Herodotus lib. 1. p. 89. edit. Baſil. tempore occupationis per Cyrum in Babylone feſtum fuiſſe, quocum convenit & Xenophon lib. 7. Hujus feſti & Scriptura meminit Eſa. 21. ℣ſ. 5. Jerem. 51. ℣ſ. 39: 57. Myſticè igitur voce ששך (uti dictum) notare voluit Propheta tempus expugnandæ Babylonis quando ſcilicet feſtum Sacea celebratura ſit. Num verò cum ſympoſio Belſazaris, cujus Dan. 5. fit mentio, commune quid habeat hoc feſtum? de hoc videatur D. Johan. Behm, in Chronologicà manuductione pag. 230. ubi negativam ſtatuit. Scalig. lib. 6. de emend. temp. pag. 276. *Scheſchach* nomen Deæ Jer. 51. ℣ſ. 41. eſſe ſtatuit, & Cabbaliſtarum iſtud rejicit, qui Seſach Babylonem eſſe, per *Athas* literarum permutationem, ineptiunt: quâ de Cabbala lib. 2. Philolog. ſacr. ailquid dictum. Johan. Seldenus ſyntag. 2. de Diis Syris cap. 12. *Seſach Numen eſt apud Jeremiam, cap.* 25. *v* 26. *cap.* 51. *v.* 41. *ab eo* (*ſic volunt viri doctiſſimi*) *Sacea feſtum Babyloniorum, dicta &c.* Vide in eruditiſſimo hoc libro plura, quæ huc pertinent.

Ezechiel. 23: 4. *Jeruſalem* vocatur à DEO אָהֳלִיבָה *Oholiba*, hoc eſt, *tabernaculum meum in illâ*, ut oſtendat, Judæos apud ſe templum DEI, Sacerdotium, regnum, atque adeò ipſam Majeſtatem DEI apud ſe præſentem habuiſſe Vide 2 Paral. 13. ℣ſ. 5. ſeqq.

Ibidem *regnum Iſraelis* vocatur אָהֳלָה *Ohola*, h. e. *tabernaculum ſuum*, ut oſtendat, Iſraelis inde à tempore diſceſſionis non ampliùs adhæſiſſe templo DEI & Domui Davidis, ſed tentorium ſuum fixum habuiſſe ſeorſim, 2 Reg. 12: ℣ſ. 16.

a Beth-aven. Hoſ. 4. ℣ſ. 15. cap. 10. ℣ſ. 5. *Beth-aven* vocatur (& ſimpliciter *Aven*, cap. 10. ℣ſ. 8.) quæ aliàs *Bethel* eſt, quo in oppido Jeroboam inſtituerat idololatriam, 1 Reg. 12. ℣ſ. 29. Dicitur autem à Propheta *Bethaven*, hoc eſt, *domus vanitatis* pro *Bethel*, quod eſt *domus Dei*, Geneſ. 28. ℣ſ. 19. &c. Amos 5. verſ. 5. denominationis propheticæ quaſi ratio datur, ubi (אָוֶן appellativè accepto) ſic legitur, *Bethel erit* לְאָוֶן *in vanitatem*, h. e. redigetur in nihilum. D. Brentius *Bethaven* ab idolatriâ dici, aſtruit, & ſimul ad idolomaniam Papalem pulchram facit alluſionem, his verbis: *Quia Bethel domus DEI interpretatur, & monaſteria in Papiſtico regno communi vocabulo domus DEI appellata ſunt; convenientiſſimè feceris, ſi nomine Bethel monaſteria Papiſtica intelligas. Ut enim in Bethel cultus divinus, exemplo quidem patrum, ſed circa verbum & fidem patrum, inſtitutus erat: Unde pro Bethel, hoc eſt, domo DEI, nonnunquam à Prophetis vocatur Beth-Aven, quod eſt domus iniquitatis ſeu idoli; quæ in vernacula gentis noſtræ linguâ, jucundiorem alluſionem habent, ut pro* Gotteshaus/ *dicamus,* Götzenhaus. *Ita ordines monaſtici exemplo quidem priſcorum eremitarum, ſed citra illorum fidem & pietatem, inſtituti ſunt, unde rectè monaſteria pro Bethel vocaveris Bethaven. Et quæ ſupplicia ipſi Bethel Scriptura ſacra minatur, hæc eadem monaſteria ſibi prædicta eſſe ſciant. Gilgal autem* (pergit Brentius) *ſi ad noſtram linguam traduxeris, primùm quidem ſignificat amotionem, ut eſt Joſ.* 5. *ſed in derivativo ſignificat, cranium, teſtam capitis ſeu calvariam. Quod igitur Judæis erat cultus in Gilgal; hoc idem ſub Papiſtico regno fuerunt peregrinationes ad crania & calvarias Sanctorum: ut rectiſſimè has peregrinationes cultum Gilgal vocaveris.* Hæc ille, comment. in Amos 4. pag. 1120. Obſerva autem (1.) אָוֶן etiam pro civitate Ægypti, quæ *On* Geneſ. 41. ℣ſ. 45. ſive *Onium* à Ptolomæo dicitur (interpretes *Heliopolin* reddunt) accipi, Ezech 30: 17. אָוֶן enim & אוֹן parùm diſtant, ut nomen in ſtatu integro & conſtructo poſitum. (2.) *Beth-aven* eſſe etiam nomen civitatis à *Bethele* diſtinctæ, Joſ. 7. ℣ſ. 2. cap. 18. ℣ſ. 12: 1 Sam. 13. verſ. 5. Hoſ. 5. ℣ſ. 8.

## Obſervatio XIV.

*Perſonis jam antè nomina ſua habentibus, alia quandoque leguntur ſuperimpoſita fuiſſe nomina vel cognomina, ob certam rationem, in textibus Scripturæ ut plurimùm expoſitam.*

OBſerva in his, 1. *vel* prius nomen tolli, & aliud ſubſtitui: *vel* priori novum cognomen ſuperaddi. 2. Impoſitionem hanc iteratam fieri, vel *à Deo ipſo*; vel *à Prophetis & aliis piis*; vel demum *à Regibus infidelibus*. De quibus ordine.

1. A

### 1. A Deo ipso nomina mutata vel superaddita.

a ABRAMI nomen in *Abraham* mutatum à DEO legitur, Gen 17. ℣ſ. 5. de cujus etymologiâ vide ſuprà obſerv. 2. Münſterus in Geneſ. 27. *Hoc nomen eſt compoſitum ex* אברם *&* המון *fueratque dicendum Abrahamon, verùm ad tollendum cacophoniam ſuſtolluntur quædam literæ &c.* Si conferamus Rom. 4. ℣ſ. 11, 12, 16, 17. clarè patebit, idcircò mutatum à Deo eſſe nomen *Abram* in *Abraham*, ut omnes homines, hoc nomine audito, admonerentur, venturum ex Abrahami poſteritate Chriſtum, in quem, quicunque crediderit, ſive ſit Judæus, ſive Ethnicus, ſive Rex, ſive ſervus, ſive mas, ſive mulier, ſalutem conſequatur: quæ verba D. Brentii ſunt in comment. Gen. 17. p. 158.

SARAI (uxoris Abrahami) nomen, in *Sara* mutatum, ibid. ℣ſ. 15. additâ nimirum eadem literâ ה, quæ nomini Abrahami acceſſit, ut idem eſſet utrobique earundem promiſſionum ſymbolum. Hieron. quæſt. Hebr in Geneſ. tom. 4. f. 95. *Cauſa nominis ita immutati hæc eſt, quòd anteà dicebatur, princeps mea, unius tantùm domus materfamiliâs: poſteà verò dicitur abſolutè princeps, id eſt, ἄρχουσα. Sequitur enim: dabo tibi ex eâ filium, & benedicam ei, & erit in gentes, & reges populorum erunt ex ea.* Brentius in comment. Gen. 17. p. 161. *Sarai ſignificat, Domini ſeu Principes mei. Exiſtimo autem hoc nomen initiò impoſitum eſſe Saræ ab eventu. Fortaſſis enim, poſtquam edita eſt Sara in lucem, convenerunt ad parentes ejus amici & vicini, congratulatum de nativitate filiæ. Parentes igitur ejus, delectati hoc amicorum officio, impoſuerunt in honorem amicorum filiæ ſuæ nomen Sarai, quod ſignificat, Principes ſeu Domini mei, teſtificantes hoc nomine, ſe agnoſcere amicos & vicinos pro Dominis, & gratioſis principibus ſuis, atque hoc congratulationis officium ſibi gratiſſimum eſſe. Nunc autem Deus mutat nomen ejus in Sara, quod ſimpliciter ſignificat Dominam ſeu Principiſſam,* eine gnädige Fraw. *Quo nomine Deus vult ſignificare, non Agar ancillam, ſeu Saram Dominam electam eſſe in eam principem mulierem, ex qua deſcenderet benedictum ſemen Abrahæ, qui eſt Dominus noſter JESUS CHRISTUS.*

b JACOBO ſuperadditum *Iſraelis* nomen legitur Gen. 32: 28. quod nomen compoſitum eſt ex שָׂרָה *principem eſſe, inſtar principis ſe gerere*, & אֵל *DEUS fortis*. Ratio transnominationis in ipſo textu additur: Quia שָׂרִיתָ *ut principem te geſſiſti* (pugnando) *cum DEO, & cum hominibus, prævaluiſti*, q. d. non cum Labane tantum & adverſariis tuis, ſed & cum ipſo Deo jam fuiſti luctatus, & fide fortiter viciſti: quare & inpoſterum eſto de ſpirituali fortitudine (quam à me conſecutus es) contra omnes hoſtes certiſſimus. Hieronym. in Eſa. 44. *Propriè juxta Hebræos & literarum fidem Iſrael rectus DEI dicitur: Vir autem videns DEUM, non in elementis, ſed in ſono vocis eſt. Prius* quod attinet, nomen deducit a יָשָׁר *rectus* (unde יְשֻׁרוּן quod Iſraelis populo tribuitur. Deut. 32: ℣ſ. 15. cap. 33: 5, 26.) ſed in Hebræa Iſraelis voce punctum non in dextro, ſed ſiniſtro literæ שׂ cornu eſt, ut ſit à שָׂרָה: quæ res expreſſiſſimè in textu ponitur. *Poſterius* quod attinet, reſpicit ad ſonum *Is*, quod cum Hebræo אִישׁ ferè convenit; cui רָאָה *vidit*, videtur addi, ut cum אֵל ſit, *vir videns DEUM.* Rectè igitur dicit, *in elementis literarum hoc non eſſe*, ibi enim יִשְׂרָאֵל eſt ſine א ab initio. Hanc autem originationem (*vir videns DEUM*) Philoni Nazianzeno, Hilario & Proſpero adſcribunt. Habet autem eam ferè Auguſtinus quoque lib. 16. de Civ. Dei cap. 39. *Interpretatur autem Iſrael videns DEUM, quod erit in fine præmium omnium ſanctorum.* Et Didymus lib. 2. de Spiritu Sanct. apud Hieron. tom. 9. f. 200. *Hoc ex Hebræo ſermone in lingua noſtra interpretatur Iſrael, id eſt, mens videns Dominum.*

c SALOMONI à DEO ſuperadditur nomen *Jedidjah*, 1 Sam. 12: 25. Ita enim habent verba: ℣ſ. 24. *Et Jehova dilexit eum.* ℣ſ. 25. *Et miſit* (Jehovah) *per manum Nathanis Prophetæ*, (hoc eſt, per Nathanem Prophetam) *vocavit* (etiam) *nomen ejus Jedidjah, propter Jehovam*, hoc eſt, ut bene Junius explicat, propter Chriſtum Jehovam, ὁμοούσιον καὶ συναΐδιον Patri & Spiritui ſancto: quo in Chriſto Schelomo & DEO gratus fuit, & typum exhibuit regni æterni ejus. יְדִידְיָה *autem dilectus Domino* eſt à יָדִיד *dilectus*, & יָהּ quod nomen Dei eſt.

SIMONI filio Jonæ ſuperinditur à Chriſto nomen *Cephas*, vel *Petrus*, Joh. 1: 42, 43. Matth. 16: ℣ſſ. 16, 17, 18. In qua nominis mutatione multum momenti ponunt Papiſtæ ad demonſtrationem dogmatis de Romani Pontificis primatu. Bellarminus lib. 1. de R P. cap. 17. inter *viginti octo* prærogativas Petri (quas pro ſtabiliendo *primatu Papæ Eccleſiaſtico* facere putat) primo loco hanc nominis mutationem ponit. *Joh 1.* (inquit) *ait Dominus Petro, Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas.* Ubi obſervari jubet ex Chryſoſtomo in h. l. *DEUM nunquam imponere nomina, niſi maximis de cauſis, & ad ſignificanda privilegia conceſſa eis, quibus nomina mutantur, uti exemplo Abrahami conſtat.* Reſp. (1.) Omnis cau-

a Abraham.

b Iſrael.

c Jedidjah.

d De nomine Cephæ ſeu Petri à Chriſto impoſitô Simoni.

sa à Christo nomen *Cephæ* seu *Petri* fuisse Simoni impositum, concedimus; etiamque privilegii cujusdam præ aliis hominibus causâ, quod rectè Chrysostomus observavit. Imponendo enim hoc nomen, de futuro ejus ministerio vaticinatus est, ut paulò post dicetur: sed prærogativam talem, qualem sibi Bellarminus fingit, ex hac nominis impositione extrahere nunquam poterit. (2.) Omen autem nominis *Cephæ* (*petram* significantis) sive *Petri*, duplex est. *Prius* παθητικόν, quia inter varias Satanæ insidias ac tentationes firmâ fide, veræ petræ salutis, Christo Jesu adhæsurus, & super illa, ut lapis vivus, superædificandus erat, quæ ratio exponitur ab ipsomet Christo, Luc. 22: 31, 32. *Posterius* ἐνεργητικόν, quia ipse ministerio & confessione suâ plurimos super Christo verâ petrâ, ejus virtute, ædificaturus erat; quod ipse exponit 1 Epist. 2: 5. quò etiam respicit Christus Matth 16: 18. (3.) Non est facta totalis nominis *mutatio* (ut Bellarm. vult) sed tantùm *cognominis impositio*: quod patet tùm ex Actor. 10: 5, 32. *accerse Simonem*, ὃς ἐπικαλεῖται, *qui cognominatur Petrus*: tùm ex eo, quòd Petrus à seipso, & ab aliis post illud tempus, *Simeon & Simon* appellatur, Actor. 15: 14. 2 Petr. 1: 1. & ab ipso etiam Christo, Matth. 16: 17. Luc. 22: 31. Joh. 21: 15, 16, 17. &c. *Si ea nominis hujus prærogativa est, quam Papales prædicant, procul dubio Spiritus Sanctus, nec Johann. 21. ubi summam potestatem in Petrum collatam esse ajunt, nec Actor. 15. ubi Petrus, ex sententiâ eorundem, eam supremam potestatem exercuit, ejus tàm insignem titulum omisisset*: quæ feré verba doctissimi Th. Mortoni sunt, in apol. Cath. p. 2. p. 386. (4.) Non soli Petro hæc ἐπίκλησις contigit, sed & aliis Apostolis; uti de *Johanne & Jacobo* filiis Zebedæi patet, quos Christus *Boanerges* vocavit, Marc. 3: 17. h. e. *filios tonitrui*: & quidem eodem verbo ἐπέθηκε usus, quod in agnominatione Simonis Euangelista adhibuerat. Excipit Bellarm. *hoc fuisse potiùs cognomen, quam proprium nomen*. Resp. Verum hoc, sed idem de nomine etiam Petri demonstratum est. instat: *nusquam posteà ab Euangelistis vocari Boanerges, sed tantùm Jacobum & Johannem: At Petrum deinceps ferè semper vocari Petrum*. Resp. Hoc posterius esse falsum, adducta superiùs exempla testantur. Etsi autem expressè illi duo *Boanerges* in Scripturis non vocantur, certum tamen est, cognominatos ita à Christo fuisse; nec dubium, quin & ita appellati in collegio Apostolorum crebrò fuerint; éccur enim aliàs hoc cognomen Salvator iis imposuisset? Quod autem in sacris literis ita non expressè vocantur in causa est, quòd cognomen hoc amborum fuit, non unius, ab altero fratre vel ab aliis hoc cognomine discriminandi. Simon autem hoc *Petri* cognomine vocandus fuit, ad differentiam *Simeonis* alterius, qui *Kananites* vocatur. (5.) Quid verò præterea Bellarm. de prærogativa nominis Cephæ seu Petri? Observari jubet, *Cepham non solum petram significare Syriacè, sed & caput Græcè*; (de inepta hac originatione superius observ. 5.) *Et unum esse ex celeberrimis Christi nominibus, qui crebro Petra in Scripturis vocatur. Christum ergò cum solo Petro suum ipsius nomen (quo ipse ut fundamentum & caput Ecclesiæ universæ significatur) communicantem nihil indicare aliud, quàm se facere Petrum fundamentum & caput Ecclesiæ*. Resp. Imò indicare voluit Christus aliud, id nimirum, quod membro secundo dictum. *Denominativa* vox est *Cepha*, cùm cognomen Simonis facta est, non *primigenia*. Christus est petra vera & fundamentum Ecclesiæ unicum. Petrus non est illa petra, sed ab ea denominatur; quia scil. super petram illam & ipse ædificatus est, (sicut & omnes credentes Christo superædificati, dicuntur *vivi lapides* Syr. כאפא חיתא 1. Petr. 2: 5.) & alios suo ministerio ædificavit (6.) [a] Coronidis loco notentur verba Bened. Ariæ Montani, quæ in libro Josephi, sive de arcano sermone p. 112. leguntur, super locum Matth. 16. & sic habent: *Petram etiam firmissimam, illam Christi notitiam exponimus, quam habent ii qui divini Spiritus virtute illustrati sunt, super quam ædificatur Ecclesia Christi, firmissimam, cujusmodi notitia quia Simon auctus fuit, Petrus à Christo est appellatus*. Hæc ille, in d. lib. qui operi Biblico, Hispanorum Regis sumtibus edito, insertus est; quique hoc collegii censorum elogium sub calcem, annexum habet, *quòd non solùm utilis omnibus studiosis sacræ Scripturæ sit, verùm & pernecessarius*. Adjungantur etiam [b] Erasmi, Pontificii eruditissimi, verba in annot. Matth. 16. *Petrus Græcis saxum significat*, πέτρος: *quemadmodum & Cephas, Syro sermone, ut testis est Hieronymus, non Hebraico, soliditatem sonat. Saxum enim illum appellat, quòd solidus sit in confessione fidei, & non vulgarium opinionum levitate huc & illuc vacillet: & super illam petram, h. e. solidam istam fidei professionem extruam Ecclesiam meam, in quo fundamento si constiterit, nec inferi quicquam adversus illam poterunt, nedum homines. In eam sententiam Theophyl. & Chrysost. quem citat catena aurea. Etiamsi Divus Augustin. in homilia hujus loci, hec verba, super hanc petram, ipsi accommodat Christo, non Petro &c.* Paulò post addit: *Proinde miror esse, qui locum hunc detorqueant ad Romanum Pontificem*,

[a] Ariæ Montani verba.
[b] Erasmi.

*ficem, in quem haud dubiè competit inprimis, velut in Christianæ fidei principem. At non in hunc unum, sed in omnes Christianos, quod eleganter indicat Origenes homiliâ primâ, harum quas habemus. Verùm sunt, quibus nihil satis est, nisi quod sit immodicum.* Hæc ille, ad cujus ultima verba marginalis nota ita habet: *Ecclesia non est fundata super Petrum.* Sed sufficiant hæc de impositione nominis Petri.

[a] JACOBO & JOHANNI filiis Zebedæi à Christo superadditur nomen Βοανεργές, hoc est, *filii tonitrui*, Marc. 3. ℣ſ. 17. Quo de nomine lubet adscribere verba Heinsii in Aristarcho sacro, seu exercit. sacris super Nonni paraphrasin in Johannem, pag. 277. שְׁכִינָה hoc est, *præsentia divinæ majestatis Spritusque illius (ut Hebræi vocant) voce* רעם *seu tonitru notatur*, Psalm. 81: 8. *In secreto tonitrui audivi te*; ubi διὰ βροντῆς ἀποκρύφε, *Symmachus habebat. Chaldæus illud*, בְּסֵתֶר רַעַם *sic vertit*, בַּאֲתַר טְמִיר בֵּית שְׁכִנְתִּי *in loco abscondito majestatis meæ. Quod ut plurimum cum tonitru divinæ majestatis placita & sacra exponebat Deus, quemadmodum & legem tulit*, Exod. 19. ℣ſ. 19. *Unde & tonitru non rarò* קוֹל *vox, nonnunquam vox Domini*, Psalm. 29. *& si Dei vox accedat*, בַּת קוֹל *dicitur. Quæ probetiæ species Hebræis erat, quia cum tonitru plerumque de futuris monebantur*, Confer Joh. 12: 28. Apoc. 4. ℣ſ. 5. cap. 6: 1. cap. 10: 3. *Ex quibus patet, duos venerabiles legatos* קוֹלוֹ *vocis ejus, ac divinæ majestatis*, Βοανεργεῖς, hoc est, בְּנֵי־רַעְמָא *ut rectè Syrus, nuncupari.* Hæc ille. In Græca voce primæ syllabæ, βοανε, sunt pro βανε, *filii*, (quod nunc sonat βενε: olim autem βανε, & ab aliis βονε legebatur, unde ex utroque factum βοανε.) Ultima autem syllaba, ργές est רעם ut ע instar γ pronuncietur, & ultima litera in σ uti fieri solet, mutata.

## 2. A Prophetis & aliis piis mutata nomina.

Fit hoc vel *in bonum*, vel *in malum ac pœnam.*

In BONUM. *BENONI* vocatur à matre filius Jacobi, Gen. 35: 18. hoc est, *filius doloris mei*; cujus impositionis causa in ipso textu est. Sed à patre mutato nomine appellatur *Benjamin*, hoc est, *filius dextræ*, q. d. æquè charus & dilectus, ut homini est dextra: vel filius, quem semper ad dextram habiturus sum, nec passurus à me amoveri. Brentius aliter: *Mutat* (inquit) *pater nomen Benoni in Benjamin, quod significat filium dextræ, hoc est, felicitatis: videl. ut hoc nomine admoneatur, uxorem Rahel, magno quidem dolore excessisse ex hac vitâ, sed nunc felicem ac beatam esse.* [b] Quid si ad Messiam cujus typus is fuit, oculis fidei Jacobi fuisset intentus? Est Christus Salvator *Benoni* in sua passione & morte, Esai. 53: 3, 4. Est *Benjamin* in sua ad cœlos ascensione & ad dextram Patris sessione, Psalm. 110: 1. Expende verba, quibus tribui *Benjamin* benedicit Moses Deut. 33: 12. quæ ex Hebræo conversa propriissimè sic habent: *Ad Benjamin dixit: Dilectus Domini habitabit ad securitatem super ipso: obtegens super eum omnibus diebus; & inter humeros ejus habitans.* Quis ille יְדִיד יְהוָה *dilectus Domini?* Christus Esai. 5: 1. cap. 42: 1. quem ℣ſ. 16. *habitatorem rubi* Moses vocat, quia scil: in rubo ei apparuerat, Exod. 3: 2. Quomodo is יִשְׁכֹּן *habitabit ad securitatem?* Joh. 1. ℣ſ. 14. *Verbum caro factum est*, καὶ ἐσκήνωσεν, *& habitabit in nobis &c.* Græca vox verè ab Hebræa deducta cernitur. *Ad securitatem* hoc fit, seu quietis, pacis & securitatis ab hostibus causâ, Jer. 23: 6, 7. Habitabit autem עָלָיו *super ipso*, scil. Benjamine, de quo loquitur. Ergo alius qui habitare dicitur; alius, super quo habitat. Cur autem Christus *in Benjamine* habitare dicitur? Esa. 2: 3. *Zione prodit doctrina & verbum Jehovæ ex Jerusalem.* Hæc civitas ad tribum Benjamin bona ex parte pertinuit, Jos. 18: 26. Jud. 1: 21. in Jerusalem opus redemtionis à Christo peractum &c.

*b Benjamin cœlestis Christus.*

*a Boanerges.*

HOSEÆ filio Nun, nomen à Mose mutatum in *Jehoschua* Num. 13: 16. Primum nomen, si appellativè sumatur, est imperativus Hiphil, הוֹשַׁע *serva*: quæ est vox pro salute Deo supplicans. Alterum verò nomen futuri significationem vi literæ Jod habet, יְהוֹשֻׁעַ *servabit*; & simul præteriti passivi, vi literæ Vau Schurec, *servatus*: quasi certissimam Dei per Josuam salvationem populi, & introductionem in terram Canaan, voluisset Moses hac mutatione significare. Vide & infra observ. 21

GIDEONI cognomen additum JERUBBAAL, Jud. 6: 32. hoc est, *contendet Baal*, ob confractionem Baalis, & patris Joas sermonem, ut in textu est, v. 29, 31.

SALOMONI à blanda matre additum esse nomen, *Lemuel*, Prov. 31: 1. quidam dicunt: formatum videl. per aphæresin primæ literæ, de nomine *Salomonis*; & paragogen nominis *El*, quod *Deus fortis*: ut *Lemuel* significet *eum, qui Dei fortis est.* Non dubium est (inquit Jun.) quin auditis promissionibus Dei, Salomoni puero, hoc nomine facto mater gratulata sit, eumque informârit in futura administratione regni. Rab. Salomo in comment. Eccl. 1: 1. putat, Salomonem etiam vocari *Agur filium Jake*, Proverb. 30: 1. שֶׁאָגַר כָּל־הַחָכְמָה וְהֵקִיאָה

quia

*quia collegit omnem sapientiam, & evomuit iterum illam.* Quò refert, quod קֹהֶלֶת vocatur, *à congregando.* Sed satius est pro peculiari alius
a Danielis & sociorum mutata nomina. personæ nomine illud recipere. Nec etiam *vomendi* significatio rei ipsi, sapientiæ scil. productioni & inculcationi, apte convenit.

In MALUM & pœnam. PASCHUR pseudoprophetæ, â Jeremia mutatur nomen in *Magor missabib*, Jerem. 20:3, 10. hoc est, *formido circumquaque.* Cujus mutationis analogiam congruè ostendit Lutherus in gloss. marg. Pazhur kömpt her von Pasz / das heist breit / und Hur weiß. Magur heist Furcht. So verkehret nun Jeremias deme seinen Namen / als solt er sagen: Du solt nicht so groß / breit und weiß hergehen / wie dein Name laut / sondern Furcht und Schrecken sol umb und umb dich her seyn / daß es enge und schwartz gnug umb dich sey. Ubi notandum, quod de significatione Hebrææ vocis פָּשׁ dicit in eo respicere ipsum ad radicem פּוּשׁ quæ, *abundare multiplicari* notat: quandoque etiam *diffundere se, dispergi*, Nah. 3: 18. Vel etiam פָּשַׁר quod *expandendi seu diffundendi* significatum obtinet.

b Belteschazar. Huc posse referri videtur nomen *Schemaia* patronymicum, quod *Nechelamæus* vocatur Jer. 29: 24. *Hanc vocem* (inquit Junius) *patronymicam esse demonstrat terminatio: sed utrum à*
c Sadrach. *Patre, an verò à Patria ducatur, incertum est. Nos suspicamur, hic inesse paronomasiam, & Schemajam fuisse Nachamæum, à Nachâmo progenitore; cujus mentio est* 1 Chron. 4: 19. *Allusisse verò Jeremiam per epenthesin unius literæ; ut perstringeret illius studium ergà pseudoprophetarum somnia.* חָלַם *somniare* significat. Scindl. col. 583. *Et ad Samaiam* נְחֶלָמִי *somniatorem dices. Qui ipsis somniabat somnia, quod citò essent reditu-*
d Mesach. *ri in Jerusalem.* Targ. דְּמִן חֵלֶם *qui est ex Halem. Accepit pro gentili.*

## 3. A Regibus infidelibus mutata nomina.

Soliti fuêre barbari mutare iis nomina, quos peculiari ratione suo addixêre vel obsequio vel servitio, quod non sine omine & certâ significatione factum. Annotat hoc Drusius lib. 12. obs. cap. 3.

JOSEPHO Pharao Rex Ægypti nomen mutat, vocans ipsum *Zophnat-paaneach*, Gen. 41:45. quæ vox Ægyptiaca est: Chaldæus vertit, גַּבְרָא דִּטְמִירָן גַּלְיָן לֵיהּ *vir, cui secreta revelantur*, ut cum צפן Hebræo (*abscondit, recondidit*) cognationem habeat. Josephus: κρυπτῶν εὑρετὴν transfert. Theod. τῶν ἀποῤῥήτων ἑρμηνευτήν. Lutherus. Der heimliche Rath. Vulgata alienè: *Salvatorem mundi.*

a DANIELI & tribus sociis nomina mutata leguntur, jussu Regis Babylonici, Dan. 1:7. quia sc. hujus servitio destinati, & addicti fuerant. Junius id ideò à Tyrannis factum esse dicit, *tùm ut dissimularent nomina captivorum extera, & exosarum gentium; tum ut abductos à Dei sui & populi recordatione, Diis suis & sibi, quantum in ipsis erat, administros suos obstringerent, ut ostenditur* Dan. 4: 5. Ipsa nomina quod attinet, *Daniel* significat Dei judicium, seu, in quo judicium exercet Deus: *Chanania*, Dei gratiam, seu cui gratificatus est Jehova: *Misael*, eum, qui est Dei fortis: *Azaria*, adjumentum Jehovæ, seu cui Jehova adjutor est. Pro his à Tyranno substituta sunt alia, *ex nominibus Deorum Babyloniorum* deducta, tùm ob causas dictas, tùm etiam, ut nominum divinorum אֵל & יָהּ quæ in nominibus eorum propriis extant, omnem memoriam obliteraret, & in nominibus innovatis trophæa quædam suorum Deorum statueret. 1. b *Daniel* vocatur בֵּלְטְשַׁאצַּר *Belteschazar*, hoc est *Beli recondens thesaurum*, seu, Sacerdos mysteriorum Beli, (à quo Deo vocatum fuisse ex cap. 4: 5. patet.) בֵּל nomen idoli est, Es. 46: 1. (quem *Jovem* fuisse volunt, de quo Plin. lib. 6. nat. hist. cap. 26.) שְׁאָה *recondere* est: אֹצָר *thesaurus*. 2. c *Chanania* vocatur שַׁדְרַךְ hoc est, *commotio vel afflatus Regis*, (nimirum *Solis*, qui Deus & Rex apud Chaldæos habebatur. Confer 2 Reg. 23: ỳs. 11.) שְׁדָא *commovere* est, vel *effundere* רַךְ Babyloniis *Regem* significat. Unde Onkelos Chaldæus vertit illud אַבְרֵךְ Gen. 41: 43. רַךְ אַבָּא לְמַלְכָּא *hic pater in Regem* scil. positus est. Ubi R. Salomo notat: רַךְ בִּלְשׁוֹן אֲרַמִּי מֶלֶךְ *Rach in lingua Syrochaldæa Rex est.* 3. d *Misael* vocatur מֵישַׁךְ, cujus etymon non ita planum est. Junius vertit, qui deæ festivæ est, מִיא *qui est*, שַׁ vel שְׁכַא ex verbo Chaldaico *Schejach*, quod est *manere stare.* Schacha autem esse ait *terram*, quam Babylonii nomine Schacæ, perinde ut Latini etiam *Telluris* vel *Opis* nomine coluerunt. Ita dicitur, quia omnium viventium *sedes stabilis* est, & domicilium. Et ita appellatur à Beroso lib. 1. Babyloniacorum, & Ctesia l. 2. Persicãn apud Athenæum lib. 14. Deipnosophistarum, cùm narrant, *die 16. mensis Loii fuisse festum Sacæas, id est, Deæ Sacæ, Babylone, & dierum quinque spacio celebrari solitum: per quod tempus Domini imperium ferunt famulorum, & eorum unus familiæ præesse solet, indutus veste Regiæ persimili, qui vocatur Soganem, Hebræi appellant Sagan.* Atque hinc *Scheschach*, Jer. 25: 26.

26. c. 51: 41. quo significabatur ænigmaticῶs *Babylon* festum Sacææ celebratura, cùm à Cyro oppressa est. 4. [a] *Azaria* vocatur עֲבֵד נְגוֹ hoc est, *servus Negonis*. Quo nomine *ignis* à Babyloniis vocabatur, à נָגַהּ *splendere*, *lucere*: Illique divinitatem fuisse tributam à Chaldæis, Herodotus in Clio docet, ubi & reliquorum, de quibus dictum, Deorum mentionem facit. Hæc Junius lect: in Dan. 1. tom. 1. oper. col. 1162. seq.

ESTERÆ fuisse impositum nomen *Hadassa*, cap. 2: 7. cùm Rex Ahasuerus eam uxorem duceret, auguratur Drusius: videri enim esse vocabulum Persicum, cùm simile habeatur in Persis nomen, *Atossa*. Ambigens tamen hoc ponit, cùm & Chaldaicùm esse possit (nec id mirum in puella in Babylonia educata) idem significans in linguâ Græca, ac μυῤῥίνη, hoc est, *myrthyna*: nam הֲדַס *myrtus &c.* Alia exempla videantur 2 Reg. 23: 34. c. 24: 17.

*Eodem mysterio* (inquit Flac. part. 2 Cl. col. 226.) *Pontifex etiam Romanus assumit nomen novum, ut jam peculiaris sit minister Dei sui. &c.*

[b] Huc demum reponere placet, quæ Buxtorffius Jun. in præfatione super Concordantias Hebræas denuò editas, fol. 3. scribit: Moris est inter Judæos, ut gravi ac diuturno morbo laborantes, in summo ejus incremento, nomen quod priùs habebant, mutent, novumque adsciscant, quod deinde per totam vitam retinent. Quo facto, statuunt mutationem simul morbi, vel ad vitam vel ad mortem fieri. Recensetur ab illis hæc mutatio nominis inter signa pœnitentiæ, quâ talis vult testari ac vocare, se unà cum nomine vitam & actiones suas in melius commutaturum, ita ut planè alius ac novus homo videatur. In tractatu Thalmud. ראש השנה Rosch haschana fol. 16. col. 1. *Dixit R. Isaac, quatuor res rescindunt sententiam judicialem hominis, videlicet Eleemosyna, Vociferatio, Mutatio nominis, & Mutatio operum. Eleemosyna, sicut scriptum est: Et Eleemosyna liberat à morte. Vociferatio, sicut scriptum est: Et vociferati sunt ad Dominum in oppressione sua, & ex angustiis ipsorum eduxit eos. Mutatio nominis, sicut scriptum est: Sarai uxor tua, non vocabitur ampliùs nomen ejus Sarai, sed Sara erit nomen ejus. Et mox: & benedicam ei, quin etiam dabo tibi ex ea filium. Mutatio operum, sicut scriptum est: Et vidit Deus opera eorum. Item: Et pœnituit Deum super malo, quod locutus erat ad faciendum & non fecit. Quidam addunt etiam Mutationem loci, secundùm id, quod scriptum est: Et dixit Dominus ad Abram ito tibi ex terra tua. Et iterum: Et faciam te in gentem magnam.* Sic scribit Rambam in libro *Jad*, in Halachos rheschubha: *Ex ritibus pœnitentiæ est, ut pœnitentiam agens jugiter clamet ad Deum cum fletu & deprecationibus, ut pro facultate sua eleemosynas largiatur, ut elonget se procul à re illa, in qua peccavit, ut nomen suum mutet, quasi diceret, Ego non sum vir ille, qui istas actiones perpetravit; ut in melius mutet omnia sua opera, ac denique è loco suo migret, nam exilium expiat iniquitatem &c.* Addit Buxtorff. quod Scikhard. con iciat, *ex hac consuetudine Paulum, cùm ad fidem Christi conversus esset, occasionem fortè sumsisse, nomen suum immutandi, in veræ conversionis & pœnitentiæ signum.* Quod ad observ. 12. ferè circa finem, ubi de nomine hoc agitur, referendum.

[a] Abdenego.

[b] Ritus Judæorum quidam in mutatione nominis.

## Observatio XV.

*Locorum quorundam nomina mutata, & nova superinducta esse leguntur.*

GEn. 19: 23. *Bela* urbi inditur nomen *Zoar*. Confer c. 14: 2. Gen. 28: 19. *Luz* à Jacobo novo *Bethelis* nomine insignitur.

Num. 32: 37, 38. mutata quarundam civitatum nomina ab Israelitis terram promissam occupantibus fuisse, ex hoc loco patet.

Jud. 18: ℣s. 29. *Lais* urbs vocata postmodum *Dan*.

1 Reg. 9: 13. regioni viginti civitatum, quæ *Galilea* pars erat, quamque Salomon Hieramo Regi Tyriorum donavit, ad compensanda officia, quibus ab ipso fuerat adjutus, ab ipso Rege mutatur nomen, superindito alio, videl. *Cabul*. Josephus libr. 8. antiq. cap. 2. *Appellata fuit terra ista Chabulon, voce Phœnicum, quæ significat displicentiam, id quod displicet.* Sed hoc non probatur Fullero lib. 5. miscell. sacr. cap. 16. qui Rab. Salomonis interpretamentum præfert, [c] Cabul à כֶּבֶל *compes*, deducentis his verbis: ארץ כבול ארץ כבלים ארץ טיט שהרגל משתקעה ונכבלת בה hoc est, *terra Chabul, id est, terra compedum, seu terra luti, quia pes demergitur, & quasi compede constringitur in ea.* Sed in hoc à vulgata Rabbinorum sententia discedit, quòd hi terram uliginosam, squalidam & infrugiferam interpretantur; ipse verò tùm ex Gen. 49: 20. tùm ex Chorographis ostendit, fuisse terram illam cum finitima fertilem & cultam, abundantem pascuis, vineis, hortis, & pomariis. Unde igitur Regis Hirami displicentia? *Crediderim multò magis* (ait Fullerus) *homines Tyrios, delicatulos scil. mercatores, atque ea re Punicos antiquitùs cognominatos* (à פנק Chald. *delicatè habere*, unde Φοινίκων seu *Phœnicum* nomen, q. d. τρυφερὸς vel

[c] Terra Cabul.



vel

vel *dilicatos*: Confer Es. 23: 8, 16. Ezech. 28: 13.) *magnoperè respuisse ac naribus admodum corrugatis nauseâsse terram Cabul, terram, inquam, lutosam sive cænosam (boc est, densam & robustam) quamvis alioqui præpinguem & uberrimam, & planè sordidum & laboriosam nimis, suoque instituto prorsus contrariam. Hac ergò causa agri repudiati, & summam Salomonis magnificentiam sapientiamque decet, & Tyrii Regis populique mollibus ac solutis moribus consonat. Neque enim considerant Rabbini, regionem sterilem & incultam non fuisse domum hominis verè liberalis, nedum Regis, tantique præsertim Regis, sed omninò sordidum babendum, ac δῶρον (ut ajunt) ἄδωρον, Calabrique hospitis Xenia* &c. Josephum idem ait respexisse in etymo suo ad vocem קבל quæ *contra, adversus, è regione*, Syrorum seu Phœnicum idiomate, significat. Quod enim displicet, idem contrarium sit atque adversetur animis nostris necesse est. Et Josephum, cùm in vers. 12. legisset, καὶ ὐκ ἤρεσεν αὐτῷ, *& non placuerunt ei*, suspicatum fuisse, in ℣s. 13. sequenti positum proprium nomen, interpretationis suæ originem inde trahere, & ὐκ ἀρέσκον significare: sicut & aliàs nominis ratio præponitur, & nomen ipsum continuò subjungitur, Gen. 29: 33, 34, 35. &c. Hæc Fullerus. Matthesius in Sarepta conc. 1. f. 1. b. ad metallica & nomen *Cabul*, & rejectionem illius regionis, refert: König Salomo wolte den König von Tyro/ seinen Mitgewercken/ der ihm Gold/ Holtz und Stein/ zum Tempel zukommen ließ/ mit zwantzig Bergstätten wiederum verehren/ welche Jos. 19. genennet werden. Da sie aber Hiram besahe/ und beritte die Gänge/ als ein Bergverständiger Herr/ und funde ein griessig und koblichs Land/ wil er die Eysen- und Kupfferbergwerck nicht haben und belegen/ weil viel Unkosten drauff gehet/ und wenig Gewins und Uberlauff gibt. Darum spricht er zu Salomo: Josua hat dem Lande einen rechten Namen geben/ es heist wol Cabul, denn es ist unartiger und griesicher/ oder/ wie wir reden/ ein kiefriger und coblichter Boden/ ich wil lieber die Goldseyffen und streichende Gänge in Ophir und India belegen/ die lohnen der Mühe/ und geben reichen Uberschut und Ausbeute. Huc refert, quòd Jos. 19: 27. vallis יִפְתַּח־אֵל nominatur, quòd fodinam metallicam ibi Deus aperuerit. Confer etiam Deut. 33: 24. 25. ubi tribui Aser (in qua terra Cabul sita fuit) portio terræ metalliferæ tribuitur:

a De Jerusalem. a Hoc loco de nomine JURUSALEM differendum. Urbem eam primùm *Salem* fuisse vocatam, ex Gen. 14: 18. Hebr. 7: 1. patet. Deinde *Jebus* appellata fuit, ut apparet ex Jud. 19: 10. 1 Par. 11: 4, 5. (quidam addunt Jos. 18: 28. sed ibi *Jebus* nomen gentis esse videtur, cujus civitas ea fuit, dicitur enim הַיְבוּסִי) unde *Jebusæus* pro Jerosolymitano, à prisco illo nomine, accipitur Zach. 9: 7. uti & Chaldæus h. l. vertit. Tandem *Jerusalem* fuit dicta, quod nomen communiter in Scripturis retinuit (raró enim pristino vocatur nomine, *Salem*, Psal. 76: 3.) in Hebræo scribitur forma duali יְרוּשָׁלַיִם Jer. 26. 18. & aliis quatuor locis, quæ in Masora ad h. l. enumerantur: aliàs verò defectivè, sine Jod, semper scribitur יְרוּשָׁלַם. Quod *ideò* fieri Schindlerus ait, in Lex. col. 1878. *ne ex litera* ם *radicali fiat servilis*: יִם enim dualis numeri terminatione serviles habet literas, voci ipsi adjectas. Nomine *Dualem* formam habente partes civitatis duas, superiorem & inferiorem, notari volunt. Cabbalistæ ad *duplicem Jerusalem, cœlestem & terrenam* respici ajunt, atque terrenæ deletionem per deletionem literæ Jod significatam fuisse conjectant. De *priori* ratione ita Junius ad Jud. 1: 7. *Duplex erat civitas præter arcem (unde etiam nomen babet dualis forma) quarum altera in sorte Jebudæ erat, altera Benjaminis cum Jebuda communis, arx verò solius Benjaminis.* Vide etiam Tarnov. in Zephan. 1. p. 23. Cæterùm de etymo & originatione nominis variant sententiæ. (1.) Arias Montanus in lib. Canaan, seu de duodecim gentibus: cap. 8. sic loquitur: *Jebusæis maxima urbs Regia, quæ civitas fuit JEBUS à conditore Chanaan filio dicta, in montibus condita; eadem etiam Salem appellata, quam posteriora tempora ob editiorem situm JERUSALEM dixerunt, quòd altera ejusdem nominis apud Chananæos esset Salem.* Ex quibus verbis patet, nomen *Jerusalaim* ab ipso derivari à רוּם *editus seu altus fuit*, & שָׁלֵם nomine urbis pristino, ita ut ex רוּם ultima litera demta & Jod à fronte additum sit, ut in *Iizchak, Iaacob &c.* Quod de altera *Salem* attexitur, supra evolutum est, observ. 11. in fine. (2.) Pasor in lexico N. Test. etym. nom. prop. p. 70. ait, à Jebusitis incolis sic dictam fuisse, quasi יִרְאוּ שָׁלֵם hoc est, *timete Schalemum*, ut nomine ipso terrorem hostibus incutere voluerint. Quo cum convenit audacissima Jebusæorum civitatem tenentium, adversus Davidem oppugnantem, loquela & irrisio 2 Sam. 5: 6. q. d. milites nostri facilè vos propulsabunt, quia vel claudi & cœci in tanto propugnaculo facilè id præstare possent. Nomen ejusdem civitatis *Iebus* deducit idem

idem à בּוּס *pedibus proculcare*. q. d. tanto propugnaculo hostes facilè posterni & pessundari posse. (3.) Chytræus in Onomast. Theol. p. 381. *Iebus* civitatem expugnatam armis Davidis *Iebusalem*, (utroque nomine in unum conjuncto) & per antistœchon *Ierusalem* dictam esse tradit: ob etymi scil. jucunditatem, est enim *doctrina pacis*, si à ירה derivetur, (in Hiphil הוֹרָה *instituit*, vel *visio pacis*, si à ראה *vidit*. (4.) Simplicissimè dicitur, nomini pristino *Salem* (quæ vox boni ominis est, *pacem* significans) à Davide additum fuisse *Ieru*, (à רָאָה *vidit*) ex denominatione montis, ab Abrahamo facta Gen. 22: 14. יְהוָה יִרְאֶה *Iehova videbit*: ut ita eadem denominationis ratio montis *Morija* sit (de qua suprà obs. 10. §. 2.) & civitatis *Ierusalem*, monti illi ex parte superstructæ: unde utrumque nomen in proposito Salomonis de ædificando templo conjungitur 2 Paral. 3: 1. Ad illustrem illum typum Messiæ in Isaaco propositum, & ad ipsum antitypum, Messiam videl. benedictum, spiritu respexisse Davidem, dubitari non potest. Quod si ante Davidem fit nominis hujus mentio, Judic. 1: 8. &c. per prolepsin id intelligendum, ut suprà observ. 10. §. 2. Pulcherrimè igitur hoc nomine exprimitur, *tùm* Christi in carne manifestatio, ejusque in urbe Hierosolymorum peractum pro salute nostra λύτρον: *tùm* beatissima benificiorum λύτρου illius consummatio in vita æterna, quæ *visio pacis*, & intuitio beatifica Salvatoris JESU est: quâ de causa typus vitæ æternæ *Jerusalem* statuitur, Apoc. 21: 10. seqq. (5.) Tandem de nomine *Salem & Jerusalem* hæc apud Galatinum lib. 3. de arcan. C. V. cap. 9. leguntur, quæ eandem nominis originem, sed non eodem modo, tradunt: *In Midras Tillim super* Ps. 96. *ita legitur, super illud; Et fuit Salem tabernaculum ejus: Tu reperis domum sanctuarii vocatam fuisse Salem, sicut scriptum est* Gen. 14. *Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum: Et ipse Sacerdos Dei altissimi. Et ipse est Sem filius Noe. Et rursus* Gen. 9. *Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem. Habitavit enim Deus in tabernaculo ejus, in quo ministrabat ei. Ecce hic est Sem. Abraham autem vocavit domum sanctuarii* יראה *Jire, id est, videat vel videbit, sicut dictum est*, Gen. 22. cap. *Quod est, Dominus videat? Dixit Abraham, Domine, seculi, sit dies iste memorabilis coram te; habeo enim, quod possem tibi respondere. Heri enim vel nuper dixisti mihi, in Ishac vocabitur tibi semen*, Genes. 21. cap. *Et nunc dicit, accipe filium tuum!* Genes 22. *Cùm ergò filii mei ad hanc sententiam venerint, memorare obsecro eis diem hunc, & illumina super eos faciem tuam. Dixit Deus sanctus & benedictus, quomodo ergo vocabo ipsum locum? Si enim vocavero eum, sicut ille, qui dixit, Salem, delebo verba amici mei Abrahæ, qui illum* יראה *jire, h. e. videas vel videbit, vocavit. Si verò vocavero ipsum* יראה, *cassabo nomen justi. Quid ergò fecit Deus sanctus & benedictus? miscuit ea, quibus ambo locum illum vocaverunt, & ipsam Ierusalem vocavit*. Hucusque traditio.

## Nota.

Ex hac nominum, successu temporis facta, mutatione, deducunt etiam quidam ea, quæ sequuntur.

[a] HAZOR, חָצֹר, civitatem in tribu Naphthali, Jos. 19: 36. posteà deflexione quadam vocatam esse *Nazor*, (unde facilè, more Hebraico, fit *Nazareth*, quasi *civitas germinis* seu surculorum, Matth. 2: 23.) Jansenius & alii existimant, referente & approbante hanc sententiam D. Chemnitio cap. 14. Harm. Euang. Etsi Arias Montanus in lib. Caleb, seu de terræ promissæ partit. p. 8. & in tabula subjunctâ, *Nazareth* urbem tribui Zabulon; alteram, *Hazor*, ex Jos. 19: 36. tribui Naphthali adscribit. Cæterùm ad civitatem illam Nazareth, ὑπαινίξει quadam respexêre, & eam innuêre Prophetæ, quando Christum vocaverunt נֵצֶר *surculum*, Esa. 11: 1. Zach. 6: 12. unde Matth. cap. 2: 23. dicitur, *Christum ideò habitâsse in civitate Nazareth, ut impleretur, quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazarenus vocabitur*. Confer Jun. lib. 1. parall. 8.

[a] Nazareth.

[b] CINNERETH lacus, qui Num. 34. ℣s. 11. Deut. 3: 17. Jos. 19: 35. memoratur, eâdem ratione mutatum esse ajunt successu temporis in *GeNezar*, uti Josephus vocat; vel ut Euangelistæ, *Genezareth*, Matth. 14. ℣s. 34. Marc. 6: 53. Luc. 5: 1. quasi *vallem surculorum* dicas: גֵּיא enim *vallis* est, נֵצֶר *surculus*. Sed de nomine *Genezareth* aliis aliud placet. Arias Montanus in lib. Canaan. pag. 5. *A Citharæ fortassis formâ, quam refert, Chinereth mare dictum est. Exteris verò nationibus, quæ regionem posteà vel invaserunt, vel viserunt, mutatâ paulum voce, Genezareth appellabatur*. Drusius part. 2. N. T. p. 27. Hieronymi verba adducit: *Si sciremus, quid in nostra lingua resonaret Genezareth, intelligeremus, quomodo Iesus per typum Apostolorum & navis, Ecclesiam de persecutionum naufragio liberatam transducat ad littus, & in tranquillissimo portu faciat quiescere*. Et sic annota: Nempè *in horto principum*, quod significat *Genesar* גַּן *hortus*, שַׂר *princeps*, qui & סר. (Nota, in Græcis codicibus scribi γεννησαρέτ.) Liber nominum Hebr. *Genesar, ortus principium*.

[b] Genesareth.

*pium.* *Ortus* pro *hortus*, ut alibi *numerus* pro *humerus*; & *principium* pro *principum*, sicut *civitatium*, *penatium*, *apium*, *paludium*, *sapientium* antiquo genitivo dixerunt. Hæc Drusius. Lubet etiam Münsteri de hoc nomine adscribere verba in Deut. 3: 17. *Excitat hic Steuchus* (inquit) *magnam tragœdiam*, *sicut &* Num. 34. *quod corrupta sint nostra exemplaria Novi Testamenti*, *qui Genezareth habent pro Cinareth*, *cùm certum sit*, *Genezareth & Cinerethunum & eundem esse lacum &c.* *Si animadvertisset* Chald. *translationem facilè invenisset*, *tempore Christi lacum illum vulgari lingua* גינסר *Ginosar appellatum &c.* Conf. Schindl. in Lexico col. 877.

a Ophir. a OPHIR, cujus mentio fit 1 Reg. 9: 28. cap. 10: 11. & alibi, ex quo aurum numerosum Salomoni Regi allatum fuit, & ex quo aurum optimum nomen obtinuit, ut diceretur *aurum Ophir*, Job. 28: 16. Esai. 13: 12. id, inquam, hodiè est *Peru* (per quandam metathesin factâ nominis, successu temporis, mutatione, אופיר in פְּרוּ) ex qua aurum præstantissimum adferatur, Arias montanus in præfat. lib. Phaleg. seu de sedibus gentium, asserit. Ubi & addit, à *Peru* in duali esse פרוים, quæ vox 2 Paral. 3: 6. extat, ubi *auri Parvaym* fit mentio. Duas enim regiones *Peru* fuisse olim dictas, ex duali numero constare: Unam quidem, quæ eodem vocabulo, hodierno etiam die *Peru* dicitur; alteram verò, quæ *nova Hispania* à navigantibus est appellata. Ejus autem regionis aurum purissimum, atque in maximo precio apud omnes gentes fuisse. Hæc ille, quæ in dubio relinquimus, à viro doctissimo Hispano, in laudem gentis non incongruè posita. *Ophirum* Josephus *auream Chersonesum* interpretatur. Quidam, notante Guidone Fabricio, *Malucam* insulam esse ajunt. Per *Parvaym* autem *Chavilam* quidam intelligunt, ubi præstantissimum aurum fuisse, testatur Moses, Gen. 2: 11. Et in illa regione (sive *Characenorum* regno) *Parbaciam* oppidum fuisse, corrupto nomine dictum pro *Parvaym*, ex Plin. lib. 6. cap. 28. Junius tradit. De quibus rerum Geographicarum periti cogitent.

b Zarphath & Sepharad. b ZARPATH & SEPHARAD, quæ nomina locorum Obad. 1: 20. occurrunt, Rabbini ita interpretantur, quód (mutatione nominum factâ) *Zarphat* sit *Francia* & *Sepharad Hispania*. Unde Targum hoc posterius, unicâ literâ mutata, convertit, אשׁפמיא *Aspamia*. R. Kimchi in h. l. hoc expressè confirmat, & locum *de transportatione Judæorum à Tito Imperatore factâ* interpretatur, ubi & ex Cabbala tradit, *incolas Germaniæ* (quam *Alemanniam* & *Asclavoniam* seu *Sclavoniam* vocat) *ortu Cananæos esse*, *maledictos à Deo populos*. Benjamin Tudelensis in fine sui itinerarii eandem sententiam de Zarpath & Franciâ habet. Videatur etiam R. Elias in Thisbi, in explicatione hujus vocis. Quid? quòd etiam Ben. Arias in lib. Phaleg. p. 10. huc tendit, cujus verba sic habent: *In hoc omni terrarum tractu postremas & remotas occasum versus terras*, *duo posterioribus seculis cultores adiére*; *ut quibusdam videntur*; *Thubal*, *vel ut nos arbitramur*, *Tharsis nepotes*; *alteri Sepharad*; *alteri verò Sarpath*, *nomen fuit*: *ille Hesperidem*, *hic superiorem Hesperidi*, *latamque provinciam tenuit*, *quæ pòst longo tempore Gallia dicta est*. Id clarius exprimit in tabula libro Phaleg subjunctâ. Ariam sequitur Guido Fabricius Boderianus, ut ex Epist. ad Philippum II. Hispan. Regem, Syriaco Testam. Nov. in opere Regio præfixâ, patet. Scaliger lib. 7. emend. temp. pag. 323. ex nominum allusione & convenientia opinionis hujus originem arcessit. Cum צרפת inversis literis פרצת sit, quæ vox ferè ad nomen *Franciæ* alludit. Item ספרד ad ἑσπερίδα alludit, quo nomine Hispania terra priscis Græcis dicta. Et hæc ipsa Scaliger vocat ridicula. Confer Lutherum in præfat. super Obadiam. Joh. Forsterus in dictionar. Hebr. p 560. *Quemadmodum Judæi Zarpat*, *Galliam illam occidentalem*, *ita Sepharad ei vicinam*, *Hispaniam vocant*: *utrumque tamen falsò*, *& sine ulla ratione*, *insignique inscitia & oscitantia patefactione*, *cùm ex textu certissimè constet*, *loca esse Septentrionalia*. *Quare præceptori Hieronymi*, *& autori vulgatæ editionis*, *omninò assentior*, *qui*, *ut in textu est scriptum*, בספרד *Bosphorum transtulerunt*. *Siquidem hæc vox pronunciatione cum Hebræa congruat.* Junius & Tremell. (quos Tarnov. sequitur) ספרד ut nomen appellativum interpretantur, compositum ex סוף *terminus*, & רדה *regnavit*, vertunt enim, *finem dominatus* Hæc de Judæorum opinione in nominibus Zarpath & Sepharad. Quòd iidem per *Edom* Romanum Imperium (sub quo in ultima deportatione sunt) intelligunt, uti ex Rab. Kimchi in Gen. 27: 40. & Rab. Salomo in Thren. 4: 21: & aliis locis videre est; id potiùs hominum malevolorum calumniis, quàm accuratæ Scripturæ sanctæ considerationi tribuendum. Conferatur Galatinus libr. 4. cap. 28. & D. Helvicus tom. 4 Giess. pag. 258. seqq.

## *Continuatio.*

ANtequam ad tertium deveniamus tractationis de proprio nomine membrum, *duæ* adhuc ponendæ observationes. 1. De nominibus

bus ἀναλόγως propriis, titulis videlicet Regum, qui pluribus succedentibus tribuuntur. 2. De nominibus ἀπορητικῶς propriis, hoc est, iis, quæ ex parte dubia sunt, propriáne sint, an appellativa.

## Observatio XVI.

*Plures unius regni vel provinciæ Reges sive Principes sibi invicem succedentes, sæpè uno eodemque utuntur nomine.*

ANtiquitus subditi magistratus suos ex peculiari & proprio alicujus vel Regis vel Principis insignis nomine vocabant, quod postea in posteros, propter singularem aliquam præstantiam aut memoriam, continuabatur.

PHARAO commune Regum *Ægyptiorum* nomen est. Fit enim Pharaonis alicujus mentio tempore Abrahami, Gen. 12: 15. alterius tempore Josephi. Gen. 41: 1. alius tempore servitutis Ægyptiacæ, Ex. 1: 8, 21. & sæpè in hoc libro. *Pharao Necho* nominatur 2. Reg. 23: 29. Et Jer. 46: 2. (Chald. appellativè *Pharao* חֲגִירָא *claudus*. Forsan à claudicatione sic dictus fuit cognomine: נָכָה enim *percussum*, *læsum*; & synecdochicè נְכִים *loripedes* significat, Psal. 35: 15.) *Pharao Hophra* חָפְרַע Jerem. 43: 30. quem Herodotus lib. 2. Ἀπρίην *Haprien* vocat, punctis tantùm mutatis. [a] Josephus Scaliger animadv. in Chron. Eusebii pag. 82. hac diversitate motus, *puncta Hebræa voci à Masorethis non fuisse ritè subjecta, & legendum esse* חַפְרַע *Haprea, ut cum Herodoti voce conveniat*, statuit. Sed cedat profanus autor sacro fonti Hebræo, non hic illi. Conjectura illa de Masorethis, quòd punctorum Hebræorum autores ii sint, vana est, ut fusiùs docetur alibi. Ejusdem firmitatis est, quod idem Scaliger p. 36. de nomine פִּנְחָס *Pinhas* tradit (quo nomine summus Sacerdos, Aharonis nepos dictus est,) pro eo mutatis punctis legendum esse פֵּנְחָס *Phœnix*, unde Phœnicia dicta sit. Item pag. 90. de nomine *Nebucadnezar*, pro quo punctis subjectis aliis, legendum esse ait Ναβεχοδόνοσορ, ut à Beroso, Chaldæis, Strabone, Megasthene, & LXX. Interp. vocatur. Videantur & quæ ibid. contortè de nomine *Ahasuerus* disserit. Sed revertamur ad nomen *Pharaonis*, quod dignitatis Regiæ esse, Augustinus lib. 1. locut. de Gen. probat ex illis Gen. 47: 26. verbis: *Et posuit illis Joseph præceptum usque in hodiernam diem, in terra Ægypti, ut præstent quintas Pharaoni. Hinc* (inquit) *intelligitur, Pharaonis nomen potestatis fuisse regalis, quòd dixit, usque in hodiernum diem: non enim illi, qui tunc fuit, præstare poterant Ægyptii usque ad diem illum, quo ista scribebantur, quando ille non jam vivebat.* Forsterus p. 673. id probat ex Gen. 41: 44. *Et dixit Pharao ad Joseph, Ego sum Pharao, sed absque te non levabit quisquam manum suam, aut pedem suum, per universam terram Ægypti, vocavitque Pharao nomen Joseph, Zaphnat Paaneach &c.* Quibus verbis Rex Josepho significat, quod פַּרְעֹה esse & manere, & dignitatem illam regiam, & nomen quoque regium retinere sibi velit, ideò secundas ei post se, & officium seu administrationem super frumenta, & nomen aliud, sed non regium, ipsi indit. Hæc ille. Vox ipsa pro Ægyptiaca habetur, quæ primò insignis alicujus Regis proprium nomen fuit, posteà id boni ominis ergò in successores propagatum fuisse, probabile est. Ludovicus Vives comm. in lib. 16. August de C. D. cap. 43. *Pharaones dicti sunt, quasi Pharaones à Pharo insulâ è regione Alexandriæ, olim Carpathos dicta, ubi regnavit Proteus.* Forsterus d. l. à פרע deducit, quod *vacuum esse, ociosum liberum esse* (frey seyn / quod germanicum & voce & significatione congruit) ut פרעה Pharao sit liber, privilegiatus, ein Freyer: oder Befreyter / oder Freyherr. Quidam à פָּרַע deducunt, quod *ulcisci* significat: Regum enim est, injurias populo illatas ulcisci, & justitiam ministrare. Confer quæ de voce *Jareb* infrà dicuntur. Alio tempore Reges Ægypti vocabantur *Ptolomæi*, (πτόλεμος *bellum*, quasi dicat, *bellatores*) post tempus scil. Alexandri Magni. In præfatione Sirac. *Ptolomæi Euergetis*: 1. Macc. 1: 18. [b] *Ptolomæi* (*Philometri*) fit mentio: Apud Josephum antiq. lib. 12. cap. 2. Philonem de vita Mosis libr. 2. Epiphanium libr. de mens. & pond. Zonarum tom. 1. August. lib. 18. de Civ. Dei cap. 42. celebratissimus est *Ptolemæus Philadelphus*, qui Bibliothecam extruxisse luculentissimam, & Mosis ac Prophetarum libros in Græcam converti linguam, curâsse fertur. Fuit & *Ptolemæus Lagus*, *Ptolemæus Philopator &c.*

[a] Scaliger notatur.

[b] Ptolemæus.

*ABIMELECH Philistæorum* Regum nomen in Scripturis est, Gen. 20: 2. cap. 26: 1. Quo observato, conciliatio facilis est inter 2 Sam. 21: 12, 13. & Psal. 34: 1. Priori in loco coram *Achis Rege Gathi*; posteriori verò coram *Abimelecho*, David insanum se ostendisse refertur. *Prius* nomen Regi tum temporis (in Philistæorum Gatho) imperanti proprium: *posterius* cum reliquis Regibus commune ipsi erat. In quos allegoriæ labyrinthos ex hoc non observato devenerit B. Augustin. in comm. ad Psal. 33.

(Hebr. 34.) vide apud Amamam Antibarb. bibl. pag. 625. seqq.

*AGAG* Hamalekitarum Regum fuisse nomen, ex Num. 24:7. 1 Sam. 15:8. patere videtur.

*ARTAXERXES*, Chald. אַרְתַּחְשַׁשְׂתְּא, *Persarum* Reges communiter fuisse vocatos, ex Esdr. 4:7. cap. 7:1. Neh. 13:6. patere quidem putant: R. Salom. & Aben Ezræ autoritate ducti, in cap. 6. Esræ. ℣. 14. Drusius lib. 12. observ. cap. 24. ex Seder Olam cap. 30. idem eruit, ubi dicitur: *Omne regnum vocatur Artachsasta*; hoc est, Artaxerxes appellatio est communis omnium Regum Persarum. Et ex Megasthene Persa, ubi legitur: *Artaxerxes Asuerus; Artaxerxes Ochus; Artaxerxes Darius &c.* Sed negant hoc alii, ob consensum autorum Græcorum, quorum testimonia oportet esse magni ponderis in hac controversia, cùm ex Strabone libr. 15. Geogr. constet, Persas ex omnibus barbaris notissimos fuisse Græcis, quòd his nulli imperaverint, qui Asiam tenuêre, præter eos. Græcos autem omnes, ut ex Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Diodoro, Plutarcho, & aliis, videre est, hoc nomine distinguere ajunt Reges Persiæ, nequaquam verò omnes facere Artaxerxes: alium Cyrum, Cambysem, Darium, Xerxem, & alium Artaxerxem (alterum quidem μακρόχειρα, alterum μνήμονα dictum) constituere; quale discrimen etiam Esr. 6:14. occurrit. Nomen ipsum quod attinet, valere illud Drusius d. l. ait, in Græco sermone, μέγας ἀρήιος. Nam *Xerxes* ἀρήιος, hoc est, *Martius*, Herodotus lib. 6. Ibidem (quod obiter addo) [b] Drusius *Personarum nomina* multis syllabis & literis constare ostendit ex Plauti Persa. Dor. *Heu herclè nomen multis modis scriptum est tuum.* Sag. *Ita sunt Persarum mores, longa nomina.* Et ex Herodoto, qui l. 1. ait, *nomina eorum similia esse* τοῖσι σώμασι καὶ τῇ μεγαλοπρεπίῃ. Ibidemque præter nomina Persica in Scripturis memorata, adducit alia: *Tissaphernes*, *Artembares*, *Artobazanes*, *Saribarzanes*, *Autophradates*, *Ariobarzanes*, *Ariaramnes*, *Orentobates*, *Norondabates*, *Pharnabazus*, *Artabanus*, *Mithrobarzanes*, *Spitradates*, *Menostanes*, *Megabyzus*, *Mitradates*, *Mitropaustus*, *Mesoromasdos*, *Teritucbmis*, *Saribarzanes*, *Parysates*, *Bagorazus*. Satis de nominibus decem jugerum.

[a] Regina Sabæ & Austri.

[b] Persarum nomina longa.

*BENHADADI* nomen huc refert Mercerus, quod dicit peculiare Regum *Syriæ* fuisse, ut *Pharao* Ægypti. Quod ex Hieronymo haustum, qui: *Hazaeli*, inquit, *in Regnum successit filius suus Benhadad: à quo omnes posteà Reges Aram, id est, Syriæ & Damasci, Benhadad vocabulum possederunt.* Verùm rectè hoc negat Drusius libr. 11. observ: cap. 24. qui tres quidem fuisse Reges, *Benhadad* dictos, ait, 1 Regum. 15:18. 2 Regum. 8:7. cap. 13:3. sed propterea non sequi, nomen commune id esse omnium Regum, cùm *Hazael* nusquam dicatur Benhadad: nec *Rezin*, cujus mentio 2 Regum 15:37. Quibus addi potest, quòd *Benhadad* filius Hazaelis, à patre Hazaele, hoc tanquam proprio nomine, distinguitur, 2 Reg. 13. ℣. 3.

[a] *CANDACES* nomen, quod Actor. 8:27. occurrit, commune Reginarum *Æthiopiæ* nomen fuisse, à Plinio traditum est lib. 6. cap. 29. circa finem: *Regnare* (inquit) *fœminam Candacem, quod nomen multis jam annis ad Reginas transiit.* Ejus etiam fit mentio apud Strabon, lib. 17. Geograph. Ferunt autem, Candacem illam ejusdem terræ Reginam fuisse, cujus *Regina Schebæ* fuit 1 Reg. 10:1. quæ regio nomen à *Scheba* obtinuit. Gen. 10:7. is enim regionem Australem in Æthiopia primùm incoluit, auro, thure, & aromatibus abundantem, Ez. 27:22. Unde Matth. 12:42. Regina illa Salomonem accedens, Βασίλισσα νότου, *Regina Austri* dicitur. R. Aben Ezra in Dan. 11:6. ubi filiæ Regis Austri mentio fit: *Hæc*, inquit, *est Regina Scheba: & hoc regnum vocatur linguâ Ismaeliticâ* (Arabaica) אלימן *Aljeman seu Aliman; & ad hunc usque diem mulier imperium obtinet, & hoc concessione Regis Ægypti: & hæc Scheba est australis respectu terræ Israelis.* Salmanticensis Judæus Juchas. 136:1. *Regina Sabe, quæ* (ניקולאה) *Nicolaa vocabatur, venit ex regno Jeman*, hoc est, *Australi*, *ad audiendum sapientiam Salomonis, cui dedit divitias magnas.* Nota: *Jeman & Alieman* idem sunt. Nam *Al* articulus Arabicus est, qui nihil addit aut demit significationi. *Jeman* autem יָמַן *austri* significationem habet, qui Hebræis יָמִין dicitur, h. est, *dextra*. Nam Auster dextera mundi, ut Septentrio sinistra. Ergò מלכות ימן nihil aliud est, quàm *regnum Austri* sive Australe. Vide Drusium 1. præter. pag. 32. Schindl. col. 1191. &c

Huc prætereà referunt, quod Parthi suos Reges appellârint *Arsaces*, Justin. lib. 41. Scythæ suos, *Scolotos*, Herod. lib. 4. Albani suos, *Sylvios*: Romani suos, *Cæsares* vel *Augustos*, sicut hodieque vocantur. Turcarum Reges *Ottomanni*, ab Ottomanno primo, vocantur, iidemque *Sultani* appellantur, à domino vel potestate, שלט enim *imperare*: & שלטן Chaldaicè *potestatem* notat, Dan. 4:31. Matth. 28:18. in Syriaca paraphrasi &c. Confer Scindl. col. 1483.

Obser-

## Observatio XVII.

*Quædam nomina dubiæ sunt significationis, proprianè sint, an appellativa.*

[a] GEn. 26: 26. *Abimelech autem ivit ad eum ex Gerar*, וַאֲחֻזַּת מֵרֵעֵהוּ. Quidam ut nomenproprium vertunt; *& Achusath amicus ejus*. Sequitur enim: *& Pichol Princeps exercitus ejus*. Et hoc esse nomen *Anchises*, patri Æneæ inditum, suspicatur Forsterus in Lexico. Chaldæus autem interpres appellativè accipit, וְסִיעַת מֵרַחֲמוֹהִי *& cætus amicorum ejus*, (Schindl. legit מֵרַחֲמוֹהִי, ut מ sit præfixum, *& cætus ex amicis ejus*: Constructio, qualis Psalm 80: 14. חֲזִיר מִיָּעַר *aper de sylva*.) Vatabl. אֲחֻזַּת ab אחז dicitur, *apprehendit, tenuit*, quòd, qui concomitantur Principem, nunquam discedant ab eo, sed eum quasi teneant. R. Sal. in comm. אחות לשון קביצה ואגודה שנאחזין יחד *Nomen Achuzath significationem habet congregationis & agminis (militum) quod comprehendantur simul, seu cohæreant invicem*. Altera vox, מֵרֵעֵהוּ, secundùm hunc sensum, vel per enallagen singularis pro plurali est explicanda; *amici* pro *amicorum*: vel ipsa vox pro plurali habenda, per defectum literæ Jod pluralis indicem, ut sit pro מֵרֵעֵיהוּ sicut & Prov. 19:7. quidam accipi volunt.

Num. 24: 17. *Procedit stella ex Jacobo, & exsurgit sceptrum ex Israele, quod franget latera Moabitarum, & destruet omnes filios* שֵׁת. [d] Hanc vocem, ut proprium nomen *Sethi* interpretes plerique accipiunt. Rab. Salomo, *omnes populos, qui egressi sunt ex Seth, filio Adami*. Ita enim LXX. vertunt. Lutherus & vulgata: Junius item & Tremellius in priori editione Bibliorum. Vatabl. ex Rab. Aben Ezra: *Sic vocat omnes filios mundi, quia à Seth (qui in locum Abel interemti successit) omnes propagati sumus: proles autem Cain diluvio extincta est. Noe à Seth originem ducebat, à Noe omne genus hominum reparatum est; Quare filii Seth sunt sicut filii Adam, id est, omne genus hominum, quia inde omnes pervenerunt*. Hunc sensum respiciens Chaldæus, vertit, *dominabitur in omnes filios hominum*. In posteriori editione aliam sententiam amplexus est Junius: שֵׁת enim appellativè vertit, & pro *sede vel postica parte* accipit: *ut filii sedis* sint, *ii, qui ponè sunt*: h. e. Ammonitæ, Midianitæ, & Orientales cæteri, ad Euphratem usque pertingentes. Hos autem *filios sedis vel posticæ partis* (ut Esa. 20: 4.) videtur appellare Bileam, ratione situs sui. Nam castra habebant Israelitæ ad Moabitarum campestria, Jerichuntem & Jardenem versus, cap. 22: 1. Sic Moabitæ respectu Israelitarum versus Orientem erant, ut narrat Jiphthach Jud. 11: 20. Cùm autem hæc omnia Bilham enunciaverit vultu ad Israelitas converso, tùm certè fuerunt pone ipsum Orientales populi, quos Judæi suo tempore subegerunt. Addit & aliam interpretationem, ut בְּנֵי־שֵׁת sint *filii obsidionis*, h. e. infesti hostes, per quos Israelitæ quasi perpetuâ obsidione pressi sunt: ducto nomine à verbo שׁת quod significat *opponere castra*, Psalm. 3. vers. 7. [a] Achuzath.

[b] Deut. 3: 17. cap. 4: 49. תַּחַת אַשְׁדֹּת הַפִּסְגָּה *sub effusionibus (aquarum) collis*, ut Pagninus vertit: h. e. ad radices collis, quæ fontibus rigari solent, ut Vatablus exponit. Quidam tamen (notante eodem) ut nomen proprium urbis accipiunt, *Asdoth-Pisga*, cùm inter urbes tribus Ruben ejusdem nominis civitas numeretur Jos. 13: 20. Junius conciliationem instituit, vertens: *Sub decursibus ipsius collis*; & sic annotans: *Sic vocat declivem illius collis partem, in quam è diversis locis torrentes decurrunt, & civitatem eodem nomine à situ dictam*, Jos. 13: 20. [b] Asdoth-Pisga.

[c] Jud. 10: 1. *Thola, filius Pua, filii* דודו. Quidam Hebræorum *Dodo* proprium nomen esse putant. Alii verò appellativum, ut sit, *filii patrui ejus*, scil. Abimelech, cujus mentio præcedit. Id ex diversitate lectionis in Chaldæo oritur: cùm quædam exemplaria, notante Kimchio, legant, בר אח אבוהי *filii fratris patris ejus*. Prius cum veritate magis congruit. [c] Dodo.

1 Sam. 20: 19. *Juxta lapidem* הָאָזֶל *itineris*. Targ. אַתְּתָא *signi*. Lapis ille erat index itineris, vel signum iter facientibus. Alii: *lapis additionis*, eò, quòd ad eum additurus erat Jonathan Davidem, ut ei negocium indicaret. Quidam tamen ut nomen proprium accipiunt, *lapis Azel*. Ut & Lutherus. [d] Seth.

[e] 2 Sam. 8: 1. *Et fuit post hæc, ut David percutiens Pelistæos deprimeret eos: & accepit David* אֶת־מֶתֶג הָאַמָּה *è manu Pelistæorum*. Pro his duabus Hebræis vocibus (quæ ad verbum notant, *frenum cubiti*) in loco parallelo 1. Paral 18: 1. scribitur, אֶת־גַּת וּבְנֹתֶיהָ *Gath & filias ejus*. Ex quo patet, descriptionem loci iisdem contineri. In explicatione autem variant interpretes, dum quidam *propriè*, quidam *appellativè* eas accipiunt. Qui propriè accipiunt, vel utramque, vel posteriorem solùm vocem ita interpretantur. Sunt enim, qui id nomen tractus illius fuisse existimant. Rab. Levi Ben. Gersom: אולי היה זה המחוז נקרא מתג האמה *fortassis terminus ille vocabatur Meth Haamma*. Ita & R. Kimchi, Ariæmont. &c. Ostendunt autem Franc. Junius & Tremellius aliam hujus nominis proprii rationem, vertentes, *frenum Amgaris*; hoc est, (ut in notis addunt) *Gathum* [e] Metheg Haamma. 1. 2.

poten-

*potentissimum illius montis oppidum, cujus clausurâ totus Pelischtaeorum tractus montanus ab hostibus defendebatur*, 1 Chron. 18:1. De הָאַמָּה autem hæc subjiciunt: *Amma proprium nomen montis Pelischtaeorum, ex quo & altero nomine Gar vel Gerar, conflatum est nomen Amgaris, de quo Plin. lib. 5. cap. 13. natur. hist.* Agit eo in loco Plinius de Palæstina: inter reliquas autem urbes Gathum non numerat, sed *Amgarem* montem ponit: quod nomen ex אַמָּה (cujus h.l. fit mentio) & הַר *mons* (quod facili motu in *Gar* transire pronunciatione potuit) compositum Junio & Tremellio videtur. Qui *appellativè* accipiunt, vel propriam, vel metaphoricam amplexantur significationem. a De *propria* significatione traditio extat R. Eliezeris, quam Kimchi in h. l. affert: *Cùm adiret Abimelech Isaacum, & diceret ei* (Gen. 26:28.) *Videndo videmus, quòd sit Jehova tecum &c. Dixerunt* (Abimelech & qui cum ipso) *porrò ei; scimus nos, Jehovam daturum tibi & semini tuo omnes has regiones; quare pange nobiscum fœdus juramenti, quòd semen tuum non sit possessurum terram Pelistaeorum. Et pepigit Isaac cum illis fœdus juramenti. Quid autem fecit Isaac? Pracidit* (כרת, eadem vox, quæ de pactione fœderis usurpatur) אמה אחת ממתג *cubitum unum* (πῆχυν ulnam unam) *ex freno asini, cui inequitabat, eumque dedit ipsis, qui in manu eorum esset signum fœderis juramenti. Cùm autem regno potiretur David, voluit invadere terram Pelistaeorum, sed non potuit, propter vim signi fœderis, & propter juramentum Isaaci, usque dum auferret illud ab iis sicut dicitur*, (2 Sam. 8:1.) *Et accepit* אֶת־מֶתֶג הָאַמָּה *frenum cubiti ex manu Pelistaeorum; & posteà etiam cepit terram Pelistaeorum.* Hactenus traditio Judaica, de Asino Isaaci, quæ cujus fidei sit, cuivis patet. *Metaphoricè* accipit R. Salomo Jarchi in h.l. qui Gath oppidum Pelistæorum ita vocari ait, *quòd fuerit instar baculi seu sceptri, imperantis super omnes Philistaos, & sic Metropolis Regia*, (אמה explicat הגורע של־עץ *baculum ligneum*, cui cùm addita sit vox *freni*, imperii regimen metaphoricè significari putat, argumento eo, *quòd de reliquis Pelistaeorum Satrapiis* (*Azza, Asdod, Ekron, Ascalon, non usurpetur nomen regni, de sola autem Gath usurpetur, quando Achis dicitur Rex in Gath*, 1 Sam. 21:12, 14. cap. 27:2. Ad eos, qui appellativè accipiunt, pertinent etiam diversæ translationes. Chald. יַת־תְּקוֹן אַמְּתָא *directionem cubiti*, ut Scindlerus vertit, col. 86 vel, ut col. 1049. *directionem rivi*, ubi ex R. Kimchi rationem appellationis subjicit. Vatablus, *instaurationem aqueductus*: & addit, *quòd urbs ea aut regio ita dicta fuerit à freno rivi, i. e. aqueductus.* Et porrò: *Frenum rivi ab Hebrais dicitur aqueductus, quod per canalem ducamus aquam, quò volumus, ut freno equum.* Hæc vocis explicatio ex usu Rabbinico fluit. Scribit enim Guido Fabricius in Dictionario Syro-Chald. p. 8. אַמְּתָא & אמה *rivum aquae* in commentariis Rabbinorum significare. Verùm an in Chaldæa lingua, itemque Hebræâ (ut Vatablus vult) idem vocis significatum sit, meritò dubitatur. Sed ad alia. Græci vertunt τὴν ἀφωρισμένην, *separatam*, seu *partem definitam*, ut quidam reddunt: quò autem respexerint, quomodòve legerint, non constat. (Ibidem uti & aliàs, nomen proprium gentis, פְּלִשְׁתִּים vertunt ἀλλοφύλους *alienigenas*, appellative) Vulgatus interpres Latinus habet, *frenum tributi*. Munsterus *frenum subjectionis*. Lutherus **Den Dienstzaum**. Quâ verò ratione *tributi* & *subjectionis* nomen ex Hebræo educi potuerit? Lyranus: *Frenum est id, quo tenetur equus sub sessore, & eodem modo tributum est id, quo tenetur populus subjectus sub dominatore.* Sed ita explicatur quidem vox מֶתֶג metaphoricè accepta, non verò altera הָאַמָּה, quam voce *tributi* vulgatus Interpres exprimere voluit. Münsterus videri sibi ait, *per hoc frenum significari imperium, quod Philistai in Israelitas hactenus habuerunt, per Davidem sublatum à fronte Israelitarum.* Eadem hujus cum præcedente ratio. Propius accedere D. Forsterus videtur, qui in Dictionar. Heb. p. 42. *frenum cubiti* vertit, & explicat *dominium, gubernationem*: Cubitum enim *à certitudine & firmitudine* (אַמָּה ab אמן) deducit. Frenum igitur cubiti, secundùm hanc sententiam, est dominium forte & firmum, quod *freno tributi* seu *subjectionis* (**Dienstzaum**) non incongruè, ad sensum, exprimitur. Cæterum inter has interpretationes placet maximè ea, quæ ex Tremellio & Junio adducta. Relinquo tamen cogitandum, annon collatio inter adducta duo loca hæc dari commodè possit? (1) גַּת *Gath* videtur à scriptore librorum Samuelis מֶתֶג fuisse dicta, (per metathesin literarum גת & litere מ prosthesin, quorum utrumque in propriis nominibus fieri, suprà obs. 4. dictum) significatione ipsi rei conveniente, quod sc. Gath fuerit instar freni, subjectas sibi civitates & Satrapias coërcens, iisque dominans: quod frenum David ex manu quasi Philistæorum eripuit, & ipse posteà in subjugandâ & gubernanda terra, eo fuit usus. De simili mutatione emphatica, in montis Oliveti, & urbis Bethel nominibus, videatur superius obs. 13. §. 2. (2) In libro Paralipom. dicitur בְּנֹתֶיהָ *filias ejus*, hoc est, oppida, pagos, villas, &c. (ita vox בְּנוֹתֶיהָ Jos. 17:16. & alibi accipitur:) id exprimitur in libro Samuelis, ex natura relato-

a Judaica traditio.

latorum, per הָאַמָּה voce deductâ ab אֵם *mater*, quod metaphoricè *metropolin* significat, 2 Sam. 20: 19. Jer. 15: 8. Et sic Gath *metropolis* (quod R. Salomo, licet aliâ ratione asserit) & quidem κατ' ἐξοχὴν, cum ה emphatico, h. l. nominatur, quæ *filias suas* (de quibus in loco altero) sibi subjectas habuit. Hac ratione idem prorsus in utroque loco, tantùm variatis vocibus, dicitur.

2 Reg. 15: 10. *Percussit eum* קָבָל־עָם *coram populo*. Id legendum קָבְלְעָם *Kabolam*, ut sit nomen proprium, Schindlerus existimat, col. 1579.

2 Reg. 18: 34. *Ubi sunt Dei Sepharvajim*, הֵנַע וְעִוָּה *Hena & Iuva*: nomina propria esse, vel Numinum gentilium (ut quidam in nominativo vertunt) vel regionum (in genitivo) per se liquet. Henæos esse Ingines in Mesopotamia, (cum literam ע ferè per literam G exprimant historici:) Jam verò, regionem Arabiæ desertæ, in quam Ivæi pulsi à Pelistæis se receperant, Deut. 2: 22. (quæ & Ava dicitur c. 17: 24.) annotant Junius & Tremellius. Cæterum Chaldæus appellativè illas voces accipit; *nonne tulit eos, & migrare fecit eos*. In opere Regio additur: *Rex Assyriæ*. Sic & cap. 19: 13. Respexit ad vocum convenientiam cum נוּעַ *motus fuit*, in Hiphil הֵנִיעַ *movit, exagitavit*. Et עָוָה *perversè egit*, in piel עִוָּה *pervertit*. Quarum significationum non dissimilia synonyma posuit.

[a] 1 Paral. 26: 18. לַפַּרְבָּר *ad Parbar, ad occidentem, quaterni ad aggerem &c. Parbar*, ut nomen proprium loci aliqui accipiunt. Junius verò vertit appellativè, *in parte exteriore;* dicitque vocem Chaldaicam esse & compositam, q. d. partem exteriorem, vel in agrum spectantem. Desumtum hoc ex R. Salom. & Kimchi, qui ex Thalmud vocem interpretatur, quod sit quasi כְּלַפֵּי בַּר *versus agrum, seu exteriorem partem*. Vulgatus interpres, *in cellulis janitorum* reddit: quòd à vocis etymo alienum. LXX. planè vocem eam omittunt.

[b] Esræ 4: 17. *Verbum misit Rex ad Rebum Præsidem consilii, & Simsai legis peritum, & reliquos è collegio eorum, qui habitabant in Samaria, & reliquos in regione transfluviali; pax,* וּכְעֶת Hanc vocem R. Aben Ezra ut proprium nomen accipit, contractum, pro כְּעֶנֶת quod vs. 10: 11. c. 7: 12. extat, & transpositionem vocum in textu statuit, quas ita coordinat: וּשְׁאָר עֲבַר־נַהֲרָה וּכְעֶת שְׁלָם *& reliquis transflumen & Cheeth pacem!* Videtur autem *Cheeneth* esse nomen gentis, quæ habitabat ultra Euphratem, in terra Chanaan (quò respiciens B. Lutherus in cap. 4: 10, 11. *Chanaan* exprimit.) At in genere jàm tùm facta fuit mentio eorum, qui trans flumen habitabant. Responderi potest ex tract. 7. de conjunct. can. 3. Sunt autem è contrario, qui ut appellativas voces accipiunt כְּעֶנֶת & כְּעֶת. Lutherus ut voces euchias seu salutatorias accipit, cum præcedenti textus voce vertens, Fried und Gruß / c. 4: 17. c. 7: 12. Vulg. *salutem* reddit. Græci planè omittunt, præterquam cap. 7: 12. ubi vertunt, ἀπόκρισις, *responsio*, ac si esset ab עָנָה *respondit*. Junius & Tremellius congruè vertunt, *& tali tempore*: hoc est, (inquiunt) *die, mense, & anno N. nam temporis notatio literis præfigebatur, ut mercatores & pragmatici forenses solent*. כְּעַן Chald. significat, *nunc*. Ex quo factum videtur כְּעֶנֶת) & per syncopen כְּעֶת) quo innuitur tempus scriptionis præsens, indefinitè indicatum.

[c] Esr. 8: 17. *Ad loquendum ad Iddonem* אָחִיו *Nethinim*. Hanc vocem אָחִיו LXX. Vulg. Pagnin. Ariæm. & alii, ut appellativam interpretantur, *fratres ejus* (ac si esset אֶחָיו quod vers. seq extat) Aben Ezra: Deest Vau copulativum, & sensus est, אל אדו ואחיו שהם נתינים *ad Iddonem & fratres ejus, qui sunt Nethinei*. R. Salomon verò: שם אדם nomen proprium viri esse ait; quem Junius & Tremellius sequuntur. — [c] Achiv.

[d] Cant. 7: 5. (al. 6: 15.) *caput tuum super te*, כַּכַּרְמֶל. Quam vocem quidam appellativè interpretantur, *coccineum*. Aben Ezra confert locum 2 Paral. 2: 7, 14. cap. 3: 14. ubi (כַּרְמִיל *coccineum*) cum *purpura* conjungitur, perinde ut h. l. in verbis sequentibus. Illum sequitur Pagninus & Buxtorff. in Lex. Schindl. *caput tuum super te sicut Carmesinum*. Junius & Tremellius metonymicè *caput* pro eo, quod supra caput est, hoc est, mitra ejusque redimiculis accipiunt: *Quod in capite tuo impositum est tibi, simile est coccineo*: Sequitur: *& vitta capitis tui similis est purpuræ*. Piscator: *quod ad caput tuum attinet*, (id quod) *tibi impositum est*, (est) *simile coccineo*: ut sit descriptio pepli. Verùm aliter LXX. Vulg. Arias, Forsterus, Luth. & alii sentiunt, qui ut nomen proprium montis, *Carmeli* dicti, accipiunt. Ita & Chaldæus, qui per *caput* Regem Israelis intelligit, & *Carmeli* montis appellatione ad historiam Eliæ, 1 Reg. 18: 19. respici arbitratur. *Rex, qui constitutus est super te, ut caput, justus est ut Elias Propheta, qui zelo divino zelatus est pro Domino cœlorum, & occidit pseudoprophetas in monte Carmelo, & reduxit populum domus Israel ad cultum Domini Dei ipsorum*. [e] Bellarminus per caput hoc sponsæ cœlestis seu Ecclesiæ, Pontificem Roman. intelligi contendit, lib. 1. de Pontific. Rom. cap. 9. *Sponsa*, inquit, *comparat caput Sponsi monti Carmelo, quoniam*

[d] Carmel. [a] Parbar. [b] Cheeth & Cheeneth. [e] Pontifex Roman. mons ingens.

*etsi summus Pontifex ingens est mons, tamen nihil aliud est quàm terra, id est, homo.* Equidem monti magno Pontificem Roman. & totum papale regnum comparari posse & debere, non negarim; sed illi, cujus Jerem. 51: 25. fit mentio: *Ecce me contra te,* הַר הַמַּשְׁחִית *ô mons perditor, dictum Jehova, qui perdis totam terram &c.* Ubi Babylon intelligitur, cui Antichristum Romanum, Johannes in sancta Apocalypsi, ex hoc eodem cap. 51. Jeremiæ desumtis verbis, comparat, uti ostendit collatio ℣s. 7. cum Apoc. 18: 3. item vers. 6. cum Apoc. 18: 4. item vers. 9. Apoc. 18: 6. item ℣s. 48. cum Apoc. 18: 20. item vers. 63: ℣s. 64. cum Apoc. 18: 21. &c. De re ipsa, & quòd Papa Roman. caput Ecclesiæ non sit, aliàs tractandi locus est. De explicatione similitudinis benè D. Chamier, panstr. Cathol. tom. 2. lib. 9. cap. 6. *De Carmelo & terra, nugæ. Non enim consideratur Carmelus tanquam terra, sed tanquam excelsus & prominens: tum etiam, quatenus fertilissimus, quod annotavit Theodoretus: Sed has nimirum exiles tricas iis sectari coguntur, quibus nihil est solidum.* Ad verba Bellarmini, *Et si summus Pontifex ingens est mons &c.* benè Fr. Junius in animadv. ad h. l. *Tantùs certè mons,* inquit, *ut multis hominibus Solis justitiæ eripiat lucem.*

a Schallecheth. a Jes. 6. ult. vox שַׁלֶּכֶת extat. Quod nomen portæ cujusdam Hierosolymis esse, quidam ajunt, cujus 1 Parak 26: 16. fit mentio sic dictæ (à שָׁלַךְ *conjecit*) à conjectâ & accumulata terra, ad parandam viam Regis, 1 Reg. 10: 5, 12. 2 Paral. 9: 11. Verba Esa. 6. ita reddunt: *Sicut quercubus illis, & sicut roboribus, quæ sunt in Schallechet:* (seu *ad portam injectus,* ut Junius & Tremellius vertunt) *statumen est:* (ita) *semine sancto statumen ejus est.* Quasi dicat, videtis aggestum illud iter, quo à domo Regis in templum pergitur, querceto hinc inde confirmatum esse, & arbores terram, quæ alioqui ruitura esset, continere firmitate sua: idem vobis statuendum est de reliquiis bonorum, quæ inter vos habitant: nam justo Dei judicio deturbaremini illicò, & periretis funditùs, nisi suorum rationem haberet Deus. Præter paulò superiùs adducta loca Scripturæ de porta Schallecheth, conferunt etiam 2 Reg: 12: 21. ubi de Joas Rege dicitur: *Tandem insurgentes servi ejus cùm fecissent conspirationem, percusserunt Joasum in loco munitionis, qui vergit Sillam versus.* Ubi per *Sillam* seu aggestum iter (à סָלַל *aggerere, viam aggestâ terrâ sternere*) Partem illam intelligi ajunt, in qua Salomo, aggestâ terrâ, ascensum fecit à domo sua ad domum Dei, secundùm memorata Scripturæ loca. Schindler. Lex. col. 1874. locum Esaiæ ita reddit: *Sicut tilia & quercus quæ sunt in Schallecheth, statio in eis,* hoc est, quæ sunt plantatæ juxta portam templi, quæ ita appellatur. Appellari autem sic ait 1 Par. 26: 16. quòd per eam sordes projicerentur ex templo: uti & Forsterus in Dictionar. Hebr. Sunt verò contrà, qui nomen שַׁלֶּכֶת pro appellativo habent, *dejectionem* interpretantes, nimirum foliorum, & ita hæc verba transvertunt: *Sicut ulmus & quercus, in quibus tempore projectionis foliorum* (hyemalis) *subsistentia seu stipes est: sic semen sanctum subsistentia seu stipes illius* (populi seu regionis) *est.* Sensus est, inquit Vatablus, ut ulmus & quercus arbores se habent, quæ cùm abjecerint frondes ac folia sua, videntur mortuæ, retinent tamen adhuc vigorem suum hyeme; quâ transactâ, iterum frondes ac flores producunt: Sic se habebit tribus Juda, nam iterum revertentur, & inhabitabunt regionem, unde tandem proditurus est Christus. Ejusdem ferè sententiæ paraphrasis Thargumica est: *Sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ, dum defluunt folia eorum; similes sunt aridis* (lignis) *& adhuc tamen virides seu humidæ sunt, ad sustentandum ex iis semen: Sic captiva turba Israelis congregabitur, & revertetur ad terram suam, quia semen sanctum planta ejus est.* Piscator Herborn. שַׁלֶּכֶת *dejectionem* interpretatur, non foliorum, sed impactionem in terram, & ita vertit: *Veruntamen sicut quercus & robur sunt, in quibus in dejectione* (hoc est, cùm depactæ sunt) *statumen aggeris est,* (hoc est, quæ arbores habent vim statuminandi aggerem, seu continendi, ne dilabatur, cùm sunt depactæ in terra ad latera aggeris:) *Sic semen sanctum statumen illius erit,* videlicet illius decimæ, quæ post reliquos ipsa quoque fuerit abducta, atque adeò totius multitudinis captivorum &c. Demum hîc notandum, nomen שַׁלֶּכֶת 1 Paral. 22: 16. (quod proprium portæ nomen esse, antè dictum) itidem appellativè à quibusdam accipi. Pagninus *Porta, quâ itur* (sequitur, *per viam ascensionis*) ac si esset præfixum ש & לֶכֶת *ire,* infinit. à יָלַךְ *ivit.* Hunc Lutherus sequitur, nisi quod עוֹלָה non ascensionem, sed *holocaustum* significare putat: Bey dem Thor/ da man gehet auf der Strasse der Brandopfer. Arias Pagnini versionem ita mutat: *Porta projectionis instrata ascensionis:* sat obscurè.

b Es. 22: 6. קִיר quidam ut proprium nomen, quidam ut appellativum vertunt. Illi ita versum reddunt: *Et Elam* (hoc est Elamitæ) *gestat pharetram, cum curribus hominum & equitibus:* קִיר *& Kir exponit seu applicat clypeum.* Per *Kir* synecdochicè Mediam, & metonymicè Medum intelligi, Junius & Tremellius ajunt,

b Kit.

& 2 Reg.

& 2 Reg. 16:6. Kir eam Mediæ partem esse annotant, quæ ab ea deportatione (cujus illo loco fit mentio) Syromedia est dicta. Appellari autem *Kir*, id est, murum, quòd monte Zagro veluti muro circumquaque cingatur. Sunt verò, qui קִיר *parietem* vertunt, & ערה significatione τοῦ דבק *applicavit, conjunxit*, accipiunt, sensu hoc: *Elam* (quæ vox in initio versus est) *ad muros urbis appendit clypeum suum*. Ita Chaldæus. Hieronymus ערה significatione *nudandi* accipit, in comment h.l. *Et parietem nudavit clypeus. Quòd auratos postes & marmorum crustis vestitos parietes, clypeus, qui alia solet tegere, nudaverit: Eleganter in Hebraico resonat; sensusque pulcherrimus est, quod scutum non protexerit in prælio quempiam, sed nudaverit, eò quod per robur militum omnes opes erutæ sint.*

[a] Jer. 50:21. *Contra terram hanc* מְרָתַיִם *ascende, & per habitatores* פְּקוֹד. Has duas voces Hebræas quidam ut appellativas; alii ut propria nomina, accipiunt. Priorem מְרָתַיִם Vulgatus interpres Latinus reddit, *dominantium*, ac si esset à מָרֵא *Dominus*. LXX. Interpretes; πικρῶς, *amare ascende super eam*; ac si esset à מָרַר *amarus fuit*. Chaldæus: *contra terram* דְעַמָּא מָרְדָן *populi rebellis*. Qua appellatione Chaldæorum regnum vocari, R. Kimchi ait. Pagninus: *Super terram rebellantium*. Et in Lexico, *rebellionum*. Münsterus: *Contra terram exasperantium*. Schindlerus & Forsterus: *Super terram mutationum*. Osiander, numerum dualem attendens: *Super terram dupliciter rebellem*. Lutherus: **Wider das Land / das alles verbittert hat.** Sed Junius & Tremellius ut nomen proprium accipiunt, per ellipsin præfixi מ. Vertunt enim: *Contra terram hanc ipsam Meratayimis ascende*, hoc est (uti annotant) *ex Assyria; nam in Assyria superiore erant Mardi ab oppido Marde trans Tigrin, & cis Tigrin in Armenia Mardi ex adverso Mardorum Assyriæ* (ut ostendit Ptolemæus lib. 5. Geograph. cap. 13.) *à quibus dicebantur Martyeni montes* (*Mantyenos vocat Herodotus*) *Gyndin fluvium profundentes, supra utrosque Mardos*. Hæc de priori voce. Posteriorem appellativè accipit Vulgatus Interpres, qui habet: *Et super habitatores ejus visita* (ut sit imperativus à פָּקַד Sed pronomen, *ejus*, in Hebræo non est.) LXX. ferè similiter: καὶ ἐπὶ τοὺς κατοικοῦντας ἐν αὐτῇ ἐκδίκησον, *& super habitantes in ipsa ulciscere*. Obstat verò huic expositioni nomen יֹשְׁבֵי *habitatores*, in statu regiminis positum, quod sequens nomen genitivi casus esse innuit. Igitur Forsterus verbum infinitivum nominaliter usurpari, in Lexico ait: *Contra habitatores visitationis*, hoc est, qui sunt visitandi. Ita & Lutherus: **Wider die Einwohner der Heimsuchung.** Münsterus: *Contra habitatores visitandos*. R. Kimchi similiter: *Vocatur Chaldæa* פקוד, *quia venit tempus ad visitandum peccata eorum*. Sed Chaldæus ut proprium nomen accipit *provinciæ*, (uti R. Salomo vult,) vel, ut R. Kimchi, *urbis* in Chaldæa. Sic & Junius & Tremellius: *Habitatores Pekodi, hoc est, partis Assyriæ inferioris, quâ Cyrus tranvexit in Babyloniam &c.* [b] Et hoc loco alteri Ezech. 23:23. convenit, ubi *Pekod & Schoha & Koah*, loca in Babylonia conjunguntur. Quanquam & hæc nomina, ut appellativa. Vulgatus Latinus Interpres accipit: *Nobiles, tyrannosque & Principes*. Osiander in emendatione: *Capitaneos, Satrapas, viros strenuos*. Pagninus: *Præfectum, & Principem, & Ducem*: Vatablus: *Præfectos, Principes & Duces*. Münsterus: *Præfectum, potentem & Tyrannum*. Lutherus: **Mit Hauptleuten / Fürsten und Herren.** Quò respexerint hi interpretes in vocibus פְּקוֹד & שׁוֹעַ notum est. At in קוֹעַ dubium. Pagninus in Lexico: *Potest fieri, ut huc* (ad radicem קעקע) *pertineat* קוֹעַ *nomen Toar, viri nobilis & honorabilis*. R. Kimchi: פְּקוֹד וְשׁוֹעַ וְקוֹעַ *sunt nomina Toar, quæ conveniunt principibus, qui memorantur nomine-tenus in Jeremia, Nebuzaradan, Nebusazban, Serezer, Rabmag, & reliquis ibidem commoratis. Et* פְּקוֹד *est per* פָּקִיד. *Et sic* שׁוֹעַ *nomen, Principem magnum significat. Itemque* קוֹעַ *nomen Toar est, Ducem magnum significans, tametsi alibi non reperitur.* Hæc ille. Forsterus in Lexico: קוֹעַ *a* קַעֲקַע deducit, quod *stigma seu signum impressum in corpore*, significat, Lev. 19:28. קוֹעַ (inquit) *vir talibus notis insignitus, sicut Babyloniorum mos fuit, ut viri Principes ejusmodi notis carni impressis insignirentur.* Verùm Chaldæus dicta nomina, ut propria accipit, quem Ariæ-montanus & Junius sequuntur. Et hic Pekod à פקד *præficere* dictam esse asserit, quòd summa illic præfectura fuisset regni Assyriorum, & in ea Ninive eversa jam eo tempore. *Schoheos* autem fuisse populos in media Assyria sitos sub Merataymis, in quibus situm est oppidum Six apud Ptolomæum. *Kobeos*, populos item Assyriæ in interiore illius parte positos ad Arbelitidem, ubi oppidum olim munitissimum Koah, historicis *Gauga* (ut literam hayn mutari in G, observatum alibi) ex quo factum est, ut Strabo vocet *Gaugamelem*, quasi *Gaugam munitionem* dicas, voce composita.

[c] Ezech. 25:9. *Idcircò ecce ego aperturus sum latus*

[b] De loco Ez. 23:23.

[a] Merathajim, Pekod.

[c] Arim.

*latus Moabitarum* מֵהֶעָרִים *ab urbibus*. Ita vox ab Hebræis & aliis Interpretibus, ut appellativa exponitur. Vatablus: *Ab urbibus, hoc est, ex parte urbium ejus munitissimarum, quasi dicat, non quidem latus debile aut infirmum, sed fortissimum ac firmissimum aperiam, nempè in quo sitæ sunt urbes munitissimæ.* Junius &
d Jareb. Tremellius ut proprium nomen explicant; *inde ab ipsis Heris:* ut scil. significentur duo Moabitarum oppida, Arnoni fluvio imposita, quorum unum est ער *Har*, Num. 21. ℣s. 28. Esai. cap. 16: 1. (al. 15: 1. & 15: 6.) alterum עֲרֹעֵר *Haroer*, distinctionis causa appellatum nomine composito, Deut. 2: 36. Quamobrem exegeticè Propheta addit verba sequentia; à *civitatibus* ejus (quæ sunt) *ab extremitate ejus:* exponens se de illis civitatibus agere, quæ in extremo sunt Moabitarum agro. Hæc illi, sat congruè.

a Gog. a Ezechiel. 38: 2. nomen *Gog* quidam pro appellativo nomine, quidam pro proprio habent. De quo videatur Franc. Junius in comm. h. l. tom. 1. operum, col. 1124. Vide & col. 1137.
b Hamona. quæ de voce הֲמוֹנָה b *Hamona* Ezech. 39. ℣s. 16. differit, quæ aliquibus (B. Luthero, Vatablo, Vulgatæ versioni; item R. Salomo, R. Kimchi &c.) proprium nomen est: ipse verò appellativè accipit, ut sit, *multitudo illius*.

c Palmoni. c Dan. 8: 13. *Tunc audivi quendam sanctum loquentem: Dixit enim quidam sanctus* לַפַּלְמוֹנִי *cuidam loquenti*, zu einem der da redet. Vocem hanc Judæi compositam dicunt ex פְּלֹנִי אַלְמֹנִי Ruth. 4: 1. quæ sunt nomina fictitia, quibus vocatur is, cujus proprium nomen reticetur. Græci ὁ δεῖνα vocant, Matth. 26: 18. R. Salomo ita ἐτυμολογεῖ: פלני כי יפלא ממך דבר *quia arcanum à te est aliquid*: אלמני verò, quòd sit אלמן כבלי שם *viduatus sine nomine &c.* Junius & Tremellius nomen in Danielis textu pro propria *Filii Dei* appellatione pulchrè accipiunt, & melioris intelligentiæ causâ etymon ejus versione exprimunt. Vertunt enim: *Dixit enim quidam sanctus* לַפַּלְמוֹנִי הַמְדַבֵּר *illi, qui occulta in numerato habet, loquenti*, hoc est, Christo sapientiæ æternæ & sermoni Patris. Nam hæc duo sunt propria personæ Christi epitheta; *unum*, quòd sapientia est Dei Patris, & arcana illius omnia ab ipso apud se habet, tanquam numerata & perfectissimè cognita: *alterum*, quòd sermo est Dei patris, & arcana illius, prout commodum & tempestivum est, Angelis suis hominibusque eloquitur in Ecclesia: quamobrem hîc ab Angelo, ut inferiore, consulitur. Videatur etiam Junius in lection. super Daniel. tom. 1. oper. col. 1257. Observa, utrique nomini addi ה demonstrativum, alteri quidem expressè, alteri verò implicitè, relicto ejus puncto, ut certum aliquod & præluftre individuum denotari dubium non sit. In verſ. 16. vox humana auditur à Daniele, quæ Gabrieli Archangelo mandatum dedit de declaranda Danieli visione: quæ vox fuit *illius, qui occulta in numerato habet, & ea proloquitur*, hoc est Christi, de quo ℣s. 13.

d Hos. 5: 13. de Ephraim seu populo Israelis dicitur, quod auxilii causa miserit ad Regem יָרֵב *Jareb.* Quam vocem quidam ut proprium nomen accipiunt, *vel* Regis Assyriorum cujusdam: *vel* civitatis Assyriæ, ut R. Kimchi (quo videtur Lutheri versio inclinare) *vel* ipsius Assyriæ, quæ binominis fuerit, ut iterum Kimchi. Vulgatus autem interpres appellativè reddidit, *ad Regem ultorem*. Ita & Jonathan. Chaldæus: *miserant ad Regem, ut veniret ad vindicandum eos.* Ita יָרִיב futurum Hiphil est, q. d. אֲשֶׁר יָרִיב עָלָיו *qui pro eo contendat*, eumque vindicet. Factam autem hanc missionem esse illam, quæ 2 Reg. 15: 19, 20. probabile est. Riveti in comm. de nomine יָרֵב quâ *Ultorem* significare videtur) sententia est, quòd Rex potens iste sibi id nomen ac titulum assumserit, quòd inferiorem ac confœderatorum injurias ulcisceretur, ut hodiè Rex Hispaniæ *Catholicus*; Galliæ *Christianissimus*: Angliæ *defensor Religionis* &c. vocatur. Hæc ille, allegante D. Tarnovio.

e De loco Amos. 5. & Act. 7. e Amos: 5: 26. si cum loco parallelo Actor. 7: ℣s. 43. conferatur, & interpretum sententiæ expendantur, aliquot voces utrobique occurrunt, quæ an propriæ sint, an appellativæ, dubium ipsis est. Et dubitationis ansam ex eo arreptam esse, Junius in parall. h. l. inquit, *quod Propheta de Diis exteris, exteroque illorum cultu & instrumentis loquens, puta tabernacuculo, delubroque sive basi & imaginibus, exteras voces adhibuit μιμητικῶς, ut eo magis indignitatem facti, atrocitatemque impiis Israelitis ostenderet. Quod genus loquendi plerique omnes Interpretes cùm non satis animadvertissent, facilè à justa verborum ejus intelligentia aberrârunt.* Hæc Junius. Verba Amos sic habent: וּנְשָׂאתֶם אֵת סִכּוּת מַלְכְּכֶם וְאֵת כִּיּוּן צַלְמֵיכֶם כּוֹכַב אֱלֹהֵיכֶם אֲשֶׁר עֲשִׂיתֶם לָכֶם׃ Actor. 7: 43. hæc ita (ex LXX. Interpretum versione) citantur: καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ. καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ρεμφὰν, τοὺς τύπους οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς.
f Connexio textus prophetici. f Antequam ad singularum vocum considerationem accedamus, priùs in genere de connexione hujus versiculi Prophetæ Amos cum antecedenti textu, aliquid monendum. R. Salomo ita textum cohærere ferè sentit, verſ. 21, 22, 23. Deos populum suum à cultu legali Levitico in impietate vitæ obito seu exercito verſ. 24. ad pietatem & justitiam, verum Dei cultum revo-

cat verf. 25. id illustrat â tempore egressus ex Ægypto, ubi non de sacrificali cultu primario & potissimùm à se præcepta data fuisse, ostendit (conferatur Jer. 7: 22.) id quod innuatur phrasi eâ, dum Deus per Mosen Lev. 1:2. & alibi, de sacrificiis conditionaliter loquitur, אדם כי־יקריב *homo si offerat*, hoc est, si offerre velit oblationem &c. ℣s. 26. regressum fieri ad comminationem pœnæ impœnitentis populi, de qua egerat ℣s. 20. *Caligo vobis dies Domini & non lux &c.* cui h. l. subjungat Propheta ἐξηγητικῶς: *Et portabitis* (enallage præteriti pro futuro) *in captivitatem vobiscum idola vestra, quæ inimici vestri cervicibus vestris in captivitatem vobiscum deportanda imponent.* Hæc expositio comprobatur ℣s. 27. *& migrare vos faciam ultra Damascum*, q. d. non ut hactenus in habitationibus vestris ab inimicis vestris captivabimini, sed in manus Sancherib Regis Assyriæ traditi, in longinquas ab hinc terras transportabimini &c. Hæc ferè R. Salom. mens, cujus expositio non esset adeò inconveniens, (conferatur Esa. 65. vers. 11. Jer. 7: 18. cap. 44: 17. seqq. Zeph. 1: 5.) nisi allegatio Stephani Act. 7: 41, 42. ad diversam nos duceret interpretandi rationem. [a] Non enim de futuro pœnarum divinarum populo imminentium tempore, sed de præterita Israelitarum in deserto commoratione in v. 26. dicti prophetici capitis agi, ibidem vir sanctus manifestè indicat. Porrò igitur, *quando hoc ipsum contigerit*, quod Amos 5: 26. Act. 7: 43. de populo Israelitico extat, quæritur? Oecumenius in Act. 7. (verba hæc sunt Riberæ in c. 5. Amos) *factum esse* dicit, *dum Moses erat in monte cum Deo.* At quoniam ibi nihil de *Moloch*, aut de ejus tabernaculo scriptum est, mihi potiùs factum videtur, cùm populus erat in terra Moab, idque illis verbis indicari, Num. 25. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adoraverunt Deos earum:* non unum, sed multos Deos, ut etiam Josephus testatus est lib. 4. antiq. c. 6 In his erat *Moloch*, quem Deum fuisse Moabitarum affirmant Oecumenius & alii in c. 7. Actor. uti & Ammonitarum, à quibus illi acceperant, & loci & sanguinis propinquitate conjuncti. [b] Hanc sententiam amplexi porrò quærimus, *quâ connexionis ratione, idololatria antiqua illa Israelitarum, à Propheta allegetur?* Resp. vers. 20. pœnas divinas fuerat comminatus, vers. 21. seqq. prolepsi occurrit, ne putent, posse sacrificiis Deum placari, sine conversione scil. & fide verâ oblatis. Talia enim sacrificia & totum eorum cultum se odisse Deus pronunciat: v. 24. ad fidem & pietatem, quæ operibus justitiæ erga proximum se exerit, populum revocat, vers. 25: 26. idololatriam modernam, collatione avitæ majorum impietatis & superstitionis (etiam eo tempore exercitæ, quo maximè Dei solius colentes & amantes esse debuissent, recens videl. ex Egypto mirabiliter educti) exaggerat: q. d. non hodiè vel heri demum cœpit vestra superstitio & idolorum cultus, sed jamdiu vestræ genti adhæsit, & malum quasi exhæreditarium, ℣s. 27. ad comminationem pœnæ revertitur, q. d. quia majorum vestrorum estis omninò æmuli in idolatria, impietate & injustitia, igitur illa etiam vobis pœna irroganda, quam idololatriæ comminatus sum, Exo. 20: 5. Deut. 27: 15. &c. His ita præmissis ad singularum vocum considerationem accedimus. I. Et portâstis (confer Es. 46: 7. Bar. 6: 3, 25.) את סכות LXX. τὴν σκηνὴν, *tabernaculum*, à סָכַךְ *obtexit*. [c] Quidam *idolum* vertunt appellativè. Alii (notante R. Kimchi) vertunt, ac si esset à סכת in Hiphil הִסְכִּית *auscultavit*, Deut. 27: 9. q. d. auscultâstis cultui falsorum Deorum. E contrario verò sunt, qui ut nomen proprium idoli hanc vocem *Siccuth* accipiunt, R. Salomo, R. Kimchi, quos Lutherus (cujus vide notam marginalem Germanicam) Chemnitius in Exam. C. T. part. 4. de imag. p. 678. Schindlerus, Ariæmont-Vatablus, & alii sequuntur, *à protectione, tegumento, seu munimento* appellationis ratione deductâ. Prior autem interpretatio (quâ *tabernaculum* vertitur) verior esse videtur, quam & Lucas sequitur allegato Actorum loco. Quò pertinet, quod Seldenus de Diis Syr. p. 98. *Lecticam* per hoc σκήνωμα intelligit, in qua portabant Numinis, id est, Molochi imaginem. Quem ad sensum allegat Servium in notis ad Virg. Aen. 6. Eustathium ad Iliad. α. Herodianum lib. 5. Macrobium Saturnal. 1. cap. 23. Strabonem lib. 4. II. מַלְכְּכֶם LXX. τοῦ Μολὸχ, [d] *Moloch.* Junius & Tremellius: *Tabernaculum Melechi vestri:* ubi hanc subjiciunt notam exegeticam: *Ministravistis specie quidem tabernaculo Dei vivi: re autem verâ coluistis Melchum Ammonitarum Deum, (quem vestrum impietate vestrâ effecistis,) & alios gentium exterarum deos: Synecdochicè. Hunc autem Deum Ammonitarum Propheta solummodo hoc loco nominat, quia Ammonitæ in propinquo erant; ut acriùs foderet ipsorum idololatriam.* Hæc illi. Tarnovius affixum in מַלְכְּכֶם notare ait, *quod Israelitæ ad formam idoli Ammonitici proprium idolum sibi fabricaverint.* E contrario verò sunt, qui appellativè hanc vocem accipiunt, ut conjuncta præcedenti sit *tabernaculum Regis vestri*, hoc est, idoli, Regis instar summi â Vobis habiti & culti. Chald. *Et portastis tabernaculum* (eadem vox quæ in Hebræo est),

[a] De tempore hujus idololatriæ.

[b] Quâ connexione antiqua idololatria à Propheta allegetur.

[c] Siccuth.

[d] Moloch.

est) פְּתוּמֵיכֶם *idolorum vestrorum*, Vel (ut illi, qui nomen antecedens ut proprium accipiunt) *Siccuth Regem vestrum*, hoc est, cui tanquam Regi paretis. Ita Vatablus, qui ex R. Kimchi subjungit, *nomen hoc esse stellæ, quam tanquam Regem super se venerabantur:* Aut (quod Kimchi addit) *quòd ea stella sit ob magnitudinem suam, quasi Rex exercitus cœlestis*, seu reliquarum stellarum: sicut Jer. 44: 17. *Regina cœli*, eodem sensu fit mentio. Prior sententia *de Moloch* verior est: quâ cum conferri potest: quod Zeph. 1: 5. dicitur. III. וְאֵת כִּיּוּן צַלְמֵיכֶם. Quidam vertunt: *& imaginem simulacrorum vestrorum*, ut sit ἐκ παραλλήλυ κατὰ πλεονασμὸν dictum; de quo tract. 1. de nomine can. 31. כִּיּוּן enim *imaginem* notare, à כּוּן *aptare*, *firmiter collocare*, quòd imagines idololatriæ firmiter in altaribus collocarentur, Esa. 41: 7. Alii vertunt, *& basin imaginum vestrarum:* basin scil. affabrè factam, cui impositæ erant imagines idolorum, ut tantò melius de loco in locum possent transferri, & in delubro reponi. Hanc versionem Junius sequitur in posteriori Bibl. editione. Alii: *& placentam imaginum vestrarum*, hoc est, quam offertis imaginibus vestris seu idolis. Sic Jer. 7: 18. *ut faciant placentas Reginæ cœli:* & cap. 44: 19. ubi in Hebræo est כַּוָּנִים quod ejusdem cum כִּיּוּן originis est, à כּוּן *aptavit:* quod placentæ illæ singulari studio pararentur. E contrario verò sunt, qui & hanc vocem, *Cyun*, ut propriam accipiunt; 1. Vel pro *idoli* nomine; existimat enim Aben Ezra, significari *Saturni stellam* (שַׁבְּתַאי iis dictam) quæ in Arabica & Persica lingua dicatur כֵּיוָאן, cui voci cum כִּיּוּן (mutatis modò punctis) benè convenit. Ita & Ariasmontanus. Alii *Sirium* seu caniculam stellam intelligi opinantur, cujus cultum apud Ægyptios didicerint. Illi enim ortum caniculæ sacrum habent, quòd illius exortu Nilus exundet, & fertilem reddat Ægyptum. Hinc annum inde ordiuntur, ac numerant annum illum Magnum, solarem & κυνικὸν, qui habet annos communes 1460. quem Plato postea transtulit in sua dogmata. Accedit, quod vox Hebræa *Chyun*, Græcæ sit affinis, κύων, *canis*, ut Græca ab Hebræa promanâsse videatur. Hæc Aretii verba sunt, qui ut verisimilem hanc explicationem amplectitur. Addit etiam, *Chyum ab æstu nomen habere:* quod quá ratione verum sit, non video, nisi ad Chald. כְּוָא *uri*, *aduri*, respexerit forsan &c. 2. Vel pro *urbis* nomine, ut Tremel. & Junius, qui in prima Bibl. editione ita voces has transvertunt: *Et* (imagines) *Cynis, imagines vestras.* In annotat. *Cynis oppidi propinqui in finibus Ammonitarum, quod Stephanus Act. 7: 43. appellat Remphan; quæ nova fuit oppidi illius appellatio, aut etiam Rephon sive Rephan*, 1 *Macc.* 5: 37. *& apud Josephum lib.* 12. *antiq. Judaic. cap.* 12. In parall. h. l. Ruffinum etiam, Josephi interpretem & Chaldæum interpretem, Junius allegat: additque *oppido illi tutelarem Deum, Rephan sive Remphan videri præfuisse.* Sed occasione hac ad locum Actor. 7: 43. revertimur, ubi pro כִּיּוּן legitur ῥεμφὰν, (quod nomen transpositis in textu Prophetæ dictionibus adjicitur, כּוֹכַב אֱלֹהֵיכֶם LXX. καὶ τὸ ἄςρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν ῥομφᾶ. Stephanus: καὶ τὸ ἄςρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ρεμφὰν.) De ea igitur voce, *quomodo cum Hebræa conveniat*, vel ad eam reducenda sit, quæritur? Præter allatam Junii sententiam, duo potissimùm sententiarum hic sunt divortia. *Quidam* enim ut diversam ab Hebræa כִּיּוּן, *quidam* verò ut eandem (sed commutatam paulùm) cum ea accipiunt. Ad *priorem* classem pertinent (1.) qui ab Hebræa voce רפא dictam existimant, quæ *gigantem* inter alia significat, ut per antonomasian significetur *Hercules*, qui apud Ethnicos giganteâ specie fingebatur. Et hunc ab Ægyptiis adoratum, & *Chonem* fuisse appellatum quidam tradunt, quod nomen cum Hebr. כִּיּוּן in Amos convenit. Confer Selden. de diis Syr. p. 259. cui hoc minus placet. (2.) Qui *Remphan* pro *Rimmoni* accipiunt, qui fuit Syrorum Deus, 2 Reg. 5: 18. Et sic scriptum esse in Luca ῥεμφὰν pro ῥεμμὼν vel ῥεμὰν, uti LXX. legunt 2 Reg. 5: 18. unicâ interpositâ literâ. (3.) Qui (Sirium intelligi in Propheta opinantes) ῥεμφάν pro ῥέμβαν scribi ajunt, à ῥέμβειν, quod *in gyrum agere* significat: Sirius enim canes in rabiem versos circumagit. (4.) Qui contractum nomen existimant ex *Reemphan*, hoc est, רְעַם־פָּעַם quod interpretantur, *Jupiter* βροντεὺς aut ζεὺς βροντικὸς, notante Drusio in præter. lib. 5. p. 171. Sed cùm inconvenientes & coactæ videantur hæ interpretationes, igitur *Posteriori* potiùs assurgendum interpretum classi, qui pro eadem cum Hebræo כִּיּוּן hanc vocem accipiunt, sed immutatam esse quacunque ratione dicunt. Pro Hebræo כִּיּוּן punctis sublatis LXX. legisse videntur רֵיוָן (litera כ infernè evanidâ seu erasâ) unde ῥεφὰν (quæ lectio in Theodoreto quæst. 25. in Levit. extat) & insertione τοῦ μ. ῥεμφὰν *Remphan*, facilè fieri potuit. Notum enim est, quàm variè nomina Hebræorum propria ad exteras linguas commigrantia, literis & punctis vocalibus mutentur. Et conjecturæ dictæ favet, quod Nah. 1: 6. pro eadem litera כ in voce כָּאֵשׁ *sicut ignis;* LXX. legerunt רֹאשׁ *caput*, *princeps*, vertunt enim ἀρχὰς *principatus*. Hæc de voce *Remphan*, cui in LXX. interpretum versione subjicitur, τοὺς τύπυς αὐτῶν. Act. 7. fine pronomine, τοὺς τύπυς: respondens Hebræo צַלְמֵיכֶם *imaginis vestras*, vel *imaginum vestrarum*.

Marginal notes: b Remphan. Act. 7. — a Cyun.

*rum.* IV. כּוֹכַב אֱלֹהֵיכֶם LXX. & Stephanus in Luca, καὶ τὸ ἄςρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν, *sidus Dei vestri.* Per quod illi *Cyum* seu *Rempha* Deum intelligunt, facta, uti dictum, transpositione verborum. Alii autem *Luciferum*, qui à Saracenis etiamnum divino cultu affici dicitur. Ita Hier. in comm. h.l. Alii *Saturnum.* Alii *Sirium*, ut superiùs dictum, quem *Cyûn* esse volunt. Rectius, ut videtur, per synecdochen imagines corporum cœlestium intelliguntur, quæ pro Diis habuêre, & simulacris adornârunt idololatræ. Tandem additur V. אֲשֶׁר עֲשִׂיתֶם לָכֶם *quod fecistis vobis.* LXX. οὓς ἐποιήσατε αὐτοῖς. Lucas: οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς, *quos* (typos seu simulacra: ad illos enim, non ad *sidus*, ut in Hæbræo, relativum refertur) *fecistis ad adorandum ea*, q. d. & id contra præceptum meum, Deut. 4: 19. Confer 2 Regum 17: 15. Jer. 19: 13. cap. 44: 17. &c. Tantum de hoc loco. Adjiciamus alia observationis exempla.

a Nah. 2: 7. initialis vox est, וְהֻצַּב, quam Hebræi quidam ut nomen proprium Reginæ Assyriorum accipiunt: Sequuntur enim & verba fœminini generis, & prædicata Principi fœminæ congruentia: *Et Huzab* (regina) *retecta erit* (hoc est, educetur è suo thalamo, in quo delitescere solebat) *jubebitur ascendere* (currum sc. ut abducatur in captivitatem) *& ancillæ ejus ducentes* (eam) *voce simili columbarum, percutientes pectora sua.* Ita ex Hebræis Varablus. Quidam paulò generaliùs, non ut nomen Reginæ proprium, sed ut nomen appellativum, *Reginam* significans, accipiunt, secuti, uti videtur, interpretem Chaldæum, qui periphrasticè pro hac voce habet, וּמַלְכְּתָא יָתְבָא בִּצְבָא *& Regina sedens in Lectica* seu *curru Camerato* (in opere Regio vertitur: *Et Regina, quæ sedebat assistens.*) R. Sal. tradit, quod ita dicatur Regina הנצבת לימין המלך *quia dextera Regis* mariti *adstat*, secundum illud, Psalm. 45: 10. נִצְּבָה שֵׁגַל לִימִינְךָ *astat conjux ad dextram tuam.* Sed si ita esset, fœminino genere procul dubio Propheta fuisset usus. Sanius est, pro præterito Hophal (quod forma & punctatio ostendit) hanc vocem accipere, & ita locum trans-ferre: וְהֻצַּב *postquam statio posita fuerit* (seu *& statione posità*, Junius) *deportabitur* (Ninive) *deducetur*: *& ancillæ ejus* (hoc est) Principes fœminæ ejus *quæ ita dicuntur, quòd instar ancillarum ibunt in captivitatem*, R. Kimchi) *comitantes eam voce simili columbarum &c.* Proponit Propheta Niniven urbem, ut fœminam primariam, quòd & aliàs fit sæpissimè, ut in Rhetorica sacra suo loco dicetur.

b Mich. 1: 11. Transi habitatrix שָׁפִיר *elegantis* loci, *nudata pudendis*: *non exibit habitatrix* צַאֲנָן *Zanaan*, (Jun. loci *pecorosi*, à צאן *pecus*) *planctus* erit בֵּית הָאֵצֶל *in Beth-hazel* (Jun. *in locis adjacentibus*, אצל *penes* seu *propè* significat, hoc est, in cultioribus, quæ secundùm agros uberes sunt, & de illorum copia fructum percipiunt. Luth. Und des Leydes willen des Nehesten Hauses) *quæ accipiunt à vobis constitutionem suam* (Jun. id est, rationem & quasi leges vitæ suæ accipiunt à locis uberibus &c.) vers. 12. *Nam dolebit propter bonum* [videl. amissum clade publica] *habitatrix* מָרוֹת c *Maroth.* [Jun. *asperarum* Sedium] *cùm descenderit malum à Jehova, in portam Jerusalem.* De hac versione suâ, ut nominum appellativorum, ita Junius in vers. 30. *Voces, quas interpretes ferè, ut proprias, accipiunt, nos appellativè reddimus: nam consilium Prophetæ est, inde ab hoc versu, Jehudæ suas calamitates prædicere, ut Benjamini proximè præcedente. Jehuda autem agrum dividit in elegantem uberemque, & in asperum ac steriliorem: futurumque omninò prædicit, ut totus ager acerbissimo luctu perfundatur &c.*

d Zeph. 1: 11. *Ululate habitatores* הַמַּכְתֵּשׁ Hoc nomen quidam ut *proprium loci* accipiunt, qui fuerit in imo urbis Jerusalem, à profunditate sic dictus, similitudine *mortarii*, quæ vocis aliàs est significatio. Aben Ezra vicum urbis intelligit, à mortario appellatum, ut ferè omnes plateæ nomen à certa aliqua re habere solent. Chaldæus: *qui habitatis in valle Kedron*: quæ sc. profunda est instar *mortarii*, ut R. Salomo hoc explicat. Alii autem appellativè accipiunt, vertentes, *habitatores cavi* [loci cavi, similitudine *mortarii*, uti vox ea Jud. 15. ℣. 19. usurpatur] hoc est, negotiatores omnes, in cavo oppidorum interstitio habitantes, inde à porta gregis ad portam Ephraimi, ubi erat vicus aurifabrorum, pigmentariorum, aromatariorum &c. Neh. 3: 8, 32. ita Junius. Alii, sensu non valdè dissimili, vertunt, *habitatores pilæ* seu *mortarii*, hoc est, loci, in quo cùm alia ad luxum requisita, tùm imprimis ad usum vitæ necessaria frumenta contusa & arte parata aut tosta vendebant. Agit enim Propheta de mercatoribus. B. Luth. Die ihr in der Mühlen wohnet: versione ad nostrum tempus accommodata, (veluti Psal. 118: 27.) quod enim nunc molæ sunt, id olim, ante inventas molas, fuisse pilas seu mortaria, verò perquam simile est &c.

e Zephan. 3: 10. *Qui sunt trans flumina Chus* (seu Æthiopiæ) עֲתָרַי בַּת פּוּצַי *afferent munus mihi.* Verba Hebræa posita R. Kimchi, ut *nomen proprium gentis*, trans flumina Æthiopiæ habi-

a Huzab.
b Zaanan Beth-haezel.
c Maroth.
d Machtesch.
e Atharai filia Puzai.

habitantis, accipit: quem sequitur Schindlerus in Lexico col. 2412. igitur retinet ea in versione Latina: *Athareos filiam Puzai.* Sed rectiùs R. Salomo appellativè vertit: עֲתָרַי h. e. *qui invocant me*, seu supplices mei: בַּת פּוּצַי h. e. *congregatio eorum, qui à me dispersi fuerunt* (à פוץ *dispergi.*) Quo cum exactè convenit Lutheri versio: Man wird mir meine Anbeter / nemlich die Zerstreueten / von jenseit dem Wasser im Morenland / herbringen zum Geschenck. Chaldæus ita transfert: *A transitu fluviorum Indiæ* בְּרַחֲמִין *in miseratione afferent captivam multitudinem populi mei, quæ deportata fuerat &c.* Ubi illud: *in miseratione*, respondere videtur Hebræo עֲתָרַי. Ita enim Chaldæum explicat R. Kimchi: *Et Jonathan* (inquiens) *interpretatus est* עתרי, *quòd ita Deus benedictus populum Israël vocet* שיעתר להם *quia exorabitur illis*, & ita misericordiam suam ei exhibebit. Cæterùm (sensum quod attinet) עֲתָרַי illi, vel in *accusativo*, sunt munus ipsum, quod affertur, quomodo Lutheri versio habet: vel in *nominativo*, sunt ii, qui munus Deo gratum offerunt (Rom. 12: 1.) ut significet Propheta, futurum, ut electi fideles non consistant in uno loco, puta in Judæa, sed dispergantur per totum mundum, ita ut etiam apud interiores Æthiopes habiturus sit Dominus, qui eum colant, & pro redemtore suo agnoscant, offerentes ei munera. Confer Esa. 18. ℣s. 1, 7. Complementum hujus vaticinii aliquod habetur Acti. 8. dum Æthiops convertitur: & narrant scriptores Ecclesiasticæ historiæ, Matthæum Apostolum in Æthiopiam usque pervenisse, ibique doctrinam Euangelii de Christo propagâsse. Euseb. lib. 3. hist. Eccles. c. 1. quin hodieque in regno illo (Abyssinorum quod vocant) Ecclesia Christianorum satis florens existit.

a Hadrach. [a] Zach. 9: 1. *Onus verbi Jehovæ in terram* חַדְרָךְ Hanc ut propriam multi interpretantur, ac si nomen loci in Damasco esset (quæ civitas h. l. memoratur) & ita ex R. Jose quodam Kimchi, & R. Salomon in h. l. Ubi & R. Jehudæ filii Eleai tistimonium adducitur, qui dixit, *Hadrach esse nomen Messiæ, qui est* חד *acutus, adversus populos hostiles, &* רך *tener seu mollis, erga populum Israel.* Quam etymologiam Hieron. etiam amplectitur, & ad Deum refert, in comment. h. l. *Est ordo verborum: Assumtio verbi Domini, acuti in peccatores, mollis in justos.* חדרך *quippe hoc resonat, ex duobus integris nomen compositum:* חד *acutum,* רך *molle tenerumque significans. Quidam referunt Hadrach ad populum Judæorum; Damascum ad vocationem gentium. Unde pondus sive assumtio verbi Domini in terra Hadrach, super quam & austeritatem suam Dominus exercuit, & clementiam: austeritatem in eos, qui credere noluerunt; clementiam in illos, qui cum Apostolis sunt reversi &c.* Chaldæus genericè vertit, *terram Australem.* Lutherus *Syriam* interpretatur, & in comment. super h. l. deducit à חָדָה *Lætari*, & רַךְ *tener* seu *mollis*, q. d. terram lætantem & teneram, das zarte verzumpen Land / das bisher eitel Freuden / guter Tage und Ehren gewonet ist; tom. 4. Jen. Germ. p. 288. Sunt, qui *Regem Damasci* esse existimant. Verùm cùm nihil horum, aut in Scripturis aut in Historiis fide dignis extare deprehensum fuerit, igitur Junius ut vocem appellativam Syri idiomatis accipit, ita locum vertens: *Prophetia onerosa est verbi Jehovæ in terram* חַדְרָךְ *circumstantem te*, id est, Deus gravia illis regionibus mala prænunciat, quæ sunt in circuitu tuo, ô Judæa, & quæ per vicinitatem impia sævaque odia & bella in Judæos exercuerunt. Syrâ voce uti Prophetam ait, (חדר enim *circumire, circumdare*, Syris est, ex Chald. חזר) quia de illis gentibus agit, apud quas lingua Syriaca obtinebat. Sic alibi etiam Prophetæ μιμητικῶς ludificantur gentes ex ipsarum linguis, venustatis ergò, Esa. 14: 4. Jer. 10: 11. c. 25: 26. c. 51: 41. Sequitur in textu: *Et Damascus requies erit illius*, h. e. regno Damasceno insidebit & incumbet onus hac Prophetiâ denunciatum, ac si eo conquiesceret &c. Vide etiam D. Tarnov. in h. l.

b Gammadai. [b] Tandem huc referre placet Ezech. 27: 11. גַּמָּדִים *Gammadai in turribus tuis erant.* Lutherus eam vocem ut appellativam accipit, Wächter auff deinen Thürnen: ad sensum procul dubio respiciens, neque enim dubium, in turribus ideò hoc hominum genus constitutum fuisse, ut custodias ibi agerent: unde & Græci verba hæc ita reddunt: ἀλλὰ καὶ μῆδοι ἐν τοῖς πύργοις σου ἦσαν Φύλακες, *sed & Medi in turribus tuis erant custodes* (גם מדים lectum fuit ab hoc interprete, quem Symmachum fuisse ex Hieronymo tradit Fullerus, ut duæ voces, גם מרים *etiam Medi*,) ut est in editione Operis Regii: velut in aliis. Φύλακες ἐν πύργοις σου ἦσαν, quod cum Lutheri versione exactè convenit. Quid autem propriè *Gammadai*? *Pygmæos* vertit vulgatus interpres Latinus, quem Pagninus & Ariæmontanus sequuntur: & Hebræorum communis hæc sententia est, intelligi homines, qui cubitali mensura sunt, & turribus impositi arte sagittandi valent. Etsi aliam *Pygmæorum* nominis etymologiam Hieronymus tradit, in comment. h. l. *Pygmæi sunt, h. e. bellatores, & ad bella promtissimi:*

ἀπὸ

ἀπὸ τῆς πυγμῆς, *quæ Græco sermone in certamen vertitur.*) Deducitur enim vox illa à גֹּמֶד *cubitus, mensura cubiti.* Alio nomine vocari ננסים R. Salomo & Kimchi tradunt, quæ vox Græca νάνος, *nanus* est; dictus, uti Græci ajunt, à νὴ particula privativa, & ἄνω *sursum*, quòd proceritate seu altitudine careat. Et Pygmæos quidem seu nanos *vel* verè sic dictos, parvæ scil. staturæ homines, intelligunt: *vel* apparenter, sensu eo; qui fuerunt super turribus, visi sunt præ altitudine turrium, hominibus in terra stantibus, tanquàm cubitales, id est, cubiti longitudine Pygmæi. Quæ sententia priori tolerabilior ab aliquibus putatur: Et exterminari tandem aliquando, præcipuè ex sacris voluminibus, perridiculam & omninò commentitiam Pygmæorum gentem, monet & inculcat Fullerus lib. 6. misc. sacr. cap. 3. qui aliâ ratione גַּמָּדִים *cubitales* vel *brachiales* à quibusdam dici monet, quòd brachio potentes & robusti essent: & huc respexisse LXX Interpretes, quando Φύλακας vertunt, (cum milites in præsidiis collocandi ad urbem tuendam, soleant deligi fortes imprimis & robusti) sed & hanc significationem vocis Hebrææ insolentem esse & inauditam, cùm vir fortis & robustus iis dicatur גִּבּוֹר & אִישׁ חַיִל, aliisque hujusmodi nominibus, nunquam verò גמד. Tandem igitur illorum amplectitur sententiam, qui גַּמָּדִים *Gammadæos* reddunt, nimirum *incolas urbis Gammadès in Phœnice; quam ipsa se condens terra unà cum agris circumjacentibus devoravit*, uti Plinius narrat lib. 2. cap. 91. ipse tamen ibidem eandem urbem *Gammalen*, pro *Gammaden*, vitiosè appellat. Junius in notis etymi rationem addit, *quia regio fuerit Phœnicia cubitali forma projecta in mare &c.* De aliis peregrinis hujus verbi versionibus (ut quod Chaldæus vertit, *Cappadoces*: item, quod R. Salomone ex traditione cujusdam R. Menachem tradit, intelligi *Urinatores, qui in ipsum usque profundum maris descendentes, explorant cubitos alitudinis ejus &c.* cùm tamen his in profundo versantibus, cum excelsis turribus, aut earum in sublimi propugnatione, nihil commercii sit) jam non opus est copiosiùs dicere.

## III. DE NOMINIS PROPRII

### peculiari usurpatione.

Hæc duplex est: 1 Scripturæ ipsius, 2 Interpretum. *In Scripturis* nominis proprii translatio fit, 1 Cùm nomen pro re ipsâ ponitur, observ. 18. quod ad metonymiam referri potest, cùm adjunctum quasi pro subjecto ponatur. 2 Cùm nomen unius ob similitudinem alteri attribuitur, observ. 19. quod ad metaphoram spectat. 3. Cùm nomen civitatis pro agro circumjacente accipitur, observ. 20. quod itidem metonymicum est, cùm civitas ut subjectum, pro adjuncto ipsi agro sumatur: De *interpretum* allusivâ nominum propriorum tractatione, observ. 21.

## Observatio XVIII.

*Nomen vel verè vel quasi proprium, alicui vel homini, vel rei, imponi dicitur, cùm indicetur res ipsa, tali nomine significata.*

Seu breviùs: *nomen ponitur pro re ipsa. Talis quandoque vocatur quis, qualis vocari dignus.*

Ratio dependet ab Hebræa consuetudine, quâ *vocari* idem est ac esse vel *existere*, ut supra tract. 3. can. 16. dictum est.

Esa, 7: 14. *Vocabis nomen ejus* (Messiæ) *Immanuel*, h. e. verè erit Deus nobiscum, θεὸς ἐνσαρκωθεὶς καὶ σκηνώσας ἐν ὑμῖν, uti explicatio Joh. 1: 14. habetur. Non de nomine exquisitè, sed de re ipsa Spiritus sanctus in nomine illo, uti & in iis, quæ jam sequuntur, sollicitus est.

Esa. 9: 6. *Vocabitur nomen ejus* (Messiæ) פֶּלֶא *admirabilis*, יוֹעֵץ *consiliarius*, אֵל גִּבּוֹר *Deus fortis*, *heros*, אֲבִי־עַד *Pater æternitatis*, שַׂר שָׁלוֹם *Princeps pacis*, h. e. verè Messias talis erit, & ab omnibus agnoscetur, qualis nominibus istis describitur. Vide Flacium part. 1. clav. Scrip. col. 119.

Esa. 62: 4. *Non vocaberis ultra* עֲזוּבָה *derelicta &c. sed vocaberi* חֶפְצִי־בָהּ *Chephzibah*, hoc est, non eris ampliùs derelicta, sed eris ita exornata & amœna, ut voluptas mea seu beneplacitum meum in te futurum sit. חֶפְצִי־בָהּ *Chebzibah*, aliàs nomen proprium est matris Manasses Regis Judæ, 2 Reg. 21: à חֵפֶץ εὐδοκία, *complacentia, voluptas*, & בָּהּ pronomen cum præfixo, *in illa*.

Videantur etiam loci Jer. 23: 6. c. 33: 16. Ezech. 48: 35. Zach. 6: 12. c. 8: 3.

## Observatio XIX.

*Nomen proprium unius quandoque alteri imponitur ob similitudinem, vel etiam typum.*

### 1. In nominibus personarum.

2. Reg. 9: 31. *Cùm Jebu ingrederetur portam, dixit illa* (Izebel) *prosperène, ô Zimri, occisor Domini sui!* q. d. ô alter Zimri. 1 Reg. 16. ℣ſ. 11. seqq. cujus conspirationis ultio fuit per Homrin socerum Izebelæ.

Esa. 55: 34. Christus Salvator noster appellatur *David*, quia scil. David Christi typus, eique peculiariter hîc promissus fuit. Sic & Jer. 30: 9. Ezech. 34: 23, 24. cap. 37: 24, 25. Hos. 3: 5. Junius etiam addit Psal. 132. ℣ſ. 10. *Propter David servum tuum, ne avertas faciem uncti tui*, hoc est, propter Christum filium Davidis.

Hag. 2: 23. Christus per *Zerubbabel* intelligitur. Vide notam Junii.

Malach. 4: 5. Johannes Baptista nominatur *Elias*, ut explicat ipse Christus Matth. 11: 14. cap. 17: 11, 12, 13. ob similitudinem, quia *in spiritu & virtute Eliæ* antecessit Christum Salvatorem, explicante Angelo Luc. 1: 17. *Cinctura & vestis utriusque eadem fuit. Izebelem ille: hic Herodiadem offenderat libertate increpationis. Vasta ambo & inculta loca, procul à mortalium profanâ multitudine habitavêre. Adde quòd idem Numinis afflatus, & eodem pacto utrumque inflammavit*, quæ Cunæi lib. 3. de Repub. Hebr. c. 7. verba sunt. Confer Dan. Heinsium in Aristarcho Sacr. cap. 5. pag. 140.

### 2. In nominibus locorum.

Esa. 2: 2, 3. *Zion* mons & *Hierosolyma* pro Ecclesia N. T. quæ *domus Dei* est, 1 Tim. 3: 15. accipitur. Sic & cap. 40: 9. cap. 49: 14. cap. 59: 20. Zach. 9: 9. Galat. 4: 26. Hebr. 12: 22. quia hujus typus in monte & civitate sanctâ præcessit: & ex urbe Hierosolyma vox Euangelii prodiit in universum orbem terrarum, Esa. 2: 2. Ponitur & *Hierosolyma* pro Ecclesia triumphante in vita æterna, Apoc. 21. ℣ſ. 2

Joël 3: 2. (al. 7.) *Vallis Josaphat* eâdem significatione ponitur. *Congregabo omnes gentes* (verba sunt Jehovæ) *& deducam eos in convallem Josaphati*, hoc est, in conspectum totius Ecclesiæ meæ, quemadmodum convallis Josaphati (quæ nomen habuit à victoria insigni, de qua 2 Paral. 20.) sita erat proximè Jeruschalaima in conspectu urbis ipsius. Sic ostendit Deus, *Sanctos mundum judicaturos esse*. 1 Cor. 6: 2. sumto typo ex constitutione veteris Ecclesiæ, quæ definiebatur Zione & Jerusalem, ut Propheta dixit c. 2: 32. Et ipso *Josaphati* nomine ad judicium illud divinum alluditur. Significat enim, *Dominus judicat*; unde Chaldæus vertit: *in vallem distributionis judicii*. In ℣ſ. 14. dicitur vallis הֶחָרוּץ *definita*, nempè ad judicium. Et ℣ſ. 11. *robustorum Dei*, hoc est, Angelorum mentio habetur. Confer Matth. 25: 31. & 2 Theff. 1: 7.

a Gehenna. a Matt. 5: 22. Infernus, locus damnatorum dicitur *Gebenna*, ut & Marc. 9: 43, 45, 47. Luc. 12: 15. Jac. 3: 6. Est autem *Gebenna* Hebræum גֵּיהִנֹּם *Gebinnom* vel *vallis Hinnom*, Jos. 15: 8. quæ & dicebatur גֵּי בֶּן הִנֹּם *vallis filii seu filiorum Hinnom*, Ibid. In ea horribilis τεκνοφονία per ignem, in cultum Molechi idoli exercebatur, 2 Reg. 21: 6. cap. 23: 10. 2 Paral. 28: 3. Jerm. 7: 31. cap. 19: 3, 4, 6. c. 32: 35. Vide & Lev. 18: 21. cap. 20: 2, 3, 4, 5. De eodem observandus est locus Ezech. 43: 7, 9. ubi *cadavera Regum* memorantur. Atque his immanissima illa sacra intelligi, quibus liberos suos idolis vivos cremabant, non absonè interpretes quidam statuunt. Vocari autem *cadavera Regum*, vel quòd Regum autoritate & exemplis reliqui peccarent, sicut de Manasse relatum est; vel quòd gentilium idola, Ammonitarum maximè, etiam ipsa *Reges* appellarentur. Inde *Molech* Lev. 18: 21. cap. 20: 2, 5. 1 Reg. 11: 7. 2 Reg. 23: 11. Quod ipsum etiam *Milcom*, 1 Reg. 11: 5, 33. 2 Reg. 23: 14. &c. (Possunt etiam ad hunc liberos immolandi cultum idololatricum referri, quæ de Saturninis sacrificiis tradit Lud. Vives, comm. in lib. 7. August. de C. D. c. 19.) Cæterùm in eadem convalle ædificatus locus quidam excelsior, vocabatur *Tophet*, in quo sæva illa immolatio liberorum exercebatur. Vide Buxtorff, in Lex. p. 108. seqq. ubi ex Rabbinis tradit, הִנֹּם dici à נהם *rugitu*, seu clamore & ejulatu puerorum immolatorum: תֹּפֶת verò à תֻּפִּים *tympanis*, quæ pulsabantur, ne parentes ejulatum pueri audirent. Aretius in Act. 7. p. 40. *Erant illius* (Molech) *sacrificia Saturnina, offerebant enim ei liberos vivos comburendos. Formam idoli perbibent fuisse vitulinam, passis semper manibus, concavum, & septem conclavibus interstructum; primum simile, alterum turturibus, tertium ovi, quartum arieti, quintum vitulo, sextum bovi, septimum homini vivo consecratum. Et cùm cremabatur homo, tympanis ludebant, ne ploratus exaudiri posset.* (Nota,

ta*, quosdam esse Interpretes, qui Molocho filios non planè concrematos, sed per ignem tantùm initiatos & consecratos esse statuunt: moti phrasi illâ, quæ in adductis locis usurpatur, העביר באש *traducere per ignem*. Initiandi autem rationem fuisse ajunt, quòd extructæ fuerint duæ pyræ, & initiandus nudis pedibus eas pertransierit: Sed hanc sententiam præter alia redarguit phrasis altera, quâ *mactari* seu *jugulari* traducti illorum per ignem liberi dicuntur Psal. 106: 37. Ez. 16:21. c. 23:39. Vide Schindlerum in Lex. col 1009. Junium tom. 1. oper. col. 1002. Flacium in clave Script. col. 1228. & Joh. Seldenum de diis Syr. Synt. 1. pag. 76.) Istius igitur loci nomen ad ignem infernalem æternum denotandum pòst transumtum est, uti ex verbis Christi d. l. constat. Et fuit ista appellatio translatitia tùm temporis inter homines vulgaris, uti ex Talmud. ibid. Buxtorff. tradit. Esa. 30: 33. itidem תָּפְתֶּה *infernus* dicitur, à nomine תפת, qui locus in valle Hinnom fuit, cujus meminit Jeremias cap. 19: 6. Desumta est appellatio ex quacunque analogia & quasi typo infernalium cruciatuum, qui in Gehinnom fuit. Unde & per ignem (qui cruciatus omnium maximos facit) crebrò in Scripturis describitur, Esa. 66:24. Matth. 18:8. Marc. 9: 45. Apoc. 21: 8. Ariæmon. in lib. Joseph, sive de arcano Sermone, p. 35. *Huc pertinet Gebenna nomen, quod à valle, olim detestandis sacrificiis, & horribili deinde adjecto sterquilinio, infami, ad infernum inferiorem cruciandorumque sedem translatum, & perpetuò usurpatum est, sive Gehenna solum, sive Gehenna ignis dicatur.* Vallis illa dicitur העמק הפגרים: *vallis cadaverum & cinerum*, Jer. 31: 40. perinde ut damnati in inferno פגרים *cadavera* dicuntur Es. 66. ult. R. Kimchi in Psal. 27: 13. aliam appellationis metaphoricæ tradit rationem: *Gehinnom* (inquiens) *fuit locus spretus, in quem abjecerunt sordes & cadavera, & fuit ibi perpetuò ignis, ad comburendum sordes illas & ossa: propterea parabolicè vocatur judicium* (condemnatio) *impiorum Gehinnom.* Nec est silentio hîc prætereundum, quod de supplicio Ammonitarum à Davide illato 2 Sam. 12: 31. memoratur, *populum verò, qui erat in ea* (Rabba Ammonitarum) *eduxit, & subjecit serra, ac securibus ferreis, traduxitque eos per fornacem laterariam*, h. e. in loco, ubi lateres uruntur. Quibus in verbis typum judicii novissimi & æternorum inferni cruciatuum proponi, non sine causâ Theologi quidam, & inter hos B. Matthesius super Euangel. X. Trinit. tradunt. Pro Hebræa autem voce מלבן quæ *fornacem laterariam* significat, (à לבן *lateres formavit*) quæque à Masorethis in margine ut קרי seu legenda ponitur; in כתיב seu ipso textu scriptum exstat מלכן cum ה demonstrativo המלכן, quam vocem optimè Kimchius ex suprà posito *Molochi* nomine interpretatur, sic annotans: *Vult dicere, in loco Molechi, in igne, in quo Ammonitæ traduxerunt filios suos Molecho: quia Milcom idolum fuit Ammonitarum, & ipse est Molech &c.* Sequitur eum Junius in notis edit. poster. (in priori enim vertit, *in laterariam*) ubi sic addit: *Hebræam vocem sic omninò interpretor, sine mutatione illa, quæ in aliis interpretationibus ex necessitatè adhibetur, atque hanc esse germanam ejus nativamque significationem, minimè dubito.* Coronidis loco notetur vocis Gehennæ etymologia, quam Barthol. Westhemerus tradit, in libro de tropis script. Sacræ, pag. 78. *Gehennam Hieronymus dictam putat à valle filii Hinnom, de qua Jerem. 7. Sed qua ratione, quáve consequentia, sive rei, sive vocis, non video. Proinde gehennam ignis equidem dixisse Dominum puto, deducto nomine à verbo Hebræo Innah.* (ענה) *quod significat afflixit; Unde Injam* (עינין) *nomen derivatur, quod afflictionem & molestiam significat. Jam creberrimum est Græcis & Latinis, literam Γ vel G præponere dictionibus Hebraicis, incipientibus ab ע, ut vel in nomine γόμοῤῥα, id est, Gomorrha, manifestum fit. Hebræi enim efferunt Amora* (עמורה) *Unde Injan Græci dixère suo more γέενναν pro Injan, id est, cruciatu &c.*

Apoc. 11: 8. *Roma* ita describitur, quòd sit *civitas magna, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus noster crucifixus est. Sodoma & Ægyptus* dicitur, partim propter horrendas idololatriarum fornicationes, partim propter tyrannidem illam & crudelem persecutionem, qua veros Ecclesiæ cives hæc civitas ferè semper oppressit, & etiamnum premit. In hac civitate Christus crucifixus est, imò etiamnum crucifigitur, quoties Christiani ad ignem & mortem crudeli sententia damnantur. Christi enim pupilla tangitur, cùm Christianus læditur, Zach. 2: 8. Vide Dn. Balduin de Antichristo contra Scioppium, cap. 4. pag. 96.

Apoc. 16: 19. cap. 18: 2. Roma Antichristi sedes etiam *Babylonis* nomine insignitur: unde *mysterium* vocatur hoc nomen, cap. 7: 5. quod mysticè de urbe Roma & Antichristo sit intelligendum. Quo de videantur Theologi orthodoxi, præcipuè Magnificus Dn. D. Hoe in comment. Apoc. Idem nomen *Babylonis* mysticè Romæ antiquæ à Petro tribui 1. Pet. 5: ℣. 13. Bellarminus lib. 2. de P. R. c. 2. & Baronius tom. 1. annal. an 45. n. 16. existimant, videl. ut obtinere possint, Petrum Romæ tùm fuisse, cùm hanc epistolam scriberet. Sed Costerus in enchir. c. 3. p. 115. in dubium hoc rectè vo-

cat: *Ex Babylone*, inquiens, *Ægypti non incommodè dicitur ipsius* (Petri) *prior epistola scripta, quamvis plerique post Papiam Babylonis nomine Romam intelligant.* Baronius huic asserto contradicens: *Babylonii*, inquit, *Episcopi nulla fit mentio, nisi post annos* 500. *sub Justino Juniore &c.* Sed utut hoc se habeat, sufficit Ecclesiam in Ægypto fuisse illo tempore collectam, quod verissimum.

Apoc. 16: 14, 16. appellatio *Harmageddon* propheticè tribuitur illi loco, in quem congregandi dicuntur in prælium Reges totius terræ. Propriè enim est הַר־מְגִדּוֹ *mons Megiddo*, qui lugubri Josiæ Regis clade, quam à Pharaone Nechone sustinuit, celebratus est, 2 Reg. 23: 29. 2 Paral. 35:22. Zach. 12:11. (pro הַר quidem est בִּקְעָה *convallis* 2 Paral. 35: 22. Zach. 12: 11. sed tamen hæc præsentes montes præsupponit. Et verisimile est, *montis* potiùs, quàm *convallis* appellatione Spiritum sanctum fuisse usum, ut celebritatem pervulgatissimam ejus prælii indicaret, juxta illud Matth. 5: 14) Significatur igitur hoc nomine eventus istius prælii valdè luctuosus illis Regibus. Alias nominis hujus interpretationes consultò omittimus.

## Observatio. XX.

*Nomen proprium civitatis aliquando pro agro seu tractu circumjacente usurpatur.*

JOs. 14: 14. *Et cessit Hebron Calebo filio Jephunnæ Kenizzæi in possessionem*; h. e. ager Hebronis, uti ex cap. 21: 11. 12. apparet.

Jos. 24: 1. *Et congregavit Josua omnes tribus Israelis in Sichem*, h. e. in agrum Sichemitarum. Intelligit *Schilo*, quæ sita erat in agro Sichemitano, ubi tunc tabernaculum DEI erat, cap. 18: 1.

Ibid. vers. 32. *Et ossa Josephi sepeliverunt in Sichem*, h. e. in agro vicino Sichemo, uti mox explicatio sequitur. Agrum autem illum non fuisse in ipso oppido, patet ex Gen. 33: 18, 19.

Jud. 4: 2. *Et dedit eos Jehova in manum Jabinis Regis Chananæi, qui regnabat in Hazore*, h. e. in agro Hazoritano; ipsam enim urbem Hazor Josua combusserat, Jos. 11: 11, 13. ideò subjungitur, quòd resederit *in Charoschethgentium.* h. e. in loco illius tractus sylvatico, à situ sic dicto. *Gentium* autem vocatur (notante Junio) quòd eò tanquam in locum munitum & tutum se contulissent reliquiæ Cananæorum.

Jud. 13: 2. *Fuit autem vir quidam è Zorha*, h. e. agro Zorhæ; Ruri enim habitasse Simsonis parentes, ex cap. 14: 1. cap. 16: 31. cap. 18: 12. patet. De civitate autem *Zorha* videatur Jos. 15: 33. cap. 19: 41.

1 Sam. 11: 8. *Et recensuit eos in Bezek*, h. e. in Bezekano agro, Jud. 1: 4. Planum hoc est ex numero Israelitarum recensitorum, qui 330000 fuerunt. Sic c. 15: 4. *in Talaim*, h. e. agro Talaimi, oppidi tribus Juda. Confer Jos. 15: 24.

2 Sam. 16: 5. *Venit itaque Rex David usque ad Bachurim*, h. e. in agrum Bachurim. De ingressu in ipsam urbem ℣ 14. demum narrarunt. Hanc urbem Hebræi dicunt esse *Almath*, quæ 1 Paral. 6: 60. memoratur.

Sic Luc. 9: 10. *Desertum urbis, quæ vocatur Bethsaida.* Desertum Bethsaidæ, non quod in urbe fuerit, sed quia in agro censeretur ejus urbis, à qua cognominabatur.

## Observatio XXI.

*Ex nominum propriorum interpretatione & collatione suaves quidem allusiones, & utiles de sapientia Christiana commonefactiones, desumi quandoque possunt: interim tamen, ne vel coacta, vel nimis crebra ea sint, (perinde ut allegoria) sedulo videndum.*

GEn. 25: 14. inter filios Ismaelis intermedii recensentur hi tres, מִשְׁמָע וְדוּמָה וּמַשָּׂא *Misma & Duma & Massa.* Quorum significatio est, *auditus & silentium & patientia.* Quæ sunt tria piorum officia, quibus multa *audienda, mussitanda, & toleranda sunt.* Vel referri potest *auditus* ad verbi divini auscultationem; *silentium & patientia* ad illa duo, quæ Es. 30: 16. proponuntur: *in silentio & spe erit fortitudo vestra.* Confer Ps. 39: 2, 3, 4, 11, Qui hæc tria nomina ritè observat, illi certò aderit, quod parentis horum nomine continetur, *Ismael* enim (יִשְׁמַע אֵל) est, *audiet Deus fortis*, sc. orationem devotè ad se clamantium.

Exod. 12: 37. & Num. 33: 5. prima Israelitarum ex Ægypto profectio sic describitur: *Profecti filii Israelis Rahmesesô, castra posuerunt Succotis.* In quo peregrinationis Christianorum in mundo spiritualis, & ad vitam æternam profectionis, imago proponitur. (1.) *Unde egredimur?* Ex spirituali Ægypto, Apoc. 11: 8. Heb. 11: 26, 27. Ægyptus, *Mizraym* in Hebræo est, מִצְרַיִם: id punctis suis parumper variatum, sonat מִצָּרִים *ex hostibus.* Ab illis egredimur, dum

dum in vitam novam renascimur, ex Satanæ sc. inferni, & mortis potestate: ex tenebris item Ægyptiacis &c. In specie egredimur ex *Rahmeses:* quæ vox, quacunque sui parte æstimetur, mala ferè & incommoda significat; רעמסס vel רעמסס. Ecce enim רע *malum*, רעם *tonitru*, עם *populus* (Joel 2: 2. ad magnam cladem indicandam adhibetur) עמס *oneravit* מסס *dissolvi, liquefieri*, præ metu, Es. 10: 18. ex divina vindictâ, Psal. 58: 8.; unde מס *tributum*, סס *tinea*, *blatta*. ᵃ Ex his conjunctis fit *Rahmeses* vel *Rahamses*, unde spiritualiter in regeneratione egredimur: *ex malo* scil. *ex ira divina tonitru: ex pravo mundi populo: ex onere maledictionis legis: ex liquefactione præ metu* (Hebr. 2: 15.) *& vindictâ divinâ: ex tributo seu servitute peccati: ex corruptione demum & cruciatu infernali*, qui Es. 51: 8. ita describitur, *quasi pannum exedet eos* (impios) *tinea*, *& tanquam lanam exedet eos* סס *blatta*, Confer cap. 66: 24. (2.) *Quorsum imus?* in terram benedictam, & regionem viventium, cujus typus terra Canaan est, in quam Israelitæ per Josuam introducti. (3.) *Per quid eundum?* Prima Israelitarum commoratio est סכות *Succoth*, *tabernacula* significans: in his spiritualiter vivunt pii, dum spiritum in his terris trahunt. Hospites enim sunt & peregrini coram mundo, & futuram quærunt civitatem & patriam, Heb. 11: 9, 10, 13, 14. In *Succoth* suche Gott / *&c.*

Jos. 20: 7, 8. civitates refugii nominibus recensentur suis. Hæ sunt typus Christi, ad quem ceu tutissimum asylum contra maledictionem legis (ceu sanguinis & peccatorum vindicem) confugere possumus. Et quadrant etiam nomina (1.) קדש *Kedes, à sanctitate*. Christus, *Sanctus Sanctorum* Dan. 9: 24. seipsum pro nobis in sacrificium ἱλαςικὸν sanctificavit, Johan. 17: 19. (2.) שכם *Sichem, humerus*. Christi Dominium super humeris ejus, Es. 9: 6. & maximum is onus peccatorum, & iræ Dei portavit, Es. 53: 4, 5, 12. (3.) חברון *Hebron* à *societate* & consortio. Christus naturæ nostræ consors, Heb. 2: 14. & noster frater, sodalis & amicus amicissimus factus est, Joh. 15: 14, 15. Hebr. 2: 11, 13. Ab hac eadem voce est חבורה *plaga*, *livens tumor*, quæ vox Es. 53: 5. de passione Christi usurpatur, quod in tumore seu plaga ejus fiat sanatio nobis. (4.) בצר *Bezer*, hoc est, *aurum lectissimum*, Job. 22: 24. index & nota thesauri & auri cœlestis, per meritum Christi nobis parti, Apoc. 3: 18. *Bezer* etiam *munimentum* est. Christus vi meriti sui munitio nostra & propugnaculum contra Satanam & omnes hostes. Psal. 18: 2. Psal. 27: 1. (5.) ראמות *Ramoth*, hoc est, *excelsitates*. Christi exaltati & ad dextram patriæ majestatis inthronisati character, Ephes. 1: 20. seqq. (6.) גולן *Golan*, significat *eum, qui revelatur* seu manifestatur, à גלה *retexit*. Christus aliquando manifestabitur, & apparebit in gloria cælesti, venturus ad judicium, 1 Thess. 1: 7. 1 Tim. 6: 14, 15. 1 Petr. 1: 2. & tùm sequetur plena nostra redemtio Luc, 21. ℣s. 28. *Ah Domine Jesu, veni citò!*

Jos, 1: 1. *Josua* dux populi Dei, typus Christi est, non opere solùm (quod introductio in terram Canaan est, quæ typus vitæ æternæ, in quam suo merito, verâ fide apprehenso, JESUS nos introducit. Per Josuam omne bonum Israelitis à DEO præstitum cap. 21: 43, 45. c. 23: 14. Per Jesum Christum Salvatorem nostrum omnia benè facta, Marc. 7: 36. &c.) sed & *proprio nomine*. Conveniunt *Josua* & *JESUS* radice & significato. Utrumque à *salvando* est. Josua anteà dictus *Hosea*, sed Moses nomen mutavit in יהושע *Jehoschua*, Num. 13: 17. addidit sc. nomini ejus nomen tetragrammaton, soli DEO proprium, ad indicandum, JESUM, antitypon ejus, fore verum DEUM salvantem, Es. 45: 22. Actor. 4: 12. Impositum hoc Josuæ nomen in primâ ad terram Canaan emissione, d. l. Christo in missione ad homines, seu nativitate hoc nomen JESUS impositum, Luc. 2: 21. Josua filius *Nun* est, quæ vox *generare* significat, seu propagari, Christus ex substantiâ Patris ab æterno genitus: & ejusdem nomen & gloria ינון *Jobolescet*, *propagabitur*, Ps. 72: 17. q. d. filiabitur, id est, propagabitur, sicut familia per continuam filiorum seriem & successionem propagari solet.

ᵃ Rahmeses.

1 Sam. 11: 2. *Nachas* Rex Ammonitarum figura *Diaboli* est. נחש *Nachas serpentem* significat. Cogita serpentem infernalem, Genes. 2: 1. Apoc. 12: 9. & ecce! fœdus se Nachas initurum cum Jabeschitis spondet, ut tamen dexter oculus ipsis effodiatur, ipsique opprobrium fiant. Annon fœdus cum Diabolo, vel manifestè, vel occulté initum, ita se habet? Effoditur dexter mentis oculus, Zachar. 11: 17. homo excœcatur, 2 Cor. 4: 4. tandemque in tenebras æternæ damnationis projicitur. Confugiamus ad verum (non apostatam illum 2 Sam. 7: 15.) שאול, omnium piorum vocis expetitum Salvatorem, JESUM Christum, qui nos sua sanctâ passione ab hoc periculo & nefando fœdere liberat &c.

Es. 8: 18. *Ecce ego, & nati, quos dedit mihi Jehova, in signa & in ostenta apud Israelitas &c.* Loquitur Propheta de suis filiis, quos in signum & ostentum populo stiterat mandato DEI, per

eosque DEI tùm εὐδοκίαν, tùm iram designaverat. Prior filius est *Sear-Jasub*, cap. 7: 3, 15, 16. posterior *Maher-Schalal-chas-baz*, cap. 8. ℣. 1: 3. Observa hîc: Apostolus Hebr. 2: 13. Christo JESU nostro hæc verba Esaiæ tribuit; ex quo patet, typum Christi Servatoris in his verbis esse. *Esaias* gerit typum Christi. Notat ejus nomen *salutem Dei*. Quis vera salus Dei? Jesus noster, Esa. 49: 6. *Filii Esaiæ* typus sunt verorum credentium & electorum. Et istorum nominibus pulchrè conditio electorum exprimitur. (1.) *Sear-Jasub*, שְׁאָר־יָשׁוּב significat, *reliquiæ convertentur*. Quænam illæ reliquiæ? pauci illi, à Deo electi ad salutem æternam, Rom. 9: 27. ex Esa. 10: 22. (2.) Alterum nomen מַהֵר שָׁלָל חָשׁ בַּז hoc est, *accelerando prædam festinat diripiens*, à victoriâ contra hostes deductum. Sunt enim electi per Christum victores Diaboli, mundi, & omnium hostium &c.

Hos. 1. ℣. 1. *Hosea filius Beeri* הוֹשֵׁעַ *Salvatorem* significat: בְּאֵרִי vel à *puteo* (בְּאֵר dicto) qui claram, vivam & liquidam aquam continet; vel ab *explanando* & declarando (בֵּאֵר in piel *declaravit*) dicitur. Ecce Doctoris verbi cœlestis typum! *Verbi ministri* (verba sunt D. Tarnovii in h. l.) *sint Salvatores seu Hoseæ* ) *ministerialiter*, *Obad*. ℣. 21. 1 *Tim*. 4: 16. 1 *Cor*. 9: 22. *Jud*. ℣. 23.) *& filii Beeri seu putei illius, unde scaturiunt aquæ vivæ*, *Joh*. 4: 14. *non cisternæ, in quam turbida commentorum humanorum aqua confluit, aut hæreticorum limus colligitur. Præterea perspicuè etiam omnia tradant & explanatè*, *Neh*. 8: 9. *Es*. 32: 4. *&c*.

Zeph. 1: 1. *Verbum Domini, quod fuit ad Zephaniam filium Cuschi, filii Gedalia, filii Amaria, filii Hiskia*. Ecce aliud verbi divini ministri speculum! *Zephania* absconditum DEI notat. Sit verbi minister delitescens apud Dominum DEUM suum, in Scripturis nocte ac die meditans &c. Idem verò, quoad generationem carnalem, est *filius Cuschi*, hoc est, peccatorum fuligine niger, ut Æthiops, quique ex se suum nigrorem mutare non potest: a Christo verò purificatur & dealbatur, qui est *Gedalia*, hoc est, magnus DEUS; *Amaria*, hoc est, λόγος θεῦ; & *Hiskia*, hoc est, fortitudo DEI; cujus in Baptismo & verâ jugique pœnitentiâ efficitur filius. Vide D. Tarnov. in comm. sua per Zephaniam pag. 9. ut & Zach. pag. 17: 18, 150, 170.

Joh. 11. ℣. 1. *Bethania* significat *domum afflictionis & humilitatis*, (à בַּיִת *domus* & ענה *affligere*:) In ea habitant duæ sorores, *Martha & Maria*, quæ itidem ab *amaritie* vel afflictione nomen habent, (à מר *amarus*:) Fratrem habent *Lazarum*, qui significat *eum, cui non est auxilium*, ex לא *non* & עזר *auxiliatus fuit*. Ex quo apparet, quodnam hospitium Christus sibi in terris eligat.

Plura adferri possent, sed nolo in minutis his immorari. *Minutis*, inquam; neque enim ullâ ratione allusiones istæ arbitrariæ (de iis quippe, quæ in Scripturis traduntur, aliud judicandum est) æquiparari possunt vel debent accuratæ ipsorum verborum sacræ Scripturæ tractationi & explicationi. Notetur probè commonitio Amamæ seria, in Antib. bibl. pag. 272. *Sed & illi*, inquientis, *mihi compellandi sunt, qui circa nominum propriorum interpretationem & etymologiam nimis curiosi sunt, atque hinc ad typos & allegorias dilabuntur, integras sæpè horas hujusmodi dissertationibus transmittentes. Etyma nominum propriorum, quæ vel ipse Spiritus sanctus prodidit, vel ex ipsâ originali linguâ sua sponte offerunt, breviter explicentur, ex his documenta depromantur. At quod cætera attinet, quorum etyma vel ignorantur, vel obscura, vel admodum controversa sunt, iis diu inversari, atque ex iis typos & allegorias confingere, id verò est patientiâ auditorum abuti &c*.

## Tantum de NOMINE PROPRIO.

*Sit JESU Domini benedictum in secula NOMEN.*

*Hoc PROPRIO & solo NOMINE Salvus ero.*

Actor. 4. ℣. 12.

*οὔτε γὰρ ὄνομά ἐστιν ἕτερον ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, ἐν ᾧ δεῖ σωθῆναι ἡμᾶς.*

DISPU-

# DISPUTATIO
## DE
# PROTEUANGELIO

Genes. 3. vers. 15.

*Contra*

## JACOBUM GORDONUM HUNTLÆUM

Jesuitam Scotum, in illustri Academia Jenensi habita 10. Nov. Anno 1625.

*RESPONDENTE*

## M. JOACHIMO HERTZBERGIO,

Wismariâ-Megapolitano.

### THESIS I.



QUando Orthodoxi *contritionem Serpentini capitis* Gen. 3: 15. h. e. destructionem regni ac potentiæ Diaboli, soli Mediatori nostro Christo JESU, evidentiâ verborum promissionis hujus Euangelicæ, & analogiâ totius sacræ Scripturæ nixi, adscribunt: varias luci huic illustrissimæ Satanas offundere tenebras conatur.

II. Præsertim autem per Monachos olim hoc egit, ut ad stabiliendam Μαριολατρείαν, Mariæ ἀειπαρθένῳ Matri Christi adscriberetur id, quod sine contumeliâ sanctissimi ejusdem filii, ei adscribi nec potest, nec debet.

III. Unde, quando in Hebraico authentico textu ita legitur: הוא *ipse* (relatâ hac voce ad præcedens זרע *semen mulieris*) seu *ipsum conteret caput tuum* (ô serpens!) Latina vetus versio ad mulierem relativum illud refert, *ipsa* (inquiens) *conteret caput tuum*.

IV. Quam autem mulierem per Tὸ *ipsa* intelligant, præter alia scripta, Antidotarium animæ fol. 118. ostendit, ubi B. virginem ita alloquuntur Μαριολάτραι: *Adoro & benedico sanctissimos pedes tuos, quibus antiqui serpentis caput calcâsti.*

V. Neve quis opinetur, eâ ratione Mariæ calcationem capitis antiqui serpentis eos adscribere, quâ Paulus omnes Christianos virtute meriti Christi Diabolum vincere innuit, Rom. 16: 20. *DEUS pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter*; per divinum redemptionis nostræ opus, calcationem illam (Mariæ adscriptam) manifestò explicant.

VI. Ita enim in Mariali Anno 1493. Argentinæ edito lib. 1. c. 5. legitur: *Ad ultimum fuit Dominus cum eâ* (Maria) *& ipsa cum Domino, in eodem labore, & in eodem opere redemptionis. Mater misericordiæ adjuvit Patrem misericordiarum in opere nostræ salutis, unde prædictum est de primâ muliere: Faciamus ei adjutorium. Quid est ergò, quòd Dominus dicit Esa. 63. Torcular calcavi solus, & de gentibus non fuit vir mecum? Verum est, Domine, quòd non fuit vir tecum* (egregia scil. explicatio!) *sed mulier unà tecum est, quæ omnia vulnera, quæ*

in

*tu suscepisti in corpore, suscepit in corde.* In revelationibus Brigittæ cap. 3. Christus ita introducitur loquens: *Ego Filius DEI benè dicere possum, quòd mater mea & ego quasi cum uno corde salvavimus hominem, ego patiendo corde & carne, ipsa cordis dolore & amore.*

VII. Neve obvertatur, in densissimis superiorum temporum seculis, ejusmodi esse scripta & decantata, modernorum verò Pontificiorum aliam & saniorem hac de re esse mentem: Notetur probè, quòd Vincentius Brunius in medit. festorum B. Virginis edit. Colon. anno 1599. pag. 11. sic scribat: *Cùm Deus decrevit, Filio suo unigenito, pro redimendo genere humano, assumendam esse carnem, simul etiam decrevit & prædestinavit, quæ deberet esse ejus mater & redemtionis nostræ cooperatrix.*

VIII. Notetur etiam, quod Dillingæ anno 1573. in edito Cantionum libro Autor ita doceat alloqui beatam virginem: **Du Maria rein/ durch dein Gehorsamheit/ und Gottselige Demüthigheit/ hast dem Teuffel zerknirscht sein Haupt/ und ihn aller seiner Macht beraubt.** En Mariam redemtricem, sine ulla Salvatoris Filii mentione facta.

IX. Neve dicatur, ab indoctis quibusdam Monachis hæc profluxisse, doctiorum verò aliam esse sententiam: Observetur bene, quòd Jesuitarum (qui doctissimi haberi & salutari volunt) insignis coryphæus, Alphonsus Salmeron. tom. 10. operum tract. 41 pag. 933. aperte statuit: *Mariam stetisse sub cruce, ut corredemtricem, quemadmodum Eva unà cum Adamo malum invexit.* En eandem Christi & Mariæ in liberatione & redemtione nostra rationem, quæ fuit Adami & Evæ in primi lapsus perditione! Ibidem subjungit: *Ut prior fœmina à viro habuit costam, ex qua condita fuit; ita secunda Heva hæc* (Maria) *Spiritum à Christo accepit, quo posset esse aliis auxilio & saluti.* Qui mox (horrendum!) *Christum Matrem suam propè crucem vocâsse*, ait, *ut ipsa Mater Filium suum in sacrificium Patri æterno pro toto mundo offerret, ut Abraham filium suum Isaac ex obedientia offerre voluit.*

X. Hæc igitur cùm procul dubio omnium omninò Pontificiorum in corde sit sententia, etiamsi tàm crassè eam omnes in apertam non producant lucem: meritò vafritiem miror Jesuitæ *Jacobi Gordoni Huntlæi Scoti*, qui in tomo 1. epitômes controversiarum cap. 16. & sequentibus duobus, controversiam illhanc de versione hujus loci veteri (quâ *Ipsa* pro *Ipse* seu *ipsum* legitur) ita proponit & tractat, ut nescias, utrùm ater an albus, an calidus, an frigidus sit? numquid blasphemam eam, de redemtionis opere Mariæ attribuendo, sententiam amplectatur, an rejiciat? ita ut alterutrum, cum discursum Jesuitæ legerem, suspicarer: *Aut* nimirum αὐτοκατάκριτον esse, & in conscientia vi veritatis convictum Huntlæum, qui antiquam illam de Maria Christi in redemtionis opere coadjutrice cantilenam non possit apertè defendere: *aut* insignem hypocritam, qui nolit.

XI. Et ut uno rem omnem complectar verbo: Versionem ipsam, quâ *Ipsa* legitur in fœminino genere, retinet, & mordicus defendit: Relativum autem istud fœmineum ad Ecclesiam refert primariò, secundariò ad Mariam, ut præcipuum Ecclesiæ membrum: Neutri verò calcationem serpentini capitis eo adscribendam modo esse inquit, quo Christo adscribitur: sed quo piis, juxta dicta Psal. 91:13 Luc. 10:19. Rom. 16:20. 1 Johan. 2:13. Apocal. 12:11. 1 Cor. 15:57.

XII. Hac explicatione quid videri posset, rem non satis trutinanti, sanius & Scripturæ analogiæque fidei conformius? Insanam tamen esse, & à Scriptura nostræque orthodoxæ fidei analogia multùm discrepare, tàm certum est, quam bis duo esse quatuor: tàm clarum & perspicuum, quàm Solem lucere meridiano tempore.

XIII. Brevi igitur filo styloque, nodum hunc Gordium & Gordonium, non quidem vi dissecabimus, sed scripturæ voce, divini Spiritus adjuti gratiâ, dissolvemus, & ut εὐτάκτως procedatur, distinctas Jesuitæ assertiones distinctim considerabimus.

## PRIMA JESVITÆ ASSERTIO.

XIV. Prima Assertio Gordoni hæc est: *Lutherani volunt per semen mulieris solum CHRISTUM intelligi. Agnoscimus quidem CHRISTUM præcipuè hic significari, ac proinde hunc locum aptari posse CHRISTO; Verum enim verò CHRISTUM solùm hic significari, & non etiam ejus membra, juxta literalem sensum, planè negamus.*

XV. Assertionis fundamenta ponit hæc: 1. *Constat semen serpentis, quod semini mulieris opponitur, non unum aliquem serpentem, sed multitudinem significare: quare probabile non est, quod semen mulieris, unum duntaxat significet, & non multitudinem, nisi velimus Scripturam in tàm paucis verbis ambiguè loqui.* 2. *Semen est nomen collectivum, propria & germanâ significatione denotans multitudinem. Nihil autem est in hac sententia, quod nos cogat recedere à propria vocis acceptione.*

XVI.

XVI. 3. *Semini mulieris attribuitur, quòd conterat & conculcet caput serpentis: Atqui non soli CHRISTO, sed etiam omnibus, qui piè vivunt in CHRISTO, Scriptura tribuit istam conculcationem & contritionem, Psalm.91:13. Luc.10:19. Rom.16:20. 1 Johan.2:13. Apoc.12:11. 1 Cor.15:57. Cùm igitur actio & operatio propria seminis hujus conveniat etiam membris CHRISTI, non est limitanda vox* seminis *ad solum CHRISTUM. 4. Voluit his verbis Deus consolari, non solùm Evam, fraude diabolicâ deceptam, sed & totam ejus posteritatem: Atqui major erat omninò consolatio, quod omnes pii per CHRISTUM victoriam reportaturi erant contra Diabolum, quàm si solus CHRISTUS eam reportaret: Quemadmodum major est consolatio nobis, quòd una cum CHRISTO resurgemus & vita æternâ fruemur, quàm si solus CHRISTUS resurgeret, & solus vitâ æternâ potiretur.*

XVII. 5. *Etiamsi concedatur, Christum solum conterere caput Diaboli, quæ prior est pars hujus sententiæ; tamen posterior pars ejusdem sententiæ nullâ ratione poterit soli Christo aptari: In ea enim dicitur, quòd Diabolus conteret semen illud: At solus Christus in seipso contineri non potest à Diabolo: Necesse est ergò, ut per semen hoc intelligamus etiam membra Christi, quæ sæpè à Diabolo conteruntur.*

XVIII. Hucusque discursus Jesuiticus, cujus ventilatione quædam, quæ ad textum hunc Mosaicum enucleandum faciunt, necessariò præmittenda.

XIX. [a] 1. Pro certo igitur & ab utraque parte concesso ponimus, πρωτευαγγέλιον in h. v. 15. contineri, seu primam de Messia Servatore mundi promissionem, id quod negatum eunt Sociniani, ut ex Joanne Sommero Pirnensi, in refut. Carolii lib. 2. c. 3. apparet. Pro certo etiam amplectimur, non de serpente naturali, ejusque naturali semine, sive progenie: nec de inimicitiis, quæ humano generi cum naturalium serpentum genere intercedunt, Deum his in verbis, primariò & sensu literali loqui; quæ Calvini, & qui eum hîc sequuntur, est sententia: sed de Satana, ejusque Angelis (Apoc.12:7.) quæ Diabolorum colluvies semen metaphoricâ translatione dicitur. Utriusque, quod ut certum præsupponimus, stabiliri argumentis fortissimis certitudo posset, sed quia cum Jesuita nobis sermo, qui utrumque concedit, hoc labore jam supersedemus.

XX. 2. Hoc igitur constituto, prænotandum etiam hoc: *tria* sententiæ Mosaicæ, de qua agimus (ratione commaticæ distinctionis) esse quasi membra. Primum, *Inimicitias ponam inter te* (ô serpens) *& mulierem.* Alterum: *Inter semen tuum* (ô serpens) *& semen illius* (mulieris.) Tertium: *Ipsum* (semen) *conteret caput tuum, & tu conteres calcaneum ejus.*

XXI. Et in primo quidem membro per *mulierem* Evam matrem omnium viventium, per *serpentem* Diabolum (qui sub naturali serpente, cui versu præcedente Jehova maledixerat, latebat, & totius illius complexi nobilior quasi pars erat) intelligi, facilè probari potest, & quoad prius, inferius contra Jesuitam (qui Ecclesiam intelligi sibi persuasit) asseretur. Sed in secundo membro quid per *semen illius* (mulieris) intelligatur, quæstioni subjacet.

XXII. [b] Paræus (qui à Calvino Judaizante hic discedit, utut excusare ipsum quavis ratione conetur) collectivè vocem *seminis* accipit, eaque *totam electorum hominum in mundo Ecclesiam* notari asserit, quotquot scilicet non sint de serpentis genere. Eadem igitur ferè ei cum Huntlæo stat sententia, nisi quod *hic* Christum caput Ecclesiæ simul, & præcipuè quidem intelligi ait: *ille* verò Christi capitis mentionem non in hoc *secundo*, sed in *tertio* membro (de quo thesi 20.) contineri asserit.

[b] Parei Sententia

XXIII. Nos verò, membro hoc secundo, Christum non præcipuè, sed unicè voce *seminis ejus* (mulieris) denotari asserimus, & antequam hanc nostram assertionem probatam demus, contrariaque argumenta refellamus, prænotari velimus 3. Christum in Scripturis *dupliciter* considerari: Ut redemtorem, & ut caput suæ Ecclesiæ: seu, quod idem est, ut redemtionis opus perficientem, & ut operis redemtionis efficaciam corpori suo, quod est Ecclesia, communicantem. *Priori* respectu ut solitaria causa proponitur, extra omne conjuncti agentis consortium posita: *Posteriori* ut socia causa, & principalis quidem, introducitur, alii simul agenti applicata.

[a] Prænotabilia quædam.

XXIV. Faciemus rem exemplis planam. Esaiæ 63. ℣. 2. *Torcular calcavi solus, & de gentibus non fuit vir mecum.* ℣. 5. *Circumspexi, & non* (fuit) *adjutor, & obstupui, & non* (fuit) *qui sussulciret.* 1 Johann. 3:8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolveret opera Diaboli.* En Servatorem nostrum solum, solum, in redemtione humani generis operantem! Rursus 1 Cor. 15. ℣. 57. *DEO sint gratiæ, qui dedit nobis victoriam, per Dominum nostrum Jesum Christum.* En eundem nostrum Mediatorem unà cum Ecclesia sua, ut principalem causam operantem, & victoriam suam eidem communicantem, ut & ipsa, vi & virtute Principis sui, Satanam & omnes hostes vincat, 1 Joh. 2: ℣. 13. Apoc. 12: ℣. 11. Priori, non posteriori respectu, Messias in nostro textu consideratur, ut deinceps fiet manifestum.

XXV. 4. Notetur enim hoc, *aliud* esse, in Scripturæ sacrosanctæ verbis aliquid sensu literali contineri & intelligi, *aliud* verò, certæ & immediatæ consequentiæ vi ex illis deduci. *Prius* Grammaticum Scripturas explanandi genus vocare possumus: *Posterius* Logicum: Quæ duo accuratè sunt distinguenda, ne oriatur confusio. Non omne, quod ex dicto Scripturæ per sequelam immotam evincitur & deducitur, ejusdem literalis sensus est. E. G. Ex propositione Prophetica, Christum solum ut causam principalem peccata remittere, Es. 43: 25. *Ego ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor amplius:* certâ collectione evincitur, Christum esse verum Deum. Neque tamen hæc propositio κατὰ λέξιν & sensu literali inibi continetur. Par ratio aliorum, quæ numero permagno produci in medium possent.

XXVI. Et ut fiat applicatio, concedimus, imò & fortiter propugnamus, veram Ecclesiam, & quælibet ejus membra, virtute & efficacia Servatoris sui, Satanam vincere: id enim & Scriptura, & resipsa, & experientia abundè demonstrat. Addimus autem, hoc ipsum in dicto Gen. 3: 15. non ῥητῶς & sensu literali contineri, sed per firmum sequelæ nexum inde deduci: Si enim Christus, semen mulieris caput serpentis contrivit, hoc est, vim totam Satanici regni enervavit, (qui literalis sensus est Mosaici textus) utique non sibi, sed nobis enervavit, & data est *nobis* etiam victoria contra Satanam, per Christum. Breviter, non pertinet hoc ad dicti nostri literalem sensum, sed ultimum scopum: non est ipsum argumentum tertium, sed formata inde conclusio.

a Sententia vera & orthodoxa.

a XXVII. Ex dictis patet, quæ nostra sit & genuina de semine mulieris sententia, *sumi nimirum individualiter, & neminem intelligi, præter Christum Jesum, benedictum nostrum μεσίτην καὶ ἱκέτην.* Cujus fundamenta jam sunt ponenda, non tàm copiâ, quàm virtute & pondere pugnantia.

XXVIII. *Primum* argumentum deducimus *ex dicentis intentione.* Illa erat, consolatione divinâ erigere lapsos πρωτοπλάστους, quos in tanto angore, ob peccatum & conscientiæ morsum, constitutos fuisse certissimum est, ut nulla mens satis id cogitatione assequi, nulla lingua profari possit. Consolationis autem fundamentum ecqui potuisset sapientissimus παράκλητος & consolator depromere aliud, quàm quod omnium primum, idque unicum est, nempe Christus Jesus, quem Satanæ Contritorem, peccati Abolitorem, omnisque boni Reductorem, ab æterno S S. Trinitatis Concilium constituerat? Pone consolationis fulcrum quodcunque aliud, stramineum illud reperies, ficulneum, & mitigando vel tollendo angori & dolori, in cordibus Adami & Evæ, longè impar. Syllogismus talis est: Qui solus contra vim Satanæ & mortis, efficacissimum solamen primis parentibus præbere potuit, ille solus voce *seminis mulieris* intelligitur. At solus Christus id præstare potuit. Ergò.

XXIX. *Alterum* proferimus *ex sententiæ Mosaicæ conditione.* Est illa πρωτευαγγέλιον, & prima omnium promissio, ex quâ Scriptura omnis, quà Euangelium tractat, tanquam ex limpidissimo fonte profluit. Veluti autem *omnis Dei promissio Amen & verax est in Christo*, 2 Cor. 1: 20. promissionum sole & nucleo: ita & hæc promissionum omnium scaturigo in Christo Amen & verax procul dubio erit. Improbabile autem vel maximè esset, Christum primæ hujus promissionis & autorem, & unicum scopum esse, & tamen nullâ appellatione ejusdem mentionem hic fieri. Verisimile contrà maximè, quin verissimum, voluisse hic Spiritum sanctum, ut in propriissima promissionis Euangelicæ sede, nomen etiam aliquod Messiæ promisso assignare, ut sciri ab hominibus possit, quis sit futurus. Jam quære nomen in hac Mosis sententia, & præter *semen mulieris* reperies nullum. Nam quod quidam de הוא in tertio membro adferunt, id non primitivum nomen est, sed relativum pronomen. Reliqua prædicati, non subjecti & certæ appellationis vicem sustinent. Syllogismus talis est: Aut nulla appellatione Messias insignitur in hac voce Euangelica: aut appellatione *seminis mulieris.* At prius si non absurdum, certè valdè improbabile est. Ergò posterius vel verissimum, vel certè veritati quàm simillimum. Conferri hîc possunt præcipua Vet. Test. de Messia promisso oracula, quorum in singulis perspicuæ, concinnæ & multùm emphaticæ ejus extant appellationes. Gen. 49: 10. vocatur *Schilo.* Es. 11: 1. *virga Isai.* Jer. 23: 6. *Jehova nostra justitia* Dan. 9: 24. *Sanctus sanctorum.* Mich. 2: 13. *Perruptor*, Zach. 13: 17. *Vir proximus Dei.* Mal. 3: 1. *Angelus fœderis &c.* Quod idem fieri in harum promissionum omnium primo fonte, quis negare præsumat?

XXX. *Tertium* adducimus *ex vocis, Seminis, in locis parallelis acceptione.* Verissimum quidem est, vocem hanc crebrò in Scripturis collectivè sumi pro liberis, familiâ, posteritate, Gen. 17: 7, 19. cap. 15: 4. &c. Interim tamen hæc significatio nec propria est & germana, uti Gordonus inquit cap. 17. num. 2. (est enim unicum et am individuum granum tritici, semen) neque perpetua. Non rarò enim singulariter de uno dicitur, Gen. 4: 25. *Posuit mihi* (inquit Eva)

Eva) *Deus semen aliud*, hoc est, filium alium, *pro Abele*: cap. 21: 13. Ismael vocatur *semen Abraha*. Confer & Gen. 15: 3. 2 Sam. 7: 22. 1 Paral. 17: 13: Ruth. 4: 12, 13. Præsertim autem, quando in doctrina de Messia Spiritus sanctus inculcanda versatur, voce *seminis* eundem haud raro appellitat. Gen. 22: 18. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Item cap. 26: 4. cap. 28: 14. Hoc semen Abrahæ promissum Christum esse, collatio ostendit cum Gal. 3: 16. Actor. 3: 25. Hi igitur sunt loci textui nostro paralleli, cùm certum sit & utrinque concessum, in hoc etiam de Messia, ut in paulò antè allegatis, agi, ex quo talis Syllogismus: Quæ ratio & significatio vocabuli *seminis* est in locis textui Mosaico parallelis & similibus, eadem est in hoc ipso textu Mosaico: Ex natura parium. At in locis parallelis, voce *seminis* solitariè Christus intelligitur, ut liquet. Ergò &c.

XXXI. *Quartum* elicimus *ex ipsius Evæ intellectione.* Non dubium est, quin promissum hoc Euangelicum, quo tam vivaciter & efficaciter erecti, & indicibili ex tristitia ac mœrore erepti fuerunt primi parentes, diligentissimè secum retinuerint, cordi quàm penitissimè inscripserint, verum quoque ejus sensum à Deo & humillimè petierint, & edocti fuerint. Jam verò Eva ipsa, ad quam sermo hac sententiâ directus, *semen ejus* (mulieris) individualiter, & de promisso Messia intellexit (etsi in applicatione ad verum objectum fuit hallucinata) uti ex Gen 4. ℣. 1. apparet, ubi cùm Cain primogenitus Evæ filius nasceretur, illa cum tripudio exclamat: *possedi virum Jehovam;* hoc est, promissum mihi semen benedictum, & verum Messiam. Neque moramur hîc Calvinianorum quorundam singularitatem, qui τὸ אֶת־יְהוָה non per appositionem adjectam, sed aliter vertendum esse dictitant, nempè *à Jehova*, vel *cum Jehova &c.* Quos multa (de quibus alibi) solidè refellunt.

XXXII. *Quintum* argumentum depromimus *ex prædicati seu attributi consideratione.* Id in tertio membro sententiæ Mosaicæ extat, his verbis: *Ipsum* (semen) *conteret caput tuum* (ô serpens) *& tu conteres calcaneum ejus.* Ad idem ipsum subjectum, quod præcessit (*semen* nempè *ejus*, scilicet mulieris) referendum esse hoc prædicatum, relativum הוּא demonstrat. Duo autem prædicati membra sunt: *Prius* activum, quòd contriturum sit caput serpentis. *Posterius* passivum, quòd conterendum calce sit à serpente. Utrobique usurpatur radix שׁוּף, quæ ter in Scripturis reperitur: hic, Job. 9: 17. Ps. 139: 11. Exponitur ab Hebræis per מכרת וכתות *plugam & contusionem seu contritionem.* In postremo loco *obscurandi* significatum obtinere videtur, permutatis verborum formis, ut sit *à* נֶשֶׁף *caligo.*

XXXIII. [a] Expendendæ autem porró phrases sunt: *conterere caput*, & *conterere calcaneum.* Prior propriè accipi non potest, uti constat: neque enim de serpente naturali, sed de Satana sermo est, corpore & capite carente. Metaphorica igitur est, à serpente naturali (in qua Satanas Evæ seductor tùm latebat) deducta. In capite serpentis latet virus, robur & vita. Ergò μεταφορικῶς caput serpentis notat Diaboli potentiam, sævitiam & regnum, quod consistit in violentia peccati & mortis. Nam *stimulus peccati est mors*, 1 Cor. 15: 56. *mortis imperium habet Diabolus*, Hebr. 2: 14. Hæc & non alia, vel ipsomet Jesuita adstipulante, vocis (*capitis*) hîc positæ, est significatio. De illo capite igitur, hoc est, regno, potentia & virulentia Satanæ asseritur, quòd *semen mulieris id sit contriturum*, hoc est enervaturum, destructurum, & confracturum, humanum genus ex illo liberaturum & justitiam ac vitam amissam reparaturum. Hanc quoque genuinam Metaphoricæ hujus vocis expositionem esse, prioris collatio evincit. Si enim caput serpentis, potentiam, & omne quod in Diabolo quasi excellens est, notat, utique contritio capitis designabit illius potentiæ destructionem & enervationem, ex vi oppositorum. Observa igitur 1. de prima Satanici regni aggressione, & consecutâ plenariâ debellatione, sermonem hîc esse, nequaquam verò de victoriæ illius divinæ piis factâ communicatione, quæ contritio capitis serpentini in Scripturis nunquam dicitur, neque per fidei analogiam dici potest. 2. Idem opus divinæ solius virtutis & potentiæ esse, quæ sola Diaboli virulentiæ resistere, eamque frangere potest. Unde argumentum tale: illud semen hîc intelligitur, quod Satanæ regnum conteret, & proinde quod divinâ virtute instructum, & ipsum verus Deus est. At is Messias est, non alii. Ergò.

[a] Contere caput.

XXXIV. [b] *Posterior* phrasis in prædicato est, *quod serpens* à semine mulieris capite suo contritus, *contriturus vicissim sit calcaneum illius seminis.* Jesuita Huntlæus putat, hanc posteriorem partem nullâ ratione posse soli Christo aptari: *cùm is in seipso conteri non possit à Diabolo.* Hæc ille, quem jubemus non unam phraseos vocem, sed totam phrasin attendere: Verissimum est, Christum à Diabolo non conteri, id est, vinci, debellari, frangi: Verùm id hîc non dicitur, sed

[b] Contere re calcaneum.

sed conteri à Satana עקב calcaneo. Quæ phrasis si cum superiori collata, & accuratâ mentis trutinâ expensa fuerit, conatum Satanæ indicare deprehenditur, conatum, inquam, in oppugnando Messia, at frustraneum & sine optato à se successu. Inimicitiæ inter semen mulieris & serpentem, ejusque semen tantæ sunt, ut capitaliores cogitari nequeant. Utraque pars alterius extremam quærit & meditatur πανολεθρίαν & plenariam internecionem; sed diverso successu, & eventu contrario. Semen mulieris enim *serpentis caput* (totam potentiam) conterit: serpens non caput seminis mulieris, non ipsum semen mulieris, sed tantùm *calcaneum* (unum, non utrumque) conterere valet. *Prior* contritio est totalis & insanabilis, *Posterior* aliqualis tantùm & sanabilis. Est igitur hîc metaphorica descriptio tentationum gravissimarum Satanæ, miseriarum, illusionum, vulnerationum, dolorum, & angustiarum inferni, tandemque ipsius mortis, quæ omnia Messias à Satana ejusque organis inflicta sustinuit. Verùm fuit ea læsio non capitis, sed calcanei. Sanari potuit plaga, & sanata est, dum ex morte redivivus Christus surrexit, & à Satana, ut victor gloriosus triumphum reportavit.

a Contra Paræum.

b Respondetur ad argumenta Jesuitæ.

XXXV. Syllogismus ex hoc, cum superiori collato, emergit talis Quicunque regnum & potentiam Satanæ ita primùm aggreditur, debellat & frangit, ut a Satanâ vicissim illatæ sibi plagæ sustinendæ sint, is per semen mulieris intelligitur. At totum hoc prædicatum non Ecclesiæ ejusque membris, sed soli Christo, primo Satanæ destructori, competit. Ergò &c.

XXXVI. *Sextum* & ultimum argumentum addimus *ex una seminis ejus* (mulieris) *significatione*. Quando quæritur: *Semen mulieris* (quod serpentis caput conterit) quid significat? Jesuita Gordonus inconstanter respondet: nam cap. 17. ita hac de re differit, ut ex inde pateat, per semen istud *Christum unà cum Ecclesia*, ipsum intelligere. Unde num. 6. ita loquitur: *Porrò quod alio in loco dicit Calvinus, per semen mulieris significari Christum, & ejus membra, libenter acceptamus. Est enim hac expositio à Catholicis & antiquis Patribus desumta, & planè literalis.* Statim autem, à se ipso quasi aversus per idem semen, *filios & membra Ecclesiæ* (solùm, sine Ecclesiæ capite Christo, qui filius Ecclesiæ dici nequit) intelligenda esse astruit, & hac in significatione deinceps permanet. De *posteriore* hoc inferiùs plura: *priorem* sententiam hac jugulamus argumenti acie. Per universam Scripturam sacram, unius vocis phraseósve, una tantùm, simplex & literalis est significatio. At si *semen mulieris* & Christum, & Ecclesiam ejusque membra denotet, non una, sed diversa unius ejusdemque illius vocis erit significatio, quod absurdum. Probo posterius: Christus est semen mulieris: Christi membra sunt semen mulieris: diversissimâ, & prorsus homonymica ratione suis subjectis hoc prædicatum convenit. Ergò non potest una illa vox utramque illam diversissimam & homonymam significationem sustinere.

XXXVII. a Atque eadem ratio (ut & hoc extra oleas quasi addam) contra *Paræum* Calvinistam militat, qui in illo membro: *Inter semen tuum & semen illius* (mulieris) per semen mulieris totam Electorum Ecclesiam in hoc mundo intelligit. In tertio autem membro: *ipsum conteret tibi caput*: הוא ad præcedens semen mulieris respicere astruit, non quâ Ecclesiam, sed quâ Christum semen illud significat. At ita simul & semel diversissima significata duo ea vox obtinebit, quod ex ipsorum Calvinianorum sententia ἀδύνατον.

XXXVIII. b Veritate ita communitâ, non difficile est, ad argumenta in contrarium à Gordono adducta (vide supra th. 15. seqq.) respondere. Ad *primum* respondetur, (1.) Nulla consequentia in eo est: Per *semen serpentis* multitudo collectivè denotatur. Ergò etiam per oppositum *semen mulieris*. Ecquæ hîc sequelæ necessitas? Per semen serpentis tota Diabolorum caterva, quæ Messiæ interitum machinabatur, intelligitur: illi unum opponitur individuum semen mulieris, quod machinanti & insidianti Diabolorum catervæ toti conficiendæ par est, quodque ei se opponit & ejus caput, hoc est, regnum & potentiam infringit & comminuit. In oppositis igitur ejusmodi non ad significata vocum præcisè, sed ad rem ipsam attendendum. (2.) Nec ulla ambiguitas (quam Jesuita metuit) ex significato isto oritur, uti ex superiori explicatione in adductis argumentis patet. (3.) Tum autem ambiguus Spiritus sancti sermo esset, si *semen mulieris* partim de Christo, partim de ejus membris exponeretur, cujus ambiguitatis in diatribe Gordoni evidens indicium.

XXXIX. Ad *secundum* Resp. (1.) *Semen* propria & germanâ significatione nomen collectivum esse, denotans multitudinem, gratis dicitur. Propria & germana significatio est, quòd quorumvis terræ nascentium nucleum sive granum notat, quod terræ commissum, pro-

du-

ductionis alius in illa specie individui, materiale principium est. At & unicum individuum granum propriè semen ejusmodi est. Item, quòd animantium σπέρμα, quod generationis ὕλη, significat. Sed & hic nihil collectivi somniari potest. *Translativè* si accipiatur, quandoque *metonymicè* unum individuum hominem, etiam ipsum Messiam notat, ut supra §. 30. ostensum; quandoque *synecdochicè simul*, hominum ex eadem stirpe progenitorum multitudinem, sed nec propria & genuina, nec perpetua isthæc est significatio, uti vel tyroni patere potest. (2.) Quæ autem nos cogat necessitas, ut relicta isthac ultimâ significatione, ad magis propriam accedamus, & Messiæ individuam personam intelligi astruamus, in argumentis nostris fuit expositum.

XL. Ad *tertium* Resp. (1) Quomodo contritio & conculcatio serpentini capitis, qualis in hoc Proteuangelio proponitur, soli Christo tribuatur, non aliis, ex §. 33. apparet. (2.) Negamus igitur, Scripturam *contritionem capitis serpentis* tribuere omnibus, qui piè in Christo vivunt. (3.) Et distinguendum dicimus *inter* primam capitis serpentis contritionem, seu, quod idem est, regni diabolici destructionem, victoriamque ab ea reportatam; & *inter* victoriæ ejus communicationem atque applicationem. De *priore* proteuangelium (phrasi, *conterere caput serpentis*) & alia loquuntur dicta, quæ Christum in officio Mediatorio constitutum & operantem proponunt. De *posteriore*, dicta in argumento Jesuitæ allata. Confer. §. 23. Verum id esse, ipse verborum sonus in allatis Scripturæ sententiis ostendit, dum causa principalis Deus, vel Christus, minus principali, homini videl. fideli, diabolum vincenti, semper adjungitur. E. G. Psal. 91:13. justi dicuntur *ambulare super aspidem & basiliscum &c.* sed ex beneficio *Altissimi*, v. 1. atque Seminis benedicti, quod Angelis suis de tutela suorum mandat &c. Luc. 10:19. inquit Christus: *Ecce dedi vobis potestatem* (en causam principalem & meritoriam, Christum Jesum, cujus virtute divinâ omne id geritur!) *calcandi super serpentes &c.* Rom. 16:20. non pii dicuntur conterere sub pedibus suis Satanam, sed *Deus pacis* (semen illud mulieris Gen. 3. quod est *Deus benedictus in secula* Rom. 9:5. & *Princeps pacis* Esa. 9:7.) inquit Apostolus; *conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.* 1 Johan 2:13. fideles dicuntur *vincere Malignum*, sed per *verbum Dei*, v. 4. quod est testimonium de Christo Satanæ Victore: *Et per fidem.* cap. 5:4. quæ Christi Triumphatoris victoriam sibi firma πεποιθήσει applicat. Apoc. 12:11. fideles itidem dicuntur *vincere Diabolum*; sed statim additur: *per sanguinem agni, & per sermonem testimonii eorum* 1 Cor. 15:57. victoria de Satana & omnibus hostibus, data dicitur electis, sed *per Dominum nostrum Jesum Christum*, qui semen est mulieris, in proteuangelio promissum.

XLI. (4.) Ex iis igitur, quæ allata jam sunt, apparet, nullibi phrasin, *conterere caput serpentis seu Diaboli*, piis attributam legi (quod ipsi nempè conterant caput serpentis) id quod tamen Jesuita fieri tantoperè urgebat, sed quando illa usurpatur, non piis, sed Deo soli adscribitur, Gen. 3:15. Rom. 16:20 (5.) Si quis illud Psal. 91:13. urgeat, ubi pii dicuntur *ambulare super aspidem & basiliscum*, quæ phrasis videtur cum priori (*conterere caput serpentis*) idem denotare: dico per *aspidem & basiliscum* ibi haudquaquam, sensu literali, diabolum, intelligi, sed esse totam phrasin παροιμιώδη, & proverbialem, quâ per speciem genus, per *ambulationem illam super aspidem & basiliscum*, quævis magna pericula (ex usu Scripturæ) significantur. (6) Tandem igitur phrases: *conterere caput Diaboli, & vincere Diabolum*, ἰσοδυναμούσας esse, & synonymum habere omninò sensum, inficias imus: *Illa* meritum, *hæc* meriti appropriationem notat: *illud* solius Christi est, *hoc* per Christum quorumvis in Christo piè viventium.

XLII. Ad *quartum* Resp. De scopo sententiæ hujus suprà dictum §. 28. Utique Deus Evam cum tota posteritate consolari his verbis voluit. Ideoque fundamentum ejus consolationis ponit omnium firmissimum, quod nullæ inferorum portæ infringere queunt, nempè Messiæ victoriam & meritum. Ex hoc fonte sponte profluit alterum illud, Messiam non sibi, sed nobis nostrumque in usum, de Satana triumphaturum: quam conclusionem Eva non nescivit, etsi ῥητῶς in sententia à Jehova prolata, & Genes. 3. ℣s. 15. descripta non continebatur. Distinguimus proinde inter consolationis *subjectum* (quod cum protoplastis totum genus humanum est) & ejusdem *fundamentum atque fulcrum*. Posterius in nostro dicto proponitur, prius inde & ex re totâ elicitur.

XLIII. Ad *quintum* Resp. (1.) Quomodo phrasis posterior, *semen mulieris à serpente conterendum esse calcaneo*, Christo uni competat, suprà expositum §. 34. (2.) Notanda autem hic Jesuitæ contradictio: Calcaneum seminis, quod à serpente conteritur, hoc loco explicat de membris Christi quæ sæpè à Diabolo conteruntur: sed eod. n. 7. per idem calcaneum

*mundanos* intelligi dicit homines, *qui in terra consistunt, & terrena sapiunt*, loco allegato Phil. 3:19. ubi impiorum & reproborum extat descriptio. Hi quomodo *membra Christi* dici queunt? Qui in terrenos illos & impios ad semen serpentis Jesuita noster refert num. 6. his verbis: per *semen serpentis significantur filii Diaboli, omnesque impii, qui sunt à Christo & Ecclesia alieni.* Quomodo ergo ad alterum pugnantium agmen scilic. semen mulieris, cui maligni se opponunt, reduci possunt? Sed de assertione Gordoni primâ hæc sufficiant.

a Conjecturæ Jesuiticæ refelluntur.

## SECUNDA JESUITÆ ASSERTIO.

XLIV. In altero diatribes suæ membro Gordonus propiùs accedit, & tria agit: 1. Quid per *mulierem*, cujus in prima textus Mosaici parte fit mentio, significetur, innuit, ut ita superiori assertioni majus concilietur pondus 2. Quomodo mulier conterat serpentis caput, & à serpente contrà calcaneo conteratur, explicat. Et. 3. totam hanc controversiam, Pontificiis de veteri Latina hujus loci translatione ab orthodoxis motam, extenuat.

XLV. Quoad *primum: Quemadmodum* (inquit) *per serpentem intelligitur ipse Diabolus* (*quem naturalis ille serpens repræsentabat, & in quo, ac per quem Deus maledicebat Satanæ:*) *ita per mulierem Evam intelligitur Sponsa Christi, seu vera Christi Ecclesia, quam Eva repræsentabat, & cujus vim atque victoriam contra Diabolum prædicabat Deus.* Postea concludit: *Per semen serpentis filios Dioboli, omnesque impios, qui sunt à Christo & Ecclesia alieni, præsertim verò illos, qui seducunt alios, & oppugnant Ecclesiam Christi; Per semen mulieris filios Ecclesiæ, illos præsertim, qui custodiunt mandata DEI, & habent testimonium JESU CHRISTI, intelligi.*

XLVI. Resp. 1. in Hebræo ita legitur: *Inimicitias ponam inter te* (ô serpens) *& inter* האשה *illam mulierem.* Ubi per τὸ μόριον δεικτικὸν καὶ ἐμφατικὸν certa mulier, & illa quidem, quæ à Satana decepta plangebat, dubio procul omni designatur: id quod nec Jesuita diffitetur. 2. Hoc igitur posito, quâ firmari conjecturâ poterit, per Evam mulierem repræsentari & intelligi his verbis Ecclesiam? quanta hæc est μετάβασις ex sensu literali certo, incertum mysticum elicere, & eum ipsum pro genuino & literali venditare velle? Videamus tamen, quas (non rationes quidem, quæ dari nullæ possunt, sed) conjecturas Jesuita pro hoc sensu mystico & arcano stabiliendo proferat.

XLVII. a Primùm ex simili arguit: *Quemadmodum per serpentem intelligitur ipse Diabolus, quem naturalis ille serpens repræsentabat &c. ita per mulierem Evam, sponsa Christi, seu vera Ecclesia.* Resp. Longè dispar inter hæc duo est ratio. Non ideò Diabolus sub serpente à Deo maledicitur, quia *serpens naturalis* (mysticâ significatione) *illam repræsentabat*, sicut æneus serpens in deserto erectus repræsentabat Christum, Joh. 3. ℣ſ. 14. sed quia sub serpente vivo & naturali Satanas præsens latuerat, & illum quasi induerat, ad perversissimum suum perficiendum opus. Sed hoc quid ad Evam, quæ incertâ conjecturâ nudè dicitur Ecclesiam hoc in actu repræsentâsse?

XLVIII. Deinde: *Evam* (inquit) *repræsentâsse Ecclesiam, ut & Adam Christum, apertè docet Apostolus*, Eph. 5:32. Resp. 1. Est fallacia ἑτεροζητήσεως; Collationem instituit Apostolus inter Adamum & Christum ex una parte; ex altera, inter Evam & Ecclesiam; *ratione conjugalis amoris & conjunctionis*, non *ratione Diabolicæ deceptionis*, & eorum, quæ hanc insecuta. 2 Est igitur fallacia simul comparatorum, quâ contra Apostoli mentem, extra legitimum scopum, terminumque, in quo collatio instituitur, nimia fit evagatio. 3. Etsi legitima hîc esset collectio, Adam (ex mente Jesuitæ) in hoc dicto Mosaico non pertineret ad agmen illorum, qui contra serpentem pugnant, sed repræsentaret Christum promissionis hujus autorem, quod inconveniens.

XLIX. Tertiò: *Idem* (ait) *Apostolus alibi exponit hunc locum de Satana & Ecclesia*, 2 Cor. 11:2, 3. Resp. Ex simili arguit Apostolus, nequaquam verò verum & genuinum dicti Mosaici sensum eâ applicatione constituit. Verba ita habent: verſ. 3. *Metuo, ne, sicut serpens Evam seduxit versutiâ suâ: ita corrumpantur sensus vestri à simplicitate in Christum.* Hîc vera Mosaici (non præsentis c. 3:15. sed alius, qui de ipsa seductione loquitur) textus sententia, in similitudinis προτάσει exprimitur & est nudè literalis & propria: In ἀποδόσει, tantùm ad sui temporis Christianos facit Apostolus applicationem.

L. Quartò: *Similiter & Joannes* (pergit) in Apoc. 12:13. & 17. *declarat inimicitiam hanc, quæ est inter serpentem & mulierem, esse hanc, quæ est inter Ecclesiam Christi & diabolum.* Resp. Res ipsa satis liquida, perpetuum nimirum & ἄσπονδον bellum, ac inimicitias capitales, inter Ecclesiam Christi, & Satanam ejusque organa vigere, quod in Apocalyptica visio-

visione dicitur. Sed hoc quid ad text. nostrum Geneseos? Voluisse Johannem Theologum illius sensum verum hoc ipso ostendere, nondum probatum est.

LI. Quintò: *Patrum quorundam* adducit testimonia. Resp. 1. Quid de Patrum allegoriis, quibus nimiùm sæpe indulgere sunt soliti, statuendum sit, alibi docetur. 2. Illorum expositionem, si qua Jesuitæ Gordoni sententiæ conformis, in classem allegoriarum ponimus, quæ secundariæ sunt ex textu deductæ allusiones, nequaquam verò genuini sensus interpretationes: folia sunt, non fructus, atque nucleus. 3. Quando autem verum rimantur proteuangelii sensum, tùm nostræ sententiæ ex asse sunt addicti. Sufficiat jam Leonis produxisse verba, serm. 2. de Nativ. *Deus* (inquit) *omnipotens & clemens, statim ut nos Diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidiæ, prædestinata renovandis mortalibus suæ pietatis remedia, inter ipsa mundi primordia præsignavit, denuncians serpenti futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem sua virtute conteret, Christum scilicet in carne venturum, qui natus ex virgine, violatorem humanæ propaginis, incorruptâ nativitate damnaret.*

LII. Hæc de primo membro. In *altero* Jesuita explicat, quomodo Ecclesia serpentis caput conterat, & à serpente contrà in calcaneo conteratur? *Vincit* (inquit) *Ecclesia Diabolum per præcipua & excellentiora sua membra, sed vincitur in inferioribus & mundanis, quæ in terra consistunt, & terrena sapiunt, quæque proinde per calcaneum Ecclesiæ designantur. Prior pugna, in qua superat Ecclesia, aperto Marte geritur, & propterea significatur per contritionem capitis; posterior pugna, in qua ex parte una superatur Ecclesia, est fraudibus & insidiis plena, & idcircò denotatur per contritionem calcanei.* Hæc ille.

LIII. Quid de hoc sit statuendum ex superioribus patet. Hac vice breviter respondemus: 1. Qui fit, quòd Christi, supremi Ecclesiæ capitis, in hoc tàm cruento bello, nullam omninò Jesuita facit mentionem, cùm superiùs *præcipuè Christum per semen mulieris intelligi* asseruerit? Audio dici, *per præcipua & excellentiora sua membra Ecclesiam vincere Diabolum*. Apostolus longè aliter: *Gratia sit DEO, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum*, 1 Cor 15 ℣. 57. Sed transeat hoc. 2. Quænam verò sunt *præcipua illa & excellentiora Ecclesiæ membra*? Si eos Jesuita intelligit, qui verâ in Christum fide præditi, in timore DEI ambulant, & vocatione suâ, in qua vocati, dignè, ut filii lucis ambulant, rectè sentit: sed quomodo membra Ecclesiæ vera (& *membra Christi*, uti antè locutus fuerat) dici queant illi, qui terrena sapiunt, & reprobi sunt, non video, cum hi non ex parte Ecclesiæ contra Satanam, sed ex parte Satanæ contra Ecclesiam veram pugnent. Sin verò (uti videtur) per *præcipua & excellentiora membra* eos intelligit, quos *in religionis certo statu ad perfectionem Christianam per paupertatis, continentiæ & obedientiæ vota tendere*, Pontificii dictitant (vide. Bellar. libr. 2. de Monach. cap. 2.) malè sentit, nec, quomodo cæteros omnes, religiosi status expertes (utut pii sint & simplicitati Christianæ studeant) ad mundanorum & terrena sapientium agmen (quod membris præcipuis & excellentioribus opponit) reducere possit, perspicio. 3. Quàm dura sit metaphora, per *calcaneum* intelligere mundana & terrena Ecclesiæ membra, quivis videt. Et si ea sunt Ecclesiæ calcaneum, quis ejus venter, quod caput? Ad Pontificem Romanum ut tandem perveniatur, si Pontificius essem, facilè hìc scalas admoverem. Sed valeant istæ nugæ.

LIV. [b] Quod obiter Gordonus attexuit, id obiter etiam hoc loco noto. Verba illa vulgatæ versionis: *Et tu insidiaberis calcaneo ejus*, quæ cum Hebræo textu non conveniunt, Jesuita ita excusat, quòd sensus eorum sit: *Insidiando & non aperto Marte conteres ejus calcaneum*. Et respexisse interpretem ait ad vocem Hebræam עקב, quæ propriè significet *insidiari, & ex insidiis aggredi*, atque ita emphasin Hebraicæ vocis עקב omninò versionem illam exegisse. Verùm Resp. 1. Si interpres ad significatum hoc respexit, cur igitur manifestò *calcaneum* reddidit? duo diversissima sunt hæc significata, quæ in unam eandemque vocem, semel in textu positam, cadere in æternum nequeunt. 2. עקב quando nomen substantivum est, *calcaneum* significat: quando verbum, *fraudavit, insidiatus est, fefellit*, Gen. 27. 30. Jer. 9. 4. Interpres autem non verbalem voluit reddere, sed nominalem significationem, unde expressè *calcaneum* ponit. 3. Tò *insidiaberis* autem transtulit non ex Hebræo עקב, sed ex תשופנו quod in superiori membro positum, *conterere, conquassare*, significat. In eo igitur reprehenditur, quòd tàm discrepantem in ultimo membro ei significationem attribuit: nusquam enim pro *insidiari* illa radix accipitur.

[b] Vulgata versio notatur.

[a] Secundum membrum assertionis secundæ.

LV. [c] Quoad *tertium* (vide §. 44.) controversiam hanc Jesuita his verbis extenuat: *Ex his omnibus facile est animadvertere, adversarios litem movisse de re nullius ferè momenti; si verba rectè intelligantur. Nam sive legatur* Ipsa,

[c] Tertium membrum assertionis secundæ.

*ut referatur ad Ecclesiam, sive* Ipsum, *ut referatur ad semen, seu filios Ecclesiæ, idem erit omninò sensus, quia idem prorsus est, ipsum semen conterere caput serpentis, & filios Ecclesiæ conterere caput serpentis &c.*

LVI. Respondemus nos: 1. Nequaquam de lana caprina, deque tribus, quod ajunt, capellis, hic quæstio movetur, sed de negotio omnium maximo, de redemtione sc. humani generis per Messiam præstitâ, de victoria per eundem à potentissimo humani generis hoste obtentâ: de consolatione Euangelica, ejusque primo originali fonte. 2. Quod autem versioni Latinæ, quæ *Ipsa* vertit pro *Ipsum*, dicam seriò scribimus, importunitas Monachorum & Pontificiorum, etiam præcipuorum, in causa est, qui Μαριολατρείας fulcrum hac in versione quærunt & constituunt, uti in vestibulo nostræ diatribes pluribus ostensum. 3. Quòd si noster ille paulò saniorem sententiam amplectitur, & non Mariæ, sed toti Ecclesiæ illam versionem applicat, in eo à cæteris quidem suis complicibus discedit (si tamen corde & seriò discedit) nondum tamen suavissimi textus verum assequitur sensum. Meritò igitur & hic contrà, tanquam pro focis & aris pugnamus.

## TERTIA JESUITÆ ASSERTIO.

LVII. Tertiò igitur ad ipsam versionem Latin. Gordonus accedit, eamque (quâ *Ipsa* vertit, pro *Ipsum*, scil. semen) genuinam esse, & alteri præferendam, astruere conatur. Et duplici quidem argumentorum genere: 1. Ex contextu, ejusque cohærentia. 2. Ex ipso sermone Hebraico. *Prius* cap. 17. num. 10. *Posterius* per totum cap. 18. expeditum dat.

LVIII. *Ex contextu* ita argumentatur: *Si victoria refertur ad mulierem, id est, Ecclesiam, meliùs cohærent omnia, quia Deus primò prædixit futuram inimicitiam inter mulierem & serpentem, deinde inter semen mulieris & semen serpentis. Opponitur ergò mulier serpenti, & semen semini, Victoria verò, quæ promittitur, dicitur de ipso serpente reportanda, non de ejus semine duntaxat: Ergò hæc victoria potiùs ad ipsam mulierem, quàm ad ejus semen pertinebit.* Hactenus ille. Syllogismus potest esse talis: Ad illud subjectum respicit relativum הוא, cui non opponitur *semen serpentis*, sed *ipse serpens* (dicitur enim הוא *conteret caput tuum*, ô serpens, non, *caput seminis tui.*) At non *semini mulieris* (in secundo sententiæ Mosis membro) sed *mulieri* (in primo) opponitur ipse serpens, uti patet. Ergò non *ad semen mulieris*, in secundo, sed *ad mulierem*, in primo membro, relativ. respicit, & per consequens in fœmin. genere est vertendum.

LIX. Resp. 1. Negatur propositio major, ex eo, quòd *serpens* & *serpentis semen*, cujus in textu fit mentio, non ita significatu discrepant, ut pro oppositis haberi possint debeantve; sed serpens, cujus in primo membro fit mentio, intelligendus *cum suo semine*, i. e. Archi-Satanas cum omnibus suis Angelis: & vicissim in secundo membro, *semen serpentis* nihil aliud, quàm diabolorum colluviem denotat; non excluso, sed incluso, seu præsupposito suo principe. 2. Cui igitur subjecto relativ. הוא quadret, ex alio & solidiori principio discendum. Nempe quadrat illi, 1. quod proximè præcedit (hæc enim relativorum natura, licet ab ea quandoque discedant, & remotiora respiciant, quod quando fiat, ex contextu dispiciendum;) 2. quod genere cum eo convenit; hac cynosurâ adhibitâ facilè patescit, non ad אשה *mulierem* (quod remotius est, & genere omninò discrepans) sed ad זרע *semen* (quod proximè præcedit, & genere, quod masculinum est, convenit) illud הוא referendum esse. Accedit, quòd sequens verbum ישופך *conteret te*, itidem masculinam formam habet, subjuncto simul affixo masculino, תשופנו *conteres eum* (non eam) *calcaneo*: Cùm contra in membro præcedente, ubi affixum sine dubio ad אשה *mulierem* refertur, in fœminino quoque genere ponatur, זרעה *semen ejus*. Ex quibus apparet, cuinam subjecto præcedenti relativum הוא cum toto illo prædicato conveniat, non fœminæ nimirum, sed masculo. Postulat enim ratio Grammatica, ut, quæ conveniunt generibus, mutuò sibi respondeant, nisi evidens caussa detorqueat interpretationem ab usitata constructionis lege: qualem evidentiam Jesuita nondum nobis ostendit.

LX. 3. *Si mulierem*, de qua membro primo, illud ultimum membrum cum relativo respicit, sequetur, *Evam* esse eam, quæ conteret caput serpentis &c. quod absurdum. Nam quod per hanc, repræsentari Ecclesiam, Gordonus asserit, τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνει, & rem incertam pro certa ponit & inculcat. 4. Rectissimè igitur textus cohæret, si eo, quo à Spiritu S. in Scripturas relatus est, explicetur ordine: *Semen mulieris*, hoc est, Christus, inimicitias exercet cum Satana & ejus semine. Et idem semen mulieris (הוא) *conterit Satanæ caput*,

*caput, viciſſimque calcaneo ab eo conteritur &c.* 5. Quòd autem media illa verba, *inter ſemen tuum & ſemen illius*, per parentheſin textui Moſaico interjecta eſſe, Jeſuita exiſtimat, quaſi abſque illis ſententiæ ſuum conſtaret complementum, in eo inſigniter fallitur & fallit. Continent enim illa ipſam ſubjecti denominationem, cui auguſtiſſimum deinceps prædicatum contritionis ſerpentini capitis tribuitur.

LXI. Ex *Hebraico ſermone* verſionem corruptam defenſurus Jeſuita, ita procedit, ut 1. ex textu non punctato (qualem à Moſe initiò fuiſſe ſcriptum exiſtimat) argumentetur, & 2. cum punctato etiam convenire verſionem præſentem, oſtendat.

LXII. Quoad prius; *Optimè* (inquit) *conſentit textus Hebræus cum noſtra vulgata lectione, ſi Scriptura purè & ſincerè legatur, ut olim à Moyſe ſcripta fuit, hoc eſt, ſine punctis Rabbinicis, quæ non ita pridem adjecta ſunt, & quidem malè pleriſque in locis, ut ſupra probavimus. Nam nimis rudis eſt in Hebræis, qui ignorat,* Ipſa, *fæmin. generis, ſæpiſſimè ſcribi ſine litera Jod cum litera Vau, ad hunc modum* הוא. *Imò hoc ipſo c. 3. Gen. bis ita ſcribitur, videl. v. 12. & 20.*

LXIII. Reſp. 1. Quæſtio illa de punctorum vocalium antiquitate, an ea primam literarum exarationem attingat, alius & altioris eſt indaginis, de qua copioſè hîc dicere nil attinet, cùm ad præſens etiam inſtitutum parùm faciat. Nihil autem erroris in punctatione Biblici textus hodiernâ latere, contra Gordonum latè in Philologia ſacra libr. 1. tract. 1. oſtenſum. 2. Jeſuitæ hîc ſibi non conveniunt. Cornelius enim à Lapide, dum verſionem Latinam & ipſe defendit, non הוא ſed היא legendum eſſe, inquit cum Jod, quòd in correctioribus Codicibus pro Vau, per keri uketif ſcriptum eſſe ait; ſed fidem ejus rei nullam omninò facit, nec facere poteſt. 3. Poſitò, ſine punctis olim extitiſſe הוא attamen non ſequitur, ut fœmininum fuiſſe ab Hebræis lectum: Cujus enim generis ſit, ſubjunctum maſculinum verbum, maſculinum item affixum ſufficienter declarat, quæ κριτήρια ſunt conjungenda. 4. In adductis autem locis Gen. 3: 12. & 20. longè diſparem conſpicere licet rationem. Ibi enim (utut remota fingantur puncta) immediatè præcedens fœmininum, & ſequens fœmininum verbum (in priore נָתְנָה *dedit*, in poſteriore הָיְתָה *eſt*, ſeu *exiſtit*) הוא etiam fœmininum eſſe arguit. 5. A particulari igitur, aque non diſtributo ad diſtributum fit collectio omnis, quæ hic inſtituitur.

LXIV. *Prætereà* (pergit) *hoc obſervatu dignum eſt, quòd cùm ſcribitur Pronomen hoc fœmininum, more maſculino, cum Vau literâ, emphaſis magna lateat in hac inſolitâ mutatione, ita ut Pronomen illud non tam ſignificet ipſam, quàm ipſiſſimam, ſeu hanc ipſam & non alium. Exempla ſunt Gen: 3: 12, 20. cap. 17: 14. cap. 24: 44. cap. 38: 21, 25. &c. Rectiſſimè igitur & hoc loco verti poterit, ipſiſſima, ſeu hæc ipſa, & non alia, conteret caput tuum.* Reſp. Emphaſin illam in quibuſdam exemplis obtinere poſſe uti non negarim: (etſi indifferenter in omnibus inveniri ea non poteſt, vide Gen. 2: 12.) ita huc nihil, quod affertur, quadrare, liquido patet. Petitur enim principium, & priùs demonſtrandum eſt ſolidè; הוא hoc loco fœminin. eſſe, tùm enim de emphaſi facilè conveniemus. Antè autem, quàm principale non probetur, de acceſſorio minùs ſumus ſoliciti.

LXV. *De verbo autem* (porrò ait) *& affixo ſeu Pronomine maſculini generis addito, nulla eſt difficultas. Sciunt enim omnes, qui in Hebræis mediocriter verſati ſunt, fœmininis plerumque addi verba & affixa ſeu Pronomina maſculini generis. Fitque hoc præſertim, cùm de maſcula & virili actione agitur, ſeu de actione, quæ eſt laude digna, cujuſmodi eſt imprimis iſta contritio capitis Satanæ. Sic Ruth. 1: 8. tàm affixa, quam verba generis maſculini, tribuuntur fœmininis, & alibi ſæpiùs.*

LXVI. Reſp. 1. Hac ratione utcunque quidem palliatur illa verſio, ſed non cum Hebræo textu *optimè conſentire* oſtenditur. 2. Naturalis ſignificatio verborum & affixorum maſculini generis, eſt maſculina: quòd ſi fœmineo ſignificatu quandoque, & rarò quidem (non *plerumque* ut Jeſuita putat) veniunt, evidens & urgens cauſa in ipſo textu eſt, cur ita & non aliter exponi debeant, uti ex adducto loco Ruth. 1: 8. conſpicitur. At talis neceſſitas ex noſtro textu penitus exulat: Ut verò naturalis, quæ maſculina, ſignificatio retineatur, ex adverſo evidens poſtulat neceſſitas, uti ſuperiùs producta argumenta oſtendunt. 3. Oſtendat verò nobis Jeſuita vel unicum per totam Scripturam Hebræam locum, in quo & *maſculinum relativum* הוא *& maſculinum verbum, & maſculinum affixum*, continuo in ſermone conjungantur, & tamen ad remotius antecedens ſubjectum *fœmineum* ſint referenda, exiſtente in propinquo ejuſmodi ſubjecto, quod certò maſculinum eſt. Hoc ſi præſtitum fuerit (præſtari autem in æternum non poterit) in aſſentiendo ei faciliores nos forſan exhibebimus.

LXVII. Hæc de priori. *Poſterior ratio*

 *eſt,*

*est*, (pergit Gordonus) *etiamsi concedamus adversariis, puncta Judæorum optimè esse collocata, nullumque genus mutandum esse in verbo, aut in affixo, nihilominus sententia ista rectè potest intelligi de muliere, juxta phrasin Hebraicam. Nam mulier hîc est nomen collectivum, significans totam Ecclesiam. Hujusmodi autem nomina collectiva apud Hebræos sunt communis generis, hoc est, tàm masculini quam fœminini, propterea quod contineant utrumque sexum, ut variis exemplis ostendit Pagninus libr. 2. Grammat. Hebr. cap. 2. imo in eodem versu nunc ponuntur in masculino; nunc in fœminino genere, uti videre est Genes. 32. vers. 8. in dictione* מחנה, *id est, turma. Ad eundem modum vox,* אשה, *id est mulier, quia est nomen collectivum, significans Ecclesiam, in priore parte hujus versus, cùm dicitur (semen illius) ponitur in fœminino genere; sed in posteriore parte, ubi dicitur, quod conteret & conteretur, ponitur in masculino: ut intelligamus, hanc pugnam non ad unum, sed ad multos pertinere.* Hactenus Jesuita, cujus verba integra volui adducere, ut mira anguis lubrici vafrities cognosci eò meliùs posset.

LXVIII. Resp. 1. Muleirem sive Evam hîc significare totam Ecclesiam, in quæstione adhuc positum: & eam non significare, superiùs probatum. Petitur igitur principium, dum rei dubiæ argumentum superstruitur. 2. Posito, sed non concesso, significationi illi dandum esse locum, parùm tamen eo effici poterit. Significabit enim *mulier sive Eva* Ecclesiam, non proximè, sed remotè: non sensu literali, sed allegorico & mystico (uti ex Eph. 5. ℣s. 32. patet, quem locum Jesuita adduxit) non vi & significatione vocis, sed vi & repræsentatione ipsius rei. Jam verò generis distinctio ex significatu vocis propiori, & literali desumitur, non remotiori & mystico, uti patet. 3. Et quis unquam vel fando audivit, אשה *mulierem*, quocunque accipiatur modo, esse generis communis, tamque masculini, quam fœminini? contrarium in adjectivo est, dicere ipsam fœminam esse masculum, quæ duo sunt oppositæ quasi species. Sanè vix possum adduci, ut credam Gordonum rem seriam agere, sed ludere eum lusum ingenii quendam, ferè suspicor.

a Jesuita in Masorethas invehitur.

LXIX. 4. Eadem est ratio, ac si quis argumentari velit: תֵּבָה, ἡ κιβωτός, *Arca*, quam construxit Noë, propter decretum à Deo diluvium, significavit τὸ βάπτισμα, *baptismum* seu *baptismi in Nov. Test. Sacramentum*, uti conspicitur ex 1 Pet. 3: 20, 21. Ergo תֵּבָה κιβωτός, *Arca*, est generis mascul. seu neutri, sicut *baptismus* seu *baptisma*. Seu, ut in collectivis persistamus; *Hagar* Synagogam V. T. *Sara* Ecclesiam N. Test. significat, attestante Apostolo Gal. 4: 22. seqq. Ergò *Hagar* & *Sara* (nomina mulierum) sunt generis communis seu masculini. Significant enim rem collectivè sumtam. Quæ hîc collectio? quæ συνέπεια καὶ συνάφεια? Remanet utrimque vocibus sua naturalis significatio, & constat nihilominùs sibi allegorica repræsentatio.

LXX. 5. *Ecclesia* ipsius nomen, quod proximâ significatione est nomen collectivum, nunquam tamen est generis communis vel masculini, sed manet fœmininum: multò minus ea vox fœminina, quæ remotè per allegoriam (& etiamnum quidem incertam) Ecclesiam significare dicitur, communis seu masculini propterea erat. 6. Ecclesia est quidem nomen collectivum. multa supposita, sive multos homines suo sub ambitu comprehendens: sed illi, quatenus sunt membra Ecclesiæ, non considerantur, ut viri sunt & mulieres: *In Christo Jesu enim οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ, neque vir est, neque mulier*, Gal. 3: 28. sed ut Christiani, seu Christo per fidem insiti.

LXXI. 7. Alia autem est ratio illorum, quæ à Pagnino adducuntur nominum: Illa enim 1. sensu literali proximo sumuntur; 2. res ejusmodi significant, quæ sexu verè distinctæ sunt, qualia sunt epicœna, seu nomina specierum, in genere sensitivorum animantium; 3. pauca etiam communis generis sunt, non quia sunt collectiva, neque propter sexus discrepantiam, sed propter peculiarem in Scripturis usum. Uti de מחנה, quod *castra* notat sive *exercitum*, Gen. 32: 8. de מקום item, quod *locum* significat Gen. 1. 9. Job. 10: 9. de אש *ignis* Ps. 39: 4. Job. 20. 26. de זקן *barba*, Es. 15. ℣s. 2. 2 Sam. 10. ℣s. 5. מגן *clypeus*, 1 Reg. 10. ℣s. 17. Cant. 4. ℣s. 4. patet, uti & de quibusdam aliis, quæ non sunt in exemplum trahenda, nisi sacrarum literarum probentur testimonio. Atque hæc de hoc quoque sophismate.

LXXII. a His ita peractis, in Judæorum Masorethas Jesuita invehitur, *quòd propter hanc usurpationem nominum collectivorum, nunc in masculino genere, nunc in fœminino, notârint aliquando Hebræum textum esse corrigendum, ubi nulla opus est correctione.* Exempla adducit ex Jud. 19. ℣s. 3. להשיבו. Prov. 31. ℣s. 16. נטע Jer. 2. ℣s. 44: נפשו. Loca etiam adducit ejusmodi, *in quibus nihil corrigendum putârunt Masoretha, quamvis in illis ponantur verba masculini generis pro fœmininis, propterea quòd jungantur nominibus collectivis.* E. G. Es. 57. ℣s. 8. ותכרת, Jer. 3. ℣s. 5. ותוכל, cap. 14: 14 חזין, Cant.

Cant. 2: 7. cap. 3. ℣s. 5. תעורדו אתכם, *&c.* Alia etiam subnectit quasi *παρέργως*. De quibus omnibus hac vice non datur tractandi locus. Unum tantùm atque alterum animadversione non indignum adferemus.

LXXIII. 1. In loco Jud. 19. ℣s. 3. Levitæ uxorem pellicem, *significatione mystica, esse nomen collectivum, denotans Judæorum Synagogam*, & proinde *in masculino rectè poni relativum affixum in* להשיבו, ejusdem roboris est cum antecedente אשה, de quo egimus. Illa significatio mystica arbitraria est, non determinata: Scripturæ textui (cujus sensus literalis in adducto loco manifestissimus) infertur, non verò ex eo hauritur: Pari igitur facilitate rejicitur, quâ asseritur. Haudquaquam igitur ob restitutionem fœminini generis (להשיבה) Masorethæ reprehendi possunt vel debent. Eadem ratio est cæterorum, quæ adducuntur; Prov. 31. ℣s. 16. Jer. 2. ℣s. 44.

LXXIV. 2. Insignis Jesuitæ fraus in eo conspicitur, quod num 9. hujus capitis inquit; *hanc ipsam vocem* אשה *jungi verbo masculini generis* Gen. 2. ℣s. 23. *in illis Adami verbis: Hæc vocabitur virago, Hebr.* אשה. *Verbum enim* יקרא *(id est, vocabitur) masculini generis esse, non fœminini: quia sc. & hoc loco Eva mysticè repræsentaverit Ecclesiam, teste Apostolo* Ephes. 5. ℣s. 32: *& proinde collectivum sit nomen, generis communis.* Insignis verò dolus! In Hebræo non ita ad verbum legitur: *Hæc*, sc. mulier, *vocabitur Ischa* seu *virago:* sed sic; לזאת יקרא אשה *huic* vel *ad hanc dicetur virago*, h.e. mulieri appellatio illa communiter imponetur, & imposita permanebit, quòd dicetur Ischa. Patet igitur, non ad casum rectum referri masculinum verbum, sed obliquum: directè autem non ad *mulierem* refertur, quæ vocatur, seu appellatur, sed ad *quemvis alium*, qui vocat & appellat. Exempla hujus phraseos similia extant Es. 1. ℣s. 26. cap. 32. ℣s. 5. cap. 35. ℣s. 8. &c.

LXXV. 3. Septuaginta interpretes relativum הוא in nostro textu itidem in masculino reddiderunt, *αὐτός*. Id Gordonus factum ait, *juxta usitatam phrasin Hebraicam, quâ nomen collectivum, alioqui fœminini generis, ponitur in masculino.* Respexisse igitur eos ad vocem אשה, quæ in Hebræo sit masculini generis. Resp. Hæc opinio doctis illis Metaphrastis procul dubio nunquam vel somniando in mentem venit. Respexerunt illi, ad proximè præcedens *semen mulieris τὸ σπέρμα*, per quod cùm rectè intellexerint Messiam in individuo indicari, masculinâ voce *αὐτός* id ipsum exprimere, & vocis Hebrææ הוא genuinam significationem reddere voluerunt. *At* (inquit Jesuita) *relativum αὐτὸς non potest referre id, quod præcedit, τὸ σπέρμα, semen, quod neutrum est genere.* Respondeat pro me Apostolus, Gal. 3. ℣s. 16. ubi de semine hoc benedicto ita loquitur, *καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστι Χριστός.* Respondeat ipse Christus Joh. 16. ℣s. 13. *ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας*, ℣s. 14. *ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει.* En nomen neutrum per relativum masculinum expressum. Similia sunt Matth. 28. ℣s. 19. Rom. 9. ℣s. 13. Ephes. 1. ℣s. 13, 14. &c. *τὸ σπέρμα, semen*, posset specificè sumi & collectivè: sed masculino *αὐτός*, individualem obtinere significationem, declaratur, &c. a Quædam animadversione, digna.

## QUARTA ET ULTIMA JESUITÆ ASSERTIO.

LXXVI. Tandem ad id, quod initiò de Maria dicebamus, Jesuita in fine suæ diatribes accedit, & durissimam Pontificiorum de Maria corredemtrice sententiam his emollit verbis: *Sed neque debent adversarii ægrè ferre, quòd hunc locum, qui ad literam intelligitur de Ecclesia, applicemus etiam ad beatam Mariam matrem Christi: quod enim singulis piè in Christo viventibus attribuit Scriptura, rectissimè aptatur beatæ Virgini: imò ut sententia ista præcipuè convenit Christo domino nostro (cujus virtute cæteri omnes calcant Diabolum) ita post Christum præcipuè convenit sanctissimæ matri Christi, quæ post Christum perfectissimè calcavit Diabolum.*

LXXVII. Resp. 1. Non ægrè ferremus, locum hunc ad Mariam applicari, modò salva id fieret veritate cœlesti, modò opus soli Christo Mediatori proprium Mariæ non adscriberetur, modò idololatria & Marialatria hinc non stabiliretur, modò etiam sensus genuinus, proprius & literalis, adeoque nucleus dulcissimi textus relinqueretur salvus & inconcussus. 2. Quoad literam de Ecclesia intelligi hunc textum, suprà refutatum. 3. Quod piis in genere convenit, id libenter sanctissimæ Virgini adscribimus, sed *Non plus ultra*. Beata est Maria, non pariendo mundi Servatorem, sed credendo in mundi Servatorem.

LXXVIII. 4. Quid verò ista sibi volunt: *Post Christum perfectissimè Mariam calcare Diabolum?* Modum calcationis, quem intelligat Jesuita, non exprimit, neque igitur multis de illo laborabimus. Si sano & Scripturis conformi sensu accipit, & Mariam in miserorum peccatorum censu reponit, qui per solum Christi meritum, verâ & viva fide appropriatum,

unicè salvantur, atque sic fide Diabolum vincunt, de veritate agnita gratulamur: Sin in corde suo aliter sentit, & in vestibulo propositæ expositioni addictus est, (quod valdè suspicor) fruatur sanè suo heterodoxo sensu; sed quàm grave sit, quamque blasphemum, Dei gloriam creaturæ tribuere, maturè secum cogitet, ut judicium Dei *idololatris & blasphemis* paratum Apoc. 21. ℣s. 8. effugiat. Deum autem verneramur supplices, ut in veritate sua nos conservet. Verbum ejus veritas est. AMEN.

*Contritor capitis Serpentis Maxime! nostris*
*Sub pedibus Satanam contere CHRISTE, cito.*

Rom. 16. ℣s. 20.

*Ὁ δὲ Θεὸς τῆς εἰρήνης συντρίψει τὸν Σατανᾶν ὑπὸ τοὺς πόδας ὑμῶν ἐν τάχει.*

*Et tunc erit*

**FINIS,**

**ET**

**SOLI DEO GLORIA.**

**Amen.**



ביהו״ה:

# PHILOLOGIÆ SACRÆ LIBER QUINTUS.

# RHETORICA SACRA.

## TRACTATUS I.

## DE TROPIS.

OTEST totius elocutionis sacræ *δείνωσις*, *κάλλος*, *καὶ σαφήνεια* (quantum Rhetoricam considerationem attinet; de Grammatica enim sermonis sancti proprietate & elegantiâ; superioribus libris abundè tractatum fuit) ad duo principalia referri capita, quorum alterum TROPUS est, alterum FIGURA. a Differunt hæc duo, quòd *tropi* ipsum verborum sensum concernunt, dum propria vocum significatio in aliam, cognatam contrariamve, convertitur, quod & ipsum nominis *Tropi* etymon. (quod à *τρέπειν*, *vertere*, deductum) indicat: Unde Hermogeni *λέξεις τετραμμέναι*; Ciceroni *immutationes & verba inflexa ac modificata*; Horatio *detorta*; Fabio *arcessita* dicuntur. *Figuræ* autem, quas & *Schemata* vocant (q. d. orationis habitus) sensum verborum per se non immutant variantque, sed sermoni tantùm ornatum conferunt. *Per se*, dixi, *non immutant:* Licèt enim tàm translatis, quàm propriis verbis oratio figuretur, tamen, quà traslata ea verba sunt, non ex vi schematis est, sed tropi; atque eadem, præterquam quòd tropica sunt, alium insuper ad orationem respectum obtinent, qui figuræ est, uti ex infrà dicendis patebit. Hanc igitur juxta distinctionem duo exegeseos hujus Rhetoricæ constituendi erunt tractatus, quorum prior *Tropologia*, posterior *Schematologia* est. Tropologiæ, generali divisione, duæ possunt constitui partes, quarum altera Troporum *species*; altera eorundem *affectiones* explicat. Species troporum, secundùm vulgarem in scholis distinctionem, sunt quatuor: *Metonymia*, *Ironia*, *Metaphora*, *Synecdoche*. Quarum ordinis ratio ex argumentorum Dialecticorum, ex quibus tropi deducuntur, ordine dependet. *Metonymia* ex locis causarum & effectuum, itemque subjecti & adjuncti, deducitur. *Ironia* ex loco contrariorum. *Metaphora* ex loco comparatorum. *Synecdoche* demùm ex loco distributionis totius in partes, & generis in species. Affectiones troporum numerant tres: *Catachresin*, *Hyperbolen*, *& Allegoriam*, cujus species quædam sunt, *paræmia*, seu proverbium, & *ænigma.* De quibus omnibus & singulis, in capitibus distinctis, ordine justo, σὺν Θεῷ, tractabitur.

a Differentia inter tropum & figuram.

# CAPUT I.

## DE

# METONYMIA CAUSÆ.

a Distinctio metonymiæ causæ efficientis.

a METonymia est tropus, quo causa pro effecto, & contrà; itemque subjectum pro adjuncto, & contra, ponitur. Quatuor igitur metonymiæ species esse, patet. Cumque quatuor sint causarum genera; *efficiens*, *materia*, *forma*, *finis;* inter hæc, causæ duntaxat efficientis & materialis respectus hic, ex vocabulorum phrasiumque sacrarum usu, attenditur. Triplici autem ratione *metonymia causæ efficientis* contingit. 1. Cùm persona efficiens pro re effecta ponitur. 2. Cùm causa organica seu instrumentum pro re per instrumentum effectâ ponitur. 3. Cùm res vel actio quædam pro effectu, ab illa re, vel per illam actionem producto ponitur. Notandum verò, & hic, & in sequentibus, non ea tantùm Scripturæ S. exempla adduci, in quibus, secundùm præcepta Rhetorices profanæ, strictè loquendo, tropi ita dicti conspiciuntur; sed & quæ analogia certa ad eos reduci possunt, secundùm Rhetorices sacræ, ad sacrosanctas literas applicatæ, tenorem atque habitudinem.

## I. Persona efficiens pro re effecta.

1 SPIRITUS pro effectis & operibus Spiritus sancti. Qualia sunt, 1. Salutis organum, & cœleste Euangelii Christi verbum, quod *Spiritus* dicitur, quia ejus autor est, & per illud peculiariter efficax est ad salutem Spiritus S. 2 Cor. 3:6. *Deus idoneos nos fecit ministros N. Testam. non literæ, sed Spiritus: nam litera occidit, Spiritus autem vivificat.* ℣. 8. *Cur non potiùs ministerium Spiritus erit in gloria?* Ubi per *literam* lex divina, in tabulis lapideis per literas expressa, denotatur, quæ cùm perfectam obedientiam ab homine requirat, eam verò nusquam, ob corruptam carnem, inveniat, non nisi occidit, h. e. maledictionis, condemnationis, & æternæ mortis sententiam, contra homines pronunciat. Per *Spiritum* verò doctrina Euangelii salutifera intelligitur, quia à Spiritu S. non quavis ratione & κοινῶς (ita enim & Lex à Spiritu S. est) sed ut benevolentissimo paracleto, consolatore & salutis æternæ ἀρχηγῷ & operatore, originem ducit, & patefecta est: & per illam Spiritus S. vitam in homine spiritualem, justitiam, & salutem æternam operatur. Quo sensu & Christus inquit Joh. 6. 63. *Verba quæ ego loquor vobis, Spiritus sunt, & vita sunt*, h. e. à Spiritu Dei sunt, & spiritualem vitam, verâ fide accepta, conferunt. Eandem loquendi formam Paulus imitatur Rom. 8: 2. *Lex Spiritus vitæ per Christum Jesum liberavit me à lege peccati & mortis.* Flacius in clave script. parte 1 colum. 1162. *Lex Spiritus vitæ est Euangelii doctrina: sic dicta, quia affert secum Spiritum S.* (est peculiare præsentissimæ operationis Spiritus S. organon) *qui divinâ efficaciâ cor hominis immutat, ac digito suo legem cordi ejus inscribit; ita ut jam non in solis tabulis aut membranis hæreat, sed in ipsum cor hominis penetret, ibique veluti flamma quædam vigeat, hominemque ad spirituales motus & opera præstanda inflammet.* Ex qua collatione patet, concurrere hîc unà *meton. effectus*, quâ res per instrumentum effecta (Spiritus S. & donorum ejus concessio gratuita Gal. 3: 2, 5.) pro instrumento seu causâ organicâ (quæ verbum Christi est) ponitur: cujus exempla alia infrà producentur. Referri etiam huc potest, quòd verbum Christi *Spiritus labiorum ejus*, Esa. 11:4. *Spiritus oris ejus*. 2 Thess. 2: 8. appellatur, h.e. cujus in Christo autor, fons & scaturigo fuit Spiritus S., quo sine mensura unctus fuit Salvator, & cui verbi Euangelici per Christum facta manifestatio apertè tribuitur, Esa. 42: 1. cap. 61: 1. 2 Johann. 3: 34. &c. II. Salutares motus & ἐνέργειαι in homine. Quales sunt 1. IN GENERE, donum sanctificationis, regenerationis & renovationis, vel, quod idem est, ipse homo, quatenus sanctificatus, regenitus & renovatus est à Spiritu S. Psa. 51: 12. *Spiritum rectum innova in interiori meo.* v. 14: *Spiritu voluntario confirma me.* Spiritus rectus, sive firmus & voluntarius, hîc est χάρισμα illud divinum, quo fidelis homo de salute æterna in corde redditur certus & firmus; atque ita voluntariam obedientiam Deo benignissimo Patri præstat. Utrumque Spiritus sancti opus est, qui etiam expressis verbis ibid. memoratur, v. 13. *Spiritum sanctitatis tuæ ne auferas à me.*

b Literæ & Spiritus oppositio.

Sic Ezech. 11: 19. *& dabo eis cor unum, & Spiritum novum dabo in interiori eorum &c.* h. est, mentis renovationem, seu novos ac Deo placentes cordis motus & actus, quæ Spir. S. ἐνέρ-

ἐνέργεια sunt; unde cap. 36:26. hæc verba repetuntur, & ad primam scaturiginem statim fit accessus, v. 27. *Et Spiritum meum dabo in interiori vestro &c.* Hoc sensu *renovari Spiritu mentis nostræ* jubemur Eph. 4: 23. quod per *transformationem & renovationem mentis* exponitur Rom. 12:2. Atque ita aliàs; cùm *Spiritus & carnis* fit oppositio, ubi per *carnem*, corruptus homo per peccatum, & quævis mala opera; per *Spiritum* verò donum regenerationis Spir. sancti, vel quod unum idemque est, ipse homo regenitus, intelligitur. Joh. 3:6. *Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Ubi primo loco vox *Spiritus* denotat ipsum Spir. S. gratiosè per verbum & Baptismum operantem; posteriori loco Spir. S. ἐνέργημα salutare intelligitur. Conferatur Rom. 8:1,2,10.14,16. Gal. 5: 17. cap. 6: 8. Similiter hortatur Paulus 1 Theff. 5:19 *Spiritum ne exstinguatis*, h. e. Spir. sancti dona, illuminationem & renovationem. Cui ex adverso respondet, quod Timotheum jubet, ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα Θεȣ̃, *suscitare instar ignis donum Dei.* Pietas & vera fides est viva quædam flammula, per Spiritum Sanctum in corde credentium accensa, quam nituntur suffocare Satanas & caro corrupta: sed contrà, vigore Spiritus magis ac magis fovenda, & instar ignis, apposito subinde sancto pabulo, alenda ac suscitanda est. Pabulum illud verbum Jehovæ salvificum est. ᵃ Eodem sensu *anima* quandoque à *spiritu* in homine distinguitur, ubi *Spiritus* vox, animæ regeneratæ & sanctificatæ vim quasi & impetum divinitùs insitum notat, quo toto affectu in Deum fertur, eique unitur. Luc. 1: 46. *Magnificat anima mea Dominum* v. 47. *& exultavit Spiritus meus in Deo Salvatore meo.* Explicatio clara extat, 1 Theff. 5:23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos: & integer vester spiritus, & anima, & corpus, inculpatè in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* Alia loca, quibus Spiritus pro novo homine & viribus spiritualibus accipitur, occurrunt Psal. 51: 18. Esa. 26.9. Ezech. 18: 31. Matth. 5: 3. cap. 26: 41. Act. 17: 16. cap. 19: 21. cap. 20: 22. Rom. 1: 9. 1 Cor. 5: 3.4 5. cap. 6.20. Gal. 3: 3. 1 Pet. 3: 4. &c. 2. IN SPECIE, dona Spiritus sancti peculiaria & extraordinaria, quæ in hominibus, ad varios usus, tàm publicos, quàm privatos; tam spirituales, quàm corporales atque externos, operatur. Num. 11: 17. *Et separabo de Spiritu, qui est super te, & ponam super eos:* Loquitur Jehova de donis Spiritus sancti, quæ admensus est septuaginta Senioribus ex populo selectis, fini eo, ut Mosi in gubernatione populi adjumento essent. Complementum promissi iisdem verbis v. 25. exprimitur. Vatablus: *Ita de Spiritu Mosis abstraxit, ut nihil auferret, ut cùm (eleganti similitudine inquit R. Salomo) ex uno candelabro multas lucernas accendunt, cum tamen nihil primæ luci detrahatur aut deficiat propterea, &c.* 2 Reg. 2: 9. *Et dixit Elisa: Sit, obsecro, mensura duarum partium de Spiritu tuo super me.* Manifesta allusio est ad jus primogenituræ, Deut. 21: 17. propositum, q. d. quia primogenitus sum inter discipulos tuos, hoc est, primus, quem in scholam tuam recepisti, duplo quæso majorem vim Spiritus tui conferas mihi, & à Deo impetres, quàm uti reliquorum tuorum discipulorum. Condiscipulos suos, non Magistrum excellere cupiebat. Dan. 5: 12. *Spiritus amplior, & scientia & intellectus &c. inventus est in Daniele.* Ita & cap. 6: 3. *Daniel superabat omnes Principes, eò quòd Spiritus amplior in eo esset*, hoc est, præstantiora & majora Spiritus dona. Luc. 1: 17. *Ipse (Johannes) præcedet ante illum, in spiritu & virtute Eliæ:* hoc est, secundùm paraphrasin Erasmi; ubi cum ætate creverint divini Spiritus dona, mira (instar Eliæ) perficiet, tùm exemplo vitæ sanctissimæ, tùm admirabili prædicatione. v. 80. *Puer autem (Johannes) crescebat & corroborabatur Spiritu*, hoc est, per afflatum divini Numinis semper in majus proficiebat, firmitate, robore, & admirandis donis Spiritus sancti. Eadem cap. 2: 40. de infante Jesu Christo dicuntur, & respectu naturæ humanæ intelligenda sunt, quæ in exinanitionis statu subindè magis Spiritus, sine mensura dati; donorum exsertione crevit. Act. 19: 2. *dixit ad eos*: (Paulus ad quosdam Ephesi repertos discipulos) *Num Spiritum S. accepistis, postea quam credidistis? At illi dixerunt ad eum: Imò neque sitnè Spiritus S. audivimus.* Quæ de miraculosis Spiritus S. donis intelligenda esse, ex v. 6. patet. Confer Joh. 7: 39. Act. 1: 5. &c. 3. SPECIALIS revelatio Spiritus S. sive visio & ecstasis; vel verè facta, vel falsò jactata. Ezech. 37: 1. *Eduxit me in Spiritu Dominus &c.* id est, per visionem, seu raptu Spiritus 2 Thessal. 2: 2. *Ne citò dimoveamini à mente, neque per Spiritum &c.* h. e. per revelationem, quæ jactitatur, tanquam à Spiritu sancto profecta. Apocal. 1: 10. *Fui in Spiritu*, h. e. in ecstasi & peculiari Spiritus sancti revelatione, qualis cap. 10: 10. cap. 22: 17. 2 Cor. 12: 2. describitur. Ita & Apoc. 4.2. cap. 17: 3. cap. 21: 10. Hùc referi potest, cùm Spiritus pro doctrina divinitùs revelatâ, vel ἀληθῶς & verè vel δοξαστικῶς & per vanam jactantiam, accipitur. 1 Cor. 14: 32. *Spiritus Prophetarum Prophetis subjiciuntur*, h. e. doctrina (vel Scripturæ divinæ interpretatio)

ᵃ Spiritus & animæ conjunctus quid significet.

ab

ab uno Ecclesiæ ministro proposita, judicio reliquorum doctorum subjecta est. Nemo igitur tàm fastuosus sit & ambitiosus, quò minus aliorum rectè judicantium censuræ se submittat. Liquet hæc expositio ex v. 12: 29, 30, 31, 33, 37, 38. &c. Sic Johannes monet, 1 Epist. 4: 1. *Charissimi, ne cuivis Spiritui credatis, sed probate Spiritus, an ex Deo sint &c:* v. 2. *Per hoc cognoscite Spiritum Dei. Omnis Spiritus, qui confitetur, Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* v. 3. *Et omnis Spiritus, qui non confitetur, Jesum Christum in carne venisse, ex Deo non est. Et hic est ille* (Spiritus) *Antichristi &c,* Ubi *Spiritus* nomen manifestè pro doctrina à Spiritu sancto (sive verè, sive putativè & jactativè) revelata, accipitur. Quidam concretivè accipiunt, pro Doctore, quod eòdem redit. Ita enim ferè accipitur 1 Timoth. 4: 1. *In posterioribus temporibus descisçent quidam à fide, attendentes spiritibus impostoribus,* h. e. Doctoribus, qui prætendunt se doctrinam proferre ex DEI Spiritu, quorum descriptio uberior extat v. 2, 3. Nisi à malis spiritibus, à quibus falsiloqui illi aguntur, appellationem arcessere velis, uti explicatio subjungitur: *Ac doctrinis Dæmoniorum.*

[b] Anima pro ejus affectu.

PARENTES, & majores, pro filiis & posteris. Id quod aliàs ita enunciatur: *Nomina stirpium pro patronymicis usurpantur.* Frequentissimus hic loquendi mos est, in sacris scriptoribus. Sic *Japhet & Sem* pro eorum posteritate ponuntur Gen. 9: 27. *Jacob & Israel* pro populo Israelitico Exod. 5: 2. Num. 23: 21. cap. 24: 5, 17. Deut. 33: 28. 1. Reg. 18: 17, 18. Ps. 14: 7. Ps. 135: 4. Amos 7: 9. ubi & *Isaac*, pro populo eodem accipitur, qui v. 16. *domus Isaaci* dicitur. *Kayn* pro posteritate, vel familia Kenæorum. Jud. 4: 11. *Et Chebar Keneus seperaverat se* מִקַּיִן *à Kayn*, hoc est, à Kenæis, quorum stirpem & caput Kayn fuisse dictum, ex h. l. & Num. 24: 21, 22, apparet. *Obed Edom* pro ejus posteris, 2 Paral. 25: 24. qui fuerunt janitores & thesaurorum sacrorum custodes, ut ex 1 Par. 26: 15. patet. *Esau*, pro populo Esavitico, Mal. 1: 3. Rom. 9: 13. Alia exempla abundè suppeditat librorum sacrosanctorum lectio. Conferantur, quæ lib. 1. Philologiæ sacræ, p. 172. allata sunt. De *Davidis* nomine, pro Davidide, ut ita dicam, seu Messia, ex Davide secundum carnem genito, quædam legi possunt in Junii tomo 1. operum. col. 1099. ubi Ezech. cap. 34: 23. explicat. Commodiùs verò ad methaporam hoc refertur, ut infrà cap. 13. dicitur. Evidens autem metonymiæ hujus exemplum est, quando [a] *Abraham*, vel *Isaac*, vel *Jacob*, ex quibus secundùm carnem ortus est Christus, Rom. 9: 5. pro ipso Christo ponitur, in phrasi nimirùm Jehovæ ad eos usurpata Gen. 12: 3. cap. 18: 18. cap. 26: 4. cap. 28: 14. Gal. 3: 8. *in TE benedicentur omnes gentes*, hoc est, *in semine tuo* (ἐξαιρέτῳ illo, quod Christus est) uti exponitur Gen. 22: 18. Ps. 72: 17. Act. 3: 25, 26. Gal. 3: 14, 16. & Gen. 28: 14. manifestè conjunguntur, *in Te, & in semine tuo*, quorum posterius prioris est ἐξήγησις, & copulativa *ET* idem est, ac, *id est*, ut in Grammat. sacr. p. 692. בְּ *in*, autem, idem est ac בעבור *propter*, (vide ibid. p. 668.) Ut *in te*, sit sensu idem, ac *propter Christum* ex te oriundum. Unde & Chaldæus causaliter vertit בדילך *propter te*. Targ. Hierosolymit. בזכותך *in justitiâ seu sanctitate tuâ.* Hæc justitia seminis benedicti, Christi JESU, est, in qua, seu propter quam, benedictio & salus æterna datur credentibus.

[a] Gen. 12: 3. In te benedicentur omnes gentes.

SCRIPTOR, pro scripto opere seu libro. Luc. 16: 29. *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos*, hoc est, habent scripta θεόπνευστα, sive libros à Mose & Prophetis exaratos, & pro fidei & salutis regulâ atque canone posteritati traditos. Sic Luc. 24. ℣s. 27. Act: 15. ℣s. 21. c. 21. ℣s. 21. 2 Cor. 3. ℣s. 15.

[b] Ad hanc primam metonymiæ speciem commodè refertur, quando *Anima* (quæ personæ hominis causa formalis, & potior pars essentialis est) pro *vita* accipitur, quæ ejus effectus est, Gen. 9: 5. c. 37: 21. Ex. 4: 19. Lev. 17: 21. Jud. 9: 17. 1 Sam. 26: 21. 1 Reg. 2: 23. Est. 8: 11. Ps. 33: 19. Ps. 38: 13. Ps. 56: 14. Jer. 40: 14. c. 45. 5. Thr. 5: 9. Jon. 2: 6. Matt. 2: 20. c. 10. 39. c. 15: 25. c. 20: 28. Joh. 10: 17, 18. c. 13: 37, 38. c. 15: 13. c. 12; 25. Et pro *voluntate, affectu, desiderio*, quæ itidem animæ operationes sunt. Gen. 23: 8. Ex. 23. 9. Deut. 23: 24. 1 Reg. 19: 3. 2 Reg. 7: 7. Ps. 17: 10. Ps. 27: 12. Ps. 41: 3. Ps. 105: 22. Prov. 23: 2. Jer. 34: 16. Joh. 10: 24. Posset etiam hùc non incongruè referri, quando *Spiritus* (quâ voce anima hominis sæpè denotatur) pro affectu, seu motu animæ, sive bono, sive malo, sumitur. Gen. 45: 27. Num. 14: 24. Jud. 8: 3. 2 Par. 21: 16. c. 36: 22. Esd. 1: 1. Ps. 76: 13. Ps. 77: 4. Prov. 1: 23. c. 18: 14. c. 29: 11. Eccl. 7: 9. Es. 29: 10. c. 37: 7. Jer. 51: 11. Ezech. 13: 3. Dan. 5: 20. Hag. 1: 14. Hab. 1: 11. Rom. 11: 8. 1 Cor. 2: 12. &c.

## *II. Causa organica seu instrumentum, pro re per instrumentum effecta.*

1. INSTRUMENTA loquendi, sive sermo-

sermonis formandi, pro ipsa loquela seu sermone ponuntur.

OS pro sermone seu testimonio. Deut. 17: 6. *Ad os duorum testium vel trium morietur*, h. e. ad sermonem testificatorium. Sic c. 19: 15. Matth. 18: 16. Explicatio habetur Joh. 8: 17. *Os* pro mandato seu præstituto. Gen. 45: 21. *Et dedit eis Joseph currus, juxta os Pharao &c.* hoc est, juxta mandatum. Ex. 17: 1. *Profecti sunt filii Israel, ad os Domini*, hoc est, ad mandatum. Sic Num. 3: 16. 39. c. 20: 24. c. 27: 14. Deut. 1: 26. 43. (vide Grammat. sacram. p. 253.) c. 34: 5. *Et mortuus est ibi Moses servus Domini, in terra Moab, juxta os Domini*, hoc est, juxta verbum Domini. Ubi Sanctius, in Comment. Es. 49. addit: *Quare non rectè cogitant, qui ex lectione Hebraïca dicunt, Mosen in osculo Domini fuisse mortuum.* Quæ equidem traditio non ex ipso Hebræo textu est, sed ex Targum, quod Jonathæ Uzielis tribuitur, עַל פִּי *juxta os Domini*, vertit: עַל נְשִׁיקַת מֵימְרָא דַיְיָ *ad osculum verbi Domini.* Potest autem quod de *ore Domini* dicitur, etiam ad doctrinam de ἀνθρωποπαθείᾳ quæ infrà suo loco tradetur, referri.

LINGUA, pro sermone. Prov. 25: 15. *Lingua mollis confringit ossa*, hoc est, sermo mollis, mansuetus, humanus. Sic Jer. 18: 18. *Percutiamus eum* בַּלָּשׁוֹן *propter istam linguam*, h. e. sermonem illum importunum & nobis odiosum. Specialius *lingua* pro idiomate loquendi, frequens ubique, communi etiam sermone Latino est usurpatio. Act. 2. ℣s. 4, 11. Accipitur & *lingua* pro dono linguarum peregrinarum, Marc. 16. ℣s. 17. 1 Cor. 14. ℣s. 19.

LABIUM, pro sermone. Gen. 11. ℣s. 1. *Et erat omnis terra labii unius*, hoc est, unius sermonis, sive loquendi idiomatis. Sequitur explicatio: *& verborum eorundem.* Chald. *lingua unius, & sermonis unius.* Hebræum autem sermonem intelligi (qui Es. 19. ℣s. 18. *labium Canaan* vocatur) alibi comprobatum datur. Neque enim peculiare nomen Eberina hæc lingua tùm temporis obtinuit, cùm non opus fuerit ab aliis idiomatibus loquelæ discerni, uti post linguarum divisionem Babylonicam, & populorum dispersionem, factum est. Prov. 17: 7. *Non decorum est stulto labium dignitatis, quantò minus liberali labium falsitatis*, hoc est, sermo dignus & excellens; sermo falsus sive mendax. Es. 33: 19. *Populum profundorum labio præ audiendo*, hoc est, obscurè loquente, ut non percipias, ut Pagninus vertit. Sic Prov. 12. vers 19. Job. 12. vers 20. &c.

PALATUM, pro sermone. Prov. 5. vers 3. *Favum destillant extraneæ, & lenius est oleo palatum ejus*, h. e. verbum sive sermo ejus. Pagninus instit. Hebr. c. 1. dicit, sermonem non dici nomine *palati* aut *dentium*, quia in locutione cooperari ita apparenter & sensiliter non videantur hæc instrumenta.

GUTTUR pro sermone accipi, Pagninus ibidem ait, Es. 58. ℣s. 1. *Clama gutture, ne prohibeas.* Sed ipsum loquendi & clamandi instrumentum intelligi, planum est. Sequitur explicatio: *Tanquam tuba exalta vocem tuam.* Quis autem clamoris ejus, seu claræ & apertæ locutionis, sermo sive argumentum esse debeat, his subjicitur verbis: *Et annuncia populo meo prævaricationem eorum, & domui Jacob peccata eorum.*

2. MANUS, pro actionibus, quæ manibus ut plurimùm perficiuntur. Ubi simul synecdoche est: per actiones enim manuum, quævis aliæ; & actionum etiam principia, consilium, machinatio, cogitatio, conatus, cura &c. intelliguntur, 1 Sam. 22. 17. *Quia etiam manus eorum cum Davide*, hoc est, adjuvant ipsum consilio & ope. Sic 2 Sam. 3. vers. 12. cap. 14: 19. 1 Reg. 10: 29. Psal. 7: 4. Es. 1. 15. MANUS, pro scriptione vel scriptura, quæ manu fit, accipitur 1. Cor 16: 21. Col. 4: 18. uti & à Græcis, teste Polluce & Suida, & à Cicerone lib. 7. epist. ad Att. & in nostra vernacula, usurpatur MANUS, pro dono manu porrecto, dicitur à quibusdam accipi Ps. 68: 32. *Æthiopia currere faciet manus suas DEO*, hoc est celeriter transmittet dona sua, Ps. 72: 10. Es. 60: 6. Quò referunt illud Plinii lib. 35. c. 14. *Græci antiqui doron palmum vocabant, & ideò dora munera, quia manu darentur.* Simpliciùs verò cum Chald. accipitur hæc phrasis, de cultu invocationis Dei, cujus signum est manuum extensio, cursus festini manuum metaphorâ hic indicata. Conf. Ps. 22. ℣s. 39.

3. GLADIUS, pro bello aut cæde, quæ gladiis ut plurimum peraguntur. Ex. 5. ℣s. 3. *Ne forte occurrat nobis peste vel gladio.* Lev. 26. ℣s. 6. *Et gladius non transibit in terra vestra.* Sic Es. 1. ℣s: 20. Jer. 14: 12, 13, 15, 16. c. 43. 11. Ps. 144: 10. Rom. 8: 35. & alias sæpissimè. Matth. 10: 34. *gladii* nomine omnis generis dissidia ob religionem veram, & doctrinæ Christi confessionem ac prædicationem orta intelliguntur, quæ quâ ratione sibi ea Salvator adscribat, vide Grammat. sacram p. 298.

4. FUNIS. חֶבֶל pro tractu aut regione fune dimensâ. Patet enim ex Amos 7: ℣s. 17. Mich. 2. 5. Zach. 2: 1. quòd extento fune agros seu fundos mensi fuerint, & dimensos ita sorte distribuerint inter hæredes in Palæstina: quod apud nos nunc virgâ seu decempedâ peragitur. Igitur חבל *funis*, metonymice pro *termino, spacio*, portione agrorum, fundo, hæreditatis

parte &c. accipitur. Deut. 3, ℣s. 4. *Omnem funem Argob, regni Og in Basan*, Chald. *Omnem domum* (locum) *provinciæ Trachonitidis &c.* Jos. 17:14. Ps. 105: 11. Zeph. 2:5. *&c.* Quandoque metaphora simul est. Deut. 32: 9. *Pars Domini populus ejus, Jacob est funis hereditatis ejus*, hoc est, ex toto mundo segregatus, & peculiaris ipsi populus. Confer Psal. 16: 6. ubi in Ecclesiæ suæ pictura similem metaphoram usurpat Salvator, qui ibi loquitur. Hùc referunt 2 Cor. 10: 15, 16. ubi κανὼν, *regula* significat illud spacium, quod ad regulam admensum est; quasi Deus terrarum orbem inter Apostolos diviserit, prædicatione Evangelii excolendum. Et ἀλλότριος κανὼν est pars οἰκουμένης alteri attributa, seu, ad quam excolendam Deus alium constituit & vocavit. Beza citat Pollucem, cui κανὼν sit ipsum saltus spacium &c.

5. ARGENTUM, pro re, argento comparata. Exod. 21: 21.

## III. *Res vel actio, pro effectu, ab illa re, vel per illam actionem producto.*

In *nominibus & verbis* distinctè videnda hæc metonymiæ species. De quâ notandum, ἀναλόγως quædam hùc referenda esse, in quibus, ut ita loquar, συσσημασία est, seu connotantia, h.e. quando res vel actio non strictè, *pro effectu*, sed unà *cum* suo effectu vel consequente, intelligenda est.

a In nominibus. a IN NOMINIBUS; AFFECTUUM quorundum nomina, pro effectis eorundem ponuntur. CHARITAS: pro munere seu beneficio charitatis. 1 Joh. 3: 1. *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur.* Emphasis hìc summa est, ac si charitatem ipsam suam nobis largitus sit Jehova, dum in filios nos gratiosè adoptat. Donando hoc beneficium, seipsum donat, ac nobis unit, *qui ipse est Charitas* c. 4: 8. MISERICORDIA, pro officio & beneficio ex miseratione profecto. Hoc significatu venit חֶסֶד *benignitas* seu misericordia, Gen. 20: 13. c. 32, 10. 2. Paral. 35: 16. &c. Eodem tropo Græci ἐλεημοσύνην appellant beneficium pauperibus ex misericordia præstitum. Matth. 6: 1. Luc. 11, 41. Act. 10: 2. 4. IRA, pro pœna & ultione ex ira profecta. Ps. 79: 6. Mich. 7, 9 Rom. 2: 5. c 3, 5. c. 4: 15. c. 13: 4, 5. Ephes. 5, 6. &c. *Ira* pro mandato ex ira profecto. 1 Sam. 28: 18.

JUDICIUM, pro pœna & castigatione. Ex. 6: 6. Prov. 19. ℣s. ult. Ez. 14:21. Rom. 2: 3. 1 Cor 11: 29. 1 Pet. 4, 37. Et pro condemnatione. Jer. 26: 11. Joh. 3: 18, 19. 2 Pet. 2: 3. PECCATUM cum synonymis, pro pœnis peccati. Gen. 19: 15. Ps. 7: 17. Jer. 14: 16. Zach. 14: 19. cum verbo *portandi*, reatus pœnæ innuitur. Ex. 28: 43. Lev. 5: 1. cap. 20: 20. c. 22: 9. Num. 14: 33. Ezech. 23: 35, 49. c. 18: 20. OPUS, pro mercede vel præmio operis. Lev. 19, 13. Jer. 22: 13. Apoc. 14: 13. Et pro merito operis, Rom. 11: 6. ubi *gratia & opus*, h. e. meritum, opponuntur. DIVINATIO seu *augurium*, קֶסֶם pro præmio & honorariis ejus. Num. 22: 7. Et קְסָמִים *divinationes erant in manibus ipsorum*, h. e. honoraria, quæ darent Bileamo pro labore augurii. LABOR, pro rebus labore partis. Deut. 28: 33. Ps. 78: 46. Ps. 105: 44. Ps. 128: 2. Prov. 5: 10. Eccl. 2: 19. Es. 45: 14. Jer. 3: 24. Ezech. 23: 29. Sunt autem in Hebræo tria his locis vocabula, laborem significantia, עָמָל, יְגִיעַ & עֶצֶב VIS, כֹּחַ, pro fructu, quem vi sua profert terra, Gen. 4: 12. VENATIO, pro carne ferina, venando capta, Gen. 25. ℣s. 28. cap. 27: 3.

b In verbis. Hæc de nominibus: b IN VERBIS quibusdam idem videre est. Pertinent autem hùc verba *cognitionis*, uti & *operationum* quædam.

c Scire, cognoscere. 1. VERBA COGNITIONIS. c SCIRE vel COGNOSCERE, non solam & nudam γνῶσιν, sed aliquos etiam motus, affectus & effectus crebrò notat, qui notitiæ conjuncti esse solent; vel quod idem est, significat notitiam vivam & efficacem. Concernunt autem motus illi conjuncti notitiæ, 1. INTELLECTUM. Sic *scire* seu *cognoscere* pro expendere est. Psal. 90: 11. *Quis cognoscit fortitudinem iræ tuæ*, h. e. dignè expendit & considerat? nimirùm, ut experrectus de peccatorum somno seriam agat pœnitentiam. Esa. 1: 3. *Israël non cognoscit*; h. e. non expendit curatque, nimirum, quæ Domini sunt, & à Domino ipsi exhibentur beneficia. Jer. 8: 7. *Populus meus non novit judicium Domini*, h. e. non expendit & curat. Luc. 19: 41. *Si vel tu scires &c.* h. e. expenderes. Et pro approbare. Ps. 101: 4. *Malum non agnosco*, h. e. approbo. August. in h. l. tom. 8. col. 1126. *Cùm declinaret à me malignus, non cognoscebam. Quid est, non cognoscebam? non quia nesciebam, sed quia non approbabam.* (Versio, quam Augustinus sequitur, ratione distinctionis verborum, ab Hebræo discrepat; perinde ut & Vulgata Latina.) Joh. 8: 43. *Quare loquelam meam non agnoscitis?* h. e. approbatis & fideli assensu recipitis. Responsio Christi, causam redden-

tis hujus rei, statim subjicitur: *Quia non potestis audire sermonem meum.* Ubi *audire* pro intelligere est. Ex eo, quòd verba Christi non intelligebant Judæi, sequebatur, quòd nec ea approbabant ac amplectebantur. Unde verò illa, de qua Christus loquitur, audiendi vel intelligendi ἀδυναμία? Ex Diaboli excœcatione & Judæorum spontaneâ obfirmatione, de qua statim subjicit Christus ℣. 44. *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere &c.* SCIRE, pro approbare etiam usurpatur Rom. 7: 15. Apoc. 2: 24. Insuper & *conscium esse* significat, quod plus est, quàm scire solùm, ut etiam abstractiva nomina, *scientia & conscientia* differunt. Psa. 35: 11. *Surgunt testes iniquitatis; quæ non cognovi, interrogant me,* h. e. quorum nullâ ratione conscius mihi sum. Ps. 51: 5. *Quoniam prævaricationes meas ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper.* Ubi cognoscere conscientiæ terrorem & seriam contritionem includit. 2 Cor. 5: 21. *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum* (Deus Pater) *fecit*, h. e. eum, qui nullius sibi peccati conscius est, utpote perfectissimè sanctus & ἀναμάρτητος, in eum, imputatione factâ, Dominus incurrere fecit iniquitatem omnium nostrûm, ut Es. 53: 6. explicatio hujus phraseos habetur. Præterea *Scire* quandoque idem est, ac æstimare, censere & judicium facere de aliquo. 2 Cor. 5: 16. *Itaque nos posthac neminem* οἴδαμεν *novimus secundùm carnem*, h. e. neminem censemus sive æstimamus è rebus externis, cujusmodi sunt opes, paupertas, honor, ignominia &c. Sequitur: *Quòd si etiam cognovimus Christum secundùm carnem, nunc tamen non ampliùs* (ea ratione) *novimus.* Loquitur de carnali æstimatione Christi ex humili illo statu, in quo exinanitionis tempore constitutus erat. Huc pertinet phrasis, *faciem cognoscere*, h. e. æstimare & discretionem facere ex externis rebus, quod aliàs προσωποληψία notat Prov. 24: 23. הַכֵּר *cognoscere faciem in judicio non est bonum.* Sequitur explicatio vers. 25. *Dicenti impio* (ex προσωποληψία & personarum respectu malè habito) *justus es, maledicent ei populi &c.* Sic c. 25: 21. Quod ex mandato Dei per Mosen desumtum Deut. 1: 17. c. 16: 19. Sine addito *faciei* nomine. Job. 34: 19. *Qui non agnoscit personam principum,* וְלֹא נִכַּר *neque agnoscitur* (ab eo) *nobilis præ tenui.* De Jehova sermo est, convenitque cum Act. 10: 34 Hucusque significata respectu intellectus. Concernunt verò etiam 2. VOLUNTATEM & affectum cordis. Et ita *Scire* idem est ac amare, fovere, curare. Ex. 1: 8. *Et surrexit rex novus, qui non* יָדַע *novit Josephum*, h. e. non curabat ipsum & quæ benè ab ipso gesta ac constituta in regno erant. Chald. *qui non confirmabat decretum Joseph.* Sic Gen. 39: 6. Jud. 2. 10. Prov. 12: 10. c. 29: 7. 1 Thess. 5: 12. In aliis הִכִּיר *agnoscere*, ejusdem significati est, Deut. 33: 9. Ruth. 2: 10, 19. Ps. 142: 5. Speciali & singulari Sp. S. loquendi modo, *scire & cognoscere*, tùm de Deo usurpatur, & specialem ejus providentiam, amorem & curam paternam notat, Ex. 2. 25. 1 Par. 17: 18. Ps. 1: 6. (R. Kimchi in h. l. פירוש יורע מכיר ומשגיח להיטיב להם *significatio* τῦ *novit, est, agnoscit & respicit ad benefaciendum eis.*) Ps. 37: 18. Jer. 1: 5. c. 24: 5. Amos 3: 2. (conf. Deut. 4: 20.) Joh. 10: 27, 1 Cor. 8: 3. 2 Tim. 2, 19. &c. Tum de hominibus fide salvificâ præditis, & fiduciam cordis, & πληροφορίαν affectus serii à Sp. S. excitati, connotat. Job. 19: 25. *Et ego scio, Redemptorem meum vivum*, h. e. certissimè credo, & firmâ fiduciâ in ipso recumbo. Sic *Scire nomen Domini*, est verâ fide ipsi adhærere, Ps. 9: 11. *Cognoscere Dominum*, in ipsum credere & sperare est, Jer. 9: 24. c. 31: 34. Hos. 2: 20, Joh. 17: 3. &c. Hæc *scientia salutis* est, Es. 53: 11. Luc. 1: 77. & *agnitio veritatis, quæ est secundùm pietatem*, Tit. 1: 2. &c. 3. IPSUM OPUS seu actum. Quò pertinet, cùm *scire* accipitur pro posse, seu operandi interiori facultate, quæ actionum principium est. Es. 56: 10. *Canes fortes sunt animo* לֹא יָדְעוּ *non noverunt saturitatem, & ipsi pastores non noverunt intelligere*, h. e. nequeunt præ avaritiâ expleri, neque possunt res divinas præ imperitia & cœcitate suâ intelligere. Matth. 7: 11. *Si vos igitur cùm sitis mali,* οἴδατε, *novistis dona bona dare filiis &c.* h. e. potestis, non obstante malitiâ innatâ, benefacere vestris. Tropus hic in Latino etiam sermone frequens est &c. Et pro experiri ipso facto. Mar. 5: 29. καὶ ἔγνω *& scivit corpore, quod sanata esset à flagello*, h. e. sensit seu experta est, vers. 30. *Et statim Jesum* ἐπιγνὺς, *cognoscens in semet-ipso virtutem ex se prodiisse* h. e. sentiens sive expertus &c. 1 Cor. 4: 19. γνώσομαι, *cognoscam non sermonem inflatorum, sed virtutem*, h. e. experiar, quàm fortes sint in fide, quem habeant zelum, quàm efficaciter Spiritus sanctus se in illis exerat. Conf. 2 Cor. 1: 9. Specialiùs huc pertinet, cum *cognoscere*, experimentalem tori consuetudinem seu concubitum, σεμνῷ λόγῳ, notat: tàm de viro, quàm fœminâ usurpatum. Gen. 4: 1. c. 19: 5, 8. Num. 31: 17. Matth. 1: 25. Luc. 1: 34. Sic apud Plut. in Alex. *Neque aliam* ἔγνω, *cognoscebat mulierem* Horat. *Ignara mariti.* Rabbini (notante Münstero in Gen. 4.) hujus significationis adferunt rationem eam, *quia semen à loco cognitionis propagatur,*

*& à cerebro capitis descendit per venulas, quæ sese ramificant per dorsum hominis. Ita Deus* (comparatio hæc R. Menahem est) *est caput nostrum, à quo, si in nos fluat sermo gratia, nascimur filii Dei.* Probat hæc Munsterus, & addit: *Hujus mysterii & Divus Paulus meminit, cùm Christum caput ponit, & homines credentes membra.* Hæc ille ex Rabbinis, quæ longiùs petita sunt.

RECORDARI seu *reminisci*, voluntatem & desiderium quandoque connotat. Heb. 11: 25. *Et si quidem illius meminissent, unde egressi fuerant, habebant oportunitatem revertendi*, h. e. si expetissent seu voluissent eò reverti. Patet hæc explicatio ex antithesi in ℣s. 16. *Nunc autem meliorem ὀρέγονται, expetunt, hoc est, cœlestem. Recordari Dei, ejusque non oblivisci*, veræ fidei & pietatis est descriptio. Esa. 44: 21. *Memento horum Jacob &c. Israel, ne obliviscaris mei*, q. d. sed timeme toto pectore. Jon. 2: ℣s. 8. *Cùm deficeret in me anima mea, Domini recordatus sum.* Jun. in com. h. l. Verbum *recordandi* hic metalepticè accipitur, ut in scripturis passim: pro eo, quod est, non solùm mente, sed etiam animo totisque viribus ferri in Dei cogitationem, abjectâ cæterarum rerum cogitatione. Cant. 1: 4. *Recordamur amores tuos præ vino*, h. e. verâ fide, & infucatâ cordis dilectione te complectimur, ob summum, quo dignaris, amorem: quem omnibus deliciis ac preciosis in hoc mundo (quæ synecdochicè per *vinum* notantur) longissimè præferimus. Sequitur explicatio: *Recti amant te.* Hi sunt regeniti Dei filii, qui Christum verè agnoscunt, amant, & vitâ sequuntur. 2 Tim. 2: 8. *Memento Jesum Christum resurrexisse à mortuis &c.* Huic ἀναμνήσει fidelium dulcissimâ relatione respondet γνῶσις divina, de qua ℣s. 16. *Solidum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: NOVIT Dominus, qui sint sui.* Ubi simul ἀναμνήσεως fidelis subjungitur explicatio: *& discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Christi.* Sic in ἀνάμνησιν sui Christus sac. Cœnam instituit, Luc. 22: 19. 1 Cor. 11: 24, 25. de quo ita Chemnitius exam. C. T. de inst. Sacramenti cœnæ p. 265. *In usu cœnæ Dominicæ beneficia traditione corporis Christi & effusione sanguinis ipsius nobis præstita & acquisita, memori mente sunt cogitanda, publicâ voce prædicanda & annuncianda, gratiarum actione publicè & privatim commemoranda & celebranda. Nec tantùm historica commonefactio de morte Christi & beneficiis ejus in eucharistia est; sed ipse habitans jam in nobis, illam sui ἀνάμνησιν efficaciâ corporis & sanguinis sui per Sp. excitat, accendit, confirmat, auget & conservat in nobis &c.* Brevi verbo, *recordari Christi* est, apprehensione meriti ejus fideli cum ipso uniri, eique soli vivere. Contrà *OBLIVISCI Jehovæ*, cordis contumaciam, infidelitatem & impietatem importat. Hos. 4: 6. *Oblitus es legis Dei tui &c.* Præcedit: *Repulisti scientiam &c.* Confer 2 Pet. 1: 9. Jac. 1: 25. Ez. 22: 12. &c: Quandoque, REMINISCI, consequentem vel sermonem, vel realem effectum externum connotat. Est. 2: 1. *Ahasverus recordatus est Vasthi &c.* Sermonem simul habuisse de facinore illius coram ministris, ex ℣s. 2. patet. Ez. 23: 19. *Multiplicavit fornicationes suas, recordando dies pueritiæ suæ*, h. e. & recordando & simul ipso actu revocando & excercendo priorem suam scortationem spiritualem. Qua ratione Deo attribuatur *reminiscentia & oblivio*, inferiùs c. 7. dicetur.

a Diligere & odisse.

2. VERBA AFFECTUUM. *Diligere & odisse*, pro actionibus quandoque sumuntur, quæ affectus illos solent consequi, sive verè, sive ex hominum opinione & consuetudine. Flacius parte 2. clavis Script. p. 316. Verbum *odi* & *diligo* sæpè non tàm ipsos hos animi affectus, quàm actiones affectus illos consequentes, sive adsint affectus, sive non; imò sæpè etiam, cum planè contrarii affectus illis actionibus adsunt, indicant. 1. *DILIGERE*, pro expetere, desiderare, Luc. 11: 43. Joh. 3: 19. c. 12: 43. 2 Tim. 4: 8. & pro solere. Matth. 6: 5. *Hypocritæ φιλοῦσιν, amant in conciliabulis & in angulis platearum stantes orare*, h. e. solent hoc facere. Sic in illo Horatii 3. od. 16. *Aurum per medios ire satellites, Et perrumpere amat saxa, potentiùs ictu fulmineo.* Et pro sectari, omnique studio incumbere. Psal. 11: 5. *Dominus diligentem injurias odio habet*, h. e. sectantem, promoventem & patrantem. Prov. 21: 17. *Diligens vinum & pinguia, non ditabitur*, h. e. qui vinolentiam & voluptates sectatur. 2 Tim. 4: 10. *Demas me reliquit, ἀγαπήσας, dum dilexit præsens seculum.* Erasmus benè reddit, *amplexus*. Sensus est, quòd Demas noluerit esse consors παθημάτων, sed hoc intenderit, quæsierit & sectatus fuerit, ut dies in hoc seculo bonos haberet. 2. *DILIGERE* item pro præferre, præponere, & magis curare est; Cui *odisse* opponitur, quod postponere & minùs curare, seu præ alio chariori negligere significat. Gen. 29: 31. *Et vidit Dominus, quòd exosa esset Lea*, h. e. amore & affectu à Jacobo postposita. Patet hoc ex v. 30. *Et dilexit Jacob Rachel magis, quàm Leam.* Joh. 12: 25. *Qui amat animam suam, perdit eam. Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custo-*

*custodiet eam*. Id ita enunciatur Matth. 16:25. *Qui voluerit animam suam servare, perdet eam: qui verò perdiderit animam suam meâ causâ, inveniet eam*. Igitur *amare animam suam*, est velle vitam suam servare, nimirùm per abnegationem nominis Christi: *Odisse* verò *animam suam*, est vitam perdere, seu paratum esse ad amittendum vitam, & sanguinem profundendum, ob confessionem Christi: & huic illam postponere. Quidam non incongruè de hoc modo loquendi sic disserit: Talia aliqua vocantur, qualia plerumque contingere aut existimari solent. Si quid accidit hominibus, quod communiter ab animo offenso provenire solet, illud, licèt ab amore profectum sit, ab odio tamen & indignatione natum dicitur. Joh. 12:25. *Qui odit animam &c.* Non odit animam suam, id est, se, qui arctam ingreditur viam, & genium suum voluptatibus fraudat: odisse tamen dicitur, quia communiter, qui in alios inimico sunt animo, illos laboriosæ alligant vitæ & onere atque inediâ conficiunt. Luc. 14:26. ei, qui Christi sequitur vestigia, edicitur, *ut odio habeat patrem, matrem, uxorem, liberos, insuper & animam suam*, qui tamen illos non odit, sed facit, quod plerumque fieri ex odio solet, quia illos relinquit, Christumque sequitur. Confer, quæ in Grammat. sacrâ p. 284. dicta sunt. 3. *DILIGERE* etiam quandoque idem est, ac ruere seu ferri in aliquid, etsi non ex dilectione ejus rei, vel destinato consilio fiat. Ps. 109:17. *Et dilexit maledictionem, & venit ei; & non voluit benedictionem, & elongavit se ab eo*. Ubi *diligere maledictionem* est pleno quasi impetu in illam proruere, per impietatem vid. & contumaciam ℣s. 16. Bellarm. in h. l. *Dicitur homo diligere maledictionem, & nolle benedictionem, quando ipse sibi causa est malis operibus, cur maledicatur, & non benedicatur ei. Sic Judas deserens, imò vendens Christum, Judæi occidentes eum, in quo omnes gentes erant benedicendæ, maledictionem dilexisse censentur, cùm voluerint id, unde maledictio consequebatur &c.* Prov. 8:36. *Omnes, qui odio habent me, diligunt mortem*, h. e. ad æternam mortem feruntur ac proruunt. Præcedit: *Peccans in me, injurius est animæ suæ*; vel ut Pagninus habet: *expoliat animam suam*. Prov. 17:19. *Diligit prævaricationem, qui diligit jurgium*, h. e. in quamvis prævaricationem aliam ruit contentionum inflammator rixosus. Quanta etiam mala ex hoc uno fonte promanent, experientiâ satis compertum est. Sequitur: *Ampliat januam illius* (prævaricationis) *qui quærit fracturam*, h. e. quò magis amicitiam dissuere & disrumpere tentat, eò majorem nequitiæ januam quasi aperit, & occasionem præbet. Non dissimili ratione *Odisse* idem quandoque notat, ac in id tendere, vel id efficere & experiri, quod ex odio aliàs promanat, etsi odii propriè sic dicti affectus non subsit. Prov. 13. ℣s. 24. *Qui cohibet virgam suam, odit filium suum*, h. e. filii perniciem promovet ac experietur, perinde ac si ex odio quodam talia ipsi præstitisset. 4. DILIGERE tandem declarationem externi gestus interdum notat, qui aliàs ex dilectione oriri consuevit. Marc. 10:21. *JESUS autem intuitus illum, ἠγάπησεν αὐτὸν, dilexit eum &c.* Brentius in Matth. 19. p. 158. *Hoc non sic intelligendum est, quod Christus approbaverit juvenis responsum, & singulari favore eum sit prosecutus, sed quòd arriserit ei blandè, significans, hoc esse responsum planè puerile, stultum & ridiculum. Nam quemadmodum solemus blandè arridere pueris, cùm aliquid ridiculi balbutiunt, ita Christus suaviter intuetur juvenem, ut hoc oris habitu significet, se hactenùs multa ridicula audivisse à Pharisæis, & aliis hominibus; sed nullum adhuc stultiorem & magis ridiculum audivisse sermonem, quàm hujus juvenis responsum &c.* Quidam conferunt huic significato illud Homeri: Χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν, *Oportet hospitem præsentem diligere* (h. e. amicè habere seu tractare) *volentem verò etiam dimittere*.

3. VERBA OPERATIONUM quædam. In genere, *Facere*, pro acquirere, lucrari, ponitur, quod factionis & laboris effectus est. Gen. 12:5. *Animas, quas fecerant in Charan*, h. e. acquisiverant. c. 30:30. *Et nunc, quando faciam etiam ego pro domo mea*, h. e. prospiciam acquirendo seu lucrando. Matth. 25:16. *Abiit autem, qui quinque talenta acceperat, & operatus est εἰς καὶ ἐποίησεν, & fecit alia quinque talenta*, h. e. ἐκέρδησε, lucratus est, ut ℣s. 17, 20, 22. explicatur &c. Ἐργάζεσθαι, *operari*, pro vivere ex opere seu labore manuum, accipitur 1 Cor. 9:6. *An solus ego & Barnabas non habemus potestatem, τοῦ μὴ ἐργάζεσθαι, non operandi?* h. e. non vivendi ex manuum labore: Inde enim sibi victum comparâsse, testatur Apostolus Actor. 20:34. 2 Thess. 3:8. Et comprobant datam expositionem immediatè sequentia. Syrus etiam Interpres negativè ita legit: דלא נפלוח *ut non operemur*. Communiter quasi affirmativè dictum accipitur. Vulg. *Aut ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi*. Ipse Erasmus: *Aut solus ego & Barnabas non habemus potestatem hoc faciendi?* Sed in annotatis exactiùs hoc expendere diligentem lectorem jubet. Simul & : *Videtur esse* (inquit) *sensus*

a Facere.

b Operari.

*An nobis solis non licet in otio vivere, suppeditantibus aliis? Sic & Chrysostomus & Theophylactus μὴ ἐργάζεσθαι interpretantur, in otio vitam agere, nimirum hûc respiciens, quod Paulus & Barnabas operâ manuariâ sibi victum pararent, cùm non reliqui tantùm Apostoli, sed ipse etiam Cephas aleretur alienâ benignitate.*

In specie, JUDICARE non tantùm significationem propriam obtinet, sed etiam consequentes actiones denotat. Cum primis verò (uti & de voce *Judicii* supra dictum) pro castigare & punire sumitur, Gen. 15: 14. 2 Par. 20: 12. Psa. 9: 20. Actor. 7: 7. Heb. 13. ѵ͌s. 4. Pro condemnare, Joh. 3: 18. Rom. 14: 3. Pro liberare & absolvere, Ps. 35: 24. Rom. 6: 7. &c. Sunt & alia verbi hujus significata, quæ hîc adscribere non attinet.

'ΑΔΙΚΕΙΝ, INJURIA AFFICERE, pro βλάπτειν, *lædere* seu nocere, quod illius effectum est, Luc. 10: 19. *Et nihil vos ἀδικήσει, injuria afficiet*, h. e. vos lædet, seu vobis nocebit. Injuriis discipuli erant vel maximè expositi, sed non earum effectibus, nempè læsioni & nocumentis. Convenit illud Rom. 8: 30. *Si DEUS pro nobis, quis contra nos*, sc. fuerit? Quod unà cum adversitatis effectu intelligendum: Nihil scil. contra credentes esse, ita ut nocere in salutis negocio possit, vel, ut spem vitæ cœlestis convellere queat &c. Tantum de metonymia causæ efficientis.

## CAUSA MATERIALIS PRO MATERIATO.

ABIETES, pro armis abiegnis seu lanceis. Nah. 2: 4. *Et abietes concutiuntur.* Ex abietibus fiunt hastæ in summo acutæ, quibus homines transfiguntur, Schindl. Benè Lutherus: Jhre Spiesse beben. Et *abietes*, pro instrumentis Musicis. 2 Sam. 6: 5. *Et David & omnis populus Israel ludebant coram Domino, in omnibus lignis abietum*, hoc est, instrumentis Musicis, quæ ex abietibus conficiebantur. Sequitur statim: *Et in citharis, & in nablis, & in tympanis, & in sistris, & in cymbalis.*

ÆS, pro compedibus æneis. Thren. 3: 7. *Aggravari fecit* נְחָשְׁתִּי *æs meum*, hoc est, compedem meum, seu quo pedes mei constringuntur. Unde dualis נְחֻשְׁתַּיִם *compedes*, catenæ æreæ, quæ binis pedibus applicantur, Jud. 16: ѵ͌s. 21. 2 Sam. 3: 34. Et pro ærugine, seu virulenta illa materia, quæ ex ære madefacto generatur, Ez. 24: 11 Unde & metaphoricè virus, seu virulentas sordes, ex assidua scortatione profluentes, ut ærugo ex ære, denotat, Ezech. 16: ѵ͌s. 36.

ARUNDO, pro sagitta, cujus materia olim arundo erat. Psa. 68: 31. Vide Grammat. sacram p. 33.

AULÆUM seu cortina, pro tentorio ex aulæis seu cortinis facto. 2 Sam. 7: 2. *Et arca Domini habitat in medio cortinæ*, hoc est, tabernaculi. Sic Jer. 4: 20. Hab 3: 7.

AURUM ET ARGENTUM, aliaque similia, pro rebus ex materia tali fabrefactis. 1 Par. 29: 2. *Totis viribus meis præparavi domui DEI mei, aurum ad aurum, & argentum ad argentum, & æs ad æs, ferrum ad ferrum, & ligna ad ligna*, hoc est, aurum ad res ex auro conficiendas. Sic de reliquis. Psa. 115: 4. *Simulacra eorum sunt argentum & aurum, opus manuum hominum*, hoc est, ex argento & auro, ut Pagninus reddit: seu argentea, aurea: Item *aurum & argentum*, pro numismate seu pecunia, quæ ex auro vel argento fit. Gen. 23: 9. (conferatur ѵ͌s. 16.) c. 24: 22. 2 Reg. 5. ѵ͌s. 5. &c. 1 Par. 21: 22, 24. *Plenum argentum*, est sufficiens valori moneta. Sic & 2 Reg. 12: 5. Matt. 10: 9. Act. 3: 6. &c. In specie כֶּסֶף *argentum*, cum nominibus numeralibus, significat denarium seu siclum argenteum. Gen. 20: 16. Deut. 22: 19, 29. Hos. 3: 2. Quandoque vox *sicli* additur, Gen. 23: 16. Junius in Gen. 24: 22. *Ubicunque auro & argento (quæ nomina, ut & reliquorum metallorum, apud Hebræos plurali carent) numeralia nomina juncta leguntur, pro siclis ejusdem metalli usurpantur.*

CEDRUS, pro tabulatis cedrinis, Zeph. 2: 14.

CORNU, pro buccina seu tuba, ex cornu factâ recurvo, Jos. 6: 4. Dan. 3: 5, 7, 15. Sic in Syro sermone, Matth. 6: 2. 1 Cor. 15: 52. Item pro vasculo corneo, ungendis Regibus destinato, 1 Sam. 16: ѵ͌s. 1: 1 Reg. 1: 39. Schindl. *Hoc erat in tabernaculo testimonii cum aliis vasis unguenti repositum, juxta arcam fœderis, & continebat unguentum à Mose confectum, quo ungebantur tantum Reges de domo David, quorum regnum erat durabile; & tantum unguenti capiebat, quantum ad unam unctionem sufficiebat.*

FERRUM. pro securi ex ferro facta, 2 Reg. 6: 5. Et pro catena ferrea. Psal: 105: 18. *Affixerunt in compede pedem ejus: ferrum ingressum est animam ejus.* Chald. *Catena ferrea.* In nervum ferreum venit corpus ejus.

FRUMENTUM, pro pane, Tren. 2: 12. Confer c. 4: 4.

LAPIS, pro vase lapideo, Ex. 7: 19. Et pro idolo ex lapide sculpto, Jer. 2: 27. c. 3: 9. Et pro pondere libræ, quod ex lapidibus fiebat, Deut. 25: 13. 2 Sam. 14: 26. Prov. 11: 1. Et pro pondere perpendiculi lapideo à filo pendente,

dente, Ef. 34; 11. Zach. 4: 10. Vel etiam plumbeo, Zach. 5: 8. Et pro lapidum strue. Gen. 28: 18. 22. conferatur ℣s. 11. unus lapis, qui ab uno moveri potuisset, non fuisset satis ad statuam erigendam.

LATER, לְבֵנָה pro structura lapidea, seu pavimentato opere, quod lateribus constare solet. Ex. 24: 10. *Aspexerunt DEUM Israelis & sub pedibus ejus sicut opus lateris sapphiri &c.* hoc est, sicut structura pavimentata sapphiro pro lateribus. Quidam לבנת significatione *albedinis* accipiunt, ut *albedo Sapphiri*, hoc est, Sapphirus albus, sit crystallus.

LIGNUM, pro vase ligneo, Ex. 7: 19. Et pro tabula lignea, Ez. 37: 16. *Accipe lignum unum*. Chald. לוחא *tabulam unam* Ovid. 2. de Ponto: *Mendaces lignis imposuisse notas*. Lignum vocant Jurisconsulti Testamentum, quod ligneis tabulis describi solebat, Schindl. Et pro idolo ligneo, Jer. 2: 27. c. 3: 9. c. 10: 8. Hos. 4: 12. Et pro cruce lignea seu patibulo, Gen. 40: 19. Jos. 8: 19. Deut. 21: 22, 23. Gal. 3: 13. 1 Petr. 2: 24. Et pro instrumento ligneo, 2 Sam. 6: 5. Et pro hastili, sive scapo hastæ, 2 Sam. 21: 19. Et pro aumella seu lignea machina, quâ fontes constringebantur pedibus vel collo, Act. 16: 24. Sic Aristophanes: *εἶτα Φιμώσητε τούτῳ τῷ ξύλῳ τὸν αὐχένα*. Herodotus *ἐν ξύλῳ ἔδησεν*. Plautus in Persa: *Tantisper quidem, ut sit apud me ligneâ in custodia*. Allegantur hæc à Beza.

LINUM, pro ellychnio ex lino facto; Ef. 42: 2. c. 43: 17.

PULVIS ET CINIS, pro homine, qui ex pulvere terræ primitùs factus est. Gen. 3: 19. c. 18: 27. Ps. 103: 14. Eccl. 12: 7.

RAMUS, pro idolo, quod ex ramo arboris factum. Ef. 44: 19. לְבוּל עֵץ *proventui arboris incurvabo me*, hoc est, coram ramo, qui ex arbore provenit, & metonymicè, coram idolo ex ramo facto.

SEMEN, pro filio, Gen. 4: 25. Et generaliùs, unà per synecdochen, pro posteritate tota Gen. 12: 7. & aliàs sæpè. Vide Grammat. sacr. p. 895: 900.

SYLVA, pro domibus, ex arboribus sylvæ extructis, ubi simul metonymia continentis pro contento est. Jer. 21: 14. *Succendam ignem in sylva illius*, hoc est, in domo Jehovæ, & domo Regis, domibusque magnatum, quæ ex preciosa materia, à sylva Libani adportarâ, fuerant extructæ. Confer cap. 22: 7. & complementum, 2 Reg. 25: 9. 2 Paral. 36: 19. Jerem. 52: 13. &c.

# CAPUT II.

## DE

# METONYMIA EFFECTUS.

Eadem omninò hic ratio est, divisionem quod spectat, quæ in capite antecedenti, modò fiat terminorum inversio. Effectus enim pro causa efficiente triplici ratione in metonymia est. 1. Cùm actio vel effectum pro persona efficiente, sive pro autore ponitur. 2. Cùm res per instrumentum effecta, pro instrumento seu causa organica ponitur. 3. Cùm effectus pro re vel actione efficiente ponitur.

### I. *Actio vel effectum pro persona efficiente, seu pro autore.*

Diversitas hîc quædam est à præcedenti metonymiæ specie, quæ ut animadverti possit, notandum, effectum pro causa poni dupliciter, 1. ut causa intelligatur *materialiter*, hoc est, illa ipsa persona, quæ causa est: 2. ut causa intelligatur *formaliter*, hoc est, ipse causæ vel autoris terminus & appellatio, quæ certæ personæ tribuitur. Hîc exempla suppetunt tantùm acceptionis secundæ, uti patebit. In antecedenti verò metonymiâ usurpatur causa pro effectu, non formaliter sumto (ut explicatio per ipsum *effectus* terminum fieri debeat) sed materialiter, ut ipsa res, quæ effectus est, intelligenda sit. Sed ad rem præsentem!

DE DEO ET SALVATORE CHRISTO. Gen. 15. ℣s. 1. Jehova ad Abramum ait: *Ego sum merces tua valde*, hoc est, autor & collator mercedis munificentissimus. Junius: *Sensus est, etsi rei à te gesta* (belli feliciter gesti, c. 14.) *fructum neque tibi ipsi servasti, neque oblatum accipisti; contrà populi pio tuo erga se officio abutuntur ad ludificandum te; tamen apud me reposita est tibi felicitatis merces. Hæc ita accipienda esse, ostendit Abrami responsio &c.* Deut. 30: 36. *Jehova Deus tuus est vita tuus*

*tua, & longitudo dierum tuorum*, hoc est, causa sive autor vitæ, & longitudinis dierum, seu longævitatis tuæ. Hûc pertinent epitheta & appellationes, quibus in abstracto (uti vocant) Deus insignitur, ad denotandum, ejus rei attributæ Deum causam summam & autorem, & quasi fontem ac scaturiginem esse: unde in plerisque per concretivum nomen potest fieri explicatio. Gen. 49: 18. *Salutem tuam expecto, Domine*, hoc est, Salvatorem tuum, seu à te promissum Messiam salutis autorem. Perinde ferè, ut Luc. 2: 30. Simeon dicit: *Viderunt oculi mei τὸ σωτήριόν σȣ, salutare tuum*, hoc est, Salvatorem tuum. Et c. 3: 6. *Et videbit omnis caro τὸ σωτήριον τȣ̃ Θεȣ̃, salutare Dei*, hoc est, Salvatorem Dei sive à Deo missum in hunc mundum. Conferri possunt alii Scripturæ loci, quibus Messias dicitur *Salus Dei*, Es. 49: 6. &c. Alia metonymiæ hujus exempla sunt; Ps. 3: 4. *Et tu, Domine, gloria mea es*, hoc est, gloriam mihi veram tribuis, adversus ignominiam, quâ impii me adficiunt. Sic Ps. 106: 20. &c. Ps. 27: 1. *Dominus lux mea & salus mea, à quo timebo? Dominus fortitudo vitæ meæ, à quo pavebo?* hoc est, autor & causa lucis, salutis, & fortitudinis meæ: seu illuminator, Salvator, & fortis defensor meus &c. Sic Ps. 18: 2. Ps. 22: 20. Ps. 33: 20. Ps. 46: 2. Jer. 16: 19. cap. 23: 6. Joh. 11: 25. cap. 14: 6. 1 Cor. 1: 30. Eph. 2: 14. 1 Joh. 5: 20. cum quo confer Heb. 5: 9. Possunt etiam hûc referri, quæ Deum ab aliqua virtute denominant, cujus ipse in hominibus autor & effector est. Ps. 43: 4. *Introibo ad altare Dei, ad Deum lætitiæ exultationis meæ*, hoc est, qui verum solidumque spiritus sui gaudium in me gratiosâ suâ operatione efficit. Es. 11: 2: *Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Sp. consilii & fortitudinis, Sp. scientiæ & timoris Domini*, hoc est, qui talia in Christo eminenter ac superabundanter (ipsi enim non ad mensuram dedit Deus Spiritum, Joh. 3: 34.) in credentibus autem certa proportione & mensura efficit & operatur. Musculus in h. l. *Non dicit, Spiritus sapiens & intelligens &c. sed Sp. sapientiæ & intelligentiæ. Loquitur enim de Spiritu Dei, qui, quamvis sit sapiens, intelligens, sciens, fortis, & consiliarius, haud tamen sic rectè Spiritus timens Dei dici poterit, sicuti Spiritus timoris Dei dicitur propterea, quòd timorem Dei cordibus mortalium infundit. Igitur elogia ista de Spiritu Domini ob id magis prædicantur, quòd tales reddit eos, qui credunt in Christum, quàm quòd ipse in se talis existat. Reddit timentes Dei, reddit contritos corde, reddit credentes & sperantes: de quo tamen nemo rectè dixerit, quòd sit Spiritus timens Dei, contritus, credens & sperans. Quoniam vero elogium hoc timoris Domini præcedentibus est annexum, innuitur hactenùs vocari Spiritum Domini Spiritum sapientiæ & intelligentiæ, quatenùs vocatur Spiritus timoris Domini hoc est, quatenùs reddit homines sapientes ac timentes Dei &c.* Rom. 15: 5. *Deus patientiæ & consolationis*, hoc est, harum in credentibus effector. ℣. 13. *Deus spei*, hoc est, spei autor 2 Cor. 1: 3. *Pater misericordiarum & Deus omnis consolationis*, hoc est, qui misericordiam abundè timentibus se exhibet (Luc. 1: 50.) eosque omni modo consolatur.

DE DIABOLO. Luc. 11: 14. *Ejiciebat Jesus Dæmonium & illud erat mutum*, hoc est, hominem, quem obsederat, reddiderat mutum: sed non permittebat ipsum loqui: erat mutitatis causa. Confer Matth. 9: 32, 33. &c. Sic Marc. 9: 17, 25. Luc. 13: 11. *Et ecce mulier erat, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, &c.* hoc est, spiritum malum, effectorem illius ἀσθενείας in ipsa, quæ ita describitur, quòd contracta fuerit, nec omninò potuerit erigere caput. Non ex causis naturalibus orta, sed à spiritu impuro allata erat ἀσθένεια illi mulieri, quales morbos complures fuisse, ex Actor. 10: 38. patet. Brentius: *Affecta erat non infirmitate simpliciter, sed spiritu infirmitatis, hoc est, tota in infirmitatem ita conjecta, ut non tam corpore, quàm animo, ab adversario spiritu affligeretur, idque annis octodecim. Quæ infirmitas mulieris dorsum ita concurvaverat, ut necesse habuerit demisso vultu ad terram incedere.*

DE HOMINIBUS. Gen. 25: 23. *Et dixit Dominus ei* (Rebeccæ:) *Duæ gentes in utero tuo, & duo populi à visceribus tuis separabunt se &c.* hoc est, duarum gentium & duorum populorum autores inter se diffidentes, quorum dissidium in posteris ipsorum continuabitur, secundùm id, quod ibidem sequitur: *Et populus* (unus) *populo* (altero) *fortior erit, & major serviet minori.* De Israëlitis & Esavitis sermo est. Gen. 26: 35. *Et fuerunt* (uxores Esavi) *amaritudo spiritus Isaaco & Rebeccæ*, hoc est, causa amaritudinis spiritus, seu angoris & tristitiæ. Nehem. 12: 31. *Constitui duas* תודת *celebrationes magnas*, hoc est, classes sive choros hominum celebrantium. Sic & ℣. 38: 40. &c. Rom. 13: 3. *Principes non sunt* Φόβος, *timor bonorum operum, sed malorum*, hoc est, causa timoris. 2 Cor. 1: 14. Καύχημα, *gloriatio vestra sumus, quemadmodum & vos nostra*, hoc est, nos sumus causa gloriandi seu gloriationis vestræ, quòd à nobis sitis instituti in Evangelio, & viam salutis æternæ edocti: Et vos mihi vicissim causa gloriationis estis, quòd nimirum vos Christo lucrifecerim. 1 Th. 2: 19. *Quæ est spes nostra, aut corona gloriationis? an non & vos, in conspectu Domini nostri Jesu*

*su Christi, in ejus adventu?* ℣. 20. *Vos enim estis gloria nostra & gaudium.* Thessalonicenses sunt spes Pauli, & gaudium, & gloriatio, hoc est, causa spei, gaudii, gloriationis: quia scil. ex ipsorum conversione & pietate sperat, se ut fidelem Euangelii ministrum, promissam in cælo mercedem ac retributionem fidelitatis à Deo accepturum: & de hoc ipso gaudet, & gloriatur de spe gloriæ Dei, Rom. 5:2.

## II. *Res per instrumentum effecta pro instrumento seu causâ organicâ*

FIDES, pro fidei accendendæ organo. Act. 17:31. *Fidem exhibens* (Deus) *omnibus*, hoc est, verbum salvificum, quo fidem Deus operatur in illis, qui non reluctantur. Syrus: *Converti fecit omnem hominem ad fidem ejus*, nimirum quantum in se est, dum per verbum omnes ad pœnitentiam agendam, & fide apprehendendum Messiam, seriò vocat.

GLORIA, pro lingua, quâ, ut organo, Deus glorificatur, glorificari certè debet. Ps. 16:9. *Propterea lætatum est cor meum, & exultavit gloria mea*, hoc est, lingua mea, uti Act. 2:26. exponitur. Sic Psal. 30:13. Psalm 57:9. &c.

POTENTIA, pro organo exserendæ potentiæ. Rom. 1:16. *Euangelium est δύναμις, potentia Dei, ad salutem omni credenti*, hoc est, organon & medium, per quod Deus suam potentiam in credentibus, ad salutem adducendis & conservandis, exserit, Ephes. 1. ℣. 19. Aliter etiam, sed eodem sensu atque scopo, potest exponi, ut ex Grammat. sacra p. 26. patet.

VICTORIA, pro organo, quo vincitur. 1 Joh. 5:4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*, hoc est, instrumentum victoriæ, Eph. 6:16.

VITA, pro vitæ conservandæ mediis & organis. Deut. 24:6. *Non accipiet pro pignore metam aut catillum* (superiorem vel inferiorem molam) *quia* נֶפֶשׁ *animam* sive *vitam is acciperet*, hoc est, vitæ conservandæ maximè necessaria instrumenta. Chald. *Quia ipsis conficitur esca pro omni anima.* Prov. 27:27. *Ad cibum familiæ tuæ*, וְחַיִּים *& vitam puellis tuis*, hoc est, victum. Luc. 15:12. *Et divisit illis τὸν βίον, vitam* hoc est, facultates, quibus vita sustentatur. Sic & c. 9:43. Perinde ut Hesiodus lib. 2. *pecuniam* vocat *animam hominis*: Χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

## III. *Effectus pro re vel actione efficiente.*

In *nominibus & verbis*, distinctè & hæc videnda est metonymiæ species.

a *In nominibus* quandoque effectus ponitur pro causa *materialiter*, hoc est, pro re, quæ causa est. 2 Reg. 4:40. *Mors in olla, vir Dei!* hoc est, venenum mortiferum est in olla. (Et ita *mors* alibi pro summis periculis, plagis & calamitatibus, quæ mortem inferre possunt facilè, sumitur, Ex. 10:17. Rom. 7:24. 2 Cor. 1:10. cap. 11:23. Et pro peste, semper ferè lethiferâ, Apoc. 6:8. unde & Syri pestem מוֹתָנָא *mortem* vocant.) Prov. 11:23. *Præstolatio impiorum excandescentia*, hoc est, malum seu infortunium eam excipit, quo ringantur & exandescant. Patet hæc explicatio ex opposito antecedente: *Desiderium justorum tantummodò bonum.* Luth. benè: Der Gerechten Wunsch muß doch wol gerathen / und der Gottlosen hoffen wird Unglück. Jer. 3:24. וְהַבֹּשֶׁת *& pudor consumsit laborem patrum nostrorum*, hoc est, Baal pudore afficiens suos cultores, ut Pagninus reddit. Ita *pudor* pro idolo etiam accipitur Jer. 11:13. Hos. 9:10. Appellationis rationem expressam vide Jer. 48:13. &c. Ez. 44:18. *Non accingent se* יֶזַע *in sudore*, hoc est, vesta lanea, sudorem excitante, ut R. Salomo ex ℣. 17. explicat. Alii aliter. Vide Lutheri annotat. Germ. Hos. 12:2. שֹׁד *vastitatem multiplicat Ephraim*, hoc est, istiusmodi perpetrat mala, ex quibus non potest non vastitas & calamitas oriri. Thren. 2:14. *Prophetæ tui viderunt tibi prophetias vanas*, וּמַדּוּחִים *& expulsiones*, hoc est, ejusmodi doctrinas tibi proposuerunt, ob quas non nisi expulsio & exilium tibi obvenit. Luth. Sie haben dir gepredigt lose Predigt / damit sie dich zum Lande hinaus predigen. 1 Cor. 12:6. *Et discrimina ἐνεργημάτων, operum sunt*, hoc est, facultatum seu donorum, quibus opera illa perficiuntur. Ἐνέργημα propriè est *opus* seu ἀποτέλεσμα τῆς ἐνεργείας. Paulus autem metonymicè ipsam facultatem & vim à Sp. S. inditam, intelligit, quæ ministros illos ad miraculosa opera idoneos reddit. Ibid. v. 8. *Huic per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii verò sermo scientiæ*, hoc est, δύναμις ac facultas ejus sermocinandi ac differendi probè & perspicuè de iis, quæ sapientiam cœlestem, sive summa illa salutis mysteria, ad salutem maximè necessaria, uti & scientiam cœlestem, sive alia, quæ in Scripturis sac. continentur, licet

a In nominibus.

licet non absoluta eorum ad salutem sit necessitas, attinent. 1 Cor. 14:3. *Qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem, & consolationem*, hoc est, sermonem ædificatorium, exhortatorium, consolatorium.

Quandoque effectus ponitur pro causa *formaliter*, h. e. pro ipso causæ vel efficientiæ termino ac appellatione. Deut. 30:15. *Dedi coram te hodiè vitam ac bonum; & mortem atque malum*, hoc est, clarè exposuit, quæ utriusque causa & origo sit, vel quà ratione tam bonum, quàm malum te superventurum sit: illud nimirum, diligendo Deum eique obediendo; hoc verò avertendo te à Deo &c. uti in sequentibus explicatio habetur. Idem hoc Jer. 21:8. dicitur *via vitæ & via mortis*. Confer Deut. 32:47. &c. Prov. 19:13. הוּת *ærumna patri suo filius stultus est*. hoc est, ærumnarum causa. Prov. 20:1. *Derisor est vinum, tumultuans est Sechar*, hoc est, derisorem efficit, & tumultuantem efficit hominem, uti Pagninus vertendo explicat. Es. 28:12. *Hæc est requies*, hoc est causa requiei, seu via & modus ad requiem perveniendi. [a] Hos. 4:18. סָר *recessit potus eorum*, seu *vinum eorum*, hoc est causa est recessionis eorum à Deo, seu recedere facit eos. Junius & Tremellius: *Refractarium est merum eorum, hoc est, merum, quo se obruunt, istos efficit refractarios: quo nomine Ephraim sæpè à Prophetis reprehenditur, ut Es. 28: 1. Hanc interpretationem aliis anteponimus ex v. 16. &c.* Conferatur etiam v. 11. *Fornicatio & vinum & mustum* יִקַּח *capiet cor*. Ubi emphasis est in verbo לקח; notat enim prius esse luctam in iis, qui se scortationi & ebrietati dedunt: vident meliora, probantque, deteriora sequuntur: Et sic Diabolus velut captivum tenet eum, qui istis flagiriis est immersus, 2 Tim. 2:26. quemadmodum verbum Hebræum de iis, quæ vi capiuntur, occupantur, & detinentur, accipitur Gen. 14:11, 12. Jos. 11:19, 23. &c. Ita Tarnov. in Comm. Id nimirum est, *refractarium efficere*. Alii phraseos סָר סָבְאָם *recessit vinum eorum*, diversam expositionem sequuntur, ut l. 2. Philolog. sac. p. 367. videre est. Mich. 1:5. מִי־פֶשַׁע *Quis prævaricatio Jacobi? nonne Samaria?* וּמִי בָּמוֹת *& quis excelsa Juda? nonne Jerusalem?* hoc est, ut Kimchi in lib. radicum exponit, *quis fuit, qui causam dedit defectioni Jacob? nonne cives Samariæ &c.* Seu, ut Pagninus vertit, *quis fuit causa prævaricationis? & quis fuit causa excelsorum?* Ariæ-montanus in priori membro vertit: *Quæ prævaricatio Jacob?* At מִי interrogativum personæ, non rei est. Conf. Buxtorffium thesauri Gramm. lib. 2. c. 6. reg. 3. p. 359. editionis primæ. Et Janum Drusium lib. 6. observ. c. 1. &c. Hab. 2:5. Et profectò הַיַּיִן בּוֹגֵד *vinum prævaricatur*, hoc est, prævaricantem hominem facit. Alii aliter. Hæc autem interpretatio simplicior videtur, & superioribus locis Prov. 10:1. & Hos. 4:18. conformis est. Exempla N. T, Joh. 3:19. *Hoc est judicium*, hoc est, causa judicii seu condemnationis. Joh. 12:50. *Scio, quòd mandatum ejus* (coelestis Patris) *vita æterna est*, hoc est, causa vel organon, per quod obtinetur vita æterna. Intelligitur autem doctrina Euangelii, quam ex mandato coelestis Patris, Christus mundo annunciavit. Ita etiam c. 17:3. *hæc est vita æterna*, hoc est, causa ejus, & medium organumque: loquitur enim de cognitione salutis, ex Euangel. haustâ. Rom. 7:7. *Num lex peccatum est?* hoc est, causa peccati per se & in se. Rom. 8:6. *Affectus carnis, mors est: affectus vero Spiritus, vita & pax*, hoc est, causa mortis, & causa vitæ ac pacis. Sic & v. 10. &c. Philip. 1:13. *Ita ut vincula mea manifesta facta sint in Christo, in toto prætorio ac ceteris omnibus*, hoc est, causa vinculorum meorum seu captivitatis; doctrina nimirum Christi, ob quam fuit captivus Apostolus. Vult dicere, innotuit ubique me in vincula conjectum esse non propter maleficia, sed propter Christum, sive propter prædicationem Euangelii de Christo, unde quidam permoti sunt, ut Euangelio nomen darent. Heb. 6:1. cap. 9:14. peccata *opera mortua* dicuntur, non solùm quòd perpetrantur ab iis, qui mortui sunt spiritualiter, & alieni à vita Dei, sed & quòd mortis æternæ causa sunt, secundùm Rom. 6:23. *Stipendium peccati mors est.* [b] Bellar. lib. 5. de amiss. gratiæ & statu peccati c. 10. §. 5. huc reducit loca Scripturæ, quibus concupiscentia mala, in renatis aliqua, *peccatum* dicitur, hoc est, ut ipse explicat, causa peccati, si ei obediatur, Rom. 6:6, 12, 13, 14. c. 7:7, 8, 14, 17, 20. &c. Sed spuria hæc metonymia est. Propriè enim *peccati* vocem accipiendam in illis locis esse, Scripturæ ipsius interpretatio evidenter docet. Omnis ἀνομία est ἁμαρτία, peccatum, propriè ita dictum, 1 Joh. 3:4. At prava illa concupiscentia est ἀνομία. E. &c. Mira autem & lubrica est Bellarm. collectio: *Et præterea*, inquit, *colligimus explicationem nostram evidenter ex Scripturis. Nam Script. testantur, vocem peccati esse ambiguam, & nunc accipi pro culpa, nunc pro pœna, quæ est culpæ effectus, nunc etiam pro causa peccati, nunc denique, pro sacrificio, quod est peccati expiatio &c.* Verùm non sufficit, vocum homonymias ostendere, sed ex ipsis Scripturæ visceribus ostendendum, hoc & non

alio

[a] Hos. 4: 18. Recessit potus eorum.

[b] Bellarminus notatur.

alio modo explicari debere. Præsertim verò propria vocabuli significatio arctè tenenda, nisi & evidenter & sufficienter tropica significatio demonstretur. Ipse Bellarm. lib. 1. de Euchar. c. 12. *Sensus proprius* (inquit) *& literalis semper est eligendus, nisi evidenter probetur contrarium. Neque debent à nobis petere adversarii, cur sequamur proprium sensum verborum: Simile enim id esset, ac si quis peteret ab iis, qui sunt in itinere, cur sequantur viam communem & tritam: nemo enim sanus id quærit: Vel, cur ingrediamur per portam, non per fenestram.* Hactenus de nominibus: In *verbis* quibusdam idem videre est.

In verbis singulis, **LÆTARI ET JUBILARE** ponitur pro liberari seu ex malis eripi, & benè habere, quæ lætitiæ causa est. Psal. 70:5. *Gaudeant & lætentur in te omnes quærentes &c.* h. e. liberentur ex omni malo, & gratiâ tua decorentur, unde gaudendi & jubilandi causam habeant. Conjunguntur causa & effectus. Psal. 5:12. 13.

**PUDEFIERI ET CONFUNDI**, pro incidere in calamitates, & hostium violentiæ fieri obnoxium, quæ confusionis causa est. Psal. 25: 2, 3, 20. Psal. 31: 2. Psal. 119: 116. &c.

**PLACERE**, pro obsecundare seu morem gerere, unde ἀρέσκεια & complacentia oritur. Rom. 15: 2. *Unusquisque nostrûm proximo placeat in bonum ad ædificationem.* Erasmus in annotat. *Placeat, hîc positum est pro* ȝ *obsecundet, ac morem gerat. Neque enim Paulus placuit omnibus, & tamen dicit, sicut ego per omnia omnibus placeo, sed in omnibus se Paulus accommodabat omnibus, ut omnes lucrifaceret.* Locus hic extat 1 Cor. 10: 33. Sequitur in antecedenti loco v. 3. *Etenim Christus non sibi ipsi placuit.* Ubi iterum Erasmus: *Placet sibi, qui suo servit commodo, & quod agit, ad suum trahit compendium, quod genus homines Græcis* Φίλαυτοι *dicuntur, non tantùm ob arrogantiam, verùm etiam ob privati commodi studium. A quo vitio Christus longissimè absuit, qui totum se nobis impendit. Unde sequitur: Sed, sicut scriptum est, opprobria opprobrantium tibi inciderunt in me; Subaudiendum: Christus non sibi placuit, sed sibi displicuit, hoc est, non inservivit suis commodis, sed suo incommodo nostris consuluit commodis, quemadmodum scriptum est: Opprobria opprobrantium &c.*

**FESTINATIO VEL FUGA**, pro confusione & erubescentiâ, Esa. 28: 16. *Qui credit, non festinabit*, hoc est, non confundetur, uti Rom. 9: 33. c. 10: 11. 1 Petr. 2: 6. ex versione LXX. Interpretum explicatur. Confusionis effectus & consequens est festinatio & fuga; seu subductio festina ab oculis hominum. Vicissim autem hæc festinatio & confusio significat calamitates & poenas, ut paulò antè dictum.

**EXPIARE** (חטא) pro, expiatorium sacrificium offerre. Lev. 6: 16. (al. 19.) Sacerdos הַמְחַטֵּא אֹתָהּ *expians illud* (sacrificium expiationis) *comedit illud, &c.* hoc est, offerens illud. c. 9: 15. *Et accepit* (Aaron) *hircum peccati, qui* (erat) *pro populo, & mactavit eum, & expiavit illum* וַיְחַטְּאֵהוּ, id est, in expiationis sacrificium obtulit eum. Item, pro, spargere sanguinem, quæ actio expiationis causa erat, 2 Par. 29: 24.

Possunt hûc referri exempla canonum, quibus verba actionum retrò quasi trahuntur, & de causa intelligenda sunt, ut in Grammat. sacr. p. 243. & sequentibus explicatur. In verbis.

In phrasi integrâ per reductionem (neque enim, accuratè loquendo, in talibus integris phrasibus est tropus, sed tantùm unius ex altero collectio) huc pertinet, Job 29: 13. *Benedictio perituri super me veniebat*, hoc est, commendabar & gratiæ mihi agebantur ab iis, qui periissent, nisi succurrissem. Commemoratur effectus & consequens auxilii misero lati, & intelligitur ipsa causa & antecedens, quòd scilic. perituro opem tulerit. Sequitur ibidem: *Et cor viduæ canere faciebam*, hoc est, ipsi quavis ratione ex commiseratione benefaciebam, ex quo lætitia & cantus in corde ejus exstitit &c. Psal. 25: 2. *Ne exultent inimici mei de me.* Psal. 35: 19. *Ne lætentur contra me inimici mei falsò: odio habentes me gratis annuant oculis*; h. e. ne sinas me malis obrui, ex quibus consecuturum esset, ut inimici mei gaudendi in sinu, & mihi insultandi probrosè occasionem habeant, &c.

## MATERIATUM PRO CAUSA MATERIALI.

Psal. 75: 14. *Tu rupisti fontem & torrentem*, h. e. petram & rupem, ex qua factus est divino miraculo fons, aquas instar torrentis profundens. Chald. *Tu rupisti fontem ex petra, & facta hæc est in torrentem.* Esa. 28: 28. *Panis comminuitur*, hoc est, triticum, ex quo panis conficitur. Opponitur hoc reliquis seminum speciebus nigellæ & cymino, de quibus v. 27. Chald. pro pane habet עבורא *annona, frumentum.* Ita etiam *panis* accipitur Eccl. 11: 1. *Projice panem tuum secundum aquas*, hoc est, semen tuum, ex quo fit panis, seu ex quo panis materia excrescit, projice in locis

 irriguis,

irriguis, ac proinde feracibus &c. Vide etiam Job 28:5. Psal. 104:14. ubi eadem *Panis* significatio metonymica. Esa. 47:2. *Accipe molas, & mole farinam*, h. e. frumentum, ex quo commolito farina conficitur. Hûc referunt quidam, quando Esa. 33:12. *combustiones calcis* ponuntur; pro lapidum, ex quibus excoctis calx conficitur. Conferantur iis impii, æstu iræ DEI conflagrantes & pereuntes. Aliàs in hac phrasi ipsa ponitur combustionis materia, ut Jos. 11:8. c. 13:6. *combustiones aquarum*, id est, loca, ubi aquæ comburuntur & excoquuntur in salem.

---

# CAPUT III.

## DE

# METONYMIA SUBJECTI.

SUbjectum solet distingui in *recipiens & occupans*. *Illud* est, quod vel in se, vel ad & circum se adjuncta recipit, & *Hoc*, circa quod versatur & occupatur aliquid vel *in genere*, & quovis modo; vel *in specie*, quâ signatur ab eo. Juxta hanc distinctionem, metonymiam subjecti statuimus quintuplicem. 1. Cùm in genere *subjectum* recipiens pro adjuncto ponitur. 2. Cùm in specie *continens* pro contento, & *locus* pro locato ponitur. 3. Cum *possessor* pro re possessâ ponitur. 4. Cùm *objectum*, seu subjectum occupans, in genere pro adjuncto occupato, seu pro eo, quod versatur circa objectum illud, ponitur. 5. Cùm *signatum* pro signo ponitur.

### *I. Subjectum recipiens in genere pro adjuncto ponitur.*

Gen. 3:7. *Et aperti sunt oculi amborum ipsorum, & cognoverunt, quòd nudi essent*, hoc est, perspexerunt cognoveruntque turpitudinem illam probrosam maximè, quam corpora nuda post lapsum & peccatum præ se ferunt. Noverant & anteà se nudos esse, sed nuditas illis non dedecori, verùm ornamento erat: Jam verò post lapsum naturam suam peccato depravatam esse, carnemque libidinum stimulis concitari, & legi mentis reluctari animadvertebant, & denique gloriâ DEI, quæ in anima & corpore eorum fulserat, se spoliatos videbant. Hinc pudor & erubescentia, quæ περιζώματα sibi conficere, eos coëgit. D. Brentius in comment. h. l. pag. 48: *Quomodo intelligendum sit, quòd dicuntur oculi eorum aperti, fortassis aliquo modo per exemplum explicari potest. Fingamus in convivio honestorum hominum duos infantes, alterum masculum, alterum fœmellam, nudos conspiciendos proponi, sicut egressi sunt nudi ex utero materno. Hi infantes, etiamsi mutuò sese adspiciunt, nihil erubescunt, nec quisquam convivarum ob nuditatem eorum obstupescit. Fingamus iterum, quod tamen rerum natura non fert, fingamus tamen, quòd hi infantes subitò & ex insperato fiant coram convivis, ita ut nudi sunt, tantâ proceritate & intelligentia, quanta sunt viri & mulieres tricesimo ætatis suæ anno, annon statim tam ipsi, quam convivæ, ita erubescerent & obstupescerent, ut ob hujus spectaculi fœditatem oculos averterent? Sic existimamus, oculos Adæ & Evæ apertos esse, ut qui anteà quasi infantes, coram se invicem nudi, nihil erubuerint, mox ut peccaverunt, propter nuditatem & aspectus fœditatem, quæ secuta est peccatum, & est fructus peccati, etiam obstupuerint &c.* Veniamus autem ad exempla alia. Prov. 11:22. *Inauris aurea in naribus porci, est mulier pulchra, & deficiens intellectu*, hoc est, pulchritudo seu formositas in muliere est inauris aurea, vel ei similis: Ipsa verò talis mulier porco vel sui tacitè comparatur. Junius & Tremellius: *Tam decet insanam pulchritudo, quàm monile suem*. Gal. 3:28. *Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est masculus ac fœmina &c.* Col. 3:11. *Ubi non est Græcus & Judæus: circumcisio & præputium: Barbarus, Scytha: Servus, liber: sed omnia & in omnibus Christi*, hoc est, in regno Christi & Ecclesia, illorum externorum statuum & circumstantiarum, nullus habetur respectus: nihil illæ vel addunt, vel adimunt Christianæ fidei & pietati. Apoc. 6:11. *Donec compleantur conservi eorum &c.* hoc est, donec compleatur numerus conservorum.

a De nuditate primorum parentum.

COR, pro sapientia, cujus sedes à Scriptura in corde statuitur, ut Prov. 2:10. c. 11:

29.

29. c. 15: 14. c. 16: 21. videre est. Ita accipitur *Cor*, Prov. 6: 32. c. 7: 7. c. 9: 4. 16. c. 10: 13, 21. quibus locis *corde carens* pro insipiente & stulto (qui phrasi Scripturæ infidelis & impius est) ponitur Prov. 8: 5. *Intelligite simplices astutiam*, *& stulti intelligite cor*, hoc est, sapientiam c. 15: 32. *audiens correctionem*, *acquirit cor*, hoc est, ut Chaldæus vertit: *sapientiam*. c. 28: 26. *Qui fidit cordi suo*, *stultus est*: id est, intelligentiæ & prudentiæ suæ; seu *qui est sapiens in oculis suis*, ut Es. 5: 21. dicitur. Hos. 7: 11. idem *cor* significat, & ut quidam volunt, c. 4: 11.

COR ET RENES, pro intimis cogitationibus, cupiditatibus, desideriis, affectibus & delectationibus, quarum sedes, juxta Scripturæ phrasin, sunt cor & renes, ut de renibus ex Psa. 73: 21. Psal. 51: 8. Prov. 23: 6. patet. Sic Deus *probare*, *quærere*, *scrutari renes & corda* dicitur. Psal. 7: 10. Psal. 26: 2. Jer. 11: 20. c. 17: 10. c. 20: 12. Apoc. 2: 23. hoc est, esse καρδιογνώςης, Act. 1: 24. seu videre atque scire exactissimè etiam intimas cogitationes, cupiditates, & abstrusissimos affectus atque delectationes hominum, Ps. 38: 10. Ps. 139: 2, 4. Contrà *à renibus improborum* seu *hypocritarum Deus esse longinquus*, dicitur, Jer. 12: 2. quia etsi exterius de Dei timore gloriantur (quod ibidem Propheta vocat, *Deum propinquum esse in ore eorum*, Confer Es. 29: 13.) ab intimo tamen eorum affectu, amore & desiderio, longè Deus abest, omnique ejus timore seriò destituti ipsi sunt. Ps. 16: 7. *Etiam in noctibus erudiunt me renes mei*, hoc est, interni affectus mei incitant me, ut nihil animo versem noctu, quàm quæ ad laudem Dei celebrandam faciunt, de ea enim versus ille Psalmi tractat (Quando Christus fuit διανυκτερεύων ἐν τῇ προσευχῇ τȣ̃ Θεȣ̃, Luc. 6. 12. impletum fuit hoc Psalmi oraculum, quod de solo Christo agit.) Atque hoc ad significandum, in lege DEUM, renes ut sibi offerrantur, mandâsse, ajunt quidam, ut nimirum interiorem animi affectum, & cordis timorem verum, non externum ceremoniarum σχῆμα, requirere se declararet, Exod. 29: 13, 22. &c. De phraseos, à renibus desumtæ, origine ita Flacius part. 1. clav. script. col. 1032. *a Cur isti rationales ac etiam religiosi motus renibus adscribantur, divinant Theologi; aut quia primùm in conceptu infantis in utero formentur; aut quia in eis vis & cupiditas rei Venereæ aliquo modo contineatur, ac excitetur, qui tanquam vehementissimus affectus causa fit, ut eisdem renibus & alii adscribantur. Ego opinor fieri id propter magnam quandam sympathiam cordis: sicut & Galenus testatur, aliqua ex corde in renes evehi. Sensu etiam ipso percipimus, quòd in magno mærore in ea parte circa lumbos sentiamus dolores, ac velati compunctiones quasdam: unde & opinor fieri, ut interdum compunctio pro mærore, contritione ac pœnitentiâ ponatur. Sic & Jeremias indicat, in magno mœrore ac terrore dolere renes & lumbos, inquit enim c. 30. quare omnis vir habet manus suas super lumbos, quasi parturiens? id est, unde ille tam tristis dolor viris accidit?* Hæc de renibus. *Cordis* eadem significatio, quòd vota, desideria, consilia & cogitationes intimas animi notat. Unde *effundere cor coram Deo*, est vota, gemitus & desideria sua intima precibus exponere, Ps. 62: 9. Thren. 2: 19. quod *animam effundere* eodem sensu dicitur. 1 Sam. 1: 15. *Cor* enim pro *anima* crebrò est, ut infrà dicetur. *Cor apponere alicui rei*, est omni desiderio, affectu & conatu ei vacare. Ps. 62: 11. Prov. 22: 17. Quò pertinet illud Christi, Matth. 6. 21. *Ubi fuerit thesaurus vester, illic erit & cor vestrum*, hoc est, cordis affectus & desideria. Vide etiam Num. 15: 39. Deut. 22: 18. 1 Paral. 12: 38. Prov. 10: 21. Et confer Flacium in clave script. ubi *Cordis* vocem explicat. Non possum etiam non adscribere hic verba August. tom. 8. in Ps. 7. col. 44. de corde & renibus hæc habentis. *Quomodo dirigitur justus in tanta confusione simulationis, nisi dum scrutatur corda & renes Deus, videns omnium cogitationes, quæ nomine cordis significata sunt, & delectationes, quæ nomine renum intelliguntur? Rectè quippe temporalium & terrenarum rerum delectatio renibus tribuitur; quia & ipsa pars est inferior hominis, & ea regio est, ubi carnalis generationis voluptas habitat, per quam in hanc ærumnosam & fallacis lætitiæ vitam, per successionem prolis natura humana transfunditur. Scrutans ergò cor nostrum Deus, & perspiciens ibi esse, ubi est thesaurus noster, id est, in cœlis: Scrutans etiam renes, & perspiciens, non acquiescere carni & sanguini, sed delectari in Domino; dirigit justum in ipsa conscientia coram se, ubi nullus hominum videt, sed solus ille, qui perspicit, quid quisque cogitet, & quid quemque delectet &c.*

VETUS ET NOVUS HOMO, non ipsam substantiam hominis, sed ejusdem hominis diversas qualitates & conditiones notat. *Vetus* quidem *homo*, congenitum peccatum & malam concupiscentiam, Rom. 6: 6. Eph. 4: 22. Conferatur Rom. 6: 12. c. 7: 5, 7, 8. 2 Cor. 7: 1 Heb. 12: 1. *Novus* verò *homo*, statum & conditionem novæ creaturæ, de qua 2 Cor. 5. 17. seu renovationis Spiritus sancti, Eph. 4: 24. Conferatur Rom. 12: 2. c. 8: 2, 5. seqq. Dicitur etiam *occultus cordis homo*, *in incorruptione lenis & quieti spiritus*, 1 Pet 3: 4. *Et internus*

a Cur renib. adscribantur affectus & concupiscentia?

*nus homo*, Rom. 7. 22. 2 Cor. 4: 16. ubi *externus homo* (qui vetus ille est) ei opponitur &c.

MEMBRA QUÆDAM humani corporis, pro eorundem integumentis & ornamentis ponuntur. חֵיק *Sinus*, & partem corporis anteriorem, circa pectus; & metonymicè vestem pectori proximam, quâ sinus tegitur, notat. Ex. 4: 6. Prov. 16: 33. c. 21: 14. c. 6: 27. Luc. 6: 38. Gentes orientales, inter quas Judæi, vestes laxas ac sinuosas gerebant, ut commodum illis esset sinu excipere, quæ in copia dabantur. Prov. 26. 7. שֹׁקַיִם *crura*, hoc est, crurum ornamenta, Cothurni, Junius. Cant. 7: 5. *Caput tuum super te veluti coccineum &c.* hoc est, mitra capitis tui, ejusque redimicula. Vide Grammat. sacram p. 859. Alii, qui *Carmel* pro monte accipiunt, per caput coronam seu sertum intelligunt, ex variis floribus (instar florum omnigenorum in monte Carmel) contextum. Sic c. 5. 11. *Caput ejus massa auri obrizi*, h. e. corona capitis ejus &c. Ita & quæ de *femoribus*, *umbilico & ventre* Sponsæ c. 7: 12. dicuntur, quidam de vestibus & ornatu membrorum horundèm explicant &c. Hûc alii referunt illud Es. 49: 16. *In manibus sculpsi te*, hoc est, velut in annulo, manus ornamento; in quo insculpi olim solebat imago ejus, quod præ aliis diligebatur & in precio habebatur, ut in memoria & conspectu jugi esset. Ita & Hieronym. in c. 3. Daniel. *Sarabellan* (quæ Chaldæa vox, סַרְבָּל ℣. 21. extat) linguâ Chaldæorum, & *crura hominum tibiasque*, & ὁμωνύμως etiam *braccas* eorum, quibus crura teguntur & tibiæ, notare ait &c.

a Pronomina. a PRONOMINA etiam quædam per metonymiam subjecti exponi possunt. Act. 1: 11: *Jesus qui assumtus est à vobis in cœlum*, id est, à conspectu vestro. Sic ℣. 22. *assumtus est à nobis*, h. e. conspectu nostro, vel à conversatione nostra visibili. Rom. 15: 24. *Si vobis priùs ex parte fuero expletus*, id est, vestrâ consuetudine, ut Erasmus vertit. c. 1: 12. hoc ita enunciat: *ut simul consolationem in vobis, per mutuam fidem, & vestram simul & meam.* Intelligitur mutuum alloquium fidele, & conversatio Christiana, quæ in persecutionibus illius temporis insigne levamen utrinque attulit. QUIS, pro qualis & quantus (interrogativum substantiæ seu personæ, pro interrogativo accidentis vel adjuncti) accipitur Matth. 24: 45. *Quis est fidelis servus & prudens &c.* h. e. ô qualis & quantus, quàm beatus & felix! Ita Chrysost. in h. l. monet, hac interrogationis forma uti Christum, ἵνα δείξῃ τὸ σπάνιον καὶ πολύτιμον τῶν, ut ostendat, raros esse ejusmodi fideles & prudentes dispensatores, tùm ut eorum dignitatem & excellentiam commendet. Gal. 4: 15. *Quæ erat beatitudo vestra!* id est, ô qualis & quanta: vel ô quàm beati meritò prædicabimini!

Ex *verbis* hûc referri possunt, de quibus in Grammatica sacra, tract. 3. de verbo can. 14: 15, 17: 18.

## III. Continens pro contento, & Locus pro locato ponitur.

CARMEL MONS, pro aboribus ejus. Jer. 46: 18. *Et sicut Carmel in mari veniet*, h. e. sicut arbores Carmeli in mare afferuntur seu adducuntur: ita ducent illos captivos. Ita R. Kimchi. Sequitur ℣. 19. *Vasa transmigrationis fac tibi &c.* Quod autem antecedit: *Sicut Tabor in montibus*; R. Joseph Kimchi ex Hos. 5: 1. explicat: *Fuistis ceu rete expansum super Tabor*: innui videl. capturam & deportationem Ægyptiorum. Alii verò totum hunc versum de certitudine rei à Domino prædictæ exponunt. Chaldæus: *Quemadmodum firmum est verbum seu conditio Taboris in montibus; & quemadmodum Carmelus est in mari; sic veniet contritio ejus.* R. Salomon: *Quemadmodum verissimum est, quòd Tabor fixus est inter montes; & mons Carmel in mari: Sic in veritate veniet verbum hoc super Ægyptum.* Jun. & Tremell.: *Quamvis ut Tabor in montes, & ut Carmel in mare procedat*, subint. tamen hæc futura sunt. כִּי *Quia*, adversativè pro *quamvis* accipiunt, uti exempla in Grammatica sacra fuerunt allata. p. 606. D. Brentius itidem de certitudine prædictionis interpretatur, sed montium illorum nominibus ad historias veteres alludi sentit. *Similitudo hæc* (inquit) *à Tabor & Carmelo ducta, certitudinem adventus Regis Babel significat. Nam à Tabor monte Barac descendens, perterruit exercitum Sissaræ, Jud. 4. Et pluvia grandis de mari juxta Carmelum ascendit*, 1 *Reg* 18. *Proinde, quàm certum Sissaræ exitium de monte Tabor, & tempestas de monte Carmeli venit, tàm certò venturus est Rex Babel.* Prima explicatio est simplicior.

CIRCUITUS, pro iis vel rebus, vel personis, quæ sunt in circuitu Num 22: 4. *Nunc lingent congregatio hæc omnes circuitus nostros*, h. e. omnia, quæ sunt in circuitu nostro. Sequitur: *Sicut bos lambit germen agri.* Esr. 1. 6. *Et omnes circuitus eorum roboraverunt manus eorum &c.* h. e. qui erant in circuitu eorum, ut Pagninus vertit.

CORBIS SEU CANISTRUM, pro pane seu cibo in corbe asservato & adportato. Deut. 28: 5. *Benedictus sit corbis tuus &c.* ℣. 17. *Maledictus sit corbis tuus &c.* Ibidem מִשְׁאַרְתֶּךָ subjungitur, quod tùm *massam* sive pastam fari-

(farinam cum aqua mistam) tùm *mactram*, in qua massa subigitur, ad conficiendum panem, denotat. Si posterius accepteтur, eadem metonymia est. Ariæmontanus priori loco vertit *massarium*; posteriori, *residuum*: cùm tamen eadem omninò utriusque loci ratio sit. Chald. אצותא *mactra*, *panarium*: vel ut Guido Fabricius reddit, *cibus*, *pasta*, *farina conspersa &c.*

DESERTUM, pro feris in deserto. Psl. 29: 8. *Vox Jehova dolore afficit desertum*, hoc est, feras in deserto versantes. Pagninus, *Parturire faciet feras deserti.* Sequitur: *Dolore afficit Jehova desertum Kadesch*, hoc est, animalia quantumvis horrifica, cujusmodi fuisse in hoc deserto, legitur Deut. 8: 15. Junius.

DOMUS, pro familia, liberis & domesticis. Gen. 7: 1. *Ingredere tu, & omnis domus tua, in arcam.* Chaldæus: כל אנש ביתך *omnis homo domus tua*: tota familia tua. [a] Exod. 1: 21. *Et fuit, quia timuerunt obstetrices Deum, & fecit eis domus*, hoc est, familias earum auxit, prolem & progeniem numerosam & honoratam dedit, (ut להם *illis*, masculinum, vel ad maritos obstetricum earum respiciat, uti Drusius putat: vel sit pro fœmin. להן per enallagen: quâ ratione Chaldæum in fœmin. legere, Schindlerus notat) Compensatio & merces sane congrua, ut, quæ prolem Hebræorum servaverant, prole iterum bearentur. Alii hoc de filiis Israël intelligunt, ob masculinum להם *illis*: Ut sensus sit, timore obstetricum, quod Deum timuerunt, & non interfecerunt pueros Hebræorum, uti quidem Rex præceperat, factum esse, ut familiæ Hebræorum in immensum creverint. Ita Fagius, Brentius, Calvinus & Tremellius &c. 2 Sam. 7: 11. *Annunciat tibi Dominus, quòd domum faciet tibi Dominus*, hoc est, dabit tibi progeniem, quæ dignitatem regiam accipiat & conservet. 1 Paral. 10: 6. *Et mortuus est Saul, & omnis domus ejus pariter mortui sunt.* Pro hoc dicitur 1 Sam. 31: 6. *& omnes viri ejus*, Psal. 49: 12. *Intimum eorum, quòd domus eorum sit in seculum &c.* hoc est, cogitant, posteros suos perpetuo florituros; seu, familiam sibi perennem intimè optant. Sic etiam *domus* usurpatur, Luc. 19: 9. Act. 10: 2. 1 Cor. 1: 16. 1. Tim. 3: 4. c. 5: 4. 2 Tim. 3: 6. c. 4: 19. Tit. 1: 11. Heb. 11: 7. &c. *Domus* etiam pro bonis, facultatibus, seu re domesticâ & familiari accipitur. Gen. 43: 15. *Dixit Jeoseph ei, qui erat super domum suam*, hoc est. qui totam rem familiarem administrabat. Esa. 36: 3. *Et egressus est ad eum Eliakim, qui erat super domum*, hoc est, aulæ magister. LXX. οἰκονόμος, œconomus. Hoc sensu quidam explicant, quod antè ex Exod. 1: 21. adductum, quòd *Deus domos obstetricibus construxerit*, hoc est, rem familiarem earum adauxerit, ita ut omnium rerum habuerint copiam; conferuntque quod Jacobus dicit Gen. 30: 30. *Quando faciam etiam ego pro domo mea?* hoc est, parabo divitias ad alendam familiam. *Domus* etiam pro populo & tribu accipitur, ex familia alicujus ortâ. Exod. 2: 1. Ez. 3: 1. c. 27: 14. &c.

[a] Exod. 1: 21. Fecit Deus domos obstetricibus &c.

EQUUS, pro rebus equo vectis. 1 Reg. 10: 28. *Et vectigal equorum ex Ægypto &c.* hoc est, mercium, quæ equis aut curribus vehebantur, ut sequens versus explicat. Vide hîc Junium & Tremellium.

INSULÆ, pro insularum incolis, & ita pro gentilibus; qui in mari mediterraneo omnes insulas tenebant. Esa. 41: 1, 5. c. 42: 4. c. 51: 5. &c.

MARE, pro marinis. Ez. 26: 17. *Quomodo periisti, quæ habitabaris à maribus*, hoc est, à maritimis accolis. Esa. 60: 5. *multitudo maris*, hoc est gentium, maris accolarum, uti ibidem explicatio subjungitur. Sic & Hag. 2: 7. ubi ỷs. 8. explicatio additur. Deut. 33: 19. *affluentiam maris sugere*, est, marinis bonis ac mercibus abundare.

MENSA, pro convivio & epulis, quæ in mensa apponi solent. Psal. 23: 5. Psal. 78: 19.

MONS, pro locis montanis. Jos 13: 6. Jud. 7: 24. &c. *Montes & colles*, pro idolis, quæ in montibus ac collibus colebantur, Jer. 3: 23. *Montes & valles*, pro incolis eorum. Mich. 1: 4. *Et liquescent montes subtus eum, & valles scindent se &c.* hoc est, illorum corda, tùm qui montes, tùm qui valles incolunt, liquescent. Conf. Psal. 68: 3. Psal. 97: 5. &c. De vallibus seorsim, 1 Paral. 12: 15. &c. *Et fugaverunt omnes convalles ad orientem & ad occidentem*, hoc est, incolas convallium.

MUNDUS, pro incolis mundi, seu hominum genere. Joh. 3: 16. c. 12: 19. 2 Cor. 5: 19. 1 Joh. 2: 2. c. 5: 19. Et pro impiis, qui maximam hominum in mundo viventium partem constituunt Joh. 1: 10. c. 7: 7. c. 14: 17. c. 15: 19 c. 16: 20, 33. c. 17: 9, 14. 1 Cor. 11: 32. 1 Joh. 3: 1. c. 4: 5. c. 5: 4, 5. Quò pertinet, cùm Diabolus dicitur *Princeps mundi*. Joh. 12: 31. c. 14: 30. c 16: 11. κοσμοκράτορες, [b] *mundi Principes*; Eph. 6: 12. *Deus hujus seculi*, 2. Cor. 4: 4. Explicatio habetur Eph. 2: 2. *Secundùm principem potestatis aëris, Spiritus, nunc operantis in filiis incredulitatis.* Pro conversis ad Deum seu credentibus etiam usurpari, Flacius putat, adducens Joh. 6: 33. *Panis Dei est, qui de cœlo descendit, & vitam dat mundo*, hoc est credentibus. Et Joh. 14: 31. *Sed ut cogno-*

[b] Mundus an pro credentibus sumatur.

*cognoscat mundus, quòd diligam Patrem* &c. Verùm utrobique totum hominum genus rectè intelligitur. In priori loco patet hoc ex ℣s. 51. *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vitâ.* Vitæ igitur datio non est actualis per fidem collatio ejus, sed ejusdem acquisitio: quâ ratione Christus etiam *lux* vocatur, *illuminans omnem hominem*, Joh. 1: 9. In posteriori loco, Christus significat iis verbis, tùm se ideò moriturum, ut genus humanum ex potestate Satanæ (cujus mentio præcedit) liberet: tùm, hanc generis hum. redemtionem, per verbum Evangelii toti mundo annunciandam esse. Non enim dicit, eamus morti obviam, ut ostendam, quòd Patrem diligam, sed ut *cognoscat mundus, quòd diligam Patrem:* quæ cognitio facta est, cùm in toto mundo Euangelium per Apostolos promulgaretur. Camerarius in annot. ad Joh. 17:21. *ut credat mundus, quòd tu me miseris*; itidem per κόσμον ait inteligi τὀς σωζομένὀς ἐν τῷ κόσμῳ. Sed & hîc universaliter omnes homines significat. Quemadmodum Joh. 3: 17. Christus inquit, *quòd Deus miserit Filium, ut salvetur mundus per ipsum:* etiamsi non omnes homines actu salventur, ob propriam nimirum contumaciam: Ita & hîc spiritualem ἑνότητα credentibus precatur, ut credat mundus &c. hoc est, omnes homines ad veram Messiæ agnitionem convertantur, etiamsi quam plurimi maneant increduli & impii. Videatur Dn. D. Gerhardi Harmon. Euangel. parte 3. cap. 180. p. 1578.

NAVIS, pro iis, qui, qui navibus vehuntur. Esa. 23: 1. *Ejulate naves Oceani &c.* hoc est, navicularii & mercatores, navibus vehi soliti, & ex navigatione facientes quæstum Sic ℣s. 10: 14.

NIDUS, pro pullis in nido positis Deut. 32: 11. *Ut aquila excitat nidum suum*, hoc est, pullos suos, quorum mentio dilucida subjungitur.

OPHIR (regio Indiæ aurifera) pro auro Ophirino, quod obryzum, corruptè pro ophirizum, dicitur. Job. 22: 24. *Pones pro pulvere aurum, & pro silice fluviorum, Ophir*, hoc est, aurum, quod in Ophir gignitur, & ex ea affertur. Abundantia auri tota phrasi innuitur, & metaphoricè magna felicitas. Ita *Ophir* explicant R. Salomo & Aben Ezra, uti & R. Levi Ben Gersom, qui phrasin integram ita explicat: *Vult dicere, veluti producit petra fluvios abundanter: sic Jehova Benedictus abundanter tibi dabit aurum Ophir.*

POCULUM sive CALIX, pro potu vel vino, quod in poculo continetur. Jerem. 49: 12. *Calicem bibere*, hoc est, quod in illo continetur. Ez. 23: 32. *Calicem sororis tuæ bibes, profundam & latum.* Non ipse calix bibitur, sed ex calice liquor eo appositus. 1. Cor. 10 21. *Non potestis poculum Domini bibere, & poculum Dæmoniorum.* Luc. 22: 17. in ultima paschali cœnâ, *Christus, accepto poculo, gratias egit ac dixit: accipite hoc & dividite inter vos.* Ubi ipsum de dividendo póculo mandatum indicat, non vasculum continens, sed potum eo contentum significari. Et ℣s. 18. subjicitur explicatio: *Dico enim vobis, quod non bibam de fructu vitis* (vino) *donec regnum Dei veniat.* De poculo eucharistico idem habendum, Luc. 22: 20. 1 Cor. 11: 25, 26, 27. a De poculo illo Christus dicit, quòd sit *novum Testamentum in suo sanguine.* At ipsum continens vas hoc prædicato insigniri non potest, sed contentum, videl. vinum, cui sacramentaliter sanguis Christi unitus est, qui sanguis novi Testamenti Matth. 26: 28. Marc. 14: 24. dicitur. Paulus 1 Cor. 10: 16. vocat *poculum benedictionis, cui benedicimus*, tùm quia Christus illud benedixit, tùm quia nos repetitione Dominicæ institutionis illud benedicimus, ut fit sanguinis Christi κοινωνία. At verò hoc non de continente, sed contento, intelligendum esse ultrò patet. Dicitur & de eodem poculo, quòd *bibatur* 1 Cor. 10: 21. c. 11: 26. 27. quod itidem ad contentum in poculo pertinet: Ipsum verò poculum non bibitur, sed ex eo bibitur, uti hæc phrasis extat Matth. 26: 27. Marc. 14: 23. 1 Cor. 11: 28. Etsi autem hic tropus in voce *poculi* est, & ita in ipsis institutionis S. cœnæ verbis: tamen longè alia ejus ratio est, quàm istius, quem in verbis: *Hoc est corpus meum &c. Hic est sanguis meus N. Testamenti &c.* Sacramentarii constituunt. Hic enim ex ipsis institutionis verbis non potest probari & dilucidè exponi, quemadmodum alter ille hactenus declaratus: sed perpetuis dubitationum, & omnivariarum explicationum fluctibus expositus est, uti scripta eorum ostendunt &c.

a De poculo in Eucharistia sacrosancta.

REGIONUM quædam nomina pro incolis earum. *Ægyptus*, pro Ægyptiis, Gen. 47: 15. Psalm. 105: 38. *Æthiopia*, pro Æthiopibus Psalm. 68: 32. *Seba*, pro Sabæis, Job. 1: 15. cap. 6: 19. *Ægyptus*; *Chus & Seba*, pro Ægyptiis, Chusæis (Æthiopibus,) & Sabæis, Es. 43: 3. In ℣s. 4. per homines & populos (illarum regionum) exponitur. *Judæa* totaque regio undique finitima Jordani, pro hujus incolis hominibus, Matth. 3: 5. *Macedonia & Achaia*, pro Christianis ibidem viventibus, Rom. 15: ℣s. 26. Hûc pertinet, cùm *terra Ægypti* pro spoliis ex ea exportatis accipitur. Jer. 43: 12.

SEPULCHRUM, pro sepultis. Es. 38: 18. *Non sepulchrum confitebitur tibi, neque mors laudabit*

*laudabit te*, hoc est, sepulti & mortui. Sequitur explicatio: *Nec sperabunt descendentes in foveam* (mortui & sepulti) *in veritate tua*. ℣s. 19. *Vivens vivens ipse confitebitur tibi*. Confer Psalm. 6:6. Ps: 115. 17. &c.

SYLVA, pro favo seu placenta mellis, quarum in sylvis terræ Canaan magna erat copia. Ita יַעַר & יַעְרָה usurpatur 1 Sam. 14: 27. Cant. 5: 1.

TABERNACULA seu TENTORIA, pro hominibus sive domesticis, in tentoriis degentibus. Gen. 13: 5. *Etiam Loto, qui ibat cum Abramo, erant greges, & armenta, & tentoria*. hoc est, domestici multi, qui in tentoriis solebant degere, in illis peregrinationibus. Ps. 78: 67. *Et reprobavit tentorium Joseph, & tribum Ephraim non elegit*: prius explicatur per posterius. Sic Ps. 87:2. Ps. 91: 10. Prov. 14: 11. *&c.*

TERRA, pro hominibus, terræ incolis. Gen. 6: 11. *Et corrupta est terra in conspectu Dei, & repleta est terra iniquitate*. Sequitur ℣s. 12. *Et vidit Deus terram, & ecce corrupta erat, quia corruperat omnis caro viam suam super terram*. Quod dixerat *terra*, statim nominat *carnem agentem super terram*, nempe homines. Sic c. 9: 1. c. 11: 1. c. 18: 25. c. 19: 31. c. 41: 30, 57. 1 Sam. 14: 29. 2 Sam. 15: 23. Prov. 28: 2. Psal. 66: 1, 4. Psal. 82: 8. Psal. 96: 1 Esa. 24: 20. Ezech. 14: 13. Matth. 5: 13. *Fines terræ*, pro hominibus in extremis terræ oris degentibus Psal. 22: 28. Psal. 67: 8. תֵּבֵל *orbis terrarum*, pro incolis terræ, Psal. 9: 9. &c.

THEATRUM (locus, in quo ludi & spectacula exhibentur) pro ipso spectaculo, 1 Cor. 4: 9. Metaphoricè autem de se Paulus dicit, quod *theatrum* seu spectaculum *factus sit mundo, & Angelis &* (malis) *hominibus*, q. d. propinamur omnibus mortalibus irridendi & abominandi, nec in angulo quodam id fit, sed veluti toto mundo in unum theatrum collecto, ut omnes saturentur nostris miseriis.

URBS, pro urbis incolis. Jos. 8: 7. *Expelletis civitatem*, hoc est, habitatores civitatis. ut Pagninus vertit. Jer. 4: 29. *A voce equitis & jacientis arcu fugit omnis urbs* seu civitas, hoc est, habitator civitatis, ut Pagninus reddit. Chaldæus: *Omnes habitatores civitatis*. Sic Esa. 14: 31. Jer. 26: 2. c. 48: 8. Mich. 6: 9. Marc. 1: 33. Nomina quædam urbium, pro earum incolis: *Nob*, 1 Sam. 22: 19. *Hesbon*, Jer. 49: 24. *Hierosolyma*, Matth. 3. 5. (Marc. 1: 5. *Hierosolymitæ* pro hoc habetur) c. 23: 37. *Chorazin, Bethsaida; Capernaum*, Matth. 11: 21, 23. Huc pertinent; *vici seu oppidula Samaritanorum*, pro eorum hominibus, Act. 18: 25. *Pagi*, pro paganis, seu hominibus pagos incolentibus, Jud. 5: 7, 11. &c.

Huc demum reduci possunt per analogiam hæc sequentia:

COELUM, pro Deo, qui in cœlis habitare dicitur: & qui in cœlis majestatem suam beatis Angelis & cœlitibus manifestat, ad eorum beatitudinem æternam. Psal. 73: 9. *Opponunt cœlis os suum, & lingua eorum pervadit terram*, i. e. licenter & impunè in Deum blasphemias eructant, & in humanum genus contumelias. Dan. 4: 23. *Ex quo cognoveris, quòd dominantur cœli*, hoc est, quòd dominator sit Altissimus, ut ℣s. 22. & 29. exponitur. Cabbalistæ, notante R. Eliâ Levita in Thisbi, huc referunt illud 1 Reg. 8: 32. *Tu exaudies* הַשָּׁמַיִם *cœli*, hoc est, Tu Deus benedicte audies. Sed rectius dicitur, esse ellipsin præfixi מ, seu præpositionis *Ex*, ut sit sensus: exaudies è cœlis, ut Ps 20: 7. integrè legitur: Et ita enim Jonathan Chaldæus vertit. Pertinent autem huc insuper, 1 Macc. 3: 18. οὐκ ἔςι διαφορὰ ἐναντίον τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃ &c. *non est differentia in conspectu cœli, salvare in multis vel in paucis*, hoc est coram Deo. Matth. 21: 25. *Baptismus Johannis unde erat, è cœlo, an ex hominibus?* Ita & Luc. 20: 4. Ubi Tremellius notat, esse idiotismum Syrorum, *cœlum* poni pro Deo. Luc. 15: 18. *Pater, peccavi in cœlum*, hoc est, in Deum. Ejusdem significati esse illud in N. T. celebratum nomen, βασιλεία ȣ̓ρανῶν, ut sit idem ac βασιλεία τȣ̃ Θεȣ̃, nonnulli asserunt, & commodè conferunt Matth. 11: 11. Luc. 7: 28: ubi vocabula ea permutantur. Sic Magistri Judæorum dicunt: כָּל־מַעֲשֶׂיךָ יִהְיוּ לְשֵׁם שָׁמַיִם *omnes actiones tuæ sint in nomine cœli*, hoc est, Dei. (Allegatur hoc à R. Kimchi in Psal. 1.) Item: *Qui facit præcepta, intentio ejus sit, ut faciat ea* לשש hoc est, לְשֵׁם שָׁמַיִם *in nomine cœli*. Et מִיתָה בִּידֵי שָׁמַיִם *mors per manus cœli*, hoc est, Dei: mors repentina, quam Deus immediatè infert: Hujus generis ex Aristophane adfertur: νὴ τὸν ȣ̓ρανόν, *ita per cœlum!* hoc est, Deos. Et Poëta Latino: *Cœlo gratissimus annus*, hoc est, Deo.

COR, pro anima, quæ radicaliter in corde, ut propriâ suâ sede statuitur. Ps. 24: 4. Ps. 84: 3. 1 Pet. 3: 4. Heb. 13: 9. & aliàs sæpissimè. *Hebræi quippe* (verba Flacii sunt, clavis script. parte 1. col. 176.) *totum regimen hominis cordi tribuunt, & omninò rationalem animam in corde collocare videntur: certè perinde, ac si ea ibi habitaret, cordi omnem vim intelligendi simul & eligendi, volendi & agendi adscribunt &c.*

VENTER, pro corde, quod vicissim pro anima, ejusque actis & cogitatis accipitur.

tur, Job. 15: 35. Prov. 18: ℣ſ. 8. c. 20:27. c. 26:22. c. 22:18. Hab. 3:16. Joh. 7: 38.

## III. *Poſſeſſor pro re poſſeſſa ponitur.*

Gen. 15: 3. *Et ecce filius domus meæ hæreditat me*, hoc eſt, bona mea &c. Deut. 9: 1. *Ad poſſidendum gentes magnas & robuſtas præ te*, hoc eſt, regionem gentium: ipſæ enim gentes non poſſidendæ, ſed delendæ erant ex mandato Dei. Confer ℣ſ. 2: 3, &c. 2 Sam. 8: ℣ſ. 2. *Et percuſſit Moabitas, & menſus eſt eos funiculo, deijciendo eos in terram.* Prius membrum regionem; poſterius civitates attinet. Senſus enim eſt: Regionem eorum menſus eſt funiculo, & civitates eorum demolitus eſt. Sequitur: *Et menſus eſt duobus funiculis, ad mortificandum, integro autem funiculo ad conſervandum in vita*, hoc eſt, regionem in tres partes menſus eſt, adhibito funiculo, ex quibus unam conſervavit, occiſis qui erant in aliis duabus Pſal. 79. ℣ſ. 7. *Comederunt Jacob*, hoc eſt, opes & bona Jacobitarum. Marc. 5: 35. *Adhuc eo loquente, veniunt ab Archiſynagogo*, hoc eſt, à domo ipſius. Ipſe enim tum Jeſus aderat. Syrus: *Venerunt à domeſticis principis Synagogæ.* 2 Cor. 11: 20. *Suffertis, ſi quis vos exedit*, hoc eſt, facultates veſtras. Syr: דאכל לכון *qui devorat vos.* Convenit cum Pſ. 14: 4. notaturque inſatiabilis auferendi aviditas in pſeudo apoſtolis. Hùc referunt, cùm *Dux ſeu præfectus* pro præfectura ejus accipitur. Matth. 2: 6. *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es ἐν τοῖς ἡγεμόσιν inter Duces Juda* &c. hoc eſt, inter præfecturas Judæ, quæ ſc. per millia ſeu chiliadas diſtinctæ fuerunt, uti ex Jud. 6: 15. 1 Sam. 10: 19. patet. Et ita facilis eſt conciliatio verborum Matthæi cum verbis Michæ, c. 5: 1. ubi habetur, בְּאַלְפֵי *in millibus Juda.* Referatur etiam hùc, cùm *civitas* pro agro circumiacente ponitur: Illa enim (ejuſvé incolæ) poſſidet hunc, & hujus ſubjectum eſt. Exempla vide in Grammat. ſacra pag. 881. Per analogiam quandam reduci poteſt ad hanc metonymiæ ſpeciem, 1. Quando Dei nomen, pro oblationibus Deo factis accipitur. Joſ. 13: 33. *Jehova Deus Iſraël, ipſe eſt hæreditas eorum* (Levitarum;) quod ℣ſ. 14. ita exponitur: אִשֵּׁי *ignitiones ſeu ſacrificia Jehovæ Dei Iſraël ſunt hæreditas ejus:* Et cap. 18: 7. כְּהֻנַּת *Sacerdotium Jehovæ eſt hæreditas ejus.* (Eſt autem & in hoc metonymia ſubjecti: *Sacerdotium*, pro partibus ſacrificii quæ ſacerdotii intuitu ſeparari, & Levitis dari ſolent.) Deut. 10: 9. *Dominus eſt hæreditas ejus* (tribus Levi.)

*a* Deus pro oblationibus.

Chald. *Dona, quæ dedit ei Dominus, illa ſunt hæreditas ejus* Ezech. 44. ℣ſ. 28. *Ego*, inquit Dominus, *ſum hæreditas eorum, & poſſeſſionem non dabitis eis in Iſraël, ego ſum poſſeſſio eorum.* Chald. *Pars reliqua ſacrificii mei eſt pars eorum &c. dona, quæ dedi eis, ipſa hæreditas eorum.* Vide antecedentia & conſequentia. Conferque Num. 18: 8. ſeqq. uſque 20. Deut. 18: 1, 2, 3, 4. &c. 2. Quando *Chriſtus* pro *b* Eccleſia credentium accipitur, quæ eſt *populus ejus περιούσιος & peculiaris*, Tit. 2: 14. *genus ejus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*, 1 Pet 2: 9. *quam acquiſivit*, propriamque ſibi fecit, *ſuo proprio ſanguine*, Act. 20: 28. *quam apprehendit*, Phil. 3: 12. quæ eſt *hæreditas ejus jucunda & ſpecioſa*; Pſ. 16: 6. Quando igitur ea ſibi Chriſtus appropriat, quæ ſunt Eccleſiæ ſuæ (idque ob ἕνωσιν μυστικὴν admirandam, de qua Eph. 5: 30, 32.) loco quaſi ejus ſe ſiſtit, & tum Chriſtus pro Eccleſia & credentibus ſuis quaſi accipitur. Matt. 25: 35. *Eſurivi, & dediſtis mihi edere &c.* inquit Chriſtus, & ℣ſ. 40. exponit ita: *Quod feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Act. 9: 9. *Saul Saul, quid me perſequeris?* ℣ſ. 5. *Ego ſum Jeſus, quem tu perſequeris.* Dicitur autem ℣ſ. 1, 2. quòd perſecutus fuerit Saulus diſcipulos Chriſti credentes 1 Cor. 12: 12. *Sicut corpus unum eſt, & multa habet membra; omnia autem membra corporis unius, multa cùm ſint, unum ſunt corpus: Sic & Chriſtus*; hoc eſt, ſic & Chriſti Eccleſia multa membra habet, & multi fideles unum corpus Chriſti, ſeu unam Eccleſiam conſtituunt. Sequitur ℣ſ. 13. *Etenim per unum ſpiritum nos omnes in unum corpus baptizati ſumus &c.* Chriſtus igitur pro myſtico ſuo corpore ponitur: ſeu, quod idem eſt, tribuitur Chriſto, quod corpori propriè competit, propter unionem myſticam. Col. 1: 24. *paſſiones Chriſti* vocantur, quæ ſunt fidelium, ob eandem rationem. Lyr. in hoc lib. *Paſſiones Chriſti dupliciter dicuntur, uno modo in corpore proprio, in quo ſuſtinuit famem, ſitim, & mortem, ac ſic accipiendo nihil erat ibi implendum: alio modo, prout patitur in membris ſuis, qui ſunt fideles, & ſic loquitur hic Apoſtolus.* Ita quidam explicant, quod 1 Cor. 15: 28. de ſubjectione filii in vita æterna dicitur. Tarnov. in Comm. Mich. 4. *Chriſtus ille myſticus*, 1 *Cor.* 12: 12. *Act.* 9: 4. *Galat.* 2: 20. *in ſuis membris Deo Patri peculiari modo ſubjicietur, quatenus deinceps ſe totos ei dedunt, nihil aliud quærentes &c*, Senſus eſt, tunc, cùm tradiderit regnum Deo Patri, futurum eſſe, ut Eccleſia planè ſit Deo ſubjecta, ſublatis ex feliciſſimo illo regno omnibus omninò culpis, ratione quarum Eccle-

*b* Chriſtus pro Eccleſia.

sia militans non videbatur illi perfectè subjecta

## IV. *Objectum pro eo, quod versatur circa illud, ponitur.*

CHRISTUS JESUS, pro doctrina de Christo Jesu 2 Cor. 11: 4. *Si is, qui venit, alium Jesum prædicaret, quem non prædicavimus &c.* hoc est, aliam meliorem doctrinam de Christo: quod paulò post Evangelium aliud vocat. Ii, de quibus loquitur Apostolus, itidem ministros Christi se profitebantur, ℣. 23. & tamen Paulo, sincerissimè doctrinam salutis per Christum docenti, longè præferebantur à Corinthiis: collationem igitur Paulus inter se ac illos instituit, sensu hujusmodi: Si quis veniens, alia meliora ac certiora de Christo salutis autore vos doceret, ac præstantiora Sp. sancti dona vobis impetraret, quàm ego vos docui, & quàm meo ministerio accepistis, illum meritò admitteretis, mihique præferretis &c. Hæc hypotheticè proloquitur Paulus: sed dum categorica de doctrina Christi à se prædicata, formanda est propositio, ita Gal. 1: 8. detonat: *Etiamsi nos, aut Angelus è cœlo euangelizaverit vobis Evangelium, præter id, quod euangelizavimus vobis, anathema sit*, ℣. 9. *Quemadmodum antè diximus, & nunc iterum dico, si quis vobis euangelizaverit Euangelium, præter id, quod accepistis, anathema sit &c.* Eph. 4. 20. *Vos autem non sic didicistis Christum, siquidem illum audivistis, & in eo docti fuistis, quemadmodum est veritas in Jesu.* Hoc de doctrina Christi, veram θεοσεβείας καὶ εὐσεβείας rationem tradente, intelligendum est. Emphaticè verò ita Apostolus loquitur: dum enim doctrina de Christo salvifica discitur, & auditur, & in ea quis docetur, utpote in veritate Jesu, simul Christus ipse animæ fideli unitur, & in ea salutem, pacem, & pietatem operatur, c. 3: 16, 17. Joh. 15: 4, 5. &c. Similem metonymiam Schmalzius Photinianus contra D. Franzium p. 98. ponit in illo Heb. 13: 8. *Jesus Christus heri, & hodie idem est, & in secula.* Sed frustrà & immeritò. Describitur Salvator noster benedictus à simplicissima & semper sibi constante, tùm Deitatis, tùm officii immutabilitate, (de qua Ps. 102: 28. Heb. 1: 12.) & ex ea immutabilitatem etiam doctrinæ de Christo, postmodum ℣. 9. Apostolus concludit.

DEUS, pro cultu, in honorem Dei instituto. Exod 32: 1. *Et dixerunt ad eum* (Israëlitæ ad Aaronem) *Surge, fac nobis* אלהים *Deum &c.* D. Brentius in comm. hoc lib. *Vocabulum* אלהים *quod hoc loco ponitur, significat etiam cultum Dei, seu sacra in honorem Dei instituta. Unde in prima lege Decalogi dicitur: non habebis Deos alienos coram me. In qua pro diis alienis non tantùm intelligi debent dii gentium factitii, verùm etiam cultus & sacra, ad honorem quidem Dei usurpata, non autem verbo Domini præscripta. Hinc & Prophetæ toties accusant Israëlitas idololatriæ, quòd colerent alienos Deos, hoc est, quòd usurparent ad colendum verum DEUM aliena sacra, quæ Deus verbo suo non præceperat. Sic hoc loco: Fac nobis Deos, qui nos præcedant, hoc est, quia Mose cessat, & non est consultum nobis, ut sine publicis sacris per desertum ad terram nostram pergamus; tu igitur institue nobis publica sacra, quæ facientes gratiam Domini DEI nostri ita mereamur, ut præcedat nos in deserto, & tueatur nos, ac ducat incolumes in terram Canaan &c. Sic paulo post ℣. 4. Hi sunt* Dii *tui Israël, qui ascendere fecerunt te è terra Ægypti, hoc est, iste est verè divinus cultus, propter quem mereamur gratiam Dei nostri, qui nos de terra Ægypti eduxit. Hoc ipsum Aaron significat, cùm clamaret v. 5. Cras festum Jehovæ est &c. Si Domino (cogitârunt) gratum est sacrificium vituli carnei, quantò magis grata erit oblatio vituli aurei &c.* D. Gerhardus tom. 3. Locor. de lege Dei §. 92. *viderant Ægyptios colere Deum suum per bovem sive vitulum, Apim dictum (quem sacrabant Serapidi, testibus Augustino lib. 18. de Civit. Dei cap. 5. Cicerone lib. 1. de nat. Deor. Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 21. Herodoto, Diodoro Siculo, Plutarcho &c.) ideò etiam verum illum Deum, per quem ex Ægypto educti erant, his ritibus, & in hoc simulacro colere voluerunt &c.* Eadem ratio idemque sensus verborum Jaroboami est, de conflatis suis vitulis aureis, in Dan & Bethel, cultus sacri causâ, constitutis. 1 Reg. 12: 28. *Nimis est vobis, ut ascendatis Jerusalem: ecce* אלהיך *Dii tui, Israël, qui ascendere fecerunt te è terra Ægypti*, q. d. per cultum hunc in Dan & Bethel institutum à me, perinde Deus verus colitur, ac Hierosolymis. Confer Lutherum in præfat. Germanica super Prophetas, ubi de idololatria Judæorum & Christianorum agit.

GLORIA ET ROBUR, pro laude ac celebratione gloriæ & roboris. Ps. 29: 1. *Afferte Domino gloriam & robur*, hoc est, laudem gloriæ & roboris ejus ipsi tribuite: gloriosissimum ipsum & fortissimum laude devotâ confitemini Ps. 8: 3. *Ex ore infantum & lactantium fundâsti robur*, hoc est, laudem & celebrationem roboris & omnipotentiæ tuæ, uti Matth. 21: 16. explicatur. Sic Psal. 96: 7.

ONUS, pro prophetia de onere seu pœnâ divinâ. Es. 21:1. *Onus deserti.* Sequitur ℣s. 2. *Visio dura nunciata est mihi.* Sic c. 13:1. & alibi. Mal. 1:1. *Onus verbi Domini* vocatur, hoc est, verbum de onere seu pœnâ, per quandam hypallagen. Hieron. in Comm. Es. 15. hanc inter *Onus & visionem* ponit differentiam, quòd *Onus* semper tristia consequantur: *Visionem* autem vel statim læta, vel in fine læta post tristia. In Comm. c. 30. *Onus* hoc explicat, *pondus & sarcinam cruciatuum atque pœnarum.* Quia verò Prophetæ crebro usurpabant hanc vocem *Onus*, de minaci prophetia, & dura legis concione, ideò impœnitentes Judæi cœperant exagitare Prophetas, eorumque conciones non sine singulari contumelia *Onus* vocitabant, dictitantes: Propheta, quod est onus? quod onus jam nobis narras? Quas eorum blasphemias Jer. c. 23. gravissime reprehendit eisque iram Dei denunciat. Flacius.

PECCATUM, pro sacrificio, quod pro peccato expiando offerebatur. Ex. 29:14. *Carnem juvenci & pellem ejus & fimum ejus combures igne extra castra*: חַטָּאת הוּא *peccatum hoc est*, h. e. sacrificium pro peccato, ut Pagninus vertit. Hos. 4:8. *peccatum populi mei comedunt, & ad iniquitatem eorum attollunt animum suum*, hoc est, oblationes & sacrificia pro peccatis populi comedunt, q. d. peccare populum non indignè ferunt, quin potiùs licentiam peccandi invehunt, quia ex sacrificiis habent, unde lautè victitare & voluptatibus indulgere possint. Ita חַטָּאת *peccatum* usurpatur insuper Ex 30:10. Lev. 4:3. c. 6:25. Num. 8:8. Ps. 40:7. &c. אָשָׁם *delictum*, *reatus*, pro piaculo seu sacrificio, oblato pro expiatione peccati, Lev. 7:5, 7. 1 Sam. 6:3, 4. &c. Usurpatur & de Christo, qui verum propitiatorium sacrificium pro peccatis nostris factus est, & quem sacrificia illa prisca, ut typi, adumbrârunt. Es. 53:10. *Si posuerit* אָשָׁם *delictum, animam suam*, hoc est, seipsum tradiderit oblationem ac hostiam Deo in odorem suavitatis, ut Eph. 5:2. explicatur. Ex loco Esaiæ deductum illud Pauli 2 Cor. 5:21. *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum* (Deus) *fecit*. D. Franzius: *Quomodo Christus sit factus peccatum, declarari debet perfectè ex pecude sacrificiali, quæ & ipsa fiebat peccatum, seu immunda, quando sibi imposita hominum portabat peccata, & tunc mactabatur & sacrificabatur &c.* Quibus verbis simul ratio hujus tropicæ locutionis, quâ *peccatum* accipitur pro sacrificio innuitur. De qua ita Flacius: *Ideò illæ hostiæ sic vocantur, quia in ipsas peccata populi reatusque, ira ac pœna Dei, suo quodam modo per imputationem transferebantur:*

* Christus quomodo peccatum factus dicatur?

*non quia verbum* חטא *expiare significat.* Cl. scr. part. 1. col. 858.

PROMISSIO, pro fide promissionem Dei gratuitam amplectente. Rom. 9:8. *Filii promissionis*, hoc est, fidei, quæ promissionem in Christo gratuitam complectitur. Descriptio credentium. *Filii* autem dicuntur per metaphoram, respiciendo ad Abrahamum, qui Pater credentium à Spiritu sancto statuitur, Rom. 4:16. q. d. qui vestigiis Abrahæ insistunt, & fide ipsi fiunt similes. Confer. Rom. 4:12. Gal. 3:7, 29. cap. 4:28. &c.

SANGUIS, pro hominibus sanguinis effundendi (vel quamvis malitiam perpetrandi) cupidis Esa. 33:15. *Qui obturat aurem suam, ne audiat sanguines*, hoc est, ne auscultet iis, qui de effundendo sanguine, seu perpetranda cæde, seu quovis scelere (id enim voce *Sanguinis* synecdochicè notatur) loquuntur, & consilia ineunt. Confer Prov. 1:10. seqq.

SCRIPTI argumentum, pro scripto. 1 Reg. 8:21. *Posui ibi locum arcæ, in qua est fœdus Domini &c.* hoc est, tabulæ fœderis, manu Dei exaratæ, & in quibus scripta exstant præcepta fœderis divini cum populo initi, Exod. 34:28. Sic Rom. 9:4. αἱ διαθῆκαι, *testamenta*, hoc est, duæ tabulæ Testamenti sive fœderis, uti dicuntur Heb. 9:4. &c. Sic *vetus Testamentum*, pro libris, quibus illud continetur & perscriptum est, usurpatur, 2 Cor. 3:14. quam appellationem usus in loquendo nunc comprobat, ut vetus & novum Testamentum, pro libris utriusque accipiatur.

## *V. Signatum pro signo ponitur.*

Signatum quandoque ponitur pro signo *materialiter*, hoc est, pro ipsa re, quæ signum est. 1 Par. 16:11. *Requirite Dominum & robur ejus*, hoc est, arcam fœderis, præsentiæ Dei robustissimi signum & symbolum. Sic Ps. 78:61. Ps. 105:4. unde *arca roboris Dei*, Ps. 132:8. dicitur. Ezech. 7:27. *Princeps induet desolationem*, hoc est, vestem, desolationis indicem. 1 Cor. 11:10. *Propter hoc debet mulier* ἐξουσίαν *potestatem habere in capite*, hoc est, velamen; quo nimirum testatum faciat, se esse sub potestate viri. Congruum sanè signum, cum caput velamine tegatur, ut inferius à superiori: perinde ut uxor sub potestate viri, ut superioris, constituta esse, ejusque protectione & tutelâ frui debet. Quo cum confertur phrasis matrimonialis potest, Ruth. 3:9. *alas mariti expandi super uxorem.* hoc est, hanc quasi obvelari illius potestate, tutelâ & patrocinio.

Signa-

Signatum quandoque ponitur pro signo *formaliter*, hoc est, pro ipso *signi* termino & appellatione. Exod. 8: 32. *Et ponam redemtionem inter populum meum, & inter populum tuum*, hoc est, signum seu indicium redemtionis: Num. 6: 7. נזר *separatio Dei sui super caput ejus est*: hoc est, signum illius separationis, vid. cæsaries libera Deut. 16: 3. *Septem diebus comedes cum eo infermentata, panem afflictionis*, hoc est, signum, monumentum seu memoriale afflictionis, quam pertulistis in Ægypto, Deut. 22: 15. *Producent virginitatem puellæ*. hoc est, signa virginitatis. Confer ℣s. 17. Et vide Schindl. in Lexico col. 260. Flacium parte 1. clavis col. 1280. 2 Reg. 13: 17. *Sagitta salutis*, hoc est, signum futuræ salutis & victoriæ &c. Atque hæc quidem rectè se habent, sed mala fit à Calvinianis ad rem Eucharisticam accommodatio, ac si in verbis institutionis Sacræ cœnæ substantialibus: *Hoc est corpus meum, hoc est sanguis meus &c.* similis inesset tropus, sensu eo, quod *corpus & sanguinem Christi esse*, idem sit, ac esse signum ac symbolum corporis & sanguinis Christi; quæ Oecolampadii & aliorum est detorsio. At verò de sensu verborum illorum Test. Christi Salvatoris, non ex analogia exemplorum quorundam (in tanto hoc mysterio planè alienorum) sed ex ipsa intentione & verbis instituentis claris & perspicuis, captivatâ ratione sub obsequium fidei, faciendum est judicium: cumque absurditas reverà nulla sit (erroneo verò rationis humanæ judicio quid non in mysteriis Dei absurdum?) proprio sensu, sine ulla tropica translatione & detorsione, ea accipienda & interpretanda: quod si fiat, elisâ Calvinianorum ψευδερμηνεία, vera ac realis corporis & sanguinis Christi in Sacra cœna, præsentia, & cum pane ac vino benedicto comestio ac bibitio λευκάδι φωνῇ comprobatur, uti in scholis Theologicis docetur uberiùs. Vide sis etiam maximam inter exempla adducta, & verba S. cœnæ disparitatem. 1. In illis metonymiæ ratio est apertissima, & primo intuitu cuivis patet ex ipso contextu. In his verò tot & tanta metonymiam confictam (quæ à Theologis orthodoxis producuntur) infringunt fundamenta, atque ea instituto novo novi Testamenti Sacramento διαμπερές contraria est. Si enim panis & vini officium esse deberet, corporis & sanguinis Christi symbolica modò signatio, eccur sustulisset Christus agni paschalis Sacramentum, quòd signationem longè evidentiorem, mactatione, sanguinis effusione, & comestione, corpori & sanguini Christi præstare potest, quàm panis & vinum? 2. In verbis S. cœnæ talem metonymiam adversarii statuunt, quâ signatum de signo in casu recto prædicetur: at in exemplis superiùs allatis, signatum pro signo tantum ponitur. Annisi quidem sunt Calviniani, ejusdem generis exempla, hinc inde corradere, in quibus signatum de signo prædicetur, at operâ frustraneâ, ut alibi demonstratur latiùs.

*Tropus Calvinisticus.*

# CAPUT IV.

## DE

# METONYMIA ADJUNCTI.

Adjunctum dividitur in *receptum & occupatum*. Illud est, quod *in* vel *ad* subjectum recipitur, atque ita vel *internum* est, vel *externum*. Hoc, quod versatur & occupatur circa objectum, idque vel in genere, & quovis modo; vel in specie, ut ejus tùm *signum*, tùm *nomen*. Secundùm hanc divisionem, metonymiam adjuncti statuimus septuplicem. 1. Cùm in genere *accidens* pro subjecto suo, & abstractum seu forma accidentalis, pro concreto suo ponitur. 2. Cùm *contentum* pro continente ponitur. 3. Cùm *tempus* (accidens rerum omnium externum) pro rebus in tempore factis seu existentibus ponitur. 4. Cùm *opinio* hominum (accidens rerum externum) pro ipsa re ponitur: seu cùm res aliqua describitur poniturve, qualiter in aliorum existimatione se habet. 5. Cùm *occupatum* pro objecto suo ponitur. 6. Cùm *signum* pro signato ponitur. 7. Cùm *nomen*, tanquam signum & nota personæ vel rei, pro ipsamet persona vel re, ponitur.

### I. *Accidens pro subjecto suo in genere ponitur.*

ABSTRACTUM pro concreto suo, ipsomet subjecto connato. Gen. 31: 3. *Et mactavit Jacob* זבח *mactationem*, hoc est, mactatilia

tilia animalia. Gen. 42: 38. *Descendere facietis canitiem meam cum dolore in sepulchrum*, hoc est, me jam canum præ senio factum. 1 Sam. 15: 29. נֵצַח *æternitas*, vel etiam *robur Israëlis non mentietur*, hoc est, æternus vel robustus DEUS Israëlis. 2 Sam. 9: 12. *Et omnis* מוֹשַׁב *habitatio domus Ziba, servi erant Mephiboseth*, hoc est, tota ejus familia, quotquot habitabant in domo Ziba, serviebant Mephibosetho. 2 Samuel. 23: 23. *Et præposuit eum David* אֶל־מִשְׁמַעְתּוֹ *auscultationi suæ*, id est, satellitio suo, seu militibus stipatoribus suis, qui semper præstò erant ad imperium ipsius. Erant autem hi *Cerethai & Pelethai*, ut ex collatione c. 20: 22. 1 Reg 1: 38. patet. Neh 5: 9. *Annon in timore DEI nostri ambulaturi estis? potius quàm in probro istarum gentium inimicarum nobis?* hoc est, factis probrosis. Job. 5: 16. *Et iniquitas clausit os suum*, hoc est, vir iniquus obmutescere cogitur præ stupore, dum præsentibus DEI judiciis percellitur. Job. 31: 21. *Si agitavi contra pupillum manum meam, quòd viderem in porta auxilium meum*, hoc est, cùm in promtu homines præsto auxiliaturos conspicerem. Job. 32: 7. *Dies loquentur, & multitudo annorum notam faciet sapientiam*, hoc est, homines diuturnæ vitæ, & annosi seu senes, & ætate provecti. Psa. 12: 2. *Defecerunt* אֱמוּנִים *fidelitates ex filiis hominum*, hoc est, fideles homines. Præcedit: *Desiit* חָסִיד *beneficus*. Sic & usurpatur ea vox Ps. 31: 24. 2 Sam. 20: 19. &c. Ps. 65: 9. מוֹצָאֵי *egressus matutini & vespertini temporis laudare facis*, hoc est, egredientes homines manè & vesperi; nimirum, qui eo tempore, ad declinandum meridiani Solis æstum, agros invisunt, & conspectâ circumquaque Domini benedictione, multùm exhilarantur. Convenit hæc explicatio cum sequentibus. Alii de Solis ac Lunæ egressibus interpretantur. Ps. 68: 19. *Ascendisti in altum, captivam fecisti* שֶׁבִי *captivitatem*, hoc est, captivorum turbam; ut accipitur Esa. 49: 24 Jer. 29: 14. vel activè, captivantes, sive eos, qui anteà captivos nos detinebant, mundum videl. peccatum, mortem & Diabolum. Ita & Eph. 4: 8. Confer Col. 2: 12. 13, 14, 15. &c. Psal. 110: 3. *Ex utero auroræ tibi* (erit) *ros* יַלְדֻתֶךָ *nativitatis tuæ*, hoc est, natorum tuorum. Sensus est: Filii tui, credentes, tanquam ros tibi nascentur, veluti ex aurorâ, tanquam ex utero. Sicut ros ex aurora, id est, aëre matutino, veluti ex utero nascitur, in guttas innumeras dispersus: ita electi tui ex prædicatione Euangelii maximo tibi numero nascentur. Prov. 23: 21. *Et rupturas induet dormitatio*, hoc est, ruptas sive laceras vestes induet homo somnolentus. Duplex hujus metonymiæ exemplum. Præcedit: *Potator & comessator pauper efficietur*. Es. 3: 4. וְתַעֲלוּלִים *& facinora*, seu *ludificationes dominabuntur in eos*, hoc est, facinorosi, illusores, ἐμπαῖκται, ut Græci reddunt. Alii reddunt, *pueri*. Ludificationum significatio in hac voce etiam Es. 66: 4. occurrit. Es. 57: 13. *Omnes istos tollet ventus, auferet* הֶבֶל *vanitas* hoc est, halitus seu vapor, qui citò evanescit. (Ita הֶבֶל accipitur etiam Psal. 144: 4. *Homo vanitati similis est*, hoc est, halitui evanido. Confer Jac. 4: 14. Et in Chaldæo Psal. 90: 9. *Consumimus dies nostros sicut sermonem*. Chald. *Sicut* הֶבֶל *vaporem oris hyemalem*) Jer. 2: 5. *Et ambulârunt post* הַהֶבֶל *vanitatem*, hoc est, vanissima idola Chald. טָעֲוָתָא *idola*. Ita etiam הֶבֶל accipitur Deut. 32: 21. Jer. 14: 22. Confer Act. 14: 15. &c. Jer. 40: 7. וּמִדַּלַּת *& de tenuitate terræ*, hoc est, tenuibus seu pauperibus populi terræ Ez. 44: 6. *Et dices ad* מֶרִי *rebellionem*, hoc est, populum rebellem, ut Chaldæus habet Am. 8: 3. & ululabunt שִׁירוֹת cantica templi in die illa, h. e. cantores sua cantica in ululatum vertent. Luc. 1: 78. *Invisit nos* ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *ortus ex alto*, hoc est, ὁ ἀνατέλλων, qui oritur seu prodit ex alto. Epitheton Messiæ, seu Filii DEI incarnati, desumtum ex iis locis, quibus Soli & lumini confertur, Es. 9: 2. c. 60: 1, 2. Mal. 4: 2. &c. Joh. 11: 40. *Si credideris, videbis gloriam DEI*, hoc est, gloriosa DEI opera. Rom. 8: 19. ἡ ἀποκαραδοκία, *solicita exspectatio creaturæ revelationem filiorum DEI exspectat*, hoc est, creatura ipsa, solicitè & (ut emphasis vocis Græcæ habet) exserto quasi capite exspectat. Rom. 11: 7. *Quod quærit Israël, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est*, hoc est, electi homines. Eph. 1: 21. *Supra omnem principatum, ac potestatem, & virtutem, & dominium*. Descriptio Angelorum, principatu, potestate, virtute, & dominatione plurimùm pollentium. Ita Col. 1: 16. ubi pluralis numeri ponuntur voces Phil. 1: 16. *existimantes, se afflictionem addere vinculis meis*, id est, mihi vincto ac captivo. 1 Petr. 2: 17. *Fraternitatem diligite*, hoc est, fratres, seu fratrum conjunctionem atque coetum. Confer cap. 5: 9. Sic περιτομὴ *Circumcisio* dicitur, pro circumcisis Judæis, Rom. 3: 30. c. 15: 18. & pro spiritualiter circumcisis, Col. 3: 3. in *priori* simul metonymia signi; in *posteriori* simul metaphora est.

ALIA adjuncta pro subjectis suis. CLYPEUS, pro milite clypeato. Ez. 26: 8. *Et excitabit contra te clypeum*, hoc est, militem clypeatum, seu scutis in bellis utentem. FORAMINA, pro foraminosis operibus. Esa. 19: 9. *Et texentes* חוֹרָי *retia* sive aulæa reticulata.

lata. Ariam. *perforata retia.* Chaldæus: מצרן *retia.* FUNDA, pro funditoribus militibus. Zach 9: 15. *Et subjicient lapides fundæ*, hoc est, hostes suos, in quibus olim erant multa funditorum agmina, quæ fundis utebantur & pro optimo habebantur milite, ut ex Jud. 20: 16. apparet. LUX, אור, pro Sole, κατ' ἐξοχὴν sic dicto, quia lucis quasi fons & scaturigo est. Job. 31: 26. *Si videbam lucem, quando resplendebat*, hoc est, Solem. Sequitur: *Et lunam honorificè incedentem*, Sic c. 37: 20. & Hab. 3: 4. Et ex eo Sol Ægyptiis *Orus* appellatur. Et *Lux*, pro igne. Marc. 14: 54. *Et considebat cum ministris, & calefaciebat se* πρὸς τὸ φῶς, *ad lucem*, hoc est, ad ignem, qui una cum calore lucem præbet: vel ad ἀνθρακιὰν, ad prunas, quas ministri congesserant ob instans frigus, Joh. 18: 18. Ita apud Euripidem in Rheso: ἔπω πρὶν ἧψαν πολέμιοι τόσονδε φῶς, *nondum antea hostes succenderant tantum ignem.* OLEUM, pro singulariter uncto. [a] Esa. 10: 27. *Corrumpetur jugum, à facie olei*, seu *propter oleum*, hoc est, propter unctum Domini, & in ejus gratiam. Chaldæus: *Et confringentur populi à facie Messiæ.* Hunc Junius & Tremellius sequuntur: *Imo destruetur jugum, propter oleum, id est, propter Christum liberaberis, in quo quiescit Spiritus Jehovæ, qui unxit eum, cap. 61: 1.* Flacius Cl. Scr. part. 1. col. 779. *Sensus est, propter Ezechiam pium Regem, destruetur Tyrannis Regis Assyrii super Judæos. Propriè verò impletum est hoc per adventum ac redemtionem Messiæ veri, qui jugum ac chirographum nostrum tyrannidemque legis, peccati, mortis, ac Satanæ confregit.* Potest conferri c. 9: 4, 6. PALMUS, pro parte ædificii palmari, seu palmum mensurâ adæquante, 1 Reg. 7: 9. *A fundamento usque ad* הטפחות *palmos*, hoc est, circumferentias sive præcinctiones, quibus laquearia & tectum innituntur, quæ ferè palmares esse solent: Vel, ut ex R. Kimchi Pagninus vertit: *Lapides, super quos capita ponebantur trabium, qui erant ad mensuram palmi.* PECCATUM, pro ipso peccatore homine, Es. 1: 18. *Si fuerint peccata vestra tanquam coccinum, velut nix albescent &c.* hoc est, si vos peccatores ita rubueritis, dealbabimini instar nivis &c. Non enim peccatum, sed peccator, remissis iniquitatibus, mundificatur, Psa. 51: 9. &c. In Grammatica sacra hoc ad hypallagen relatum est p. 738. Quidam huc referunt, cùm *Deus propitius esse dicitur peccatis*, peccatoribus, Num. 24: 19. Psi 25: 11. Sed ibi verbum סלח peccatis additum, *condonare, remittere* significat. Alii addunt Hebr. 2: 17. εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι, *ut propitiaret peccata populi*, hoc est, ipsum populum peccatorem. Sed verbum hoc peccatis additum, *expiare* notat, ut ex 1 Joh. 2: 2. c. 4: 10. patet. PLAGA, pro homine plagâ affecto. Lev. 13: 4. *Et claudere facit sacerdos* את־הנגע *plagam septem diebus*, hoc est, plaga (lepræ) affectum hominem. Sic ℣s. 13, 31, 50. Huc referatur illud Matth. 8: 3. *Et confestim mundata est ipsius lepra*, hoc est, ipse leprosus est mundatus; præcedit ℣s. 2. *Domine, si vis, potes me mundare*, vers. 3. *Et dixit JESUS: mundus esto.* Confer Marc. 1: 42. POTENTIA חיל pro exercitu potenti, seu copiis militaribus. Exod. 14: 4. *Glorificabor in Pharaone, & in omni* חילו *potentia ejus*, hoc est, exercitu, ut Pagninus reddit, & Chald. 1 Sam. 14: ℣s. 48. ויעש חיל *Et fecit potentiam.* Pagn. *& congregavit exercitum.* Chaldæus: משרין *copias, exercitum.* Lutherus Und macht ein Heer. Sic Ez. 38: 4. Sic δύναμις usurpatur 1 Macc. 3. pro exercitu &c. Item חיל *potentia*, pro divitiis & opibus, in quibus potentia hominum consistit. Gen, 34: 29. *Et omnem* חילם *potentiam eorum.* Chaldæus: נכסיהון *divitias eorum.* Sic Deut. 8: 17. Job. 15: 29. Prov. 31: 29. Es. 10: 14. c. 30: 6. Sic δύναμις Apoc. 18: 3. &c. Ejusdem significati est etiam חסן *potentia*, hoc est, opes, Prov. 15: 6. Jer. 20: 5. &c. Et כח, *robur, vis, potentia*, hoc est, opes, Job. 6: 22. Prov. 5: 10. &c.

[a] Esa. 10: 27. à facie olei.

## II. Contentum pro continente, & locatum pro loco, ponitur.

Gen. 28: 22. *Et lapis iste, quem posui in statuam, erit domus DEI*, hoc est, locus hic, in quo statuam è lapidibus erexi. Jos. 15: 19. *Da mihi scaturigines aquarum*, hoc est, partem agri, in qua scaturigo aquarum sit. Sequitur: *Et dedit ei scaturigines superiores, & scaturigines inferiores*, hoc est, agrum, in quo erant fontes in superiore & inferiore parte. Chaldæus: *Da mihi locum irriguum aquis: & dedit ei locum irriguum inferiorem*, Ezech. 26: ℣s. 5. *Expansio sagenarum erit in medio maris*, hoc est, locus expandendis sagenis. Sic ℣s. 14. &c. Hos. 9: 6. *Spina erit in tentoriis eorum*, hoc est, in locis, ubi olim erant sita tentoria. Amos 8: 5. *Quando transibit novilunium, & venundabimus commeatum; & Sabbatum, & aperiamus* בר *frumentum*, hoc est horrea frumentaria, granaria Matth. 2: 11. *Et apertis thesauris suis, obtulerunt illi munera*, hoc est, vasculis continentibus res bonas ac preciosas. Sic & alibi *thesaurus* de loco seu continente usurpatur. Ps. 135: 7. Matt. 12: 35. &c. Kirstenius in locum

matt.

tilia animalia. Gen. 42: 38. *Descendere facietis canitiem meam cum dolore in sepulchrum*, hoc est, me jam canum præ senio factum. 1 Sam. 15: 29. נצח *æternitas*, vel etiam *robur Israëlis non mentietur*, hoc est, æternus vel robustus DEUS Israëlis. 2 Sam. 9: 12. *Et omnis* מושב *habitatio domus Ziba, servi erant Mephiboseth*, hoc est, tota ejus familia, quotquot habitabant in domo Ziba, serviebant Mephibosetho. 2 Samuel. 23: 23. *Et præposuit eum David* אל־משמעתו *auscultationi suæ*, id est, satellitio suo, seu militibus stipatoribus suis, qui semper præstò erant ad imperium ipsius. Erant autem hi *Cerethæi & Peletbæi*, ut ex collatione c. 20: 22. 1 Reg 1: 38. patet. Neh 5: 9. *Annon in timore DEI nostri ambulaturi estis? potiùs quàm in probro istarum gentium inimicarum nobis?* hoc est, factis probrosis. Job. 5: 16. *Et iniquitas clausit os suum*, hoc est, vir iniquus obmutescere cogitur præ stupore, dum præsentibus DEI judiciis percellitur. Job. 31: 21. *Si agitavi contra pupillum manum meam, quòd viderem in porta auxilium meum*, hoc est, cùm in promtu homines præsto auxiliaturos conspicerem. Job. 32: 7. *Dies loquentur, & multitudo annorum notam faciet sapientiam*, hoc est, homines diuturnæ vitæ, & annosi seu senes, & ætate provecti. Psa. 12: 2. *Defecerunt* אמונים *fidelitates ex filiis hominum*, hoc est, fideles homines. Præcedit: *Desiit* חסיד *beneficus*. Sic & usurpatur ea vox Ps. 31: 24. 2 Sam. 20: 19. &c. Ps. 65: 9. מוצאי *egressus matutini & vespertini temporis laudare facis*, hoc est, egredientes homines manè & vesperi; nimirum, qui eo tempore, ad declinandum meridiani Solis æstum, agros invisunt, & conspectâ circumquaque Domini benedictione, multùm exhilarantur. Convenit hæc explicatio cum sequentibus. Alii de Solis ac Lunæ egressibus interpretantur. Ps. 68: 19. *Ascendisti in altum, captivam fecisti* שבי, *captivitatem*, hoc est, captivorum turbam, ut accipitur Esa. 49: 24 Jer. 29: 14. vel activè, captivantes, sive eos, qui anteà captivos nos detinebant, mundum videl. peccatum, mortem & Diabolum. Ita & Eph. 4: 8. Confer Col. 2: 12. 13, 14, 15. &c. Psal. 110: 3. *Ex utero auroræ tibi* (erit) *ros* ילדתך *nativitatis tuæ*, hoc est, natorum tuorum. Sensus est: Filii tui, credentes, tanquam ros tibi nascentur, veluti ex aurorâ, tanquam ex utero. Sicut ros ex aurora, id est, aëre matutino, veluti ex utero nascitur, in guttas innumeras dispersus: ita electi tui ex prædicatione Euangelii maximo tibi numero nascentur. Prov. 23: 21. *Et rupturas induet dormitatio*, hoc est, ruptas sive laceras vestes induet homo somnolentus. Duplex hujus metonymiæ exemplum. Præcedit: *Potator & comessator pauper efficietur*. Es. 3: 4. ותעלולים *& facinora*, seu *ludificationes dominabuntur in eos*, hoc est, facinorosi, illusores, ἐμπαῖκται, ut Græci reddunt. Alii reddunt, *pueri*. Ludificationum significatio in hac voce etiam Es. 66: 4. occurrit. Es. 57: 3. *Omnes istos tollet ventus, auferet* הבל *vanitas* hoc est, halitus seu vapor, qui citò evanescit. (Ita הבל accipitur etiam Psal. 144: 4. *Homo vanitati similis est*, hoc est, halitui evanido. Confer Jac. 4: 14. Et in Chaldæo Psal. 90: 9. *Consumimus dies nostros sicut sermonem*. Chald. *Sicut* הבל *vaporem oris hyemalem*) Jer. 2: 5. *Et ambulârunt post* ההבל *vanitatem*, hoc est, vanissima idola Chald. טעותא *idola*. Ita etiam הבל accipitur Deut. 32: 21. Jer. 14: 22. Confer Act. 14: 15. &c. Jer. 40: 7. ומדלת *& de tenuitate terræ*, hoc est, tenuibus seu pauperibus populi terræ Ez. 44: 6. *Et dices ad* מרי *rebellionem*, hoc est, populum rebellem, ut Chaldæus habet Am. 8: 3. & ululabunt שירות cantica templi in die illa, h. e. cantores sua cantica in ululatum vertent. Luc. 1: 78. *Invisit nos ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, ortus ex alto*, hoc est, ὁ ἀνατέλλων, qui oritur seu prodit ex alto. Epitheton Messiæ, seu Filii DEI incarnati, desumtum ex iis locis, quibus Soli & lumini confertur, Es. 9: 2. c. 60: 1, 2. Mal. 4: 2. &c. Joh. 11: 40. *Si credideris, videbis gloriam DEI*, hoc est, gloriosa DEI opera. Rom. 8: 19. *ἡ ἀποκαραδοκία, solicita exspectatio creaturæ revelationem filiorum DEI exspectat*, hoc est, creatura ipsa, solicitè & (ut emphasis vocis Græcæ habet) exserto quasi capite exspectat. Rom. 11: 7. *Quod quærit Israël, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est*, hoc est, electi homines. Eph. 1: 21. *Supra omnem principatum, ac potestatem, & virtutem, & dominium*. Descriptio Angelorum, principatu, potestate, virtute, & dominatione plurimùm pollentium. Ita Col. 1: 16. ubi pluralis numeri ponuntur voces Phil. 1: 16. *existimantes, se afflictionem addere vinculis meis*, id est, mihi vincto ac captivo. 1 Petr. 2: 17. *Fraternitatem diligite*, hoc est, fratres, seu fratrum conjunctionem atque cœtum. Confer cap. 5: 9. Sic ἡ περιτομὴ *Circumcisio* dicitur, pro circumcisis Judæis, Rom. 3: 30. c. 15: 18. & pro spiritualiter circumcisis, Col. 3: 3. in priori simul metonymia signi; in posteriori simul metaphora est.

ALIA adjuncta pro subjectis suis. CLYPEUS, pro milite clypeato. Ez. 26: 8. *Et excitabit contra te clypeum*, hoc est, militem clypeatum, seu scutis in bellis utentem. FORAMINA, pro foraminosis operibus. Esa. 19: 9. *Et texentes* חורי *retia*, sive, aulæa reticulata.

lata. Ariam. *perforata retia.* Chaldæus: מְצָדִין *retia.* FUNDA, pro funditoribus militibus. Zach 9: 15. *Et subjicient lapides fundæ*, hoc est, hostes suos, in quibus olim erant multa funditorum agmina, quæ fundis utebantur & pro optimo habebantur milite, ut ex Jud. 20: 16. apparet. LUX, אוֹר, pro Sole, κατ' ἐξοχὴν sic dicto, quia lucis quasi fons & scaturigo est. Job. 31: 26. *Si videbam lucem, quando resplendebat*, hoc est, Solem. Sequitur: *Et lunam honorificè incedentem*, Sic c. 37: 20. & Hab. 3: 4. Et ex eo Sol Ægyptiis *Orus* appellatur. Et *Lux*, pro igne. Marc. 14: 54. *Et considebat cum ministris, & calefaciebat se* πρὸς τὸ φῶς, *ad lucem*, hoc est, ad ignem, qui unà cum calore lucem præbet: vel ad ἀνθρακιὰν, ad prunas, quas ministri congesserant ob instans frigus, Joh. 18: 18. Ita apud Euripidem in Rheso: ἔπω πρὶν ἧψαν πολέμιοι τόσονδε φῶς, *nondum antea hostes succenderant tantum ignem.* OLEUM, pro singulariter uncto. [a] Esa. 10: 27. *Corrumpetur jugum, à facie olei*, seu *propter oleum*, hoc est, propter unctum Domini, & in ejus gratiam. Chaldæus: *Et confringentur populi à facie Messiæ.* Hunc Junius & Tremellius sequuntur: *Imo destruetur jugum, propter oleum, id est, propter Christum liberaberis, in quo quiescit Spiritus Jehovæ, qui unxit eum, cap. 61: 1.* Flacius Cl. Scr. part. 1. col. 779. *Sensus est, propter Ezechiam pium Regem, destruetur Tyrannis Regis Assyrii super Judæos. Propriè verò impletum est hoc per adventum ac redemtionem Messiæ veri, qui jugum ac chirographum nostrum tyrannidemque legis, peccati, mortis, ac Satanæ confregit.* Potest conferri c. 9: 4, 6. PALMUS, pro parte ædificii palmari, seu palmum mensurâ adæquante, 1 Reg. 7: 9. *A fundamento usque ad* טְפָחוֹת *palmos*, hoc est, circumferentias sive præcinctiones, quibus laquearia & tectum innituntur, quæ ferè palmares esse solent: Vel, ut ex R. Kimchi Pagninus vertit: *Lapides, super quos capita ponebantur trabium, qui erant ad mensuram palmi.* PECCATUM, pro ipso peccatore homine, Es. 1: 18. *Si fuerint peccata vestra tanquam coccinum, velut nix albescent &c.* hoc est, si vos peccatores ita rubueritis, dealbabimini instar nivis &c. Non enim peccatum, sed peccator, remissis iniquitatibus, mundificatur, Psa. 51: 9. &c. In Grammatica sacra hoc ad hypallagen relatum est p. 738. Quidam huc referunt, cùm *Deus propitius esse* dicitur *peccatis*, peccatoribus, Num. 24: 19. Ps. 25: 11. Sed ibi verbum סלח peccatis additum, *condonare, remittere* significat. Alii addunt Hebr. 2: 17. εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι, *ut propitiaret peccata populi*, hoc est, ipsum populum peccatorem. Sed verbum hoc peccatis additum, *expiare* notat, ut ex 1 Joh. 2: 2. c. 4: 10. patet. PLAGA, pro homine plagâ affecto. Lev. 13: 4. *Et claudere facit sacerdos* אֶת־הַנֶּגַע *plagam septem diebus*, hoc est, plaga (lepræ) affectum hominem. Sic ℣. 13, 31, 50. Huc referatur illud Matth. 8: 3. *Et confestim mundata est ipsius lepra*, hoc est, ipse leprosus est mundatus; præcedit ℣. 2. *Domine, si vis, potes me mundare*, vers. 3. *Et dixit JESUS: mundus esto.* Confer Marc. 1: 42. POTENTIA חַיִל pro exercitu potenti, seu copiis militaribus. Exod. 14: 4. *Glorificabor in Pharaone, & in omni* חֵילוֹ *potentia ejus*, hoc est, exercitu, ut Pagninus reddit, & Chald. 1 Sam. 14: ℣. 48. וַיַּעַשׂ חַיִל *Et fecit potentiam.* Pagn. *& congregavit exercitum.* Chaldæus: מַשְׁרְיָן *copias, exercitum.* Lutherus. Und macht ein Heer. Sic Ez. 38: 4. Sic δύναμις usurpatur 1 Macc. 3. pro exercitu &c. Item חַיִל *potentia*, pro divitiis & opibus, in quibus potentia hominum consistit. Gen. 34: 29. *Et omnem* חֵילָם *potentiam eorum.* Chaldæus: נִכְסֵיהוֹן *divitias eorum.* Sic Deut. 8: 17. Job. 15: 29. Prov. 31: 29. Es. 10: 14. c. 30: 6. Sic δύναμις Apoc. 18: 3. &c. Ejusdem significati est etiam חֹסֶן *potentia*, hoc est, opes, Prov. 15: 6. Jer. 20: 5. &c. Et כֹּחַ, *robur, vis, potentia*, hoc est, opes, Job. 6: 22. Prov. 5: 10. &c.

[a] Esa. 10: 27. à facie olei.

## II. Contentum pro continente, & locatum pro loco, ponitur.

Gen. 28: 22. *Et lapis iste, quem posui in statuam, erit domus DEI*, hoc est, locus hic, in quo statuam è lapidibus erexi. Jos. 15: 19. *Da mihi scaturigines aquarum*, hoc est, partem agri, in qua scaturigo aquarum sit. Sequitur: *Et dedit ei scaturigines superiores, & scaturigines inferiores*, hoc est, agrum, in quo erant fontes in superiore & inferiore parte. Chaldæus: *Da mihi locum irriguum aquis: & dedit ei locum irriguum inferiorem*, Ezech. 26: ℣. 5. *Expansio sagenarum erit in medio maris*, hoc est, locus expandendis sagenis. Sic ℣. 14. &c. Hos. 9: 6. *Spina erit in tentoriis eorum*, hoc est, in locis, ubi olim erant sita tentoria. Amos 8: 5. *Quando transibit novilunium, & venundabimus commeatum; & Sabbatum, & aperiamus* בַּר *frumentum*, hoc est horrea frumentaria, granaria Matth. 2: 11. *Et apertis thesauris suis, obtulerunt illi munera*, hoc est, vasculis continentibus res bonas ac preciosas. Sic & alibi *thesaurus* de loco seu continente usurpatur. Ps. 135: 7. Matt. 12: 35. &c. Kirstenius in locum

matt.

Matt. 2. *Quando hîc dicitur, magos aperuisse thesauros suos, in Arabico est, vasa sua. Nam vox Arabica vas receptaculum, saccum, sarcinam significat. Intelligamus itaque sarcinas sive receptacula, in quibus aurum, thus & myrrham advexerunt. Vix enim hæc propriè magorum thesauri fuerunt, quoniam in regione ipsorum erant communia, & thesauri Persarum aliis constant, quàm auro, thure & myrrhâ.* Matth. 22: v. 13. *Conjicite eum in tenebras exteriores*, hoc est in locum infernum, in quo sunt tristissimæ tenebræ. Camerarius: *εἰς τὸν σκοτεινὸν τόπον τὸν ἔξω.* Gregorius lib. 25. moral. cap. 11. *Tunc coacti in tenebras exteriores mittentur, qui nunc interioribus voluntariè excæcantur.* Matth. 25. ℣ſ. 10. *Quæ paratæ erant, intraverunt cum Sponso εἰς τὲς γάμες, in nuptias*, hoc est, in locum nuptiis celebrandis destinatum. Ibidem ℣ſ. 21: 23. *Intra in gaudium Domini tui*, hoc est, in locum gaudii, in regnum cœleste &c. Marc. 3: 11. *Et spiritus immundi procidebant ei* (JESU) hoc est, homines spiritibus immundis obsessi. Syrus: *Et ii, quibus erant plagæ spirituum immundorum.* Luc. 21 ℣ſ. 4. *Nam omnes hi ex eo, quod ipsis redundat, injecerunt εἰς τὰ δῶρα Θεϐ, in dona DEI*, hoc est, in δωροφυλάκιον seu gazophylacium, in quod ea mittebantur, quæ DEO donabantur. Ideò vocatur *Corban*, id est, *donum*, Matt. 27. ℣ſ. 6. per eandem metonymiam. Syrus in Luca habet: בית קורבנא אלהא *in locum oblationis DEI.* Act. 16. ℣ſ, 13. *Egressi sumus extra civitatem, juxta flumen, ubi videbatur προσευχὴ, precatio esse, &c.* hoc est, locus orationis. Syrus: *Quia ibi conspiciebatur domus orationis.* Sic ℣ſ. 16. Et ita προσευχὴ, *proseucha* idem ac προσευκτήριον: *precatorium*, oratorium, etiam apud Josephum, Epiphanium, &c. significat. Juvenalis etiam: *In qua te quæro proseucha.* Hûc Schindlerus refert Luc. 6: 12. *Et erat* (Christus) *pernoctans ἐν τῇ προσευχῇ τϐ Θεϐ, in proseucha DEI.* In Mizpe ejusmodi τόπον προσευχῆς apud Judæos fuisse, patet ex 1. Maccab. 3: 46, 47. &c. Gal. 2: 12. *Antequam venissent quidam à Jacobo*, hoc est, Hierosolymis, ubi pedem fixerat Jacobus, Act. 12. ℣ſ: 17. cap. 21. ℣ſ. 18. &c. Heb. 12. ℣ſ. 1. *Constanter decurramus propositum nobis ἀγῶνα, certamen.* hoc est, locum certaminis, seu in quo curritur, qui stadium vocatur, 1 Cor. 9. ℣ſ. 24 &c. Apoc. 8: ℣. 3. *At alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens λιβανωτὸν, thur aureum*, hoc est, thuribulum aureum. Confer ℣ſ. 5. Ad hunc metonymiæ modum commodè refertur, cùm רוח *ventus*, pro latere seu plaga mundi accipitur, unde ventus spirat; 1 Paral. 9: 24. Jer. 49. ℣ſ. 32. cap. 52. ℣ſ. 31. Ezech. 5: 12. Matth. 24: 31. Et cùm flumen aliquod pro regione accola, quam illud perfluit, ponitur, Es. 23. vers. 3. Jer. 12. ℣ſ. 5. Zach. 11. vers. 3. Vide etiam Jer. 2. vers. 18. ubi metaphora simul est &c.

## III. *Tempus pro rebus, in tempore factis seu existentibus ponitur.*

Intelligendum hoc tùm de ipsa *temporis* voce, tùm de nominibus, temporis partes exprimentibus, vel in natura, vel ex instituto.

TEMPUS 1 Paral. 12: 32. *Et de filiis Isaschar scientes intelligentiam ad tempora*, seu ut alii vertunt, *noscentes scitè tempora, ut sciret Israël, quid faceret*, hoc est, periti prudentiaque instructi, quâ explorârunt, quid quando agendum esset, & hoc facto omnibus Israëlitis præiverunt. Lutherus commodè: Die verständig waren/ und rieten/ was zu jeder zeit Israel thun solt. 1 Paral. 29: 30. *Cum omni regno ejus* (Davidis) *& fortitudine ejus*, והעתים *& temporibus, quæ transierunt super eum, & super Israël, & super universa regna terrarum*; hoc est, varia negocia & casus, vel prosperi vel adversi, qui quovis tempore eis acciderunt. Est. 1: 13. *Dixitque Rex sapientibus scientibus tempora*, hoc est, qui nôrant præterita gesta, quæ singulis temporibus acciderant: vel, qui prudentiâ, tractandi agendique quæque in tempore, pollebant. Lutherus: sich auf des Landes Sitten verstunden. Job. 11. ℣ſ. 17. *Et supra meridiem exsurget tempus*, hoc est, prosperitas tua meridianâ luce clarior erit, seu maximè illustris. Ps. 31. 16. *In manu tua sunt tempora mea:* hoc est, vita, valetudo, & totius vitæ status & acta. Confer. Ps. 139. ℣ſ. 1. seqq. 2. Timoth. 3. ℣ſ. 1. *Illud scito, quòd in extremis diebus instabunt tempora difficilia* seu *periculosa*, hoc est, erit hominum malitia summa, & deplorata iniquitas, in extremis illis temporibus, ut difficile futurum piis sit, ejusmodi pravos homines (quorum catalogus vitiorum subjungitur) satis cavere, & interea ritè se gerere &c. Tempori ipsi adscribitur, quod ad res in tempore gestas propriè pertinet.

SECULUM. Heb. 1: 2. *Per quem fecit & αἰῶνας, secula*, hoc est, mundum, qui per secula durat, adeoque omnes res, in tempore existentes. Sic cap. 11: ℣ſ. 3. Fluere hoc significatum ajunt ex Hebræa voce עולם, quæ & *secula*, & *mundum* significat. Rom. 12. v. 2. *Nolite conformari seculo huic*, hoc est, impietati hujus mundi, seu hominibus impiis in

seculo

seculo viventibus. Ita etiam αἰὼν accipitur Matth. 13. vers. 22. Marc. 4. vers. 19. Luc. 16:8. 2 Cor. 4. vers. 4. Galat. 1. v. 4. Ephes. 2. vers. 2. cap. 6. vers. 12. 2 Timoth. 4. vers. 10. &c. Ariæmontanus in lib. Joseph. seu de arcano serm. cap. 12. *Verbum seculi, cœlorum & divinarum rerum æternitati, majestati & dignitati oppositum est, humanamque sapientiam & carnis arguit prudentiam à divini Spiritus sapientia alienam.*

ANNUS, Prov. 5:9. *Ut ne cedas aliis decorem tuum, & annos tuos crudeli*, hoc est, ne marito zelotypo vitam tuam, quam traducere vivus & sospes posses, cedas, adeoque te occidendum illi dedas. Confer cap. 6:32. & seqq.

DIES. Deuter. 4:32. *Inquire de diebus priscis, qui fuerunt ante te &c.* hoc est, res gestas seu historias priscorum temporum: excute annales. 1 Sam. 24. v. 20. *Dominus rependat tibi bonum pro die hac, quam fecisti mihi*, hoc est, pro beneficio, quod hodiè mihi præstitisti. Matth. 24. v. 22. *Nisi decurtati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: Sed propter electos decurtabuntur dies illi.* De quo loco Augustin. Tom. 2. Epist. 80. ad Hesych. *Quidam convenientius intellexisse mihi videtur, mala ipsa significata nomine dierum, sicut dicti sunt dies mali* (Ephes. 5. vers. 16.) *in aliis divinæ Scripturæ locis, Neque enim dies ipsi mali sunt, sed ea quæ fiunt in eis. Ipsa ergò dicta sunt breviari, ut, DEO donante, tolerantiâ minus sentirentur, ac si, quæ magna essent, brevia fierent.* Hæc ille, de excidio Hierosolymitano verba hæc rectè explicans: *Non debemus* (inquit) *ambigere, quando eversa est Hierusalem, fuisse in illo populo electos DEI, qui ex circumcisione crediderant sive fuerant credituri, electi ante constitutionem mundi, propter quos breviarentur dies illi, ut tolerabilia mala fierent.* Marc. 13:19. *Erunt dies illi talis afflictio, qualis non fuit &c.* hoc est, quæ eventura sunt in diebus illis, seu illo tempore. Significatur fore, ut toto illo tempore calamitas calamitatem excipiat, perinde ac si tempus ipsum esset miseria ipsa. 1 Cor. 4:3. *Humana dies* est humanum judicium: Solent enim judiciis certi dies dici. Confer annotat. exeges. ad h. l. in Exegesi textuum Evangel. & Epistol. part. 1. p. 298. &c. Ephes. 5:16. *Redimentes tempus, quia dies mali sunt*, hoc est, quamplurima mala, scandala, & peccata, hoc tempore perpetrantur. Eadem ratione libri Chronicorum Biblici dicuntur דִּבְרֵי הַיָּמִים *verba dierum*, hoc est, recensio de rebus gestis temporis illius &c. *Dies alicujus*, dicitur in Scriptura illud tempus, quando insigne aliquid, vel in bono, vel in malo, ei obtigit. IN BONO. Hos. 1:11. *Quia magnus dies Jizreël*, hoc est, tunc magna populo DEI (*semini DEI*, quod vox Hebræa exprimit) continget felicitas & gloria, dum scil. ut semen DEI acceptabitur, primùm corporaliter, ex Babylonica captivitate reversus, deinde ad DEUM suum conversus. Sic apud Tacitum *magnus dies* dicitur ille, qui fuit felicissimæ victoriæ, ut ex Turnebo Drusius notat Luc. 19:42. *Si cognovisses & tu, & quidem in isto die tuo &c.* Dies Jerusalem dicitur illud tempus, quo DEUS singulari beneficio eam dignatus fuerat: *tempus visitationis ejus*, ut v. 44. exponitur. Erat hæc ultima quasi occasio, ad salutem Judæis oblata, ut Messiam sibi oblatum reciperent, & ita salvarentur &c. IN MALO. Job. 18:20. *Super diem ejus obstupescent posteri*, hoc est, propter adversitates ejus. Ps. 137:7. *Recordare, Domine, contra filios Edom diei Jerusalem*, hoc est, calamitatis illo tempore factæ, quo scilicet subversa est. Eccl. 5:19. *Quia non multùm recordatur dierum vitæ suæ*, hoc est, malorum & calamitatum, quæ sibi evenerunt tempore antecedente. Luther. Er denckt nicht viel an das elende Leben. [a] Jer. 17:16. *Et ego non acceleravi* (fugiendo) *ne essem pastor post te* (tibi mittendi obsequens) וְיוֹם אָנוּשׁ *& diem mortiferum* (summe calamitosum) *non concupivi*, hoc est, ipsam calamitatem & mortem inferendam. Alluditur ad historiam Jonæ Prophetæ, qui fugere conabatur à facie Domini, Jon. 1:3. posteà verò Ninevitis prædicans, calamitatem & interitum ipsis inferendum optabat ac sperabat, c. 3:10. c. 4:1, 5, 9, 10. 11. Utrumque à se Jeremias removet, & tùm obsequentem mandato Domini fuisse, tùm & pro hostibus suis intercessisse apud DEUM, innuit. Confer c. 14:7, 20, 21. &c. Pro die mortifero alii habent, *diem hominis*, hoc est, hominum splendorem & felicitatem. Sed in Hebræo non est אֱנוֹשׁ *homo*, sed אָנוּשׁ *mortiferus*. Ez. 21:29. *Quorum dies advenit*, hoc est, quos jam castigat DEUS, & ultimo supplicio afficit, propter improbitatem ipsorum. Sic c. 22:4. Obad. v. 12. Mich. 7:4. Ps. 37:13. &c. Ratione efficientis, calamitates & infortunia dicuntur etiam *dies Domini*, nimirum, justè ob malitiam homines punientis, Job. 24:1. Es. 13:6. Joel 1:15. c. 2:1, 2. Amos 5:20. Zeph. 2:2. c. 1:14, 15, 16, 18. κατ' ἐξοχὴν *dies Domini* dicitur judicium extremum, quo unicuique à DEO retribuitur secundùm facta eorum, Joel 2:32. Act. 2:20. 1 Cor. 1:8. 1 Thess. 5:2. &c. Et *dies Filii hominis*, Luc. 17:24, 26. quod v. 30. exponitur, *dies, quo Filius*

[a] Jer. 17:16. Diem mortiferum non concupivi.

*lius hominis revelatur.* Paulò aliter (per antanaclasin) ea appellatio accipitur v. 22. *Venient dies, quando desiderabitis videre unum dierum Filii hominis, nec videbitis*, Brent. in h. l. *Sensus est, quia res nunc sunt tranquillæ, contemnitur & rejicitur Filius hominis: sed venient tanta calamitates in orbem Judaicum, ut homines desideraturi sint vel unum tantùm diem me videre, & auxilio meo frui, non tamen fient voti sui compotes.* Flacius: *Cupietis videre, hoc est, frui vel brevi tempore tàm commodis rebus, & tàm bono statu, ut factum est præsente me &c.* Conf. v. 23. & Matth. 24: 21, 23. *Diem suam* etiam vocat Christus adventum suum in carnem, expleto tempore factum. Joh. 8: 56. *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum, & vidit atque gavisus est.* Vidit, nimirum peculiari apparitione. D. Franzius de interpret. Script. orac. 47. *Nemo dubitet, Abrahamo oblatam & exhibitam in divina visione fortissima fuisse personam & faciem Jesu Christi, prout natus fuit, ex virgine gentis Abrahamitica, crevit, ministerio miraculorum defungi cœpit, à passione exaltatus fuit ad dextram Patris, & in ultimo die omnes excitaturus, & in altera vita coronaturus.* Idem Christi exhibiti tempus vocatur Mal. 4: 5. *dies Domini magna*, וְהַנּוֹרָא *& terribilis*: vel, ut alii reddunt, *honorabilis ac verenda*, sicut eodem epitheto Jacobus locum ornat, in quo manifestatio cœlestis sibi facta erat, Gen. 28: 17. ubi confer annotat. Luth. Germanicam. *Terribilis* vero eadem dies, seu Messiæ manifestatio fuit, *tùm* Diabolis, quorum regnum virtute ejus destructum, Johan 12: 31. 1 Johan 3. ℣ 8. *tùm* impiis & rebellibus Christi hostibus, confer Mal. 3: 2. Matth. 2: 3.

HORA. Marc. 14: 34. *Oravit* (Christus) *ut si possibile esset, transiret à se hora illa*, hoc est, passio amarissima, tùm temporis eum opprimens Joh. 12: 27. *Pater, serva me ex hac hora*, hoc est, ex hac anxietate, quam tempore passionis sustinebo. Dixerat Christus de passione & morte suâ, cujus mentione, ut verus homo, contremiscebat, & magnâ consternatione corripiebatur.

FINIS seu *novissimum* (tempus) אַחֲרִית pro præmio seu mercede, quæ in fine laboris dari solet, Prov. 23: 18. c. 24: 14. 20. Jer. 29: 11. Sic τὸ τέλος, 1 Pet. 1: 9. quod Syrus vertit, פּוּרְעָנָא *præmium, retributio*. Est autem merces hæc, quæ à DEO datur, non debita, sed gratuita. Convenit cum hoc vox metaphorica עֵקֶב *calcaneum* (ultima animalis pars) quæ ejusdem significati est, ut infrà dicetur.

FESTUM, pro hostia, quæ die festâ immolatur. Exod. 23: 18. *Non pernoctabit adeps* חַגִּי *festi mei usque ad mane*, hoc est, agni mei sacrificialis, seu sacrificii festi mei, ut Junius & Tremellius reddunt. Ita etiam Chaldæus: נִכְסַת חַגָּא *sacrificium festi.* De integro versu ita D. Brentius: *Sensus est, non sacrifices sacrificium pascha, nisi priùs expurgaveris ab habitationibus tuis omne fermentum, nec reserves de illo sacrificio adipem usque ad manè.* *Eadem lex exstat Exod. 12. & 18. Deut. 16. Hoc autem loco repetitur lex illa ceremonialis, inter judiciales, seu forenses, ut significetur, non solùm Sacerdotum, sed etiam magistratus civilis in Republ. Christiana interesse, ut has ceremonias etiam publicâ pœnâ tueatur.* Esa. 29: 1. חַגִּים *festa excidant*, hoc est, sacrificia festorum mactent vel jugulent. Loquitur in hoc textu Propheta de ultimo urbis Hierosolymitanæ excidio, per Romanos illato: Et his primis verbis tempus futuræ illius calamitatis tacitè innuit, quod festum paschatos fuit. *Adjicite annum*, inquit, *ad annum, agni jugulentur.* q. d. Quamvis singulis annis mactetis agnos, & festa celebretis, nihilo tamen minus malum imminens non evades, non enim delector victimis tuis, extremâ cum rebellione, infidelitate, contumacia & impietate oblatis &c. Malach. 2: 3. *Et dispergam stercus super vultus vestros, stercus* חַגֵּיכֶם *festorum vestrorum*, hoc est, sacrificiorum festivalium. Aliàs festis ipsis cum κόπρῳ, fimo & stercore nihil commercii; [a] Ps. 118: 27. eandem significationem ponunt Judæi & alii: *Ligate* חַג *festum funibus; usque ad cornua altaris*, hoc est sacrificium festi. Tarnovius: *Per totum templi atrium confertim mactanda animalia sistite, eaque, ne fugâ salutem sibi quærant, alligate, per atrium, inquam, quia populo ulterius transire, & in sanctum cum Sacerdotibus se penetrare nefas est.* Buchananus in paraph. Poet. *Lætitia celebrata diem, fœtusque bidentis Tellus ara vinctus astet cornibus.* Lutherus hic alium sensum amplectitur, & vocem חַג propriè pro *festo* accipit: עֲבֹתִים verò pro *frondibus* (utrumque enim, & *frondes* & *funes*, vox ea significat) Schmücket das Fest mit Meyen / biss an die Hörner des Altars. Cujus versionis suæ, in præfatione Psalterii quâdam, rationem his inter alia verbis reddit: Weil denn solches ein Jüdischer irriger Sinn ist (חַג pro *agno* accepto) und wir wissen / dass dieser Psalm von Christo und seinem Reich singet / und die Wort dieses Vers / aus Art der Sprachen / diesen Sin geben / bindet das Fest mit Meyen / haben wirs deutlich also gemacht / Schmücket das Fest mit Meyen mei-

[a] De loco Ps. 118: 27. ligate festum funibus &c.

(welches ist die geistliche Laubrüst oder Lauberhütten-Fest / welches Fürbilde war der Jüden Laubrüst) biß an die Hörner des Altars. Mit dem Altar zeiget er an / daß es solte eine geistliche Laubrüst seyn / da ein Altar bey seyn muste. Bey der Jüden Laubrüst muste kein Altar seyn / sondern allein zu Jerusalem. Und ist die Meinung / daß zur Zeit Christi alle Fest ein täglich Fest seyn sollen / darinn man frölich im Glauben predige / und damit Gott Danckopffer thue / das heist hie biß an den Altar das Fest mit Meyen schmücken / frölich seyn im Wort und Glauben und also Gott loben und preisen / in Christo / welcher unser Altar ist. Confer tom. 5. Jenens. fol. 69. b. Lutheri interpretationem exactè sequitur Schindlerus in lexico p. 523..

PASCHA, pro agno, qui mactabatur & comedebatur eo festo, in memoriam liberationis ex Ægypto Exod. 12: 21. *Et mactate Pascha*, hoc est, agnum paschalem, 2 Par. 30: 17. *Super mactatione* הַפְּסָחִים *paschatum*, hoc est, agnorum paschalium. Marc. 14: 12. *Primo die azymorum, cum pascha mactarent, dicunt illi discipuli sui: Ubi vis, ut abeamus & paremus, & edas pascha*. Sic ℣s. 14. Matth. 26: 17, 18, 19. Luc. 22: 8, 11, 13, 15.

ÆSTAS, קַיִץ, pro æstivis fructibus. Es. 16: 9. Jer 40: 10. Amos 8: 1. Quandoque etiam per synecdochen, ficus æstivos notat, collectivè. 2 Sam. 16: 2. *Et centum* קַיִץ *æstivas*, Chaldæus: *Libras caricarum &c.*

MESSIS, pro frugibus, quæ tempore Messis colliguntur. Exod. 23: 10. Deut. 24: 19. Esa. 16: 9. Joel 3: 18. קָצִיר *messis*, etiam messorem significat, Es. 17: 5.

## IV. *Opinio hominum pro ipsa re ponitur.*

Rei denominatio & descriptio quandoque fit ab externo adjuncto opinionis hominum. Alii ita: In sacris literis res sæpè nominatur & describitur, uti est φαινομένως καὶ κατὰ δόξαν, non κατὰ τὸ εἶναι καὶ ἀλήθειαν; seu, qualis hominibus videtur esse, non qualis est in sua natura. Fit hoc, tùm in simplicibus vocibus & quidem vel *nominibus*, vel *verbis*: tùm in conjuncta phrasi:

IN NOMINIBUS. 1 Sam. 28: 14, 15, 16, 20. Spectrum Diabolicum vocatur *Samuel*, qui eum se falsò venditabat, & is à dementatis hominibus esse putabatur. Es. 49: 24. *An captiva turba justi eripietur?* hoc est, tyranni, qui videtur sibi in rebus gestis suis justus. Ita quidam. Vide, quæ de hoc loco Philol. sacræ l. 1. p. 66. dicta sunt. Jer. 28: 1, 5, 10. Chanania, adversarius Jeremiæ, dicitur נָבִיא *Propheta*, non quòd verè esset, sed quòd pro tali vulgò haberetur. Ezech. 21: 3. *Exscindam ex te justum & impium*. Sic v. 4 Ubi *justi* dicuntur, qui exteriore formâ justitiæ, quâ homines justi censentur coram hominibus, pollent; quamvis in judicio DEI (qui formam justitiæ interioris veram petit respicitque) injusti sint. Matth. 8: 12. Judæi impii dicuntur *filii regni* (DEI) quia videbantur tales esse. cap. 9: 13. *justi* à Christo vocantur, qui justos se esse opinabantur, seu persuasione propriæ justitiæ turgidi erant, Luc. 18: 9. Rom. 10: 2, 3. &c. Luc. 2: 48. Josephus dicitur *pater Jesu* (& idem ℣s. 41. inter γονεῖς *parentes* ejus refertur) quia scilicet talis esse ab hominibus putabatur, ut cap. 3: 23. expressè habetur. Confer Joh. 6. ℣s. 42. &c. 1 Cor. 1. ℣s: 21: *Placuit DEO per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*. Euangelii de Christo prædicationem vocat *stultitiam*, uti & ℣s. 25. quia sapientibus hujus mundi & rationi humanæ talis videtur, ut ℣s. 18. innuitur: docens nimirum salutem in crucifixo, vitam in mortuo, gloriam in ignominiosè sublato, quærere, v. 23. &c. 2 Cor. 4: 4. Diabolus vocatur *DEUS hujus seculi*, quia talem se venditat, Matth. 4: 9. Luc. 4: 6, 7. & quia pro DEO ab idololatris habetur & colitur, in idolis videlicet. D. Chemnitius loco de creatione, p 119. *Vocatur DEUS seculi, sicut canis DEUS Ægypti, quia loco DEI colebatur: Et quorum DEUS venter est*, Phil. 3: 19. &c. Galat. 1: 6. *Miror, vos ita citò transferri in aliud Evangelium*. Ita doctrinam Pseudo-apostolorum vocat, quia Euangelium verum perfectumque putabatur esse. Unde ℣s. 7. statim additur correctio, *Quod non est aliud* (quæ doctrina falsa non est aliud Euangelium, seu alia doctrina à Christo tradita, uti ipsi existimant) *sed sunt quidam, qui turbant vos, & volunt invertere Euangelium Christi*. Tit. 1: 12. Epimenides dicitur Cretensium *Propheta*, quia pro tali fuit ab ipsis habitus, ita ut post mortem etiam, teste Laërtio, sacrificatum ipsi fuerit. Jac. 2: 14, 17, 20. 24, 26. externa possessio Christianismi vocatur *fides*, quia talis habetur ab hominum vulgo. Judæ Epist. v. 12. νεφέλαι seu *nubes aquam non habentes* memorantur, quæ nimirum populariter nubes habentur, cùm potiùs ὁμίχλαι, nebulæ sint, ἄνυδροι illæ & ἄγονοι. Ibidem ℣s. 13. *Stellæ erraticæ* dicuntur, quæ vulgò tales videntur. Aristot. lib. 1. meteorol. ἀςέρες διαι-

*διαθέοντες*, hoc est, *stellæ discurrentes* dictæ quæ reverà stellæ non sunt, sed aeris sicci inflammationes in longum ductæ, cadentibus stellis persimiles &c. Hùc appellationem שֵׁן, *dentis*, referunt quidam, cum pro a *ebore* accipitur (Chaldæo: שְׁנָא דְפִיל *dens elephanti* dicitur) 1 Reg. 10. ℣s. 18. c. 22. ℣s. 39. Amos 3. ℣s. 1. cap. 6. ℣s. 4. Cant. 5. ℣s. 14. Ex India & Æthiopia id afferebatur, & ex opinione vulgi, ad quam se Scriptura accomodat, dens esse putatur. Sed Varro de lingua Lat. lib. 3. *Quos dentes multi dicunt, cornua sunt. Ex temporibus enim enascuntur; & ex superiori mandibula per os resupinata sese efferunt. Et decimo quoque anno ea elephanti abjiciunt & defodiunt, sicut cervi quotannis, & quoties amiserint, reponunt.* Testis etiam est experientia, quòd ebur igne dometur & emolliatur, ad quaslibet recipiendas formas, quod denti animalis non convenit. Vide Schindleri lex. col. 1901. Notetur Ezech. 27. v. 15. vocari קַרְנוֹת שֵׁן *cornua eboris*, hoc est, cornua elephanti, denti similia. De ebore vide etiam quædam, in Grammat. sacra, p. 137.

a De ebore

IN VERBIS. Matth. 14. ℣s. 9. *Et contristatus est Rex*, hoc est, visus fuit exteriùs, ac si contristatus esset: dolorem aliquem simulavit; ℣s. 5. clarè dicitur, eum voluisse Johannem occidere, sed metuisse populum, præclarè de Johanne sentientem. Ex composito igitur & simulatè factum, quod hìc narratur &c. Marc. 6:48. *Volebat* (JESUS) *præterire eos*, hoc est, videbatur velle præterire, seu, talis fuit ejus species & corporis motus, ac si præterire vellet. Joh. 3. ℣s. 30. *Illum* (Christum) *oportet crescere, me verò imminui*, inquit Johannes Baptista. *Crescere: imminui:* nimirum apud homines, & in eorum opinione, qui nimis magnificè de Johanne hactenus senserant, Christum verò contrà vilipenderant. Alioqui pro rei ipsius natura loquendo, Baptista non imminutus fuit ex Christi incrementis, sed omne potiùs incrementum suum, ex solius ejus plenitudine hausit. Actor. 27. ℣s. 27. *Circa medium noctis suspicati sunt nautæ, προσάγειν appropinquare sibi aliquam regionem.* Loquitur ita ob externam speciem, qui navigantibus litora moveri, & loca remotiora accedere videntur. Sic Virg. 3. Æneid. *Provehimur portu, terræque urbesque recedunt.* Alia exempla videri possunt in Grammat. sacra pag. 282. seqq.

IN VOCIBUS CONNEXIS & tota phrasi. Ps. 72. ℣s. 9. *Inimici ejus pulverem lingent*, hoc est, ita proni se in terram prosternent, ut videri possint pulverem terræ lingere. Descriptio reverentiæ & subjectionis. Sic Es. 49. ℣s. 23. & Mich. 7. ℣s. 17 &c. Es. 13. ℣s. 5. *Venient ex terra longinqua, ab extremitate cœlorum.* A vulgi opinione hæc phrasis desumta est, qui judicium oculorum secutus putat, cœlum non esse sphæricum, sed hemisphæricum, & in extremis terræ finibus deficere, quibus inniti videtur cœlorum extremitas. Extremitas igitur cœli ponitur pro extremitate terræ, seu locis longinquis. Eadem phrasis occurrit Deut. 4. ℣s. 32. cap. 30. v. 4. Nehem. 1. v. 9. Matth. 24. v. 31. &c. Datam expositionem confirmare videtur, quòd montes dicuntur *fundamenta cœlorum*, 2 Sam. 22. v. 8. quia videtur à longinquo cœlum quasi iis incumbere: Et *columnæ cœli*, Job. 26. v. 11. quia ipsis cœlum incumbere videtur, ut columnis. Vatablus in Neh. 1. v. 9. *Finitor sive horizon nostri hemisphærii videtur contingere eam regionem, quam terminat &c.* Perinde etiam *cœli ingentes fornices* vetus Poeta dixit, ex eadem vulgi sententia, hemisphærium tantùm in cœlo agnoscentis: quâ voce de cœlo Buchananus etiam usus est, Ps. 19. v. 1. Et Horatius lib. 1. Od. 12. Lunam majorem facit sideribus, eamque alibi *siderum reginam* vocat: quia vulgò ita existimatur, cùm longè aliud Mathematici doceant. Eâdem hac ratione, deque opinione propriâ intelligenda sunt, quæ de Rege Tyriorum dicuntur Ezech. 28: 3, 4, 5, 14. &c.

## *V. Occupatum pro Objecto suo ponitur.*

SENSUS, pro ejus objecto, seu pro re, quæ sensu percipitur. Ut *Auditus*, pro doctrina vel sermone. Es. 28. vers. 9. *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet* שְׁמוּעָה *auditum*, hoc est, doctrinam seu verbum. Es. 53. vers. 1. *Quis credit auditui nostro*, hoc est, sermoni. Sic ἀκοή, Joh. 12. vers. 38. Rom. 10. vers. 16. Gal. 3: 2, 5. *Auditus*, pro rumore vel fama. Ps. 112. vers. 7. Es. 28. v. 19. Ezech. 7. v. 26. Obad. vers. 1. Hab. 3. vers. 2. Sic ἀκοή, Matth. 4. v. 24. c. 14. v. 1. c. 24. v. 6. Marc. 1. v. 28. c. 13. v. 7. &c. Eodem tropo עַיִן *Oculus*, pro colore, qui oculis videtur & visus objectum est, sumitur, Num. 11. v. 7. Lev. 13. v. 55. Prov. 23. v. 31. Ez. 1. v. 4. cap. 8: 2. c. 10. v. 9. Et עֵינַיִם *duo oculi*, pro bivio, in quo oculis hûc illuc prospiciendi occasio datur, Gen. 38: 14, 21. Quidam ut nomen proprium accipiunt. Alii duos fontes exponunt.

AFFECTUS, & quæ ei analoga sunt, pro objecto ejus. *Fides*, pro doctrina fidei, quæ

quæ fide accipitur crediturque. Act. 6: 7. Gal. 1. v. 23. Ephes. 4: 5. 1 Tim. 4: 1. Tit. 1: 13. Jud. vers. 3. Apoc. 2: 13. Huc pertinet, quòd *fides* pro ratione circumstantiæ temporis, evidentissimam Christi exhibiti in N. Test. prædicationem, seu, quod idem est, Evangelicam doctrinam clarè prædicatam, ac fide accipiendam, notat. Gal. 3: 23, 25. Vide Exegesin textuum Evang. & Epist. part. 1. p. 833.

SPES, pro DEO, in quo speratur, & à quo omne bonum exspectatur, Psal. 71: 5. *Tu es* תִּקְוָתִי *spes mea*, hoc est, in quo spero: spei meæ fulcrum & petra fortis. Jer. 14: 8. מִקְוֵה *Spes vel exspectatio Israël est Salvator ejus in tempore afflictionis*, hoc est, in quo sperat Israël. Sic Ps. 65: 6. Jer. 17: 7, 13. &c. Et pro Messia seu Christo, in specie. Actor. 28: 20. *Propter spem Israëlis, catenâ hac circumdatus sum*, hoc est, propter Messiam ab Israele speratum ac desideratum: Vel, quod eòdem redit, propter bona à Messia sperata. Confer cap. 36. v. 6, 7, 8. &c. Sic Col. 1: 27. 1 Tim. 1: 1. Christus *spes nostra* dicitur &c. Et pro hominibus, à quibus bona sperantur, seu in quibus confiditur. Esa. 20: 3. *Ab Æthiopia*, מַבָּטָם *aspectus* seu *fiducia eorum*, hoc est, ἐφ᾽ οἷς ἦσαν πεποιθότες, in quibus (Æthiopibus) fuerant confisi, ut Græci Interpretes reddunt. Sic v. 6. Item *Spes*, pro re sperata. Prov. 13: 12. *Spes, quæ protrahitur, infirmitas cordis est: at lignum vitæ est desiderium veniens*, hoc est, res sperata & desiderata. Rom. 8. vers. 24. *Spes, si videatur, non est spes*, hoc est, res sperata. Confer sequentia verba. Gal. 5: 5. *Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ exspectamus*, hoc est, vitam æternam, justis ex fide promissam. Sic Tit. 2: 13.

DILECTIO SEU AMOR, pro persona vel re adamatâ, Jer. 2: 33. *Qui bonam prædicans viam tuam, quærendo* אַהֲבָה *dilectionem*, hoc est, id, quod diligis. Jer. 12: 7. *Dedi* יְדִדוּת *dilectionem animæ meæ, in manum inimicorum ejus*, hoc est, populum dilectum coram me, ut Chaldæus vertit. Hos. 9: 10. *Et facti sunt abominationes*, כְּאָהֳבָם *sicut amor eorum*, hoc est, sicut idola, quæ ipsi amant.

DESIDERIUM, pro persona vel re desideratâ ac adamatâ. Ezech. 24: 16. *Ecce ego tollo à te* מַחְמַד *desiderium oculorum tuorum*, hoc est, uxorem desideratam ac impensè dilectam tibi, ut v. 18. explicatio habetur. Ibid. v. 21. *Ecce ego polluo sanctuarium meum, altitudinem fortitudinis vestræ*, מַחְמַד *desiderium oculorum vestrorum*, hoc est, id, quod desiderant oculi vestri, seu quod amatis & in deliciis habetis. Sic v. 25. Oculis enim adscribitur, quod animi est, σημαντικῶς, perinde ut *concupiscentia oculorum* ponitur 1 Joh. 2: 16. Confer Gramm. sacr. p. 296 Ex his lucem aliquam accipit, quòd a Hag. 2: 8. Christus dicitur חֶמְדַּת *desiderium omnium gentium*. Sensus enim est, quòd sit ille, quem summè desideraturæ & amore complexuræ & in eo speraturæ sint gentes, videlicet per vocem Euangelii ad regnum Christi conversæ & fideles factæ (quibus & ipsis nomen *gentium* tribuitur, ut ex Rom. 11: 13. & aliis locis patet.) Conf. Gen. 49: 10. Esa. 11: 10. Mich. 4: 1, 2. *Desiderii* autem vocem, pro amoris affectu quandoque accipi, & *desideratum* esse idem, ac amatum, inque precio habitum (per metonymiam effectus pro causa, cùm amor desiderium gignat, quod enim amamus, id etiam desideramus) præter paulò ante adductum locum ex Ezechiele, ex his etiam patet locis: Gen. 27: 15. Ps. 19: 11. (confer Ps. 119: 127.) Prov. 21: 20. Cant. 5: 16. Es. 1: 29. c. 32: 12. c. 44: 9. Jer. 3: 19. Thren. 1: 7, 10. c. 2: 4. Dan. 9: 23. c. 10: 11, 19. Hos. 9: 16. Amos. 5: 11. Zach. 7: 14 &c.

a Hag. 2: 8. Desiderium gentium.

TIMOR, pro DEO, qui timetur, Gen. 31: 42. פַּחַד *timor Isaaci*, hoc est, DEUS, quem timuit coluitque Isaac. Sic v. 53. Junius & Tremellius hac appellatione alludi putant ad pavorem illum, quo quasi freno DEUS cohibuit Isaacum, ne collatam in Jacobum benedictionem revocaret. cap. 27: 35. &c. Es. 8: 13. *Ipse sit timor vester, & ipse sit pavor vester*, hoc est, timeatur à vobis. Item *Timor*, pro malo, quod timetur. Psal. 53: 6. *Ibi expavescunt pavore, ubi non est pavor*, hoc est, nihil mali seu periculi, quod pavoris objectum & simul causa est. Prov. 1: 26. *Cùm venit timor vester*, hoc est, id, quod timetis, seu expavescitis. Sic v. 17. ubi explicatio subjungitur, & cap. 3: 25. &c. 2 Cor. 5: 11. *Scientes τὸν Φόβον, timorem Domini*, hoc est, terribile Domini judicium, v. 10.

ACTIO, pro objecto ejus. Gen. 43: 10. *Accipite* מִזִּמְרַת *de prædicatione terræ in vasis vestris*, hoc est, de rebus prædicatione dignis & præstantibus. Chald. *De eo, quod laudatur in terra.* Lutherus: Von des Landes besten Früchten. Exod. 15: 2. *Fortitudo mea* וְזִמְרָת *& laus DEUS est*, hoc est, DEUS ille, quem laudo, seu carminis & prædicationis meæ unicum argumentum & scopus. Idem Ps. 118: 14. habetur, ubi explicatio v. 15, 16. subjungitur. Perinde ut & Jer. 17. v. 14. תְּהִלָּתִי *laudem suam* vocat Propheta Dominum, hoc est, laudis & celebrationis, ob bonitatem summam, objectum &c. Deut. 28: 8. *Et in omni missione manus tuæ*, hoc est, in omnibus, ad quæ manus emit-

emittis, vel admoves, operandi videlicet causâ, in omnibus operibus tuis. Sic & cap. 12:7. &c. 1 Sam. 1:27. *Et dedit Dominus mihi petitionem meam*, hoc est, rem, quam ab ipso petii. Sic Job. 6. v. 8. *Utinam veniat petitio mea, & expectationem meam det DEUS*, hoc est, res petita: rem exspectatam. 2 Thess. 1. v. 11. *Oramus semper pro vobis, ut vos dignos habeat istâ vocatione Deus noster*, hoc est, gloriâ æternâ regni cœlestis, ad quod vocati estis. Hebr. 11. v. 13. *Cùm non accepissent τὰς ἐπαγγελίας, promissiones, sed procul eas vidissent &c.* hoc est, bona promissa. Sic Act. 1. v. 4. *Promissio Patris*, hoc est, Spiritus sanctus à Patre promissus &c.

a Matt. 23: 2. In Mosis Cathedrâ sedent &c.

## *VI. Signum pro signato ponitur.*

IN NOMINIBUS Gen. 49. ℣s. 10. *Non recedet* שֵׁבֶט *sceptrum de Juda*, hoc est, regia autoritas. Chaldæus: עָבֵד שׁוּלְטָן *faciens potestatem*. Sic Es. 14. ℣s. 5. Zach. 10. 11. &c. Pari ratione & *Thronus* accipitur, Ps. 89. ℣s. 5. & *cidaris* seu *diadema*, Psal. 89. ℣s. 40. Ez. 21:26. &c. Num. 18:8. *Ex omnibus rebus sanctis filiorum Israël tibi dedi eas* לְמָשְׁחָה *propter unctionem*, hoc est, Sacerdotium, quod unctione in te & filios tuos collatum est. 1 Reg. cap. 19:10. *Altaria tua destruxerunt*, hoc est, cultum divinum, cujus signum solent altaria esse: propriè enim altaria DEI erant tantùm Hierosolymis. Psalm. 23:4. *Virga tua & pedum tuum, ipsa consolentur me*, hoc est, studium tuum & amor tuus erga me. Virga enim & pedum curæ & studii pastoritii signum sunt. Estque simul ἀνθρωποπάθεια, quâ DEUS ut Pastor proponitur, & pastoritia ei tribuuntur. Ps. 140. ℣s. 8. *Protexisti caput meum in die* נֶשֶׁק *armorum*, hoc est, pugnæ vel adversitatum hostilium, quarum signa & instrumenta arma sunt. Ps. 44. ℣s. 7. *Non in arcu meo spero, & gladius meus non servabit me*, hoc est, militaris scientia, fortitudo. Harum enim signa & exercendarum instrumenta sunt arcus & gladius. His verò opponitur divina fortitudo & bonitas, ℣s. 8. *Sed Tu* (Domine) *servas nos ab hostibus nostris &c.* (Ita & aliàs *Gladius* pro bello aut vi hostili accipitur, Ex. 18. ℣s. 10. Es. 1. ℣s. 10. c. 2. v. 4. 2 Sam. 12. 10. Thren. 5. 9. Ezech. 21: 3,4,9. &c. in quo etiam metonymia causæ organicæ statui potest, ut suprà dictum.) Psal. 144:11. *Quorum os loquitur mendacium, & dextra falsitatis*, hoc est, Juramentum eorum est juramentum falsum. Quæ *dextra* significatio, notante Schindlero, apud Arabes crebra est. Matth. 10: 34. *Non veni mittere pacem, sed gladium*, hoc est, dis-

b Rom. 3. 30. Circumcisio.

ceptationes, quarum signum quoddam gladius est. Vide Grammat. sacr. pag. 298. &c. [a] Matth. 23. v. 2. *in Mosis cathedra sedent Scribæ & Pharisæi. Cathedra* metonymicè denotat *tùm* potestatem docendi: *tùm* judicandi & regendi populum, cujus utriusque ea symbolùm est. Eademque duo *Mosis* addito nomine exprimuntur, qui & docendi & imperandi potestate à DEO instructus erat: quique utriusque normam & amussim (scripta videlicet sua, secundùm quæ in Synagoga docendum, & in politia judicandum solummodò erat) populo Judæorum reliquerat. *Sedendi* quoque verbum ad notationem utriusque pertinet, sedebant enim ut plurimùm docentes in publico, Matth. 26:55. Luc. 4. v. 20. Joh. 8. v. 2. Act. 22. v. 3. Sedebant etiam in cathedra sive tribunali judices, Exod. 18. v. 13. Jud. 5. v. 10. Matth. 27. v. 19. Unde *sedere* pro *regnare & judicare* usurpatur, Ps. 29. v. 10. Ps. 110: 1. (confer 1 Cor. 15: 25.) 2 Thess. 2: 4. Quatenus igitur *in Mosis cathedra*, Sacerdotes, Scribæ & Pharisæi *sedebant*, hoc est, suum & docendi munus, & populi regimen, ad normam legis divinæ per Mosen traditæ, conformabant, eatenus audiendos, ipsisque obsequendum esse, Christus vers. 3. præcipit. Aliàs verò *à fermento ipsorum*, hoc est, doctrina falsa, & traditionibus confictis, *cavere* jubet Matth. 16: 6. 12. Hæc enim non *ad cathedram Mosis* spectabant, sed ad מוֹשַׁב לֵצִים *cathedram irrisorum*, seu, ut Hieron. vertit, *pestilentiæ*, Ps. 1: 1. & ad כִּסֵּא הַוּוֹת *cathedram seu thronum perversitatum*, Ps. 94: 20. &c. [b] Rom. 3: 30. cap. 15: 8. Col. 3: 11. Judæi dicuntur *Circumcisio*: quia hæc signum eorum erat, quibus ab aliis gentibus distinguebantur. Luther. in enarrat. Epist. & Evang. f. 19. *Morem hunc per signa res denominandi & alia lingua habent. Germani dicunt suâ linguâ*: Der Schleyer und die Zöpffe richten viel Unglücks an / *hoc est, pepla ac plicatura pilorum multa concitant infortunia: significantes per ea, quæ peculiaria sunt mulieribus, ipsas mulieres. Et de Monachis: Vide, quid non audeat cucullа? De Sacrificiis: Ut est avara rasura. Ita equites calcarium & stapedum nomina subinde significant. Ad eundem modum & Paulus Judæos à signo circumcisionem vocat, ut & gentes præputium, Gal. 2: 7, 8. Eph. 2: 11. &c.* Gentes contrà ad differentiam Judæorum, ἀκροβυστία *præputium*, dicuntur, Rom. 2: 26, 27. c. 3: 30. Gal. 2: 7. Eph. 2: 11. Col. 3: 11. hoc est, ἀκροβυστίαν ἔχοντες, Act. 11: 3. quia hoc quasi signo à gente Judaica distinguebantur.

IN VERBIS ABSCONDERE quandoque *protegere* & in tuto locare; quandoque

doque etiam *abire ab aliquo* significat. Utriusque signum est absconsio. *Prioris* exempla sunt Job. 5:21. Ps. 27. v. 5. Psal. 31:21. Psal. 64:3. &c. ubi ἀνθρωποπάθεια, dum de DEO sermo est, simul occurrit. *Posterioris* exemplum est Gen. 31:49. *Cùm absconditi fuerimus vir à socio suo*, hoc est, cùm alter ab altero discesserimus. Deut. 22. v. 1. *Non abscondes te ab illo*, hoc est, non abscedes ab illo, sine reductionis præstito officio. Sic Es. 58. v. 7. DORMIRE, pro *securum esse*, cum evidens securitatis signum sit, placidus somnus, Ps. 3. v. 6. Ps. 4. v. 9. EFFLARE, הפיח pro *contemnere*, & ut rem levem despicere, id quod flatu oris levi denotari solet, Ps. 10:5. Ps. 12:6. Es. 42:22. OSCULARI, pro *amare*, *obedire*, *obsequi*, se humiliter subjicere: horum signum quippe antiquitùs osculum erat, Gen. 41. v. 40. 1 Reg. 19. v. 18. Psal. 2. v. 12. Hûc referunt aliqui, ἀσπάζεσθαι, *osculo salutare*, pro amore, vel fide & spe complecti. Matth. 5. v. 47. Hebr. 11. v. 13. &c. RIDERE, pro *lætari*, cujus signum risus est, Job. 8. v. 21. Ps. 126. v. 2. Gen. 21. v. 6. Luc. 6. v. 21, 25. Et pro *securum esse*, Job 5. v. 22. SEDERE, pro *docere*, *præesse*, Matth. 23:2. quod antè etiam adductum. STARE, pro *ministrare*, Ezech. 8. v. 11. Zach. 3:1. ministri enim signum est, stare. Confer Deut. 10. v. 8. UNGERE, pro *Regem aut Dominum constituere*, Jud. 9. v. 8. Quia Regum inaugurationis ritus ac symbolum olim unctio erat, ut ex aliquot locis V. T. patet.

IN PHRASI CONJUNCTA. *Aperire & claudere, nemine resistente*, hoc est, plenam ac liberam administrationis potestatem habere, Es. 22:22. *Collo præfracto loqui*, hoc est, superbè DEO obsistere, eumque blasphemare, Psal. 75:6. collum enim extentum elati animi indicium est. *Dentium munditiem dare* DEUS dicitur, hoc est, famem immittere, Amos 4:6. Inter comedendum enim plerumque aliquid cibi adhæret dentibus, aut intra dentes. Ubi ergò nulla talis immundities reperitur, signum est non sumti cibi, & porrò defectus alimenti. *Oculos attollere*, pro colere & implorare, Psal. 121:1. Psal. 123:1. Ezech. 18:6. quem enim veneramur colimusque, in eum attentè suspicimus. *Caput elevare*, hoc est, animum erigere, animosum esse, gaudere, Jud. 8:28. Ps. 83:2. Luc. 21:28. &c. *Faciem elevare* ad aliquem, hoc est, revereri & magnifacere, Deut. 28:50. Et propitium esse. Num. 6:26. &c. Utriusque signum faciei levatio est. *Faciem albescere alicui*, hoc est, ipsum erubescere & metuere: hujus enim signum est pallor faciei, cùm sanguis ad cor refugit à partibus exterioribus, ob metum & pudorem. Esa. 29:22. *Non nunc pudefiet Jacob, nec nunc facies ejus albescent*. *Faciem obtegere*, hoc est, condemnare. Job 9.24. *Terra datur in manum impii: faciem judicum ejus obtegit*, hoc est, bonos etiam, impius ille magistratus seu tyrannus condemnat & opprimit, à quibus ipse condemnandus fuisset. Condemnationis signum fuisse faciei opertionem, ex Est. 7:8. patet. *Frontem meretricis habere*, hoc est, impudentem & pervicacem esse, Jerem. 3:3. Ut enim pudoris & verecundiæ signum in fronte & facie apparet, ita & impudentiæ & pervicaciæ. *Genua incurvare* seu flectere, pro subjici, & cultum divinum exhibere, Esa. 45:23. Philip. 2:10. Eph. 3:14. Hujus enim signum genuflexio est. *MANUS dare*, quandoque subjectionem voluntariam, utpote ejus σημασία, significat, 1 Paral. 29:24. 1 Paral. 30:8. Quandoque supplicationem mendicam & opis implorationem, Thren. 5:6. Quandoque amicitiæ & fœderis pactionem. Jerem. 50:15. *Junxit* (Babylon) *manum suam*, hoc est, confœderata est cum hoste Medorum & Persarum, videlicet Crœso Lydorum Rege, testante Herodoto lib. 1. Quæ, inter alia, causa fuit, quòd Medi & Persæ Babylonis infensissimi fuêre hostes. Vide Junium & Tremellium. Alii cum Chaldæo simpliciter de deditione hostibus factâ explicant. De fœderali pactione usurpatur etiam phrasis ea Ezech. 17:18. *Positio manus*, Levit. 6:2. vel consociationem cum altero initam (qui ritus etiam Gal. 2:9. innuitur) vel quamvis procurationem & administrationem rerum proximi denotat. *Manum plaudere*, pro spondere, Job 17:3. *Manus super caput esse*, pro dolore, calamitatibus & tristitiâ obrutum esse, Jer. 2:37. id enim signum hujus est, ut ex 2 Sam. 13:19. patet. *Manum super os ponere*, pro tacere, non habere quod respondeatur, Job. 40:33. Mich. 7:16. &c. *Super manus aquam fundere*, pro ministrare, 2 Reg 3:11. ut Chaldæus vertit. &c. *Manum implere*, pro consecrare ad officium sanctum, Exod. 28:41. c. 29:9. c. 32:29. Num. 3:23. Jud. 17. 1. Signum enim & ritus quidam σημαντικὸς consecrationis olim erat, traditio certarum partium de sacrificiis in manus. *Manum elevare*, hoc est, jurare, Exod. 6:8. Ps. 106:26. & aliàs sæpè. Jurantes enim manus versus cœlum elevabant. Virg. 12. Æneid. *Deinde Latinus suspiciens cœlum, tenditque ad sidera dextram: Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera juro*. Per ellipsin vocis manus, *elevare* ejusdem significati est, Esa 3:7. &c. *Exelevare manus*, hoc est, orare, Ps. 28:2. Psal. 68:32. Psal. 141:2. 1 Tim. 2:8. Et benedicere, Psa. 134:2.

134: 2. Manuum enim levatione, benedictio olim fiebat. Et indicare seu notificare, Es. 49: 22. PEDES TEGERE, hoc est, alvum purgare, Jud. 3: 24. 1 Sam. 24: 4. R. Joschajah in h. l. *Ita dicitur, quia sedens ad meatus suos*, (ad alvum evacuandam) *obtegit pedes suos vestibus suis*. Chaldæus habet phrasin, *facere necessitatem suam*: quâ Germani utuntur.

Hûc pertinent & sequentia. Exod. 24. ℣s. 11. *Quamvis intuiti essent DEUM, comederunt & biberunt*, hoc est, vivi & incolumes manserunt, id quod his vitæ actionibus, ut signis certis, Moses exprimit. Simile huic est Gen. 16. ℣s. 13. *Nonne etiam jam video post videntem me*, hoc est, lucem hanc adspicio & vivo, cujus signum certum & effectus, visus est. Miratur Hagar, se post DEI visionem vivere: quia à conspectu DEI, aut Angeli, mortem sequi putabant, ut ex c. 32: 30. Jud. 13: 22. patet &c. Ps. 2: 3. *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis funes eorum*, hoc est, amoveamus servitutem permolestam nobis, quæ vinculis & funibus ut certis signis, denotatur. Ita nimirum sapit mundus, cujus verba μιμητικῶς recensentur, servitium DEI & Messiæ ejus detrectantis. Ps. 46: 10. *Arcum confringit* (DEUS) *& truncat hastam, currus comburit igni*, hoc est, bella aufert domatque, quibus hæc signa truculenta competunt. Psa. 58: 11. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam: pedes suos lavabit in sanguine impii*, hoc est, securus erit, & recreabitur ab omni molestia, in interitu impii. Recreationis & refocillationis signum mediumque, pedum ablutio erat, in calidis istis regionibus, ubi fessorum pedes lavari, refocillationis gratià, solebant. *Sanguis* autem pro occisione seu interitu usurpari planum est. Psal. 69: 12. *Et statuo vestimentum meum saccum*, hoc est, ad dolorem & luctum me compono. Hujus enim signum erat sacci seu cilicii induitio. Confer Job 16: 15. Psa. 35: 13. Joël 1: 13. Amos 8: 10. &c. Quo sensu etiam *calvitium* usurpatur, Jer. 47: 5. c. 48: 36. cujus inductio gentilibus erat signum doloris & luctus. Esa. 2: 4. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces*, hoc est, pax futura est constantissima, cujus signum omnium certissimum est, conversio armorum in instrumenta rustica atque œconomica, quorum usus tempore pacis viget. (De militaribus armis in rustica translatis Martialis l. 14. Epigr. 34 cujus titulus: *falx ex ense. Pax me certa Ducis placidos conflavit in usus; Agricolæ nunc sum, militis antè fui.*) Quia verò de pace spirituali tempore Messiæ loquitur Propheta, igitur simul allegoria metaphorica hîc est. Contrarium huic est Joël 3: 10. *Tundite ligones vestros in gladios, & falces vestras in spicula*. Quæ belli Symbola sunt. Virg. 1 Georg. *Non ullus aratro Dignus honor, squalent abductis arva Colonis; Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem*. Ovid. 1 Fastorum: *Sarcula cessabant, versique in pila ligones; Factaque de rastri pondere cassis erat*. Esa. 49: 23. *Vultu in terram demisso incurvabunt se tibi*, hoc est, honorem tibi & reverentiam exhibebunt, nimirum propter Christum caput tuum, qui in te habitat: De Ecclesia enim Novi Testamenti sermo est. Confer Psa. 72: 9. &c. Jer. 31: 19. *Postquam ostensum est mibi* (peccatum meum) *percussi super femur*, hoc est, dolore in animo affectus fui. Doloris enim index femorum percussio erat. Homer. Iliad. π. *At Achilles* μηρὼ πληξάμενος, *femoribus percussis, Patroclum allocutus est*. Odyss. v. *Miserum se exclamavit, & femora sua percussit manibus pronis*. Thren. 2: 10. *Sedent humi, conticescunt seniores filiæ Zionis, imponunt pulverem capiti suo, accingunt se ciliciis, demittunt in terram caput suum virgines Jerusalem*. Signis his luctus insignis describitur. Jon. 4: 11. *Qui nesciunt inter dextram suam & sinistram suam*. hoc est, qui ætate non pervenerunt ad annos discretionis. Signum atque effectus rationis & judicii deesse dicitur, & deesse ipsum judicium, ac rationis usum, ejusque convenientem ætatem, significatur.

IN TOTO SERMONE. Referenda hûc illa Scripturæ sacræ consuetudo, quâ in jussionibus, vel promissis, talia ponuntur, quæ homines facere consueverunt, & non nisi signa eorum sunt, quæ sermone eo intenduntur intelliguntur que. 2 Reg. 4: 29. à Propheta Elisæo injungitur Gechazi famulo; uti & à Christo discipulis Luc. 10: 4. *ut neminem in via salutent*. Quâ phrasi hoc intelligitur, ut celeriter & nulla prorsus interjectâ morâ illud ipsum obeant, ad quod mittebantur. Hoc enim summæ festinationis inter homines signum est, si adeò ad scopum itinere obtinendum sint intenti, ut nullius obviantis ratione habitâ, sine salutatione & colloquio prætercurrant. Alioqui comitas & humanæ salutationes inter Christiana quoque officia numerantur. August. serm. 206. de tempore, tom. 10. col. 1049. *Pro celeritate hoc est dictum, non pro aliqua superflua & sacrilega observatione præceptum, ac si diceret: Ita velociter ambula, ut nullis fabulis in via occupari aut retardari præsumas*. Jer. 9: 17. *Sic ait Dominus exercituum: Animadvertite, & vocate lamentatrices, ut adveniant, & ad præficas mittite, ut adveniant*. ℣s. 18. *Et festi-*

*festinent, & assumant de nobis lamentum &c.* Non probat Dominus simulatum præficarum in funeribus planctum, sed adductâ consuetudine agendi vulgatâ, de instantium calamitatum acerbitate populum admonet. Videatur etiam Amos 5:16. &c. Jer. 10:18. *Recipe de terra mercem tuam, quæ habitas in munitione hac*, hoc est, consarcinate & convasate vestra preciosa, v. 9 ut exportetis hinc. Sensus est: Non permanendum ibi, sed in captivitatem abducendos Judæos esse, ut c. 18, 19, 20. explicatio divini judicii apertè subjungitur. Solent enim, qui loco munito diffidunt, & ab expugnatione hostili metuunt, preciosa sua inde ad alia loca secura exportare. Subest autem huic sermoni DEI *ironia*, q. d. minimè poteritis quicquam, ad liberandos vos & vestra, efficere. Similis locus est Jer. 46:19. &c. Ezech. 39:9, 10. *armorum abolitio* συναθρόισμῳ verborum prædicitur, & non nisi stabilitas victoriæ illius promissæ, & pacis ex victoria orituræ, ostenditur. Convenit cum Es. 2:4. quod antè adductum &c. Matth. 24:20. *Orate, ne fuga vestra fiat hyeme, vel Sabbatho.* Jubentur discipuli ob gravitatem & atrocitatem periculi, in obsidione Hierosolymitana, ea facere, quæ Judæorum erant; qui scilicet putabant, non licere Sabbatho ultra mille passus majores (vel bis mille minores) conficere; ac proinde orare debebant, ne Sabbatho fugere sibi incumberet necessitas: quippe cùm consuetum Sabbathi iter non sit sufficiens futurum ad fugam tùm temporis necessariam, sed longiùs omninò fugiendum sit, si quis Romanorum manus velit effugere. Signo igitur hoc atrocitas pœnarum indicatur. Luc. 22:36. *Dixit ergò eis* (Christus discipulis) *sed nunc, qui habet sacculum, tollat, similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam & emat gladium.* Significatur his verbis, quietæ & commodæ illi vivendi rationi, quâ in schola Christi hactenus usi fuerant Apostoli, mox successuram gravissimam persecutionem, eâ ipsâ nocte inchoandam, mox adfuturos hostes cum gladiis & fustibus, adeò ut si humanis præsidiis quis niti velit, & more usitato sibi suisque rebus consulere, non possit rectiùs agere, quàm si venditis omnibus, adeoque ipsa etiam tunicâ, gladium sibi comparet, quo violentiæ hostium obsistat. Ex signo igitur intelligendum datur signatum. Non requirit Christus, ut Apostoli gladios emant, iisque se defendant, sed gladii necessitate, symbolicè, imminentis ab hostibus periculi gravitatem insinuat. Ita Theophylactus & Euthymius. In hunc locum Apostoli hæc Christi verba propriè accipiebant, unde in gloriationem de duobus gladiis prorumpunt, ℣. 38. Sed Christus, voce suâ, sermonem abrumpit, *satis est* inquiens, ac discipulorum absurditatem modestè refrenat; q. d. satis est verborum de his: video vos non assequi, quid mihi velim parabolico meo sermone: ideò sufficit hæc monuisse: ipsa experientia, & prædictionis hujus meæ complementum, expositionem vobis suppeditabit, quando paulò post militaris hostium caterva irruet, ad quam repellendam nec centum gladii sufficerent. Hæc ex Harmonia Euangelica Magnifici Dn. D. Gerhardi desumta, parte 3. p. 289. seqq. Breviter D. Brentius in Lucam Homil. 33. *Non hoc vult Christus, ut Apostoli defendant ipsum gladio, sed hac formâ loquendi exponit magnitudinem periculorum, quæ imminent. Nam adversus hostes gladius & bellum parari solent &c.* 2 Cor. 7:3. *Jam antè dixi vobis, quòd in cordibus nostris estis ad commoriendum & convivendum.* Erasmus in annotation. *Id erat apud veteres amicitiæ genus, ut amico fortè exstincto, amicus ultrò sibi mortem consisceret: quod amicitiæ genus significat Horatius sibi fuisse cum Mecœnate. Unde dicti* συναποθνήσκοντες. *Non quòd Paulus hujusmodi quippiam sentiat, quale legimus olim fuisse apud Ethnicos, verùm hoc modo arctissimam amicitiam voluit indicare.* Hæc ille. Erant ejusmodi amici, testante Beza, quos Galli vocabant *Soldurios*; Cæsar *devotos* interpretatur, l. 3. de bello Gall. Talis etiam erat apud Thebanos ἱερὸς λόχος, cujus meminit Plutarchus in Pelopida. Hoc igitur, ex mala consuetudine enatum, amicitiæ firmissimæ signum, ponit Apostolus, ut ardentissimum suum amorem indicet.

## *VII. Nomen pro ipsa persona vel re ponitur.*

NOMEN DEI, pro ipso DEO. Deut. 28:58. *Ad timendum nomen gloriosum & tremendum illud* (nempe) *Dominum DEUM tuum.* Ubi explicatio statim additur. Psal. 20:2. *Protegat te nomen DEI Jacob*, hoc est, DEUS Jacob. Sic Psal. 115:1. Esa. 30:27. Mich. 5:4. & aliàs sæpius &c. Johan. 3:18. *Nomen unigeniti Filii DEI*, hoc est, ipse Filius. Sic c. 17:6. Actor. 3:16. c. 10:43. 1 Joh. 2:12. &c. Flacius parte 1. Clav. script. col. 723. *Cur tam crebrò ponatur nomen pro ipso Deo, dicunt Theologi hanc esse rationem, quia nos non simpliciter aut absolutè agnoscimus vel colimus Deum, sed tantùm eatenus, quatenus se in verbo ac Sacramentis suis patefecit, ad eaque tùm se, tùm & cultores suos alligavit. Sic ergò additâ voce nominis ad* DEUM *aut* JE-

SUM, *indicari*, *nobis esse negotium cum* DEO *sic patefacto*, *illum nos celebrare*, *& ab eo omnem opem petere ac exspectare*. In specie, nomina DEI, *Schaddai*, *& Jehova*, pro ipso DEO, quatenus attributis, his nominibus expressis, denotatur, Exod. 6. ỷs. 3. sumuntur, ut in Grammatica sacra p. 674. videre est.

NOMEN, pro homine. Actor. 1: 15. *Erat autem turba quasi centum viginti nominum*, hoc est, hominum. Sic Apocal. 3. ỷs. 4. cap. 11: 13. Erasmus eam hujus locutionis causam esse dicit, quia cùm homines recensentur, nomina eorum recitari solent. Sic Virgil. 6. Æneid. *Silvius Albanum nomen*, Albanus homo. Et apud Æschylum τὸ Θηβαῖον ὄνομα, pro Thebanis. Tale & illud est: *Vive tibi & nomina magna fuge*, hoc est, magnos & præpotentes. In Livio hoc loquendi genus crebrum esse, à Vechnero lib. 2. hellenolexias, adductis exemplis declaratur. Hûc referri potest, cùm *nomen* pro filio & posteritate sumitur. Deuter. 25 ỷs. 7. 1 Sam. 24: 22. 2 Sam. 12: 7. quia nimirum posteri majorum nomine vel cognomine vocantur.

NOMEN, pro re ipsa. Actor. 4: 12. *Non est nomen aliud sub cælo datum hominibus &c.* hoc est, nulla omninò res, nullum medium salutis aliud dari potest. Eph. 1: 21. *Et omne nomen, quod nominatur &c.* hoc est, omne id, quod existit in rerum naturâ. Sic Phil. 2. v. 9: ubi *nomen* pro dignitate & eminentiâ ponitur &c. Potest hûc etiam referri, quod in Grammat. sacra pag. 876. de nomine proprio pro re ipsa posito, adducitur.

---

# CAPUT V.

## *DE*

# IRONIA.

IRonia est tropus, quo contrarium pro contrario (oppositum pro opposito: ita enim *contrarii* vox hîc accipienda) ponitur; seu, cùm ex re nominata res huic contraria intelligitur. Vox εἰρωνεία propriè dissimulationem & elusionem, seu cavillationem significat. Rectiùs igitur hic tropus *antiphrasis* appellaretur. Retineamus sanè unam appellationem usu in scholis receptam, cum quædam hûc pertinentia, non sine illusione & exprobratione pronunciata esse, in Scripturis legantur. Distingui ita potest, quod sit 1 vocum per se consideratarum, quæ, antiphrasis ut vocetur, usus obtinuit (Rabbinis הֶפֶךְ) 2. Vocum in oratione certâ positarum, & cum illusione vel exprobratione quâdam pronunciatarum, quæ *Ironia* vulgò dicitur: cujus species quædam *sarcasmus* est, quæ ironia est acerbior, calamitate oppressis insultans.

## *Antiphrasis vocum per se considerataram.*

1. Vox una eademque contrariam significationem obtinet. בָּרַךְ & *benedicere* significat, Gen. 12: 3. cap. 24: 35. 2 Sam. 8: 10. Ps. 34: 2. atque aliàs multoties: Et *maledicere*, per antiphrasin (vel, ut quidam ajunt, per εὐφημισμὸν, quam figuram esse volunt, quâ res odiosæ & ingratæ, boni ominis causâ, gratis, iisque contrariis vocibus efferuntur.) 1 Reg. 21: 10. *Testificabuntur contra eum, dicendo:* בֵּרַכְתָּ *benedixisti DEO & Regi*, hoc est, maledixisti, ut Pagninus reddit. Chald. נַזֵּפְתָּ *blasphemâsti coram Domino, & Regem* לַטֵּיתָא *execratus es*. Sic. ỷs. 13. ubi executio hujus impii Izebelis mandati describitur. Job. 1: 3. *Fortassis peccaverunt filii mei*, וּבֵרְכוּ *& benedixerunt* (Pagnin. maledixerunt) *DEO in cordibus suis*, Chaldæus: אַרְגִּיזוּ *irritaverunt*, vel ad iram commoverunt. Vatablus in h. l. *Veteres adeò abhorrebant à blasphemia, ut ne nominare quidem auderent*. cap. 1: 11. & cap. 2: 5. *Si non in faciem tuam* יְבָרְכֶךָּ *benedixerit tibi*. Pagnin, maledixerit. Chald. יַרְגְּזִנָּךְ *irritabit te*. Eodem modo explicant verba uxoris [a] Jobi, cap. 2. ỷs. 9. *Adhuc retines perfectionem tuam?* בָּרֵךְ *benedic DEO, & morere*. Pagninus; maledic. Lutherus tom. 1. Jen. Lat. fol. 480. *Sensus est: manifestum est, quòd non sit DEUS, qui sic te derelinquit. Cur ergò in illum confidis, ac non potiùs negato, & sic maledicto eo mortalem te agnoscis, cui post hanc vitam nihil reliquum sit? Hæc & similia & unicuique sua suggerit uxor, hoc est, sensualitas, in tentatione: quia sensus non capit, quæ*

[a] De uxoris Jobi verbis.

בּרך.

*qua DEI sunt*. Alii, cùm verisimile illis non videatur, hanc in tam pia domo matrem familias, tam impudente sermone apud maritum fuisse usam, meliori sententiâ verba ejus interpretantur: Nempe, quòd perperam judicans hujus vitæ miserias, præsertim tam atroces & insuetas, non aliunde, quàm à DEO irato proficisci, tùm & Jobum afflictissimum jam morti proximum arbitrata; id ei consilii suggesserit, quod reis convictis, & mortis pœnam mox luituris, dari consuevit, nimirum, ut ab integritatis imaginatione propriâ desistens, vitæ malæ actæ ingenuâ apud DEUM confessione & detestatione (hoc enim est *DEO benedicere*, id est, DEO gloriam, agnito peccato, tribuere, Jos. 7:19.) iram ejus deprecatus, sese ad mortem subeundam compararet &c. Cui interpretationi favet Jobi responsum ℣. 10. dum *stultam* vocans (voce oppositâ sapienti & circumspectæ: non per se malum erat, quod suadebat, sed in applicatione ad maritum pientissimum graviter peccaverat) his eam excipit verbis: *Etiam bonum suscepe-rimus à DEO, & malum non suscipiemus?* q. d. adhærentibus DEO eique confisis, non in favente solùm fortunâ (quam DEUS gratiosè largitur) sed novercante etiam, cùm & hæc à DEO fit, in fidei & patientiæ explorationem immissa, firmiter in pietate persistendum, & ad utrumque animus obfirmandus est &c. Chaldæus, qui antiphrasticam verbi Hebræi significationem aliàs explicat, hoc loco *benedicendi* verbum retinet: בָּרֵךְ *benedic verbo Jehova, & morere*. Vide de hoc loco Sixt. Amamam in Antibarbaro Biblico lib. 3. p. 655. seqq. *a* הָיָה in Niphal & *fieri* seu *effici* significat, Proverb. 13:9. & contrariâ significatione, confici, & quasi *defieri*. Dan. 2: 1. *Et somnus ejus* נִהְיְתָה *confectus fuit ipsi*, hoc est, interruptus, excussus, Dan. 8:27. *Et ego Daniel* נִהְיֵיתִי *confectus fui*. Pagninus: Contritus fui. Sequitur: וְנֶחֱלֵיתִי *& ægrotavi*, seu dolore affectus fui. *b* הָלַל *splendere* significat, Job. 29: 3. cap. 31: 26. Es. 13:10. &c. itemque in Piel *laudare*, celebrare, celebrem reddere. Ps. 117:1. Es. 64:11. &c. Et per antiphrasin *inglorium, indecorum, insanum esse*, Psal. 75:5. Job. 12:17. Es. 44:25. &c. *c* חֶסֶד & *benignitatem*, misericordiam, gratitudinem &c. significat. Deut. 5:10. Jud. 8:35. 2 Sam. 9:1. Ps. 141: 5. &c. (unde חָסִיד adjectivum, quod & *passivè* pro eo accipitur, qui à DEO misericordiam consecutus est, Græcè κεχαριτωμένος, Psal. 4: 4. Psal. 16:10. Ps. 86:2. Confer ℣. 13. Et *activè* pro eo, qui pium se & beneficum exhibet, Psal. 12:2. Jer. 3:12. Mich. 7. ℣. 2. qui אִישׁ חֶסֶד *vir misericordiæ*, Prov. 11:17. dicitur.) Et per antiphrasin, *immisericordiam*, crudelitatem, ingratitudinem, opprobrium, nefarium scelus. Lev. 20. ℣. 17. חֶסֶד *impietas seu scelus est*. Chald. קְלָנָא *ignominia, opprobrium*. Prov. 14: 34. *Justitia exaltat gentem,* וְחֶסֶד *sed ignominia erit populis peccatum*: Ita Pagninus. Alienè Arias Montanus: *Et misericordia populorum peccatum*. Prov. 28. ℣. 22. *Festinans ad ditescendum, vir mali oculi est, & non cognoscit, quod* חֶסֶד *opprobrium veniet ei*. Ita quædam exemplaria Biblica legunt: at alia חֶסֶר habent, hoc est, *defectus*, ut Pagninus & Arias vertunt. Quæ lectio & à Chaldæo, & à Masora comprobatur, ut & ab autore Concordantiarum Forstero prior lectio, cum Daleth, magis arridet, & ad hæc verba respexisse Paulum, 1 Tim. 6: 9. existimat, dum avarorum pericula describit. In Chaldæa & Syriacâ linguâ, eadem & nominis, & verbi חַסֵּד (*exprobravit, probro affecit*) est significatio: unde in Hebræo etiam Prov. 25: 10. *Ne* יְחַסֶּדְךָ *probris afficiat te audiens, & infamia tua non revertatur &c.* *d* יָרַשׁ & *hæreditare*, possidere, occupare, significat, Genes. 15: 3. Deuter. 2: 24, 31. 1 Reg. 21:15. Esa. 14:21. &c. Et per antiphrasin, *hæreditate aut possessione ejicere*, exterminare, extrudere. Tùm in *Kal*. Deut 2:21, 22. Jud. 14:15. Tùm in *Hiphil*, Jos. 8:7. cap. 23:5. Convenit hæc significatio ferè cum cognato verbo רוּשׁ, *pauperem fieri*, indigere. Unde ירשׁ in *Niphal*, idem notat, Gen. 45:11. Prov. 30: 9. & in *Hiphil*, 1 Sam. 2: 7. &c. *e* כֶּסֶל & *inconstantiam*, levitatem, stultitiam significat Psal. 85:9 Prov. 9: 13. Eccl. 7: 26. Et per antiphrasin, *constantiam*, confidentiam, spem, Job. 31: 24. Psal. 78: 7. Prov. 3:26. In spe & fiduciâ, extra DEUM in re quacunque positâ, utraque significatio occurrit, Juxta Germanorum illud: Hoffen und harren macht manchen zum Narren. Et quod Job. 8:13, 14. dicitur: *Spes impii peribit; succidetur* כִּסְלוֹ *spes ejus* (quæ summa stultitia est) *& domus aranea fiducia ejus*. *f* מֵלִיץ (participiale nomen, à לוּץ *irrisit*) & *derisorem* sive cavillatorem notat, ex vi significationis verbi Job. 15:20. & per antiphrasin *consultorem*, advocatum, interpretem, Gen. 42: 23. 2 Par. 32:31. Es. 43:27. *g* נכר & *notum esse* significat, *& ignotum sive extraneum esse*, ut ex concordantiis & lexicis videre est. *h* נֶפֶשׁ & *animam* significat, Gen. 1. ℣. 30. &c. (uti & synecdochicè ipsam personam, Genes. 2: ℣. 7. cap. 17. ℣. 14. Ps. 11: 1. & generaliùs corpus animatum, seu animal, Genes. 1: 24. &c.) Et per antiphrasin *Corpus exanime*, sive animâ caſ-

d. ירש.

e. כסל.

ירה. e.

b. הלל.

f. מליץ.

e. חסד.

g. נכר.

h. נפש.

cassum. Levit. 19: 28. *Et incisionem* לְנֶפֶשׁ *super animam, non dubitis in carne vestra.* Chaldæus: על־מית *propter mortuum.* Sic c. 21: 1: c. 22: 4. Num. 6: 11. c. 5: 2. Hag. 2: 14. ubi *contaminatus anima*, est tactu mortui corporis seu cadaveris pollutus. Lev. 21: 11. & Num. 6: 6. nomen מֵת *mortuus*, adjicitur: *anima mortui*, hoc est, corpus mortui exanime. Sir. 16: 31. eodem sensu usurpatur ψυχή: *Animam omnis animalis abscondit facies ejus* (terræ) Ita & Virgilius Æneid. 3. *animamque sepulcro condimus.* Ad hanc significationem referunt & hæc: Ps. 16: 10. *Non relinques animam meam in sepulcro*, hoc est, corpus meum. Confer Act. 2: 27. seqq. Alii tamen aliter judicant &c. Hos. 9: 4. *Sacrificia eorum ut cibus lugentium* (futura essent) *eis, quicunque comederent ipsum, polluerent se: nam cibus eorum* לְנַפְשָׁם *pro anima ipsorum, non venit in domum Jehovæ*, h. e. pro mortuo ipsorum. Junius & Tremellius: *Explicatio est similitudinis: q. d. quemadmodum ex lege nefas est, sacrificium pro mortuo, aut cibum ullum inferri in domum DEI, quia sacrificia latè fuerunt celebranda, ex lege Deut. 12. ita etiam ἀναλόγως ingrata futura essent istorum hominum sacrificia &c.* [a] ערוה. [a] עֶרְוָה & *nuditatem* significat, Gen. 42: 12. Et per antiphrasin *verenda, pudenda*, quæ nunquam nuda, sed tecta esse debent, pudoris gratiâ, Gen. 9: 22. Ex. 28: 42. Lev. 18: 6. & in hoc capite multoties. Metaphora à pudendis dicta, etiam rem fœdam, turpem, & probrosam denotat. Deut. 23: 14. c. 24: 1. 1 Sam. 20: 30. Esræ 4: 14. Es. 47: 3. &c. [b] קדש. [b] קָדַשׁ & *sanctificari* significat, Ex. 29: 37, 43. &c. Et per antiphrasin *contaminari.* Qui enim contingebat aliquid sacrarum rerum, quas ei tangere non licebat, sanctificari dicebatur, id est, reverâ contaminari, & coram DEO immundus esse. Ex. 29: 37. *Omnis, qui attigerit altare;* יִקְדָּשׁ *sanctificabitur.* Lev. 6: 18, 27. *Omnis, qui attigerit illas carnes sanctificabitur*, hoc est, si quis, cui non licet, attigerit, fiet immundus. Unde additur: *Quod aspersum fuerit sanguine ejus, lavabis in loco sancto.* Conf. ℣. 28. &c. Deut. 22: 9. *Non seras vineam tuam diversis generibus rerum, ne fortè* תִּקְדַּשׁ *sanctificetur plenitudo, semen, quod seminaveris, & proventus vineæ*, hoc est, ne contaminetur. Chaldæus. *Ne* תסתאב *polluatur.* Sensus est, ne, ut immundæ, pereant tibi fruges, enatæ è diversis seminibus, & cum illis fructus vineæ. Quia Palæstina calida erat, semper aliquid seminabatur in intervallis, quæ sunt inter vites, ut triticum, aut siligo, vel avena, aut hordeum, Vatablus. Es. 65: 5. *Qui dicunt, secede à te, ne appropinques mihi, quia* קְדַשְׁתִּיךָ *sanctificabo te*, hoc est, cùm sis indignus, qui me sanctissimum attingas, contaminaberis, ac DEUM offendes, me attingendo. Ita Flacius in clave script. part. 1. col. 1079. Alii tamen (quia קָדַשׁ in Kal. non nisi neutraliter seu passivè aliàs significat) per ellipsin particulæ hoc explicant: ut sit pro קָדַשְׁתִּי מִמְּךָ *mundus sum præ te*, uti & Chaldæus reddit. Hagg. 2: 13. eandem *contaminandi* significationem in קדש statuunt R. Salomo, & Kimchi, unà cum Chaldæo &c. Placet hic Flacii verba d. l. adscribere, quæ exemplis (quibus *sanctificare*, κατ' ἀντίφρασιν *contaminare* denotat) subjicit: *Exemplum luculentissimum* (inquit) *istius sanctificationis, aut opinionis ejus, licet cernere in Petro, qui viso miraculo amplissimæ capturæ piscium, exclamat ad Christum* (Luc. 5: 8.) *Discede à me, quia peccator sum. Verebatur enim, ne ob suam indignitatem, conversando cum Christo, sibi iram DEI accerseret, eoque cupivisset ipse aufugere à Christo, verùm quia non audebat se in mare projicere, Christum autem sciebat sine periculo per aquas ambulare posse, petit, ut ille à se recedat, atque ita se periculo illius sanctificationis aut reatus liberet. Ob talem cogitationem fortè etiam Gadareni petierunt à Christo, ut discederet à se* (Luc. 8: 37.) *adscriptum enim est, quod valdè timuerint. Et sic clamat mulier ad Elisæum* (ad Eliam, 1 Reg. 17: 18.) *venisti vir DEI ad me, ut mea peccata coram DEO in memoriam reducas, & interficiatur mihi filius. Sic David quoque metuit familiaritatem DEI* (2 Sam. 6: 9.) *eoque non mox vult adducere arcam in suam domum, sed apud Obed Edom eam relinquit.* Hæc ille. Dictæ significationi verbi קדש non absimile multùm est, quòd apud profanos autores ἅγος *sanctitatem* significat, pro scelere tamen & impuritate quandoque sumitur, teste Suidâ: sicut & ἀγής pro scelerato & sordido. Quod idem dicendum de ἐναγής: Et verbum καθαγίζειν, *consecrare* aut sanctificare notat; at pro polluere aliquando sumi, Hesychius docet &c. Sic in Latino sermone *sacrum* pro abominabili & exsecrando ponitur. Virgilius 1. Æneid. *Auri sacra fames &c.* [c] רפאים. [c] רְפָאִים & *gigantes* sanos ac robustos significat. Gen. 14: 5. Deut. 2: 11. Et per antiphrasin *mortuos*, qui nullo medicamine sanari possunt (a רָפָא sanavit) Ps. 88. ℣. 11. Es. 26. ℣. 14, 19. Prov. 21: 16. &c. [d] In N. Test. [d] In N. Test. εὐλογίας vox referri hûc ferè potest, quæ & virtutem significat, *beneficentiam* scilicet, benedictionem, laudem, donum gratuitum, Rom. 15: 29. 2 Cor. 9: 5, 6. Eph. 1: 3. Heb. 6: 7. Jac. 3: 10. Apoc. 5: 12, 13. c. 7: 12. &c. Et vitium *assentationem* nimirum, & hypocriticam laudationem, ad decipiendum factam, Rom. 16: 18.

Sic εὐτραπέλεια *festivitatem* seu urbanitatem Philosophis notans (Arist. 4. Eth. 8.) à Paulo contrariâ significatione usurpatur, pro scurrilitatis & inhonestæ dicacitatis, pio homine indignæ, vitio Eph. 5:4. Sicut vice versa ἀρέσκεια, *complacentia*, Col. 1:10. in bonam accipitur partem, cùm à profanis autoribus in vitio ponatur, & assentatoriam quandam affabilitatem denotet &c.

II. Vox eam significationem obtinet, cujus contraria significatio est in radice seu themate יָעַף a *defatigari*, Esa. 40:28, 29, 30, 31. At תּוֹעָפוֹת *fortitudines*, *robur eximium*, Num. 23:22. Job 22:25. Psal. 95:4. b קָדַשׁ *sanctum esse*. At קָדֵשׁ *meritorius puer*, *cinædus*. קְדֵשָׁה *prostibulum*, *meretrix*, Genes. 38:21. Deut. 23:17. Job 36:14. &c. Hûc referunt 1 Reg. 14:24. *Etiam* קָדֵשׁ *cinædus seu scortator erat in terra*. D. Franzius verò non ἀρσενοκοίτας, sed *idola* intelligi, probat, *tùm*, quia cum impiis sacris Ethnicis aliis conjunguntur, ℣s. 22:23. c. 15:11, 12. 2 Reg. 23:4, 5, 6, 7. *tum*, quia 2 Paral. 34. ubi de Josiæ actis repetitio habetur, nulla extat mentio cinædorum, sed mera commemorantur idola. *Cùm autem* (inquit) *vox* קָדֵשׁ *turpitudinem denotat*, *utique idola turpia & impudica illa fuerunt*, *Priapeja forsan*, *turpissima illa idola*, *ubi mentula suspensa honorabatur: quod etiam agnoscit Pererius in Gen. fol.* 570. *&c.* c שֹׁרֶשׁ *radix*, 2 Reg. 19:30. At שֵׁרֵשׁ *eradicavit*, Psal. 52:7. Hûc pertinent verba, quæ in diversis conjugationibus contrarias significationes obtinent. d בָּרָא *creavit*; In Piel בֵּרֵא *exscidit*, Jos. 17:15, 18. e תָּאַב *desideravit*, Ps. 119:40. In Piel תָּאַב *abominatus est*, Amos 6:8. f סָכַן *profuit*, Job 22:2. c. 15:3. &c. In Niphal נִסְכַּן *incommodum passus est*, Eccl. 10:9. (In derivatis ab hoc verbo iridem contraria est significatio. סֹכֵן *thesaurarius*, Esa. 22:15. מִסְכֵּן *inops*, *pauper*, *indignus*, q. d. qui de suo aliis non potest prodesse, Eccl. 4:13. Sic מִסְכֵּנוּת *penuria*, Deut. 8:9. מִסְכְּנוֹת *penuaria*, Exod. 1:11. ubi & in Hebræo & in Latino vocum paronomasia est.) g סָקַל *lapidibus obruit*, Exod. 17:4. c. 19:13. &c. In Piel סִקֵּל *elapidavit*, lapidibus purgavit. Esa. 5:2. c. 62:10. h חָטָא *peccavit*. In Piel חִטֵּא *à peccato expiavit & purgavit*, Lev. 6:26. c. 14:52. c. 9:15. &c. Cognosce hic obiter Christianam Cabbalam, & allusionem μυστηριώδη; & quidem, *tùm* misericordiæ divinæ μνημόσυνον. Quàm facilè transitur à prima conjugatione in secundam; tàm facilis transitus peccatori veram pœnitentiam agenti, à peccato ad DEI misericordiam, à peccatis mundantem, Ez. 33:11. *Tum* meriti Christi σύμβολον. Peccatorum expiatio, & mundatio ab illis, est in ipso peccato (ratione radicis seu originis) quærenda. At quomodo? In Christo, *qui pro nobis peccatum factum est*, 2 Cor. 5:21. per imputationem scilicet peccatorum totius mundi, ipso ut sacrificio vero propitiatorio factam; & pœnas, pro peccatis illis toleratas &c. Unde חטאה non *peccatum* solùm sed & *sacrificium pro peccato* significat, Exod. 30:10. Ezech. 45:23. &c. *Media radicis litera* characteristicam notam conjungationis *Piel* (quæ maximè *activa* est) *dages* videlicet, seu *punctum* literæ mediæ impressum, sustinet. Expiatio & remissio peccatorum in *media* SS. Trinitatis personâ, mediatore nostro Christo, unicè quærenda. 1 Tim. 2:5. & is *compunctus* in passione & morte suâ acerbissimè fuit. Es. 53:3, 5. quo ipso tamen efficacissimè *egit*, & perfecit nostram ex Diaboli & mortis potestate liberationem, Hebr. 2:14. &c. Hæc, etsi accurata non sunt, consideratione tamen piæ mentis nec indigna sunt: quæ dilectissimum sibi Salvatorem, ubicunque potest, vel in parva etiam voce literaque quærit, & in invento animitùs delectatur.

a יעף.

b קדש.

## *Ironia vocum in oratione certa positarum.*

IN SERMONE DEI ET CHRISTI. Dicitur vel jubetur quid, cujus contrarium est intelligendum, ut sensus literalis patescat. Gen. 3:22. *Et dixit Jehova Elohim: Ecce homo factus est, sicut unus ex nobis*, hoc est, haudquaquam nobis similis est, sed abominandum potiùs ob peccatum, coram nobis βδέλυγμα. Estque simul allusio ad verba Diaboli in serpente, ℣s. 5. q. d. longè aliter se res habet, quàm putavit homo futurum, deceptus à Diabolo in serpente, qui dixerat, *eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*. Nunc non est homo factus, sicut unus ex nobis, sed potiùs triste & horrendum factus est spectaculum. D. Gesnerus in h. l. *DEUS ejusmodi ironiâ & indignatione mendacium Diaboli & ambitionem Adami exsecratur, eique peccati turpitudinem probè inculcat, ut toto id vitæ tempore vitare discat.* Ambrosius de Elia & jejun. c. 4. *Irridens DEUS, non approbans, hæc dicit: Putabas te similem fore nostri? quia voluisti esse, quod non eras, desiisti esse, quod eras: Itaque dum supra te esse affectas, infra te esse cœpisti.* Deut. 32:37. *Et dicet* (Dominus) *ubi sunt Dii eorum? petra, in qua speraverunt?* ℣s. 38. *Quia adipem sacrificiorum eorum comedebant, bibebant vinum libaminis eorum: Surgant & auxilientur vobis, sic super vos protectio.* Ironicè & sar-

c שרש.

d ברא.

e תאב.

f סכן.

g סקל.

h חטא.

& sarcasticè hæc dicuntur, q. d. haudquaquam auxiliari poterunt. Jud. 10: 14. *Ite & inclamate Deos, quos elegistis, ipsi servent vos tempore angustiæ vestræ.* Graviter his verbis exprobrat Jehova Israelitis rebellibus, ac idololatris impietatem & cœcitatem, quòd tales Deos hactenus coluerint, à quibus ex malis suis eripi nec quicquam potuerint. Job. 38: 5. *Quis disposuit mensuras terræ? Quandoquidem scitus es &c.* Ironicè hoc profertur ad Jobum, q. d. minimè hoc scire potes, quâ ratione scil. Deus terram fundârit, & omnia creârit ex nihilo. ℣s. 20. *Cùm perceperis horum unumquodque usque ad terminum suum, & cùm intellexeris semitas domus ejus* (Lucis) ℣s. 21. *Noveris, te jam tùm nasciturum esse &c.* Ironica concessio hæc est, profecta à sponsione, quæ habetur ℣s. 3. *Interrogabo te, & notum facies mibi &c.* Esa. 17: 3. *Et cessabit munitio ab Ephraim, & regnum à Damasco, & residuo Syriæ, sicut gloria filiorum Israel erunt* Hieronymus in comment. *Gloriam per ironiam dictam accipe, pro ignominia.* Esa. 29: 1. *Addite annum ad annum, agnos jugulent.* Luther. tom. 3. fol. 356. in explicatione h. l. *Propheta ridet eos: agite, pergite fortiter sacrificantes. Fiet, ut unà cum sacrificiis vestris pereatis* Esa. 57: 12. *Ego indicabo justitiam tuam & facta tua, quæ non profutura sunt tibi.* Sunt verba Jehovæ ad impium populum, quem apostasiæ & facinorum gravissimorum reum peragit: *justitiam* igitur ejus vocat, per antiphrasin ironicam. Et ℣s. 13. ironicam etiam concessionem subjungit: *Cùm clamaveris, liberent te congregationes tuæ &c.* q. d. minimè poterunt te liberare copiæ illæ alienorum, quas tibi adjunxisti. Jer. 7: 21. *Sic dicit Dominus: Holocausta vestra superaddite victimis vestris, & comedite carnem.* Ironicè hoc mandatur, nam in sequentibus verbis sacrificia eorum hypocriticè oblata planè repudiat, & ad veram pietatem interiorem eos exhortatur. Jerem. 11: 15. *Quid dilecto meo in domo mea?* Lutherus: Was haben meine Freunde in meinem Hause zu schaffen? Annotatio marginalis: Freunde / gleich wie die Mutter im Zorn ihr Söhnlein Juncker heist / so heist er sie auch seine Freunde / die frommen Kindlein / die alle büberey treiben und Abgötterey / und sol doch wohl gethan seyn. In antecedenti & consequenti contextu gravissimorum scelerum & idololatriæ nefandæ arguuntur &c. Similis ironia est c. 12: 7. *Reliqui domum meam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectionem animæ meæ* (dilectam mihi, scilicet!) *in manum inimicorum ejus &c.* Jer. 22: 20. *Ascende Libanum, & clama, ac in Baschane ede vocem tuam: clama etiam trans vada, cùm fracti fuerint omnes amatores tui* Junius & Tremellius. Sarcasmus ad familiam Jehojakimi, quo ostendit Propheta, sive Libanum & Baschanem versus Assyrios inclamet, ut suppetias ferant, sive vada (Schichoris fluvii, paludis Sirbonidis & Nili) transmeet ad inclamandos Ægyptios, omnia fore inutilia; ut narratur 2 Reg 24: 7. &c. Jerem. 22: 23. *O quæ desides in Libano, quæ nidificas in ipsis cedris: quàm gratiosa eris, cùm venerint tibi dolores, tormentum tanquam parturientis!* Ironia, infaustum exitium comparans cum præsente gloria. Ezech. 20: 39. *Et vos, domus Israel, sic ait Dominus Jehova: Quisque idola sua agedum colite, etiam posteà; siquidem non auscultatis mibi &c.* Ironica abdicatio & repudium: quâ tacitè ad contrarium huic sermoni, verum scil. Dei cultum & pietatem, eos invitat. Ezech. 28: 3. *Ecce sapientiores Daniele, quicquam occultum non absconditur tibi.* Ironica hyperbole, quâ Regem Tyriorum Deus exagitat. Daniel eo tempore, propter dona eximia à DEO accepta, sapientissimus habebatur, & in proverbium abierat &c. Simul autem ad opinionem seu persuasionem Regis illius respicitur, quæ hac ironiâ retunditur. Amos 4: 4. *Venite Bethelem & prævaricamini, in Gilgal multiplicate prævaricationem, & afferte unoquoque manè sacrificia vestra, tertio quoque anno decimas vestras.* ℣s. 5. *Et adolendo de fermentato eucharisticum, etiam indicite sacrificia voluntaria, inclamate: quia sic amatis, filii Israel, dicit Dominus.* Ironica & sarcastica est adhortatio, quam diluit contraria planè conclusio ℣s. 12. Alludit simul ad legem Dei. Deut. 14: 28. de decimis; Lev. 7: 13. de oblatione super fermentato: quam Israelitæ in suo impuro cultu idolorum imitabantur &c. Nah. 3: 14. *Aquas obsidionis hauri tibi, firma munitiones tuas: ingredere in lutum, & calca argillam, refice fornacem laterariam.* Ironica ad hostes adhortatio: q. d. frustrà erunt, quæcunque ad munimentum tibi præstandum effeceris. Zach. 11: 14 *Magnificum precium, quo preciosè æstimatus sum ab illis.* Verba Christi ironica, de precio, quo tradendus per Judam erat. Matth. 26: 45. *Tunc venit* (Jesus) *ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite deinceps & requiescite: ecce appropinquavit hora, & Filius hominis traditur in manus peccatorum:* q. d. minimè nunc dormiendi tempus est, sed vigilandi: cæterùm, quia hactenus apud vos verba perdidi, jam vos hortari desinam: sed utcunque vobis per me dormire liceat, hoc tamen vobis hostes

non

non permittent, sed invitos cogent ad vigilandum. Chrysost. hom. 71. in Joh. ὀ χροστάττοντός ἐςιν, ὀδὲ συμβελεύοντος, ἀλλ' ὀνειδίζοντος. Matth. 26: 50. *Et dixit Jesus Judæ: Amice, ad quid venisti?* hoc est, ô inimice & hostis infensissime! Marc. 7: 9. *Et dicebat illis: Benè rejicitis præceptum Dei, ut constitutionem vestram servetis.* Lutherus: Wol fein habt ihr Gottes Gebot auffgehaben / *&c.* hoc est, pessimè facitis. Luc. 11: 41. *Veruntamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis,* q. d. minimè quod vos putatis, eleemosynis, sine fide vera datis, peccata expiabitis. Pharisæi, cùm intùs essent pleni rapinâ & scelere, putabant, si darent eleemosynam de eo, quod scelere rapuerant, omnia munda & pura esse, parùm soliciti de vita in melius mutandâ; Id ironiâ hac Salvator taxat. Apologia August. Conf. *Videtur Christus, vanam persuasionem Pharisæorum salsè taxare, qui cùm haberent animos cupiditatibus obnoxios, interim datis eleemosynis confidebant, se meros semideos esse.* Joh. 3: 10. *Tu es Magister Israelis, & hæc ignoras?* Habent hæc Christi ad Nicodemum verba εἰρωνείας speciem. Propriam sententiam ponit Paulus 1 Cor. 2: 7, 8. *Sapientiam Dei in mysterio absconditam nemo principum seculi hujus cognovit.* Joh. 7: 28. *Clamabat ergò in templo, docens Jesus & dicens: Et me nôstis, & unde sim nostis.* Ironicè ad verba Judæorum ℣. 27. respicit, q. d. nequaquam scitis, unde venerim, sicut vos dicitis: si enim verè hoc sciretis, utique etiam nossetis illum, à quo missus sum. Subjungit autem Christus: *Et à meipso non veni, sed est verax, qui misit me.* QUEM VOS NON NOVISTIS. Et Joh. 8: 14. diserte dicit: *Scio, unde veni, & quò vado: vos autem nescitis, unde venio & quo vado.*

IN SERMONE SANCTORUM. 1 Sam. 26: 15. *Et dixit David ad Abner: nunquid non vir es? & quis tibi similis est in Israel?* q. d. minimè ut virum te jammodo gessisti, sed ignavum & desidem, ut qui Regem non, ut debueras, custodivisti. 1 Reg. 18: 27. *Et illudebat eis Elias, & dicebat: Clamate voce magnâ, quandoquidem Deus est* (Baal vester,) *nam meditatio aut insectatio est ei, aut iter ei est: fortassis dormit ipse, & excitabitur.* Ironicus sermo hîc satis apertus & clarus est: q. d. Nec DEUS, nec vivens & operationibus deditus est Baal. 1 Reg. 22: 15. *Et dixit Micha ad Regem: Ascende & prosperare: scil. tradet Jehova in manus Regis.* Ironicè Micha Pseudoprophetas tangit. Minimè autem hoc futurum, innuit, quod pòst verbis apertis pronunciat. 2 Reg. 8: 10. *Vade dic ei: vivendo vives.* Ironicè impium Regem & populi Dei hostem ludit. Addit enim: *Sed ostendit mihi Dominus, quòd moriendo moriturus sit.* Confer Grammat. sacr. p. 350. &c. Job. 12: 2. *Et dixit Hiob: Verè* (scil.) *vos estis populus, & vobiscum morietur sapientia,* q. d. scil. vos verè homines estis, quibuscum ego comparatus sum vir vacuus, & quasi pullus onagri, c. 11: 12. scil. morituris vobis, non amplius superstes erit inter homines sapientia. Sarcasmus. Job. 26: 2. *Et respondens Hiob dixit: quàm adjuvisti destitutum virtute? servâsti brachium destitutum robore.* ℣. 3. *Quàm consuluisti insipienti? & quod res est, plurimum fecisti notum.* Confutatio ironica: q. d. egregia verò dicta, & salutaria, scilicet! maximè, cùm, ut vobis videmini, apud virum infirmum, abjectum & ignorantem agitis. Sensus est: hæc omnia nullius sunt momenti apud me ad judicandum, servandum, consulendum, aut edocendum me. Junius Psal. 60: 10. Contra me *Palæstina, jubila, vel clangentem age.* Junius: Apostrophe ironica, quâ exprobrat David antiquam Pelischtæorum insolentiam, qui contra Israelitas inde à temporibus Simsonis ferociverant. Eccl. 11: 9. *Lætare juvenis, in juventa tua, & hilare sit cor tuum diebus juventutis tuæ: & ambula in viis cordis tui, & in aspectu oculorum tuorum.* Concessio ironica ad juvenem fretum bonâ ætate sua, & in rebus hujus seculi exultantem: Cujus correctio, â consuetudine animi & sensuum prava ipsum revocans, statim subjungitur. Esa. 2: 10. *Ingredere in aliquam rupem, & absconde te in pulvere, propter pavorem Jehovæ, & propter decorem excellentiæ ejus.* Per sarcasmum Propheta exagitat superbum & præfidentem populum, consideratione certissimorum judiciorum DEI, q. d. effuge, si potes, manum Dei horrendam, aut terribilem conspectum ejus: sed non succedet, ut sequentibus verbis porrò ostendit. Esa. 8: 9. *Consociamini populi, & conterimini &c.* ℣. 10. *Inite consilium, & irritum fiet: loquimini verbum, & non exsistet, sed Immanuelis.* Apostrophe sarcastica, q. d. agite quidlibet, confirmate vos fœderibus, consiliis, armis, auxiliis: id tamen solùm efficietur, quod Immanueli nostro placebit, Esa. 21: 5. *Instrue mensam, speculetur speculator, comede, bibe: surgite Principes, ungite scutum.* Ironicè Babyloniorum securitas taxatur tempore obsidionis, quippe qui inter convivandum oppressi sunt, ut ex Dan. 5. constat. Jer. 8: 14. *Ac Jehova Deus noster quietos reddet nos, cùm dederit bibendum nobis succum cicutæ &c.* Ironica hæc Prophetæ responsio est, ad inanem Judæorum præfidentiam, quâ dixerant: *ingrediamur civitates munitas, ut quiescamus*

*ſcamus ibi.* At inquit Propheta, quieſcetis certè, verùm non ita, ut vos exiſtimatis; ſed conſilii omnis ablatione, cap. 4: 9. & violentâ occiſione, quod phraſi innuitur, *dare bibendum cicutæ ſuccum*, nimirum ſoporiferum & lethiferum. Ibidem ℣ſ. 15. קַוֵּה *expecta pacem, ſed nihil boni; tempus curationis, ſed ecce terror.* Ironica hæc eſt ad ſpem pacis hortatio, quam omnimodò inanem fore innuit. Jerem 46: 9: 11. ſarcaſmi ſunt, in Regem Ægypti & exercitum ejus, ob victorias ex victo Joſia inflatum. Uti & Jerem 51: 8, 11. in Babylonem. Thren. 4: 21. *Gaude & lætare, filia Edom, quæ habitas in terra Uz: etiam ad te tranſiturum eſt poculum &c.* Ironicâ gaudii denunciatione, judicium divinum hoſtibus eventurum prædicitur. Malach. 1: 9. *Nunc itaque deprecamini jam faciem Dei, & miſerebitur noſtri.* Conceſſio ironica ad eos, qui malè affecti animo, & reprobatis ſacrificiis inſtructi erant; q. d. agite, experimini cum malo veſtro, quid gratiæ à Deo impetraturi ſitis &c. 1 Cor. 4: 8. *Jam ſaturati eſtis, jam ditati eſtis, abſque nobis regnâſtis.* Ironicè faſtum Corinthiorum excipit, quod & Lutherus in nota marg. obſervavit. *Saturitatis & ditationis* voce, metaphoricè ſcientiæ ſalutis abundantia; *regni* vero voce, ſummus vigor & felicitas notatur. 2 Cor. 10: 12. *Non enim ſuſtinemus inſerere aut conſerre nos ipſos cum quibuſdam, qui ſeipſos commendant.* Loquitur ironicè Apoſtolus, Pſeudoapoſtolos perſtringens, qui de ſe tàm magnificè ſentiebant ac gloriabantur, ac ſi Paulus nullâ ex parte ipſis conferendus eſſet. 2 Cor. 11: 19. *Libenter ſuffertis inſipientes, cùm ſitis ſapientes.* Aretius: *Habet oratio grave ſcomma, q. d. magnorum Principum, quales vôs eſtis, oportet eſſe moriones, quos ferant veritatem dicentes.* 2 Cor. 12: 13. *Quid eſt, in quo fuiſtis inferiores cæteris Eccleſiis? niſi quòd ipſe ego non fuerim vobis oneroſus; Condonate mihi hanc injuriam.* Ironicè injuriam vocat, cùm planè nulla fuerit, ſed innocentiæ potiùs Pauli τεκμήριον: ironicè etiam deprecatur, cùm nihil tale opus fuerit &c.

AD IRONIAM præterea referuntur, 1. Quædam ſimulanter & πειραστικῶς, ſeu cum tentatione prolata. Gen. 19: 2. Angeli ad Lotum invitantem ajunt: *Nequaquam, ſed in platea pernoctabimus.* At miſſos fuiſſe à Deo, ut apud Lotum diverterent, & eum cum familia è Sodomitica conflagratione eruerent, tùm ex re ipſa & eventu patet, tùm ex manifeſtis Angelorum verbis, ℣ſ. 12, 13. Apud profanos hoc diſſimulandi & recuſandi genus, cui contraria voluntas ſubeſt, ἀκκισμὸς acciſmus vocatur. De quo vide Eraſmum adag. 2, 2, 99. &c. Gen. 22: 2. *Et dixit* (Deus ad [a] Abraham) *accipe nunc filium tuum, unicum tuum, quem diligis, Iſaac: & vade ad terram Morija, & offer eum ibi in holocauſtum &c.* Simulationem DEI tentatoriam hanc fuiſſe, ex ℣ſ. 1. & ipſo eventu conſtat. In bonum autem finem ea directa fuit, tùm reſpectu Dei, ut oſtenderet, ſe requirere ab homine obœdientiam, utut præcepta ſua noſtræ rationi abſurda videantur, atque ita plenarium in voluntatem ſuam reſignationem: tùm reſpectu Abrahami & filii Iſaaci, ut utriuſque fides, virtus & conſtantia in ſancto Dei obſequio innoteſceret: tùm reſpectu Meſſiæ, cujus paſſio, mors & reſurrectio, in hoc μυστηριώδει typo præfigurata eſt, ut alibi docetur latiùs. Matth. 15: 24. inquit Chriſtus ad [b] Chananæam mulierem: *Non ſum miſſus niſi ad oves perditas domus Iſrael.* Et ℣ſ. 26. *Non eſt boneſtum ſumere panem filiorum, & objicere catellis.* Tentationem & hîc fuiſſe, & explorationem fidei mulieris, ex eventu, & ex Chriſti elogio, quo mulierem exornat, patet. Diſcrepat igitur mens ab exteriori verbo. Ab ovibus eam exteriùs ſegregat, & eo ipſo occultè, ut tenellam ovem ſuam, fovet & confortat. Catellis eam exteriùs æquiparat, & eo ipſo in filiorum filiarumque menſam regiam collocat. Omnia in bonum & ſalutem tùm mulieri, tùm nobis omnibus (qui ex hoc Chriſti verbo & facto egregiè informamur, & ſuavi conſolatione perfundimur, in mora & dilatione auxilii divini, in cruce & calamitatibus) vergebant, uti & ipſum ſilentium Chriſti πειραστικὸν, de quo ℣ſ. 23. & de quo ita Chryſoſtomus homil. 44. in Gen. *Sciebat Dominus reconditam margaritam, quam latere nos nolebat, idcircò differebat, nec reſponſo dignabatur, ut poſteris omnibus mulieris ſedulitas magna fieret doctrina &c.* 2. Quædam diſſimulanter & hypocriticè prolata (quandoque etiam cum amarulento ſarcaſmo) quæ vera quidem in ſe ſunt, at menti loquentis non conformia. Gen. 37: 19. *Et dicebat alter ad alterum* (fratres Joſephi invicem) *ecce Magiſter ſomniorum iſte venit &c.* Talis reverâ Joſephus erat, tùm παθητικῶς, quia revelationibus divinis per ſomnia θεόπεμπτα de futuris informabatur, ℣ſ. 5. ſeqq. tùm ἐνεργετικῶς, quia aliorum ſomnia μαντικὰ interpretari benè norat, cap. 40. & 41. ſed pro tali à fratribus non habebatur, quin potiùs hoc ceu virulento ſcommate impetebatur. 2 Samuel. 6: 20. Michal ad Davidem maritum ait: *Quàm glorioſus fuit hodiè Rex Iſraelis &c.* Verè glorioſus fuerat in ſacro illo geſtu & actu David, ut ipſe ℣ſ. 21, 22. mulieri reſpondens gloriatur ſpiritu: at coram

[a] Abrahæ tentatio.

[b] Chananææ mulieris tentatio.

Michale

Michale levitas & scurrilitas erat, gravitatis regiæ expers. Psal. 22: 9. *Devolvere ad Dominum, eruat eum: eripiat eum, quoniam complacuit in eo.* Verissima hæc in se erant, sed in exprobrantium opinione falsa, qui Sarcasmo hoc amarulentissimo Christum in cruce pendentem irrident, ut ex Matth. 27: 43. patet &c. Es. 5: 19. *Dicentes* (impii & empæctæ) *acceleret, festinare faciat opus suum, ut videamus & appropinquet, & veniat consilium Sancti Israel, & sciemus.* Hieron. in comm. h. l. *Sensus est: væ vobis, qui putatis, diem judicii non futurum, vel non venturam captivitatem, quam prophe ticus sermo prædicit, qui dicitis ad Prophetam: usque quò nobis Dei minaris iram? volumus eam scire, jam veniat. Hoc autem per ironiam loquuntur, quoniam eam non putant esse venturam, sed simulari à Propheta.* Matth. 22: 16. discipuli Pharisæorum emissi, ad Christum dicunt: *Magister scimus, quod verax sis, & viam Dei in veritate doceas, neque cures quenquam; non enim respicis personam hominum.* Vera hæc erant de Salvatore Christo, sed non conformia animo Pharisæorum, qui insidiosè & ironicè hæc verba proferebant, ad irretiendum & fallendum Christum, ut ex Luc. 20: ✝︎s. 20. constat. Libertatem Christi collaudabant, ne vereretur Herodianos præsentes offendere, & ut offensionem eorum hac ratione incurreret &c. In passionis Dominicæ historia talia occurrunt aliquot, Matth. 27: 29, 40, 42, 43. Marc. 15: 29. &c. 3. Quædam manifestè falsa, & fallendi animo (Scriptura ἰςορικῶς καὶ μιμητικῶς recensente) prolata, cùm longè aliter dicentes scirent & sentirent. Gen. 3: 4. *Et dixit serpens* (Diabolus in serpente) *ad mulierem: non moriendo moriemini, v. 5. Sed novit Deus, quòd in die, quâ comederitis ex ea* (arbore) *aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Longè aliter Satanæ constabat, sed ita mendaciter Evam circumveniebat, verbo Dei contradicendo. *Apertione oculorum* fallaciter promissa, acumen oculorum mentis & intelligentiæ innuitur, in cujus comparatione prior concreata sapientia, cœcitas videri possit. Ita nimirum mendaciorum pater ludit, fallit, perdit. Matth 2: 8. Herodes ad Magos inquit: *Profecti illuc* (Bethlehemum) *accuratè inquirite de puerulo: Ubi verò repereritis, renunciate mihi, ut & ego veniam, & adorem illum.* Animus erat occidere puerum Jesum, quod & immani ac exsecrandâ τεκνοφονίᾳ publica tentavit: sed ironiâ hac & hypocrisi Magis illudit.

Tandem quædam sunt, in quibus [a] ironia videtur inesse, at re exactiùs consideratâ, non inest. Jerem. 4. v. 16. נוֹצְרִים *custodes advenient è terra longinqua &c.* Antiphrasticè & εἰρωνικῶς per *custodes* intelligi destructores, quidam putant. Verùm intelliguntur Babylonii, qui suo bono verè custodes erant, observantes nimirum agros, ne quid effugiat, aut eripiatur sibi, instar venatorum, qui in ambitu sylvæ diligenter omnes transitus observant, ne feræ è sylvis in patentes campos erumpant, ut ex v. 17. apparet. Rab. Kimchi appellatione נוצרים ad nomen *Nebucad-Nezar* (cujus posterior pars ab eadem radice est) alludi existimat. [b] Ezech. 3: 24. *Et allocutus me Jehova, dixit mihi: Ingredere, include te intra domum tuam &c.* Hæc & sequentia verba per ironiam dicta esse, Junius & Tremellius statuunt: q. d. Scilicet Prophetæ hoc munus est, latere, cùm in publicum prodire ego jubeo! Sunt & qui per sarcasmum & indignationem dicta fuisse ajunt: q. d. Si ita statuisti porrò certare contra mandatum meum, abi sanè domum tuam: experiere quid sit, obluctari mihi &c. Quales sarcasmi sunt Jud. 10. vers. 14. Esaiæ 50. vers. 11. &c. Verùm, quia DEUS jam satis Spiritu suo Prophetam instruxerat, & vires illi ad præstandam voluntatem suam indiderat: Quia etiam, demandatam sibi provinciam durius repulisse, & tergiversatum esse Prophetam hunc, non legitur (uti de Mose Exod. 3. v. 11. cap. 4. v. 10, 13. & Jerem. cap. 1. v. 6. cap. 20. v. 9. & Jonâ, cap. 1. v. 3. legitur) satius est, propriè, ut sonant, ea verba interpretari. Et in iis mandatum DEI serium continetur, ut includatur domo suâ, & eas expediat actiones propheticas, quæ cap. 4. commemorantur (confer cap. 8. v. 1.) quò etiam spectat, quod de alligatione, quasi funibus à DEO per Angelos factâ, (his enim ministris utitur DEUS in gubernatione hominum) v. 25. additur; hoc enim ad ea pertinere, quæ in cap. 4. exstant, ex ejusdem v. 8. patet &c. [c] Matth. 4. v. 3. Satanas tentator dicit ad Jesum: *Si Filius Dei es, jube, ut lapides hi panes fiant.* In quibus verbis Theophylactus ironiam statuit, ac si dixisset nec Filius DEI es, nec hoc facere potes. At rectiùs pro Diabolica fraude, πανουργίᾳ & tentatione, in re ipsi non exploratâ, habetur. D. Chemnitius Harmon. Euangel. cap. 19. *Duo proposita fuerunt Diabolo: primò ut exploraret, an Jesus verè esset Filius DEI, hac ratione: Si solo jussu seu verbo lapides in panes converterit, certum erit, ipsum esse Filium DEI; ideò non inquit, ora, sed dic: Si verò jam urgente fame, & in extrema necessitate hoc non fecerit, non erit verus Filius Dei: ac tunc Satan ipsi contemto cogitat illudere: Frustra ergò voce illâ cœlesti*

[b] Ezech. 3. 24.

[c] Matth. 4. 3.

[a] Ironiæ exempla falsa. Jer. 4: 16.

(Matth. 3:17.) *confisus*, *vel ipse credis*, *vel alios credituros speras*, *te esse Filium Dei. Secundò*, *illâ tentatione simul conatur Diabolus Christum in peccatum aliquod conjicere*, *vel in diffidentiam divini oraculi*, *vel in vanam ostentationem & inanem gloriam*, *si*, *Diabolo suggerente*, *miraculum ederet &c.*

a Joh. 18: 38. [a] Joh. 18: 38. *Dixit ei Pilatus: Quid est veritas?* Quæ verba ironica esse quidam asserunt. At exactè de Ironiæ tropo loquendo, non animadvertitur verborum ipsorum à dicentis mente difformitas. Potiùs supinum quendam veritatis contemtum & fastidium in Pilati corde, ea quæstio ἐλαττωτικὴ arguit, q. d. Si de veritate religionis inter te & Judæos est concertatio, illa non judicatur à me tanti momenti, ut vestris altercationibus audiendis diem perdam. Num de veritate tanta certamina erant movenda? num tanta à te perferenda mala ac pericula? &c.

b Joh. 19: 14. [b] Joh. 19: 14. *Et dicit* (Pilatus) *Judæis: Ecce Rex vester.* Id quidam ut Ironicè dictum accipiunt, quòd illuserit hoc pacto Judæis, accusantibus hunc hominem abjectum, vilem & contemtum, de affectato regno, à quo Monarchiæ Cæsareæ periculum (si Diis placet) immineat. Sed enim satius est dicere, quòd Pilatus ad acclamationem populi publicam, quatriduo antè factam, (quâ nimirum Jesum salutaverant Regem suum, Luc. 19:38. Joh. 12:12, 13.) respexerit, hoc sensu: *Jam olim exspectatis* (verba sunt præclarissimi Dn. D. Gerhardi, Harmon. Euang. in histor. pass. cap. 11.) *Regem vobis promissum*, *nunc ubi apparuit*, *exstinctum illum cupitis? consulite vestro honori*, *ne dicamini furenter persecuti eum*, *cui regium honorem ipsimet tribuistis. Cæsar non metuit sibi ab hoc Rege*, *vos modò illius miseremini*, *& ad crucifixionem ipsum deposcere cessate. Si verè est Rex vester*, *cur tanto furore ad tàm atrox supplicium postulatis eum*, *cujus honorem tueri debetis? Sin falsò se jactavit Regem*, *ignoscite flagellis castigato*, *& ob hanc temeritatem satis dura perpesso. Sic ergò Pilatus arcano Dei instinctu Jesum profitetur esse Regem*, *antequam crucis supplicio eum addicat*, *sicut etiam posteà crucis ἐπιγραφῆ regium nomen & honorem Christo asserit*, *ut intelligamus*, *ideò & propterea Christum mori*, *quia est Rex noster*, *principatus ejus super humerum ejus.* Esa. 9. v. 6. &c.

c Act. 23. v. 5. [c] Actor. 23. v. 5. *Dixit autem Paulus: Nesciebam*, *fratres*, *quod Pontifex esset &c.* Placet hoc de loco adscribere verba Riveti, in Isag. ad Scripturam sacram, cap. 21. §. 8. *Scio*, *multos esse*, *qui existimârunt*, *hoc Apostolum dixisse per ironiam*, *quia cùm inter Pharisæos vixisset*, *ipse Pharisæus*, *quamvis potuit ipsi ignota fuisse persona*, *non potuit tamen ex consessu non judicare*, *quinam esset inter Sacerdotes Pontifex Maximus*, *cùm præsertim anteà dixerit*, *sedisse illum*, *de quo loquebatur*, *ut judicaret*, (vers. 3.) *Sed id mihi verisimilius est*, *audivisse quidem Paulum vocem emissam ab aliquo ex his*, *qui ad judicandum sederant* (*venisse enim Sacerdotes*, *& omne concilium*, *constat ex cap. 22. in fine*) *neque tamen scivisse*, *à quonam illorum vox profecta erat. A Pontifice autem profectam non putavit*, *cùm propter ejus autoritatem*, *à qua indignum erat tàm præcipitem offensionis significationem edi*, *tùm propter simulatam saltem sanctitatem*, *à qua tàm iniqua vox non videbatur eruptura. Accedit*, *quòd Concilium illud non fuerat coactum in loco consueto*, *ubi definitus esset judicantium seu deliberantium ordo*, *pro cujusque dignitate & meritis*; *sed prope arcem*, *quò accersitum fuerat à Tribuno*, *& ubi Paulus erat. Quod indicat illud præcedentis capitis* (℣ſ. 30.) *jussit sacerdotes convenire*, *pro quo Græcè*, ἐλθεῖν, *id est*, *venire. Audivit ergò Paulus vocem in turba*, *& illi*, *à quo emissa est*, *denunciavit paratam esse à Domino pœnam. Qui autem cum Pontifice venerant*, *omnes ad judicandum sedebant.* Confer etiam Fr. Junium parall. 1: 98. ubi eruditè eandem hanc sententiam communit &c.

d. 1 Cor. 6: 4. [d] 1 Cor. 6: 4. *Proinde judicia*, *siquidem habueritis de iis*, *quæ ad victum*, *qui contemti sunt in Ecclesia*, *eos constituite.* Ironiam in his Pauli verbis quidam statuunt, propterea quòd ℣ſ. 5. subjicitur: *ad erubescentiam vestram dico &c.* Verùm rectiùs dicitur Paulus seriò, at comparate locutus. Erasmus in annot. h. l. *Hoc agit Apostolus*, *ne Christiani litigent apud impios & ut quemvis potiùs vel contemtissimum*, *modo Christianum*, *arbitrum suæ causæ faciant*, *quàm adeant tribunalia impiorum &c.* Aretius in h. l. *Apostolus suam fert sententiam*, *quid illis sit faciendum. Illi enim dicere possunt*, *tu quidem prohibes Ethnica tribunalia nobis*, *sed unde nobis idoneus judex? Ecclesia non solùm caret magistratu*, *sed idoneis etiam personis*, *quibus disceptationes possint committi. Respondet Apostolus*, *id posterius falsum esse*, *sed infimos quosque his causis esse pares. Magna est Ecclesiæ dignitas*, *infimos censet Paulus dignos officio judicum*, *priusquam concedat provocationem ad Ethnicum judicem. Quid igitur à superioribus non sperabimus?* Illud autem v. 5. πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω, Aretius benè ut novum argumentum explicat, *à pudore publico sumtum*, *nam litigare coram judice ethnico nihil aliud est*, *quàm Ecclesiam pudore afficere. Igitur inprimis res est cavenda. Et quia illi pudore afficiebant Ecclesiam*, *meritò ab Apostolo pudore suffunduntur &c.*

# CAPUT VI.

## DE
# METAPHORA IN GENERE.

DE *metaphora* in genere notentur sequentia. 1. *Quoad*[a] *definitionem*, dicitur esse tropus, *cùm vox à propria & genuina significatione ad aliam, sed cognatam, propter similitudinem, transfertur*. Vel, *cùm ex simili simile significatur*. Fabio libr. 8. cap. 6. definitur *brevis similitudo*: Aliis, *tropus similitudinis ad unum verbum contracta*. Aliis: *quo vox mediata pro voce simili immediatâ ponitur*. Bartholino, *tropus, quo dictio ad commune aliquod rerum in comparationem adductarum docendum adhibetur*. Sed res eodem redit. Monent etiam quidam circa definitionem, desumi metaphoram vel à simplici *similitudine*, vel à *proportione*. Differre autem hæc duo, quòd similitudo sit inter duo, E. G. inter *Socratem vivum & pictum*, unde *picturæ* nomen *Socratis* tribuitur. In proportione verò bina binis respondent, unde Aristot. 2. de anima, *radicem ori* dicet esse analogam, quia ut os se habet ad animal, ita radix ad plantam. Est quidem & hîc similitudo, sed geminata; nam & *planta* confertur cum *animali* & *radix* cum *ore*, quia radice quidem plantæ, at animalia ore capiunt nutrimentum. Prioris generis metaphora est, cùm *porcus* dicitur de *homine corpulentiore*: Posterioris, cùm *gubernator* (navis) ponitur pro *auriga*, & vicissim, quia auriga eo modo se habet ad currum, quo gubernator ad navim. In exemplis metaphorarum sacrarum idem discrimen observare licet: nos tamen promiscuè eas enarrabimus. 2. *Quoad differentiam* à similitudine & parabolâ; hæc inter *metaphoram* statuitur, & *similitudinem*, tùm contractam, tùm explicatam, quòd in hac rei unius ad alteram sit manifesta collatio, & sic argumentum Logicum ea est. In metaphora verò unius pro altero simili est positio: quæ tamen in explicatione per apertam similitudinem evolvenda est. Atque hîc notandum, quòd non rarò in Scripturis (præsertim Proverbiorum Salomonis libro) per similitudinis particulam deficientem, vocabulum vel phrasis explicari possit; atque in his contracta potiùs [b] similitudo, quâm metaphoræ tropus est. Exempla aliqua videantur in Grammat. sacra p. 514: 654. Atque ideò multa, quæ hoc modo accipi possunt, inter metaphoras infrà non sunt relata. 3. *Quoad* [c] *dignitatem*, tropus hic, uti reliquorum omnium frequentissimus est, ita etiam florentissimus jucundissimusque, qui miram stylo sacrarum literarum ἐνέργειαν & evidentiam conciliat. Et verè dici potest, *τῆς φύσεως καὶ κτίσεως Θεοῦ φροντιστήριον*, nec non *τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον* hîc apertum haberi, & piæ sedulitatis ac diligentiæ gymnasium proponi, in quo de rebus divinis, ex inspectione ac consideratione rerum naturalium, evidens cognitio hauriri, à verbi cœlestis scrutatoribus piis, abunde possit. Rivetus in Isagoge ad Scripturam sacram cap. 5. p. 49. *Scriptura, dum versatur præcipuè circa ea, quæ gratiam & gloriam æternam spectant, cognitionem omnem Philosophicam ipsa sibi substernit, éque rerum naturis tantum sumit, quantum opus est ad fabricandum speculum, per quod divina oculis nostris quadantenus repræsentantur*. [d] 4. *Quoad tractandi modum*, cùm rerum, à quibus metaphoræ ducuntur, proprietates sæpè multæ sint, igitur accuratè videndum, ut medium comparationis, seu ratio similitudinis, rectè inquiratur atque exprimatur, ne à textus *συναφείᾳ* vel fidei analogiâ aberratio fiat. Quod argumentum inter alia tractans eruditissimus Flacius, part. 2. tractat. 6. clavis scripturæ, utilissimam inseruit dissertationem, cujus ἐπιγραφή: *Admonitio de necessitate cognitionis variarum rerum, potissimum in communi vita existentium, tùm omnibus gentibus communium, tùm Israelitis propriarum, ad intellectum sermonis sacrarum literarum*. Legatur caput integrum, non pœnitebit. Specialiùs notandum (ne in explicatione hallucinatio contingat) quòd ab una re ad contraria quandoque similitudo in metaphoris ducatur: seu, quòd una res metaphoricè exprimat opposita aliàs inter se, (qua de re August. agit libr. 3. de doctrin. Christiana, cap. 25.) E. G. *Leo* ad Christum significandum

[a] Definitio.

[c] Tropi hujus dignitas.

[d] Notabilia.

[b] Similitudo contracta à metaph. distinguitur.

dum transfertur, Apoc. 5: 5. & ad Diabolum, 1 Petr. 5: 8. uti & impios ac tyrannos, Job. 4: 10, 11. 2 Tim. 4: 17. ob diversa scil. attributa, & qualitates oppositas. Christus *Leo* dicitur ob fortitudinem & victoriam; Diabolus & tyranni ob atrocitatem & rapacitatem. Pari ratione *Unicornu* metaphoricè ad pios transfertur, ob fortitudinem & robur, Psal. 92: 11. & ad impios & persecutores, ob audaciam & virulentiam, Psalm. 22: 22. *Fermentum* & in bono adhibetur, ad explicandam regni cœlorum & verbi cœlestis vim mirificam, Matth. 13: 33. & in malo, ad indicandam doctrinæ pravæ & impietatis vim malignam, Matth. 16: 6. 1 Cor. 5: 6, 7. *Somnus* metaphoricè & tranquillam mortem piorum notat, 1 Thes. 4: 13, 14. & peccatorum studium atque infidelitatem, Rom. 13: 11. Eph. 5: 14. *SOL* præter alia, & felicitatem significat, ob lucem & splendorem, Jud. 5: 31. & infelicitatem atque infortunia, ob nimium æstum & ardorem, Psalm. 121: 6. Matth. 13: 6, 21. &c. *Umbra* & defensionem adversus mala notat, Esa. 49: 2. ac aliàs sæpissimè; & summa mala, pericula, calamitates, Psalm. 23: 4. Luc. 1: 79. illud, ob refectionem, quæ in umbra fit ab æstu Solis; hoc, ob umbræ caliginem, quæ aliàs malorum symbolum est. *Torrens* & copiam rerum bonarum atque exoptatarum metaphoricè exprimit, Psal. 36: 9. Psal. 46: 5. Esa. 66: 12. Et noxia sive terrores, & truculenta, Ps. 18: 5. Psa. 124: 4. &c. illud ob aquarum (quarum usus evidens est) abundantiam: hoc ob aquarum subitò excrescentium diluviem & incommoda. *Messis* & in bonam partem adhibetur metaphorice, Psal. 126: 5. Matth. 9: 37. & aliàs sæpe; Et in malam, Jer. 51: 33. Joel. 3: 13. illud ob frugum demessarum utilitates permagnas; hoc ob earundem amputationes & resectionem. *Thesaurus & thesaurizare*, tùm in bono metaphorice intelligitur, Matth. 6: 20. & aliàs percrebrò; tùm in malo, Rom. 2: 5. &c. Utrumque conjungitur Matth. 12: 35. Alia exempla hinc inde observare licet. Notetur autem, in quibusdam hactenus allegatis locis, etiam similitudines contractas esse, quæ metaphoris perquam vicinæ sunt. Ad tractandi modum pertinet & hoc, quòd metaphoræ à diversis rebus sumtæ, quandoque conjungantur, ubi evolutione distinctorum opus est. Evidens hujus exemplum est Thren. 3. versibus prioribus usque ad v. 17. ubi Jehova pœnas immittens, mox *hominis* (& quidem diversis actionibus dediti) mox *belluæ* metaphorâ, inducitur. Sic Eph. 2: 19, 20. *Estis cives sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum* &c. Ubi metaphoræ à societate civili, & ab ædificio, conjunguntur, ad declarandam conjunctionem mysticam piorum in Christo. Sic & in multis aliis locis &c. 5. *Quoad varietatem*, in genere monet rectè Bartholinus, desumi posse metaphoram à rebus omnibus, substantiis pariter & accidentibus, naturalibus earumque affectionibus, & artificialibus cujuscunque classis, ut superfluum sit, & impossibile, ea, ex quibus sumitur, recensere. Unde Cicero 3. de orat. ait: *Nihil est in rerum natura, unde simile duci non possit*: & addit, *infinitos ferè esse modos metaphorarum*: Alii, genera metaphorarum, ajunt, ad certas & arctas classes vel tramites, non magis astringi posse, quàm totus Oceanus cyatho exhauriri & asportari. Idem hoc specietenùs, de metaphoris in Scriptura sacra usurpatis, asseri ferè potest, nisi quòd maximè utile & operæ precium sit, si non omnes, plerasque tamen & illustriores metaphoras sacrarum literarum, certo ordine (quantum in multitudine illa fieri potest) dispositas habere, & velut concordantias quasdam unâ conspicari, ut præter usus alios, de eloquentia Sacræ literaturæ sanum fieri in pietate judicium possit. Tentavi hic in sequentibus aliquid, & spicilegium satis amplum, ex amplissima illa segete, institui in timore Domini; aliis plenam hujus laboris messem lubens relinquo. 6 Quoad ὀρθοτομίαν & *distinctionem*, quidam hanc amplectuntur cum Plutarcho & Quintiliano (à quibus, ad vitandam doctrinæ perturbationem & infinitatem rerum, quæ arte concludi aut terminari non possunt, certâ quædam genera metaphoræ illustriora exponi, & distingui, rectè dicitur) quòd translationes fiant, vel à rebus animatis ad animatas, ut cùm DEUS pro magistratu, *pastor* pro Principe, ponitur: Vel à rebus animatis ad inanimatas, ut cùm *lugere terra*, *oliva mentiri* dicitur: Vel à rebus inanimatis ad animatas, ut cum Christus *vitis & ostium* dicitur: Vel à rebus inanimatis ad inanimatas, ut cùm *fundamentum* de mysterio salutis nostræ usurpatur, 1 Tim. 6: 19. 2 Tim. 2: 19. &c. Quidam verò non rerum ipsarum in natura, sed vocum in Grammatica, seriem attendentes, ita distinguunt, quòd metaphoræ fiant in nominibus, verbis & adverbiis; *Nominibus*, tùm *substantivis*, ut cùm *adeps renum tritici* dicitur Deut. 32: 14. pro preciosis granis tritici; (duplex metaphora, in *adipe*, pro preciositate; & in *renibus*, pro granis, quæ renum formam imitantur; utrumque verò conjungitur, quia renes adipe in animali operti sunt.) Cùm Christus *lux mundi* dicitur, Joh. 8: 12. *bonus pastor*, Joh. 10: 11. Apostoli *sal terræ*, Matth.

Matth. 5: 13. &c. Tùm *adjectivis*, ut cùm *præputiatum esse* de labiis, auribus, corde, dicitur, Exod. 6: 12. Jer. 6: 10. c. 9: 26. pro imparatum, impurum esse. *Mortuum esse*, de incredulo & mundo addicto homine Matth. 8: 22. *Sanum esse*, de verbo seu doctrina cœlesti, 1 Tim. 1: 10. c. 6: 3. 2 Tim. 1: 13. c. 4: 3. &c. In *verbis*, ut cum *arescere* de impiis dicitur, pro interire, Psal. 37: 2. *Sitire* de anima, pro desiderio teneri Psal. 42: 1. *Induere*, pro adsumere, Eph. 4: 24. In *adverbiis*, ut cùm *durè accipere*, pro molestè ferre, dicitur, Gen. 21: 11. *Durius loqui*, pro severè, c. 42: 7. *Graviter vulnerari*, pro valdè, seu vehementer, 1 Reg. 22: 34. Ita quidam ex vulgata versione Latina: In Hebræo enim aliter, absque adverbiis legitur. Rectiùs hûc quadrat πικρῶς, *amarè*, pro valdè, si de fletu dicatur, Matth. 26. ult. à sapore deductâ metaphorâ: λαμπρῶς, *splendidè*, pro eminenter, Luc. 16: 19. à luce metaphorâ deductâ &c.[a] Nos duplici ἐξεργασίᾳ uberrimum hunc tropum contemplabimur & absolvemus: Speciali & generali. *Specialis* de eo aget, cùm ad Deum transferuntur, quæ propriè hominis sunt, c. 7. & quæ aliarum creaturarum sunt, c. 8. Item, cùm rebus, quæ personæ non sunt, tribuuntur ea, quæ personis propriè competunt, c. 9. *Generalis* distinctos metaphorarum fontes & classes proponet, disponet, & explicabit; tàm earum, quæ à Deo, & creaturis, in natura universa obviis, desumuntur, c. 10, 11, 12. quàm earum, quæ à personis & rebus sacris, atque divinum cultum quacunque ratione attinentibus, deducuntur, cap. 13.

[a] Metaphoræ distinctio.

# CAPUT VII.

## DE

# METAPHORIS AB HOMINE AD DEUM

## translatis, quod genus ἀνθρωποπάθειαν vocant.

ΑΝθρωποπάθεια est metaphora, quâ quod creaturis, & præsertim homini, propriè competit, ad Deum & res divinas per quandam similitudinem transfertur. Vocatur & συγκατάβασις, *condescensio*, quia in sermone sacro sancto Jehova quasi descendit ad nos, & verbis humanis mysteria sua cœlestia exprimit. Hebræi eleganter vocant דרך בני אדם *viam filiorum hominis*, quod est ἀπὸ τῶν ἡμῖν προσόντων τῷ Θεῷ τὰς ἐνεργείας χρηματίζειν, ut acutè Heinsius loquitur in Aristarcho sacro pag. 66. *Incomprehensibilia sunt* (inquit Flacius) *Dei opera & actiones, neque nos assequi aliquid de iis possemus, nisi sacra Scriptura iis uteretur loquendi de Deo formulis, quæ rebus humanis propinquæ sunt. Itaque Spiritui sancto, Scripturarum autori, placet, propter captus nostri imbecillitatem, nostro more balbutire, & blandiùs humiliùsque, quàm majestati tantæ convenit, nobiscum per signa & verba agere &c.* Quemadmodum verò de metaphoris in genere monitum fuit, accuratè videndum esse, ut medium comparationis seu ratio similitudinis rectè inquiratur atque exprimatur: ita in specie de ἀνθρωποπαθείᾳ necessariò monendum, ut ratio similitudinis inter rem in similitudinem adductam, & Deum vel res divinas, hac ponatur ratione, ne quid vile, abjectum, immundum & indecens, altissimæ & sanctissimæ illi majestati tribuatur. Ἀνθρωποπαθῶς καὶ οἰκονομικῶς (verbo Theodoreti, dial. 2. qui *Inconfusus* inscribitur) quæ de Deo dicuntur, θεοπρεπῶς, hoc est, *convenienter Deo*, intelligenda sunt, ut Nazianzenus orat. 1. de Filio loquitur. DEUS nobis in sermone συγκαταβαίνει, *condescendit*, uti dictum. Nos verò in explicandis & intelligendis istiusmodi humilibus, mente devotâ ad Deum ascendamus, & πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες, ut Apostolus loquitur 1 Cor. 2: 13. dignè de Deo & mysteriis divinis sentiamus, id quod sine Spiritus sancti gubernatione fieri non potest, cùm solus is, ea quæ sunt Dei, noverit, & omnia scrutetur, etiam profunditates Dei, atque easdem hominibus per verbum suum revelet, ut ibidem ℣s. 10, 11. Paulus inquit. Hûc pertinet Theologorum canon: Quæcunque à creaturis transferuntur ad Deum, repurgandi priùs sunt

ab omnibus imperfectionibus, & tùm demum id, quod perfectum est, Deo attribuendum. Pulchra Gregorii Nysseni verba sunt, de libro Cantici Canticorum prolata, homil. 1. in Cant. quæ generaliùs applicari ad ea, quæ à creaturis desumta Deo attribuuntur in Scripturis, non incongruè possunt: *Ne quis*, inquit, *animi morbis obnoxius & addictus carni, quique cadaverosum hominis veteris fœtorem adhuc redolet, ad brutas dementias divinarum sententiarum ac verborum significationes pertrahat; sed unusquisque extra se ipsum egressus, mundoque hoc crasso relicto, per statum mentis, vitiorum omnium expertem, in paradisum quodammodò reversus, ac per puritatem Deo similis factus, ita deinde ad penetrale arcanorum illorum, quæ per librum hunc nobìs ostentantur, ingrediatur.* Potest etiam optime hûc referri commonitio Salvatoris Johan. 6. cùm enim ἀνθρωποπαθῶς, & per similitudinem à rebus humanis desumtam, de participatione suorum cœlestium beneficiorum fuisset locutus, & carnali brutóque affectu quidam discipulorum ejus præditi, dicerent, ℣s. 60. *Durus est hic sermo, quis potest eum audire?* q. d. quis æquo animo audiat, & non potiùs abhorreat ab istiusmodi κρεωφαγίας καὶ αἱματοποσίας, quam inculcat? Christus inter alia his eos excepit verbis, ℣s. 63. *Spiritus est, qui vivificat, carò non prodest quicquam: verba quæ ego loquor vobis, Spiritus sunt, & vita sunt:* hoc est, secundùm pulcherrimam Theologi eminentissimi D. Calixti paraphrasin p. 255. Harm. Evang. *Verba mea minimè ad modum & mensuram rerum terrestrium & vulgò cogitarum exigenda sunt, sed semotis cogitationibus illis, auxilio & ductu Spiritus sancti, tanquam de rebus spiritualibus dicta, spiritualiter etiam intelligenda, & simplici fide credenda sunt. Quod si fiat, vita etiam sunt, sive vitam largiuntur &c.* Progrediemur autem ad distinctionem & Scripturæ exempla, si modò hoc priùs monuero, recensita hic reperiri, non ea solùm, quæ Deum ἀόρατον in sua essentiâ ac majestate divinâ concernunt; sed &, quæ ad Deum ὁρατὸν καὶ ἔνσαρκον, hoc est, Filium Dei, in carne manifestatum, pertinent. De hoc enim, ubicunque (vel respectu divinæ vel humanæ naturæ, idque in statu tùm exinanitionis tùm exaltationis) Scriptura μεταφορικῶς loquitur, id omne fere annotatum, uno complexu cum cœteris, ob personæ ἑνότητα, & materiæ ὁμογένειαν, his duobus capitibus, habetur. Nunc ad rem ipsam! [a]Distinctio institui ac teneri ea potest, quod *quædam* metaphoræ Deo tributæ desumantur ab homine; *quædam* ab aliis creaturis. Ab *homine* desumuntur, Deóque attribuuntur, *tum* ejus partes & membra, *tùm* affectus, *tùm* actiones, *tùm* adjuncta. De quibus ordine.

[b] Ps. 24:4. Qui non accepit in vanum animam suam.

[a] Distinctio ἀνθρωποπαθείας.

## *PARTES & membra humana, DEO tributa.*

ANIMA DEO tribuitur, quâ ipsa Dei vita, seu essentia & voluntas, adeoque ipse Deus intelligitur. Sicut enim per animam homo vivit & operatur, sic Deus in seipso, vita essentialis, & purissimus actus est. Lev. 26: 11. *Non abominabitur vos anima mea.* Sic Psal. 11: 5. Esa. 1: 14. c. 42: 1. Jerem. 5: 9, 29. c. 15: 1. Matth. 12: 18. Hebr. 10: 38. &c. Unde & *jurare per animam suam* Jehova dicitur. Jerem. 51: 14. Amos 6: 8. hoc est, per seipsum, uti Esa. 45: 23. Jer. 22: 5. Hebr. 6: 13. explicatur. Expendendus hîc locus [b] Psal. 24: 4. *Qui non accepit in vanum animam suam.* At pro נַפְשׁוֹ legendum esse נַפְשִׁי *animam meam*, ut ad Deum loquentem referatur, Masora tradit. De quo ita J. Drusius cent. 1. miscel c. 70. *Qui non extulit in vanum animam suam. In Hebræo est* נפשי *ex nota Masor. hoc est, animam meam. Prius significat, non desideravit res vanas: sicut in Hosea: ad peccatum populi mei tollunt animam suam. In posteriori, tollere nomen Domini est jurare, & idem videtur esse, tollere animam Dei. Nam anima Dei ipse Deus. Juravit Deus per animam suam, hoc est, per seipsum. Non tulit igitur in vanum animam meam, sensus est, non juravit frustrà aut temerè levique de causa. Idem ferè cum illo, quod sequitur; non juravit dolo: nisi quod aliud est, jurare frustrà, aliud, jurare fallaciter vel dolo malo.* Hæc ille ex R. Salom. Aliàs si נַפְשׁוֹ legatur, sensum optimè Luth. expressit: Der nicht Lust hat zu loser Lehr. *Levare* enim *animam suam*, significat inhiare, concupiscere, Deut. 24: 15. Jerem. 22: 27. *Vanitas* verò idololatriam seu falsam doctrinam notare potest, uti vox similis Deut. 32: 21. Actor. 14: 15. declarat &c.

CORPUS DEO, ratione essentiæ suæ incorporeæ, nuspiam tribuitur. At de Christo Salvatore DEO ἐνσάρκῳ, dicuntur ratione duplici; 1. Dum *corpus* opponitur umbris, figuris & typis in V. Test. & ipsa veritas seu complementum, rerum per umbras illas præfiguratarum, eo notatur. Col. 2: 17. *Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi*, hoc est, veritas & complementum in Christo est. Flac. *Christus est ipsum corpus veræ pietatis, i. e. ipsa res & genuina essentia, aut etiam causa ac fundamentum totius pietatis.* In eod.

cap

cap. ỳſ. 9. *omnis plenitudo Deitatis habitare in Christo* dicitur σωματικῶς, *corporaliter*, hoc eſt, verè, perfectiſſimè, ſolidiſſimè, non typicè & umbratiliter, ſicut in V. Teſt. Deus ſe manifeſtavit. Eſt autem inhabitatio illa & unio, perſonalis & ſingulariſſima, uti ex Johan. 1: 14. 1. Tim. 3: 16. Hebr. 2: 14. & alibi docetur latiùs. 2. Dum Ecclesia dicitur *corpus Christi*, quod metaphoricè fit. Epheſ. 1: 22. *Eum dedit caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ*, verſ. 23. *quæ eſt corpus illius, complementum ejus.* Eccleſia Chriſti *corpus* nominatur, quia ab eo regitur, ſenſumque, vitam, ac motum ſpiritualem, tanquam corpus hominis à capite, habet. Eadem *complementum Chriſti* vocatur quia, quamvis Chriſtus in ſe perfectiſſimus ſit ac noſtri non indigeat, tanto tamen amore Eccleſiam ſuam complectitur, ut abſque ea nolit eſſe, perinde ut corpus non eſt abſque membris, Joh. 17: 24. Confer Epheſ. 4: 12, 15, 16. &c. Hæc de corpore Chriſti myſtico (de quo inferiùs plura, dum reſpectu membrorum ipſorum conſiderabitur) at quæ verum & humanum Chriſti corpus in Scripturis attinent, hûc non ſunt referenda. Progrediemur ad artus ſive membra humani corporis, DEO ἀνθρωποπαθῶς tributa, θεοπρεπῶς, intelligenda, in quibus enumerandis ordinem naturæ ferè ſequemur.

**CAPUT** Chriſti Deus eſſe dicitur 1 Cor. 11: 3. nimirùm ratione humanæ naturæ, ſecundùm quam *Patrem majorem ſe eſſe* inquit Joh. 14: 28. tùm & ratione officii mediatoris & redemtionis, omnia enim à Chriſto peracta, regimen ſuum à Deitate obtinent. Ibidem Apoſtolus per climacem ſeu gradationem quandam, *Chriſtum* vocat *caput viri*; *& virum caput mulieris. Illud*, quia in genere humano, ſexum virilem elegit Filius Dei, ex quo humanam naturam aſſumeret, atque ita primogenitus quaſi eſt inter multos fratres, Rom. 8: 29. *Hoc*, quia ſexu præſtat vir mulieri, & Dominus hujus conſtitutus eſt. Utrobique igitur *capitis* vox metaphoricè ſumitur, *tùm* pro præeminenti, ſicut caput naturale in corpore eminet, & ſupremo loco ſitum eſt, ſenſuum & rationis dignitate totum corpus excellens; *tùm* pro gubernatore & moderatore, ſicut corpus regitur à capite naturali &c. Generalius Chriſtus Salvator dicitur *caput Eccleſiæ*, myſtici ſui corporis, Eph. 1: 22. c. 4: 15. Col. 1: 18. &c. In quo reſpectu participationis beneficiorum Chriſti & unionis myſticæ, non eſt prærogativa viri præ muliere, Gal. 3: 28. Inde verbum ἀνακεφαλαιῶν, *ſub unum caput reducere*, Eph. 1, 10. Quod Chryſoſt. benè interpretatur, *factum eſſe per redemtionis myſterium, ut cæleſtia & terrena, h. e. Angeli & homines, unum caput, h. eſt, Chriſtum habere inciperent, cum antea propter hominum peccata ſejuncta eſſent à terrenis cæleſtia.*

**FACIES DEO** tribuitur, quâ manifeſtatio ipſius, Angelis & hominibus facta, uti & varia providentiæ ipſius opera, intelliguntur, ex quibus cognoſcitur DEUS, perinde ut ex facie coràm, homo homini innoteſcit. Significat autem *facies Dei*, ejus manifeſtationem, I. In beato æternitatis ſeculo. Pſal. 16: 11. *Saturitas lætitiarum cum facie tua.* Pſal. 17: 15. *Ego in juſtitia videbo faciem tuam, ſatiabor. Cum expergefactus fuero in imagine tua.* Matth. 18: 10. *Angeli ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Conferri poteſt 1. Reg. 25: 19 ubi *videre faciem Regis*, ſignificat, ei eſſe familiarem & intimum. Hûc pertinet appellatio *faciei divinæ*, quam videri in hac vita poſſe Jehova negat, Exod. 33: 20, 23. Cui *poſteriora Dei*, ſeu quæ à tergo ſunt, ἀνθρωποπαθῶς opponuntur, atque ea viſurum Moſen promittitur: iisque aliqua gloriæ divinæ imago, revelatione cœleſti in hac vita oſtenſa, intelligitur, ſicut quis hominem ex tergo, & ſic imperfectè, non autem perfectè & clarè è facie agnoſcit. Confer 1 Cor. 13: 12. &c. II. in hoc mortalitatis ſeculo, cum ſe hominibus patefacit, & quidem, *In ſpecie*, quò pertinet, quòd *facie Dei* aſpectabilis ejus præſentia notatur, quæ per columnam nubis & ignis ab Iſraelis populo viſa in deſerto fuit. Exod. 33: 13. *Et dixit Jehova, facies mea ibit, & requieſcere faciam te.* verſ. 14. *Et dixit ad eum* (Moſes) *ſi non facies tua ambulaverit* (nobiſcum) *ne aſcendere facias nos hinc.* verſ. 15. *Nam in quo cognoſcetur hîc, quòd inveni gratiam in oculis tuis, ego & populus tuus? nonne cùm iveris tu nobiſcum?* ſcilicet, uti hactenus fuiſti ſolitus, in aſpectabili columna nubis & ignis. Confer Deut. 4: 37. cum nota Lutheri marginali. Ex hoc deducta videtur appellatio ᵃ *Angeli faciei Jehovæ*, Eſa. 63: 9. quo Filius Dei intelligitur, dictus faciei ipſius Angelus, quia eſt ille, qui viſibili ſpecie, columnâ ſcil. nubis & ignis, Iſraelitas in deſerto duxit, & faciem Dei quaſi conſpicuam populo fecit: id quod Jehovæ ipſi adſcribitur Exod. 14: 24. Conferatur Exod. 23: 20. cap. 3: 2. ſeqq. ex quibus locis *Angeli* nomen Chriſto tributum Eſaias deſumſit. Alii rationem appellationis (*Angeli faciei Dei*) dant iſtam, quòd Angelus ille, Filius Dei, ſit εἰκὼν ἀοράτου Θεοῦ, Col. 1: 15. ſubſtantialis imago Patris, per quem Patrem cognoſcimus, Johan. 14: 9. 10. Vident quidem omnes Angeli, etiam minimorum puſillorum cuſtodiæ deputati, faciem Patris, Matth. 18: 10. ſed tamen

ᵃ Angelus faciei Eſa. c. 63.

men non sunt propriè Angeli faciei ejus, non referunt faciem Patris exactissimè, non sunt ejus imago substantialis, splendor, character, lumen de lumine &c. Tantum de hoc. *Facies Dei* apparitionem etiam eam notat, quæ in monte Sinai populo Dei facta est. Deut. 5: 4. Et specialiùs illustrem illum patefactionis divinæ modum, qui Mosi præ aliis contigit, Deut. 34: 10. Confer Num. 12: 6: 7. &c. 2. *In genere*. quâ ratione vel ipse locus, in quo se hominibus salutariter & gratiosè patefacit Deus, intelligitur; vel ipsa Dei operatio, quâ conspicuum se quasi & notum hominibus reddit. (1.) Locus divinæ patefactionis est, ubicunque ministerium verbi revelati viget: seu, ut ipse Jehova loquitur, Exod. 20: 24. quo memorare facit nomen suum, & nobis benedicit, Genes. 4: 14: 16. *Cain à facie Dei abiisse* dicitur, hoc est, à loco, in quo parentes ejus cultum Deo præstabant. Eòdem pertinet, quod de a Jona dicitur, quòd *fugere voluerit à facie Domini*, Jon. 1: 3. Nimirum extra Ecclesiam ad ethnicos profugit, non quòd ignoraret, neminem à facie Domini ita fugere posse, ne ab eo conspiceretur: sed quia putabat, extra terram sanctam non esse divinis revelationibus locum, ac proinde sperabat in peregrinis istis locis Deum sibi molestum ampliùs non fore, aut flagitaturum, ut tam duram sibi visam prædicandi in Ninive provinciam suscipiat. Brentius in h. l. *A conspectu Domini, hoc est, è terra Israel, in qua Deus dicebatur præ aliis nationibus habitare. In ea terra erat metropolis Ecclesiæ Dei, & arca Testamenti, ex qua Deus solebat responsa dare*, Exod. 25. *In ea terra Deus instituerat publicum ministerium prædicandi verbi Dei, & solebat sese Prophetis revelare. In ea habitabat familia, ex qua Christus venturus erat, qui vera est facies Dei &c.* Hùc pertinet Exod. 23: 15. *Non conspicietur facies mea vacuè:* ubi de loco conventus sacri divinitùs ordinato, sermo est. Et hinc appellatio *panum faciei* Ex. 25: 30: *Et pones super mensam panem faciei, ad faciem meam* (seu coram me) *jugiter*. Psal. 100: 2. *Ingredimini ad faciem ejus cum oratione*. Psal. 104: 4. *Quærite faciem ejus jugiter* 2 Sam. 21: 1. *Et requisivit David faciem Domini*, hoc est, in loco sacro ipsum consuluit &c. (2.) Ipsa Dei operatio, *vel* generalissima est, providentia scil. Jehovæ ubivis præsentissimi & efficacissimi. Psal. 139: 7. *Quò à facie tua fugiam?* Confer sequentia. *Vel* specialior, nimirum vel *iræ* & vindictæ, vel *gratiæ* & misericordiæ, 1. Ira ac pœnæ divinæ quandoque *faciei ejus* nomine denotantur. Lev. 17: 10. *Dabo faciem meam contra animam comedentem sanguinem, & exscidam eam à populo suo*. Psal. 9: 4. *Impingent & peribunt* (inimici mei) *à facie tua*. Psalm. 21: 10: *Pones eos ut clibanum ignis, in tempore faciei tuæ*, hoc est, iræ tuæ, ut Pagnin. vertit. Psalm. 34: 17. *Facies Domini est contra facientes malum, ut succidat è terra memoriam eorum*. Psal. 51: 11. *Absconde faciem tuam à peccatis meis*. Psal. 68: 3. *Peribunt impii à facie Dei*. Jer. 21: 10. *Posui faciem meam contra civitatem hanc in malum, & non in bonum &c.* Thren. 4: 16. *Facies Domini dispersit eos*. 2 Thess. 1: 6. *Qui pœnam luent, exitium æternum, à facie Domini*. 1 Pet. 3: 12. *Facies Domini contra facientes mala*. 2. Gratia, favor, & misericordia Dei, & quæ ex ea proveniunt ac sperantur beneficia, itidem *faciei Dei* appellatione insigniuntur. Psal. 31: 21. *Abscondis eos* (timentes te) *in secreto faciei tuæ*, hoc est, gratiæ & misericordiæ tuæ. Psal. 17: 2. *A facie tua judicium meum egrediatur*. Psal. 89: 16. *In lumine faciei tuæ ambulabunt*. 1 Par. 29: 12. *Opulentia & gloria à facie tua est*. Inde hæ emergunt phrases De Deo: *Elevare faciem, & lucere facere faciem super aliquem*, hoc est, misericordiam & gratiam exhibere. Num. 6: 25: 26. Psa. 4: 7. Psa. 31: 17. Psa. 67: 2. Psa. 80: 4, 8, 20. Dan. 9: 17. *Abscondere faciem ab aliquo*, hoc est, gratiam denegare, & iratum se exhibere, Psal. 13: 2. Psal. 27: 9. Psal. 30: 8. Ezech. 39: 24. De hominibus; *Faciem Domini requirere*, hoc est, gratiam ejus precibus expetere, Psal. 27: 8: 2 Par. 7: 14. &c. *Ambulare ante faciem Domini*, hoc est, secundùm beneplacitum ejus vitam instituere, ut gratia divina retineatur, & 2 Par. 7: 17. Esa 38: 3. &c.

a De Jona Dei faciem fugiente.

OCULI DEO tribuuntur, quibus 1. exactissima ejus notitia intelligitur. Psalm. 11: 4. *Oculi ejus vident, palpebræ ejus probant filios hominum*. (In palpebrarum voce synecdoche simul est.) Job. 34: 21. *Oculi ejus sunt super vias viri, & omnes gressus ejus videt*, Es. 1: 16. *Amovete malignitatem actionum vestrarum de conspectu oculorum meorum*, hoc est, tàm animo, quàm corpore puros vos mihi sistite; palàm & clàm benefacite, cùm omnia penitus introspiciam & cognoscam. Hos. 13: 14. *Pœnitentia erit abscondita ab oculis meis*, hoc est, nulla est, prorsus non ducar pœnitudine, non mutabo sententiam, sed certò eam implebo. Quod enim ab oculis Dei omniscii absconditur, prorsus non est. (Conf. Ps. 110: 4. Rom. 11: 29.) Ita etiam Esa. 65: 16. phrasis ea usurpatur. Amos 9: 3. *Si celaverint se ab oculis meis in pavimento maris &c.* hoc est, si effugere conarentur, ne videam seu agnoscam eos. Sir. 23: 25. *Oculi Domini millies sole lucidiores sunt*, ℣. 26 *qui inspiciunt omnes vias hominum, & considerant in partes occultas usque*. Hebr. 4: 13 *Omnia nuda sunt & resupinata*

*nata oculis ejus, quo cum nobis negotium.* Ubi in oculorum Dei correlato pulchra emphasis metaphoræ. Τετραχηλισμένα enim propriè significant, divisa per spinam dorsi à vertice usque ad finem. Nam τράχηλος totam illam spinam dorsi significat. Quia ergo in mactatis animalibus & divisis per spinam, omnia apparent interiora & exteriora, ita ut nihil latere possit, Apostolus transtulit vocabulum ad suum propositum, ut significet, ita omnia secreta cordium exposita esse Dei oculis, ac si, anatomiâ factâ, omnia aperta & nuda conspicerentur. Hemming. in com. 2. Providentia ejus inter homines, & hoc (1.) *In bonum*, ut gratia & benevolentia divina notetur. Deut. 11: 12. *Terra, quam Dominus Deus tuus invisit, semper oculi Domini Dei tui in ea*, h. e. benignè eam fovet, curat, defendit 1. Reg. 9: 3. *Et erunt oculi mei: & cor meum ibi omnibus diebus*, h. e. gratiosè ibi adero, & vobis benedicam. 2. Par. 16: 9. *Oculi Domini perlustrant totam terram, ad roborandum se cum iis, quorum cor perfectum est ergà eum.* Esr. 5: 5. *Oculus Dei eorum fuit super senes Judæorum &c.* h. e. gratiâ suâ & tutelâ eos dignatus est, dum domum Domini ædificarent, Psal. 32: 8. *Consulam tibi oculo meo*, h. est, gratiosè te informabo Spiritu meo, & in via recta ducam. Ps. 34: 16. *Oculi Domini ad justos &c.* Quod 1. Petr. 3: 12. repetitur. Inde phrases: *Oculum Dei parcere*, hoc est, ipsum propitium fieri & gratiam exhibere, Ezech. 20: 17. c. 5: 11. c. 7: 4. (quæ phrasis de hominibus etiam usurpatur, vide Grammat. sacr. p. 297.) *Exscindi ab oculis Dei*, h. e. curâ & favore ejus privari, Ps. 31: 23. *Tanquam pupillam oculi Dei custodiri*, hoc est, peculiari ipsius gratiâ & tutelâ frui, Deut. 32: 10. Conf. Psal. 17: 8. Zach. 2: 8. *Oculos septem esse super lapide illo unico*, Christo nimirum, Zach. 3: 9. h. e. perfectissima ratione Dei providentiam, amorem & benevolentiam ipsi adesse, in media videlicet passione, cujus mentio metaphoricis verbis subjicitur. *Oculi* providentiæ & gratiæ; *septenarius* verò perfectionis symbolum est. Eorundem *septem oculorum Jehovæ* etiam cap. 4: 10. fit mentio. (2.) *In malum*, ut ira divina ejusque pœnæ notentur. Amos 9: 4. *Ponam oculum meum super eos in malum, & non in bonum.* Conf. Esa. 3: 8. *Irritari oculi gloriæ Jehovæ* dicuntur, hoc est, ad iram ipsum provocari.

AURES DEO tribuuntur, quibus non *in genere* solùm, cognitio omnium rerum, quæ in terris aguntur, denotatur, sed & *in specie*, quòd (1.) cognoscat & ratas habeat credentium suorum preces, Psalm. 10: ℣s. 17. Psal. 31: 3. Psal. 55: 3. Psal. 71: 2. Psal. 130: 1. &c. (2.) Cognoscat exactè peccata hominum (quæ ut *clamantia in cœlum* aliàs proponi solent) eaque graviter vindicet. Esa. 5: 9. Jac 5: 4. &c. Emphatica phrasis de promisso Messia occurrit Ps. 40: 7. *Aures fodisti mihi*, h. e. in servum fidelem me tibi ascivisti: Significatur perfectissima servitus ac obœdientia, Patri à Filio incarnato præstita: desumta metaphora à ritu externo in Judæorum populo, ubi servo auris perforabatur, si nolebat is liber fieri anno septimo, Exod. 21: 7. Deut. 15: 17. Messias autem d. l. in duali, de *auribus* suis loquitur, ad eminentiam spiritualis suæ servitutis & obedientiæ notandam. Conf. Esa. 50: 4, 5. Simul tamen ad assumendum humanum corpus, factâ *aurium* mentione, alluditur. Unde Heb. 10: 5. phrasis Davidica ita exponitur: *Corpus aptâsti mihi*, Syr. *Corpus induisti mihi.* Conf. Junium parall. l. 3. p. 1604. seq.

NASUS DEO tribuitur, dum de odoratu ejus metaphorico sermo est. Deut. 33: 10. *Ponent* (Levitæ) *suffitum* בְּאַפֶּךָ *in naso tuo*, vel *ad nasum tuum*. Lutherus: Für deine Nasen. Quidam: *ad faciem tuam*, h. e. coram te. Chaldæus: קֳדָמָךְ. LXX. ἐνώπιόν σου. Eandem metaphoram olim fuisse Ezech. 8: 18. ut lectum fuerit: *Et ipsi emittunt fœtorem ad* אַפִּי *nasum meum?* cum nunc אַפָּם *ad nasum suum*, legatur; quidam volunt, qui Tikkun sopherim stabilire satagunt. De quo vide Philolog. sacræ lib. 1. p. 24. De אַף *naso*, quo iram Dei notare volunt, paulo inferiùs dicetur.

OS, loquelæ instrumentum, DEO tribuitur, quo 1. In genere Deus volens, constituens, mandans, vel in abstracto, Dei voluntas, verbum, sententia, mandatum &c. intelligitur, Jos. 9: 14. 1. Sam. 15: 24. 2. Reg. 24: 3. Esa. 30: 2. &c. Sic *mutare, facere os Domini*, h. est, mutandi præstitutum Jehovæ occasionem dare, Deut. 1: 26. Confer Grammaticam sacram p. 253. Notatu dignus locus est [a]Deut. 8: 3. *Non in pane solo vivit homo, sed in omni egressione oris Domini &c.* hoc est, prout Deus constituerit, & media vivendi vel ordinaria vel extraordinaria (quale illud erat in deserto) subministraverit. Vatablus in h. l. pulcherrimè: *Quidam falsò hæc verba ad spiritualem vitam detorquent, ac si dictum esset, animas non ali visibili pane, sed Dei verbo. Est id quidem in se verum, sed aliò respexit Moses. Nam cùm nullus ad manum esset panis, commemorat Man extraordinarium alimentum fuisse populo, ut hoc documento testatum in omne tempus fieret, hominum vitam non esse inclusam in pane, sed pendere à nutu & beneplacito Dei. Itaque verbum non pro doctrina capitur, sed pro decreto,* quod

[a] Deut. 8. & Matth. 4 non in solo pane vivit homo, &c.

*quod Deus publicavit, quo ad tuendum naturæ ordinem, & fovendas creaturas utitur. Neque enim conditos à se homines abjicit, sed eâ lege vitam illis infundit, ut semel datam assiduè sustineat, Hebr. 1: 3. &c.* Matt. 4: 4. sententia Mosis à Christo repetitur, & Satanæ tentanti opponitur. De quo lubet D. Calixti in Harm. Euang. pag. 110. adscribere verba: *Servator Filium Dei se esse neque ait, neque negat, sed ex loco convenientissimo Deut. 8: 3. ubi Mosis Israelitas commonefacit, quomodo per 40. annos non usitato pane, sed mannâ cælesti victitârint, respondet: q. d. non est, quod desperem, ac si in penuria panum fame moriendum sit, neque opus est, ut panes producantur per miraculum, quippe quod proferri debeat non ad cujusque libidinem, sed tantùm, cùm postulat Dei gloria, & cùm facit ad procurandam hominum salutem. Non enim in solo pane vivit homo, sed in quovis verbo, quod egreditur ex ore Dei, hoc est, quâvis aliâ re, quam Deus pro immensa sua potentia, & liberrimâ voluntate ordinat & constituit, ut per eam vita hominis sustentetur &c.* Esa. 11: 4. de Christo dicitur: *Et percutiet terram virgâ oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Paul. 2 Thess. 2: 8. *Spiritum oris ejus* nominat. Intelligitur autem verbum Christi, quòd judicabit & damnabit impios, Joh. 12: 48. Chald. ita transfert: *Et eloquio labiorum suorum interficiet* ארמילוס *Antichristum* seu *antideum impium*, ut à Guidone Fabricio in Lexico Syro-Chaldæo vertitur. Id cum antè citato N. Test. loco convenit. Job. 11: 5. [a] *Labia* Deo tribuuntur, cùm de loquela seu manifestatione ejus sermo est: *Utinam Deus loqueretur, & aperiret labia sua tecum.* Esai 30: 27. *Labia & lingua*, per prosopographiam quandam, Deo irato tribuuntur: *Labia ejus repleta sunt irâ, & lingua ejus tanquam ignis consumens*, ℣ſ. 28. *& Spiritus ejus velut torrens inundans &c.* Musculus in h. l. *Humano more tribuit illi, quasi bellatori vehementer in hostes commoto, faciem ardentem, id est, oculos flammantes, labia frementia, & summam indignationem increpando præ se ferentia, linguam ad vorandum exsertam, & ignis instar flammeam: & Spiritum, id est, flatum oris concitatum, vehementem, ac quicquid obvium est, subvertentem, perinde ac si torrens quidam rapidissimus ex ore illius prorumpat &c.* Psal. 18: 19. in descriptione Dei, per tempestates & fulgura homines terrentis & perdentis, similia ferè habentur. 2. In specie, *Ore ad os loqui alicui* Deus dicitur, cùm familiariùs & intimius se ei patefacit; uti Mosi hæc prærogativa divinitùs obtigit, Num. 12. ℣ſ. 8.

[a] Labia Deo tributa.

CERVIX DEO tribuitur, quâ *faciei*, hoc est, favoris & gratiæ denegatio significatur. Jer. 18: 17. *Cervicem & non faciem ostendam eis, in die exitii eorum*, hoc est, non dignabor eos invocantes, & opem meam implorantes, respicere, non liberabo eos. Quid *tergo seu posterioribus Dei*, Exod. 33: 23. denotetur, suprà dictum est.

BRACHIUM DEO tribuitur, quo robur & potentia ejus innuitur, quia in hominibus per brachia potissimùm corporis robur exseritur, in labore, pugnâ &c. Exod. 15: 16. Job. 40: 4. Ps. 77: 16. Ps. 79: 11. Ps. 89: 11, 14. Esa. 30: 30. c. 51: 9. c. 59: 16. c. 62: 8. cap. 63: 5. Luc. 1: 15. &c. Psal. 136: 12. *brachium exsertum* Deo liberanti populum suum ex Ægypto tribuitur, uti & Jerem. 32: 17. ubi de creationis opere sermo est, Metaphorâ à bellatoribus pugnantibus, vel aliis vehementius labori incumbentibus, desumtâ; ii enim brachium omni vi atque impetu exserere, quandoque etiam ad removenda vestium impedimenta nudare solent. Sicut ad Ezechielem Prophetam dicit Jehova, cap. 4: 7. *Et brachium tuum nudatum, & prophetabis adversus* eam (Jerusalem) q. d. instar fortis & ardentis bellatoris pugnabis tuis concionibus contra eam &c. Quandoque *brachii DEI* mentione, doctrina Euangelii indicatur, quod, dicente Paulo, Rom. 1: 16. *potentia Dei est ad salutem omni credenti.* Esa. 52: 10. *Denudavit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutem Dei nostri.* Confer vers. 7, 8. &c Esa. 53: 1. *Quis credidit auditui nostro & brachium Domini, cui revelatum est?* Quod Johann. 12: 38. repetitur. Quidam in his locis, uti & Esa. 51: 9. cap. 59: 16. non incommodè ipsum Messiam (potentiam illam & sapientiam Dei, 1. Cor. 1: 24.) intelligunt per brachium Domini &c.

MANUS DEO tribuuntur, quibus itidem potentia Dei intelligitur, exserens se, vel in potentissima & miraculosâ operatione, Num. 11. ℣ſ. 23. Job. 10. ℣ſ. 8. cap. 12. ℣ſ. 9: 10. Psalm. 8. 7. Psal. 95. ℣ſ. 5. Esa. 11: 11. cap. 59. ℣ſ. 1. &c. Vel in forti & gratiosâ protectione, Psal. 31. ℣ſ. 6. Psal. 144. 7. Sap. 3: 1. Johann. 10: 28, 29. Actor 4: 30. Vel in pœnarum inflictione, Exod. 9: 3. Job. 19. 21. Psal. 21: 9. Psal. 17: 14. Psal. 38: 3. Actor 13. ℣ſ. 11. Unde etiam metonymicè, pro ipsa pœna divinitùs inflicta accipitur, Job. 23. ℣ſ. 2. *Manus mea gravis exsistit supra gemitum meum*, hoc est, plaga mea, uti & Chaldæus reddit. cap. 27: 11. *Doceo vos in manu Dei*, scil. versans, hoc est, in plaga Dei. Sic Ezech. 39: 21. Inde phrases: *Ma-*

*num extendere*, pro pœnas immittere, Exod. 7: 5. Esa. 5: 25. cap. 9: 12, 17: 21. cap. 10: 4. cap. 14: 27. cap. 31: 3. Jerem. 6: 12. Ezech. 16: 27. cap. 25: 7. Zeph. 1: 4. cap. 2: 13. *Mittere manum*, eodem sensu, Job. 1: 11. cap. 2: 5. Psal. 138: 7. *Et manum agitare*, (חניף) Esa. 19: 16. *Aggravari manum Dei*, hoc est, graviùs ab ipso castigari, Psalm. 32: 4. Et *alleviari eam*, hoc est, mitiùs pœnis corripi, vel ab illis liberari. 1 Sam. 6: 5. *Reducere manum*, hoc est, plagam seu pœnam avertere, Ezech. 20: 22. *Manum reducere seu referre*, alio significatu, pro pœnas repetere. Esa. 1: 25. *Nam referam manum meam contra te*, q. d. subduxeram ferulas meas (de quibus ℣. 5. seqq) sed eas, quin & graviores repetam atque importabo, ut rite defæceris &c. Actor. 4: 28 *manui Dei consilium & præfinitio* attribuitur, cùm de Agno Dei tollente peccata mundi, & pro iis manu irati Dei infinitis modis presso, passo ac mortuo, agitur. Specialiùs in Deo *manus* aliqua denotat, quorum signa manibus apud homines fieri solent. Utpote, *manum levare ad gentes*, hoc est, quasi nutu eas ad se vocare, Esa. 42: 22. *Manum extendere*, hoc est, ad resipiscentiam misericorditer vocare. Prov. 1: 24. Esa. 65: 2. Sicut quos amplexari vel nobis adesse volumus, ad eos manus extendimus. *Manus complodere*, hoc est, summè detestari atque aversari, cujus signum apud homines manuum complosio esse solet, Ezech. 21: 17. cap. 22: 13. *Manum levare seu extollere*, hoc est, jurare, Ex. 6: 8. Deut. 22: 40: Ezech. 20: 5, 6. cap. 36: 7. &c. hujus enim signum manus levatio est, Gen. 14: 32. De juramento Dei R. Salomo & Aben Ezra explicant etiam illud Exod. 17: 16. *Et dixit* (Moses) כִּי־יָד עַל־כֵּס יָהּ *quia manus super solium Jah* (quòd) *bellum futurum sit Jehova contra Amalekitas, à generatione in generationem*: hoc est, juravit Dominus per thronum suum. Chald. *Et dixit: Juratò assertum, hoc est à Terribili, cujus majestas* (residet) *in throno gloriæ, fore, ut bellum geratur à Domino contra domum Amalek ad exscindendum eos, in æternum*. Alii verò ita: *Manus super solium Jah &c.* hoc est, Deus, in ipso solio majestatis sedens manum exertam habet erectumque vexillum, ad pugnandum contra Amalekitas in perpetuum. Videtur enim Moses hac uti phrasi, allusione factâ ad id, quod in præcedentibus narratur: ℣. 11. *Et fuit, quando elevabat Mose* יָדוֹ *manum suam, prævalebat Israel, & quando dimittebat manum suam, prævalebat Amalec.* ℣. 12. *Et manus Mosis graves erant, & ceperunt lapidem, & posuerunt subter eum, & sedit super eum: & Aharon & Hur fulcierant manus ejus &c.* Ac si dicere verbis illis Mose vellet: Manu meâ elevata & extentâ, victus quidem est Amalec, & Israel ei prævaluit: verùm non ipsi manuum mearum virtuti id adscribendum, sed fortissimæ Dei ipsius manui: quæ non ita imbecillis est, ut lapidis suppositione, vel fulcimento aliquo opus habeat, quò elevari & extendi possit, ut meis contigit manibus: sed est omnipotens illa manus, & brachium robustum (hoc est, virtus omnipotens) super throno Domini, qui bella geret contra Amalec perpetuò &c. Illustris Scaliger, decus illud literarum immortale, singularem fovet sententiam, & כֵּס יָהּ *thronum Jah*, pro una voce habet, ut sit כֵּסְיָה idem ac כֶּסֶה vel כֶּסֶא, quæ vox, ut ejus sententia, τριακάδα seu *ultimum mensis diem* significat (propriè *numerum*, à כסס *numeravit*, quia ultra tricesimum nullus numerus mensium admittebatur) Psal. 81: 8. Prov. 7: 20. Verba ejus ita habent, lib. 3. de emendat. temp. circa finem: Exod. 17. *disertè dicitur* כסיה *resoluto segol in jod. Ultima mensis secundi, quæ erat. 28. Maji, Amaleki copia deletæ, Exod. 19. Propterea Mosés erexit cippum in memoriam illius* τριακάδος sive ἔνης καὶ νέας (νέας) *unm epigraphe: ÆTERNUM BELLUM FORE INTER POPULUM DEI ET AMALEK. Ad verbum:* ςύλη ὑπὲρ τῆς ἱερομηνίας (*sive* τριακάδος *mavis, sive* ἑορτῆς) πόλεμος ἄσπονδος κατὰ τȢ Αμαλέκȣ. *Nam* יָד *eandem rationem habet hic, quam 1 Sam. 15: 12. ubi dicitur Saul sibi erigere tropheum & cippum triumphalem. Interpretes hunc locum sinistrè accipiunt, nescio quam jurisjurandi formulam super throno Dei concipientes.* Idem lib. 5. p. 204. [a] *Critici Judæorum, quos Masorethas vocant, legunt per zere, & duabus vocibus* כֵּס יָהּ *interpretanturque thronum Dei, nullâ sententiâ.* Hæc ille, cujus sententiam sequatur, qui volet. Incertam eam reddit, *tum* odiosa illa de corruptione vocum Biblicarum suspicio, quam Masoretharum mentio non fovere, sed demere debebat, ut qui in notandis & corrigendis vocum corruptelis fuêre curiosissimi (etsi à Masorethis hanc lectionem esse, nullo indicio probatum dari potest;) *tum* inusitata ratio vocis כסיה, & ipsius phraseos: Si enim יָד *cippum* hîc notaret, per voculam, על locus potiùs erectionis cippi, quàm tempus notaretur. Nullam autem sententiam esse, si *thronus Dei* vertatur, gratis dicitur, ut ex suprà dictis patet. Confer Clariss. Dn. Hacspanium in comm. ad libr. Nizzachon R. Lipmani p. 324. Tantum de hoc loco, ad quem per occasionem fuimus delati. Insuper *manus Dei* appellatione, vis prophetica notatur, quâ Deus sanctis suis hominibus adfuit, eosque

[a] De loco Ex. 17: 16. manus super solium Jah.

*quod Deus publicavit, quo ad tuendum naturæ ordinem, & fovendas creaturas utitur. Neque enim conditos à se homines abjicit, sed eâ lege vitam illis infundit, ut semel datam assiduè sustineat, Hebr. 1: 3. &c.* Matt. 4: 4. sententia Mosis à Christo repetitur, & Satanæ tentanti opponitur. De quo lubet D. Calixti in Harm. Euang. pag. 110. adscribere verba: *Servator Filium Dei se esse neque ait, neque negat, sed ex loco convenientissimo Deut. 8: 3. ubi Mosis Israelitas commonefacit, quomodo per 40. annos non usitato pane, sed mannâ cælesti victitârint, respondet: q. d. non est, quod desperem, ac si in penuria panum fame moriendum sit, neque opus est, ut panes producantur per miraculum, quippe quod proferri debeat non ad cujusque libidinem, sed tantùm, cùm postulat Dei gloria, & cùm facit ad procurandam hominum salutem. Non enim in solo pane vivit homo, sed in quovis verbo, quod egreditur ex ore Dei, hoc est, quâvis aliâ re, quam Deus pro immensa sua potentia, & liberrimâ voluntate ordinat & constituit, ut per eam vita hominis sustentetur &c.* Esa. 11: 4. de Christo dicitur: *Et percutiet terram virgâ oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Paul. 2 Thess. 2: 8: *Spiritum oris ejus* nominat. Intelligitur autem verbum Christi, quòd judicabit & damnabit impios, Joh. 12: 48. Chald. ita transfert: *Et eloquio labiorum suorum interficiet* אַרְמִילוּס *Antichristum* seu *antideum impium*, ut à Guidone Fabricio in Lexico Syro-Chaldæo vertitur. Id cum antè citato N. Test. loco convenit. Job. 11: 5. [a] *Labia* Deo tribuuntur, cùm de loquela seu manifestatione ejus sermo est: *Utinam Deus loqueretur, & aperiret labia sua tecum.* Esai 30: 27. *Labia & lingua*, per prosopographiam quandam, Deo irato tribuuntur: *Labia ejus repleta sunt irâ, & lingua ejus tanquam ignis consumens*, ℣s. 28. *& Spiritus ejus velut torrens inundans &c.* Musculus in h. l. *Humano more tribuit illi, quasi bellatori vehementer in hostes commoto, faciem ardentem, id est, oculos flammantes, labia frementia, & summam indignationem increpando præ se ferentia, linguam ad vorandum exsertam, & ignis instar flammeam: & Spiritum, id est, flatum oris concitatum, vehementem, ac quicquid obvium est, subvertentem, perinde ac si torrens quidam rapidissimus ex ore illius prorumpat &c.* Psal. 18: 19. in descriptione Dei, per tempestates & fulgura homines terrentis & perdentis, similia ferè habentur. 2. In specie, *Ore ad os loqui alicui* Deus dicitur, cùm familiariùs & intimius se ei patefacit; uti Mosi hæc prærogativa divinitùs obtigit, Num. 12. ℣s. 8.

[a] Labia Deo tributa.

CERVIX DEO tribuitur, quâ *faciei*, hoc est, favoris & gratiæ denegatio significatur. Jer. 18: 17. *Cervicem & non faciem ostendam eis, in die exitii eorum*, hoc est, non dignabor eos invocantes, & opem meam implorantes, respicere, non liberabo eos. Quid *tergo seu posterioribus Dei*, Exod. 33: 23. denotetur, suprà dictum est.

BRACHIUM DEO tribuitur, quo robur & potentia ejus innuitur, quia in hominibus per brachia potissimùm corporis robur exseritur, in labore, pugnâ &c. Exod. 15: 16. Job. 40: 4. Ps. 77: 16. Ps. 79: 11. Ps. 89: 11, 14. Esa. 30: 30. c. 51: 9. c. 59: 16. c. 62: 8. cap. 63: 5. Luc. 1: 15. &c. Psal. 136: 12. *brachium exsertum* Deo liberanti populum suum ex Ægypto tribuitur, uti & Jerem. 32: 17. ubi de creationis opere sermo est, Metaphorâ à bellatoribus pugnantibus, vel aliis vehementius labori incumbentibus, desumtâ; ii enim brachium omni vi atque impetu exserere, quandoque etiam ad removenda vestium impedimenta nudare solent. Sicut ad Ezechielem Prophetam dicit Jehova, cap. 4: 7. *Et brachium tuum nudatum, & prophetabis adversus* eam (Jerusalem) q. d. instar fortis & ardentis bellatoris pugnabis tuis concionibus contra eam &c. Quandoque *brachii DEI* mentione, doctrina Euangelii indicatur, quod, dicente Paulo, Rom. 1: 16. *potentia Dei est ad salutem omni credenti.* Esa. 52: 10. *Denudavit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium; & videbunt omnes fines terræ salutem* Dei *nostri.* Confer vers. 7, 8. &c Esa. 53: 1. *Quis credidit auditui nostro & brachium Domini, cui revelatum est?* Quod Johann. 12: 38. repetitur. Quidam in his locis, uti & Esa. 51: 9. cap. 59: 16. non incommodè ipsum Messiam (potentiam illam & sapientiam Dei, 1 Cor. 1: 24.) intelligunt per brachium Domini &c.

MANUS DEO tribuuntur, quibus itidem potentia Dei intelligitur, exserens se, vel in potentissima & miraculosâ operatione, Num. 11. ℣s. 23. Job. 10. ℣s. 8. cap. 12. ℣s. 9: 10. Psalm. 8. 7. Psal. 95. ℣s. 5. Esa. 11: 14. cap. 59. ℣s. 1. &c. Vel in forti & gratiosâ protectione, Psal. 31. ℣s. 6. Psal. 144: 7. Sap. 3: 1. Johann. 10: 28, 29. Actor 4: 30. Vel in poenarum inflictione, Exod. 9: 3. Job. 19. 21. Psal. 21: 9. Psal. 17: 14. Psal. 38: 3. Actor. 13. ℣s. 11. Unde etiam metonymicè, pro ipsa poena divinitùs inflicta accipitur, Job. 23. ℣s. 2. *Manus mea gravis exstitit supra gemitum meum*, hoc est, plaga mea, uti & Chaldæus reddit. cap. 27: 11. *Doceo vos in manu Dei*, scil. versans, hoc est, in plaga Dei. Sic Ezech. 38: 21. Inde phrases: *Ma-*

*num*

*num extendere*, pro pœnas immittere, Exod. 7: 5. Esa. 5: 25. cap. 9: 12, 17: 21. cap. 10: 4. cap. 14: 27. cap. 31: 3. Jerem. 6: 12. Ezech. 16: 27. cap. 25: 7. Zeph. 1: 4. cap. 2: 13. *Mittere manum*, eodem sensu, Job. 1: 11. cap. 2: 5. Psal. 138: 7. *Et manum agitare*, (הניף) Esa. 19: 16. *Aggravari manum Dei*, hoc est, graviùs ab ipso castigari, Psalm. 32: 4. Et *alleviari eam*, hoc est, mitiùs pœnis corripi, vel ab illis liberari. 1 Sam. 6: 5. *Reducere manum*, hoc est, plagam seu pœnam avertere, Ezech. 20: 22. *Manum reducere seu referre*, alio significatu, pro pœnas repetere. Esa. 1: 25. *Nam referam manum meam contra te*, q. d. subduxeram ferulas meas (de quibus ẏs. 5. seqq) sed eas, quin & graviores repetam atque importabo, ut ritè defæceris &c. Actor. 4: 28 *manui Dei consilium & præfinitio* attribuitur, cùm de Agno Dei tollente peccata mundi, & pro iis manu irati Dei infinitis modis presso, passo ac mortuo, agitur. Specialiùs in Deo *manus* aliqua denotat, quorum signa manibus apud homines fieri solent. Utpote, *manum levare ad gentes*, hoc est, quasi nutu eas ad se vocare, Esa. 42: 22. *Manum extendere*, hoc est, ad resipiscentiam misericorditer vocare. Prov. 1: 24. Esa. 65: 2. Sicut quos amplexari vel nobis adesse volumus, ad eos manus extendimus. *Manus complodere*, hoc est, summè detestari atque aversari, cujus signum apud homines manuum complosio esse solet, Ezech. 21: 17. cap. 22: 13. *Manum levare seu extollere*, hoc est, jurare, Ex. 6: 8. Deut. 32: 40: Ezech. 20: 5, 6. cap. 36: 7. &c. hujus enim signum manus levatio est, Gen. 14: 32. De juramento Dei R. Salomo & Aben Ezra explicant etiam illud Exod. 17: 16. *Et dixit* (Moses) כִּי־יָד עַל־כֵּס יָהּ *quia manus super solium Jah* (quòd) *bellum futurum sit Jehovæ contra Amalekitas, à generatione in generationem*: hoc est, juravit Dominus per thronum suum. Chald. *Et dixit: Jurato assertum hoc est à Terribili, cujus majestas* (residet) *in throno gloriæ, fore, ut bellum geratur à Domino contra domum Amalek ad exscindendum eos, in æternum.* Alii verò ita: *Manus super solium Jah &c.* hoc est, Deus, in ipso solio majestatis sedens manum exertam habet erectumque vexillum, ad pugnandum contra Amalekitas in perpetuum. Videtur enim Moses hac uti phrasi, allusione factâ ad id, quod in præcedentibus narratur: ẏs. 11. *Et fuit, quando elevabat Mose* יָדוֹ *manum suam, prævalebat Israel, & quando dimittebat manum suam, prævalebat Amalec.* ẏs. 12. *Et manus Mosis graves erant, & ceperunt lapidem, & posuerunt subter eum, & sedit super eum: & Aharon & Hur fulciebant manus ejus &c.* Ac si dicere verbis illis Mose vellet: Manu meâ elevata & extentâ, victus quidem est Amalec, & Israel ei prævaluit: verùm non ipsi manuum mearum virtuti id adscribendum, sed fortissimæ Dei ipsius manui: quæ non ita imbecillis est, ut lapidis suppositione, vel fulcimento aliquo opus habeat, quò elevari & extendi possit, ut meis contigit manibus: sed est omnipotens illa manus, & brachium robustum (hoc est, virtus omnipotens) super throno Domini, qui bella geret contra Amalec perpetuò &c. Illustris Scaliger, decus illud literarum immortale, singularem fovet sententiam, & כֵּס יָהּ *thronum Jah*, pro una voce habet, ut sit כֵּסְיָה idem ac כֶּסֶה vel כֶּסֶא, quæ vox, ut ejus sententia, τριακάδα seu *ultimum mensis diem* significat (propriè *numerum*, à כסס *numeravit*, quia ultra tricesimum nullus numerus mensium admittebatur) Psal. 81: 8. Prov. 7: 20. Verba ejus ita habent, lib. 3. de emendat. temp. circa finem: Exod. 17. *disertè dicitur* כסיה *resoluto segol in jod. Ultima mensis secundi, quæ erat. 28. Maji, Amaleki copiæ deletæ, Exod. 19. Propterea Moses erexit cippum in memoriam illius* τριακάδος sive ἕνης καὶ μίας (νέας) *cum epigraphe: ÆTERNUM BELLUM FORE INTER POPULUM DEI ET AMALEK. Ad verbum*: ςύλη ὑπὲρ τῆς ἱερομηνίας (*sive* τριακάδος *mavis, sive* ἑορτῆς) πόλεμος ἄσπονδος κατὰ τȣ Ἀμαλήκȣ. *Nam* יָד *eandem rationem habet hic, quam 1 Sam. 15: 12. ubi dicitur Saul sibi erigere tropheum & cippum triumphalem. Interpretes hunc locum sinistrè accipiunt, nescio quam jurisjurandi formulam super throno Dei concipientes.* Idem lib. 5. p. 204. [a] *Critici Judæorum, quos Masorethas vocant, legunt per zere, & duabus vocibus* כֵּס יָהּ *interpretanturque thronum Dei, nullâ sententiâ.* Hæc ille, cujus sententiam sequatur, qui volet. Incertam eam reddit, *tum* odiosa illa de corruptione vocum Biblicarum suspicio, quam Masoretharum mentio non fovere, sed demere debebat, ut qui in notandis & corrigendis vocum corruptelis fuêre curiosissimi (etsi à Masorethis hanc lectionem esse, nullo indicio probatum dari potest;) *tùm* inusitata ratio vocis כסיה, & ipsius phraseos: Si enim יָד *cippum* hic notaret, per voculam, על locus potiùs erectionis cippi, quàm tempus notaretur. Nullam autem sententiam esse, si *thronus Dei* vertatur, gratis dicitur, ut ex suprâ dictis patet. Confer Clariss. Dn. Hacspanium in comm. ad libr. Nizzachon R. Lipmani p. 324. Tantum de hoc loco, ad quem per occasionem fuimus delati. Insuper *manus Dei* appellatione, vis prophetica notatur, quâ Deus sanctis suis hominibus adfuit,

[a] De loco Ex. 17:16. manus super solium Jah.

eosque ad certa opera vel effata impulit, 1 Reg. 18: 46. 2 Reg. 3: 15. Ezech. 1: 3. cap. 8: 1. cap. 33: 22. quibus locis Chald. phrasi utitur, *requiescere Spiritum prophetiæ à Domino super aliquo.* Denique phrasi, *in manus filii omnia dari à Patre*, Joh. 3: 35. totius plenitudinis Deitatis, humanæ naturæ in unitatem personæ assumtæ facta communicatio denotatur. Confer Matth. 11: 27. Coloss. 2: 9. metaphorâ ab homine ducta, qui quod manu ipsâ apprehendit tenétque sibi datum, omnium certissimè possidet &c.

DEXTRA DEO tribuitur, quâ potentia divina itidem intelligitur, vel ipse Deus omnipotens. Exod. 15: 6. *Dextra tua, Domine, magnificata est in fortitudine.* Psa. 77: 11. *Et dixi, infirmari hoc meum est, mutare, dextræ excelsi.* Psal. 118: 15. *Dextra Domini facit fortitudinem*, ℣f. 16. *Dextra* Domini *excelsa, dextra Domini facit fortitudinem.* Psal. 139: 10. *Etiam ibi manus tua ducet me, & tenebit me dextra tua*, hoc est, potentia tua longè patentissima & ubivis diffusa. Esa. 48: 13. *Manus mea fundavit terram, & dextera mea mensa est cœlos.* In specie potentiam Dei notat *dextra ejus*, quam exserit, tùm in misericordia & beneficentiâ sua erga credentes, Ps. 20: 7. Psal. 18: 36. Psal. 44: 4. Psal. 63: 9. Psal 80: 16, 18. (vide Grammaticam sacram pag. 126.) tùm in ira & vindictâ sua adversus hostes, Exod. 15: 6, 12. &c. Inde phrasis, *sedere ad dextram Dei*, de Christo secundùm humanam naturam exaltato usurpata, Psal. 110: 1. Matt. 26: 64. Marc. 16: 19. Actor. 2: 33, 34. cap. 7: 55, 56. Rom. 8: 34. Coloss. 3: 1. &c. Non propriè ea intelligenda, de situ quodam locali in certo cœli loco; sed ἀνθρωποπαθῶς Scripturæ more posita, θεοπρεπῶς intelligenda & explicanda est, de dominio præsentissimè & potentissimè operantis, gubernantisque, uti clara explicatio habetur. 1 Cor. 15: 25. Eph. 1. ℣f. 20, 21, 22. cap. 4: ℣f. 10. Hebr. 1: 3, 4. cap. 8: 1.

DIGITUS DEO tribuitur, quo itidem potentia & virtus Dei operantis denotatur, sicut digitorum adminiculo homines sua peragunt, Exod. 8: 19. cap. 31: 18. Psal. 8: 4. quo in loco posteriori dum cœli dicuntur *opus digitorum Dei*, quidam illam constituunt emphasin metaphoricam, quòd illi & summâ facilitate sint à Deo creati, & valdè artificiosè conditi, ut subtilia ac preciosa opera à summis artificibus non corporis robore, non brachiis & manibus, sed summis digitis conficiuntur. Spiritum sanctum *per digitum Dei* Luc. 11: 20. intelligi, ex collatione Matth. 12: 28. patet: quo ad virtutem Spiritus sancti, in Christo operantis, respicitur, Actor. 10: 38. &c. Digitis humanis constituitur *pugillus*, si contrahantur, & *spithama*, si extendantur: quæ duo etiam ἀνθρωποπαθῶς Deo tribuuntur. Esa. 40: 12. *Quis mensus est pugillo suo aquas, & cœlos spithama direxit?* q. d. ego id feci. Verba Jehovæ ipsius, quibus denotat quàm facile sibi sit res omnes & creare & creatas sustentare atque dirigere potentissimè; nimirum quemadmodum res minimas his exiguis modis & instrumentis homines sua tractant; ita Deò tàm facile, imò multò facilius est, totam rerum universitatem arbitratu suo regere. Confer Prov. 30: 4. &c. Esa. 48: 13. verbum aliquod Deo tribuitur, *à palmo* humano (quæ mensura quatuor digitorum conjunctorum est) deductum: *Dextra mea* טִפְּחָה *palmavit cœlos*, vel palmo extendit, explanavit & æquavit cœlos &c.

COR DEO tribuitur, quo vel ipsa Dei essentia viva denotatur, quemadmodum cor in homine principium vitæ censetur. Gen. 6: 6. *Et doluit in corde suo*, hoc est, in seipso. Vel voluntas & decretum Dei, Gen. 8: 21. *Dixit in corde suo*, hoc est, statuit, seu decretum fecit. Chaldæus: *Dixit in verbo suo*, Jer. 19: 5. *Non ascendit super cor meum*, hoc est, non volui, nec mandavi. Quia scil. Scriptura cor facit animæ sedem, cujus est cogitare, velle, decernere. Vel specialiùs beneplacitum & approbatio Dei, 1 Sam. 13: 4. *Quæsivit Dominus sibi virum, secundum cor suum*, hoc est, εὐδοκίαν, favorem, beneplacitum suum. Sic Actor. 13: 22. &c. Jerem. 32: 41. *Plantabo eos in terra hac, in veritate, toto corde meo, & tota anima mea*, hoc est, benevolentissimè & studiosissiè.

VISCERA DEO tribuuntur, quibus misericordia & dilectio ejus ardentissima exprimitur. Esa. 63: 15. *Ubi zelus tuus, & fortitudo tua, & multitudo* הֲמוֹן *viscerum tuorum, & miserationum tuarum &c.* Jerem. 31: 20. *Sonuerunt* מֵעַי *viscera mea propter eum, miserendo miserebor ejus, dicit Dominus.* Luc. 1: 78. *διὰ σπλάγχνα, per viscera misericordiæ Dei nostri, quibus visitavit nos oriens ex alto.* Inde verbum σπλαγχνίζεσθαι, *misericordia commoveri*, quod de Christo crebrò usurpatur, Matth. 9: 36. cap. 14: 14. cap. 15: 32. Marc. 1: 41. cap. 6: 34. &c. Hùc referunt vocem רַחֲמִים quæ & *viscera*, & *miserationis affectum* denotat, Genes. 43: 29. 1 Reg. 3: 26. & Deo tribuitur, Psal. 51: 3. Esa. 63. ℣f. 7. Flac. part. 1. clav. Script. col. 1282. *Dubitari posset, an vocabulum hoc viscerum misericordiam significet, ducto etymo à materno affectu, quo ea prædita est erga suum fœtum utero gestatum*, (רֶחֶם enim *uterum* significat) *atque adeò ab ipsa suavi mollique fovitione, quâ*

*secum-*

*secundina & uterus maternus fovet inclusum fœtum? an verò, quia in vitalibus visceribus affectus sunt? ut sic continens pro contento, seu causa aut instrumentum pro suo effectu ponatur. Constat sanè, in magna commiseratione gravissimè interna viscera affici, ut non immeritò ex illo sensu doloris viscerum, huic nomini significatio affectuum attributa esse videatur &c.* Quod de metaphora, ab a utero matris deducta, dictum est, ad misericordiam Dei exprimendum, id à quibusdam etiam statuitur in loco Esa. 46 3: ubi Jehova ad Israelis populum ita loquitur: *Qui portamini* מִנִּי־בֶטֶן *à me in utero, & qui gestamini* מִנִּי־רָחַם *à me in vulva.* Luth. Die ihr von mir im Leibe getragen werdet/ und mir in der Mutter ligt/ hoc est, ut Chald. expressit, *dilecti mihi præ omnibus populis, & chari præ omnibus regnis.* Alii verò *uterum* propriè intelligunt, & temporis (primæ videlic. conceptionis & nativitatis) indicium hic haberi ajunt, hoc sensu: qui inde ab utero matris vestræ, â me portamini. Quam expositionem confirmat antithesis in ℣. 4. *Et usque ad senectam & caniciem ego portabo vos &c.* Jod in מִנִּי paragogicum est, uti Psa. 44. 19. Psa. 74: 22. Es. 30: 11. &c.

SINUS DEO tribuitur, tribus locis, in quibus verus sensus ex circumstantiis, & analogiâ fidei, rectè eruendus. Psal. 74: 11. *Quare avertis manum tuam, & dextram tuam? è medio sinus tui perfice*, hoc est, ne finito amplius ociosam esse dextram tuam, sed velut ex sinu eductam exsere, & perfice opera tua magnifica, nimirum adversus hostes tuos nostrosque. Confer Prov. 19: 24. cap. 26: 15. R. Kimchi per *sinum Dei* sanctuarium intelligit, quod quædam quasi latebra Dei est, ut sinus hominis. Drusius animad. lib. 2. cap. 5. *Ex medio sinu tuo*, scil. educ. (dextram tuam) *&* כַּלֵּה *confice*, scil. hostes tuos. Chaldæus: *Cur avertis manum tuam & dextram tuam à redimendo? ex medio sinus extrahe eam, & fini afflictionem.* Esa. 40: 1. *In sinu suo portabit*, scil agnos. De Messia id dicitur, qui pastori comparatur, & denotatur hac phrasi summa ejus φιλανθρωπία, humanitas & lenitas, erga miseros peccatores, sensu iræ Dei conterritos, ac fide imbecilles. Solent enim pastores, aliquando parvos ac imbecilles agnos anterius in sinu molliter gestare, sicut oves grandiores in cervice aut tergo &c. Joh. 1: 18. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Metaphoricè intima communio filii Dei cum Deo Patre innuitur, quæ consistit, *tùm* in æterna generatione, sicut parentes filios à se genitos in sinu gestare dicuntur, Num. 11: 12. (simili ratione Prov. 8: 30. Filius Dei similitudine pueri, coram parente suo ludentis, figuratur) *Tùm* in arctissima cognatione, vel unitate potiùs, naturæ ac essentiæ: sicut Joh. 14: 10. dicitur, *esse in Patre, & Pater in ipso. Tùm* in ardentissima dilectione, sicut quod charum est, in sinu ab hominibus gestari solet, & de discipulo, quem diligebat Jesus, dicitur, quòd *in sinu ejus recubuerit*, Joh. 13. 23. a Uterus.
*Tùm* in secretissimorum communicatione: solus enim Filius novit & perfectè videt Patrem, unde & solus eum, & mysteria ejus cœlestia patefacere potest. Ad quod ultimum Joannes potissimùm respicit, ut ex ipso contextu patet.

PEDES DEO tribuuntur, quibus denotatur, *tùm* immensitas ejus & omnipræsentia in terris, Esa. 66: 1. *tùm* operatio ejus, in hostibus supplantandis, conterendis, perdendis, Psal. 74: 3. Psal. 110: 1. Thren. 3: 34. Et in Ecclesia sua per verbum salvanda, quæ *locus pedum* Dei dicitur Esa. 60: 13. quia quasi in ea ambulat, & suam ipsi gratiam gloriamque exhibet. Quò etiam pertinet illud Deut. 33: 3. *Ipsi* (sancti) *conjuncti sunt ad pedem tuum, accipiet* (quisque) *de eloquiis tuis.* Ubi à ritu discipulorum metaphora desumitur, qui pedibus præceptorum assident, Actor. 22: 3. uti etiam *Maria assidebat ad pedes Jesu, & audiebat sermonem illius*, Lucæ 10: 39. Nah. 1: 3. nubes dicitur *ut pulvis esse pedum Dei*, hoc est, incedere ipsum quasi per nubes, ut homines per pulverem terræ, celerriméque progredi, ut nubes in aere volantes. Confer Esa. 19: 1. cap. 60: 8 Psal. 104: 3. Ad pedes *vestigia* quoque pertinent, quæ Deo tribuuntur, Psa. 89: 52 *Probris afficiunt* (inimici) *vestigia uncti tui*, hoc est, documenta habitantis in nobis Messiæ, ut quòd verbo suo nos erigit & solatur, quòd adventum suum promisit in carnem, & ad judicium &c. Quidam ita: *Exprobrant tarditatem adventus ipsius*, quasi nimis lento passu progrediatur, id est, quòd nunquam sit venturus. Chaldæus: *Probris afficiunt cunctationem vestigii pedum Christi tui &c.* Tantum de partibus hominis, & membris humanis, Deo tributis. Antequam tamen hinc digrediar, placet de hoc ἀνθρωποπαθείας modo verba Tertulliani (vel quicunque ejus libri autor sit, neque enim eadem omnibus de hac sententia) de Trinitate, fol. 601. adscribere, consideratione non indigna. *Efficacia divinæ*, inquit, *per membra monstrantur; non habitus Dei, nec corporalia lineamenta ponuntur. Nam & cùm oculi describuntur, quòd omnia videat, exprimitur. Et quando auris, quòd omnia audiat, proponitur. Et cùm digitus, significantia quædam*

*voluntatis aperitur. Et cùm nares, precum quasi odorum perceptio ostenditur. Et cùm manus, quod creaturæ sit omnis autor, probatur. Et quando brachium, quòd nulla natura contra robur ipsius repugnare possit, edicitur. Et quando pedes, quòd impleat omnia, nec sit quicquam, ubi non sit Deus, explicatur, Neque enim sunt ei aut membra, aut membrorum officia necessaria, ad cujus solum etiam tacitum arbitrium & serviunt & adsunt omnia. Cur enim requirat oculos, qui lux est? aut cur quærat pedes, qui ubique est? aut cur ingredi velit, cùm non sit, quò extra se progredi possit? aut cur manus expetat, cujus ad omnia instituenda artifex est, & silens voluntas? nec auribus eget, qui etiam tacitas novit voluntates: aut propter quam caussam linguam quærat, cui cogitare jussisse est? Necessaria enim hæc membra hominibus fuerunt, non Deo: quia inefficax hominis consilium fuisset, nisi cogitamen corpus implesset: Deo autem non necessaria, cujus voluntatem non tantùm sine aliqua molitione opera subsequuntur, sed ipsa statim opera cum voluntate procedunt. Cæterùm ipse totus oculus, quia totus videt: & totus auris, quia totus audit: & totus manus, quia totus operatur: & totus pes, quia totus ubique est &c.* Similia Augustin. habet. tom. 2. Epist. 111. ad Fortunatianum, col. 522, 523.

## *AFFECTUS HUMANI DEO TRIBUTI.*

a Affectuum discrimen.

Notandum hîc [a] affectuum humanorum discrimen. Quidam ita Deo tribuuntur, ut verè in ipso sint, sed non eâ ratione imperfecta, & per modum accidentis, ut in homine; verùm ratione longe puriori & eminentiori, adeoque per modum ipsius essentiæ seu substantiæ. Et ita voces, quibus humani ejusmodi exprimuntur affectus, priùs ab omni imperfectione depurandæ mente fideli, atque sic de Deo ritè intelligendæ sunt. Augustin. tom. 4. lib. 2. ad Simplicianum, quæst. 2. *Ira hominis turbida est, & non sine cruciatu animi: Ira verò Dei, de qua dicitur in Evangelio; sed ira Dei manet super eum; Et Apostolus: Revelabitur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem; illo in tranquillitate jugiter manente, in creatura subdita exercet admirabili æquitate vindictam. Misericordia quoque hominis habet nonnullam cordis miseriam, unde etiam in Latina lingua nomen accepit. Nam inde est etiam, quòd non solùm gaudere cum gaudentibus, sed etiam flere cum flentibus hortatur Apostolus. Quis autem sano capite dixerit ulla miseria tangi Deum, quem ubique Scriptura multæ misericordiæ esse testatur? Ita & zelum humanum non sine peste livoris intelligimus: zelantem verò Deum non ita, sed eodem verbo, non eodem modo.* Notatu digna sunt B. Chemnitii verba, in Locis Theolog. pag. 29. *Scholastici ex pravo hujus regulæ (In Deum non cadit accidens) intellectu, ademerunt Deo omnes affectus, ut etiam dulcissimam illam consolationem (Hos. 11: 8, 9. inversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea non faciam furorem iræ meæ, non convertar, ut disperdam Ephraim, quoniam ego Deus, & non homo) affirment accipiendam esse secundum effectionem tantùm, non secundùm affectionem. Verum quidem est, quia in Deum non cadit accidens, commiserationem in ipso non esse talem affectum, sicut in nobis est. Sed quia misericordia ejus non distinguitur ab essentia ejus, est quiddam multò ardentius in Deo, quàm nos cogitare possumus &c.* Pertinet etiam huc, cùm *Lætitia & gaudium* Deo tribuitur, quo vel beneplacitum ejus in creatis à se rebus innuitur, Psal. 104: 31. *Lætatur Dominus in operibus suis.* Vel gratuitus & propensissimus ejus favor erga Ecclesiam, sicut de rebus sibi charis gaudere homines in sinu solent. Esa. 62: 5. *Sicut est gaudium sponso super sponsam,* ישׂישׂ *gaudebit super te Deus tuus.* Sic Deut. 28: 63. cap. 30. 9. Jerem 32: 41. &c. Est in Deo gaudium, quod in gratiosis effectibus se etiam exserit, sed id infinities majus est quàm in hominibus est, vel ab iis cogitari potest. Quidam verò affectus humani, eorundémve peculiares descriptiones, propriè loquendo, in Deo non sunt, sed ad quiddam divinum significandum, per similitudinem (uti hactenus de membris humanis dictum) ad Deum referuntur. Istius generis quosdam recensebimus.

TRISTITIA & *dolor animi* Deo tribuitur, quo displicentia ejus & gratiæ subtractio denotatur. Esa. 63. ℣s. 10. *Et ipsi rebelles fuerunt,* ועצבו *& dolore affecerunt Spiritum sanctitatis ejus,* h. e. talia contra propriam conscientiam perpetrârunt, ut Spiritus sanctus meritò gratiâ suâ eos deseruerit. Idem verbum de Deo usurpatur eodem sensu Psalm. 78. ℣s. 40. Et expressit idem Paulus, Ephes. 4. ℣s. 30. *Et ne λυπεῖτε, contristetis Spiritum sanctum Dei, quo obsignati estis in diem redemtionis,* hoc est, ne committite spurcis ac profanis sermonibus, ut Spiritus sanctus dona sua & gratiosam operationem vobis subtrahat, & pro gratia Dei vos iram & pœnas ejus reporteris. Sic Genes. 6. ℣s. 6. ויתעצב *& doluit (Deus) in corde suo,* hoc est, summè ipsi malitia ea hominum displicuit, & de pœna immittenda decretum divinum suum manifestavit. Chaldæus reddit: *Et dixit in verbo suo, se confracturum potentiam*

*eorum secundum voluntatem suam.* Huc pertinet phrasis Jud. 10. ℣. 16. וַתִּקְצַר נַפְשׁוֹ *& abbreviata est anima ejus* (Jehovæ) *propter laborem Israel*, hoc est, doluit seu angustiis affecta est anima ejus, ut Chaldæus vertit. Quo dolore commiseratio Dei in angustiis & calamitatibus populi Israel innuitur. Eadem phrasis Zach. 11. ℣. 8. de indignatione & aversione Dei usurpatur. Ezech. 6. ℣. 9. *fractionis* vox eodem omninò sensu de Deo usurpatur: *Recordabuntur, quòd* נִשְׁבַּרְתִּי *fractus fuerim à corde ipsorum scortante, quod recessit à me*, hoc est, dolore affectus fuerim, & quasi coactus, ut decretum de puniendis ipsis facerem, uti ℣. 10. innuitur.

**POENITENTIA DEO** tribuitur, quâ itidem divina displicentia adversus peccata, & pœnarum inflictio innuitur, Genes. 6. ℣. 6. 1 Sam. 15. ℣. 11, 35. Jerem. 18. v. 10. Quandoque etiam (si de hominibus agatur, pœnitentiâ seriâ ad Deum conversis) divina commiseratio, & pœnarum ablatio, Exod. 32. ℣. 12, 14. 2 Sam. 24. ℣. 16. Psalm. 106. ℣. 45. Jerem. 18. ℣. 8. cap. 26. ℣. 3. Hos. 11. ℣. 8. Amos 7. ℣. 3, 6. Joël. 2 ℣. 13, 14. in quem locum ita Tarnovius: *Conditione in hominibus immutatâ, Deus immutabilis non mutatur, sed res ipsa, siquidem idem semper vult, ut obstinatis malè sit, & æternùm pereant: resipiscentes verò, cum in hac, tùm in futura vita verè beentur. Idcircò quando Deus remittit pœnam conversis, quam denunciaverat improbè ac nefariè peccantibus, pœnitere mali ipsum dicitur ἀνθρωποπαθῶς, quòd ea facere videatur, quæ solent homines pœnitentes. Aliàs Deum propriè pœnitere non potest, siquidem non est homo*, 1 *Sam.* 15:29. *Quò pertinet Augustini hoc: Dei pœnitentia non est post errorem, sed rerum in ejus potestate constitutarum mutatio. Ubi enim legitur, quòd pœniteat Deum, mutatio rerum significatur, immutabili præscientiâ manente divinâ, & ubi non pœnitere dicitur, non mutare intelligitur, lib.* 17. *de Civit. Dei cap.* 7. Rursus Augustin. tom. 8. in Psalm. 109. (Hebr. 110.) col. 1286. *Pœnitentiâ mutatio rerum significatur. Quomodo enim tu, cùm aliquid te pœnitet, doles factum quod fecisti: Sic quando aliquid Deus præter spem hominum, id est, præterquam sperant homines, mutat in aliud, pœnitere se dicit: usque adeò ut & de pœna nostra pœnitent eum si nos de vita nostra mala pœnituerit.* Vide in Psal. 131. col. 15,0. Polanus in syntag Theol. pag. 194. *Pœnitentia Dei non est perturbatio & dolor, ex agnitione erroris oriens, nec consilii & decreti divini, quod est immutabile*, 1 *Sam.* 15:29. *Sed operum Dei mutatio, immutabili consilio manente divino &c. Ejus causæ sunt vel peccata, vel resipiscentia hominum. Attamen hujusmodi mutatio à Deo ab æterno est decreta. Nam utrumque Deus decrevit, & facere aliquod opus, & illud rursus mutare, propter peccata vel resipiscentiam hominum. Et mutatio operis vocatur pœnitentia Dei &c.*

**IRA, ULTIO, ODIUM,** quando Deo tribuitur, id aliqui huc referunt. De quo notandum, non ipsa hæc vocabula ἀνθρωποπαθῶς Deo tribui: verissimè enim, & infinitâ ratione, Deus ex justitia irascitur peccatoribus, & ultionem de iis sumit, seu eos pœnis afficit. Jerem. 9. ℣. 9. Nah. 1 ℣. 2. &c. Verè peccatores & hypocritas odit. Psal. 5, 6. Esa. 1:14. &c. Licèt absque ulla perturbatione, ἀταξίᾳ, & imperfectione hæc sint Deo tribuenda. August. Enchir. ad Laurent. cap. 33. *Cùm Deus irasci dicitur, non ejus significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis; Sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus, quæ non nisi justa est; iræ nomen accepit.* Idem lib. 13. de Trinit. cap. 16. *Ira Dei nihil est aliud, quam justa vindicta. Non enim sicut hominis animi perturbatio est ira Dei, sed illius ira est, cui dicit alio loco Sancta Scriptura* (Sap. 12:8.) *Tu autem Domine virtutum cum tranquillitate judicas.* Confer eundem in Ps. 78. tom. 8. col. 880. Est autem ἀνθρωποπάθεια in quibusdam vocibus phrasibusque, quibus affectus illi exprimi solent. Sic *Spiritus & spirare* quandoque iram Dei notat, metaphorâ ab hominibus deductâ, qui in vehementi iræ commotione fortiùs spiritum ducere solent, Exod. 15: 8. Job. 4: 9. Esa. 30: 11. Ezech. 31: 30. &c. *Gaudium* in puniendo, alacritatem Dei in infligendiis supplicis notat. Deut. 28: 63. (ubi antanaclasis vocis est, respondens gaudio illi Dei, in bonum) *Oneri seu defatigationi Deo esse aliquid* dicitur, cùm illud aversatur atque odit, Esa. 1: 14. *Consolationem accipere* Deus dicitur, cùm ab hostibus suis ultionem sumit, ut iratis hominibus vindicta solet esse suavissima, Esa. 1: 24. cap. 57: 6. Ezech. 5: 13. Secundùm versionem Lutheri addendus locus Jerem. 8: 18. Da will ich mich meiner Mühe und meines Hertzeleides ergetzen. In Hebr. est, מַבְלִיגִיתִי *confortatio mea est in mœrore, in me cor meum languidum est.* Junius & Tremellius: *Quod me recreaturum esset, est in mœrore &c.* Ut sit periphrasis animi: nam animus lætus bene medicinam facit, Prov. 17: 22 Vatablus: *In fortificatione mea super dolore, in me cor meum est infirmum*, hoc est, dum conor dolorem animi depellere à me, deficit mihi animus. Rectiùs

igitur

*voluntatis aperitur. Et cùm nares, precum quasi odorum perceptio ostenditur. Et cùm manus, quod creaturæ sit omnis autor, probatur. Et quando brachium, quòd nulla natura contra robur ipsius repugnare possit, edicitur. Et quando pedes, quòd impleat omnia, nec sit quicquam, ubi non sit Deus, explicatur, Neque enim sunt ei aut membra, aut membrorum officia necessaria, ad cujus solum etiam tacitum arbitrium & serviunt & adsunt omnia. Cur enim requirat oculos, qui lux est? aut cur quærat pedes, qui ubique est? aut cur ingredi velit, cùm non sit, quò extra se progredi possit? aut cur manus expetat, cujus ad omnia instituenda artifex est, & silens voluntas? nec auribus eget, qui etiam tacitas novit voluntates: aut propter quam causam linguam quærat, cui cogitare jussisse est? Necessaria enim hæc membra hominibus fuerunt, non Deo: quia inefficax hominis consilium fuisset, nisi cogitamen corpus implesset: Deo autem non necessaria, cujus voluntatem non tantùm sine aliqua molitione opera subsequuntur, sed ipsa statim opera cum voluntate procedunt. Cæterùm ipse totus oculus, quia totus videt: & totus auris, quia totus audit: & totus manus, quia totus operatur: & totus pes, quia totus ubique est &c.* Similia Augustin. habet. tom. 2. Epist. 111. ad Fortunatianum, col. 522, 523.

## *AFFECTVS HVMANI DEO TRIBVTI.*

a Affectuum discrimen.

Notandum hîc [a] affectuum humanorum discrimen. Quidam ita Deo tribuuntur, ut verè in ipso sint, sed non eâ ratione imperfecta, & per modum accidentis, ut in homine; verùm ratione longe puriori & eminentiori, adeoque per modum ipsius essentiæ seu substantiæ. Et ita voces, quibus humani ejusmodi exprimuntur affectus, priùs ab omni imperfectione depurandæ mente fideli, atque sic de Deo ritè intelligendæ sunt. Augustin. tom. 4. lib. 2. ad Simplicianum, quæst. 2. *Ira hominis turbida est, & non sine cruciatu animi: Ira verò Dei, de qua dicitur in Euangelio; sed ira Dei manet super eum; Et Apostolus: Revelabitur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem; illo in tranquillitate jugiter manente, in creatura subdita exercet admirabili æquitate vindictam. Misericordia quoque hominis habet nonnullam cordis miseriam, unde etiam in Latina lingua nomen accepit. Nam inde est etiam, quòd non solùm gaudere cum gaudentibus, sed etiam flere cum flentibus hortatur Apostolus. Quis autem sano capite dixerit ulla miseria tangi Deum, quem ubique Scriptura multa misericordia esse testatur? Ita & zelum humanum non sine peste livoris intelligimus: zelantem verò Deum non ita, sed eodem verbo, non eodem modo.* Notatu digna sunt B. Chemnitii verba, in Locis Theolog. pag. 29. *Scholastici ex pravo hujus regulæ (In Deum non cadit accidens) intellectu, ademerunt Deo omnes affectus, ut etiam dulcissimam illam consolationem (Hos. 11: 8, 9. inversum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea non faciam furorem iræ meæ, non convertar, ut disperdam Ephraim, quoniam ego Deus, & non homo) affirment accipiendum esse secundum effectionem tantùm, non secundùm affectionem. Verum quidem est, quia in Deum non cadit accidens, commiserationem in ipso non esse talem affectum, sicut in nobis est. Sed quia misericordia ejus non distinguitur ab essentia ejus, est quiddam multò ardentius in Deo, quàm nos cogitare possumus &c.* Pertinet etiam huc, cùm *Lætitia & gaudium* Deo tribuitur, quo vel beneplacitum ejus in creatis à se rebus innuitur, Psal. 104: 31. *Lætatur Dominus in operibus suis.* Vel gratuitus & propensissimus ejus favor erga Ecclesiam, sicut de rebus sibi charis gaudere homines in sinu solent. Esa. 62: 5. *Sicut est gaudium sponso super sponsam,* ישׂישׂ *gaudebit super te Deus tuus.* Sic Deut. 28: 63. cap. 30. 9. Jerem 32: 41. &c. Est in Deo gaudium, quod in gratiosis effectibus se etiam exserit, sed id infinities majus est quàm in hominibus est, vel ab iis cogitari potest. Quidam verò affectus humani; eorundémve peculiares descriptiones, propriè loquendo, in Deo non sunt, sed ad quiddam divinum significandum, per similitudinem (uti hactenus de membris humanis dictum) ad Deum referuntur. Istius generis quosdam recensebimus.

TRISTITIA & *dolor animi* Deo tribuitur, quo displicentia ejus & gratiæ subtractio denotatur. Esa. 63. ℣. 10. *Et ipsi rebelles fuerunt,* ועצבו *& dolore affecerunt Spiritum sanctitatis ejus,* h. e. talia contra propriam conscientiam perpetrârunt, ut Spiritus sanctus meritò gratiâ suâ eos deseruerit. Idem verbum de Deo usurpatur eodem sensu Psalm. 78. ℣. 40. Et expressit idem Paulus, Ephes. 4. ℣. 30. *Et ne λυπεῖτε, contristetis Spiritum sanctum Dei, quo obsignati estis in diem redemtionis,* hoc est, ne committite spurcis ac profanis sermonibus, ut Spiritus sanctus dona sua & gratiosam operationem vobis subtrahat, & pro gratia Dei vos iram & pœnas ejus reporteris. Sic Genes. 6. ℣. 6. ויתעצב *& doluit* (Deus) *in corde suo,* hoc est, summè ipsi malitia ea hominum displicuit, & de pœna immittenda decretum divinum suum manifestavit. Chaldæus reddit: *Et dixit in verbo suo, se confracturum potentiam*

eorum secundum voluntatem suam. Huc pertinet phrasis Jud. 10. ℣ſ. 16. וַתִּקְצַר נַפְשׁוֹ *& abbreviata est anima ejus* (Jehovæ) *propter laborem Israel*, hoc est, doluit seu angustiis affecta est anima ejus, ut Chaldæus vertit. Quo dolore commiseratio Dei in angustiis & calamitatibus populi Israel innuitur. Eadem phrasis Zach. 11. ℣ſ. 8. de indignatione & aversione Dei usurpatur. Ezech. 6. ℣ſ. 9. *fractionis* vox eodem omninò sensu de Deo usurpatur: *Recordabuntur, quòd* נִשְׁבַּרְתִּי *fractus fuerim à corde ipsorum scortante, quod recessit à me*, hoc est, dolore affectus fuerim, & quasi coactus, ut decretum de puniendis ipsis facerem, uti ℣. 10. innuitur.

**POENITENTIA DEO** tribuitur, quâ itidem divina displicentia adversus peccata, & pœnarum inflictio innuitur, Genes. 6. ℣ſ. 6. 1 Sam. 15. ℣ſ. 11, 35. Jerem. 18. v. 10. Quandoque etiam (si de hominibus agatur, pœnitentiâ seriâ ad Deum conversis) divina commiseratio, & pœnarum ablatio, Exod. 32. ℣ſ. 12, 14. 2 Sam. 24. ℣ſ. 16. Psalm. 106. ℣ſ. 45. Jerem. 18. ℣ſ. 8. cap. 26. ℣ſ. 3. Hos. 11. ℣ſ. 8. Amos 7. ℣ſ. 3, 6. Joël. 2. ℣ſ. 13, 14. in quem locum ita Tarnovius: *Conditione in hominibus immutatâ, Deus immutabilis non mutatur, sed res ipsa, siquidem idem semper vult, ut obstinatis malè sit, & æternùm pereant: resipiscentes verò, cum in hac, tùm in futura vita verè beentur. Idcircò quando Deus remittit pœnam conversis, quam denunciaverat improbè ac nefariè peccantibus, pœnitere mali ipsum dicitur* ἀνθρωποπαθῶς, *quòd ea facere videatur, quæ solent homines pœnitentes. Aliàs Deum propriè pœnitere non potest, siquidem non est homo*, 1 *Sam.* 15:29. *Quò pertinet Augustini hoc: Dei pœnitentia non est post errorem, sed rerum in ejus potestate constitutarum mutatio. Ubi enim legitur, quòd pœniteat Deum, mutatio rerum significatur, immutabili præscientiâ manente divinâ, & ubi non pœnitere dicitur, non mutare intelligitur, lib.* 17. *de Civit. Dei cap.* 7. Rursus Augustin. tom. 8. in Psalm. 109. (Hebr. 110.) col. 1286. *Pœnitentiâ mutatio rerum significatur. Quomodo enim tu, cùm aliquid te pœnitet, doles factum quod fecisti: Sic quando aliquid Deus præter spem hominum, id est, præterquam sperant homines, mutat in aliud, pœnitere se dicit: usque adeò ut & de pœna nostra pœniteat eum si nos de vita nostra mala pœnituerit.* Vide in Psal. 131. col. 15.0. Polanus in syntag Theol. pag. 194. *Pœnitentia Dei non est perturbatio & dolor, ex agnitione erroris oriens, nec consilii & decreti divini, quod est immutabile*, 1 *Sam.* 15:29. *Sed operum Dei mutatio, immutabili consilio manente divino &c. Ejus causæ sunt vel peccata, vel resipiscentia hominum. Attamen hujusmodi mutatio à Deo ab æterno est decreta. Nam utrumque Deus decrevit, & facere aliquod opus, & illud rursus mutare, propter peccata vel resipiscentiam hominum. Et mutatio operis vocatur pœnitentia Dei &c.*

**IRA, ULTIO, ODIUM**, quando Deo tribuitur, id aliqui huc referunt. De quo notandum, non ipsa hæc vocabula ἀνθρωποπαθῶς Deo tribui: verissimè enim, & infinitâ ratione, Deus ex justitia irascitur peccatoribus, & ultionem de iis sumit, seu eos pœnis afficit. Jerem. 9. ℣ſ. 9. Nah. 1 ℣ſ. 2. &c. Verè peccatores & hypocritas odit. Psal. 5, 6. Esa. 1:14. &c. Licèt absque ulla peturbatione, ἀταξίᾳ, & imperfectione hæc sint Deo tribuenda. August. Enchir. ad Laurent. cap. 33. *Cùm Deus irasci dicitur, non ejus significatur perturbatio, qualis est in animo irascentis hominis; Sed ex humanis motibus translato vocabulo, vindicta ejus, quæ non nisi justa est; iræ nomen accepit.* Idem lib. 13. de Trinit. cap. 16. *Ira Dei nihil est aliud, quam justa vindicta. Non enim sicut hominis animi perturbatio est ira Dei, sed illius ira est, cui dicit alio loco Sancta Scriptura* (Sap. 12:8.) *Tu autem Domine virtutum cum tranquillitate judicas.* Confer eundem in Ps. 78. tom. 8. col. 880. Est autem ἀνθρωποπάθεια in quibusdam vocibus phrasibusque, quibus affectus illi exprimi solent. Sic *Spiritus & spirare* quandoque iram Dei notat, metaphorâ ab hominibus deductâ, qui in vehementi iræ commotione fortiùs spiritum ducere solent, Exod. 15: 8. Job. 4: 9. Esa. 30: 11. Ezech. 31: 30. &c. *Gaudium* in puniendo, alacritatem Dei in infligendiis suppliciis notat. Deut. 28: 63. (ubi antanaclasis vocis est, respondens gaudio illi Dei, in bonum.) *Oneri seu defatigationi Deo esse aliquid* dicitur, cùm illud aversatur atque odit, Esa. 1: 14. *Consolationem accipere* Deus dicitur, cùm ab hostibus suis ultionem sumit, ut iratis hominibus vindicta solet esse suavissima, Esa. 1: 24. cap. 57: 6. Ezech. 5: 13. Secundùm versionem Lutheri addendus locus Jerem. 8: 18. Da will ich mich meiner Mühe und meines Hertzeleides ergetzen. In Hebr. est, מַבְלִיגִיתִי *confortatio mea est in mœrore, in me cor meum languidum est.* Junius & Tremellius: *Quod me recreaturum esset, est in mœrore &c.* Ut sit periphrasis animi: nam animus lætus bene medicinam facit, Prov. 17: 22 Vatablus: *In fortificatione mea super dolore, in me cor meum est infirmum*, hoc est, dum conor dolorem animi depellere à me, deficit mihi animus. Rectiùs igitur

igitur ad Prophetam, quàm ad Deum, verba ea referuntur. Ἀνθρωποπαθείας notionem habere etiam volunt, vocem אַף *nasus*, & אַפַּיִם *nares*, cùm Dei ira per eas denotatur, Job. 40: 6. Psal. 6: 1. Unde [a] אֶרֶךְ אַפַּיִם *longus naribus*, hoc est, longanimis, tardus ad iram, Jehova dicitur Exod. 34: 6. Rationem similitudinis dant istam, quòd in naso & naribus ira potissimùm appareat, ex vehementiori spiratione. Verùm אָנַף (unde אַף deducitur) *iratum esse*, proprie significat, & de Deo irascente usurpatur, Psal. 2: 12. Psal. 85: 6. Et in Hithpaël, Deut. 1: 37. 1 Reg. 11: 9. Igitur אַף proprie etiam *iram* denotat: uti & dualis אַפַּיִם Prov 30: 33. Cùmque dualia occurrant etiam alia, in quibus binarii ratio non potest exactè dari (vide Gram. sacr. p. 438.) frustrà quæritur, cur duali אַפַּיִם de Deo Scriptura utatur, quando eum vocat *longum irarum*, hoc est, tardum ad iram. Dant tamen Thalmudici, Sanhed. f. 111. Bava Kama f. 50. rationem istam, *quia longanimis est Deus erga justos & erga improbos, ut utrique peccantes per tarditatem iræ ad pœnitentiam invitentur &c.* Quia אַפַּיִם cùm *faciem* notat, dualem formam obtinet, eandem, quando *iram* significat, ex usu Scripturæ retinet. Vel dicendum, quòd *faciei* voce, quam אַפַּיִם quandoque significat, ἀνθρωποπαθῶς Dei ira significetur, uti suprà de פָּנִים facies, dictum est. In facie enim seu vultu iracundiæ indicia in homine apparent.

[a] Longus naribus, longanimis.

ZELUS seu zelotypiæ affectus Deo tribuitur, quo *tùm* ardentissima ejusdem dilectio erga credentes, ac salutis ipsorum cura, conjuncta cum indignatione adversus hostes ipsorum, innuitur, Esa. 9: 7. Zach. 1: 14: 15. Joël 2: 18. *Tùm* & vehemens ira adversus rebelles ac improbos, qui quasi violatâ fide, quâ sibi eos Deus despondit, spiritualiter scortantur, Ex. 20: 5. Num. 25: 11. Zach. 8: 2. Sic in Hiphil, quando de hominibus dicitur, quòd *zelare Deum fecerint*, suâ idololatriâ & peccatis, Deut. 32: 16, 21. 1 Reg. 14. v. 22. Ezech. 8: 3. &c.

## ACTIONES HUMANÆ DEO TRIBUTÆ

Distribuemus eas secundum potiores duas animæ facultates, *intelligentem* sive rationalem; & *sentientem* sive animalem: [b] Actiones, quæ intelligentiam & rationem hominis attinent, ab eaque ut primo principio proficiscuntur, sunt vel internæ, vel externæ. [c] *Internæ* Deo ἀνθρωποπαθῶς tribuuntur istæ:

[b] 1. Actiones animæ intelligentis.

[c] Internæ.

COGNITIO, non in genere sic dicta (ea enim propriissimè & perfectissimè Deo competit omniscio) sed experimentalis, & ex speciali quodam novo actu acquisita. Gen. 18: 21. *Descendam nunc, & videbo, an secundùm clamorem ejus, qui venit ad me, fecerint consummationem, an vero non, ut SCIAM.* Loquitur Jehova omniscius de se more hominum, qui, ut rem sciant & cognoscant, ad locum, ubi facta est, se conferunt, & αὐτοψίᾳ aliisque mediis certi de ea fiunt. Gen. 22: 12. *Nunc cognovi, quod timeas Deum &c.* Scivit DEUS & antè, perspectumque cor Abrahami habuit exactissimè, sed tàm illustre documentum externum fidei ac obœdientiæ anteà nondum erat editum: quo edito, dicit Jehova per Angelum, *nunc scio &c.* q. d. nunc manifesto & externo indicio comperta est cordis tui fiducia & obœdientia. Innuitur etiam approbatio divina hujus facti ejusque declaratio. Sic Hilarius, scientiam Dei duplici ratione considerari ait: aliàs ut notitiam futuri, aliàs ut approbationem facti. Illo modo Deus omnia novit ab æterno: hoc quædam in tempore, dum rem, quam cognoscit, apertè approbat, eamque sibi probari luculenter declarat. Augustinus verba: *Nunc scio*, idem significare dicit, ac, *nunc sciri feci*, lib. 16. de C. D. c. 32. Et in Ps. 58. tom. 8. col. 587. *Cognovi, id est, nunc feci te cognoscere; ignotus enim quilibet est ante interrogationem tentationis: Probatus autem Abrahamus factus est cognitus sibi.* Lib. 3. de Trin. c. 11. *Cognovisse dicitur, quia ipsum Abraham cognoscere fecit, quem poterat latere fidei suæ firmitas, nisi tali experimento probaretur.* Sed hæc expositio contorta nonnihil est. Brentius in hunc loc. pag. 195. *Cùm dicit, nunc cognovi, quòd timeas Deum, significat, se obœdientiam operum idcircò exigere, non quòd justificent hominem coram Deo, & expient peccata: habebat enim Abraham anteà remissionem peccatorum per fidem: sed exigitur obœdientia, ut fides probetur, & ut testificemur nostram erga Deum gratitudinem. Deus enim non indiget mactatione Isaaci, sed Abraham indiget eâ, ut hoc opere probet Deo suam obœdientiam &c.* Vide etiam Gen. 11: 25. Deut. 8: 2. cap. 13: 3. Potest huc referri, quod Paulus dicit. Phil. 4: 6. *In omni precatione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ γνωριζέσθω innotescant apud DEUM.* Innotescere preces DEO omniscio dicit, & ipsi gratas esse, certoque exaudiri indicat. Convenit ferè cum Actor. 10: 4. Confer Exeg. textuum Euang. & Epist. part. 1. p. 371. In illis autem locis ubi *cognitio divina* gratiosam erga credentes εὐδοκίαν notat, metonymia est, quâ *scire* pro consequente affectu ac-

ctu accipitur, ut supra suo loco dictum. Psa. 1: 6. Psa. 31: 8. 2 Tim. 2: 19.

IGNORANTIA, cognitioni contraria, Deo tribuitur ἀνθρωποπαθῶς, eâque innuitur ipsius displicentia, odium, ira, & aversatio, Esa. 40: 27. *Ut quid dicis Jacob, abscondita est via mea à Domino &c.* hoc est, odio habemur, & negligimur à DEO, nec is curat res nostras. Sic Christus reprobos ita se in extremo judicio allocuturum inquit, Matth. 7: 23. *nunquam novi vos: discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Confer cap. 25: 12. Luc. 13: 25, 27. Augustin. tom. 2 Epist. 102. ad Evodium hûc refert illud 1. Cor. 14: 38. *Si quis ignorat, ignorabitur*, hoc est, improbabitur. Sed in fonte Græco non est passivum, sed activum, ἀγνοείτω, *ignoret*. Vitium igitur versionis hic est, à Lovaniensibus etiam notatum. Hûc referantur [a] interrogationes, à DEO institutæ, tanquam ignorante, cum propriè loquendo DEUM nihil lateat, nec ullâ opus habeat interrogatione. Genes. 3, 9. *Et vocavit Dominus Deus hominem, & dixit ei, ubi es?* Non est interrogatio hæc ignorantis, sed ad comparendum invitantis, & in memoriam reducentis Adamo, quantùm mutatus ab illo immortalitatis beato statu nunc post lapsum esset: Ambrosius de Parad. cap. 14. *Ubi est illa tua benè sibi conscia confidentia? timor iste culpam fatetur, latebra prævaricationem: Ubi ergo es? non in quo loco quæro, sed in quo statu? quò te perduxerunt peccata tua, ut fugias Deum tuum, quem antè quærebas? Non ergò interrogatio est, sed increpatio: de quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam recidisti!* Gen. 4: 9. *Et dixit Dominus ad Kain: Ubi est Habel frater tuus?* Augustinus l. 12. contra Faustum Manich. cap. 10. *Interrogat, non tanquam ignarus, à quo discat, sed tanquam judex rerum, quem puniat.* Vide etiam Gen. 32: 27. Num. 22: 9. 1. Reg. 19. 9, 13. Et cùm Esaias Propheta loco Dei, à quo erat instructus & ablegatus ad Ezechiam, interrogationem instituit de eo, quod patefactum sibi à Deo benè norat, 2 Reg. 20: 14, 15. Esa. 39: 3, 4. Sic quæstiones Christi Matth. 22: 20, 45. Luc. 8: 45. &c. Referri etiam huc potest, cum Deus quasi [b] deliberans inducitur, ac si nesciret, dubitarétve, quid agendum sit. Junius in comment. Ezech. 20: 8. *Deus, ut ampliùs testetur admirabilitatem suæ misericordiæ, in Scripturis humanitùs sibi consultationem quandam tribuit: tanquam si ductus misericordiâ suæ creaturæ, quamvis peccatricis, æstuaret cum animo suo & post diuturnas animi conflictationes tandem ad sententiam de misericordia nobis facienda inclinaret: cujus rei graphicum exemplum exstat* Hos. 11: 8, 9. *&c.* Item quando Jehova [c] *scrutari* dicitur *corda & renes*, Psal. 7, 10. Jerem. 11, 20. Apoc. 2, 23. &c. ac si antea incognita ipsi essent, quæ scrutatur, cùm non nisi exactissima & infinita scientia hac phrasi denotetur. Sic de Spiritu sancto Paulus inquit, 1. Corinth. 2, 10. *quòd omnia scrutetur, etiam profunditates Dei.* Scrutinium & indagatio antecedit scientiam penes homines, & absque illa locum vix habere potest certa notitia. Ut igitur certitudo scientiæ in Spiritu DEI infinita & ἀσφαλεςάτη significetur, hac phrasi ἀνθρωποπαθῶς Scriptura utitur.

[c] Scrutatio Dei

RECORDATIO seu *reminiscentia* Deo tribuitur; *vel* in bonam partem, ac significatur, Deum opitulari hominibus, idque plerumque post aliquas duras calamitates, in quibus visus est quasi oblitus fuisse eorum. Gen. 8, 1. *Et recordatus est Deus Noæ, & omnis bestiæ &c.* Lutherus in comment. *Etsi verum est, quòd Deus semper recordatur suorum, etiam cùm eos deseruisse videtur, tamen Moses hîc significat, recordatum fuisse suorum, etiam quoad sensum, hoc est, signo & manifesta ostensione ejus, quod anteà in verbo & Spiritu promiserat.* Vide & Genes. 30: 22. Exod. 2, 24. 1. Sam. 1: 11, 19. Et in genere recordatio divina erga homines, denotat benevolum Jehovæ affectum, gratiam & εὐεργεσίαν erga eosdem, Psa. 115: 12. Pal. 136: 23. Nehem. 5, 19. cap. 13: 22, 31. Luc. 23: 42. Actor. 10: 4. Eodem sensu *recordatio fœderis sui*, Deo tribuitur, cujus intuitu gratioso hominibus benefacit, Gen. 9: 15, 16. Exod. 6, 5. *Et recordatio misericordiæ suæ*, Psal. 25, 6. *Et recordatio verbi sui*, Psal. 119: 49. Hieronymus in comment. Thren. 5, 1. *Recordare vel memento illi dicitur, qui nullius aliquando potuit oblivisci. Non enim ut ad memoriam redeat, divinitas commonetur, coram qua omne præteritum & futurum semper præsens est. Non est dignum in illa majestate ponere oblivionis injuriam: sed ideò recordari vel meminisse postulatur, ut citò auxilium indigentibus conferat, & palam faciat, quod antea fuit occultum. Vel* in malam partem, & tunc *recordari hominum peccatorumque* dicitur, cùm eos punit, & hæc irâ suâ vindicat, Psal. 25, 7. Psal. 79: 8. Psal. 137, 7. Esa. 4: 25. Apoc. 18: 5. *Recordari* etiam dicitur Deus *sanguinis innocentis*, cùm effusionem ejus violentam, seu injustas cædes ulciscitur, Psal. 9: 13.

[a] Interrogationes Dei.

[b] Deliberatio divina.

OBLIVIO, reminiscentiæ contraria, Deo tribuitur, & innuitur eâ, quòd negligat, & malis exponat homines, eosque sine auxilio & solatio derelinquat, ac si oblitus ipsorum esset, 1. Sam. 1. ℣. 11. Psal. 9. ℣. 19.

Pf. 13. v. 2. Pf. 42. v. 10. Efa. 49. v. 15. Jer. 23. v. 39. Hof. 4. ℣f. 6. &c. Luc. 12. ℣f. 6. *Unus ex illis* (pafferibus) *non eft oblivioni traditus coram Deo*, hoc eft, fingulorum DEUS habet curam, eofque fuftentât. Quandoqne *oblivifci* Dei eft, differre pœnas erga impios, & eorum prava facta, Pfal. 74. ℣f. 23. Amos. 8, 7. Quidam ita explicant illud Job. 11. ℣f. 6. *Et fcito*, *quòd* יַשֶּׁה *oblitus eft Deus tui præ iniquitate tua*, hoc eft, differat pœnas, nec rigidè pro peccatorum magnitud ne exigat, Efræ. 9. ℣f. 13. Alii ipfo *exigendi* (quod verbum illud notat) fignificato reddunt. Junius: *Ut indicet tibi occultiffima fapientia, duplo majorem* (pœnam) *fore ad exfiftentem hanc* (*quod animadverte*,) כִּי־יַשֶּׁה *fi exacturus effet abs te Deus pœnam iniquitatis tuæ*.

COGITATIO Deo tribuitur, & ejus voluntas, fententia, & decretum intelligitur. Gen. 50, 20. *Vos cogitaftis adverfus me malum; Deus autem cogitavit illud in bonum*, fcilicet convertere. Ubi antanaclafis eft unius verbi, de hominibus malignis propriè, de Deo ἀνθρωποπαθῶς (per allufionem ad prius illud) ufurpari. Sic *cogitare* divinum accipitur etiam Pfal. 40, 6. Pfal. 92, 6. Pfal. 139: 17. Efa. 55: 8, 9. Jer. 4: 28. cap. 29: 11. cap. 51: 12. &c.

Hactenus de internis hominis intelligentis actionibus. [a] *Externæ*, quæ in fenfus incurrunt, ita diftingui, ordinis causâ, poffunt, quod *vel* ore, vel manibus, vel pedibus, peragantur. *Primi* generis funt hæ fequentes.

[a] Externæ actiones.

[b] SIBILATIO Deo tribuitur, quâ hominum, in certum locum, advocatio divina innuitur, Efa. 5. ℣f. 26. cap. 7. ℣f. 18. Sic enim alicubi moris eft, ut homines, canes, itemque fues, accipitres, aut aliæ pecudes, fibilo advocentur. Zach. 10: 8. in bonum *fibilatio* Dei accipitur, de Ecclefiæ credentium collectione, & per eam leniffima Evangelii vox intelligitur.

[b] Actiones ore peractæ.

[c] Cant. 1: 2. Ofculetur me ex ofculis oris fui.

EFFLATIO feu *fpiratio* (quæ per os fit, & quidem deftinatâ προαιρέσει) Deo tribuitur. Gen. 2: 7. *Et fpiravit in faciem ejus fpiraculum vitæ*. Significatur, Deum corpori hominis formati animam vitalem, imagine Dei præditam, indidiffe. Ezech. 21. ℣. 31. *fpiratio* iram Dei notat, ab iratis hominibus, fortiùs fpirantibus, defumtâ metaphorâ, Act. 9, 1.

RISUS (qui ore diducto paulùm fit) & fubfannatio Deo tribuitur. Pfalm. 2. ℣f. 4. *Habitans in cœlis ridet, Dominus fubfannat eos*. Pfal. 37. ℣f. 12. *Machinatur impius adverfus juftum, & frendet fuper eum dentibus fuis*. ℣f. 13. *At Dominus ridebit eum, quia videt, quòd veniat dies ejus*. Ἀνθρωποπαθῶς hoc dictum eft, metaphorâ ab homine fagace & prudenti defumtâ, qui, quod ftolidè & perperam fufcipitur, pro egregio interim facinore jactatur, ex contemtu ridere, & eventum infelicem connivens exfpectare; itemque hofti irato, at viribus deftituto, illudere folet. In Deo autem fapientiffima ipfius providentia fignificatur, quâ tùm ftultitiam hoftium fuorum averfatur, tùm ad tempus eos tolerat, & metas conftituit malitiæ eorum, tùm demùm tempore conftituto eos confundit, peffundat, perdit. R. Kimchi in Pfal. 2. verf. 1. *Dicitur hoc de Deo benedicto, more hominum, quia irridet homo & fubfannat illum, quem contemnit, & qui nihil æftimatus eft in oculis ejus*. Lutherus Tom. 2. Epift. (ubi Pfalmum 37. explicat) p. 23. *Non quòd Deus perinde rideret ut homines, fed quòd videatur ridiculum, dum vefani homines immenfa peragenda animo fufcipiunt, quorum ne minimum quidem partem effectam reddere queunt. Quemadmodum non minus res foret ridicula, fi quis fatuus longa bafta & pugione inftructus, Solem de cœlo deturbare niteretur, jubilaretque ac fi rem probè confeciffet*. Proverb. 1. verf. 26. dicit Sapientia cœleftis de impiis contumacibus: *Etiam ego in exitio veftro ridebo, fubfannabo, cùm venerit, quod vos timetis*. Neglectio & rejectio impiorum in adverfitatibus intelligitur: q. d. ficut vos jam negligitis & contemnitis monita mea falutaria: ita & ego viciffim contemnam, negligam, rejiciam vos in exitio veftro &c.

OSCULATIO DEO tribuitur, dum de Filio Dei incarnando fermo eft, [c] Cantic. 1. ℣f. 2. ubi verba fponfæ myfticæ εὐκτικὰ ita habent: *Ofculetur me ex ofculis oris fui*. Chaldæus de traditione & promulgatione legis hoc explicat, *cùm Deus locutus eft facie ad faciem, cum Ifraelitis, inftar viri, qui ofculatur focium fuum ex amore &c*. At rectiùs omninò, de promulgatione Evangelii, per Filium Dei, hominem factum, factâ, Johan. 1. verf 17, 18. 2. Timoth. 1. ℣f. 10. Heb. 1. verf. 1. intelligitur. *Labiis* velut *ofculatur, qui refpondet verba recta*, inquit Salomon, Proverb. 24. v. 26. Id κατ' ἐξοχὴν applicari ei poteft commodè, *cui Dominus Deus dedit linguam eruditorum, ut fciat opportunè loqui laffo verbum*, Efa. 50. verf. 4. *& in cujus labiis gratia diffufa eft*, Pfalm. 45. verf. 3. Ofculatus erat Jehova populum fuum, tempore Veteris Teftamenti, tùm multis apparitionibus, tùm mediatè per Mofen, Prophetas, imò & Angelos fe patefaciendo; fed hæc nondum erant eximium illud ofculum, de quo h. l. emphaticè Ecclefia dicit: *Ofculetur me*

משיקם

משיקות *ex osculis*, hoc est, eximio præ reliquis osculo: quam præpositionis hujus vim esse, in Grammat. sacra pag. 536. docetur. Erat verò hoc, ipsa Filii Dei in carne manifestatio, & operis redemtionis expeditio. Origenes Homil. 1 in Cant. interprete Hieronymo, tom. 4. fol. 80. *Vox sponsæ deprecantis auditur: Osculetur me osculo oris sui. Quorum verborum iste est sensus: Quousque sponsus meus mittit oscula per Moysen, mittit oscula per Prophetas? Jam ipsius cupio ora contingere, ipse veniat, ipse descendat. Orat igitur sponsi patrem, & dicit ad eum: Osculetur me osculo oris sui. Et quia talis est, ut compleatur super eum propheticum illud, in quo dicitur: Adhuc te loquente dicam, ecce adsum* (Esa. 65. ℣s. 24.) *sponsam sponsi Pater exaudit, mittit Filium suum.* Ipse Hieron. epist ad Damasum tom. 4. fol. 58. *Ecclesia de sponsi precatur adventu; Osculetur me osculo oris sui. Nolo mihi, dicens, per Mosen, nolo per Prophetas loquatur. Ipse meum corpus assumat, ipse me osculetur in carne.* Idem in comment. Esa. 7. verba Prophetæ: *Propterea dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet & pariet filium &c.* ita exponit: *Nequaquam multifariè, juxta Apostolum Paulum, & multis modis loquetur Deus* (Hebræor. 1. v. 1.) *Nec juxta alium Prophetam, in manibus Prophetarum assimilabitur* (Hos. 12. ℣s. 11.) *sed qui antè loquebatur per alios, dicit ecce adsum. De quo & sponsa rogabat in Cantico Canticorum: Osculetur me osculo oris sui.* Conformem veterum Thalmudistarum expositionem vide apud Galatinum libro 3. c. 7. pag. 123. Quàm congruè autem mysterium hoc, osculi & basiationis symbolo, à Spiritu sancto enuncietur, dulcissimâ ἐξηγήσει expositum habetur in Postilla Salomonea Dn. D. Gerhardi, festo Annunciat. Mariæ. Respondet, ex mutua fidei relatione, huic osculo divino, illud Cantic. 8. vers. 1. *Quis det te, ut fratrem mihi, sugentem ubera matris meæ? inveniam Te foris: osculer te!* Quo amor sponsæ sincerus, & obedientia fidei infucata intelligitur. Et Psal. 2. ℣s. 12. *Osculamini filium, ne irascatur.* Instruuntur Reges terræ, & potentes in mundo, ut homagium quasi præstent, & obœdientiam humiliter exhibeant Regi gloriæ, Christo, Dei Filio, mundo exhibito. Id enim osculo dato olim à subditis significabatur, ut ex Gen. 41: 40. 1 Sam. 10: 1. 1 Reg. 19: 18. Hos. 13: 2. constat. Et hunc morem adhuc esse בארץ הודו *In India*, notat Aben Ezra ad Ps. 2: 12.

CLAMOR, tùm militaris, tùm parturientis, Deo tribuitur, Esa. 42. v. 13, 14. quo μακροθυμίας, patientiæ & longanimitatis ipsius, in severam ultionem, adversus nominis sui hostes, commutatio innuitur. Horrendo clamore milites Romanos olim fuisse usos, quando inibatur prælium, ad hostes consternandos, ex Vegetio annotant Junius & Tremellius, Mulier verò parturiens, cum sensu dolorum, quoad ejus fieri potest, tacita & ingemiscens luctatur, donec intensissimi doloris acerbitate victa, in clamorem & vociferationem erumpat. Utroque igitur conjuncto, pulcherrimè divinæ μακροθυμίας, & subsequentis vindictæ gravissimæ, conditio exprimitur. Confer Psalm. 78. vers. 65, 66. Rom. 2. vers. 4. ℣s. 5.

LOCUTIO & *sermo* Deo tribuitur. Ubi notandum, non spectare huc illa Scripturæ loca, quibus Deus loqui, & certa verba proferre dicitur, ut divinam suam voluntatem hominibus hac ratione manifestet. Quod factum fuisse constat, *tùm* immediate, uti Genes. 2. vers. 16. cap. 3. vers. 9. ad primos parentes: cap. 6. vers. 13. ad Noam: cap. 12. v. 1. cap. 15. & 17. & 18. ad Abrahamum: Exod. 3. vers. 4: 5. seqq. ad Mosen: aliàsque sæpe, ad Patriarchas & Prophetas, locutus esse asseritur: *Tùm* mediate, per divinitùs inspiratos homines, (in quibus, Origenis asserto; *illuminata mens per Spiritum Dei formatur in verba*) quorum πολυθρύλλητον ubivis prostat: *Hæc dicit Dominus*: itemque per Angelos, ministros Jehovæ. In his, inquam, Deus non κατ' ἀνθρωποπάθειαν & metaphoricè, sed ἀληθῶς & proprie loqui dicendus est, quamvis longè aliâ ratione & modo, quàm ab hominibus fit, divinam illam loquelam fieri, sentiendum sit, August. lib. 16. de C. D. c. 6. *Aut veritas incommutabilis per se ipsam ineffabiliter loquitur, rationalis creaturæ mentibus, aut per mutabilem creaturam loquitur, sive spiritualibus imaginibus nostro Spiritui, sive corporalibus vocibus corporis sensui.* Ludov. Vives in comment. lib. 10. Aug. de C. D. c. 13. *Non puto esse impium aut absurdum, existimare, & olim cum Patribus, & post Christum natum cum multis sanctorum locutum esse Deum ipsum Dominum & autorem cæli & terræ: nihil enim in hoc affirmatur incongruum immensæ majestati, & est congruum infinitæ bonitati.* Pertinet verò ad anthropopathian hanc, de qua nobis sermo est, (1.) Cùm efficax divinæ voluntatis de creaturis decretum, ejusve exsecutio, per modum loquelæ humanæ exprimitur. Genes. 1: 3. ª *Et dixit Deus, fiat lux, & facta est lux.* (2. Cor. 4: 6. Deus ὁ εἰπών: *qui dixit vel jussit è tenebris lucem illucescere.*) v. 6. *Et dixit Deus: sit expansio in medio aquarum &c.* v. 9. *Et dixit Deus: congregentur aquæ sub cælis ad locum unum &c.* v. 11. *Et dixit Deus: germinet terra germen &c.* v. 14. *Et dixit Deus: Sint luminaria in expansione cælorum*

ª Dicere Dei in creatione.

*rum &c.* v. 20. *Et dixit Deus: reptificent aquæ reptile animæ viventis &c.* v. 24. *Et dixit Deus: producat terra animam viventem &c.* R. Mose Maimon. in More Nebochim part. 1. cap. 65. *Quòd illa Dicere, in opere creationis, intelligenda sint de voluntate, non de sermone, inde demonstratur; quia sermo, quo aliquid præcipitur & mandatur, necessariò dirigi debet ad ens quodpiam, quod illud mandatum potest recipere. Tùm autem nulla entia adhuc fuerunt. Unde sequitur illa de sola voluntate esse intelligenda.* Musculus in Comment. *Humano more Moses de Deo loquitur. Non est autem humano more locutus Deus. Verbum illius expressa est voluntatis illius virtus & efficacia. Quoniam quod volumus, ut intelligatur, & vel credatur, vel fiat, prolatione verbi exprimimus, ideò expressa voluntas Dei, verbum dicitur &c.* Et p. p. *Spiritus est Deus, ergò nulla illi corporea locutio, nulla vox transiens, nullum idioma, nec Hebræum, nec Græcum, nec aliud quodcunque competit, nisi temporaria dispensatione per organum aliquod prolatum: quod hoc loco cogitari non potest. Ubi autem vox corporea sonitu transitorio prolata excluditur, facilè cogitare licet, loqui Deum, nihil esse aliud, quàm aliquid certâ & efficaci voluntate statuere & facere.* August. lib. 11. de C. D. c. 8. *Dixit, & facta sunt verbo intelligibili & sempiterno, non sonabili & temporali.* Ludovicus Vives ibid. *Vocem illam voluntatis momentum dicit esse Basilius* Sic *appellatio nominum*, creaturis inditorum, quæ vers. 5, 8, 10. Deo tribuitur, decretum & constitutionem divinam notat, ita appellandas ab hominibus esse. Sic *benedictio* divina, quæ ad pisces & aves prolata esse à Deo dicitur. ℣ſ. 22. realis est multiplicationis specierum illarum constitutio. Musculus iterum benè: *Expende, quod aquatilibus loquitur Deus. Mirabile genus loquendi. Non est auribus illorum locutus, sed naturæ viribus, quibus vim propagandorum generum verbo virtutis suæ naturaliter indidit.* Ex hac creationis Mosaicâ descriptione, vis divina & efficacia, in creatione & conservatione creaturarum conspicua dicitur *verbum Dei.* Psal. 33: 6. Psal. 107: 20. Psal. 147: 15, 18. Hebr. 1: 3. c. 11: 3. 2. Petr. 3: 5, 7. &c. Sic & in aliis decretis divinæ voluntatis, *dicere Deum vel loqui* asseritur. Genes. 8. ℣ſ. 21. *Et dixit Dominus ad cor suum, non ampliùs maledicam terræ &c,* hoc est, ita constituit, & hoc suum decretum Noæ, & per Noam mundo patefecit. Psalm. 2. v. 5. *Tunc loquetur ad eos* (inimicos suos) *in ira sua*, hoc est, horribili judicio suppliciоque eos prosternet. Vide Grammaticam sacram pag. 328. (2.) Quando Sacrosanctæ Trinitatis decreta, per modum sermocinationis sive colloquii, inter ipsas divinas personas, exprimuntur. Gen. 1. vers. 26. *Et dixit Deus: faciamus hominem, in imagine nostra, & ad similitudinem nostram &c.* cap. 2. v. 18. *Et dixit Dominus Deus: non est bonum, hominem esse solum, faciam ei adjutorium, tanquam coram eo.* cap. 3. ℣ſ. 22. *Et dixit Dominus Deus: ecce homo factus est sicut unus ex nobis &c.* cap. 11. v. 6. *Et dixit Dominus: ecce populus unus & labium unum &c.* v. 7. *Agite descendamus, & confundamus ibi labium eorum &c.* Hac sermocinatione & institutâ quasi deliberatione, tùm Sacrosanctæ Trinitatis decreta, tùm operum efficiendorum præstantia, innuuntur. Psalm. 2: 7. *Narrabo ad statutum, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodiè genui te.* v. 8. *Postula à me, & dabo gentes hæreditatem tuam &c.* Psalm 110. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo: sede ad dextram meam &c.* Domini hoc DICERE sanctissimum & efficacissimum est DECERNERE, Et simul EFFICERE. Respondet huic τῷ *dicere* in Sacrosancta Trinitate, τὸ *audire*, quod Filio tribuitur, Johan. 8: 26, 40. cap. 15: 15. & Spiritui sancto, Johan. 16: 13. &c. Nec dubium, quin Filius Dei ideò (inter alias causas) dicatur λόγος *Verbum*, quia per eum sermonis interni Sacrosanctæ Trinitatis, hoc est, decretorum divinorum manifestatio ad salutem, hominibus facta est. Confer Joh. 1: 18.

*a* Locutionis species.

Hæc de locutione in genere. *a In specie* Deo ἀνθρωποπαθῶς tribuitur *Increpatio*, quâ realis *vel* effectio, *vel* perditio notatur. *Illius*, exempla sunt, Psal. 18: 16. 2 Sam. 22: 16. ubi maris hiatus, & terræ motus, *increpatione Dei* effectus esse dicitur. Psal. 104: 7. *Ab increpatione tua fugerunt aquæ.* Sermo est de separatione aquarum à terra, verbo creatoris factâ, Gen. 1: 9. Id igitur verbum δημιουργικὸν dicitur *increpatio*, etiamque *vox tonitrui*, ibidem. Duæ increpationis, propriè sic dictæ, requisita sunt: Unum, ut quòd reprehensibile est, redarguatur: alterum, ut corrigatur etiam. Id ad verbum Dei creans commodè applicatur. Quando enim dixit: *Congregentur aquæ in locum unum, ut appareat arida;* priori reprehendebatur, quasi indigesta illa rerum confusio: posterius verò faciebat ad correctionem & rectam dispositionem. Musculus, dum hunc locum enarrat, ad marginem adijcit: *Hinc divinitas Christi comprobatur, quod increpavit ventos ac fluctus maris, increpandoque compescuit:* Marc. 4: 39. Luc. 8: 24. *Hujus* verò exempla sunt. Psal. 9: 6. Psal. 76: 7. Psal. 68: 31. Esa. 17: 13. Nah. 1: 4. Zach. 3: 2. Unde מִגְעֶרֶת *increpatio*, reale exitium & perditionem notat, Deuter. 28: 20. Confer Grammaticam sacram

pag.

pag. 275. *Vocatio* seu advocatio, quâ realis itidem productio & effectio designatur, 2 Regum 8:1. Psal. 105:16. Rom. 4:17. *Præceptio* seu mandatum, quo Dei in creatura inanima vel irrationali διοίκησις & ad certum opus peragendum vel omittendum, directio innuitur, Esa. 5:6. cap. 45. 12. Hieronymus in commentar. h. l. quorundam meminit, qui ex eo, quòd *stellis Deum præcipere* dicitur, statuerint, *astra rationalia esse, & animam sensumque habere, cùm Deus non præcipiat, nisi intelligentibus.* Quibus rectè quidem contradicit, sed exempla tamen in contrarium adducit incongrua: *Non recordantur illi* (inquiens) *quòd in Jona scriptum sit: præcepit Dominus Spiritui comburenti. Et rursum, præcepit vermi matutino.* At utrobique non צוה est, quod *præcipere* significat, sed מנה *præparare*, cap: 4: 7, 8. Porrò tribuitur Deo, *Responsio*, ut cùm *ad preces hominum respondere* dicitur, 1 Sam 7: 9. Psal. 3:5. Esa. 58: 8. &c. Flacius: *Respondet Deus in exaudiendo tripliciter: Primùm, ipsâ exauditione, id enim orans omnis maximè agit, ut exoret. Secundò, testificatione sui Spiritus, affirmantis cordi nostro, nos esse exauditos. Tertiò, dato ipso petito beneficio, quæ (ut ita dicam) vel realissima responsio est.* Huic contrarium est *Dei silentium* ad preces clamantium, quo mora ejus in consolando & juvando innuitur, Psal. 28:1. Psal. 83:2. *Respondere* etiam Deus dicitur, cùm εὐδοκίαν seu beneplacitum in homine habet, Eccles. 5:19. Confer cap. 9:7. *Testificatio.* Testis enim Deus esse dicitur, quando veritatem rei ipso facto declarat Malach. 3:5: &c. *Testificari Deus* dicitur *inter maritum & uxorem*, Malach. 2:14. hoc est, eos conjungere in individuam vitæ societatem. *Inquisitio judicialis*, quâ ultio & pœna impiis inflicta, innuitur. Gen. 9:5. Jos. 22:23. Psal. 9: 13. Psal. 10:15. metaphorâ à consuetudine judicum ducta, qui rei veritatem, testimoniorum collatione, & aliis rationibus primùm inquirunt, posteà verò sententiam dicunt & exsequuntur. *Numeratio*, quâ exactissima Dei cura ac providentia innuitur, sicut, quæ diligenter curamus, in numerato habere solemus, Psal. 56: 9. Matth. 10:30. itemque rerum nobis innumerabilium exacta scientia, Psal. 147: 4. Esa. 40:26. *Emtio & venditio*, quæ sermone, contractuum indice, fieri inter homines solet. *Et venditionis* quidem voce, traditio in potestatem hostium notatur, à Deo irato facta, sicut apud homines res venditæ in aliorum jus arbitriumque transeunt, Deut. 32:30. Jud. 2:14. cap. 4:9. Psal. 44:13. Esa. 50:1. Ezech. 30. 12. &c. *Emtionis* verò voce (ἀγοράζειν) redemtionis nostræ per Christum factæ beneficium exprimi crebrò solet, 1 Cor. 6:20. cap. 7:23. Gal. 3: 13. cap. 4:5. 2. Pet. 2:1. Apoc. 14:3, 4. Precium, cujus interventu hæc emtio mystica facta, sanguis Salvatoris est, seu passio, mors, totumque sacrosanctum meritum &c.

*Secundi* generis actiones (quæ [a] manibus ut plurimum peragi ab hominibus solent) *in generales & speciales* distingui queunt. *In genere Deo* ἀνθρωποπαθῶς tribuitur LABOR, *tùm* in opere creationis. Job. 10:3. יְגִיעַ *laborem manuum Dei* se vir sanctus vocat, hoc est, ab ipso elaboratum & formatum in utero materno: de quo emphaticè loquitur sequenti ℣. 8. *Manus tua* עִצְּבוּנִי *laboraverunt me.* Verbum Hebræum propriè significat, magno labore, arte & diligentiâ aliquid formare, cùm anxietatis, doloris & molestiæ etiam significatum aliàs obtineat. Denotatur verò summa Dei sapientia, quâ in formatione hominis utitur. Ibidem v. 10 11. specialioribus verbis emphaticis hoc formationis hominis opus exponitur, de quo loco toto vide Gerhardum tom. 7. locorum Theol. de conjug. §. 444. Sic Ps. 139:15. de eodem divino opere usurpatur רקם quod propriè *acu pingere*, vel texturâ varias figuras & picturas in aulæa & tapetia introducere, vestes varia fila intexendo & nendo multicolores conficere, significat. Opus igitur formationis tali operi ac labori comparatur, ob mirabilem, ex tàm variis membris, venis, arteriis, ossibus, carne, cute, quasi contexturam. *Tùm* in opere redemtionis. Ita Christo nos suâ passione & morte redimenti tribuitur *Labor*. Esa. 43:24. *Laborare fecisti me in iniquitatibus tuis*, cap. 53: 11. *Propter laborem animæ suæ, &c.* Fit illud tùm ob molestiam & anxietatem, tùm ob consequentem summam utilitatem (utrumque enim vox *laboris* significatu suo comprehendit, juxta illud Gen. 3. ℣. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane*, ubi & laboris utilis effectus, & connexa molestia indigitatur.) Molestia & anxietas Christi quanta fuerit, ex descriptione passionis Euangelicâ satis & abundè patet. Utilitas quanta sit, ex consideratione thesaurorum, Christi passione & merito partorum, liquet &c. Labori opponitur. [b] QUIES ac *recreatio*, quæ DEO ἀνθρωποπαθῶς tribuitur Gen. 2: 2. וַיִּשְׁבֹּת *& requievit Deus in die septimo ab omni opere suo, quod fecerat &c.* ℣. 3. *Quia in eo* שָׁבַת *requievit &c.* Chrysostomus Hom. 10. in Gen. *Humano more & quodam attemperatione ad nostram institutionem loquitur Scriptura divina: requievit, hoc est, substitit, cessavit à creandis producendisve ex nihilo rebus, ut essent &c.* Quies Dei ἀνθρωποπαθῶς ei tributa, θεοπρεπῶς intelligenda est, ut non defatigatio quæ-

[a] Actiones manibus peractæ. In genere, Labor.

[b] Quies.

quædam (ut in hominibus) præsupponatur, sed mundi, operis illius admirandi, & machinæ incomprehensibilis, complementum, finis ac perfectio, Deique à creationis completæ opere cessatio, phrasi ea innuatur: sicut inter homines, quò opus laboriosius, magis arduum & utilius, eò gratior ab eo jucundiórque artifici quies est. Quidam proprie שבת Deo tribui ajunt, cùm non quietem (uti נוח) sed simplicem cessationem ea vox significet, Jos. 5:12. Job 32:9. Apoc. 4:8. & communiter, qui ab opere cessat, *quiescere* dicatur, etiamsi non sit corpore fessus, sed viribus adhuc integris vegetisque. Esto hoc ita: at pro שבת usurpatur נוח Exod. 20:11. cùm de eadem quiete Dei, post opus creationis absolutum, sermo est. Quòd si & hoc verbum pro simplici cessatione, absque prævia defatigatione, usurpari dicatur, 1 Sam. 25:9. notandum apprimè, quòd Exod. 31:17. verba Mosis antè posita ita efferantur: *Et in die septimo* (Deus) שבת וינפש *quievit & respiravit:* Quod verbum cap. 23: 12. de servo recreante se post defatigationem laboris usurpatur. Confer 2 Sam. 16:14. ubi lassitudini expressè opponitur. Zion & Ecclesia מנוחה *quies Domini* DEI dicitur, hoc est locus quietis, Psal. 132:14. Esa. 11:10. quo tùm gratiosa præsentia & operatio, tùm εὐδοκία & complacentia denotatur.

a EX SPECIALIBUS hominum actionibus complures DEO tribuuntur, quibus varia ipsius opera, tùm gratiæ, tùm justitiæ & iræ, designantur. Adferemus hic præcipuas aliquas.

a In specie. Ord Alphabeticus est.

*Abluere* Deus dicitur sordes & peccata, cùm ea gratiosè remittit, Psal. 51:4. Esa 4:4. Ezech. 36: 25. *Abscondere* pios & credentes, cùm eos protegit & defendit, Ps. 31:21. Psal. 64: 3. Psal. 91: 1. *Abstergere* dicitur, cùm perdit, 2 Reg. 21:13. metaphorâ à patinis & earum sordibus desumtâ, quæ frictione manus abstergi solent. Item *abstergere lacrymas ab oculis*, dum electos suos lætificat & glorificat, Esa. 25:8. Apoc. 7: 17. *Accingere fideles fortitudine ac lætitiâ*, cùm eos confortat & lætificat, Psal. 18:33. Psal. 30:12. *Ædificare*, cùm creando producit, Gen. 2:22. & cùm benefacit atque benedicit, Psal. 28: 5. Jer. 43:10. quò pertinet phrasis, *facere domum*, Exod. 1:21. 2 Sam. 7: 11. *Alligare*, nimirum vulnera fasciis, dicitur, cùm spiritualiter sanat, & ex malis eripit. Job. 5: 18. Psal. 147: 3. Es. 61:1. Hos. 6: 1. *Aperire januam cœli*, cùm cœlitùs & miraculosè benefacit, Psal. 78: 23. & cùm pluvias dimittit, Deut. 28: 12. *Aperire ostium sermonis*, cùm occasionem commodam & media salutaria Euangelium prædicandi, ministris suis concedit, 1 Cor. 16:9. 2 Cor. 2: 12. Col. 4: 3. *Aperire ostium fidei*, cùm ad fidem & Ecclesiæ communionem homines vocat & admittit, Actor. 14:27. *Aperire cor & mentem*, cum verbi sui salutarem intellectum præbet, Luc. 24:45. Actor. 16: 14. Confer Psal. 119: 130. *Apprehendere manum Cyri* dicitur, cùm eum confirmavit, duxit, & successu prospero in expeditione bellica, contra Babylonem, donavit, Esa. 45: 1. *Concludere homines sub peccatum* dicitur, cùm ut justissimus judex eos peccato obnoxios, & præter peccatum æternæ damnationis reos esse, declarat, Rom. 11: 32. Confer Galat. 3: 22. *Conflare*, more metallicorum & aurifabrorum, dicitur, dum pios cruce probat & purificat, Psalm. 17: 3. Psal. 66: 10. Zach. 13: 9. Et dum doctrinam salutis repurgat, Malach. 3: 2, 3. Et dum obstinatè improbos planè perdit, Ezech. 22: 18. seqq. *Confringere* dicitur, cùm castigat & perdit, Psal. 2: 9. Psal. 3. 8. Esa. 38: 13, Thren. 3: 4. &c. *Cribrare*, seu cribro agitare, cùm suos explorat in calamitatibus, & conservat, Amos. 9: 9. Et contra, cùm impios disjicit & disperdit Esa. 30: 28. *ad agitandum gentes* בנפה *in cribro vanitatis*, h. e. ut dejecti in terram tanquam per cribrum seu subcerniculum, & hinc inde disjecti, non ampliùs compareant. Quidam נפה simpliciter vertunt, *agitatione, & quidem vanitatis*, h. e. tanta, ut in vanitatem abeant. Comparat multitudinem gentium, â quibus obsidenda erat Jerusalem, inani pulveri, qui facillimè eventilatur, ut de magno etiam cumulo nihil reliquum maneat. *Decalvare caput* dicitur, cùm homines ornamentis suis spoliat, Esa. 3: 17, 24. (mulierum enim præcipuus ornatus in coma capitis consistit, 1 Pet. 3: 3.) *Delere ex libro viventium*, cùm homines inter salvandos non censet. Exod. 32: 32, 33. Psal. 69: 29. Item *delere peccata*, cùm ea remittit & abolet, Psal. 51: 3. (ita Scriptura loquitur, ac si in libro quodam peccatorum debita adscripta essent, quæ propter satisfactionem Messiæ expunguntur quasi & delentur: Confer Coloss. 2: 13, 14.) *Devorare & deglutire* dicitur, cùm penitùs perdit, Exod. 15: 7. Esa. 25: 8. 1 Cor. 15: 54. *Dilatare* cùm consolatur aut ex difficultatibus & angustiis liberat, Gen. 26: 22. Psal. 4: 2. Psal. 119: 32. *Dirigere viam seu complanare*, cùm conatus hominum felices facit, Ps. 5: 9. Esa. 45: 2, 13. *Discingere seu dissolvere lumbos*, cum inermes & imbelles efficit homines, Esa. 45: 1. *Effundere iram* dicitur, cùm pœnas immittit, Psal. 79: 6. Ezech. 9: 8. cap. 20: 13, 21, 33. Item *effundere Spiritum suum*, cùm ejus dona largiter concedit, Joël. 3: 1, 2. Zach. 12: 10. Act. 2: 17, 18, 32. Rom. 5: 5. Tit. 3: 5, 6. *Evacuare consilium* dicitur, cùm id

id irritum reddit, Jer. 19: 7. Item *evacuare benedictionem*, cùm copiosè benefacit. Malach. 3: 10. *Excidere vel dolare* (חצב) *per Prophetas* dicitur, cùm crebris monitis minisque legalibus homines perterrefacit, Hos. 6. 5. & spiritualiter eos occidit, ut ibidem sequitur. Confer 2 Cor. 3: 6. *Extendere lineam desolationis, & lapides vacuitatis* dicitur, cùm regna & regiones per hostes desolari curat, Esa. 34 11, (Metaphorâ ab architectis desumtâ, qui in ædificando lineis, perpendiculis, & funiculis utuntur: cujus contrarium de Deo dicitur, dum non ædificat, sed destruit &c.) *Frangere caput* dicitur, cùm in ira sua pessundat, Psal. 110: 6. Habac. 3: 13. *Fundâ projicere animam inimicorum Davidis* dicitur, 1 Sam. 25. ℣s. 29. cùm contemtim eam abjicit, & violenter ipsis eripit (sicut lapis fundâ emissus longè abjicitur, absque ulteriori ejus curâ: metaphorâ à re præsenti, armis nimirum Davidis desumptâ, quæ Abigail conspicabatur.) Contrà *ligare secum animam Davidis in fasciculo vitæ*, ibidem dicitur, cùm eam paternè curat, contra mortem ab hostibus intentatam custodit, & omnimodò securam præstat, ut avelli ei à quoquam non possit. *Librare viam ad iram suam* dicitur, cùm injustam impiorum contumaciam justis suis judiciis compensat, Psalm. 78. ℣s. 50. *Ponderare in statera montes, & colles in bilancibus* dicitur, Esa. 40. vers. 12. quo sustentationis divinæ in toto hoc universo facilitas innuitur: sicut facilè his modis tractant & appendunt homines, quæ volunt. Confer antecedentia. *Ponderare spiritus* dicitur, cùm exactissimè corda hominum explorata habere innuitur, Proverb. 16. v. 2. (metaphorâ ab hominibus, qui ponderibus res quasdam accuratè librant, ut, quanti precii sint, cognoscant.) Confer Proverb. 5. vers. 21 cap. 21. 2. cap. 24. vers. 12. *Ponere hamum suum in naribus, & frenum suum in labiis inimici* dicitur, cum furorem ejus inhibet, & contumeliosè tractat, 2. Regum 19. vers. 28. Esa. 37. vers 29. *Ponere lacrymas piorum in utre suo*, cùm non patitur inaniter eas profundi, sed memoriam quasi eorum servans, postea in gaudia æterna convertit, Psalm. 56. ℣s. 9. *Portare* dicitur, cùm sustentat, & conservat potenter ea, quæ creavit, Hebr. 1. ℣s. 3. Et cùm defendit ac clementer gubernat, Exod. 19. 4. Deuter 1. vers. 31. cap. 11. vers. 32. Esa. 40, 11. cap 46. vers. 3, 4. (Peculiaris *portatio peccatorum* est, à Christo Salvatore facta, Esa. 53, 4. 12. quâ imputatio ipsi facta, & plena satisfactio intelligitur, 1. Petr. 2, 24.) Confer Exegesin textuum Evang. & Epist. part. 1. p. 662. seqq. *Projicere post tergum suum peccata dicitur*, cùm ea condonat, & pœnas eorum aufert: Esa. 38. 17. (cui contraria phrasis est Ps. 90, 8. *Posuisti iniquitates nostras coram te, absconditum nostrum ad luminare faciei tuæ.*) *Radere novaculâ conductâ caput & crinem pedum, & barbam*, dicitur, cùm spoliari & vastari terram curat, & homines ex ea, tàm summos, quàm minimos, disperdit, Esa. 7. ℣s. 20. (Flacius: *Indicat, se operâ Regis Assyriæ Israelitas puniturum, ita ut homines, & animalia ac ædificia & plantæ vastentur. Ideò autem addit, conductitiâ, ut sciant illam novaculam suam mercedem flagitaturam; id est, Assyrios prædæ aviditate tantò exactiùs omnia spoliaturos & abrepturos esse.*) *Rumpere* dicitur, cùm dispergit, pessundat, & occidit, 2. Samuel. 5. ℣s. 20. cap. 6. ℣s. 8. *Sagittis petere*, cùm judicia sua velocissima in impiis exserit. Psalm. 64. ℣s. 8. [a] *Scribere* dicitur, cùm vel scientia, vel providentia ejus innuitur, & quidem *tùm* respectu gratiæ & benignitatis, ut *cum scribere pios* dicitur *in libro suo*, Esai. 4. v. 3. Daniel. 12. vers. 1. (de quo inferiùs plura) item, cùm *legem in cordibus suorum scribere* dicitur, Jerem. 31. vers. 33. Hebr. 8. v. 10. quo renovatio Spiritus sancti innuitur, ut credentes & nôrint, & cupidè faciant voluntatem Dei. Confer. 2. Corinth. 3. vers. 3. item, cùm *in manibus suis exarare seu scribere credentes* dicitur, Esai 49. vers. 16. quo fidelissima cura & eminens gratia erga eos intelligitur. Confer etiam Apocal. 3. v. 12. *Tum* respectu iræ & pœnarum, ut cùm Job dicit, cap. 13. v. 26. *Scribis contra me amaritudines*, hoc est, judicio tuo in me decernis plagas tam amaras & difficiles: Metaphorâ ex usu forensi deductâ, ubi rescripta judicialia dantur. Esa. 65. v. 6. *Ecce scriptum est coram me, non tacebo, sed reddam in sinu eorum &c.* Divina notitia innuitur, metaphorâ ab hominibus ductâ qui quæ reminisci volunt, in libro quodam vel charta annotant. Jerem. 17. vers. 13. *in terra scribi* dicuntur, *apostatæ*, hoc est, cœlo extorres esse, & æternum ad exitium destinari &c. *Scrutari Jerusalem lucernis* dicitur, cùm quævis latentia peccata in apertum quasi producit, & dignis pœnis afficit, Zephan. 1. v. 12. *Sculpere sculpturam in lapide uno* dicitur, cum Christum (qui per *lapidem* istum figuratur) vulneribus vibicibusque in passione lividum, pertusum, perfossum efficit, Zach. 3. v. 9. Confer Grammaticam sacram, pag. 339. *Sepire vel sepem ponere circa Jobum* dicitur, cùm eum adversus spiritus malignos custodit. Job. 1. v. 10. (sicut contrà *sepem removere*, cum defensionem suam & beneficia subtrahit, Esa. 5. v. 5. Confer Psal. 80. v. 13.

[a] Scriptio Dei.

PL-

Pſ. 89, 41.) Item *ſepire vias exciſo lapide*, cùm pœnis & calamitatibus undique conſtringit, Thren. 3. v. 9. Item, *ſepire viam ſpinis, & obducere maceriem*, cùm afflictionibus & quâvis ratione à propoſito pravo homines avertit, Hoſ. 2. v. 6. *Sigillo munire ſeu obſignare* dicitur, cùm homines præcludit quaſi, & prohibet, ne operentur, Job. 37. v. 7. Cùm amoris, præſtantiæ, & autoritatis conceſſæ documenta edit, Johan. 6. v. 27. Confer Cantic. 4. v. 12. cap. 8. v. 6. Hag. 2. v. 24. Cùm pios in veritate & pietate confirmat & conſervat. 2 Corinth. 1. v. 22 Eph. 1. v. 13. cap. 4, 30. Sicut homines, quæ rata facere & confirmare volunt, ſigillum iis adprimunt. *Trahere ad Christum* dicitur, cùm mentem verbo ſuo illuminat, & verâ ſalutis cognitione donat, Johan. 6: 44. Conferatur v. 45, 65. Item, Cantic. 1: 4. Jerem. 31: 2. Hoſ. 11: 4. Johan. 12: 32. 2. Theſſal. 3, 5. (Non violenta coactio immediata; ſed voluntatis à Deo averſæ, benevola flexio, eaque mediata, per verbum revelatum prædicatumque, *tractione* eâ innuitur &c.) *Ventilare ventilabro* dicitur, cùm in ira ſua homines impios diſpergit & diſperdit Jerem 15. v. 7. (phraſis propriè accepta occurrit Eſai. 30: 24) *Ventilabro aream ſuam perpurgare* Chriſtus dicitur Matth. 3: v. 12. Luc. 3: v. 17. hoc eſt, verbo potentiæ ſuæ, uti & tribulationibus, pios ab impiis ſegregare, ſicut ventilabro ſeu palâ, frumentum purum à paleis ſecernitur. *Verrere ſcopis* dicitur, cùm terram deſolari, & incolis ſpoliari curat, Eſa: 14. v. 23. *Vindemiare ſpiritum* dicitur, cùm vel animum & vires, vel vitam momento hominibus adimit, Pſalm. 76. v. 13. Quemadmodum in vindemia botri à vitibus reſcinduntur, atque hæ nudæ & deſolatæ viſuntur. *Ungere* dicitur, cum conſolatur, erigit, lætificat, confortat, Pſalm. 23. v. 5. Pſalm. 92. v. 11. 2. Cor. 1: 21. Longè autem auguſtiſſima & copioſiſſima eſt unctio Chriſti Salvatoris, quam Deus Pater ipſi præſtitit, Pſal. 45: 8. Eſa. 61: 1. Luc. 4:18. Hebr. 1: 9. Confer Johan. 3: 34. Actor. 10. v. 38. &c.

[d] Actiones pedibus peractæ.

*Tertii* generis actiones, quæ [d] pedibus peragi ab hominibus ſolent, tribuuntur Deo iſtæ: *Contritio capitis ſerpentis*, Gen. 3. v. 15. Uti per *ſerpentem* Diabolus, qui in naturali ſerpente latuerat, Evam ſeducens; & per *ſerpentis caput*, potentia & ſævitia Diabolica denotatur: Ita per *capitis illius contritionem*, à Meſſia θεανθρώπῳ peragendam, potentiæ & regni Diabolici enervatio, deſtructio, humanique generis ex illo liberatio innuitur. Proponitur igitur figuratè Salvator, ut Heros magnificus, qui pedibus ſerpentem ſeu draconem calcat, & caput ejus conterit. Unde ſtatim ſerpenti illi infernali, calcanei contritoris ſui læſio tribuitur, quâ phraſi paſſio & mors Salvatoris innuitur. Confer Grammat. Sacr. p. 898. Ad phraſin in allegato oraculo priorem, quæ contritio capitis ſerpentis eſt, reſpicitur à Paulo Rom. 16, 20. *Deus autem pacis conteret Satanam ſub pedes veſtros brevi &c.* *Torcularis calcatio* Deo tribuitur, Thren. 1: 15. quâ phraſi extrema hominum oppreſſio & afflictio notatur. Quò pertinet emphatica phraſis, quam de ſe Meſſias uſurpat Eſa. 63: 3. ubi ad hoſtes ex quibus nos merito & ſatisfactione ſuâ liberat Salvator, conculcatio illa referenda eſt. Vide etiam paulò ſuperiùs, ubi de pedibus Deo tributis agitur.

[b] III Actiones animalis facultatis.

Hactenus de actionibus, quæ *rationalem* animæ vim concernunt ac præſupponunt: Sequuntur eæ, quæ [b] *animalis* facultatis ſunt. Triplicis autem generis (præſentem quod ſcopum ſpectat) ſtatui illæ poſſunt. 1. Actiones *ſenſuum* quinque externorum. 2. Actiones *locomotivæ* facultatis, ſeu motus atque ſitus localis. 3 Actio *procreatrix* ſeu generatio, quam ad animam vegetantem Phyſici referre ſolent, dum ἀκριβῶς omnia diſpeſcunt. Nos ad animalem reducimus, ſub qua vegetans comprehenditur. *Primi* generis actiones, quæ ſenſuum externorum ſunt, Deo tribuuntur iſtæ.

[e] Actiones ſenſuum.

VISIO *& adſpectus* Deo tribuitur, quo (ut ſuprà etiam dictum, quando de *oculis* Deo attributis egimus) innuitur, 1. Exactiſſima ejus notitia. Exod. 32: 9. *Vidi populum hunc, & ecce, populus durus cervice is eſt*; hoc eſt, exactiſſimè ſcio, quâm malus ſit. 1: Sam. 16: 7. *Homo videt, quæ ſunt præ oculis, Dominus autem vidit ad cor*, hoc eſt, occultas cordium cogitationes, totamque hominis indolem interiorem, perſpectam exactiſſimè habet, & ſecundùm eam judicat hominem &c. Pſal. 11: 4. *Oculi ejus* (Jehovæ) *vident &c.* Singulare eſt, quod Filius Dei de ſe dicit Joh. 5: 19. *Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, ſed quod viderit Patrem facientem.* Ubi *viſio Filii* eſt æqualis cum Patre omniſcientia, & conſequenter æqualis omnipotentia, ejuſque in operando ἐνέργεια. Eraſmus in paraphr. h. l: totum hunc verſum & ſequentem commodè παραφράζεται: *Illud etiam atque etiam aſſirmo vobis, Filius, qui totus à Patre pendet, non poteſt quicquam ex ſe facere, cum ex ſe non ſit, ſed quod viderit Patrem facientem, idem & ipſe facit. Eſt quidem voluntas ac poteſtas eadem, ſed penes Patrem eſt autoritas, unde proficiſcitur in Filium, quicquid eſt aut poteſt Filius. Quicquid igitur fecerit Pater, hæc eadem pariter operatur*

& Fi-

*& Filius, ob æqualitatem communicatæ per nativitatem potestatis. Inter homines sæpè degenerant à parentibus filii, nec eadem semper est Patris ac filii voluntas, nec eadem facultas. Secus hîc res habet, Pater enim unicè diligit Filium, suique simillimum genuit, paremque potestatem operandi transfudit in illum, omniaque demonstrat Filio facienda, quæ facit ipse. Exemplar ab illo proficiscitur, cæterùm. operatio communis est utriusque.* Confer Grammaticam sacr. p. 499. Providentia ejus in creaturis; Et quidem (1) In bonum, ut beneplacitum, approbatio, favor & gratia ejus notetur. In genere de creaturis dicitur Gen. 1, 4. *Et vidit DEUS lucem, quòd bona.* v. 10. *Et vidit* DEUS, *quòd bonum:* ita & v. 12, 18, 21, 25. cui generalis subjicitur sententia v. 31. *Et vidit* DEUS *omne, quod fecerat, & ecce bonum erat valdè.* Significatur divina operum creatorum approbatio, & simul ordinis naturæ ad finem usque mundi duraturi sanctio. Confer Psal. 104, 31. Sap. 11, 25, 26. &c. Ex hoc oritur loquendi mos, quo *videre* DEUS dicitur, cùm providet de certis personis vel rebus, easque moderatur & gubernat. Gen. 16, 13. *Tu* DEUS *vides me*, hoc est, provides mihi. Gen. 22, 8. *Et dixit Abraham*, DEUS *videbit sibi agnum in holocaustum*, hoc est, providebit de eo. Non est intelligendum, quòd Abraham jam præsciverit, fore, ut monstratum arietem loco Isaaci DEO in sacrificium offerat, sed quòd ejusmodi responso filium de pecore holocausti solicitum, providentiæ divinæ curam hanc committendo, quietum esse jusserit. Quod autem Abraham locutus est, ipso posteà eventu fuit comprobatum: prospexit DEUS de victima, loco Isaaci oblata, ℣. 13. unde etiam monti nomen indidit: *Dominus videbit*, ℣. 14. &c. 1 Sam. 16: 1. *Vide in filiis ejus* (Isai) *mihi Regem*, hoc est, providi, seu elegi. In specie, ad homines si τὸ *respicere* DEI referatur, approbatio ejus, misericordia, cura, & auxilium quodcunque denotatur. De quo ita Illyricus in clave: *Est in his duplicata figura, nempe tùm anthropopathia, quòd DEO aspectus tribuitur; tùm etiam metalepsis aut metonymia, quòd externus oculorum motus internam animi affectionem, effectu pro causa posito, significat: tametsi etiam externam opitulationem, quæ interni affectus & externi oculorum motus consequens est, complectatur, ut hîc tertius quoque tropus accedat* Gen. 4: 4. *Et respexit Dominus ad Habel, & ad oblationem ejus.* ℣. 5. *Et ad Cain, & ad oblationem ejus non respexit*, hoc est, illum cum sacrificio suo clementer probavit & acceptavit; hunc verò minùs. Non verò internum solùm Jehovæ beneplacitum, sed externam declarationem ejus intelligendam esse, ex consequenti Caini iracundiâ apparet. Sive declaratio illa fuerit facta per ignem cœlitùs demissum, qui victimam Habelis absumserit, uti Levit. 9: 24. 1 Reg. 18: 38. 2 Paral. 7: 1. &c. sive ratione aliâ, miraculo tamen factum esse, pie credendum, & in hac modestiâ, ne Scripturâ tacente quicquam temerè affirmetur, permanendum est. Num. 16: 15. *Et dixit Moses ad Dominum: ne respicias ad oblationem eorum*, hoc est, ne acceptum & ratum habeas. 1 Sam. 1: 11. *Si videndo videris afflictionem ancillæ tuæ &c.* hoc est, si misertus ejus, opem ei tuleris, fœcundando eam &c. Sic & Ps. 9: 14. Ps. 10: 14. Ps. 84: 10. Ps. 102: 18. Psal. 74: 20. Psal. 113: 6. Esa. 66: 2. Thren. 4: 16. c. 5: 1. Jon. 3: 10. Luc. 1: 25, 48. &c. Huc pertinet phrasis, *respicere de cœlo*, Deut. 26: 15. Ps. 80: 15. Ps. 102: 20. Thren 3: 50. &c Ex dictis hactenus patet, *videndi seu respiciendi* verbum, quando de DEO usurpatum, ejus favorem & amorem denotat, quandoque adponi ipsi objecto, ut cùm dicitur, DEUM *respicere hominem, vel ejus oblationem &c.* quandoque causæ προκαταρκτικῇ externæ, ut cùm dicitur, DEUM *respicere afflictionem, humilitatem, orationem &c.* quandoque causæ προηγουμένῃ internæ, ut cùm dicitur, DEUM *respicere pactum*, hoc est, misericordiam & veritatem suam, in gratuito fœdere declaratam, quâ motus, hominum miseretur, Psal. 74: 20. item *respicere faciem Christi sui*, Ps. 84: 10. qui Mediator noster & Salvator noster est, & propter quem sibi benefieri David petit optatque, vocans eum *servum Domini*, 1 Paral. 17: 19. & *verbum Domini*, 2 Sam. 7: 21. Confer. 1 Par. 17: 17. (2.) In malum, ut ira, vindicta, & pœnæ DEI denotentur, Exod. 14: 24. 1 Par. 12: 17. Psal. 104: 32. Jer. 3: 8. Thren. 3: 36. Ezech. 16: 50. &c.

AUDITUS DEO tribuitur, quo itidem DEI erga credentes benevolentia & gratia, in satisfaciendo optatibus, precibus & suspiriis eorum, utplurimùm innuitur. Gen. 16, 11. *Audivit Dominus afflictionem tuam.* Exod. 2: 24. *Et audivit DEUS clamorem eorum.* 2. Reg. 20: 5. *Audivi orationem tuam &c.* Sic Psal. 4, 4. Psal. 5, 2. 3, 4. Psal. 130: 2. Esa. 65: 24. 1. Joh. 5: 14. &c. *Exaudire cœlum* dicitur DEUS Hos. 2: 21. cùm *beneficia* (ut Paulus Act. 14, 17. loquitur) *confert, de cœlo dans pluvias ac tempora fructifera*, quod tacito quasi desiderio exoptat, & pro eo DEUM invocat cœlum &c. Utitur etiam Scriptura *attendendi* voce, de DEO piorum precibus & desideriis annuente, quo ipso miserationis

ipsius vis magis perspicitur. Psal. 10: ℣ſ. 17. Ps. 66: 19. Ps. 130: 2. &c. Contrarium huic est, quòd *obstruere orationi* DEUS dicitur, Thren. 3: 8. & *operire se in nube, ne transire possit oratio*, v. 44. Confer Esa. 1: 15. cap. 59: 2. &c.

ODORATUS DEO tribuitur, quo itidem DEI εὐδοκία, complacentia, & gratia denotatur, sicut odore bono homo recreatur, eòque delectatur. Gen. 8: 21. *Et odoratus est Dominus odorem quietis.* Chald. *Et accepit* DEUS *in beneplacito sacrificium ejus.* Lutherus in aureo commentario h. l. *Sicut medici nonnunquam exanimes suavitate odorum revocant: sicut contrà horribilis fœtor vehementer offendit naturam, ac prosternit sæpe: Ad hunc modum dici potest, DEUM horribili fœtore impietatis offensum, nunc quasi recreari, cùm videt hunc unicum Sacerdotem* (Noam) *se accingere ad facienda sacra, ut specimen aliquod gratitudinis exhibeat, & publico opere ostendat, se non esse impium, sed habere & revereri DEUM; húc enim propriè sacrificia pertinebant &c.* Musculus in comment. h. l. percommodè: *Per anthropopathian Moses DEO tribuit odorandi facultatem, & de sacrificio Noa non scribit: Et odoratus est Dominus odorem holocausti: sed, & odoratus est Dominus odorem suavitatis. Nec odoratur Dominus organo narium, ut homo; nec odor sacrificii Noë, quem edebant holocausta pecorum, bona erat fragrantia, sed magis gravis & molestus. Admonemur ergò hac locutione, opera nostra, qualiacunque sint, exhalare odorem quendam, qui ascendat in conspectum DEI, & ab illo vel probetur, tanquam suavis, vel improbetur, tanquam gravis, molestus & injucundus. Is odor est, non quem externa nostra facta mortalium sensibus ingerunt, sed quem ipsa corda nostra spiritualem, mala malum & graveolentem, bona bonum ac suavem exhalant. In sacrificio Noa corporalis & externus odor erat, quem caro incensa naribus mortalium; spiritualis verò: quem cor Noa naribus DEI ingerebat. Erat is nihil aliud, quàm sincera fidelis animi pietas, beneficium DEI agnoscentis ac celebrantis &c.* Pertinet huc appellatio רֵיחַ נִיחוֹחַ *odoris quietis* seu suavitatis, quæ crebrò sacrificiis Deo oblatis tribuitur, Exod. 29: 18, 25, 41. Levit. 1: 9. cap. 2: 12. cap. 3: 16. cap. 8: 21. Num. 28: 2. Ezech. 20: 28, 41. &c. Non dubium est, in his omnibus ad Messiam haberi respectum (cujus typi sacrificia Veteris Testamenti fuerunt, & à quo solo obtinuerunt, illam Dei εὐδοκίαν) de quo, phrasi non absimili, dicitur Ephes. 5. vers. 2. *quod tradiderit semetipsum pro nobis oblationem ac hostiam Deo, in odorem suavitatis.* Esa. 11. ℣ſ. 3. *odoratus* Messiæ tribuitur: וַהֲרִיחוֹ *& odorari ejus in timore Domini.* Quod alii aliter explicant: simplicissimè autem omnium de sacrificio ejus propitiatorio, in obedientia usque ad mortem crucis Patri præstito (quam vocat Propheta *timorem Domini*) intelligitur. 2. Cor. 2. v. 15. dicit Apostolus: *Christi bona fragrantia sumus Deo &c.* hoc est, ministerium nostrum Deo per Christum, instar sacrificii Deo suaveolentis, gratum est. Confer Roman. 15. vers. 16. Non autem respectu Dei solùm hac phrasi de Evangelio Christi crucifixi utitur, sed & respectu hominum, ad quos odor iste suavis se diffundit, & credentes quidem recreat salvatque, incredulos autem interficit & damnat, uti vers. 14, 16. declaratur. Celebratur & alibi Salvatoris *fragrantia & odor bonus*, quo verbi ejus virtus & suavitas in reficiendis credentium animabus intelligitur, Psal. 45: 9. Cant. 1: 13.

GUSTUS & TACTUS DEO tributi, non sunt adeò multa exempla. Ad illum referri potest, quod Psalm. 104: 34. dicitur: *Dulcescat ipsi eloquium meum*, hoc est gratum & acceptum sit. Hos. 9: 4. *Non libabunt Domino vinum, nec dulcescent ei sacrificia eorum &c.* hoc est, non probabit vel rata atque grata habebit ea. Confer Malach. 3. vers. 4. Emphaticum etiam est, quòd Messias dicitur ערב *edulcasse cor suum, ad accedendum ad Deum Patrem*, Jer. 30: ℣ſ. 21. quo summa promtitudo & alacritas in exsequendo officio mediatorio, intelligitur, Psal. 40: 8, 9. Ea ut cibus gratus & dulcis ipsimet fuit, Johan. 4. ℣ſ. 32: 34. ita & cœlesti Patri &c. Ad hunc verò referri potest, quòd Psalm. 104. ℣ſ. 32. dicitur: *Tangit montes, & fumant*: q. d. solo tactu res summas & firmissimas perdit. Sic Psalm. 144. ℣ſ. 5. Ad fumantem montem Sinai in promulgatione legis, Exod. 19. & 20. alludi, quidam ajunt. Possunt etiam quædam huc reduci phrases, quæ de *manu Dei* suprà allatæ sunt. &c.

[a] Sensuum affectio, somnus.

Hactenus sensuum externorum actiones. Eorum affectio statuitur [a] *somnus & vigilia.* Ut enim in somno premuntur & sopiuntur actiones sensuum: ita per vigiliam ad suas operationes excitantur, dicente Aristotel. lib. de somno & vigil. cap. 1. Tribuuntur autem & hæc Deo ἀνθρωποπαθῶς. [a] *Somnus & expergefactio ex illo* simul, Psal. 44: 24. Psalm. 78: 65. Jerem. 31: 26. quorum *illo*, auxilii divini dilatio; *hac* verò, potentiæ contra hostes, & gratiæ erga Ecclesiam, post factam dilationem, exsertio innuitur. *Evigilatio* solùm, non expressâ somni mentione factâ, quæ tamen subinnuitur, Psalm. 35: 23. Esa. 51: 9. &c. Ps. 121: 3, 4. *non dormire nec dormitare* dicitur *custos Israelis*; quibus

quibus verbis custodiæ, opis & auxilii divini certitudo declaratur. Aliâ ratione שָׁקַד *vigilavit*, de Deo usurpatur, ac assiduitas quasi ejus atque festinatio, vel in infligendis pœnis, vel in exhibendis beneficiis, intelligitur, Jerem. 1:12. cap. 31:28. cap. 44:27.

*Secundi* generis ^a actiones, quæ motus localis sunt, tribuuntur Deo ἀνθρωποπαθῶς istæ. ADVENTUS *ad credentes*, quo gratiæ & beneficentiæ exhibitio notatur, Exod. 20:24. Joh. 14:23. Est & adventus DEI ad judicandum & puniendum, Esa. 3:13, 14. Quò pertinet illud Hos. 11:9. *Non veniam in civitatem*, videlicet hostili modo, seu perditurus eam, uti Sodomam.

AMBULATIO *in populo suo*, quo præsentia gratiosa & beneficentia significatur. Levit. 26:12. *Ambulabo in medio vestri*, hoc est, gratiosè præsens vobis adero, & benefaciam. Gal. l. 3. de arcan. Cathol. veritatis c. 27. ad incarnationis Filii DEI mysterium respectum hac phrasi haberi ait. Sic. Deut. 23:14. 2 Cor. 6:16. In malum, ratione pœnarum, hoc verbum adhibetur Lev. 26:24. *Et ambulabo etiam ego vobiscum* בְּקֶרִי *temere*, hoc est, sine ullo personarum discrimine & non adhibita plagis moderatione, habenas iræ meæ in vos laxabo, ut Junius interpretatur. Targ. *In duritie*, vocem בְּקֶרִי reddit, ỳs. 28. eodem sensu in Hebræo dicitur, בַּחֲמַת קֶרִי *in ira temeritatis*, hoc est, sine discrimine ullo exserta mea ira, & pœnis inflictis terribilibus. Alludit autem Jehova hac phrasi ad sermonem præcedentem, ỳs. 21. *quòd si ambulaveritis mecum* קֶרִי (pro בְּקֶרִי *temerè*; quod quidam ita explicant; si dixeritis, castigationes, quas ego adduco super vos, esse per accidens, casu & contingenter vobis accidere, non verò pœnam esse peccatorum vestrorum: Confer 1 Sam. 6:9. Rectiùs alii exponunt: sine discrimine, ὁπότερ' ἔτυχεν, utut accidit, modò fueritis secuti studia vestra, non voluntatem meam. Pagninus utrumque vertit: *Ex adverso*. Ariæmontanus, *In occursu*. Lutherus: Entgegen wandeln. DESCENSUS *de cœlo*, quo propositum DEI apparentis, de singulari opere inter homines efficiendo, notatur: *Tùm* in bonum, respectu gratiæ, Exod. 3:8. *tùm* in malum, respectu iræ & pœnæ, Gen. 11:5, 7. cap. 18:21. Psal. 18:10. Esa. 64:1. Sap. 18:15. August. lib. 16. de C. D. c. 5. (de loco Gen. 11.) *Non loco movetur DEUS, qui semper ubique est totus: sed descendere dicitur, cùm aliquid facit in terra, quod præter usitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam quodammodò ejus ostendat.* *Descendere de cœlo Filius DEI* dicitur, cùm assumsit humanam carnem, & in ea se hominibus ad salutem patefecit, quod sine omni mutatione loci factum, Johan. 3:13. cap. 6:38. 42:50. *Descendere Spiritus sanctus* dicitur, cùm in visibili columbæ specie se manifestavit super Christo requiescens, Matth. 3:16. Marc. 1:10. Luc. 3:22. Joh. 1:32, 33. Aliâ significatione, *DEUS se descensurum cum Jacobo in Ægyptum* promittit, hoc est, ipsi gratiâ, & patronico suo adfuturum in via illa, Gen. 46:4. Terra quippe Canaan est editior seu eminentior Ægypto. EQUITATIO, quâ gloriosa DEI operatio innuitur, quam in cœlis exserit, in tempestatibus & aliàs, Deut. 33:26. Psal. 68:34. Item celeritas in exequendo sua judicia, Psal. 18:11. Esa. 19. 1. OCCURSUS, quo vel DEI manifestatio denotatur, Num. 23:4, 16. vel gratia & beneficentia, Esa. 64:4. REVERSIO *ad locum suum*, quâ pœnarum divinarum immissio significatur: Hos. 5:15. In pœnis enim, & dilatione auxilii, DEUS abesse hominibus videtur, Jud. 6:13. Thren. 3:43, 44. *Reversio in altum*, quo quasi conscensio in judiciale solium, seu ipsum divinum judicium indicatur. Psal. 7:8. *Reversio ad pios*, quâ pœnarum ablatio, & gratiæ exhibitio innuitur, Psal. 6:5. Zach. 1:3. SURRECTIO, quâ divinum de magnis operibus propositum indicatur, Num. 10:35. Psal. 12:6. Psal. 44:27. Psal. 68:2. Psal. 102:14. Esa. 2:19, 21. cap. 33:10. &c. SUPERVENIRE *hominem Spiritus sanctus* dicitur, dum singulari & mirabili ratione in eo & per eum operatur, Luc. 1:35. Act. 1:8. quod Luc. 24:49. dicitur *indui virtute ex alto*. TRANSITIO DEO tribuitur, quâ vel punitio divina intelligitur, Exod. 12:12, 23. Amos 5:17. Vel contrà dissimulatio divina, quando non punit; Amos 7:8. *Non addam amplius* עֲבוֹר לוֹ *transire ei*, hoc est, connivere ad peccata eorum. Sic Mich. 7:18. ubi cum עַל construitur. De homine sic usurpatur Prov. 19:11. Alterum verbum, פסח, *transire, transilire*, de DEO parcente & pœnas avertente à populo suo, usurpatur Exod. 12:13, 23. a quo *Pesach seu paschatis* vox notissima originem sumsit &c. Idem verò verbum deliberatione populi divina ex captivitate Babylonica usurpatur Esa. 31:5. ubi ad prius miraculosum opus allusione factâ, innuitur, unâ nocte regnum Babylonis dejiciendum esse ad populi liberationem, sicut olim in Ægypto fuerat factum. Confer Dan. 5:30. VISITATIO demum, quâ vel DEI exploratio & notitia notatur, Psal. 17:3. vel realis exhibitio, tùm gratiæ & benefi-

^a 2. Actiones locomotivæ.

cii, Genes 21: 1. Psal. 65: 10. Psal. 106:4. Jer. 29: 10. Luc. 19: 44. &c. tùm iræ & supplicii, Exod. 34: 7. Psal. 59: 6. Esa. 27: 1. Jerem. 6: 6. cap. 15: 3. Hæc de actionibus localis motus. Alia, quæ analoga his sunt, proponentur infrà, cùm de *Loco*, DEO ἀνθρωποπαθῶς tributo, dicetur. Non solùm autem ipsius locomotivæ actiones, sed & harum fines & effectus quidam DEO tribuuntur. Ut *exploratio*, quæ circumambulando perficitur, Ezech. 20: 6. *ad educendum eos de terra Ægypti, ad terram, quam* תַּרְתִּי *exploravi eis &c.* Junius in comment. h. l. *Commendatur terra Judæa à providentia studioque æterno* DEI, *quod tanquam explorator quidam observârit & providerit de sede commodissima, ubi ejectis hostibus commodè quiescerent &c.* Simile quid de arcâ fœderis dicitur. Num. 10: 33. Item *quæsitio*, quæ & ipsa circumeundo utplurimum peragitur: Et notatur eâ DEI desiderium & voluntas seria, Ezech. 22: 30. Joh. 4: 23. &c. Hujus item effectus, nempe *inventio*. *Invenire* enim *iniquitatem* DEUS dicitur, cùm ob eam homines in ira sua castigat & punit, Gen. 44. vers. 16. *Invenire hostes suos* dicitur, cùm ad commerita supplicia eos trahit, Psal. 21: 6. &c. *Invenisse Davidem servum suum* dicitur, dum singulari providentia ipsum elegit, Psa. 89: 21. Act. 13: 22. quo sensu etiam *quæsivisse illum* dicitur 1 Sam. 13: 14. In quem locum August. sic loquitur, l. 17. de C. D. c. 6. *Non quasi nesciat ubi sit, ita* DEUS *sibi hominem quærit, sed per hominem more hominum loquitur, quia sic loquendo nos quærit &c. Quæret sibi ergò dixit, pro eo, ac si diceret, quem suum esse jam novit, sibi esse familiarem alii sostendet.*

a 3. Actio procreandi.

*Tertii* generis a actio superest, GENERATIO videlicet, non æterna illa, quâ DEUS Pater ex substantia sua ab æterno Filium sibi coæternum & consubstantialem genuit: hæc enim non metaphorica est, sed propriissima, interim tamen ἄῤῥητος καὶ ἀνεξιχνίαςος, Psal. 2: 7. Prov. 8: 24, 25. Hebr. 1: 5. Sed spiritualis & mystica, quâ *populum suum & credentes gignere* dicitur, dum peccatis remissis, imagine suâ eos donat, & in filios adoptat, propter Christum Salvatorem. De qua in his Scripturæ dictis agitur, Psal. 22: 32. Psal. 87: 4, 5, 6. Esa. 66: 9. Johan. 1: 13. cap. 3: 5, 6. Tit. 3: 5. 1 Pet. 1: 3, 23. 1 Joh. 3: 9. Jac. 1: 18. &c. Pertinet huc illud Psal. 72: 17. *Erit nomen ejus* ; (Messiæ) *in seculum, ante Solem* (quamdiu durat Sol) יִנּוֹן *sobolescet nomen ejus*, id est, tum ipse in sempiternum vivet, tum de nomine suo filios DEI & Christianos, à se dictos, gignet. Junius & Tremellius. Respectu inanimatorum quorundam itidem *genitura* DEO tribuitur. Job. 38: 28. *Numquid est pluviæ pater?* (scilicet præter me, hoc est, an pluvia habet, qui eam certo tempore mittat in terram, præter me?) *aut quis genuit stillas roris?* (innuit DEUS, se solum hoc præstare, neque posse hoc imitari homines,) ÿs. 29. *Ex utero cujus egreditur gelu?* (hoc est, quis est opifex glaciei, præter me? & quis ex omnibus hominibus hoc efficere poterit?) *& pruinam cœli quis gignit?* (hoc est, rorem illum congelatum & conglaciatum, de cœlo seu ex aëre decidentem, quis, præter me, efficit?) Huc referri potest phrasis, cùm DEUS *decretum parere* dicitur, Zeph. 2: 2. Tarnovius in h. l. *Parate vos in occursum Domini, cùm nondum parit seu in lucem edit & exequitur, decretum seu statutum, quod pœnis velut prægnans* DEUS *fecit, eusque jam parturit. Ut enim partus non statim sequitur conceptionem, sed tempus habet maturescendi legitimum, ac natura legibus definitum: Ita* DEUS, *etsi certò punire jam decrevit, & sententiam tulit, ut statutum mente concepit, aliquandiu tamen adhuc exsecutionem differt, ut det adhuc locum pœnitentiæ, quam si improbi omninò nolunt agere, jam maturescit iniquitas apud homines, & pœna apud* DEUM. *Et quemadmodum partus necessario sequitur, quando tempus à natura præfinitum effluxit, sic inevitabile est* DEI *judicium, cùm tempus prædeterminatum est elapsum &c.* Quidam adjungunt verba Psal. 56: 8. *Pro iniquitate* פַּלֶּט *parito eis*, hoc est, facito, ut ipsis laboriosa & ærumnosa sit sua iniquitas. Nam istos labores iniquitatis pœnas, modò *parere* dicitur DEUS, ut illorum autor, modò improbus ipse, qui sibi sua improbitate generat malum, Psal. 7: 15. Ita Junius, & ex eo Polanus. Rectiùs videtur Chaldæus vertere. רוֹקֵן *evacua ipsos*. Quidam: *ejice illos*. Omnium, ut videtur, optimè R. Kimchi, qui infinitivum pro nomine positum ait, & interrogativè legit: *An ob iniquitatem erit ipsis evasio seu liberatio?* Sicut Psal. 32: 7. *jubilis* פַּלֵּט *liberationis circumdabis me.* De infinitivo loco nominis posito vide Grammat. sacr. p. 364.

## ADJUNCTA HUMANA DEO TRIBUTA.

Distingui ea possunt in ςερητικὰ *privativa*; & θετικὰ *positiva*. Priorem ad classem pertinet, cùm ἀνθρωπίνως b *impotentia efficiendi aliquid* Deo tribuitur, seu cùm Deus de se dicit, quòd aliquid præstare non possit, quasi veritate, bonitate & sanctitate suâ prohibitus. Genes. 19: 22. *Festina, eripe te illuc, non enim potero*

b Impotentia faciendi.

potero facere quicquam, usque dum perveneris illuc. Non inconvenienter dicitur, his verbis Filium Dei rursus loqui, qui digressus ab Abrahamo faciem suam direxerat versus Sodomam, ut ibi vastaret urbes, & post ipsi Loto adfuit, & hoc verbis illis suis dicere voluit: Cùm certa & immutabilis sit Dei, vos benevolè respicientis, sententia, de vobis ex incendio & perditione eripiendis, igitur antequam in tuto sitis collocati, exsecutio incendii Sodomirici haudquaquam fieri poterit. D. Hunnius: *Potentiam Dei absolutam nulla creatura retardare potest. Hic verò loquitur de sua potentia, prout illa paterna in nos homines misericordia favore tincta & temperata est, atque ad hominum utilitatem sic accommodata, ut non faciat quicquam, quod credentium suorum saluti officere videantur &c.* Huc referenda est loquela Dei omnium suavissima (utpote in medio iræ æstu facta) & consolaminis plena, quâ ad Mosen utitur, de graviter peccante per apostasiam populo, Exod. 32: 10. *Nunc igitur dimitte me, ut accensâ irâ meâ consumam eos &c.* Loquitur Jehova, ac si fide & precibus Mosis alligatus & constrictus, non posset populum delere, nisi impetratâ quasi à Mose veniâ. Psalm. 106. ℣s. 23. de hoc actu inter Deum & Mosen ita habetur: *Et dixit* (constituit Deus) *se deleturum eos, nisi Mose electus ejus stetisset in ruptura coram eo, ut averteret iram ejus, ne disperderet.* Tantæ nimirum efficaciæ & virtutis coram Deo est justi precatio, Jacob. 5. ℣s. 16 Conferri possunt Genes. 32: 28. Hos. 12: 4. Jos. 10: 12, 13, 14. &c. Esa. 1: 13. *Non possum* (ferre) *iniquitatem & cœtum.* Ex consideratione sanctitatis divinæ hoc est exponendum, de divina iniquitatis abominatione. vers. 14. aliis phrasibus ἀνθρωπίνοις idem hoc enunciatur. Quiddam ϛερητικὸν in homine quoque est ᵃ *luxatio* membrorum, quæ Deo tribuitur Jerem. 6: 8. *Erudire ô Jerusalem, ne* תֵּקַע *luxetur anima mea à te*, q. d. ne tanquam luxatum aut elisum membrum discedat abs te, & tu abscindaris ab illa, tanquam abalienatum membrum. Junius Ezech. 23: 18. וַתֵּקַע *& luxata est anima mea ab ea, quemadmodum luxata erat anima mea à sorore ejus.* Phrasi hac metaphorica optimè communio Deo cum fidelibus exprimitur. Ab his ἑκουσίως & contumaciter peccantibus, si gratiâ sua recedat Dominus, luxatum quasi & avulsum caput à putridis membris est. Hoc nimirum est, quod simili metaphora Deus ad improbam Synagogam loquitur. Jerem. 15: 6. *Tu dereliquisti me, dicit Dominus, abiisti retrorsum, & extendam manum meam super te, & disperdam te,* נִלְאֵיתִי *defessus sum miserendo*, Ich bin des Erbarmens müde. Multa & magna Dei longanimitas præcedit ejusdem desertionem: quæ impletio illa mensuræ peccatorum est, de qua Gen. 15. v. 16. Matth. 23. v. 32. Ad ϛερητικὰ in homine tandem pertinent, *tùm* ᵇ *morbi*, quibus pœnæ peccatorum notantur, quas loco nostri Christus pertulit, Esa. 53: 4, 10. *tùm pestis & mors seu occisio*, à quibus se describit Messias Hos. 13: 14. *Ero* דְּבָרֶיךָ ᶜ *pestes tuæ, ô mors: ero excisio tua, inferne!* Ità de se loquitur, ratione officii tùm sacerdotalis, quia per *mortem suam abolevit eum, qui mortis habet imperium h. e. diabolum*, Hebr. 2: 4. tùm prophetici, quia *per Evangelium abolevit mortem, vitam autem in lucem produxit ac immortalitatem*, 2. Tim. 1: 10. tùm Regii, quia Ecclesiam suam fortiter defendit, *ne portæ inferorum prævalere illi queant*, Matth. 16: 18. tandemque *ultimum hostem, qui mors est, abolebit*, 1. Cor. 15: 26. Quare evidentissimum hìc habetur resurrectionis futuræ elogium, ut Junius & Tremellius in h. l. rectè concluduut. Paulus hæc verba Hos. 1. Cor. 15: 55. ita enunciat: *Ubi tuus, mors, stimulus? ubi tua, inferne, victoria?* Nimirum ex versione LXX. Interpretum, qui & ipsi interrogativè legunt. Diversitas ex significatu vocis אֱהִי oritur, quam quidam ut verbum futurum, *ero*, accipiunt; quidam verò ut adverbium loci, ut sit idem ac אַיֵּה *ubi*, per metathesin, uti etiam v. 10. accipi ajunt אֱהִי *ubi Rex tuus, ubi? &c.*

*Posterioris* classis adjuncta, θετικὰ & *positiva*, possunt distingui in interna. & externa. *Interna* sunt, ᵈ respectus & status hominum diversi: Et sic DEUS dicitur, *Agricola*, γεωργὸς, hoc est, (synecdochicè) ἀμπελουργὸς *vinitor* Joh. 15: 1. comparationis ratio ibidem sequitur, & latiùs exposita habetur Esa. 5. & Matth. 20. &c. *Artifex* אָמוֹן Prov. 8: 30. Ita se sapientia DEI hypostatica, quæ æternus DEI Filius est, vocat, cùm de creatione rerum omnium loquitur. Cant. 7, 1. אָמָּן eodem significatu exstat. Alii aliter; sed quod dictum, omnium est simplicissimum. In Bereschith Rabba אמון explicatur, כלי אומנותו של הבה *organon artificii DEI Benedicti.* LXX. Interpretes vertunt, ἁρμόζουσα, *adaptans, componens.* Lutherus: Werckmeister &c. In Christo enim creata sunt universa in cœlo & in terra, Joh. 1: 3. Col. 1: 16. &c. Hebr. 11: 10. DEUS dicitur τεχνίτης καὶ δημιουργὸς, *artifex & conditor civitatis habentis fundamenta*, hoc est, vitæ æternæ & gaudii cœlestis causa, fons, & autor. *Bellator*, אִישׁ מִלְחָמָה Exod. 15: 3. ab omnipotentiæ suæ opere, in Pharaonis & Ægyptiorum exercitu disturbato & aquis suffoca-

ᵃ Luxatio.
ᵇ Morbi.
ᶜ Pestis & mors.
ᵈ Respectus hominum varii.

focato, Prætereà in bellis inter homines gestis, summus ipse est Imperator, bellis præsidens, & victoriam concedens, quibus vult, fundens fugansque, quos vult. Confer. Psal. 46. Psal. 76. &c. *Consiliarius*, יֹעֵץ, Esa. 9:6. Ita Christus vocatur, tùm ob sapientissimum salutis recuperandæ decretum, quod in Christo Jesu ante tempora secularia dispositum est, 2. Tim. 1 9. tùm ob sanctissimum officium, in voluntatis divinæ ad salutem patefactione, & obedientia Patri præstitâ &c. *Medicus*, Exod. 15: 26. quia ex omnibus periculis ac malis, tàm animarum, quàm corporum (quæ *morbis & morti* comparantur sæpiùs) homines sibi confisos liberat, Psal: 147: 3. &c. Christo Redemtori peculariter, ob sanationis spiritualis beneficium, tribuitur, Matth. 9: 12. Marc. 2: 17. Confer Esa. 61: 1. *Pastor*, Psal. 23: 1. Christo peculiariter, ratione suavissimi sui officii Salvatorii, *Pastoris* appellatio & actiones tribuuntur, Cant. 1: 7. cap. 2: 16. cap. 6: 2. Ezech. 34: 23. cap. 37: 24. Mich. 5: 3. cap. 7: 14. Zach. 13: 7. Joh. 10: 11. Heb. 13: 20. 1 Pet. 2: 25. cap. 5: 4. de quo aliàs multa dici solent. *Pater*, Deut. 32: 6. Psal. 68: 6. Esa. 64: 8. Matth. 6: 1, 6, 8, 9. Rom. 8: 15. &c. Quæ appellatio consolationis & gaudii est plenissima, affectum præpotentis DEI ergà homines declarans. De appellatione, *Pater Spirituum*, Heb. 12: 9. vide Grammat. sacr. pag. 37. *Pater æternitatis* Christus dicitur Esa. 9: 6. quia sincerissimè credentes amat, & in æternitate beatâ eos glorificat. Unde eleganter LXX. verterunt: πατὴρ τȣ̃ μέλλοντος αἰῶνος, *pater futuri seculi*. *Primogenitus*, Psal. 89: 28. Col. 1: 15: 18. Apoc. 1: 5. Ita Salvator noster appellatur, de quo vide Grammat. sacr. p. 60, 61. *Princeps*, *Dux*, *Rex*, sæpiùs Jehova & Salvator noster vocatur, Esa. 9: 6. cap. 55: 4. c. 32: 1. c. 33: 22. &c. ad denotandam majestatem & cœleste Dominium ejus, de quo multa alii. *Sponsus* Matth. 9: 15. cap. 25: 1. Marc. 2. 19. Luc. 5: 34. Joh. 3: 39. Ita Christus vocatur, ob multas causas, præsertim ineffabilem amorem erga Ecclesiam, quam fide spiritualiter sibi desponsavit. Hos. 2: 19. Eph. 5: 26. seqq. &c. *Testis* DEUS dicitur, & certa ejus opera intelliguntur, ut suprà dictum. Messiæ spiritualiter hoc nomen tribuitur Esa. 43: 10. cap. 55: 4. Apoc. 1: 5. c. 3. 14. tùm quia certissimâ ratione veritatem cœlestem nobis protulit. Joh. 18: 37. tùm quia omnia de se per V. T. Prophetas prædicta, exactissimè complevit. Joh. 1: 17. &c.

*Externa* adjuncta hominis sunt vel inseparabilia, vel separabilia. *Inseparabilia* sunt, [a] Locus & locatio. *locatio & tempus*. Utrumque DEO, in sua naturâ illocali & æterno, tribuitur ἀνθρωποπαθῶς. [a] *Locum* מָקוֹם vocant DEUM Rabbini, ut cùm dicunt: ברוך מקום *benedictus sit locus*, hoc est, DEUS. Eò quod est ubique locorum, nec tamen ullus locus illum capere potest. Omnia ut locus complectitur, & omnem ipse locum implet. Sed hoc non pertinet ad præsentem scopum. In Scripturis sanctis DEO tribuitur *locus*, in genere & in specie. In genere, *Locus sanctitatis ejus*, Psal. 24: 3. dicitur cœleste regnum, in quo habitationem DEI Scriptura constituit. *Ex loco suo egredi* dicitur, cùm conspicuo opere suam manifestat præsentiam, Esa. 26: 21. Mich. 1: 3. *Ad locum suum reverti* dicitur, cùm gratiæ suæ beneficium subtrahit, & se in pœnis quasi occultat, Hos. 5: 15. In specie *sedes*, *solium*, *seu thronus* DEO tribuitur, Exod. 17: 16. (de quo loco suprà dictum) Psal. 9: 8. Psal. 11: 4. Psal. 47: 9. Esa. 66: 1. Matth. 5: 34. quo majestas, sublimitas, & autoritas ejus super excellentissima indicatur. Jer. 14: 21. per *solium gloriæ DEI*, quod ne vilipendat ipse, Propheta orat, Judæa intelligitur, quâ regnum DEI continebatur, & in qua peculiari ratione DEUS præsentiam gratiæ ac potentiæ suæ testabatur. Vel etiam ipsum Templum Hierosolymitanum, uti & cap. 17, 12. accipitur. R. Mose Maimon. in More Nebochim part. 1. cap. 9. *Omnis locus, quem DEUS ad manifestationem splendoris & gloriæ suæ destinavit, vocatur* כסא *solium. Quia enim in solio sedere solent magnates & potentes, ut Reges & principes, ideò docet nos hæc vox, Kisse, solium, de magnificentia, potentia & dignitate ejus, cui attribuitur.* Christo si *thronus, & sessio super eo*, attribuatur, divinum regnum & imperium, ad quod secundùm humanam naturam in statu exaltationis evectus fuit, intelligitur. Psal. 45: 7. Esa. 16: 5. Matth. 19: 28. Hebr. 1: 8. cap. 4: 16. cap. 8: 1. &c. *Scabellum pedum* DEO tribuitur, quo tùm terra insignitur, Esa. 66: 1. Matth. 5: 35. quo DEI, in terris etiam, ut infima mundi parte, præsentissimi, immensitas notatur: *tùm* arca fœderis, in quâ speciali revelatione suam se præsentiam declaraturum, DEUS promiserat, 1 Par. 28: 2. Ps. 99: 5. Ps. 132: 7. Thren. 2: 1. Quidam totum sanctuarii DEI locum hac appellatione intelligi volunt, quod perinde est. Flacius: *Sensus est, agnoscite nusquam alibi gentium esse verum cultum, & DEUM propitium ac præsentem. Quare hic eum, secundùm ejus verbum ac promissionem quærite.* De Christo quando dicitur, quòd *omnes hostes sint ponendi in scabellum pedum ejus*, Psal. 110. vers. 1. 1 Corinth. 15. vers. 25.

Hebr

Hebr. 1. v. 13. perfectissima eorum notatur devictio & subjectio. Sicut aliàs *omnia pedibus ejus subjici* dicuntur, Psal. 8:7. Eph. 1:22. Hebr. 2. v. 8. &c. Neque locus solùm, sed & *locatio* seu situs localis, & applicatio ad locum, DEO tribuitur. *Ut stare è longinquo*, Psal. 10. v. 1. quo auxilii divini dilatio innuitur, metaphorâ ab hominibus ductâ, qui longè dum absunt, manus porrigere auxiliares haud queunt. *Stare ad dextram*, Psal. 16: 8. Act. 2: 25. hoc est, potenter ope & favore assistere. *Sedere* Psal. 29:10. & aliis locis, quibus solium ei tribuitur, ut suprà: quo imperium, & judicium divinum, ejusque exercitia, in peculiaribus actis, significantur. *Sedere super Cherubim* Psal 80. v. 2. Psal. 99: 1. &c. dicitur, ob peculiarem præsentiæ suæ in eo loco manifestationem. *Sedere super globum terræ*, Esa. 40: 22. ob majestatem & gloriam, omnia terrena longissimè superantem; unde additur: *Et habitatores ejus* (terræ) *sunt ut locustæ &c.* De *sessione* Christi *ad dextram DEI Patris* suprà aliquid dictum. *Habitare* dicitur DEUS *in excelsis*, *in Zione & Ecclesia*, *in contritis cordibus &c.* Psal. 68: 17. Psa. 132. v. 13: 14. Psal. 135: 21. Esa. 57: 19. Ezech. 37. v. 27. Joh. 14: 23. 2 Cor. 6: 16. quo præsentis DEI gratiosa manifestatio, actio, defensio, illuminatio, consolatio, salvatio &c. intelligitur. Emphaticum verbum est, quo Paulus utitur 2. Cor. 12:9. ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ' ἐμὲ ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ, quod propriè est, *ut superhabitet super me virtus DEI*, vel, *ut super me tabernaculum suum collocet*, & umbraculi instar me complectatur, circumvestiat, & protegat. Cùm nubes gloriæ repleret Templum, dicebat Salomo 1 Reg. 8. 12. *Dominus dixit se habitare in caligine*, hoc est, hoc signo testatur se præsentem esse, uti Mosi dixit Lev. 16: 2. *In nube conspiciar super propitiatorio.* Conferantur etiam loca Exod. 19: 9. c. 16: 10. Num. 9: 15. Esa. 6: 4. Matt. 17: 5. &c. De phrasi, *DEUM* [b] *habitare in cœlis*, Psal. 2: 4. Psal. 103: 19. 1 Reg. 8: 39. 43. &c. ita Flacius in clave col. 136. *Non potest aut debet cœlum, cùm pro habitatione Dei accipitur, intelligi de loco aliquo certo, reali aut materiali; sed potiùs est metaphorica significatio, ac significat spirituale illud regnum, gloriam ac felicitatem, in qua Deus cum sanctis angelis & aliis beatis spiritibus vivit & regnat.* Sic Psal. 115: 16. *cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum, i. e. spiritualia bona & cultum Deus sibi ab omnibus requirit aut exigit, sed terrenis bonis ipsos frui patitur: non ille propriè requirit pecunias, vitulos aut hædos, &c.* D. Gerh. in exeg. tom. 1. p. 801. *Deus est ubique ratione essentiæ; in cœlo habitare dicitur ratione amplioris majestatis & gloriæ. Sic anima est in toto corpore tota, in corde tamen radicaliter, in capite effectivè, quia excellentiores ibi effectus edit.* Ibidem Alcuini dictum allegatur, lib. 2. de Trin. c. 5. *Ideò dicitur DEUS in cœlis habitare, quia major cognitio est in cœlis, illius summæ majestatis & essentiæ, in angelis vel in sanctis animabus sanctorum, quàm in terra habitantibus sanctis, propter gravitatem carnalis habitationis.* Polanus in syntag. Theol. p. 195. *Sæpè dicit Scriptura, DEUM esse in cœlis, non quòd illic inclusus sit, sed tùm, ut indicet, DEUM esse supra omnia, majestate, potentiâ, opere, sicut à nemine in terra impediri ulla in re possit: tùm ut nostras mentes extra mundum elevemus, nec quicquam humile aut carnale, aut terrenum de DEO cogitemus.* Audiamus etiam D. Brentium, lib. de majestate Christi p. 138. *Quod oculos in invocatione nominis DEI ad cœlum vertimus, fit humano quodam & pædagogico more, & ad designandum discrimen inter thronos regum & monarcharum hujus terræ, & inter thronum Domini DEI nostri. Sicut enim illis tribuitur inter suos subditos altior sedes, ut omnibus suis sint conspicui & venerabiles: ita cùm inter corporea loca non sit in humanis oculis altior cœlo, collocamus eò DEUM, & vertimus eò oculos, ut significemus, nos non regem quendam terrenum, sed Regem Cœlestem, Regem regum, Dominum dominantium, colere atque invocare.* Huc etiam referendum, cùm *Spiritus sanctus* dicitur *quiescere super aliquo*, Num. 11: 25, 26. 2. Reg. 2: 15. quo donorum ejus elargitio & ἐνέργεια innuitur. Esa. 11. v. 1. cap. 61: 1. de Messia prædicatur illa *Spiritus DEI quies*, & de tota ejus, ac donorum ipsius plenitudine id intelligendum, Christo secundùm humanitatem communicata, Psal. 45. vers. 8. Joh. 3: 34. cujus visibile symbolum fuit mansio Spiritus sancti in specie columbæ super Christo, Matth. 3. v. 16. &c. A prædicta *habitationis* DEI ἀνθρωποπαθείᾳ Chaldæi DEI præsentiam & apparentem majestatem, ipsumque Spiritum sanctum, in Prophetis habitantem, vocant, שְׁכִינְתָּא, Rabb. שְׁכִינָה, *habitationem*. Ut quando Ex. 29: 45. dicit DEUS: *Et habitabo in medio filiorum Israel:* Chald. vertit: *Et habitare faciam seu collocabo* שְׁכִנְתִּי *præsentiam sive majestatem meam in medio filiorum Israël &c.* 1. Reg. 8: 12. *Dominus dixit se habitare in caligine.* Chald. *Jehova beneplacitum est collocare* שְׁכִנְתֵּיה *præsentiam, seu majestatis apparitionem, in Jerusalem &c.* Vicinum habitationi DEI est, cùm *castra metari* is dicitur *domui suæ*, Zach. 9. 8. quo præsentia gratiosa, & fortis simul defensio intelligitur. Confer. Grammat. sacram. p. 232.

[b] DEUS quomodo in cœlo habitet.

232. Huc demum pertinent, quæ suprà inter actiones locomotivæ relata sunt.

a Tempus. TEMPUS DEO tribuitur ἀνθρωπίνως, & absoluta ejus æternitas θεοπρεπῶς intelligitur. Seu desumitur æternitatis DEI descriptio quandoque à nominibus & differentiis temporis. Sic *anni* DEO tribuuntur, qui tamen Psalm. 102: 25, 28. ita describuntur, *quod sint in generationem generationum, & non consumantur.* Confer Hebr. 1. v. 12. *& quod numero eorum non sit pervestigatio*, Job. 36. ℣s. 26. *Dies* etiam ipsi attribuuntur, unde *antiquus dierum* dicitur Dan. 7. ℣s. 9. qui *dies æternitatis* dicuntur Mich. 5. ℣s. 1. 2 Pet. 3. v. 18. Et in genere æternitas dicitur *tempus æternum seu tempora æterna*, Rom. 16. v. 25. 2 Timoth. 1. v. 9. Tit. 1. v. 2. & *αἰῶνες secula*, quo nomine aliàs tempus, & ea, quæ in tempore fiunt, notantur, Ephes. 3. v: 9: Col. 1. v. 26.

e Adjuncta quædam separabilia. Arma. Quemadmodum ultra ultimam cœli sphæram nos imaginamur esse locum, licèt revera non sit: ita & ante tempus & in æternitate dies & tempus quasi concipimus, quia aliter concipere haut possumus &c. Quandoque duæ vel tres temporis differentiæ conjunguntur, ut æternitas initio, interruptione, & termino carens, exprimatur. Hebr. 13. vers. 8. *JESUS Christus est αὐτὸς ipse* (hoc est, semper sui similis, invariabilis, immutabilis) *heri, hodiè & in secula*, hoc est, ab æterno, in æternum. Apoc. 1. v. 4. *Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus* (futurus,) *est*, hoc est, qui æternus DEUS est. Ita & vers. 8. ubi & aliud æternitatis Symbolum exstat: *Ego sum α & ω.* Prima & ultima alphabeti Græci litera, principium & finem (quæ temporis notæ sunt) rei denotant: & hæc ad exprimendum eum adhibentur, qui principium est sine principio; finis absque fine, hoc est, absolutè æternus. Ita & cap. 21. v. 6. cap. 22. v. 13. Loquitur autem in his Christus Filius DEI, ut ex contextu apertè patet. Huc etiam referendum, cùm verbis *futurum tempus* respicientibus, Scriptura de DEO utitur, cùm in divina æternitate nec præteritum nec futurum propriè sit. Psal. 139. v. 2. *Intelligis cogitationem meam è longinquo*, id est, longè antequam insederit animo meo, ut in vers. 4. dicitur: *Cum nondum est sermo in lingua mea, ecce Domine, tu nôsti totum illum.* Ejusmodi

d De loco Psal. 7:13.

b Præscientia DEI. verbum etiam προγνῶναι, *b præscire*, est. Rom. 8 v. 29. *Quos præscivit, eos & præfinivit, &c.* cap. 11. v. 2. *Non repulit DEUS populum suum, quem præscivit.* 1. Petr. 1: v. 2. *Electis secundùm præscientiam Dei Patris.* D. Mylius in Rom. 8. *Præscire dicitur Deus, quos credituros in Filium suum prævidet. Non quòd futurum tempus propriè DEO competat, in quem ut loci, sic temporis conditio nulla cadit, sed quia sic Scriptura ἀνθρωποπαθῶς de DEO loquitur. Hæc præscientia autem, quia certa est, nec fallitur unquam, ideò quos præscivit, eos prædestinavit etiam. Nunquam enim sine prædestinatione est hæc præscientia. Confirmat hanc interpretationem Ambrosius f. 213. his verbis: Quos DEUS præscivit futuros sibi devotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda, ut hi, qui credere videntur, & non permanent in fide cœpta, à DEO electi negentur: quia quos DEUS apud se elegit, manent. &c.* 1. Pet. 1. v. 20. Christus agnus DEI, & Redemtor mundi, dicitur *προεγνωσμένος præscitus ante mundi constitutionem*, hoc est, æterno DEI decreto ordinatus in victimam pro peccatis hominum offerendam.

Hactenus adjuncta inseparabilia fuerunt: *c Separabilia* sunt varia. Recensebimus aliqua. ARMA DEO tribuuntur, & ut armis indutus proponitur, ad iræ suæ & vindictæ exsertionem denotandam, Psal. 35. v. 2, 3. Esa. 59. v. 17, 18. Sap. 5. v. 18. seqq. *Aperire thesaurum suum, & proferre instrumenta indignationis suæ* (Waffen seines Zorns) dicitur. Jerem. 50. v. 25. cùm per homines adversarios infert pœnas, & panolethriam. Jerem. 51. v. 20. Rex Babylonis dicitur esse DEI מפץ *malleus dispergens* (sive *cestra*, hoc est, ut apud Julium Pollucem vox ea usurpatur, malleus verutus, & res obvias penetrando perfringens, quo equites ferè ad pertundenda inimicorum arma uti solent;) *& instrumenta bellica*; quia per illum, ejusque exercitum, pœnis varias terras afflixit ac desolavit. In specie ex armis de DEO prædicantur; *Arcus & nervi ejus*, Psal. 21. v. 3. Thren. 2. v. 4. cap. 3. v. 12. quo iræ divinæ effecta adversùs improbos notantur. Quidam addunt *d* Psal. 7. v. 13, 14. sed commodiùs alii, cum Chaldæo interprete ad ipsos impios id referunt. D. Brentius in comment. *Si non conversus fuerit* (sed) *gladium suum vibraverit, arcum suum tetenderit &c. Etsi vulgo inter hos versiculos duo priores exponi solent de DEO, quod ipse vibret gladium, & tendat arcum suum adversus impios calumniatores, si non resipuerint, quæ sententia per se non est impia: tamen si ea, quæ præcedunt & sequuntur, diligenter conferas, videntur illa ad impœnitentiam potiùs, quàm ad DEUM referenda, ut hæc sit sententia: Si calumniator & persecutor meus, sive Saul, sive Doëg, sive Chus, sive Simei, sive alius quispiam ex aulicis, non conversus fuerit ad Dominum, sed perrexerit gladium suum adversùs me expolire, & arcum suum in me tendere, ac me conari sagittis suis confodere,*

re, hoc est, calumniari, & vita mea calumniis insidiari, tunc certò sciat, quòd frustratur suo conatu, & jugulaturus se sit suo ipsius gladio. Hab. 3. v. 9. *Nudatione nudatus est* (alveus) *arcu tuo* hoc est, omnipotentiâ tuâ: quam v. 4. *cornuum* voce significavit. Loquitur de maris & Jordanis miraculosa divisione. Ad arcum pertinent *Sagittæ*, quæ eodem pœnarum respectu de DEO dicuntur: & vis DEI ultrix, seu magnæ, & improvisæ calamitates divinitus immissæ, iis denotantur. Deut. 32. v. 23, 42. Job. 6: 4. Psal. 38: 3. Psal. 64: 8. Zach. 9: 14. Thren. 3: 13. Specialiùs *Sagittæ DEI* dicuntur quandoque fulmina & grandines, Psal. 18: 15 Psal. 144: 6. Habac. 3. v. 11. Quandoque etiam vis enthea verbi Evangelici in piis salvandis & impiis judicandis condemnandisque, Psal. 45. v. 6. Esa. 49. v. 2. Confer Joh 12. v. 47, 48. 2. Corinth. 2. v. 15, 16. *Gladius* DEO tributus, itidem iræ & vindictæ index & symbolum est. Deuter. 32: 41. Jud. 7: 20. Psal. 17: 13. Esa. 27: 1. cap. 34: 5, 6. Ezech. 21: 8, 9, 10. Zach. 13: 7. Munsterus in Esa. 34. *Gladius Domini est* גזרה *decretum illud divinum, quod nemo immutare valet.* Psal. 35: 3. *Evacua hastam* וסגור *& gladium, adversus persequentes me.* Schindl. Accentus Tiphcha ostendit, hæc duo vocabula construi: significat igitur gladii genus, cùm scuti mentionem habeat versus præcedens. Σάγαρις, *acinaces*. Metaphoricè autem vindicta DEI tota hac DEI armaturâ designatur. Confer etiam visionem Apocal. 19. v. 15, 21. Alia ratione *gladii* vox verbo DEI tribuitur, ob vim penetrandi, ut inferiùs suo loco dicetur. *Hastæ fulgur*, seu hasta coruscans, Hab. 3: 11. Sagittis DEI additur, & utroque lapides grandinis, cum fragore, tonitribus & fulgetris immissi, Jos. 10. v. 11. denotantur. *Scutum & clypeus* DEUS ipse sæpè dicitur, cùm propitius hominibus per Christum factus, eos defendit, protegit, omnesque hostium impetus, instar clypei, excipit & avertit, inque bonum iis convertit. Genes. 15. vers. 1. Deut. 33: 29. Psal. 3: 4. Psal. 18: 3. Psal. 28: 7. Psal. 84: 12. Ad εὐδοκίαν & beneplacitum DEI hæc *clypei* similitudo pulchrè refertur Psal. 5: 13. Tribuitur autem idem nomen divino verbo, Psal. 91: 4. Prov. 30: 5. Ephes. 6. v. 16. quia per illud, verâ fide acceptum, virtutem suam DEUS in credentibus defensandis exserit. Hucusque de *armis* DEO ἀνθρωποπαθῶς tributis. [a] ARRHABO vocatur Spiritus sanctus, credentibus à DEO datus, 2. Cor. 1: 22. cap. 5, 5. Eph. 1: 14. Vocant autem Hebræi (à quibus Græci hoc vocabulum sumserunt) ערבון omne id, quo dato confirmatur promissio: ideò quidam exponunt *pignus*. Secundùm Suidam *arrhabo* est pecunia, quæ in emtionibus primò dependitur ad fidem faciendam totius summæ persolvendæ: Secundùm Hieronym. quod futuræ emtionis quasi quoddam testimonium & obligamentum datur. Differtque à *pignore*, quod ἐνέχυρον dicitur, quodque pro mutua pecunia opponitur, ut cùm illa reddita fuerit, reddenti debitum pignus à creditore reddatur. Ita igitur Spiritus sanctus dicitur, quia credentes in cordibus suis certos reddit, quòd vitam æternam sint accepturi. Quidam ad nuptias & matrimonium initum hanc metaphoram referunt. Quemadmodum sponsus, qui fidem conjugalem dedit sponsæ, arrham ei donat, quæ est pignus futurarum nuptiarum: Ita DEUS se cum credentibus desponsavit spiritualiter, Hos. 2. ℣. 19. sed nondum apparuerunt nuptiæ agni, Apoc. 19. ℣. 7. DEUS ergò dat illis arrham nobilissimam, videlicet Spiritum sanctum, ut corda eorum confirmet, fore, ut ad nuptias agni olim intromittantur. &c. [b] CALIX *in manu DEI esse* dicitur, Psal. 75. ℣. 9. quem bibunt credentes, impii verò unà cum fecibus epotant: quo divinarum afflictionum modus diversus innuitur. Eadem metaphora Esa. 51. ℣. 17: 22. occurrit. [c] CURRUS DEO tribuuntur, per quos vel divina magnificentia hominibus patefacta, Habac. 3. ℣. 8. vel ministrantium Angelorum myriades denotantur, Psal. 68. ℣. 18. *Orbitæ*, quibus currus vel plaustrum agitur, eleganti etiam metaphorâ DEO tribuuntur Ps. 65. ℣. 12. מעגליך *orbitæ tuæ stillant pinguedinem*; hoc est, nubes tuæ stillant pluviam & nivem, quæ rigant & fœcundant terram, ut ea nobis, benedicente DEO, varios, utiles, ac necessarios fructus proferat. Vocantur enim nubes, DEI currus & equi: Et pluvia terram pinguefacit & fœcundat. Confer Psal. 18. ℣. 11: 12. Psal. 104. ℣. 3. Esa. 19. ℣. 1. [d] DIVITIÆ DEO tribuuntur, quo divinæ majestatis & gloriæ, item misericordiæ gratiæque abundantia intelligitur, Prov. 8: 18. Rom. 2: 4. cap. 9: 23. cap. 10: 12. cap. 11: 33. 2. Cor. 8: 9. Ephes. 1: 7, 8, 18. cap. 2: 4, 7. cap. 3: 8, 16. Col. 1: 27. Phil. 4: 19. Has qui verâ fide accipiunt, *divites in DEO* dicuntur, Luc. 12: 21. *divites fide*, Jac. 2: 5. [e] FENESTRÆ DEI habitaculo, quod *cœlum* esse in Scripturis dicitur, tribuuntur, ex quibus DEUS quasi prospiciens bona vel mala hominibus porrigit. Gen. 7: 11. c. 8: 2. 2 Reg. 7: 2. Esa. 24: 18. Mal. 3: 10. Confer (prospectum DEI de cœlis quod attinet) Deut. 26: 15. Ps. 14: 2.

[b] Calix. [c] Currus. [d] Divitiæ. [e] Fenestra. [a] Arrhabo.

[a] Furnus. Pf. 102: 20. Thren. 3. ℣f. 8: 50. [a] FURNUS, חַנּוּר DEO tribuitur, Esa. 31. ℣f. 9. quo divina ejus vindicta innuitur, quâ hostes Ecclesiæ suæ quasi ardenti igne in clibano consumit. Confer Esa. 30: 30, 33. Pf. 21: 9, 10. [b] HÆREDITAS DEO tribuitur, dum de populo & terra Israel dicitur, quod sit *hæreditas Domini*, Deut. 32: 9. Jerem. 2: 7. cap. 12: 7, 8. cap. 6: 18. &c. quo amor ipsius, & singularis cura seu providentia, innuitur: Confer Exod. 19. v. 6. Deut. 11. v. 12. Et dum de Christo θεανθρώπῳ dicitur, quòd sit constitutus *hæres universorum*. Heb. 1. v. 2. & quòd *præstantius præ Angelis hæreditaverit nomen*, v. 4. quo de loco, & analogis quibusdam vide Exegesin Evang. & Ep. textuum, parte 1. p. 607, 619, 627. [c] LIBER DEO tribuitur, & exactissima ejus scientia ac providentia denotatur, metaphorâ à viris sapientibus desumtâ, qui personas, res & actiones memorabiles, quarum meminisse volunt, in libro quodam diligenter annotare consueverunt. Est verò *liber providentiæ DEI* tùm generalis, omnes creaturas concernens, de quo Psal. 139: 16. quò pertinet *liber præsentis vitæ*, *ex quo deleri* est morti tradi, cujus fit mentio Exod. 32: 32, 33. Confer v. 10. Num. 11: 15. Tùm specialis, quæ Ecclesiam, & credentes attinet, Psal. 56: 9. Mal. 3: 16. Quò pertinet *liber vitæ*, cujus aliquoties fit in Scripturis mentio, Esa. 4: 3. Dan. 12: 1. Psal. 69: 29. Phil. 4: 3. Luc. 10: 20. Apoc. 3: 5. cap. 13: 8. cap. 17: 8. cap. 20: 12, 15. cap. 21. ult. Et nihil aliud est, quàm singularis illa salvandorum cognitio, de qua 2 Tim. 2: 19. seu catalogus quasi quidam eorum, quos DEUS, per fidem in Christum, ad vitam æternam elegit &c. In visione Danielis cap. 7: 10. & Johannis, Apoc. 20: 12. etiam *libri judicii* memorantur, quibus divina, eaque exactissima, omnium dictorum & factorum humanorum notitia, symbolicè notantur. Cùmque plurali numero Scriptura utatur, Hieronymus & alii *duplicem judicii librum* constituunt: alterum credentium: alterum incredulorum: sicut aliàs in hæc duo hominum genera mundus distingui solet, Joh. 3: 18, 36. &c. Ad posteriorem referenda est *scriptio*, cujus fit mentio Esa. 65: 6. Jud. v. 4. Plura de *libro ἀνθρωποπαθῶς* DEO tributo, & in specie de *libro vitæ*, videri possunt in comment. super Apocalypsin maximè perspicuo & illustri, Theologi Nobilissimi omniumque celeberrimi D. Matthiæ Hoë ab Hoëneg &c. in cap. 3: 5. pag. 327. & seqq. [e] OLEUM DEO tribuitur, seu *unguentum*, Psal. 45: 8. Heb. 1: 9. Cant. 1: 3. & Spiritus sanctus cum suis donis intelligitur, uti patet ex collatione d. l. cum Esa. 61: 1. Actor. 10: 38. Joh. 3: 34. quibus locis de unctione Christi in Regem & Sacerdotem summum agitur, à qua ipsa nomen Salvatori nostro cessit; quod מָשִׁיחַ χρισὸς *unctus κατ᾽ ἐξοχὴν* Psal. 2: 2. Dan. 9: 25. 26. Joh. 1: 42. cap. 4: 25. appellatur. Quo de mysterio latiùs tractatur in libris Theologicis. Fiunt unctionis illius, pro modulò certo, participes etiam, qui Christo capiti summo fide verâ adhærent, ut patet ex Esa. 61: 3. 2. Cor. 1: 21. 1 Joh. 2: 20, 27. unde rectè & hi denominativè *χρισιανοὶ* ab unctione (respectu ad primitivam suam originem, quæ CHRISTUS est, habito) dicuntur, Actor. 11: 26. Quodque oleum cœleste & mysticum, quo unctio illa perficitur, itidem Spiritus sanctus sit, apparet ex collatione Rom. 5: 5. Tit. 3: 5. 6. Zach. 12: 10. &c. [d] PANIS DEO tribuitur, & sacrificia, quibus ipse delectatur, ut homo pane sive cibo, innuuntur, Num. 28: 2. Varablus; *Nomine panis intelligit carnes, ut & infra v. 24. Et sensus est, custodite ritum offerendi carnes meas & victimas meas, quæ cremantur, ut incensa mihi fiant gratissima, quibus excitetur mihi odor gratissimus, & afferte ea mihi, ut præcepi. Sacrificia DEUS vocat cibum suum, more hominum, quòd sicut homines carnibus, vino, oleo, similâ & panibus &c. potissimùm vescuntur & delectantur, ita & DEUS illa in sacrificiis suis habere voluit, non quòd illis, ut homo, vesceretur, ac delectaretur, sed quòd ipsi grata essent propter aliud, nempè ob fidem in dilectum filium suum, qui per omnia sacrificia adumbrabatur. Panis vitæ* vocatur Christus, Joh 6: 35. 48. & sæpiùs in hoc capite, ob vim vivificam ac salutiferam, quæ in credentibus (qui spiritualiter CHRISTUM, verâ fide manducant, hoc est, recipiunt sibique applicant) se exerit. [f] SIGILLUM sibi DEUS tribuit in sermone hypothetico Jer. 22: 24. *Si esset Choniahu filius Jehoiakim regis Juda sigillum* (annulus signatorius) *in manu dextrâ meâ, tamen inde evellerem te*, hoc est, etiamsi fuisset mihi charissimus, quem semper in oculis ferrem. Amoris enim & singularis curæ symbolum esse *sigillum*, vel annulum signatorium, ex Cant. 8: 6. Hag. 2. 24. patet. In appellatione Salvatoris nostri, cùm [g] *character substantiæ DEI* dicitur Hebr. 1: 3. eandem metaphoram quidam statuunt, desumtam videlicet ab imagine sigillo expressa, prototypon per omnia referente. Erasmus in annotat. χαρακτὴρ, *quam dicere possis formam expressam ex alio, sive notam rei alicui impressam &c. Nihil autem propiùs exprimit archetypon, quàm imago, impressa sigillo &c.* Bulling. in Comment. *Quemadmodum in cera propriissimè exprimitur sigillum: Ita in*

Chri-

Margin notes: [a] Furnus. [b] Hæreditas. [c] Liber. [d] Panis. [f] Sigillum. [g] Hebr. 1: 3. character substantiæ ejus. [e] Oleum.

*Christo propriissimè reluceat subsistentia paternæ &c*: Convenientiùs videtur χαρακτὴρ (quod à χαράττειν *insculpere*, dicitur) h. l. non tam imaginem ex sigillo ceræ impressam, quam ipsum sigillum denotare, sensu eo, quòd Pater totam suam essentiam & majestatem Filio, à se ab æterno genito, intimè quasi insculpserit, & seipsum in Filio quasi effigiârit, ut sit substantialis imago ejus. Quæ explicatio mysterio huic, ejusque fructui & efficaciæ, pulcherrimè convenit. Exponit enim *tùm* generationis æternæ secretum, uti dictum: *Tùm* Patris cœlestis affectum. Sigillum præ aliis rebus diligitur & arctè custoditur: Sic de amore ferventissimo cœlestis patris, quo Filium unigenitum complectitur, testimonia exstant Esa. 42. v. 1. Matth. 3: 17. c. 17: 3. Joh. 3: 35. c. 17: 25. Et notandum, Hag. 2: 24. in imagine *sigilli* idem hoc exponi. Per *Zerubbabelem* enim ibi Christus intelligitur, cujus typus Dux ille populi Judaici fuit. Phrasis autem; *ponam te sicut sigillum seu annulum signatorium*, idem est, ac curabo te, in te amore conquiescam, te quasi in oculis manibusque semper feram &c Et additur, *elegi te*, quo verbo ad Esa. 42: 1. respici videtur. *Tùm* salutis communicatæ negocium. Sigillum impressam habet icona & imaginem: verùm sigilli usus est, ut vicissim ceræ imprimatur, & ita utiles fiant obsignationes. Christus est annulus ille signatorius cælestis, qui Patris gloriam & expressissimam majestatis imaginem in se ab æterno habet: interim tamen in mundum & ipse missus est à patre, ut ἀρχηγὸς vitæ ac salutis nobis hominibus esset. In Christo fundatum est sanctum electionis nostræ *sigillum*, de quo 2 Tim. 2: 19. & credentium *obsignationis* beneficium, de quo 2 Cor. 1: 21, 22. Ephes. 1: 14. cap. 4: 30. Confer Joh. 3: 33. cap. 6: 27. cum utriusque loci explicatione Lutheri marginali. Annulus signatorius imaginem ceræ certam imprimit. Per Christum, imago DEI amissa in credentibus restituitur, hac in vita inchoativè, in æternâ vitâ consummativè, Col. 3: 10. In ipso & per ipsum credentes fiunt *divinæ consortes naturæ*, 2 Pet. 1: 4. non per essentialem transmutationem, sed per mysticam cum DEO unionem &c. [a] THESAURI DEO tribuuntur, tùm in bonum. Sic cœli dicuntur *bonus DEI thesaurus*. Deut. 28: 12. cujus ratio conspicitur ex Actor. 14: 17. Tùm in malum, de ultione iræ divinæ, Deut. 32: 34. *Nonne hoc reconditum est apud me? sigillatum in thesauris meis?* vers. 35. *mea est ultio & retributio*. Denotatur ultionis illius divinæ, tùm certitudo: quod reconditum & asservatum apud DEUM, tanquam in thesauro est, insuperque sigillo quasi communitum, annon id esset certissimum? tùm justitia, ob hominum infidelitatem, & contumaciam, quâ *thesaurizant sibi iram DEI &c*. Rom. 2: 5. tùm ex longanimitate DEI dilatio; ea enim in thesauro reponi solent, quorum usus non in præsenti, sed futuro est &c. tùm demùm severitas, confeiratur Jerem. 50: 25. Rom. 2: 9, 10. apertio hujus sigillati thesauri plenaria fiet in extremo judicio &c. Dicitur DEUS *ventum de thesauris suis ducere*, Psal. 135: 7. Jer. 10: 13. cap. 51: 16. quo non solùm occulta ejus origo declaratur, Joh. 3: 8. sed & utilitas & efficacia, uti & alia admiranda, quæ in ventis conspiciuntur. Job. 38: 22. *thesauri nivis & thesauri grandinis* memorantur, eâdem ratione. Bona cælestia & æterna, dicuntur *thesaurus* (certè omnium preciosissimus!) Esa. 33: 6. Matth. 6. ℣ſ. 20. cap. 19. ℣ſ. 21. Marc. 10. ℣ſ. 21. Luc. 12. ℣ſ. 33. cap. 18: 22. 2 Cor. 4: 7. De sapientia cœlesti id explicatur Sap. 7: 14. *Thesaurus est hominibus ἀνέκλειπτος, qui nunquam deficit, quo qui utuntur, cum DEO contrahunt amicitiam* &c. Coloss. 2: 3. *omnes thesauri sapientiæ & cognitionis in Christo dicuntur reconditi*, hoc est, tota sapientiæ divinæ plenitudo seu eminens copia. [b] VESTITUS DEO tribuitur, Psal. 93: 1. *Dominus regnavit, gloriam induit, induit Dominus fortitudinem, accinxit se*, Psal. 104: 1. *Gloria & decore indutus es*. ℣ſ. 2. *Amiciens te lumine, sicut vestimento*. Denotatur majestas & pulchritudo DEI infinita & admiranda; quæ in creatione lucis, & aliis operibus magnis, se quasi conspiciendam hominibus præbuit. Esa. 51: 9. cap. 59: 17. amictus quidam gloriæ DEI in ultione adversus hostes, pulchrâ hypotyposi proponitur: metaphorâ ab Heroë armis induto, & in arenam adversus hostes descendente, desumtâ. Utrobique autem Christum Salvatorem intelligi, ex analogia textus planum est. Utrobique *brachium Domini* is dicitur, quia est DEI potentia, 1 Cor. 1: 24. Et in posteriori loco, ℣ſ. 16. *interventorem* ex hominum genere (in peccatis nimirum mortuo) ad liberationem ejus ex potestate Satanæ, dari posse negatur: quo ipso Christum Dominum interventorem, mediatorem, Satanæ & mortis victorem, nostrumque Salvatorem fore innuitur. Confer ℣ſ. 20, 21. ubi clarissimè Redemtor venturus & Ecclesiam suam perpetim, virtute Spiritus sui per verbum, conservaturus promittitur. Psal. 45: 9. mysticus Christi cœlestis sponsi vestitus describitur Brentius: *Myrrham, aloën & casiam (spirant) omnia vestimenta tua, è domibus eburneis (prolata,) unde lætificant te: hoc est, omnia vestimenta tua, quibus indutus es,*

[b] Vestitus.

[a] Thesauri.

*es, & quæ proferri solent in usum tuum, non è* *ligneis & vilibus receptaculis, sed ex eburneis & preciosissimis repositoriis (hæc enim dicuntur domus seu palatia vestimentorum) non aliud spirant & redolent, quàm myrrham, aloën & cassiam, hoc est, suavissimum odorem, unde tu ipse summam capis voluptatem. Hæc est jucundissima illa fama, quam Christus ipse prædicatione Euangelii sui, & Apostoli ejus, non tantùm in Judæâ, sed & in toto terrarum orbe sparserunt, Luc.* 10: 17. *seqq.* 2 *Cor.* 2: 15, 16. Passivè *Christus indui* dicitur à credentibus Rom. 13: 14. Gal. 3: 27. cùm per fidem in eorum cordibus habitat, Eph. 3: 17. & beneficiorum cœlestium eos facit participes. *Virtute ex alto indui* dicuntur Apostoli, Luc. 4: ℣ſ. 49. quando accipiunt virtutem Spiritus sancti eos supervenientis, ut explicatur Act. 1. ℣ſ. 8. Contrà *induere hominem* Spiritus DEI dicitur, cum potenter in eo, & per eum, loquitur vel operatur, sicut homo, in medium aliorum processurus & operaturus, vestimento se operit. Jud. 6: 34. 1 Par. 12: 18. 2 Par. 24: 20. a VEXILLUM vocat Jehovam Moses, dum nomen altaris à se erecti posuit, יְהוָה נִסִּי *Dominus vexillum meum*, Exod. 17: 15. hoc est, Dominus adjutor meus est nunc & in posterum, contra Amalekitas, & omnes alios adversarios. Esa. 11. ℣ſ. 10. Messias dicitur *staturus in vexillum populorum;* Quo officium ejus Regium denotatur, unde Rom. 15. ℣ſ. 12. ita vertitur: *Qui exsurget ad imperandum gentibus.* Vexillum enim seu trophæum victoriæ, superioritatis, & dominii signum est; sicut sub vexillo principis agere populus dicitur. Est etiam Christus unicum istud asylum, ad quod confugientes verâ fide servantur, sicut ad Imperatoris in bello vexillum tutò à milite recurritur. Confer Cant. 2: 4. De Christo verè dici potest, quod Psal. 60. ℣ſ. 6. habetur: *Dedisti metuentibus te* נֵס *vexillum, ad elevandum se à facie veritatis.* Esai. 59. v. 19. *Spiritus Domini* dicitur נֹסְסָה *vexillum erigens in Christo*, hoc est, efficiens, ut Christus sit illud vexillum populorum; seu ut in Christo ejusque agnitione ceu fundamento, Ecclesia colligatur, sicut ad erectum vexillum milites conscribuntur & aggregantur. b VIRGA seu *baculus*, DEO & Salvatori Christo tribuitur Psal. 23. v. 4. de quo suprà in metonymia signi pro re signata positi. Psal. 45. v. 7. Ps. 110. v. 2. Hebr. 1. v. 8. *virga Christi seu sceptrum* significat verbum ejus salvificum, quo regnum & Ecclesiam suam dirigit. Confer Esa. 2. v. 3. *Virga DEI* etiam castigationem & pœnam ejus notat Job. 9. v. 34. cap. 21. v. 9. utrobique Chald. מחן *plagam* vertit &c. *Virga iræ DEI* Rex Assyriorum dicitur Esa. 10. v. 5. quia per eum, tanquam virgam, populum castigaturus erat, & iram suam adversus peccata declaraturus. Confer. v. 24. Eadem ferè significatio c *virgæ* est Psal. 2. v. 9. ubi *ferrei* epitheton additum, gravitatis & sævitiæ symbolum est: *Conteres eos* בְּשֵׁבֶט בַּרְזֶל *virgâ ferreâ.* Eos scil. contumaces regni tui (sunt autem verba DEI Patris προσφωνητικὰ ad Filium unigenitum, Regem Zionis constitutum, & ad sanctum redemtoris judicisque officium quasi inauguratum) hostes, sive Judæi sint, sive gentiles, de quibus v. 1. 2. Confer Act. 4. v. 25, 26, 27. Hi omnes *virgâ ferreâ* à judice Christo conterendi erant, h. e. quia sceptro gratiæ ejus salutiferæ, quod verbum Evangelicum est, Ps. 45. v. 7. Psal. 110: 7. Esa. 2: v. 3. submittere se nolebant, sed contumaciter potiùs ei reluctabantur, gladio iræ ejus, ut severi Judicis (quod sceptrum illud ferreum, seu virga ferrea est) absumendi erant, & internecioni diræ tradendi. Ad hunc Psaltis locum alludi videtur d Ezech. 21. v. 10, 13. ubi obscura in Hebræo fonte periphrasis, diversas interpretationes peperit. Quod simplicissimum mihi videatur, exponam, & piè eruditorum judicio subjiciam. Certum est, (1.) Prophetas sermonem suum, mutatis personis, crebrò intercidere, & modò hanc, modò aliam personam, in eodem etiam contextu, loquentem inducere, ut in Philol. sacra lib. 1. pag. 145. declaratum est. (2.) Non raras esse in scriptis Propheticis allusiones, ad priora scripta divinitùs revelata, ut infra cap. 20. quædam adferentur. (3.) In ipso textu Ezech. 21. vers. 27. de Christo, Filio DEI, ut judice à Patre constituto, Prophetam vaticinari, & מִשְׁפָּט *judicium*, seu judicandi potestatem, loco DEI, ipsi attribuere: perinde ut Johan. 5. vers. 22. *omne sibi judicium à Patre traditum esse*, Salvator confirmat. His ita præsuppositis, explicatio verborum, de quibus agere institui, non videtur esse difficilis. Vindicem DEI iram, adversus rebellem Judæorum populum, similitudine *gladii extersi, exacuti*, & virulentis hostibus in manus ad occidendum, traditi, Propheta proponit. Sermonem igitur, mutatis personis, intercidendo, & ad verba Psal. 2. vers. 9. alludendo, ita loquitur, vers. 10. *ut macter mactationem, exacutus est gladius, ut sit ei coruscatio, extersus est* (hactenus verba Jehovæ: cui concisa ipsius Prophetæ, divina tamen, parænesis, subjungitur, benè consulens populo, quid agendum sit, si effugere gladium illum velint) נָשִׂישׂ אוֹ *aut gaudebimus, vel gaudeamus* (hoc est, *exultemus in tremore, Domino servientes*, ut itidem Psal. 2. vers. 11. præscribitur: *gaudeamus*

c Virga ferrea.

d De loco Ezech. 21: 10. 13.

a Vexillum.

b Virga.

*mus, & faciamus justitiam*, ut vera ad DEUM conversio pietasque Esa. 64. vers. 5. exprimitur. Hoc si fiat, benè est: sin verò minùs, inquit iterùm Jehova:) שֵׁבֶט בְּנִי מֹאֶסֶת כָּל־עֵץ *virga filii mei, spernens omne lignum*, (scil הָיְתָה *aderit*, ex v. 13. seu parata est, nobisque imminet. Talis, inquam, virga, *quæ spernit omne lignum*, q. d. longè duriori materiâ constat, quàm quodvis lignum est; ferrea enim est, infracta, sæva, & durissima, ut Psal. 2. v. 9. virga illa Filii mei describitur. Alles Holtz ist zu gering gegen dieser Ruthen / die eisern ist: *est virga fundatissima*, die gantz durch dringet und wohl trifft / Esa. 30. v. 32.) Idem hoc, sed concisiùs & ἐλλειπτικῶς, v. 13. proponitur: *Cùm probatio fuit, quid tandem?* (q. d. dum ferulis meis, velut ligneis, seu paternis modis, populum hunc castigavi hactenus, & exploravi, num vel tandem de resipiscentia seriò cogitare velit, quid tandem eo effectum? nihil quicquam) *an etiam virga spernens* (scilic. *omne lignum* ex ℣. 10. hoc est, *ferrea* illa) *non adesset?* (annon meritò ferream illam Filii mei virgam, seu exacutum iræ gladium, ipsis immitterem, & ita, ut hostes manifestos, non ut peccantes liberos, ampliùs tractarem?) *dicit Dominus DEUS.* Hæc de loco isto. Observa autem, ut ad Psalmi secundi versum illum, h. l. alludit Ezechiel: ita ad posteriorem ejus partem: *Sicut vas figuli confractos disperges eos*, alludere Esaiam, cap. 30:40. in simili pœnarum, quas populo contumaci DEUS immissurus erat, descriptione. &c.

---

# CAPUT VIII.

## DE

# METAPHORIS, AB ALIIS CREATURIS

## ad DEUM translatis.

Res in naturâ, præter hominem existentes, sunt *vel animata, vel inanimata*. Animatæ vel animâ *sentiente* præditæ sunt, ut bestiæ: vel *vegetante*, ut plantæ. A *bestiis* desumuntur & DEO tribuuntur, 1. Quædam animalium nomina. Ut quòd Christus vocatur *agnus*; Joh. 1:29. Apoc. 13:8. nimirum propter immolationem pro peccatis totius mundi factam, quam, ut typi, præfigurârunt agni in V. T. immolati. 1 Cor. 5: 7. 1 Pet. 1: 16. Apoc. 5: 6. tùm & propter mansuetudinem, patientiam, innocentiam, beneficentiam &c. *Agnum* vocari etiam Esa. 16. ℣. 1. ajunt, ubi in Latina versione vulgata est: *Emitte agnum Domine, Dominatorem terræ, de petrâ deserti, ad montem filiæ Zion*, Verùm in Hebr. est: *Mittite agnum dominatoris terræ, de petra deserti, ad montem filiæ Zion.* Quibus verbis Propheta Moabitis in memoriam revocat leges & conditiones, quibus Moabitarum reliquiæ fuerant à Davide conservatæ, & in fidem ac clientelam receptæ, ut attingitur 2 Sam. 8. ℣. 2. ipsisque suadet, ut *agnum*, hoc est, (synecdochicè) agnorum numerum imperatum mittant, de quo videatur. 2 Reg. 3. ℣. 4 &c. *Leo* vocatur Christus Apoc. 5: 5. *Vicit leo de tribu Juda*; Ob fortitudinem nimirum summam & divinam, quam in resurrectione ex mortuis, & victoriâ adversùs Diabolum, mundum & infernum obtentâ exseruit. Dn. Franzius, hist. animal. p. 73. *Gen. 49: 9. tota politia Judaicâ dicitur leo & catulus leonis, propter summam firmitatem illius imperii, quod necessario duravit usque ad ipsum Christum, & quod fuit in omnibus imperiis mundi tunc temporis celeberrimum. Etsi autem diversis temporibus multos habuit insignes Judices & Reges, potentiâ & sapientiâ celebres, tamen Christus κατ᾽ ἐξοχὴν solus dicitur Leo, id est, omnium, quicunque fuerunt, Regum Juda potentissimus, sapientissimus, & præstantissimus &c* Drusius l.: 10. præterit. p. 410. *Leo ex tribu Juda: Nam erat ex tribu Juda, quorum insigne Leo: qui, etiam in vexillo tribus illius sculptus erat ex lino trium colorum. Adscripta erant hæc verba: Surge Domine, dissipentur osores tui, & fugiant inimici tui à te. Videndi sunt Jonathan Num. 2: 3. Abraham Davidis filius Levita, in Cabbala historica fol. 28. cap. 3. & Moses Gen. 49, 9. catulus leonis Juda: & mox: cubabit ut leo, & sicut vitulus leonis &c.* Hæc ille. (Insignia vexillorum

a Bestiarum quædam nomina. Agnus.

lorum quatuor præcipuorum, in populi Israëlitici exercitu, ita R. Kimchi in Ezech. 1. ult. ex Thalmud recenset: *Dicunt Rabbini nostri, quòd bafuerint facies* (seu inscriptiones & figuræ) *in quatuor vexillis; In vexillo Juda facies leonis secundùm id, quod scriptum est* (Gen. 49: 9.) *Catulus leonis Juda. Et in vexillo Ruben, facies hominis, secundùm id, quod dictum est de eo* (Gen. 30: 14.) *Et reperit mandragoras in agro: Ipsis enim hominis similitudo. Et in vexillo Ephraim, facies bovis, secundum id, quod dictum est de illo* (Deut. 33: 17.) *primogeniti bovis ejus decor est ei. Et in vexillo Dan, facies aquilæ, sicut dictum est* (Gen. 49: 17.) *Erit Dan serpens juxta viam. Et hic dicitur* (Esa. 30: 6.) *vipera & serpens ignitus volans.*)

a Cerva auroræ Psal. 22. [a] אילת *cervam auroræ* vocari Christum Psal. 22: 1. Lutherus & alii interpretes statuunt. De quo vide Luth. tom. 2. Lat. Jen. fol. 238 Flacium clav. Script col. 112, 113. D. Gerhard. harm. histor. passionis Dominicæ c. 7. pag. 310. D. Frantz. hist. animal. p. 163. seq. Quò etiam referunt quidam paraphrasin Chaldaicam, quæ habet: *Pro virtute sacrificii sempiterni & matutini:* quò pulchrè finis hujus afflictæ & occisæ cervæ exprimi videtur. Est enim Christi in cruce oblatio verè *sacrificium sempiternum* ac perfectissimum, Hebr. 10: 12, 14, 26. Est etiam *matutinum*, cujus virtus & præfiguratio sub mundi exordium, post protoplastorum lapsum, cœpit, Apoc. 13: ℣s. 8. Hebr. 13: ℣s. 8. cujus typus fuit ipsum matutinum sacrificium, in V. T. offerri solitum, Num. 28. ℣. 4. Ipsam *cervæ auroræ* seu *matutinæ* appellationem Drusius lib. 10. observ. cap. 3. ita explicat, *ut cerva auroræ* sit *cerva pulchra. Auroram enim* (ait) *ponunt Hebræi pro pulchro. Estque vox planè amatoria. Solent enim, qui amant, blandè compellando amicas suas Cervas nuncupare. Unde illud: Cerva amorum, caprea gratiæ,* Prov. 5: 19. &c. Intelligit autem Psalmum

b Vermis. hunc de Christo. Alii ita explicant, quòd denotetur cerva, quam venatores matutino potissimùm tempore, dum e cubili suo ad pastum egreditur, insectantur, capiunt & mactant. Perinde Christus cum discipulis suis, velut hinnulis, in Judæa, matutino tempore, hoc est, ipsis regni sui, ceu lucis veræ divinæ, primordiis, ad pabula vitæ (non tàm capranda, quàm aliis administranda) egressus, à

c Aquila. diabolis venatoribus, canibusque Judæis, Apostolis interim velut hinnulis dispersis, captus & occisus est. Quod innuere videtur v. 17. *Circumdederunt me canes:* cui ἐξηγητικῶς subjicitur: *Cœtus malignantium obsedit me.* Ad matutinum tempus referunt, quòd Christus in prima statim infantia Herodis insectationem, & expulsionem in Egyptum sustinuit, Matth. 2: 14, 15. quodque Pontifices, Scribæ, seniores populi, *summo mane convenisse* ad condemnationem Christi, memorantur Marc. 15: 1. Porrò quemadmodum cerva matutina non ideò capitur & occiditur, ut satis sit captam & occisam esse, quomodo lupi occidi solent, sed ut sit jucundus cibus: Sic Christus in sacrificio crucis & mortis suavissimus vitæ ac salutis cibus nobis effectus est, tùm sacramentaliter, tùm spiritualiter manducandus. Musculus in h. l. *O verè cervinam Christi carnem, animæ fideli longè sapidiorem eâ, quam hujus mundi nobiles in delitiis habent. Et ne quid sapori ac gustui delicato deesset, non simpliciter occisa est nostra cerva, sed antea benè agitata; quemadmodum solent magnates venando & agitando, antequam capiant & occidant, carnem cervinam suaviorem, molliorem ac delicatiorem reddere,* &c. Idem: *Et vide, quàm concinnè ad mortem Christi competat, quòd cervæ etiam, cùm in plagis est, latus cuspide aperitur, id quod & Christus in cruce pertulit.* Hæc de cervæ matutinæ titulo. Alii verò אילת per כוח *robur*, explicant, ut R. Menahem citante R. Salomone: Aben Ezra, *robur ascensus auroræ.* Junius & Tremellius: *ad virtutem auroræ,* hoc est, ad diluculum: quia scil. eo demum tempore aurora virtutem suam exserit. Sensum igitur esse volunt, psalmum hunc Sacerdotibus & Levitis fuisse traditum, ut singulo quoque manè in Ecclesia, quàmprimùm aurora erumperet, caneretur, prout moris erat Sacerdotibus & Levitis, ex lege symphoniam exercere, 1. Par. 9, 33. c. 23: 5, 30. Sic voluit DEUS Ecclesiam veterem singulis diebus recolere fiduciam de exspectatione Christi, cujus perpessionum & regni vaticinium hoc Psalmo continetur. Hæc illi, quorum sententia haut incongrua, tantóve mysterio indigna esse videtur. Eodem Psal. 22: 7. Christus seipsum תולעת [b] *vermem* appellat, ob statum infimæ exinanitionis, & contemtus extremi, cui fuit expositus. Frantzius d. l. p. 826. *Sicut vermis habetur pro vilissimo excremento, quod etiam homines manibus contrectare recusant, & si contrectaverint, manus abluunt, & ubicumque vident repentes vermes, è conspectu hominum removent eos: Ita quoque Christus in maximo erat contemtu, cùm penderet in cruce.* [c] AQUILAM & aliorum vocari Messiam Prov. 30: 19. Galatinus lib. 7. de arcanis Cathol. verit. cap. 15. ex Rabbenu Hakkados, in libro, Gale Razia, tradit. Quam sententiam, & totius versus illius expositionem, breviter Weidnerus de præcipuis fidei myster.

myster. tract. 2. p. 256. his recenset verbis: *Difficilia mihi sunt ista tria cognoscere: Viam aquilæ in cœlo, hoc est, viam Christi ascendentis in cœlum cum carne assumta: Viam colubri super petram, hoc est, viam Christi de cruce ad sepulcrum, quod erat excisum de petrâ, de quâ tertia die resurrexit, unde ipse Christus inquit: Sicut Moses exaltavit serpentem &c. Viam navis in medio mari, hoc est, viam Christi per tempestates & fluctuationes hujus mundi transeuntis. Viam viri in Almah sive adolescentula, hoc est: viam Christi in utero virginis incarnati* &c. subjungitur v. 20. *de via mulieris adulteræ*, hoc est, de machinationibus synagogæ contra Christum &c. Vide etiam Burgensem ad Esa. 7. addit 5. f. 21. Quod de *aquila* dictum, id interpres Gregorii Nazian. super orat. 6. de Spir. S. accommodat ad Deitatem Christi, quæ sit ineffabilis, allegante D. Frantzio p. 327. &c. 2. Quædam [a] animalium actiones. *Rugire* DEUS dicitur, quod propriè leonum est, Joel 3, 21. Amos 1: 2. quo iræ & verbi ejus potentia & efficacia innuitur. Confer Amos 3: 8. Hos. 11: 10. Esa. 5: 29. &c. Flacius: *Est metaphora, quòd sicut leonis rugientis vox omnibus Animalibus est terribilis: ita & homines moveri ac contremiscere deberent, divinâ majestate cælitùs ad eos loquente ac veluti intonante & coruscante superne.* Jer. 25: 30. *Jehova ex alto rugiet, & ex habitaculo sanctitatis suæ edet vocem suam, rugiendo rugiet in habitaculo suo &c.* h. e. instar leonis, in prædam visam incursuri, horrendum intonabit. Confer v. 38. Totus hic sermo ad finem usque capitis, per allegoriam DEUM comparat cum leone, Reges & principes cum pastoribus, populos cum gregibus, regiones cum pascuis & caulis. Job. 37: 4. *rugitus* de tonitru (quod vox DEI dicitur) usurpatur. Psal. 22: 2. de clamore Christi valido: *Longinquus es a salute mea, in verbis rugitûs mei.* Confer Heb. 5: 7. Psal. 38: 9. &c. In medio agone Leo de tribu Juda rugit, mox futurus Victor. *Volare* DEUS dicitur, 2. Sam. 22: 11. Psal. 18: 11. ob velocissimum ventorum (de quibus ibi loquitur) & tempestatum subitarum impetum. *Incubare aquis* in prima creatione dicitur Spiritus S. Gen. 1: 2. dum vi sua δημιυργικῇ & vitali, ad productionem rerum omnium, aquas (adeoque eti m cœlum & terram, simul tùm permixta) fovit quasi & idonea reddit. Metaphorâ ab avibus incubantibus, & pullos calore vitali excludentibus, desumtâ. Vide, quæ de hoc loco dicuntur in Grammat. sacra pag. 314. De Spiritu S. explicant etiam quidam Judæorum Targum Hierosolym. *Et Spiritus misericordiarum à facie Domini erat spirans super facie aquarum.* R. Salomo: *Solium gloriæ stabat in aëre, & incubabat super facie aquarum, in Spiritu oris ejus, vid. benedicti Sanctique DEI, & in verbo suo, sicut columba incubat super nido.* Baal Turim *Spiritum illum incubantem*, per Cabbalam Gematraya *de Spiritu Messiæ* explicat. 3. Quædam animalium [b] membra, *Cornu* salutis DEUS dicitur, 2. Sam. 22: 3. Psal. 18: 3. & Messias Salvator, Luc. 1: 69. Sicut cornua feras defendunt, & in illis robur earum exseritur, contra adversa & inimica eis: Sic DEUS fortissimus piorum defensor est. Chemnitius in Luc. 1: 69. Verbo *cornu*, robur ac potentiam (ut usurpatur Psa. 75, 11. Psa. 112: 9. Thren. 2, 3.) verbo autem *erigendi*, solidum robur & invictam ejus stabilitatem describit, contra quod ne inferorum quidem portæ prævalebunt. *Cornu salutis* dicitur, id est, salutiferum, obtinens victoriam contra hostes, & afferens salutem captivis &c. Ut boves cornu feriunt & prosternunt hostem, ita nos fiduciâ mediatoris probè armati sumus adversus diabolos. *Alæ* DEO tribuuntur, quibus singulare præsidium, tutela, patrocinium & protectio significatur, quam credentibus suis, & populo suo præstat Psal. 91. v. 4. Unde *umbra alarum DEI* dicitur Psa. 17: 8. Psal. 36: 8. Psal. 57: 2. Psal. 63: 8. *absconditum alarum ejus*, Psal. 61: 5. Metaphora ab avibus, gallinis præsertim, desumta est; quæ pullos suos sub se colligunt, fovent, & ab insidiis hostilibus protegunt. Integra similitudo legitur Deut. 32: 11. Esa. 31: 5. Matth. 23: 37. De loco Exod. 19: 4. *sustuli vos super alas aquilarum*, vide Gramm. Sacram p. 514.

[b] Membra animalium.

[a] Actiones animalium.

A [c] PLANTIS desumuntur, & DEO tribuuntur quædam in genere, & in specie. *In genere* huc pertinet, cùm Messias vocatur *germen & surculus* Esa. 4: 2. c. 11: 1. Jer. 23: 5. cap. 33: 15 Zach. 3: 8. c. 6: 12. quæ loca à Chaldæo interprete de Messia disertè explicantur. Notatur autem principaliter ortus ipsius secundùm carnem, seu nativitas temporalis, sicut germen & surculus terream habet originem, & terram quasi matrem agnoscit: consequenter verò regni ejus viriditas, felicitas, & perpetuitas, ut & aliàs verbum צמח *germinavit, crevit*, de Christi regno, & beneficiis usurpatur, Esa. 43, 19. c. 61: 11, 12. Psal. 85: 12. Zach. 6: 12. &c *Fructus terræ* appellatur Messias Esa. 4: 2. itidem ob humanitatis ortum: quò haut inconvenienter Galatinus l. 3. c. 16. refert verba Psal. 67: 7. *Terra dedit fructum suum.* De beneficiis certè Messiæ in toto hoc Psalmo agitur. *Lignum*

[c] Planta.

*humidum seu virens* se Christus vocat Luc. 23: 31. opponens sibi *lignum aridum*, per quod impios intelligit: *Si in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* hoc est, si DEUS me innocentem, & virenti atque frugiferæ arbori similem, tàm gaviter affligi, & tanquam arborem aridam exscindi patitur; quantò graviùs sinet affligi vos nocentes & peccatores, aridis, atque infrugiferis arboribus similes. Theophylactus verba Christi pulcherrimè παραφράζεται: Εἰ ταῦτα ποιοῦσιν ἐν ἐμοὶ ἐγκάρπῳ καὶ ἀειθαλεῖ καὶ ἀειζώῳ διὰ τὴν θεότητα: τί γένηται ἐν ὑμῖν ἀκάρποις, καὶ πάσης δικαιοσύνης ζωοποιοῦ ἐσερημμένοις &c. *Lignum vitæ* vocari Christum Apoc. 2: 7. c. 22: 2. 14. quidam volunt: alii ipsam vitam & felicitatem æternam intelligunt, quod perinde ferè est, cùm in solo Christo vita æterna consistat, 1 Joh. 5: 11, 12, 20. De qua *vitæ arbore* benedictâ, μελετήματα nostra exstant, peculiari tractatu edita. [a] *Radix Isai & Davidis* vocatur Messias Esa. 11: 10. Rom. 15: 12. Apoc. 5, 5. c. 22: 16. quod quidam per metonymiam explicant, ut *radix* sit posita pro eo, quod ex radice nascitur, uti Esa. 11: 1. Alii ratione divinitatis dici hoc volunt. Bernhard. in die pasch ser. 1. *Non dicit, David radix ejus, sed ipse radix David, quia portat & non portatur. Meritò, David sancte, filium tuum vocas Dominum tuum, quia non tu radicem portas, sed radix te.* Quidam demum appellationis rationem ex his deducunt locis. Esa. 14: 30. *Et occidam fame radicem tuam.* Chald. *filium tuum.* LXX. τὸ σπέρμα σȣ. Mal. 4: 1. *Non relinquet ipsis radicem & ramum.* Chald. *filium & filium filii seu nepotem.* Unde patet, quòd filius, & præsertim primus, seu primogenitus, sit quasi radix familiæ, ex quo qui nascuntur, instar ramorum se habent. Quò pertinet, quòd Patriarchæ, ex quibus populus Israeliticus prognatus fuit, & quibuscum DEUS foedus primùm pepigit, dicuntur *radix*, posteritas verò *rami.* Rom. 11: 16. Christus igitur *radix Isai & Davidis* dicitur, quia est verus ille *primogenitus*, Psal. 89: 28. ex Isai & Davidis familiâ ortus, & fundamentum quasi ac radix totius familiæ DEI spiritualis, unde *primogenitus inter multos fratres* vocatur Rom. 8: 29. Et videtur hæc ratio Esa. 11: 10. innui, dum *radix isthæc Isai* dicitur *stare in vexillum populorum, ad quod gentes accursuræ sint:* quibus verbis vocatio gentium describitur, & Ecclesiæ Nov. Testam. constitutio, quæ est instar arboris fructiferæ, Christo ceu radici incumbentis, ex eoque succum & vitam trahentis.

[a] Radix Isai & Davidis.

IN SPECIE huc pertinet, cùm Messias vocatur [b] *cedrus illustris* Ezech. 17: 23. locum de Messia R. Salomo etiam exponit, & de eodem Targumicam expositionem loqui, non absurdè R. Davidi Kimchi videtur; Ipse verò de *Zerubabele filio Sealthielis* perperam explicat. Targumica illa expositio loci hujus, valdè emphatica est, quam adscribam. ℣. 22. *Sic dicit Dominus Deus: Et applicabo ego de regno domus David, quod simile est cedro excelsæ, & excitabo de filiis filiorum ejus ramum tenerum, & faciam illum crescere, & constituam illum per verbum meum, in monte excelso & alto* ℣. 23. *In monte sancto Israelis constituam illum, & colliget exercitum, & faciet præsidia, & erit Rex fortis, & innitentur super eum omnes justi, & omnes humiles in umbra regni ejus habitabunt* ℣. 24. *Et cognoscent omnes reges populorum, quòd ego Dominus humiliaverim regnum, quod fuit robustum, & confortaverim regnum, quod fuit debile: humiliaverim* (nimirum) *regnum populorum, quod fuit robustum sicut arbor viridis; & confortaverim regnum domus Israel, quod fuit debile sicut arbor arida: Ego Dominus decrevi hoc in verbo meo, & adimplebo.* Hucusque Chaldæus. [c] *Vitis vera* vocatur Christus Joh. 15: 1, 5. quâ metaphorâ præcipuè arctissimam suam, cum discipulis omnibusque credentibus, unionem adumbrare voluit, unde mox eos *palmites sibi insitos* vocat, v. 2: 4, 5. Vitis palmitibus est homogenea, seu ejusdem naturæ: Sic Christus secundum humanitatem credentibus ὁμοούσιος est, Eph. 5: 30. Heb. 2: 14. Vitis copiosum imbibit humorem, quem palmitibus posteà communicat: Sic ex plenitudine Christi *nos omnes accipimus gratiam pro gratia* Joh. 1: 16. Succo vitali ex vite influente palmites animantur, vegetantur, & ad ferendos suaves fructus foecundantur: Virtute Christi ejusque Spiritus, credentibus donati, spiritualiter ii vivificantur, & ad ferendos pietatis fructus DEO gratos apti redduntur. (*His fructus DEUM & homines lætificant*, Jud. 9: 13.) In conjunctionis modo est diversitas. Palmites ex vite nascuntur naturaliter: credentes Christo veræ viti inseruntur spiritualiter &c. Hæc primaria metaphoræ hujus ratio est: consequenter verò & alia innuuntur, utpote externi aspectus in vite vilitas, Ez. 15: 2, 3. quod ad Christum exinanitionis tempore optimè quadrat, Es. 53: 2, 3. Vitis ipsius dignitas præ aliis terræ nascentibus; odoris florum jucunditas; fructuum cumprimis præstantia & preciositas &c. quæ & alia Christo, veræ ac cœlesti viti, congruè applicari possunt. Quidam vocari Messiam *vitis* nomine, etiam in V. T. contendunt, ut Esa. 5: 7. *Vir Juda*, hoc est, ex tribu Juda oriundus, videl. promissus Messias, *est germen delectabilis ejus*, scil.

[c] Vitis. Joh. 15.

[b] Cedrus Ezech. 17.

vineæ

vineæ Israeliticæ: Psal. 80: 9. seqq. quem totum locum Stapulensis in comm. ad Christum applicat. Sed literali sensu aliud his locis intelligi, ex συναφείᾳ textuum constat. In primo, immediatè sequitur: *Et exspectavit DEUS judicium, & ecce plaga, justitiam, & ecce clamor.* Quod v. 2. per similitudinem effertur ita: *Exspectavit ut faceret uvas, & fecit labruscas.* Quod Messiæ non convenit. Agitur igitur de populo Israelitico, qui vineæ parabolicè comparatur, & *vir Judæ*, collectivè accipiendum, pro viris Judæ, hoc est Judæis, uti & v. 3. In *altero* de populo Israelis ex Ægypto miraculosè educto, & in terram promissam introducto, in eaque instar vitis quasi plantato, agi, totus contextus ostendit, &c. Ad hanc classem appellationum Christo tributarum, pertinent etiam quædam in [a] Cantico Canticorum, epithalamio illo sacro, Messiam & ejus sponsam spiritualem, Ecclesiam, concernente. Ut quod cap. 1. v. 13. dicitur *fasciculus myrrhæ*, quam fructum fruticis, in Arabia copiosè crescentis, esse ajunt. Myrrha amara quidem est, at fragrantissima, & utilitate insigni, in mundandis & sanandis vulneribus, in expellendis pravis ex corpore humoribus, in sedandis doloribus, in confortando corde, in præservando corpora à putrefactione, conspicua. Quæ omnia ad passionem Salvatoris, ejusque, ac totius meriti sacrosancti, fructus & efficaciam, accommodari pulchrè possunt Exod. 30. v. 23. מָר דְּרוֹר *myrrha libertatis* fit mentio (Chald. דְּכֵי *pura, incorrupta*) ex qua confectum fuit sanctum oleum, quo Sacerdotes summi ungi solebant. Id unctionem Christi præfiguravit, cujus sacrificium mortis est vera illa libertatis myrrha, cœlestem à Satana, morte, peccato, inferno, liberationem præstans, Joh. 8: 36. &c. Vocatur & c. 1: 14. *botrus Copher seu Cypri.* Hanc autem arborem odoratam esse ajunt, botros ferentem eximiæ magnitudinis. Plinius lib. 12. cap. 24. pro *Zizyphis* ferè *Cyprum* accipit. Ob suavitatem, igitur, fragrantiam & fructuum cœlestium copiam, id nomen Christo convenit. Quidam ita: JESUS mihi *myrrha* in amara passione: *botrus copher* in jucundissima resurrectione. cap. 2: 1. vocatur *rosa* (sive in genere, *flos*) *Saron*, *lilium convallium.* Quo tùm vera humanitas, ejusque puritas & sanctitas, tùm officii & beneficiorum amabilitas innuitur, uti alibi in specie declaratur uberiùs. Vide pulcherrimas, de his in Cantico canticorum, appellationibus Christi, meditationes Dn. D. Gerhardi, in postilla Salomonæâ, Dominica Quinquagef. Festo Purificationis Mariæ, & Dominicâ 17. post Trinitatis festum.

Ab [b] INANIMATIS in naturâ rebus, quæ desumuntur, & ad DEUM transferuntur metaphoræ, vel *universim* vel *diversim* res illas attinent. Ad *priorem* classem pertinet, cùm DEI infiniti & immensurabilis, quædam instituitur dimensio, & cum toto hoc universo collatio, cùm inter finitum & infinitum propriè nulla sit proportio. Job. 11. v. 8. *Altitudines cœlorum* (Jehovæ sunt,) *quid facies? profunda* (perfectio DEI est, v. 7.) *præ inferno, quid cognosces?* v. 9. *Longa præ terrâ mensura ejus, & latitudo præ mari.* Infinitas & immensitas DEI, ejusque sapientia his innuitur, de qua v. 7. *Num investigatione DEUM invenies?* (alii חֵקֶר *an profunditatem*, scilicet sapientiæ DEI *invenias?*) *num usque ad* תַּכְלִית *perfectionem Omnipotentis invenies?* (alii, *aut usque ad finem sapientiam omnipotentis invenias?*) Huc pertinet sacra illa Pauli Mathematica, quam de dilectione DEI & Salvatoris Christi loquens, instituit [c] Eph. 3: 18. *Ut valeatis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimitas* nim. dilectionis Christi, ut v. 19. sequitur. Mensuratione isthac, ἀνθρωποπαθῶς institutâ, dilectionis illius immensurabilitatem & immensitatem indicat, q. d. altior est cœlis, profundior mari, latior orbe terrarum, longior omni tempore, utpote in omnem æternitatem durans. Osiander in h. l. *Sensus est, rogo DEUM, ut possitis unà cum aliis sinceris Christianis, aliquo modo, mente vestra complecti immensam erga vos Christi charitatem, quæ ut metaphorâ utar, in omnes dimensiones se extendit.* Hyperius in comment. *Sensus est, precor vobis plenam, certam, & omnibus partibus absolutam cognitionem dilectionis Christi. Has differentias dimensionum solent observare Geometræ, si quando inquirere volunt corporum solidorum magnitudinem. Quæ igitur rebus corporeis conveniunt, ea Apostolus artificiosè confert ad res incorporeas & spirituales, & significat, se maximoperè optare, ut æquè certam & perfectam assequantur cognitionem rerum spiritualium, imprimis dilectionis Christi, atque assequantur Mathematici, dum solida mensurant corpora &c.* Atque hîc in genere etiam notandum, quod quando DEO tribuitur [d] *magnitudo*, non quantitas molis corporeæ, ut in creaturis; sed ipsa essentiæ ejus & proprietatum essentialium infinitas denotetur. Exod. 15: 16. c. 18: 11. Num. 14: 19. Deut. 3. 24. Esd. 5: 8. Ps. 48: 2. Ps. 147: 5. Jer. 32: 17, 18, 19 Dan. 2: 45. Mal. 1: 14. &c. Job. 33: 12. in *magnitudine* instituitur DEI cum homine comparatio, & eâdem investigabilis ipsius immensitas innuitur, q. d. DEUS non tantùm majestate & potentiâ, sed etiam veritate, ju-

[a] Et Cantico corum.

[b] Inanimatæ res. Dimensiones.

[c] Eph. 3: 18. latitudo, longitudo, profunditas, sublimitas.

[d] Magnitudo DEI.

stitiâ, sapientiâ, & misericordiâ, mortales infinitè superat: quare injustè litigare adversus eum præsumis. 1. Joh. 3: 20. *major corde nostro Deus esse* dicitur, dum de conscientia, male sibi conscia sermo est, q. d. si conscientia, quæ in multis cœca est, nos de hypocrisi convincat, quantò magis DEUS omnium maximus, & infinitus scientiâ, propter hypocrisin, in suo judicio nos arguet. C. 4, 4. *major esse DEUS* dicitur *eo, qui est in mundo:* hoc est, Antichristo, v. 3. quem virtute DEI infiniti & invincibilis, in se gratiosè habitante, credentes vincunt. Joh. 10: 29. *major omnibus esse DEUS* dicitur, hoc est, omnia in toto hoc universo longissimè, & infinitâ potentiâ ac majestate superare. Eadem ratio est, cùm quantitas discreta, seu *multitudo* DEO tribuitur. Psal. 86: 15. רַב *multus misericordiâ & veritate.* Psal. 103: 8. Psal. 130: 7. &c. Denotatur enim DEI & attributorum ejus infinitas, unde Psal. 147: 5. ita describitur: *Magnus Dominus noster, & multus fortitudine, & intelligentia ejus non est numerus.* Sic & cùm *profunditas, abyssus, vorago,* DEO, ejusque sapientiæ, tribuitur, infinitas ac incomprehensibilitas ejus denotatur. Psal. 36: 7. Rom. 11: 33. Cor. 2: 10. &c.

De rebus inanimatis divisim loquendo, distribuemus modò eas in *cœlestes & elementares.* Ad metaphoras *à cœlo* desumtas pertinet, cum DEUS *de cœlis respicere, in cœlis, ut solio suo sedere & habitare &c.* dicitur, de quibus suprà.[a] Item quando DEUS dicitur *Lux,* 1. Joh. 1: 5. quo majestas, sanctitas, perfectio & beatitudo ejus notatur, sicut luce cœlesti, ad nos transmissa, nihil pulchrius & clarius, nihil purius est, nihil magis lætificat. Unde Eccl. 11: 7. *Dulcis est lux, & jucundum oculis videre Solem.* Et Græcorum adagium: γλυκὺ φάος: *Dulce lumen Solis &c.* 1. Tim. 6: 16. dicitur *inhabitare* φῶς ἀπρόσιτον, *lucem inaccessibilem,* hoc est, in ea gloria, majestate & felicitate agere, quam nulla creatura vel habere vel comprehendere potest. Chrysost. hom. 3. de incomprehens. DEI nat. *Dicit Apostolus, quòd DEUS inhabitet lucem inaccessibilem, quod longè plus est, quàm incomprehensibilem. Quod enim inquisitum investigatumque comprehendi non potest, id esse incomprehensibile dicimus: quod autem nec investigandi quidem nullo pacto operam patitur, & ad quod nemo propius accedere potest, inaccessibile est.* Quidam cum luce hac inaccessa conferunt phrasin huic oppositam, cùm cognoscendi plenè majestatem ac essentiam DEI difficultas, per *habitationem in caligine, & nebula* describitur. Omnis enim corporea lux, quæ præ nimietate claritatis non potest aspici, rectè caligo & inaccessibilis potest appellari &c. Eodem referatur, cùm DEUS Jac. 1. v. 17. dicitur *Pater luminum, apud quem non est transmutatio aut conversionis obumbratio.* Quâ phrasi & essentialis majestas, & in agendo immutabilitas denotatur. Sunt, qui percommodè sentiunt, *Patrem Luminum,* esse periphrasin Solis, ἀνθρωπίνως DEO tributam: Ut enim supercœlestis ille Sol distinguatur à Sole corporeo & visibili, ideo additur, *quod apud illum non sit transmutatio, aut conversionis obumbratio.* Sol in occasu suo ad oppositum hemisphærium se convertens, obumbratum & obscuratum relinquit hemisphærium à se derelictum: quæ tenebrarum & lucis vicissitudo, in spiritualibus, DEO non competit. Non enim peccatum & mortem (voce *tenebrarum notam*) DEUS unquam operatur, sed tantùm boni & vitæ (per *lucem* notatæ) autor est; & is scopus Apostoli est, ut ex v. 13. seqq. patet. Salmeron paulò aliter; *In verbis: τροπῆς ἀποσκίασμα, alludit ad Solem, qui quadam vicissitudine, ac sui ipsius conversione à tropico in tropicum, diversas generat umbras, & quantò magis ad nos accedit, tantò majores sunt umbræ, Deus autem non patitur has vicissitudines.* Sed prior accommodatio simplicior, scopoque Apostolico conformior est. Ob lucis denominationem, DEO ratione essentiæ ac majestatis tributam, *Filius DEI dicitur* ἀπαύγασμα τῆς δόξης θεοῦ, [b]*splendor gloriæ DEI,* Hebr. 1: 3. de quo alii latiùs. Breviter dicendo, ratio appellationis tùm primaria est, tùm secundaria. Primaria, respectu Patris cœlestis, à quo ab æterno, per ineffabilem generationem, *instar luminis de lumine* (ut in Niceno symbolo est) quasi resplenduit. ἀπαύγασμα enim est relucentia, resplendens quasi radius: & sic, vi præpositionis, indicatur origo à Patre æterna. Splendor à Sole non divellitur, & eidem coævus est: Sic *à Patre luminum* (de quo ex Jac. 1: 17. dictum) hoc ἀπαύγασμα: qui Filius est, nunquam divellitur, Joh. 14: 10. eique coæternus est. Lyranus: *Filius procedit à Patre, ut splendor à sole: qui splendor est soli coævus, & esset æternus, si sol esset æternus.* Sap. 7: 25, 26, 27. de sapientia divina exstat, quòd mirè cum verbis Apostoli concordat: *Est vapor potentiæ DEI, & sincerus fluxus a gloria omnipotentis: propterea nihil coinquinatum in eum incidit. Nam* ἀπαύγασμα *splendor est à luce æterna, & speculum efficacitatis DEI expers maculæ, ac imago bonitatis ejus &c.* Secundaria, respectu hominum, & respectu manifestationis, quam per Filium nobis præstat cœlestis Pater. Splendor Solis à Sole dimittitur in terram, ad fovendum,

[a] Lux.
[b] Hebr. 1: 3. splendor gloriæ Dei.

dum, vegetandum, & fœcundam reddendam eam: Christus, ἀπαύγασμα gloriæ Patris, missus est ab eo in terram, ad nos illuminandum, vivificandum, salvandum, &c. Calvinus in comment. hoc loco solum posteriorem hunc respectum attendendum esse in hac locutione contendit, sed perperam. Hæc de voce *lucis*, quâ DEI essentiam & majestatem absolutè & in se denotat. Dicitur verò DEUS etiam [a] *Lux & Sol*, ratione ἐνεργείας & operationis inter homines. Psal. 27, 1. *Dominus est Lux mea*, hoc est, qui veram & salutarem Spiritus sui, gratiæ & salutis lucem præstat, unde statim ἐξηγητικῶς subjungitur: *Et salus mea, & fortitudo vitæ meæ*. Psa. 84: 12. *Sol & scutum Dominus DEUS est*. Subjicitur explicatio: *Gratiam & gloriam dat Dominus, non prohibet bonum ambulantibus integrè*. Esa. 10: 17. *Erit lux Israelis in ignem*, hoc est, DEUS Israëlitas illustrans & sanctificans. Hinc diversæ illæ phrases; quibus *lux DEI* significat, vel ejus favorem & gratiam, ut cùm dicitur *illucescere faciem suam*. Num. 6: 25. Psal. 80: 4. &c. Vel salvificam ejus per verbum patefactionem. Psal. 43: 3. *Mitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa ducent me &c.* Psal. 67: 2. *Illuminet Deus faciem suam nobiscum*. De patefactione doctrinæ cœlestis hîc simul agi, ex v. 3. patet: *Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutem* Conf. Psal. 19: 9. Prov. 6: 15. 2 Cor. 4: 4, 6. &c. Vel æternam demum glorificationem, Esa. 60: 19, 20. *Erit tibi Dominus in lucem seculi:* quod Apocal. 22: 5. ad vitam æternam refertur. In genere de quibusvis DEI beneficiis cœlestibus, *lucem DEI* videtur accipi Ps. 36: 10 *In lumine tuo videbimus lumen:* ubi præcedentia & sequentia ostendunt, sensum esse, quod per gratiam DEI in verbo patefactam, ad veram beatitudinem perveniamus. Per *lumen DEI* hîc Rabbinos quosdam veteres Messiam intelligere, declarat Galatinus lib. 8. cap. 11. & Drusius lib. 15. observat. cap 4. Et hac occasione ad Salvatorem nostrum pervenimus, qui peculiariter [b] *Lux & Sol* dicitur, non ratione essentiæ solùm divinæ, & personæ à Patre distinctæ, ut suprà dictum, sed & ratione officii, beneficiorum & operationum Esa. 9: 2. cap. 42: 6. cap. 49: 6. cap. 60: 1. Matth. 4: 16. Luc. 2: 32. Joh. 1: 4, 9. cap. 3: 19. cap. 8: 12. cap. 12: 35, 36. Actor. 13: 47. *Lucis* metaphora in Scripturis exprimit informationem, quâ intellectus tenebræ discutiuntur, & peccatorum (quæ *tenebris* comparantur) ablationem, & lætitiæ concessionem; quæ omnia eminentissimè Salvator noster credentibus in se exhibet. De *Solis* appellatione conspicui præ aliis sunt hi duo loci. [c] Mal. 4: 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, & sanitas in alis ejus*. De Salvatore Christo agi, ex scopo & textu Prophetæ dilucidè patet. Confer cap. 3: 1, 2, 3. cap. 4, 5. cum Matth. 11: 10. cap. 17: 11, 12, 13. Luc. 1: 17. &c. Pulcherrima autem & jucundissima est inter Solem naturalem & Christum comparatio, tùm *in unitate*. Unicus mundi oculus Sol est, qui omnibus illuminandis & fovendis sufficit: Sic *unus mediator DEI & hominum, homo JESUS Christus*, 1. Tim. 2: 5. Unus ille Sol luce suâ splendet, & Lunæ ac reliquis stellis lucem impertit: Sic fons veræ lucis Christus est, Ecclesiam & doctores verbi (qui *stellis* comparantur, Apoc. 1, 20.) luce suâ donans. Uti unus Sol est, idemque reliqua sidera & stellas longè superat & excellit: Sic Christus est in omnibus πρωτεύων, Coloss. 1. v. 8. Tùm in *efficacitate*. Sol fugat tenebras nebulasque, & omnia illustrat: Ita Christus Salvator tenebras mentis, sui verbi luce; tenebras peccatorum, luce meriti sui sanctissimi; tenebras calamitatum, luce gratiæ & consolationis suæ dispellit, Ephes. 5: 14. 2 Tim. 1: 10. 1 Pet. 2. v. 9. Communicatio solaris luminis fit ἀφθόνως & æqualiter omnibus sublunaribus, Matth. 5: 45. quo tamen non fruuntur cœci & in die dormientes: Sic æqualiter, quantum in se est, *Christus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Joh. 1: 9. quâ tamen luce cœlesti non fruuntur (idque propriâ culpâ, & suo ipsorummet vitio) increduli a Diabolo excœcati, & securè peccatorum somno indulgentes, Joh. 3: 19. 2 Cor. 4: 4. Quæ causa est, quòd de actuali Solis justitiæ illuminatione Malachias loquens, dicit, *timentibus nomen Domini Solem illum exoriturum*. Solis cursum & efficaciam nemo sistere vel impedire potest: Evangelii de Christo, Sole justitiæ, cursum ac ἐνέργειαν, nullus Diabolorum vel Tyrannorum retardare potest. Sol totum mundum vegetat & vivificat calore suo, quod cumprimis tempore veris in naturâ apparet: Sic Christus spiritualiter nos mortuos vivificat. Ephes. 2: 5. & calorem suavem devotionis ac amoris DEI in nobis efficit, Luc. 24: 32. Quod apud Prophetam mentione *sanationis sub alis Solis justitiæ* (hæ radii spiritualis lucis sunt, sicut *alæ auroræ* seu solis primùm exorientis memorantur Psal. 139: 9. hoc est, radii primi solares) exprimitur. Ecce solem nostrum simul cœlestem medicum! qui ab ipsa etiam morte sanare & eripere nos potest. Solis exortus levamentum ægrotis exhibet: Gaudeant omnes spiritualiter animabus suis ægroti, de Sole hoc

[a] Deus lux est respectu hominum.

[b] Christus lux dicitur & Sol.

[c] Mal. 4. Sol justitiæ.

hoc justificante & sanante! Sole certè exoriente omnia lætantur, quæ per noctem quasi tristitiæ nebulis immersa mœrebant, ut ille apud Poëtam exclamat: *Phosphore redde diem, quid gaudia nostra moraris?* Per justitiæ Solem supercœlestem, verum gaudium hominibus est redditum, Luc. 2: 10, 11. Esa. 9: 2, 3. Sol maturos reddit fructus terræ, quibus primum etiam vegetationis initium concesserat; Sic Christus *fidei autor & consummator est*, Heb. 12: 2. *efficit in credentibus & velle & perficere*, Phil. 2: 13. *ut ambulemus dignè Domino, fructificantes & crescentes in agnitione DEI*, Col. 1: 10. Et quid nobis hîc agendum? Puritas doctrinæ salvificæ de Sole justitiæ unico & catholico, retinenda & diligenter custodienda est, præsertim contra Pontificios, qui *parelios* unico illi Soli justitiæ addunt, hoc est, mediatores, atque salutis media, præter Christum ejusque salvificum meritum, inducunt: Et contra Calvinianos, qui solem justitiæ quasi *Haloni* includunt, hoc est, universalitatem meriti Christi refringunt &c. Insuper verâ fide Sol ille gratiosus aspiciendus & amplexandus est. Ad Solem se convertere dicitur heliotropium: Sic corda nostra semper se convertant ad Christum. Nihil jucundius captivis, quàm intueri solem: Sic nihil quicquam in spirituali nostra captivitate dulcius esse debet, quam fidei oculis contueri Christum &c. Alter locus est [a] Luc. 1:78. *Per viscera misericordiæ DEI nostri, quibus visitavit nos Oriens ex alto.* Quidam appellationem metaphoricam, ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *Oriens ex alto,* desumtam esse putant, à terræ nascentibus & plantis, quæ ἀνατέλλειν dicuntur, cùm exoriuntur vel efflorescunt, ut ita respiciatur ad locos V. T. quibus Christus *planta & germen* vocatur, Jer. 23: 5. Zach. 3: 8. cap. 6: 12. ubi LXX. Interpretes צמח vertunt ἀνατολὴν, *orientem*: Dici autem hîc, *orientem*, sive *germen ex alto*, hoc est, divinitùs ad nos missum, & ab aliis germinibus terrenis longissimè sejunctum. Verùm ostendunt verba immediatè sequentia, ad similitudinem *Solis & lucis* Zachariam propriùs respicere. Ita enim vers. 79. subjungitur: ἐπιφᾶναι, *ut illucesceret his, qui in tenebris, & umbra mortis sedebant, ad dirigendos* (lucis claræ instar) *pedes nostros in viam pacis.* Commodissima igitur ratione dicitur, respexisse virum sanctum ad vaticinia, Esa. 9: 2. (ex quo etiam phrasis *sedentium in tenebris & umbra mortis*, desumta,) cap. 60: 1, 2. Mal. 4: 2. ad quem proximè respici, Junius in Parall. 1, 55. eruditè demonstrat. Ἀνατέλλειν, *oriri*, proprium est Soli, stellis & sideribus. Inde nomen ἀνατολὴ, quod propriè quidem *ortum*, id est, orientis Solis actionem, vel regionem etiam; metonymicè verò ipsum Solem orientem significat, cui determinationis causa additur, ἐξ ὕψους, per quod Junius d. l. meridianam illam & potentissimam illustrationem, quâ in meridie, è summo cœlo collustrat omnia in robore suo, intelligit, ita dictam, ut ἀπὸ τῆς ἑώας ἀνατολῆς, id est, à primo ipsius ortu distinguatur. Rectiùs ad Solis justitiæ primam originem id referri videtur: Nos in terris viventes visitavit, & nobis illuxit ἀνατολὴ, *ortus* seu Sol oriens, & quidem ἐξ ὕψους, *ex alto*, hoc est, cœlitùs & divinitùs; sicut 1 Cor. 15: 47. Christus dicitur *Dominus ἐξ οὐρανοῦ de cœlo.* Et Joh. 3: 31: ἄνωθεν καὶ ἐξ οὐρανοῦ venisse Christus dicitur &c. Tertium locum, ubi Christus Sol vocitetur, addunt quidam Psal. 19: 5. *Soli posuit tabernaculum in cœlis &c. Regnum Christi* (inquit Flacius) *ac Ecclesia per cœlos, & ipse Christus per Solem, allegoricè depingitur &c.* Per accommodationem quandam de Christo Salvatore, ex his verbis, uti & sequentibus, ubi Sol egredienti de thalamo suo sponso comparatur, differi potest: præsertim cùm Apostolus etiam verba vers. 5. priora, ad Evangelii Christi prædicationem Rom. 10: 18. accommodet: Sed sensu literali de cœlis naturalibus, & Sole visibili in cœlis tractari, simplicissimè dicitur. Commendatur Sol, ad gloriam Creatoris DEI, tùm ab ornatu jucundissimi splendoris v. 5: 6. tùm à miranda velocitate, quâ summo miraculo vastos illos cœlorum campos unius diei spacio percurrit, v. 6, 7. tùm demum à virtute calefaciendi & fovendi universa, quæ sanè tanta est, ut & metalla in ipso telluris gremio concoquat, v. 7. &c. Tantum de his. *Stellam* vocari Messiam [b] Num. 24, 17. multi existimant: *Incessit stella ex Jacob, & surget virga ex Israel* &c. Quæ verba ita Chaldæus transfert: *Surget Rex ex Jacobo, & exaltabitur Messias ex Israele* &c. Eandem expositionem ex R. Salomo, & R. Mose Hadarschan, adducit Galatinus lib. 8. cap. 1. Vatablus totum versum ita παραφράζει: *O Balac, consilium meum est, ut tu sedeas quietus, & ne timeas hoc tempore: quod enim futurum prædico, non tuo tempore, sed in novissimis diebus eveniet, tempore scilicet Messiæ, quem quidem video, sed non in præsenti, longè adhuc abest: Cùm ille venerit, veniet ut lux magna, & splendor vehemens: id quod per stellam significatur* &c. Eadem D. Brentii sententia est. Junius & Tremellius in notis: *Stellæ & sceptri nomine regnum populi DEI intelligit, cœptum in Davide, completum in Christo: inter quos tempus interjectum fuit progressus quidam stellæ, sive temporale*

[a] Luc. 1. Oriens ex alto.

[b] Num. 24: 17. procedet stella &c.

*rale regnum spectes, quod imprimis spectabat Bileami, sive spirituale, quod continenter impletur in Christo.* Junius in analyt. explic. h. l. *Israelitis decus sive gloria & regnum futurum est, procedens in amplitudinem: nam gloria nomine stellæ, regnum nomine sceptri, processus utriusque ambulandi verbo significatum est. Et est hic denunciatio singularium Prophetiarum: Prima in Moabitas atque Edmæos, v. 17, 18, 19. Secunda in Amalekitas, v. 20. Tertia in Kinæos, v. 21, 22. Ultima in alias gentes communiter, vers. 23, 24. &c.* Qui de Christo prophetiam Bileami explicant, in explicatione tùm versus illius, tùm sequentium, ita versantur παραφράζοντες: *Videbo eum, sed non modo, intuebor illum, sed non propè*, hoc est, frustranea erit mea maledictio adversùs illum populum, quem peculiariter sibi DEUS elegit, ex quo Filius DEI assumtâ carne nascetur: nondum quidem adest adventus & nativitatis illius tempus, ideò videor mihi eum velut è longinquo intueri; sed tamen certò complebitur illa promissio, ac DEUS propter illam promissionem regnum illius populi tamdiu conservabit. *Procedet enim stella ex Jacob*, hoc est, Filius DEI indutus carne humanâ, ex hoc populo prodibit, radios doctrinæ & miraculorum suorum longè lateque sparget, orietur instar luciferi in cordibus credentibus, 2 Pet. 1: 19. & illuminabit eos ad vitam æternam, *Et consurget virga seu sceptrum ex Israel*, hoc est, Messias ille non erit solùm doctor populi sui, sed etiam Rex cœlestis. *Et percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth*, hoc est, qui se non conferent ad illius regnum, sed manebunt increduli, ac sceptro illius sese opponent, illos conteret & devastabit æternâ internecione. v. 18. *Et erit Edom possessio ejus, & erit possessio Seir inimicis suis*, hoc est, omnes hostes (qui per *Idumæos*, capitales Israelitarum inimicos, in Seir habitantes, designantur) gladio spiritus debellabit. *Israel verò faciet virtutem*, hoc est, Ecclesia, Messiæ regnum, gloriosè triumphabit. v. 19. *Et dominabitur de Jacob, & perdere faciet superstitem de civitate*, hoc est, regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Luc. 1: 33. Tandem etiam omnes regni sui hostes pedibus suis subjiciet, 1 Cor. 15: 25, 26, 27. &c. Apoc. 22: 16. Christus seipsum vocat *stellam splendidam & matutinam*. Tùm in *genere*, ob cognitionis salvificæ splendorem, quem de se edit, unde *Lucifer, in cordibus hominum per sermonem Propheticum exortus*, dicitur 2 Petr. 1: 19. tùm in *specie*, ob promissionem vitæ & salutis æternæ: Sicut lucifer seu stella matutina citò adfuturum Solem denunciat: Sic & facto (resurrectionis nimirum suæ claritate) & verbo veracissimæ promissionis, Christus denunciat, quanta gloriæ lux, in resurrectione universali, credentibus sit affulsura, dum fulgebunt instar stellarum in æternum, Dan. 12: 3. Phosphorus lucem quidem præbet, at Sole longè minorem. Sic lumen cognitionis Christi in hac vita non exæquat splendidissimum ejusdem in beatitudine futura jubar, quod fide expectamus. 1 Cor. 13: 12.

Elementares res quomodo distinguendæ sint, ultrò patet ex elementorum in natura discrimine. *b* IGNIS vocatur Deus, præcipuè ob iram adversus peccata, quæ miseros homines, contra quos exardescit, absumit, ac ignis stipulas. Deut. 24. cap. 9: 3. cap. 32: 22. Esa. 10: 17. cap. 66: 15, 16. Ezech. 21: 3. &c. Insignis huc spectans hypotyposis est Psal. 18, 9. ubi simul de iræ divinæ externo indicio, in fulguribus & fulminibus conspicuo, agitur. Igni proximus est *c fumus*, quo itidem ira Dei notatur, allegato modò Psalmi loco, & Psal. 74: 1. Psal. 80: 5. Deut. 29: 20. *d Lucerna* נֵר Deus dicitur alicui, cùm gratiam & favorem suum ei exhibet. 2 Sam. 22: 29. *Tu es lucerna mea Domine.* Quod Psal. 18: 29. ita enunciatur: *Tu illuminas lucernam meam Domine*, hoc est, lucis, felicitatis, & salutis meæ autor es. Job. 29: 3. *Lucernam Dei splendere super Jobo*, eodem sensu dicitur, unde sequitur: *Ad lumen ejus ambulabam in tenebris.* Et felicitatis pristinæ descriptio luculenta subjungitur. Prov. 20: 27. *Lucerna Domini* נִשְׁמַת *respiratio hominis, quæ investigat omnia penetralia ventris.* Quidam *lucernam Domini*, ut subjectum propositionis accipiunt, sensu eo, quem Lutherus expressit: Die Leuchte des HErrn (Gottes Trost und gnädiger Wille) ist des Menschen Odem / die gehet durchs gantze Hertz: Alii verò ut prædicatum explicant, sensu eo, quem Junius & Tremellius (ad antecedentia & sequentia verba connexionem facientes) exprimunt: *Velut lucerna Jehova est anima hominis, quâ pervestigat omnia penetralia ventris.* hoc est, Deus in hominis animo accendit lucem, quâ res penitissimas introspiciat: ac proinde Regis sapientis animo prælucet, ut recognoscat improbos, terat & ventilet. Confer cap. 25: 2, 3 Verbum Dei *Lucerna* dicitur, Psal. 119: 105. Prov. 6: 23. 2. Petr. 1: 19. ob institutionis salutiferæ lucem, quam credentibus exhibet.

*e* Ad AERIS elementum spectat, cùm Deo נְשָׁמָה *flatus, halitus*, tribuitur: quâ notatur tum

*b* Ignis.
*c* Fumus.
*d* Lucerna.
*a* Apoc. 22: 16. stella matutina.
*e* Aer, Flatus.

tùm divina gratia & refectio, ficut frigidus æstivo æstu halitus, sive ventus, hominem recreat. Esa. 57: 16. *Spiritus à facie mea involvet se, & flatus ego faciam*, hoceft, Spiritus fanctus quem credentibus meis contristatis & contritis mittam, iis quasi se operiet, & in illis gratia sua habitabit, atque ira afflictas & æstu tentationum deficientes conscientias, suavi velut afflatu & spiraculo recreabo. Tùm divina ira & vindicta, ficut validus ventus quævis obvia prosternit, præsertim ignem exsuscitat fovetque. Job. 4: 9. *A flatu Dei* (impii) *peribunt; & à Spiritu furoris ejus consumentur*. Psal. 18: 16, *Propter increpationem tuam, Domine, propter flatum venti iræ tuæ*. Esa. 2: ℣f. 33. *Flatus Domini ficut in torrente sulphuris, ardebit in ea* (infernali foveâ.) Ut sulphur ignis nutrimentum insigne est: Ita infinita & incessabilis Dei ira, erit æternum inferni quasi nutrimentum. Sicut, quamdiu ventus ex folle insufflat ignem, ipse ardet: Ita *flatus Domini* (ira ipsius) perpetuò in torrente sulphuris infernali efficax erit, ad damnatorum cruciatus, in animabus & corporibus.

[a] Aquæ.

Ad [a] AQUÆ elementum pertinet, quòd Deus dicitur מְקוֹר *scaturigo seu fons aquarum viventium*, Jer. 2: 13. c. 17: 13. quia omnis vitæ & refectionis, tùm in hac, tùm in æterna vita, autor est indeficiens. Psal. 36: 10. *cum Deo scaturigo vitæ esse*, eodem sensu dicitur; quod & v. 9. *torrens deliciarum ejus* vocatur. Spiritum S. & ejus dona vivificantia, *flumina aquæ viventis* dici, ex Joh. 7: 38, 39. patet. Quò pertinet, cùm *effusionis* vox de eo usurpatur Esa. 44: 3. Joël. 3: 1. Zach. 12: 10. Act. 2: 17, 18, 33. Tit. 3: 5, 6. Beneficia sui meriti in genere Christus *aquam vivam* vocat Joh. 4: 10, 14. ipse igitur fons vitæ æternæ abundantissimus est, Joh. 1: 16. Aqua emundat, reficit, sitimque restinguit, emollit &c. quæ ad sanctissimum Salvatoris officium commodè applicantur spirituali sensu. Confer Esa. 55: 1. Ezech. 36: 25. Zach. 14: 8. Psal. 23: 2. &c. Psal. 65: 10. *rivus Dei plenus aquis*, cœlum seu nubes dicuntur, ex quibus copiosam pluviam, ad fœcundandam terram, Deus demittit.

[b] Terra.

Ad [b] TERRAM referimus, quæcunque in ea (præter superiùs suis locis adducta) exsistunt, & ad Deum metaphoricè traducuntur, sive naturaliter producta sint, sive arte ab hominibus confecta.

[c] Lapis, petra.

[c] *Lapis & petra* Christus aliquoties vocatur, Psal. 118: 22. *Lapis, quem reprobaverunt ædificantes factus est in caput anguli*. Id ad Christum expressè refertur

[d] Latibulum.

Matth. 21: 42. Actor. 4: 11. 1 Pet. 2: 7. Per *ædificantes* intelliguntur sacerdotes proceres, & alii in populo Israelitico, quorum officium erat ædificare Ecclesiam Dei, non destruere. Hi quomodo Christum reprobaverint, historia Euangel. abundè docet: At nihilominùs *factus is est caput anguli*, seu lapis ἀκρογωνιαῖος, & firmamentum totius Ecclesiæ, in Christo coagmentatæ, Eph. 2: 20, 21. nimirum ex Judæis & gentibus, quò Apost. ibid. respicit, ℣ff. 14, 15, 16, 17, 18. &c. Alia loca sunt, Esai. 8: 14. cap. 28: 16. Zach. 3: 9. Luc. 2: 34. Rom. 9: 32, 33. 1 Pet. 2: 4, 6, 7, 8. quibus locis tùm ut *lapis offensionis*, tùm ut *petra resurrectionis & vitæ* proponitur, quorum illud incredulos & impios; hoc verò credentes & pios attinet; ficut hæc fusiùs declarantur alibi. *Petra* Deus dicitur confisis sibi, Deut. cap. 32: 31. Psal. 18: 3. Psal. 31: 3, 4. Psal 42: 10. Psal. 73: 26. Esai. 26: 4. &c. hoc est, certissimi & invictissimi auxilii largitor. Reperiebantur enim in illis locis petræ, ob altitudinem, soliditatem, præcipitia ac difficilem aditum, inexpugnabiles &c Matth. 16: ℣f. 18. Christus alludendo ad nomen Petri, seipsum & suam doctrinam vocat *petram, super quâ ædificaturus sit Ecclesiam suam, ut portæ inferorum non prævalitura ei sint*. D. Brent. commodè verba Christi παραφράζει: *Vocavi te anteà Cepham, hoc est, petram* (Joh. 1: 43.) *nondum autem me hujus cognominis pœnitet, commemorâsti enim jam tuo & collegarum nomine, veram petram, verumque fundamentum, videl. quod sim Christus filius Dei viventis. Hæc seu confessio seu prædicatio est vera petra, & super hanc petram, tanquam fundamentum ædificabo Ecclesiam meam*. D. Calixt. *Ecclesiam super petra ædificari, per metaph. dicitur. Sumitur autem à soliditate petræ, non dominatu, qui in petra non est. Quod sit igitur petra, super quam ædificatur domus, idem est, quod solidum, firmum & immotum domûs fundamentum, quid ampliùs de vera expositione dubitamus, interpretem habentes Paulum* 1. *Cor*. 3: 11. *Christus igitur viva & fundamentalis petra est, super quam exstruitur Ecclesia, sed super hanc aliæ, etiam ponuntur petræ, seu saxa potius & lapides* (*πέτρος enim cum appellativum est, non petram, sed lapidem significat*) *à viva petra excisi, qui singuli fundamenta non sunt, sed multi simul juncti & uniti secundarium fundamentum constituunt, Apoc*. 21: 15. *Eph*. 2: 10. &c. 1 Corinth. 10: 4. Christus dicitur *petra spiritualis*, quæ potum in deserto Israelitico populo dederit: cujus nimirum typus erat petra corporalis, à Mose percussa. Exod. 17: 6. Vide Gramm. sacr. pag. 535. 585.

[d] LATIBULUM סֵתֶר DEUS dicitur

Ps.

Pf. 91:1. Pf. 119:114. item *tugurium*, *tegmen*, *absconsio*, Esa. 4:6. quo defensio ejus gratiosa contra omnem vim hostilem innuitur. a MUNITIO eadem de causa vocatur Psal. 31:3. 4. Ps. 71:3. Ps. 91:2. Ps. 144:2. *Et murus igneus*, Zach. 2:5. Ubi *ignis* epitheton additur, ad indicandum, Deum Ecclesiæ suæ defensorem, simul hostium ejus terribilem fore ultorem, & instar ignis eos consumturum. b TURRIS FORTITUDINIS DEUS & nomen ejus dicitur. Ps. 61:4. Prov. 18:10. itidem ob divinam hanc protectionem. Ut enim in turribus altis & munitis tuti sumus ab hoste: Ita longè eminentius in tuto, sibi confisos, collocat Jehova. 2 Sam. 22:51. *turris salutis*, *seu salutem præstans*, Deus vocatur à Davide: pro quo Ps. 18:51. habetur, *magnificans salutem*, מגדיל converso in מגדול. Turris isthæc & propugnaculum salutis, *tùm* machinis bellicis (quæ divina virtus & potentia sunt, omnesque adeò creaturæ, quibus ad hostium suorum perniciem ac interitum liberrimè utitur, Psal 148. ℣f. 8. Sir. 39. ℣f. 32, 33, 34.) *tùm* commeatu, pane ac potu vitæ, Psal. 39. ℣f. 8, 9, 10. *tùm* milite præsidiario, qui sancti angeli sunt, Psal. 91. ℣f. 11, 12. Dan. 7. ℣f. 10 instructissimum est, & ita inexpugnabile &c. c TEMPLUM *civitatis cœlestis*, dicitur Deus omnipotens, & agnus, Apoc. 21:22. respectu oppositivo ad templum externum & terrenum habito; q.d. In vita æterna non ampliùs erit locus visibilis & externis signis, per quæ Deus populo suo in V. T. manifestavit, in templo videl. & arca fœderis; Sed Deus ipse à facie ad faciem videndum se electis exhibebit, in hoc, ut spirituali templo, æternum & cœlestem laudis divinæ cultum peragent, & jubilationis sempiternæ festa celebrabunt &c. d VIAM se Christus vocat Joh. 14:6. nimirum qua itur ad Patrem cœlestem, & vitam æternam, ut ex sequentibus in eo versu verbis, & v. 2, 3, 4. patet. Integra verba ita habent: *Ego sum via, & veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me*, q. d. vos à vobis viam & terminum (ad Patrem & ejus felicitatem cœlestem) ignorari dicitis: at ego ipse, quem sanè novistis, *via sum*, quâ ad Patrem & summam apud ipsum beatitudinem pervenitur: nec tantum via sum, sed Dux quoque viæ per *veritatem*, quam doceo: Quin unà cum Patre viæ quoque terminus sum, & *vita*, quâ fruuntur beati, quæ D. Calixti in Harm. Evang verba sunt. B. Joh. Hussus, citante Wolffio tom. 1 lect. memor. p 750. *Videat viator humilis Christum, qui dicit, ego sum via, veritas, & vita. Ecce habet viam, qui vult ire, quia Christus est via: quò vult ire, Christus est veritas: & ubi vult manere, Christus est vita.* Thom. à Kempis l. 3. de imitat. Christi c. 56. *Ego sum via, veritas, & vita. Sine via non itur, sine veritate non cognoscitur, sine vita non vivitur. Ego sum via, quam sequi debes; veritas, cui credere debes; vita, quam sperare debes. Ego sum via inviolabilis, veritas infallibilis, vita interminabilis. Ego sum via rectissima, veritas suprema, vita vera, vita beata, vita increata. Si manseris in via mea, cognosces veritatem, & veritas liberabit te, & apprehendes vitam æternam.* Quidam non incongruè ita: *Lumen & Veritas Dei nos ducit*, Psal. 43:4. Quodnam illud *lumen*? Jesus, uti Joh. 8:12. seipsum vocat. Quænam ea *veritas*? Jesus, uti Joh. 14:6. se appellat. Is igitur, ut lumen & veritas Dei, nos ducit. Per quam viam? per seipsum, quia est *via*; tùm sanctissimo suo merito, quod verâ fide acceptandum; tùm sanctissimâ suâ vitâ, quæ devotâ imitatione exprimenda. Ducit nos ad quid? ad seipsum, quia est *vita*, & in ipso solo est vita æterna, 1 Joh. 5:11, 12. Ecce igitur Jesum nostrum, qui est OMNIA, & cum quo Deus donat nobis omnia, Rom. 8:32. &c. Quâ ratione autem Christus via nostra ad Patrem factus fuerit, & viam salutis æternæ aperuerit, ut liberè ingredi per eam possimus, pulcherrimis exponitur verbis Hebr. 10:19, 20. Tantum de hac Salvatoris appellatione. Aliàs *via Domini Dei* significat, *tùm* cœlestem doctrinam, Psal. 5:9. Psal. 25:4, 9, 10. Psal. 67:3. Ps. 119:3, 14, 26, 30 &c. Esai. 2:3. Hos. 14:10. Matth. 22:16. Act. 13:10. c. 18:25. &c. Inde phrasis, *custodire vias Domini*, Psal. 18:22. hoc est, vitam secundùm verbum & præcepta Dei instituere. *Tum* providentiam & gubernationem divinam; *partim* in genere, ut totum voluntatis, consiliorum, conatuum & actionum quasi cursum notet, Psal. 25:10. Psal. 77:14. Esai. 55:8, 9. Quò pertinet illud Hab. 3:6. הליכות *via seu itinera seculi ei sunt*, hoc est, effecit illa Jehova, penes quem usque & usque gubernatio totius mundi est, cujusque sapientia ac potentia omnia dirigit, moderatur, dispensat. *Partim* in specie, ut singulares quasdam actiones Dei significet, Exod. 33:13. Psal. 103:7. Job. 40:14. Prov. 7:22. *Viam Domini parare Job. Baptista* dicitur, Mal. 3:1. Luc. 1:76. hoc est, de adventu ejus instante, præconio verbi, & Baptismi sancto ritu inchoato, seriò testari: metaphorâ à magnatibus ductâ, quibus advenientibus via sterni & complanari, honoris causâ, solet. Conf. Esai. 40. ℣f. 3, 4. &c. *Umbra* vocatur Deus, Psal. 121. ℣f. 5. ob protectionem cœlestem, quam credentibus præstat,

a Munitio.
b Turris.
c Templum.
d Via. Joh. 14:6. Ego sum via, veritas & vita.
e Umbra.

præstat, sicut umbra à radiis & æstu Solis protegit, & refrigerium confert. *In umbra Omnipotentis commorari*, Ps. 91: 1. est gratiosâ ejus protectione & refectione frui. Duplicatur metaphoræ hujus emphasis, quando dicitur *umbra alarum Dei*, de quo supra. Non tantùm enim umbra per se grata ac salutaris est, præsertim in aridis illis & æstu torridis locis; sed etiam talis præcipuè umbra, qualis pullorum sub alis gallinæ, aut aliarum avium est. Cum protectionis divinæ igitur actu, simul interior Φιλανθρωπίας affectus eâ phrasi notatur. Dicitur & *umbra manus Dei*. Esa. 51: 16. cap. 49: 2. quo protectionis divinæ robur & potentia, adversus quosvis hostes, innuitur; ea enim *manus*; Deo tributæ ἀνθρωποπαθῶς, significatio est, ut supra suo loco dictum. Emphaseos demum insignis verbum *obumbrare* (q. d. umbram præstare) est, cùm de mirando conceptionis Christi in Maria, mysterio usurpatur, [a] Luc. 1: 35. *Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus S. superveniet te, & virtus Altissimi* ἐπισκιάσει σοι, *obumbrabit tibi.* Quæsierat Maria, admiratione nuncii Angelici stupens, vers. 34. *Quomodo erit illud, quandoquidem virum non cognosco?* Illud nimirum, de quo dictum erat, vers. 31. *Ecce concipies in utero, & paries filium, Jesum, qui simul filius Altissimi vocabitur &c.* v. 32. Hoc quomodo fieri possit, Maria quærendo miratur, & mirando quærit. Responderurque ipsi ab Angelo, quod supernaturali & plane singularissimâ Spiritus S. & virtutis Altissimi operatione, hoc tantùm opus sit efficiendum. Ea verò operatio tùm ἐπελεύσεως, tùm ἐπισκιάσεως verbo per anthropopathian exprimitur. *Prius* generalius est, operationem Spiritus S. supervenientis notans (ut suprà dictum;) *posterius* specialius, operationis illius modum aliquatenùs exprimens, qui consistit *tùm* in divina protectione, quam umbræ significationem metaphoricam esse, paulò antè dictum est. Deus, ille ignis consumens, consumsisset etiam Mariam, peculiariter eam implendo majestate suâ, nisi singularis obtectio & obumbratio divina intervenisset. Sicut Mosi etiam in peculiari divinæ gloriæ apparitione, manus Dei opertione & quasi ἐπισκιασμῷ opus fuit, ne à divinitatis apparentis majestate absumeretur, Exod. 33: 22. *Tùm* in arcana fœtus illius sanctissimi, in virginali utero Mariæ, formatione, & ab omni peccati labe defensione, & cum persona τοῦ λόγου unitione mirandissima. Hanc emphasin ipsa *umbra* vox innuit, quæ luci contraria, & incomprehensibilis atque occultæ ἐνεργείας Dei index est, notata etiam nubis ἐπισκιασμῷ in tabernaculo fœderis. Exod. cap. 40: 35. Esto igitur hæc *umbra* à temeraria hujus mysterii perscrutatione ἀποτροπή. Meminerimus, nubem esse quasi obductam, quam non debemus temerè perrumpere. Sicut Cherubim obumbrabant arcam fœderis & propitiatorium, 2 Par. 5: 8. ne quis scil. הכפרת seu majestatem Dei super eo habitantem curiosiùs intueri desideraret: Sic virtus Altissimi umbram obduxit τῆς ἐνσαρκώσεως τοῦ λόγου mysterio, ne in modum ejus curiosiùs, ratione nostra stultâ, inquiramus. Et sic cum umbra imperfectæ rerum divinarum revelationis, caput hoc de ἀνθρωποπαθείᾳ claudimus. Deum rogantes animitùs, ut in umbra cœlestis suæ protectionis nos paternè foveat reficiatque, usque dum ad fulgentissimam vitæ æternæ lucem perveniamus, ubi non per umbratile *speculum*, *in ænigmate*, *sed de facie ad faciem* ipsum videbimus & cognoscemus, 1 Corinth. 13: 12.

[a] Luc 1: 35. Virtus Altissimi obumbrabit tibi.

CAP-

# CAPUT IX.

## DE

# METAPHORIS, QUIBUS UT PERSONÆ

## proponuntur, quæ non sunt; quod genus προσωποποιΐαν vocant.

Προσωποποιΐα est, cùm res quæcunque, quæ persona non est, metaphoricè ut persona inducitur proponiturque: seu, cùm proprietates ac membra hominis, attribuuntur aliis rebus, similitudinis & congruentiæ causâ. Damascen. lib. 2. orthod. fidei cap. 61. Ἴδε ἡ γραφὴ προσωποποιεῖν, καὶ ὡς ἐπὶ ἐμψύχων περὶ τῶν ἀψύχων διαλέγεσαι. *Novit scriptura personam sermone facere* (seu prosopopoeia uti) *& tanquam animata essent, de inanimatis disserere*. Apud profanos etiam optimæ statuuntur metaphoræ, quæ rebus inanimis actum quendam hominis ac sensum tribuunt. Fabius lib. 8. *Præcipuè ex iis oritur mira sublimitas, quæ audaci & proximè periculum translatione tolluntur, cùm rebus sensu carentibus, actum quendam & animos damus, qualis est: Pontem indignatus Araxes* (apud Virg. 8. Æneid. in fine;) *& illa Ciceronis: Quid enim tuus ille districtus in acie Pharsalicâ gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui sensus erat armorum tuorum?* Aristoteli hæc metaphora dicitur ἡ κατ' ἐνέργειαν, ὅταν τὰ ἄψυχα ἐνεργοῦντα εἰσάγηται καθάπερ ἔμψυχα: *quæ in actu est, quòd res inanimas aliquid agentes inducat, tanquam animâ ac sensu præditas.* Nos generalius paulò hoc genus tractantes, ordinis causâ distinctas constituemus exemplorum Scripturæ classes.

I. De MEMBRIS humani corporis quibusdam dicitur, quod ipsius hominis est. a Gen. 48:14. שִׂכֵּל *intelligere fecit manus suas*, hoc est, (ut Vatablus annotat) doctè, scitè & peritè imposuit eis manus. Cum hebetes senio essent oculi (Jacobi,) ut aspectu non discerneret, uter (nepotum) natu major esset, consultò tamen manus suas transversas posuit: ideò dicit Moses, *quòd intelligere fecerit manus suas*, quasi manus illæ essent consciæ rerum futurarum; quia non temerè eas projecit, nec palpandi causâ hûc vel illuc transtulit, sed delectu abhibito, sciens ac volens, manum dextram direxit ad Ephraim, qui minor erat natu: sinistram autem primogenito imposuit &c. Quidam verbum שִׂכֵּל *in formam crucis agere*, significare ajunt, propterea quòd manus Israelis in hac benedictoria χειροθεσίᾳ, *cancellatæ* (ut Isidorus loquitur, in comm. Genes.) seu decussatim dispositæ fuerunt, & hoc applicant ad illud Esa. 52:13. ubi de Christo crucifixo, eodem verbo Spiritus sanctus utitur: *Ecce* יַשְׂכִּיל *intelliget seu prosperabitur servus meus &c.* Verùm hæc significatio non ex natura vocis, sed re ipsâ fluit; non essentialis voci est, sed accidentaria. Quòd si collatio instituenda esset, per allegoriam (quæ sensum literalem in integritate sua relinquit) id fieri non injucundè posset præsertim cùm ipsius *Angëli* הַגֹּאֵל *Redemtoris*, in sermone Israelis. v. 16. fiat mentio, per quem sine dubio Christum intelligit. Israel benedicens Ephraimo & Manasse, manibus decussatim impositis, crucis aliqualem formam figuravit. Christus Jesus æternam nobis benedictionem in supercœlestibus promeriturus, manus suas in vero & solido crucis ligno extendi & affigi passus est. Impositio illa ςαυροειδὴς signum erat multiplicationis tribuum Ephraim & Manasse, v. 16. Crucifixio Christi vera, meritum & causa est, multiplicationis credentium in Ecclesia. Joh. 12:32. Eph. 2:16, 17. Intelligentia illa (שִׂכֵּל) manuum Israelis, præposuit Ephraimum Manassi, in multiplicatione seminis ℣. 19, 20. Notare id commodè potest gentilium, ad regnum crucifixi Jesu adscitorum, multitudinem præ Judæis. *Ephraim* à fructificando: *Manasse* ab obliviscendo, nomen habet. Illud gentilium credentium cœtui: hoc populo Israelis pulchrè competit. In illis Euangelium Christi per totum terrarum orbem erat καρποφορούμενον, Col. 1:6. & ipsi erant καρποφορούμενοι καὶ αὐξανόμενοι in honorem Domini, ℣. 10. Hi verò Dei & Redemtoris sui obliti sunt, Hos. 4:6. & sceptro regni gratiæ ejus nefariè se subtraxerunt, &c. Josephus patris manus, in formam crucis redactas, mutare & aliter disponere satage-

a Gen. 48. 14. שכל

tagebat, sed frustrà, ℣s. 18, 19. Christum Petrus, à crucis ignominia sustinenda vocare studebat, sed audit: *Apage à me Satana, offendiculo es mihi, quia non sapis ea, quæ sunt Dei, sed ea, quæ sunt hominum*, Matth. 16:22, 23. Sed hæc obiter, mente tamen χριςοφίλῳ, annotare hic placuit. Conferantur, quæ infra tract. 2. cap. 2. in fine dicuntur. Pergo nunc ad [a] exempla alia, ad hunc prosopopœiæ modum spectantia. Job. 29:11. *Cum auris audiebat, & beatificabat me, & oculus videbat, & perhibebat testimonium mihi.* Auri & oculo tribuitur, quod ipsius hominis est. Job. 28:4. הַנִּשְׁכָּחִים *oblivioni tradita* (aquæ) *à pede*, hoc est, (ut Junius & Tremell. annotant) quas pes ullus, ut Hebræi loquuntur non novit sivè expertus est unquam, quæ pede non possunt transiri præ profunditate. Psal. 35:10. *Omnia ossa mea dicent, Domine, quis sicut tu?* Psal. 51:10. *Exultabunt ossa, quæ contrivisti.* Glorificatio Dei, & exultatio, ossibus tribuitur, quod ipsius hominis est: q. d. medullitùs te celebrabo: medullitus gaudebo. Psal. 103:1. *Omnia interiora, seu viscera, Deum laudare*, eâdem ratione, dicuntur. Psal. 68:32. *Æthiopia* תָּרִיץ *currere faciet manus suas ad Deum*, hoc est, celeriter extendet eas, nimirum ad orandum. Chaldæus: *Filii Æthiopiæ current ad extendendum manus suas in precatione coram Deo.* Vel etiam, extendet manus festinanter, nimirum ad donandum seu præbendum aurum, ut R. Aben Ezra & R. Salomo explicant. Conf. Psal. 72:15. Quidam ipsas *manus* metonymicè pro dono manu dato accipiunt, ut suprà dictum. Psal. 73:9. *Posuerunt* (insani & impii v. 3.) *in cœlos os suum, & lingua eorum ambulat in terra*, id est temerè & pro libidine propria, & Deo obloquuntur, & homines calumniantur: pro libitu & arbitrio de omnibus rebus, cœlestibus & terrenis, pronunciant. Psal. 137:5. *Si oblitus fuero tui Jerusalem*, תִּשְׁכַּח *obliviscatur dextra mea.* Junius & Tremellius subintelligunt, *Sui*; Obliviscatur sui, id est, fiat abalienata atque emortua potiùs, quàm ut canam: metaphora. Flacius aliter, in Clave col. 756. *Obliviscatur dextra mea*, scilicet artis psallendi: Quandoquidem sequitur: *adhæreat lingua mea, palato*, q. d. faxit Deus, ut nunquam amplius vel psallere, vel canere possim, si hoc tantum scelus admisero, ut desinam te Jerusalem, tuamque religionem & ministerium, meis hymnis, meâ Musicâ, & mea voce celebrare, imò ego semper te primo loco, & ante alia omnia mea gaudia & res lætas canam ac celebrabo. Prov. 10:32. *Labia justi* יֵדְעוּן רָצוֹן *sciunt beneplacitum:* Pagnin. *Sciunt, quod placitum est Deo.* Ita prudenter loquuntur, ac si ipsâ scientiâ pol-

[a] Alia exempla

[b] Joel. 1: 6. Gens locustarum.

lerent: id quod Job. 34:35. dicitur, *cum scientia loqui, & verba dare cum intellectu.* Matth. 3:6. *Cum præstas eleemosynam, ne sciat sinistra tua, quod facit dextra tua.* Ita loquitur Christus, ad simplicitatem & occultationem, in erogandis eleemosynis, inculcandam, ut ex v. 4. patet. Theophylactus id ita exprimit, εἰ δυνατόν, σεαυτὸν λάνθανε, *si possibile est, etiam tui ipsius omniumque benefactorum tuorum obliviscaris*, ne scil. crebrâ illorum recordatione insolescas. Hûc referendum, quando *oculis* tribuitur ira: Gen. 31:35. cap. 45:5. Esa. 3:8. Et concupiscentia, 1 Reg 20:6. Ezech. 24:16. 21. 1. Johan. 2:16. (unde phrasis, *abire cor post oculos*, Job. 31:7. hoc est, sequi desideria & cupiditates, quas oculi externis objectis moti excitare conantur in corde. Ezech. 20:7. *abominationes oculorum*, hoc est, quæ desiderii eorum objectum & scopus sunt.) Et adulterium. 2 Pet. 2:14. Et miseratio, quando *oculus* dicitur *parcere alicui*, Deut. 13:8. Esa. 13: 18. &c. Et spes seu exspectatio, Psalm. 119: 82, 123. Psal. 145:15. Confer Grammat. sacr. pag. 296. 297.

II. De ANIMALIBUS brutis verba usurpantur, quæ propriè hominum sunt. Job. 12:7. *Interroga, quæso, jumenta, & docebit te* (unumquodque eorum,) *& volatile cœlorum, & indicabit tibi.* v. s. 8. *Aut loquere terræ, & docebit te: & narrabunt tibi pisces maris. Interrogare & loqui* hic idem est, ac disquirere & contemplari: jumentorum verò, volatilium, terræ, piscium institutio, indicatio, narratio, ipsum reale de sapientia creatoris testimonium ac documentum notat. Quod v. 2. dixit, se quoque rerum peritiam habere, ac sibi etiam cognitum esse, quæ disserunt amici, id hic persequitur; q. d disseruistis pleraque de sapientia & potentia Dei, quòd omnia creat & conservat: quasi vero hæc mihi incognita essent! nam nobis etiam tacentibus, docent me illud creaturæ. Confer v. 9. 10. Sap. 13:3, 4, 5. Rom. 1:20. &c. Job. 41:20. *Ridet* (Leviathan seu balena) *vibrationem hastæ*, hoc est, non curat. Prov. 30:25. *Formica populus non fortis &c.* ℣s. 26. *Cuniculi populus non robustus &c.* [b] Joel. 1:6. *Gens ascendit super terram meam fortis, & absque numero.* Ubi de erucis, locustis & bruchis sermo est, quæ v. 4 memorantur & quæ cap. 2:11, 25. *exercitus Dei magnus*, eâdem metaphorâ, dicuntur. Eâdem ratione instar *castrorum* proponitur locustarum copia Prov. 30:27. Neh. 3:17. Hieronymus in Joel. 2. αὐτόπτης ita scribit: *Hoc nuper in hac provincia* (Palestinæ) *vidimus: cùm enim locustarum agmina venirent, & aerem, qui est inter cœlum & terram, occuparent, tanto ordine ex dispositione jubentis Dei volitant, ut*

*instar*

*instar tessellarum, quæ in pavimentis artificis figuntur manu, suum locum teneant, & ne puncto quidem, ut ita dicam, ungueve transverso declinent ad alteram.* Hæ nimirum peccatorum enormium pœna est sat ingens, quam comminatur loco Dei Moses, Deut. 28: 38, 39. & deprecatur Salomo 1 Reg. 8: 37. & ipse Plinius, homo profanus libr. 11. cap. 29. iram Deorum ex insectorum horum multitudine agnoscit. Quidam cum phrasi Scripturæ allata conferunt Virgilii verba, de apibus, lib. 4. Georg. v. 4. & 5. *Magnanimósque duces, totiúsque ordine gentis Mores & studia & populos & prælia dicam.* Et de formicis, lib. 4. Æneid. *It nigris campis agmen, prædámque per herbas convectant calle angusto, post grandia tradunt Obnixæ frumenta humeris, pars agmina cogunt, Castigántque moras &c.* Ad hanc classem referri potest, cùm *filii* vox de bestiis usurpata, pullum seu fœtum animalis significat Exod. 29: 1. *Juvencus, filius bovis*, hoc est, subrumus, seu nondum depulsus à lacte. Gen. 49: 11. *Filius asinæ*, hoc est, pullus, quæ vox statim antecedit. In Hebræo Jod paragogicum est, בְּנִי pro בֵּן, quod vulgata, uti & Pagninus & Ariæmontanus, ut affixum primæ personæ accipiunt, *Fili mi.* Zach. 9: 9. *Pullus, filius asinarum*, dicitur, hoc est, unius ex asinabus, secundùm idiotismum, de quo in Grammatica sacra p. 95, 96. Matth. 21: 5. dicitur, *pullus, filius subjugalis*, hoc est proles asinæ subjugis. Aliâ ratione arietes *filii Basan* dicuntur Deut. 32: 14. pro *pinguibus*, eò quòd in Basan nutriti. Pertinere etiam hùc potest, cum *manus* tribuitur *cani*, Psal. 22: 21. *leoni & urso*, 1 Sam. 17: 37. in genere cuivis *bestiæ*, Gen. 9: 5. quibus locis potestas & robur intelligitur; in posteriori abundare videtur, vide Gramm. sacr. p. 148. Prov. 30: 28. *Aranea manibus prehendit*, h. est. pedibus, qui utrinque ita constituti sunt, ut patula hominum manus, ad tractanda fila, & escam retibus suis deprehendendam. Junius.

III. DE TERRÆ NASCENTIBUS usurpatur, quæ hominis propriè sunt, Lev. 19, 23. *Et cùm ingressi fueritis ad terram, & plantaveritis omnem arborem cibi,* וַעֲרַלְתֶּם עָרְלָתוֹ *& præputiabitis præputium ejus, fructum ejus, tribus annis erunt vobis præputiata, non comedetur.* Sensus est, fructus trium primorum annorum immundus habebitur, & abjicietur, sicut homo præputium habens, coram Deo immundus, & populo Dei extorris habebatur. Anno quarto Deo offerendus erat fructus ille, in signum gratiarum actionis, ut v. 24. sequitur, anno verò quinto usui communi hominum cedebat, ut v. 25. est. Job. 14: 7, 8, 9. *Spes, senectus, mors, odoratus aquarum, trunco arboris rescissæ, & repullulanti* tribuitur: & collatio cum homine, semel vita hac defuncto, instituitur: cui revertendi ac reviviscendi nulla spes est: nimirum in hanc vitam, qui scopus Jobi est, ut ex cap. 7: 7, 9, 10. patet itémque cap. 13: 15, 16. cap. 19: 25, 26, 27. ubi resurrectionem ex mortuis ad vitam cœlestem satis aperte declarat. Psal. 78: 47. terræ nascentibus *occisio & mors* tribuitur: יַהֲרֹג *occidit* (Deus) *grandine vites eorum, & sycomoros eorum, lapide glaciato.* Contrarium huic est, quòd ζωοποίησις, *vivificatio*, semini in terram projecto tribuitur, 1 Cor. 15: 36. quâ progerminatio ejus intelligitur, ut ex sequentibus verbis patet. Ezech. 31: 9. *Invidia seu æmulatio*, v. 18. *cordis elevatio*, v. 14. *bibitio aquarum*, v. 15. *deliquium animi*, v. 16. *consolatio*, tribuitur *arboribus*, in prosopopœia quadam, & institutâ Regis Assyriæ cum arbore procerâ comparatione. Hos. 9: 6. *Desiderium argenti eorum urtica hereditario jure possidebit.* Denotatur longa & diuturna vastitas, cujus signum est herbarum inutilium ac fruticum (sequitur enim: *Spina erit in tabernaculis eorum*) accrementum & abundantia, *hæreditariæ possessionis* verbo hìc expressa &c. Joel. 1: 10. *Vastatus est ager, luxit humus, quia devastatum est triticum,* הוֹבִישׁ *erubuit mustum:* q. d. puduit ipsum mustum, cùm non respondeat hominum exspectationi, Der Wein stehet schändlich (quidam tamen à יָבֵשׁ deducunt, ut sit *exaruit mustum*, quod propriè de eo dicitur) sequitur, אֻמְלַל *elanguit seu infirmatum est oleum:* languor & morbus ei tribuitur, qui hominis propriè est, Psal. 6: 3. metaphoricè autem terræ nascentibus tribui, pro exscindi & devastari, uti & Esa. 16: 8. &c. Hab. 3: 17. *Opus oleæ* (fructus oleæ) *mentiri* dicitur, cùm votis hominum non respondet, sed spem exspectantium fructus multos, fallit. Quod verbum etiam *musto* tribuitur, Hos. 9: 2. Et sic apud Horatium, *fundus mendax* dicitur, qui exspectationi agricolæ fertilitate non satisfacit. Item, *Spem mentita seges.* Apud Virgil. *Victum seges ægra negabat &c.* Hùc referunt [a] Psal. 58: 10. *Antequam* יָבִינוּ *intelligant spinæ vestræ rhamnum, sic* חַי *viventem, sic ira turbine rapiet eum. Intelligere spinæ rhamnum* dicuntur, hoc est, in rhamnum spinosam & aculeatam excrescere: *vivere* dicuntur, hoc est, teneræ esse, & in vigore suo constitui. Sensus est: Sicut spinæ solent demeti & abscindi, priusquam excreverint in rhamnum; ita impii demetuntur, & eradicantur â DEO, antequam absolverint

[a] De loco Ps. 58: 10

suum institutum, & intulerint piis extremam perniciem. Exempla sunt in Sanherib Rege Assyriorum, Antiocho Epiphane, & aliis &c. Confer versionem & annotationem Lutheri. R. Salomo: *Antequam noverint spinæ teneræ, quæ vobis sunt, se rhamnos solidos, q. d. antequam excrescant filii improborum &c.* Alii vocem סִירוֹת *ollas* interpretantur (uti fœminina forma aliàs in plurali usurpatur, Exod. 38: 3. 2 Paral. 4: 11, 16. Jerem. 52: 18. Zach. 14: 20. &c. *Spinas* enim alibi significet, in masculino est, סִירִים, Eccl. 7: 6. Esa. 34: 13. Hos. 2: 8. Nah. 1: 10.) ut sit sensus: Priusquam intelligant ollæ vestræ rhamnum, hoc est, priusquam sentiant ollæ ignem rhamni subjecti, & incalescant, quia ignis ille non durat, nec caro in ollis coquitur, sed manet cruda: ita illi subitò peribunt. Schindlerus. Vel, ut Varablus: Quàm subitò exstinguitur ignis spinarum, antequam lebetes senserint ignem rhamni, unde caro manet cruda (quod חַי dicitur) tàm citò iratus Dominus perdet eos. Omnium, ut videtur, simplicissimè Junius & Tremellius *τὸ intelligere* ad homines referunt, & apostrophen ad hostes populi DEI, de quibus hactenus Psaltes egerat, in his verbis statuunt: *Cùm nondum sentient* (homines) *spinas vestras* (spinas) *cynosbati: quò vividior erit, eò magis æstuante ira procellet eum:* q. d. statim à principio, antequam potueritis nocere graviter (quod per spinas cynosbati, summè aculeatas & noxias, intelligitur) quò vividior, hoc est, quò acrior & paratior erit ad malefaciendum improbus, DEUS perdet eum &c.

a Gen. 4: 16. Vox sanguinum &c.

IV. De INANIMATIS usurpantur, quæ vivi hominis (vel in genere etiam, animatorum) propria sunt. Et quidem, (1.) De demortuis hominibus. a Gen. 4: 10. *Et dixit* (DEUS ad Cainum) *quid fecisti? vox sanguinum fratris tui, clamantium ad me è terra.* Sanguini occisi Abelis *vox & clamor* tribuitur, emphasi ponderosissimâ. Quoad phrasin, voce & clamore illo ad DEUM directo, duo hæc in DEO manifestè indicantur: Primum, quòd justus judex est, & scelerum vindex: Non potest igitur non violenta Abelis occisio ad ipsum, vindictæ causâ, perferri: & vindicta clamore quasi quodam exposci, secundùm illud Zachariæ occisi injustè, 2. Paral. 24, 22. *Videat Dominus & requirat!* Alterum, quòd credentium suorum benevolus pater & defensor est, tàm in vita, quàm in morte. Ad hunc igitur non vivus solùm Abel, sed mortuus etiam, omnia sua defert, & clamantis quasi voce ipsius opem expetit, secundùm illud Pauli Rom. 14: 8. *Sive vivamus, sive moriamur, Domini sumus.* In plurali numero *sanguinum*, quidam etiam emphasin hîc statuunt, quod scilicet innuatur, multos in Abele interfectos esse, omnes scilicet, qui ab ipso nasci poterant, & qui quasi tacitè à Deo vindictam exquirant, unde Chaldæus ita transfert: *Vox sanguinis seminum, quæ futura erant, ut egrederentur ex fratre tuo, clamant coram me de terra.* Sed hoc longiùs petitum videtur. Plurali דָּמִים *sanguinum* nomine cædes notari solet, quâ fit ut sanguis è venis hinc inde erumpens in varias partes dissiliat. Psal. 5: 7. Psal. 51: 16. Hos. 4: 2. &c. Hîc verò ipse sanguis, cæde violentâ effusus, synecdochicè intelligitur: & Matth. 23: 35. singularis, *αἷμα, sanguis Abelis*, usurpatur. Quoad sensum & connexionem; quoniam non solùm non confitebatur Cain peccatum, sed & impudenter à se curam & custodiam fratris rejiciebat, apertiùs agit Deus, dicens: *Vox sanguinis fratris tui ad me de terra clamat*; hoc est, frater tuus occisus est. Non frustrà de illo quæro, ubi sit? Sanguis illius ultionem à me poscit. Meâ interest, ut in cædem illius inquiram. Quare dic palam, quid fecisti? hoc est, quid præsumsisti, quid ausus es in fratrem? Dicis, te non esse illius custodem: quasi quæstio sit, num custodieris fratrem? Dic potiùs, quid in illum designaveris, quandoquidem occisus est, quæ Musculi in hoc loco paraphrasis est. Cæterùm ad hunc locum respicitur Hebr. 12: 24. ubi cum sanguine clamante Abelis mortui sanguis vivificus Christi, mediatoris & intercessoris nostri, pulcherrime confertur. Vide Grammaticam sacr. pag. 276. Veniamus ad exempla alia. Esa. 14: 9, 10. ad illudendum immanissimum Regis Babylonii fastum, excitati ex inferno seu sepulcro mortui finguntur, Babylonium collapsum alloquentes, eique fastum immanem, simul & interitum turpem exprobrantes. Jer. 31: 15. Rahel mater Josephi & Benjamini, diu mortua, ut amarè plorans, ob populum in captivitatem abductum, inducitur. Quæ prophetia, ad infanticidii Herodis atrocitatem exprimendam, allegatur Matth. 2: 18. ob convenientiam tùm facti tyrannici, tùm ipsius loci. Rahelis sepulcrum erat propè Bethlehem, in quo loco & confinibus crudelissima illa βρεφοκτονία peracta fuit &c. Vide etiam Ezech. 32: 21. &c. (2.) De aliis rebus, animâ & vitâ cassis. Gen. 4: 11. *Maledictus tu sis à terra, quæ aperuit os suum, ut susciperet sanguines fratris tui de manu.* Exaggeratur hac prosopopœiâ scelus Caini, q. d. ipsa terra, quantumvis sensu ac ratione destituta, tamen humaniorem se exhibuit erga fratrem tuum, quàm tu, quia sanguinem, quem tu effudisti, illa recepit & recondidit, ne aspectui hominum pateret cum

hon-

horrore. Alii hoc locutionis genere gravitatem sceleris in conscientia Caini exprimi dicunt, quæ tanta sit, ut ipsam creaturam, reddat inimicam & infensam: q. d. ipsa terra, quæ ore quasi aperto sanguinem fratris tui de manu tua suscepit, habebit te pro exsecrabili. Quod cum sequentibus pulchrè convenit. Gen. 42: 9, 12. עֶרְוַת *nuditas terræ videri* dicitur seu *explorari*, hoc est, loca non tecta munitionibus, aut firmata præsidiis, quâ hostilis irruptio fieri facile possit. Chald. בִּדְקָא *fissuram seu rupturam terræ*. Lutherus: Zu sehen/ wo das Land offen ist. Gen. 47: 19. *mors terræ* tribuitur, quæ ejus desolatio est, ut ibidem sequitur. Exod. 19: 18. de monte *Sinai* dicitur, quod, apparente in eo Jehova, *contremuerit seu expaverit*, hoc est, fuerit commotus, ac si hominis instar præ metu cohorresceret. Lev. 18: 25, 28. terræ tribuitur *evomitio habitatorum suorum*, qua expulsio eorundem de terra sua, ex ira Dei ob sceleratam vitam facta, intelligitur. Deut: 32: 42. השכיר *inebriare sagittas suas sanguine* Deus dicitur, h. e. sanguinem per hostes, terræ immissos, affatim effundere, ex justa ira & nemesi. ( Aliqui conferunt Esa: 34: 4. *Inebriatus est in cœlis gladius meus; ecce super Edom descendet &c.* Jer 46: 10. *Gladius inebriabitur de sanguine eorum.* Usurpatur vero in his רָוָה quod in genere *humectari*, *irrigari*, *madefieri* significat, & redundantiam importat. Est igitur metaphora, ab aquis ad gladium, translata. ) Jos. 24: 27. *Ecce lapis iste erit nobis in testimonium, quia ipse audivit omnia eloquia Domini &c.* Audire lapis erectus, per prosopopœian dicitur, quia instar testis quasi interfuit, & in signum memoriale & testimoniale fœderis divini, cum populo initi, à Josua statuebatur. [a] Jud. 5: 20. *De cœlis pugnaverunt stellæ, de gradibus suis pugnaverunt cum Sisera.* Stellæ pugnâsse dicuntur, quia grandinum, & procellarum, quibus contra hostes Deum fuisse usum verisimile est, excitandarum instrumenta fuerunt. Brentius in h. l. postquam Josephi sententiam adduxisset ( *quod congredientibus Chananæis cum Israelitis, maximus imber ortus sit, & multa aqua unà cum grandine, in faciem Chananæorum vi venti ita adacta sit, ut arcus & fundibula eorum inutiles fierent, & armati præ frigore gladiis uti non valerent; quæ tamen tempestas Israelitis planè nullum incommodum attulerit;* ) ita explicat hæc verba: *Nos simpliciter intelligimus, de cœlo adversus Siseram pugnatum esse, quia dominus, in cœlo habitans, perterruit Siseram & omnes currus ejus &c.* cap. 4: 15. *Et quod stellæ etiam dicuntur pugnâsse adversus Siseram, faciem proverbialem habet, significans nullam prosperam fortunam à parte Siseræ stetisse. Nam quoties etiam nobis nulla fortuna arridet, dicere solemus; nulla stella mihi lucet, aut, stellæ etiam mihi resistunt: quo significamus, omnes creaturas, tam terrestres, quàm cœlestes, nobis exitium minari.* Junius & Tremellius vertunt: *Sidera ipsa* מִמְּסִלּוֹתָם *è suis aggeribus pugnaverunt contra Siseram.* Et annotant: *E suis aggeribus*, hoc est, superioribus regionibus aeris: translata locutio a militibus, editiore loco pugnantibus. 2 Reg. 3: 19. *Et omnem agrum bonum* תַּכְאִבוּ *dolore afficietis lapidibus*, hoc est, operietis, ut Pagninus vertit, vel corrumpetis. Chaldæus, תְּטַמְּמוּן *obturabitis.* LXX. ἀχρειώσετε, *inutilem reddetis.* Job. 3: 9. cap. 41: 9. *palpebræ auroræ* memorantur, quibus radii diluculi intelliguntur, seu primus splendor radiorum, ab exorituro Sole assurgentium: metaphorâ ab eo deductâ, qui expergiscitur, & palpebras attollit: vel, ut alii, a celeri motu & vibratione palpebrarum, quia radii diluculi jugiter moventur, donec ad extrema orbis diffundantur, Job. 31: 38. *Si adversum me humus mea clamaverit, & pariter sulci ejus fleverint &c.* Exponit vir sanctus, se parato animo judicia maledictionesque subiturum, si quisquam de injuria ipsius justè conqueri possit: quod eleganti prosopoœia exprimit. Sequitur explicatio ℣s. 39. *Si vim* ( fructum ) *ejus comederim absque pecunia, & animam dominorum ejus dolore affecerim.* Flacius, *humum & sulcos ejus*, metonymicè pro agricolis accipi, ait. Sed prior explicatio simplicior est. Job. 38: 7. *stellis matutinis*, hoc est, lucentibus, *cantatio & laus* divina tribuitur, dum de creatione earum disseritur. Et corporibus his cœlestibus, spirituum cœlestium jubilatio subjungitur, (Confer Psal. 148, 3.) Job. 38: 28, 29. *pluviæ, rori, glaciei, pruinæ, nativitas* adscribitur, pro earundem productione à Deo facta, ubi simul ἀνθρωποπάθεια est. [b] Psal. 19: 2. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opus manuum ejus annunciat firmamentum* ( h. e. de gloriosa potentia Dei realε testimonium & documentum exhibent, ostentant, & omnium quasi oculis ingerunt. ) v. 3. *Dies ad diem eructat seu loquitur sermonem, & nox ad noctem indicat scientiam;* ( Dies ad diem, nox ad noctem, q. d. Ein Tag nach dem andern/ eine Nacht nach der andern/ non diei & nocti, sed nobis hominibus fit illa eructatio & indicatio. Sensus est: Successione illâ & vicissitudine dierum & noctium, tàm certâ, tàm constanti, tàm commodissima hominibus aliisque creaturis, manifestissimè opificis Dei gloria celebratur. Conferatur Psal. 104: 20, 21, 22, 23, 24. Quidam metonymicè *diem & noctem* pro iis rebus accipiunt, quæ die & no-

[a] Jud. 5: 20. Stellæ pugnantes &c.

[b] Ps. 19: 2. Cœli enarrant &c.

ĉte contingunt, ut sensus sit, singulis diebus & singulis noctibus afferri novum aliquid, ex quo benè observantibus gloria Dei illustretur.) v. 4. *Non est sermo, & non sunt verba, ubi non audiatur vox eorum*, (nulli sunt populi, quamtumvis linguis differentes, quos non erudiat de Dei gloria & potentia, cœlorum iste sermo & reale præconium; conf. Rom. 1: 19, 20.) v. 5. *In omnem terram egreditur linea eorum, & in extremum orbis eloquia eorum.* (In extremis quibusque terræ partibus conspicitur illa fabrica corporum cœlestium, quasi ad lineam & amussim facta, quæ est vice eloquiorum &c. Rom. 10: 18. pro, *linea eorum*, legitur, *sonus eorum*. De quo vide Philolol. sacr. lib. 1 pag. 55.) v. 6. Soli exorienti, *egressus hominis, & gaudium*, ad cursum optatum instituendum, eâdem metaphorâ, tribuitur, ad indesinentem, & celerrimum ejus cursum denotandum. [a] Psal. 65: 13. *Exultatione colles accinguntur.* v. 14. *Induunt se pascua pecudibus, & valles operiunt se tritico, unde clamant, etiam canunt.* Ornatus terræ, quem benedictione Dei ubivis obtinet, hac metaphorâ exprimitur; quæ eadem *coronationis* voce v. 12. venit. B. Mathesius in præfat. *Sareptæ* suæ, non inconvenienter *cincturæ* metaphoram. v. 13. de venarum metallicarum vario ac sinuoso, in gremio terræ, ambitu explicat: cujus verba quædam, ad metallicorum loquendi modum conformata, adscribere placet: Endlich rühmet König David den Segen / so GOtt über Berg und Thal spricht: Die Wohnung in der Wüsten sind auch fett / daß sie trieffen / und die Hügel sind umbher lüstig. (Hebr. *Stillant pascua deserti, & exultatione colles cinguntur*) das ist: Du Allmächtiger und reicher GOtt / du segnest und veredlest auch die Wüsteneyen / und läst Gold und Silber aus deiner wunderbahren und milden Hand drein trieffen und tröfflen / und umbgürtest die hohen Tauren und Gebürge mit fündigen Gangen / die mit Gold und Silber geschmückt und gezieret seyn / wie die alten Ehr- und Kriegsgürtel / so grosse Herren und wolverdiente Kriegsleute etwan zu tragen pflegten. Denn Bergwerk kommen gemeiniglich in den Wüsteneyen und wilden Wäldern auff &c. In dieselbe Wildnüssen lässet GOtt seine Fettigkeit und Segen trieffen / singet David / wann er sich das Klüfftlein lässet auffthun / und den Gang mächtig werden / oder ein Bauch werffen / da tröffelt Gold und Silber in die Gänge / wie wir Bergleute diese Weise zu reden heutiges Tages behalten / da wir die schönen Stüfflein gediegen Ertz / Glaß Ertztropffen heissen / die wunderbarlicher Weise mitten im dem gelligen Stein / in den Gängen auffeinander getroffen seyn / wie das Wachs von dem angezündeten Licht übereinander träuffet und gestehet. Solche gute und derbe Knöpfflein und Tröpflein sind lüstig und lieblich anzuschauen / und machen Bergherren / deren Grund und Boden seyn / und die Gewercken / Vorsteher und Arbeiter / lüstig und guter Dinge / wie Davids Wort hie auch sein mitbringet. So schmücket oder umbgürtet unser GOtt die hohen und flachen Gebirge / die ihr sanffte Dohnleg haben / mit schönen und fündigen Gängen. Denn eben von dem Wort / das David hie braucht / nennet die Heil. Schrifft auch die Ehrgürteln / so die Feldherren und Obersten / redlichen und wohlverdienten Kriegsleuten / pflegen an Halß und über die Schuldern zu hengen / 2 Sam. 18: v. 11. &c. Ein streichender Gang ist doch lang und schmal / wie ein Gurtel / so streicht oder schlept er sich durch ein Gebirge / oder an einem Geheng / übern Berg hinweg / oder henget an einem hohen Berge / wie ein gespengelte oder beschlagene Gürtel an einem Helden / und so der Gang fündig ist / da sihet man die silberne Spangen / Knopff / Zeinen / Kuchen / Sträußlein drinn und dran / so weis und artig / als hätte sie ein Goldschmied ausgesotten. Freylich sind das GOttes Balthei und Ehrengürtel / damit der reiche GOtt / ein großen und hohen Riesen oder Tauren zieret / und ein gantz Land und Königreich umbgürtet / schmücket und erhebet &c. Psal. 77: 17. *Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, timuerunt, etiam commotæ sunt abyssi.* Loquitur de miraculo divisi maris rubri, & per medium illius traducti populi Israelis, quod Exod. 14. describitur. Per prosopopœiam autem aquis sensum *videndi*, & pathos *timendi* tribuit. *Videre* autem experiri hic est: ut, *viderunt te aquæ, Deus*, sit idem, ac, experti sunt te, & senserunt potentiam tuam videlicet, cum vento valido & urente scissæ sunt, & fundum maris nudum constituerunt, ut via transeunti populo pateret. *Timuisse* dicuntur, cùm ad Dei nutum, trepidantium instar,

[a] Ps. 65: 13. Ornatus & baltheus, terræ.

de loco suo fugerunt, & præter suam naturam, omnipotentiâ Dei tremendâ, instar muri steterunt. Perinde ut de eodem miraculo Psal. 114:3. dicitur: *Mare vidit & fugit &c.* ℣s. 5. *quid tibi mare, quod fugeres &c.* Psal. 98:8. *Flumina plaudant manu, pariter montes cantent &c.* Ad excitandos homines ad advenientis Domini desiderium, inanimatis creaturis talia per prosopopœiam tribuuntur, uti & Psal. 96:11, 12. &c. Psal. 103:16. de *loco* dicitur, *quòd non cognoscat ampliùs hominem*, pro eo, quòd non exsistat homo amplius in loco suo, imò, quòd & memoria ejus eo loci intereat, in quo aliquando vixit. Tàm nihil scil. vita hæc terrena est, de qua ibidem Psaltes loquitur. Confer Job. 7:10. cap. 8:18. &c. Psalm. 104:19. *Sol novit occasum suum*, hoc est, certum occidendi tempus constantissimè tenet. Cant. 1:6. *Quia aspexit me Sol*, hoc est, radiis & æstu suo me obfuscavit. Esa. 3:26. *Et plangent, & lugebunt portæ ejus*, scil. Zionis seu Hierosolymorum urbis. Miseria populi & maxima clades hac prosopopœiâ innuitur: uti & de ipsa Zione subjungitur, *quòd expurgata* (incolis & bonis exhausta, ædificiis diruta) *sessura sit in terra*, lugens quasi calamitatem suam; metaphorâ ab usu lugentium desumta, quia solebant in terra sedere & recumbere, Job. 1:20. cap. 2:13. &c. Esai. cap. 5:14. *Idcircò dilatavit infernus* (alii, sepulcrum) *animam suam, & aperuit os suum in immensum &c.* Insatiabilem inferni (vel sepulcri) conditionem, per prosopopœiam, comparat cum ingluvie & luxu Judæorum insatiabili, & horundem simul pœnam à divina ira infligendam prædicit. Hieronym. in comment. h. l. *Infernus animam habere dicitur, non quod animal sit, juxta errorem quorundam, sed quòd verbis humanæ consuetudinis, rerum insensibilium exprimamus affectum: quòd insatiabilis sit, & nunquam mortuorum multitudine compleatur.* Esai. 24:4. *Luxit, defluxit terra,* אֻמְלְלָה *infirmata est.* De terra desolata & devastata, ut de homine ægroto & lugente loquitur, uti & cap. 33:9. Jerem. 4.28. cap. 12:4. Thren. 2:8. Hos. 4:3. Joel. 1:10 Amos 1:2. &c. Esai. 24:23. *Et erubescet luna, & pudore afficietur sol, cùm regnabit Jehova &c.* Gratiæ divinæ lucem in Ecclesia hæc prosopopœia innuit; q.d. nulla planè gloria lunæ solisve erit, si cum gloria regnantis in Ecclesia Dei compararetur. Esa. 55:12. *Montes & colles personabunt coram vobis præconium, & omnia ligna agri plaudent manu.* Elegantissimâ hac prosopopœiâ itidem lætitia spiritualis in regno Christi figuratur, perinde ut & cap. 49:13. excitantur voce prophetica *coeles ad laudem cantandum Domino.* Jerem. 51:48. *Et cantabunt de Babylonia cœli & terra, & quæcunque sunt in eis.* Quâ prosopopœiâ hyperbolica, lætitiæ immensitas ob destructum regnum Babyloniæ, & liberatum Israeliticum populum, innuitur. Thren. 1:4. *Viæ Zionis lugent, quòd nulli veniant ad solennitatem.* Elegantissima prosopopœiâ, quá cultum Dei desertum esse, innuitur. [a]Hos. 2:21. *Et erit in die illa, exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cœlos; & ipsi exaudient terram.* ℣s. 22. *Et terra exaudiet triticum, & mustum, & oleum: & hæc exaudient jizreel.* Præter gratiosam Dei benedictionem, causarum primæ & secundarum connexio, hac prosopopœia pulchrè innuitur. *Iizreel*, hoc est, piorum cœtus (qui, secundùm hoc nomen, *Dei semen* est) quasi inclamat, hoc est, exspectat triticum, mustum, oleum: Et hæc quasi inclamant terram, ut succum & vigorem ab ea accipiant ad suam productionem & accretionem. Et terra quasi invocat cœlum, calorem, pluviam, imbres, rorem, nivem, ventos, & cœlestes influentias expetens: Et coelum quasi invocat Deum, causam omnium summam, sine quo nihil secundarum causarum quicquam efficere vel producere potest, & quo volente & puhiente, *cœli fiunt, quasi anei, & terra instar ferri*, Deut. cap. 28:23. nec quicqnam fructiferæ pluviæ demittitur, Jer. 14:22. Rursus, *exaudit DEUS*, hominibus propitius factus, *cœlum*, vim ei conferens, ut nubes facere ex collectis vaporibus, & variâ ratione salutariter influere in terram possit: *Et cœlum exaudit terram*, dando pluviam, & alia ad fructificationem necessaria: *Et terra exaudit triticum, mustum, oleum*, atque alia terræ nascentia, dum à cœlo madefacta succum & vigorem iis dat: *Et hæc exaudiunt Iizreelem*, hoc est, votis piorum respondent: atque sic benedictio divina reipsâ peragitur &c. Jonæ 1:4. *Et fuit turbo magnus in mari, & navis* חִשְּׁבָה *cogitabat ad frangendum*, hoc est, minabatur fracturam, seu parùm aberat, quin frangeretur. Sic Germani etiam loquuntur: Das Schiff wil untergehen/ ac si navis haberet voluntatem. Quidam per metonymiam continentis explicant: Qui nave eâ vehebantur, putabant, se mox naufragium facturos. [b]Joh. 3:8. *Spiritus, ubi vult spirat, & vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, & quo vadat &c.* *Voluntas & ambulatio* aeri atque vento tribuitur, ad varias, miras, & hominibus incognitas ejusdem vicissitudines significandas. Pulchrè Erasmus in h. l. paraphr. *Hic aër, quo vegetamur, & cujus tantam vim & utilitatem sentimus, quoniam ad nostra*

[a] Hos. 2:21. Physica Christiana.

[b] Joh. 3:8. Ventus, ubi vult, spirat &c.

*nostra corpora collatus, subtilior est, spiritus dicitur Atque hic spiritus non cohibetur hominum arbitrio, sed impetu suo fertur, quo visum est, per omnia sese diffundens, mirificam vim inferens rebus corporalibus: nonnunquam vitam afferens, nonnunquam mortem, nunc tranquillus ac tacitus, nunc rursus violentior: interim ab Oriente spirans, interim ab Occidente, interim ab aliis atque aliis mundi partibus: & effectu se prodit: ac vocem illius audis, cùm nullum corpus videas, nec sit, quod manibus possis apprehendere: sentis præsentem, nec vides venientem, nec vides, quo se proripiat abiens. Tale quiddam habet hæc spiritualis nativitas. Arcanis afflatibus mentes hominum à Dei Spiritu rapiuntur ac transformantur. Vis & effectus ineffabilis sentitur, nec tamen oculis cernitur id, quod agitur. Et qui sic renati sunt, non jam aguntur humano carnalique spiritu, sed spritu Dei, qui vivificat ac moderatur omnia.* Rom. 8:19, 20, 21, 22. dum de futura credentium in cœlis gloria Apostolus agit, præeminentiam ejus per insignem creaturæ universæ irrationalis προσωποποιΐαν illustrat: in qua ἀποκαραδοκίαν *sollicitam exspectationem* (proprietatem vocis si spectemus, ea notatur exspectatio, quâ exserto capite quis hinc inde circumspicit desiderans) ἑκούσιον seu *involuntarium, vanitatis sensum, liberationis spem, in subjectione molestiam, gemitus, parturitionem ac dolorem*, creaturæ

a Verba quædam. ratione destitutæ, & homini contradistinctæ, tribuit. Chrysost. προσωποποιεῖ τὸν κόσμον, ὥστε ἐμφατικώτερον γενέσθαι τὸν λόγον. Denotantur autem his, certum Dei propositum, de mutando statu hujus mundi aspectabilis, in qua mutatione futura est filiorum Dei glorificatio, quam tacito sensu creatura omnis, vanitati & abusui Satanæ, mundi principis, & impiorum subjecta, desiderat expetitque. Dicta sunt quædam plura de hoc loco, in Exeg. textuum Euangel. & Epistol. part. 3. pag. 998. Ex professo autem & exactissime eum expen-

b Filius. dit Dn. D. Gerhardus tomo ult. locor. de consummat. seculi §. 52. seqq.

Ad hanc classem pertinent insuper, hæc tùm NOMINA, tùm VERBA. (1.) Ex nominibus *Filii* vox inanimatis tribuitur, ut *sagittis*, quæ dicuntur *filii pharetræ* Thren. 3. ℣. 13. quia in ea, velut filii in gravida matre, latent: quamodo & Horatius lib. 1. Od. 22. *gravidam sagittis pharetram* dixit: Et contrà ipsi filii *sagittis in pharetra* Psal. 127:4, 5. conferuntur. Sic *scintillæ* dicuntur בְּנֵי רֶשֶׁף *filii prunarum* Job. 5, 7. hoc est, ex prunis velut

b Lingua. matre, ortæ & scintillantes. Plura exempla videantur in Grammat. sacra p. 131, 136. seqq b *Lingua* tribuitur *igni & flammæ*, Esa. 5:24. ob similitudinem quandam tùm figuræ, est enim extrema ignis flamma, ad instar linguæ projecta; tùm actionis, quia ut homo vel animal linguâ cibum apprehendit ac lambit; sic ignis projectâ flammâ combustionis materiam, unde & *comedere* ignis dicitur, ut posteà dicetur. Actor. 2, 3. *Et visæ sunt illis dissectæ linguæ, velut ignis, seditque* (Spiritus sanctus, hac exteriori apparitionis formâ) *super singulos eorum*. Fuerunt flammulæ quædam, quales sunt ignis, quæ, ut probabile est, tùm ex ore labiisque eruperunt, tùm in capitum verticibus insidere quasi visæ sunt &c. *Lingua* etiam *mari* tribuitur: Jos. 15:2, 5. ubi Chaldæus כֵּיף *petram* vertit, ac si scopulus, promontorium oblongum, seu mons in mare excurrens, intelligeretur: alii verò sinum maris, in terram excurrentem, seu angustiorem maris partem, quæ in continentem linguæ specie excurrit, intelligunt. Esai. 11:15. *Lingua maris Ægypti*, est sinus ejus: vel fluvius quidam &c. Vocatur & clinodium oblongum, *lingua aurea*, Jos. 7:21. *Manus* tribuitur *gladio*, Job. 5:20. *flammæ ignis*, Esai. 47:14. *inferno*, Hos. 13:14. quo potestas eorum intelligitur. *Matris* vox *viæ* tribuitur, ut *mater viæ* sit bivium, Ezech. 21:21, (al. 26.) q. d. principium, ex quo duæ distinctæ viæ nascuntur. Idem bivium, seu duarum viarum origo, statim etiam *caput duarum viarum* ibidem appellatur. 2.) Ex c verbis. *Abire*, אזל, de pane dicitur, 1 Sam. 9:7. *Panis abiit de vasis nostris*, hoc est, defecit, comsumtus est. Confer. Apoc. 18:14. *Clamare* dicitur *civitas*, Esa. 14:31. *Lapis*, Heb. 2:11. *Merces operariorum intercepta*, Jac. 5:4. quo gravitas vel peccati, vel pœnæ innuitur. Luc: 19:40. inquit Christus de discipulis suis ad Pharisæos: *Si isti tacuerint, lapides clamabunt*: quâ phrasi decreti divini immutabilitas innuit. Tempus aderat, ut Messias revelaretur, & laudes ejus præconio publico decantarentur: Tantum igitur aberat, ut ad silentium adigi præcones laudum Messiæ vel deberent, vel possent, ut potiùs, si, per impossibile, tacituri ii essent, in voces claras vel ipsi lapides essent erupturi, &c. *Comedere* tribuitur *igni consumenti*, Lev. 10:2. Job. 1:16. Nah. 3:15. Et *gladio* interimenti, 2 Sam. 2:26. Esa. 1:20. Jer. 2:30. Et *terra* seu regioni. Num. 13:33. *Terra per quam transivimus ad explorandum eam, est terra* אֹכֶלֶת *comedens seu consumens habitatores suos*. Quidam de soli conditione id explicant. Junius & Tremellius: *Est durissima, ita ut in ea colenda hominum vires consumantur*. Alii de aëris & loci intemperie. Munsterus: *Terra devorat habitatores suos, q. d, quocunque venimus, vidimus sepe-*

sepeliri mortuos. Brentius: *Etsi fertilis terra est, tamen est insalubris. Vidimus ibi homines grandes quidem, non autem senes &c. Medicatio, curatio, vivificatio*, tribuitur *ædificio*, 1 Paral. 11: 8. 2 Paral. 24: 13. Neh. 4: 7. & materiæ ejus, *lapidibus*, Neh. 4: 2. quo restauratio & ædificatio nova intelligitur. 1 Reg. 18: 30. *Elias altari Domini medicari* dicitur, h. e. illud restaurare & redintegrare, utpote semidirutum. Conf. Gramm. sacr. p. 696. *Sanare terram Deus* dicitur, cùm benedictionem suam ipsi: post inflictam pœnam, iterum impertit, 2 Paral. 7: 14. Psal. 60: 4. *Aquæ sanari* dicuntur, cùm salubres redduntur, 2 Reg. 2: ℣ſ. 21. 22. Ezech. 47: 8. *Tempus vivere* dicitur, Gen. 18: 10, 14. hoc est, vigere, de quo vide Grammat. sacr. p. 651. *Transire* tribuitur *argento*. Gen. 23: 16. *Argenti transeuntis ad mercatorem* hoc est, ut Chald. vertit, *quod accipitur in negociatione in omnibus provinciis*. Luth. Das im Kauff gänge und gebe war. Cant. 5: 5. *myrrha transiens* dicitur, hoc est, liquida, inter digitos profluens, Alii *probatam* exponunt. Jer. 23: 9. *vinum transire virum* dicitur, hoc est, vincere & inebriare. Sicut Jer. 5: 28. *transire verba mali* dicuntur, hoc est superare, rerum potiri &c.

V. De REGNIS, PROVINCIIS AC CIVITATIBUS (quæ hominum consociatorum quasi corpus sunt) ut de singulis hominibus, quandoque sermo est. Distinctè in hac classe progrediendum. (1.) De toto populo ut de *homine* in genere, scriptura loquitur. Esa. 1: 5, 6. evidens exemplum est, ubi castigationes Judaici populi ita enunciantur, ut ipse populus gravissime castigatus, instar unius hominis ad mortem usque percussi & lethaliter vulnerati ægrotantisque, insuperque curatione & medicamentis destituti inducatur. Explicatio propriis verbis ℣ſ. 7, 8, 9. subjungitur. Lutherus tomo 3. Lat Jen. fol. 199. b. de hoc loco ita: *Placet mihi allegoria, ut significet* (Deus) *se caput, id est, principes, cor, id est, sapientes & reliquam corporis partem, usque ad plantas, id est, plebem, graviter afflixisse, & tamen nihilo eos meliores reddi. Vides autem, quàm non possint homines disciplinâ & legibus corrigi, siquidem ne plagis quidem emendantur. Sic illa quoque allegorica sunt, quod dicit, nullum esse medicum, qui affectum variis vulneribus corpus curet, hoc est, quòd nulli sint pii doctores, qui, sicut in Jeremia est* (cap. 6: 13, 14. c. 8: 10, 11. &c) *populum peccati admoneant, & arguant; deinde consolentur territas mentes promissionibus, ne desperent tantis malis oppressi.* Alia exempla sunt, Deut. 33: 13. Esa. 7: 20. c. 8: 8. cap. 30: 28. Hab. 3: 13. Ex Justino historico lib. 3. simile quid afferunt quidam: *Omnis Græcia in duas divisa partes, ab externis bellis, velut in viscera sua arma convertit. Fiunt igitur de uno populo duo Corpora.* (2.) De toto populo in specie, ut de *viro*, loquitur scriptura: sed rarius. Thren. 3: 1. *Ego* הַגֶּבֶר *vir, qui vidit* (expertus est) *afflictionem in virga indignationis ejus.* Totus populus hîc, & in sequentibus, in specie unius viri enarrat perpessiones suas. Sic plerique interpretes asserunt, colossum seu imaginem illam, quæ Nebucadnezari in somnio apparuit, & quæ monarchiarum mundi symbolum fuit, Dan. 2: 31. seqq. fuisse viri magni speciem, inprimis cùm ut aspectu terribilis ibidem proponatur, quòd viro magis, quàm fœminæ competere videtur. Hûc referri potest descriptio Judææ, ab hostibus Assyriis affligendæ & exspoliandæ, quæ à partibus corporis virilis sumitur, Esai. 7: 20. *In die illa radet Dominus, in novacula conducta, in his, quæ trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput, & crinem pedum, & etiam barbam consumet.* Ubi *ratione barbæ*, quæ viri decor, & virilitatis indicium est, Hieronymus benè monet, innui, in Judæa nihil forte, nihil pulchrum remansurum; sed effœminatis hominibus, imò ignominiosis mulieribus comparandam. (3.) De toto populo seu civitate, ut de *fœmina*, Scriptura loquitur. Esai. 32: 9. *Mulieres tranquillæ, surgite, audite vocem meam, filiæ confidentes, auribus percipite eloquium meum.* Intelliguntur civitates Judææ, diffluentes luxu, & in ocio securæ. Et majores quidem *mulieres* vocantur, minores verò cum pagis & vicis, *filiæ*. Has omnes ad resipiscentiam Deus vocat, ut judicia sua severissima antevertant. Chald. eodem modo vertit: *Civitates magnæ, quæ habitatis securæ, surgite, audite vocem meam: urbes munitæ, quæ habitatis in confidentia, auscultate sermoni meo.* Evidens cumprimis hujus προσωποποιΐας exemplum est caput 1. & 2. Threnorum. Ubi & lugentium actus atque ritus, ei tribuitur, v. 1. seqq. uti & Esa. 3: 26. Quâ ratione & in argenteo nummo Vespasiani, Judæa muliebri habitu fingitur, sedens ad palmæ radices, cum hac inscriptione: *Judæa capta.* Sanctius in Esa. p. 54. &c. Esa. 32: 11. *pavor, tremor, denudatio, cinctura super lumbos* (fugæ & deportationis causâ) *civitatibus* tribuitur, quæ instar mulierum ℣ſ. 9. proponuntur. Mich. 7: 8, 10. regnum Babyloniorum & Assyriorum אֹיַבְתִּי *inimica*, in fœmin. dicitur, quâ voce mulieris imagine itidem illud proponitur.

Hûc pertinet, cùm populus Judaicus, ut *mulier perfida & adultera* proponitur, quod cumprimis Jer. 3: 1, 3, 4 cap. 4: 30. Ezech. 16 & 23. cap. Hos. 2. &c. videre est. Quâ prosopopoeia conjunctio Ecclesiæ cum Deo, humano conjugio comparatur. Et Deus ipse vir est in ea allegoria, respublica Israelis mater, ex qua progenita sunt duo regna, Israelis & Judæ, quæ cum filiabus comparantur (Ezech. 23: 2. *Duæ fœminæ, filiæ matris unius fuerunt*, ℣s. 3. *Quæ scortabantur in Ægypto &c.*) Et cum ascitæ in fœdus nupsissent Deo, sceleratissimè dicuntur defecisse ab illo, & turpissima adulteria frequentâsse &c. Sunt autem adulteria & scortationes illæ spirituales, quæ toties per Prophetas suos reprehendit & detestatur Jehova, idololatria, & enormia peccata, cum impoenitentia conjuncta, uti ex Exod. 34: 15, 16. Deut. 31: 16. Jud. 2: 17. Esa. 1: 21. c. 57: 3. & aliis locis patet. Nah. 3: 4. de Ninive ita habetur: *Propter multitudinem fornicationum meretricis, pollentis gratiâ, magistra præstigiarum &c.* Quâ prosopopoeiâ multiplex ejus civitatis idololatria & veneficiorum maleficiorumque studium, perstringitur. Esa. 23: 15, 16, 17. Tyrus restaurata, post septuaginta annorum deportationem & vastationem, meretricis specie inducitur, quæ aliquandiu (ob morbum tetrum, vel aliâ de causa) repudiata & neglecta, posteà, ubi revaluit, ad ingenium redit, & lenociniis suis, suavique cantu, quos potest, ad se pellicit. Consimili modo Tyrum, ait, ubi tempus restitutionis ipsius advenerit: negociationum suarum illecebris, vicinos populos paulatim ad se revocaturam. Quòd autem studia mercaturæ artibus comparat meretriciis, non ad hoc facit, ut commercia necessaria & utilia damnet, sed ut vehementem cupiditatem & illicitas artes arguat, quibus Tirii negociatores utebantur. (4.) Specialiùs *matris* nomen civitati tribuitur, 2 Sam. 20: 19. & urbs primaria seu metropolis intelligitur, ex qua aliquæ quasi natæ & productæ sunt, quæ filiarnm instar ei subjiciuntur, & בְּנוֹת *filiæ* etiam (respectu suæ metropoleos) dicuntur, Jos. 17: 16. Num. 21: 25. Jud. 11: 26. &c, Confer hîc, quæ in Grammat. sacr. de loco 2. Sam. 8: 1. dicuntur, p. 857. Totus Dei populus, itidem *matris* nomine venit Esa. 50: v. 1. Hos. 2: 2. quia filios Deo spirituales gignit, gignere certè debet. Unde ad Hierusalem cœlestem, Ecclesiam N. T. idem nomen transfert Apostolus Gal 4: 26. Refer hûc, quòd Ezech. 23: 2. respublica Israelis, respectu duorum regnorum in illo populo, *mater* vocatur, ut antè dictum. Nah. 3: 8. *No*, quæ posteà *Alexandria* vocata fuit, *nutritia*, secundùm quosdam, dicitur, hoc est, mater quasi & nutrix totius Ægypti, opum amplitudine, & emporii celebritate. In Hebræo masculin. est אָמוֹן, quod Jerem. 46: 25. etiam urbi illi additur, sed ei præpositum: *Ecce ego visito* אֶל־אָמוֹן *super artifice de No*, h. e. principe seu Rege illius urbis, ut quidam explicant. אָמוֹן *nutritium, altorem, nutritorem*, aliàs significat, à quo אָמוֹן non multùm discrepat &c. (5.) *Filiæ & Virginis* nomen non rarò toti populo vel civitati tribuitur, idque vel distinctè, vel conjunctim. Psal. 45: 13. *Filia Zor*, (Tyri) *cum munere faciem tuam deprecabuntur, divites populi*. Ubi & pluralis numerus, & addita ἐπεξήγησις ostendit, collectivè de populo urbis *filiæ* nomen intelligendum esse. Psal. 137: 8. *filia Babel*, h. e. populus seu regnum Babyloniorum. Thren. 1: 6. cap. 2: 1. &c. *filia Zion* dicitur, pro populo Judæorum: unde cap. 2: 2. *filia Judæ* appellatur. Zach. 9: 9. *Exulta valdè filia Zion, jubila filia Jerusalem*, Sic aliàs sæpè, Esa 1: 8. cap. 10: 32. cap. 16: 1. cap 37: 22. Jer. 4 31. c. 6: 2. Mich. 4: 10, 13. Zeph. 3: 10, 14. &c. Sic *Virgo Israelis* nuncupatur, Jer. 31: 4, 21. Amos 5: 2. Quandoque *virgo & filia* conjunguntur. Esa. 23: 12. *Non perges ampliùs exultare ô oppressa virgo filia Zidonis*. (Quidam tamen periphrasin Tyri hîc esse volunt. vide Grammat. sacr. p. 450.) Esa. 37: 22. *Subsannat te virgo filia Zionis*. Esa. 47: 1. *Descende ac sede in pulvere, virgo filia Babylonis*. Jer. 46: 11. *Ascende Gilead, & tolle resinam, virgo filia Ægypti*. Hîc verò quædam explicationis causâ monenda sunt. 1. De appellatione *a* *virginis*, quâ, si populo Dei tribuatur, ad cultum veri Dei, in populo eo conservatum, haberi respectum, quidam existimant, quemadmodum & contrario adultera vel meretrix vocatur, si à vero Dei cultu discessisse deprehenditur. Hieron. in comm. Esai. 37. *Zion & Jerusalem ideò virgo appellatur & filia, quia cunctis gentibus simulacra adorantibus hominum mortuorum, hæc sola conservet castitatem religionis Dei, & unius divinitatis cultum.* Sed negat hoc Drus. lib. 16. obser. c. 5. duabus ex rationibus: *tùm*, quia Dei respectu Israel potiùs *uxor* appellatur, ut cùm ab eo desciverunt ad alios Deos, meretrix. *Tùm*, quia sic vocat scriptura Israelem, etiam cùm Deos falsos coleret, Amos 5. 2. & Jer. 18: 13. *rem valdè turpem ac fœdam facit virgo Israel*. Additur ab aliis tertia ratio, quòd & Babylon, & Ægyptus, ut antè dictum, *virgines* vocantur, quæ tamen plenæ fuerunt idololatriâ & impietate. Ipse verò Drusius *virginem* dici putat, ante captivitatem; quæ esse virgo desiit, cùm jam exterorum jugum subiisset.

*a* Cur virginis nomen populo Dei tribuatur.

subiisset. Sicut Belgæ virginem appellant eam civitatem, quæ in potestatem hostium nondum venit, nec adhuc vi expugnata fuit. Ita & Ariamontanus in libro de arcano sermone pag. 98. Riebera in Amos 4. &c. Brentius in Esai. 37:22. *Virgo vocatur Jerusalem, vel quod regnum ejus sit libera monarchia, nec serviat externo Regi, sed habeat proprium è suo corpore Regem, sicut virgo nullius alieni viri jugo subjecta est: vel quòd, quemadmodum virgo adhuc à viro inviolata & incorrupta est, ita urbs Jerusalem hactenus à nullo hoste devastata est, nec cives ejus alio translati sunt.* Verùm objicit Drusius sibi ipsi allegatum locum Jer. 18:13. Jeremias enim prophetavit post deportatum Israelem, h.e. decem tribus, & tamen *virginem Israelis* vocat. Cui dubio posset occurri, dicendo, per virginem Israel intelligi ibi populum Judaicum, in specie sic dictum, qui nondum erat plenaria deportatione exhaustus. Quæ acceptio ex ℣f. 11. patet. Exempla alia, quibus *Israel* pro *Juda* accipitur, videantur in Philologiæ sacr. lib. 1. pag. 80. Ita, inquam, huic satisfieri dubio equidem posset, Sed in contrarium dictæ explicationi obstat fortissimè locus, Thren. 2:13. ubi *virgo filia Zion*, post factam à Babyloniis devastationem, appellatur. Igitur respectus ille integritatis ab hostili expugnatione, in hoc nomine attendi nequit, sed simpliciter, *virgo* pro cœtu hominum, quacunque se ratione habeat, per prosopopœiam, accipienda: unde Chald. in allatis locis, vel *cœtum*, vel *populum*, vel *regnum*, transfert. 2. De constructione; *virgo Israelis, filia Israelis*: cur in regimine sic dicatur (בְּתוּלַת, בַּת) & non in appositione, *virgo Israel, filia Israel?* Respondet Drusius lib. 8. obser. c. 6. per *Israel* hic intelligendam esse terram Israel, seu Cananæam; & per *virginem seu filiam ejus*, homines in ea habitantes, Solebant enim apud priscum seculum terram *matrem* appellare, ut liquet ex metamorphosi Ovidii, *ubi Deucalion jubetur ossa magna matris*, hoc est, lapides terræ, *post tergum jacere.* Brutus quoque is, qui reges exegit, cùm responsum esset, *eum regnaturum Romæ, qui primus matri osculum obtulisset*, navi egrediens terram, quam *matris* nomine significari conjiciebat, osculatus esse perhibetur. *Filiam* autem vocant Hebræi, non tàm ipsos homines, quàm cœtum & congregationem hominum, qui in loco aliquo simul habitant. Hùc refert & illud proverbium, quod Ezech. 16: 44. exstat: *Qualis mater, talis filia: matris* nomine, terram Cananæam intelligi, *filiæ* autem, homines habitantes in ea, dicens: (Sed ex ℣f. 45. apparet, per *matrem* potiùs pristinos terræ Canaan incolas, contra DEUM rebelles, intelligi.) Simpliciùs dicitur, *virgo Israelis*, esse eam constructionem, quâ status constructus pro absoluto ponitur. Vide Gramm. sacr. p. 15. Aliam verò rationem esse quidam volunt, cùm *filiæ* additur nomen loci: *filia Zionis, filia Jerusalem, filia Tyri, filia Babel:* Ibi enim incolas urbium istarum intelligi, sicut cùm dicitur, *filii Zion*, Psal. 149: 2. hoc est, incolæ Zion seu Jerusalem: *Filii orientis.* Esa. 11: 14. hoc est, incolæ orientis, orientales populi: *Filii Noph*, Jerem. 2:16. hoc est, Nophi incolæ: *Filii Ægypti*, Ezech. 16:26. hoc est, Ægyptii &c. Sed convenientius est, superioribus talia exempla conformare, ut *filia Zionis*, sit idem, ac (in appositionis structura.) filia Zion. Et sic de reliquis. Accipi enim omninò videntur nomina illa locorum & urbium pro earum populo, metonymicè; unde *filia populi* (Israelis vel Judæ) quandoque dicitur, Jer. 4:11. cap. 14:17. Thr. 3:48. Esa. 22:4. *Filia Chaldæor.* Esa. 47: 1, 5. &c. 3. De constructione בְּתוּלַת־בַּת *virgo filiæ:* Ita enim in Hebr. est. Et id Druf. rectè ἐκ παραλλήλȣ dici, existimat, sicut alibi, *lutum cœni, terra pulveris,* dicitur quâ de constructione vide Gramm. sacr. p. 118.

VI. DE ACCIDENTIBUS quibusdam Scriptura loquitur ut de hominibus; cùmque corpus quasi iis induatur: igitur σωματοποιΐαν hoc genus vocare solent. a Gen. 4: 7. *Et si non benefeceris, ad ostium peccatum cubat.* Instar nocturni vigilis, ad januam accubantis, peccatum proponitur, & pœnam certò illud insecuturam esse, innuitur, sicut vigil nocturnus non dormit, sed omnia observat, ac mala & nociva indicat: רבץ *cubare*, quod aliàs brutorum animalium est, homini etiam quandoque tribuitur, Job. 11:19. Psal. 23:2. Quidam ita: *Cubat ad ostium*, hoc est, in tali quodam loco, in quo facilè excitatur, sicut canis catenarius somnum aliquandiu ad ostium simulat, sed ex improviso adoritur ingredientes. Ut canes excubantes ad fores, ingressum & egressum cujusque observant; sic conscientia peccata in memoriam reponit, & ubi levem aliquem iræ divinæ strepitum animadvertit, horrendos latratus excitat, Sirac. 21: 2, 3, 4. Chaldæus ad pœnam, in judicio divino exspectandam, hoc refert. In Targum Eccl. 10: 1. ad verba, זְבוּבֵי מָוֶת *muscæ mortis*, ita ad locum Geneseos alluditur: *Concupiscentia mala, quæ recubat ad fores cordis instar muscæ, & causatur mortem æternam &c.* Confer Grammat. sacram p. 422. In verbis d. l. sequentibus: *Et ad te appetitus ejus, & tu dominaberis in eum;* Flacius Clav. script col. 154. itidem metaphoram ejusmodi statuit, à

a Gen. 4:7. ad ostium peccatum cubat &c.

mulie̊re desumtam, de qua similia omninò verba cap. 3: 16. habentur. *Est illud*, inquit, *mirabile, quod iisdem planè vocibus describatur appetitus mulieris ad virum, & quod vir ei dominari debeat; quibus etiam peccati ad hominem, cui itidem homo imperare jubetur. Omnino autem videtur esse talis quædam vis vocum, quòd sicut rixosa mulier perpetuo insurgat ac conetur dominari viro: sic etiam peccatum inhærens rebellet, concupiscat, conetur regnare, & captivum rapere hominem &c.* Targum Hierosolymitanum: *Verùm in manum tuam tradidi potestatem concupiscentiæ malæ, & tu dominaberis in eam, sive ad innocenter vivendum, sive ad peccandum.* Aben Ezra; *Concupiscentia convertatur ad obediendum tibi in voluntate tua, etiam in te virtus est ad imperandum ei.* R. Salomo: ואליך תשוקתו. *& ad te appetitus ejus: Videlicet peccati, quod concupiscentia mala est, quæ continuò appetit ac desiderat te labefactare* (ad lapsus te solicitat.) *Et tu dominaberis ei, hoc est, si voles, imperium super illud obtinebis.* Baal Turim in h. l. *Dixerunt sapientes, quorum memoria sit sempiterna: Duo sunt* תשוקות *appetitus, nimirum appetitus peccatorum ad transgressionem, sicut dicitur; & ad te erit appetitus ejus: Et appetitus Sancti Benedicti Dei, ad Israelem, sicut dicitur* (Cant. 7: 10.) *Ego sum dilecti mei, & ad me* תשוקתו *appetitus ejus.* Alii de Abelis erga Cainum, fratrem natu majorem, benevolentia ac reverentia, locum illum explicant; ac si diceret Deus: Et cur succenseas, quæso, fratri tuo, qui nihil tale meritus est, sed te potiùs, ut primogenitum, reveretur, & benevole complectitur? Chrysost. in h. l. *Ne putes, inquit Deus, licet tuum aversatus sim sacrificium, ob pravam mentem, fratrisque oblationem acceptam habuerim ob sanam intentionem, quod ideò primatu te destituam, & primogenituræ dignitatem à te auferam. Nam licèt honore ego illum prosecutus fuerim, veruntamen ad te conversio ejus, & tu ipsius dominaberis. Atque post peccatum hoc permitto, ut primogenituræ privilegiis gaudeas, illumque sub tua potestate & dominio esse jubeo.* Si Flacii sententiam exprimere voluisset Moses, procul dubio fœmininis affixis fuisset usus, cum in Hebræo masculina sint &c. Sunt & alia loca, quibus peccato [a] corpus velut & persona, ejusque actiones, tribuuntur: Genes. 18: 20. *clamor* peccatis Sodomitarum tribuitur. August. libr. 1. locut. de Gen. *Clamorem Scriptura solet ponere pro tanta impudentia & libertate iniquitatis, ut nec verecundia, nec timore abscondatur:* Confer Jacob. 5: 4. Hinc *peccatorum in cœlum clamantium* appellatio. Esa. 59: 12. *Peccatorum nostrorum quodque respondet vel testificatur contra nos.* De accusatione peccatorum agnitorum in conscientia agi, ex sequentibus verbis patet. Sic & Jerem. 14: 7. Quò referri potest Actor. 7: 60. *Domine*, μὴ στήσῃς, *ne constituas illis peccatum hoc*; nimirum, ut testis instar contra eos stet, eósque accuset, condemnétque. [b] Rom. 6: 6. *Vetus noster homo cum Christo crucifixus est, ut aboleretur corpus peccati.* De veteri homine supra dictum, cap. 3. in metonym. subjecti §. 1. *Vetus ille homo* (peccatum in nobis hærens) dicitur *cum Christo crucifixus*, tùm ratione satisfactionis, à Christo in cruce pro peccatis præstitæ, 1 Petr. 2: 24. quæ per fidem credentibus verè imputatur; tùm ratione renovationis, in qua, virtute crucifixionis ac meriti Christi, in nobis habitantis, peccatum crucifigitur, id est, mortificatur & subigitur, dominiúmque ei adimitur, accrescente interim sanctificatione spiritur. Insuper *crucifixionis* verbo utitur Apostolus, ad ostendendam mortificationis peccati, tùm acerbitatem, non enim sine gravissima carnis molestiâ, & contra eam luctâ, & ob eam dolore ac gemitu, tribulatione insuper & calamitatibus variis, ob carnem refractariam immissis, ea peragitur, & fides in nobis conservatur: tùm veram causam efficientem, quæ non Philosophia est, aut ullus conatus humanus, sed sola Christi crucifixi efficacia, doctrina, memoria &c. Insuper emphaticè *corpus peccati* dicitur, hoc est, quod tantas in nobis vires exserit, jugiter ad malum solicitando impellendoque, & in consentientibus mala atrocia efficiendo, ac si esset corpus quoddam vivum, ac res quædam per se subsistens. Καταργηθῆναι illud dicitur in regeneratione & renovatione, hoc est, ἀργὸν seu ἄεργον, *inefficax reddi*, ut ampliùs non possit vim suam tantoperè exserere & operari: seu impetus ejus, virtute Spiritus sancti cohiberi, & dominium auferri, ut homo renatus ei non serviat, nec desideria ejus perficiat, ut in sequentibus declaratur uberiùs. [c] Roman. 7. peccati insignis prosopopoeia seu σωματοποιΐα est. v. 9, 10. *reviviscere*, & vicissim *hominem per eam mori* dicitur, cùm ex lege agnitio peccati fit, & pavor conscientiæ, consternatioque illa tremenda sequitur, quâ non nisi mortem æternam, sibi ob peccata debitam, homo ante oculos videt. v. 13. *majorem in modum* ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία *fieri per præceptum* dicitur, q. d. peccatum vehementer peccator: videl. ratione agnitionis in conscientia, quâ homo in terroribus mortis constituitur. In sequenti contextu peccatum instar sævi tyranni inducitur, qui miserum peccatorem velut mancipium ære coëmtum detineat, nunquamque in hac vita dimittat,

[b] Rom. 6: 6.

[c] Rom. 7.

[a] Peccato corpus & persona tribuitur.

verſ. 14. ſed in eo uſque habitet, v. 17, 18, 20. & ſpiritui ſeu gratiæ regenerationis, inſtar perduellis, contrà militet, hominémque renatum etiam captivum reddat retineatque, verſ. 23. quod non de victoria & dominio peccati intelligendum (contrarium enim de renatis pronunciatur cap. 6: 6, 12, 14. &c.) ſed de inevitabili repugnantia adverſus ſpiritum, quæ in carne ſemper manet, dum vivit homo regenitus in hac mortali vitâ. verſ. 24. peccatum inhærens vocatur *corpus mortis*, hoc eſt, quod non niſi mortem & corporalem & æternam producit. Col. 2: 11. itidem vocatur *corpus peccatorum carnis*, cap. 3: 5. μέλη ſeu *membra* quoque ejus ponuntur & recenſentur, *ſcortatio, immunditia, mollities, concupiſcentia mala; avaritia &c.* His ratio & voluntas depravata perinde utitur, ac corpus membris. Jac. 1: 14, 15. inſtar mulieris *concipientis & parientis* peccatum proponitur: & ei v. 18. divina *regeneratio per verbum veritatis*, eodem verbo ἀποκύειν, opponitur. 1 Pet. 2: 11. carnales concupiſcentiæ dicuntur ςρατεύεσθαι, *militare adverſus animam*, quod & in ſpecie concupiſcentiæ φιληδονίας, ſeu voluptatis carnalis, tribuitur Jac. 4: 1. Exercitui huic pravo interiùs militanti, ſi anima ſuccumbit, æternæ morti atque ignominiæ redditur obnoxia. Apocal. 18: 5. *peccata* dicuntur ἀκολουθεῖν *ſe conſequi uſque ad cœlum*, hoc eſt, alia ex aliis naſci, & in immenſum cumulum excreſcere, ut tandem ad ipſum cœlum pertigerint. Significatur autem veniſſe peccatorum multitudinem in conſpectum Dei, & hunc ad puniendum homines propter ea quaſi in procinctu eſſe.

Præterea ad hanc claſſem pertinent iſta. Gen. 30: 33. *Sic teſtificabitur mihi juſtitia mea poſthac coram te, cùm veneris ad* (inſpiciendum) *mercedem meam*, q. d. futurus eventus declarabit, Deum habere rationem juſtitiæ meæ, idque coram videbis perſpicuè, cùm veneris ad inquirendum & conſtituendum de mercede mea: *Juſtitiæ teſtificatio* tribuitur, actio perſonæ propria. Job. 8: 14. *Quem faſtidit* (vel abominatur) *ſpes tua*, hoc eſt, impium quaſi faſtidiens fugit idipſum, quod ſperat, & contra inſperatis calamitatibus ipſe opprimitur; præcedit: *Spes hypocritæ peribit.* Sequitur: *Et domus araneæ fiducia ejus* Job. 10: 17. *renovas teſtes tuos contra me, augens indignationem tuam mecum; vices & exercitus ſunt contra me.* Plagas à Deo inflictas vocat *teſtes*, nimirum iræ Dei, confer cap. 16: 8. & eas velut copias & exercitum proponit, ubi aliæ aliis turmæ ſuccedunt, & adverſarios oppugnant. Job. 41: 13. *in collo ejus* (Leviathan ſeu balænæ) *commoratur robur, & ante eum* תָּדוּץ *exultat dolor*, id eſt, mœrore afficit omnes obvios ac ſi de illis triumphans exultaret mœror, affectus ab ipſa. Pſalm. 85: 11. *Miſericordia & veritas obviabunt ſibi juſtitia & pax ſe oſculabuntur.* Similitudine eorum, qui pro more regionis ſuæ, occurſu & oſculo ſeſe mutuò complectuntur, atque ita amicitiam ſuam teſtantur, virtutum harum cognitionem & conjunctionem ob oculos ponit. Loquitur autem de regno Chriſti, cujus beneficia & adminiſtrationis modum, hac proſopopœia exprimit. v. 12. *Juſtitia è cœlis proſpectans* dicitur, per quam juſtitia illa Dei intelligitur, quâ gratuitò ob meritum Salvatoris juſti coram eo conſtituimur, Rom. 1: 17. c. 3: 22. &c. v. 14. *Juſtitia ad faciem ejus ambulare* dicitur, hoc eſt de gratioſo ejus adventu & præſentia realiter teſtari: Et ſubjungitur: וְיָשֵׂם *& ponet in via pedes ſuos*, nimirum ipſe Dominus, quem non ſolùm prænominata beneficia cœlitùs collaturum, ſed & ipſum in terras deſcenſurum, viamque ad nos ingreſſurum, Propheta vaticinatur. Eſai. 59: 14. *Averſum eſt retrorſum judicium, & juſtitia à longe ſtetit; impegit in platea veritas; & aequitas non poteſt ingredi.* Pulcherrima virtutis & pietatis proſopœia, quâ raritas ejus inter homines innuitur. Referatur item huc *charitatis* deſcriptio, à Paulo propoſita 1 Cor. 13: 4, 5, 6, 7. quâ perſonæ qualitates & actiones ei attribuit, & hominem Chriſtianum, charitate vivâ præditum, hac imagine depingit. Vicinum etiam τῇ προσωποποιΐᾳ eſt, quando de calamitatibus incommodiſque dicitur, *quòd inveniant hominem*, quaſi circumambulantes eum quæſiiſſent, ſeu perſecutæ fuiſſent. Conf. Deut. 28: 45. ubi & *perſecutio* & *aſſecutio* hominum, maledictionibus tribuitur.) Ubi *invenire* מצא, eſt pro contingere vel evenire. Exod. 18: ℣. 8. *Omnem laborem, qui* מְצָאָתַם *invenit eos in via.* LXX. τὸν γενόμενον αὐτοῖς, *qui evenit ipſis.* Deut. 31: 17. *Et invenient eum mala multa & anguſtiæ. Et dicent in die illa: annon propterea, quòd non eſt DEUS in medio noſtri, invenerunt me mala iſta?* Sic & v. 21, 29. Ellipſis ſtatuitur in illo Jer. 10: 18. *Et coanguſtabo eos* לְמַעַן יִמְצָאוּ *ut inveniant*, ſcilicet *anguſtiæ eos*, uti Pagninus ſupplet. Alii ad homines plagis affectos referunt: *Ut inveniant*, hoc eſt, deprehendant, daß ſie es befinden. Targum: *ut accipiant vindictam peccatorum ſuorum.* In bonum, de præmio idem verbum uſurpatur 2 Sam. 18: 22. וּלְכָה אֵין בְּשׂוֹרָה מֹצֵאת *& te Evangelium* (boni nuncii præmium) *haudquaquam inveniet.* Pagnin. *Cum tibi merces non ſit futura* In genere, de bonis & malis uſurpatur Joſ. 2: 23. &c.

# CAPUT X.

## DE

# METAPHORIS, QUÆ A DEO, ANGELIS, Cœlo, ac Elementis deducuntur.

Dictum fuit cap. 6. generalem præsentis tropi ἐξεργασίαν fore, de distinctis metaphorarum fontibus & classibus. Eam hoc & sequentibus capitibus, divinâ gratiâ, exhibebimus. Summa divisio entium universorum est, in *Creatorem & creaturas*. Ab illo aliquas; ab his verò complures metaphoras duci in Scripturis sacris, ejusdem summi Numinis adjutorio, faciemus planum.

### *A Deo desumtæ metaphoræ.*

a Elohim. Attendendum ad Dei tùm *nomen*, tùm *actionem*. Nomen hûc pertinet, *& Hebræum & Græcum*. Hebræum est a אֱלֹהִים, quod, ubi propriè accipitur, nulli nisi uni vero & æterno Deo convenit, &, quia pluralis numeri est, personarum in una Deitate simplicissima pluralitatis mysterium insinuat. Vide Grammat. sacr. p. 91. 397. Metaphoricè autem, id nomen tribuitur etiam creaturis, propter similitudinem quandam & congruentiam cum Deo. Et quidem (1.) *Angelis*, potentia eximiâ & felicitatis copiâ, præ omnibus aliis creaturis, à Deo præditis, ejusque primariis ministris. Psal. 8:6. *Deficere fecisti eum paululùm* מֵאֱלֹהִים *ab Angelis*, ut Chaldæus, LXX. Interpretes, Pagninus, & Vulgata versio Latina vertunt. Et certissimum interpretem habemus Apostolum Heb. 2: 7. ἠλάττωσας αὐτὸν βραχύτι παρ᾽ ἀγγέλους, *fecisti eum paulo inferiorem Angelis*. Confer v. 9. ubi idem repetitur. Sermo est utrobique de Christi infra Angelos, ad temporis aliquod spacium (quod מְעַט, βραχύτι, *pauxillum* vocatur, in comparatione ad subsecutam majestatis & gloriæ æternitatem) exinanitione; cujus specimen insigne est, quòd Angelus de cœlo apparuit Christo agonizanti in horto, eumque confortavit, Luc. 22:43. &c. Ps. 86: 8. *Non est sicut tu*, בָאֱלֹהִים *inter Deos*, *Domine*, h. e. inter Angelos, robore & potentia præstantissimos. Chald בְּאַנְגְלֵי מְרוֹמָא *inter Angelos excelsos*. Psalm. 97: 7. *Adorate eum omnes* אֱלֹהִים *Dii*, hoc est, *Angeli*, LXX. Interpretes & Pagninus vertunt. Certum & hic interpretem habemus Apostolum, qui locum Psalmi ita citat, Heb, 1: 6 *Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Ita in Psalmi illius v. 9. *Valde elevatus es super omnes* אֱלֹהִים *Deos* seu *Angelos*. Sensus est, nullam esse tàm sublimem potentiam, quæ non subjici debeat Regis Christi imperio. Confer. Exeg. text. Ev. & Ep. part. 1. p. 631. (2.) *Hominibus dignitate præstantibus*, ejusque in terra vicariis, per quos DEUS homines gubernat, judicat, informat, juvatque, q. d. homines *divinos* metaphoricè. Gen. 6: 2. *Et viderunt filii* הָאֱלֹהִים *Deorum filias hominum &c.* Chald. בְּנֵי רַבְרְבַיָּא *filii magnatum*. Pagnin. *Filii principum*. Brentius in Comment. h. l. *Filii DEI sunt filii Patriarcharum præcipui & heroes, penes quos erat, propter primogenituram, & alia dona DEI, summa autoritas, & qui tàm doctrinâ, quàm exemplis, debebant aliis praeesse, Principes & capita reliqui populi, sicut & aliàs in Scriptura judices & Principes dicuntur Dii. Filiæ autem hominum sunt, vel puellæ ex familiis Cainitarum, vel indiscriminatim quævis puella ex vulgo, ut intelligas Principes, qui debebant esse reliquis exemplo, sumsisse sibi, pro suo arbitrio, quasvis obvias puellas, quales quales essent, sive cognatæ, sive affines, sive honestæ, sive inhonestæ. Scelera hic continentur neglectus consanguinitatis, quæ juris naturalis est: neglectus parentum & majorum: polygamia, & temeritas divortiorum &c.* Ex. 4: 16. *Ipse erit tibi pro ore, & tu eris ei* לֵאלֹהִים *pro DEO*. Chal. לְרַב *pro principe seu duce*. Eris princeps ejus, magistratus, ipsi demandans, quæ locuturus sit ad populum. Constructio hîc ea est, de qua in Gram. sacr. p. 356. Ex. 7: 1. similiter DEUS ad Mosen loquitur: *Ecce, dedi te* אֱלֹהִים *Deum ipsi Pharao, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.* Sequitur explicatio, v. 2. *Tu loqueris omnia, quæ præcipiam tibi, & Aaron frater tuus loquetur ad pha-*

*Pharao &c.* DEUS igitur dicitur Moses, propter divinam legationem, quâ fungebatur, & magnifica opera, quæ per eum DEUS efficiebat coram Pharaone &c. Ex. 21: 6. *Et adducet eum Dominus ejus* אֶל־הָאֱלֹהִים *ad Deos*, h. e. judices. Chald. דַּיָּנַיָּא *judices.* Sic & cap. 22: 8, 9. Ibidem v. 28. אֱלֹהִים *Diis non maledices*, h. e. judicibus, ut Pagninus vertit cum Chaldæo. Sequitur explicatio statim: *Et principi in populo tuo non maledices.* 1. Sam. 28: 13. *Et dixit mulier ad Saul:* אֱלֹהִים *Deos video ascendentes è terra*, hoc est, hominem magnum & honorabilem: nimirum Samuelem, Prophetam & Judicem populi, uti quidem mulieri Pythonissæ, ob externam formam apparentem, videbatur: Verè autem erat spectrum Diabolicum. Chald. reddit: *Angelum DEI*, secundùm acceptionem præcedentem Ps. 8: 2, 1. *DEUS stat in congregatione DEI; in medio* אֱלֹהִים *Deorum judicat*, hoc e. judicum, ut Pagninus vertit. Junius & Tremellius: *Inter magistratus judicat.* Sensus est, vel quòd magistratus non judicent, tanquam liberâ potestate præditi, sed ut ministri DEI, supremi judicis, qui in ipsorum medio supremam obtinet potestatem; vel, quòd DEUS sit in medio judicum terrenorum, ut de ipsis quoque judicet, ac pœnas sumat. Utrumque veritati & scopo Psalmi conforme est. Ibidem v. 6. *Ego dixi*, אֱלֹהִים *Dii vos estis, & filii Excelsi omnes vos &c.* Christus ex his verbis Joh. 10: 34, 35, 36. argumentatur à minori, hoc sensu: Si illi dicuntur rectè in Psalmo Dii, ad quos sermo DEI, tanquam reprehensibiles, factus est: multò rectiùs (& non blasphemè, ut vos putatis) ego, quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, Filium DEI me dico. Psal. 138: 1. *Confitebor tibi in toto corde meo coram* אֱלֹהִים *Diis canam tibi*, hoc est, potentibus. Chald. דַּיָּנַיָּא *judicibus.* Ita accipiendum esse, ex ℣ſ. 4. patet. Sensus est: Publicè tibi, Domine, confitebor, & ne apud ullos quidem proceres laudem tuam & nominis gloriam dissimulabo. Confer Psal. 119 46. Ad significatum hoc nominis *Elohim* refertur à Schindlero & illud 2 Sam. 7: 23. *Quem redemisti tibi ex Ægypto gentes* וֵאלֹהָיו *& Deos ejus*, hoc est, Mosen & Aaronem, qui in Exodo dicuntur Dii. Meliùs autem cohæret sermo, si cum Junio & Tremellio, ellipsis verbi *expellere* statuatur, hoc modo: *Expellendo à facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, gentes & Deos earum &c.* Hæc de acceptione vocis *Elohim* metaphoricâ. Tribuitur & *idolis*, Exod. 23: 24. Esa 36 18. sed per metonymiam adjuncti illam, quâ opinio hominum pro ipsa reponitur, vide supra c. 4. §. 4. Reverâ sunt illa אֱלִילִים *res nihili & inanes*, uti dicuntur Lev. 19: 4. Psal. 97: 7. Esa. 10: 10. cap. 19: 3. לֹא אֱלֹהִים *non Dii*, 2 Par. 13 9. (1 Cor. 8: 4. *Nihil est idolum in mundo*) sed ab idololatris pro Diis coluntur, vel per ea DEUS coli existimatur. Unde cum adjectione vocantur *Dii alieni* Exod. 20: 3. Deut. 5: 7. Jos. 23: 16. *Dii, præter dominum solum*, Exod. 22: 20. *Dii fusionis seu fusiles*, Levit. 19. 4. *Dii novi*, seu noviter ex prava hominum opinione introducti, Jud. 5: 8. Græcum nomen Θεός est, quod metaphoricè tribuitur [a] *Satanæ*, 2 Cor. 4: 4. *Deus seculi hujus excæcavit sensus incredulorum &c.* Ut enim verus Deus in credentibus suis regnum gratiæ administrat, & ab iis devotè secundum verbum suum colitur: Ita Satanas opera sua maligna efficit in incredulis (Eph. 2: 2, 3.) & ab his imperio, voluntati, & seductioni ejus obeditur. Erasmus in annot. *Non est simpliciter Deus Diabolus, sed illis est Deus, qui illum anteponunt Christo. Velut avaris pecunia sive Mammona Deus est, nepotibus gula DEUS est, & homo homini DEUS est, juxta proverbium.* In paraph. *DEUM illum sibi faciunt, qui huic magis auscultant, quam DEO vero:* Tribuitur & *ventri*, Phil. 3: 19. *Quorum Deus venter est*, hoc est, quorum summum bonum, & omnis desiderii prora atque puppis est, voluptas carnis & prospera fortuna in hoc seculo, citra persecutiones, ob confessionem Christi perferendas. DEUS id unicuique est, quod summo habet in precio, & præ quo verum DEUM negligit. *Idolis* quoque *Dei* nomen tribuitur, Actor. 7: 43. c. 14: 11. per metonymiam, ut de nomine *Elohim* dictum, & ex opinione hominum. Gal. 4: 8. dicuntur μὴ φύσει ὄντες θεοί, *qui naturâ non sunt Dii* (sed ex prava idololatrarum imaginatione) 1 Cor. 8: 5 λεγόμενοι θεοί, *qui dicuntur Dii* (ab hominibus idololatris) sed reverà non sunt, Et his unus ille verus *Deus & Dominus* ℣ſ. 6. opponitur. Tantum de nomine Dei. Ad quam metaphoram referunt aliqui, cùm nomina Dei אֵל, יְהוָה, אֱלֹהִים, adhibentur epitheti loco, pro divino quasi, seu summo & excellentissimo. De quo quid habendum sit, videri potest in Gramm. sacra p. 62. seqq.

[a] Diabolus vocatur Deus hujus seculi.

Ex actionibus Dei pertinet hûc *creatio.* [b] בָּרָא enim propriè *ex nihilo aliquid condere* significat, quod soli Deo vero proprium opus est. At metaphoricè ad alia etiam eximia Dei opera transfertur. Exod. 34: 10 *Faciam mirabilia, quæ non creata sunt in omni terra &c.* hoc est, qualia & quanta nusquam contigerunt vel facta sunt. Num. 16. 30. *Si creationem creaverit Dominus*, hoc est, si novum, & inauditum Deus præstiterit miraculum; quale fuit deglutitio terræ,

[b] Creandi actio.

terræ, quæ seditiosis contigisse ibi memoratur. Esa. 45:8 *Ego Dominus creabo illud*, nimirum quod de liberatione populi Israëlis per Cyrum futurâ promittit: q. d. ego, qui omnia creavi ex nihilo, & hoc sic faciam mirabiliter, ut ex nihilo præter spem omnem creatum videri possit. Specialiter de restauratione & renovatione hominum accipitur, tùm in hac vita, per verbum & fidem; tùm in futura vita, per claram & beatificam Dei visionem. Psal. 51: 12. *Cor mundum crea mihi Deus*: sequitur explicatio: *Et spiritum rectum innova in interiori meo.* Tàm solius Dei opus est creare cor purum, hoc est, hominem regenerare, à peccatis mundare, justificare, ac salvare, atque creare ipsum. Igitur nullis humanis viribus cordium nostrorum impuritas expurgari potest, sed opus habemus creatoris & redemtoris virtute & omnimodâ regeneratione, de qua Joh. 1:12. dilucidè agitur. Psalm 102:19. *Et populus, qui creabitur, laudabit Dominum*, h. e. Ecclesia restauranda & colligenda à Christo. De hoc enim, & gratiæ ejus regno, in hoc Psalmo tractari, ex allegatione Heb. 1:10, 11, 12. patet. Esa. 65:18. *Gaudete & exultate in perpetuum, in his, quæ ego creo: Quia ecce ego creo Jerusalem exultationem, & populum ejus gaudium.* De regni & Ecclesiæ Christi gloriâ hîc agi, ex sequentibus patet. Ejus igitur restauratio, & tota cœlestis administratio, *creationis* voce exprimitur, ad Christi Regis omnipotentiam & fortissimam operationem indicandam. Ibidem v. 17. *novum cœlum & nova terra* memorantur, *quæ creaturus sit Dominus*, eodem omnino sensu. Complebitur id promissum perfectissimè in vita æterna, ut ex cap. 66: 22. & 2 Pet. 3:13. constat &c. Eph. 2:10. *Ipsius* (Dei) *sumus opus*, κτισθέντες, *creati in Christo Jesu, ad opera bona &c.* hoc est, regenerati, & ad imaginem ejus renovati. Conferatur Psal. 100:3. Esa. 29:23. &c. Hæc *nova illa creatura* est, de qua 2 Cor. 5:17. *Si quis est in Christo καινὴ κτίσις, nova creatura est*, hoc est, per Spiritum sanctum renovatus est, ad novam & sanctam vitam in fide Christi ducendam. Quod in homine per peccatum corruptum, id per regenerationem & renovationem restitui ac reformari, adeòque imago Dei, ad quam homo primùm creatus est, sed per peccatum eandem amisit, in ipso instaurari incipit: meritò igitur regeneratio ista & renovatio hominis, *creationis* voce exprimitur. Utriusque solus DEUS autor & causa est. Photiniani hoc significatu accipiunt etiam verba Col. 1:16. *Per illum* (Christum) *omnia creata sunt &c.* hoc. est, reformata. Sed de prima propriè que dicta creatione hîc agi, tùm universalis particula, tùm additus μερισμὸς creaturarum indicat. Soli homines per Christum sunt redemti, & solis hominibus per Christum justitia & vita datur, non verò *omnibus, quæ in cœlis sunt & in terra, visibilibus & invisibilibus, sive throni sint, sive dominationes sive principatus, potestates.* His epithetis S. *Angelos* Paulus exprimit, qui nullâ per Christum instauratione indiguerunt. Quod verò de *mutatis Angelorum pristinis dignitatibus, & politiâ eorum reformata in ascensione Christi ad cœlos*, Socinus & Schmalcius asserunt, merum humani cerebri figmentum est, omni DEI verbo & autoritate carens. Hæc de *creandi* verbo. Ei conforme est verbum [a] עשה *fecit*, quod generale quidem est, at in specie de creationis opere augusto sæpiùs usurpatur, Genes. 1:31. cap. 2:3. &c. Ab eòque metaphoricè ad alia Dei opera eximia, præsertim hominum redemtionem, conversionem, sanctificationem & glorificationem transfertur, Deut. 32:6. 1 Sam. 12:6. Ps. 37:5. Ps. 86:10. Ps. 100:3. Esa. 44:23. Conferatur locus Esa. 43:7. ubi ut synonyma, *creare, formare, facere* conjunguntur, ubi de gentium ad regnum Christi vocatione sermo est.

[a] עשה

## *Ab Angelis desumtæ metaphoræ.*

Creaturæ Dei Col. 1. 16. in *invisibiles & visibiles* dispescuntur, quarum illis spiritus ἀόρατοι, seu *Angeli* intelliguntur, quia in sua natura incorporea videri ab oculis corporis non possunt; his verò reliqua, in toto hoc universo existentia, sive simplicia, sive mixta corpora. Angeli *boni & mali* sunt: ab utrisque metaphoræ quædam (paucæ licèt) ducuntur.

Respectu illorum, administros verbi divini metaphoricè vocari *Angelos*, existimant quidam Jud. 2:1. Hag. 1:13. Mal. 2:7. cap. 3:1. Matth. 11:10. Marc. 1:2. Luc 7:27. 1 Cor. 11:10. Apoc. 1:20. cap. 2:1, 8, 12, 18. cap. 3: 1, 7, 14. & hinc non incongruè analogiam à sanctis Dei Angelis, ad Prophetas, aliósque cœlestis verbi præcones, applicant. Verùm cùm & Hebræum nomen מַלְאָךְ & Græcum ἄγγελος, indifferens sit & commune, quemvis nuncium vel *legatum* denotans, rectiùs dicitur, propriè accipi de ministris verbi illud nomen. Hag. 1:13. nomen conjugatum additur: *Et dixit Haggai* מַלְאַךְ *Angelus vel nuncius Domini*, בְּמַלְאֲכוּת ה׳ *in legatione Domini, populo.* Drusius lib. 10. præter p. 403. citat R. Kimchi, statuentem *duo genera Angelorum*; Unum est eorum, quos vocat עליונים quòd in *superis locis* domicilium habeant, hoc est, in cœlo. Alterum

terum est eorum, quos vocat תחתונים, quasi *infernales*, aut *inferiores*. Et tales sunt prophetæ & Sacerdotes. Hæc ille. Referri autem huc potest nomen *Cherubim*, quod Angelis tribuitur. Genes. 3: 24. *Et ejecit Deus hominem, & collocavit ab oriente, ad hortum Eden* אֶת־הַכְּרֻבִים *Cherubim, & aciem gladii versatilis, ad custodiendum viam arboris vitæ.* (R. Salomo explicat מלאכי חבלה *Angelos vastationis*, vel vastatores. Musculus in comment. ita de iis disserit: *Quod attinet Cherubim, quoniam Psal. 18: 11. sic legimus: Et ascendit super Cherubim, & volavit super pennas ventorum, arbitror manifestum relinqui, Cherubim esse volucres, unde & figura illæ propitiatorii, quas scriptura Cherubim vocat, alatæ fuerunt. Quare simplicius esse arbitror, ut grandes & terribiles volucres à DEO ad custodiam paradisi deputatas esse credamus, & quòd flammam gladii concernit, cum illis sentiamus, qui flammas è sinu telluris, ad paradisi ingressum excitatas: & hîc numerum singularem pro plurali positum arbitrantur. Nec necesse est, ut cogitemus, volucres illas horribiles, & flammas ignis, uno fuisse & eodem loco constitutas, sed sic positas, ut locis diversis omnem paradisi aditum prohiberent.* Hæc ille. Sed plerique interpretes alii, per *Cherubim*, *Angelos Dei* intelligunt, per quos, flammantibus gladiis instructos, prohibitio ab aditu arboris vitæ in Paradiso, facta fuit. Ita autem eos Moses vocat, accommodans se ad captum populi, cui noti erant Cherubim, hoc est, imagines humanæ, & alatæ, & operculo propitiatorio arcæ fœderis impositæ, repræsentantes Angelos invisibiles, Exod. 25: 18, 19, 20. Conferatur Ezechielis cap. 9. & 10. ubi sæpiùs *Cherubim* apparentium fit mentio, & non nisi Angeli S. intelligi possunt.) Idem autem nomen metaphoricè tribuitur Regi Tyriorum, [b] Ezech. 28: 14. *Tu Cherub unctus protegens* (vel: ut Jun. vertit, מִמְשַׁח הַסּוֹכֵךְ *ex quo unxi te protectorem*) ✠. 16. *Et perdam te, ô Cherub protector!* Secundùm opinionem autem ipsius Regis hoc dici, in propatulo est: ac si dixisset Deus: Quemadmodum inter res creatas Angeli naturâ ministerioque præstant, ablegati à Deo ad hominum protectionem: Ita etiam tu, Rex Tyriorum, fuisti, judicio & opinione tuâ. Ad locum Gen. 3: 24. non obscurè hac metaphorâ alluditur. Jun. & Tremel. in notis: *Elegantissima est regiæ illius majestatis descriptio, per comparationem Cherubi illius, qui in horto Hedenis à Deo dispositus est, Gen. 3: 24. Quemadmodum* (inquit) *Angelus præpositus est ei horto, ad protegendum eum, & gladio illo versatili armatus, omnibus est terrori: Ita etiam tu, ex quo regnum tibi est traditum, visus es tibi æquare gloriam Angelorum Dei.* Quidam ad imagines Angelicas Exod. 25. in sanctuario positas, respici existimant, cùm *in monte sanctitatis Dei* positus esse dicatur, cùmque סֹכֵךְ *obtegens*, de Cherubim propitiatorii usurpetur Exod. 25: 20. Quid si ad utrumque (*horti* quippe *Hedenis* antecedenti versu expressa fit mentio) respectus haberetur? Potest ex hac metaphorica appellatione, de officio principis boni seu magistratus, non inconvenienter disseri, ut aliquâ parte factum est, in præfatione meditationum super Epistolas Dominicales & festivas &c. Psal. 18: 11. & 2 Sam. 22: 11. *equitatio super Cherub* Deo tribuitur, dum de ventis, procellis, nubibus & tempestatibus sermo est, quibus hoc nomen ob vehementiam, celeritatem, & magnificos effectus, tribuitur. Chald. *Et revelatus est in magnificentia suâ super Cherubim velocissimis, & duxit in fortitudine super alas venti.* [a] Cherubim.

Angelos malos seu Diabolos quod attinet, Christus Petrum vocat *Satanam*, cùm ei, dissuadendo passionem instantem, adversaretur, [c] Matth. 16: 23. Mar. 8: 33. *Abi post me satana.* [c] Matt. 16. 23. Abi post me Satana.
Quidam ut appellativam vocem accipiunt; שטן enim *adversarium* in genere significat; ac si dicere voluisset Christus: *Desine adversari voluntati Patris mei: tuum est, sequi me, non præire: Nunc obsistis, impedire studens, quod obsalutem humani generis, & pater vult fieri, & me facere decet. Cupis esse socius regni, & obsistis ad crucem ultrò properanti, quo regnum hoc asseram patri. Qua me videtis ire, hac est vobis quoque tendendum ad regnum cælorum. Tu verò nondum sapis ea, quæ sunt Dei, sed humanis affectibus ductus, repugnas voluntati divinæ. Ne obsta igitur inutilis monitor, sed à tergo sequens, discipulum age potiùs, quàm magistrum*, quæ Erasmi paraphrasis est. Atque is in annotat. ad h. l. Originem citat, qui observârit, dici hîc Petro: *Vade post me.* Cæterùm apud hunc [b] Ezech. 28. 14. Tu Cherub unctus protegens.
ipsum Matthæum cap. 4: 10. Diabolo tantùm dici, ὕπαγε, id est, *abi* nec addi, *post me*; quòd obedientiæ sit, *ire post Christum*: id quod in Apostolos quadrat, non in Diabolum. Verùm quia non Græcâ voce, ἀντικείμενος vel ἀντίδικος, utitur Salvator, sed Hebræa vel Syriacâ *Satanas*, quâ perpetuò in N. T. *Diabolus* intelligitur: cumque eâdem phrasi Diabolum alloquatur Christus Luc. 4: 8. ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, *abi post me Satana* (etsi corruptionem in hoc Erasmus statuit, ob ante allatam Origenis, uti & Ambrosii, autoritatem: ita tamen legi apud Theophyl., & in editione Hispanica, contra Origenis annotationem, idem subjicit) rectiùs videtur, Christum per metaphoram quandam vocasse Petrum *Satanam* seu

Diabolum, quia in adversando sibi, Diabolo quasi similis effectus erat, & non nisi Satanicum consilium, Dei voluntati è diametro contrarium, suppeditabat. Luth. tom. 4. Lat. f. 364. pulchrè ex hoc deducit hoc axioma, *quod, quicquid Petrus, cum universo collegio Apostolorum, loquitur ex suo sensu, & non ex ea confessione revelationis* (de qua ℣. 16, 17, 18.) *hoc sit habendum Satanicum & adversarium Christo:* Confertque 1 Cor. 3: 11. cap. 16: 22. Gal. 1: 8, 9. 2 Pet. 1: 19, 20. &c. Ibidem submonet, *quòd in Petro & Apostolis suis, hoc loco Christus præfiguraverit totius Ecclesiæ suæ historiam futuram, sc., quòd aliqui sint verè Christi confessores in Ecclesia futuri, optimi sc. Episcopi & martyres, qui Christum Filium Dei vivi purè confessi sunt, & docuerunt, exemplo Petri, ex revelatione patris loquentis. Sed quia idem Petrus & Apostoli statim post carnem sapiunt, imò Satanæ fiunt (ut ipse dicit) significatur etiam hac historiâ, quod post successores Apostolorum, & Episcopos optimos, venturi essent Episcopi Satanici: Et tandem ille, qui Petri solius solus & unicus vellet esse successor, qui Satanam, pro revelatione patris, sequeretur, & non regnum Dei, sed mundi, quæreret. Et hanc prophetiam videmus palpabiliter & horribiliter impletam.* Hactenus Lutheri verba. Quidam cum phrasi Christi conferunt, quòd David ad Abisai, suadentem ut Simei interficeretur, dicit 2 Sam. 19: 22. *Quid mihi & vobis, filii Zeruja? quòd efficimini mihi hodie* לְשָׂטָן *in Satanam?* LXX. εἰς διάβολον, *in Diabolum.* Potest autem hîc etiam appellativè accipi pro *adversario.* Tantum de hoc. Joh. 6: 70. Christus Judam Iscariotem vocat *Diabolum*: quia ei similis efficiebatur: mendaciis & homicidio, adeoque insigniter malitiosus erat, quod *ex Diabolo esse* Joh. 8: 44. 1 Joh. 3: 8. & *filium Diaboli esse* Actor. 13: 10. Scriptura dicit. Erasmus & hîc: *Miror,* inquit, *placuisse vocem Græcam* (Vulg. interpreti) *dicere poterat, delator est: sive calumniator est; Sic enim designat Judam proditorem.* Citat tamen Chrysost. Qui *Diabolum* interpretetur pro Satana. Heins. in Arist. sacro p. 399: respexisse Euangelistam putat ad Zach. 3. v. 1, 2. ubi Satanas in Chald. dicitur חטאה & חטאיה à peccato, in quod se præcipitarat, quod est ἀποςάτης: ut sit sensus: *nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis apostata est.* Confirmat conjecturam, quòd Guido Fabricus in dictionar. Syro-Chald. notat, in emendatissimo exemplari apud Zachariam scriptum esse סטנא *apostata.*

*a Cœlum quid significet?*

## *À Cœlo desumtæ Metaphoræ.*

Creaturæ corporeæ, sive *corpora*, secundùm Physicorum distinctionem, vel *simplicia* sunt, vel *mixta & composita.* Simplicia sunt, *cœlum, & elementa;* seu, regio mundi æetherea, & elementaris. *a Cœlum*, quod propriè significat, *tùm* corpus cœleste, extimum illud, elementa claudens & ambiens, ac siderum stellarumque receptaculum, Gen. 1: 8, 14, seqq. cap. 15: 5. Psal. 8: 4. Psal. 19: 1, 5. Esa. 14: 13. *tùm* regionem aëream, quæ supra nos est: & hoc *vel* conjunctim cum æetherea, seu cœlo stellato, Gen. 1: 6, 7, 8, 9. (ubi mentione *aquarum sub cœlis, in locum unum congregatarum,* indicatur, id etiam cœlum esse, quod proximè super aquas illas est, quæ infima est aëris regio) *vel* separatim ab ea, adeoque solum aërem, Lev. 26: 19. Deut. 28: 23. 1 Reg 8: 35. 2 Par. 7: 13. Job. 1: 16. cap. 2: 12. Psal. 8: 9. Matt. 6: 26. Luc. 9: 54. cap. 12: 56. Metaphoricè accipitur, 1. pro divina gloria & majestate infinita, quæ Φῶς ἀπρόσιτον, *lux inaccessibilis*, 1 Tim. 6: 16. vocatur; ratione similitudinis, à cœli magnitudine, splendore, decore pulchritudine & præstantiâ desumtâ. Quò referri possunt verba Bonavent. in lib. 2. sentent. dist. 2. n. 33. *Corpus, quod est sursum, dicitur cœlum, quia est contentivum, secretum & quietum. Et quia hæc triplex proprietas repetitur in celsitudine divinitatis, ideò dicitur cœlum. Est enim ampla immensitate virtutis, secreta profunditate cognitionis, quieta tranquillitate delectationis. Hoc est superius omni cœlo, non situ, sed dignitate; & majus est omni cœlo, non extensione, sed ex sua immensitate, per quam est extra omnia, non exclusus &c.* Ita accipitur, cùm Deus dicitur *habitare in cœlo* Psalm. 2: 4. 1 Reg. 8: 39, 43. &c. Sic Deut. 26: 15. *Respice de habitaculo sanctitatis tuæ; è cœlis, & benedic populo tuo &c.* Ita de Christo dicitur, *quod de cœlo descenderit*, Joh. 3: 13. c. 6: 33, 50, 51. 1 Cor. 15: 47. h. e. ex inaccessa majestatis divinæ luce quasi prodierit, & in assumta carne se manifestarit. Et idem *majestatis thronus in cœlis* est, Heb. 8: 1. *in excelsis*, c. 1: 3. ad quem Christus in statu exaltationis, secundùm humanitatem, pervenit. Confer Johan. 17: 5. Quod (cœlum propriè dictum si commemoretur) ita effertur Heb. 7: 26. *quod excelsior cœlis factus sit?* Eph. 4: 10. *quod ascenderit supra omnes cœlos, ut impleret omnia* Confer Psalm. 8 2. Psal. 108: 5. &c. quibus dictis non tàm altitudo loci, quàm divinæ majestatis sublimitas exprimitur. 2. Pro spirituali Dei regno, ac felicitatis statu, quo

Angelis

Angelis & hominibus se manifestat & communicat. Idque tùm *gratiæ* est, Ecclesiæ videlicet in hac vita militantis collectio, & gratiosa gubernatio; quò pertinet appellatio *regni cœlorum*, Ecclesiæ sæpè tributa, Matth. 13: 11, 24, 31, 33. c. 20: 1. c. 22: 2. &c. Item cùm Esa. 51: 16. *cœlum plantari*, c. 65: 17. *novum cœlum creari* dicitur, quibus phrasibus restauratio Ecclesiæ per Christum denotatur, quæ in hac vita incipit, in futura æterna consummatur, 2 Pet. 3: 13. Ratio comparationis est, quia quemadmodum cœlum naturæ maximè distat à terra: sic Dei viæ, in moderanda Ecclesia sua, & beandis credentibus, longissimè excedunt terrenum administrationis modum, Esa. 55: 9. Et quemadmodum in cœlo naturæ omnia sunt ordinatissima, lucis & fulgoris plena: Ita in Ecclesia, Deus ordinis & pacis, 1 Cor. 14: 33. convenientissimo mediorum ordine credentes suos ducit, mirificat, salvat: & id splendore verbi sui salvifici &c. Tùm *gloriæ*, Angelorum nimirum & hominum beatorum, in glorioso Dei aspectu & perfectâ fruitione, felicitas æterna ac ineffabilis. Quò spectant phrases; Matth. 18: 10. *quòd Angeli in cœlo semper videant faciem DEI.* Sermo est de Angelis in custodiæ parvulorum actu constitutis: Innuitur igitur, Angelos etiam in terris degentes apud Christianos, verè *in cœlo esse*, h. e. in cœlesti beatitudinis statu. Matth. 6: 20. *thesauri recondi* dicuntur *in cœlo* Luc. 18: 22. *habere thesaurum in cœlo.* Phil. 3: 20. *conversatio nostra esse in cœlis &c.* quibus fides & spes Christiana ad æternam beatitudinem adspirans tendensque intelligitur. *De hoc cœlo Satan cecidisse dicitur, ut fulgur*, Luc. 10: 18. *Satan* (inquit Flacius) *non per locum cecidit, sed per gradus dignitatis: nempe ex illa summa justitia, favore Dei, spiritualique beatitudine, in summam injustitiam, & pœnas aut calamitates æternas & spirituales.* De scopo verborum Christi ita Erasmus in paraph: *Jesus, quo muniret suorum animos adversus morbum inanis gloriæ, qui sanctis etiam solet obrepere, proponit illis exemplum Luciferi, qui ob superbiam à tanta felicitate subitò dejectus esset. Videbam, inquit, Satanam, fulguris ritu de cœlo cadentem. Insignis erat illius dignitas in cœlis; & tamen ob animi tumorem subito dejectus est à summis ad ima. Quantò magis vobis cavenda superbia qui mortale corpus circumfertis, omnibus obnoxii periculis.* Alii verò de Christi potentia & efficaciâ, quam per Apostolorum prædicationem exseruit, hoc intelligunt, cui invitus Satan cedere cogatur, & quâ de sua potestate, quam in homines obtinet, q. ex sublimi deturbetur.

In cœlo prætereà consideranda, ornamenta ejus, videlicet מְאֹרֹת *luminaria*, uti vocantur Gen. 1: 14. [a] Sol & Luna cum stellis, quæ lucis δοχεῖα & organa sunt. Es. 60: 20. Sol & Luna indesinenter splendentes, æternam beatitudinem in cœlis metaphoricè notant: *Non occidet ultra Sol tuus, & luna tua non deficiet.* Additur explicatio: *Quia Dominus erit tibi in lucem sempiternam, & finientur dies luctus tui.* Confer. Apoc. 22: 5. Miscentur in hoc capite Esaiæ, quæ statum Ecclesiæ in hac vita, & in futura cœlesti, attinent, uti accurata ejus inspectio edocet. Chaldæus verba illa de Sole & luna, non ineleganter transferendo exponit: *Non abolebitur ampliùs regnum tuum, & gloria tua non transferetur.* Solis lux prosperitatis nota est, ut inferiùs dicetur: Igitur è contrario Solis occasus & obscuratio metaphoricè calamitates, mœrorem & ærumnas significat. Jer. 15: 9. *Occidit Sol ejus, die adhuc existente.* Chald. *translata est gloria eorum, in vita eorum.* De inopinatis & gravissimis calamitatibus agi, antecedentia & consequentia declarant. Amos. 8, 9. *Faciam occidere Solem in meridie, & obtenebrabo terram die lucida*, hoc est, obruam vos subitò plagis & calamitatibus. Sic & Mich. 3: 6. Joel. 2: 10. cap. 3: 4. Esa. 13: 10. Contrà lucis solaris & lunaris accretio, magnam felicitatem spiritualem, metaphoricè significat Esa. 30: 26. *Et erit lux lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter sicut lux septem dierum* &c. q. d. auxilium, quod vobis præstabo, tàm amplum & illustre futurum est, ut tempore illius duo mundi luminaria, luna & Sol, veluti populo liberato congratulantia, solito sint hilariora & illustriora futura. Ad hyperbolen hoc quidam referunt. [b] Psal. 8: 4. per *lunam* quidam metaphoricè Ecclesiam (quæ Cant. 6: 9. lunæ comparatur pulchritudine) & per *stellas*, Ecclesiæ viva membra, præsertim verbi doctores, intelligunt, cùm de Christo & ejus regno in eo Psalmo tractetur, explicante ipsomet Matth. 21: 16. Potest verò propria significatio hîc retineri, & cum sequentibus hoc sensu connexio institui: *Cùm aspicio cœlos tuos, opus digitorum tuorum, lunam & stellas, quæ tu, Deus, præparâsti* seu creâsti, agnosco quidem summam tuam potentiam, bonitatem, & majestatem: Sed cùm intueor filium tuum, hominem ex muliere factum, infimè in passione & morte humiliatum, mox iterum summâ gloriâ honoratum, ibi tùm magnitudo tuæ sapientiæ, omnipotentiæ, veritatis & misericordiæ, omnem excedit humanum captum. Cur verò *Lunæ & stellarum*, non verò *Solis*, præcipui illius digitorum Dei in cœlo operis, mentionem facit? Quidam vel per *cœlos* Solem me-

[a] Sol, luna, stellæ.

[b] Ps. 8: 4. lunam & stellas &c.

metonymicè intelligendum, aut statuendum esse putant, pro שָׁמֶיךָ *cœlos tuos*, ab initio scriptum fuisse שִׁמְשְׁךָ *Solem tuum*. Sed non opus est huc dilabi. Loquitur Propheta de aspectu cœlorum non diurno, sed nocturno, meditationi aptissimo: per diem enim nec luna, nec stellæ, sed Sol unicus apparet: noctu vero non sol, sed luna & stellæ in cœlo visuntur: In Psalmo autem 19. 5, 6, 7. diurnam considerationem instituit, & solem aspiciendo describendoque, cum regno Christi collationem sanctam instituit. Ita nimirum homo Deo deditus, *in lege ejus* (& in operibus tùm naturæ, tùm gratiæ) *meditatur die & nocte*, Ps. 1. v. 2. & *media nocte surgit ad confitendum Domino, propter judicia justititiæ ejus* Ps. 119: 62. dum filii hujus seculi vel helluantur & ebrii sunt, vel libidinibus vacant, vel aliud nequitiæ genus designant.

*Stellarum* nomine, viri illustres & præcipui intelliguntur, Dan. 8. v. 10. *Et crevit* (cornu illud parvum, per quod *Antiochus* intelligitur) *usque ad exercitum cœlorum; & dejecit in terram de exercitu, & de stellis, & conculcavit eas*. Per *exercitum cœli*, populus Dei sive Ecclesia, Judæa olim circumscripta: Per *stellas* vero viri principes & illustres inter cæteros, qui administratione sua in Ecclesia & Republica aliis præluxerunt, denotantur. Unde v. 24. id ita explicatur; *Vastabit robustos, & populum sanctorum*, q. d. summos cum infimis perdet. Conferatur 1 Maccab. 1. v. 25. seqq. a *Stellarum* imagine etiam verbi divini doctores, & Ecclesiarum præsides figurantur, Apocal. 1. v 16, 20. cap. 2. v. 1. Quæ consideratio pulcherrimè ostendit ministerii tùm *Dominum*, cujus *facies instar Solis in fulgore suo lucentis*, ibidem cap. 1: 16. proponitur.

a Stellæ ministros verbi designant.

1. Ut Sol lucem communicat suam stellis in cœlo: Sic Christus, *Sol justitiæ*, Mal. 4: 2. cognitionis salutaris lucem impertit fidelibus suis servis, 2 Cor. 4: 6. *Stellarum exercitum educit, Dominus in numero, & omnes nomine vocat*, Esa. 40: 26. Idem ministros suos in Ecclesia tanquam exercitum sacrum adversus Satanam & mundum educit, eosque vocat nomine, Ps. 68: 12. Tùm *officium*.
2. Stellas posuit Deus *in*
3. *firmamento, ad illuminandum terram*, Gen. 1: 17. Lux doctrinæ, quam afferunt Ecclesiæ ministri, sit cœlitùs allata, & ex solo cœlesti verbo deducta, 2 Pet. 1: 16, 19. quod præ melle animabus θεοδιδάκτοις dulce est, Psal. 19 v. 13. Psal. 119, 103. Secus si fiat, fit stella, *absinthium* dicta, Apoc. 8: 11. ob summam amaritudinem, animæque perniciem. Stella deduxit Magos unicè ad Christum, Matth. 2: 9. Hunc solum etiam respiciant docendo ministri, 1 Cor. 2: 2. De stellis dicitur Sir. 43: 11. *quòd secundùm verbum Jehovæ ordinem suum teneant, nec deficiant in vigiliis suis*. De ministris verbi Heb. 13: 17. *quòd vigilent pro animabus hominum*. Non igitur in vigiliis suis deficere debent, ob mundi ingratitudinem, sed & doctrinâ, & vitæ exemplo, ordinem eundem constanter servent; ita procul aberunt *à stellis illis erraticis, quibus caligo tenebrarum in æternum servata est*, Jud. v. 13. Curent etiam, ut omnia *decenter & secundum ordinem* in Ecclesia fiant. 1 Cor. 14. v. 40. De stellis dicitur Jud. 5: 20. *quod de cœlis pugnaverint contra hostes populi Dei*. Gravissima pugna adversus Diabolos verbi ministris proposita est, Eph. 6: 12. videant igitur, ut ritè depugnent, 2 Cor. 10: 3, 4, 5. ut de consequendo præmio cœlesti gloriari in Domino possint, 2. Timoth. 4: 7. 8. De stellis dicitur Genes. 1: 14. quod, unà cum Sole & lunâ, *dividant inter diem & inter noctem, & sint in signa & tempora, & dies, & annos*. Ministrorum verbi est; *dividere inter diem & noctem, lucem & tenebras*, hoc est, discrimen boni & mali. pietatis & impietatis, diligenter ostendere & inculcare, Esa. 5: 20. Jer. 15: 19. Rom. 13: 12, 13. 2 Cor. 6: 14. seqq. *signa item & tempora dare*, hoc est, providere, ut quæ ad cultum DEI publicum pertinent, ritè & εὐκαίρως, singulis anni partibus peragantur, ne quæ fiat ἀταξία & confusio: *dies item & annos indicare*, hoc est, prædicare annum beneplaciti Domini, Esa. 61. vers. 2. & diem ultimam pantocriticam sedulò inculcare. Act. 17: 31. De stellis dicitur. 1 Cor. 15: 41. *quod gloriâ inter se differant*. Sic donorum Spiritus Sancti in verbi ministris, mira est diversitas. 1 Cor. 12: 4. seqq. *Omnes vero stellæ luminosæ Dominum laudare* jubentur Psal. 148: 3. Confer Job. 38: 7. Sic omnes verbi divini præcones, quantiscunque sint præditi à Spiritu S. χαρίσμασι, & qualecunque in Ecclesia gerant munus, Dominum ardenter laudent, & in cordis ἁπλότητι ipsi serviant, mutuamque inter se, absque αὐθαδείᾳ & invidiâ, colant pacem ac concordiam. *Tùm præmium*, si fideles se exhibeant. Idque non in hac vita solùm: *Stellas*, à Johanne visas, *in dextra sua gerit Christus*, Apocal. 1: 20. de clementissima protectione manus Christi omnipotentis, sint certi fideles ipsi ὑπηρέται, Esa. 51: 16. Sed & in futura vita. Dan. 12: 3. *Justificantes multos, fulgebunt sicut stellæ in seculum & æternum*. Sat dictum de stellis Ecclesiasticis. *Stellarum obscuratione* quandoque calamitates denotantur, Esa. 13: 10. Eezech. 32: 7. Joel. 2: 10. ut antè de Sole & luna etiam dictum.

Stella aspectui nostro omnium lucidissima

Φώσ-

a Φωσφόρος, *lucifer* vocatur, Heb. הילל *à splendendo* dicta. Ad descriptionem inopinati Regis Babyloniorum casus & *ruinæ*, ea metaphorice transfertur Esa. 14: 12. *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer fili auroræ? Filius auroræ* stella ea vocatur, quia dum auroram comitatur, quasi ex illa natus esse videtur. Cursus ejus est perpetuus & constans, ut nihil timendum sit, ne de cœlo cadat. Significatur igitur, visum propemodum esse impossibile ac incredibile, ut hujus tanti regis, instar Luciferi præ aliis Regibus illustris, splendidique, potentia & majestas de celsitudine sua dejici possit. Gregorius Papa in Ezech. scribens, uti & Scholastici doctores, hæc verba, uti & reliqua, *de lapsu Diaboli* exponunt, ex quo usus obtinuit, ut princeps Dæmoniorum *Lucifer* vocetur. At hoc epitheton Spiritui isti maligno planè non competit, & datam loci Prophetici explicationem DEUS ipse confirmat, vers. 4. *Et levabis parabolam istam contra Regem Babel* (non contra Diabolum) *& dices &c*, Christum Salvatorem nostrum vocari *Luciferum*, suprà in capite de ἀνθρωποπαθείᾳ dictum & explicatum est. Præter hoc, ἀστὴρ πρωϊνός, *stella matutina*, symbolum est lucis gloriosæ in vitâ æternâ. Apocal. 2. vers. 28. Conferri, quoad metaphoram splendoris stellarum, possunt, Daniel. 12. vers. 3. 1 Cor. 15. v. 41, 42. Verùm ad ipsam *Lucem* in genere considerandam, nunc deveniemus.

## A LUCE deductæ metaphoræ.

Luminarium & ornamentorum cœli, duo præcipui effectus sunt: *Lucem mundo præbere, & tempora distinguere*. In metaphoris à *luce* desumtis, distinctè de *nominibus & verbis* agendum, quæ tamen in multis conjuncta sunt. In genere igitur *b lux* accipitur 1. pro ipsa vita Job. 3: 20. *Quare dedit* (DEUS) *laboranti lucem*. Sequitur explicatio: *& vitam amaris animo*, v. 21. *qui exspectant mortem, & non est &c* Unde phrasis. *Videre Lucem*, hoc est, vivere & nasci vivum, Job. 3:16. *Ambulare in luce viventium*, hoc est, agere inter vivos, seu vivere: vitâ nimirum tum corporali, tum spirituali, quæ in Deo est, Psal. 56: 14 Hinc & precatur David, Psal. 13: 4. *Illumina oculos meos, ne obdormiam in morte*. 2. Pro quavis prosperitate, & inde exorta mentis lætitia. Est. 8:16. *Judæis fuit lux & lætitia, & gaudium & honor*. Ubi synonyma ἐξηγητικαὶ eminentiam prosperitatis & lætitiæ Judæorum, ex divina liberatione ortæ, indicant. Job. 29: 3. *Ad lumen Dei ambulabam in tenebris* hoc est, à calamitatibus liber, felicem agebam vitam. Ibidem ℣. 24. *Lumen vultus mei, non dejiciebant*, hoc est, non afficiebant me mœrore, sed in omnibus studebant placere mihi & gratificari. Psal. 97: 11. אור זרע *lux sata est justo*. Sequitur explicatio, *& rectis corde lætitia*. Emphatica *sationis* vox etiam est, q. d. reposita est, & latens, velut semen terræ mandatum, sed suo tempore certò proditura. Confer Esa. 61: 11. Col. 3: 3, 4. *sata est cum semine* cœlestis verbi, & plenissima ac fulgentissima, sementis hujus gratiosæ, messis sequetur in resurrectione ad vitam æternam. Ita etiam *Lux* accipitur Psal. 112: 4. Prov. 13: 9. Esa 45: 7. cap. 58. 8. cap. 59. 9. Hujus autem & præcedentis membri ratio collationis, *in lucis utilitate & jucunditate* quærenda est. Eccl. 11: 7. &c. 3. Pro aperto & manifesto rerum statu. Matth. 10: 27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce*; Sequitur alia, de hac publicatione, metaphora: *Et quod in aurem auditis: prædicate in tectis*. Sensus est: Ad id vocamini à me, ut quod à me privatim audivistis, publicè aliquando in toto mundo annuncietis. Sic Zeph. 3: 5. Joh. 3: 21. 1 Cor. 4. ℣. 5. Menandi versus: πάντ᾽ ἀνακαλύπτων ὁ χρόνος πρὸς φῶς φέρει. 4. Pro gratia & benevolentia. Prov. 16: 15. *in luce faciei Regis vita est*. Sequitur explicatio; *& benevolentia ejus est veluti nubes serotinæ pluviæ*. Ita & de Deo usurpatur, ut suprà de ἀνθρωποπ. dictum. Similis phrasis est, *serenâ fronte adspicere*: Et *spem fronte serenare*, apud Virgil. *Nubila animi serenare*, apud Plin. metaphorâ à cœlo sereno lucidoque desumtâ. In specie, *c* mysterium regenerationis, renovationis & salutis nostræ, sæpiùs metaphorâ *lucis* exprimitur: idque respiciendo, (1.) Causam organicam, quæ verbum Jehovæ est. *Lux* illud crebrò dicitur, ratione ab ea luminis qualitate ductâ, quòd rerum discrimina notitiamque oculis exteriùs exhibet. Psalm. 43: 3. Prov. 6: 23. Esa. 2: 5. cap. 5: 20. 2 Cor. 4: 6. Joh. 1: 8. Ob prædicationem cœlestis verbi, Apostoli etiam dicuntur *lux mundi*, Math. 5: 14. (uti & Rabbini in genere sapientes vocant אור העולם *lucem mundi* Chald. נהורא דעלמא) & *lux eorum lucere* dicitur *coram hominibus*, ℣. 16. nimirum, lux tùm doctrinæ, per sedulam prædicationem: tùm vitæ & exempli (2.) Causam formalem, quæ cognitio salutaris Christi, & vera fides est, per dilectionem & bona opera ἐνεργής. Actor. 16: 18. Ephes. 5: 8. 1 Pet. 2: 9. 1 Johan. 1: 7. Unde credentes *filii Lucis* dicuntur, *g* Luc. 16: 8. Ephes. 5: 8. 1 Thess. 5: 5. Bona opera dicuntur *arma lucis* Rom 13. ℣. 12. Vide Exeg. Evangel. & Epistol. part. 1. p. 105. (3.) Causam finalem & ultimum fidei scopum atque effectum, qui vita æterna est.

a Phosphorus.

b Nomen lucis.

c Mysterium salutis metaphorâ Lucis expressum.

est. Hæc *lucis* voce sæpè denotatur, Esa. 60: 19, 20. Joh. 8:12. Actor. 26:23. 2 Tim. 1:10. a Verba. &c. Ex his de quibusdam etiam *a verbis*, lucem attinentibus, facilè judicari potest. Psal. 13:4. הָאִירָה *illumina oculos meos, ne obdormiam in morte.* Petit tùm lumen sapientiæ cœlestis ex verbo Dei, tùm lumen vigilantiæ & circumspectionis, quò technas hostium effugere queat. Alluditque ad externam dormitationem, quæ facilè obrepit iis, qui vel in tenebris sedent, vel oculos claudunt: contrà si lumen in oculos fulget, non facilè nos somnus occupat. Psal. 19:9. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, videl. mentis, hoc est, intellectum dans & cognitionem, tàm divinæ voluntatis, quàm no-
c Umbræ. stræ corruptionis: & præterea dans rerum agendarum prudentiam, ne homo fit sicut mulus & equus, quibus non est intellectus. Psal. 34:6. *Aspexerunt ad eum* וְנָהָרוּ *& illuminati sunt*, hoc est, exhilarantur à Deo credentes; liberatione gratiosâ & salutari, ne succumbentes confundantur coram impiis. Quidam ad alterum verbi נהר significatum, quo *confluere* notat, respicientes, vertunt; *Qui respiciunt ad eum, & confluunt*: vel, *& properant* Luth. welche ihn ansehen und anlauffen *&c.* Utrumque commodum est: Confer annotationem Lutheri Germ. Prov. 4:18. *Semita justorum veluti lux* נֹגַהּ *splendens, vadens,* וָאוֹר *& illuminans, usque ad paratum diem*, hoc est, tota piorum vita illustris est: & ipsi gratiâ Dei, pace conscientiæ, & gaudio Spiritus, magis magisque donantur & reficiuntur, donec ad beatissimæ æternitatis paratam & perfectam
d Tenebræ. diem perveniant: Patet hæc explicatio ex antithesi in ℣s. 19, &c. Eccl. 8:1 *Sapientia hominis* תָּאִיר *illustrat faciem ejus, & fortitudo faciei ejus* יְשֻׁנֶּא *duplicatur*, hoc est, sapientia hominem ita illustrem, hilarem, & beatum efficit, ut indies augescat, & confirmetur, adeóque ad imaginem Dei transformetur à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu, ut 2 Cor. 3. ℣s. 18. Paulus loquitur. Esa. 60:5. *Tunc videbis* וְנָהַרְתְּ *& splendebis*, hoc est, lætitia impleberis. Ita Chald. R. Kimchi, Ariæmont. & alii. Quibusdam magis placet *diffluendi* significatio, metaph. à torrentibus ducta. Posset jucundè sermo Christi Joh. 7:37,
b Joh. 1:9. Christus lux vera illuminans omnem hominem. 38, 39. hîc conferri. *b* Joh. 1:9. *Erat lux illa* (Christus) *lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in mundum.* In hæc verba pulcherrima Erasmi est paraphrasis: *In his mundi tenebris subinde emicuerunt viri sanctimoniâ præcellentes, velati stellulæ in densissima noctium caligine, ac ceu per nebulam, lucis nonnihil ostenderunt, sed Judæis tantum, aut Judææ finitimis. Verum hæc lux vera lucem impertit non uni tantum nationi, sed omnibus hominibus, prodeuntibus in hujus mundi tenebras: venerat, ut per Evangelicam fidem illucesceret cordibus omnium totius orbis nationum. Non excluditur Scytha, non Judæus, non Hispanus, non Gothus, non Britannus; non reges, non servi. Quantum est in ipsa luce, venit illustrandis omnibus. Quod si qui perseverant in tenebris suis, non lucis est culpa, sed ejus, qui perversè tenebras amat, lucem horret: Lucet autem omnibus, ne quis impingat in meridie, quòd oculos nolit attollere. &c.* 2 Cor. 4:6. insignis illuminationis nostræ spiritualis descriptio exstat, instituta cum lucis primogeniæ exortu, collatione. Confer Eph. 3:8, 9.

Luci privativè opponitur tùm *c umbra*, quæ lux impedita à totali splendore est, corporis interjectu: Eâ verò metaphoricè præsidium ac defensio contra omnis generis adversa denotatur: sicut umbra tuetur contra Solis æstum diurnum, Esa. 16. ℣s. 3. cap. 30. ℣s. 2, 3. Thren. 4. ℣s. 20. &c. Ita etiam Deo tribuitur; ut supra c. 8. circa finem dictum. (Quando verò ceremoniæ & typi V. T. dicuntur *umbra* respectu Christi, Col. 2:17. Hebr. 10:1. non naturalis, sed artificialis, & pictoria intelligitur, pictores enim priùs σκιὰν & umbratilem quandam delineationem præmittunt, postmodùm vivis quasi coloribus imaginem absolvunt, umbra illâ & delineatione primâ evanescente. Ita se habuerunt omnia veterum Sacrificia & Ceremoniæ, quæ Christum eminùs figurabant, quo adventante, cessarunt. Patet hæc explicatio ex oppositione σκιᾶς καὶ εἰκόνος Hebr. 10:1.) Tùm *caligo & d tenebræ*, quæ cùm omnium rerum pulchritudinem & nitorem celent, distinctionemque, separationem, & definitionem confundant ac perturbent, adeoque nihil grati vel laudabile in se contineant, non nisi mali notionem significationemque in Scripturis sanctis offerunt. Quia verò contraria contrariorum (sibi interim ἐκ παραλλήλȣ quasi respondens) est ratio, igitur de significatis *tenebrarum*, ex opposita *Lucis* ratione, optimè judicium fieri potest. In genere 1. uti *lux vitam*, ita *caligo mortem* metaphoricè designat. Job. 10:21. *Antequam vadam, & non revertar, ad terram caliginis, & umbræ mortis* v. 22. *Terram obscuritatis, sicut caligo umbræ mortis, & non sunt in ea ordines, & tenebrescit sicut caligo.* Periphrasis hæc mortis & sepulcri est. Psal. 18:13. *Num cognoscentur in tenebris mirabilia tua?* Confer v. 11. ℣s. 12. Eandem significationem statuunt quidam Job. 28. ℣s. 3. *Finem ponit tenebris* (hoc est, efficit, ut quæ non erant, sint) *& omni perfectioni,*

*quam*

*quam ipse inquirit*, *ponit lapidem caliginis & umbræ mortis*, hoc est, omnem rem formatam, cujus ipse autor est, redigit in nihilum. Ita Vatablus. Flacius verò in clave Script. col. 96. *Omni perfectioni ponit lapidem caliginis & umbra mortis*, id est, omnia facit mori, & in nihilum redigit: *Ut lapis caliginis* sit tegmen sepulcri. Verùm scopo totius capitis conformior est Jun. & Tremelli versio, quæ ad hominem hæc verba refert: *Terminum impositum tenebris, & omnem perfectionem* (mortalis) *ipse pervestigat, lapidem caliginis & umbra lethalis*. Per *terminum impositum tenebris*, viscera, fibræ, & sinus terræ intimus: Per *lapidem caliginis*, abstrusissimi lapides intelliguntur. Scopus est, utcunque homines sagaces intima terræ investigent, tamen sapientiam ipsam investigare ac invenire nequeunt, ut ex collatione cum v. 12. seqq. patet. Vide sis Matthesium in Sarepta Conc. 12. f. 128. ubi matallica hæc pulchrè explicat. 2. Uti *lux* prosperitatem & gaudium, ita *tenebræ & caligo*, quævis mala, infelicitatem, incommoda, calamitates, & exinde ortam mœstitiam, luctum mœrorem, significant. Videantur loca, Job. 5:14. c. 15:22 c. 17: 12. c. 18:5,6. Ps. 44:20. Ps. 88:13. Ps. 143:3. Esa. 5: 30. c 47: 5. c. 50: 10. c. 59:9. Jer. 8: 21. c: 13: 16. Thren 3: 2, 6. Ezech. 32: 7, 8. (ubi evidens descriptionis tenebrarum συναθροισμός;) Joel. 2:2 c. 3:4. Amos. 5: 18. Mich. 7: 8. Nah. 1: 8. Zeph. 1: 15. &c. 3. Uti *lux* pro manifesto, ità *caligo* pro occulto, secreto, incognito accipitur. Job. 12:22. Eccl. 6: 4. Esa. 45: 19. Matth. 10: 27. Conf. Joh. 3: 20, 21. Eph. 5: 11, 12, 13. Quò referri potest, cùm חשכים *obscuri*, ignobiles, infimæ sortis homines, à famæ splendore alienos, notat, Prov. 22:29. In specie, uti *Lux* regenerationis & restaurationis hominum ad salutem æternam exprimit mysterium; ita ex opposito, *tenebræ* statum corruptionis, peccati, & damnationis notant: & quidem, respiciendo item, 1. ad causam organicam, quæ veritas verbi divini est. Hoc respectu *tenebræ* significant errores, mendacia, & perversitates doctrinæ, Es. 5:20. c. 9:2. c. 60: 2:3. (Confer c. : 3.) Joh. 12. v. 35. Rom. 1 21, 22. etsi consequenter his locis denotentur etiam ea, quæ jam sequuntur. 2. Ad causam formalem, quæ cognitio Christi, & fides per pietatem operosa est Hoc respectu *tenebræ* significant infidelitatem & peccatorum studium, Ps. 82: 5. Prov. 2: 13. Joh. 1:5. c. 3: 19. Act. 26: 18. Rom. 13: 12. 2 Cor. 6 4. Eph. 4:17, 18, 19. c 5 8, 11. 1 Joh 1:6. c. 2:9, 11 etsi antecedens membrum in his dictis connotatur, cùm ex ignorantia & erroribus doctrinæ, omnis infidelitas, impietas, & peccata oriantur. 3. Ad causam finalem, ultimumque effectum. Hoc respectu *tenebræ* mortem æternam & damnationem significant. Matth. 8: 12. c. 22: 13. 2 Pet. 2: 4. Jud. v. 6. Horum malorum omnium cùm autor sit Diabolus, ipse cum colluvie tota infernali dicitur *potestas tenebrarum*, Luc. 22, 53. Eph. 6: 12. Col. 1: 13.

## A Tempore deductæ metaphoræ.

Alter luminarium cœli effectus est *temporis discretio*. Ab iis verò differentiis aliquot metaphoræ ducuntur. [b] *Dies* accipitur, (1.) Pro temporis commoditate à Deo concessa. 1 Sam 25: 1. *Die boni venimus*, hoc est, εὐκαίρως & commodè, cùm in apparatu illo tuo nostram sublevare indigentiam benè jam possis. Joh. 9: 4. *Me operari oportet opera ejus, qui misit me, donec dies est: Venit nox, quando nemo operari potest*; hoc est, operandum mihi est, donec adest tempus, & commoditas, divinitùs ad hoc ordinata ac donata. Paraphrasis Erasmi: *Ego in hoc missus sum in mundum, ut procurem gloriam Dei factis hujusmodi, quæ incredulis fidem faciant, me vera loqui, ut qui crediderint, sanentur à cæcitate sua. Hoc mandatum mihi gnaviter exsequendum est, quamdiu dies est. Nam luce solent homines operari, si quid habent operis. Nox enim ad opus inutilis est. Interim igitur, dum præsens dies operandi præbet facultatem, quæ ad salutem æternam pertinent, non est cessandum. Ventura est enim nox, cùm jam frustrà velint homines operari, nec possint.* Conf. Luc. 13. v. 31, 33. Joh. 11: 9, 10 c. 12: 35. Rom. 13. v. 11, 12, 13. 2 Cor. 6: 2. [2.) Pro cognitione Dei & tempore gratiæ, Rom. 13. v. 12. *Nox præteriit, dies autem appropinquavit*. Oppositio est inter statum ante conversionem, qui *nocti* comparatur; & post conversionem, ad regnum Christi, quem *diem* appellat, eâ ratione, quâ de luce superiùs dictum est. Latiùs aliquantùm hic locus enucleatus habetur in Exeg. textuum Evang. & Epistol. parte 1. p. 103. 1 Thess. 5: 5. *Omnes vos filii lucis estis, ac filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum*. v. 8. *At nos qui sumus diei* &c. Elegans in textu illo est antanaclasis, *diei* voce primùm de extremo die pantocritico. v. 2, 4. deinde de dono restaurationis per Christum, v. 5. accepta: quibus v. 7. noctis naturalis, diei oppositæ, mentio subjungitur. 2 Pet. 1: 19. *Donec dies illucescat*, &c. Videtur vita & gloria æterna denotari, ut in verbis Apost. sit oppositio inter hanc & futuram vitam: quarum illa loco obscuro, qui

[b] Dies.

[a] Tenebræ spirituales.

qui indiget splendore alicujus lucernæ (lucerna autem ista *sermo Propheticus* statuitur) hæc verò claro diei, in quo Christus φώσφορος noster plenissimâ luce mentes credentium collustrabit, comparatur. Ex hinc Scripturæ Propheticæ (uti & Apostolicæ, quæ illi exactissimè conformis, ejusque lumen est explicatorium) summa perfectio probatur, quòd ad salutem æternam obtinendam, omnium sufficientissima est &c.

Diei partes sunt, *matutinum*, *meridies*, & *vespera*. Psal. 55: 18. *Matutino tempore* diligentia, sedulitas, solicitudo denotatur, sicut, quæ curæ & cordi sunt, diluculo surgendo peraguntur. Job. 8: 5. Psal. 5: 4. Psal. 92: 3. Psal. 101: 8. Prov. 8: 17. 2 Par. 36: 15. Jer. 35: 14 Zeph. 3: 5, 7. quibus locis vel ipsum nomen בֹּקֶר [a] *manè*, exstat, vel verbum שחר, quod *diluculo quærere* significat; & הִשְׁכִּים *matutinare*, seu manè paratum aut expeditum esse. De prosperitate *matutinam* accipi, quidam volunt, Esa. 21: 12. *Dixit vigil, advenit mane, & etiam nox* (advenit:) q. d. ad Duma seu Idumæos: Excusso jugo Israelitarum è collo suo (ut dicitur Gen. 27: 40.) libertate, copiâ bonorum, ac prosperitate usus es: Sed altera tibi instat ab Assyrio calamitas, quâ velut tenebris noctis obscuraberis. Quidam propriè vocem *manè* accipiunt, sed sensu priori illi haud simili: Venit quidem manè (uti vos quæritis, v. 11. *custos quid de nocte?* hoc est, quando orietur diluculum? & quid tùm futurum est?) verum simul cum illo venit nox illa crassior ac terribilior. Ubi enim dies calamitosi sunt, cum Sole oritur nova velut nox, eâ quæ præteriit, longe calamitosior, ut nox noctem excipiat. Flacius: Etiamsi venerit *manè* proprie acceptum, tamen non veniet metaphoricum, sed erit *nox* metaphorica. Chaldæus itidem metaphoricè accipit, sed generaliùs applicat. In enim integrum versum παραφράζει: *Dixit Propheta: est merces justis, & est vindicta impiis* (parata.) *Si vultis pœnitentiam agere, agite, cùm adhuc possitis &c.* Matutini temporis adjunctum & signum [b] *aurora* est: quâ per metaphoram subitaneus rei ortus notatur, sicut in aurora Sol primùm oritur, & radiorum quasi primitias momento emittit. Esa. 47: 11. *Et veniet super te malum, cujus auroram nescis &c.* hoc est, cujus adventum subitaneum vel ortum, non animadvertes primùm: sicut auroramanè in momento adest. Quidam hac voce prophetam Astrologorum Chaldæorum vanitatem ludificari putant. Quidam verò ita: Aurora seu diluculum, indicium habet adventus Solis: Sic malum hoc Babylonis habiturum erat præcurrentia adventus sui indicia, non minùs illustria, quàm est aurora diei prænuncia. Verùm præ cæcitate sua Babylon non erat illa cognitura. Hos. 10: 15. *In ipsa aurora succidendo succisus est Rex Israel*, hoc est, citò subitoque. Loquitur de Hosea filio Ela. 2 Reg. 17: 1, 5. &c. Insuper & divinæ gratiæ, credentibus obtingentis, notionem vox *aurora* obtinet, ob pulchritudinem exortæ lucis, & suavitatem, quam obtinet. Ut enim post noctis caliginosæ molestiam, diurnæ lucis principium aurora adfert, & non parum solatio iis est, qui, in morbis præsertim, noctis pertæsi, diei lucem avidè expetunt: Ita divinæ consolationis gratia, corda afflictorum & tribulatorum mirificè recreat reficitque &c. [c] Videamus autem duo hujus significationis exempla. Psal. 110. ℣. 3. *Ex utero auroræ tibi ros juventutis tuæ est.* De hoc loco multi multa. Simplicissimè exponitur per metaphoram, quâ *aurora* gratiam Dei in verbo oblatam designat, quæ & auroræ Esa. 58. vers. 8. Hos. 6. vers. 3. comparatur. Auroræ autem *uterus* tribuitur, propter spiritualis genituræ filiorum DEI mysterium. Evolutio tropi hæc est: Quemadmodum ros mirabili ac invisibili ratione, ex auroræ quasi utero nascitur, hoc est, copiosè sub auroram oritur & decidit, sine omni opere ac viribus humanis, Job. 38: 28. Ita ex gratiâ & misericordia DEI, virtute cœlestis verbi, modo longè abstrusiori & μυστικωτέρῳ, copiosè nascitur Messiæ vegeta illa *juventus*, hoc est, *populus ille devotionum in decoribus sanctitatis*, de quo verbis antecedentibus Psaltes divinus loquitur. Confer Psal. 22: 31, 32. Psal. 87: 4, 5. Esa. 53: 10. cap. 54: 1. Mich. 5: 7. Joh. 1: 12, 13. cap. 3: 5, 8. Jac. 1: 18. &c. Alter locus est [d] Esa. 8: 20. ubi per שחר *auroram*, gratiam DEI, ex eaque ortam consolationem & pacem Spiritus notari, pro certo ponimus: & ea de aliquo subjecto negatur, his verbis אֲשֶׁר אֵין־לוֹ שָׁחַר *cui non est aurora.* Sed inter interpretes discrepantia est, num de hominibus, num de prava doctrinâ Pythonicos consulentium, ea negetur? Si ad homines referatur, hoc sensu: *Ad legem & ad testimonium: Si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis aurora:* Proba quidem est sententia, at literæ textus non omnimodò conformis, in quo non pluralis לָהֶם *illis*, sed singularis לו *illi*, habetur: Et per relativum, *qui*, præcedentibus id cohæret, secundùm idiotismum, in Grammat. sacr. pag. 221. propositum. Præcedit verò *verbi* mentio, per quod si verbum idem intelligatur, quod per *legem & testimonium*, sensus resultat non ferendus, in eo verbo non esse auroram. Commodiùs igitur alii explicant, hoc modo:

[a] Manè.

[b] Aurora.

[c] Psal. 110: 3. Ex utero auroræ &c.

[d] Esa. 8: 20. Non erit eis aurora &c.

ilo: *Ad legem & ad testimonium*, (huc recurrendum, & hæc consulenda ex Dei voluntate sunt!) אם לא *si non*, (vel, sin minus; si noluerint quæsitum ire ad legem & testimonium veritatis divinæ) *dicant* (concessio ironica, cum indignatione conjuncta: dicant sanè, quia aliter nolunt, etiam sæpiùs serioque moniti: *dicant*, inquam) *secundum verbum hoc* (videlicet) *cui non est aurora* (lux ulla divinæ gratiæ & solaminis.) v. 21. *Et transeat per eam* (terram) *induratus & esuriens* (singulare pro plurali) *fiatque, cùm esurierit, & irascetur, & maledicet Regi suo & Deo suo* &c. Ex eo igitur, quòd dicit Propheta, verbum illud impii populi, quo dicebant, *consilium quærendum esse à Pythonicis, & non à Lege & testimonio*, verbum esse sine aurora, seu expers lucis gratiæ divinæ & consolationis; ex eo, inquam, certò sequitur, secundùm Prophetæ intentionem, in solo verbo legis & testimonii divini reperiri illam auroram gratiæ & consolationis; & certum consilium in tribulationibus & afflictionibus, quod instar auroræ suavis mentibus afflictis sit. Qui hoc verbum negligunt, rejiciuntque, non nisi in tenebris ambulant, erroribus se involvunt, tandemque æternum pereunt: quod altera illa sibi vult interpretatio, quoad rem, cum allatâ, eadem.

[a] *Meridies* pro rebus evidentissimis accipitur Deut. 28: 29. Tob. 5: 14. Uti & Latinis, in proverbio, *meridiana lux*, pro re clarissima & evidenti usurpatur. Cum *meridie* fit comparatio, dum de felicitatis luce ac splendore agitur, Job. 11: 17. *Et supra meridiem exsurget tempus*, hoc est, illustrissima gloria circumfulgebis. Confer Ps. 37: 6. [b] *Vespera* matutino eleganter opponitur, dum de vicissitudine calamitatum & consolationis, quam Deus observat in credentibus, sermo est. Psal. 30. 6. *In vesperâ pernoctabit fletus, & manè lætitia*, sc. adest, q. d. in calgine crucis flere quidem pii coguntur: at veniet iterum lætissima solaminis & auxilii divini aurora atque lux. Confer Joh. 16: 20, 22. Psal. 126: 5, 6. &c. *Vesperascendi* verbum eodem significatu exstat Esa. 24: 11. עָרְבָה *advesperascet omnis lætitia*, hoc est, complebitur, seu *cessabit*, ut Chaldæus reddit. Sol vesperi occidens relinquit tenebras noctis: Sic gaudium cessans relinquit calamitates atque luctum.

Diei opponitur [c] *nox*, cujus eadem ferè ratio est, ac tenebrarum, quæ nocte illuni, & cœlo nubilo, ingruunt. Job. 17: 12. *Noctem in diem posuerant: Lucem* (dixerant) *propinquam esse propter tenebras*. Loquitur de suis cogitationibus, quas *possessiones cordis sui* ℣. 11. vocaverat, ob præstolationem boni, sicut Christus ἐν ὑπομονῇ, *patientia* (& spe) *possidere animam* jubet Luc. 21: 19. Uti igitur cogitationes suas evulsas esse dixerat, hoc est, periisse jam omnem boni expectationem: Ita easdem cogitationas ait *posuisse noctem in diem, & dixisse, lucem propinquam esse*, videl. *propter tenebras* istas calamitatum, hoc est, certò sperâsse, calamitates (quas *nocti* obscuræ comparat) vertendas esse in prosperitatem, quam *diei* voce enunciat, & ita propinquam fore lucem pacis exoptatæ. Convenit hæc explicatio cum sequentibus. ℣. 13. *Si exspectavero, sepulchrum est domus mea*. &c. ℣. 15. *Et ubi nunc præstolatio mea? & expectationem meam quis intuebitur?* ℣. 16. *Vectibus sepulchri descendent: cùm pariter in pulvere descensus erit*. q. d. mox videbitur, cogitationes meas expectabundas, unâ cum corpore, feretro efferri in sepulchrum, & intercidere cum hac vita mea. Job. 35: 10. *Et non dixit, ubi DEUS factor meus? qui dat cantica in nocte*, hoc est, qui in adversis rebus præstat opem & liberationem, unde laus & gloriatio de bonitate ejus existit. Confer etiam Mich. 3: 6. &c. De regno impietatis & inferni *nox* usurpatur Rom. 13: 12. Quod autem 1 Thess. 5: 7. exstat: *Qui dormiunt, noctu dormiunt & qui inebriantur, noctu sunt ebrii:* quidam de somno & nocte naturali accipiunt; quidam verò de spirituali, somno scil. impietatis (Rom. 13: 11. Eph. 5: 14.) & nocte potestatis infernalis. Erasmus in paraph. eleganter conjungit utrumque, & verba textus Apostolici ita coordinat: *Dies* (extremi judicii) *metuendus iis, qui nunc excœcati vitiis suis, nocturnam agunt vitam: vobis, fratres, non perinde metuendus, ne vos improvisos opprimat. Vos enim omnes, qui Christum sequimini, non pertinetis ad regnum tenebrarum, sed ad regnum lucis ac DEI, præsertim si studio pietatis nostræ professioni respondeamus, atque ita vivamus, ut appareat nos in luce vigilare, non in tenebris stertere. Proinde si nolimus opprimi, ne dormiamus, quemadmodum faciunt cæteri, qui non norunt lucem Christi: sed vigilemus ac sobrii simus, animo semper circumspectantes, ne quid per incogitantiam admittamus, quod oculos hominum ac DEI offendat. „ Nam ut, qui juxta corpus dormiunt, nocte „ dormiunt, & qui vino temulenti sunt, nocte „ sunt temulenti: ita qui oscitant ac dormitant „ in vitiis, in animi tenebris versantur, & qui „ mundi cupiditatibus atque illecebris ebrii sunt, „ in mentis caligine versantur. At nos, quibus „ illuxit Evangelii dies, sobrios ac vigilantes esse „ decet &c.*

[a] Meridies.

[b] Vespera.

[c] Nox.

## *Ab IGNE desumtæ metaphoræ.*

Hactenus de cœlo, & quæ ad illud pertinent: Sequuntur *elementa*, numero quatuor: *ignis*, *aer*, *aqua*, *terra*. Ab illis, uti & rebus vel contentis vel analogis, quæ deducantur metaphoræ, porrò expendetur. Ab *igne* quæ deducuntur, ex qualitatibus ejusdem & effectis dijudicari queunt. 1. Ob claritatem, puritatem, splendorem, & alia attributa, *ignis* vox transfertur ad *Angelos*. Psal 104: 4. Hebr. 1: 7. Ignis efficacia agendi penetrandique, agilitate & celeritate, præ aliis creaturis DEI, maximè pollet. Quæ ad sanctos DEI ministros applicari commodè possunt. Ignis semper movetur sursum: Sic omnia sua in DEI gloriam referunt angeli. Ignis flammâ charitas designatur, Cant. 8: 6. Angeli divinâ charitate toti ardent. Ab igne dicuntur Angeli quoque [a] שְׂרָפִים *Seraphim* Esa. 6: 2, 6. hoc est, flammantes & ignei, à שָׂרַף *incendit*, *cremavit*. Arias Montanus in lib. Joseph, seu de arcano sermone p. 13. *Seraphim puritatem ab omni labe, sorde & gravitate alienam significant, qualis purissimus ignis est, adeoque illi DEI ministri, quos Esaias vidit, purgatoriam & purificatricem vim, ad DEI ministerium, & hominum utilitatem, obtinent.* In ipsa visione illa, vim purificatricem unus Saraph exseruit, adhibito externo carbonis igniti symbolo, quo labia Prophetæ tetigit, ℣s. 6, 7. Musculus in comment. *Quod visio angelorum, sedenti in solio cœlesti Regi adstantium, fuit in igne, ut* (Seraphim) *ardentes vocari potuerint, factum est convenienter ad caussam, quæ agebatur. Erat Dominus iratus populo impio ac rebelli. Sedebat ad judicandum de illo in solio judiciario. Itaque quemadmodum argumentum judicii DEI in sessione ac solio, ita & iræ illius indicium erat in ardore astantium illi angelorum ac ministrorum. Ardebat jam tum incendium illud, quo perituri erant impii:* 2. *Ignis* etiam verbum Evangelii de Christo inter gentes annunciatum notat, Luc. 12: 49. Vide Grammat. Sacr. p. 597. In evolutione respiciendum ad ignis virtutem ac efficaciam, tùm in *lucendo & illuminando* (quò pertinent ea, quæ de luce, conversionis nostræ & salutis mysterium notante, dicta sunt) tùm in *accendendo*: accendit verbum Christi corda hominum, amore DEI, devotione, desideriis cœlestibus, quò referantur Jer. 20: 9. Luc. 24: 32. & apparitio Spiritus S. in ignis symbolo, Actor. 2: 3. Matth. 3: 11. tùm demum in *consumendo & cruciando*. Verbum Christi omnes adversarios consumet, perdet, judicabit & condemnabit. Joh. 12: 48. quò reducantur Jerem. 5: 14. cap. 23: 29. Igni huic divino opponi videtur *ignis quidam alienus* (ut in typo Lev. 10: 1. est) videlicet falsæ doctrinæ, & traditionum humanarum. Esa. 50: 11. *Ecce omnes vos, accendentes ignem, cingentes vos scintillis, ambulate in foco ignis vestri, & in scintillis, quas accendistis &c.* Junius & Tremellius benè: *Christus h. l. superbos illos Pharisæorum Spiritus, totamque penè Ecclesiam Judæorum evincit impietatis, quod in tenebris illis spiritualibus se sibi accensuros lucem putaverint, & humanas traditiones tanquam malleolos comportaverint, neglectâ luce verbi DEI, & face Evangelii, quam offerebat Christus. &c.* Ipsi ignem commodum & lucem existimant esse, quod reverà iræ divinæ & damnationis æternæ ignem iis adfert. 3. Ob vim combustricem, *ignis* tribuitur illis, quæ perditionem, noxam, damnum, panolethriam inferunt. Sic Deo justo judici, & hostium suorum ultori, *ignis adesse* dicitur. Psal. 50: 3. Psal. 97: 3. Esa. 26: 11 cap. 29: 6. cap. 30: 33. cap. 66: 15, 16, 24. 2 Thess. 1: 7, 8. Ad ignem verò [b] infernalem his, & aliis locis, respici, dubium non est, de quo ita Flacius p. 404. clavis Script. *In descriptione inferni ac æternorum suppliciorum, subinde inculcat Scriptura esse ignem æternum & inexstinguibilem, aut ignem & sulphur: Sive revera ibi sit aliquis materialis ignis sive per metaphoram aliquid acerbum ac dirum significetur: quoniam in hac vita nihil est igne violentius, & cruciabilius aut acerbius.* Præstat, omni contentione de infernali igne effugiendo cogitare, quàm de natura illius ignis perperam concertare. Huc referendum, quando *ignis* nomine hostes irrumpentes, & bella desolantia intelliguntur. Psal. 78: 63. Esa. 42: 25. Jer. 48: 45. cap. 50: 32. Ezech. 21: 32. cap. 30: 8. (quo loco Chaldæus pro *igne*, ponit, *populos fortes sicut ignis*.) Amos 1: 4, 7, 10, 12, 14. cap. 2. v. 2, 5. Quidam synecdochen subesse putant, cùm bella, maximâ parte igne & flammis gerantur. Tribuitur & aliis, quæ terrorem, incommoda, necémque inferunt, Jud. 9: 15, 20. Esa. 33: 11, 12. Obad. ℣s. 18. Jac. 3: 5, 6. Jud. ℣s. 23. Confer Prov. 26: 23. *Laborare pro igne* Jer. 51: 58. Hab. 2: 13. dicitur, pro frustra omninò, atque ita, ut perditioni atque desolationi quasi materia præparetur & subministretur. Joel. 1: 20. *ignis consumsit pascua deserti.* Chald. *ventum orientalem, fortem ut ignis*, hoc exponit. Potest etiam cœli æstum significare, præcedit enim: *exsiccati sunt rivi aquarum*, 4. Conforme huic est, quòd in genere *ignis* quævis adversa, iræ divinæ effecta, calamitates & afflictiones notat. Ps. 66: 12. Ps. 140: 11. Es. 9: 18, 19. cap. 19: 16. cap. 24: 6. cap. 43: 2. Thren. 1: 13. cap. 4: 11. Quâ significa-

[a] Seraphim.

[b] Ignis infernalis.

ficatione ad vim ignis purgatoriam quandoque respicitur: calamitatibus enim credentes, ut aurum per ignem, Deus probat, & emundat, Zach. 13.9. 1 Pet. 4: 12. Confer Psal. 17: 4. Psal. 66: 10. 1 Pet. 1: 6, 7. Huc referunt & duo isthæc. [a] Marc. 9. 49. *Omnis enim igne falietur, (sicut) & omnis victima sale falietur.* καὶ pro *sicut vel quemadmodum* usurpari, non insuetum est. Vide Grammat. sacram. p. 690. Est igitur inversa similitudo, cujus ἀπόδοσις metaphorâ simul exornata est, hoc sensu: Quemadmodum omnis victima in V. T. ex Dei constitutione sale saliri consuevit, Lev. 2: 13. Ita omnis homo, qui offendicula, & una infernalem ignem evitare voluerit (ex præcedentibus, quibuscum versus ille cohæret) igne quodam salutari falietur, nimirum crucis & afflictionum: seu hic ignis ipsi salis instar futurus est, quo conditus à securitatis & peccatorum putredine conservetur. Eleganter *igni salitio* tribuitur, & utrumque ad crucis mysterium denotandum conjungitur: *tum*, quòd convenientia inter duo illa est, utrumque quippe dolorem ciet. utrumque excrementa & putredines absumit & consumit: *tùm*, quòd in sacrificiis etiam conjuncta illa erant. Scaliger in notis ad h l. legendum censet, *πᾶσα πυρία ἀλισθήσεται, omne sacrificium salietur*, ut sit idem cum eo, quod sequitur: *πᾶσα θυσία ἁλὶ ἀλσθήσεται, omnis oblatio sale salietur*: cùm & Lev. 2: 13. repetitio ejusdem fiat. Alter locus huc pertinens est [b] 1 Cor. 3 13 14, 15. de quo ita Chemnitius: *Ignis probationis immittitur à Deo, vel per tribulationes exteriores, vel per tentationes conscientiæ, vel per clariorem manifestationem veritatis ex verbo, ne in tenebris errorum & ignorantiæ maneant, qui fundamentum veritatis retinent, sed ut expurgetur, si quid talium opinionum, quæ fundamento non satis congruunt, adhæserit. Id verò fit vel in hac vita, vel in hora mortis.* Quidam per *diem & ignem*, veritatem ex verbo Dei per Spiritum sanctum illucescentem, atque in animis resplendescentem Mal. 3: 3. Alii verò extremi judicii diem atque ignem, de quo 2 Thess. 1: 8. intelligunt. De quo loco obscuro non attinet hic multa congerere. Legi de eo benè multa possunt tom. 8. locorum Theolog. Dn. D Gerhardi, de morte. §. 254. seqq.

Ad ignis elementum pertinent & alia, ipsi analoga, tùm [c] *nomina*, tùm *verba*. Ex nominibus, *Flamma*, per metaphoram, laminam politam & fulgentem significat, Jud. 3: 22. 1 Sam. 17: 7. Job. 39: 23. Gladio versatili, quo Cherubim paradisi custodes leguntur exarmati, itidem להט *flamma* tribuitur Gen. 3. v. 24. quo, sive metaphoricè ipsa lamina & acies, sive propriè ignis in ipso gladio candens, fulguransque, ut Aben Eben Ezra sentit vel etiam (totam phrasin quod attinet) ignea flamma & fulgur, formam gladii quandam exhibens, intelligatur, nobis perinde sit. Esa. 13: 8. *Facies flammarum* [a] Mar. 9: 49 Omnis igne falietur &c.
dicuntur, pro rubore maximè suffusis, ob angorem maximum, & dolores immensos, quorum descriptio, â parturientibus sumta, ibi præcedit. Cant. 6. 8: dilectio vocatur *flamma Domini*, hoc est, quam Dominus luce Sp. sui in perpetuum duraturam accendit. *Flamma* autem vocatur, ob continuam ἐνέργειαν, & quod sursum semper tendit, ac splendorem emittit, & subinde crescit, &c. quæ in ignis flamma naturali occurrunt, & dilectioni etiam suo modo competunt. Esa. 47: 14. *flamma* etiam pœnas Dei gravissimas significat.

*Lucerna, candela, lampas*, (1.) Prosperitatem notat & successum rerum felicem, Job. 29: 3. Psal. 18: 29. unde *lucernæ exstinctio*, ingruentium adversitatum nota est, Job. 21: 17. Prov. 13: 9. c. 20: 20. (2.) Specialiùs regni felicitatem designat. 2 Sam. 21: 17. *Non egredieris ultrà nobiscum in prælium, ne exstinguas lucernam Israel.* Chald. *regnum Israel.* Sensus est, ne te interfecto regnum pereat, & omnis tranquillitas Israelis. Sic regni Davidis conservatio, in posteritate ipsius, quandoque *lucerna* dicitur, 1 Reg 11: 36. c. 15: 4. 2 Reg. 8: 19. 2 Par. 21: 7. Ps. 132: 17. quo postremo loco [b] 1 Cor. 3:
ad Christum, Regem cœlestem filium Davidis 13. Ignis
secundùm carnem, respicitur. Quidam ad probationis.
significatum hoc reducunt etiam Num. 21: 30. וְנִירָם *& lucerna eorum perit. ab Hesbon usque ad Dibon*, hoc est, eorum regnum. De quo quid habendum sit, vide in Grammat. sacra p. 686. (3.) Ad verbum Dei eadem vox eleganter transfertur, Ps. 119: 105. Prov. 6. ℣. 23: 2 Pet. 1: 19. quod & suprà in capite de ἀνθρωποπαθείᾳ monitum fuit, Johannes Baptista, præco ille verbi divini eximius, & præcursor Christi, vocatur *lucerna ardens & lucens*, Joh. 5: 35. de quo vide Grammat. Sacr. p 349. Inter ipsum autem (instar candelæ se habentem, à luce cœlestis sapientiæ accensum) & Christum, veram illam mundi lucem, discrimen evidens statuitur Joh. 1: 8, 9. Notioni dictæ conforme maximè est, quod Salvator in- [c] Alia nomina.
culcat Luc. 12: 35. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes*: qua phrasi vigilantiæ & pietatis serium studium notatur, præeunte verbi divini faculâ & normâ.

*Carbones igniti* sive prunæ (גחל) quandoque calamitates gravésque Dei pœnas notant, Psal. 140: 11. Confer Esa. 47: 14. *Fulgura* iis denotantur Psal. 18: 9. Unicus filius *pruna* vocatur 2 Sam.

2 Sam. 14: 7. Sicut prunæ reconduntur in cinere, ut sint semen ignis: ita unicus ille filius poterat propagare ejus familiæ posteritatem, ne planè exstingueretur. Prov. 25:21. & Rom. 12:20. beneficentiâ hosti præstitâ *pruna* dicuntur *colligi super caput ejus*. Quod quo sensu dicatur, vide in exeg. textuum Euang. & Epistol. part. 1. p. 1254, 1264. Insuper & *pruna* (רֶשֶׁף) pro *peste*, seu morbo instar carbonis igniti ardente & urente, usurpatur. Deuteron 32. ℣. 24. Hab. 3. ℣. 5. & pro *sagittis*, quæ motu maximè incalescunt & instar ignis penetrant, Psalm. 76:4. Et pro *fulgetris*, instar prunarum adurentibus, Psalm. 78: 48. Tribuitur & *amori* ferventissimo Cant. 8: 9.

1. *Titio*, *torris* (lignum ardens, & ab igne remotum, ne ardeat ampliùs) *tùm* contemtus notionem habet, ob privationem ignis lucisque. Esa. 7:4. *Cor tuum ne mollescat, ob duas caudas titionum fumigantium istorum*, q. d. sunt similes titioni, qui fumat, sed non potest adurere. Nec simpliciter titiones vocat, sed *caudas titionum*; q. d. perinde ut titiones sunt, ad caudas seu extremitates usque absumti, qui non nisi fumum ex incendio reliquum ac citò desiturum emittunt: Similis ratio Tyrannorum est, Christo & Euangelio ejus adversantium, qui nostris oculis sæpè videntur ingentes ignes, omnia momento absumturi: at Deo & fidei, caudæ titionum fumigantium sunt, qui, licèt minentur, tandem tamen miserrimis modis absumuntur ac intereunt. Hier. tamen in comm. h. l. aliam rationem non ineleganter indicat, cur *caudarum* nomen (quod in animali extremum membrum est) his duobus Regibus tribuatur: Nimirum, *quod in illis finitum sit regnum Syriæ, id est, Damasci; & regnum Samariæ, id est, decem tribuum, quæ alio nomine appellabantur Ephraim*. Secundùm illud, quod 2 Reg. 15. ℣. 29. cap. 16. ℣. 7, 8, 9. cap. 17:5. seqq. narratur. *Tùm* divinæ liberationis ex malis, ceu igne. Zach. 3:2. *Nonne hic est torris erutus de igne?* De Josua summo Sacerdote loquitur, qui gratiâ Dei liberatus erat ex captivitate Babylonica, ut veniens Hierosolyma, Templum instauraret, & Sacerdotio fungeretur. Conf. Amos. 4:11. Epist. Jud. ℣. 23. &c.

2 Quod Job. 12: 5. dicitur: לַפִּיד *lampas contemta est* (justus) *cogitationi opulenti*: Id Chaldæus reddit אוּדָא *titio contemtus &c.* Rectiùs candela, tenuem emittens lucem, intelligitur, cui Hiob se & alios afflictos credentes comparat, ex opinione impiorum in hoc seculo prosperè habentium, qui insignes se lucernas & luminaria reputant. Luth. ein veracht Liechtlein/ id est, glimmend Tocht. Qua explicatione commodè confert locum Esa. 42:3. ubi Messias, *linum* כֵּהָה *caligans* (alii *fumigans*, Pagn. *ferè extinctum*, Luth. das glimmende Tocht) *non extincturus* prædicitur. Chald. *pauperes, qui sunt quasi linum obscurum, non exstinguet*. De Salvatore mitissimo sermo est, qui miseros & conterritos peccatores promtissimè recipit, consolatur, & salvat. Confer Grammat. sacram p. 287.

*Fumus* excrementum ignis, & ejus etiam argumentum est: metaphoricè verò pœnas inflictas à Deo, & calamitates denotat. Esa. 14: 31. *Ab Aquilone fumus venti*. Chald. פּוּרְעָנוּתָא *ultio, vindicta*. De Ezechia cum exercitu suo Philistæos oppugnaturo, secundùm quosdam, sermo est. 2 Par. 26: 6, 7. Hieron autem in comment h. l. per fumum illum intelligit Regem Assyriorum Sanherib, qui sub Ezechia venit, & inter cæteras nationes vastavit Philistæos; confertque Jer. 47: 2. *Fumus* autem hostis, quicunque ille sit, nominatur, ob celeritatem invasionis, & penetrationem omnium, uti & illatas calamitates: sicut venienti celeriter fumo resisti non potest, & is omnia penetrat ac rimatur, & incendii indicium est. Ignis iræ Dei accensus, excitat & impellit fumos hujusmodi. Confer Psalm. 37. ℣. 30. Es. 56. ℣. 5. cap. 34:10. Apocal. 14. vers. 11. Joel. 3. ℣. 3. Actor. 2:19. quibus locis *fumus* iræ ac pœnarum divinarum symbolum est &c.

a Verba quædam.

Ex [a] verbis huc pertinent ista. *Incalescere* de affectu iræ, quæ instar ignis cor inflammat. Deut. 19: 6. Psal. 39. 4. Psal. 57: 5. Ita & πυρῦσθαι, *ardere* accipitur 2 Macc. 4: 38. c. 10:35. cap. 14:45. Unde ipsa *ira* (חֵמָה) idem cum *ardore* nomen obtinet. De ira hominis pii adversus peccata ex zelo divino proveniente, πυρῦσθαι, *uri*, usurpatur 2 Cor. 11:29. Idem verò verbum etiam de libidinum pravo affectu usurpatur 1 Cor. 7: 9. Sicut apud Virgil. Æn. 4. dicitur: *Est mollis flamma medullas* Et alibi: *Cæco carpitur igni. Quoque magis premitur, tantò magis æstuat ignis*. Syrus vertit, מאקר ברנהא *ardere concupiscentia*. Conforme huic est, quòd יחם in Niphal, *incalescere*, de idololatriâ, quæ spiritualis scortatio est, usurpatur Esa. 57. ℣. 5. quo impensissimum idololatrandi studium Judæis exprobratur, quod simile erat ardori libidinis, quo adultera in adulterum incalescit. ℣. 3 *Semen adulterum & scortans*, iidem dicuntur Potest etiam huc referri, quòd hæretici, conjugii usu interdicentes, dicuntur κεκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν, *cauteria notati in propria conscientia*, 1 Tim.

b πυρῦσθαι uri, de flammis libidinum.

Cauteri a a conscientia.

1 Tim. 4. ℣ſ. 2. quod verbum duo importat: 1. conſcientiæ læſionem & vulnerationem; q. d. docent & cogunt ſervare ejuſmodi, quæ impoſſibilia eſſe ipſimet probè nôrunt, adeoque propria conſcientia ipſos redarguit, falſa eſſe, quæ tradunt, unde & paulò antè ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγοι, *per hyprocriſin falſiloqui* nuncupantur: 2. læſionis illius cauſam, quæ libidinum variarum æſtus eſt. Utrumque, inquam, verbo illo comprehenditur, eſt enim deductum à καυτήρ, hoc eſt, *inſtrumentum, quo ſtigmata inuruntur*: in quo & læſio deprehenditur carnis cutiſque, & modus ejus, per ignem & æſtum. Simul etiam ad ſpiritualem infamiam reſpicere Apoſtolus videtur, quæ non poteſt non conſcientiæ, in re tanti momenti, vulnerationem ſequi, ſicut mali, cauterio notati, olim infameſcerant. Confer Flacium p. 1. clav. Script. col 165. & D. Balduin lib. 1. de caſibus conſcient. in genere, cap. 11. pag. 30. Eph. 6: 16. *jacula Diaboli* πεπυρωμένα *ignita* memorantur, quibus tentationes internæ, & externæ tùm perſecutiones, tùm ſcandala & peccata, à Diabolo excitata, denotantur. Conf Exeg. text. Evang & Epiſt. part. 4. pag. 948. 957. Inſuper emphaticum eſt Pauli verbum, ab igne translatum. 2 Tim. 1: 6. *Quam ob cauſam commonefacio te*, ἀναζωπυρεῖν, *ut ſuſcites donum Dei, quod in te eſt* &c Ipſa vox Græca propriè eſt, ignem ſopitum ſuſcitare, ne ex ſtinguatur, ſed ut flammam concipiat & emittat. Beza: *Donum Dei eſt viva quædam flamma, in cordibus noſtris accenſa, quam nituntur caro & Satan ſuffocare; nos contrà magis ac magis fovere ac ſopitam ſuſcitare oportet.* Hæc flammulæ cœleſtis ſuſcitatio ubi non eſt, ibi *frigeſcit charitas*, Matt. 24 v. 12. uti & charitatis fons, qui fides eſt ſalvifica, atque ſalus æterna, amittitur &c. Quidam reſpici ajunt ad Sacerdotes Vet. Teſtamenti, quorum erat, ignem cœlitùs delapſum jugiter fovere: Chriſtiani ſunt ſpirituales Sacerdotes Apoc. 1. ℣ſ 6. Igitur & ipſorum eſt, Spiritus Sancti gratuita dona in ſeipſis ſuſcitare & conſervare. Quod ipſum meditatione jugi verbi cœleſtis, lucernæ illius ſanctæ, precibus devotis ſuſpiriis, & continuâ carnis mortificatione, pietatiſque exercitio, perficitur. Confer Kircherum de uſu concordant. Biblic. p. 3 ſeqq. Ejuſdem argumenti monitum Pauli eſt. 1 Theſſ. 5: 19. τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε, *Spiritum ne extinguite.* Lux ſalutaris agnitionis Dei per Sp. S. accenſa, exſtinguitur per neglectum verbi divini & precationis devotæ, per ſecuritatem, impietatem, ingratitudinem. Unde *boni ſectatio*, & *indeſinens oratio* v. 15, 17. præmittitur; *Prophetia* autem, h. e. verbi divini interpretatio, immediatè ſubjungitur. Demum huc referatur verbum [b] צרף quod propriè *metallum igne conflare, urere, excoquere, à ſcoria repurgare, & probare* ſignificat: eleganti autem metaphorâ ad purificationem & examinationem piorum, quæ fit per crucem, transfertur: unde ſimilitudo excoctionis metalli quandoque expreſſè additur Pſ. 66: 10. Pſ 105: 19. Eſa. 1: 25. Jer. 9: 7. (ubi Chald. addit: *Ecce ego adducam ſuper eos tribulationem, & excoquam eos* &c.) Dan. 11: 35. Zach. 13: 9. (Unde & כור *catinus ſeu fornax*, in qua metalla liquefiunt & purgantur, pro afflictionum divinitus immiſſarum loco accipitur, Deut. 4: 20. 1 Reg. 8: 51. Jer. 11: 4. quibus locis *ferrei* epitheton additur, ad ſervitutis & tribulationum duritiem ſeu ſævitiem innuendam.) Notabilis præ aliis locus eſt Eſa. 48. verſ. 10. *Ecce purgavi te, & non cum argento; electum efficiam te in camino afflictionis.* Significat Jehova, moderatè populum ſuum purgare, non ſicut purgatur argentum, nedum ut aurum, quod exactiſſime purgari ſolet; q. d. ſic attempero caſtigationem, ut magis imbecillitatis, quàm iniquitatis tuæ rationem habeam: non ago tecum ſummo jure, quia ſi ab omni ſcoria, ut argentum, expurgandus eſſes, totus diſperires. Confer, quoad rem ipſam, 1 Cor. 10: 13. In genere; de intima cordis probatione, quæ ſoli DEO convenit, accipitur Pſal. 16. v. 2. Pſalm. 17. v. 3. Confer Prov. 17: 3. & de ſelectione, quæ fit externo ritu, Jud. 7: 4. Verbum Domini צרופה *probatum igne*, ſeu exploratum dicitur, 2 Sam. 22: 31. Pſal. 18: 31. Prov. 30: 5. Pſ. 119: 140. hoc eſt, puriſſimum, veriſſimum, & certiſſimum. Quod emphaticè Pſal. 12: 7. declaratur: *Eloquia Domini ſunt eloquia munda, argentum conflatum, in clibano terræ, defæcatum ſepties.* Reſpicitur procul dubio ad experientiam vivam ſanctorum, in quorum cordibus verbi divini veritas redditur explorata & indubitatò certa, per ignem tribulationis. Unde non inſcitè quidam per *Clibanum terræ*, homines pios intelligunt, in quibus eloquia Dei probantur. Clibanus igne fervet: Pii calamitatum igne à Deo replentur &c. Eâdem metaphorâ officium Chriſti deſcribitur Mal. 3: 2. 3. De quo vide Exeg. textuum Evang. & Epiſt. part. 2. p. 184.

[b] צרף conflare metalla.

* ἀναζωπυρεῖν, ſuſcitare.

## *Ab Aere deſumtæ metaphoræ.*

*Aerem, auram, ventum*, vox Hebræa, רוח *Spiritus*, ſignificat. Cumque äeris motio incerta, inconſtans & evanida, ac in vento nihil

nihil solidum & subsistens sit, igitur vanitatis & evanescentiæ notio metaphorica in ipso est.

a Meteora Aërea. Job. 6: 26. *An reprehendere sermones* (meos) *cogitatis? & in ventum eloquia desperati?* hoc est, num vana me verba fundere putatis? Quidam verbum *dare* subaudiunt, ut *in ventum dare*, sit contemnere ut rem nihili & evanidam. Job. 15: 2. *An sapiens responderet scientiam venti?* hoc est, evanidam ut ventus, quæ nihil habet præter verba in ventus fugientia. Sequitur ibidem: *aut impleret Euro ventrem suum?* hoc est, intus in animo vanas ac fluctuantes cogitationes admitteret. Eccl. 5: 15. *Laborare in ventum* dicitur, pro frustrà opes magno labore accumulare. Jer. 5: 13. *Esse in ventum*, hoc est, ללמא *in vanum, seu nihilum*, ut Chald. vertit. Jer. 22: 22. *ventus depascere* dicitur *pastores*, hoc est, hos evanescere & perire. Et vice versa Hos. 12: 2. *Pascere ventum, & sectari Eurum* dicitur populus Israeliticus, hoc est, rem nihili, videlicet idololatriam, magno studio agere, hoc agendo vanâ se spe lactare: tùm & perniciosa, qualis Eurus seu ventus orientalis est, sectari: quod statim de fœderibus cum exteris explicatur, Mich. 2: 11. *Vir ambulans in vento & mendacio* dicitur, pro vano & mendaci. Confer Esa. 41: 29. cap. 57: 13. Hos. 8: 7. Huc pertinent etiam phrases Apostoli: *In aerem loqui*, 1 Cor. 14: 9. hoc est, frustrà & in vanum; de iis, qui linguâ ignotâ disserunt in Ecclesia, & idcircò ab auditoribus intelligi nequeunt. *Aerem verberare*, 1 Cor. 9: 26. hoc est inanem operam insumere. Ita autem loquitur, quia ab athletis metaphoram ducit, qui quando ictu aberrant, vires frustrà in ventum effundunt. Instabilitatem & mentis inconstantiam *circumactio ventorum* notat Ephes. 4: 14. *Ut non amplius simus pueri, qui fluctuemus & circumferamur quovis vento doctrinæ* &c. Metaphora à navi fluctibus & ventis circumacta. Heb. 13: 9. ita hoc enunciatur: *Doctrinis variis ac peregrinis ne circumferamini, Bonum est enim, gratiâ constabiliri cor.* Quia insuper venti vehementes noxam inferre solent, igitur hostes terram infestantes ac vastantes *venti* appellatione denotari solent, & cumprimis *Euri*, seu *venti orientalis*, qui exurit segetes, facitque ne ad maturitatem perveniant, iliasve jam maturas sternit & dissipat. Psalm. 55. vers. 9. Esa. 41: 16. Jer. 4. vers. 11. cap. 51: 1. Hos. 13. vers. 15. Job. 27: 21. Confer Esa. 27: 8. Jon. 4: 8. Jer. 18: 17. &c. De DEO pœnis infestante dicit Hiob. cap. 30: 22. *Extollis me in ventum, equitare facis me* (imponis me ei) *& efficis, ut diffluam substantiâ*: hoc est, ut stipulam ventus seu turbo; ita me variè agitas & consumis.

Ad hanc classem referemus imperfectè mixta, sive *a meteora*, quæ in aëre gignuntur. *Vapor*, איד *ἀτμὶς* notat *tum* calamitatem, exitium & interitum, quòd quæ evaporant, intereant, & in nihilum quasi abeant: vel, ut alii, quia vapores caliginem, sole obnubilato, quodammodò adferunt: vel demum quia vapores quidam roscidam compluitionem efficiunt, quæ terræ nascentibus nociva est, (Mehltau) quæ D. Försteri sententia est. Ita איד accipitur Deut. 32: 35. Job. 18: 12. cap. 21: 30. cap. 30: 12. cap. 31: 3, 23. Psal. 18: 19. Prov. 1: 26. cap. 6: 15. Jerem. 18: 17. cap. 46: 21. cap. 49: 8, 32. Actor. 2: 19. &c. *Tùm* evanescentiam & fragilitatem. Jacob. 4. vers. 14. *Quid est vita vestra? ἀτμὶς vapor est, ad exiguum apparens, & deinde evanescens.* Confer Psalm. 144. vers. 4. &c. Vapor & fumus in aëre ascendens, tandem evanescit & perit: Inde עלה *ascendere* idem ac *perire & mori* quandoque est. Gen. 46: 4. cap. 49: 4. Psal. 102: 25. Jer. 48: 15. &c.

*Nubes*, ob diversa attributa, diversa etiam per metaphoram notat 1. Calamitates & exitium, quòd nubibus Solis & firmamenti splendor hominibus eripiatur, âc dies nubilæ tristitiam in hominibus excitant. Thren. 2: 1. Quomodo יעיב *obnubilat, seu densâ nube obtegit in ira suâ Dominus filiam Zionis?* (Quidam per tacitam antithesin alludi putant ad nubem gloriæ, quæ priùs apparuerat Hierosolymis in Templi dedicatione, 1 Reg. 1: 10 cui planè contraria sit nubes illa & caligo præsentium calamitatum) Inde *dies nubis sive nubium*, pro tempore calamitoso accipitur. Ezech. 30: vs. 3. cap. 34: 12. Joel. 2: 2. Zeph. 1: 15. Quâ metaphorâ etiam Poeta dixit: *Tempora si fuerint nubila, solus eris.* 2. Copiam & multitudinem. cùm in tempestatibus ingens nubium densarum copia appareat. Heb. 12: 1. *Cum tantam habeamus circumdatam nobis nubem testium* &c. hoc est, tantum agmen testium, quod est velut densa nubes. Intelligit sanctos illos DEI homines, cap. 11. enumeratos, qui omnes exemplo suo testantur, nos fide justificari & DEO placere. Ita & nubes in comparatione usurpatur Jer. 4: 13. *Ecce tanquam nubes ascendet*, nim. hostilis exercitus. Targum: *Sicut nubes, quæ ascendit & tegit terram.* Confer Ezech. 38 9. [illegible] sensu Chaldæus etiam accipit illud Ezech. 30: 18. *Nubes operiet eam* (Ægyptum,) ita enim transfert: *Rex exercitibus suis operiet eam, sicut nubes, quæ ascendit & operit terram.* Potest autem ad primum etiam significatum hoc referri: nubibus enim & tenebris calamitas

deno-

denotatur, unde praecedit: *Et in Techaphneches probibuit dies*, scil. lucem suam. Copiae verò significatione *nubes* quoque usurpatur ab Homero Il. δ. ἅμα δὲ νέφος εἵπετο πεζῶν. Et Livio: *Peditum equitumque nubes.* Et Epiphan. *Nubes muscarum.* Et Hieron. *Nubes locustarum.* 3. Vanitatem & inconstantiam, sicut nubes quaedam pluviam quasi promittunt, sed, à ventis fugatae, non demittunt. 2 Petr. 2: 17. *Isti sunt* νεφέλαι *nubes, quae à procella feruntur.* Loquitur de falsis doctoribus, qui in doctrina & confessione sua fluctuant, nec salutaris doctrinae & consolationis pluviam praebent. Jud. v. 12. hae nubes dicuntur ἄνυδροι, *aquam non habentes.* Igitur ad id respicere Apostolus videtur, quòd quaedam nobis videntur pluviosae nubes sub coelo esse, quae tamen non sunt, sed tantùm condensatae nebulae, aquae omnis expertes. Vide supra cap. 4: 4. Perinde falsi Doctores multis videntur orthodoxi &c. Confirmant expositionem hanc reliquae appellationes, quae utroque in textu adduntur. 4. Celeritatem, quia citissimè videmus nubes sub coelo ferri & quasi volare, impetu ventorum raptas. Es. 19: 1. *Ecce Dominus insidet nubi levi, & ingredietur Aegyptum:* hoc est, citissimè ac inopinatò aderit, puniturus Aegyptios, ac si velociter nubibus advolaret. Confer Esa. 60: 8. Psal. 104: 3. Nah. 1: 3. Uti Prophetam hac phrasi quidam volunt, quia Aegyptii nubes hujusmodi habuerint pro inauspicatis, cùm Aegyptus nubibus minimè infesta sit.

*Tempestas*, (subitum ac praevalidum ventum seu turbinem propriè notans, aliquando etiam grandini, pluviis, tonitribus conjunctum) DEO si tribuatur, iram ipsius, & atrocissimas poenas, peccatoribus inflictas; si verò hominibus, mentis conturbationem & violentam invasionem, metaphoricè significat. Sunt autem in Hebraeo duae praecipuè voces: סער & סופה, quae quandoque conjunguntur. סער *turbo, tempestas*, DEI iram & poenas denotat. Job. 9: 17. Psal. 83: 16. Es. 4: 16. Jer. 23: 19. cap. 30: 23. Ezech. 13: 11. Amos. 1. vs. 14. Et verbum סער *procellosum esse*, Job. 27: 21. Psal. 50: 3. Psal. 58: 10. Zach. 7: 14. *Ecclesia* סערה *turbine jactata, seu tempestate obruta* dicitur Esa. 54: 11. hoc est, afflicta, consolatione destituta, ut ibidem additur. סופה ejusdem significati est. Psa. 83: 16. Esa. 29. 6. Hos. 8: 7. Nah. 1: 3. Amos 1: 14. &c. Et זלעפות *procellae*, Psa. 11: 6. Unde זלעפות רעב *procellae seu presteres famis*, Thren. 5: 10. hoc est, fames vehementissima, quâ tanquam prestere & procellâ homines saevè exagitantur & consumuntur. Hominibus verò si סער verbum tribuatur, mentis conturbationem notat (sicut aër turbinibus & tempestatibus turbatur,) 2 Reg. 6: 11. & hostiliter impetere, seu instar turbinis infestare, Dan. 11: 40. Confer Psal. 55: 4. 9.

*Tonitru*, רעם (cui *fulgur & fulmen* conjunctum) quià insitam quandam, creaturas terrendi, penetrandi & percellendi, vim obtinet, Deoque soli in Scripturis tribuitur, metaphoricè etiam in DEO notat. (1.) majestatem & gloriam ejus Psa. 81: 1. *In abscondito tonitrui exaudivi te.* Chald. *In loco abscondito, domo majestatis meae, ubi personant coram me sphaerae ignis.* Flacius: *Sensus est: ex mea absconditâ sede, aut latibulo, in densa nube exsistens, tonitru & fulmine conturbans Aegyptios in mari rubro, exaudivi te.* Confer Exod. 19: 16, 18. Psa. 77: 19. 20. (2.) Iram ejus & poenas inflictas. 1 Sam. 2: 10. *Conterentur adversantes Domino, super eos in coelis tonabit &c.* hoc est, in ira sua eos graviter puniet ac delebit. Confer Esa. 29: 6. Psal. 18: 9. seqq. Sap. 5: 21, 22, 23. Apoc. 16: 18, 21. (3.) Verbum ejus, quia nimirum cum tonitru ut plurimùm placita suae majestatem olim Jehova exponebat, ut ex promulgatione legis, Exod. 19. manifestatione Jobo facta, Job. 37: 2. c. 38: 1. & voce ad Christum delatâ, Joh. 12: 28, 29. patet. Ipsum *tonitru* non rarò קול, *vox*, dicitur Exod. 9: 23. Jer. 10: 13. Apoc. 4: v. 5. c. 6: 1. c. 10: 3. &c. & nonnunquam *vox Domini*, Psal. 29: 3. seqq. (Unde בת קול [a] *filiam vocis*, veteres Judaei vocabant vocem DEI cum tonitru allatam, & ex eo quasi partam ortamque, quam inter מדרגות רוח הקדש *gradus Spiritus sancti*, numerantes, usitatam fuisse dicunt tempore secundi Templi, postquam desierat Prophetia. *In N. T.* (inquit Fagius) *non semel legimus* בת קול *coelitus venisse, & Christo testimonium perbibuisse, ut Matth. 3. cùm baptizaretur à Johanne in Jordane. Similiter Matth. 17. cùm se transformaret in monte coram discipulis suis. Item Joh. 12 Venit ergo vox de coelo dicens: Et illustravi & rursus illustrabo &c. Et quis non videt mysterium? DEUM scil. hac voce, quam* בת קול *appellârunt, praeludere voluisse orbi, eâque illum assuefacere ad veram illam coelestem vocem, quae Christus est Salvator noster, in quo postbac DEUS Pater audiri voluit: Ipsum audite.* Alsted. in Chronol. tit. 42. *Judaei in annum mundi* 3404. (rectiùs 3540.) *collocant* חתימת חזון *obsignationem prophetiae: in cujus locum successisse ajunt* בת קול *filiam vocis, id est, oraculum divinum, quo post prophetarum tempora dicunt fuisse revelata futura. Filiam vocant, quia erat vocis cujusdam ex aëre reduplicatio, & alterius vocis quasi partus.*)

[a] Filia vocis.

*tus.*) Ita autem verbum DEI nuncupatur, tùm *internum*, & efficax de rebus creandis decretum, Psal. 104:7. Confer v. 5, 6. Gen. 1:9. tùm *externum*, Euangelium nimirum Christi, Psal. 68:34. (*vocis* mentione ad *vocem tonitrui* respicitur, Psal. 29) Confer v. 12, 19. Eph. 4:10, 11. Huc pertinet, quòd Christus venerabiles suos legatos binos, *Johannem & Jacobum*, cognomento βοανεργὲς insignit, Marc. 3:17. quod Syrus interpretatur, בני רעמא *filii tonitrui*: à tonitru videl. verbi Euangelici, cujus præcones præcipui & buccinatores illi erant. Confer annot. Lutheri ad d. l.

*Fulgur*, ברק, per metaphoram, laminam lanceæ vel gladii micantem significat, quæ
2. fulguris more splendet & terret. Ezech. 21: v. 13. Nah. 3: 3. Ad iram DEI denotandam, ἀνθρωποπαθῶς, DEO *gladius fulgurans* tribuitur, Deut. 32:41. uti & *hasta fulgurans*, Heb. 3:11. Sine addita gladii voce ברק coruscantem gladium notat Job. 20:25. ubi Pagnin. vertit. *ferrum instar fulguris.*

*Grando* itidem, ut tempestas & tonitru, iræ, ultionis, & pœnarum Dei gravissimarum, notionem habet, unde in descriptione Dei, in tempestate magna suam manifestantis potentiam & iram, Psal. 18:13, 14. fulgetris & tonitribus *grando* adjungitur. Esa. 28:17. *Et grando subvertet refugium mendacii, & latibulum aquæ inundabunt*, hoc est, ultio ventura refugium vestrum, quo frustrà nitimini, subvertet, perinde ac si grando & aquarum inundatio tuguriolum in campo situm subvertant & disjiciant. Esa. 32:19. *Et grandinabit in descensu sylvæ, & depressione deprimetur civitas.* Cohæret cum præcedenti piorum felicitatis cœlestis descriptione, per antithesin: q. d. quamvis totus mundus (quem synecdochicè *per sylvam & civitatem*, hoc est, incultos & habitabiles locos, exprimit Propheta) inhorrescat malis, ab his omnibus tamen immunes conservabuntur pii. Confer Psal. 46. ℣s. 2, 3. seqq.

*Pluvia*, quia magnam terræ ultilitatem præstat, & tamen, si immodica & intempestiva sit, noxam infert; duplici etiam ratione in metaphora usurpatur, videlicet in bonum &
1. malum. *Prioris* exempla sunt; Ezech. 22: 24. *Tu terra es, quæ mundata non est, non pluvia ejus in die indignationis*, scil. descendet, hoc est, non senties levamen vel relaxationem ullam in pœnis divinitùs inflictis Ezech. 34:26. benedictio spiritualis in regno Christi, *pluviæ tempestivæ* (uti & *fructificationis terræ* v. 27) imagine proponitur. Hos. 10:12: *Tempus est requirendi Dominum, donec veniat*, יורה *& pluat justitiam vobis*, vel, *& perfundat vos pluvia justitiæ*, vid. Christi Salvatoris, cujus applicatio & sensus in corde hominem recreat, lætificat, & frugiferum in bonis operibus reddit, ut pluvia terram reficit & frugiferam reddit, Emphaticè vox יורה ponitur, quæ *& pluendi, & docendi* significatum obtinet (unde quidam vertunt, *& doceat vos justitiam*) ad innuendum, veram salvificam justitiam non nisi ex verbo divino conferri, quod & ipsum instar pluviæ tempestivæ, in refocillandis contritis peccatoribus, se habet, unde & cum pluvia, ratione utilitatis eximiæ, confertur, Esa. 55:10, 11. *Pluendi* autem significationem in adducto loco amplexandam esse, antecedens allegoria ostendit, à cultura terræ deducta. Confer Hos. 6:3. Zach. 14:17: *Posterioris* exempla sunt; Job. 20:23. *Cum esset impleturus ventrem suum, immittit in eum* (Deus) *iram furoris sui, quam depluit in eum pro cibo ejus.* Hac & sequentibus metaphoris, suppliciorum impiis ab ira Dei inflictorum copia denotatur. Psa. 11:6. *Depluet super improbos prunas, ignem & sulphur &c.* hoc est, horrifica in eos judicia copiosè exercebit, Eccl. 12: 2. in allegorica senectutis descriptione, inter alia est: *Dumque non recurrant densæ nubes post pluviam*, hoc est calamitates subinde succedant aliæ aliis, ut in senectute fieri solet. Psal. 42:8. metaphorica descriptio pluviarum immodicarum, nimborum & procellarum est, qua per aliam metaphoram afflictionum gravitas innuitur: *Abyssus abyssum inclamat, ad sonitum* צנוריך *canalium tuorum.* Per *canales Dei* nubes pluviam effundentes intelliguntur. Sensus est, tribulatio tribulationem trahit, dum vix cedente priori, altera præ foribus est, quasi studio per priorem advocata: Et sicut nimbi magno strepitu in terram ruunt, & diluviem noxiam efficiunt: Ita calamitas mecum calamitatem trudit, & in maximis versor periculis.

*Nix*, in comparatione expressa aliquoties usurpatur Psal. 51. vers. 9. Esa. 18. cap. 55: 10. &c. Sed non in metaphora, præterquam Psalm. 68: 15. ubi verbum à nive deductum eleganter adhibetur: *Cùm expanderit omnipotens reges in ea* (in terra Canaan, תשלג *nivens eris in Zalmone*, hoc est, Junio & Tremellio interpretibus, si fugatos Reges aut cœsos Deus fuderit, nihilominus quisque vestrum, ex strage inimicorum rediens, per totam terram circumfulgebit puritate & gloria. *In Zalmone*, id est, meditullio terræ, ubi situs est mons Zalmon cis Jordanem, Jud. 9: v. 48. Quidam verbum תשלג in tertia persona reddunt, hoc sensu: *Cùm dispergeret omnipotens reges in ea* (terra Canaan) *nivea erat velut Zalmon*, id

est,

est, prospera & jucunda. Ut enim terra propter inhabitantium calamitates, tristis, atra ac tenebricosa dicitur: ita propter illorum successum & felicitatem, rectè nivis instar candida vocatur. Montis autem *Zalmon* mentionem ob id fieri putant, quòd ille præ aliis ejus terræ montibus nive candere soleat. Qui ad regnum Christi hæc transferunt allegoricè, *Zalmon* ut tenebrarum & caliginis symbolum interpretantur (dicitur à צל *umbra*, *caligo*, vel צלם *umbra*, *tenebræ*, uti significatum hoc tàm in Hebræa, quàm Arabica lingua ponit Schindlerus; ut ab arborum tenebrositate mons iste nomen obtinuerit. Vide Lutheri versionem & comm. tom. 1. Germ. Jen. f. 468.) hoc sensu, quòd per doctrinam Apostolorum, qui Regibus hinc inde expansis comparari videntur, in media caligine peccatorum, Satanæ & inferni, lucis cœlestis candor oriatur, ex quo à peccatis dealbatio, Ps. 51: 9. Esa. 1: 18. & æterna credentium felicitas exsurgit.

*Ros* ex aëre decidens, & terram humectando fœcundans (præter explicitas comparationes) bis metaphoricè adhibetur, ad designandum sc. credentium statum, *tùm* in hoc seculo. Ps. 110: 3. *ros juventutis Christi* nominatur, hoc est, Ecclesia credentium, per Sp. Christi adoptatorum, quæ roris instar mirabiliter renascitur ex verbo & Baptismo, & cum rore etiam conferri ritè potest, ratione doctrinæ, confessionis, piæque conversationis, quâ alios ad salutem pii ædificant, & Christo lucrifaciunt, sicut ros terram fœcundandi vim habet: & ratione mutuæ commiserationis, dilectionis, consolationis, beneficentiæ; quemadmodum ros terram ejusque nascentia, æstu solis torrefacta, suaviter recreat & quasi exhilarat. Confer Mich. 5: 7. Hos. 14: 6. Psal. 133: 3. *Tùm* in futuro seculo, & resurrectione ex mortuis. Esa. 26. ℣s. 19. *Ros olerum*, *ros tuus*: προσφώνησις ad Deum, cujus gratiosa potentia, & potentissima gratia, quam resuscitando credentes ad vitam æternam exseret, *ros* vocatur, & rori super olera seu herbas decidenti comparatur: q. d. ut ros cœlestis herbas, ardore Solis velut emortuas, recreat & erigit: Ita virtus tua, ô Deus, mortuos tuos eriget & vivificabis &c. De resurrectione autem mortuorum hîc agi, totius versus συνάφεια, & verborum proprietas ostendit. *Olera* h. l. אורות dicuntur (uti & 2 Reg. 4: 39. accipitur, quam vocem Chaldæus, ut pluralem numerum, ab אור *lux*, interpretatur ut *ros lucis*, fit ea, quæ lucem beatitudinis æternæ confert. Placet autem totius hujus versiculi paraphrasin Chaldaicam subjungere: *Tu es, qui vivificas mortuos, ossa cadaverum ipsorum tu suscitas; vivent, & laudabunt coram te omnes, qui fuerunt projecti in pulverem: quia ros lucis est ros tuus observantibus legem tuam: at impios, quibus dedisti potentiam, & ipsi transgressi sunt verbum tuum, in gehennam trades.*

## *Ab AQVA desumtæ metaphoræ.*

Possunt hæ ita distingui, quòd concernant tùm ipsam [a] *aquarum appellationem*; tùm *subjecta* seu continentia aquæ; tùm *adjuncta* sive qualitates; tùm demum *operationes* actionesque. [a] Aquæ appellatio.

1. Primum quod attinet, in aquis duo potissimùm videnda. Primum, earum copia, multitudo, & profunditas, quo respectu sæpiùs incommodæ noxiæque sunt. Deinde ipsarum, quas præstant, utilitates. Ex qua distinctione patet, tàm in malum, quàm in bonum, metaphoras ab aqua duci. [b] In malum *aquæ* denotant, (1.) Populum fortem ac numerosum, cumprimis, qui hostiliter terram invadit, & in ea grassatur. Esa. 8: 7. *Ecce Dominus ascendere faciet super eos, aquas fluminis fortes & multas.* Chald. *exercitus populorum multorum, instar fluvii fortis & robusti.* Sequitur interpretatio: *Regem Assur, & omnem potentiam ejus.* Pòst allegoria continuatur: *Et ascendet super omnes torrentes ejus, & ibit super omnes ripas ejus* v. 8. *Et transibit per Judæam, inundabit, & transibit, usque ad collum pertinget*, hoc est, Rex Assyriæ cum copiis suis, veluti validis aquis, omnia occupabit & vastabit; primùm quidem terram Israëlis; deinde verò terram etiam Judæam, in qua istæ aquæ *ad collum usque* dicuntur inundaturæ, hoc est, usque ad Jerusalem, in qua caput regni erat; per prosopopœiam, quâ regnum cum humano corpore comparatur, &c. Jer. 47: 2. *Sic dicit Dominus: Ecce aquæ ascendunt ab Aquilone, & erunt in torrentem inundantem, & inundabunt terram & plenitudinem ejus.* Chald. *Ecce populi venient ab Aquilone, & erunt ut torrens validus, & prædabuntur terram &c.* Intelliguntur copiæ Babyloniorum. Confer Esa. 17: 12, 13. Ezech. 26: 3, 19. ubi populorum hostilium cum aquis expressa fit comparatio Apoc. 17: 1, 15. in visione exhibita *aquarum multitudo*, etiam *populos multos* designat. (2.) Quasvis calamitates magnas & tribulationes. 2. Sam. 22: 17. Psal. 18: 17. Psal. 32: 6. Psal. 66. 12. Ps. 124: 4, 5. Ps. 144: 7. Esa. 28: 17. cap. 43: 2. Thren. 3: 54. Cumprimis notandum, quòd amarissima atque exquisitissima Christi Salvatoris passio, *aquis profundis & inundantibus* metaphoricè confertur, Psal. 69: 2, 3, 15, 16. Confer Ps. 40: 3.

[b] In malum.

40: 3. Idem significatum *aquarum* Psalm. 73: 10. Junius & Tremellius amplexantur: *Ideoque redit populus ejus huc* (communis piorum sensus exponitur) *cum aquæ pleni* poculi *exprimuntur ipsis*, (i. e. cùm non tantùm indignam improborum felicitatem observant, sed suas etiam calamitates, quasi amaras potiones, indies sibi compari vident;) v. 11. *ut dicunt, quomodo cognosceret Deus fortis? aut esset notitia in excelso* (attoniti rerum gravitate & infirmitate carnis, quasi in dubium vocantes providentiam & administrationem, ita loquuntur,) v. 12. *Ecce istos improbos, ut tranquilli in seculo augeant vires*. v. 13. *Utique inaniter purifico animum meum &c.* Usitatâ expositione v. 10, 11. ad descriptionem impiorum referuntur, & per *aquas pleni* sc. calicis, prospera vitæ conditio, & abundantia rerum necessariarum intelligitur. Hac igitur occasione ad alteram *aquæ* acceptionem deferimur, quæ in [a] bonum est: in qua, ut in antecedenti membro, tùm ad homines, tùm ad res ipsas, respiciendum. (1.) *Aqua* posteritatem significat metaphoricè, quæ ex stirpe sua ceu fonte profluit, hoc est, progignitur Num. 24: 7. *Fluet aqua è fistulis ejus*, hoc est, ita benedicet ipsi (populo Israelitico) Deus, ut copiosam sobolem habeat, & in posteritatem magnam excrescat. Sequitur alia ab aqua desumta metaphora: *Et semen ejus erit in aquis multis*. Quod Chaldæus de populis explicat (secundùm suprà allatam significationem;) ita enim hunc locum παραφράζει: *Excrescet Rex, qui magnificabitur de filiis ejus, & dominabitur in populos multos*. R. Salomo verò: *significat hoc prosperitatem, sicut semen* (optimè crescit) *quod seminatur secus aquas*. R. Aben Ezra: *sicut semen, rigatum aquis* &c. Ad hoc procreationis sobolis ac posteritatis significatum, respicitur etiam Es. 48: 1. *Audite hoc domus Jacob, vocati nomine Israel, & qui de aquis Juda exierunt*: hoc est qui ex Jacobo & Juda, tanquam ex fonte, prodierunt. Eodem sensu *fons Jacob* memoratur Deut. 33: 28. &, secundùm quosdam, Psal 68: 27. *In congregationibus benedicite Deo Domino*, (qui estis) *è scaturigine Israelis*, hoc est, Israelitæ omnes. (2.) *Aquarum* metaphorâ Dei & Salvatoris nostri beneficia sæpè denotantur, ut suprà in capite de ἀνθρωποπαθείᾳ expositum.

[a] In bonum.

[c] Ps. 110: 7. De torrente in via bibere.

[b] Subjecta aquar. Mare.

2. [b] *Subjecta*, continentia aquas, sunt varia. Omnium maximum *mare* est, quod ob aquarum copiam, fluctuumque & procellarum impetus, denotat metaphoricè multitudinem populorum hostilium. Jerem. 51: 42. *Ascendit super Babel mare, multitudine fluctuum ejus operta est*. Chald. *Ascendit super Babel Rex cum exercitibus suis, copiosus instar maris*. Ita etiam accipi commodè possunt Ps. 65: 8. Ps. 89: 10. Ps. 93: 3, 4. Confer Esa. 17: 12, 13. cap. 57: 20. Jer. 6: 23. cap. 50: 42. ubi expressa comparatio est. *Peccata projici in profunda maris à Deo*, Mich. 7: 19. est, oblivione sempiternâ quasi sepeliri, & memoriam eorum in solidum deleri. *Fluctus marini* calamitates & pœnas denotant, quod hæ perinde irruant ac noxiæ sint, sicut fluxus marini navibus infesti sunt. Psal. 42: 8. Psal. 88: 8. Quò pertinet phrasis, Thren. 1: ℣. 20. cap. 2: 11. *viscera mea* חֳמַרְמָרוּ *turbida & lutosa facta sunt*, q. d. ut mare procellosum æstuant fluctuantque, ac si vehementissimis fluctibus lutum ex imo gurgite excitaretur. Loquitur de pavoribus conscientiæ, ex sensu iræ Dei, in calamitatibus publicis, ortis. Conferatur phrasis & similitudo integra Psal. 46: 4. Esa. 57: 20. ubi tamen de alio subjecto sermo est. Jud. v. 13. κύματα ἄγρια θαλάσσης, *fluctus efferi maris, dispumantes sua ipsorum dedecora*, dicuntur homines inquieti, indomiti, vagabundi, impetuosi, qui spiritu vertiginis correpti, falsâ doctrinâ, vitâque impiâ, Ecclesiam turbant, & scandala excitant: metaphorâ à turbulento & spumante mari desumtâ. Confer expressam similitudinem Esa. 57: 20, 21. ad quem locum Apostolus videtur respicere. κλυδωνίζεσθαι, *fluctuare*, seu fluctibus ferri Eph. 4: 14. de ἀστηρίκτοις & instabilibus in confessione doctrinæ dicitur. Confer Jac. 1: ℣. 6.

*Torrens* נַחַל, qui valle (eâdem voce denotata) ex procellis subitò excrescit, & terrorem unà cum damnis, hominibus & animalibus adfert, metaphoricè ingentes afflictiones, terrores, & pericula significat. Psal. 18: 5. *Torrentes Belial terrebant me*. Chald. *cœtus oppressorum terruit me*. Junius & Tremellius: *Torrentibus* hominum *nequam perterrentibus me*. Impiorum persecutiones & impetus, quibus aliquoties ad mortem fuerat quæsitus, torrentibus comparat, qui & violenter & ex improviso irruunt. Musculus in h. l. *Hujusmodi torrens impiorum rectè convenit valli Kidor, id est, regno tenebrarum*. *Sic Ps.* 124. v. 4, 5. *&c.* *De torrente in via bibiturum Messiam*, prædicitur [c] Psal. 110: 7. quod diversimodè exponitur. Omnium commodissimè autem de passione Salvatoris intelligitur, sicut & aliàs *bibitioni* ea confertur. Et quod alibi *calicem bibere*, id h. l. est, *de torrente in via bibere*. Per *torrentem* passionum Christi multitudo & acerbitas denotatur, simul tamen & brevitas, sicut torrentes aquæ citò dilabuntur, cùm non ex fonte perenni, sed imbribus & nivibus existant:

sistant: ideoque additur: *proptereà exaltabit caput*, hoc est, ex passione & morte gloriosè ereptus, in resurrectione triumphabit eminentissimè. *In via* autem bibiturum Christum, ait Propheta, quâ vitæ hujus terrenæ curriculum denotatur, quæ *dies carnis* vocantur Heb. 5: 7. In exilio & persecutione sua Elias, in deserto constitutus, *de torrente bibit*, jussu Dei, 1 Reg. 17: 4, 6. In passione sua Christus, tanquam immani deserto positus, de maximo omnium tribulationum ac dolorum torrente, spiritualiter bibit. Quod & per *transitum torrentis Kedron* (à nigredine & tenebrositate nomen habentis) denotatur, Joh. 18: 1. Tantum de hoc. Quandoque tamen *torrens* in bonum accipitur, vel ob abundantiam aquarum, quæ ad copiam bonorum transferuntur. Job. 20. ℣s. 17. *per torrentes mellis & butyri* (quibus *rivi & flumina* adduntur) affluentia rerum secundarum, suavium, & molliter sibi ex animi voto succedentium, denotatur. Psal. 36: 9. *torrente deliciarum suarum potare credentes Deus* dicitur, hoc est, beatissimâ, jucundissimâque bonorum cœlestium copiâ donare, quod ζωὴ καὶ περισσὸν illud est, de quo ovibus suis Joh. 10: 10. promissum Salvator facit. Prov. 18: 4. *torrens eructans*; *scaturigo sapientiæ* dicitur, hoc est, os sapientis viri, profundens & communicans large sapientiam. Confer Esa. 66. vers. 12. Amos. 5: 24. ubi expressæ comparationes sunt. Vel, quòd in aridis regionibus torrentes opportunè & utiliter inundant. Esa. 35, 6. *Scindentur in deserto aquæ, & torrentes in solitudine.* Sequitur v. 7. *Et erit locus aridus in stagnum, & siticulosus in scaturigines aquarum.* Descriptio metaphorica beneficiorum regni Christi, eorumque tùm suavitatis, tùm abundantiæ.

*Flumen*, נָהָר, 5 [a] in malum si accipiatur, frequentiam populi concurrentis, & hostiliter in invadentis terram, significat. Es. 18: 2. *Ad gentem, cujus terram flumina diripient.* Prædicitur divina ultio adversus impios Æthiopes, inferenda per hostiles exercitus, qui instar fluminum validorum, quibus resisti non potest, terram direpturi erant. (Quidam propriè accipiunt, de consuetis inundationibus fluminum, quibus Æthiopia fluviatilis (v. 1) divexatur: & sic in præsenti legunt, *diripiunt*. Quidam etiam metonymicè per *flumina* intelligunt eosdem Æthiopiæ hostes, qui per flumina Æthiopiæ navigiis essent eam terram invasuri; ac si dicas, fluvium Danubii Ungariam esse direpturum, propterea, quòd Turci per illum ascendentes, terram Ungariæ depopulari soleant. Videantur etiam cumprimis Junii & Tremellii in hoc difficile caput, annotationes cum ipsa versione) Ita נָהָר quoque accipitur. Esa. 8: 7. quod anteà, voce *aquarum*, adductum. [b] In bonum si accipiatur, DEI beneficentiam denotat. Psalm. 46: 6. *Flumen, rivi ejus lætificant civitatem DEI*, Habitaculum sanctum, quod collocaverat DEUS in eam civitatem jucundissimi instar fluvii esse innuitur, cujus rivuli exhilarent civitatem universam, unde subjicitur: *Sanctum habitaculorum altissimi.* Potest & commodè per *flumen*, ipse Jehova, gratia suâ & patrocinio inhabitans, intelligi; *rivi* autem ipsius sunt, beneficia protectionis divinæ specialia, quæ à divina gratia, ceu rivi à flumine promanant. Nec, si ad verbum Jehovæ hæc referantur, ulla aberratio fiet. Ubicumque enim verbum DEI purè sonat vigetque, ibi DEUS ipse non potest non gratiâ suâ adesse &c. Esa. 41: 18. *Aperiam in locis editis flumina.* Descriptio metaphorica regni Christi, quò & sequentia tendunt, ubi *fontium in campis, stagni aquarum in deserto, scaturiginis aquarum, in terra siccitatis*, fit mentio. Brentius in h. l. *Hac deserti, aquarum, fontium & arborum* (℣s. 19.) *metaphora, intelligitur, quòd DEUS sit instauraturus inter gentes, quæ nomine aridæ terræ & deserti comprehenduntur, largissimum fontem prædicationis verbi sui, ut quotquot veram salutem sitiunt, hauriant ex eo fonte cœlestem & æternam beatitudinem.* [c] Joh. 7: 38. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Quia de Spiritu sancto, Apostolis credentibus mirabili effusione conferendo, Christus loquitur (ut ex ℣s. 39. patet) igitur *flumina de ventre* sive corde fluentia, denotant copiosa Spiritus sancti dona & operationes, quibus in prædicatione Evangelii, permultos ad Christum perduxerunt, eosque vivâ consolatione perfuderunt Apostoli, aliique Doctores. Lutherus tom. 2. Isleb. fol. 247. Wer zu mir kommet / den will ich also zubereiten / daß er nicht allein für seine Person soll gelabet und erquicket werden / daß er seinen Durst leschen mag / und des Dursts ledig werden / sondern wil ihn zu einem starcken steineren Faß machen / ihm den heiligen Geist und Gaben geben / daß er zu andern Leuten fliesse / sie träncke / tröste / stärcke / vielen andern Leuten auch diene / wie ihme durch mich geholffen ist / wie 2 *Cor.* 1. 5. Paulus sagt. Videantur ibidem plura huc spectantia. Quod autem additur à Christo: *Sicut dicit scriptura*, id quidam ad verba sequentia referunt, & quod in his *de fluminibus aquæ vivæ de ventre fluentibus* dicitur, vel in certo Vet. Test. Scripturæ lo-

[b] In bonum.

[c] Joh. 7: 38. Promissio aquarum viventium de ventre fluentium.

[a] In malum.

co indagant, qualis est Esa. 58:11. *Eris veluti hortus irriguus, & sicut scaturigo aquarum, cujus non mentientur aquæ:* vel in tota quasi substantia universarum promissionum Euangelicarum, fluminum, fontium, & aquarum allegoriâ expositarum, quales sunt Esa. 44:3. cap. 49:10. Ezech. 36:25,26. Joel. 3:1,23. Zach. 12:10. cap. 14:8. Eleganter autem D. Heinsius cum antecedentibus verba, *sicut dicit Scriptura*, connectit: *Qui credit in me, sicut dicit scriptura.* Respicit Christus ad locum Deut. 18:15,18. ubi ὁ προφήτης promittitur. Neque ullus locus erat, qui tùm magis omnium insculptus erat animis. Johan. 1:21. cap. 6:14. Actor. 3:22 Joh. 7:40. αὐτῦ ἀκȣ́ετε quod ibi dicitur & αὐτῷ πιςεύετε, idem est. Verba autem, quæ sequuntur, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτȣ̃ ῥεύσȣσιν ὕδατος ζῶντος, sunt verba ipsius Christi, ut ex vers. 39 patet. Confer cap. 4: v. 14. Hæc ille, in Aristarcho sacro pag. 406.

b Psal. 87:7. omnes fontes mei in te sunt.

*Rivus* metaphoricâ significatione ab antecedentibus non abludit. Job. 29:6. *Rivis olei*, bonorum abundantia denotatur. De locis. Psal. 46:5. Psal. 65:10. alibi dictum. a Prov. 21:1. פַּלְגֵי *rivi* (Ariæmont. *pelagi* vertit, ut sono cum Hebræa voce conveniat) *aquarum*, *cor Regis est in manu Domini: ad omne quod voluerit, inclinabit illud.* Flacius: *Similitudo indicat, magno impetu ferri Reges, quocunque inclinant: sed tamen in potestate DEI esse corda & cogitationes eorum, ab eo igitur petendum esse, ut ille eos à malo ad bonum convertat, sicut ini tio aquas convertit, eisque quasi viam præmonstravit, quâ quæque flumina fluere debeant &c.* De hoc, & multis aliis in Proverbiorum libro, notandum, per ellipsin particulæ similitudinis, ea explicari commodè posse, ut non tàm metaphora, quàm similitudo expressa in iis sit, quod & suprà monitum. Chaldæus h. l. particulam הֵיךְ *sicut*, addit. Junius & Tremellius insuper ellipsin relatæ vocis hìc statuunt: Ut scapha *in rivis aquarum, animus Regis est in manu Jehovæ &c.* id est, est quidem animus omnium hominum gubernaculum, quo, velut naves in mediis aquis, reguntur corpora & actiones nostræ: tamen ne ipsorum quidem regum animus ex seipso permovetur, impellitur, inhibeturque; sed DEUS in singulorum animis veluti clavum tenet.

a Prov. 21. 1. rivi aquarum, cor Regis &c.

c Fons divini verbi.

*Fons, scaturigo, vena*, עַיִן, מָקוֹר, מַבּוּעַ, plerumque in bonum accipitur, & quidem tùm de corporalibus, tùm de spiritualibus. Prioris exempla sunt, Deut. 33:28. *Fons Jacobi*, hoc est, populus Israeliticus, qui ex Jacobo ortum ducens, perpetim, instar perennis fontis seu scaturiginis, permanebit. Jer. 9:1. *Oculus dicitur vena lacrymarum*, hoc est copiosè lacrymas profundere. Marc. 5:29. *Fons sanguinis* dicitur ῥύσις αἵματος, profluvium sanguinis, quo malè mulier illa affecta erat. Confer Lev. 12:7. cap. 20:18. &c. Posterioris exempla sunt, Psal. 36:10. *Tecum est scaturigo vitæ*, hoc est, tu DEUS vitæ omnis & beatitudinis cœlestis causa es. b Psal. 87:7. *Et cantabunt ut qui choreas ducunt: Omnes fontes mei in te sunt.* Sensus est, credentes per Spiritum DEI regenitos (de quibus ℣. 4, 5.) in regno Christi DEUM celebraturos, & laudum præconia dicturos, hoc argumento: *Omnes vitæ meæ fontes in te*, Christe Salvator, *sunt:* Tu solus vitæ meæ, tàm temporalis, quàm spiritualis & æternæ, fons, scaturigo, & autor es. Prov. 13:14. *Doctrina sapientis est scaturigo vitæ*, hoc est, salutifera & consolatione plena, instar fontis limpidi, cui aqua refrigerans non deest. Idem cap. 10:11. de *ore justi* enunciatur, & cap. 14:27. *de timore Domini.* Ex quo patet, de verbo DEI salvifico, per justos & sapientes, hoc est, verè credentes prolato, hoc intelligendum esse. Dicitur & aliàs verbum Christi Salvatoris, c *fons & scaturigo*, Esa. 12:3. (ubi pluralis numerus est, ad summam abundantiam denotandam.) Zachar. 13:1. Joel. 3:23. ubi aliqui gratiam DEI, vel Baptismum intelligunt, quod priori non est contrarium, sed amicissimè illi concordat. Respectu verbi hujus saluriferi, Ecclesia Christi appellatur *fons hortorum, puteus aquarum viventium*, Cant. 4:15. Chald. *Verba legis comparantur puteo aquarum viventium.* Hic fons solùm in Ecclesia Christi est, igitur & ipsi nomen hoc tribuitur, quare etiam *fons obseratus, fons signatus*, ℣. 12. dicitur, quia à Spiritu sancto per verbum ad salutem æternam obsignatur & custoditur, 2 Cor. 1:22 Eph. 1. 13. idque modo, omni humanæ rationi ac sensui incognitio. Petrus doctores falsos vocat πηγὰς ἀνύδρȣς, *fontes sine aquis*, Epist. 2. cap. 2:17. hoc est, qui speciem divinæ veritatis præ se ferunt, at reverâ omni solidâ & cœlesti doctrinâ carent. De DEO, *fonte vitæ* appellatio, vide suprà. cap. 7. de ἀνθρωποπαθείᾳ. Vitam æternam *fontes & scaturigines aquarum viventium* dici, ex Esa. 49:10. Apoc. 7:17. cap. 21:6. planum est.

d Fons Siloah. Esa. 8. 6.

In specie *fons Siloah* memorabilis est, qui *fons Draconis seu serpentis* dicitur Neh. 2:13. à lento scil. & serpente fluxu: & à cujus rivo piscina effecta, בְּרֵכַת הַשֶּׁלַח Neh. 3:15. κολυμβήθρα τȣ̃ Σιλωὰμ, *piscina Siloah*, Joh. 9:11. vocatur. Ab eo verò fonte metaphora ducitur Esa. 8:6. *Propterea, quod reprobat populus iste aquas* (fontis) *Siloah, euntes leniter &c.* Per quod

quod aliqui divinas promissiones intelligunt, populo Judaico datas, de certa defensione & patrocinio adversus hostes, quibus non contenti, nec acquiescentes Judæi, ad copias exteras conducendas se contulerunt. Alii per *aquas Siloah* ipsum Zionis regnum à DEO institutum intelligunt, quod humile & infirmum erat, respectu regnorum Syriæ & Israëlis, sicut fons Siloah leniter, sensim, & cum silentio fluebat. Chaldæus: *Propterea, quod fastidit populus iste regnum domus Davidis, ducens eos in quiete, sicut Siloah fluit quietè, &c.* De fonte illo ita Hieronymus in comment. *Siloam autem fontem esse, ad radices montis Zion, qui non jugibus aquis, sed incertis horis diebusque ebulliat, & per terrarum concava & antra saxi durissimi, cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus, nos præsertim, qui in hac habitamus provincia.* Nota, convenire cum hoc, quòd *Siloah* fontem, alio nomine vocatum fuisse גִּיחוֹן *Gichon*. 1 Reg. 1:33, 38. ex Chaldæa h. l. paraphrasi patet, quæ שִׁילוֹחָא *Siloah* vertit. Dicitur autem גִּיחוֹן ab *erumpendo seu prodeundo*, unde *torrens inundans* dicitur 2 Par. 32: 4. Observa etiam, ad fontem isthunc factam fuisse Salomonis filii Davidis, in Regem Israëlis, inunctionem, d. l. ut non absque allusione quadam, per *Siloah*, regnum domus Davidis, subinnui videatur. Montem quidem, non fontem esse *Gichon*, cujus ibi fit mentio, putant aliqui: sed bene ex Rabbinis monet Cl. Schikhardus in jure Regio, theor. 4. *ad scaturiginem fontis*, unctionem Regum factam esse, ut ex 1 Reg. 1: 33. pateat, (& quidem peculiari quodam omine) Id Brentius eleganter applicat, in h. l. ita scribens: *Metaphorâ hujus fontis familiam Davidis intelligit, idque admodum aptè. Nam Siloah, etsi magno sonitu venit, tamen non semper fluit, sed certis diebus & horis: & si quando ebullit, non inundat totam terram, non vastat agros, sed continet se in terrarum concavis & antris, ut sine cujusquam periculo ac penè absconditè fluat. Sic est & familia Davidis, quæ ad gubernandum regnum Juda divinitùs sanctificata est. Et si enim magna est Regum Juda dissimilitudo, & alius alio clementior, alius alio magis pius fuit, tamen fuerunt Reges tolerabiles, nec fuerunt hactenus nimis graves populo suo, sed gesserunt se in administratione regni modestè & abstinenter: Et tamen vulgus civium atque incolarum, novarum rerum cupidum, maluit externos habere Reges, qui erant hostes, quàm indigenam familiam Davidis, quæ divinitùs ad imperium Juda ordinata fuit &c. Apparet, in eo bello, alios quidem desideràsse periculum, quoquo modo potuerint, propulsare, vulgus autem incolarum, ac præsertim agricolas regni Juda, optâsse, ut ejectâ familia Davidis, dominaretur Rex Israel, & Rex Syriæ. Quare Esaias invehitur in eos graviter, & vaticinatur futurum esse, ut cùm non velint æquo animo ferre tranquillum genus Regum, necesse habeant à turbulentis hostibus maximis procellis jactari.* Hucusque Brentii verba. R. Kimchi similiter: *Fuerunt in Juda & Jerusalem multi, qui delectati sunt regno Pekah filii Remaliah & spreverunt regnum domus David, propterea quòd potentia regni Ephraim fuit major, & regnum domus David infirmius in diebus Achazi. Et conjungit filio Remaliæ Rezin, quia ambo illi simul oppugnaverunt Judæam.* Vatab. in annot. h. l. *Sensus est, quia populus meus Juda, cujus regnum est simile leni Siloah fonti & innoxio, viresque ipsius regni sui spernit, quòd exiguæ sint, velletque lubens subjici ipsi Rezin, & Phacee, Regibus potentissimis, qui velut Euphrates omnia secum rapiunt, qui eum fortiùs defenderent à periculis, ut existimant &c.* Hieron. in com. h. l. *Sensus est: quia populus decem tribuum magis voluit Rasin & filio Romelim, id est, Damasci & Samariæ Regibus esse subjectus, quàm stirpi David, quæ meo cœpit regnare judicio: faciam eum nequaquam his Regibus, quos assumsit, sed Regi servire Assyrio.*

*Puteus*, בְּאֵר tàm in bonum, quàm malum usurpatur. [a] In bonum, de conjugio & rei familiaris statu. Prov. 5: 15. *Bibe aquam de cisterna tua, & fluentia de medio* בְּאֵרֶךָ *putei tui.* Continuatur metaphora ℣. 16. *Dispergantur fontes tui foras, in plateis, rivi aquarum.* ℣. 17. *Sint tibi soli, & non alienis tecum.* ℣. 18. *Sit vena tua benedicta &c.* Quidam de ipsa consuetudine conjugiali hoc exponunt. Aben Ezra: *Sensus est: Adhærendum esse uxori propriæ, & non alii præter eam: Et fontium dispersione foràs in plateas multitudo filiorum notatur.* Münsterus: *Hebræi exponunt, derelinque alienam, & adhære uxori tuæ: & tunc fontes tui derivabuntur foras, hoc est, filii tui cum honore egredientur in publicum: eruntque illi tui solius, cùm nothi & tui & aliorum sint; si ad alienam accesseris.* Rectiùs alii duo in hoc textu documenta statuunt, pio homini proposita; unum, ut bonis propriis utatur benè, & augescat benedictione Dei, ℣. 15, 16, 17, 18. alterum, ut continenter & castè cum propria uxore vivat, ab alienis verò abstineat, ℣. 18, 19. 20. Prius illud metaphora ab aquis deducta exprimitur. D. Franzius: *Bibe aquam de cisterna tua &c. hoc est, bona tua pro te serva, & pro tuis, proque juvandis aliis, nec cum adultera disperdas &c.* Flacius: *Non vult à liberali bona abjici aut profundi, sed retineri, ac de fructibus tantùm illorum egentibus benefieri. Convenit cum hoc, quod Cicero monet,*

[a] In bonum.

*net*, *ipsos fontes liberalitatis exhauriendos non esse.* [a] In malum *puteus* de periculis magnis, & pernicie accipitur. Psal. 55: 24. *Et tu, Deus descendere facies eos in puteum perditionis.* Chald. *In gehennam profundam.* Psal. 69: 16. *Ne claudat super me puteus os suum:* Chald. *Gehenna.* Loquitur ibi Christus de passione sua amarissima. Idem quandoque vox cognata בור *fovea*, *cisterna*, notat. Psal. 40: 3. *Et ascendere fecit me* מבור *de cisterna sonitus*, hoc est, ex maximis malis & periculis: Ubi itidem Christus ὁ παθὼν loquitur. Jer. 2: 13. בארות *cisternæ fractæ, quæ non continent aquas* (ex quibus ruptis aqua egreditur, sicut ing. essa est, & fallit opinionem hominum, aquas desiderantium) idololatriam & peccatorum quorumvis sentinam denotant, ac opponuntur *Deo fonti perenni aquarum viventium.* Quid insuper בור significet, infrà dicetur.

a In malum.

d Apoc. 3: 15. Frigidus, calidus, tepidus &c.

3. [b] *Qualitates* aquæ hac vice duas ponimus. *Prior*, quòd fluida & liquida est, sique à frigore congelata sit, à calore iterum resolvitur & liquescit. Ab hoc metaphora sumitur, dum מסס & מוג *liquescere*, de hominibus usurpatum, metum, consternationem, anxietates & dolores notat. Ex. 15: 15. Deut. 1: 28. c. 20: 8. Jos. 7: 5. (ubi *aquæ liquidæ* mentio additur) Job. 7: 5. c. 9: 23. (ubi nomen מסה *liquefactio* est) Ps. 75: 4. Ps. 107: 26. Esa. 10: 18. c. 13: 7. c. 31: 8. (ubi itidem nomen מס *liquefactio* est. Chald. *fractio*, consternatio præ metu. Alii *tributum* vertunt, quæ altera est vocis significatio) c. 64: 7. Ezech. 21: 15. Job. 30: 22. Ita Ovidius de Ponto: *Sic mea perpetuis liquescant pectora curis.* Confer Ps. 58: 8. Ps. 22: 15. ubi expressa comparatio est. Referri ad adducta modò potest, Ps. 119: 28. דלפה *Stillat anima mea præ anxietate*, hoc est, velut liquefacta contabescit. Lutherus: Ich grāme mich / daß mir das Hertz verschmacht. Chald. אנסת *contristata est anima mea à mærore.* Quidam hyperbolicam lacrymarum descriptionem esse statuunt, ac si anima ipsa liquefacta in lacrymas resolveretur. Ad virtutis defectum *liquefactio* refertur Job. 6: 14. למס *contra liquescentem ab amico suo misericordiâ seu benignitate*, hoc est, cujus benignitas instar aquæ liquefactæ diffluit ac evanuit. ℣. 15. allegoria *aquæ abeuntis & pereuntis* subjungitur. Jud. 15: 14. de vinculis usurpatum, eorum dilapsum & dissolutionem facilem notat &c. [c] *Posterior*, quod frigoris & caloris capax est. Et hûc pertinent ista: Rom. 12: 11. τῷ πνεύματι ζέοντες, *spiritu ferventes.* Denotatur spiritus ardor, & zelus fidei ac pietatis, Syrus verbum רתח habet, quod de

b Qualitas aquæ prior.

e Actiones ipsius aquæ.

f Erumpere.

g Inundare.

c Qualitas posterior.

aquis ebullientibus Job. 41: 22. Ezech. 24: 5. usurpatur. Referatur igitur hûc etiam Job. 30: 27. *Viscera mea* רתחו *ferbuerunt, & non siluerunt.* LXX. Interpretes: ἡ καρδία μὲ ἐξέζεσε. De affectuum & cogitationum conturbatione, ob maximas calamitates, id dicitur. [d] Apoc. 3: 15. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque ζεςὸς, fervidus: utinam frigidus esses aut fervidus.* ℣. 16. *Itaque quoniam tepidus es, nec frigidus, nec fervidus, evomam te ex ore meo.* Manifesta hic à qualitatibus aquæ translatio est. *Frigidos* vocat planè à Christo alienos: *fervidos*, verâ Christi cognitione in excellenti gradu præditos: *tepidos* verò, qui cùm Christiani dici velint, nec causam Religionis seriò agunt, nec vitam confessioni conformem dignamque ducunt. Ζεςοὺς, pietatis zelo ferventes Deus amat: at tepidos, qui nominetenùs, non reverà Christiani sunt, odit, nec inter suos reputat, id quod metaphoricâ allusione ad aquas tepidas hic exprimit: ab illis enim vomitum facilè cieri constat. Reprobationem igitur *vomitionis* voce Christus exprimit. Quid verò est, quòd inquit, *utinam frigidus esses!* num & frigidi perinde ut fervidi Deo placent? Resp. respectivè hoc intelligendum. Ψυχροὶ, *frigidi*, in eo, respectu tepidorum, laudabiles sunt, quod palam profitentur, quales sint, neque aliud verbis promunt, aliud pectore claudunt: cumque cœcitate naturæ laborent, si de melioribus edoceantur, sæpè laudabiliter emendantur: quod in tepidis, pietatis speciem habentibus, & vim ejus abnegantibus vix sperari potest. Sensus igitur est: In extremis gradibus oportebat te esse positum, ut dijudicari possis &c. *Frigidum spiritu* Prov. 17: 27. dici, qui sedati animi est, nec in iras facilè effervet, quidam existimant, cùm in textu scribatur קר *& frigidus.* Sed pro eo יקר *preciosus*, legendum esse, Masora tradit, quam lectionem Lutherus exprimit: Eine theure Seele. Sed & alter sensus satis commodus est, quem Chaldæus amplectitur, transferens מכיך *demissus animo.*

4. [e] *Actiones* demum hic duplicis generis observare licet. Quædam ipsius aquæ sunt. [f] *Erumpere* פרץ, de exundante flumine usurpatum, Job. 28: 4. abundantiam tùm opum, tùm sobolis notat, Genes. 28: 14. c. 30: 43. Exod. 1: 12. Job. 1: 10. Hos. 4: 10. Item sermonis divulgationem, 1 Sam. 3: 1. 1 Par. 13: 2. 2 Par. 31: 5. [g] *Inundare* aquas, tùm multitudinis hostium irrumpentium; tùm festinationis & celeritatis notionem obtinet. *Prioris* exempla sunt. Esa. 8: 8. c. 28: 15, 17, 18.

Dan.

Dan. 11: 22. Nah. 1: 8. *Posterioris*, Psal. 90: 5. זְרַמְתָּם *inundatione abripis eos*, scil. homines: vel *diffluere facis eos*. Sicut aqua inundans citò accrescit, subitò vadit, & mox tandem diffluit ac evanescit: sic vita nostra, succedentibus in vicem temporum articulis, subitò & inopinantibus nobis, præterit, dilabitur, & evanescit. Tempora labuntur more fluentis aquæ. Esa. 10: 22. *consummationem præcisam inundaturus justitiâ Deus* dicitur, hoc est, præcisè effecturus & consummaturus, quod decrevit, adeò, ut nulla vi consiliόve humano, vel Diabolico astu ac potentiâ, impediri possit, perinde ut exundans amnis sisti non potest. Jer. 8: 6. *Equus* שׁוֹטֵף *inundans in prælium* dicitur, hoc est, impetu vadens, ut Pagninus reddit: seu cursu celerrimo, instar aquæ celerrimè inundantis, impetum faciens in bello. a *Confluere* de aggregatis populis dicitur, Esa. 2. ℣. 2. Jer. 51: 44. Mich. 4: 1. Cumque in primo & ultimo loco, de conversione gentium ad Christum agatur, pulchrè in hac metaphora declaratur; in medio quidem conversionis, quod verbum Evangelicum est, efficacia ejus divina, in parando populo spontaneo, sicut flumina, nemine cogente, profluunt (Aquæ naturales naturaliter descendunt; sursum si derivandæ, peculiaris id artis est: Populi verò illi instar aquarum sursum tendent, in excelsum Zionis montem, ut ibidem dicitur. Igitur divinâ Spir. S. arte & efficaciâ id fit, per ipsum Evangelium Christi.) In hominibus verò conversis, *tùm* diligentia & fervor in pietate, sicut celeriter & toto impetu aquæ collectæ fluunt: *tùm* frequentia & copia, sicut multæ aquæ simul fluunt: *tùm* demum concordia, sicut ex multis locis varii rivi conveniunt, & unum homogeneum, cujus partes discerni non possunt, constituunt &c. b *Scaturire* seu eructare, הִבִּיעַ, de sermone hominis usurpatur, Psal. 19: 3. Psal. 78: 2. Psal. 119: 171. Prov. 1: 23. c. 2: 15, 28. Confer cap. 18: 4. ubi expressa comparatio est. Sermo ex ore fluit continue, sicut aqua ex fonte: Unde ῥέω & *fluo* significat, & *dico*. c *Ebullire*, רחשׁ, itidem eleganti metaphorâ de sermone cordis, præmeditato bene, accipitur, qui per os & labia egreditur, ut aqua fervore ebulliens foràs erumpit. Ps. 45: 2. *Ebullivit cor meum verbum bonum* LXX. ἐξηρεύξατο *eructavit, promisit*. d *Stillare*, usurpatur primùm de sermone, doctrinâ, prophetiâ, vel quòd pluviæ aut roris instar minutatim auribus influit, non enim simul & semel omnia verba & sententiæ proponuntur, sed distinctè & velut guttatim: vel, quia ut pluvia & ros terram, ita doctrina hominis animum rigat quasi & fœcundat. Exempla sunt Deut. 32: 2. ubi expressa simul comparatio est. Job. 29: 22. Ezech. 20: 46. (al. c. 21: 2) Mich. 2: 6, 11 Sic apud Horatium lib. 1. Epist. 8. *Subinde præceptum auriculis hoc instillare memento*. Deinde Metaphorice *cœlum & æther stillare justitiam* dicitur, cùm Deus cœlitus beneficia confert, Esa. 45: 8. Quò pertinet, cùm *montes mustum stillaturi*, tempore Messiæ, dicuntur, Joel. 3: 23. Amos 9: 13. quo beneficiorum cœlestium, merito Christi partorum, copia intelligitur.

Quædam verò e actiones hominis sunt circa aquam. *Effundere* (quod propriè ad aquas & alia liquida pertinet) metaphoricè de aliis etiam usurpatur, elegantiâ evidenti, & quidem tàm in malam, quàm in bonum. f *In malum* tum de Deo, tùm de hominibus dicitur. Quoad Deum, *effundere iram suam* is dicitur, quando graviter plectit. 2 Par. 12: 7. *Et non* תִתַּךְ *effundetur* (quidam, *stillabit*) *ira mea fervens contra Jerusalem per manum Sisak*. Ita & Esa. 42: 25. Psal. 79: 6. Jer. 42: 18. Ezech. 9: 8. cap. 22: 23, Dan. 9: 11. Thr. 2: 4. Hos. 5: 10. Hùc pertinet, quòd Deus dicitur *effundere contemtum super Principes*: Ps. 107: 40. hoc est, tyrannos (uti v. 39. describuntur) omni autoritate exuere, & contemtibiles efficere, cujus comes, ejectio & exilium est, ut ibidem sequitur. Et *effundere fel hominis in terram*, Job: 16: 13. h. e. doloribus concutere, & interiora crudeliter afficere, ac si jecur cum vesica fellea effunderetur in terram. Et *effundere animam hominis* Psal. 141: 8. hoc est, abjicere curam ejus paternam. Quidam ערה *nudare* explicant; hoc est, defensione & salute omni privare. Utrumque vox ea significat. Quoad homines, tùm de malis pœnæ, tùm culpæ, verbum id usurpatur. Primò, inquam, plagas inflictas dolores & anxietates notat. Job. 30: 16. *Et nunc in me* תִּשְׁתַּפֵּךְ *effundit seipsam anima mea*, hoc est, liquescit quasi & contabescit. Sequitur: *apprehendunt me dies afflictionis*. Thren. 2: 11. *Effusum est in terram jecur meum, propter contritionem filiæ populi mei*, h. e. præ dolore & terroribus ferè exanimor, ac si jecur cum omni sanguine effunderetur. v. 12. *effundi animam parvulorum* dicitur, hoc est, præ fame eos exspirare. Singularissimè *Christus effusus dicitur ut aqua*, Psal. 22: 15. h. e. à summis cruciatibus animæ & corporis, exhaustum omnibus viribus esse, totumque in passione contabuisse, sicut aqua effusa dispergitur, dilabitur, & perit &c. Deinde, ut dictum, mala culpæ denotat. Ps. 73: 2. *Nihil abfuit, quin effunderentur gressus mei*. hoc est, quin gravissimè errarem, & à viis mandatorum Dei decli-

a Confluere.
b Scaturire.
c Ebullire.
d Stillare.
e Actiones hominis circa aquam. Effundere.
f In malum.

declinarem, ſicut aqua effuſa locum mutat, & hinc inde incertâ ratione diſpergitur, Ezech. 16: 15. *Effudiſti fornicationes ſuper omnem tranſeuntem*, h. e. effusè & multipliciter proſtituiſti te & pudicitiam tuam quibuſvis tranſeuntibus.

1. De ſpirituali fornicatione ſeu idololatriâ & peccatorum ſtudio nefario loquitur.

a In bonum. [a] *In bonum*, itidem tùm de Deo tùm de hominibus uſurpatur. Quoad Deum, *effundere is Spiritum ſuum, & gratiam ſuam*, dicitur, cùm copioſè dona Spiritus S. credentibus confert, & gratiam exhibet. Eſ. 32: 15. Eſ. 44: 3. Joël. 3: 1. Zachar. 12: 10. Act. 2: 17, 33. Rom. 5: 5. Tit. 3: 6. *In labiis Chriſti effuſa gratia eſſe* dicitur, Pſ. 45: 3. quod de ſuaviſſimo fructu labiorum Chriſti, h. e. Euangelio gratiæ, per Chriſtum promulgato, intelligendum. Quoad homines, *effuſionis* voce, preces ad Deum fuſæ denotantur. Unde phraſes, *effundere animam & cor coram Domino*, 1 Sam. 1: 15. Pſ. 62: 9. Thr. 2. 19. h. e. ſeriò precari Job. 3: 24. *Suſpiria ſua & rugitus effundi ſicut aquam*, Hiob dicit, quod non de intenſiſſimis ſolùm doloribus, quorum ſignum ſuſpiria & gemitus ſunt, ſed & de ſeriis precibus, in angore & cruciatu fuſis, intelligendum.

d Joh. 3. 31. Qui eſt è terra, è terra eſt &c.

b Abluere. & mundare. [b] *Abluere & mundare* (quod aquâ fieri ſolet) ſæpiùs ad juſtificationem hominis peccatoris coram Deo, ejuſque ſanctificationem & renovationem tranfertur. Ut *à peccatis* (tanquam ſordibus fœdiſſimis) *ablui*, ſit, vel remiſſionem peccatorum propter Mediatorem Chriſtum conſequi, Pſal. 51: 9. Eſa. 4: 4. Ezech. 16: 4, 9. c. 36: 25. Act. 22: 16. 1 Cor. 6: 11. Heb. 10: 22. Apoc. 1: 5. c. 7: 14. Vel, quod antecedenti illi beneficio Dei ſemper conjunctum eſt, à peccatis abſtinere, & vitæ ſanctimoniam puritatemque ſectari. Job. 9: 33. Pſal. 26: 6. Pſ. 73: 13. Prov. 30: 12. Eſa. 1: 16. Jer. 4: 14. Jac. 4: 8. inter quæ loca aliqui *manuum* tantùm lotionis ſeu mundationis meminêre, metaphorâ ductâ vel

2. à ritu crebræ lotionis manuum, ab hominibus interdiu, factæ; vel à religioſo illo ritu, quo innocentiam teſtaturi ſuam, manus publicè lavabant, cujus exempla ſunt Deut. 21: 6, 7.

c Haurire. Matth. 27: 24 &c. [c] *Haurire* (quod aquæ & humori competit) idem eſt, ac obſervare, recognoſcere, Prov. 30: 5. ubi ad cordium conſilia refertur. Alias *exhauriri* eſt attenuari, ad inopiam redigi, Jud. 6: 6. Pſal 79: 8. Eſa. 17: 4. perinde ut *exhauſtus viribus ſeu facultatibus*. Latinis etiam dicitur. De fontibus autem ſalutis ſi ſermo ſit, *haurire* eſt, verá fide beneficiis Chriſti Salvatoris frui, Eſa. 12: 3. Confer Joh. 1: 16.

e Matt. 5: 5. Mites hæreditabunt terram.

## *A TERRA deſumtæ metaphoræ.*

In globo terræ duo ſunt conſideranda, quæ totidem etiam metaphoricas ejus acceptiones gignunt. 1 Quòd cœlo oppoſitus, & ab eo maximè diſſitus eſt, tàm ſubſtantiam, quàm qualitates quod attinet. Hoc reſpectu, quemadmodum *cœlum* ſpirituale Dei regnum, ac fœlicitatis æternæ ſtatum, denotat; ita *terra* è contrario ſtatum corruptionis & peccati deſignat, in quem homo per & poſt lapſum devolutus fuit. [d] Joh. 3: 31. *ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, ἐκ τῆς γῆς ἐστι, καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ, qui eſt è terra, è terra eſt, & ex terra loquitur.* Pulchra antanaclaſis! Prior phraſis, *ex terra eſſe*, propriè accepta, eſt terrenam originem habere, ex hominibus terrenis modo naturali & terreno progenitum eſſe (cui opponitur, quòd Chriſtus eſt *ἄνωθεν ἐρχόμενος, καὶ ἐκ τῦ ὐρανῦ*: Confer 1 Cor. 15: 47.) Poſterior phraſis, *ex terra eſſe*, metaphoricè accepta, eſt carnaliter ſapere, rerum divinarum ignarum, & peccato perditum, adeoque à cœlo ſeu regno Dei ſpirituali planè alienum eſſe, quod alibi dicitur, *τὰ ἐπίγεια φρονεῖν, terreſtria curare*, Phil. 3: 19. *τὰ τῆς σαρκὸς φρονεῖν, ea, quæ carnis ſunt, curare*, Rom. 8: 5. Confer etiam Joh. 3: 6. 1 Cor. 2: 14. (cui opponitur à Johanne d. l. *ἐπάνω πάντων ἐστὶν, ſupra omnes eſt*, hoc eſt, Dominus cœleſtis, & Deus ſanctiſſimus, omnis imperfectionis & labis terrenæ expers.) Ultima phraſis, *ex terra loqui*, antecedenti conformis, eſt ea loqui, quæ regno Dei contraria, erronea & mendacia ſunt. Conf. 1 Joh. 4. ℣ſ. 3, 5. (cui opponitur, quòd *Chriſtus id, quod vidit, & audivit, teſtatur, & verba Dei loquitur, quæ qui accipit, obſignat, quod Deus verax ſit*, v. 32: 33, 34.) Simili oppoſitione Chriſtus utitur, ad carnales Judæos loquens. Joh. 8: 23. &c. 2. Quòd hominibus domicilia & habitationes commodas præſtat. Hoc reſpectu metaphoricè vita æterna & beatorum cœlum, *terra nova* dicitur, Eſa. 65. v. 17, 22. 2 Petr. 3: 13. Apocal. 21: 1. quia in eo *manſiones illæ multæ* ſunt, quæ à Chriſto credentibus ſunt paratæ, Johan. 14: 2. unde & *οἰκυμένη ἡ μέλλυσα, habitata ſeu habitabilis* (terra) *futura*, ſive *orbis terræ futurus*, Heb. 2: 5. dicitur. Eodem ſenſu *terram* accipi, quidam ex patribus volunt, [e] Matth. 5: 5. *Beati mites, quoniam ipſi hæreditabunt terram*. Poteſt verò de terra etiam, quam nunc incolimus, id commodè exponi: videtur enim ſententia deducta eſſe ex Pſ. 37: 11. ut ſenſus ſit: mites, hoc eſt, eos, qui nulli vim faciunt,

qui

qui læsi facilè condonant injuriam, qui malunt rem perdere, quam de ea odiosiùs contendere, qui pluris faciunt concordiam animique tranquillitatem, quàm latifundium, quibus optabilior est quieta paupertas, quam rixosæ divitiæ; hos, inquam, terram hanc verè ac tranquilla mente possidere & inhabitare, inque eâ gratiâ & benedictione Jehovæ frui, unà cum posteris suis, dum impiorum bona tandem ex divina vindicta disperguntur velut in leves ventos: atque ita veros terræ possessores, & conservationis ejus quasi fulcra & columnas esse, cùm impii unà cum Diabolis, non nisi malæ fidei possessores, & injusti quasi raptores sint, ob quorum malitiam omnis creatura ingemiscit, suique liberationem à vanitate & abusu nefando tacitè à Creatore petit, Rom. 8:20, 21. &c Præter allatas has terræ acceptiones metaphoricas, *terra* (Judææ) *commotio*, *diffractio*, *vacillatio*, Psal. 60:4. seditionum, discordiarum, & bellorum tàm intestinorum, quàm ab exteris hostibus illatorum, notionem exhibet (ubi quiddam *metonymicum* subest; *terra* enim ponitur, & incolæ ejus intelliguntur; uti & *synecdochicum*, non enim integer terræ globus, sed pars ejus, Judæa scilicet, intelligitur) qui Judææ status in primo Samuelis libro descriptus exstat. Hactenus de metaphoris quibusdam à terra ipsa deductis: crebriores verò desumuntur ab ipsius partibus, quod ut dilucidiùs pateat, à summo terræ ad imum, consideratione nostrâ descendemus, quasi per gradus. (De *agro* autem non hic, sed infrà c. 11. uti de re frumentaria sermo est, agitur.)

*Mons*, superior & elevata terræ pars est, denotatque metaphoricè (1.) Cœlum, DEI habitaculum, ἀνθρωποπαθῶς sic dictum, uti & *in excelsis, habitare* aliàs dicitur. Psal. 3:5. *Voce meâ ad Dominum clamabo, & exaudiet me de monte sanctitatis suæ*, hoc est, de cœlo; q. d. ejectus sum à loco sanctuarii terrestris, in Jerusalem constituti: verùm adhuc mihi accessus patet ad montem sanctum DEI, cœlestem illius habitationem, ubi preces meæ audientur, optatumque auxilium adversus rebelles impetrabunt. Sic Psal. 99:9. Psal. 121:1. Confer Psal. 123:1. Cœlum beatorum, seu beatitudo cœlestis & æterna intelligitur Psal. 15:1. *Domine, quis peregrinabitur in tabernaculo tuo? quis habitabit in monte sanctitatis tuæ?* Junius & Tremellius: *Quæstio est, quis in tentorio, id est, Ecclesia aspectabili, sit commoraturus, dum peregrinamur à Domino; & quis in Ecclesia Catholica & cœlesti in sempiternum habitaturus; deinque futurus germanum utriusque membrum?* Cœlum aspectabile montes significant Psal. 18:8. *Fundamenta montium moverunt se.* Quod 2 Sam. 22:8. ita enunciatur: *Fundamenta cœlorum moverunt se.* Quâ ratione autem hoc ita dicatur, vide suprà cap. 4. §. 4. circa finem. (2.) Regna & imperia, quæ instar montium præeminent in mundo. Psal. 30:8. *Domine in voluntate tuâ constituisti in monte meo fortitudinem*, hoc est, regnum meum robustum & tranquillum effecisti. Psal. 76:5. *Illustris es tu & potens præ montibus prædæ*, hoc est, regnis impiorum, injustè grassantium in mundo. Jer. 51:25. *Ecce ego contra te, mons corruptor &c.* Flacius: *Sic vocat Babylonem, licèt fuerit in plano sita, ob altitudinem dignitatis & potentiæ, quâ sicut præaltissimus quidam mons super reliquas civitates & populos eminuit.* Alii verò ita dici existimant quòd vastitate murorum & amplitudine, instar montis assurrexerit: muros quippe Babylonis in crassitudinem quinquaginta, in altitudinem ducentos cubitos regios cepisse, testes sunt Herodotus, Strabo, Plinius, Diodorus Siculus. Quod autem ibidem additur, *Babilonem fore in montem combustionis*, de ruderibus & acervo ruinæ intelligendum, qui ex combusta urbe maximâ relictus fuit. Hab. 3:6. *Contriti sunt montes perpetuitatis, incurvaverunt se colles seculi*, hoc est, populorum regna subitò concussa & disjecta sunt. Loquitur de beneficio DEI, Cananæos expellentis, & terram eorum populo suo distribuentis per ministros suos, Mosen & Josuam. Confer Exod. 15:14. seqq. (3.) Elatos quosvis hostes regni DEI. Esa. 2:14. *Dies* (iræ) *Domini, super omnes montes excelsos, & super omnes colles elevatos*, hoc est, super omnes superbos & elatos, ob potentiam suam, ut ex v. 11, 12, 17. apparet. Iidem per *Cedros Libani altas, & quercus Basan*, v. 13. *Turres altas, & muros munitos*, v. 15. intelliguntur. Esa. 40:4. *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabuntur &c.* Descriptio metaphorica effectus prædicationis Baptistæ, de quo ibidem sermo est. Musculus in comment. h. l. *Doctrina resipiscentiæ humiliat montes & colles, & complanat prava & incurva, hoc est, emendat elatos, pravos & iniquos. Consolatio regni DEI, quæ prædicationi resipiscentiæ adjungitur, erigit valles, hoc est, consolatur & recreat humiles, pauperes spiritu, & abjectos. Utramque hunc partem præcursor Domini probè est ad parandum Domino viam exsecutus, dum prædicavit, dicens: Resipiscite, appropinquat enim regnum cœlorum, Matth. 3. &c.* Esa. 41:5. *Triturabis montes, & comminues, & colles sicut glumam pones*, id est, hostes quamvis elatissimos & potentissimos perdes, utcunque *vermiculus* esse videaris, v. 14. Alloquitur

tur spiritu Ecclesiam Christi, quæ virtute verbi cœlestis ista operatur magnificè. Chaldæus vertit: *Occides populos, & perdes regna, ut glumam pones ea.* Zach. 4: 7. *Quis tu, mons magne? coram Zerubbabele in planiciem es.* Ita Ecclesiæ hostes alloquitur elatos ac tumidos, q. d. vos præ Zerubbabelis Judæorumque tenuitate montes magni vobis videmini: sed mox fiet mutatio ingens: in planiciem mons iste erit, & qui magni atque invicti habebantur, dejicientur manu & potentiâ DEI &c.

In specie ex montibus huc pertinet; *Basan*, cujus montis mentio fit Psal. 68: 16. fuitque regio montosa, pascuorum commoditate celebris, unde animalia ibi pascentia erant pinguiora, robustiora & grandiora. Inde fit ut *tauri*, *arietes*, *vel vaccæ Basan*, metaphoricè pro pinguibus accipiantur, Deut. 32: 14. & porò ad homines hoc transferatur. Psal. 22: 13. *Robusti* (juvenci) *Basan cingunt me*, hoc est, præpingues & obesi, ut juvenci in Basane pasti. Intelliguntur hostes Salvatoris, robusti & ferocientes, quibus & aliarum belluarum nomina in eo Psalmo tribuuntur. Amos. 4: 1. *Audite verbum hoc, vaccæ Basan, quæ estis in monte Samariæ*, Intelligit regni Samariæ primores, quos ita vocat, tùm ob luxuriam, quòd neglectis officii debiti partibus, non nisi cuticulam curarent, & seipsos saginarent; tum ob violentiam, & potentiæ abusum, in opprimendo tenues (sicut vaccæ in Basan enutritæ, & pinguiores, & ob id petulantiores erant). quæ utraque ratio statim subjungitur. Dum autem *viros* comparat, non tauris, sed *vaccis*, simul mollitiem, effœminatosque ipsorum mores notat. Chaldæus rectè vertit, עַתִּירֵי נִכְסַיָּא *divites opibus.* Aliàs potentes in populo, etiam *quercus Basan*, metaphoricè dicuntur, Esa. 2: 13. Zach. 11: 2.

*Carmel*, mons agris, vineis, oleis, & arbustis feracibus celebris, per metaphoram, de regione quavis bona ac frugiferâ accipitur. Esa. 16: 10. Jer. 2: 7. Hieronymus in comment. Esa. 16: 10. *Idioma Scripturarum est, quod semper Carmelum, montem opimum & nemorosum, qui Ptolemaidi imminet, & in quo oravit Helias, fertilitati & abundantiæ comparet: ac per hoc significat, omnem lætitiam & fertilitatem de uberrimis quondam urbibus auferendam.* Quidam hanc translationem ob etymon nominis ita fieri dicunt; est enim כרמל quasi deductum & compositum ex כֶּרֶם *vinea*, & מָלֵא *plenus.* Unde porro ad spiritualia idem nomen transfertur. Esa. 32: 15. *Et erit desertum in Carmel, & Carmel pro sylva reputabitur*, hoc est, ii, qui instar deserti sunt, omni videlicet pietatis & justitiæ proventu destituti, fient instar agri fertilis, veræ pietatis fructus uberrimos proferentes: contrà, qui nunc florent, & quasi Carmel esse putantur, cùm sint reipsa veræ justitiæ expertes, tùm temporis, respectu verorum fidelium, sic deprehendentur inculti & steriles, ut pro sylva reputentur. Loquitur de beneficio divino conversionis tùm gentium, tùm Judæorum, ad regnum Christi, per Apostolos, Spiritus sancti miraculosis donis impletos, quod ibidem his innuitur verbis: *donec effundatur super nos Spiritus de excelso.* Esa. 35: 2. ejusdem montis, in descriptione Ecclesiæ N. Test. ejusque vigoris & gloriæ, fit mentio.

*Libanus*, mons, proceres in excercitu Regis Assyriorum Esa. 10: 34. notat, ob altitudinem, arborumque proceritatem & copiam: *Et Libanus per fortem cadet*, hoc est, etiam fortissimi quique & præstantissimi in illo exercitu, per Angelum Domini interficientur. Præcedit: *Et succedet perplexa sylvæ ferro*, ubi reliquus exercitus intelligitur, qui unà cum proceribus ducibusque interemtus est. Jerusalem & Templum *Libani* nomine efferri Esa. 29: 17. cap. 33: 9. Zach. 11: 1. quidam volunt: vel ob similitudinem elegantiæ ac eminentiæ: vel etiam (metonymicè) quia templum & civitas ex Cedris Libani, multum exstructa erat. Ariæmontanus de hoc ita: *Nos ex aspectabili longissimeque conspicuo candore* (לבן enim *candidam* sive *album* notat) *illud nomen fuisse impositum* (Templo Hierosolomitano) *arbitramur. Constabat namque opus totum murorum ac tecti candidissimis marmoreis lapidibus, ita ut apud exteros autores montis nive obducti specimen longè adspicientibus præbuisse legerimus. Atqui Libano monti ipsi nives in culminibus toto anno conspectæ nomen candoris fecêre.* Primum quòd attinet locum, Esa. 29: 17. *Nonne adhuc parum pusillum, & convertetur Libanus in Carmel, & Carmel in sylvam reputabitur*, sensum esse volunt: Libanus, hoc est, Jerusalem, quæ habet Sacerdotium & regnum ceu arbores, convertetur in agrum, & ager, hoc est, gentes assumentur in populum DEI, loco Judæorum. At hoc contrarium illi est, quod alibi *Carmel* (utpote locus ferax & frugifer) veræ Ecclesiæ, & *sylva* contrà gentilitatis notionem habet, Esa. 32: 15. Rectiùs igitur alii propriè accipiunt, de vastatione & Libani & Carmeli per Assyrios facta, sensu eo: Libanus succidetur, eritque cedris suis spoliatus, haud dissimilis campo: Et Carmelus, nunc apprimè cultus, ac fertilis, sic erit incultus ac neglectus, ut innascentibus illi passim fruticibus & dumetis, sylvæ faciem acquirat. Sic

voluit

voluit exprimere Propheta futuræ vastationis gravitatem. Si metaphoricè explicari magis placet, commoda quàm maximè est D. Brentii expositio, quam his verbis tradit: *Libanus mons est, altissimis cedris nobilis. Carmelus autem mons est, fertilitate vini celebris. Quo igitur tempore Christus adveniet, Libanus convertetur in Carmelum & Carmelus in Libanum, hoc est, omnia erunt in regno Christi culta, fertilia & benedicta. Libanus habet quidem cedros aptas ædificatione, sed caret vitibus & oleis; Carmelus habet multas vites & oleas, sed caret cedris. Cum igitur Christus accipiet regnum suum, tanta erit rerum benedictio, ut Libanus proferat vites unà cum cedris, & Carmelus proferat cedros cum vitibus,* Secundus locus, Esa. 33: 9. propriè potest accipi ratione commoda: Ut enim terram Juda ex omni parte vastandam esse significet, meminit *Libani*, *Saron*, *Basan*, & *Carmeli*, quibus omnis illa terra quasi finibus suis terminatur. *Libanus* enim ad septentrionem, *Saron* ad occidentem, *Basan* ad orientem, *Carmel* ad meridiem spectat. In tertio adducto loco, Zach. 11:1. per *Libanon* (ad quem apostrophe fit prophetica) tota Judæa terra synecdochicè intelligitur. Montis autem istius, qui erat terminus Judææ aquilonaris, fit mentio, quia ab aquilonari parte omnia primùm accuparunt invadentes Romani, sicque pedetentim versus metropolin Jerosolymam, & interiores Judææ partes sunt progressi, ut ex Josepho liquet. De ultima enim Judæorum panolethria in hoc textu agitur. Confer Tarnovium in comment. h. l.

*Collis*, si *montibus* addatur, per metaphoram quandoque accipitur, ut superiùs dictum. Metaphoricè etiam juxta quosdam accipitur Gen. 49: 26. *Benedictiones patris tui prævaluerunt super benedictiones genitorum meorum, usque ad desiderium collium æternorum.* Quod Chaldæus ita transfert: *Benedictiones patris tui addantur benedictionibus, quibus mihi benedixerunt patres mei, quas desiderârunt magnates qui fuerunt à seculo.* Alii per *colles æternos*, intelligunt Patriarchas, Prophetas, & illustres sanctos, qui cæteris hominibus, ut colles vallibus præstant: Per *desiderium* autem *horum collium æternorum* Christum intelligunt, quem illi desiderârunt &c. Commodiùs תַּאֲוַת per *terminum* exponitur (à תאה *determinare*, non אוה *desiderare*) ut sit sensus: Usque ad terminum collium seculi, hoc est, donec moveantur colles, qui perpetuò immobiles sunt: Quâ ratione & Esa. 54: 10. gratiæ divinæ fœdus *collibus & montibus immotis* comparatur. Confer Grammaticam sacram pag. 458.

*Petra & rupes*, (grande saxum montis instar in altum assurgens) per metaphoram, locum firmum, stabilem, & tutum à periculis notat, & per consequens refugium, præsidiumque, Psa. 40: 3. Psa. 27: 5. Psa. 61: 3. Esa. 31: 9. cap. 33: 16. Jer. 51:25. סָעִיף *prominentiam petræ, seu scopulum* notat Jud. 15: 8. Esa. 2: 21. c. 57: 5. (uti & *prominentiam arboris seu ramum*, Esa. 17: 6. Ezech. 31: 6, 8. &c.) Metaphoricè autem, ad homines translatum, superbos, & qui nimis alta & sublimia affectant, significat. Psa. 119: 113. סֵעֲפִים *affectantes sublimia odio habui.* Chald. *Qui cogitant cogitationes vanas, odi.* סעיף enim *cogitationem* quandoque denotat. Lutherus hûc respiciens vertit, Die Fladergeister suspensos animo & inconstantes in doctrina salutis. Potest 2.
conferri 1. Reg. 18: 21. ubi eadem vox de dubitationibus in religione & cultu divino usurpatur. Confine huic est, quod ab עֹפֶל *clivus*, locus altus, in quo est munitio, adjectivum participiale עֻפְּלָה *elatum animo*, & contumacem arrogantemque notat, Habac. 2: 4. Junius & Tremellius eleganter per Latinam vocem, so- 3.
no conformem, *ebullare*, vertunt, ut infidelis & injustus notetur, qui etsi in clivum specie videtur assurgere, & permagnus mons effici, ebullat tamen, hoc est, non magis est, quàm bulla, crepat, & suâ ipsius imbecillitate rumpitur. Conferatur Num. 14: 44. ubi verbum הֶעְפִּיל *ex infidelitate*, arrogantiâ vanâ, & reluctantiâ adversus Deum, *in altum contendere* significat.

*Spelunca* cavitas est petrarum, aut rupium magnarum: cumque in speluncis latrones occultare se soleant, igitur templum Hierosolymitanum *spelunca latronum* à Christo vocatur, Matth. 21: 13. Marc. 11: 17, Luc. 19: 46. quod ex Jer. 7: 11. desumtum. Ob falsam autem doctrinam, & perversam vitam, oppressiones, injustitias &c. quorum utrumque spirituale latrocinium est, hoc ita dici, tùm ex contextu Jeremiæ, tùm ex populi Judæorum, tempore Christi, consideratione patet. Nec à Templi illius amplitudine & magnitudine *speluncæ* nomen abludit. Tantæ enim amplitudinis quædam in illa terra memorantur speluncæ, ut in una quadam quater mille homines simul degere potuerint, ut apud Josephum est, lib. 14. antiq. Jud. cap. 27. & Strabonem lib. 16. De addito nomine *latronum* observant quidam non incongruè, allusisse Christum ad nomen Pharisæorum, פְּרוּשִׁים enim, *Pharisæi*, פָּרִיצִים *latrones*, τοιχώρυχοι, convenientiam habet.

*Vallis* ob depressionem suam & obscuriorem umbram, quam prærupti montes, & quandoque arbores etiam efficiunt, humiliationem,

ærumnas & oppressiones metaphorice notat, Esa. 40: 4. Luc. 3: 5. de quo antè dictum in *montium* voce. Esa. 22: 1. Jerusalem vocatur *vallis visionis. Hæc enim civitas* (verba sunt Hieron. in comment) *seminarium Prophetarum est, in qua exstructum templum & visiones Domini multiplicatæ sunt. Quia ergo inter cæteras gentes ponitur, & reputatur una de plurimis, nequaquam mons appellatur, juxta illud propheticum* (Psal. 87: 1.) *Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob; sed vallis, ex eo, quòd humiliata sit. Aliis verbis hoc ipsum Jeremias loquitur* (cap. 25.) *quando accepit calicem plenum vini, & dat universis gentibus; ac novissimè porrigit Hierusalem, ut bibat, & vomat, & ruat, & insaniat: significans, a Babyloniis & hanc esse vastandam.* Psal. 23: 4. *Etiamsi ambulavero per vallem umbræ mortis, non timebo malum*, hoc est, quamvis in summa mortis ipsius pericula incurram. Persistit in metaphora ab ovibus desumta: hæ enim aberrantes, & in valles umbrosas delatæ, periculis incursus belluarum obnoxiæ fiunt. Chaldæus addit ἐξηγητικῶς vocem *captivitatis seu deportationis.* Confer Psal. 119: ult. Referri hûc non inconvenienter potest, quod [a] Psal. 84: 7. habetur: *Transeuntes per vallem mororum, fontem constituunt ipsum, etiamque benedictionibus* (seu liberalissimè) *operit eos pluvia*, hoc est, etiamsi pii (quos v. 5, 6. beatos prædicaverat, quòd in domo Domini inhabitent, & Deum jugiter celebrent, & forti fide ipsi adhæreant, & *vias ejus*, seu doctrinam pietatis, *in cordibus suis custodiant:* etiamsi, inquam ii) calamitatibus compluribus involvantur (id quod metaphoricè, *transitione per vallem mororum* exprimit, quæ erat locus aridus & siticulosus, cum in tali loco mori arbores crescere soleant. Confer 2 Sam. 5: 22, 23, 24.) tamen in Deo confidunt, quem fontem quasi sibi constituunt, à quo, ut salutis & consolationis scaturigine vivâ, abundè recreantur, eriguntur, & salutari velut pluviâ perfunduntur. Sequitur vers. 8. *quod de virtute seu potentiâ unà ad alteram progrediantur*, hoc est, virtute Jehovæ omnes hostes infestantes, ac omnia mala fortiter superent vincantque; *quod que Deus Deorum ipsis in Zion* (in Ecclesia vera credentium) *conspiciatur*, hoc est, iis se gratiosè tàm verbo vitæ suæ, quàm excellenti au-
1. xilio manifestet. Et conferri pulchrè cum hoc textu potest, quod Jehova Psal. 50 23. loquitur: *Sacrificans confessionem honorificat me, & qui ponit viam* (meam in corde suo, vel coram se, ut in ea jugiter ambulet) *illum videre faciam in salute Dei.* Sunt & [b] aliæ quædam valles specialiter ad metaphoram traductæ. Hos. 2: 15. *Dabo vallem Achor in ostium spei*, inquit Jehova, Ecclesiæ promissum edens; quâ phrasi Spiritus sui consolationem in adversis, & spei confortationem intelligit. *Achor* perturbationem significat, & à magna populi Israëlitici perturbatione nomen accepit. Jos. 7: 24. 25, 26. Simul tamen in valle illa, Jerichunti contermina, prima ipsis aperta spes quasi fuit, de occupanda tota terra Canaan. Sic credentes *in valle Achor*, hoc est, perturbatione & tribulationibus constituti: à Deo gratiosâ consolatione ex verbo vitæ eriguntur, & spes vitæ æternæ ipsis subinde confortatur. De *valle Josaphat*. Joël. 3: 2. (al. 7.) pro Ecclesia sumta: Itemque *Gehinnom*, seu *valle Hinnom*, ex qua vox *Gehenna* prodiit, pro inferno acceptâ, vide Grammat. sacr. p. 878. 879.

[a] Psal. 84: 7. Transeuntes per vallem mori &c.

[b] Aliæ valles in specie.

*Desertum*, locus terræ minus habitabilis & cultus, quam alii, aquis & arboribus elegantibus carens, pro gentilibus quandoque accipitur, à regno Dei alienis, & commodis vitæ æternæ destitutis. Unde *deserto fontes aquarum vivarum, & arbores bonæ*, à Deo promittuntur, quo vocatio gentilium ad regnum Christi innuitur, Esa. 35: 1, 2, cap. 41: 18, 19. cap. 43: 19, 20. & *fontibus* illis salutifera Christi doctrina; per *arbores* verò Doctores verbi & credentes veri intelliguntur.

*Inferiora terræ* Psal. 139: 15. uterum maternum significant, uti & Chaldæus transtulit. Est enim uterus seu matrix locus imus & caliginosus sicut inferiora terræ. Et pulchrè hac appellatione monemur de origine prima nostra corporis, quæ terra est. Eodem sensu accipi τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, *infimas partes terræ*, Ephes. 4: 9. quidam volunt, ubi de Christi ad nos descensu agitur. Sed commodiùs de infima ejus humiliatione & profundissimâ exinanitione exponi videtur, sicut contrà *ascensus in altum* phrasi, status exaltationis supereminentissimæ intelligitur. Brentius in Actor. 1. pag 19. *Vide miserias & calamitates, quas homo necesse habet propter peccatum suum ferre, & mox habebis infimas partes terræ. Quid inferius foveâ mortis? quid profundius inferno. Cum David diceret; de profundis clamavi ad te Domine, profectò non aliundè clamat, quàm è sensu mortis & inferni, quo propter peccata sua comprehendebatur &c.*

*Profundum terræ* commodè jam succedit, & quæ ei analogæ voces sunt, *fovea, abyssus, seu vorago*, quibus metaphoricè notatur, 1. Malorum, miseriarum & calamitatum gravitas. Psal. 55: 24. Psal. 71: 20 Psal. 88: 7. Prov. 22: 14. Esa. 24: 17, 22. Thren. 4: 20. cap. 3: 47, 53. Zach. 9: 11. Unde phrasis, *foveam alicui fodi*, hoc est, periculum intentari; &

cadere

*cadere in foveam, alteri effossam*, hoc est, malis obrui, quæ alteri animo maligno parata erant. Psal. 7: 16. Psal. 9: 16. Prov. 26: 28. Jer. 18: 20. De exitio, cui divinitùs destinantur impii, dicitur Psal. 94: 13. *Dum foditur impio fovea*, id est, struitur ultio illa Dei, quam inflicturus est iis, qui affligunt bonos, postquam mensura iniquitatis ipsorum completa fuerit. Vide 2 Theff. 1: 5. seqq. Huc commodè *sepulcri*, quod subter terram est, appellatio refertur; quâ itidem calamitates maximæ significantur, Psal. 86: 13. Psal 88. verf. 4. &c. 2. Illud, quod abstrusum, occultum & imperscrutabile est, sicut abyssus profunda videri & plenè cognosci nequit. Ps. 36: 7. Psal. 92: 6. Rom. 11: 33. 1 Cor. 2: 10. Apoc. 2: 24. Addatur huic *profundandi seu profundum efficiendi* verbum (הֶעְמִיק) quod tùm de hypocritica malorum occultatione usurpatur, Es. 29: 15. tùm de peccatorum (quibus in profundum inferni pervenitur) multitudine. Esa. 31: 6. Hos. 5: 2. cap. 9: 9. quibus locis *multiplicandi* verbo Chaldæus utitur. Analogon huic verbum βυθίζειν est, *in profundum demergere*, 1 Tim. 6: 9. quod de cupiditatibus stultis atque noxiis usurpatur, quæ avaritiæ conjunctæ sunt, & quibus homines in æternum exitium interitumque præcipitantur.

Terræ adjacet *a lutum & pulvis*. A quorum utroque etiam metaphoræ sumuntur. *Lutum, cœnum, fimus*, notat (1.) hominum conditionem humilem & abjectam, 1 Sam. 2: 8. Psal. 113: 7. Posset hûc referri, quod seipsum Paulus περίψημα vocat, 1 Cor. 4: 13. hoc est, ut Erasmus exponit, *quisquilias & sterquilinium*, ob ignominiam & contemtum, quem sustinebat. Idem in paraph. *Alii gloriâ potiuntur apud vos, nos vestri causâ in hunc usque diem, ut rejectamenta habemur hujus mundi, quibus nihil esse possit abjectius aut concultatius.* Confer Thren. 3: 45. ad quem locum respexisse Apostolum, nonnulli tradunt. (2.) Mala, & adversitates, Psal. 69. ℣s. 3, 15. (ubi & *ab aquis profundis* desumta occurrit metaphora,) Jer. 38 22. Thren. 4. v. 5. (3.) Mortem & profectionem ignominiosam, Psal. 83: 11. quæ *asini sepultura* Jer. 22: v. 19. dicitur. Confer 2 Reg. 9: 37. Jer. 16: 4. &c. (4.) Rem in precio apud homines habitam, at in rei veritate vilem, sordidam, noxiamque. Hab. 2: 6. *Aggravans super se densum lutum.* Intelligitur divitiarum & opum immensa vis, quæ non prosunt, sed summè potiùs obsunt suis possessoribus iniquis, perinde ac si denso luto sese immergerent, cumve portandum susciperent. Ut lutum impedimento eunti est, quò minùs progredi possit, & quò plus sæpè conatur se expedire, tantò magis intricatur: Sic opes, in pietatis via, impedimento sunt ei, qui animum iis adponit, Marc. 10: 23, 24. Luc. 8: 14. Chald תקוף חובין *gravitatem debitorum seu peccatorum* reddit, quæ verè densissimi luti onus sunt, animam premens in infernum, nisi expiatio & purificatio per Christum fiat. Conf. Es. 24: 20. Hûc pertinet Phil. 3: 8. *propter Christum omnia pro damnis duxi, habeoque σκύβαλα, pro stercoribus, ut Christum lucrifaciam.* Loquitur de iis, quæ anteà adhuc inconversus, magnifecerat, & in iis justitiam salutiferam posuerat, nunc autem conversus ad Christum, ea despicit, & ut sordes ac res vilissimas abjicit, tanquam ad salutem inutilia, imò perniciosa, si fiducia justitiæ in iis ponatur. σκύβαλα aliàs exponuntur quasi κυσίβαλα, vel *quæ canibus projiciuntur*, vel *quæ à canibus excernuntur.* Et notetur, in v. 2. *canes* vocari hos pseudoapostolos, quorum corruptelas Paulus perstringit. *Luto, cœno*, aliisve sordidis, membra hominis, & vestimenta, polluuntur & contaminantur. Quæ *contaminatio* ad denotandam peccati fœditatem, percrebrò adhibetur. Esa. 64: 6. 2 Cor. 7: 1. Eph. 5: 27. Tit. 1: 15. 2 Pet. 2: 10, 20. (Confer v. 13, 22.) Jud. v. 33. Jac. 1: 21. Apoc. 3: 4. Ei contraria est, *ablutio & mundatio*, quâ peccati ablatio innuitur, &c.

2. Profundare.

a Lutum.

*b Pulvis terræ* itidem significat contemtum, abjectionem, miseriam & luctum. 1 Sam. 2: 8. Job. 16. 15. Ps. 7: 6. Ps. 22: 16, 30. Ps. 44: 26. Ps. 113: 7. Ps. 119: 25. Es. 47: 1. cap. 52: 2. Thren. 3: 29. Cui voci & nominis allusione (עָפָר *pulverem*, אֵפֶר *cinerem* notat) & metaphoricâ significatione convenit *Cinis*, vel pulveri conjunctus, vel sine eo. Est enim *cinis* & ipse pulvis, ac crassior illa materia, in quam combustum redigitur. Significatur autem eo, tùm fragilitas vilitasque, Gen. 18: 27 Sir. 10: 9. ubi tamen ad primam hominis originem, quæ *pulvis & terra* est, simul respicitur; tùm calamitas magna, & ex ea orta tristitia ac luctus. Esa. 61 3. Ezech. 28: 18. Mal. 4: 3. Thren. 3: 16. Solebant enim lugentes olim cinerem super caput spargere, & cineri insidere, ut ex aliquot locis apparet. 1 Sam. 13: 19. Job. 2: 8. cap. 42: 6. Esa. 58: 5. Jerem. 6: 26. Ezech. 27. v. 30. Jon. 3, 6. Matth. 11: 21. &c. Ex Homero & Apuleio idem ostendit Schindlerus col. 111. Eadem metaphorica significatio est in phrasi, *cinere cibare, sive pascere & vesci*. Ps. 102: 10. *Cinerem tanquam panem comedo*, hoc est, in maximo luctu versor, Angst und Noth ist mein täglich Brodt. Esa. 44: 20. *Pascens cinere, animum illusum aver-*

b Pulvis. Cinis.

*avertit*. De idolo loquitur, qui non nisi luctum & mala omnia suis cultoribus adportat. Alii *pascendi* verbum ad idololatriam referunt, eodem sensu: quòd scilicet consolationem is & auxilium apud idolum suum quærat, sed non accipiat, quin potiùs luctum & damnum &c. Tantum de corporibus *simplicibus*, nimirum elementis, & quæ iis analoga sunt. De *compositis*, in sequentibus capitibus tractabitur.

---

# CAPUT XI.

## DE

# METAPHORIS, QUÆ A MINERALIBUS, Plantis, & Animalibus desumuntur.

Composita corpora, secundùm Physicam distinctionem, vel *inanima* sunt, vel *animata*. Inanima sunt *metalla*, *lapides*, *& succi concreti*, qualis *Sal* est. Animata vel *vegetantur* solum vel *unà sentiunt*, vel insuper, *intelligunt* & ratione prædita sunt. Ad *primum* genus plantæ ac terræ nascentia; ad *secundum* animalia bruta; ad *tertium* homines, pertinent. De quibus distinctè & ordine.

### *Ab inanimis corporibus desumtæ metaphoræ.*

*Aurum* metaphoricè significat, quoad naturalia, (1.) liquorem pellucidum instar auri, videlicet *oleum* purum. Zach. 4: 12. (2.) Serenitatem cœli, instar auri rutilantem. Job. 37: 22. *A septentrione aurum venit*, hoc est, (ut Schindlerus loquitur) cœlum sudum, vel, qui hoc fermè invehit, ventus purus ut aurum, & purgans aërem, ut fiat purus sicut aurum; ventus Boreas, unde ab Homero dicitur *αἰθρημενέτης serenitatis effector*. LXX. reddiderunt: *νέφη χρυσαυγοῦντα*, *nubes instar auri splendentes*. Quoad spiritualia, *aurum* significat, tùm puram Euangelii doctrinam, uti & *argentum & lapides pretiosi*, 1 Cor. 3: 12. tùm Christi Salvatoris gratiam & beneficia, vel quod idem est, sapientiam veram ex verbo Christi perceptam, Apocal. 3: 18. ipsamque æternam vitam, Apoc. 21: 18.

*Argentum* pro re præstanti ac pulcherrima accipitur, Proverb. 10: 20. Unde & verbum Jehovæ, Ps. 12: 7. *argentum conflatum in clibano terræ*, *defecatum septies*, dicitur: ubi & ad puritatem omnimodam ejusdem respicitur. Quâ de causa *argentum emundare* Salvator dicitur, Mal. 3: 3. hoc est, doctrinæ cœlestis repurgationem instituere. *Argentum in scoriam versum*, Es. 1: 22. doctrinam corruptam, & vitam depravatam notat. Quò pertinet, quòd rebellis Judæorum populus, *argentum reprobatum*, vocitandum esse dicitur Jer. 6: 30. q. d. nimis corruptum, & proinde reprobatione dignum. Excrementum argenti, *scoria & stannum sive plumbum*, idololatras, impios, reprobosque in populo DEI notat Es. 1: 25. (Confer Psal. 119: 119. Prov. 25: 4. 5. Ezech. 22: 18. seqq.) שבר *fragmentum* seu (sylleptice) *fragmenta*, ibidem v. 28. particulæ & rejectamenta scoriæ illius dicuntur, quibus cum impios Propheta comparat. Sunt autem improbi insanabiles &c.

*Æs & ferrum*, duritiem & soliditatem notant, Deut. 28: 23. Esa. 48: 4. Jer. 1. ÿ. 18. Mich. 4: 13. *Ferrum* etiam magnas molestias notat, & cruciatus, si *fornaci* (qui ob ignem, quem continet, calamitatum symbolum est) addatur. Deut 4: 20. 1 Reg. 8: 51. Item, si *jugo* addatur, Deut. 28: 48. Et *virga*, Ps. 2: 9. quorum utrumque etiam per se afflictionem significat. Obscurior locus est [a] Jer. 15: 2. *Nunquid conteret ferrum ferrum ab Aquilone & æs*; Quod quidam hoc sensu exponunt, hostem aquilonarem, & exercitum Assyrium esse planè invictum. Quidam contrà omninò venturum hostem alium, qui sit Assyrios fracturus & castigaturus, nempe Persas &c. Priorem sensum Vatablus amplectitur, per prius *ferrum* Judæos intelligens: *Vires Judæorum* (inquit) *comparat ferro puro*, *& vires Chaldæorum ferro*, *quod habet multum chalybis admistum*, *& propterea validiori*, *q. d. ensis Judaicus*

[a] Jer. 15: 12. Nunquid conteret ferrum ab Aquilone.

*daicus ferreus franget ensem Chaldæum ferro & chalybe constantem? non. Ferrum & æs vocat ferrum æri admistum, id est, chalybem.* Junius & Tremellius ut confirmationem præcedentis promissionis vers. 11. Prophetæ à DEO factæ (quòd ab hostili populo Chaldæorum illum defensurus, & gratiosum ei redditurus sit) accipiunt, per prius *ferrum* Chaldæos, per posterius *ferrum ab Aquilone & æs*, hoc est, chalybem (cùm *Chalybes* populi sint in Ponto ad Aquilonem siti, a quibus *chalybs* appellationem habet, teste Virgilio l. 2. Georg. & Strabone l. 12. Geograph.) Jehovam ipsum intelligentes: q. d. sint isti ferrei (inquit DEUS) sed ego, qui intervenio pro te, sum tibi murus chalybeus: non est, quod metuas, ut frangaris ab istis hominibus. Demum hic addatur, quod *permutatione auri pro ære; argenti pro ferro; æris pro lignis; ferri pro lapidibus;* restauratio per Messiam futura significetur Esai. 60. vers. 17.

*Lapis*, ad hominem si transferatur, tùm animi stuporem maximum denotat, 1 Sam. 25: 37. tùm cordis duritiem & statum peccati, ante conversionem ad DEUM, Ezech. 11: 19. c. 36: 26. Cui contrarium est, quòd conversi ad Christum & credentes dicuntur *lapides vivi* 1 Petr. 2: 5. respectu habito ad Christum, lapidem preciosum & electum, cui illi spiritualiter superædificantur, Eph. 2: 20, 21, 22. &c. In bonum etiam *lapidis* vox accipitur, cùm in benedictione Israelis dicitur Gen 49: 24. *A manibus potentis Jacobi, inde pastor (&) lapis Israel*, hoc est, à DEO potentissimo Josephus exstitit & missus est, qui Israelem & & familiam ejus pavit ut pastor, & fulcivit ut lapis, cùm nimirum omnem domum patris sui in Ægypto aluit & conservavit. Quidam de futuris vaticinari virum DEI putant, & per *pastorem*, Prophetas; per *lapidem*, insignes reges Principesque intelligunt, qui ex familia Josephi in Israeliticum populum egressuri, eumque instar pastoris rectè ducturi docturique, & instar lapidis & petræ suffulturi erant. *Jerusalem* dicitur *lapis oneris futura omnibus populis*, Zach. 12: 3. in quæ verba Hieronymus annotat, *olim in viculis oppidulis & castellis, rotundos lapides gravissimi ponderis positos fuisse, quos juvenes exercitii gratiâ attollere certatim solebant, quidam usque ad genua, quidam ad umbilicum usque, quidam ad humeros & caput, quidam etiam robur corporis ostentantes super verticem erectis manibus attollebant*, Ad hunc morem Prophetam alludere volunt quidam, sensu eo, futurum, ut si quæ gentes voluerint suas vires in oppugnanda Ecclesia periclitari, eamque loco movere, ac pro lubitu projicere cupiant, ipsæ sub hoc onere succumbant, imò conterantur: vi nimirum & potentia summi Ecclesiæ lapidis angularis, [a] Luc. 20: 17, 18. A [a] *lapidicina seu latomiâ* metaphora elegans desumitur. Esa. 51: 1. *Intuemini in rupem, unde excisi estis, & in cavum foveæ, unde effossi estis.* Sermo est de Israëlitis piis, ex Abrahamo & Sarâ natis ortisque, uti v. 2. explicatio subjungitur. Rationem metaphoricæ phraseos Junius & Tremellius, ex argumento capitis pulchrè deducunt; *Sic argumentatur Christus promitto me consolaturum & instauraturum Ecclesiam, utcunque vastata sit, ac penè nulla*, v. 3. *hoc autem ut faciliùs credatis, cogitate vos ex iis parentibus ortos esse, qui nunquam genuissent liberos, nisi DEUS potente verbo, tanquam malleo è rupe lapides, excidisset; ac proinde vos, qui in eodem fœdere estis; eandem virtutem DEI ejusdem experturos.* Chaldæus: *Advertite, qui sicut excisus lapis de petra excisi, & sicut effossus lapis ex fovea vacua effossi estis.* *Later*, qui lapis ex terra aut argilla, igne coctus est, pro tabula plana instar lateris, & æqua superficie, [b] Ezech. 4: 1. secundùm Junium & Tremellium, qui conferunt Exod. 24: 10. Chald. in genere *lapidem* exponit. *Lapides preciosos* quod attinet, *munera* dicuntur אֶבֶן חֵן *lapis gratiæ esse ei, qui accipit.* Prov. 17: 8. hoc est, instar gemmæ gratissimæ. [b] Loquitur de avaro judice, qui muneribus corruptus judicium pervertit. Confer v. 23. In specie *gemmarum* fit mentio metaphorica, in descriptione gloriæ & splendoris interni Ecclesiæ Christi. Esa. 54: 11. *Ecce ego colloco in carbunculo lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris.* v. 12. *Et ponam crystallum fenestras tuas, & portas tuas ex lapidibus gemmæ rutilantis, & omnem terminum tuum ex lapidibus beneplaciti.* Ad novi Testamenti tempus isthæc pertinere, patet ex verbis sequentibus v 13 *Et universi filii tui docti à Domino:* quæ Joh. 6: 44, 45. à Christo allegantur, applicatione ad Ecclesiam suam factâ. *Fundatio ejus* dicitur fieri *in carbunculo, & Sapphiris*, hoc est, in vera JESU Christi cognitione, quæ Ecclesiæ fundamentum unicum est, Matth. 16 16, 18. 1 Cor. 3: 11. Esa. 53: 11. & simul gemma omnium preciosissima & lucidissima. Explicatur v. 14 *In justitia fundaberis.* Quæ justitia Christi est, verâ fide applicata ad salutem. *Fenestræ ejus* dicuntur esse *ex cristallo*, quibus Apostoli, Euangelistæ, aliique fideles verbi divini præcones, eorumque sacri de JESU Christo sermones intelliguntur, per quos, ut fenestras crystallinas & pellucidissimas, lux cœlestis Ecclesiæ illabitur. *Portæ ejus* dicuntur esse ex *lapidibus gemmæ*

[a] Lapidicina.

[b] Lapides preciosi. Es 54: 11. 12. Descriptio splendoris Ecclesiæ N. Test.

*gemmæ rutilantis* ( אֶקְדָּח, quod à קָדַח *accendendo* derivatum est ) per quas jugis verbi divini prædicatio intelligitur, *ostium illud sermonis*, Coloss. 4: 3. 1 Cor 16: 9. *porta illa jugiter aperta*, Esa. 60: 11. per quas qui ingrediuntur, quasi à gemma rutilante illustrantur, & ab igne cœlesti accenduntur, Luc. 24: 32. *Omnis demum terminus ejus* dicitur esse *ex lapidibus beneplaciti*, hoc est, pulcherrimis & desideratissimis: quo amplitudo Ecclesiæ Christi, in toto orbe terrarum, per præconium Euangelii collectæ, ipsi Christo ejusque cognitioni superædificatæ, intelligitur. Obser-
3. vandum verò, perfectissimè complenda illa fore in cœlesti Jerusalem & vita æterna, uti similis ejus descriptio Apoc. 21. ℣ſ. 10, 11, 18. seqq. comprobat. *Margarita* etiam metaphora verbum DEI salvificum exprimitur Matt. 7: 6. perinde ut & regnum cœlorum, hoc est, Ecclesia per verbum collecta, *margaritæ* comparatur Matth. 13: 45, 46. שָׁמִיר *adamas* ( lapis preciosus, durissimus) ad denotandam humani cordis pravitatem & Diabolicam indurationem adhibetur, Zach. 7: 12.

*Sal*, bona illa Dei creatura, ex ipsius Opti-
1. mi sententiâ Luc. 14: 34. ob virtutem præservandi à putredine, & saporem cibis conferendi, transfertur, *tùm* ad Apostolos aliosque verbi divini Doctores, Matth. 5. ℣ſ. 13. quorum est, salutari doctrinâ & inculpatæ vitæ exemplo curare, ut auditores ab omni corruptela, cùm in fundamento religionis, tùm etiam (quantum fieri potest) in vita & conversatione externâ, sint immunes: quemadmodum sal carnibus adspersum, pravos humores absumit, & ita à corruptione eas servat. Vel, ut alii, eodem sensu, explicant, qui doctrinâ suâ salutari, & præsertim legali reprehensione prudenti, efficiunt, ne homines putrescant in peccatis, sed ut saporem bonum obtineant, hoc est, ne propter peccata in æternum pereant, sed ut Deo placeant, & ita ad regnum cœlorum perducantur, Theophylactus in Mar. 9: 50. *Quemadmodum sal carnes cohibet: nec vermes inde creari sinit: Ita & sermo Doctoris, si recens & mordax sit, carnales homines constringens, non sinit in ipsis generari vermem irrequietum.* Tùm ad veram sapientiam prudentiamque, Marc. 9: 50. Co-
2. loss. 4: 6. Flacius col. 1065. *Perinde sapientia actiones, vitam & mores servat ab omni vitio, sicut sal carnes aut alia: vel etiam, quod perin-
1. de condiat sapientia vitam, mores, & sermonem, facit omnibus gratos & acceptos, sicut sal cibos.*
2. De mixta hac, cum mordacitate legali, prudentia & urbanitate Christianâ, ex dictis, Matth. 5: 13. Coloss. 4: 6. pulcherrimè disserit Mathesius in Sarepta conc. 11. fol. 117. b. seqq. & fol. 120. seqq. Salito sermoni *putris* opponitur, Eph. 4: 29. hoc est, obscœnus, stultus, impius: qui ob defectum salis spiritualis, veluti putrescit, & fœtorem molestum Deo ac piis hominibus exhibet. Commodè תִּפְלָה *insulsitas*, hùc refertur, qua voce putris vel impius sermo intelligitur Job. 1. v. ult. *In omnibus his non peccavit Hiob, neque dedit insulsitatem contra Deum*, hoc est, *verba peccantia*, ut Chaldæus vertit. (*Impietas* eâdem voce notatur Job. 24: 12. Vide Grammaticam sacram p. 322.) Tùm demum *pactum salis* dicitur, quod diuturnum & perpetuum est, Num. 18: 19. 2 Par. 13: 5. Locutionis ratio est, quia salita diutiùs durant, & non putrescunt. Vide scholion Lutheri marginale in priorem locum.

*Sulphur* igni conjunctum, gravissimas Dei pœnas notat. Deut. 29: 23. Job. 18: 15. Psal. 11. 6. Esa. 34: 9. Ezech. 38: 22. unde & in descriptione inferni ponitur, Esa. 30: 33. Apoc. 14: 10. cap. 20: 10. cap. 21: 8. quibus locis omnibus ad excidium Sodomæ & Gomorrhæ, sulphure & igne factum Gen. 19: 24. respici, quidam volunt.

## *A terræ nascentibus deductæ metaphoræ.*

*a Partes Plantarum. Semen Verbum Dei confertur semini.*

Distinctè considerari possunt terræ nascentium tùm *a partes*, tùm *genera & species*. Partes sunt istæ: *Semen*, ex quo planta nascitur, *verbum Dei* metaphoricè significat, ex quo, & cujus virtute homo renascitur, & grata Deo arbor ac planta (Esa. 61. ℣ſ. 3.) constituitur. 1 Pet. 1. ℣ſ. 23. *Renati non ex semine mortali, sed immortali, per verbum viventis Dei, & manentis in æternum.* 1 Joh. 3: 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet.* Explicatio habetur Psal. 119: 11. *In corde meo obscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Et Luc. 8: 15. *Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui in corde probo ac bono, audientes verbum, retinent, & fructum afferunt per patientiam.* Confertur autem & ibi, v. 5, 11. *semini* verbum Dei. Eademque metaphora λόγος ἔμφυτος *sermo insititius*, dicitur Jac. 1: 21. (post factam v. 18. *regenerationis* mentionem) hoc est, quem Deus virtute Spiritus sui in hominum cordibus quasi serit & plantat, ut ibi radices agat, & fructus proferat Deo gratos. Semen exteriori adspectu res vilis est, nec conspicitur vis ipsi insita: Sic verbum Jehovæ nimis contemtum in mundo habetur, 1 Cor. 1: 21. Semen bonum

num in terram bonam conjectum, iterùm progerminat; & plantam protrudit, cujus virtute & potentiâ, in se speciem obtinet: Sic verbum Dei, corde exceptum bono, hominem efficit talem, quale ipsum est, hoc est, spiritualem, & vitâ Dei præditum, quia ipsum etiam *Spiritus & vita* est, Joh. 6: 63. Semini, ut crescat, calôre Solis, & pluviâ seu rore opus est: Sic semini verbi cœlestis incrementum dat ipse Deus, 1 Cor. 3: 6, 7. Sol justitiæ suo suavissimo calore, ipsi adest, & Spiritus sui pluviâ gratâ ipsum irrigat, Esa. 44: 3. &c. Huc referendum, quòd ipsi etiam credentes Semini conferuntur, Jer. 2: 21. Confer parabolam Christi Matth. 13. ℣. 24, 38. Verbum *a seminare*, Deo attributum benedictionem ejus & multiplicationem hominibus collatam notat. Jer. 31: 27. Hos. 2: 25. Zach. 10: 9. Cui contrarium est, Nah. 1: 14. *Non seminabitur de nomine tuo ampliùs*, hoc est, intercides & peribis. Hominibus attributum, ea in vita agere significat, unde vel bonum, vel malum exspectandum est: atque ita *vel* pietatis, *vel* impietatis studium exprimit. *Prioris* exempla sunt. Psal. 126: 5, 6. Prov 11: 18. Hos. 10: 12. 2 Cor. 9: 6. *Posterioris*, Prov. 22: 8. Job. 4: 8. Jer. 4: 3. Hos. 8: 7. Utriusque, Gal. 6: 8. &c. *Seminari* de corporibus humanis usurpatum, mortem & sepulturam eorum denotat 1 Cor. 15: 42, 43, 44 cui resurrectio ex morte opponitur. Metaphoricè autem Apostolus verba ἐναλλὰξ permutavit: nam v. 6. de semine loquitur ut de corpore; hic verò de corpore ut de semine.

*Radix*, plantæ basis, & accretionis omnis principium, pro quavis origine & fundamento rei ponitur, Deut 29: 11. Esa. 14: 30. Rom 11: 16, 17, 18. 1 Tim. 6: 10. Hebr. 12: 15. Et pro rerum statu prospero Job. 29: 19. unde phrasis, *radices agere seu radicare*, hoc est, benè se habere, & multiplicari, Job. 5: 3. Psal. 80: 10. Esa. 27: 6. cap. 37: 31. Jerem. 12: 2. Et contrà *radicis arefactio* impiorum interitum denotat, Job. 18: 16. Esa. 5: 24. Hos. 9. ℣s. 16. Mal. 4: 1. Specialiter, *radices pedum* calces vel talos significant, Job 13: 27. quia infima pars sunt, uti radix plantæ. *Radix Isai*, Patriarchas, ex quibus Isai & David ortus est, notare videtur Esa. 11: 1. Vide Exegesin Evang. & Epistol. festo Visitat. Mariæ. *b Radicari* de mysterio etiam regenerationis nostræ usurpatur, & corroboratio in fide & pietate, eo significatur, Ephes. 3: 18. Col. 2: 7. Posset commodè conferri, quod Hiob dicit, cap. 19: 28. *Quin imo dicere deberetis, quid persequeremur eum? cum radix rei insit mihi:* id est, cùm fide in Deum radicatus perrexerim in integritate mea, ut Junius & Tremellius explicant.

*Ramus* creberrimè, multisque vocibus synonymis, usurpatur in allegoriis, quibus *prosperitas* imagine crescentis, virentis, vigentisque arboris proponitur, & vice versa, *infelicitas* ac calamitates imagine arboris marcescentis, Gen. 49: 22. Job. 15: 32. cap. 29: 19. (ubi קָצִיר *ramum* significat, uti cap. 18: 16.) Psal. 80: 11, 12. Esa. 25: 5. Ezech. 17: 6. seqq. cap. 19: 10, 11. cap. 31: 3. seqq. Mal. 4: 1. &c. *Ramorum* voce Paulus etiam Israelitas ejus temporis intelligit, Rom. 11: 16, 17. seqq. qui ex primis Patriarchis, ut radice quâdam, producti fuerunt. נֵצֶר *surculus plantationis Dei*, vocatur Ecclesia Esa. 60: 21. quia singulariter eam (Christo vitæ arbori quasi implantatam) amat, curat, spiritu suo vegetat, confortat, custodit, tandemque æternùm salvat.

a Seminare.

*Folium*, quia facilè decidit & marcescit, vilitatis vanitatisque notionem obtinet, Job. 13: 25. Quia verò quarundam arborum folia perpetuò virent, igitur in imagine arboris ejusmodi vita æterna describitur Ezech. 47. ℣s. 12. Confer Apoc. 22: 2. Itemque justi, vitæ æternæ hæredes, Psal. 92: 15. Confer Psal. 1: 3. Psal. 52: 10. Foliorum viror *c germinatio* dicitur, quod verbum, צמח, metaphoricè transfertur, *tùm* ad quædam naturalia, ut ad pilos capitis & barbæ, Lev. 13: 37. 2 Sam. 10: 5. Jud. 16: 22. Ezech. 16: 7. *Tùm* ad spiritualia Dei beneficia, Psal. 132: 17. Esa. 42: 9. cap. 43: 19. cap. 61: 11. Ad animum hominis, benevolentiâ ac amore excitatum ad benefaciendum, *revirescendi* verbum eleganter transfertur Phil. 4: 10. Contrà *arescere gaudium*, pro interire seu amoveri, ponitur Joel. 1: 12.

c Germinare.

*Flos*, prosperitatem notat, uti & frequenter in Latino sermone usurpatur. Esa 5: 24. Confer. Job 15: 33. Unde פִּרְחַח (à פרח *flos*) *florentes ætate pueros* significat Job. 30: 12. Sicut apud Rabbinos פִּרְחֵי כְהֻנָּה *flores sacerdotii* dicuntur filii, in sacerdotio aliquando successuri. Quia verò *flos* facilè decutitur & flaccet, igitur pro fluxo, fragili & caduco ponitur Esa. 28: 1, 4. Confer Psal. 103: 15, 16. Jac. 1: 10, 11. 1 Pet. 1: 24. Esa 40: 6, 7, 8. *d Florendi* verbum פרח, de prospero hominum statu itidem accipitur, Psal. 92: 8, 13, 14. Psal. 132: 18. Prov. 14: 11, Esa. 27: 6. Hos. 14: 8. Confer etiam Esa. 66: 14 Ezech. 17: 24. Quod autem Ezech. 7: 10. dicitur: *Floruit virga, germinavit superbia;* plerique de Babyloniorum Rege accipiunt, summum imperium & autoritatem adepto, & ad oppugnationem Hierosolymo-

d Florere.

b Radicari.

rum se apparante. Chald. *Floret imperium, exortus est impius.* Junius verò & Tremellius ad populum Israeliticum id referunt, ita vertentes: *efflorescens tribus ista germinavit superbiam* מטה enim & *virgam & tribum* significat. De quo aliàs plura. פרח *florere* etiam de ulceribus & lepra usurpatur, Exod. 9: 9, 10. Lev. 13: 39. &c.

b Genera & species. Planta. Plantare.

*Fructus* acceptio metaphorica satis nota, & ubivis obvia est, quòd pro consequente vel effectu rei, sive in bonum, sive in malum, usurpatur. Pro consequente *pietatis præmio* accipitur Psal. 58: 12. *Verè est fructus justo.* Chaldæus: *Certè merces bona justo est.* Ita & Esa. 3: 10. Heb. 12: 11. Jac. 3: 18. Pro *pœna impietatis* Jer. 6: 19. *Ecce ego adduco malum ad populum istum, fructum cogitationum eorum.* Chaldæus: *retributionem operum ipsorum.* Ipsa opera bona vel mala etiam *fructus* dicuntur. *Illa* quidem Matth. 3: 8. (confer Act. 26: 20.) Rom. 6: 22. Gal. 5: 22. Eph. 5: 9. Phil. 1: 11. *Hæc* verò Esa. 10: 12. Jer. 21: 14. Rom. 6: 21. Metaphoræ ratio exinde patet, quòd homines pii & impii, arboribus bonis & malis conferuntur, quarum illæ bonos fructus proferunt, hæ malos. Matth. 3: 10. cap. 7: 16. seqq. c. 12: 33. Jud. ℣. 12. Inde verbum a *fructificare*, de studio pietatis & bonorum operum usurpatur, Hos. 13: 15. Luc. 8: 8. Rom. 7: 4. Col. 1: 10. Cumque effectus is *verbi divini* sit, cordibus hominum per fidem implantati, igitur & ipsi *fructificatio* ea tribuitur Coloss. 1: 6. Quò pertinet, quòd Paulus ait, Rom. 1: 13. *se desiderare, ut fructum in Romana Ecclesia habeat, ut in reliquis,* hoc est, ut ipsi præsenti innotescat, & ob hoc gaudium spiritus creetur, quòd tàm fructuosum apud eos Euangelium fuerit: perinde ut boni præceptores in fructum sibiipsis reputant, si ex institutione sua discipuli laudabiliter profecerunt. Contra *morti fructificare*, est impietati deditum esse, & mala opera patrare, Rom. 7: 5. Alià metaphora verbum prædicatum dicitur *fructus labiorum* Esa. 57: 19. *Creo* ניב *fructum labiorum.* Chald: מללי *sermonem.* Ita & verbum נוב *fructificare*, de sermone usurpatur Prov. 10: 31. *Os justi* ינוב *fructificabit* (alii, *germinabit*) *sapientiam*, hoc est, *profert*, ut Chald. vertit. Zach. 9: 17. *Frumentum juvenès, & mustum virgines* ינובב *fœcundas seu facundas faciet:* nimirum ad celebrandum nomen Domini, illudque confessione seria propagandum, nec non fructificandum in bonis operibus, quod ipsum verbo ניב *fructum abundè proferre*, simul innui certum est. Contrarium fructificationis dictæ est, ἄκαρπον, *infructuosum esse*, quod fide destitutis tribuitur Tit. 3: 14. 2 Pet. 1: 8.

1. 2. c Evellere. a Fructificare. 3.

& ipsis malis operibus, Eph 5: 11. & verbo Dei, quatenus non ritè suscipitur & custoditur, Matth. 13: 22. Mar. 4: 10.

Hactenus partes quasdam terræ nascentium videmus: Sequuntur b *genera & species* eorundem; quas ordine enumerabimus. *Plantæ*, si Deo tribuatur, Ecclesia ejus & credentes intelliguntur. Esa. 5: 7. cap. 60: 21. cap. 61: 3. Ezech. 34: 29. Unde Matth. 15: 13. *plantatio à Deo non plantata, & eradicanda*, heterodoxos, impios & hypocritas notat, qui in Ecclesiæ horto atque externâ societate inveniuntur. *Plantandi* verbum, Deo attributum, accipitur *tùm* generaliter, pro *formare* seu *facere*. Psal. 94. ℣. 9. *An plantans aurem non audiet?* hoc est, formans. Quidam ita loqui vatem sanctum putant, quòd auris plantam referat. *Tùm* specialiter, pro *provehere*, benedicere, augere & felicitate donare, Exod. 15. ℣. 17. 2 Sam. 7. ℣. 10. Psal. 44 ℣. 3. Psal. 80. ℣. 9. Esa. 40. ℣. 24. Jer. 12. ℣. 2. cap. 18. ℣. 9. Ezech. 36. ℣. 36. Amos 9. ℣. 15. Cui contrarium est c *evellere*, pro benedictionem aufferre, destruere & punire. Deut. 29. ℣. 28. 2 Par. 7. ℣. 20. Jer. 18. ℣. 7. cap. 31. v. 28. Amos 9. ℣. 15. Quo respectu utrumque tribuatur Jeremiæ Prophetæ, cap. 1: 10. vide in Gramm. sacra. pag. 268. *Tùm* specialissimè, de restauratione per Christum facta, & hominum sanctificatione ad vitam æternam. Esai. 51. ℣. 16. Psal. 92. v. 14. Rom. 6. v. 5. Quò pertinet *inserendi* verbum, Rom. 11. ℣. 17, 19, 23, 24. de communione sanctorum in Ecclesia usurpatum. Quia autem hæc per prædicationem verbi divini fiunt, igitur & ministris verbi *plantatio* (eique conveniens, *rigatio*) tribuitur. 1 Cor. 3: 6, 7, 8. Ubi elegantissima plantantium horum rigantiumque subordinatio est, ad τὸν αὐξάνοντα *eum, qui dat incrementum*, vid. Jehovam, qui per ministerium verbi efficaciter hominum fidem ac salutem operatur. Tandem & *plantare* de tentorio & habitaculo dicitur, Dan. 11: 45. Tentorium enim paxillis terræ infigitur, quando extenditur, sicut planta terræ inseri ac infigi solet &c.

*Arbor* in similitudine expressa sæpè adhibetur. In metaphorâ autem, quæ concisa similitudo est, *tùm* ad hominem refertur, Jer. 11. ℣. 19. De quo loco vide Grammat. sacram, pag. 743. Esa. 61. ℣. 3. Ezech. 17. ℣. 24. Matth. 3. ℣. 10. cap. 12: ℣. 33. Jud. ℣. 12. & conditio ejus, tàm in bonum, quàm in malum significatur. *Tùm* ad rem quampiam salutarem ac utilem, quæ ob id *arbor vitæ* dicitur, Prov. 3. ℣. 18. c. 11. ℣. 30. c. 13. ℣. 12. c. 15. ℣. 4. In specie quædam arborum

ponun-

ponuntur nomina Esa. 41. ℣ſ. 19. c. 55. ℣ſ. 13. c. 60. ℣ſ. 13. ad significandam regni Christi tùm amœnitatem, tùm donorum cœlestium varietatem, Zach. 11. ℣ſ. 1, 2. diversorum statuum homines in terra Israel, *cedri, abietis, quercus*, arborum sylvæ, nominibus exprimuntur. Ut & Esa. 2. ℣ſ. 13. *cedrorum & quercuum* mentione proceres ac magnates regni, superbi & elati notantur. Unde Chald. vertit, *Reges populum fortes & robustos, ac tyrannos provinciarum.* Ipsa regia Davidis stirps, ex qua natus est Christus, *cedri* allegoriâ proponitur Ezech. 17. ℣ſ. 22. *Arborum putatione & totali dejectione*, populi excidium innuitur Esa. 10. ℣ſ. 18, 33, 34. cap. 40. ℣ſ. 24. Zach. 11: 1, 2. Arboris resectæ pars, super terram relicta & eminens, גזע a *stipes, truncus* dicitur. Ea verò vox metaphoricè ad humilem Christi originem secundùm carnem, seu temporalem ex prosapia Davidis nativitatem notandam, transfertur Esa. 11. ℣ſ. 1. *Et egredietur virga* מגזע *de stipite Isai &c.* uti quædam de hoc dicuntur in Exeg. Euang. & Epist. festo Visitat. Mariæ. Ex arborum caudice δοκός b *trabs* conficitur, ad fulcienda ædificia. Ea vox, unà cum disparata alterâ, κάρφος *festuca* (qui apex tenuis est, à ligno fisso abscedens, Hesych. & Athen. lib. 13. Alii aridum & leve fœnum stipulamve tenuem esse volunt: sed prior significatio magis quadrat) ad peccatorum discrimen atque gradus exprimendos adhibetur Matth 7. ℣ſ. 3, 4, 5. Ostendit enim allegoricè Christus calumniatorum ingenium, quod in aliorum delictis & infirmitatibus (levibus etiam, instar festucæ) inquirendis examinandisque, nimium curiosi sunt: in propriis verò (iisque gravibus, magnis & ponderosis, instar trabis) plusquàm cæci & hebetes: simul & officii nostri nos admonet, ut judicaturi à nostra exordiamur manica, quæ à tergo pendet, qua benè excussa, ad examen criminum fratris propendere possumus. D. Brentius in h. l. ita: *Per trabem non intelligit Christus, si qua detractator alia peccata designavit, sed peccatum, quod detractor in præsentia committit; 1. Diffamator irruit suâ diffamatione in divinæ majestatis officium, cujus est, de sceleribus judicare, & ea vindicare, Deut. 32. Quare hoc ipso, quòd diffamat proximum, majus designat peccatum, quàm is, quem diffamat, designavit. 2. Diffamator significat sua detractione, se nondum videre & agnoscere sua ipsius peccata, alioqui non esset sibi tantum otii, ut aliena perscrutaretur: Itaque præcludit sibi ipsi viam ad veram resipiscentiam.*

*Spinæ* tùm malos noxiosque homines significant, Num. 33: 55. Jos 23: 13. (Quibus locis metaphorice hostes dicuntur *spinæ & aculei in oculis*, hoc est, omnium molestissimi noxiique, sicut oculi, ne paleam quidem aut festucam, nedum spinas vel aculeum, sine atrocissimo cruciatu perferre possunt) Psalm. 58. vers. 10. Esai. 9. vers. 18. cap. 10. ℣ſ. 17. cap. 27: 4. Ezech. 2: 6. c. 28: 24. Confer, ratione similitudinis, 2 Sam. 23: 6, 7. Esa. 33: 12. Nah. 1: 10. Matth. 7: 16. Luc. 6: 44. &c. Tum objecta impedimenta, Hos. 2: 6: *Seminare ad spinas*, impietatis descriptio est, Jer. 4: 3. Confer Matt. 13: 7, 22.

*Arundo*, quia eminens quidam, at debilis frutex est, & vel levi aurâ agitatur 1 Reg. 14: 15. notat, *tùm* homines inconstantes, leves, dubiæque fidei, Matth. 11: 7. Luc. 7: 24. *Tùm* homines afflictos & contritos, qui *quassata arundo* dicuntur Esa. 42. vers. 3. nimirum arundo per se fragilis & imbecilla, multò imbecillior fit, si concutiatur aut frangatur. Tales autem non confracturum se omninò, sed potiùs consolidaturum sanaturumque, promittit Salvator. *Tùm* homines, magnos quidem, at ferendo auxilio impares, insuperque pravos noxiosque, quibus frustrà, & cum damno, ut arundineo baculo confracto, manumque lædenti, confiditur, 2 Reg. 18: 21. Esa. 36: 6. Ezech. 29: 6, 7. *Tùm* demùm *juncus*, infimæ sortis & conditionis homines notat, Es. 9: 14. c. 19: 15.

*Absinthium* (uti & altera herba, c ראש dicta, quam *cicutam* volunt esse, quidam autem *fel* vertunt. De qua ita Hieron. *Est herba calamo similis, quæ per singula genicula fruticem sursum, & radicem mittit deorsum, atque ita brevi tempore totos agros vepribus similes facit.* Plantam autem esse ex Hos. 10. vers. 4. & Deuteron. 29. vers. 18. patet.) ob ingratum saporem, & amaritudinem summam, transfertur ad denotandas hominum *tum* culpas & peccata, Deuteron. 29. ℣ſ. 18. Amos 5. vers. 7. cap. 6. ℣ſ. 12. Confer Deuteron. 32. v. 32. Es. 5: 20. Apoc. 8. v. 11. *Tùm* pœnas & supplicia, Psal. 140. v 10. (Conf. v. 4.) & Jerem. 9: 15. c. 23: 15. Thren. 3: 15, 19. Conf. Prov. 5: 4.

Hæc de speciebus terræ nascentium, quas quidem in metaphora adhibere novimus. Quibus commodè subjecti continentis mentio subjicitur, quod tùm *sylva* est, tùm *hortus*. d *Sylva*, quia arbores ut plurimum steriles continet, infidelitatis impietatisque symbolum est, Es. 32: 15. Quia insuper arboribus & dumetis plena est, integri exercitus notionem gerit, Es. 10: 34. De quo utroque loco suprà dictum, c. 10. in nominibus, *Carmel & Libanus.* Metaphoricè etiam in Chaldæo accipi, cum יערא *Sylva*, significat *carectum*, Exod. 2: 3. Schindlerus ait: ob similitudinem scilicet juncorum condensatorum, cum perplexis sylvæ &c.

a Stipes. b Trabs. c ראש Cicuta. d Sylva.

[a] *Hortus* plantarum eximiarum arborumque locus est, præsertim primigenius ille voluptatis hortus, quem *Paradisum* vocamus. Dicitur autem Ecclesia Christi Cantic. 4. 12 *hortus obseratus*. *Hortus* quidem, ob spiritualem fructificationem; *obseratus* verò, ob ejus in mundo occultationem, Coloss. 3:3. 1 Joh. 3:2. Eadem Ecclesia, cum fructibus suis spiritus, ibidem ℣s. 13. [b] *paradisus* dicitur. Cœlum beatorum, seu vitam æternam, vocari *paradisum*, ex Luc. 23:43. 2 Cor. 12:4. Apoc. 2:7. notum est. Ratio appellationis metaphoricæ, à summa horti illius amœnitate, ac bonorum copiâ, deducta est.

a Hortus.

e Rom. 11: 17.

b Paradisus.

## *Ab olea & ejus fructu desumtæ metaphoræ.*

f Apoc. 11: 14.

Inter terræ Canaan nascentia, tria potissimùm eminent, ex quibus bonitas ejus, fertilitas & præstantia cognosci potest, nimirum *olea*, arbor; *vitis*, frutex; & *frumentum*, herba. Conjunguntur illa Deut. 14:23. cap. 18:4. Psalm. 104:14, 15. Jer. 31:11. Hos. 2:8, 22. Joel. 2:19. & in vulgata versione Gen. 27:37. Psal. 4:8. ubi & Syrus interpres tria ea exprimit. A singulis his, eorundemque cognatis rebus, crebræ ac jucundæ ducuntur in scripturis metaphoræ. *Olea* dicitur populus Israeliticus, ob dignitatem, quâ à DEO ornatus fuerat, [c] Jer. 11:16. *Oleam virentem, pulchram fructu formoso, vocavit Dominus nomen tuum*, q. d. instar oleæ virentis & frondosæ eras, quæ pulcherrimè efflorescit, & spem sui fructus facit magnam. Sequitur autem ἀντίθεσις allegorica futuræ pœnæ, & calamitatis, ob malitiæ degenerationem: *Ad sonum conflictus procellarum maximi, incendent ignem præterea, cùm fregerint propagines ejus*, hoc est, interprete Junio & Tremellio, erunt veluti concursantes ventorum procellæ, quæ in hunc locum irruentes, decutient flores tuos, perfringent ramos, id est, parvos & magnos trucidabunt; deinde oppidum ipsum, tanquam arboris truncum, consument igne: quæ quidem gesta esse ostendent ultima capita Regnum, Chronicorum & Jer. v. 17. *Oleam hanc a Domino plantatam esse*, subjungitur &c. [d] Zach. 4. quæ *olivæ duæ* ℣s. 3, 11, 12. nominantur, *duo filii olei*, in v. 14. dicuntur, hoc est, duæ oleæ oleaginosæ, uberes, pinguissimæ, scaturiginem quandam velut olei habentes, idque indesinenter subministrantes. Significat autem hæc ὀπτασία & metaphora duarum olearum arborum, omnimoda Spiritus sancti dona, à DEO in æternum ad Ecclesiam obventura per Christum, qui & ipse *oleo lætitiæ supra modum unctus est*, Psal. 45:8. *& ab ipso unctionem habent credentes*, 1 Joh. 2:20, 27. Verùm referendum hoc erat ad superiorem ἀνθρωποπαθείας considerationem. [e] Rom. 11:17. Ecclesia Israelitici populi *olea* pinguedine præstans vocatur, cujus *radix* benè statui potest Abraham pater credentium, consideratus ratione divini fœderis cum eo initi, & promissæ ei, per & propter semen benedictum, divinæ benedictionis, & salutis æternæ, conferendæ omnibus credentibus inter Judæos & gentes. Hoc observato, facile, quare *oleastro* gentiles conferantur, & quid *insitio in oleam, & participatio radicis & pinguedinis* (hoc est, pinguedinis ex radice provenientis, & in ramos diffusæ, per *hendyadys*) uti & *ramorum defractio*, sibi velit cognosci potest. [f] Apoc. 11:4. *duo testes*, à DEO excitati (per quos pauci illi Doctores Ecclesiæ sinceri, in media Antichristi tyrannide ac furore à Deo conservati, intelliguntur, *binarii* numero expressi, *quia in ore duorum aut trium consistit omne verbum*, Deut. 19:15. 2 Cor. 13:1.) vocantur *duæ oleæ, & duo simul candelabra, in conspectu Dei terræ stantia*. Priori metaphorâ consolatio divini verbi, à Spiritu sancto, oleo illo lætitiæ, excitata: uti & fertilitas in bonis operibus, uti olea est fertilissima arbor; & constantia seu perseverantia in persecutionibus, uti oleæ folia non defluunt, sed semper virent, ipsumque oleæ lignum cariem ex vetustate non sentit: *Posteriori* verò illuminatio divina ex verbo cœlesti intelligitur. Ex antè adducto loco Zach. 4. desumtum hoc esse; non obscurè patet.

c Jer. 11: 16.

g Es. 10: 27. à facie olei.

d Zach. 4: 14.

*Oleum*, arboris dictæ fructus, apud omnes populos celebratissimum est. In Scripturæ metaphora, *tùm* abundantiam rerum jucundarum & gratarum notat, 32. ℣s. 13. Job. 29. ℣s. 6. *tùm* animi lætitiam refectionemque, si respectu unctionis consideretur, Psal. 23. v. 5. Ps. 92. ℣s. 11. Psal. 141. ℣s. 5. Cantic. 1. ℣s. 3. Esa. 61. ℣s. 3. ratione à fragrantia, & salubritate fructus hujus, desumtâ. Ex quo de *Christi & Christianorum* nomine (ab *unctione* deducto, Spiritus nimirum divini, qui *oleo* comparatur) judicium aliquantùm fieri potest. [g] Esa. 10:27. *olei* fit mentio, dum de hostium populi Dei internecione sermo est: *Et erit in die illa, removebitur onus ejus ab humero tuo, & jugum ejus à collo tuo, & corrumpetur jugum* מפני־שמן *à facie olei*, vel *à coram oleo*. Quod Chaldæus de Messia explicat. Sequuntur eum Jun. & Tremellius: *Propter oleum*, id est, propter Christum liberaberis, in quo quiescit Sp. Jehovæ, qui unxit eum, c. 61:1. Piscator: causa istius liberationis & vindictæ indicatur nempe promissio

jam

jam olim huic populo facta, de mittendo eis Christo, quem significat vocabulo *olei*, quia ungendus sit oleo lætitiæ præ consortibus suis. R. Salomo de *Rege Hiskia*, *qui quietus fuit in generatione sua, sicut oleum.* R. Kimchi eundem amplectitur sensum, sed rationem exhibet aliam: *Jugum Sanherib*, inquit, *corrumpetur à facie olei, hoc est, Hiskiæ. Et ecce hic contrarium quid est*, (à communi rerum statu) *quia pinguedo colli bovis corrumpitur* (diminuitur & perit) *à jugo, quod super ipso jugiter est, ita se res habet in seculo, & ita conveniens erat, ut corrumperetur pinguedo Israelis à jugo Sanheribi, quia ipsi fuerunt pauci, & Sanherib populus multus. Verùm Deus S. benedictus in misericordia sua immutavit rem omnem, ut pinguedo esset ipso jugo durior* (fortior) *& corruptum est jugum Sanheribi à pinguedine Israelis.* Alii, de *Sanheribo* explicantes, ita accommodant: *Corrumpetur jugum à facie olei*, id est, propter unctionem Regiam, haud quidem externam illam, sed potius internam, quâ Spiritu favoris divini inunctus erat Ezechias. Hujus preces audivit Dominus, sicut historia testatur, & confestim corruptum est jugum Assyriacum, nocte unâ. Quâ in re pulcherrimus typus Christi præcessit, qui ad hoc est Spiritu Dei unctus, ut jugum Satanæ ab ipso corrumperetur. Sunt verò alii, qui שמן *oleum* ac pinguedinem, ad ipsum jugum imperii Assyriaci referunt, notari nimirum eâ nimiam opum, gloriæ & superbiæ pinguedinem (metaphoricè ita dictam) propter quam, quoniam nimiùm excreverat, periturum ac corrumpendum fuerit: q. d. Auferet Dominus onus Assyriacum ab humero tuo, & jugum ejus à cervice tua, quin jugum hoc jamjam incipit corrumpi ac putrefieri, præ nimia opum ac superbiæ crassitie & pinguedine, quæ ne seipsam ferre potest, nec tolerari ampliùs à Domino.

## *A vite, & quæ ei analoga sunt, desumtæ metaphoræ.*

*Vinea*, locus vitium plantatarum, in metaphora continuata, & parabola, Ecclesiam designat, tàm Veteris, quàm Novi Testamenti, Cantic. 8: 11, 12. Esa. 3: 14. c. 5: 1. seqq. c. 27: 2, 3, 6. Matth. 20: 1. seqq. c. 21: 33. seqq. De qua jucundâ similitudine multi multa scripsere. *Vinearum plantatio libera*, pacis spiritualis in regno Christi notionem exhibet, Es. 65: 21, 22. Confer Deut. 28: 30, 39. 1 Reg. 4: 25. Mich. 4: 4. &c.

*Vitis* tàm in bonum adhibetur, quàm in malum. *Prioris* exempla sunt, Psal. 80: 9. seqq. Esa. 5: 2, 7. Jerem. 2: 21. ubi populus Israeliticus intelligitur, in terram Canaan introductus, & in populum Dei adscitus, ut ipsi in justitia & pietate constanter serviret; verum deneger ille factus est, & turpi idololatriâ atque impietate Deum offendit: quod omne metaphora *vitis*, benè plantatæ, & malè corruptæ, in duobus locis posterioribus, exprimitur. Atque ita in malum etiam accipitur Deuter. 32: 32, 33. ubi *& vitis*, *& uvæ*, *& botri*, *& vinum*, memorantur, tali descriptione, quæ non nisi peccatorum crudele ac abominabile malum exprimit. Quâ ratione *vitis* accipienda sit Hos. 10: 1. discrepantia est inter scripturarum expositores. Simplicissima interpretatio videtur esse illa: גפן בוקק *vitis evacuans Israël est*, hoc est, instar luxuriantis vitis copiosè fert fructum, ac si semel omnem evacuare fructum vellet: cæterùm non bonos fert fructus, sed malos. (Est *vitis Sodom & Amorah*, Deut. 32: 32, 33. *vitis* copiosè *faciens labruscas*, Esa. 5: 2.) Sequitur enim: *Fructum ponit sibi; secundùm multitudinem fructus sui multiplicat altaria &c.* Confer c. 9: 7, 9. *Sub vite sua & ficu sua sedere*, securæ pacis & tranquillitatis descriptio est, 1 Reg. 4: 25. uti & consimilis phrasis, 2 Reg. 18: 31. Solebant enim Judæi præ cæteris arboribus, vites ac ficus diligenter colere, partim ob fructuum suavitatem, Jud. 9: 11, 13. partim etiam ob umbræ commoditatem. Constat enim, *vites*, præsertim *compluviatas*, ut Plinius lib. 17. cap. 21. vocat, (hoc est, quadruplici jugo pedatas, & in tecti morem longè lateque fornicatas) & *pergulanas*, ut Columella lib. 3, 2. vocat, (hoc est, quæ in pergulis feruntur, Weinlauben) gratam de se præbere umbram ita ut sub iis commodè convivari liceat. De *ficu* verò ex Plin. l. 16. cap. 26. constat, *quòd folium ejus maximum sit umbrosissimum:* id quod ex Gen. 3: 7. quoque colligi potest. Hæc de phrasi, *a sub vite & ficu suâ sedere*, quæ quasi metonymica est (est enim hoc pacis & tranquillitatis publicæ signum) & synecdochica simul (una enim quæcunque arborum species, adeoque omnis hortorum, vinearum & agrorum cura intelligitur; confer 1 Maccab. 14: 8, 9, 12.) Metaphoricè autem pax in regno Christi spiritualis ac interna, eâdem exprimitur, Mich. 4: 4. Zach. 3: 10.

a Sub vite & ficu suâ sedere.

*Vinum*, *& mustum*, tàm divinæ misericordiæ & gratiæ, quàm iræ & vindictæ, effecta designat. *Prioris* exempla sunt Prov. 9: 5. Cant. 2: 4. Esa. 55: 2. Joel. 3: 23. Zachar. 9: 17. quibus locis, *vini* metaphora, beneficia regni Christi exprimuntur: quæ sunt *justitia, & pax, & gaudium in Spiritu S.* Rom.

14: 17. perinde ut de naturali vino dicitur Psal. 104: 15 *quòd exhilaret cor hominis.* Et de musto, Jud. 9: 13. *quòd lætificet Deum & homines.* Certè ipse Jehova exhilaratur quasi seu delectatur, hominum conversione, fide & pietate, Esa. 62: 5. *Posterioris* exempla sunt Psal. 60: 5. Psal. 75: 9. Flacius in Clave: *Hac similitudine gravissima afflictiones significat, sive quia perinde perturbant, & consilii, ac fermè etiam mentis inopem reddant, sicut ebrietas: sive, quòd sæpè cogebant sese invicem ebibere certos calices, non sine molestia, & valetudinis gravi læsione.* Apoc. 14: 10. de infernali supplicio ita legitur: *Hic bibet de vino iræ Dei,* τοῦ κεκερασμένου ἀκράτου, *infuso mero in calice iræ ipsius &c.* Beza: Dicitur Græcis κεράννυσθαι, quod infunditur bibituro etiamsi non diluatur aqua aut alio potus genere, uti rectè observavit Erasmus. Et ita apud Hebræos מסך (*miscere*) pro נסך (*infundere*) usurpatur. Sic Apoc. 18: 6. &c. *Vinum aquâ mixtum,* Esa 1: 22. corruptionem omnium ordinum in populo Israelitico notat, uti antecedentia & consequentia declarant. LXX. vertunt: οἱ κάπηλοί σου μίσγουσι τὸν οἶνον ὕδατι, *caupones tui miscent vinum aquis.* Ex quo metaphoricum Pauli verbum videtur deductum esse, [a] 2 Cor. 2: 17. *Non enim sumus, ut multi,* καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *cauponantes verbum Dei,* hoc est, δολοῦντες *dolo tractantes,* ut 2 Cor. 4: 2. explicatur, Chrysost.: Τοῦτο ἐστι καπηλεῦσαι ὅταν τι νοθεύῃ τὸν οἶνον, ὅταν τίς χρημάτων πωλῇ, ὅπερ δώρεαν ἔδει δοῦναι: *Hoc est, cauponari, cùm quis vinum adulterat, cùm quis hujusmodi res pecuniâ vendit, quas gratis dare debebat.* Hoc igitur ad verbi divini dolosam tractationem, vel corruptelas, eleganter transfertur. Syrus vertit: *Non enim sumus sicut reliqui,* דמזגין *qui miscent,* diluunt, seu mixturâ adulterant *sermonem Dei,* Junius: Hæc propria verbi Græci καπηλεύειν interpretatio, παρὰ τὸ καλύνειν τὸν πηλὸν (Nota, πηλὸν ab Jonibus dici τὸν οἶνον, tradit Hesychius) *à corrumpendo vino,* atque infuscando, ut caupones solent. Luth. vertit: Krämerey treiben/ vel ut posterior editio habet, verfelschen: explicatque in marg. umb des Bauchs und Geitzes willen / wie ein Kretzschmer den Wein felschet. Conferantur Jer. 23: 28. 1 Tim. 6: vers. 5. 2 Pet. 2: 3.

a 2 Cor. 2: 16. καπηλεύειν.

*Feces vini* duplici modo in metaphora usurpantur. Vel enim maximas calamitates notant, Psal. 75: 9. Esa. 51: 17. Flacius: *Sicut poculum significat suam partem crucis aut castigationis, quam Deus singulis suo tempore partitur aut propinat: Ita feces ejus haustus significant longè acerbissimam partem cladis vel pœnæ.* Confer Ezech. 23. 32, 33, 34. Vel tranquillitatem securam designant, in phrasi sc. illâ, Zeph. 1: 12. *Visitabo illos homines, qui concreti sunt super fecibus suis,* hoc est, qui securè, tranquillè & obfirmatè hærent in malo suo, ludificantes interim Deum & homines. Confer Lutheri versionem & marginale scholion. Chaldæus vertit: *Visitabo viros, qui tranquillè agunt in divitiis suis.* Jer. 48: 11. eadem metaphora est, latiùs explicata. Flacius: *Metaphora sumta est à vino, aut etiam aliis liquoribus. Nam quamprimùm vino ademtæ sunt feces, incipit debilius fieri.* Ex hoc quidam explicant illud Esa. 25. vers. 6. *Convivium fecum,* hoc est, vini suavis & odoriferi, quod insidet suis fecibus: tale enim & saporem & odorem suum probè retinet, ut ex Jerem. 48. vers. 11. patet. Alii verò per ellipsin id explicant, ut in Grammat. sacra est, pag. 159.

*Vindemia & racematio* conjunguntur Jud. 8: 2. ubi Gideon ad Ephraimitas ita loquitur: *Nonne melior est racematio Ephraim, vindemiâ Abiezeris?* Per *vindemiam* intelligit ipsam pugnam; per *racemationem,* fugientium hostium persecutionem; q. d. Nos Abiezritæ non tantum pugnando, quantum vos Ephraimitæ, fugatos à nobis persequendo, consecuti sumus, cùm ipsos duces ceperitis, quibus salvis hostis non vere victus fuisset, quippe qui facilè exercitum reparare potuissent. Metaphoricè etiam explicandum, quod Jer. 49: 9. dicitur: *Si vindemiatores venerint tibi, non relinquent racemos.* Chaldæus: *Prædones instar vindemiatorum.* Sermo est de Edomæorum exitio, per hostes inferendo. Eadem loquendi forma Obad. v. 5. (propriè intelligenda) proponitur interrogativè: *Si vindemiatores advenirent tibi, annon relinquerent tibi racemos?* q. d. utique: at hostes tui à me immissi, omnia tua abripient, & te prorsus racemabunt. Confer Jer. 6. v. 9. In symbolica visione, *vindemia* judicium Dei adversus Ecclesiæ hostes denotat Apoc. 14. v. 18, 19. Metaphoræ ratio in eo sita est, quòd in vindemia vites suis fructibus spoliantur, & tota vita vinea quasi desolata relinquitur. Ex quo est, quòd [b] *racemi* (botri parvi, qui perfectâ vindemiâ remanent in vitibus, latitantes post palmites) denotant paucos superstites homines, post bella aut alias calamitates publicas, Esa. 17: 6. Et verbum *racemare* (parvos botros post vindemiam reliquos colligere, Lev. 19: 10. Deut. 24: 21.) denotat, ex clade priori residuos perdere & corrumpere, ut omnia in totum diripiantur & excidantur. Jer. 6: 9. *Racemando racemabunt, sicut vitem, reliquias Israëlis.* Chaldæus: *Deprædando deprædabuntur,*

b Racemi.

*dabantur*, *sicut qui eunt ad radices* (extremitates) *vitis*, *ut decerpant reliquias Israëlis.* Sic Jud. 20:45. *Et racemaverunt eum in viis*, hoc est, residuos Benjaminitarum, quotquot in viis invenerunt, interfecerunt.

*Torcular* (quo & vas notatur, in quo calcantur vel contunduntur uvæ) divinam ultionem quandoque notat, Esa. 63: 3. Thr. 1: 15. Apoc. 14: 19. Sic Joel. 3: 18. *Venite, descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia*, προσφώνησις divina ad *robustos Dei*, seu Angelos, vers. 16. ut divinam vindictam in hostibus impiis exerceant. Quales uvæ calcandæ hic veniant, statim subjungitur: *Quia multa est malitia eorum &c.*

## *A re frumentaria desumtæ metaphoræ.*

*Ager*, locus frumentorum productionis, populum Dei seu Ecclesiam Christi, in parabola notat, Matth. 13. ỹff. 8. 23, 24. 31, 38. Luc. 8. ỹff. 8, 15. &c. Quo pertinet similitudo Apostoli Hebr. 6. verss. 7, 8. cujus ἀπόδοσις expressè non ponitur, tacitè tamen ỹf. 8. *reprobationis, maledictionis, & conflagrationis* vocibus innuitur, fore nimirum, ut infideles & impii, qui instar agri inculti, spinas & tribulos proferentis, non nisi mala peragunt, reprobentur à Deo, maledicantur, & in æternum ignem abjiciantur: Cum contrà credentes & pii benedictionem à Deo recipiant, quia instar fertilis agri se habent, de quo vers 7. agitur. Metaphoricè Paulus 1 Cor. 3. ỹf. 9. Ecclesiam vocat Dei γεώργιον, *agricolationem*, vel *agrum* potiùs, qui spiritualiter per Apostolos & alios verbi ministros colitur, ut ibidem ỹf. 6, 7, 8. innuitur. In quibus autem partibus cultura illa consistat, alibi dicendi locus est. *Agricolis* comparantur in parabola, Judæorum primores, Matth. 21: 23. seqq. ubi tamen non de agri, sed *vineæ* cultura agitur.

*Aratio*; agri ad sementem commodam præparatio est. Eâ verò notatur *tum* calamitas & afflictio, Psalm. 129: 3. (confer similitudinem expressam Esai. 28 ỹff. 24, 26.) ratione sumtâ ex scissura & quasi vulneratione agri, quæ aratro fit. *Tùm* hominum vita & actiones, & quidem tàm bonæ, quàm malæ. *Illius* exempla sunt, Jerem. 4. vers. 3. Hos. 10 vers. 12. *arationis* verbo vera pœnitentia & pietatis cultura intelligitur: ratione ductâ ab arationis fine & effectu, qui est, spinas, tribulos, & malarum herbarum radices evellere ac interimere, & ad ferendos fructus agrum ritè disponere. *Hujus* exempla sunt, Job. 4. vers. 8. ubi consiliorum, & actionum malarum, earundemque eventuum & pœnarum descriptio metaphorica ab *agricultura* sumitur; *Vidi arantes iniquitatem, & seminantes perversitatem, metunt eam*; q. d. qui toti ad flagitia & injurias inferendas intenti sunt, fructum illorum, scilicet perditionem & interitum, meritò percipiunt. Similia Hos. cap. 10: 13. habentur. Prov. 21: 4. *Exaltatio oculorum, & latitudo cordis* (superbia) ניר *aratio impiorum, peccatum est*, hoc est, quicquid perficere operibus suis malis improbi moliuntur, omne hoc *peccatum est*, hoc est, Domino exosum, sicut oppositio ỹf. 3. ostendit. Insuper huc referantur isthæc. [a] Jud. 14: 18. *arare vitulâ alicujus*, est alterius operâ abuti. Ubi metaphoræ continuatæ ratio perquàm congrua est. Sermo enim de novâ Simsonis nuptâ ibi est, quæ *vitula* commodè confertur, ob idem cum marito jugum, unde *conjugio* etiam nomen cessit. Et sic Horatius lib. 2. carm. od. 5. puellam superbam & lascivam, *vitula indomita* confert. Et in Epist. Heroidum, Helena Menelai conjux, *Graja juvenca*; & apud Plaut. in mil glor. 2, 3. Philocomasium *junix* nominatur. *Arare* autem, quod propriè est terram proscissam vertere, ut interior ejus pars in superficiem attollatur, μεταφορικῶς, intima vel arcana perscrutari notat. Sensus igitur phraseos à Simsone usurpatæ est, ænigmatis propositi explicationem paranymphis impossibilem fuisse, nisi ejus originem & sensum Simsoni per novam nuptam extorsissent, [b] Luc. 9. ỹf. 62. inquit Christus: *Nemo, qui manum suam admovit aratro, & respexerit retrorsum, dispositus est ad regnum Dei.* q. d. (paraphraste Erasmo) *summum & arduum est hoc negocium* (mei discipulatus & prædicationis Euangelii) *quod qui semel agressus sit, eum oportet perpetuo studio progredi ad perfectiora, nec deflectere animum ad curas sordidas rerum fluxarum.* Metaphora ab agricolis deducta est, quibus continuo & minùs interrupto studio opus est, in benè arandis & colendis agris. Convenit hoc benè cum 1 Cor. 3: 9. quod paulò antè adductum.

[a] Jud. 14: 18. arare vitulâ.

[b] Luc. 9: 62. manus aratro admota.

*Frumentum, & triticum*, optimum quid & utilissimum metaphoricè notat. Psa. 72: 16. *Ubi fuerit pugillus frumenti in terra, in vertice montium, commovebit se, ut Libanus, fructus ejus.* Sensus est, tempore Messiæ (de quo in toto Psalmo agitur) omnia fore felicia, & cœlesti benedictione referta: quod multiplicatione exigui frumenti, in locis minùs fertilibus, quales sunt montium vertices, sati, & in magnam frugum copiam excrescentis, exprimitur. Confer de hoc loco eruditam Sixtini Amamæ disserta-

sertationem in Antibarbaro Biblico pag. 843. seqq. Jer. 23. ℣. 28. verbi divini notionem *frumentum vel triticum* obtinet: *Quid isti palea cum tritico? inquit Jehova*: hoc est, quid commune est istis pseudoprophetis, & doctrinæ eorum, cum Prophetis & verbo Domini? Chaldæus de justis seu credentibus explicat: *En sicut differt palea à tritico; sic differunt justi ab improbis, dicit Dominus.* Quâ cùm expositione convenit, quòd Matth. 3. ℣. 12. cap. 13: 29, 30. per *triticum* justi ac credentes intelliguntur, quibus in priori loco *palea*; in posteriori *zizania*, hoc est, impii, infideles, & damnati, opponuntur. Propiori metaphorâ manna cœlitùs in deserto deplutum, vocatur *frumentum cœlorum*, Psal. 78: 24. quia & speciem quandam frumenti sive tritici exhibebat, & usum ejus in nutrimento præstabat.

*Messis*, frugum colligendarum tempus æstivum est. Ab ea aliquot metaphoræ in scripturis ducuntur, & quidem ratione duplici: Vel enim homines ut *causa efficiens*, seu messores proponuntur: vel ut *objectum*, hoc est, manipuli vel fruges, quæ demetuntur. 1 Priori modo *messis*, sementi plerumque respondens, fructus & præmia pietatis, & impietatis pœnas notat. *Prout enim quisque sementem fecerit, ita & metet*, ut in genere pronunciat Apostolus, Gal. 6: 7. & in specie ibi subjungitur, tàm bonorum, quàm malorum operum messis ac merces, v. 8; 9. de quo vide Exeg. Evang. & Epistol. Domin. 15. Trin. De præmiis pietatis accipitur *messis*, Psal. 126. ℣. 5, 6. ubi status piorum in hoc mundo *sementis*; secutura autem gloria in vita cœlesti, *messis* phrasi metaphoricâ effertur. Hos. 10. ℣. 12. ipsi fructus pœnitentiæ, & bona opera, *messionis* verbo notantur, respectu ad *sementem verbi* habito, cujus mentio præcedit, & cujus fructus pietatis studium est. 2 Cor. 9. ℣. 6. in specie de beneficentiæ præmiis, eâdem metaphorâ, agitur. De pœnis impietatis, & judicio Dei adversùs improbos, accipitur *messis* Job. 4: 8. Prov. 22: 8. Hos. 8. ℣. 7. *Ponere messem alicui*, Hos. 6: 11. seducere in idololatriam, atque ita pœnarum divinarum causam præbere, significat. De quo loco obscuro latè & eruditè tractat Tarnovius in commentario, Tremellium & Junium, uti & Piscatorem secutus, qui videndi. 2. Posteriori modo, quia duo in messe terrena sunt conspicua; tùm, quòd præscinduntur fruges, & exarescunt; tùm, quòd in horrea reponuntur, in usum commodum: igitur duplici etiam notione *messis* metaphoricè adhibetur. Primò ad judicia Dei denotandum, Jerem. 51. ℣. 33. Joel. 3. ℣. 18. Apoc. 14 ℣. 15, 16, 17. ubi iram Dei denotari, ex ℣. 19. patet. Deinde ad Ecclesiæ collectionem innuendam, Matth. 9: 37, 38. Luc. 10. ℣. 2. Joh. 4: 35, 38. In illis impii demetuntur, & zizaniorum instar in ignem abjiciuntur, uti de messe extremi judicii loquitur Christus Matth. 13: 39. seqq. In hac pii in sacrum quasi horreum inferuntur, ut usui accommodi sint. Præter modò dicta, *messis* commoditatem bonam liberationis notat, Jer. 8. ℣. 20. *Præteriit messis, finita est æstas, & nos non salvati sumus*, hoc est, omnes speratæ salutis atque auxilii commoditates nobis perierunt, & nos pariter periimus. Lætitia enim in Scripturis *tempore messis & vindemiæ* (quæ in desinentem æstatem incidit) figurari solet, Psalm. 4. vers. 8. Esa. 9. ℣. 3. cum utroque in tempore, frumentorum & vini perceptione, gaudii materia hominibus subministretur.

*Messores* in spirituali messe, quæ collectio Ecclesiæ est, metaphoricè vocantur à Christo, verbi divini præcones ac ministri, a Joh. 4: 36, 37, 38. ubi insignis est eorum, *qui seminarunt, & qui metunt*, collatio: per *illos* Prophetas Veteris Testamenti; per *hos* Apostolos in Novo Testamento à se missos Salvator intelligit. Prophetæ promissiones de Christi adventu futuro promulgârunt, atque ita quasi semina jecerunt præconii Evangelii universalis: Apostoli autem in ipsa messe, nimirum universalis de Christo exhibito præconii in toto mundo, laborârunt: quorum laboris fructus etiamnum in Ecclesia durat, ad finem usque seculi. Quidam ita: Patriarchæ & Prophetæ agrum Dei sentibus idololatricis undique oppletum expurgârunt, concione legis veluti aratro quodam prosciderunt, & prima semina promissionum Euangelicarum sparserunt; verùm illa in herba tantum manserunt, quippe quæ Christum longè pòst venturum obscuris verborum involucris nonnihil delineârunt; maturitatem hujus segetis, id est, oraculorum impletionem vivi attingere non potuerunt. Matth. 9: 37, 38. Luc. 10: 2. ministri verbi divini itidem ἐργάται, *operarii* in messe spirituali, dicuntur. Quibus locis monemur de ministerii, tùm Domino, qui Deus est, operarios in messem suam mittens; tùm necessitate, sicut frugibus demetendis necessarii sunt messores, tùm labore & sudore multiplici, sicut ipsum messis tempus καματῶδες ab Hesiodo vocatur.

a Joh. 4: 36. seminantes & messores.

*Trituratione*, quæ percussione & conculcatione fit, pœnæ & calamitates in Scripturis notantur. Es. 21: 10. *O tritura mea, & fili areæ meæ* (edite seu exposcite in area mea.) Ita per

per apostrophen vocat populum Dei, qui in Babylonia graviter afflictus, & quasi in area trituratus atque ventilatus fuerat, ut cùm triturando è gluma, & follibus suis utriculisque triticum educitur. Confer Jer. 51: 33: Hier. in comm. h. l. *Quod sequitur; tritura mea, & fili area mea, ad Jerusalem apostropham facit, & ad Templum, quod in area Ornæ situm est: dicitque ad eam: O Jerusalem, & popule fili templi mei, non tibi videatur incredulum esse, quod dixi: non enim sunt mea verba, sed Domini, & per os meum illius verba resonârunt. Quidam putant, sed malè, hoc non ad Jerusalem; sed ad Babylonem dici, & esse sensum: quæ contrivisti me, eris & ipsa contrita, non meo sermone, sed Domini potestate, qui tibi hæc ventura prænunciat.* Hæc illæ lib. 5. comment. Esaiæ. Paulò aliter verò, & rectiùs lib. 7. (ubi idem caput Esaiæ, cum quibusdam aliis tropologicè tractat) metaphoram exponit: *O popule, qui condendus es in borrea mea, quem idcirco trivi in variis augustiis, ut paleas ab eo excuterem, & purissimum triticum in meis borreis conderetur.* Alia exempla sunt Amos. 1. ỳf 3. Mich. 4: 13. Hab. 3: 12. Jud. 8: 7. ubi *triturare* pro suppliciis afficere & occidere accipitur, à frumento ad homines deductâ metaphorâ. Confer etiam similitudinem Jehovæ Es. 28: 27, 28.

*Palea & stipula*, quæ à frumento, per triturationem, ventilationem, cribrationem, separatur, improborum interitus notionem obtinet; *tum* quod temerè hinc inde abjicitur, ut computrescat; *tum* etiam, quia igni quandoque traditur. Obad. 1: 18. Mal. 4: 1. Matth. cap. 3: 12. Luc 3: 17. Erroneam doctrinam denotat 1 Cor. 3: 12. quo cum potest conferri Jer. 23: 28. In similitudine expressâ, impiorum frustranei conatus, ipseque eorum interitus subitaneus, conferuntur *stipulis à vento propulsis, & disjectis*, Psal. 1: 4. Psal. 83: 14. Esai. 17: 13. cap. 41: 2. Jer. 13: 24. Hos. 13. ỳf. 3. [a] Zeph. 2: 2. ubi verbum à stipulis desumtum præcedit vers. 1. הִתְקוֹשְׁשׁוּ וָקוֹשּׁוּ *scrutamini vos ipsos, & scrutamini:* scrutamini vitia vestra, pòst etiam aliorum. קשש propriè *καλαμᾶσθαι stipulas colligere* significat, Exod. 5: 7, 12. à קַשׁ *stipula* (&, analogicè, *ligna* instar stipularum disjecta *colligere*, Num. 15: 32, 33. 1 Reg. 17: 10, 12.) quia verò res illæ minutæ diligentiam requirunt colligentis, metaphoricè notat seriò & accuratè scrutari, & curâ attentâ examinare. Piscator: *Agendo pœnitentiam operam date, ne instar stipularum hic illic jacentium dispellamini ab hoste, tanquam à vento.*

*Ventilatio* hostilem dispersionem notat, sicut ventilando grana disjiciuntur, Jer. 51: 2. & DEO etiam, hostes in ira sua immittenti, tribuitur, Jerem. 15: 7. Item piorum à reprobis separationem, sicut in ventilatione frumenti grana commota & disjecta, à paleis ac pulvere secernuntur, Matth. 3: 12. in quo sermone allegorico, per *ἅλωνα*, *aream*, Ecclesia Christi, per Judæam & totum orbem dispersa, intelligitur. Per *πτύον*, *ventilabrum seu palam*, media per quæ Christus credentes ab hypocritis impiisque separat, quæ sunt Evangelii prædicatio, crux & tribulatio; denique judicium extremum. Per *repurgationem areæ*, ipsa separandi actio; per *triticum*, credentes; per *paleam*, reprobi; per *borreum*, regnum cœleste, & vita æterna: per *ignem inexstinguibilem*, pœnæ infernales ac æternæ &c. *Cribratio* tentationem diabolicam denotat [b] Luc. 22: 31. Grana in cribratione confunduntur & agitantur, Amos. 9: 9. quædam etiam decidunt, & excidunt, & cum paleis & pulvere simul pereunt: Ita Satanas voluit discipulos Christi confundere, fidem iis excutere, & à Christo tentationibus suis eos avellere. Verùm ut cribratio etiam mundationis frumenti medium est: Ita Christus per ipsas tentationes & afflictiones, discipulos, ut grana à paleis, purgavit, & Diaboli machinationes malignas, in bonum sapientissimè convertit, ad quod consilium, similitudine illâ, simul Christus respicit.

[b] Luc. 22: 31. cribratio Diabolica.

*Molitura*, quâ grana frumenti conteruntur, & in farinam, panis confectioni aptam, rediguntur, Esai. 47: 2. ad descriptionem durissimæ servitutis & captivitatis adhibetur: *Tolle molam, & mole farinam.* In regionibus orientalibus maxima servitus erat, tradi in molendinum ac pistrinum. Confer Exod. 11: 5. Jud. 16: 21. Ut itaque significaret, reginam illam Babel, regnorum Dominam, teneram & delicatam, abjectissimæ servituti obnoxiam fore, & extremam splendoris ipsius futuram mutationem, locutione istâ usus est. Job 31. vers. 10. *Molat alteri uxor mea*, hoc est, explicante Flacio, sit vilissima serva aliorum. Vatabl. *Eripiatur mihi, & alteri famuletur.* Chaldæus & alii aliter. Vide Schindl. pag. 698. & M. Dilher. l. 1. electorum cap. 9.

[a] Zeph. 2: 2. verbum à stipulis deductum.

*Panis*, ex farina confectus, alimoniæ fulcrum illud, tàm ad læta, quàm tristia, designanda transfertur. *Prioris* exempla sunt hæc: Psalm. 105: 40. manna dicitur *cœlorum*: quia perinde aluit Israelitas, eisque loco panis fuit. [c] Psalm. 78: 25. idem manna *panis fortium* dicitur, hoc est, ut quidam volunt, *angelorum*, uti & Chaldæus & LXX. & Vulgata, & Lutherus vertunt; (uti & Sap. 16. 20.

1. [c] Psf. 78: 25. panis robustorum.

20. ἀγγέλων τροφὴ *angelorum esca* dicitur) Junius & Tremellius: *Panem robustissimorum*, id est, angelorum; quem non pistores, aut humana opera, sed ipsi cœlites Angeli, administri voluntatis DEI, suppeditabant. Sic dicuntur Angeli, quia potentiam suam aliquatenus cum eis communicat DEUS, quem Scriptura passim *robustum Israelis* vocat &c. Alii autem per *robustos* intelligunt magnates, & existimant, hunc cibum ab eo commendari, quòd fuerit selectissimi saporis, ac talis, ut non modò promiscuæ illi plebi, sed principibus quoque ac heroibus potuerit esse gratissimus, ac si diceretur, das Manna sey ein recht Herrenbrodt gewesen. Vocatur manna *panis*, etiam Exod. 16:12, 12, 29, 32. ubi notandum, לֶחֶם in Hebræo juxta Lexicographos, *quemvis cibum* notare generatim: quâ ratione nulla hîc subesset metaphora. At quando Christus se *panem vitæ* vocat, respectu ad *manna* habito, metaphora evidens est, Joh. 6: 32, 33. seqq. Vita æterna *panis comestione in regno DEI*, exprimitur, Luc. 14: 15. Conf. cap. 22: 30. *Esu panis furtivi*, uti & *haustu aquæ furtivæ* Prov. 9: 17. τὸ γαμοκλοπεῖν ut Phocylides vocat, *& nuptiarum sacrilegium* (uti l. 30. ad leg. Jul. de adulter. & stuprat. dicitur,) seu brevis illa & vesana carnis voluptas intelligitur, quæ in adulterio est, & quam perditio
2. ac mors æterna comitatur. Confer Job. 20: 5.
1. seqq. *Posterioris* exempla sunt; Num. 14: 9. *Ne timeatis populum terræ, quia panis noster ipsi erunt*, hoc est, facilè vincemus & absumemus eos, perinde ac si essent panis noster. Convenit cum hoc, quòd *panis* in Hebræo, & *bellum* atque verbum *pugnandi*, ejusdem radicis sunt & originis; quodque *gladius* etiam *comedere* dicitur, cum absumit & occidit, 2 Sam.
2. 11:25. Afflictio, calamitas, *panis lacrymarum* phrasi exprimitur Psal. 80:6. quo sensu & *lacryma panis hominis dicitur die ac nocte*, Ps. 42:4. q. d. quòd nunquam ab eo abscedit, sicut pane quotidiè utendum.

*Fermentum* (massa acida facta) in malam partem acceptum, *tùm* corruptelas doctrinæ notat, Matth. 16: 6, 12. Marc. 8: 15. Luc. 12:1. (hypocrisis h. l. est religionis veræ simulatio;) *tùm* nequitiam & pravitatem vitæ, 1 Cor. 5: 7, 8. Utriusque ratio ex fermenti operatione patet, quòd paululum fermenti totam massam penetrat, ac turgidam acidamque reddit: Ita enim falsa doctrina & morum impietas, ad seductionem aliorum facillimè penetrat, & nisi obviam maturè eatur, totum Ecclesiæ corpus inficit & contaminat. Cæterùm de hac tùm fermenti, tùm oppositæ conspersionis azymæ, in loci 1 Cor. 5, vers. 7, 8. metaphorâ, latiùs tractatum fuit, in Exeg. Evang. & Epist. festo Paschatis. A *fermentatione* ductum verbum יִתְחַמֵּץ ad animum transfertur Psal. 73. ℣s. 21. Quia יִתְחַמֵּץ *fermentatur seu acescit cor meum*, hoc est, exacerbatur, perturbatur. Chald. יִתְעַשׁ *anxium est, contristatur.* Ex Plauto in Mercatore citat Schindlerus: *Mea uxor propter illam tota in fermento jacet*, hoc est, irata est. Et in Pseudol. *Ecquid habet acetum in pectore.*

## *Ab animalium partibus & membris deductæ metaphoræ.*

Distinctè considerari *de brutis animantibus* possunt, *tùm* partes & membra; *tùm* generalia nomina, effecta & adjuncta, *tùm* demum ipsæ species. Partes & membra eo ferè ordine recensebimus, quo natura ipsa disposuit. *Caput* si metaphoricè accipiatur, ab humano plurimùm capite ratio deducitur: infrà igitur de hoc commodiùs agetur. Quæ autem brutorum capita attinent, in singulis eorum speciebus explicabuntur.

*Cornu*, quadrupedum quorundam & ornatus præcipuus, & roboris exserendi, seque defendendi instrumentum, variè in metaphora sacrarum literarum usurpatur. Summatim loquendo, 1. In hominibus, tùm potentiam, virtutem, gloriam, fortitudinem notat, 1 Sam. 2: 1. Job. 16: 15. Psal. 75: 6, 11. Psal. 89: 18. 25. Psal. 112: 9. Psal. 148: 14. Jerem. 48: 25. Thren. 2: 3, 17. Ezech. 29: 21. Amos 6: 13. *Ferreum cornu* potentiæ majoris & fortioris symbolum est, Mich. 4: 13. Sic &, cum *cornu unicornu* memoratur, animalis præ aliis robore pollentis, Numer. 23: 22. Deut. 33: 17. Psal. 22: 22. Psal. 92: 11. Tùm in specie *regnum*, cujus majestas in potentia, fortitudine & robore consistit (quidam; quia rex dignitate eminet supra totum populum, sicut cornu supra omnia animalis membra.) 1 *Sam.* 2: 10. ubi ad regnum Messiæ mulier sancta respicit. Chald. & hîc & Jer. 48: 25. מלכותא *regnum* vertit. Psal 132: 17. *Ibi germinare faciam cornu Davidis*, hoc est, faciam ampliari & propagari vires regni ejus. Pertinet & hoc perfectissimè ad Messiam Davidis filium. Chald. *Ibi germinare faciam Regem preciosum domus Davidis.* Aug. in h. l. tom. 8. col. 1535. *Cornu significat altitudinem. Et qualem altitudinem? Non carnalem. Ideò omnia ossa carne involuta. Cornu excedit carnem. Altitudo spiritualis cornu est. Quæ autem altitudo spiritualis est, nisi de Christo præsumere?* 1 Paral. 25: 5. *Heman erat videns Regis, in verbis DEI de extollendo cornu,*

', hoc est, in hymnis sacris pertinentibus ad egis aut regni robur & amplitudinem. Con- r annotationem Lutheri &c. Cæterùm illa *potentiæ* & *regni* significatio, vivâ quasi me- phorâ & similitudine proposita est, tùm in mbolica actione Zedechiæ pseudoprophetæ. Reg. 22:11. tùm in visionibus Propheticis, an. 7:7, 8, 21. cap. 8:3. seqq. Zach. 1. 18. qq. ubi hostes Ecclesiæ feroces & potentes telliguntur. Apoc. 5:6. cap. 12:3. cap, 13: 11. cap. 17:3, 7, 12, 16. a *Cornu petere* (נגח) otentiam adversus hostes pugnando exserere, u præliari, metaphoricè significat. Deut. ;:17. Psal. 44:6. 1 Reg. 22:11. Dan 11:40. uod in Chaldaismo perfrequens est. 2. In iis rebus significat cornu, tùm locum emi- ntiorem b Esa. 5:1. *Vinea fuit dilecto meo, in rnu filio olei*, hoc est, in loco sublimi & ldè pingui. Piscator: *In colle seu clivo, qui modum cornu incurvus & soli antemeridiano, eridiano, atque pomeridiano expositus est, ac æterea pinguissimus atque uberrimus, adeò ut oleo natus videatur.* Videtur hac descri ione significare terram Canaan, quippe fluen- m lacte & melle, etenim in hanc populus raëliticus instar vitis fuerat translatus à DEO, : in eâ plantatus, teste Psal. 80:9. Tùm *angu- s* seu eminentias, cornuum formam haben- s, Exod. 27:2. cap. 29:12. Lev. 4:7. 1 Reg. 51. Jerem. 17:1. & aliàs sæpè. Ita & in haldæa ac Syriaca linguâ, *extremitatem sive igulum* notat. Vide Buxtorff. in Lexico Chal- ro-Syriaco p. 511, 512. Tum demum *splen- orem* & radium rutilantem, cornu similem. lab. 3:4. *Splendor ut lucis* (*Solis*) *erat ei: rnua de manu ejus fuerunt ei*, hoc est, splen- ores, ut Pagninus vertit. Chald. *Scintillæ ulgura*) *de curru majestatis ejus prodibant.* ide verbum קרן *in modum cornuum radios diffun- re, coruscare, radiare, splendere*, significat. xod. 34:29, 30, 35. ubi de Mosis facie splende- ente sermo est. Chald. *multiplicatus erat lendor gloriæ faciei ejus.* LXX. δεδόξασαι ὄψις τῦ χρωτὸς τοῦ προσώπυ αὐτῦ. Ad iam versionem Paulus 2 Cor. 3:7. respexit. ulgata: *Quod cornuta esset facies sua.* Ex ia versione Moses cornutus in picturis quibus- in prodiit. De quo vide plura apud Sixti- m Amama in Antibarb. Bibl. p. 571.

*Os oris*, quia concavum patulumque est, . morsus in animali instrumentum, ob id duo etaphoricè notat. Primo cujuscunque rei *ificium*, aditum, & patens foramen. Et sic urpatur de *sacco*, Genes. 42. ℣s. 27. De *pu- o*, Gen 29:2, 3, 8, 10. De *speluncâ*; Jos. : 18, 22, 27. De *veste & interulâ*, Exod. ): 23. Psal. 133:2. De *urbis porta*, Prover. 8:3. De *rivo*, Esa. 19:7. Deinde *aciem gladii*, quâ mordet quasi, lædit scinditque, Gen. 34:26. Exod. 17. ℣s. 13. Num. 21:24. Deut. 13:15. & aliàs sæpiùs. De *lima* 1 Sam. 13 22. dicitur, פְּצִירָה פִּים *lima ora habens*, hoc est, plena incisuris, ad meliùs acuendum ferrum. Sic & in plurali *ora, gladio* tributa, duas ejus acies notant, Jud. 3:16. Psal. 149:6. Prov. 5:4. unde & *rostro*, pleno aciebus seu stimulis, tribuitur Esa. 41:15. Quando verò פֶּה לָפֶה *ore ad os*, de loci unius lateribus diversis usurpatur, 2 Reg. 10:21. cap. 21:16. Ezræ 9:11. tùm vox ea cognata est significatione (uti etiam literis est) voci פֵּאָה *angulus, latus.*

a Cornu petere.

b Esa. 5. 1. cornu filio olei.

c Quæ ore, uti & *lingua, dentibusque* peraguntur ab animalibus, hîc semel expediemus, נשך *mordere* (ut plurimùm *serpentibus* propriè tributum Num. 21:7, 8. Gen. 49:17. Eccl. 10:8, 11. Jer. 8:17. Amos. 9:3. &c.) de hostili invasione, spoliatione, laceratione, accipitur Hab. 2:7. De doloribus tàm corporis quàm animi, à vino & crapula relictis. Prov. 23:32. In specie de *usuris* accipitur, quibus facultates alterius, quasi paulatim admordentur, corroduntur, & consumuntur Exod. 22: 24. Lev. 25:36. Deut. 23:19. Psal. 15:5. Prov. 28:8. Ezech. 18:8, 13, 17. cap. 22:12. Sic Lucano *vorax usura dicitur*. Et apud. Plautum in Pseudolo: *Habet argentum, jam admordere hunc mihi lubet.* Metaphoricè נשך *mordere*, usurpari etiam Mich. 3:5. quidam volunt, ubi de Pseudoprophetis dicitur, *quòd mordeant dentibus suis*, hoc est, instar ferarum gregem Domini discerpant, lacerent & pessundent. Sed simplicius est, ut proprie phrasis illa, de cibi jucundi comestione accipiatur: quod benè Lutherus in versione expressit, & oppositio annexa id ipsum edocet. Confer etiam cap. 2:11. &c. d אכל *comedere, devorare*, metaphorico significatu idem est, ac *perdere. consumere.* Exod. 15:7. ubi de ira DEI, hostes populi sui pessundante, usurpatur Esa. 9:12. *Syri ab Oriente, & Philistæi ab Occidente, & devorabunt Israel toto ore*, h. e. ferarum more inhumanissimè ipsum tractabunt, diripient, spoliabunt, consument. Chald. *diripient opes Israelis in omni loco.* פה *os*, pro *loco seu latere* accepit (quæ significatio paulò ante adducta est,) & sequitur illum Schindlerus, qui Osiandrum taxat, quòd non correxerit. Verùm metaphoricæ locutioni propiùs accedit alter ille sensus, qui & Lutheri est. Eadem metaphora occurrit Psal. 14:4. Psal. 53:5. Psal. 79:7. Prov. 30:14. Mich. 3:3. Matth. 23:14. &c. e בלע *absorbere, deglutire, devorare*, ejusdem figuratæ significationis est, 2 Sam. 17:16. Job. 10:8. cap. 20:18 cap 37:20. Psal 35:25.

c נשך Mordere.

2.

3.

4.

d אכל Comedere, devorare.

e בלע Absorbere, deglutire.

Psal. 52:6. Psal. 107:27. Psal. 124:3. Esa. 3: 12. cap. 28:7. (ubi emphatica ἐνάλλαξις metaphorica est: absorbent homines vinum, & eo ipso נִבְלְעוּ *absorbentur seu deglutiuntur à vino*, hoc est, omnimodo perduntur & corrumpuntur.) Thr. 2:2. Hos. 9:8. Hab 1. v. 13. Sic & καταπίνειν & καταποθῆναι, 1 Cor. 15: 54. 2 Cor. 2: 7. 1 Pet. 5: 8. ubi itidem in Syro בלע est. Quia verò quæ absorbentur, ex oculis remota absconduntur, igitur בלע etiam *tegere vel abscondere* significat, Num. 4: 20. Prov. 19:28. [a] גמא *deglutire*, *absorbere*, metaphoricè Job. 39: 24. de equo usurpatur, quòd cum impetu & irâ (celerrimo suo cursu) absorbeat terram, hoc est, facilè superet & emetiatur. Ab eadem radice nomen deductum, genti Chaldæorum prædatrici tribuitur. Hab. 1: 9. *Tota ipsa ad rapinam* (vel violentiam) veniet: מְגַמַּת *haustus faciei ipsorum*, *ad Orientem* (dirigetur,) hoc est, quicquid vel solo adspectu hauserint & absorbuerint, seu, quicquid adspexerint & rapere decreverint, id destinabitur ab eis deportandum in Chaldæam sive Babyloniam, quæ Judææ orientem versus sita est. [b] לחך *lambere*, *lingere*, *lambendo depascere* (sicut boves gramen depasturi, lambendo quasi id apprehendunt) hominibus attributum, *absumere* significat, Num. 22:4. item ignis flammæ tributum, 1 Reg. 18: 38. unde & *lingua* adpellatio ei attribuitur, ut suprà cap. 9. §. 4. dictum fuit: Ubi & alia, quæ metaphoricam [c] *linguæ* significationem attinent, habentur.

[a] גמא deglutire.
[b] לחך lambere.
[c] Lingua.

*Dens*, metaphoricè promontorium, scopulum acutum, more dentis prominentem, notat. 1. Sam. 14: 4. Job. 39: 28. Hominibus verò *dentes* attributi, virulentiam & potentiam hostilem designant, metaphorâ à beluis ductâ, quæ dentibus utplurimum pugnare, lædere, discerpere solent, Psal. 3: 8. Psal. 57: 5. Psal. 58: 7. Psal. 124: 6. Job. 29: 17. Prov. 30: 14.

*Labium*, metaphoricè ripam, seu extremam fluminis, itemque vasis, oram significat, Gen. 22: 17. cap. 41: 17. 1 Reg. 7: 23, 24, 26. 2 Reg. 2: 13. 2 Paral. 2: 2, 5.

*Cervix*, posterior colli pars, si nomen *durus*, vel verbum *indurare* addatur, metaphoricè contumaciam, protervitatem & mentis rigorem notat, sumtâ metaphora ab equis, & aliis jumentis indomitis, quæ nimis ferocientes non patiuntur frenis suam cervicem huc illuc, quo sessor vult, inflecti, sed collo & cervice freno reluctantur. Exod. 32: 9. cap. 33: ẏs. 3, 5. cap. 34. ẏs. 9. Deut. 9:6, 13. cap. 31: 27. 2 Reg. 17: 24. 2 Par. 30: 8. cap. 36. ẏs. 13. Esa. 48: 4. Jer. 7: 26. cap. 19: 15. Nehem. 9: 17, 29. Prov. 29: 1. Ejusdem significati *collum durum* est, *cornibus additum*, Psal. 75: 6. ubi aperta est metaphora, à refractariis & jugi impatientibus animalibus desumta. Verbum ערף *decervicare*, [d] *decollare*, metaphoricè *diruere*, *confringere* notat. Hos. 10:2. *Ipse* (DEUS) יַעֲרֹף *decollabit altaria eorum*. Habebant illa altaria quædam superius imposita quasi capitella, vel etiam cornua, ea quando demuntur in destructione, ipsum caput & cervix quasi præscinditur.

[d] Decollare.

*Alæ* volucris, quia (1.) extima ejus membra sunt, & (2.) latiùs extendi possunt, & (3.) volatus celeris per aerem instrumenta sunt; tripliciter etiam in metaphorâ usurpantur. 1. Extremitatem vestis denotant, Num. 15. ẏs. 38. Ruth. 3: 9. 1 Sam. 24: 5. Jer. 2: 34. Hag 2. vers. 12. Zach. 8: 23. &c. 2 Latera & dispositos integri exercitus ordines denotant, Esa. 8. vers. 8. Dan. 9. vers. 27. (ubi per *alam detestationis desolantem*, legiones desolationem inferentes intelliguntur, copiæ nimirum Romanorum, ob idololatriam detestabiles. Confer Matt. 24. v. 15. cum Luc. 21. v. 20.) *Terræ* item *extremitatem*, & locos remotiores. Job. 37: 3. cap. 38: 13. Esa. 11: 12. cap. 24: 16. Ezech. 7: 2. &c. 3. *Alæ solis & auroræ*, primi lucis radii sunt, subitò instar alarum, super totam terram expansi, Psal. 139: 9. Mal. 4: 2. In contrarium ita Virgilius loquitur, Æn. 8. *Nox ruit*, & *fuscis tellurem amplectitur alis*. *Alæ venti*, ejus celerrimum impetum & pervasionem, seu *celerem in cuncta discursum* (ut Hieronymus loquitur, in comment. Esa. 6; 2. notant, 2 Sam. 22: 11. Psal. 18: 11. Psal. 104: 3. Tria dicta alarum attributa, conveniunt in unum, [e] Esa. 18: 1. *Væ terræ*, *umbræ alarum*. Ubi per *alas umbratiles* intelliguntur vela navium, quæ extremæ earum partes sunt, & in formam alarum expanduntur, & celerrimi motus super aquas maris, instrumenta sunt, à ventis cum inflantur. Eadem etiam navigantibus umbram faciunt. Sic apud Virgil. *Velorum pandimus alas* Chald. *Væ terræ, ad quam in navibus advenitur de terra longinquâ, & vela eorum expansa sunt instar aquilæ, quæ volat alis suis.* Junius & Tremellius per *alas* simpliciter *oras terræ* intelligunt, ut *terra umbrosa oris* sit, cujus oræ montibus maximis & opacissimis circumclusæ sunt, quales undique ad mare rubrum esse testatur Strabo lib. ult. Geograph. [f] עוף *volare*, quod alis volucrum fit, metaphoricè *cito cursu & impetu ferri aut immitti*, significat, Esai. 6. vers. 6. cap. 11. vers. 14. Dan. 9: 21. Psalm. 91: 5. Eleganter de *opibus* usurpatur Prov. 23: 5. הֲתָעִיף *an facies, ut evolent*

[e] Esa. 18: 1. Væ terræ, umbræ alarum.
[f] Volare.

*lent oculi tui in illud*, hoc eſt, num intentè & omni deſiderio conjicies oculos in illud? Et de *gladio*, Ezech. 32: 10. בְּעוֹפְפִי *cùm faciam*, *ut volet gladius meus*, hoc eſt, cùm vibravero vel agitavero gladium meum. De DEO verò ἀνθρωποπαθῶς id dicitur, dum clades & internecionem minatur. *Volare* etiam *evaneſcere & interire* ſignificat, Job. 20: 8. Prov. 23: 5. Hoſ. 9: 11. העיט *involare*, quod propriè avium rapacium eſt, metaphoricè *irruere*, ſubitò in aliquid contendere & invehi, vel verbis vel re ipſa, ſignificat. 1 Sam. 14. ℣ſ. 31. (ubi pro ויעש quod in textu eſt, legendum eſſe ויעט *& involavit*, *ſubitò contendit*, Maſorethæ tradunt) cap. 15: 19. cap. 25: 14:

*Cor* animalis, quia propemodum in medio pectoris & interiùs in corpore eſt, per metaphoram pro rei cujuſque medio, vel etiam interiori parte, accipitur. Deut. 4: 11. *Et mons flagrans igne uſque ad cor cœlorum*, hoc eſt, uſque ad cœlos interiores, biß in den Himmel hinnein. 2 Sam. 18: 14. *In corde quercus*, hoc eſt, in media quercu. Antanaclaſis hîc eſt, præcedit enim *de corde Abſalomi*, jaculis percuſſo à Joabo. Exod. 15: 8. Pſal. 46: 3. de *mari* uſurpatur, uti & Prov. 30: 19. Ezech. 28: 2. ubi itidem vocabu'i *cordis* antanaclaſis & elegans repetitio eſt. Jon. 2: 3. *In cor marium*, *&c*: Jer. 51: 1. *Cor* (hoc eſt, medium ſeu meditullium) *inſurgentium adverſus DEUM*, periphraſis eſt Babylonis, tanquam Reginæ ſedentis in medio inimicorum DEI, Judæam infeſtantium. Matth. 12: 40. *Cor terræ*, eſt ejus interius. Vide Grammat. Sacr. p. 151. & confer Chamierum tom. 2. panſtrat Cathol. pag. 76. ubi latè & eruditè de hoc loco contra Bellarminum diſſerit. Hieronymus etiam ſic locutus fuit, in præfat. Michæ: *Ergo quaſi in corde voluminis poſitus, debet profunda continere myſteria. In corde voluminis* dixit pro *in medio voluminis*, & intelligit volumen duodecim Prophetarum, in cujus medio Michæas Propheta eſt. ᵃ Ita & *venter*, in quo cor reſidet, pro *loco medio rei* accipitur, 1 Reg. 7: 20. ᵃ *Renes* pro *granis tritici* accipi metaphoricè, ſupra monitum cap. 6.

*Cauda*, poſtrema animalis pars, pro extremitate cujuſque rei uſurpatur. Eſ. 7: 4. *caudæ titionum* ſunt torres extremi, penè exuſti, & qui non niſi fumigare poſſunt, propediem exurendi penitùs. Intelliguntur verò duo Judæorum advenarii Reges, ut ſuprà etiam dictum. Junius & Tremellius monent, hac metaphorâ reſpici ad præterita bella, quibus regna Syriæ & Iſraelis attrita fuerint: Syriæ quidem à Joaſcho filio Joachazi, 2 Reg. 13: 25. Iſraelis verò, inteſtinis conſpirationibus & bellis, 2 Reg. 15. & adventu Pulis Regis Aſſyriæ, 2 Reg. 15: 19. &c. Interdum conjunguntur metaphoricè *caput & cauda*, Deut. 28: 13, 44. quorum illo *dominium* hoc verò *ſubjectio* intelligitur & ſervitus. Eſa. 9: 14. ᵇ *caput & cauda à DEO excindi in populo* dicitur, hoc eſt, ſummum & imum: præſtantes & abjecti (quod & aliâ metaphorâ, *rami & junci*, ibidem exprimitur) & ſubditur v. 15. *ſenem & honorabilem eſſe caput*, *Prophetam verò docentem mendacia eſſe caudam*: ex quo quiſnam abjectiſſimus & maximè deteſtabilis coram DEO ſit, perſpicitur. Flacius col. 110. *Caudam interpretatur de ſeductoribus, ſive id fiat ob extremam vilitatem vitæ, ac inſcitiam veritatis: ſive quia venenata Satanæ ſtercora, ore ſuo egerunt: ſive denique, quia ſic vacillant, dum hominibus aut potentibus adulantur, ſicut canes motatione caudæ turpiter adulari ſolent.* Simili metaphorâ in libro פרקי אבות à R. Matthia f. Horeſch dicitur: הוי זנב לאריות ואל תהי ראש לשועלים; *Eſto cauda leonum, neque ſis caput vulpium*, hoc eſt, explicante Fagio, præſtat poſtremum eſſe inter ſapientes, bonos & juſtos; quam præcipuum inter malos. A זנב, *cauda*, derivatur verbum in Piel ᶜ זִנֵּב *decaudicare*, caudam præſcindere, quod metaphoricè idem eſt, ac extremum exercitus agmen cædere. Deut. 25: 18. de Amalekitis id dicitur, τὴν οὐραγίαν, (ut LXX. interpretes vertunt) ſeu extremum agmen populi Iſraelitici interficientibus. Chald. *Et interfecit in te omnes, qui fuerunt tardantes poſt te*, Legantur etiam, quæ de hoc loco ex Rabbinis diſſerit D. Schickhardus in Miſchpat hammelech. pag. 113. ſeqq. Joſ. 10: 19. *decaudare* itidem extremum agmen cædere notat.

*Calcaneum*, עקב, pars pedis extrema, per metaph. *finem*, *metam*, *terminum*, ſignificat, Joſ. 8: 13. Pſal. 119, 112. item *emolumentum*, *fructum*, *mercedem*, quæ finis operis eſſe ſolet, Pſ. 19: 12. Prov. 22: 4. *pœnam*, reſpectu iniquitatis, Pſal. 40: 16. Cumque intuitu mercedis & emolumenti labores ſuſcipi ſoleant, igitur עקב cauſam finalem importans, idem quandoque ſignificat, ac *propter*, *propterea*, *eò quod*. Vide Grammatic. Sacram. pag. 611. *Levare ſeu magnificare calcaneum adverſus aliquem*, Pſal. 41. verſ. 10. de refractario hoſte, & malorum machinatore dicitur, à calcitronibus & refractariis equis, qui calcibus ſolent petere, ſumtâ Metaphorâ. Quis autem intelligatur ex Joh. 13: 18. patet. Eandem ſignificationem obtinere videtur בעט *recalcitravit*, cùm de hominibus dicitur, Deut. 32: 15. 1 Sam. 2: 29. De phraſi, *contra ſtimulum calcitrare*, infrà dicetur.

Subjiciemus etiam ᵈ partes quaſdam animalis *homogeneas ſeu ſimilares*: quas enim hactenus

ᵇ Caput & cauda.

ᶜ זִנֵּב Decaudicare.

ᵃ Renes.

ᵈ Partes homogeneæ ſeu ſimilares.

nus vidimus, *heterogeneæ seu dissimilares* sunt, uti à Physicis vocantur.

a Os, ossis. *a Os, ossis*, quia durum est, & album, duas etiam obtinet notiones metaphoricas. 1. *Duritiem* & inhumanitatem animi notat. Prov. 25: ℣s. 15. *Lingua mollis frangit os*, hoc est, etiam durissimum & rigidissimum hominem, vel iram gravem & duram. Exempla hujus sententiæ realia sunt. Jud. 8: 1, 2, 3. 1 Sam. 25: 24. seqq. Vires seu fortitudinem notare in illo Psal. 6: 3. *Conturbata sunt ossa mea;* putat Augustinus in h. l. tom, 8. *Ossa mea* (inquiens) *id est, firmamentum animæ meæ vel fortitudo. Hæc enim ossa significant. Dicit ergò anima, fortitudinem suam esse turbatam, cùm ossa nominat.* 2 *Candidum* instar ossis notat 2 Reg. 9: 13. *Et festinaverunt & tulerunt quisque vestimentum suum, & posuerunt subter eum,* אֶל־גֵּרֶם *ad os graduum*, hoc est, fastigium candidum velut os. Confer annotat. Lutheri marginalem. Alii metonymicè sic dictum fuisse ajunt, quòd ex osse aliquo, vel ebore constiterit. Chaldæus vertit, *ad gradum horarum:* intelligens (Schindlero censente) solarium lapidi incisum, in quo erant signati gradus, ex quibus discebatur hora diei, Sole splendente. R. Kimchi; *ad gradum supremum inter gradus* &c.

*Medulla*, ossium interior pinguedo, quia suavissima carnium pars est, suaviter ossa totumque corpus irrigans, eique gratum alimentum præbens, per metaphoram pro *quovis optimo* accipitur, Esa. 5. ℣s. 17. unde & in descriptione convivii cœlestis & spiritualis adhibetur Esa. 25. ℣s. 6.

*Adeps* ejusdem significati est, Gen. 45: 18. Num. 18: 12, 29, 30, 32. Deut. 32: 14. Ps. 81: 17. Ps. 147: 14. Vide Grammat. Sacr. p. 62.

*Pinguedo* de telluris bonitate & fertilitate
(1.) usurpatur, uti notum est. Gen. 27: 28. &c.
Aliâ metaphorâ *pingues* dicuntur opulenti &
b Verbum DEI lac vocatur. potentes, Ps. 22: 30. Sicut pinguia animalium
esui aptorum, pro optimis habentur. Quia
vero pinguedo & obesitas refractaria facit a-
1. nimantia, igitur ad homines, bonis à DEO
ditatos, & ob id rebelles & impios factos, fit
translatio Deut 32: 15. Job. 15: 27. Psal. 17.
℣s. 10. Psalm. 73: 7. &c. Pari ratione *pin-*
2. *guescere cor populi Judaici* dicitur, Esai. 6: 10.
dum in malo occallescit quasi, & obduratur
magis magisque, sicut pinguedo non re-
3. fractaria solùm facit animantia, sed & ipsa
omnis expers sensus est, consentienbus Phy-
(2.) sicis Psalm. 36: 9. *pinguedo domus DEI*, co-
4. piam beneficiorum ejus cœlestium notat: à
conviviis deductâ similitudine. Esai. 34: 6.
*gladius Domini impinguatus esse* dicitur *ex adipe occisorum*. Intelligitur autem divina ira & ultio adversus hostes Ecclesiæ, quam hac phrasi explicat, quia cædem futuram comparat mactationi, vel sacrificiis etiam agnorum, hircorum, & arietum, in quibus culter mactatorius adipe impinguari solet, &c.

*Sanguis* metaphoricè pro eo ponitur, quod sanguineum colorem rubedine refert, quam ob causam *vino* tribuitur, Genes. 49: 11. Deut. 32: 14. Sirac. 50: 17. De loco, Ezech. 19: 10. *Mater tua fuit tanquam vitis* בְּדָמְךָ *in sanguine tuo* &c. ita Flacius in clave, col. 1087. *Credo sanguinem ibi pro vino accipi, ut suprà audivimus, interdum usurpari. Alii intelligunt de nativa succulentia. Aliqui intelligunt etiam ortum ac partum: id est, cùm te primùm pareret, viguit ac floruit.* Junius & Tremell. vertunt, *in quiete tua* (ut sit à דום *siluit, quievit*) hoc est, pristina tranquillitate. Alii, *in similitudine tua* (à דמה *similis fuit*) quò etiam Chaldæus respexit. Quod de *sanguine uvarum* seu rubro vino dictum, ei convenit illud Androcydis apud Plinium lib. 14. cap. 5. qui ad Alexandrum Magnum ita scribit: *Vinum potaturus, Rex, memento te bibere sanguinem terræ* &c. Tribuitur insuper vox *sanguinis* Lunæ eclipsatæ seu obscuratæ Joel. 3: 4. Schindl. *In eclipsi rubet luna instar sanguinis, quia lux ejus propria cum terræ umbra miscetur, & rubedinem efficit.*

*Caro*, ex sanguine facta & enutrita, *rem fragilem debilemque* notat, sicut ipsa fragilis est, & morti corruptionique obnoxia, Psal. 56: 5. Psal. 78: 39. Es. 31: 3. Jer, 17: 3. Itemque *pro molli, tractabili, & obsequenti* ponitur, Ezech. 36: 26.

*Lac*, ob dulcedinem & utilitatem eximiam, ad describenda beneficia Messiæ metaphorice adhibetur, Esa. 55: 1. Joel. 3: 23. In Nov. Test. 1. verbum Christi sincerum & jucundissimum notat 1 Pet, 2: 2. Confer Flacium clav. col. 513. Quidam ita: b Verbum DEI *lac* vocatur, & lacti comparatur h. l. & Cant. 4: 11. cap. 5: 1, 12. *tùm* ob simplicitatem & candorem. Sicut lac non est liquor humanâ arte compositus, sed ab ipsa natura factus: Sic verbum DEI non homines agnoscit originem suam, sed solùm Jehovam, 2 Pet. 1: 21. *Tùm* ob jucunditatem & dulcorem, de quo eodem Esa. 25: 6. Psal. 19: 11. Psal. 119: 103. Prov. 24: 13, 14. *Tùm* ob utilitatem & commodum, in pascendis, conservandisque animabus nostris ad vitam æternam, 2 Tim. 3. v. 16. *Tùm* ob abutentium perniciem. Lac non conducit febricitanti, aut plethorico, sed morbos efficit in tam malè disposito ventriculo: Sic impro-

pro-

probis contumaciter & incredulis, verbum DEI non prodest, sed ad majorem damnationem iis cedit. Joh. 12:48. 2 Cor. 2:16. &c. 2. Si solido cibo opponatur, prima religionis Christianæ rudimenta notat, 1 Cor. 3:2. Heb. 5:12, 13. De quo ita Beza: *Paulus pueritiæ & lactis mentionem facit diverso sensu: Infantiam enim opponit adultæ ætati; ideoque lactis nomine prima Christianæ religionis tyrocinia significat. Hic verò Petrus (1. cap. 2:2.) infantiam priori illi corruptissimæ vitæ opponit, & perpetuum lactis (id est, veræ ac sinceræ doctrinæ Evangelicæ) usum commendat.* Ex lacte [a] butyrum conficitur, Prov. 30:33. à quô מַחְמָאוֹת *butyrina*, scil. verba, dicuntur, id est mollia, blanda, adulatoria, Psal. 55:22. מ enim primum, secundùm R. Salomonem, formativum est, ut in מישרי & מאמר. Quidam מ putant esse præpositionem, *præ butyris*. Sed repugnat punctationis analogia: scribendum enim fuisset מֵחֶמְאוֹת.

## *Ab animantium generalibus quibusdam desumtæ metaphoræ.*

Distinguuntur bruta animantia, in *terrestria*, *volatilia*, & *aquatilia*. Terrestria in genere quod attinet, [b] חַיָּה *fera*, *bestia* quandoque *conventum*, *congregationem*, *turmam*, *agmen*, significat, quod per metaphoram fieri, Schindlerus ait, à feris in unum congregatis ductam. 2 Sam. 23:11. *Et congregati sunt Philistæi* לַחַיָּה *in cœtum vel catervam.* Alii autem *villam seu vicum* exponunt, & fuisse locum putant, cujus 1 Sam. 17:1. 1 Par. 11:13. fit mentio. 2 Sam. 23:13. וְחַיַּת *& turma Philistæorum castrametata erat in valle Rephaim.* Pro quo 1 Par. 11:15. dicitur, וּמַחֲנֵה *& castra Philistæorum* &c. Ita & usurpatur Psal. 68:31. (vide Grammat. sacram pag. 33.) Psal. 74:19. Buxtorffius ex Junio addit Es. 57.10. חַיַּת *catervam manus tuæ invenisti*, hoc est, Assyrios qui tibi ad manum præstò fuerunt. Quod alii *vitam* vertunt, hoc est, robur, prosperitatem. Item Ezech. 7:13. &c. *Fera agrestis* Ecclesiæ hostes immites, metaphoricè notat, Ps. 80:14. Vocabulum Hebræum זיז hîc usurpatur, propriè *bestiam robustam & truculentam notat.* Vide Fullerum lib. 6. miscell. sacr. cap. 6. Κακὰ θηρία *malas bestias*, Paulus Cretenses vocat [c] Tit. 1:12. ex Epimenide, in cujus opere cui titulum fecit, *de oraculis*, cum (notante Hieron. in comm. h. l.) hic versiculus, repertus fuerit, *Prophetam* eum Paulus vocat, sive per jocum, sive ob argumentum ejus scripti, censente Erasmo adag. Chil. 1. cent. 2. adag. 29. sive etiam, ut suprà dictum, δοξαστικῶς, quia talis fuit à Cretensium populo habitus. [d] בַּעַר (à בְּעִיר *jumentum*, *brutum*) *hominem pecuinum*, bruto similem, notat; hoc est, stupidum, rudem, imperitum, fatuum, Psal. 49:11. Psal. 73:22. Ps. 92:7. Prov. 12:1. Psal. 30:2. Unde verbum בער *obbrutescere*, *stultum fieri*, Psal. 94:8. Jer. 10:8, 14. &c. Conforme huic est, quòd פֶּרֶא *fera*, pro homine immiti & bellis intento accipitur, Gen. 16:12. Quidam vocem eam *onagrum* vertunt, seu asinum sylvestrem. Quo de D. Forsteri verba adscribere placet: [e] פֶּרֶא *fera*, *animal ferum*, à fœcunditate & fructificatione (פָּרָה *fœcundus fuit*, *fructum tulit*) sunt enim feræ animalia fœcundiora, & plures fœtus edunt, quam animalia domestica. Hieronymus, & alii post ipsum, transtulerunt, *onager*, id est, asinus sylvestris, eò quòd inter feras sit notissimus, sicut צפור *avis*, reddiderunt pro *passere.* Hæc ille. Ob stuporem & indomitam naturam, aliàs etiam homo cum פֶּרֶא *ferâ* seu *onagro*, comparatur, Job. 11:12. Jer. 2:24. Hos. 8:9. θηριομαχῆσαι, *cum bestiis pugnâsse se*, Paulus ait, [f] 1 Cor. 15:32. hoc est, ut quidam explicant, cum bestialibus hominibus. Scaliger in notis: *Feros & præfracti ingenii viros, quibus cum illi negocium & contentio fuit, vocat*, θηρία. Atque idem, pro κατ' ἄνθρωπον, ut in nostris exemplaribus est, legendum esse ait, κατ' ἀνθρώπων, hoc sensu: *Si contra homines, ut bestias, pugnavi in Epheso* &c. Cumque *Ephesi* expressam mentionem faciat, quidam hæc verba intelligunt de tumultu adversus Paulum concitato, qui Act. 19. describitur. Quidam etiam de disputationibus exponunt, quas per tres menses, cum incredulis & pertinacibus Judæis, Ephesi habuit, Actor. 19:8, 9. De mortuorum resurrectione loquens, & eandem negantium (qui tamen Christianos se profitebantur) sententiam refutans, ἐκ τοῦ ἀτόπου argumentatur: Si nimirum mortui non resurgunt, frustraneum esse baptismum, qui confessionis de illo articulo causâ, super mortuorum sepulchra fiebat, ℣s. 29. frustranea esse varia illa sua παθήματα, quæ propter Christum sustinebat, ℣s. 10, 31. frustraneam demum esse omnem cum adversariis veritatis (tanquam bestiis) de veritate religionis Christianæ concertationem, v. 32. confer ℣s. 14. 15. Et potiùs his omnibus supine posthabitis, gulæ, luxui, & voluptati vitæ hujus terrenæ, indulgendum esse. ℣s. 32. quibus justam ἐπιτίμησιν ℣s. 34. subjungit. Qui propriè verba Pauli intelligunt, ac si reverà bestiis objectus fuisset, videntur ex eo posse redargui, quòd 2 Cor. 11. ℣s. 23, seqq. ubi potiores

[d] בשר homo pecuinus.

[e] פרא fera.

[a] Butyrum.

[f] 1 Cor. 15:32. pugna Pauli cum bestiis.

[b] חיה fera.

[c] Tit. 1:12. Cretenses malæ bestiæ.

riores & omnium maximas suas calamitates Apostolus enumerat, hujus pugnæ & periculi nulla fiat mentio; omnino autem id palam indicasset (utpote omnium inter externa difficillimum & maximum) si reverà contigisset. Quid autem illud, κατ' ἄνθρωπον? (neque enim Scaligeri emendationem acceptare fas est, cùm autoritate codicum fide dignorum destituatur.) Si verbum λέγω subaudiatur (uti illa ellipsis etiam alibi occurrit, 2 Cor. 9. ℣. 6. Esa. 5:9. Hos. 14:9. confer Grammat. sacram pag. 70.) omnia rectè se habent: *Secundùm hominem* enim seu *humanitùs loqui* se dicit Paulus, quando similitudinibus utitur, Galat. 3: v, 15. Rom. 6:19. qualis & hic sermo est, metaphoricè conceptus. Sed sufficiant istæc de loco Paulino. Specialius Esa. 11:6,7,8,9. cap. 65:25. quædam animalium variorum mixtura proponitur, quâ gentium efferarum vocatio, & Ecclesiæ ex multis populis collectio, intelligitur; de quo vide Postill. nostram prophet. part. 1. p. 464. seqq. Ad generalia hîc referemus, quædam diversorum animalium *affecta & adjuncta*. [a] רבץ *accubuit*, animalium quadrupedum est proprium. At de hominibus id etiam usurpatur, quando de ipsorum quiete & securitate (similitudine ab ovium grege ductâ) sermo est, Esa. 14:30. (confer cap. 11. v. 6.) Psal. 23:2. Job. 11:19. Ezech. 34: 15. Zeph: 2:7. ubi de gentium inter Philistinos conversione sermo est, (Confer Act. 8: 26. 40. cap. 9:32, 35, 36.) Usurpatur autem verbum illud etiam de *lapidibus*, in fundamento positis, Esa. 54. ℣. 11. & de *peccato κατὰ προσωποποιΐαν*, Gen. 4:7. de quo suprà dictum, cap. 9. §. 6. [b] טרף *rapuit*, *rapiendo dilaceravit*, ferarum proprium est. At de hominibus etiam accipitur, dum feris illi comparantur, Deut. 33:20. Psal. 7:3. &c. Uti & טֶרֶף *præda feralis*, Gen. 49:9. Psal. 76:5. Eadem vox quoque *escam seu cibum* significat, cùm propriè cibus ille sit, quem prædâ sibi feræ comparant, Psalm. 111:5. Prov. 31:15. Mal. 3:10. (unde verbum הִטְרִיף *aluit*, *cibavit*, de DEO usurpatur Prov. 30:8.) Significat etiam *folium*, quòd à vento rapi solet Ezech. 17:9. [c] רעה *pascere se*, quandoque *perdendi*, destruendique significatum obtinet, Ps. 49:15. Job. 24. v. 21. Jerem. 2:16. cap. 22:22. Pascendo enim gramina & fruges perduntur. *More pecorum oberrare* significat Num. 14:33. sicuti pecudes vagando pascuntur, nec pastor uno in loco subsistit, sed herbis uno in loco absumtis, ad alium se confert, Esa. 18:12. *Securè bonis frui*, Es. 14:30. significat. Νομὴν ἔχειν, *pastionem habere*, metaphoricè de gangræna, seu cancro morbo dicitur, 2 Tim. 2:17. & consequenter de sermone pravo ac hæretico, qui gangrænæ confertur. Ut pascentes pecudes non modò fruges & gramina perdunt, sed & subinde nova loca quærunt & occupant; Ita cancer morbus, tàm corporalis, quàm spiritualis, sive hæresis, tùm perdit (*ille* quidem corpora, *hic* verò animas) tùm subinde crescit, vers. 16. aliosque inficit. Animalibus & feris quibusdam etiam accidit, ut venatione & laqueis capiantur. Igitur &, quæ ad illud spectant, hac vice expediemus.

[a] רבץ accubuit.

[b] טרף rapuit.

[c] רעה pavit.

[d] Gen. 10:9. Nimrod potens venator.

*Venari* in malum ferè semper accipitur, pro *insidiari*, mala machinari, perditionem intentare. Ex. 21:13. 1 Sam. 24:12. Prov. 6:26. Jer. 16:16. Thren. 3:52. c. 4:18. Ez. 13:18, 30. Mich. 7:2. Metaphoræ ratio satis patet, cùm venationes ferarum variis technis, insidiis & instrumentis peragi soleant. *Potens venatione* [d] Gen. 10:9. dicitur, qui potentia, ad violenter opprimendos homines subjugandosque abutitur: Tyrannus. Flacius in clave script. col. 1239. *Venatio habet simile quiddam bello, teste Xenophonte in Cyripædia; imò est species quædam belli: & vicissim bellum est tanquam venatio quædam servilium hominum, ac parere nolentium, ut Arist. polit. 1. disserit. Quare meritò, cùm dicitur Nimrod fuisse robustus venator, de bellatore accipitur, quod etiam ex ipso textu apparet, dicitur enim h. l. de primariis civitatibus ipsius regni, quòd non ad venatorem, sed ad regem ac ducem exercitus rectè referri queat, qui devictis gentibus validas civitates condiderit.* Chald. simpliciter vertit, גבור תקיף *heros fortis*. Aben Ezra proprie accipit *de ferarum venatione, quas Domino in sacrificia obtulerit Nimrod*, & id notari phrasi, *coram Domino*. Sed monet Mercerus, *omnes Hebræos Nimrodum pro tyranno habere, & reprehendi Aben Ezram, quòd solus velit justificare impium:* Rectiùs illud, *coram Domino*, ad tyrannidis exaggerationem refertur, quòd non in obscuro, sed in propatulo, palàm, proterve, & valere jussa omni, non hominum solùm, sed ipsius etiam Numinis reverentiâ, in homines imperitando grassatus fuerit. Confer Gen. 6. v. 11. cap. 13. v. 13. &c. Demum observandum, quòd 1 Paral. 1. v. 10. Nimrod simpliciter dicitur fuisse *potens in terrâ*: quod de imperio in homines omnino accipiendum. Confer Zehnerum centur. 1. adag. sacr. 1. De DEO usurpatum *venandi* verbum, justam talionis pœnam, persecutoribus piorum (malis illis venatoribus) illatam, notat. Psal. 140. ℣. 12. *Vir linguæ* (maledicus) *non firmabitur in terra, vir rapinæ malus* :יְצוּדֶנּוּ *venabitur ipsum* (DEUS) *ad præcipitia seu impulsiones*, hoc est, sicut ipse pios venatus & insectatus fuit, v. 6. ita vicissim

sim DEUS suis ipsum pœnis quasi venabitur, ut præceps in æternam perniciem ruat. Confer ℣ſ. 11. Huc referri potest phrasis integri Hab. 2. v. 17. ubi Regi Babyloniorum, impio & impetuoso grassatori ac Tyranno, hæc denunciantur verba: *Violentia Libani operiet te, & vastitas bestiarum* (quæ) *terrefacit eas:* hoc est, talis crudelitas in te exercebitur ab hostibus, qualis à venatoribus in Libano adhiberi solet adversus capiendas & trucidandas feras: & vastitas te occupabit, qualis ipsas in venatione bestias terrere solet. Comparantur igitur hostes, per quos DEUS Babylonios pœnâ talionis affecit, venatoribus, summo studio feras in Libano inquirentibus, persequentibus, trucidantibus, &c.

[a] *Laqueos ponere, illaqueare*, יקש, & נקש eandem cum venatione significationem, obtinet. Pro *insidiari & perdere*, accipitur. Deut. 7: 16, 25. c. 12: 30. Psal. 9: 16, 7. Psal. 38: 13. Psal. 91: 3. Psal. 124: 7. Psal. 140: 6. Psal. 141: 9. Eccles. 9: 12. Matth. 22: 15. De *facultatibus seu bonis* usurpatur, *ea intervertere* & ad se rapere notat, Ps. 109: 11. *Obligari alicui ad satisfaciendum*, Prov. 6: 2. confer v. 3, 5. Ita & *laqueus* pro *damno*, exitio, ejusve causa & occasione accipitur, Ex. 10: 7. 1 Sam. 18: 21. Psal. 69: 23. Psal. 18: 5. Psal. 116: 3. Prov. 12: 13, 14. c. 22: 5. cap. 29: 6. Esa. 24: 17, 18. Ezech. 48: 43, 44. Hos. 5: 1. cap. 9: 8. Rom. 11. v. 9. 1 Timoth. 3: 7. cap. 6: 9. 2 Timoth. 2: 26. De *Conscientiæ irretitione* seu oneratione, in re adiaphora, accipitur. 1 Cor. 7. vers. 35. Vide D. Chemnitium, exam. C. T. part. 3. de coelib. & virgin. cap. 5. circa finem &c. [b] *Rete* (quo venatores uti solent) ejusdem significati est cum laqueo. Psalm. 9: 16. Psal. 25 v. 15. Psal. 35: 7, 8. Psal. 57: 7, Psal. 141. vers. 10. Prov. 29: 5. Eccles. 7: 27. Hos. 5: 1. c. 9: 8. De DEO, calamitatibus plectente, *laqueus & rete* usurpantur. Job. 19. vers. 6. Psalm. 11: 6. Jerem. 50: 24. Ezech. 12: 13. cap. 32. ℣ſ. 3. quod ad superiorem de ἀνθρωποκτονίᾳ doctrinam referri debuerat.

*Mactari* demum bestiis competit. At de hominum occisione violentia, per hostes DEO puniente illatâ, verbum illud quandoque usurpatur, Esa. 34: 6. Jer. 46: 10. Ezech. 39: 17. seqq. Zeph. 1: 7. quibus locis etiam hypotyposis quædam est &c. Quidam *sacrificandi* significatum hîc malunt, de quo vide Forst. in Lexico Hebr. p. 720. Ubi confert Exod. 32: 27, 29.

## Ab animalium speciebus deductæ metaphoræ.

Has ita recensebimus, ut [c] *primum* locum sortiantur beluæ immites, & quæ in sylvis ac desertis degunt: *secundum*, quæ hominum usui, vel esui inserviunt: *postremum* serpentes, vermes, & alia vilia. Sed ad rem. [d] *LEO*, rex animalium Prov. 30: 30. in bonum, & malum, accipitur, ut suprà monitum cap. 6. rariùs tamen in bonum. Gen. 49: 9. *Juda* dicitur *catulus leonis*, dum de robore, potentia & eminentia tribus illius præ reliquis, à sancto Patriarcha agitur. Dictum etiam aliquid de hoc loco suprà cap. 8. in initio, dum de Christo, *Leone* dicto, tractatum fuit. [e] *Ariel*, seu *leo DEI*, voce compositâ, dicitur altare holocaustorum, in novo templo Ezechielis, cap. 43: 15, 16. quod altare templi, in quo victimæ offerebantur, sanguine maderet, ut leo prædam discerpens: Vel ut alii, quia velut immanis leo holocausta allata consumebat igne perpetuo. [f] Esa. 29: 1, 2. ipsa etiam urbs Jerusalem hoc nomine vocitatur. Quo de vide Grammat. sacr. p. 830. Musculus in comm. h. l. ita à DEO Jerusalem vocari ait, *quòd ferox fuerit adversus DEUM & Prophetas illius, quos truculenter occidit, perinde atque si leo agnum inveniat in deserto.* Non incongruè allegat in hunc sensum, quod Jer. 12. vers. 8. de populo Judæorum dicitur. Ibidem allusionem esse dicit, q. d. non es עִרִיאֵל *civitas DEI*, ut videri vis, sed אֲרִיאֵל *leo DEI &c.* Chaldæus sensum v. 2. benè expressit: *Et coangustabo civitatem, in qua est altare, & erit desolata & inanis, & cirumdabitur coram me sanguine occisorum, sicut circumdatur altare sanguine sacrificiorum, in die festi, circumcircà.* Præter hæc *leo* plerumque in malum accipitur, pro truculentis & sævis hostibus, vel tyrannis, Job. 4: 10. Psal. 22: 22. Psal. 34. v. 11. Psal. 57. v. 5. Psal. 58. v. 7. Jerem. 4: 7. cap. 5. v. 6. Ezech. 19. v. 2. Nah. 2: 11, 12. Zeph. 3: 3. 2 Tim. 4: 17. unde Diabolus ipse *leoni rugienti* confertur 1 Pet. 5: 8. *Leonis & violentæ feræ absentiâ* Esa. 53: 8. uti & *cicuratione*, cap. 11: 6: 7. spiritualis regni Christi tranquillitas & pax significatur atque idem omninò, quod Rom. 8: 38, 39. *Rugitus*, leonis clamor, de violentia & tumultu hostili accipitur, Esa. 5: 29. Zach. 11: 3. & de tonitru, Job. 37: 4. & de gemitibus clamoribusque dolentium, Psal. 22. ℣ſ. 2. Psal. 38: 9. [g] *Unicornu*, ob sævitiam & robur, pro virulentis hostibus accipitur, Psal. 22: 2. Esa. 34: 7. in comparatione autem expressâ aliis

[c] Primum animalium genus.
[d] Leo.
[a] Laqueus.
[e] Ariel.
[f] Esa. 29. 1, 2.
[b] Rete.
[g] Unicornu.

a Aper. usurpatur aliquoties. a *Porcus sylvestris* seu *aper*, itidem populi DEI efferos hostes notat, Psal. 80: 14. b *Ursus*, crudele animal, tyrannum sævum designat, Proverb. 28: 15. & DEUM, vindictum gravem exercentem, Thren. 3: 10. Verùm utrobique potiùs comparatio expressa est, & comparativæ voculæ, sicut, ellipsis. c *Lupus*, animal robustum; sævum atque rapax, homines fortes, feroces, avaros & crudeles significat. Gen. 49: 27 tribus Benjaminis *lupus rapiens* vocatur, quia fortis & sæva, in historia sacra, deprehenditur, Jud. 20. &c. Quidam *Saulem Benjaminitam*, etiam attendunt, 1. Sam. 14. ℣s. 47. Quin & alterum *Saulem Benjaminitam*, pòst Apostolum Christi, Roman. 11. v. 1. Phil. 3: ℣s. 5. qui ante conversionem nimis in Christianos sæviit, Actor. 9. ℣. 1. Galat 1. ℣s. 13. &c. Eadem à *lupis* metaphora est Jerem. 5. ℣s. 6. Zeph. 3. ℣s. 3. Cur autem *lupi vesperæ* dicantur, vide in Grammat. sacra pag. 34. Conferatur Ezech. 22. ℣s. 27. In Nov. Test. *luporum* voce, seductores, & doctrinarum exitialium autores, denotantur, Matth. 7. ℣s. 15. Joh. 10: 12. Actor. 20: 29, Vide D. Frantzium de historiâ animalium, cap. 20. ubi *Diabolum* Joh. 10: 12. voce *lupi* significari inquit, & explicat. d *Pardus*, animal ferox & celerrimum, itidem hostilitatis & sævitiæ notionem metaphoricam obtinet, Jer. 5. ℣s. 6. e *Vulpes* notare Ecclesiæ hostes, & hæreticos, Cant. 2: 15. Thren. 5: 18. interpretes volunt. Vide D. Gerh. Postillam Salomonæam, parte 2. p. 594. seqq. & D. Franzium, hist. anim. pag. 191. *Herodem* vocari *vulpem* à Christo, constat ex Luc. 13: 32. ob fraudulentas insidias, quas Christo clàm struebat. Erasmus in paraph. *Ite & dicite vulpi illi, qui versutiâ humanâ credit se aliquid posse adversus consilium DEI &c.* Vulpes ista insidiabatur gallinæ illi præclaræ, quæ Math. 23: 37. in similitudine proponitur. f *Cerva* in bonum verè accipitur. Gen. 49: 21. *Naphthali est cerva dimissa*, quæ nimirum velocissimè fugit. Explicatur de promtitudine & velocitate in rebus feliciter gerendis. Et referunt hoc Hebræi ad historiam *Barac Naphtalitæ*, qui cellerrimè collectis copiis decem millium, ex tribu Zabulon & Naphthali, persecutus cum Debora fuit Siseram hostem, Jud. 4. ℣s. 19. Veluti & illud, quod in loco Geneseos sequitur: *Dans eloquia pulchritudinis*, ad eandem historiam referunt, & suave illud Baraci & Deboræ ἐπινίκιον, quòd Jud. 5. describitur. Proverb. 5. ℣s. 19. uxor bona vocatur *cerva amorum*, & *rupicapra gratiæ*. Flacius: *Cerva amorum*, id est, cerva amata: quod feras cicuratas sæpè pro singulari oblectamento habemus. Vide quæ Junius & Tremellius in h. l. annotant. De *cerva matutinâ* Psalm. 22: 1. suprà dictum cap. 8. A cervo autem, animali fero quidem, at homini grato utilique, ad g secundum animantium genus progredimur.

[Margin notes: b Ursus. — g Secundum animalium genus. — h Equus. — c Lupus. — i Frenum & frenare. — d Pardus. — e Vulpes — k Asinus. — f Cerva. — l Bos. — m Vacca.]

h *Equus & hinnitus ejus*, libidinum efferarum notionem habet, Jerem. 5: 8. & unà cum *asino*, Ezech. 23. ℣s. 20. *Equitare* verò, dominari & excelsum esse notat, sicut insidens equum gubernat. Deut. 32: 13. Psal. 66. ℣s. 12. Esai. 58. ℣s. 14. DEO tributum quid significet, suo loco dictum. i *Frenare*, & *frenum*, quod equis competit, Jac. 3. ℣s. 5. & quo illi coërcentur diriguntùrque, Psal. 32. vers. 9. metaphoricè, *tùm* violentiam hostium potenter inhibere ac avertere, significat, Es. 30. v. 28. cap. 37. v. 29. Similis phrasis est Ezech. 38: 4. *Tùm* moderari decenter prudenterque, si *linguæ* tribuatur, Jac. 3: 2. cap. 1. v. 26. De suis Jobus afflictissimus conqueritur, *quòd frenum à facie sua dimiserint*, Job. 30: 11. hoc est, quòd regi se non ampliùs permittant, & pudore abjecto, à facie ejus hautquaquam timeant. Per *frenum* intelligi imperium, 2 Sam. 8: 1. quidam existimant. Vide Grammat. Sacram p. 856. Psal. 66: 12. ab equo, cui eques insidet, metaph. ducitur, ad afflictiones notandas. Et præcedit v 11. *Posuisti astrictionem* (cingulum constrigens) *in lumbis nostris*, q. d. clitellas & onus afflictionum grave imposuisti nobis: metaphorâ à jumentis ductâ, quibus clitellæ sub axillaribus alligantur loris, per transversum corpus. Equo affine animal k *asinus* est, qui præter ante adductum locum, adhuc semel in metaphora adhibetur Gen. 49. vs. 14. ubi tribus Isascharis dicitur *asinus ossis*, hoc est, ossibus valens, & ita robustissimus, segnis interim naturâ, & sarcinas impositas non excutiens, sed ferens. Unde subditur: *accubans inter duas sarcinas*. Solebant enim geminas sarcinas vel clitellas asinis imponere, ad ferenda utrinque onera. Explicatio v. 15. subjungitur. Confer Jud. 5. v. 16. ubi ad priorem locum alluditur: *Cur desideres inter duas illas sarcinas, audiendo sibila acierum?* apostrophe ad Isascharem factâ, asininam ejus segnitiem excitat.

l *Bos & taurus*, violentum, crudelem & superbum hostem, miseros infestantem, notat. Psal. 22: 13. Psal. 68: 31. Esa. 34: 7. m *Vaccarum* nomine regni primores exprimuntur Amos 4. v. 1. De quo vide suprà cap. 10. ubi de monte *Basan* fuit dictum. Esa. 15: 5. עגלת שלשיה *vitula* seu *vacca triennis* (Hieron, *vitulam conternantem* vertit, *ex ternario* deducto verbo, pro quo in vulgata irrepsit, *consternantem*,) videtur epitheton metaphoricum esse Zoaris

urbis

urbis Moabiticæ; quod idem Jeremiæ c. 48: 34. ubi Horonajim proxime additur. Et Moabitarum elationem, luxum & lasciviam denotari, quidam volunt, sicut vaccæ trimæ & saginatæ ferocire solent. Vel etiam ubertatem pascuorum, & alia commoda, quibus ea terra abundabat, sicut trima vitula fœcunda est, & abundans lactis. Hieron. in comment. Esa. *Possumus vitulam conternantem pro perfecta ætate accipere. Sicut enim tricesimus annus in hominibus, ita in pecudibus & jumentis tertius robustissimus est.* Lyranus dicit, sic vocari propter luxuriæ petulantiam. Et dici *vitulam* in fœminino, infecti vitio Sodomitico. Quod longè nimis petitum est. Musculus non ad urbem, sed ad בריחים *fugientes* Moabitarum hanc appellationem refert, qui vitulæ trienni comparentur, à pascuis ad stabulum currenti ac mugienti. At omnium, ut videtur, optimè Junius & Tremellius, qui ad clamantes Moabitas (qui per prosopopœiam emphaticam à Propheta inducuntur) *vitulæ trimæ* similitudinem referunt, hoc sensu: *Animus meus* (inquit Moabita strenuus, populares suos profugientes confirmare & revocare tentans) *Moabum inclamat, clausuras ejus* (בְּרִיחֶהָ *vectes ejus*, hoc est, munitiones limitaneas) *Zoharemusque* (quasi) *vitula trima*, q.d. non clamo, sed boo ac velut intono, ut Moabitarum popularium meorum luctum frangam & animos confirmem: Nam certum est, juvencam insuetam jugo, minimè effœtam, ac proinde ferociorem, graviores boatus & valentiores edere, cujusmodi ferè est triennis. Hæc illi. Jer. 46: 20. Ægyptus vocatur *vitula pulcherrima* seu *speciosissima* (id enim geminatione adjectivi, יְפֵה־פִיָּה innuitur) & additur. *Excidium ab aquilone veniet ei*; ubi comparatio est præsentis ejus felicitatis (metaphorâ saginatæ & ferocientis vitulæ, sive vaccæ denotatæ) cum ventura ignominia & ruinâ. Hos. 10: 11. *Ephraim* seu populus Israel dicitur *vitula assueta, diligens triturare.* Quæ & sequentia verba, Hieron. in comment. magnis obscuritatibus involuta esse testatur. Placet autem explicatio metaphoræ istius, quam Brentius tradit: *Tritura labor*, inquit, *jumentis levis & gratus fuit, non enim alligata, non jugo, non onere pressa erant, sed liberè discurrebant, & suppetebat eis victus abundantissimè, secundum mandatum DEI Deut. 25. v. 4, Ita Israel hactenus non est assuetus exiliis, direptionibus, & totius regni devastationi, sed habitavit in regno suo, sub ficu & vite sua, confidenter, & retinuit ea, quæ possedit, in pace* &c. [a] *Jugum*, instrumentum illud, quo boves alligantur ad trahendum aratrum aut currum, Luc. 14. v. 19. aliquot efficit metaphoras, (1.) Doctrinam & institutionem notat, sicut jugo boves colligati ad certam agendi laborandique rationem instituuntur quasi & assuefiunt. Jerem. 5. v. 5. *Veruntamen ipsi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula* (quibus jugum alligari solet.) Chald. *Sed ipsi simul rebellârunt à lege, recesserunt à doctrina* (Conf. Ps. 2. ℣s. 3. ubi itidem ad vincula & lora jugi videtur respici.) [b] Matth. 11. ℣. 29. *Tollite jugum meum super vos.* ℣s. 30. *Jugum enim meum commodum, & onus meum leve est.* Doctrinam Euangelicam Christi Salvatoris intelligi, patet ex addita explicatione: *Et discite à me, quod mitis sim, & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris.* Quia verò Euangelium doctrina seu *verbum crucis* est, 1 Cor. 1. v. 18. igitur ad sequens *jugi* significatum simul respicitur sermone Christi. Tria involvi, ex verbis ipsis planum est, primò fidem in Christum, ex verbo Evangelii haustam: deinde vitam piam, Christi vitæ conformem, in humilitate, mansuetudine & aliis Spiritus fructibus: Denique patientiam & constantiam in toleranda imposita cruce. Ita qui affecti sunt, inveniunt requiem pro animabus suis. Ex dicta significatione est, quod בְּלִיַּעַל, *Belial* dicitur, q.d. absque jugo, qui jugum doctrinæ salutaris, & disciplinæ excutit. Vide Grammat. sacram. pag. 123. &c. (2.) Molestias, afflictiones, ærumnas, cumprimis oppressiones à rigidis Dominis, magistratibus, tyrannis: sicut sub jugum colligati boves, ponderosa onera, per varias viarum difficultates, trahere coguntur, insuperque stimulis aut flagris in eos, à duris gubernatoribus sævitur. Levit. 26. v. 13. 1 Reg. 12. v. 4. Esa. 9. vers. 4. cap. 10. vers. 27. cap. 14. vers. 25. cap. 47. v. 6. Jerem. 2: 20. (ubi quod DEUS de se dicit, *quòd fregerit jugum populi sui*, quidam interpretes ad populum referunt, contra textus συνάφειαν, & Grammaticam: primæ enim personæ verbum est, non secundæ) cap. 28. v. 2, 4. 11, 14. cap. 30. v. 8. Thren. 1: 14. c. 3: 27. 1 Tim. 6: 7. Pro gravi & molesto onere in spiritualibus accipitur Actor. 15: 10. Gal. 5: 1. &c. (3.) Conjunctionem & conformationem cum aliis, sicut jumenta invicem per jugum connexa sunt, atque ita faciliùs onus trahunt ac promovent. 2 Cor. 6: 14. *Ne ducatis jugum cum incredulis.* Intelligitur idololatria & quævis impietas. Emphaticè ἑτεροζυγοῦντες dicitur, hoc est, *alienum jugum trahentes*, quia credentes alienissimi ab hoc jugo esse debent. σύζυγος, *compar, uni jugo unitus, conjux*, quid Phil. 4: 3. significet, in controversiam ab interpretibus ducitur. Quidam uxorem Pauli intelligunt, alii quendam ex Ecclesia illius ministris. Syrus masculina voce utitur:

[b] Matt 11: 29. Tollite jugum meum &c.

[a] Jugum.

[b] Ovis utitur: בר זוגי *fili jugi mei.* Ex quo patet, virum quendam, Pauli collègam, ipsum intelligere.

*Canis*, ob mordacitatem & rabiem, violentum & acerbum hostem metaphoricè denotat. Psal 22 ℣s. 17, 21. Ob vilitatem ejus inter homines, ad extenuandum personam adhibetur, 2 Reg. 8. v. 13. uti & *mortuus canis* 1 Sam. 24. v. 15. 2 Sam. 9: 8. cap. 16: 9. *Et caput canis*, 2 Sam. 3. 8. Cinædum & meritorium impudicum significat, Deut. 23. v. 18. Confer v. 17. Etsi proprie vocem *canis* quidam hîc accipiant, *precium canis à DEO rejici*, dicentes, quòd canis symbolum vilitatis sit, ut [c] Hirci. R. Aben Ezra loquitur. Inde enim & כולב *idiota*, vilis ut canis, Thalmudicis dicitur. Impios præfractè, ingratos & obstinatos denotat [a] Matt. 7: 6. Canes & porci. [a] Matth. 7: 6. ubi *canes cum porcis* conjunguntur (uti & in proverbio illo, 2 Pet. 2: 22.) & filiorum hujus mundi, à regno DEI alienorum, qualitates & acta, his metaphoris emphatice exprimuntur, quòd nimirum 1. instar canum rabiosorum, doctrinam cœlestem, ejusque ministros fidos, allatrant, conviciis proscindunt, penitusque extirpare conantur. 2. Instar suum porcorumque βορβορώδη βίον ἔχουσι, *vitam impuram agunt* (verbo Theophylacti,) & in be- [d] Pascere. luinis voluptatibus, ut sues in cœno, volutantur. Monet igitur Christus, accurate videndum esse, ne blasphemis persecutoribus aut porcis Epicureis, mysteria verbi divini, verbum & Sacramenta, communicentur. Qui autem canum istorum porcorumque exitus & merces sit, patet ex Apoc. 22. ℣s. 15. *Canes muti, qui latrare non possunt.* Es. 56. v. 10. descriptio falsorum doctorum est, qui cùm loqui pro re & tempore debebant, tacent, suoque officio turpiter desunt. Contra verò v. 11 iidem ut *canes robusti & voraces*, ob avaritiam insatiabilem, proponuntur. Phil 3. v. 2. *canes*, dicuntur Pseudoapostoli & falsi doctores, quibus ob id qualitates canum, impudentia, calumnia seu canina mordacitas, & voracitas seu avaritia, commodè attribui possunt. Quidam ita: Tria sunt canum genera, 1. *Catenariorum*, qui catenis alligati, quemvis prætereuntem ignotum allatrant, lapidem in se conjectum impetunt, frusto vicissim panis mitescunt: Sic hæretici sunt Satanæ [e] Tertia animalium classis. captivi, allatrant Scripturam, sibi, quoad verum sensum, planè ignotam, dicta Scripturæ adversus se objecta, impetunt, & suis falsis interpretamentis arrodunt; at vicissim pinguibus ossis præbendarum satisfieri sibi patiuntur. 2. *Venaticorum*, qui feras insectantur & capiunt: Sic hæretici persequuntur orthodoxos. 3. *Rabiosorum*, quorum furorem & rabiem pertinaces hæresiarchæ æmulantur.

[b] *Ovis*, omnium sæpissimè in metaphora adhibetur, uti & allegoriâ, & similitudine expressâ. Cùm verò ubique metaphoricæ hujus locutionis prostet explicatio, igitur brevissimè de ea, hac vice, tractabitur. Fideles & pii *oves* vocantur, & Ecclesia *grex ovium*, Psal. 78: 13. Psal. 100: 3. Esai. 5: 17. Ezech. 36: 38. Joh. 10: 15, 16, 26, 27. cap. 21: 15, 16, 17. Actor. 20. ℣s. 28. Heb. 13. ℣s. 20. 1 Pet. 5. ℣s. 2. Quo pertinent integræ allegoriæ & parabolæ, ab ovium conditione & ductu desumtæ, Psal. 23. Ezech 34. Joh. 10. Quandoque per oppositionem, *oves* significant credentes, [c] *hirci* verò sive *arietes* incredulos, Ezech. 34. ℣s. 16, 17. Matth. 25: 32, 33. *Prioris* ratio, in simplicitate, patientia, puritate, obedientia, fertilitate & utilitate ovium quærenda est. (Referunt quidam B. Martini apophthegma: *Ovis docet nos servare Dominicum præceptum: quia cum habeat duas tunicas, scilicet, corium, & lanam, unam retinet sibi, & aliam dat non habenti scil. lanam homini.* Respicitur ad verba Johannis Baptistæ, Luc. 3. ℣s. 11.) *Posterioris* in petulantia & audacia. Aliàs verò *hirci seu arietes* metaphoricè duces & gubernatores populi significant, Esa. 14: 9. Zach. 10: 3. Confer Jer. 50: 8. [d] *Pascere* (quod ovium gregibus propriè convenit) sæpè ad homines transfertur, ut idem sit, ac *dominari*, gubernare, præesse, si de magistratibus accipiatur: *docere*, & ad normam verbi cœlestis ritè moderari, si de Ecclesiæ ministris. *Prioris* exempla sunt Gen. 49: 24. 2 Sam. 5: 2. 1 Par. 11: 2. Psal. 78: 71. Esa. 44: 28. Jer. 12. v. 10 cap. 23: 1, 2, 4. cap. 50: 6. Zach. 10. ℣s. 3. cap. 11: 3, 8. Apoc. 2: 27. cap. 19: 15. *Posterioris*, Jerem. 17: 16. cap. 3: 15. Joh. 21. ℣s. 15, 16. Actor. 20: 28. Eph. 4: 11. 1 Pet. 5: 2, 3. &c. Unde & in genere *labia justi multos pascere* dicuntur, Prov. 10. ℣s. 21. salutari nimirum institutione & doctrinâ. Quia insuper pecora simul pascuntur, igitur רעה *pascere* quandoque pro *consociari* vel amicum & sodalem esse accipitur, Prov. 13: 20. c. 29: 3. c. 2: 24. quibus locis Chaldæus verbo חבר *associari*, utitur. Inde רֵעֶה & רֵעַ *amicus, socius, familiaris* &c. Succedat his demum [e] tertium animantium genus.

*Serpens* ad figurandum *Diabolum* à DEO Genes. 3. v. 1. adhibetur, quia nimirum in serpente naturali latens, hominem is seduxerat. Et *caput serpentis* summam atque omnem Diabolorum potestatem, regnum, tyrannidem ac virulentiam notat. Vide Grammat. sacram. p. 897. Eadem appellatio, uti & *Draconis*, Apocal. 12. v. 7, 9. cap. 20. v. 2. occurrit. Ex eo est, quòd impii *progenies viperarum* dicuntur,

tur, Matth. 3. v. 7. cap. 12. v. 34. cap. 23. v. 33. Luc. 3. vers. 7. Confer Joh. 8. v. 44. 1 Joh. 3. ℣. 8. Perinde ut *ova aspidum*, ex quibus vipera erumpit, ad figurandam animorum perversitatem & malitiam, metaphoricè adhibentur, Esa. 59: 5. Et *venenum aspidis* sermones putres seu pravos, calumnias, blasphemias, notat, Psal. 140. v. 4. Rom. 3. v. 13. *Serpentes aspides & mordentes*, Jer. 8: 17. Chaldæos significant, hostes Judæorum virulentos & implacabiles, instar aspidum. Job: 20. v. 14, 16. *fel*, *caput*, *lingua aspidum* pro re maximè noxiâ ac mortifera accipitur: uti & Psal. 91: 13. *aspis & basiliscus* pro maximis quibusque periculis. In duobus locis aliis *serpens* diversam ab allatis significationem obtinet. Gen. 49: 17. *serpentis* appellatio & actio, *tribui Danis* attributa, ob quandam similitudinem. Ut enim astu & per insidias hominibus ille nocet: ita his rationibus quoque usos fuisse Danitas testantur historiæ sacræ, ut cùm Lais astu occuparunt, Jud. 18. & Simson astu, nunquam aperto Marte, Philistæis nocuit, Jud. 14. seqq. De Antichristo hîc somniant Pontificii, quem ex tribu Dan oriturum ajunt, & per serpentem modò dictum intelligunt. Sed ex obsoletis Judaicarum traditionum figmentis talia promanarunt, absque Scripturæ fundamento ullo &c. Esai. 14. ℣. 29. per *radicem serpentis*, stirps Usiæ Regis intelligitur, qui Philistæos graviter afflixit, 2 Par. 26 6. Per *viperam* verò Rex Hiskia, qui adhuc graviùs eos afflicturus, & ferè immedicabilibus malis affecturus erat, 2 Reg. cap. 18: 8. Inter duos hosce regnavit Achaz, per cujus ignaviam (DEO impietatem puniente) audaciùs se Philistæi gerebant, & Judæam fine impedimento involabant ac depopulabantur, 2 Paral. 28. ℣. 18. Non verò hoc ampliùs processurum, sed exturbandos eos iterum esse, & gravi strage afficiendos, hîc Propheta denunciat. [a] *Scorpiones* hominum malignorum & perversissimorum notionem habent Ezech. 2. ℣. 6. itemque plagarum atrocissimarum, durissimorumque onerum, 1 Reg. cap. 12: 11, 14. 2 Par. 11. v. 11, 14. [b] *Aranearum* tela conatuum pravorum vanitatem designant, Job. 8: 14. Esai. 59: 5, 6. *Talpæ*, quibus *vespertiliones* adjunguntur, Esai. 2. ℣. 20. spiritualiter cœcos & DEI ignaros notant, cùm *illæ* in caliginoso loco sub terra vivant, *hæ* verò tempore noctis obscuræ volitent & moveantur; q. d. relinquent conversi ad Christum idola sua, quæ coluerunt, obstinatè cœcis ac infidelibus: ipsi verò Domino in cœlesti lumine servient. Alii occultationem, ex contemtu & pudore ortam, hàc metaphorâ intelligunt. Schnepf in comment. h. l. *Sumtum, qui in idola collatus est, venerationemque cum turpi & infami eorundem abjectione comparat. Nam ex auro & argento confecerunt & imagines, & ea etiam coluerunt & collocaverunt locis conspicuis, imò templa sumtuosa ipsis ædificaverunt: Jam autem abjiciunt ea, & quidem in cloacas & foramina talparum. Ante de illis sunt gloriati, nunc erubescunt, si ipsorum mentio fiat, & hoc solùm agunt, ut ea occultent: antè in cœlum ea extulerunt, jam conjiciunt in contemtissimas rimulas: antè inter DEOS numerârant, nunc inter vespertiliones, quo animalculo nihil potest inveniri contemtius, odiosius, abjectius.* [c] *Vermis* tùm rem vilem & contemtam notat, Psalm. 22. ℣. 7. Esai. 41. vers. 14. tùm cruciatus perpetuos, Esai. 66. vers. 24. Judith. 16: 21. Marc. 9. ℣. 44, 46, 48. Propterea quòd vermis in ligno vel animali perpetuò rodit & absumit. [d] *Pulex* demum extenuationis summæ notam obtinet, 1 Sam. 24: 15. c. 26: 20. Confer Flacium in clave Script. col. 986.

[a] Scorpiones. [b] Araneæ. Talpæ. [c] Vermis. [d] Pulex.

Hactenus animantia terrestria fuerunt: [e] *Volatilia & aquatilia*, cùm non ita multæ metaphoræ ab iis desumuntur, brevibus expediri possunt. De avium *alis & volatu* paulò superiùs actum. Eccles. 10. ℣. 20. *fama*, ob celeritatem, *avis* metaphorâ expediri videtur: *Ne in conscientia tua Regi maledicas, & in penetralibus cubilis tui ne maledicas diviti: quia avis cœlorum perferet vocem, & habens alas annunciabit verbum*, hoc est, quia fama malum, quo non aliud velocius ullum, celeriter, instar avis volantis, sermones tuos deferet, & periculum tibi inde creabitur. Quidam ad hyperbolen referunt, ut sit sensus: principes & potentiores sunt auritissimi, vix quicquam fit aut dicitur, quod ipsorum cognitionem fugiat, ut vel ab ipsis avibus celerrimo volatu ad ipsos perferri videatur. Quò Græcorum adagium referri potest: πολλοὶ βασιλέως ὀφθαλμοὶ καὶ πολλὰ ὦτα: *Multi Regis oculi, & multæ aures sunt.* Esai. 8. ℣. 8. de Regis Assyriorum exercitu hostili dicitur: *Et erit extensio alarum ejus, plenitudo latitudinis terræ tuæ, ô Immanuel*, hoc est, erit, ut extendendo alas suas, impleat latitudinem terræ suæ. Ubi Musculus in comment. h. l. dicit, per metaphoram maximæ volucris multitudinem illius exercitus exprimi, quæ tàm sit vasto corpore, & alis amplis ac latis, ut quamvis prædam extensione illâ corripiat & occupet &c. Esai. 46. ℣. 11. *vocare se ab oriente volucrem*, DEUS inquit, hoc est, Cyrum,

[e] Volatilia animalia.

ducem expeditissimum, qui tàm leviter difficultates omnes superaturus sit, quàm si prætervolet. Vox Hebræa, quâ utitur, עיט pro priè *rapacem volucrem* significat; igitur Cyri simul potentia & sævitia innuitur, quam in destruenda Babylone, divino impulsu, exseruit. Jerem. 12. ℣. 9. עיט צבוע *avis digitata* (*unciata*, seu uncis unguibus digitata. Vide Buxtorff. lex. pag. 629. Fullerum lib. 6. miscell. sacr. cap. 19.) *est mea possessio mihi*. Versu antecedente *leoni* populum præfractum comparavit; hìc verò rapaci volucri eundem confert, quæ uncis unguibus tanquam digitis in prædam involat. Plin. lib. 11. natur. hist. cap. 47. Pergit in metaphorâ per Prophetam Deus: *O aves, circumquaque in eam!* Quæ provocatio Chaldæorum est & cæterarum gentium contra Judæos. Et metaphoricè aves, contra digitatam avem: mox verò bestias etiam, contra leonem, de quo vers. 8. provocat. Sequitur enim: *Agite, congregate omnes bestias agri, facite ut veniant ad comedendum.*

b Turtur.

c Columba.

a Garritus avium.

d Crabrones.

e Muscæ & apes.

[a] *Garritus avium* metaphoricè de hominibus in infirmitate gementibus dicitur, Es. 38: 14. ubi species avium, in similitudine adduntur, *grus, hirundo, columba*. Et de Pythonibus seu magis, Esa. 8: 19. in quem locum optima est Junii & Tremellii paraphrasis: *Non sunt isti seductores tantâ facultate præditi, ut aut ore aperto claraque voce enuncient, aut verbis planè explicent, quæ dicenda forent, sicut nos Prophetæ judicia DEI palàm voce quàm maximâ planisque verbis prædicimus; Sed in ventre suo, aut imis faucibus ita pipiunt, ut pulli nondum exclusi suo putamine; aut si quid voce efferunt, ita illud mussitant, ut Sibylla ex tripode: quam eandem rationem Propheta explicat cap. 29. ℣. 4. & historici passim.* Musculus in h. l. *Ecquid aliud vocandi sunt, qui inter missandum sic mussitant & murmurant, ut studio, quæ dicunt, astantes celent; & ejusmodi mussitationi vim occultam tribuunt, quâ panis & vini substantiam in carnem & sanguinem Christi convertant? Ipsa species mussitationum ac gesticulationum, Spiritum refert non Apostolicum & Christianum, sed Pythonicum & magicum &c.*

*Nidus*, domicilium avis, Gen. 6. ℣. 14. in plurali, pro מדורין *habitationibus* (ut Chaldæus vertit) seu *cubiculis* usurpatur, in quibus seorsim singula animalia continebantur, in arca Noæ. Aliâs *habitationes hominum* etiam significat, præsertim in locis præaltis exstructas, sicut quædam aves rapaces in altis rupibus nidificare solent. Job. 29: 18. Numer. 24: 21. Jer. 22. 23. cap. 49: 16. Obad. ℣. 4. Hab. 2: 9. Confer Job. 39: 28.

Ex volatilium speciebus, [b] *Turtur* populum Israëliticum, seu Ecclesiam, notat, Psalm. 74: 19. *Ne tradas catervæ* (isti, de qua ℣. 18.) *vitam turturis tui*, id est, Ecclesiæ & populi tui, qui non colit nisi te, sicut turtur alteri non conjungitur: & quæ in afflictione sua, instar turturis (Esa. 38. ℣. 14.) solitaria gemit, ac ad te suspirat: & quæ inermis, imbellis, simplex & mitis est, instar columbæ, quin instar turturis, qui minimus censetur in columbarum genere, testante Aristotele lib 5. de hist. animal. cap. 13. Chald. vertit: *animam discentium legem tuam.* Habet enim תור *turtur*, convenientiam cum תורה *lex*. [c] *Columbam* etiam Ecclesiam suam Christus vocat Cant. 2: 14. cap. 5: 2. cap. 6. 8. & *oculos ejus columbarum*, cap. 1: 15. cap. 4: 1. Qui metaphorâ simplicitas (Math. 10: 16.) castitas, luciditas, ac cœlestium intuitus desideriumque exprimuntur, uti hæc pulcherrimè declarata habentur in Postilla Salomonæa Dn. D. Gerhardi, Dominic. XV. Trinitatis.

Ex insectis, [d] *crabrones*, divinitùs immissos terrores, notare videntur, quibus hostes populi DEI, tanquam aculeatis crabronibus, fodicabantur, ut loco suo cesserint. Exod. 23: 28. (confer ℣. 27.) Deut. 7: 20. Jos. 24: 12. [e] *Muscæ & apes*, Es. 7: 18. hostes populi Israëlitici dicuntur, ob multitudinem confertam, & velocitatem, qualis in insectis illis est: tùm & lædendi δύναμιν, qualis precipuè in apibus. Cæterùm cùm *muscarum* nomen Ægyptiis tribuatur; *apium* verò Assyriis: Hieronymus in comment. h. l. eleganter explicat metaphoram ita: *Muscas Ægyptios vocat, propter sordes idololatriæ* (conferri posset Eccles. 10. ℣. 1.) *& imbellem populum: & apem Assyrios, quorum illo tempore potentissimum regnum erat, & ad bella promtissimum* (sicut apes quoddam quasi regnum & monarchiam, pulcerrimo suo ordine servato, repræsentant, & viribus, ad bella quasi gerenda, seu nocendum, pollent) *vel ob id, quia omnis propè Assyriorum & Persidis regio usum habebat sagittarum* (quæ aculeis apum assimilantur.) Continuatur metaphora ℣. 19. *Et venient & requiescent omnes ipsi in torrentibus vastitatum, & in scopulis petrarum, & in omnibus frutetis, & in omnibus laudatis arboribus.* Quia hostes semel muscas & apes nominavit, igitur translationem servat & in reliquis, ac si omnia loca insecta illa completura essent. De complemento vaticinii hujus ita Hieron. d. l. *Legamus Regum & Paralipomenon libros, & inveniemus ab Ægyptiis cæsum sanctum regem Josiam, & populum Israël potestati*

*testati Ægyptiæ subjugatum, ita ut Regem illis constitueret: Et post non multum temporis venit Nabuchodonosor, cum innumerabili multitudine bellatorum, captâque Hierusalem & cæteris Judææ urbibus dirutis, incendit templum, & habitatores Assyrios posuit in Judæa.* 2 Reg. 23. & 24. 2 Paral. 25. & 36. &c. [a] *Aculeus insecti*, metaphoricè ad vim mortis denotandam adhibetur 2 Cor. 15. v. 55, 56. Brentius: *Sicut apis, adempto aculeo, minitari quidem potest hombo sunpunctionem, pungere autem non potest: Ita condonato peccato, quod est aculeus mortis, potest quidem mors adhuc terrere, nocere autem non potest.*

[b] *Aquatilia* succedunt, & pisces, à quibus deductum verbum דגה *instar piscium augeri & multiplicari*, significat, Gen. 48:16. nec alibi reperitur. [c] *Piscationis* metaphorâ hostilis direptio & captivatio exprimitur, Amos 4:2. *Tollet vos* (hostis) *aculeis*, seu hamis aculeatis, *& posteritatem vestram*, (liberos, Dan. 11:4.) *hamis piscatoriis*, q. d. vos estis quidem velut vaccæ pingues, vers. 1. sed extrahemini ab hostibus, velut pisciculi minuti, nihil impediente vestrâ pinguedine aut fastu. Eâdem metaphorâ Hab. 1. vers. 15, 16, 17. Chaldæorum Regis avaritia atque arrogantia, cum blasphemiâ conjuncta, figuratur. *Sacrificare plagis ac retibus suis* dicitur, hoc est, sibiipsi, ut terrestri DEO, & potentiæ suæ, omnes victorias adscribere, & sic divinos honores superbissimè arrogare. Eâdem ferè significatione [d] *Piscatoris* vox accipitur Jerem. 16. vers. 16. *Ecce ego missurus sum ad piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos & postmodùm missurus sum ad multos venatores, & venabuntur eos &c.* Ubi commodè monent quidam, per *Piscatores* intelligi Ægyptios, piscationi deditos, Esa. 19. vers. 8, 9, 10. & impletum hoc esse per Pharaonem Necho, qui interfecit Josiam, Joachazum vinctum abduxit & regioni mulctam imposuit, 2 Reg. 23:29. seqq. Per *venatores* verò intelligi Chaldæos sive Babylonios, à Nimrodo, Babylonis conditore, & venatore illo robusto sic appellatos, Genes. 10:9. cujus complementum cap. ultimo, & 2 Reg. 24. & 25. describitur. Præter hæc *piscationis* translatio in bonum etiam est. Dicuntur enim Apostoli *piscatores hominum*, Matth. 4. vers. 19. Marc. 1. vers. 17. Luc. 5. vers. 10. Sumitur autem metaphora à conditione externa vocatorum ad Apostolatum. Explicatio ejus alibi traditur. Confer Ezech. 47. vers. 10: Et vide de hoc loco Postill. prophet. part. 3. p. 141. seqq.

Ex aquatilium speciebus תנין & *Leviathan*, hoc est, *Draco marinus*, balæna, cete, metaphoricè transfertur. [e] Psal. 74:13. *Tu contrivisti in fortitudine tua mare, confregisti capita cetorum in aquis.* v. 14. *Tu conquassasti capita Leviathan seu balenæ.* Per *cetos* (seu *crocodilos*, Ezech. 29. ℣s. 3.) magnates & duces Pharaonis intelliguntur, quorum operam adhibuit ad persequendum populum Israelis. Confer Exod. 15. ℣s. 4. Per *balænam* verò seu *Leviathan* ipsum Pharaonem designat, quem cum integris copiis mare suffocavit. Quod verò sequitur: תתננו *dabis eam, escam, populo, deserta incolenti*; non ad immediatè præcedentia referendum; sed per se sententiam id absolvit, & de Man & conturnicibus, in escam populo datis, loquitur. Nec obstat affixum relativum, in quo idiotismus ille est, de quo in Grammat. sacra. pag. 217. Similis locutio de Pharaonis excisione est Esa. 51. ℣s. 9. Quod autem de *Leviathan*, seu balæna, serpente oblongo & tortuoso dicitur Esa. 27:1. quod quidam de Rege Babyloniæ, robusto instar vectis, astuto instar serpentis, noxio instar Draconis, explicant; id rectè Tremellius ac Junius *de omni sublimitate, quæ adversus DEUM se extollit*, interpretatur. Figuratur enim hâc allegoriâ regnum Diabolicum, ut in Postilla prophet. hoc explicatur, part. 2. pag. 477. seqq. Concludamus διέξοδον de animalibus Chrysostomi verbis homil. 12. in Genes. *Divina Scriptura propter actiones interturbantes, ab irrationalibus, & à feris agnominationes, his, qui ratione insigniti sunt, imponit.* Et post aliquot enumerata Scripturarum exempla: *Insuper & alia affectionibus correspondentia nomina imponit, ut sic vel tandem confusi, ad suam aliquando redeant nobilitatem, & suo generi confœderentur, affectionibusque suis divinas leges præferant, quibus sese delinquendo permiserunt.* Hæc ille de iis, quæ in malum ab animalibus desumta accipiuntur.

[a] Aculeus.
[b] Aquatilia.
[c] Piscatio.
[d] Piscator.
[e] Psal. 74: 13. Capita cetorum, &c.

CAP-

# CAPUT XII.

## DE

# METAPHORIS, QUÆ AB HOMINE ET quæ illum attinent, desumuntur.

IN homine considerari possunt, tùm, *essentialia*, tùm *accidentalia*. Essentialia sunt, *corpus* cum suis membris; & *animæ* unitio, ex qua vita oritur. Accidentalia partim *interna* sunt, ut differentiæ quædam inter homines, & actiones diversimode se habentes: Partim *externa* ut subjecta continentia, & varia adjuncta. De quibus ordine tractabitur.

## *A corpore humano, ejusque membris, deductæ metaphoræ.*

a Ecclesia corpus Christi mysticum.

*Corpus*, σῶμα, crebrò in Nov. Test. de populo Christi, seu [a] Ecclesia dicitur, Rom. 12. ℣s. 5. 1 Cor. 10: 17. cap. 12. ℣s. 13, 27. Eph. 1. ℣s. 23. cap. 2. ℣s. 16. cap. 4. ℣s. 4, 12, 16. cap. 5. ℣s. 23. Coloss. 1. vers. 18, 24. cap. 2. vers. 19. cap. 3. ℣s. 15. Explicatio ac evolutio tropi ex allegatis dictis evidenter erui potest. Concisè loquendo, duplex attendendus hîc respectus: (1.) *ad Christum*, qui Ecclesiæ caput, & cujus corpus Ecclesia dicitur. Sicut caput à corpore vivo non avulsum, sed ei arctè conjunctum est: Sic inter Christum & Ecclesiam, seu credentes, sacra est & mystica unio. Sicut caput totum corpus moderatur, & virtute vitali in illud influit: Ita Christus suam Ecclesiam sapienter dirigit & moderatur, fortiter conservat, vivificat, consilio instruit, æternùm salvat: quæ Eph. 1: 23. cap. 2: 16. cap. 4. ℣s. 16. cap. 5. ℣s. 23. ponuntur. (2.) *Ad Christianos* veros, qui corporis illius membra sunt spiritualia. De iis metaphora *corporis* multa docet monetque, cumprimis hæc tria: 1. De diversis Christianorum, & cumprimis Doctorum verbi cœlestis, donis atque officiis. Ut in uno corpore singula membra habent, quod agant, sibi quasi proprium: Sic diversa in Ecclesia sunt munia atque officia, quibus distinctæ personæ præsunt. Ut ratione præstantiæ, operationes membrorum, & ob eas, ipsa membra, inter se differunt, nec tamen inferius superiori invidet, neque superius inferiora se dispicit: Ita inter veros Christianos ἄφθονος καὶ ἄδολος est consociatio ac conversatio. Quæ Rom. 12. ℣s. 4, 5. 1 Corinth. 12. ℣s. 12. seqq. ponuntur. 2. De vinculo perfectionis, quod charitas est cum suis fructibus virtutibusque. Membra humani corporis naturali quasi amoris instinctu in se invicem feruntur; dolente uno, dolent omnia; benè se habente uno, congaudent reliqua omnia; & mutua sibi invicem officia, pro necessitate, exigente, sponte suâ exhibent, nec unum ab altero se spontè separat: Ita verè credentes se invicem sincerè diligunt, & misericordiâ, συμπαθείᾳ, εὐεργεσίᾳ, & aliis quibuscunque modis, ut viva mystici corporis membra se declarant. Quæ Roman 12. vers. 5. 1 Cor. 12: 21. Eph. 4: 3, 4, 16. ponuntur. 3. De spirituali in fide, agnitione, & pietate accremento, sicut corpus humanum subinde crescit &c. De quo Eph. 4: 13. Col. 2: 19.

*Caput*, in humano corpore, membrorum *primum*, *& supremum*, *& præcipuum* est; igitur tria quoque in metaphora significat. (1.) *Rei initium*, exordium, originem. Gen. 2: 10. Exod. 12: 2. Deut. 20: 9. Esai. 41: 4. cap. 51: 20. Ezech. 10: 11. c. 40: 1. &c. (2.) *Superioritatem* & eminentiam, tùm *quantitatis*, seu loci; tùm *qualitatis*, seu imperii. Summitatem loci, seu *cacumen*, *verticem*, ראש *caput* significat, Gen. 28: 12, 18. cap. 47: 31. Exod. 34: 2. 2 Sam. 15: 32. c. 16: 1. 2 Reg. 1: 9. Psal. 24. vers. 7, 9. Psal. 72: 16. Esai. 2: 2. Amos. 1. vers. 2. *Lapis* ראשה *Capitalis* Zach. 4: 7. summus in ædificio est, cujus positione extrema manus operi imponitur. Superioritatem imperii, atque ita *principem*, *primatem*, ראש *caput* significat. Num. 14: 4. c. 36: 1. Deut. 1: 13. 15. c. 28: 44. Jud. 10: 18. c. 11: 8. 2 Sam. 22: 44. cap. 23: 13. 2 Par. 31: 10. Job. 12: 24. Ps. 18: 44. Psal. 110: 6. Jer. 52: 24. Thren. 1: 5. Eph. 5: 23. 1 Cor. 11: 3. &c. *Caput anguli*, lapis summus angularis est, qui ædificii partes & latera continet ac firmat. Quod de Chri-

sto

sto per aliam metaphoram prædicatur Ps. 118: 22. Matth. 21: 42. Luc. 20: 17. Act. 4: 11. 1 Pet. 2: 7. (3.) *Præcipuum* seu potissimum in re qualibet. Exod. 30: 23. *Aromata capitis*, hoc est, omnium præstantissima. Et vicissim, *capita aromatum* Cant. 4: 14. Ezech. 27: 22. *Caput montium antiquitatis*, Deut. 33: 15. hoc est, præstantissimæ res montium antiquissimorum. *Oleum capitis* Ps. 141: 5. hoc est, præstans. Psal. 119: 160. *Caput verbi tui est veritas*, hoc est, præstantissimum verbum tuum. Esa. 7: 8, 9. *Caput Syriæ Damascus, & caput Ephraim Samaria*, h. est, urbs præcipua metropolis. Ita & præcipuus locus, voce *capitis* innuitur 1 Sam. 9. v. 22. 1 Reg. 21. vers. 9. Specialiter hanc ultimam significationem videre est in numero cujuscunque rei: quod enim Latinis *summa* dicitur, Hebræis ראש *caput* est, hoc est, præcipuum in numeratione. Exod. 30: 12. Num. 1: 2, 49. c. 4. v. 2, 22. cap. 31. v. 25. Psal. 139: 17. Confer Grammat. sacram pag. 656. Sic Lev. 6: 5. *Rependet illud in capite suo, & quintam ejus superaddet* hoc est, in summa vel sorte, unà cum quinta parte. Inde ἀνακεφαλαιοῦν, *in unam summam redigere*, quod eleganter Rom. 13. v. 9. de legis divinæ, in secunda tabula, præceptis dicitur, quorum summa summarum (ut loquuntur) est charitas. Confer Actor. 22. 28. Heb. 8. v. 1. ubi κεφάλαιον (à κεφαλὴ *caput*) summam numeri denotat, in *priori* quidem loco propriè de pecunia acceptum, in *posteriori* metaphoricè de sermone. Exercitus distinctæ turmæ, *capita* dicuntur, quia certo numero disposita emittuntur, Jud. 7. v. 16. cap. 9. vers. 34, 37, 43. 1 Sam. 11. v. 11. cap. 13: 17. Job. 1: 17. Demum libri τμήματα & sectiones certæ, *capita* vocari solent, qui ordine numerati habentur. Quò referri posse videtur, quod pro מגלת *volumine libri*, Ps. 40: 8. κεφαλὶς βιβλίε, *caput seu capitulum libri*, a Heb. 10. v. 7. dicitur. Cunæus lib. 3. de Republ. Hebr. cap. 1. *Nihil aliud κεφαλίδες sunt, nisi ea, quæ Judæi & præsertim Thalmudici*, פרקים *vocant, hoc est, membra & partes librorum. Quare Apostolus, Judæus & ipse, & ad Judæos cum scriberet, percommodè usus est tali voce.* Synecdoche igitur metaphoræ hic conjuncta est, & per κεφαλίδα, totum Scripturæ V. T. (in qua vaticinia & typi de Messia exstant) corpus quasi & volumen intelligitur. Hieron. in comment. Es. 29. *in capitulo libri scriptum est de me (inquit Salvator in Psalmo) non Jeremiæ, non Esaiæ, sed in omni Scripturâ Sanctâ, quæ unus liber appellatur.*

*Facies*, anterior capitis humani pars; aperta atque aspectui prostans: mutationi demum diversæ, pro diversis animi affectibus, obnoxia; ob hæc tria, tribus etiam significatis peculiaribus prædita est. (1.) *Priorem cujuscunque rei partem* denotat. 2 Sam. 10: 9. Jerem. 1: 13. Ezech. 2: 10. Unde vox פָּנִים & פְּנֵי *facies*, cum particulis, creberrimè significat *ante coram, e regione, versus* &c. (2.) in quavis substantia, *superficiem, externamque speciem* denotat, quæ hominibus apparet & cernitur Genes. 1. vers. 2. 1 Sam. 14. vers. 25. 2 Sam. 17. vers. 19. Esa. 14: 21. Luc. 21. v. 35. (3.) *interiorem animum*, denotat, irâ, tristitiâ, lætitiâ, benevolentiâ, magnanimitate, affectum, Genes. 32. vers. 20. 1 Sam. 1: 5, 18. Job. 9: 27. Proverb. 16. vers. 15. cap. 27. vers. 17. Ezech. 3: 8.

*Frons*, faciei pars superior, perinde ad animi affectum interiorem notandum adhibetur. Est enim *frons dura aut robusta*, animi constantia, tàm in malo (ut sit idem ac pertinax contradicendi DEO & peccandi studium) Esa. 48. vers. 4. quàm id bono, ut sit magnanimitas & zelus in cultu divino, adversus impios & rebelles. Quæ significatio, unà cum antecedente, occurrit Ezech. 3. vers. 7, 8, 9. *Frons meretricia*, Jerem. 3. vers. 3 pro summa impudentia & obfirmatione animi in malo, accipitur. Metaphorâ à meretrice deductâ, cujus impudentiæ signum vel in vultu ipso & fronte conspicitur. Unde ad metonymiam signi pro signato, hoc à quibusdam refertur.

*Oculus*, עין visionis organum exterius, per metaphoricam translationem sæpissimè interiorem mentem, judicium aut cognitionem notat, Gen. 16: 4, 5. Deut. 15: 18. 1 Sam. 15. v. 17. cap. 18: 23. 2 Sam. 6: 22. Job. 32: 1. Ps. 15: 4. Prov. 3: 7. cap. 28. 11. cap. 30: 12. Esa. 5: 21. Zach. 8: 6. Matth 6: 22. Joh. 5: 35. Inde *oculus dexter*, pro summa prudentia ponitur Zach. 11: 17. *Oculus malus*, pro maligna & malevola mente, Deut. 15: 19. Prov. 23: 6. cap. 28: 22. Sir. 31: 14. Matth. 20. 15. Marc. 7: 22. *Oculus bonus*, pro mente benevola & benefica, Proverb 22. vers. 9. Sir. 35. vers. 10. In libro Pirke Aboth. *Qui habet oculum malum, & spiritum altum, & animam latam, hic est e discipulis Balaami improbi. Contra qui habet oculum bonum, & spiritum depressum, & animam humilem, hic est ex discipulis Abrahami patris nostri,* Ubi Scholiastes: *Oculus bonus*, inquit, *invidiâ vacat, spiritus depressus cupiditate, anima humilis ambitione.* Insuper *oculus* providentiam, curam, & solicitudinem significat; *sive* in malum, Psal. 10. vers. 8. Psal. 17: 11. (unde verbum עוין *oculis, nocendi causâ, observare*, 1 Sam. 18: 9.) *sive* in bonum Gen 44: 21. Num. 10: 31. Ruth 2: 9. Job. 29: 15. Psal. 10: 6. Proverb. 4 25. cap.

a Heb. 10: 7. in capite libri &c.

21:9. 12. Eccles. 2. v. 14. Experientia, cum conscientiæ acerbo sensu conjuncta, *oculorum apertione* notatur Gen. 3: 7. &c. Spiritualis illuminatio mentis & renovatio cordis, non rarò *oculorum* metaphorâ exprimitur, Psalm. 13:4. Psal. 119: 18. Esa. 32:3. Ephes. 1:18. Cui contraria est, *oculorum obscuratio* seu occlusio, pro spirituali excœcatione, quæ damnationis anteambulo est, Psal. 69:24. Esa. 6: 10. Matth. 13. v. 15. Joh. 12. v. 40. Actor 28. v. 27. Rom. 11. v. 8, 10. Et pro magnis calamitatibus, quæ quasi caliginem menti & judicio obducunt, ut consilii inops, exitum videre seu reperire nequeat, Thren. 5: 17. Conferantur, quæ supra cap. 10. de luce & tenebris dicta sunt. Hactenus de oculo ad interiora humanæ mentis translato. Præter hoc nomen עין *oculus*, & derivatum מעין, *fontem* significat, seu aquarum scaturiginem, ex quâ aqua profluit, ut ex oculo lacrymæ, Genes. 24. vers. 13. cap. 49. v. 22. Exod. 15. v. 27. Psal. 84. v. 7. Psal. 114. v. 8. &c. Vice versâ oculus lacrymans *fons aquarum* dicitur Jerem. 9. vers. 1. Quandoque *oculus* synecdochicè totam faciem notat, & porrò per metaphoram ad cujusque rei superficiem, aut externum aspectum (uti de facie paulò antè dictum) transfertur, Ex. 10. v. 5.

a Lacryma. [a] *Lacryma*, humor ex oculis flentium manans, metaphoricè *mustum & oleum* notat, quia guttatim ad lacrymarum modum destillat, quando uvæ seu olivæ calcantur aut premuntur in torculari, Exod. 22. v. 29. Confer Deut. 7. vers. 13.

b Collyrium. [b] *Collyrium*, oculorum malè habentium medicina, ad spiritualem cœcitatis nostræ nativæ medelam, & illuminationem mentis per cœleste verbum notandam, eleganter transfertur Apocal. 3. vers. 18. Tria de corrupto per peccatum homine vers. 17. dicuntur, quòd *mendicus* sit, & *nudus*, & *cæcus*, adeòque ob tria hæc *miser & miserabilis*. His tria à Salvatore opponuntur vers. 18. quibus mala illa tollantur, & felicitas cœlestis restauretur: *Aurum igne probatum*, quo, mendicitate sublatâ, homo fit dives: *vestimenta candida*, quibus nuditate tectâ, homo preciosè ornatur: *collyrium oculis inungendum*, quo, cœcitate demtâ, homo spirituali visui restituitur. *Primum* opulentiæ cœlestis, seu ipsius vitæ æternæ; *Secundum* meriti CHRISTI fide verâ applicati: *Tertium* verbi salvifici, quo illuminatur homo, symbolum esse, ultro patet.

*Auris*, perinde ut oculus, ad animum transfertur, ejusque attentionem & acceptationem fidelem significat, ad verbum DEI si referatur, Psal. 49. ℣. 5. Psal. 78. ℣. 1. Psal. 45. ℣. 11. Esai. 55. ℣. 3. ubi tamen notandum, exteriorem verbi auditum non tolli, sed præsupponi. Contrà *auris aggravari vel occludi*, obdurationem animi & contumaciam cordis præcipuè notat, Esai. 6. ℣. 10. Matth. 13. ℣. 15. Act. 28. ℣. 27. Rom. 11. ℣. 8. *Pruritus aurium*, 2 Tim. 4: 3. pravum novæ doctrinæ studium designat. Flacius: *Sicut scabie laborantes non possunt conquiescere, sed captant perversam voluptatem ex fricatione, unde porrò sequitur noxius dolor: Sic pravo spiritu laborantes, ac perversâ conscientiâ, mirè desiderant subinde novos impostores, qui aliquâ novitate aures illis demulceant*. Confer Act. 17: 27.

*Nasus & nares*, in Latino sermone vulgari, metaphoras parit non paucas, uti de voce *nasutus & nasutulus*; pro astuto & emunctâ; & ex phrasi *naso suspendere*, pro irridere; *emunctæ naris homo*, pro exactè judicante; *obesæ naris juvenis*, pro stupido; aliisque conspicitur. Galat. 6. ℣. 7. μυκτηρίζειν *naso suspendere*, *subsannare*, *irridere*, usurpatur: & aliàs non occurrit. Alia metaphorâ, Regem suum, Judæi vocant *Spiritum narium suarum*, Thren. 4: 20. hoc est, sub cujus tutela respirabant quasi & reficiebantur &c.

*Os, oris*, in metonymia magis, quam metaphora, usurpatur, ut suo loco dictum: Videtur tamen metaphoricum quid subesse, cùm animum & voluntatem hominis vel notat, vel ipsi sermoni connotat. Gen. 24: 57. *Interrogemus os ejus*, hoc est, quid animi aut voluntatis ipsi sit. Confer 2 Sam. 17: 5. Sic *ore uno pugnare* dicuntur Reges gentium contra Israël, Jos. 9: 2. hoc est, uno animo, consensu summo. *Repleri os risu*, Psal. 126. 2. est animum gaudio perfundi: *Saturare os bono*, Psal. 103: 5. est, magnis beneficiis ac bonis explere. Confer Psalm. 81: 11. *Os alicujus esse*, ejus interpretem esse notat. Exod. 4: 16. Quidam פה exponunt: *Instar oris, quasi os*, כפי, ut Jer. 15: 19. extat. Matth. 15: 11. *Quod egreditur de ore coinquinat hominem*. Metaphoricè de corde, seu voluntate hominis prava, hoc loqui Christum, patet ex ℣. 18. 19. Voce autem hâc utitur, per antanaclasin, cùm *oris* proprii sic dicti mentio præcedat. Vide August. lib. 15. de Trinit. c. 30.

c Efflare. [c] *Efflare* הפיח, metaphoricè *audacter, cum spiritu & confidentia loqui*, notat, tùm mala, seu mendacia & minas, Proverb. 6:19. cap. 14:5. cap. 19: 9. cap. 20: 8. Actor. 9: 1. tùm bona & salutaria, Psal. 12: 6. Prov. 12. ℣. 17. Hab. 2: 3. &c.

d Loqui. [d] *Loqui pedibus suis & docere digitis suis*, homo perversus dicitur Proverb. 6: 13. hoc est, pedes & digitos, gestu ad fallendum componet, utpote dum pede premit

mit pedem alterius hoc gestu ei aliquid significans: dumque digitorum aliquot sublatione certæ rei numerum significat, ex fallaci & subdolo pectore. Præcedit de *oculorum nictu* &c. August. lib. 15. de Trin. c. 10. *Nam & innuere quid est, nisi quodammodò visibiliter dicere? Est in Scripturis S. hujus sententiæ testimonium. Nam in Evangelio secundùm Johannem* (cap. 13:24.) *ita loquitur: Innuit huic Simon Petrus, & dicit ei &c. Ecce innuendo dixit, quod sonando dicere non audebat.*

*Collum seu cervicem pro aliquo supponere*, Rom. 16:4 dicitur, qui promto animo discrimen vitæ pro alterius incolumitate subit. Erasmus in paraph. h. l. *Salutate Priscam, & hujus maritum Aquilam, Pontici generis Judæum, qui mihi, ob Judæorum insidias periclitanti, sunt opitulati, ne prædicatio CHRISTI impediretur studio malorum, adeò ut pro tuenda vita mea, ipsi subierint vitæ discrimen, ceu meum caput suo capite redemturi &c.* Confer Phil. 2:30.

*Humerus*, gestationis organum, si respectu oneris consideretur: afflictionum & tribulationis notionem obtinet. Psal. 21:13. Esai 9. ℣s. 4. cap. 14:25. Item, obœdientiæ DEO præstandæ, quæ & ipsa onus quasi quoddam est. Inde phrasis: *Humero uno DEUM colere*, Zephan 3:9. hoc est, ὁμοθυμαδὸν, summo consensu, à bajulatoribus ductu metaphorâ, qui simul humeros eidem supponunt oneri ferendo. *Ponere humerum deflectentem seu recedentem*, Zachar. 7. ℣s. 11. hoc est, sanctam obœdientiam DEO debitam detractare. *Humero*, scilicet uno, (ut Chaldæus supplet) *mala* etiam *patrari* dicuntur Hos. 6. v. 9. hoc est, consensu summo, unde ibidem חבר *societatis malignantium* fit mentio. Quod significatum quidam etiam Esai. 11:14. *Et involabunt* בכתף *cum humero, Philistæos ad mare.* Chald. *Et consociabuntur humero uno ad delendos Philistæos.* Sequitur: *Simul prædabuntur filios orientis.* Tremellius & Junius. *Mutuas operas præstent, & communes vires uno consensu adhibeant, ad subjugandos & domandos hostes regni spiritualis Christi* &c. Alii verò *humerum* ad ipsos Philistæos referunt, ut *in humerum illorum*, sit idem, ac in medium regionis ipsorum, metaphora ab avibus ductâ, quæ humerum involant, eique insident. Simili ferè ratione *humerus*, de terra Benjaminitis attributâ, usurpatur. Deuter, 33. ℣s. 12. &c, Quæ significatio phraseos sit, *principatum Salvatoris super humerum ejus esse*, [a] Esai. 9. ℣s. 6. inter interpretes quæritur? Chaldæus legis divinæ impletionem intelligit, ita transferens: *Et accepit legem super se, ad custodiendum illam.* Multi inter Patres de cruce Christi intelligunt, conferuntque Esa. 22. ℣s. 22. Simplicissimè videtur de tota officii Christi administratione accipi. Brentius in h. l. *Mundani monarchæ non gestant principatum super humeros suos, rejiciunt onus gubernandi in humeros suorum servorum, consiliariorum, & officialium &c. Christus autem talis est Rex, quòd principatus impositus sit super ipsius solius humeros. Ipse enim solus est, qui regit, conservat & gubernat Ecclesiam suam. Ipse solus est qui expiavit peccatum. Non habuit ullum adjutorem, sicut mundani principes habere solent, &c.*

[a] Esa. 9: 6. Cujus principatus in humero ejus.

*Brachium*, roboris exserendi in homine potissimum instrumentum, pro potentia & auxilio forti accipitur, 1 Sam. 2. ℣s. 31. Job. 22. ℣s. 8. cap. 35. ℣s. 9. cap. 38:15. cap. 40. ℣s. 4. Psal. 44. ℣s 4. Psal. 83. ℣s. 9. Jerem. 17. ℣s. 5. cap. 48. ℣s. 25. Ezech. 30. ℣s. 22. cap. 31. ℣s. 17. cap. 22. ℣s. 6. Zach. 11. ℣s. 17. *Carnem brachii sui devorare*, Esai. 9. ℣s. 20. est propinquos & necessarios suos, à quibus suppetiæ fieri possent, perdere & consumere: quod aliàs dicitur, *in propria sævire viscera.*

*Manus*, brachii extremitas, quâ proximè opera perficiuntur, itidem pro viribus & robore sumitur, Exod. 18. ℣s. 9. Deuter. 32. ℣s. 36. Jos. 8. ℣s. 20. Job. 34. ℣s. 20. Psal. 89. ℣s. 26. Esai. 28. ℣s. 2. Dan. 12:7. Ita in vulgato illo: *An nescis longas regibus esse manus?* Item pro auxilio, ministerio, machinatione, quæ potentiam requirunt, Exod. 23. ℣s. 1. 1 Sam. 22:17 2 Sam. 3. ℣s. 12. cap. 14. ℣s. 19. Huc pertinent, quæ in Grammat. sacra pag. 142. habentur. De phrasi, quâ *DEUS in manu Prophetarum loqui* dicitur, 2 Reg. 17:13. Esai. 20:2. Hag. 1:1. cap. 2. ℣s. 1. quidam non incongruè: *In manu* significat ministerium: Prophetæ namque organa sunt Spiritus Sancti, & dispensatores mysteriorum DEI, quæ quasi per manum expendenda receperunt. Ut si quis dispensaret pecuniam vel thesaurum per alium, diceretur facere in manu illius &c. *Vacillare manus alicujus* dicitur Lev. 25:35. cui vires & nervi rerum agendarum deficiunt, & qui præ egestate rem familiarem administrare ritè nequit, Metaph. à viro morbis confecto desumta, qui manibus ad labores uti non potest. Contra *manus roborare*, est consilio & auxilio sublevare, 1 Sam. 23. ℣s. 16. Job. 4. ℣s. 3. Esai. 35:3. *Terræ* tributa vox *manus*, locum seu spacium certum significat, Deuter. 23. ℣s. 12. Numer. 34. ℣s. 3. 2 Sam. 8. vers. 3. Esai. 56. vers. 5. cap. 57. vers. 9. Jerem. 6. vers. 3. &c. Et latus, latera, Exod. 2. vers. 5. 1 Sam. 2.

verf. 18. cap. 19. verf. 3. 2 Samuel. 14. verf. 30. cap. 15. verf. 2. Job. 1: 14. Pfal. 140: 6. Prov. 8. verf. 3. Et laterales cuftodias (per meton.) 2 Reg. 11: 7, 16. 2 Paral. 23: 15. Et cujufvis rei partes, cardines, fulcra &c. Genef. 43. verf. 33. cap. 47: 24. Exod. 26: 17. 2 Sam. 19: 43. 1 Reg. 10. verf. 19. cap. 7. verf. 32. &c.

*Dorfum feu tergum*, alienationem notat, unde, *poft tergum projicere*, eft negligere, & avertere fe. 1 Reg. 14: 9. Neh. 9: 26. Quandoque oppreffionis & afflictionum fymbolum eft, fi conculcatio attribuatur, Pfal. 129: 3. Efai. 51: ℣f. 27. Rom, 11: 10.

*Lumbi*, quia robur in iis ac virtus corporis eft, Job: 40: 11. pro *robore ipfo* metaphoricè (an metonymicè mavis?) accipitur. Efai. 45: 1. *Et lumbos Regum diffolvam.* LXX. καὶ ἰσχὺν βασιλέων διαῤῥάξω, *& fortitudinem Regum frangam.* Unde *nutatione lumborum*, Pfal. 69: 12. (LXX. Interpp. & Apoftolus Rom. 11. verf. 10. *tergi incurvationem* vertunt) idem fignificatur, potiffimùm verò ad [a] *lumborum cincturam* hâc metaphorâ refpicitur, quæ roboris quafi expeditio, & virium corporis confirmatio eft, ad ftrenuè vel currendum, vel laborandum, etiamque pugnandum. 1 Reg. 18: 46. 2 Reg 3: 21. Pf. 18: 40 Prov. 31: 17. Job. 38: 3. Jer. 1: 16. Ef. 5: 27. &c. Inde ad fpiritualia *cincturæ lumborum* phrafis transfertur. Efai. 11: 5. de fideli alacrique officii Meffiæ expeditione accipitur. Confer Pf. 45: 4 In fidelibus Chrifti membris, vigilantiam Chriftianam, & in confeffione veritatis ac pietate perfeverantiam notat, Luc. 12: 35. 1 Petr. 1. verf. 13. Ephef. 6. verf. 14. in quem locum Hemmingius, *Ut lumbi*, inquit, *in quibus potiffima corporis vires funt, cingulo firmantur, ne inter pugnandum miles labatur; Ita animus veritate DEI firmandus eft, ne diabolus nos dubitantes ac hafitantes faciliùs profternat ac trucidet.*

[a] Lumborum cinctura.

[b] Ezech. 38: 12. umbilicus terræ.

*Umbilicus*, per quem fœtui alimentum fubminiftratur in utero materno, eleganti metaphorâ ad Ecclefiæ filios transfertur, Proverb. 3. verf. 8. *Salutare id erit* (revereri Jehovam, & recedere à malo) *umbilico tuo*, q. d. ut infantibus in utero matrum verfantibus, alimentum fubminiftratur umbilico, ad intimas partes confirmandas: Sic DEI agnitio, reverentia & obfequium, te pafcet educabit & confortabit Spiritu. Sequitur: *Et erit irrigatio offibus tuis*, hoc eft, erit robur tuum, ut medullâ rigantur & confirmantur offa; uti Job. 21: 24. &c. *Pracifionis umbilici neglectus*, Ezech. 16: 4. allegoricè ad gentis Judaicæ primævum ftatum abominabilem miferumque transfertur. Junius & Tremellius in notis: *Hoc inteftinum in fœtu* (umbilicus) *continet omnia vita inftrumenta: venam umbilicalem ad alimoniam: arterias duas ad refpirationem, & οὐραχὸν ad exfudanda fœtus incrementa. Hoc autem inteftinum nifi praciditur, matri & infanti lethale eft; nifi refectum curatur, eft exitiofum partui, quia totum profundit fanguinem, & exhalat Spiritum meatu illo.* Senfus igitur eft: A natura in morte, in fordibus peccatorum, infirmitate & vanitate conftituta eras. Ad res ipfas tranflata *umbilici* vox, *medietatem & prominentiam terra* fignificat, ficut umbilicus hominis fuper tergum jacentis, in media ventris planicie, tanquam punctum in circulo eminet. Jud. 9: 37. *Ecce populus defcendit de umbilico terra*, hoc eft, ex editiore loco terræ, LXX. ἀπὸ κορυφῶν τῶν ὀρείων *de verticibus montium.* Schindler. *Locus erat medius inter urbes, unde poterat quis in hanc vel illam urbem deflectere*, R. Kimchi, *Quemadmodum umbilicus in homine eft medium corporis, fic vocatur medium terra, & locus in eâ eminentior, umbilicus*, [b] Ezech. 38: 12. *per umbilicum terra*, Junius & Tremellius itidem editiorem locum iftius terræ, hoc eft, Judæam montofam intelligunt, cujus edita loca Judæi, fecuritatis ergo, incolebant. Eâdem ratione Chaldæus vertit, על־תוקפא *fuper altitudine terra*, R. Salomon: *Super altitudine & robore terra, ficut umbilicus, qui medium hominis eft, & declivis ab omni latere.* Alii ad medietatem terræ Judeæ, & urbis Jerufalem, hanc appellationem referunt, cum Kimchio. De quo ita Sixt. Amama in Antibarb. Bibl. pag: 798. *Judeam in terra habitabilis, prifcis cognita, quafi corde fitam fuiffe, non abfurdè dictum cenfebit, qui tabulas Geographicas infpexerit. Nam oceanus Indicus ad orientem à Paleftina non minùs diftat, quàm ad occidentem Hifpanicus, Gallicus, Britannicus. Ad aquilonem eft mare glaciale fub ipfo polo arctico. Ad meridiem vaftus oceanus fub antarctico, quo Æthiopia & Africa magna pars cingitur. In medio, quafi in theatro, eft ipfa Judaa, illiufque metropolis Jerofolyma.* Hæc ille, qui idem ad declarandum, Cafaubonum exerc. 16. fect. 83. Hieronymum ad Ezech. 5. Jofephum, lib. 3. belli Judaici, cap. 4. Villalpandum tom. 3. pag. 14. Kimchi ad Ezech. 5. adducit. Non fruftrà hæc adfcripfi, fed fine eo, ut cogitetur, cur in medio illo totius οἰκουμένης Chriftus pati, mori, & refurgere voluerit? nimirum ut totius mundi omniumque hominum redemtorem fe declararet, quò tamen non rectè à quibufdam veteribus, illud Pfal. 74: 12. *DEUS Rex meus eft ab initio, operans falutes in medio terra;* reducitur, uti ibidem Amama demonftrat, pag. 802. feqq. Hoc demum addendum hic,

hîc, medium regionis locum, apud profanos etiam autores, *umbilici* voce denotari. Plinius lib. 3. cap. 12. *Umbilicum Italiæ circa lacum Reatinum esse* ait. Et Cicero 6. in Verr. *Qui locus* (Enna) *quòd in media insula est situs, umbilicus Siciliæ nominatur.* Vossius lib. 4. instit. orat cap. 6. *Medium universæ Peloponnesi vocârunt ὀμφαλὸν, umbilicum, teste Pausaniâ, eodemque modo Ennensium nemus Cicer. 6. in Verr.* & *Diod. Siculo lib. 5. umbilicus Siciliæ vocabatur; ac Delphi dicebantur orbis umbilicus* (Sophoc. in Oed. Tyr. Eurip. in Med. Strabo lib. 9. &c.) *quia nempè nemus illud in meditullio Siciliæ esse credebatur, ac Delphi itidem putabantur esse in medio mundi, haud aliter atque in homine (quem, ne hîc frustrà sis, brachiis sursum porrectis dimetiri convenit) medius est locus umbilicus; quod dum inficias it, nimis se dat ridiculè, doctiss. Varro lib. 6. de L.L.*

*Sinus, gremium,* חֵיק complexus femorum anterior, ab umbilico parùm distans, pro *medio, vel concavitate currus* sumitur 1 Reg. 22: 35. ubi Chaldæus vertit לְגוֹ *ad medium currus.* Ezech. 43. ℣. 13, 14, 17. *sinus* basin seu fundamentum significat, (unde *sinus terræ* ℣. 14. vocatur) ut Chaldæus vertit. Ita autem dicitur, quòd in terræ concavitate, tanquam sinu, poni incipit &c. Deinde quia pars illa corporis occulta habetur, & vestibus, honestatis causâ, tegitur, ad occulta etiam seu interiora hominis transfertur, Job. 19:27. Eccles. 7:10. Sic *in sinu gestare opprobrium populorum*, est ea patienter dissimulare, & abscondere interiori pectore, Psalm. 89:51. *Orationem in sinu reverti*, est jugiter mente teneri atque repeti assiduò, Psal. 35:13. Insuper amoris notionem *sinus* habet, ob conjugalem amplexum, Deut. 13:6. cap. 28:56. Porrò ψυχοδοχεῖον cœleste, & vita æterna, vocatur *sinus Abrahæ*, [a] Luc. 16:22. de quo, præter alios, ita Brentius in comment. [b] *Sinum Abrahæ intelligas, non corporalem quendam & externum hujus seculi locum, sed vel promissionem de Christo ad Abrahamum dictam: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ, vel ipsum Christum, de sinu aut semine Abrahæ natum. Nam in hunc sinum, hoc est, in ipsum Christum, reponuntur omnes pii, qui in Domino obdormiscunt, donec in novissimo die, unà cum corporibus resuscitentur. Actor. 7. vers. 59. Phil. 1. v. 23. Quare cùm Lazarus dicitur ab Angelis in sinum Abrahæ subductus esse, intelligamus, eum summam in Christo felicitatem consecutum, quæ & in novissimo die revelabitur &c.* Abraham ut Pater omnium credentium Rom. 4: ℣. 11, 12. proponitur. Qui igitur vestigiis ejus insistunt, & constanter in fide & pietate, ad finem usque persistunt, eos ad suum illum patrem, ut spirituales ejus filios (solent enim filii tenelli sinu gestari ac foveri, Ruth. 4. ℣. 16. 1 Reg. 17. ℣. 19.) in immortali vitâ, aggregari, Salvator noster indicat. *Sinus* prætereà voce utitur, ut vitæ sempiternæ in cœlis beatissimam conditionem aliquantùm exprimat. In sinu parentum gestari infantes, non nisi στοργὴν, amorem, & benevolentiam intimam experiuntur, & vicissim exhibent: Sic in vita cœlesti merus & purissimus amor est, ex quo gaudium purissimum oritur. In sinu parentum defensio, & quies optima, infantibus conceditur: Sic in vita cœlesti securitas ab omni hoste, & quies tranquillissima est &c. Quidam metaphoram ductam esse dicunt à convivio, in quo alter in alterius sinu, juxta consuetudinem Judæorum, recumbere solebat, Johan. 13. ℣. 23. Perinde ut Math. 8. ℣. 11. Christus ait: *Multi ab oriente & occidente venient, & accumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cœlorum.* Quæ explicatio historiæ vel parabolæ à Christo propositæ, perquàm aptè convenit. Lazarus, qui in hoc seculo, micis de mensa divitis cadentibus, potiri non poterat; cœlestibus nunc potitur reficiturque epulis. Qui ad januam divitis, extrà, jacebat; nunc intra paradisum cœlestem, proximè Abrahamo, in convivio cœlesti, accumbit. Qui ulcerosus erat, & solos canes experiebatur, linctu abstergente, medicos; nunc in sinu & accubitu Abrahamæo suavissimè curatur reficiturque. Quo ferè sensu antithesin, inter divitem in inferno, & Abrahamum in cœlo, Theophylactus in comment. instituit, *epulonem*, inquiens, *cùm in inferno esset, conspexisse Lazarum in sinu Abrahæ, τοῦ φιλοξένου, ut esset ἔλεγχος τῆς μισοξενίας αὐτοῦ.* Tantum de sinu Abrahæ. Tandem cùm *Sinus* per metonymiam *vestem* significet, quâ sinus tegitur, eamque laxam, & rebus excipiendis portandisque accommodam, Proverb. 6:27. cap. 16: 33. igitur metaphoricè, *in sinum dari*, de quavis vel præmiorum, vel pœnarum, retributione accipitur. *Prioris* exempla sunt 2 Sam. 12:8. Luc. 6:38. *Posterioris* Psal. 79:12. Esa. 65. ℣. 6, 7. Jerem, 32. ℣. 18.

[a] Luc. 16. 22.

[b] Sinus Abrahæ

*Genua debilia roborare*, idem est, ac animi mœrore prostratos consolari, & instruendo consulendoque confirmare, Job. 4:4. Esa. 35: 3. Hebr. 12:12. metaphora ab externis periculis ingruentibus subitò desumtâ, in quibus genua cumprimis debilitata & imbecillia, in exterritis hominibus, sentiuntur: ob vires nimirum nervorum & musculorum consternatas, quæ maximè in genibus, ad movendum corporis totius molem, requiruntur. Unde & in de-

descriptione subitanei periculi & terroris panici, *genuum collisio & debilitatio*, ut manifestum signum, exprimi solet, Psalm. 109:24. Ezech. 7:17. Dan. 5:6. Nah. 2:11.

*Pedes*, variis modis, metaphoricè (vel per alium etiam tropum) accipiuntur; potiora quædam hîc enarrabo. 1. Ratione externorum, Hiob dicit cap. 29. v. 15. *se fuisse pedes claudo*, hoc est, quodvis subsidium miseris præstitisse, sicut pedes hominem movent promoventque. Ita ferè & Jacob de Labane dicit, Genes. 30: 30. *ad pedem suum* benedictionem seu multiplicationem pecudum ipsi obtigisse, hoc est, per curam, solicitudinem, conatum & diligentiam suam, q d. durch mein Lauffen und Rennen. Contra *pes superbiæ*, à quo custodiri à DEO, David petit, Psal. 36:12. superborum hostium violentiam notat. *Pedis commotio, nutatio, declinatio*, pericula & calamitates significat, Job. 12:5. Psalm. 38:17 Psal. 116. v. 8. Psal. 140. v. 5, 12: *Pedes offendere ad montes caliginosos*, emphaticè dicitur Jerem. 13. vers. 16. pro, in summas calamitates perferri. Flacius: *Tenebræ res tristes & casus adversos significant: tum porro, si quis etiam in parvum lapidem impingit, non abit illæsus: at hîc impingitur in totum montem: multiplicatur igitur & exaggeratur ingens calamitas. Alii intelligunt de regno Ægypti, in quod Judæi sperabant: quod sicut olim fuit tenebrosum, educente Mose populum, sic & nunc frustratâ spe opis, relinquetur in summis calamitatibus.* Hæc ille. Confer Lutheri glossam marginalem Germanicam. (Quò pertinet phrasis, *impingere*, (pedibus) *in lapidem offensionis*, qui Christus & ejus verbum est: de quo vide Gramm. Sacr. p. 80, 81.) Contrà *pedum à nutatione custodia*, divinæ protectionis, adversus quosvis malignos hostes, symbolum est Psal. 56. 14. Psal. 18: 37. Psal. 91: 12. Psal. 121. v. 3. uti & *pedum in latitudine vel petra, constitutio*, Psal. 31:9. Psal. 40. v. 3. quod angustiis, & lubricitatibus (in quibus lapsus facilis est) periculorum opponitur. Confer Psal. 4: 2. Psal. 18: 34. Psal. 73: 18. *Pedibus subjicere*, est in potestatem tradere seu subigere, Psal. 8: 7. Psal. 18: 40. Thren. 3: 34. Rom. 16: 20. Confer Psalm 110: 1. Matth. 22: 44. &c. *Pedibus conculcare*, est ignominia afficere, & velut hostibus insultare, Psal. 7: 6. Psal. 91: 13. Ezech. 34: 18, 19. Matth. 7: 6. Luc. 10: 19. Hebr. 10. v. 29.
a Claudicatio. *Claudicatio*: quæ pedum læsione fit, calamitatem, afflictionem & pericula significat, Ps. 35: 15. Psal. 38: 18. Jerem. 20: 10. Mich. 4: 6, 7. Zeph. 3: 19. quibus locis posterioribus duobus fœmininum est, צלעה *claudicans*, ut referatur ad subintellectam *ovis* vocem. Flacius. *Est locutio sumta ab ovibus: nam ex illis solent multæ æstate, præsertim in calidioribus illis regionibus, claudicare.* Vel refertur ad populum & Ecclesiam, de qua, ut fœmina Scripturæ sermo sæpius formatur, ut suprà dictum. 2. Ratione internorum & spiritualium, quia vita hominis, & ipsa pietatis exercitatio, comparatur *ambulationi* seu cursui, in via; igitur *pedes* ad animum translati, desiderium & conatum sanctum denotant, sicut exterior cursus & properatio ad locum pedibus peragitur. Psal. 17: 5. Psal. 119: 59, 105. (confer. v. 32.) Prov. 4: 26, 24. Eccl. 4: 17. *Pedes Apostolorum, ut decori* prædicantur Esa. 52: 7. Rom. 10: 15. quod non de externis pedibus intelligendum, sed de interiori & divina, tùm missione tùm παῤῥησίᾳ ac fervore in docendo, sicut pedibus, abitio demandata, propero cursu perficitur. Nah. 2: 1. Quidam etiam sic: Non superbi caballi, sellæ cathedrales, non speciosa pallia, galeri Cardinalitii, & alia preciosa in mundo, commendantur; sed simpliciter pedes, quo quid aliud, quam humilitas Apostolicæ legationis denotatur, & omnes eorum in docendi munere successores, ad eandem virtutem instigantur; 1 Cor. 2: 3, 4. Galat. 4: 13, 14. &c. Huc commodè refertur
b Calceatio pedum. [b] *pedum calceatio, in promtitudine Euangelii pacis*, Ephes. 6: 15. Lossius in explicat. h. l. *Pedes significant ministerium Euangelii, quos calceari oportet, hoc est, muniri ocreis, ut per spinas, sentes & tribulos, h. e. omnia pericula transire possint, docendo & confitendo Evangelium.* Plura vide in Exeg. text. Evang. & Apostol. Dominica 21. Trinitatis. In allegoricâ ornatus populi Dei interioris descriptione, itidem *calceatio*, unà cum *vestitu* præclaro ponitur, Ezech. 16: 10. quo omnis generis ornamenta, divinitus illi populo concessa, denotantur. Demum à pedibus deducto verbo eleganter Paulus utitur, Galat. 2: 14. *Cùm viderem, quod non* ὀρθοποδοῦσι, *recto pede incederent, ad veritatem Euangelii*, hoc est, quòd ad regulam quasi ad mensuram verbi Euangelici (πρὸς enim idipsum notat, ut 2 Cor. 5: 10. & in illo Isocratis, πρὸς τὸ προσῆκον ἑκάστοις, *prout cuique consentaneum est*) vita & acta eorum non essent conformata. Confer Hebr. 12: 13. ubi *luxatio pedum* jam tùm claudorum, eleganter ad negocium religionis ac fidei transfertur: *Orbitas rectas facite pedibus vestris, ne quod claudum est* ἐκτράπῃ *luxetur* (ampliùs) *sanetur verò potiùs.* Junius parall. lib. 3. in explicat. h. l. ἐκτρέπεσθαι accipio pro *luxari, vel diverti à justo acetabulo atque commissurâ ossium*, q. d. ne fortè, si quis jam claudus ex pedum infirmitate, ampliùs

pliùs novo offendiculo periclitetur, ut salutis jacturam faciat. Potest etiam *claudicatio illa cogitationum* conferri, de qua 1 Reg. 18:21. &, ut quidam volunt, Mich. 4:6.

Hactenus *dissimilaria*, uti vocant, humani corporis membra vidimus. Ex *similaribus* pauca metaphoræ circulum ingrediuntur. [a] *Carnis morsus* ad animum transfertur. Job. 13: 14. *Quamobrem aufferrem carnem meam dentibus meis?* hoc est cur meipsum, in desperationem abiens, curis consumerem? sequitur: *Et animam meam ponerem in manibus meis?* hoc est, vitæ & animi omnem curam abjicerem? (confer 1 Sam. 19:5.) Versatur Hiob in προλήψει adversus amicos, quâ docet, non esse, cur de ipso metuant, quasi desperante ac præ desperatione adversus Deum contendente, in suam ipsius perniciem Unde fiduciæ plenam vocem subjicit: *Etiam si occiderit me* (Deus) *tamen sperabo in eum*, hoc est, (ut Tremellius & Junius παραφράζουσι) tantum abest, ut omnem vitæ ac salutis meæ rationem abjecerim, ut potiùs in mortis angustiis fidem in Deum habiturus, rationem vitæ meæ apud eum depositurus, & salutem ab eo constantissimè exspectaturus sim, vero, simplice, & integro animo. Confer Philol. sacram. lib. 1 pag. 6. *Carnem suam comedere*, Eccl. 4:5. eodem fere sensu dicitur, pro *seipsum macerare*, ut Luth. Tom. 3. Jen. Lat. fol. 258. vel *affligere seipsum invidia, & intima sua viscera penitùs exedere*, ut Brentius in comm. explicat. [b] *Sanguis*, per metaphoram (ut Flacius inquit, cl. Script. col. 1083.) significat spiritualem mortem, aut æternum exitium. Ezech. 3, vers. 18. cap. 33. vers. 8. Actor. 18. vers. 6. cap. 20. vers. 26: &c. Proxima significatio tropica, est metonymica, quâ *sanguis* pro cæde & occisione sumitur: quod porrò per metaphoram ad mortem æternam & cruciatus infernales refertur.

## *Ab iis, quæ vitam hominis concernunt, deductæ metaphoræ.*

Corpori & ejus membris congruè succedit *animæ unitio*, ex qua *vita* hominis oritur. *Anima* ipsa metaphoricam notionem non obtinet, præterquam, cùm Deo tribuitur, quod ad ἀνθρωπάθειαν pertinet, & suprà expositum est. [c] *Vita & vivere* per metaphoram accipitur, dum *aquæ viventes*, pro jugiter scaturientibus, fluentibusque usurpantur, Gen. 26: 19. Prov. 10: 11. Jerem. 2: 13. cap. 17: 13. &c. ubi aliâ metaphorâ Deo hæc appellatio tribuitur. Item, dum *tempus vivere* dicitur, & *ædificium vivificari*, de quibus suprà cap. 9. §. 4. Huc pertinet, cùm *Deus opus suum vivificare* dicitur, Heb. 3: 2. hoc est, promissum de populi sui salute ac defensione conservare & implere, etiamsi in pœnis & calamitatibus, ex irâ divina immissis, intermori quasi seu irritum fieri, hominibus afflictissimis videatur. *Vivere & vita*, pro vitæ felicitate, vigore, incolumitate, sæpè accipitur, 1 Reg. 1: 25. Psal. 69: 33. Eccl. 6: 8. de quo videatur Gramm. sacr. pag. 265. *Vivificare* (seipsos ut) *triticum*, credentes dicuntur Hos. 14. ℣s. 8. hoc est, in mediis afflictionibus persecutionibusque, spe in Deum positâ, se quasi animare & ita salvos tutosque conservari. Ubi metaphora seu similitudo à tritico est, quod in terram conjectum, ad tempus mori videtur, Joh. 12: 24. posteà verò non revirescit tantum, sed & multiplicem fert fructum, nihil obstante tempestatum turbinumque variorum rigore.

a Caro.

Vitæ consideranda, *tùm* integritas, quæ præcipuum illud in hac vita bonum est, videlicet *sanitas*, uti & opposita privantia, tàm sanitatis, quâm ipsius vitæ: *tùm* proximum in actionibus vitalibus exercitium. *Sanitas* metaphoricè de doctrina cœlesti, & exinde ortâ salvifica fide, dicitur, 1 Timoth. 1. ℣s. 10. cap. 6. ℣. 3. 2 Timoth. 1. ℣s. 13. cap. 4. ℣s. 3. Tit. 1. v. 9, 13. cap. 2. ℣s. 1, 2, 8. & utriusque *tùm* conditio & qualitas denotatur, quòd perfectè salutis æternæ bona, verbum Dei offert; & fides hominis accipit possidetque, ita ut extraneis additamentis hautquaquam sit opus; *tùm* efficacia & fructus, quòd hominem Spiritu sanum, sospitem, incolumemque præstat & conservat. B. Luth. tom. 1. Jen. Germ. fol. 521. confert Psal. 119: 1. *Beati* תְּמִימֵי *integri vitâ &c.* quod ita transfert & exponit: Selig sind die gantz Gesunden auf dem Weg *&c.* die nichts mehr bedürffen zu deinen Geboten / sind also damit gantz und genugsam fromm. Das Wörtlein gantz gesund / bedeut geistliche Gäntze und Unverletzung / welches *S. Paulus* offt braucht *ad Timotheum & Titum*, da er das gesunde Wort / gesunde Lehre / gesunden Glauben / gesunde Gläubige nennet / das ist / die kein Feil haben / sich nicht flicken mit andern Lehren der Menschen / welche er nennet (1 Tim. 6: (4. Siechen *circa quæstiones &c.* Et v. 80 Laß mein Hertz gantz gesund seyn in deinen Satzungen / das ist / ohne Feil / einfältig / das nicht darff mancherley Menschen-Lehr und Flickwercks. [d] *Curare, medicari, sanare, sanitati restituere*, per metaphoram, liberare ab adversitatibus, & quam-

b Sanguis.

c Vita, Vivere, Vivificare.

d Sanare.

& quamcunque incolumitatem præstare, significat. Exod. 15,26. 2 Paral. 7: 14. cap. 36: 16. Job. 13: 4. Prov. 3: 8. cap. 12: 18. cap. 13: 17. cap. 14: 30. Esa. 3: 7. cap. 58: 8. Jer. 8: 22. c. 30. v. 13. 14, 17. Thren. 2: 13 Hos. 14: 5. Et ad animam porrò translatum, peccati (spiritualis istius morbi, vulneris, plagæ) ablationem remissionemque gratuitam, & alia Messiæ beneficia cœlestia, sæpiùs notat, Psal. 6: 3. Psal. 41: 5. Psal. 147: 3. Esa. 6. v. 10. cap. 19: 21. cap. 30: 26. cap. 53: 5. Jerem. 3: 22. Malach. 4: 2. Matth. 13: 15. (confer Marc. 4: 14.) Johan. 12: 40. Actor. 28: 27. 1 Petr. 2: 24. &c. Cumque curationis hujus & sanationis spiritualis initium sit, morbi malique ostensio ac manifestatio, igitur de administris verbi divini (quorum est, peccata hominum voce divinæ legis indicare & arguere, Es. 58: 1.) eleganter *curandi* verbum usurpatur Jerem. 6: 14. וַיְרַפְּאוּ *& curant contritionem filiæ populi mei.* Additur verò עַל־נְקַלָּה *secundum leviculum*, hoc est, secundum curationem mali leviculi, veluti scilicet afflatu vel palpitatione puerorum leviculi casus curantur: cùm tamen gravissima & planè mortifera sint populi mala, quibus accuratâ reprehensionum divinarum cura opus est.

a Morbi, dolores, vulnera. Sanitati adversantur, in genere, [a] *morbi, dolores, vulnera, plagæ.* In quibus metaphorica translatio est, (1.) ad inanimata, 2 Reg. 3: 19. *& omnem agrum bonum* תַּכְאִבוּ *dolore afficietis lapidibus*, h. e. operietis, corrumpetis. De tota politia & regione, ejus desolationem, &

c Tabes. variàs hostium irruptiones, illataque damna denotat, Deut. 29: 22, 23. Esai. 1: 5, 6. confer ℣s. 7, 8. De quo Esaiæ loco supra quædam dicta. (2.) In ipso homine, tàm ad interna, quàm externa fit translatio. *Prioris* exempla sunt, quibus peccata, ut morbus gravissimus, & plagæ lethales, proponuntur. Ita

d Putredo. אָנוּשׁ *desperatè morbidum* (seu *insanabile*) dicitur, *cor hominis*, Jerem. 17. ℣s. 9. ob congenitum peccatum, & pravam ad omne malum inclinationem. Confer Psal. 38. ℣s. 4, 6, 8, 9. Esa. 53. ℣s. 4. Matth. 9. ℣s. 12: 13. Marc. 2. ℣s. 17. Luc. 5: 31, 32. Νοσῶν *morbidus* (seu *ægrotus*) *circa quæstiones & verborum*

e Pestis. *pugnas*, dicitur 1 Tim. 6: 4. qui corruptus mente & spirituali sensu, à veritate ac simplicitate verbi divini discedit, & non nisi cœcæ rationis dictamen, in fidei mysteriis sequitur: Et opponitur hoc eleganter ei, quod ℣s. 3. de λόγοις ὑγιαίνουσι, *sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi*, dictum erat. *Posterioris* exempla sunt, quibus calamitates quæcunque

f Venenum. & vitæ humanæ adversitates (quæ peccatorum effecta & pœna sunt) morborum, vulnerum, plagarum, similitudine efferuntur. Psal. 77: 11 *& dixi*, חַלּוֹתִי *infirmari meum hoc est, mutare, dextera excelsi.* Ubi חַלּוֹתִי vel à חָלָה est, *ægrotare*, vel à חָלַל *vulnerare*, sensu eodem. Jerem. 10. vers. 19. *Heu mihi, propter contritionem meam, ægerrima est plaga mea* (mimetica formula luctus, in magnis Judæorum calamitatibus) *ego autem dicebam utique* זֶה חֳלִי *hæc infirmitas est, quam perferam*; q. d. putabam priùs, levissimum hoc futurum malum, instar febriculæ cujusdam unde citò liberandus essem &c. Alia exempla sunt Job. 9. ℣. 17. Eccles. 5: 12, 15. cap. 6: 2. Es. 1: 6. cap. 30: 26. Jerem. 15: 8. cap. 30, 12, 14, 15. Thren. 2. ℣s. 13. Hos. 5: 13. Huc referendum, quando *vulnera* inflicta, amaram reprehensionem notant. Prov. 26: 6. Conf. Psal. 141: 5.

b Stigmata. In specie, quæ sanitati adversa sunt, eamque lædunt, metaphoræ notionem subeunt isthæc. [b] *Stigmata* & cicatrices quasi vulnerum, vocat Paulus persecutiones, & quasvis tribulationes, quas propter confessionem Christi, ejusque verbi prædicationem sustinebat Galat. 6: 17. quarum catalogum 1 Cor. 4. 2 Cor. 6. & 11. ponit. Hæc verò stigmata, seu plagarum vibices, opponit externæ circumcisionis carnis cicatrici, de qua frustra gloriabantur, & perversè eam, ut necessariam ad salutem, urgebant pseudoapostoli, de quibus v. 12. seqq. locutus erat. *Cauteriata conscientia* quid sit, 1 Tim. 4: 2. superiùs dictum, in metaphoris ab igne desumtis. [c] *Tabes & macies*, pro calamitatibus, pœnis & mœroribus, accipitur, Esai. 17: 4. c. 24: 6. Ezech. 33: 10. Zeph. 2: 11. De impiis & tyrannis dicitur activè Psal. 73: 8. יָמִיקוּ *tabe afficiunt* (seu tabifici sunt) *& loquuntur malignè oppressionem*, hoc est, facto & sermone aliis sunt exitiosi, quasi eos lentâ tabe consumant. [d] *Putredo ossium* (quam τερηδόνα, *cariem*, hoc est, resolutionem continuitatis in osse, ab erosione factam, & ex humore acuto & acri, in osse putrescente, ipsumque exulcerante ortam, volunt esse) animi dolores & terrores, metaphoricè notat, Prov. 14: 30. Hab 3: 16. Conf. Prov. 12: 4. Aliàs *putrescere*, perire est, Prov. cap. 10: 7. &c. [e] *Pestis* hominem maximè exitiosum denotat, Actor. 24: 5. ubi Paulus istiusmodi pestis, seu pestilens homo, ab adversariis Judæis habetur. Pro *cathedra* autem *pestilentiæ*, in versione Latina vulgata, Psal. 1. vers 1. in Hebræo est, לֵצִים *irrisorum*: quod in LXX. Græca versione itidem est, λοιμῶν, *pestium*, seu pestilentissimorum hominum, quales reverà sunt, quos Psaltes ibi describit ἐμπαῖκται, derisores verbi & judiciorum Dei. [f] *Venenum*,

*venum*, hominem insigniter lædens, imò ut plurimùm necans, Diabolicam doctrinam, uti & malitiam impiorum, notat, quâ & animabus & corporibus, atque famæ hominum, pernicies infertur, Deut. 32:33: Psalm. 58:5. Rom. 3:13. Jacob. 3:8.

Vitæ denique ipsi [a] *mors* opponitur, quæ *vel* naturalis vitæ privatio est, ob animæ à corpore separationem facta: *vel* spiritualis & coelestis vitæ privatio, ob animæ per peccatum à Deo divulsionem. Utraque (maxime tamen posterior) in comminatione & prohibitione Jehovæ, protoplastis factâ, Gen. 2:17. intelligitur, & quidem non per metaphoram, sed propriè. Præter hæc verò *mori* metaphoricè accipitur, cùm [b] *mori peccato* credentes dicuntur, Rom. 6:2, 7, 11. hoc est, ei renunciare, & velut infrugiferi ac otiosi ipsi fieri, sicut mortuus naturaliter, non agit vel operatur. (Aliud autem est, *mortuum esse in delictis ac peccatis*, Eph. 2:1, 5. quæ mors spiritualis, separatio à gratiâ Dei, atque spe vitæ æternæ est, ob peccata non remissa: Quo sensû *mortuorum* etiam vox Matth. 8:22. Joh. cap. 5:25. 1 Tim. 5:6. accipitur.) *Legi se mortuum esse per legem*, Paulus asserit, Gal. 2:19. hoc est, per legis accusationem maledictumque eò adductum, ut fiduciam in lege collocare desierit, adeoque ex ipsa se lege didicisse, quòd vires eam perfecte implendi non habeat, (sicut mortuus non habet vim operandi;) & per consequens nec justificari ex ea possit. Flacius: *Lex ipsa me coegit desperare de legali justitia, & à se abegit, ut aliam justitiam ac vitam seu justificatorem ac Servatorem quæram, si quidem vivere velim.* Conf. Rom. 7:4, 10. & vide Gramm. sacr. p. 283. *Mortuum esse ab elementis mundi*, Col. 2:20. est à Levitico ciborum discrimine, & omnibus omninò Mosaicis ceremoniis (quas *elementa mundi* vocat, q. d. primas pædagogias, per quas Deus priorem mundum, sive populum Vet. Test. informare voluit, Gal. 4:3.) per fidem Christi liberatum esse, earumque observationi planè valedicere, sicut mortuus nil agit Col. 1:3. credentes dicuntur *mortui*, nimirum terrenis & mundo, ex ℣s. 2. (cui etiam *abscondita est vita illa in Deo*, ℣s. 3. conf. 1 Joh. 3:1.) hoc est, mundo & ejus concupiscentiis pravis, ac vesanis voluptatibus abrenunciâsse: vel etiam *mortui*; & quasi nulli perditique, secundùm opinionem hominum, ut Erasm. in paraph. explicat, *Huic mundo* (inquiens) *videmini mortui, quibus nec arridet mundana felicitas, neque curæ sunt ea, quibus mundi cultores commoventur. Proinde non vivitis hîc apud homines, sed tamen cum Christo vivitis apud Deum, etiamsi interim vita vestra abscondita est, juxta judicium mundi &c.*

Præter hæc, quæ hominem concernunt, [c] *mors* etiam metaphoricè tribuitur *semini*, seu frumento in terram conjecto, Joh. 12:24. 1 Cor. 15:36. non ob ejus interitum, cùm vis vivifica potiùs se exerat maximè, quando granum in terra reconditur, ejusque calore & humiditate fovetur; sed ob mutationem, quâ fit radix frugiferi culmi. Utrobique autem hæc vox usurpatur ideò, quòd in *priori* loco de Christi; in *posteriori*, credentium morte, tacitè agatur, ejusque conditio (quòd nimirum resurrectionem & vitam indivulsè sibi comitem habet) illâ grani imagine ac similitudine ostendatur.

Hactenus de vita, ejusque integritate, & privantibus: sequitur de vitæ, in actionibus vitalibus, exercitio. Illud *tùm* in quinque sensuum externorum operationibus consistit; *tùm* in aliis, quæ infrà ponentur. De sensibus statim jam ἐξήγησις succedat.

[a] Mors

[b] Mori peccato, legi &c.

[c] Mors grani seu seminis.

## A sensibus humanis deductæ metaphoræ.

[d] In genere, *αἰσθάνομαι*, *sentio*; *αἴσθησις*, *sensus*; *αἰσθητήριον*, *sentiendi instrumentum*; ad animum transferuntur, quæ metaphora & Latinis frequens est. Luc. 9. ℣s. 45. *Ut non αἴσθωνται, sentirent illud*, hoc est, intelligerent, ut cap. 18:34. exponitur. Phil. 1. 9. *Illud oro, ut charitas vestra adhuc magis ac magis exuberet in agnitione, omnique αἰσθήσει, sensu.* Agnitio hæc est viva fides in Christum. Tit. 1. v. 1, 2. Joh. 17. ℣s. 3. Esa. 53. ℣s. 11. Eam comitatur *αἴσθησις, sensus*, hoc est, experientia interior animæ seu interius Spiritus sancti in corde testimonium, de gratia Dei, & adoptione ad salutem, de quo Rom. 5. 7: 1, 5. c. 8: 16, 17. c. 14: 17. &c. Hebr. 9:14 *Perfectiorum est solidus cibus, nempe horum, qui propter habitum αἰσθητήρια, sensus instrumenta habent exercitata, ad discretionem boni pariter & mali*, hoc est, qui per sedulam verbi divini meditationem, & multiplicem tentationem, ita in fide & pietate fundati sunt, ut spiritualibus spiritualia comparare, & omnia, religionem quæ spectant, ritè dijudicare ex verbo Dei possint, 1 Cor. 2. ℣s. 13, 15. Nunc ad sensus quinque externos, in specie progrediemur.

[d] In genere sensus & sentire.

*Visus seu videre*, (1.) in genere significat *sentire seu experiri*, & in aliquibus, *frui*: à visu, qui acutior reliquis est sensibus, ad sensum in genere & experientiam, metaphorâ translatâ, Exod. 20. v. 18. *videre tonitrua, & lampades, & vocem tubæ*, est percipere ea. Num.

v. 23. Psal. 4. vers. 7. Psal. 16. vers. 10. Psal. 27. vers. 13. Psal. 34. vers. 13. Psal. 49. v. 11. Psal. 60. vers. 5. Psal. 89. vers. 49. Psal. 90. vers. 15. Psal. 91. vers. 16. Psalm. 91. vers. 3. Psal. 128. vers. 6. Eccles. 8. vers. 16.* (ubi *videre somnum*, est experiri illum, seu dormire: quod propriè sic dictæ visioni adversum est, somnus enim visionis actum demit. Idem in phrasi, *videre corruptionem in morte*, planum est, Psal. 16: 10.) cap. 9: 9. Esa. 44: 16. Jer. 17: 8. cap. 43: 14. Thren. 3: 1. Luc. 2. v. 26. (ubi *mortem videre* dicitur, pro experiri eandem, seu mori,) cap. 17: 22. Joh. 8: 51, 56. Apoc. 18: 7. &c. Præsertim in rerum magnarum promissionibus, *videndi* verbum adhibetur, & realis experientia notatur. Esa. 53. vers. 11. *Videbit, saturabitur*, cap. 60: 5. *Tunc videbis & splendebis* cap. 66: 14. *Et videbitis & gaudebit cor vestrum*. Et in pœnæ comminatione Esaiæ 26: 11. *Videbunt, & pudore afficientur &c.* (2.) In specie ad mentem transfertur ac intellectum, & *cognoscere* seu intelligere significat, Gen. 42: 1. Eccles. 1: 16. Jer. 2: 31. Matth. 2: 16. cap. 2: 2, 4. Rom. 7: 23. Apoc. 1: 12. Et *cogitare* seu considerare, Gen. 20: 10. *Quid vidisti, quod fecisti rem istam?* hoc est, quid cogitâsti? Gen. 49: 15. Eccles. 1: 14. Esa. 22: 9. cap. 5: 12. Matth. 6. v. 26. (confer Luc. 12: 14.) Rom. 11: 22. Col. 4: 14. Jac. 1: 25. Transfertur item simul ad voluntatem, & *curare*, *providere*, ac sollicitè conari significat: idque vel in re adipiscenda & efficienda, Gen. 41: 33. Deut. 12. vs. 13. 1 Reg. 10: 3. Psal 64: 6. Esa. 22: 8. Matth. 7: 5. Quò pertinet phrasis illa, *tute videris*, q. d. provide tibi, quantum potes, nihil hoc ad nos, 1 Reg. 12: 16. Matth. 27: 4, 42. Vel in re fugienda & cavenda. Matth. 9: 30. Marc. 12: 38. 1 Cor. 10: 12. Phil. 3: 2. &c. (3.) Specialissimè ad visionem spiritualem transfertur, quæ vel *prophetiæ* est, Num 24: 16, 17. 1 Sam. 9: 9. Esa. 30: 10. &c. Unde חזון *visio*, hoc est, prophetia, 1 Sam. 3: 1. Esa. 1: 1. Ezech. 7: 13. Obad. 1: 1. &c. Estque omnis doctrina per Prophetas divinitùs revelata, ac tàm certa, ac si coram oculis omnia conspexissent. Unde *verbum vidisse se* Esaias ait c. 2: 1. Vel *fidei* in Christum, & fiduciæ in Deo positæ, Mich. 7: 7. Joh. 6: 40. c. 14: 17. c. 9: 39. vide Gramm. sacr. p. 623. De *Angelis* dicitur, *quòd desiderent παρακύψαι*, *prospicere in mysteria Evangelii*. 1 Pet. 1: 12. hoc est, quòd plenam & perfectam eorum notitiam habere discupiant, summeque se iis oblectent: tanta nimirum Evangelii & mysterii salutis majestas est atque jucunditas! Confer D. Waltherum tract. de manna p. 205. Alludi ad Cherubim, qui erant super propitiatorio, Piscator statuit. Fuit enim propitiatorium typus Christi, Rom. 3: 25.

[a] Excœcare de incredulis & impiis.

1.

2.

3.

[b] Albedo.

[c] Rubedo.

Visioni opponitur privativè *cæcitas*. Ea verò doctrinæ salvificæ & veræ fidei carentia, denotatur, Esa. 42: 18, 19. Thren. 4. vers. 14. Matth. 15. v. 14. cap. 23: 16, 24, 26. Joh. 9. v. 39. Rom. 2. v. 19. 2 Pet. 1. v. 9. 1 Joh. 2. v. 11. Apoc. 3. v. 17. Paulò secius, *cæci* dicuntur, Esa. 29. v. 18. Joh. 9. v. 41. qui se cœcos spiritualiter agnoscunt, & ad lumen verum adspirant. Confer Grammat. sacr. p. 280. Verbum [a] *excœcare*, de hominibus incredulis atque impiis usurpatum, ter reperitur, & ex tribus his locis, hominum excœcationis ac damnationis causæ, insigniter patescunt. 1 Joh. 2: 11. dicitur, quòd *tenebræ obcæcaverint oculos improbi*. Hæc proxima & immediata causa est, videlicet corrupta mens & voluntas, voce *tenebrarum* expressa (confer Eph. 4: 18.) 2 Cor. 4: 4. dicitur, *quod Deus hujus seculi excæcaverit sensus incredulorum &c.* Hæc prima omnis mali & damnationis causa est, Diabolus homines seducens & indurans. Tandem Joh. 12: 40. dicitur: *Excæcavit* (Deus) *oculos eorum &c.* In qua ratione Deo, omnis & solius boni fonti tribuatur, vide expositum concisè in Gramm. sacra. p. 299. seqq. Extra salutis negotium, *munera* dicuntur *excæcare videntes*, Exod. 23. v. 8. seu *sapientes*, ut exponitur Deut. 16: 19. hoc est ad corrumpendum jus, & pervertendam justitiam inducere, vel occasionem ejus præbere. Et עִוָּרוֹן *cæcitas*, una cum synonymis quibusdam, maximas omnium calamitates ac pœnas notat, in quibus homines impii, consilii omnis inopes, non inveniunt, quod agant, & quasi furibundi desperant, Deut. 28: 28. Conf. Esa. 8: 21, 22. cap. 59: 9, 10. Zeph. 1: 17.

Visus objectum *colores* sunt. Ex iis, [b] *albedo* puritatis interioris, seu peccatorum remissionis, symbolum est convenientissimum, Psal. 51: 9. Esa. 1: 18. Apoc. 7: 14. metaphora, ut videtur, ex lavatione lineorum deducta, quibus orientales plurimùm usi sunt: illa enim, si contaminata sunt, albedinem aliquo modo amittunt, si verò lavantur, fiunt iterum albissima & mundissima. *Albedo exterior*, quæ illito calce inducitur, hypocriseos nota est, Actor. 23: 3. Confer Matth. 23: 27. Ezech. 13: 10. cap. 22: 28. &c. De *albo calculo*, cujus Apocal. 2: 17. fit mentio, infra tractabitur. [c] *Rubicundus* color peccatis tribuitur Esa. 1: 18. ubi ad *sanguines* respicitur, v. 15. quibus non homicidia solùm metonymicè; sed synecdochice alia etiam enormia peccata intelliguntur. Ut igitur sanguis temere effusus, homicidam fœde contaminat atque reum efficit,

fecit, 1 Regum. 2: 5, 6, 31, 32, 33. Ita peccata non nisi abominabilis coram Deo labes ac contaminatio sunt, vindictæ divinæ & supplicii æterni reos constituens homines. Rubedini isti fœdæ opponitur rubicundus Christi sanguis sanctissimus, pro expiandis hominum peccatis effusus. Is rubedinem fœdam in pulcerrimam sanctitatis imputatæ, & innocentiæ inchoatæ albedinem convertit, Confer. Apoc. 1: 5. cap. 7: 14. &c. a *Nigredinem*, at simul *decorem*, sibi sponsa Christi mystica attribuit, Cant. 1: 5. quorum *illud* peccati & afflictionum; *hoc* verò divinæ gratuitæque regenerationis ac renovationis symbolum est. August. serm. 8. de temp. *Nigra per naturam, formosa per gratiam; nigra originali peccato, formosa Baptismi Sacramento.* Beda in h. l. *Nigra sunt adversitate pressurarum, sed formosa decore virtutum.* Vicissim sponso cœlesti *candorem & ruborem* adscribit, Cant. 5. 10. quo *vel* conjunctim eximiam pulchritudinem sanitatemque (cujus signum nativus ac temperatus ille color est, siehet so schön/ wie Milch und Blut/) denotari volunt; *vel* divisim, *candidus* vocatur ob divinitatem, *rubicundus* ob humanitatem; *candidus* ob puritatem & ἀναμαρτησίαν, *rubicundus* ob effusum sanguinem &c.

*Auditus & audire*, interiorem animi denotat (1.) intelligentiam, & discretionem, Gen. 11: 7. cap. 41: 15. cap. 42: 23. 2 Reg. 18: 26. Esa. 36: 11. Jer. 5: 15. Matth. 15: 13. 1 Cor. 14: 2. &c. (2.) Approbationem, & obœdientiam, Gen 3: 17. cap. 21: 11. Jos. 1: 17, 18. Jud. 2: 17, 20. Deut. 18: 19. 1 Sam. 2: 25. Prov. 4: 1. Es. 33: 15. Matth. 17: 5. Joh. 8: 47. cap. 9: 27. cap. 10: 27. 1 Tim. 4: 16. Conf. Jac. 1: 22. seqq. Hieronym. in prolog. Joel. *Auditus in scripturis sacris non est iste, qui ad aures sonat, sed qui in corde percipitur, juxta illud, quod dominus loquitur, qui habet aures ad audiendum, audiat, Matth. 11: 15. cap. 13: 9. Luc. 8: 8.* Præsertim verò, ubi duo illa verba, שמע & האזין, *audire* & ἐνωτίζειν, seu *auribus percipere*, conjunguntur; non ad simplicem verborum sonum, sed ad reconditam dictorum intelligentiam ea pertinent, unde conjungi videmus, cùm vel obscura, vel maximè notabilis proponitur sententia, Gen. 4: 13. Deut. 32: 1. Job. 33: 1. cap. 34: 16. Psalm. 49: 2. Esa. 1, 2, 10. cap. 28: 23. Jerem. 13. vers. 15. Hos. 5: 1. Joel. 1, 2.

Auditui opponitur *surditas*. Ea verò infidelibus, impiis & obstinatè Deo reluctantibus tribuitur, eò quòd verbum ejus corde non excipiant, eique obœdientiam præstent, Esa. 42. ℣s. 18, 19. Confer cap. 6. ℣s. 10. De iis, qui ab infidelitate & peccatis convertuntur ad Deum, usurpatur Esa. 29. ℣s. 18.

*Olfactum* concernentia quædam, superius suis locis adducta sunt. Jud. 16: 9. *stuppa odorari ignem* dicitur, cùm admovetur ipsi, & vim ejus sentit. Conf. cap. 15. v. 24. August. lib. 7. locut. de judicum lib. *Sicut stuppa cum olfecerit ignem. Metaphora ab animali ad animale: non enim stuppa sensum habet olfactus, sed ita dictum est, ac si diceretur, cum ignem senserit. Quamvis & hoc, quod dixi, senserit, ad eandem metaphoram pertineat, sed ad celeritatem intelligendam pertinet, quod dictum est, olfecerit. Ab odore aquarum, radicem arboris præcisæ, germinare,* Job. 14: 9. dicitur, hoc est dum humorem sibi gratissimum percipit, quo perinde reficitur, ut homo suaveolente odore. Job. 39: 25. *equum ex longinquo olfacere bellum* dicitur, hoc est, sentire. באש *fœtere, & fœtidum efficere*, de mala fama, displicentia & odio accipitur, Gen. 34: 30. Exod. 5: 21. 1 Sam. 13: 4. 2 Sam. 10: 6. cap. 16: 21. Dan. 6: 14. a Nigredo.

*Gustare* pro intelligere, experiri, frui, sumitur, Psal. 34: 9. Prov. 31: 18. Matth. 16: 18. Joh. 8: 52. Heb. 6: 45. 1 Petr. 2: 3. Unde & nomen טעם *gustus*, ad mentem translatum, consilium, sententiam, rationem notat, 1 Sam. 21: 13. cap. 25: 33. Psal. 119: 66. Prov. 11. ℣s. 22. Job 12: 20. Dan. 3: 10, 12. Jon. 3: 7. In specie b *dulcescere*, pro delectare & valdè placere, metaphorâ satis cognitâ, Job. 20: 12. b Dulcedo. Ps. 55: 15. (ubi *dulce efficere secretum*, est gratum seu delectabile consilium inire.) Proverb. 3: 24. cap. 9: 17. (ubi metaphorâ *aquarum furtivarum, quæ dulces sunt, & panis absconditi, qui benè sapit*, consuetudo cum adultera exprimitur.) Cantic. 2: 3, 14. cap. 5: 16. Jer. 31: 26. &c. Verba sapientiæ cœlestis dicuntur *grata esse gutturi*, Prov. 3: 22. hoc est, alimenta vitæ æternæ suavissima, metaphorâ à gustu hominis sumtâ. Quo sensu cum *melle*, quandoque confertur verbum cœleste, & suavitate illi præponitur, Ps. 19: 11. Ps. 119: 103. c Amaricies.
Contrà c *amarum esse, amarescere*, est tristitiâ affici, & calamitatibus obrui, sicut ingrata sunt gustui amara, Gen. 26. v. 35. Exod. 1: 14. Ruth 1: 29. 1 Sam. 30: 6. cap. 1: 10. 2 Reg. 4: 17. Job. 13: 26. cap. 21: 25. Prov. 17. 25. Esa. 38: 17. Thren. 3: 15. Ezech. 3: 14. Zach. 12: 10 &c. (atque ita etiam, *amarescere schechar seu potum*, metaphoricè calamitates magnas notat, Esa. 24: 9.) Item malum noxiumque esse, Prov. 5: 4 Jerem. 2: 19. unde idolis, quæ cultoribus suis maximo sunt incommodo, tribuitur Hos. 12: 15. In specie iram, animi acerbitatem, & crudelitatem, *amaricies* denotat, Genes. 49: 23. Jud. 18. vers. 25. 2 Sam. 17. vers. 8. Habac. 1: 6. Ephes. 4: 31. Coloss. 3: 19.

3:19. & exinde ortam calumniandi libidinem, Rom. 3: 14. Jac. 3. vers. 14. conf. vers. 8: 9, 10, 11. Peccatum in genere notat, Actor. 8. 23. Rom. 3: 14. Heb. 12: 15. uti & specialis vox, *absinthium & cituta*, herbæ amaræ, de quibus suprà dictum. Πικρῶς, *amarè*, de fletu usurpatum, vehementiam ejus denotat, Matth. 26. ℣s. 75. Luc. 22: 61.

*Tactus* objectum est *durum & molle*. *Durities* dicitur (1.) *de hominibus*, & partim in genere, mentis pravitatem & pertinaciam denotat, Exod. 7: 3. cap. 13: 15. Deut. 2: 30. cap. 13: 16. Prov. 28: 15. Esai. 48: 4. cap. 63. 17. Ezech. 2: 3. Matth. 19: 8. Marc. 10: 5. Actor. 19: 9. Rom. 2: 5. cap. 9: 18. Hebr. 3: 8, 13, 15. cap. 4: 7. De *cervice dura*. idem hoc denotante, suprà dictum. Cui σκληροτράχηλος Act. 7: 51. respondet. Partim in specie, crudelitatem, sævitiem, & immisericordiam, Genes. 49: 7. Jud. 4: 24. 1 Sam. 5: 7. Esa. 8: 22. cap. 19: 4. Matth. 25: 24. Partim demum afflictiones & tristitiam, 1 Sam. 1: 15. Job. 30: 25. Psal. 60: 5. &c. (2.) *De rebus*, & earum perplexitas, difficultas & gravitas innuitur, Gen. 35: 16, 17. Deut. 1: 17. c. 15: 18. 2 Sam. 2: 17. Actor. 9: 5. Jac. 3: 4. ubi *de sævis ventis* usurpatur. (3.) *De sermone* & verbis, & eorum denotatur tùm *acerbitas*, Genes. 42: 7. 2 Sam. 19: 43. Psal. 31: 19. tùm *difficultas*, 2 Reg. 2: 10, Joh 6: 60. *Durus* etiam dicitur, qui mala & adversa denuntiat ac prædicit, 1 Reg. 14: 6. Contra ª *mollities* usurpatur (1.) de corde hominis, & consternationem ejus ac timorem notat, Deut. 20: 3. Job. 23: 16. Jerem. 51: 46. Esa. 7: 4. Tùm & contritionem ac pœnitentiam, 2 Reg. 22: 19. Confer Ezech. 36: 26. De *mollitie* prava, quæ 1 Cor. 6: 9. ponitur, ita Flacius: *Negat Paulus molles intraturos in regnum cælorum, intelligens impuros Cynædos, qui sese modis omnibus effœminabant, & molliculi esse studebant, ut tantò magis irritarent aliorum Sodomitarum in se libidinem, ut & impuræ mulierculæ solent.* (2.) De sermone, tùm *in malum*, ut assentatoria blanditiesdenotetur, Psalm. 5: 10. Psalm. 12. vers. 4. Psalm. 55. vers. 22. Prov. 2. vers. 16. cap. 7: 5. cap. 26. vers. 29. cap. 28. vers. 23. cap. 29. vers. 5. quibus locis חלק *mollem, levem, blandum esse*, usurpatur. Tùm *in bonum*, ut lenitas cum prudentia conjuncta notetur, Proverb. 15. vers. 1. cap. 25. v. 15. ubi רך *mollis*, usurpatur. Indifferenter eadem vox de sermone blando usurpatur Job. 40. v. 22.

ª Mollities.

ᵇ Somnus.

Sensuum cessatio ᵇ *SOMNUS* est, seu *dormitio*. Eâ verò significatur (1.) *Securitas*, tùm bona, quæ fidei est, in Deo recumbentis, Psal. 3: 6. Psal. 127: 2. Ezech. 34: 25. (Chald. *inveterascendi* significatum h. l. in verbo ישן ponit, quem Schindlerus sequitur: sed *dormiendi* significatio textui magis convenit;) tùm mala, quæ infidelitatis est, Rom. 13: 11. Eph. 5: 14. 1 Thess. 5: 6, 7. Membra comparationis, in evoluta hac metaphora, vide in Exeg. text. Euangel. & Epist. part. 1. pag. 90. Pulcrè de hoc animæ somno (ut & naturali) agit Augustin. in Psa. 62. tom. 8. col. 635. Hùc pertinet *spiritus soporis*, Esa. 29: 10. quo animorum induratio in malum, & in reprobum sensum traditio, ex justissimo Dei judicio facta innuitur. (2.) *ignavia*, tarditas, cessatio, sicut somnolenti desides esse solent, & ad agendum inutiles, Prov. 6: 9, 10. cap. 10: 5. cap. 24: 33. Esa. 56: 10. Nah. 3: 18. Et in sermone negante, Es. 5: 12. 2 Petr. 2, 3. (3.) *Mors & interitus*, Job. 3. ℣s. 13. cap. 14: 12. (ubi quod de resurrectionis ἀδυναμίᾳ dicitur, de hac vita mortali intelligendum est. confer cap. 16: 22.) Psal. 13: ℣s. 4. Psal. 76: 7. Jerem. 51: 39. Dan. 12: 2. Hac significatione שכב *cubare, occumbere*, sæpius usurpatur, 1 Reg 2: 10. cap. 11. vers. 43. cap. 40: 20. cap. 14: 31. cap. 15: 8. cap. 16. vers. 6, 28. Esa. 14: 8. Ita & apud profanos, *mortis imago somnus* dicitur; & apud Homerum, *Somnus & mors gemini*, apud Hesiodum *somni frater mors* dicitur. Specialiùs & ratione peculiari credentes dicuntur *dormire*, quando morti corporali traduntur, Matth. 27: 52. Joh. 11: 11, 13. Actor. 7: 60. cap. 31: 36. 1 Cor. 15. vers. 18, 20, 51. 1 Thess. 4. vers. 13: 14, 15. Rationes expositas vide alibi. Summatim, ad beatam tùm animarum in manu Dei, tùm corporum in sepulcris, requiem, Esa. 57. vers. 1, 2. Sap. 3. vers. 1. & ad spem resurrectionis futuræ, Actor. 2. vers. 26. Apocal. 14. vers. 15. respiciendum. Utriusque imago quædam in somno est, in quo à labore quies, & recollectis viribus, evigilationis spes est &c. Non tamen diffitendum, verbum istud κοιμᾶσθαι generaliter, de quavis morte, usurpari, 1 Cor. 7: 39. cap. 11. vers. 30. cap. 15: 6. uti & exempla ex Vet. Testam. producta ostendunt.

ᶜ Vigilia.

Somno opponitur ᶜ *evigilatio & vigilia*, igitur opposita hujus in significatione, respectu somni, est ratio. (1.) Ut *somnus* securitatem carnis & peccatorum denotat; ita *vigilia* veram pœnitentiam, & pietatis studium serium, Matth. 24. vers. 42. cap. 25. vers. 13. Marc. 13. vers. 35, 37. Luc. 21: 36. 1 Cor. 16. v. 13. Rom. 13. vers. 11. 1 Cor. 15: 34. Ephes. 5. vers. 14. cap. 6. v. 18. Col. 4. v. 2. 1 Thess. 5. vers. 6, 10. 1 Petr. 5: 8. Apoc. 3. vers. 2, 3. cap. 16. vers. 15. &c. Quæ comparationis, inter vigiliam externam, & vigilantiam spiritualem, sint membra, vide medit. Epist. d. l.

(2.)

(2.) Ut *somnus* ignaviam & desidiam notat, ita *vigilia* alacritatem, diligentiam, prudentiam, in officio rite obeundo, Psal. 127: 1. Actor. 20. vers. 31. Hebr. 13. vers. 17. (3.) Ut *somnus* mortem, ita *vigilia* vitam significat: utrumque conjungitur 1 Thess. 5: 10. Confer Rom. 14. vers. 8.

## *A vario hominum discrimine deductae metaphorae.*

Desumi differentia in hominibus potest, 1. *à sexu*, 2. *ab aetate*, 3. *à relatione*, 4. *à gente & familia.* Etsi autem quaedam horum ad adjunctorum censum pertinent, tamen commodioris ordinis causâ placet ea hic proponere.

1. Ad *sexus* discrimen pertinent *Vir & mulier.* a *Vir*, איש metaphoricè virili animo praeditum, strenuum, magnanimum, eximium, significat. 1 Sam. 26: 15. in ironia Davidis: *Nonne vir es tu*, hoc est, strenuè scilicet te gessisti. Bist du nicht ein tapffer Mann? Jerem. 5: 1. *Quarite in plateis ejus* (Jerusalem) *an inveniatis virum*, nimirum sapientem & coram Deo eximium, unde subjicitur: *An sit faciens judicium, quaerens fidem &c.* Chald. *Virum, qui sunt bona opera.* 1 Reg. 2: 2. *Fortis esto, & sis* לְאִישׁ *in virum, sive vir*, hoc est, pium, prudentem & fortem te gerito, uti v. 3. explicatio subjicitur. Psal. 49: 3. *Et filii hominis, & fili* איש *viri*, hoc est, plebei & magnates. Ita & Ps. 4: 3. Esa. 2. v. 9. Prov. 8. v. *Viro* אדם *homo* opponitur, quae vox vilitatis, fragilitatis & contemtus notionem quandoque obtinet, Psal. 118. v. 6. Psal. 144: 3. Ps. 82. v. 7. 1 Cor. 3. v. 21. cap. 7: 23. &c. De aliis vocis איש significatis (quorum aliqua huc pertinere videntur) vide Gramm. sacr. p. 122. seqq. In N. Test. ἀνδρίζεσθαι *viriliter agere*, 1 Cor. 16: 13. idem est, ac in pugna spirituali, adversus Satanam, mundum & carnem, virtute Spiritus, per fidem se fortiter gerere, quod & synonyma ibidem addita sibi volunt, *vigilare*, *in fide stare*, *fortificari.*

b *Mulier* contrà meticulosum, infirmum, & ignavum hominis animum exprimit, Esa. 3. v. 12. Jerem. 51. v. 30. Nah. 3. v. 13. Confer Jerem. 48. v. 41. Esa. 19: 16. Sic & in aliis linguis, imbelles & ignavi dicuntur *foeminae & effoeminati.* Homerus Illiad. 2. & 7. timidos Graecorum milites, Ἀχαΐδας, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοὺς, *Achivas non ampliùs Achivos*, nominat. Et Virgilius: *O verè Phrygiae, neque enim Phryges*, citatur & ex Naevio: *Vos viri animos geritis muliebres: illa virgo viri &c.* c *Virginis* nomine & icone, credentium Ecclesia proponitur 2 Cor. 11: 2. ubi de spirituali desponsatione Christi & Ecclesiae agitur. Confer Hos. 2. 19. Alludi autem hac metaphorâ ad legalem typum Pontificis Maximi, qui nullam, nisi virginem, uxorem ducere poterat, Levit. 21. v. 14. quidam non incongruè existimant. Dicuntur & salvandi pii, *virgines*, Cant. 1. vers. 3. Zach. 9. vers. 17. Apoc. 14. vers. 4. eorumque interior puritas, tàm in doctrina & cultu divino, quàm in vita & moribus, denotatur; Cui spiritualis scortatio & adulterium opponitur, Jer. 3: 1.

2. *Aetas* hominis, quae discrimen aliquod suppeditat, est *infantia*, *juventus*, *virilis aetas*, *senectus.* d *Infans lactensque*, *& puer*, metaphoricè denotat (1.) veros credentes, ob simplicitatem fidei, verbo Dei adhaerentis, ejusque ductum in religione & vita unicè sequentis, Psal. 8: 3. Matth. 11: 25. Luc. 10: 11. Confer Matth. 18: 3, 4. 1 Cor. 14: 20. 1 Pet. 2: 1, 2 &c. (2.) Rudes in doctrina fidei, & primis ejusdem rudimentis imbuendos, Rom. 2: 20. 1 Cor. 3: 1, 2. Confer Hebr. 5: 12, 13, 14. Conforme significationi huic est, quòd Ecclesiae Isaeliticae credentes in V. Test. νήπιοι *infantes seu parvuli*, dicuntur Gal. 4: 3. quo de vide Exeg. text. Euang. & Epist. part. 1. p. 720, 729. (3.) Stolidos, cognitione veritatis destitutos, impiosque, Esa. 28: 9. cap. 65: 20. (vide annotat. Lutheri marginalem, Flacium in Clave, col. 984. voce *Puer*) Eph. 4: 14. &c. Infantum est e ubera matris vel nutricis sugere, ad corporum alimoniam, Quod metaphoricè ad Ecclesiam Christi primitivam, inter gentes collectam, & earum liberalitate fotam conservatamque, transfertur, Esa. 49: 23. cap. 60. v. 16. Confer quoddam complementum 2 Cor. 8: 1, 2, 3, 4. Simili allegoriâ, dulcissima Euangelii consolatio, quam in Ecclesia ex verbo Christi hauriunt credentes, *lactationi* infantum confertur Esa. 66: 11, 12. Ipsam vocem יונק, *lactens*, quod attinet, metaphoricè ea quoque *surculum* notat, seu ramum tenerum, qui succum, quasi arboris sugit, eoque alitur, fovetur & crescit, Job. 8: 16. cap. 14: 7. cap. 15: 30. Psalm. 80: 12. Ezech. 17: 4. 22. Hos. 14: 7. *Puer*, *parvulus*, נער קטן principibus & magistratibus tributum, fatuitatem, & judicii, solertiae, prudentiaeque carentiam importat, Eccl. 10: 16. (confer v. 17.) Esa. 3: 4. 13. Aliàs עוללים *racemos* etiam, seu parvos botros, metaphoricè notat, qui perfectâ vindemiâ remanent in vitibus, & post palmites latent, infantibus similes, Esa. 17: 6. cap. 24: 13. &c. A נער est נעורים *pueritia*, quae vox, si de populo dicatur, per metaphoram tem-

d Infans lactens, puer.

a Vir.

e Lactatio infantum.

b Mulier.

c Virgo.

tempora priora & antiquiora designat; sicuti *a* pueritia prior est adolescentiâ & senectute. Jerem. 3:4. *Dux* נְעֻרַי *pueritiæ meæ tu es.* Intelligitur tempus egressionis ex Ægypto, ubi à Deo & de Deo, pueri instar, populus Israel fuit informatus. Confer Hos. 2:15. cap. 11:1. Ezech. 23:19. *Pueritiæ* seu adolescentiæ nomine, spiritualeetiam robur ac firmitas in credentibus exprimitur, Psal. 103:5. *Renovas te* (h. est, novum, vegetumque servas, nimirum Dei confirmantis beneficio) *ut aquila, adolescentiâ tuâ.* Tremellius: *Hac firma piorum constitutio, cum vegeta aquilarum senectute comparatur, quæ à natura sunt vivacissima, & amplius adhuc victura essent* (*adeò vegeto sunt corpore*) *nisi superius rostrum illarum aduncum senio succrescens, curvitate suâ rostrum inferiùs constringeret: unde fit, ut aquilæ conficiantur inediâ, vide. Aristotelem lib. 9. de histor. animal. cap. 32; & Plinium lib. 10. cap. 3.* Confer Psal. 110:3. Psal. 92:15. Esa. 40:31. Quod autem de significatione verbi תִּתְחַדֵּשׁ *renovas te*, fuit dictum, ejus exempla similia habentur in Grammatica sacra pag. 236. canone illo: *Verba inchoativa completivè sunt intelligenda.* *b* *Virilis ætatis* accrementum Ephes. 4:13 perfectionem sapientiæ & cognitionis, qualis quidem in hac vita imperfecta, ex verbo divino haberi potest, in credentibus denotat: eique *pueritia* v. 14. opponitur, hoc est, instabilium & fluctuantium in fide inscitia stoliditasque. *c* *Senectus* demum, quandoque sapientiæ notionem habet, unde זְקֵנִים *seniores*, consiliarii vel senatores sunt, in quibus non semper ætas, sed prudentia respicitur, 2 Reg. 10:1. &c. Unde & *presbyteri* seu seniores nomen in Ecclesia, 1 Tim. 5:1, 17, 19. Tit. 1:5. Hebr 11:2. Jacob. 5:14. 1 Petr. 5:1. cap. 5:5. Chaldæus interpres hac significatione זְקוּנִים *senectutem*, etiam accipit Genes. 37. v. 3. *Quia* (Joseph) *filius senectutis erat ipsi* (Jacobo) hoc est, ut ille transfert, חַכִּים *sapiens*, senili sapientiâ præditus.

*a* Pueritia.

*e* Exod. 4:25. Sponsus sanguinum.

*b* Virilis ætas.

*c* Senectus.

*e* Maritus.

*f* Viduitas.

3. *Relationes*, quæ metaphorarum fontes exhibent, in hominibus sunt istæ; *Sponsus & sponsa: Maritus & uxor*, ejusque oppositum, *vidua: Pater, mater, & filius: Frater, soror: Dominus & servus: Præceptor & discipulus.* *d* *Sponsi & sponsæ* usitatâ, at omnium jucundissimâ metaphora, unio spiritualis inter Christum & Ecclesiam piamque animam, exprimitur Hos. 2:19, 20. Matth. 22:2. seqq. Joh. 3:29. 2 Cor. 11. ℣s. 3. Apoc. 21: 2, 9, 10. &c.
1. Bernhardus serm. 7. in Cant. *Non sunt inventa æquè dulcia nomina, quibus Verbi & animæ dulces ad invicem exprimerentur affectus, quemadmodum sponsus & sponsa.*
2. Quò pertinet Canticum Salomonis, ab Hieronymo in Epist. ad Paulin. *epithalamium spiritualium nuptiarum*, rectè vocatum. Sed hujus metaphoræ evolutio plenior, in Theologorum scriptis dogmaticis ubique prostat. *Sponsum* metaphoricè dici puerum recens circumcisum, quidam afferunt, quia tùm primum populo Dei conjungitur, & Deo quasi desponsatur. *e* Exod. 4:25. *Et dixit Zippora: Sponsus sanguinum es mihi.* Chald. *Per sanguinem circumcisionis istum datus est sponsus nobis*, id est, tu primus es mihi, cui hoc modo effusus est sanguis. Ita Schindlerus col. 677. προσφώνησιν Zipporæ ad puerum circumcisum referens, cum Hebræis quibusdam. Sed rectiùs, ut ad ipsum Mosen directa, ea accipitur, ut sensus sit; quasi sponsum de novo acquirere te & coëmere nunc cogor, profusione sanguinis filii mei in circumcisione. Conferri possunt, quoad ritum veterem, in mariti vel uxoris coëmtione quasi, seu interveniente precio quodam conjunctione, 1 Sam. 18:25. 2 Sam. 3:14 Hos. 3:2. &c. Aliis scripturæ locis, appellationis *sponsi* metaphoricæ, quam Schindlerus ponit, nullum comparet indicium. Nec verisimile, Zipporam, mulierem exteram, de circumcisione (cujus dilationis ipsa, dubio procul, causa exstitit) tam præclare sensisse & fuisse locutam. Tantum de hoc. *A mariti & uxoris* nominibus, metaphoræ ducuntur haut multæ *e* *Maritum* בֹּעֲלַיִךְ Ecclesiæ se vocat Deus Esai. 54:5. & quidem in plurali numero בֹּעֲלַיִךְ עֹשַׂיִךְ *mariti seu conjuges tui factores tui*: ad innuendum SS. Triados mysterium. Unde & בְּעוּלָה *maritata*, terra Zionis, hoc est, Ecclesia dicitur, Esai. 62:4. &c. *f* *Viduitas* populo vel urbi tribuitur, ad denotandum ejus desolationem, Esa. 47:8, 9. Apocal. 18. ℣s. 7. Ecclesiæ tributa, afflictiones denotat. Esai. 54. vers. 4. ubi sensus est, quòd nova felicitas, tempore Messiæ futura, omnia mala præterita sit sanatura, & calamitatum priorum oblivionem inductura. Contra Israelem & Judam negat Jehova à se אַלְמָן *viduatum esse*, Jeremiæ 51:5. quo significatur, non desertum esse omnimodò, etiamsi afflictionum tempore visus sit Deus, tanquam maritus, ab eo discessisse.

*d* Sponsus & sponsa.

*g* Pater.

*g* *Pater*, אָב ob diversa attributa, diversas etiam efficit metaphoras. Ob geniture & productionis opus, pro *autore* cujusque rei sumitur, Gen. 4:20, 21. Job. 38:28. Joh. 8:44. Ob educationem filiorum, pro *doctore* seu magistro accipitur, Jud. 17:10. 2 Reg. 2:12. (unde *filiorum Prophetarum* appellatio, 2 Reg. 6:1. & alibi, quâ eorum discipuli intelliguntur) Matth. 23:9. (ubi ad consuetudinem Judæo-

dæorum alluditur; qui Rabbinos suos *Patres* vocabant, iisque summam in tradendo docendoque autoritatem tribuebant.) 1 Cor. 4: 15. & *patris* nomen, & *genitura* actum sibi in spiritualibus attribuit Paulus, quo innuit, se primùm Corinthiis prædicasse Euangelium, & ad Christi cognitionem eos perduxisse, Act. 18: 8, 9, 10, 11. Sibi autem ut spirituali patri & præceptori, opponit ambitiosos Corinthiorum Doctores, quos παιδαγωγὺς vocat q. d. plagosos ludimagistros. Porrò ob gubernationom filiorum, pater, pro *principe* & superiore accipitur, 1 Sam. 24: 11. 2 Reg. 5: 13. Esai. 22: 21. (quò pertinet *matris* appellatio, quæ Deboræ tribuitur, ob idem officium, Jud 5: 7.) Ob conversationem cum filiis, pro conjunctissima quaque re ponitur, Job. 17: 14. (ubi eod. sensu *& mater & soror*, adjicitur.) Ob affectum, benevolentiam, & beneficia filiis præstita, pro quovis euergeta ponitur, Gen. 45: 8. Job. 29: 16. Ob conformationem filiorum ad vitam & mores Patris, pro præcipuo exemplari, ad imitationem proposito, *Pater* accipitur, Rom. 4: 11, 12, 16, 18. Ut & in malum, pro eo, quem quis in impietate sequitur. Ezech. 16: 3. Job. 8: 44. Quæ duo loca pulcrè confert August. tract. 42. in Joh. *Unde Judæi* (inquit) *filii diaboli?* (in textu Johannis est: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere.*) *Imitando non nascendo. Audite Scripturæ sacræ consuetudinem: Propheta dicit ad ipsos Judæos: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Amorrhæi gens erant quædam, unde originem Judæi non ducebant: Cethæi & ipsi gentem suam habebant, omninò alienam à genere Judæorum: sed quia erant impii Amorrhæi, & Cethæi, Judæi autem imitati sunt impietates illorum; invenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectando pariter damnarentur.* De [a] *matris* voce supra dictum, cap. 9. sect. 5. 4. Præter illa Babylon spiritualis, seu Ecclesia Antichristiana, quia instar mulieris in visione & sermone inducitur; *mater scortationum & abominationum terræ* Apoc. 17: 5. vocatur, hoc est, inventrix, confirmatrix, propagatrix, & propugnatrix quarumvis idolomaniarum, doctrinarum damnabilium, & errorum scelerumque nefandorum, quæ mystica scortatio, & abominatio maxima coram Deo sunt. Per allusionem ad verba dicentis Christo, *matrem & fratres ejus stare foris, quærentes ei loqui*, [b] Matth. 12: 47. ipse discipulos suos, omnesque credentes, appellat *matrem suam, fratres sororesque suas*, v. 49, 50. hoc est, homines sibi charissimos, instar matris, fratrum & sororum. Pulcrè Erasmus in paraph. h. l. monet, *docere voluisse Jesum, minimum esse tribuendum talibus affectibus* (cognationem externam qui spectant) *quoties negotium agitur Evangelicum; pluris autem faciendam cognationem animorum quam corporum, quæ virtute* (vera fide per charitatem efficace, Gal. 5: 6.) *non sanguinis propinquitate conciliatur.* Ibidemque verba Christi eximia paraphrasi profert: *Quænam est mater mea, & qui sunt fratres mei? Cælesti negocio occupatus, non agnosco matrem, aut fratres, carnis affinitate conjunctos, forsitan animis alienos.* Ac porrectâ manu in discipulos suos, qui juxtà sedentes avidè tacitique imbibebant doctrinam salutiferam: *Si verè* (inquit) *cognatos nôsse vultis, eosque qui mihi sunt charissimi: hi sunt mater mea, sorores meæ, fratres mei. Nullum hic sexus aut ætatis discrimen, nulla propinquitatis ratio. Quicunque paret voluntati patris mei, qui est in cœlis, is mihi mater est, is soror est, is frater est. Spiritum affinitatem magnifacio, non corporum. Hanc sibi quisque parare potest; ut quisque illius voluntati maximè obtemperat, ita mihi conjunctissimus est & charissimus.* Bivium quoque mater dicitur, Ezechiel. 21. v. 21. quia ex ea duæ viæ, tanquam filiæ oriuntur.

*Filius*, בן, quæ significata sustineat, quorum aliqua ad metaphoram pertinent, vide in Gramm. sacr. p. 131. seqq. Propter mysticam regenerationis per verbum & Sacramenta, ἐνέργειαν divinam, de qua suprà cap. 7. omnes credentes dicuntur [c] *filii Dei*, Joh. 1: 12, 13. Rom. 8: 14, 16, 17, 19, 21. Galat 3: 26. cap. 4: 5, 6. 1 Pet. 1: 14, 32. 1 Joh. 3: 1, 2. &c. Cumque ministerio verbi hoc tantum opus perficiatur, Paulus eos etiam, quos ad Christum, operâ suâ sancta, per Euangelium perduxit, suos *filios* vocat, 1 Cor. 4: 14, 17. Philem. ℣s. 10. Cumque ad exemplum Abrahæ, divinitùs propositum, fides justificans respiciat, igitur *semen seu* [d] *filii Abraha*, credentes appellantur, qui & eorum *Pater* vocatur, Rom. 4: 16. ubi & typicum quiddam subest, ob Isaacum Abrahæ filium, à Deo contra naturæ vim datum, qui typus verorum credentium in Ecclesia Christi est, uti Rom. 9: 7, 8, 9. innuitur, & latiùs Galat. 4. ℣s. 22. seqq. in allegoria Pauli exponitur. Contrà [e] *filii Diaboli* dicuntur infideles & impii, ob simile pravitatis ingenium & imitationem, Actor. 13. ℣s. 10. 1 Joh. 3. ℣s. 10. Confer. ℣s. 8. & Joh. 8. ℣s. 44. [f] *Filii excelsi*, hoc est, Jehovæ, dicuntur magistratus & principes, [g] Psal. 82. ℣s. 6. etiamque ii, quos ob injustitiam graviter reprehendit. Igitur non de eo filiorum Dei genere id intelligendum, quod ex fide per verbum ei nascitur: sed respectu duplici alio; 1. quòd quasi Dei in terris

1. 4. 5. 6.

[a] Mater.

[b] Matt. 12: 49. Ecce mater mea & fratres mei &c.

[c] Filii Dei.

[d] Filii Abrahæ.

[e] Filii Diaboli.

[f] Filii excelsi.

[g] Ps. 82: 6.

tempora priora & antiquiora designat; sicuti *a* pueritia prior est adolescentiâ & senectute. Jerem. 3:4. *Dux* נְעֻרַי *pueritia mea tu es.* Intelligitur tempus egressionis ex Ægypto, ubi à Deo & de Deo, pueri instar, populus Israel fuit informatus. Confer Hos. 2:15. cap. 11:1. Ezech. 23:19. *Pueritiæ* seu adolescentiæ nomine, spiritualeetiam robur ac firmitas in credentibus exprimitur, Psal. 103:5. *Renovas te* (h. est, novum, vegetumque servas, nimirum Dei confirmantis beneficio) *ut aquila, adolescentiâ tuâ.* Tremellius: *Hæc firma piorum constitutio, cum vegeta aquilarum senectute comparatur, quæ à natura sunt vivacissima, & amplius adhuc victura essent (adeò vegeto sunt corpore) nisi superius rostrum illarum aduncum senio succrescens, curvitate suâ rostrum inferiùs constringeret: unde fit, ut aquilæ conficiantur inediâ, vide. Aristotelem lib. 9. de histor. animal. cap. 32; & Plinium lib. 10. cap. 3.* Confer Psal. 110:3. Psal. 92:15. Esa. 40:31. Quod autem de significatione verbi תִּתְחַדֵּשׁ *renovas te*, fuit dictum, ejus exempla similia habentur in Grammatica sacra pag. 236. canone illo: *Verba inchoativa completivè sunt intelligenda.* *b Virilis ætatis* accrementum Ephes. 4:13 perfectionem sapientiæ & cognitionis, qualis quidem in hac vita imperfecta, ex verbo divino haberi potest, in credentibus denotat: eique *pueritia* v. 14. opponitur, hoc est, instabilium & fluctuantium in fide inscitia stoliditasque. *c Senectus* demum, quandoque sapientiæ notionem habet, unde זְקֵנִים *seniores*, consiliarii vel senatores sunt, in quibus non semper ætas, sed prudentia respicitur, 2 Reg. 10:1. &c. Unde & *presbyteri* seu seniores nomen in Ecclesia, 1 Tim. 5:1, 17, 19. Tit. 1:5. Hebr 11:2. Jacob. 5:14. 1 Petr. 5:1. cap. 5:5. Chaldæus interpres hac significatione זְקוּנִים *senectutem*, etiam accipit Genes. 37. v. 3. *Quia* (Joseph) *filius senectutis erat ipsi* (Jacobo) hoc est, ut ille transfert, חַכִּים *sapiens*, senili sapientiâ præditus.

*a* Pueritia. *b* Virilis ætas. *c* Senectus.

3. *Relationes*, quæ metaphorarum fontes exhibent, in hominibus sunt istæ; *Sponsus & sponsa: Maritus & uxor*, ejusque oppositum, *vidua: Pater, mater, & filius: Frater, soror: Dominus & servus: Præceptor & discipulus.* *d Sponsi & sponsæ* usitatâ, ac omnium jucundissimâ metaphora, unio spiritualis inter Christum & Ecclesiam piamque animam, exprimitur Hos. 2:19, 20. Matth. 22:2. seqq. Joh. 3:29. 2 Cor. 11. ℣. 2. Apoc. 21:2, 9, 10. &c.
1.
Bernhardus serm. 7. in Cant. *Non sunt inventa æquè dulcia nomina, quibus Verbi & animæ dulces ad invicem exprimerentur affectus, quemad-*
2.
*modum sponsus & sponsa.* Quò pertinet Canticum Salomonis, ab Hieronymo in Epist. ad Paulin. *epithalamium spiritualium nuptiarum*, rectè vocatum. Sed hujus metaphoræ evolutio plenior, in Theologorum scriptis dogmaticis ubique prostat. *Sponsum* metaphoricè dici puerum recens circumcisum, quidam afferunt, quia tùm primum populo Dei conjungitur, & Deo quasi desponsatur. *e* Exod. 4:25. *Et dixit Zippora: Sponsus sanguinum es mihi.* Chald. *Per sanguinem circumcisionis istum datus est sponsus nobis*, id est, tu primus es mihi, cui hoc modo effusus est sanguis. Ita Schindlerus col. 677. προσφώνησιν Zipporæ ad puerum circumcisum referens, cum Hebræis quibusdam. Sed rectiùs, ut ad ipsum Mosen directa, ea accipitur, ut sensus sit; quasi sponsum de novo acquirere te & coëmere nunc cogor, profusione sanguinis filii mei in circumcisione. Conferri possunt, quoad ritum veterem, in mariti vel moris coëmtione quasi, seu interveniente precio quodam conjunctione, 1 Sam. 18:25. 2 Sam. 3:14 Hos. 3:2. &c. Aliis scripturæ locis, appellationis *sponsi* metaphoricæ, quam Schindlerus ponit, nullum comparet indicium. Nec verisimile, Zipporam, mulierem exteram, de circumcisione (cujus dilationis ipsa, dubio procul, causa exstitit) tam præclare sensisse & fuisse locutam. Tantum de hoc. *A mariti & uxoris* nominibus, metaphoræ ducuntur haud multæ *e Maritum* בַּעַל Ecclesiæ se vocat Deus Esai. 54:5. & quidem in plurali numero בֹּעֲלַיִךְ עֹשַׂיִךְ *mariti seu conjuges tui factores tui*: ad innuendum SS. Triados mysterium. Unde & בְּעוּלָה *maritata*, terra Zionis, hoc est, Ecclesia dicitur, Esai. 62:4. &c. *f Viduitas* populo vel urbi tribuitur, ad denotandum ejus desolationem, Esa. 47:8, 9. Apocal. 18. ℣. 7. Ecclesiæ tributa, afflictiones denotat. Esai. 54. vers. 4. ubi sensus est, quòd nova felicitas, tempore Messiæ futura, omnia mala præterita sit sanatura, & calamitatum priorum oblivionem inductura. Contra Israëlem & Judam negat Jehova à se אַלְמָן *viduatum esse*, Jeremiæ 51:5. quo significatur, non desertum esse omnimodò, etiamsi afflictionum tempore visus sit Deus, tanquam maritus, ab eo discessisse.

*e* Exod. 4:25. Sponsus sanguinum. *e* Maritus. *f* Viduitas. *d* Sponsus & sponsa. *g* Pater.

*g Pater*, אָב ob diversa attributa, diversas etiam efficit metaphoras. Ob genituræ & productionis opus, pro *autore* cujusque rei sumitur, Gen. 4:20, 21. Job. 38:28. Joh. 8:44. Ob educationem filiorum, pro *doctore* seu magistro accipitur, Jud. 17:10. 2 Reg. 2:12. (unde *filiorum Prophetarum* appellatio, 2 Reg. 6:1. & alibi, quâ eorum discipuli intelliguntur) Matth. 23:9. (ubi ad consuetudinem Ju-

dæorum alluditur; qui Rabbinos suos *Patres* vocabant, iisque summam in tradendo docendoque autoritatem tribuebant.) 1 Cor. 4: 15. & *patris* nomen, & *geniture* actum sibi in spiritualibus attribuit Paulus, quo innuit, se primùm Corinthiis prædicasse Euangelium, & ad Christi cognitionem eos perduxisse, Act. 18: 8, 9, 10, 11. Sibi autem ut spirituali patri & præceptori, opponit ambitiosos Corinthiorum Doctores, quos παιδαγωγὺς vocat i. d. plagosos ludimagistros. Porrò ob gubernationem filiorum, pater, pro *principe* & superiore accipitur, 1 Sam. 24: 11. 2 Reg. 5: 3. Esai. 22: 21. (quò pertinet *matris* appellatio, quæ Deboræ tribuitur, ob idem officium, Jud 5: 7.) Ob conversationem cum filiis, pro conjunctissima quaque re ponitur, Job. 17: 14. (ubi eod. sensu *& mater & soror*, adjicitur.) Ob affectum, benevolentiam, & beneficia filiis præstita, pro quovis euergeta ponitur, Gen. 45: 8. Job. 29: 16. Ob conformationem filiorum ad vitam & mores Patris, pro præcipuo exemplari, ad imitationem proposito, *Pater* accipitur, Rom. 4: 11, 12, 16, 18. Ut & in malum, pro eo, quem quis in impietate sequitur. Ezech. 16: 3. Joh. 8: 44. Quæ duo loca pulcrè confert August. tract. 42. in Joh. *Unde Judæi* (inquit) *filii diaboli?* (in textu Johannis est: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere.*) *Imitando non nascendo. Audite Scripturæ sacræ consuetudinem: Propheta dicit ad ipsos Judæos: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Amorrhæi gens erant quædam, unde originem Judæi non ducebant: Cethæi & ipsi gentem suam habebant, omninò alienam à genere Judæorum: sed quia erant impii Amorrhæi, & Cethæi, Judæi autem imitati sunt impietates illorum; invenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectando pariter damnarentur.* De [a] *matris* voce supra dictum, cap. 9. sect. 5. n. 4. Præter illa Babylon spiritualis, seu Ecclesia Antichristiana, quia instar mulieris in visione & sermone inducitur; *mater scortationum & abominationum terræ* Apoc. 17: 5. vocatur, hoc est, inventrix, confirmatrix, propagatrix, & propugnatrix quarumvis idolomaniarum, doctrinarum damnabilium, & errorum scelerumque nefandorum, quæ mystica scortatio, & abominatio maxima coram Deo sunt. Per allusionem ad verba dicentis Christo, *matrem & fratres ejus stare foris, quærentes ei loqui*, [b] Matth. 12: 47. ipse discipulos suos, omnesque credentes, appellat *matrem suam, & fratres sororesque suas*, v. 49, 50. hoc est, homines sibi charissimos, instar matris, fratrum & sororum. Pulcrè Erasmus in paraph. h. l. monet, *docere voluisse Jesum, minimum esse tribuendum talibus affectibus* (cognationem externam qui spectant) *quoties negotium agitur Evangelicum; pluris autem faciendam cognationem animorum quam corporum, quæ virtute* (vera fide per charitatem efficace, Gal. 5: 6.) *non sanguinis propinquitate conciliatur.* Ibidemque verba Christi eximia paraphrasi profert: *Quænam est mater mea, & qui sunt fratres mei? Cœlesti negocio occupatus, non agnosco matrem, aut fratres, carnis affinitate conjunctos, fortassis animis alienos. Ac porrectâ manu in discipulos suos, qui juxtà sedentes avidè tacitique imbibebant doctrinam salutiferam: Si verè (inquit) cognatos nôsse vultis, eosque qui mihi sunt charissimi: hi sunt mater mea, sorores meæ, fratres mei. Nullum hic sexus aut ætatis discrimen, nulla propinquitatis ratio. Quicunque paret voluntati patris mei, qui est in cœlis, is mihi mater est, is soror est, is frater est. Spiritum affinitatem magnifacio, non corporum. Hanc sibi quisque parare potest; ut quisque illius voluntati maximè obtemperat, ita mihi conjunctissimus est & charissimus.* Bivium quoque mater dicitur, Ezechiel. 21. v. 21. quia ex ea duæ viæ, tanquam filiæ oriuntur.

*Filius*, בן, quæ significata sustineat, quorum aliqua ad metaphoram pertinent, vide in Gramm. sacr. p. 131. seqq. Propter mysticam regenerationis per verbum & Sacramenta, ἐνέργειαν divinam, de qua suprà cap. 7. omnes credentes dicuntur [c] *filii Dei*, Joh. 1: 12, 13. Rom. 8: 14, 16, 17, 19, 21. Galat 3: 26. cap. 4: 5, 6. 1 Pet. 1: 14, 32. 1 Joh. 3: 1, 2. &c. Cumque ministerio verbi hoc tantum opus perficiatur, Paulus eos etiam, quos ad Christum, operâ suâ sancta, per Euangelium perduxit, suos *filios* vocat, 1 Cor. 4: 14, 17. Philem. ℣. 10. Cumque ad exemplum Abrahæ, divinitùs propositum, fides justificans respiciat, igitur *semen seu* [d] *filii Abraha*, credentes appellantur, qui & eorum *Pater* vocatur, Rom. 4: 16. ubi & typicum quiddam subest, ob Isaacum Abrahæ filium, à Deo contra naturæ vim datum, qui typus verorum credentium in Ecclesia Christi est, uti Rom. 9: 7, 8, 9. innuitur, & latiùs Galat. 4. ℣. 22. seqq. in allegoria Pauli exponitur. Contrà [e] *filii Diaboli* dicuntur infideles & impii, ob simile pravitatis ingenium & imitationem, Actor. 13. ℣. 10. 1 Joh. 3. ℣. 10. Confer. ℣. 8. & Joh. 8. ℣. 44. [f] *Filii excelsi*, hoc est, Jehovæ, dicuntur magistratus & principes, [g] Psal. 82. ℣. 6. etiamque ii, quos ob injustitiam graviter reprehendit. Igitur non de eo filiorum Dei genere id intelligendum, quod ex fide per verbum ei nascitur: sed respectu duplici alio; 1. quòd quasi Dei in terris

Margin notes: 3. 4. 5. 6. [c] Filii Dei. [a] Mater. [d] Filii Abrahæ. [e] Filii Diaboli. [f] Filii excelsi. [g] Ps. 82: 6. [b] Matt. 12: 49. Ecce mater mea & fratres mei &c.

terris hæredes sunt, in partem aliquam judiciariæ autoritatis ipsius succedentes, quam eis attribuit, ut Rex vel Princeps liberis suas terras regendas relinquit. 2. Quòd ob autoritatem, quam in terrenis obtinent, divinam, Deo accepti & chari sint, ejusque ut summi Judicis tutelâ & patrocinio fruantur, quo nomine meritò à subditis amandi, reverendi & magnificiendi sunt. Confer Roman. 13. v. 1. seqq. [a] *Filius primogenitus* in metaphorâ excellentiæ & prærogativæ notionem habet, uti in Grammat. sacr. p. 60. seqq. declaratum. Præter illa, pro valdè charo & precioso sumitur, sicut primogenitus patri solet esse charissimus, Exod. 4: 22. Jer. 31. ℣. 9. Confer ℣s. 20. [b] *Orphanus* יָתוֹם, patre destitutus filius, ob miseram ejus conditionem, pro destituto omni ope, spreto, abjecto, calamitatibus presso accipitur. Psal. 10. v. 14, 18. Thren. 5. v. 3. Inde Joh. 14: 18. discipulis suis Christus promittit: *Non relinquam vos orphanos*, q. d. etiamsi omni auxilio in mundo destituamini, ego tamen vos protegam, & servabo, ero vester tutor, patronus ac defensor. [c] *Frater* אָח pro *simili* ponitur, sicut fratres, ex iisdem progeniti parentibus, sibi invicem respondent, Job. 30: 29. Proverb. 18: 9. Specialiùs *vir & frater ejus* conjungi solent, quâ locutione consociatio unius hominis ad alterum denotatur, Gen. 26. v. 31. *Et surgentes manè juraverunt* אִישׁ לְאָחִיו *vir fratri suo*, hoc est, alter alteri. Sermo est de fœdere, quod Abimelech & viri ejus cum Isaaco inivérunt. Sic Gen. 37. v. 19. cap. 42. v. 21, 28. Exod. 16. v. 15. Num. 14: 4. Jerem. 23: v. 35. cap. 25. v. 26. Malach. 2. v. 10. Nec ad homines solùm, sed quascunque etiam res alias, hæc loquendi ratio traducitur, cùm unius rei similis, ad similem, conjunctio & applicatio exprimenda est. Exod. 25: 20. *Facies eorum* (Cherubim) *viri ad fratrem suum*, hoc est, alterius facies ad alterum respectabat. Sic Job 4. v. 8. Joel. 2. v. 8. Item *mulier & soror ejus*. Exod. 26. vers. 3, 5, 6, 17. Ezech. 1. vers. 9, 23. cap. 3. vers. 13. &c. Aliàs hoc eodem sensu etiam conjunguntur, *vir ad socium suum*, Jer. 23. vers. 35. cap. 31. vers. 34. *Mulier & socia ejus*, Esa. 34. v. 15, 16.

[a] Primogenitus.

[b] Orphanus.

[c] Frater.

*Dominus*, [d] בַּעַל quæ significata habeat metaphorica, in Grammat. sacr. p. 127. seqq. expositum fuit. Dominationis species præcipua est *Regalis*. Ea verò ad figurandam cœlestis gloriæ eminentiam metaphoricè adhibetur, dum credentes electi dicuntur, *Reges* à Christo constituti, Apoc. 1. ℣s. 6. cap. 5. v. 10. Conferri possunt loca Matth. 25. v. 34. Dan. 7. v. 22, 27. 1 Petr. 2. v. 9. Eodem pertinet mentio *thronorum*, in quibus sessuri glorificati electi dicuntur, Apoc. 3: 21. cap. 4: 4. Confer, quæ Apostolis promittuntur Matt. 19. v. 28. cap. 22: 30. Mentio item reginimis regii, Apoc. 2. vers. 26, 27. [e] Et *coronæ*, ℣s. 11. atque alibi passim &c. *Servus*, *servire & servitus*, complures in metaphora acceptiones sustineat, & quidem tùm in bonum, tùm in malum. 1. *In bonum* præter servitium Dei (cujus percrebra in scripturis mentio, & qua sincerus Dei cultus, fides & obedientia ei præstanda, intelligitur) homo *servire* dicitur *justitiæ*. Rom. 6: 16, 18, 19. hoc est, servire Deo in sanctitate & justitiâ, ut Luc. 1: 75. exponitur. *Servire aliis hominibus* dicitur, Matth. 20: 27. Marc. 10: v. 43, 44. Galat. 5: v. 13. quo humilitas officiosa & beneficentia, fidei fructus, denotatur. Quo sensu Paulus *servum Christianorum* se profitetur, tùm ratione doctrinæ, 2 Cor. 4. v. 5. tùm ratione prudentiæ, in usu adiaphororum, Ecclesiæ ad emolumentum adhibitæ, 1 Cor. 9: 19. *Servire tempori* dicitur fidelis, Rom. 12: 11. hoc est, se tempori prudenter accommodare, & probe ipsum dispensare, ut omnia suo tempore fiant. *In servitutem redigere se*, δουλαγωγεῖν *corpore suum*, Paulus dicit, 1 Cor. 9: 27. hoc est veterem hominem, Spiritui reluctantem, seu peccatum, edomare, & dominium illi, virtute Spiritus, adimere &c. 2. *In malum* accipitur, dum ad peccatum, & quæ illud attinent, respectus habetur. *Ipsi peccato servire*, est addictum illi impœnitenter esse, Joh. 8. v. 34. Rom. 6. v. 6, 17, 19, 20. Tit. 3: 3. 2 Pet. 2. v. 19. *Mammonæ servire*, est, divitiis injustè parandis inhiare, & seculo huic addictum esse, Matth. 6. v. 24. *Ventri servire*, est, carnali voluptati indulgere, Rom. 16. v. 18. Confer. Phil. 3. v. 19. Tit. 3. v. 3. *Vino multo servire*, est, temulentiæ deditum esse, Tit. 2. v. 3. *Hominum servos esse*, est iis in rebus injustis, & cum verbo Dei pugnantibus obsequi, vel conscientiam humanæ autoritati, hominumque traditionibus, extra verbum Jehovæ, regendam ligandamque submittere, 1 Cor. 7: 23. (confer v. 51.) Gal. 5: 1. Quò pertinet phrasis, *servire elementis, infirmis & egenis*, hoc est, ceremonias legales, tanquam ad salutem necessarias, observare iisque conscientias hominum obstringere, Galat. 4. v. 9. Alio sensu, ibidem v. 3, 24. veteri Ecclesiæ, per Mosen à Deo constitutæ & ordinatæ, *servitus* tribuitur, quâ grave illud legis onus designatur, quod Actor. 15. v. 10. memoratur. De legali ista servitute, & oppositâ libertate Euangelica, in Exeg. textuum Euangel & Epistol. part. 1. pag. 720. seqq. satis dictum. Ab eoque *spiritus servitutis* dici-

[d] Rex.

[e] Coronæ. Servus, servire, servitus.

dicitur, Rom. 8. v. 15. cui *spiritus adoptionis* opponitur. Alludit autem Apostolus ad legis atque Euangelii promulgationem. Istic fulgurum atque fulminum terrore perculsi, sicconsciscebant homines, ut in mortis periculo ei constituti viderentur. Contrà Euangelii vox suavissima est. Istic servitutis, hîc gratiæ & adoptionis est conditio. Istic timoris materia, hîc spiritus fiduciæ & precum. Confer Heb. 12:18. seqq. Ex peccato demum oritur *servitus illa, in metu mortis æternæ*, Hebr. 7: 15. à qua nos clementissimè & potentissimè asseruit Christus. [a] *Pædagogus* in Christum dicitur lex divina, Galat. 3. ℣s. 24. quod quo respectu fiat in Exeg. d. l. pag. 835. seqq. exponitur. Institutio ejus *in* στοιχείοις, *elementis mundi fieri* dicitur, Galat. 4. 3. de quo ibidem pag. 730. seqq. Ab institutionis pædagogicæ modo pulcra metaphora ad populum Dei contumacem ducitur Esai. 28. ℣s. 10. *Quia præceptum præcepto, præceptum præcepto; linea lineæ, linea lineæ: pauculum hîc: pauculum illic* (fuit additum.) Solent pueris præcepta subinde dari & inculcari, & manus ad scribendum ritè lineas duci, & ut in veteri versu est, addi parum parvo, parvo superaddi pusillum, ut doctrinæ & eruditionis tandem thesaurus inde colligatur. Hôc verò cum informationis puerilis modo, Deus informationem suam per Prophetas factam comparat, de qua 2 Paral. 36. vers. 15. Quam tamen ob improbitatem Judæorum irritam fuisse, & in ruinam eorum, culpâ propriâ, cessisse, vers. 13. repetitione horum verborum factâ, innuit. Hactenus de relationibus inter homines diversis.

4. *A gente* seu familiâ diversitas orta, has parit metaphoras. [b] *Cananæus* pro *extraneo* aut impuro accipitur Zach. 14. vers. ultim. veluti Cananæi à populo Dei alieni habebantur. Confer Esai. 35. vers. 8. Joel. 3: 22. Et pro *mercatore*, Proverb. 31. vers. 24. sicuti ob maris viciniam, ejus regionis populus mercaturæ & negociationi deditus erat. Ita etiam accipitur Esai. 23. vers. 8. Jer. 10. vers. 17. Hose. 12. 8. Zephan. 1. vers. 11. quibus locis duobus posterioribus, quidam interpretes in nomine proprio gentilitio, appellativè usurpato, allusionem fieri putant, ut indicent Prophetæ, populares suos cum moribus Cananæorum impurissimis, qui mercaturæ erant maximè dediti, & fraudulenti, convenire, & idem cum illis Dei judicium, malâ suâ vitâ, accersere. [c] *Arabs* pro latrone sumitur Jerem. 3. vers. 2. Esai. 13. vers. 20. cùm Arabum gens, ab omni memoria, latrociniis infamis fuerit. [d] *Edomæi* (hostes populi Judæorum infensissimi, Ps. 137: 7. Thren. 4: 21. Amos. 1. v. 11. Obad. ℣s. 10. Ezech. 25: vers. 12.) pro quibusvis Ecclesiæ hostibus usurpantur, Esa. 34: 5, 6. cap. 63: 1. [e] *Moabitæ* idem Esaiæ 25. v. 10. significant, quia & ipsi hostes Israelitarum infensi erant. כַּשְׂדִּים *Chaldæi*, pro mathematicis seu genethliacis accipiuntur, Dan. 2. vers. seqq. quia his studiis gens ea dedita erat maximè. Juvenalis sat. 6. *Chaldæis sed major erit fiducia: quicquid dixerit astrologus, credent à fonte petitum Hammonis &c.* Confer Drusium libr. 8. observ. cap. 12. Fullerum libr. 1. miscell. sacr. cap. 16. Hûc etiam pertinet, cùm [g] *Sodomæ & Gomorrhæ* nomina tribuuntur rebelli ac contumaci Judæorum populo, ob similitudinem cum iis, in impietate, Esa. 1: 10. Confer cap 3: 9. & Ezech. 16. vers. 48, 49, 53. Et cùm Roma, Antichristi sedes, *Sodoma & Ægyptus* dicitur Apocal. 11. vers. 8. *Illud* ob scortationem corporalem & spiritualem, aliaque peccata crassa: *Hoc*: ob tyrannidem in populum DEI ac Christianos.

[a] Pædagogus. [b] Cananæus. [c] Arabs. [d] Edomæi. [e] Moabitæ. [f] Chaldæi. [g] Sodoma Gomorrha.

## *Ab actionibus hominum variis desumtæ metaphoræ.*

Actiones hominum perquâm variæ sunt & multiplices, quarum multæ suprà traditæ hinc inde sunt. Quæ autem inseri commodè non potuerunt, eas seorsim hic enumerabimus. Possunt generatim in [h] *necessarias & contingentes* dispesci. Necessitas priorum est ratione conservationis, tùm individui, ut sunt *edere & bibere*: tùm speciei, ut sunt *generare & parere*. [i] *Edere vel manducare* duo metaphoricè significat. 1. *Consumere & perdere*, sicut, quæ comeduntur, simul absumuntur, Gen. 31. v. 15. Exod. 3. vers. 2. Deut. 31. vers. 17. cap. 7: 16. Psal. 14: 4. Psalm. 69: 10. Prov. 30: 14. Esa. 1: 20. Jerem. 30. vers. 16. Galat. 5. vers. 15. Jacob. 5. vers. 2, 3. &c. 2. *Frui* & commoda percipere, sicut quæ ab esurientibus comeduntur, & delectationem, & alimentum utile adferunt. Est autem fruitio illa & delectatio (1.) *corporalis* & externa, Gen. 45. vers. 18. *Comedetis pinguedinem terræ*, hoc est, optimis terræ fructibus fruemini; in eo, quod in terra optimum est, oblectabimini. Sic Psalm. 128. vers. 2. Esa. 1. ℣s. 19. cap. 3. ℣s. 10. &c. (2.) [k] *Spiritualis* & interna. Atque ita *comedere seu manducare* usurpatur, tùm de felicitatis æternæ organo medioque respectu Dei, quod verbum ipsius vivificum est. Prov. 9. vers. 5. *Venite, comedite panem meum &c.* Ad auscultandum & obtemperandum cœlesti verbo sapientia exhortatur, ut ex cap. 8. ℣s. 5, 6, 10. &c.

[h] Actiones necessariæ. [i] Edere. [k] Spiritualis comestio. 1.

&c. patet. Jerem. 15:16. *Inventa sunt verba tua*, דְבָרֶיךָ *& comedi ea*, hoc est, salutariter & gaudenter iis animâ meâ sum fruitus, tàm
1. grata quippe, jucundaque mihi fuerunt, quàm cibus dulcis comedenti. Sequitur declaratio: *Et fuit verbum tuum mihi in gaudium & in lætitiam cordis mei*. Gustatio benignitatis divinæ, de qua Psal. 34. vers. 9. per meditationem & conservationem verbi cœlestis fit &c. Huic conforme est, quòd Timotheus à Paulo dicitur ἐντρεφόμενος, *innutritus* sermonibus fidei bonæque doctrinæ, 1 Tim. 4. vers. 6. hoc est, verbo Christi vero & sincero, seu spirituali cibo nutritus & educatus. De cibo corporali disseruerat vers. 3. seqq. Occasione igitur ejus
2. hac metaphorâ utitur. Confer Esa. 55:2, 3. Psal. 63:6. &c. *Tùm* de felicitatis æternæ organo respectu hominum, quod fides salvifica
2. est, atque ita *comedere Christum*, *vel carnem ejus* (simul & *bibere sanguinem* ipsius) beneficiorum merito ejus partorum fruitionem fidelem denotat, Joh. 6. v. 50. seqq. Sacramentalem corporis Christi in sacra cœna comestionem, perperam hûc quidam trahunt, cùm ea propria sit, ore corporis peracta, uti ex proprio ejus objecto patet, quod panis est, κοινωνία illa corporis Christi 1 Cor. 10:16. &c. *Tùm* de felicitatis æternæ complemento, seu
3. ipsâ vitâ æternâ beatissima, Luc. 14. vers. 15. cap. 22. vers. 30. Joh. 6. vers. 27. Apoc. 2. v. 7. cap. 3. v. 20. &c. Notetur verò, etsi distinguantur tria hæc, ratione phrasium; non tamen quoad rem ipsam divelli: conjuncta enim sunt in credentibus & electis.

*Saturatio*, cibi comesti terminus & effectus est. Eâ verò denotatur, *tùm* quæcunque impletio, ut cum senex dicitur שְׂבַע *satur dierum*, Gen. 25. vers. 8. cap. 35. vers. 29. LXX. πλήρης ἡμερῶν, *plenus dierum*. Vide & Hos. 13. vers. 6. Luc. 6. 25. 1 Cor. 4. vers. 8. *Tùm* specialiùs, divinorum bonorum concessio, cum delectatione animi conjuncta: seu rerum utilium gratiarumque sufficiens perfruitio, Psal. 16:11. Psal. 17:15. Psal. 81:11. Psal. 109:5. Psal. 107:9. Matth. 5:6. Luc. 6:21. *Tùm* denique rei adversatio, sicuti nimia satietas fastidium gignere solet, Psalm. 88:4. Hab 2:16. unde & ἀνθρωποπαθῶς Deo tribuitur, Esa. 1. vers. 11.

*Esurire* (uti & cognatum hujus, *sitire*) de ardenti desiderio & affectu, spiritualium cumprimis bonorum, usurpari, satis notum est. Psal. 42:3. Psal. 63:2. Esa. 41:17. cap. 55:1. Matth. 5:6. Luc. 6:21. cap. 1:53. &c. In impiis, bonorum illorum carentiam, & æternam maledictionem notat, Esaiæ 65:13. Luc. 6:25. Confer Luc. 16. 24. Quò pertinet *fames illa & sitis audiendi verbi Dei*, Amos. 8:11. quæ non nisi privatio sapientiæ divinæ est, ex justa Dei ira adversus ingratos immissa.

*Bibere* metaphoricè notat (1.) frui commodis, iisque oblectari (sicut sitientibus bibere potus grati perjucunda est) & quidem tum *temporalibus*. Jer. 2:18. *bibere aquas Sichor*, *fluminis* (Euphratis) Judæi dicuntur, hoc est in Ægyptiis & Assyriis, quorum ea flumina sunt, fiduciam collocare, & fruitionem auxilii eorum expetere Chald. hunc sensum claris verbis exprimit. Num. 23:24. *sanguinem occisorum* (hostium) *bibere*, est plenam victoriam de hostibus consequi. Vide & Proverb. 5:15. Esa 37:25. Tùm *spiritualibus*, quomodo *bibitio aquæ & vini* participationem regni cœlestis sæpiùs denotat, Prov. 9:5. Esa. 65:13. Joh. 4: v. 14. cap. 7:38. Confer Apocal. 22:17. &c. (2.) Pati incommoda, iisque infestari; Job. 21:20. Psal. 75:9. Jer. 25. vs. 16. cap. 49:12. Obad. 1:16. Habac. 2: 16. Sic *rapinam seu violentiam bibere*, pro pœnam violentiæ luere, dicitur Proverb. 26:6. De phrasi [a] Psal. 110:7. *de torrente in via bibere*, quâ passio Christi exprimitur, suprà dictum. Conf. Matth. 20:22. cap. 26:39. &c. Flacius de hac metaphorica locutione ita disserit: *Bibere sæpè significat pati, quæ proverbialis locutio etiam ethnicis fuit usitata; ut ostendit Erasmus, chil. 1. cent. 8. pro 81. undecunque demum sit hæc forma locutionis desumta, sive à bibendi certaminibus, ubi coguntur convivæ ebibere certas mensuras, non sine fastidio, ac etiam corporis valetudinisque læsione; sive ab iis, qui, metuunt venena; sive denique, quod sicut patres familias soliti sunt olim singulis suum dimensum cibi ac potus distribuere, sic & DEUS non tantùm beneficia, sed & pœnas dispertiatur pro merito in genere humano &c.* (3.) Addatur his, quæ dicta sunt, quod *bibere* quandoque *discere* vel assuefieri significat, sicut & Latini verbo *imbibere* utuntur. Job. 15:16. *bibere iniquitatem*; cap. 34:7. *bibere subsannationem*, homo dicitur, hoc est, discere aut assuefieri ad scelera & derisionem hominum. Apocal. 18:3. *de vino fornicationis Babylonis omnes gentes bibisse* dicuntur, hoc est, idolomanias ejus didicisse, iisque se polluisse. Contrà etiam in bonum, de informatione ex cœlesti verbo, phrasis ea accipitur Prov. 9. vers. 5.

*Inebriari* quandoque impleri bonis, abundare gaudio, cumulatim habere ea, quæ delectant, significat, sicut ebrii & saturi, & læti sunt, Deut. 29. vers. 16. Psalm. 36. vers. 9. Proverb. 5. vers. 19. cap. 11. vers. 25. Cant 5: vers. 1. Jerem. 31:14. Quandoque verò, calamitatibus & pœnis obrui, Esa. 51:21. cap. 63:6.

[a] Psal. 110:7. De torrente in via bibit

3:6. Jerem. 48: 26. Ezech. 23: 33. Sicut enim ebrius confusæ mentis est, nescitque quid faciat: sic & in angustiis constitutus. Item obstinatè in malis & impietate, justo Dei judicio, obfirmatum esse, Esa. 29. vers. 9, 10. ut ebrii mente turbati, audaces, vaniloqui, inconstantes, & ruinis obnoxii sunt: Sunt infideles & impii adversus Deum &c. Illi contraria est *sobrietas* Christiana, quæ & corporis est (propriè sic dicta,) & spiritus (metaphoricè accepta,) semper verò utraque conjuncta in pio homine, 1 Thess. 5: 6, 8. 2 Tim. 4: 5. cap: 2:26 1 Petr. 1:13. cap. 4:7. cap. 5: 8.

*Generare & parere*, de quavis rei productione & eventu quandoque accipitur, Job. 38. vers. 28. Psalm. 90. vers. 2. Prov. 25. vers. 23. cap. 27. vers. 1. Zeph. 2. vers. 2. Jac. 1. ℣s. 15. unde תולדות *generationes*, eventus, res gestas, historias, significat, Gen. 2:4. cap. 5. vers. 1. cap. 37. vers. 2. De spirituali renascentia, quâ filii Dei per gratiam adoptionis fiunt, si accipiatur, tùm Deo tribuitur, Esa. 66: 9. Joh. 1: vers. 13. de quo suprà dictum: tùm *Ecclesiæ* quæ quasi mater spiritualis est credentium, Esa. 54: 1. cap. 66: 7, 8. Galat. 4: 26, 27. tum *verbi* (organi illius regenerationis vivifici) *ministris*, 1 Cor. 4: 15. Galat. 4: 19. Philem. vers. 10. *Parere ventum*, *stipulam*, *vanitatem &c.* dicitur homo, cùm conatu maligno, & labore omni nihil proficit efficitque, Job. 15: 35. Ps. 7: 15. Esa. 26. vers. 28. cap. 33: 11. cap. 59: 4.

Hactenus de necessariis hominum actionibus dictum: sequitur de [a] *contingentibus*, quæ vel *bonæ* sunt (indifferentes certè) vel *malæ*. Bonæ vel respectu ipsius hominis agentis considerandæ, vel respectu aliorum: Illas *immanentes* nominare possis; has *transeuntes*. Prioris generis potissimùm sunt, quæ [b] situm motumque localem spectant, [c] *Ire seu ambulare* creberrimè de vita, moribus, actionibus, institutis usurpatur, Gen. 17: 1. Ps. 1: 1. Ps. 119. ℣s. 1, 3, 9. &c. Rom. 8: 1. Eph. 2. vers. 2, 10. &c. Augustin. in Psal. 103. tom. 8. col. 1214. *Omnis homo in actu suo pedes habet in eo, quod agit; In quo movetur, ibi tanquam ambulat* (Loquitur de verbis Psalm. 91. vers. 31. *Conculcabis leonem & draconem.* Calcatio autem propriè fit pedibus.) Unde *eodem spiritu ambulare, & iisdem vestigiis*, dicitur 2 Corinth. 12. ℣s. 18. pro summo consensu negotium Evangelii tractare. (Quâ ratione etiam *via*, in qua itur, vitæ cursum, institutum, studium, consuetudinem, rationem, ritum, denotat, Gen. 18. vers. 19. cap. 32: 35. Psal. 91: 11. Prov. 28. ℣s. 6. Jer. 6. ℣s. 16. cap. 10. ℣s. 2. Esa. 10: 26. Amos. 4. vs. 10. Matth. 21. vs. 32. Actor. 14. vers. 16. cap. 24: vers. 14. Jud. vers. 11. Et *εὐοδοῦσθαι bonam viam habere* significat prosperè agere, feliciter viam traducere, animæ quod concernit bona, 3. Johan. ℣s. 2. Item, benignitate DEI licere, seu occasione frui, 1 Corinth. 16: 2.) Item *ire* pro *mori* & interire, Genes. 15: 2. Jos. 23. ℣s. 14. Psalm. 39. ℣s. 14. Psalm. 58. ℣s. 9. Psalm. 109: 23. Hos. 13. ℣s. 3. Marc. 14: 21. Luc. 22. ℣s. 22. (Unde in contrarium *manere* pro *vivere*, seu superstitem esse usurpatur, Joh. 21. ℣s. 22, 23. Phil. 1. ℣s. 25.) *Ire post aliquem*, seu sequi, ἀκολουθεῖν, ad mentem transfertur sæpiùs, & amorem, affectum, vitæque, loquelæ & actuum conformationem notat. 1 Reg. 18. ℣s. 21. Matth. 16: 24. Johan. 8. ℣s. 12. 1 Petr. 2. ℣s. 21. 2 Petr. 1. v. 16. *Currere*, antecedenti ambulationis significato, assiduitatem, studium & diligentiam addit, Psalm. 119: 32. Cant. 1. ℣s. 4. Jer. 23. ℣s. 2. Roman. 9. v. 16. 1 Cor. 9. ℣s. 26. Galat. 5. ℣s. 7. Phil. 2. ℣s. 19. 2 Tim. 4. ℣s. 7. Hebr. 12. ℣s. 1. *Currere sermo Dei* dicitur, cùm liberè propagatur, 2 Thess. 3. ℣s. 1. & cùm voluntas Dei peragitur, Psal. 147. ℣s. 15. *Festinare*, ad animum translatum, temeritatem, præcipitantiam & insipientiam denotat, Job. 5: 13. Esa. 35: 4. *Stare*, pro feliciter habere, seu bonâ conditione esse, accipitur, 1 Sam. 24. ℣s. 21. Psal. 30. ℣s. 8. Dan. 11: 2. Rom. 14. ℣s. 4. Et pro credere firmiter, seu, in fide perseverare, Exod. 14. ℣s. 13. 2 Paral. 20. ℣s. 17. Rom. 5. vers. 2. cap. 11. vers. 20. 1 Cor. 10 vers. 12. cap. 16: 13. 2 Cor. 1: 24. Phil. 4: 2. De peccato usurpatum, itidem perseverare in eo denotat, Psalm. 1. ℣s. 1. Ecc. 8. ℣s. 3. Hos. 10. vers. 9. De verbo seu decreto, confirmari seu ratum esse, significat, Lev. 27. ℣s. 14. Deut. 9. vers. 5. cap. 19. ℣s. 15. Esa. 40. ℣s. 8. Jer. 44. vers. 28. 2 Cor. 13: 1. &c. *Sedere*, pro quietum & stabilem permanere, Gen. 49. vers. 24. Psal. 113. ℣s. 9. Mich. 5: 3. *Cadere* idem quod peccare est, Jer. 8. vers. 4. 1 Cor. 10. vers. 12. & calamitatibus obrui, Prov. 24. vers. 16, 17. Amos. 5. vers. 2. Et abjectum seu inferiorem esse, Neh. 6. vers. 16. Est. 6. vers. 13. Job. 12. vers. 3. Et irritum fieri, Jos. 21: 45. 1 Reg. 8. vers. 57. Et interire seu mori, Gen. 25: 18. Psalm. 91: 7. Luc. 21: 24. 1 Cor. 10: 8. Heb. 3: 17. *Excidere* de statu gratiæ Dei, significat eâ privari, Gal. 5: 4. 2 Pet. 3: 17. Apoc. 2: 5. *Accumbere* (quod in conviviis fit) de beatissima electorum consociatione, tùm in regno gratiæ, tùm in regno gloriæ, seu vitâ æternâ, usurpatur, Matth. 8. ℣s. 11. Luc. 13: 29. perinde ut & aliàs felicitas cœlestis, conviviorum & nuptia-

[a] Actiones contingentes.

[b] Situs localis.

[c] Ire & alia cognata.

nuptiarum ritu terreno, parabolicè exprimitur, Matth. 22: 1. seqq. Esa. 25: 6. &c.

Ad actionum genus hoc, refer etiam ista.

a Cingere. אזר *a cingere, vel accingere se*, ad animam translatum, fortitudinem, itemque præparationem & expeditionem ad opus aliquod peragendum significat, 1 Sam. 2: 4. Job. 38: 3. Prov. 31. ℣ſ. 17. Jer. 1: 17. Vide & supra de lumbis.

b Induere. 1. 2. *b Induere*, tùm appropriationem arctamque conjunctionem notat, sicut vestis arctè homini adjungitur, & quasi unum cum eo fit, Job. 10. ℣ſ. 11. cap. 7: 5. cap. 29: 14. Psal. 71: 13. Psal. 109: 18, 19, 29. Psal. 137. 9, 16. Jer. 43: ℣ſ. 12. Tùm ornamentum decorum, sicut vestis corpus ornat, Psal. 65: 14. Quò pertinent, quæ *de vestitu Dei*, in capite de ἀνθρωποπαθείᾳ dicta sunt. Specialiùs *induitio* de fide ac renovatione hominis per Spiritum sanctum, usurpatur. 2 Cor. 5: 3. Roman. 13: 12, 14. Eph. 4: 24. Col. 3: 9, 10. Quò pertinet verbum ἐγκομβώσασθαι, *vestire se, vestimento ornare*, 1 Petr. 5. vers. 5. quod de humilitate dicitur, quæ arctè instar preciosi ornatus tenenda, & quavis ratione exercenda est. Confer Exeg. Evang. & Epistol. part. 3. pag. 850. 858. Et de restauratione perfectissima in beata immortalitate, 1 Cor. 15. ℣ſ. 53, 54. 2 Cor. 5. ℣ſ. 2, 4. In utroque & appropriationis exactæ, & ornamenti insignis elucet notio &c. Confer, quæ inferius *de vestimento* dicuntur.

c Actiones quædam transeuntes in personas vel res. Posterioris generis *c actiones, transeuntes* sunt, quarum objecta vel personæ sunt, vel res Nos autem indistinctè quasdam producemus. *Abbreviare*, קצר *de Dei Spiritu vel manu* usurpatum, ejus imminutionem & impotentiam notat & in sermone negativo semper adhibetur, Num. 11: 23. Esa. 50: 2. cap. 59: 1 Mich. 2: 7. (De *hominis manu* seu potentia idem dicitur, affirmativè 2 Reg. 19: 26.) De *spiritu vel anima hominis*, ejus contristationem, tædium, & afflictionem notat, Num. 21: 4. Job 21: 4. Zachar. 11: 8. quod & ἀνθρωποπαθῶς de Deo dicitur, Jud. 10: 16. *Abstergere*, מחה, pro delere, evertere, pessundare, Genes. 7. ℣ſ. 3, 23. 2 Reg. 21. ℣ſ. 13. Prov. 31. ℣ſ. 3. Pro remittere, si peccato tribuatur, Psal. 51: ℣ſ. 11. Esa. 43: 25. cap. 44. ℣ſ. 22. Jer. 18. ℣ſ. 23. *Accipere*, לקח, pro discere & intelligere doctrinam, Job. 22. ℣ſ 22. Prov. 1. v. 3. cap. 4. ℣ſ. 10. Inde לֶקַח *acceptio*, pro doctrina, Job. 11. v. 4. Prov. 4. ℣ſ. 2. cap. 7: 21. cap. 9: 9. Sicut vice versâ, *dare*, pro docere accipitur, Prov. 9: 9. &c. De utroque vide Gramm. sacr. p. 273. 274. *Acuere*, pro informare & diligenter inculcare, Gen. 4: 22. (ubi elegans allusio est ad fabros ferrarios, de quibus ibi agitur.) Deut. 6: 7. Prov. 27: 17. Ad oculos relatum, horribiliter intueri significat, Job. 16: 19. Vide etiam Gramm. sacr. p. 34. *Ædificare*, בנה, pro liberos procreare seu gignere (ex liberis enim familia, instar domus, ædificatur, instauratur & conservatur) Gen. 16. ℣ſ: 2. Deut. 25: 9. Ruth. 4. ℣ſ. Et pro instaurare, exaltare, & prosperum efficere. Job. 22: 23. Esa. 58. ℣ſ. 12. Jer. 1. ℣ſ. 16 cap. 31: 4. Mal. 3: 15. (Quo sensu *destruere* quandoque ipsi opponitur, Psal. 28. v. 5. Jer. 42. ℣ſ. 10. &c.) Et pro stabilem efficere, & confirmare, instar fundatæ domus, Psal. 89. vers. 3. Confer Matth. 7. vers. 25. Et specialiùs, pro doctrina & exemplo informare, Rom. 15. vers. 20. 1 Cor. 8. vers. 1. cap. 10. vers. 23. cap. 14: 4, 17. Gal. 2: 18. 1 Thess. 5. vers. 11. Jud. vers. 20. (unde οἰκοδομή, *ædificatio*, pro informatione, quæ verbo & vitâ fit, accipitur, Rom. 14. vers. 19. cap. 15: 2. 1 Cor. 14: 3, 5, 12. 2 Cor. 10: 8. cap. 13: 10.) Et hoc medio *ædificatio Ecclesiæ* peragitur, quæ spiritualis domus & civitas Dei est, Psal. 51: 20. Psal. 102: 15. Esa. 60: 10. cap. 54: 11: 12. Matth. 16: 18. 1 Cor. 3: 9. Eph. 2: 21, 22. cap. 4: 12. 1 Pet. 2: 5. Unde *ædificantium* nomen, hoc est, eorum, qui verbo Dei Ecclesiam ejus instaurare & conservare debent, & pro talibus, licèt falsò, se venditant, Psal. 118: 22. Matth. 21: 42. Actor. 4 vers. 11. 2 Pet. 2: 7. Accipitur & *ædificare* in malum, pro seducere doctrinâ falsâ vel vitâ pravâ 1 Cor. 8: 10. *Agglutinare* pro conjungere (sicut glutine conjunguntur asseres) Luc. 10. ℣ſ. 11. cap. 15: 15. Actor. 5: 13, 36. cap. 8: 29. cap. 9: 26. cap. 10: 28. cap. 17: 34. In specie usurpatur de consuetudine conjugali, Matth. 19: 5. Marc. 10: 7. Eph. 5. 31. & meretriciâ, 1. Cor. 6: 16. De unione mystica cum Deo, 1. Cor. 6: 17. De studio pietatis, Rom. 12: 9. Sic Cyprianus dicit, *Ecclesiam esse glutine charitatis unitam*, in Epist. ad Florent. *Alligare*, קשר pro impensè amare & adjungere sibi. Deut. 6: 8. Gen. 44: 30. 1 Sam. 18: 1. Prov. 6: 21. c. 7: 3. Esa. 49: 18. Et pro conspirare rebellionis causâ, 2 Sam. 22. ℣ſ. 13. 1 Reg. 9: 14. cap. 21: 23. Esa. 8: 12 *Apprehendere*, pro juvare, Levit. 15: 35. Esa. 51: 18. (sicut labascentes manu apprehenduntur, & à lapsu præcaventur.) Quod & ἀνθρωποπαθῶς de Deo dicitur, Esa. 41: 13. cap. 42: 6. cap. 45: 1. *Bellare, militari, pugnare*, צבא, quandoque per metaphoram est, turmatim convenire ad cultum divinum, Exod. 38: 8. 1 Sam. 2: 22. & de singulis etiam dicitur, Num 4: 23: ubi fungi sacerdotio significat. Aliàs de spirituali fidelium Christianorum pugna adversus Satanam, mundum, & carnem, accipitur, Esa.

Esa. 40: 2. 2 Cor. 10. v. 4. Eph. 6: 12. 1 Tim. 1: 18. 2 Tim. 2: 3, 4. cap. 4: 7. Phil. 1: 27. De adversantibus sibi invicem carne & spiritu, Rom. 7: 23. Jac. 4: 1. 1 Pet. 2: 11. De precibus, ex vera fide, pro liberatione effusis ad DEUM, quæ quasi arma sunt, quibus vincuntur, animæ hostes, Rom. 15: 30. Col. 4: 12. (a *Bellum*, ut de hoc quoque, per occasionem aliquid moneamus, pro quovis certamine, privato etiam sumitur, Jerem. 1: 19. c. 15: 20. Jacob. 4: 1. *Exercitus*, צבא, tempus determinatum & ordinatum notat, Job. 7: 1. cap. 14: 14. Dan. 8: 12. &c. Angelorum item cœlestes copias 1 Reg. 22. v. 19. Psalm. 103: 11. Luc. 2: 3. Stellarum ordinatissimam multitudinem, Deut. 4: 19. Esa. 40: 26. Actor. 7: 42. Et in genere quarumvis creaturarum dispositum agmen. Gen. 2: 1. Unde *Jehovah Zebaoth seu exercituum*, Deus dicitur, 2 Sam. 5: 10. Ps. 24: ℣. 10. Psal. 46. v. 8, 12. Rom 9: 29. Jac. 5. ℣. 4. Vid. Gramm. sacr. p. 15.) *Castrametari* de Angelis, pios defendentibus, eleganti metaphorâ usurpatur Psal. 34: 8. cujus reale specimen ostensum est Elisæo ejusque ministro 2 Reg. 6: 17. De DEO ipso, Zach. 9: 8. Vide Grammat. sacr. p. 232. De die ad vesperam inclinante, Jud. 19: 9. cùm in ea Sol quasi residere nobis videatur. *Confringere seu conterere*, pro perdere, Gen. 3. vers. 15. Psal. 90: 3. Jer. 17: 18. Dan. 8: 25. Rom. 16. v. 20. &c. Et pro affligere seu cruciare, Esa. 38: 13. 1 Cor. 11: 24. Et pro humiliare & contristare, si de corde vel animo accipiatur, Lev. 26: 19. Psal. 51. v. 19. Psal. 147: 3. Psal. 119: 20. Esaiæ 57: 15. &c. *Διχοτομεῖν*, *dissecare*, pro ἀφορίζειν *separare*, Matth. 24: 51. Confer cap. 25: 32. Hieronymus in h. l. *Dividet eum, non quò gladio eum dissecet, sed quò à Sanctorum consortio eum separet.* Confer etiam phrasin Deut. 29: 21. Innuitur autem pœnæ hujus atrocitas, metaphorâ à dissectione corporis sumtâ. *Dissolvere*, pro dissipare seu abolere, 1 Joh. 3: 8. *Ducere*, pro sustentare, Gen. 47: 17. (sicut pastor gregem pascendi causâ ducit) *Fodere*, חפר, pro quærere, scrutari, explorare, sicut fossores rem latentem quærunt, Deut. 1. v. 22. Jos. 2: 2. Job. 3: 21. cap. 11: 18. cap. 39: 29. Et *fodere*, חרש pro cogitare, machinari, intentum esse rei conficiendæ, sicut arator terræ præparandæ ad seminationem intentus est quàm maximè, Prov. 3: 29. cap. 6: 14. 1 Sam. 23: 9. In phrasi proverbiali eadem significatio videre est, Jud. 14. v. 18. Job. 4: 8. Hos. 10: 13. *Formare*, יצר, pro cogitare, Psal. 94: 20. Jerem. 18: 11. (Inde יצר *cogitatio*, concupiscentia, Gen. 6: 5. cap. 8: 21. Deut. 31: 21. 1 Paral. 28: 9. Esa. 26: 3.) *Ligare*, pro abscondere, Esa. 8: 16. ubi *contestationem*, hoc est, prophetiam & verbum suum, Propheta *ligare* jubetur à DEO, hoc est, populo illi pervicaci & obdurato abscondere, & solis θεοδιδάκτοις committere, ut ibidem sequitur &c. *Mercari seu emere*, pro, intentum esse toto animo rebus, animæ salutem spectantibus, Prov. 23: 23. Esa. 55: 1 Apoc. 3: 18. quò pertinet phrasis, *Tempus redimere*, Ephes. 5: 16. Coloss. 4: 5. de cujus emphasi videatur Exeg. text. Euangel & Epistol part. 4. pag. 802. *Negociari*, pro callide decipere & perdere, 2 Petr. 2: 3. (sicut mercatoribus fraudes & imposturæ familiares sunt.) *Obligare*, pro curare seu sanare, sicut vulnerata membra fasciis ligari medicantibus solent, Ezech. 34: 4, 16. confer Zachar. 11: 16. Et de curatione spirituali, hoc est, malorum averruncatione, & boni reductione, sæpius usurpatur, Job. 5. v. 18. Psal. 147: 3. Hos. 6: 1. Esa. 3: 7. cap. 61: 1. Ezech. 30: 21. &c. *Obsignare*, pro fideliter committere & deponere, Esa 8: 16. Rom. 15: 28. (sicut quæ in tuto reposita volunt, annulis obsignare solent) Et pro perficere, complere, sicut finitæ literæ obsignantur. Ezech. 28: 12. *Onerare*, pro affligere, Ps. 68: 20. & pro constringere legibus conscientias Matth. 23: 4. *Operiri*, עטף, pro delassari, affligi, animi deliquium pati. Ps. 61: 3. Psal. 77: 4. Ps. 102: 1. Thren. 2: 11. 12, 19 &c. Ita & עלף *operiri*, *involvi*, Esa. 51: 20. Ezech. 31. ℣. 15. Amos 8: 23. Jon. 4: 8. *Pendere ab aliquo*, pro arctè conjunctum ei esse, Matth. 22: 40. Luc. 19: 48. *Perforare*, נקב, pro expressè nominare, blasphemare, q. d. verbis transfigere, Lev. 24: 11, 16. (confer v: 14, 15.) Numer. 23: 11. Job. 3: 8. cap. 5: 3. Prov. 11: 29. *Ponderare*, seu trutinare, pro exactè considerare, & modum decentem servare, Prov. 4: 26. c. 5: 6. *Portare onus*, pro patienter se subjicere, Matth. 11: 29, 30. Apoc. 2: 3. peccatorum conscientiâ angi, Matth. 11: 28. confer Psal. 38: 5. ad rationes vitæ Deo reddendas obligari, Galat. 6: 5. alios misericorditer sublevare, & mansuetè tolerare, Roman. 15: 1. Galat. 6: 2. *Portari ad latus, & super genua oblectari*, Esa. 66: 12. de spirituali credentium lætitia in regno Christi dicitur, metaphorâ desumtâ à ritu portationis & exhilarationis infantum &c. *Projicere animam suam eminus*, pro extremum mortis periculum adire, Jud. 9: 17. quod idem significat, *animam suam ad moriendum probris afficere*, חרף, vel probrosè exponere, Jud. 5: 18. *Et animam suam in manu sua ponere seu ferre*, 1 Sam. 28. v. 21. Job. 13: 14. Psal. 119: 109. Quod enim in manus superficie gestatur, vel lapsui, vel direptioni expositum est. *Projice-*

a Bellum.

*re curam suam super Dominum*, pro, ipsi verâ fide commendare, 1 Pet. 5: 7. Psal. 35: 23. *Rumpere vel abrumpere*, פרק, pro desistere, desinere, Dan. 4. v. 24. (Scopus Prophetæ est, ab impietate & injustitia Regem profanum revocare, ut à malo desistat, & beneficentiam posthac afflictis, inter quos primas eo tempore Judæi deportati tenebant, exhibeat.) Et pro liberare, eripere Psal. 136: 34. Thren. 5: 8. *Scribere & sculpere*, pro infigere firmiter, Jer. 17: 1. ubi dicitur, quòd *peccatum Juda scriptum sit stylô ferreo, & scalpro lapidis perdiuturni, sculptum in tabula cordis eorum*, hoc est, peccatum adeò tenaciter infixum esse animis Judæorum, & ipsos adeò obduratos, ut desperandum sit de eorum resipiscentia. Huic opponitur ex adverso, beata illa *scriptio*, cujus mentio 2 Cor: 3: 2, 3. habetur. Confer Jerem. 31. ℣s. 33. Hebr. 8. v. 10. (Fundamentum verò hujus est *præscriptio illa Christi crucifixi ob oculos*, de qua Galat. 3. v. 1. & ὑπογραμμὸς, *exemplar scriptionis à Christo nobis relictum*, 1 Pet. 2: 1. *quod in postibus & in portis scribendum à nobis*, Deut. 6 v. 9. hoc est, quàm diligentissimè meditandum, & mente devotâ usque & usque conservandum est.) A scriptione istac Evangelica differt legalis altera, de qua Roman. 2. v. 15. *Opus legis scriptum in cordibus*, videlicet gentilium. Ubi de naturali, tùm legislatoris summi, & peccatorum vindicis, tùm discriminis honestorum turpiumque cognitione agi, ex antecedentibus & consequentibus patet. *Secare rectè*, ὀρθοτομεῖν *verbum veritatis*, 2 Tim. 2. v. 15. pro prudenter distribuere docendo, & usibus auditorum diversis accommodare: metaphorâ à Sacerdotibus Vet. Testamenti deductâ, qui certo ritu victimas secabant: Vel, ut alii, à structoribus conviviorum, Esa. 25. v. 6. Syrus vertit: *prædicare rectè sermonem veritatis*. Vide etiam Fullerum in miscell. sacris, lib. 3. cap. 16. *Serrâ dissecari*, διαπρίεσθαι, *cordibus suis*, dicuntur Stephani adversarii, Actor. 7. v. 54. quo vehementissima animi, in rabiem velut versi, excandescentia denotatur, q. d. irâ penitus disrumpi. *Sugillare corpus, & in servitutem redigere*, 1 Cor. 9. v. 27. pro, veterem hominem spiritui reluctantem coërcere, domare, dominiumque ei adimere quod fit abstinentia vel jejunio, laboribus, sanctis meditationibus, precibus &c. *Suspensum esse*, pro dubium, incertum esse, Deut. 28. v. 66. Hos. 11. vs. 7. *Transfigere seu confodere*, דקר, pro, verbis duris ac asperis (κερτομίοις ἐπέεσσι) cor penetrantibus, impetere, Zach. 13: 3. Conf. Ps. 149: 6, 7. Eccl. 12: 11. Esa. 49. 2 Actor. 2: 37. c. 7: 54. Heb. 4: 12. & cumprimis Prov. 12. v. 18, ubi ab eodem verbo deductum nomen usurpatur, de lingua loquente dura & aspera, cor iis quasi transfigente &c. Περιπείρειν, *transfigere seipsos doloribus multis*, avari dicuntur 1 Tim. 6: 10. quâ phrasi tùm in coacervandis bonis anxietas; tùm conscientiæ malæ, propter facultates injustè partas, stimuli & tormenta, significantur. *Vendere*, pro, totum tradere. Zu leibeigen ergeben / de hominibus peccato malitiosè addictis, 1 Regum. 21. vers. 20, 25. 2 Regum 17. vers. 17. & ob peccata ac contumaciam, in potestatem Diabolicam redactis, Esa. 50. vers. 1. Item de hominibus sub peccati onere gementibus, interim tamen renatis, Rom. 7. vers. 14. &c. *Verberare conscientiam*, pro, causam præbere, ut conscientia infirma polluatur & offendatur, 1 Corinth. 8. vers. 12. confer ℣s. 7, 9.

a Malæ actiones. b Scortari. Ex a malis actionibus hûc pertinent: b *Adulterari & scortari*, pro idololatriam exercere, & impietati addictum esse, Exod. 34: 15, 16. Deut. 31: 16. Jud. 2: 17. cap. 8: 27, 33. 2 Reg. 9: 22. 1 Par. 5: 25. Esa. 1: 21. cap. 57: 3, 4. Jerem. 2: 20. cap. 3: 1, 6, 8, 9. c. 13: 27. c. 23: 14. Ezech. 6: 15, 25. cap. 23: 3. Hos. 1: 2. cap. 4: 12. cap. 5: 3. cap. 6: 10. Nah. 3. ℣s. 4. Apocal. 2: 20. 21, 22. cap. 14: 8. cap. 17: 2. c. 18: 3. &c. Ratio metaphoræ hujus est, quòd Deus sibi spirituali fœdere Ecclesiam conjunxit, & velut desponsavit, ut ex ea liberos sibi gignat, æternùm victuros: Si igitur, Deo vero turpiter relicto, ad idola confugiat, & impietate à Deo desciscat, fœderis quasi conjugalis obliviscitur, & ita scortari & adulterari in Scripturis dicitur &c. c Fascinare. c *Fascinare*, pro seducere falsâ doctrinâ, quâ homines à Satana quasi dementantur, Galat. 3. ℣s. 1. Erasmus in annot. *Paulus usurpavit hoc verbum pro eo, quod est incantare, & oculis veluti præstigio imponere. βασκαίνειν enim Græcis dictum est παρὰ τὸ φάεσι καίνειν, quòd per oculos noceat fascinator. Porrò Paulum de oculis delusis sentire, testatur propemodum, quæ mox sequuntur: ante quorum oculos Christus JESUS præscriptus est, & in vobis crucifixus. Est autem planè præstigii genus, ut id quod coram cernas, non videas, tùm quod non est, id videre te putes &c.* d Furari. d *Furari*, pro clanculùm dicere vel facere, idque phrasibus inter se diversis, Gen. 31: 20. 2 Sam. 19. vers 3, 41. Job. 4. vers. 12. Prov. 9. ℣s. 17. *Furari cor*, pro, animum sibi dolis conciliare, 2 Sam. 15. ℣s. 6. *Fures & latrones* vocat Christus eos, *qui ante eum venerunt*, Johan. 10. v. 8. Subintell. ex ℣s. 7. & qui ostii illius unici ἀξίωμα autoritatemque vendicarunt aliis, quàm Jesu Nazareno, in quo solo salus est. Tales fue-

fuêre Pseudoprophetæ, Sacerdotes Baalitici, Pontifices, Sacerdotes, Pharisæi, Scribæ, in populo Dei, *qui ignorantes Dei justitiam, & propriam justitiam quærentes constituere, justitiæ Dei non fuerunt subjecti, atque ignoraverunt Christum, qui perfectio legis est, ad justitiam omni credenti*, Roman. 10: 3, 4. *Fures* autem & *latrones* hos vocat, ob perniciem & æternam mortem animarum, quam falsa doctrina, à Christo vero ostio abducens, infert, ut ex ℣. 10. patet. Ita verò loquitur, ob antithesin veri & salutiferi pastoris, qui *vitam & abundantiam* suis dat ovibus. ℣. 10. a *Prædari, vel ut prædam abducere*, συλαγωγεῖν, pro decipere, & à cognitione salutis abducere, Col. 2. ℣. 8. Confer Psalm. 119: 61. 2 Timoth. 3: 6. Apoc. 3. ℣. 11. b *Rapere violentos regnum Dei*, Matth. 11: 12. dicitur, hoc est, homines magnâ frequentiâ ad audiendum verbum regni cœlestis concurrere; confer Luc. 16. ℣. 16. De fructu prædicationis Johannis Baptistæ sermo est. c *Rursus crucifigere filium Dei*, Hebr. 6. v. 6. dicuntur apostatæ, qui à doctrina Christi crucifixi impiè desciscentes, odio eam prosequuntur, & vera ejus membra persequuntur. Quo eodem sensu Roma, Antichristi sedes, ita describitur, Apoc. 11. v. 8. quòd sit *civitas magna, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus noster crucifixus est.* Quæ periphrasis ipsi competit, ob crudelem verorum Christianorum persecutionem, oppressionem, trucidationemque, quæ in Roma, eique addictis orbis terrarum partibus, peragitur. Quæ enim credentibus inferuntur mala, ob corporis mystici, cum capite suo unico, ἕνωσιν καὶ κοινωνίαν, Christo ipsi sæpè attribuuntur, ut suo loco dictum est. Origen. hom. 11. in Jer. *Per singulos martyres Jesus condemnatur. Si condemnatur Christianus pro hoc tantùm, quòd Christianus est, Christus est, qui condemnatur.*

## *A subjectis continentibus deductæ metaphoræ.*

Pertinent huc, tùm, quæ in genere d *Locum* ejusque dimensionem; tùm quæ in specie *habitationes* hominum spectant. *Locum* pro officio seu functione poni 1 Par. 6. vers. 31. quidam volunt, ubi in Hebr. est ידים *manus: Et isti sunt, quos statuit David על־ידי שיר in locis cantici domus Domini*, hoc est, in suis functionibus aut ministeriis. (Hanc enim significationem יד quandoque habet, ut suprà dictum.) Alii verò vocem ידי *manus*, ibi redundare volunt, ut in Gramm. sacra p. 149. dictum. Ad dimensiones ac differentias loci pertinent e *altitudo*, quæ ad mentem & intellectum hominis relata, rem abstrusam metaphoricè notat. e Altitudo.
Proverb. 24. ℣. 7. ראמות *excelsæ stulto sunt sapientiæ*, hoc est, non potest stultus ad sapientiam, utpote abstrusam sibi & incognitam, pertingere. Confer cap. 14. ℣. 6. Mentis distractionem in varias solicitudines, vox cognata notat. f Luc. 12. ℣. 29. καὶ μὴ μετεωρίζεσθε, *neque in sublime tollamini, vel suspenso animo sitis.* f Luc. 12: 29.
Syrus Interpr. ולא נפהא רעינכון בהלין *neque* μετεωρίζεσθαι.
*distrahatur cogitatio vestra in istis.* Theophyl. in h. l. *In sublime tolli, prorsus nihil aliud dicit, quam distractionem & mentis instabilem versionem, nunc hoc, nunc illud cogitantis, & ab hoc in aliud salientis, & semper sublimius quiddam secum imaginantis. Solicitudo enim non solis necessariis contenta est, sed semper amplius & majus quid requirit, & propterea dicitur* μετεωρισμός, *elatio in sublime.* Beza: *Quia* μετέωρος *Græcis non eum modo declarat, qui positus est in sublimi, sed etiam eum, cujus animus velut in aëre suspensus, modò huc, modò illuc inclinat, ideò hic commodè* μετεωρίζεσθαι *accipi potest pro eo, quod Latini dicunt, animi pendere, & dubio ac suspenso animo esse, quod iis eveniat, necesse est, qui de præsente vita soliciti, in humana duntaxat præsidia respiciunt.* Ex profanis hîc quidam conferunt, Thucyd l. 2. *Tota Græcia* μετέωρος ἦν, *anceps, dubia*, & quasi cogitationibus suspensa erat &c. Plutarch. in Demost. μετεωρίσας τὸν δῆμον ἐλπίσι, *suspendens populum spe.* Demosth. ἔτι γὰρ τῶν πραγμάτων ὄντων μετεώρων. *cùm adhuc res incertæ essent.* Et μετέωρος δίκη dicitur *lis pendens*, cujus judicium adhuc suspensum est. Sensus igitur moniti Salvatoris est: Ne sitis variis solicitudinibus, ob sustentationem vestram, distracti, sed acquiescite spe firmâ auxilii divini. Qui totius sermonis illius Christi scopus est. A casu corporis ex alto, elegans metaphora ducitur Gen. 43. ℣. 17. ubi fratres Josephi sic loquuntur: *Sumus adducti, ut devolvat se super nos, irruensque super nos, accipiat nos in servos.* Junius: *Metaphora duplex, à corporibus magnæ & ponderosæ molis, quæ rotando devolvuntur, & à rebus altis, quæ quo sunt altiores eò graviore impetu decidunt: q. d. cum nullam legitimam occasionem habeat in nos irruendi; prætextu hujus pecuniæ eam captat. Super excelsa terræ vehere populum suum* DEUS dicitur, Deut. 32. ℣. 13. Esa. 58: 14. quo divina tùm defensio, tùm exaltatio & glorificatio innuitur. *In altis habitare*, Esa. 33. ℣. 16. dicitur pro securum ab hostibus esse, & patrocinio Jehovæ vera fide frui &c. g *Elevare animam ad Deum*, Psalm. 25: 1. Psalm. 86: 4. fiduciam & spem in DEO ponere, ipsumque sincerè comple- g Elevare.

Margin notes (left column): a Prædari. — b Rapere. — c Rursus crucifigere Christum. — d Locus.

Cti

cti amore, notat. Pulcerrima Augustini verba sunt, in Psalm. 85. (86.) tom. 8 col. 940. *Rectè admonet membra sua, ut sursum corda habeant. Audiant ergo & faciant, levent ad cœlum, quod malè est in terrâ. Ibi enim non putrescit cor, si levetur ad Deum. Frumentum si haberes in inferioribus, ne putresceret, levares ad superiora. Frumento tuo quaeris mutare locum, & cor permittis in terra putrescere? Frumentum levares in superiora, cor leva in cœlum. Et unde, inquis, possum? qui funes, quae machinae, quae scalae opus sunt? Gradus, affectus sunt: iter tuum, voluntas tua est. Amando ascendis, negligendo descendis. Stans in terrâ, in cœlo es, si diligas Deum. Non enim sic levatur cor, quomodo levatur corpus. Corpus ut levetur, locum mutat, cor ut elevetur, voluntatem mutat.* רוממות *exaltationes Dei in gutture credentium esse dicuntur*, Psal. 149: 6. & sæpè aliàs Deus *exaltari* ab ipsis dicitur, Psal. 66: 17. Psalm. 99: 5, 6. Dan. 4: 34. quo laus Dei & gratiarum actio, pro beneficiis immensis significatur. De *profunditate* suprà in mentione terræ egimus. [a] *Retrorsum*, אחור ad animum hominis relatum, discessum per infidelitatem à Deo, quam apostasian vocant, innuit, Jerem. 7. ℣s. 24. Contrà, *retrorsum convertere cor Israëlitarum* Deus dicitur, 1 Reg. 18: 37. videlicet à cultu Baal, quem falsum esse, Dei miraculo edocti, cognoverunt. *Retrorsum non reversum se fuisse* (à Deo) Salvator ait Esa. 50: 5. quo obœdientiam suam vult significatam. [b] *Dextrorsum vel sinistrorsum se vertere*, Gen. 24. ℣s. 49 significat, scire quid faciendum vel omittendum sit; metaphorâ à constitutis in bivio, & certam ex duabus sibi viam eligentibus, desumtâ. Alias crebrò de obœdientia erga mandata divina, phrasis hæc usurpatur, quòd *neque dextrum, neque sinistram versus ambulare* debeant homines, hoc est, rectam illam cultus divini & vitæ sanctæ vitam ac rationem inire, quam ipse Jehova in verbo suo præscripsit, Deut. 5: 32. cap. 17: 11, 20. cap. 28: 14. Jos. 1: 7. cap. 23: 6. Prov. 4: 27. Esa. 30: 21. &c. Diversâ ratione *dexterum latus* prudentiæ, circumspectionis & honestatis; *sinistrum* verò imprudentiæ, temeritatis & incogitantiæ symbolum est, Eccles. 10: 2. &c. [c] *Latitudo* itidem metaphoras quasdam efficit. Est enim *dilatare*, רחב idem quandoque ac liberari ex calamitatibus & juvari, Psalm. 4: vers. 2. Psal. 18: 20. Psalm. 31: 9. Prov. 18: ℣s. 16. Sicut contra [d] *angustiae*, צרות, afflictiones, mala & pericula notant, Psal. 25: 17. (ubi *angustias cordis dilatari*, hoc est, multiplicari & copiosas reddi, dicitur.) Ps. 31: 10. Psal. 138: 7. Prov. 11: 8. cap. 24: 10. Flacius: *Crebrum est, ut per metaphoram ab angustiis locorum, ubi vel ab hoste, vel alioqui, clausi & veluti constricti sumus, variae difficultates nos undique prementes notentur; & contrà, à locorum & commoditatum amplitudine & latitudine, res secundae.* Insuper *dilatari cor*, pro exhilarari est, Psal. 119: 32. Esa. 60: 5. Flacius: *In rebus adversis dolore ac mœrore cor & frons, atque adeò totus homo coarctatur, corrugatur & constringitur: contrà verò in laetitia ac gaudio ampliari, & quasi expandi sentitur. Inde ergo fit, ut dilatatio pro consolatione ac exhilaratione accipiatur.* Paulò aliter ea phrasis ab Apostolo accipitur 2 Cor. 6: 11. *Cor nostrum dilatatum est*, ℣s. 12. *non estis angusti in nobis, sed angusti estis in visceribus vestris*, ℣s. 13. *eandem autem remunerationem, ut filiis loquor, dilatemini & vos.* Significat, se ex nimio amore & gaudio cum ipsis agere atque loqui, & vicissim expetit, ut & ipsi liberè, candidè, aperto pectore, & læto animo erga se affecti sint, agantque. Beza: *Sententia est: Vos in animo meo quasi domicilio quodam estis, eoque minimè angusto. Totum enim vobis cor meum patefeci, atque adeo vestri accipiendi causâ veluti dilatavi. At vos intus mihi estis angusti, cui locus non sit apud vos; quorum tamen viscera oportuerat mihi quoque patere ac vicissim me capere* (cap. 7: 2.) *ut par pari referretis. Sed & tacita antithesis subest in eo, quòd unus multos ultrò recipit, multi verò ne unum quidem vicissim capiunt. Latitudo cordis* præter jam dicta, quandoque in *bonam* partem sumitur, sapientiæ & virtutis amplitudinem denotans. 1 Regum 4: 29. Quandoque in *malam*, superbiam & audaciam significans, Psalm. 101: 5. Proverb. 21: 4. cap. 28: 25. *Dilatari os* dicitur, cùm liberè & gaudenter sermo profertur, 1 Sam. 2: 1. quod *apertum esse os*, dicitur 2 Cor. 6: 11. Eph. 6: 19. Emphaticè Deus jubet *dilatari os populi sui, & impleturum se id* promittit Psal. 81: 11. ubi vel ampla & larga petitio metaphoricè notatur: vel ad avium infantumvè nutritionem respicitur, qui porrigente matre cibum, os aperiunt, ut porrectum alimentum accipiant. Similis phrasis exstat Psal. 119: 131. Alia verò *dilatatio oris impiorum* est, quâ metonymicè petulans adversus pios insultatio & ἐπιχαιρεκακία significatur, Ps. 35: 21. Esa. 57: 4. Tandem *dilatare animam*, est avaritiâ & πλεονεξίᾳ maximopere laborare Hab. 2: 5. quod & de inferno per prosopopœiam asseritur Es. 5: 14. de quo suprà &c.

In specie ad loca, in quibus homines habitant vel recipiuntur, ut perveniamus, expendendæ illorum tùm [e] *partes*, tùm *species*. Partes, à quibus metaphoræ ducuntur, sunt hæ. [f] *Fundamentum*, in quo consideranda, (1.)

dig-

[a] Retrorsum.

[b] Dextrorsum & sinistrorsum.

[c] Latitudo.

[d] Angustiæ.

[e] Partes ædificii.

[f] Fundamentum.

dignitas, quòd principalis ædificii pars est, cui tota moles superædificata incumbit. Inde Christus in Evangelio oblatus, *fundamentum Ecclesiæ* (quæ spirituale ejus ædificium ac domus est) dicitur, Esa. 28: 16. 1 Cor. 3: 10, 11. Eph. 2: 20. Confer Matth. 16. ℣s. 16, 18. 1 Pet. 2: 4, 5. Jud. ℣s. 20. Apoc. 21: 14. quia ab ipso, & per ipsum, & in ipsum omnia sunt, quæ ad Ecclesiæ collectionem, conservationem & salvationem pertinent. (2.) Stabilitas & firmitas, quæ exinde in totum ædificium porrigitur. Hinc de creatione terræ, solidi & immoti illius corporis, ejusque partium usurpatur, Exod. 9: 18. Job. 38: 4. Psal. 24: 2. Psal. 104: 5. Prov. 3: 19. c. 8: 29. Heb 1: 10. Unde pro solo, quod calcamus, usurpatur Hab. 3: 13. *Nudando fundamentum*, hoc est, terram tuam ab hostibus tuis liberando, qui priùs eam totam ita contegebant, quasi perpetuò fuissent in ipsa radicati, v. 6. *Justo fundamentum perpetuum esse* dicitur, Prov. 10: 25. hoc est, ea in Christo Domino stabilitas, ut à nullo superari, & à beatitate sua deturbari possit. 2 Tim. 2: 19. *Solidum fundamentum Dei stare* dicitur, *cujus signaculum sit: Dominus novit, qui sint sui &c.* Ubi & *fundationis & obsignationis* metaphorâ, propositum electionis ad vitam æternam intelligitur, in solo Christo fundatum, qui fundamentum Ecclesiæ ac salutis est, & quem ἐσφράγισεν, *obsignavit Deus*, Joh. 6: 27. Huc pertinet, quòd *fundare* est pro *confirmare*. Esa. 14: 32. Eph. 3: 18. Col. 1: 23. Et pro *consultare*, quia omnis actionis, quæ successum habet, principium & fulcrum, consilium est & deliberatio, Psal. 2: 2. Psal. 31: 14. Et pro *statuere*, decernere, ordinare, ut firmum ratumque maneat, 1 Par. 9: 22. Est. 1: 8. Ps. 8: 3. (3.) Ordo, quòd primum omnium est in exstructione, & ultimum in destructione domus. Inde pro *initio* respectu temporis accipitur. Esd. 7: 9. & pro *extremo*, in populi excisione & deletione, Psal. 137: 7.

*Paries* ad humanum corpus transfertur Jer. 4: 19. קִירוֹת *parietes cordis mei*, hoc est, præcordia & ipsa latera, in quibus sub hypochondriis in magno mœrore dolor sentitur. Actor. 23: 3. Paulus summum Pontificem vocat *parietem dealbatum* hoc est, hypocritam vaniloquum, qui se titulo functionis suæ jactet, & foris videatur sanctitate pollere, cùm intus sit plenus errorum ac impietatis spurcitie atque sordibus. Confer Matth. 23: 27. Videtur parietum illud genus intelligi, quod ex luto conficitur: uti & [b] Ezech. 13: 10. ubi eleganter חַיִץ Junius & Tremellius reddunt, *luteum parietem* qui ex luto materiaque per plateas (חוּץ *foris, extrà, platea*) jacente efformatur. Sensum autem prophetiæ illius, ℣s. 10. seqq. hac annotatione efferunt: *Elegans allegoria: Ita sunt, inquit Deus, Pseudoprophetæ isti, ut structores nequam inter se colludentes, quorum si quis lutum e plateis comportaverit, & lutacei parietis formam construxerit; omnes uno consensu advolant; & operam suam consumunt in colendo & ornando falso pariete: Ita exstruunt illi, ac potiùs destruunt Ecclesiam Dei, quorum fuerat ascendere ad irruptiones, & firmam sepem obducere*, ℣s. 5. Flacius; *Parietem ruinosum linire, est tùm falsam doctrinam ac religionem inanibus sophismatibus ac coloribus pingere, & velut fulcire conari: tùm etiam homines, imminente eis horribili Dei irâ ac pœnis, humanis figmentis consolari & securos reddere, persuadendo illis adesse favorem Dei ac pacem, cùm adsit ira & pœna, veluti ignis quidam consumens.* [c] Eph. 2: 14. μεσότοιχον, *intergerinus paries*, addita φραγμȣ̃ voce (ut fit velut hypallage, pro φραγμὸν τȣ̃ μεσοτοίχȣ, *septum intergerini parietis*) vocatur à Paulo lex Mosaica, quæ & septi instar erat, quo populus Judaicus custodiebatur, & paries intergerinus, quo à gentibus separabatur. Syrus: *maceriem, quæ erecta stabat in medio.* Aretius in Comment. *Lex Mosaica dicitur μεσότοιχον hoc est, medius paries, qui diversa conclavia dirimit, illo sublato, ex utroque unum fit conclave: Sic erat synagoga Judaica distincta per legem Mosis, quasi pariete, à gentibus, quæ suis vivebant legibus; hic φράγμα sublatum est, hoc est, tota politia Mosaica, & simul discrimen illud gentium, ut utrinque jam unam Christi constituant Ecclesiam.*

2.

[c] Eph. 2: 14. paries intergerinus.

*Murus*, roboris & defensionis, in metaphora, symbolum est, sicut hæc duo in muris conspicere datur, 1 Sam. 25. v. 16. Psal. 18. v. 30. Esa. 26. v. 1. Jer. 1. v. 18. cap. 15. ℣s. 20. 3.
*Ruptura muri* contrà, ablati roboris defensionisque est symbolum. Unde phrasis: *In ruptura vel rupturis* (muri) *stare seu ascendere*, Ezech. 13. v. 5. c 22. v. 30. pro precibus piis, periculis, ob iram Dei adversus peccata ingruentibus, diligentes obsistere. Eodem sensu de Mose usurpatur hæc phrasis Psal. 106. ℣s. 23. *Et dixit* (DEUS) *se disperditurum eos, nisi Mose electus ejus stetisset* בַּפֶּרֶץ *in ruptura coram eo, ut averteret iram ejus, ne disperderet.* In quæ verba Vatablus ita annotat; Ad verbum, *in divisione ad faciem ejus*; id est, nisi in puncto iræ occurrisset DEO, recente adhuc scelere: quod non minùs erat periculosum quàm est ruptura murorum, quòd eâ parte pateat hostibus in urbem aditus. Metaphora à ruptione murorum urbis obsessæ, qua parte

[a] Act. 23: 3. paries dealbatus.

[b] Ezech. 13: 10. paries oblitus.

parte hostes irrumpunt. Vide. Ezech. 13. v. 5. cap. 22. v. 30. similem locutionem. *Stetisse in fractura* dicitur Moses, cùm suâ intercessione ita placavit Deum, ut non irrueret in populum, quemadmodum aditus patebat. Hæc ille. Diminutivum quasi muri est *maceria*, sive ª sepes, גדר, quæ paries non robustus est in ædificiis, hortorum item vinearumque septum. Esd. 9. v. 9. orant Judæi, *dari sibi sepem in Juda & Jerusalem*, hoc est, quamcunque ab hostibus tutelam ut loca communita paulùm exædificare sibi liceat Ezech. 13. v. 5. *Sepire sepem super domum Israel*, additur phrasi alteri, de qua dictum, *in fracturas ascendere*, & est, Satanæ, & malo irrumpenti in Ecclesiam, diligenter obsistere, uti & cap. 22. vers. 30. id quod precibus & pietate fieri, ex aliis locis abundè patet. Confer Jer. 5. vs. 1. Psal. 106: 23, 30.

ª Sepes

*Gradus* βαθμὸς, quo ascenditur, in ædificio, pro incremento donorum spiritualium accipitur, 1 Timoth. 3. v. 13. *Qui benè ministraverint, gradum sibi bonum acquirunt*, hoc est, qui accepto hoc dono Spiritus, ut possint esse ministri electi sanctorum, benè usi fuerint ad Ecclesiæ utilitatem, illi indies ex dono Dei augentis proficient, & altiùs quasi assurgent. Sequitur: *Et multam libertatem in fide, quæ est in Christo Jesu.* Confer Matth. 13. v. 12.

*Columna* domum ejusve partes stabiliens, per metaphoram, res columnæ similes notat, tùm ratione *figuræ* externæ Exod. 13. v. 21, 22. Jud. 20. v. 40. Apoc. 10. v. 1. tùm ratione *usus*: quia enim columna domus firma est, & totam molem incumbentem sustinet, igitur constantiæ & firmitatis perennitatisque notionem in sermone obtinet. Prov. 9. v. 1. Jer. 1: 18. Job. 9: 9. c. 26: 11. 1 Tim. 3: 5. Apoc. 3: 12. Dignitatis item, & præeminentiæ, in Ecclesia, Gal. 2: 9. & Republica, Psal. 75: 4.

*Angulus*, פאה, quia extremitas ædificii vel conclavis est, igitur pro aliarum etiam rerum extremitate sumitur; utpote, (1.) *Terræ*, & plagam sive latus mundi significat, Exod. 27. v. 9. Num. 34. v. 3. Neh. 9. v. 22. Jer. 9: 26. inde verbum Deut 32. v. 6. אפאיהם *angulabo eos, in angulos profligabo eos*, hoc est, dispergam eos in extremitates terræ, LXX. διασπερῶ αὐτὰς. Quidam in tres dictiones unicam hanc dividunt, ac si essent אף אי הם *etiam ubi ipsi?* q. d. ponam eos, ac si non essent, ut dicatur de illis, ubi sunt? (2.) *Agri & regionis*, Levit. 19. vers. 9. Num. 24: 17. ubi Chald. & LXX. *principes* intelligunt. (3.) *Capitis*, & illam extremitatem significat, quæ frontem, tempora, & partem post aurem circumscribit, Lev. 13: 41. cap. 19: 27. (ubi & de extremitate *barbæ*, seu mystace usurpatur.) Huc refertur à quibusdam פתהן Esa. 3. v. 17. pro פאתהן *angulum capitum ipsarum.* *Angulus exterior* ædificii, פנה, quia in utrumvis latus prospectui prostat (unde & à פנה *respicere* dicitur) & ædificium continet, pro principe, rege vel magnate sumitur, Jud. 20. vers. 2. 1 Sam. 14. vs. 38. Esa. 19. vs. 13. unde & appellatio *lapidis anguli*, quæ Christo tribuitur Ps. 118: 22. & explicatur Eph. 2: 15, 16, 17, 20.

*Clavus* יתד, quia bene infixus certò suum locum obtinet, & vel tentoria, vel alias res adnexas continet, partim sedem certam fixamque significat Esd. 9: 8. partim virum, rebus in Republica gerendis accommodum utilemque, Esa. 22. v. 23. unde à Chald. אמרכל מהימן *gubernator fidelis*, & à LXX. ἄρχων, *Princeps* vertitur.

*Janua seu ostium*, metaphoricè de iis usurpatur, quæ ejus vicem quandam, in apertione præstant. Ut de urbe populosa, per quam, tanquam januam, mercatores ex omnibus populis ingressi & egressi sunt, Ezech. 26: 2. De terminis regionis, per quos intratur in eam, sicut per ostium in domum, Mich. 5. vs. 5. (ubi בפתחיה à quibusdam vertitur, *in gladiis suis*, refragante & significati hujus usu, & affixo fœminino, quod non ad pastores & principes, v. 4. sed ad terram Nimrod seu Assyriam pertinet, & ita tota vox, *in terminis ejus* (terræ) reddenda est, *Gladii* autem vox jam tùm præcedit; per quem gladius Spiritus, & in toto versu, Apostolica Euangelii prædicatio, intelligitur.) De operculo arcæ, 2 Reg. 12. vers. 9. De labiis, quibus os clauditur & aperitur, Job. 41. vs. 5. Psalm. 141. vs. 3. De nubibus & æthere, ex quo manna decidit in deserto, Psam. 78. v. 22 De utero materno, Job. 3. v. 10. ubi Chaldæus *vasa umbilicalia fœtus* intelligit, per quæ nutrimentum ei venit, antequam nascatur. Usurpatur etiam de eo, quod januæ speciem quandam refert, ut de pagina libri, ᵇ Jerem. 36. v. 23. Buxtorffius institut. Hebr. pag. 4. *Scribebatur volumen* (מגלה) *ut & hodie, lineis, non per longitudinem totius chartæ aut pergamenti deductis (ut fit in instrumentis nostrorum contractuum) sed in plures areas divisis, quomodo sunt latera paginarum in libris complicatis. Sic hodie libri Mosis, & liber Esther (qui Megilla synecdochicè vocatur) in synagogis Judæorum visuntur scripti in pergameno longo, circa lignum voluto, scripturâ in areas instar paginarum distincta. Inde etiam capiendum, quod apud Jeremiam cap. 36. legitur, volumen libri, lectis in eo tribus aut quatuor*

ᵇ Jer. 36: 23. Janua pro pagina.

*nor foliis, fuisse cultro discissum & combustum. Non enim erant folia separata, ut sunt librorum, sed area, instar paginæ aut lateris unius folii. Ista propterea voce metaphoricâ vocantur* דלתות *januæ, valvæ, quòd figuram januæ referant. Hâc formâ liber Esther hic Basileæ his nundinis pro Judæis excusus est &c.* Ratione spiritualium, *ostium spei*, Hos. 2. v. 15. ipsam ejus conformationem cœlestem, & cœli spiritualem quasi apertionem, quæ fide fit, notat: de quo loco suprà etiam, in mentione *vallis Achor*, . 10. dictum fuit. *Ostii apertio*, commoditatem verbum Dei prædicandi, eaque homines Christo lucrifaciendi significat, Esa. 26: 2. cap. 0: 11. Act. 14: 27. 1 Cor. 16: 9. 2 Cor. 2: 12. ol. 4: 3. Apoc. 3: 8. *Janua seu porta cœli*, locus vel medium est, per quod ad beatitudinem cœlestem pervenitur, Gen. 28: 17. Matt. 14. Luc. 13. v. 24. quod idem *porta justitiæ* notat, Psalm. 118: 19, 20. Christus seipsum *nuam seu ostium* vocat, nimirum ovilis spiritualis, quod est Ecclesia, Joh. 10: 1, 2, 7, 9. uia est solus ille mediator, per cujus agnitionem rectè in Ecclesiam, & per hanc in vitam ternam introitur, uti explicatio ibidem adta declarat. Atque huc referri potest commodè phrasis quòd *claudere regnum cœlorum*, *introitum prohibere*, Pharisæi dicuntur, Matth. 23. v. 14. quia à salvifica doctrina Christi (qui solus *janua* regni cœlorum est) quocunque modo homines avertebant, & verbum ei, per quod ad Christi γνῶσιν pervenitur, pravabant. Quò pertinet *clavis scientiæ*, de qua paulò post dicetur. Aventinus lib. 4. an. I. Bojor. ad sui temporis Ecclesiasticos (præles & Doctores Papales) pulcrè verba Christi applicat, ita scribens: *Homines suaves se ituos cœli faciunt, ubi nec fuerunt, nec sunt, unquam erunt, nisi tandem nugari desinant.* Refert Wolfius cent. 1. lect. memorab. & rendit. p. 17. *Ante januam esse vel stare*, propinquitatem temporis notat, Matth. 24. v. 33. c. 5. vs. v. 9. *Portæ mortis & sepulcri*, ipsam is potentiam, vel extrema pericula notant, b. 38: 17. Psal. 9: 14. Psalm. 107: 18. Esai. . v. 10. *Portæ inferorum* Matth. 16: 18 dentant consilia, machinationes, ac potestam Diaboli, & omnium ejus ministrorum, reticorum videlicet & Tyrannorum: ratio similitudinis inde ductâ, quòd in portis n judicia & consultationes exercebantur; quòd portæ ac muri urbibus munimentum stant. *Pulsare* (januam gratiæ Dei) credentes dicuntur, cùm instanter orant, Matth. . 7, 8. Luc. 11: 9. Vicissim *Deus pulsare* *iam* (cordis nostri) dicitur, cùm ad pœnitentiam quovis modo nos invitat, Apocal. 3. vers. 20. Utriusque metaphoræ ratio in propatulo est. Ut pulsans ostium intromitti in ædes cupit: Ita orans in cœleste regnum recipi anxiè desiderat; Et Deus in corde, per fidem, gratiâ suâ habitare gestit &c.

*Vectis seu repagulum*, quo fores portarum civitatis aut domus confirmantur, 1 Sam. 23. v. 7. metaphoricè omne rei munimentum & robur significat, Job. 38: 10. Psal. 147: 13. Ezech. 30: 18. Amos 1: vs. 5. Esai. 15: 5. cap. 43. vs. 14.

*Clavis*, quâ janua reseratur, autoritatem & potestatem gubernationis & expeditionum significat; Esa. 22: 22. Solent enim œconomo claves domus dari, ut res utiles promere & condere possit, prout opus est. Christo eadem tribuitur, tùm ratione *inferni & mortis*, Apoc. 1: v. 18. tùm respectu *Ecclesiæ & regni cœlorum*; Apoc. 3. v. 7. Utroque loco summum dominium, & universalis gubernatio denotatur. *Clavis scientiæ* Luc. 11: 52. potestatem docendi & interpretandi scripturas notat. Verba Christi commodè Erasmus παραφράζει: *Etiam atque etiam va vobis legis peritis, qui cùm profitemini legis cognitionem, quæ spiritualis est, & vindicaveritis vobis clavem scientiæ, quæ debebat aperire aditum in regnum cœlorum, tamen non solùm ipsi non introistis, verùm alios introire volentes exclusistis. Dum enim legem perperam interpretamini, oppugnatis id, quod est totius legis caput &c.* [a] *Claves regni cœlorum* Matt. 16: 19. officium sive ministerium notant, remittendi & retinendi peccata, ut ibidem, & Joh. 20: 23. docetur. Est autem alia innexa metaphora, *à ligando & solvendo vincula seu catenas*, ducta: de qua D. Calixtum, commodè in Harmonia Evangelica de ea disserentem, audire lubet: *Metaphora quæ subjungitur & per quam claves explicantur, ligandi & solvendi, posset videri nova, & recedere à metaphora clavium; sed ita non est. Respexit Dominus ad ligationem & solutionem vinculorum sive catenarum, quæ appositis seris impingi, & ope clavium removeri solent. Et sanè peccata sunt catenæ, quibus vincti detinentur homines, ne regnum cœlorum ingredi possint; demtis verò illis introire fas est. Qui itaque peccata retinent aut remittunt, ii catenas, seu rectiùs & accuratiùs loquendo, homines, quibus catenæ injiciuntur aut demuntur, ligant vel solvunt, eoque ipso aditum cœlorum claudunt vel patefaciunt, atque inde claves regni cœlorum habere dicuntur. Quanquam igitur respectu cœlorum dici debebat, aperire & claudere, respectu tamen hominum dicendum erat, solvere & ligare. Sunt omnes metaphoricæ locutiones: qui solvitur, ei aperitur cœlum, qui ligatur, ei clauditur. Solvere igi-*

[a] Matt. 16: 19. Claves regni cœlorum.

*tur & ligare idem quod aperire & claudere: adeoque solvere & ligare, totus & adæquatus effectus est clavium: nam per claves ipsa autoritas & officium; per solvere & ligare, actus illius officii declarantur.*

De partibus ædificiorum dictum hactenus; sequuntur [a] *species.* Inter eas primum locum meritò tenet *urbs vel civitas*, quâ metaphoricè catholica Ecclesia exprimitur, tàm in hoc seculo militans, Esa. 26. ℣s. 1. Hebr. 12. v. 22. Confer Matth. 5. v. 14. quàm in cœlesti gaudio triumphans, Hebr. 11. ℣s. 10. cap. 13. v. 14. Apoc. 21: 2. &c. Unde πολίτευμα, *civilis vita, jus civitatis, municipium*, credentibus *in cœlo esse* dicitur, Phil. 3. ℣s. 20. quâ phrasi non spes solùm certa vitæ æternæ innuitur; sed & sancta vitæ conversatio, quòd ita instituunt vitæ actiones, tanquam in cœlo versantes, obliti terrenorum omnium. Opponit enim eis, τοὺς τὰ ἐπίγεια φρονοῦντας, ℣s. 19. Item Phil. vitæ sanctæ officium conformi phrasi exprimitur, Phil. 1. 27. ἀξίως τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ πολιτεύεσθαι (ἀπόλις, *civitas*) *dignè Evangelio Christi conversari.* Confer Actor. 23. ℣s. 1. &c. Præter hæc, de stolido ac insipienti homine dicitur Eccles. 10: 15. *quod nesciat ire in civitatem*, hoc est, nesciat rationem ac modum agendi rectè ea, quæ instituit; q. d. similis est ei, qui in civitatem aliquam iturus, viam ignorat, quæ in illam ducit, & quam vel cœci discere poterant; tàm stupidus & ignarus est. [b] *Munitiones* eleganti metaphorâ Paulus 2 Cor. 10: 4. usurpat, pro omni eo, in quo hostes Evangelii confidunt, & contra veritatem cœlestis verbi sese muniunt, efferuntque, qualia sunt, carnalis sapientia, eruditio, eloquentia &c. At his *arma ila divinitùs valida* opponuntur, quæ verbum Dei, & per id se exserens Sp. S. virtus, sunt. [c] *Turres* quandoque superbos, magnates & tyrannos hujus seculi notant, Esa. 2: 15. cap. 30: 25. Alia *munitionis & Turris* significata metaphorica, videantur suprà cap. 8. circa finem. [d] *Domus* Ecclesiam metaphoricè significat, in qua Deus spiritualiter habitans, gratiâ & gloria suâ eam implet. De *militante Ecclesia* accipitur Ps. 27: 4. Ps. 69: 10. (Joh. 2: 17.) Psal. 84: 5. Psal. 92: 14. Esa. 56: 5, 3, 7. Eph. 2. v. 19, 22. 1 Tim. 3: 15. Heb. 3: 6. cap. 10: 21. 1 Petr. 2: 5. cap. 4: 17. (Quo pertinet *œconomi* appellatio metaphorica ministris verbi divini tributa, 1 Cor. 4: 1. cujus explanationem vide in Exeg. Evang. & Epist. part. 1. p. 274: 285.) Crebrò etiam *Templum Hierosolymitanum* domus Dei dicitur, 2 Sam. 5: 6. Ps. 26: 8. Psal. 122: 1. Jer. 7: 11. Matth. 21: 13. &c. De *Ecclesia triumphante*, & vita æterna, appellatio accipitur Psal. 36: 9. Joh. 4: 2. 2 Cor. 5: 1, 2. Atque ita dicitur, ob familiarem Dei cum beatis conversationem, sicut paterfamilias in domo sua cum suis domesticis familiariter conversatur: ob perfectam Dei notitiam & claram ejusdem visionem, sicut paterfamilias à domesticis suis videtur & agnoscitur: ob quietam & securam habitationem, sicut in corporali domo habitationis commoditas, possessionisque securitas præstatur: ob speciosam exornationem, sicut quò majori potentiâ Rex terrenus pollet, eò pulcriorem sibi domum exstruit: ob filiorum Dei in hanc domum collectionem mutuamque familiaritatem & concordiam, gaudii ineffabilis plenissimam, sicut in domo terrena liberi unà collecti, familiariter & concorditer invicem vivunt, vivere certè debent &c. *Tabernaculum* ejusdem ferè significati est. De Ecclesia militante accipitur Psal. 15: 1. Psal. 27: 5. Psal. 84: 2. De Ecclesia triumphante Luc. 16: 9. Apoc. 21: 3. [e] *Tabernaculum David* Amos. 9. vers. 11. Act. 15: 16. regnum Messiæ & Ecclesiam denotat, quo, utut humile est, pii proteguntur. Collapsum illud erat, ut ibidem dicitur, hoc est, per corruptelas falsorum doctorum, & crudelitatem tyrannorum (ut in libris Maccabæorum videre est) variis modis debilitatum, ut ruinam totalem minari quasi videretur. Sed erectum iterum fuit per prædicationem Apostolorum & vocationem gentium ad regnum Christi; quem scopum dicti allegatio in Actorum Apostolicorum libro manifestè comprobat, &c. Insuper *tabernaculi* vox de Solis in cœlo mansione dicitur Ps. 19: 5. & de corpore humano, 2 Cor. 5: 1, 4. 2 Pet. 1: 14. quia in eo anima, velut in domicilio suo habitat, donec emigrare in morte à Deo jubeatur. [f] *Penetrale* conclave secretius, חדר, Regi cœlesti tributum, cœlestis consortii, quo in cœlis fruuntur beati, symbolum est, Cant. 1: 4. In plurali autem vox posita, *mansiones illas multas* notat *in domo Patris*, de quibus Joh. 14: 2. Præter hoc חדר de cœli parte australi usurpatur, quæ ad polum antarcticum, sive axem meridianum, qui polus veluti inferior subest horizonti nostro, & à nobis non videtur, Job. 9: 9. cap. 37: 9. *Penetralia mortis* Proverb. 7: 27. sunt mors æterna, ex qua revocari & reduci hominem damnatum ἀδύνατον est, Esa. 26: 20. *penetralia seu cubicula populi Dei*, sunt mortis temporalis κοιμητήρια ex quibus in die extremo gloriosa fiet reductio. [g] *Carcer*, & in eum inclusio, elegantissimè, ad notandam Dei, adversùs hostes, vindictam & coercitionem, transfertur Esa. 14: 21. *Et erit tempore illo, visitabit Dominus* (h. e. animadvertet) *in exercitum excelsi cujusque, cum*

[a] Species ædificiorum Urbs.
[e] Tabernaculum.
[b] Munitiones.
[f] Penetrale.
[c] Turres.
[d] Domus.
[g] Carcer.

*ipso excelso, & in Reges terræ cum terra ipsorum* (summos & infimos, Reges & subditos puniet) ℣s.22. *Ut colligantur collecti, vincti in foveam, & occludantur in claustro* (hoc est, captivi teneantur potentiam Dei, quicunque adversantur ipsi; denotat autem hæc occlusio in carcere, quasvis Dei pœnas) *& post multos dies desiderentur* (hoc est, longo intervallo, imò unquam amplius, non extollant se adversùs Deum, neque exstent inimici ejus. Hæc enim verbi פקד, in Niphal, significatio est, ut *desiderari*, seu *deesse*, significet, 1Sam. 20:18. cap.25:18. 2Sam.2:30. Jerem.23:4. &c.) Non absimili allegoriâ Paulus, hostium Ecclesiæ spiritualium subjectionem, verbi divini virtute factam, describit 2Cor.10:4,5. &c. Præter hæc, *animæ de claustro seu carcere eductio* divinam ex malis periculisque liberationem, & mentis lætificationem post angustias, notat, Psal.142:8. [a] *Navis* (ædificium, maris transitui accommodum) in metaphora vix usurpatum reperietur, nisi quod Esa.33:21. *classis impulsa remis & navis magnifica*, omnem vim Ecclesiæ Dei adversariam notat; ubi contrà Jehova Ecclesiam protegens, instar *fluviorum rivorumque amplorum spatiis* proponitur, quæ classem illam hostilem hautquaquàm admittunt. Et quòd Psal.48:8. *confractio navium Tharsis*, præpotentium tyrannorum atque hostium veritatis confusionem, divinitùs factam, secundùm quosdam interpretes notat: quo cum conferri potest Esa.2:16,17. Præter hoc ναυαγεῖν, *facere naufragium circa fidem*, 1Tim.1:19. de fidei excussione atque amissione, per apostasian à veritate Evangelii, & vitæ improbitatem, accipitur. Tandem [b] *sepulcrum*, (corporis humani post mortem receptaculum) ad pessimam hominis naturam, peccato depravatam, metaphoricè transfertur, Psal.5:10. Rom.3:13. *sepulcrum apertum est guttur eorum.* Flacius: *vocat omnes homines sepulcra aperta, quòd sicut ex illorum putredine teter ac pestilens fœtor exhalat: ita & ex omnium hominum pessimo thesauro cordis, per guttur ac os eorum, nonnisi pessimi sermones & consilia exeant.* Confer Matth. 23:27,28. &c. De rege Babyloniæ dicitur Esa.14:11. *quòd deducatur in sepulcrum fastus ejus, strepitus nabliorum ejus*; hoc est, omni honore sepulturæ careat, justaque ipsa, quæ ei, ut potentissimo Regi, solvenda erant, vetet sepulta jaceant, neque adhibeantur. Evenisse hoc ei, ex Dan.5. colligi non obscurè potest.

## *A variis hominum adjunctis desumtæ metaphoræ.*

Possunt adjuncta hominis in *interna & externa* distingui. De *internis* hinc inde quædam hactenus dicta. De *externis*, per quæ varia, quorum in communi vita usus est instrumenta, vasa, utensilia &c. intelligimus, seorsim hîc tractabitur, quibus addi possunt, quæ superiùs c.7. circa finem (de adjunctis humanis, Deo tributis) allata sunt. Etsi autem certo ordine & in distinctas classes hæc quoque dispesci possunt, magis tamen placet ea serie, qua sibi capitalibus literis succedunt, mixtim recensere.

*Arma*, conspicuâ emphasi ad spiritualem hominis pugnam referuntur, adversus carnem, mundum & Satanam, Rom.6:13. c.13:12. 2Cor.6:7. c.10:4. 1Petr.4:1. Elegantissima hujus panopliæ διατύπωσις Eph. 6:11. seqq. proponitur, de quo, & reliquis adductis locis, quædam in Exeg. Evang. & Epist. part.1. p.105. & part.4. Dom.21. Trin. legi possunt. Ut *fortem armatum* Christus proponit Diabolum, Luc.11:21. Groß Macht und viel List sein grausam Rüstung ist / auf Erden ist nicht seins gleichen &c. Species armorum sunt, [c] *gladius*, qui vel nocentem; vel penetrantem & efficacem rem, in metaphora notat, cùm utriusque ratio in gladio usurpato conspici detur. (1.) *Rem nocentem*, & ita dolores acerbissimos notat, Psal. 22:21. Luc.2:35. Quâ ratione linguæ maledicæ & virulentæ tribuitur. Ps.55:22. Ps. 57:5. Ps.59:8. Job 5:15. Conf. Ps.64:4. &c. In phrasi, *gladium sive cultrum adponere gutturi*, periculum magnum designat, Prov. 23:2. (2.) *Rem penetrantem* maximè & efficacem notat Ps.149:6. Mich.5:5. Eph. 6:17. ubi de verbo seu sermone Dei accipitur, qui *gladio ancipiti* τομώτερος, *scindendo penetrabilior esse* dicitur Heb.4. vers.12. (cui ferè convenit, quòd Phocylidi λόγος dicitur esse ὅπλον τομώτερον σιδήρου: quod eminentissimâ ratione sermoni divino competit) Confer etiam Es. 49:2. Apoc.1:16. c.2:12,16. [d] *Arcus & sagitta* itidem ad linguam maledicam & mendacem notandam adhibentur, Psal.64:4. Psal. 120:4. Jer.9:3. *Sagitta per diem volans* Ps. 91:5. quodvis malum subitò irruens vel periculum denotat. Quâ ratione Deo ἀνθρωποπαθῶς tribuatur, suo loco dictum. [e] *Pharetra*, sagittarum theca, ad familiam, in qua liberi benè educantur, designandam adhibetur, Ps. 127:5. Quia enim filios *sagittis in manu potentis*,

[a] Navis.
[b] Sepulcrum.
[c] Gladius.
[d] Arcus & sagitta.
[e] Pharetra.

*tentis*, v. 4. comparaverat (qui גבור *potens*, si legitima ἀπόδοσις & applicatio similitudinis fiat, ipse Jehova est, v. 3. filios probè educatos variis & mirabilibus modis, adversùs hostes regni sui emittens & quasi ejaculans, confer Psal. 8: 3. Matth. 9: 38. confer &, quod *manum* fortem ac tutelam, Esa. 41: 16. & quo ad *sagittæ* similitudinem, Psal. 45: 6. Esa. 49: 2.) igitur in similitudine persistens, domum eos capientem, vocat *pharetram*. Qua ratione impletio pharetræ ritè fiat, Chaldæus ostendit, transferens: *Bonum viro illi, qui implet scholam suam illis*. Εὐτεκνίας nimirum medium, & optimum & necessarium, est scholastica institutio, quæ & domi & in publico peragitur &c. *a Clypei vel scuta* principes & magnates notant, Psal. 47: 10. Hos. 4: 18. qui subditos à vi injusta, clypeorum instar protegere & defendere debent. *Scutum fidei*, quo omnia jacula mali illius ignita exstingui possunt, Paulus vocat verbum Dei, Eph. 6: 16. quia verâ fide susceptum usurpatumque tentationes Satanæ, & omnes ab eo injectas salutis remoras, abigit tollitque. Vide Exeg. d. l. ubi etiam, quid sit *galea salutis*, vers. 17. 1 Thess. 5: 8. expenditur. *b Currus Israël & equites ejus* Elias & Elisa dicuntur, 2 Reg. 2: 12. c. 13: 14. hoc est, vis & præcipuum robur, sicut in bellis hunc usum currus & equites præstant: præsidium & columen Populi Dei.

a Clypeus.

b Currus & equites.

c Col. 2. 18. καταβραβεύειν.

*Baculus*, quia fulcrum est hominis infirmi, per metaphoram notat quodvis subsidium, & auxilium, 2 Reg. 18: 21. Ps. 18: 19. inde *baculus panis; aquæ &c.* pro cibo & potu, quibus vita hominis fulcitur quasi, reficitur & sustentatur, Lev. 26: 26. Ps. 105: v. 16. Esa. 3. v. 1. Ezech. 5: 16. c. 14: 13. quibus locis in Hebræo מטה & משען est. Quò pertinet, quod Ps. 104: 15. *panis* dicitur *fulcire*, (baculi instar) *cor hominis*, hoc est, confortare & reficere hominem. Et סעד *fulcire*, comedendi significatum obtinet, 1 Reg. 13: 7. &c. Contrà *baculus* tenuitatis & paupertatis symbolum est, in illo Jacobi, Gen. 32: 10. *in baculo meo transivi Jordanem hunc &c.* hoc est, tenuis & egenus: Metaphorâ sumta ab iis, qui bello capti, nudi & inermes, post se relictis omnibus, machinis & armis, solo cum baculo dimittuntur. Quia insuper *baculus* instrumentum percussionis est, igitur pro tyrannide, sævitia, imperio duro, accipitur, Prov. 10: 13. cap. 22. v. 8. cap. 26. vers. 3. 2 Sam. 7: 14. Psal. 89. vs. 33. Esa. 10. v. 5, 24. cap. 14: 5. In quibus autem *baculus* pro Rege, majestate, vel imperio accipitur, in iis synecdochicè *baculus* pro *sceptro est*; & hoc per metonymiam signi, significatum illud obtinet, Genes. 49. vers. 10. Num. 24. vers. 17. Psalm. 45. vers. 7. Psalm. 110. vers. 2. Jer. 48. vers. 17. Zach. 10: 11. Ubi & quando מטה *baculus*, pro *tribu* seu familiâ ponitur, Num. 2: 5, 7. seqq. Jos. 20: 9. quia tribuum Israëlitarum signa erant baculi inscriptis earum nominibus. Num. 17: 2. Rursum autem, quando שבט *baculus*, pro *tribu* sumitur, metaphoricam notionem habere volunt, quia scil. ex stirpe seu parente primo enata sit, ut ex radice vel arbore baculus, Jud 18. vers. 19. cap. 21. vers. 3, 6. Deut. 1. v. 13. Esa. 19. v. 13. &c.

d Apoc. 2: 17. Vincenti dabo calculum album.

*Brabeum* baculo commodè succedit, à ῥάβδος enim, hoc est, *bacillus, virga*, derivari Grammatici volunt, quod βραβευτῶν insigne erat, unde ῥαβδοῦχοι appellatio apud Budæum. Est autem *brabeum*, victoriæ in cursu aut certamine alio reportatæ præmium, quæ certandi præmiandique consuetudo Græcis usitata erat. Metaphoricè verò pro pietatis præmio gratuito, quod vita æterna est, accipitur. 1 Cor. 9. v. 24. Phil. 3. v. 14. Nam & ipsum fidei ac pietatis studium *cursui & certamini* comparatur, 1 Cor. 9: 24, 25, 26. Gal. 5. v. 7. Heb. 12. v. 1. Confer Exeges. Epistolæ, Dom. Septuag. Vice versâ καταβραβεύειν est *beatitudinis illud brabeum præripere, eoque defraudare*, c Col. 2. v. 18. Flacius: *Metaphora est sumta à certantibus in stadio, præsertim cursu, ubi nonnunquam aliquis malâ arte jam victorem impedit, ne planè vincat: sicut apud Virgilium Nisus Salium impedit, ne feliciter peracto cursu victor præmium accipiat*. Hieron. q. 10. ad Algas. *Cùm in certamine positus, iniquitate agonothetæ, vel insidiis magistrorum, brabeum & debitam sibi palmam perdit, καταβραβεύεσθαι dicitur*. Henricus Stephanus in concordant. vertit: *Nemo adversum vos judicis partes sibi sumat*; metaph. ductâ ab agonothetis, publicorum certaminum judicibus, qui vocantur βραβευταί. Utrumque reipsâ connexum est. Sensus enim admonitionis Apostolicæ est, non debere credentes judicium de divinis mysteriis, cultuque divino, committere stultæ rationi humanæ, & quæ ex iis oriuntur, ἐθελοθρησκείαις commentis, ne possessione veritatis spoliati, brabeum salutis sibi propositum amittant. Contrà, *pax Dei* (quæ veritatem verbi immotum sibi fundamentum agnoscit) βραβεύειν, *regnare*, judicare, & omne in credentibus imperium tenere, jubetur Col. 3. v. 15. à quo sola etiam, promissum gratuitò æternæ vitæ brabeum perseverantibus datur &c.

*Calculus albus*, gloriæ cœlestis symbolum est. d Apoc. 2. v. 17. *Vincenti dabo calculum album*,

*album, unde in calculo nomen novum scriptum &c.* Metaphoræ rationem quidam in eo ponunt, quòd calculus albus absolutionis & approbationis benevolæ nota olim fuerit. Ovid. 15. metam. *Mos erat antiquis niveis atrisque lapillis, His damnare reos; illis absolvere culpâ &c.* Quod igitur *scriptum in calculo albo nomen novum*, credentibus beatis dandum, promittitur, ejus sensum esse dicunt, quòd Christus credentes non solùm à damnatione absoluturus sit, sed etiam hac gloriâ ornaturus, ut sint & celebrentur filii Dei, 1 Joh. 3. ℣ſ. 2. Alii verò *calculum album*, ipsius victoriæ symbolum statuunt, idque diversimodè. Sixtus Senensis Biblioth. sanct. l. 2. tit. *Calculus: Constat apud veteres Ethnicos, victoriarum dies, publicis fastorum tabulis insculptos, consuevisse candido lapillo prænotari, quò clariùs à cæteris diebus discernerentur.* Arethas Cæsariensis Episc. in comm. h. l. *Vincenti Diabolum pollicetur Deus calculum candidum, hoc est, mercedem honore & fama fulgentem. Posuit calculum candidum, quod is notus esset his, qui in theatris, ac stadiis certabant, & vincentibus tradebatur.* Cum Senensis sententiâ ferè convenit illud Basilii Fabri in thesauro eruditionis scholasticæ: *Solebant Thraces dies prosperos & lætos notare calculo albo in urnam conjecto: infelices verò atro, ut scirent anno exacto, quot & quos dies lætos, quos tristes habuissent.* Prima exponendi ratio, superiùs posita, Proverbio veteri comprobata dari videtur, quo λευκὴν ψῆφον προσθεῖναι, *album calculum addere*, pro approbare dicitur, de cujus origine vide Erasm. chil. 1. cent. 5 pag. 53.

ᵃ *Calix, scyphus, pocillum*, כּוֹס, quia ex eo cuilibet, in convivio, bibendum distribuebatur (confer Jer. 16:7. Luc. 22:17.) & quia tam jucundi, quàm amari potus recipiendi vas atque organum est, metaphoricè sortem conditionemque tàm faustam, quàm adversam, & ita tum beneficia Dei, & exortam inde lætitiam; tum pœnas & supplicia, significat. *Prioris* exempla sunt Ps. 16:5. Ps. 23:5. Psal. 116:13. Confer Gramm. sacram. p. 36. *Posterioris* exempla sunt, Psal. 11:6. Psal. 75. ℣ſ. 9. Es. 51: 17, 22. Thren. 4:21. Jer. 25:15. cap. 51:7. Ezech. 23:33, 34. Matth. 20:22, & cap. 26:39, 42. Apoc. 14:10. De Jerusalem coelesti seu Ecclesia dicitur Zachar. 12. ℣. 2. *quòd ponenda à Deo sit* סַף *scyphus soporis* (Pagn. *calix ebrietatis*) *omnibus populis per circuitum*, Luther. Ich wil Jerusalem zum Taumelbecher zurichten. Sensus est, ad eam omnes populos hostiles valido conatu accessuros quidem, & ut sitim restinguant, furenter accursuros, sed tamen degustaturos suo malo, cùm potio ea sit ipsis soporifera, quâ haustâ gignetur animi perturbatio tanta, ut homines seipsos & sua perdant in perniciem suam, velut ebrii mente capti & præcipites in ruina facti. Confer Obad. v. 16. Psal. 60. ℣ſ. 5. Breviùs: notatur potione, metaphoricè acceptâ, hostium Ecclesiæ pernicies & excidium.

ᵇ *Chirographum* Col. 2: 14. pro obligatione aut reatu, ob patrata peccata, accipitur, cujus deletio & in cruce affixio, est plenaria pro peccatis satisfactio in cruce à Christo facta, & verâ fide applicata. Apologia August. Conf. tit. *Pœnitentia; Chirographum est conscientia arguens & condemnans nos. Porrò lex est verbum, quod arguit & condemnat peccata. Hæc igitur vox, quæ dicit, peccavi Domino, sicut David ait, est chirographum. Et hanc vocem impii & securi homines non emittunt seriò. Non enim vident, non legunt scriptam in corde sententiam legis. In veris doloribus ac terroribus cernitur hæc sententia. Est igitur chirographum ipsa contritio, condemnans nos. Delere chirographum, est tollere hanc sententiam condemnationis ex animo, & sententiam insculpere, quâ sentiamus nos liberatos esse ab illa condemnatione. Est autem fides nova illa sententia, quæ abolet priorem sententiam, & reddit pacem & vitam cordi &c.* Quia in textu additur τοῖς δόγμασι (pro *τὸ ἐν τοῖς δόγμασι quod in decretis positum erat*) igitur ad præscripta Judaica, quorum caput erat circumcisio, seu ad legales ceremonias, hoc chirographum quidam referunt, cùm continua illarum repetitio nihil aliud fuerit, quàm perpetua peccatorum confessio, Heb. 10: 1, 2, 3, 4. quæ explicatio scopo Apostoli, contra circumcisionem & alios Mosaicos ritus eo capite agentis, conformis esse videtur. At rectè Aretius in comment. *Hoc nomine intelligo, quicquid nos apud Deum potest reos peragere, qualis est tota lex, etiam moralis, quicquid nos damnat, & quicquid Satan contra nos citare potest; hoc totum chirographum est, hoc est, testimonium peccati: hoc sustulit è medio, quod fit in solutione facta: affixit cruci, ut notoria esset tota & plena satisfactio.* Erasmus in annot. h. l. pulcerrimè metaphoram explicat, cujus verba adscribere non piget. *Metaphora ducta ab obligationibus legitimis. Vehementius obligat syngrapha αὐτόγραφος, hoc est, quam tuapte manu scripseris: hanc Græci chirographum vocant. Id irritum fit, vel dispunctione sive cancellatione, quod fiebat inductione literarum transversarum: vel litura, quæ fiebat spongiâ in corticibus, aut stilo in tabellis ceratis:*

ᵇ Col. 2: 14. Chirographum nobis adversum.

ᵃ Calix. Scyphus.

*ceratis: vel laceratione. In dispunctione manent scripturæ vestigia; in litura nequaquam. Paulus igitur, ut exaggeret DEI erga nos clementiam, primùm declarat, nos sic obstrictos fuisse, ut nequaquam esset locus inficiandi. Legis enim professio, veluti chirographum, & ipsa res, atque etiam conscientia coarguebat nos transgressores esse legis. Quid igitur supererat, nisi pœna, quæ ex pacto debebatur, hoc est, è chirographo nostro? Hîc exuberavit DEI benignitas. Si damnasset, queri non poteramus. Si debiti partem relaxasset, partem reliquisset; multa debebatur gratia. Si dispunxisset chirographum, superessent veteris obligationis vestigia. Nunc semel delevit & obliteravit, tegens quicquid erat nobis contrarium, & unde renasci posset actio: nec hoc contentus, discidit & laceravit chirographum, tollens è medio, & affigens illud cruci, in qua pro nobis pependerat, qui debebamus, & obligationem mortis vertit in pactum æternæ salutis &c.* Elegantia etiam B. Matthesii, in vernacula nostra, de hoc chirographo metaphorico, verba sunt, in Sarepta, conc 9. f. 96. b. Von dem Gerichtsbuch / redet *S. Paulus Col.* 2. da ers die Handschrifft nennet / so wieder uns war / oder unser Gegenbuch / das Gott mit seinem Finger in aller Menschen Hertzen geschrieben / welches uns überzeuget all der grossen Summa / die unser Vater Adam von Gott in der Erschaffung empfangen und eingenommen / und was wir dem gerechten Gott unserm Schöpffer und Lehnherrn schuldig seyn. *Item*, alles was wir weiter für neue Schuld gemacht. Diese Handschrifft konte niemand tilgen und ausleschen / biß der Sohn Gottes am fronen Creutze sein theuer Blut vergoß / damit er selber einen Strich durchs Schuldregister that / und stach darzu ein Loch dadurch / und ans Creutz / oder / wie wir reden / an Pranger hefftet / damit unser eigen Gewißen / und Moses der gestrenge Mahner und Treiber / nimmer zu stöcken und blöcken habe.

a Corona. [a] *Corona*, peculiaris ille & præcipuus capitis ornatus, 1. in genere pro quolibet pergrato ornamento, commodoque accipitur, Prov. 4: vers. 9. cap. 17:6. Jer. 13:18. Phil. 4:1. 1 Thess. 2:19. Unde *coronare* pro ornare vel
c Thesauri. bonis adficere, & ita lætificare, usurpatur, Psal. 5:13. Psal. 8:6. Psal. 103:4. Sic Deus dicitur *annum coronare bonis suis*, [b] Psal. 65:12.
b Pf. 65:12. Coronare annum. hoc est, cumulatim in natura per totum annum hominibus benefacere. Flacius: *Fortè & inde est ea locutio, quòd sicut annus est quidàm rotundum, ac in semet rediens, ut olim Ægyptii in suis hieroglyphicis aut sacris scriptionibus, annum per serpentem caudam suam mordentem depinxerant; & sicut agricolis annuus labor in orbem redit: Ita etiam Deus hunc circulum suis bonis ac donis undique, quasi flosculis quibusdam, circumcingit & circumvestit, sicut corona undique convestitur floribus.* Esa. 23. v. 8. Tyrus vocatur הַמַּעֲטִירָה *coronans vel coronaria*, hoc est, quæ mercatores suos & incolas magnis bonis affecit, & opibus cumulavit. Unde sequitur: *Cujus negociatores erant principes, mercatores ejus honoratissimi terræ.* Hieronym. in comment. *Coronatam vocat Tyrum, quod sicut Rex, inter plurimam hominum multitudinem, ornatum diademate erigit caput. Ita Tyrus fulgens & excelsa opibus, auroque & gemmis & sericis ac purpurâ nitens, regina fit in cunctis gentibus existimata.* 2. In specie, ut regni symbolum *corona* habetur proponiturque. Unde regnum Israelis dicitur *corona fastus*, hoc est, regnum superbissimum, Esa. 28. v. 1. Confer Hos. 5. ℣ſ. 5. cap. 7:10. Alia exempla hujus significationis videantur Psalm. 21. ℣ſ. 4. Psalm. 89:40. Thren. 5:16. Ezech 21:26. Sed hoc potiùs ad metonymiam signi pertinet. Fit autem metaphoricum, cùm Christo regi cœlesti *coronatio* tribuitur, Zach. 6. ℣ſ. 11, 12, 13, 14. Psal. 8:6. Heb. 2. ℣ſ. 7, 9. &c. 3. Specialissimè de præmio cœlesti, seu vita æterna accipitur, quæ fidelibus mundi, Satanæ, carnisque victoribus à Deo dabitur, sicut olim victores in certaminibus coronabantur. 1 Cor. 9: 2, 5. 2 Tim. 2:5. cap. 4:8. Jac. 1. ℣ſ. 12. 1 Pet. 5:4. Apoc. 2:10. cap. 3:11.

*Divitiæ*, πλῦτος, de copia rerum spiritualium sæpè usurpantur, deque donis & bonis illis cœlestibus; quæ à Christo acquisita merito ejus sacrosancto, credentibus per fidem applicantur conferunturque. Luc. 12:21. 1 Cor. 1. ℣ſ. 5. 2 Cor. 6. ℣ſ. 10. cap. 8. ℣ſ. 9. Heb. 10. ℣ſ. 34. cap. 11:26. Col 2:2. Jac. 2:5. Apoc. 3:18. Hæ divitiæ ex plenitudine Christi, sanctique ejus meriti, dantur. Esa. 53. ℣ſ. 9. vide Grammat. sacram pag. 4. & conjunctas habent divitias bonorum operum, hoc est, serium pietatis studium & conatum, 2 Cor. 8. ℣ſ. 2. cap. 9:11. 1 Tim. 6:18. De copiosa gentium ad regnum Christi conversione, itidem vox πλῦτος *divitiæ*, usurpatur, Rom. 11:12. Divitiis æquipollent [c] *thesauri*, qui & ipsi bonorum cœlestium copiam denotant, Esa. 33. ℣ſ. 6. Matth. 6. ℣ſ. 20. cap. 19. ℣ſ. 21. Marc. 10. ℣ſ. 21. Luc. 12. ℣ſ. 33. cap. 18. ℣ſ. 22. 2 Cor. 4. ℣ſ. 7. Aliàs rerum quarumcunque, sive bonarum, sive malarum, promtuaria

quasi

quasi & receptacula notant, Psal. 135. ℣s.7. Job. 38. ℣s.22. Matth. 12. v. 35. Luc. 6:45. Unde *thesaurizare* est, congerere, & accumulare, Rom. 2:5. 1 Tim. 6:19. Et reservare, 2 Pet. 3:7. Divitiis, thesauris, & quibuscumque bonis, accidit, quòd *hæreditariò* relinquuntur accipiunturque: à quo metaphora ducitur ad bona cœlestia ac æterna, dum κληρονομία, *hæreditas* credentium, ea dicuntur, Act. 20: 32. Eph. 1: 14, 18. Col. 3: 24. Hebr. 9: 15. 1 Petr. 1: 4. Et credentes ipsi, Dei (respectu vitæ æternæ, ac gloriæ cœlestis, merito Christi sacrosancto partæ) *hæredes*, *Christique cohæredes*, Rom. 8. vers. 17. Galat. 4. vers. 7. Tit. 3: 7. Heb. 6: 17. Jac. 2. ℣s. 5. 1 Pet. 3: 7. unde κληρονομεῖν, *hæreditare regnum Dei vel vitam æternam*, ex gratuito Dei favore illius participem fieri notat, Matth. 19: 20. cap. 25: 34. 1 Cor. 6: 9, 10. cap. 15. vers. 50. Heb. 1. vers. 14. 1 Petr. 3. ℣s. 9. Apoc. 21. vers. 7. &c. Respondet hæc hæreditatio filiationi gratuitæ, quæ ex regeneratione cœlesti per verbum & Sacramenta oritur. Longè autem sublimior hæreditas illa est, quam Christus à Patre accepit, dum in mundum, ut Redemtor ejus, introductus est, Heb. 1. vers. 2, 4, 6. de quo aliàs plura. Placet autem, ad metaphoræ emphasin intelligendam, Illyrici adscribere verba: *Erant hæreditaria bona Judæis multò gratiora & dulciora, studiosiusque retinebantur, quàm nunc in Germania aut alibi fit: cujus rei causæ erant duæ: prior, quòd non ita facilè ex suis ædibus, civitatibus, aut tribubus, aliò migrabant, ut nunc fit: Altera erat, quòd illud solum, à majoribus hæreditate acceptum, illis divinitus contigerat. Apparet autem, quam dulcis eis fuerit hæreditas, ex illo sermone & facto celebri Nabot* (1 Reg. 21) *qui regi ipsi vinetum suum cedere noluit, idque majora ac meliora offerenti; singulari quadam verborum emphasi indicans, se nequaquam adduci posse, ut suam hæreditatem ulli mortalium venderet: Ab hac igitur tàm grata ac dulci re, ac veluti patrio nido, transfertur hæc vox ad alias quasvis valdè pretiosas ac gratas possessiones, ac bona interna aut externa, corporalia aut spiritualia* &c. Quod de translatione ad bona externa & corporalia dicit, id exemplo ex Psal. 127. vers. 3. desumto illustrat, ubi filii dicuntur נַחֲלַת *possessio seu hæreditas Domini*, hoc est, præclarum præmium, à Deo concessum. Divitiis, thesauris, & hæreditati opponitur *a* *Paupertas & mendicitas*, quâtùm bonorum animæ spiritualium carentia, per lapsum introducta notatur, Apoc. 3. vers. 17. cùm vera pœnitentia & contritio, in agnitione miseriæ propriæ, & desiderio bonorum cœlestium consistens, Matth. 5. vers. 3. cap. 11. vers. 5. Luc. 4. vers. 18. cap. 6. v. 20. &c. Divitiis etiam opponitur quodammodò *b* *debitum*, quo nomine metaphoricè vocantur peccata, Matth 6: 12. (confer Luc. 11: 4.) Luc. 13. vers. 4. Flacius: *Peccata obligant ad pœnam nosque perinde coram Deo reos & pœnis dignos reddunt, sicut æs alienum obæratos facit obnoxios creditori. Deus quoque perinde à nobis flagitat satisfactionem pro admisso crimine, quàm creditor flagitat solutionem debitorum. Nec deest etiam fœnoris similitudo. Quantò enim diutiùs in peccato persistimus tantò majus fœnus seu augmentum pœnæ à nobis exigitur, sicut illud præclarum citatur: Tarditatem vindictæ supplicii gravitate compensat.* Confer parabolas Christi Matth. 5. vers. 26. cap. 18. vers. 23. seqq. Luc. 7. vers. 41, 42, 47. & *chirographi* appellationem, Col. 2. vers. 14. de qua paulò antè.

*a* Paupertas.

*b* Debitum.

*Flagellum* per metaphoram afflictionem, damnum, plagam & calamitatem quamvis significat, 1 Reg. 12: 11, 14. Jos. 23: 13. Job. 5: 21. cap. 9: 23. Esa. 10: 25. c. 28: 18. Mar. 3: 10. cap. 5: 29, 34. Luc. 7: 21. Heb. 12: 6.

*Laqueus*, De hoc cap. 11. dictum, §. *De metaph. ab animalium generalibus, &c.* Vide etiam paulò inferiùs, voce, *vincula, & funes.*

*Malleus universæ terræ*, Babylonici Monarchæ epitheton metaphoricum est, Jer. 50: 23. quòd Deus ipso, tùm temporis, quasi malleo quodam, ad conterenda cætera totius mundi regna uteretur. Ejusmodi enim malleum magnum voce hac, פַּטִּישׁ intelligi, ex Jer. 23: 29. patet. Idem Rex Babyl. מַפֵּץ *malleus Dei* dicitur, Jer. 51: 20. cumque *instrumentorum belli* appellatio subjiciatur, voce מַפֵּץ in specie *malleum verutum* intelligi, quidam existimant, quo equites utebantur ad pertundenda arma inimicorum.

*Mensa* per metonymiam, ea, quæ in mensa continentur & ad comedendum proponuntur; & porrò per metaphoram bona spiritualia ac cœlestia, atque ita etiam verbum Euangelicum, in quo ista offeruntur hominibus, denotat, Psal. 23: 5. Psal. 69. vers. 23. Prov. 9: 2. Rom. 11: 9. in quem locum D. Balduin. in comment. *Per mensam intelligit partim expeditionem rerum, quæ ferè in mensis solet fieri; partim prædicationem verbi, in qua salutares epulæ apponuntur. Sed quia isti homines non curant illas lautitias, fiunt ipsis in laqueum.*

*Mensura*, μέτρον, ob tria quædam, metaphoricè sumitur, 1. quòd partem de integro cumulo decisam continet. Usurpatur quippe de χαρισμάτων & donorum Spiritus Sancti diversis portionibus, quæ credentibus obve-

niunt, Rom. 12:3. Ephes. 4:7, 16. Et ita, *Spiritum non* ἐκ μέτρȣ, *ad mensuram datum Christo esse à Deo*, Joh. 3:34 asseritur. De quo Tertull. lib. de Trin. fol. 630. elegantissimè: *Spiritus Sanctus habitat in solo Christo plenus & totus, nec in aliqua mensura aut portione mutilatus, sed cum tota sua redundantia cumulatè admissus, ut ex illo delibationem quandam gratiarum cæteri consequi possint, totius sancti Spiritus in Christo fonte remanente, ut ex illo donorum atque operum vena ducerentur, Spiritu Sancto in Christo affluenter habitante.* 2. Quòd implenda est, si alteri aliquid cedat aut vendatur. Atque ita *tùm in bonum* de larga remuneratione benefactorum, proximo ex charitate sincera præstitorum, in vita æterna piis expectanda, usurpatur, Luc. 6. ℣ſ. 38. *Date, & dabitur vobis, mensuram bonam, & confertam, & concussam, atque exundantem, dabunt in sinum vestrum.* Ubi ea constructionis ratio est, de qua in Grammat. sacra p. 301. seqq. agitur. *Tum in malum*, de improbitatis & peccatorum abundantia, & termino. [a] Matth. 23:32. *Et vos implete mensuram* (subint. *peccatorum*, ut ex 1 Thess. 2:16. patet) *patrum vestrorum*. Permissiva hæc, & simul ironica, Christi ad Judæos crudeles locutio est; q. d. paraphraste Erasmo, *agedum respondete majoribus vestris, & quod deest illorum extremæ crudelitati, vos, ne quid desit, implete: Illi Prophetas occiderunt, vos eum, quem prædixerunt Prophetæ.* Simul tamen, ut dixi, terminus improbitatis hac phrasi innuitur, ultra quem progredi nequit, sed quo completo, divina ultio & severissima pœna certò insequitur. Ut enim in venditione liquidorum vel aridorum, tunc demum precium numeratur, si plenâ mensurâ emtori traduntur: Sic quando gentis vel hominis improbitas ad illum pervenit gradum ac terminum, ultra quem assurgere à divina providentia non permittitur, tunc demum ad pœnam & vindictam Deus exsurgit. Conferri possunt exempla Antediluvianorum, Gen. 6:3. cap. 7:11. Amorrhæorum, Gen. 15. vers. 16. Sodomitarum, Gen. 18. vers. 20. seqq. Amalekitarum, Exod. 17. vers. 14 1 Sam. 15. ℣ſ. 2. &c. 3. Quòd in mutuo æqualis, in datione & redditione, ejus proportio est. Ita metaphoricè usurpatur in gnome proverbiali: *Eadem mensura, qua mensi fueritis, alii remetientur vobis.* Quæ ter occurrit, sed scopo diverso, (1.) Matth. 7:2. Luc. 6:38. de justa retaliatione, in conversatione cum proximo, sive ad præmium, sive ad pœnam usurpatur. Cujus sensum optimè Clemens Alexandr. lib. 2. stromat. fol. 83. expressit: *Ut facitis, ita fiet vobis: ut datis, ita dabitur vobis: ut judicatis, ita judicabimini ut benigni estis, ita vobiscum agetur benigne. Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Convenit cum hac gnome, illa Rabbinis frequens: מִדָּה כְּנֶגֶד מִדָּה *mensura pro mensura*: quæ exstat in comment. R. Kimchi, ad Esa. 5:13. Et illæ profanorum: αὐτῷ μέτρῳ, *eadem mensura*, apud Hesiodum: αὐτῷ πήχει, *eodem cubito*, hoc est, regulâ, mensura, apud Lucianum: *Pari libra*, apud Plinium &c. (2.) [b] Marc 4:24. de verbi cœlestis tractatione legitima ac salutari, eadem parœmia, â Christo usurpatur: *Videte quid audiatis: quâ mensura metimini, remetientur vobis, & adjicietur vobis, qui auditis.* vers. 25. *Qui enim habet, dabitur illi, & qui non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo.* Æqualitas mensuræ hic intelligenda, vel respectu ipsorum verbi divini auditorum scrutatorumque, ut sit sensus, quem Euthymius tradit: *qua mensura metiemini attentionem, in eadem metietur vobis in cognitione, hoc est, quantum intuleritis attentionis, tantum conferetur vobis cognitionis; quicunque enim habuerit attentionem, dabitur ei cognitio: & qui non habet, semen cognitionis auferetur ab eo: quemadmodum enim studium auget tale semen; ita segnities corrumpit.* Vel respectu aliorum, quibus verbum prædicando communicatur, ut sit sensus, quem Piscator ponit: *Si liberaliter doctrinam cœlestem aliis communicabitis, Deus vicissim vobis illam liberaliter communicabit, ita ut vobis adjiciatur subinde cognitio mysteriorum Dei major.* Certè enim, qui aliis fideliter communicant, quod ex divini verbi πληρώματι perceperunt, in illis dona Dei subinde augentur. Et non possum non eximii viri, D. Andr. Riveti verba huc adscribere, in Isag. ad Script. sacr. cap. 30. *Qui gustum illum* (verbi cœlestis) *perceperunt, & cœleste illud talentum nacti sunt, quo pietatem suam ali & augeri sentiunt, non possunt, quin pro Dei amore, quo ardent, & charitate in proximum, qua præditi sunt, aliis communicent hunc thesaurum eosque invitent ad communionem & participationem talium bonorum. Non enim putant occultandum esse cœleste talentum; sed cum aliorum utilitate multiplicandum.*

[b] Mar. 4:24. Quâ mensura metimini &c.

[a] Matt. 23:32. Et vos implete mensuram &c.

*Novacula*, quâ pilus abraditur, Rex Assyriæ vocatur Esa. 7. vers. 20. *Abradere* autem *est Dominus* dicitur *pilum capitis & pedum, ipsam etiam barbam*, hoc est, permittere, ut per Regem Assyriæ ejusque exercitum omnia, à summo ad imum, in regno Israelis (quod corpori humano comparat) expilentur, exhauriantur, auferantur, disperdanturque. Novacula ille *conductitia* dicitur vel *mercenaria*, respectu habito ad Achazi regis factum, quòd nimirum mercede Assyrium conduxerat ad

sup-

suppetias ferendas adversus Syros, 2 Reg. 16: v. 7, 8.

*Olla lotionis seu pollubrum* Moab dicitur à Davide, Psal. 60: 10. q. d. adeò despectus & abjectus est mihi is populus, ut eum liberè diffringam quasi testam: & si quos voluero servare, ad sordidissima ministeria cogam, 2 Sam. 8: 2.

*Onus* quævis molesta & difficilia notat, Exod. 6: 6. Psal. 55: 23. Esa. 9: 4. cap. 10: 27. cap. 14: 25. Matth. 23: 4. Vide suprà *Portare*. Pro cruce & calamitatibus credentium, quas Deus perferendas mansuetè imponit, usurpatur à Christo, Matth. 11: 30. *Onus meum leve est*. De quo loco pulcerrima Augustini verba placet adscribere, in Psal. 59. tom. 8. col. 607. *Alia sarcina premit & aggravat te: Christi autem sarcina sublevat te. Alia sarcina pondus habet: Christi sarcina pennas habet. Nam & avis, si pennas detrahas, quasi onus tollis, & quò magis onus abstulisti eò magis in terra remanebit. Quam exonerare voluisti, jacet. Non volat, quia tulisti onus. Redeat onus, & volat. Talis est Christi sarcina. Portent illam homines, non sint pigri, non attendantur illi, qui eam ferre nolunt: ferant illam, qui volunt, & invenient, quàm levis, quàm suavis, quàm jucunda, quam rapiens in cælum, & è terra eripiens.* Pro prophetia pœnas divinas denunciante sæpè usurpatur, Esa. 13: 1. cap. 19: 1. cap. 21: 1, 13. cap. 22: 1. &c. מַשָּׂא λῆμμα (ut Theodotio vertit, Hieron. asserente) *assumtionem*, *sermonem*, *prophetiam*, notare, quidam volunt, a נָשָׂא *tollere*, quod sermoni additum, *proferre seu loqui* significat. σωρεύεσθαι, *tanquam cumulo onerari*, de peccatis gravibus accipitur 2 Tim. 3. vers. 6.

*Palus*, 2 Cor 12. v. 7. quid denotet, in Exeg. Epistol. Domin. Sexages. declaratum est: actum agere hîc nolumus.

*Perpendiculum, regula*, ut ædificationis (cujus rectè peragendæ instrumentum est) notionem obtinet, Zach. 1: 16. Ita per metaphoram *destructionis* etiam ac desolationis, 2 Reg. 21: 13. Esa. 34: 11. Thr. 2: 8. q. d. tàm certò & accuratè futuram vel factam esse, Deo puniente, desolationem, quàm certò & accuratè aliàs perpendiculi beneficio ædificia exstruuntur &c. *Justitiæ* & judicio Dei tributum, ejus veritatem & certitudinem denotat, Esa. 28: 17. *Cœlo* & firmamento tributum, influentias, opera & effectus ejus denotat, quæ ubique diffusa sunt, sicut funiculus in ædificando extenditur, Psal. 19. vers. 5. Alii splendorem stellarum in coelo intelligunt, qui speciem quasi linearum obtinet. R. Aben Ezra per קַו *lineam*, intelligit הכתב *Scripturam* (ut Esa. 28: 10.) metaphoricè cœlis tributam, q. d. *Scriptura eorum legitur in omni loco, & intelligunt sensum ejus, omnes qui sapiunt, in quovis terræ loco.* Quomodo LXX. Græci hic legerint, & quæ allegationis Apostolicæ Rom. 10: 18. sit ratio, vide Philol. sacræ lib. 1. p. 55. De *regula seu principio fidei* usurpatur Gal. 6: 16. Phil. 3: 16.

*Pila, mortarium*, מַכְתֵּשׁ per metaphoram, illam signat cavernam, cui dens in maxilla infixus est, quam à similitudine Latini *mortariolum* dixerunt, Jud. 15. v. 19. De loco profundiori seu cavo, accipitur Zeph. 1: 11. de quo loco vide Grammat. sacr. p. 872.

*Pondus*, βάρος, tùm ad magnitudinem gloriæ cœlestis notandam adhibetur, 2 Cor 4: 17. tùm crebriùs molestias ac sortem difficiliorem significat, Matth. 20: 12. Act. 15: 28. Gen. 6: 2. 1 Thess. 2: 6. Apoc. 2: 24. Itemque adjectivum βαρὺς, *gravis, ponderosus*, Matth. 23: 4, 23. Act. 20: 29. c. 25: 7. 2 Cor. 10: 10. 1 Joh. 5: 3. Et verbum βαρεῖσθαι *gravari*, 2 Cor. 1: 8. c. 5: 4. 1 Tim. 5: 16. Conferatur Prov. 27: 3. ubi *ira stulti gravitate* (hoc e. molestiâ & effectu pravo) præfertur *gravitati lapidis & ponderi arenæ*, ὄγκος *pondus*, dicitur peccatum Heb. 12: 1. propterea quòd currentes in agone ac stadio pietatis, maximè gravat impeditque, quo de cursu cùm loquatur Apostolus, *pondus isthoc* (quod mox etiam εὐπερίστατον ἁμαρτίαν, *undique circumcingens peccatum* nominat) *deponi* jubet. Idem autem phrasi eâ notatur, quod alibi *deponi seu exui veterem hominem* dicitur &c.

*Rota*, moderationis & prudentiæ, in sermone adhibitæ, significatum obtinet, Prov. 25: 11. quemadmodum auriga pro locorum circumstantiis rotæ cursum moderatur. Pœnam talionis justam notat Prov. 20: 26. Sicut enim rota in circumvolutione ad idem redit: Ita malum in suum autorem revertitur τροχὸς τῆς γενέσεως, *rota nativitatis* Jac. 3: 6. vitæ cursum aut revolutionem significat. *Lingua enim impiorum* (verba Flacii sunt) *à Satana inflammata ac instigata, & diabolico veneno infecta, omnia mendaciis, calumniis, sophismatibus, sycophantiis, blasphemiis, instigationibus ac delationibus, & denique falsâ doctrina incendit ac perdit.* Quidam *circulum seu orbem conditum* (ut sit τροχὸς ἀντὶ τοῦ κύκλου, & τῆς γενέσεως pro κτίσεως) reddunt, ut significetur, linguam perversam totum orbem mundi, velut infernali igne inflammare, sicut furiæ finguntur accensis ex Phlegetonte facibus terram incendere.

*Orbita*, vestigium decurrentis rotæ est, & ipsa via plaustralis. Et verò metaphoricè tùm recta informatio & doctrina notatur ad quam vita

a Orbita

vita instituitur (sicut certam omninò, in decurrendo super orbitâ, rationem rota tenet) Psal. 17. v. 5. Psal. 23: 3. Proverb. 2: 9. tùm quævis vitæ actuum institutio, Prov. 5. ℣s. 21. Esa. 26: 7. c. 59: 8. *Rectas orbitas facere pedibus*, Heb. 12: 13. est rectum vitæ cursum, ad legis divinæ normam tenere, atque ita bono vitæ exemplo aliis præire.

*Sigillum*, σφραγὶς, metaphoricè confirmationem, vel autoritate certâ, vel testimonio vero factam, denotat, Rom. 4: 11. 1 Cor. 9: 2. 2 Tim. 2: 19. Unde *obsignare*, σφραγίζειν, est confirmare, firmum & ratum facere, vel testimonio, vel reipsâ Joh 3: 33. c. 6: 27. Aliàs idem hoc verbum, fideliter committere & deponere significat, Rom. 15: 28. quod & suprà monitum. Item occludere & prohibere, sicut quæ obsignantur, à prospectu vel lectione aliorum removentur, 2 Cor. 11. v. 10. (ubi quædam exemplaria habere dicuntur φραγήσεται, *obstruetur* à φράσσω *obstruo*. Rom. 3: 19. Heb. 11: 33.) De sermone, abscondere vel occultare notat, Dan. 8: 26. cap. 12: 4. Apoc. 10: 4. c. 22: 20. Et perficere seu reipsâ complere, Dan. 9: 24. ubi *obsignatio visionis seu prophetiæ*, est ejus reale complementum, in exhibitione Messiæ, ejusque redemtionis opere, præstitum. Sicut enim sigillum confirmatio scripti est, cui appenditur: Ita complementum vaticiniorum, certissima eorundem confirmatio est & quasi sigillum.

*Sors*, pro hæreditate, communi metonymiæ tropo accipitur, quia sorte ejus distributio peragitur. Unde ipsa κληρονομίας, *hæreditatis* vox. Item pro officio Apostolatus, Act. 1: 17, 25. quia & electio ad illud per sortitionem fiebat, ibid. v. 26. Metaphoricè porrò pro bono spiritituali sumitur, Actor. 8: 21. c. 26: 18. Col. 1. v. 12. Eph. 1: 11. & pro Ecclesia, quæ Dei quasi hæreditas est, vel chara instar hæreditatis præclaræ, 1 Pet. 5: 3. Ita & populus Dei in V. T. vocatur *hæreditas Domini*, 2 Sam. 21: 3. Ps. 33: 12. Ps. 74: 2. Quoad ipsam *sortis* vocem, pulcrè conferri potest verbum Messiæ Psal. 16: 5, 6. ubi de Ecclesia loquitur. De pœnis divinitùs immissis itidem *sortis* vox quandoque usurpatur. Esa. 17: 14. Jer. 13: 25. &c.

*Speculum*, & inspectio illius, ad imperfectionem cognitionis mysteriorum Dei in hac vitâ, notandam adhibetur, 1 Cor. 13. vers. 12. Quemadmodum imperfectè res corporeas adspiciunt, qui earum imagines in speculo intuentur: Sic in hac vita tenuem quandam Dei & divinorum mysteriorum cognitionem habemus ex revelato verbo, si ad perfectissimam illam vitæ æternæ sapientiam conferatur. Quia insuper specula quædam, quem à sole fulgorem accipiunt, radiis quibusdam ad objecta transmittunt, igitur eleganter verbum κατοπτρίζεσθαι de luce cognitionis divinæ Paulus usurpat, [a] 2 Cor. 3: 18. *Nos omnes retecta facie gloriam Domini* [b] κατοπτριζόμενοι, *ut specula recipientes, ad eandem imaginem* (aliis reddendam, vel in aliis exprimendam) *transformamur*) insigniter illuminamur) *à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu*. Pulcram horum verborum paraphrasin dat Erasmus: *Nos retecta facie per sinceram fidem Domini gloriam intuemur, cujus fulgorem dum speculi ritu excipimus, quodammodo transformamur in eandem imaginem, in alios transfundentes fulgorem à Domino acceptum. Quemadmodum olim Mosi facies ex colloquio Dei, ceu speculum ex objectu Solis, reluxit: ita noster animus secretis incrementis indies magis magisque afficicitur, ac proficit à gloria in gloriam, ob familiaritatem Dominici Spiritus, agentis jam nunc invisibiliter in nobis, quod olim palam perficietur.*

[a] 2 Cor. 3: 18.

[b] κατοπτριζόμενοι.

*Spolia* hostibus erepta & divisa, victoriæ consequens & signum sunt. Igitur ad spiritualem Christi victoriam adversus Diabolos, vox ea adhibetur, Esa. 53. vers. 12. Luc. 11. vers. 22. Col. 2. vers. 15. ubi ἀπεκδύειν *exuere*, pro exspoliare, & porro pro plenè victoriam obtinere, ponitur. *In spolium dari alicui animam*, est, ex periculo mortis præsentissimo, divinitùs eripi, sicut, qui spolia reportat, vitam priùs morti obnoxiam gessit, Jerem. 21. v. 9. c. 38: 2. c. 39: 18. cap. 45: 5.

*Stipendium*, militi datum, peccato tribuitur, Rom. 6: 23. & ejus debita merces, mors nimirum æterna, significatur; *quia ea diabolicæ militiæ, ut debita, redditur*, Augustino dicente, lib. de gratia & libero arbit. ad Valent. cap. 9. In Græco ὀψώνια habetur, quæ erant cibaria quædam & lautitiæ, quibus milites alliciebantur, atque sic ventris gulæque causâ vitam habebant venalem: Ita etiam peccatores re levi sæpè à Diabolo ad malum abripiuntur, quod mortem habet comitem.

*Tabula* cordi tribuitur, dum infixum ipsi quippiam innuitur, sicut in tabulis olim scribebatur. Prov. 3: 3. Jerem. 17: 1.

*Tegmen*, involucrum, inscitiam & ignorantiam rerum divinarum quandoque notat, sicut quæ obtecta & involuta sunt, videri non possunt. Es. 25. v. 7. 2 Cor. 3: 14, 15, 16. Confer Grammat. sacram. p. 19. Thren. 3: 6, 5. *Dabis eis* (hostibus) מְגִנַּת־לֵב *obtegumentum cordis*, hoc est, obdurationem cordis, juxta R. Salom. quod *traditionem in reprobam mentem* Paulus vocat, Rom. 1: 28. Confer Deut. 28: 28, 29. Psal. 69: 24. Rom. 11: 8, 10.

*Torques*,

*Torques*, colli ornamentum, de sapientiæ cœlestis pulcritudine & eximia utilitate usurpatur, Prov. 1:9. Uti & de falsò putata gloria hujus mundi dicitur, Ps. 73:6. *Idcircò* עֲנָקַתְמוֹ *cingit eos torque superbia* &c. hoc est, superba sua violentaque facta gloriæ sibi & ornamento præclaro vertunt.

*Vagina* pro corpore accipitur, cui anima, tanquam gladius vaginæ inest. Dan. 7. v. 15.. *Hanc metaphoram servavit in Hermotimi Clazomenii historia Plinius lib. 7. natur. hist. cap 52.* ut Junius & Tremellius annotant.

*Vas* metaphoricè itidem de humano corpore usurpatur, 2 Sam. 21:5. 1 Thess. 4:4. *Vasa fictilia* seipsum & collegas suos vocat Paulus 2 Cor. 4. vers. 7. ob contemtum, calamitates, pericula, quibus in mundo erant expositi: sicut vas fictile præ aureis preciosis contemnitur, & fractionis periculo facilè obnoxium est. Confer Exegesin in epist. Dominicæ Bartholomæi. *Vas seu organum infirmius*, vocat mulierem Petrus, 1. cap. 3. v. 7. q. d. Uxor, etsi natura est viro infirmior, tamen insigne ejus organum est, ad usus longè præstantissimos conditum: igitur non idcirco negligenda est; quoniam sit imbecillis, sed è contrario tantò magis solicitè habenda. *Vas electionis*, seu organum electum, ipse Paulus à Christo dicitur Act. 9. v. 15. h. e. instrumentum Dei selectissimum ac præstantissimum, quo ad convertendas gentes volebat uti. *Vasa gratiæ* illi dicuntur, quos Deus misericorditer suscipit & salvat, propter Christum mediatorem, vera fide apprehensum; *vasa iræ* verò illi, quos ex justa ira, ob contemtum Messiæ & infidelitatem, rejicit & damnat. Rom. 9. vers. 21, 22. 23. Confer 2 Tim. 2: 20, 21. ubi expressa comparatio est. *Velum seu operimentum*, מָסָךְ, præmunitiones & propugnacula notat, quibus Judæa quasi velo operiebatur, Esa. 22:8. *Retegere illud* hostis dicitur, hoc est, civitates illas præsidiarias, & loca limitanea, invadere & expugnare.

*Vestimentum*, quo corpus tegitur, munitur, & ornatur, duplici ratione in metaphorâ usurpatur. 1. In negocio salutis, Beneficiorum Christi collationem & appropriationem, tàm in hac, quàm futura vita, significat, Psal. 45. vers. 10, 14, 15. Esa. 61. vers. 10. Apoc. 3:18. cap. 7:14. cap. 16:15. Confer, quæ paulò superiùs de verbo, *induere*, dicta sunt. Collationis ratio insignis est, *tùm* in nuditatis probrosæ obtectione, de quâ Psalm. 32:1. Rom. 4. vers. 6, 7. *tùm* in frigoris aliarumque noxarum propulsatione, Matth. 24:12. Rom. 8:30. seqq. *tùm* in decorâ Deoque placenti exornatione, Psal. 110: 3. &c. Eòdem collationis ergò, reduci possunt quædam parabolica, Ezech. 16:10. seqq. Matth 22:11, 12. Luc. 15:22. & visiones typicæ, Zach. 3:3. seqq. Apoc. 7:3, 14. cap. 19:8. cap. 21:2. & actiones typicæ, Gen. 3:21, (ubi typus Christi, agni illius Dei, est, cujus justitia לְבוּשִׁין דִּיקָר *vestes decoris* sunt, ut in Chaldaicâ versione appellantur, quibus probrosa nostra nuditas, ex amissione imaginis divinæ, & peccato orta, coram Deo tegitur.) cap. 24:52. Induitio & continua asservatio vestis hujus spiritualis fit, *tùm* primariò, per fidem in Christum, Rom. 13:14. Gal. 2. ℣s. 26, 27. *tùm* consequenter, per Spiritus Sancti renovationem, & vitæ sanctæ conversationem, Rom. 13:12. Eph. 4. ℣s. 24. Col. 3:10, 12. 1 Pet. 3. vers. 3, 4. Et huic contraria est *tunica ex carne maculata*, Jud. vers. 23. & *vestium commaculatio*, Apoc. 3:4. quæ *vetus homo*, seu studium peccatorum est, Eph. 4:22. Col. 3. vers. 8. Præter hunc salutis ordinem quæcunque adferuntur, ad illorum censum pertinent, de quibus Esa. 59:5, 6. &c. 2. Ratione externæ conversationis, *vestimenta ovium*, Pseudoprophetis & falsiloquis in Ecclesia Doctoribus, tribuuntur 2. 1
a Matth. 7. vers. 15. per quæ, externa speciosa quævis denotantur, quibus autoritatem, gratiam & auram popularem illi sibi comparant, qualia sunt, veræ vocationis, in nomine Dei susceptæ, titulus, Jer. 23:25, 30. 1 Reg. 13:18. Matth. 7:22. linguarum cognitio, multiplex eruditio, eloquentia, & ornamenta donorum alia, Rom. 16:18. 1 Cor. 13. v. 1, 2. Donum cumprimis edendi miracula, sive verum, sive fictum & præstigiatorium, Deut. 13. vers. 2. Matth. 7. vers. 22. 2 Thess. 2:9. sanctitatis externæ μόρφωσις 1 Tim. 4. ℣s. 1, 2, 3. 1 Tim. 3. vers. 5, 6. Col. 2:8. Vestimentis autem istis ovium, commodissimè *lupinus animus* d. l. opponitur, quo *tùm* doctrinæ ipsius falsæ qualitas & effectus innuitur, quæ animarum pernicies & damnatio est, sicut luporum rabies non nisi in perniciem ovium directa est: *tùm* Pseudoprophetarum sanguinolentus animus, & crudelitas in dominando hominum conscientiis &c. Tertull. de præscript. adv. hæret. c. 1. *Instruit Dominus, multos esse venturos, sub pellibus ovium rapaces lupos. Quænam ista sunt pelles ovium, nisi nominis Christiani extrinsecus superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus & spiritus subdoli, ad infestandum gregem Christi intrinsecus delitescentes?* Hieron. in comment. Matth. 7. *Specialiter de hæreticis hoc intelligendùm est, qui videntur continentia, castitate, jejunio, quasi quadam pietatis se veste circumdare, intrinsecus verò habentes animum venenatum, simpliciorum fratrum corda decipiunt.*

a Matth. 7:15. vestimenta ovium.

a Matth. 11:8 homo mollibus vestibus amictus.

b Col. 3: 14. Charitas vinculum perfectionis.

Hæc de loco isto. a Matth. 11. vs. 8. *homo mollibus vestibus amictus*, Christo dicitur, voluptatibus deditus, ut ex Luc. 7,25. expresse patet, & simul adulator aulicus, qui peccata magnatum vel approbat, vel ad illa connivet, vel certè, si quid moniturus est, verbis mollissimis utitur. Talem autem Christus negat Johannem esse, ut qui à voluptate carnis longè remotus, tenui asperâque victus ratione vitam transegerit, Matth. 3. vers. 4. cap. 11:18. insuper & Regi impio hautquaquam adulatus fuerit, sed ipsius incestum, aliaque id genus flagitia, magno animo reprehenderit, Luc. 3. vers. 19. Quidam cum phrasi, à Christo usurpata, conferunt illud Plutarchi, in apophth. imperat. ubi à Parysatide quadam jubetur, τὸν βασιλεῖ μέλλοντα μετὰ παῤῥησίας διαλέγεσθαι, βυσσινοῖς χρῆσθαι ῥήμασι; *eum, qui Regem admoniturus esset, byssinis uti verbis*. Forsan autem rectiùs phrasis dicta, quâ voluptatum studium denotat, ad metonymiam signi referri posset, cùm mollicula vestis, mollem & effœminatum arguat animum: Confer Sir. 9. ult.

*Vincula & funes*, servitutis, oppressionum, calamitatum, pœnarumque symbolum metaphoricum sunt, Psal. 18: 5, 6. Psal. 116: 3. Proverb. 5. vers. 22. Esa. 28: 22. cap. 49: 9. cap. 52: 2. cap. 58: 6. Nah. 1: 13. Itemque obœdientiæ & obligationis, quæ per fœdus fit, & legem præscriptam, Psal. 2. vers. 3. Jer. 2. vs. 20. Ezech. 20: 37. *Funes imponere* Deus Prophetæ Ezechieli dicitur, cap. 4: 8. dum autoritate verbi sui eum constringit, & virtute Spiritus sui confirmat, tanquam vinculis adhibitis, ne ullo pacto desistat ab institutæ actionis Propheticæ typo; sed palàm signo eo aspectabili, decreti divini firmitatem testatam faciat. cap. 3. vers. 25. tertiæ personæ verbum Deus adhibet; *Ecce ponent super te funes, & ligabunt te eis:* Quod impersonaliter exponendum, vel per ellipsin nominis *Angelorum*, qui administri Dei sunt in gubernatione hominum. Confer regulam in Grammat. sacra, pag. 301. propositam. *Vinculum perfectionis*, charitatis epitheton est b Col. 3. vers. 14. quo non significatur, nos charitate perfectos reddi ad consistendum in judicio Dei, sed docetur, fideles per charitatem invicem conjungi, tanquam membra unius corporis, & ita perfici, ut nulli quicquam desit, sed singulis necessaria suppetant, ex mutuo cum cæteris membris consortio. Flacius: *Charitas est vinculum aut compages integritatis, id est, servat aut connectit pios in vera unitate, ut sint unum in Christo, sententiis ac animis.* &c. Idem *vinculum pacis* dicitur Eph. 4: 3. *Vincti spei* Zach. 9: 12. dicuntur, quòd in captivitate & calamitatibus spem in Deum non abjecerunt, sed Dei promissionibus innixi mansere. Ii *ad munitionem*, hoc est, Ecclesiam Christi, ut tutissimum salutis asylum, revocantur. *Vinctum Spiritu* se Paulus vocat Act. 20: 22. hoc est, à Spiritu Sancto impulsum, ad profectionem illam versus Hierosolymam: q. d. non levitate vel temeritate quadam motus eò proficiscor, sed fortiter à Spiritu S. impulsus, ac si vinculis quibusdam injectis eò traherer. Sunt verò *funes* etiam *& vincula iniquitatis*, Esa. 5: 18. Actor. 8: 23. quibus tùm impiorum colligatio conspiratioque; tùm spiritualis peccati captivitas notatur. Conf 2 Tim. 2: 25.

*Virga* castigationem quamvis denotat, Job. 21. vers. 9. Esa. 9. vers. 4. 1 Cor. 4. vers. 21. Vid. suprà *Baculus*, utrumque enim vox Hebræa מטה propriè significat. Et confer, quæ cap. 7. in fine dicta sunt.

CAP.

# CAPUT XIII.

## DE

# METAPHORIS, QUÆ A PERSONIS & rebus sacris, & divinum cultum quacunque ratione attinentibus, desumuntur.

AD tria reduci possunt, quæ hoc capite agenda. Primum *homines* sunt: alterum *loca*: tertium *ritus*. Hæc enim Deum & divinum cultum, non unâ tamen ratione, attinere, ex Scripturis comperimus.

## *Ab hominibus, Deo sacris, deductæ metaphoræ.*

Homines, qui huc pertinent, vel singuli sunt, vel conjuncti, atque ita integer populus. Singuli sunt; [a] *David*, vir secundum cor Dei, qui pro Messia, sæpè ponitur. [b] Esa. 55. ỳs. 3 *Pangam vobiscum fœdus perpetuum, benignitates Davidis certissimas.* Messiam hic intelligi, R. Kimchi clarè asserit. Et patet id omnium clarissimè ex v. 4. *En testem populorum dedi eum; ducem & præceptorem populis.* Musculus in comment. h. l. *Davidem vocat Christum, Davidis filium; misericordias illius firmas & fideles, gratiam, benevolentiam, ac omnem eam salutem vocat, quam erat per illum non Israëli modò, sed & toti orbi exhibiturus. Et has misericordias Domini Propheta David, in Spiritu pravisas, celebraturus dicit, Psalm. 89: 2. Misericordias Domini in æternum cantabo &c. Est hoc Prophetæ nostro in more, ut dum gratiam DEI reliquiis Israëlis e Babylone reversis promittit, excurrat in tempor[illegible]hristi. Nam in illum tendebant omnia. Sic facit & hoc loco.* Hæc ille, qui aliàs in explicandis hujus Prophetæ oraculis de Christo, sat parcus est. Quidam per *benignitates Davidis fideles*, intelligunt, beneficia Davidi à DEO promissa, nimirum de Messia & Salvatore mundi, ex stirpe ipsius nasciturо, (vide Grammat. Sacr. pag. 207.) quod eòdem redit, cùm Christus benignitatum illarum & causa efficiens sit, quod prior explicatio dicit; & promissionum dictarum unicum fundamentum, objectum & scopus, quod in posteriori asseritur. Act. 13. ỳs. 34. ad resurrectionem Christi, in æternum regnaturi, comprobandam, hoc Esaiæ dictum applicatur: per immotam nimirum consequentiam. *Cùm enim DEUS promisit, se Christo filio Davidis daturum perpetuum regnum, nonnè eo ipso recepit, se illum à mortuis resuscitaturum, ut nunquam ampliùs intereat? alioqui quomodo aut mortuus, aut mortalis resuscitatus, perpetuò regnaret?* quæ D. Brentii verba sunt. Ad beneficia seu benignitates illas præstandas opus erat, ut Christus resurgeret à mortuis, atque intraret in gloriam suam. Hinc allegatio Apostolica &c. Alia loca, ubi *Davidis* nomen, ut & attributa quædam Messiæ tribuuntur, sunt Psalm. 132: 10. Jer. 30: 9. Ezech. 34: 23, 24. c. 37: 24, 25. Hos. 3: 5. in quorum aliquibus (Jer. 30. Hos. 3.) Chaldæus interpres vertit, *Messias filius Davidis.* Ratio denominationis potissima, in singulari Jehovæ favore & beneplacito quærenda, quo Davidem Regem complexus est, & in eo figuram quasi & specimen amoris illius omnium perfectissimi, ergà filium suum unigenitum mundo donatum, & ex Davidis stirpe genitum, hominibus prisci fœderis exhibuit. Unde *virum hunc secundùm cor suum, quæsivisse*, 1 Sam. 13: 14. *& invenisse* dicitur, Psal. 89: 21. Actor. 13: 22. insigni ἀνθρωποπαθείας emphasi, ad singularem providentiæ & amoris affectum exprimendum: quod & ipsum *Davidis* nominis etymon innuit; est enim דוד *amabilis, amicus*, à דוד *dilectus, amicus, amator.* Proxima deinde ratio, in regni Davidis conditione, statuenda est, quòd typus regni Messiæ fuit, Esai. 9: 7. Luc. 1: 32, 33, in statuum exinanitionis & exaltationis successione (vide Esai. 11: 1.) in gentium gubernatione, in jugi regni continuatione & perpetuitate &c. Confer 2 Sam. 7: 12, 13, 14. (Heb. 1: 5.) Psal. 89: 21, 28. (Col. 1: 15.) Amos. 9: 11. (Act. 15: 16.) Psal. 18: 50. (Rom. 15: 9.) Unde & Regia Davidis, *Zion & Jerusalem*, typus Ecclesiæ Christi sæpiùs statuitur, ut posteà dicetur, Psalm. 2: 6. Esai. 2: 2, 3. &c. Hæc de Da-

[a] David.

[b] Esa. 55: 3. Misericordiæ Davidis fideles.

a Salomo. Davide. *a Salomonis* autem (filii Davidis) nomen Messiæ attribui, ex Cant. 3: 11. dilucidè patet. Unde & sensu mystico certoque intelligitur in promissione Davidi facta 2 Sam. 7. & 1 Par. 17. Vide Philol. Sacr. lib. 2. cap. 173. seqq. Ratio denominationis in ipso etymo (â *pace* nomen illud deductum) in sapientia eximia, in pacato Imperio, in templi ædificatione &c. sat apertè conspicua est.
b Zerubbabel: *Zerubbabelem filium Sealthiel* vocari Christum Hag. 2: 23. quidam interpretes commodè statuunt, & verborum δεινωτις evidentissima idipsum comprobare videtur. Rationem appellationis quærunt, tùm in Messiæ ortu ex Zerubbabelis prosapiâ. Matth. 1: 12, 16. tùm in officii præfiguratione, Sicut ille Dux Judæorum populi fuit, Hag. 2: 22 Sic Christus Dux & Princeps suæ Ecclesiæ est, spiritualis Judæorum (hoc est, confessorum nominis ejus) populi. Sicut ille ex Babylonica captivitate populum eduxit: ita Christus ex captivitate
e Ual. 6: 14. crucifixum esse mundo &c. Diabolica nos liberat &c. Tùm in ipsis nominibus. *Zerubabel* sonat, ac si esset זֶה רַב בָּבֶל *hic magnus seu Magister Babylonia est*; Vel, ut alii volunt, quasi *qui dispersit Babylonem*, ex זָרָה *dispersit*, בָּבֶל *Babel*: Quod nomen pulcrè Christo attribui potest, qui spirituale Babylonicum regnum (quòd Diabolorum, mundi, & Antichristi est) dissipat & vincit. Idem Zerubbabel *filius Schealtiel* dicitur, quòd à שָׁאַל *petit*, *&* אֵל *DEUS* derivatur. Christus verè is est, tùm passivè, quia à DEO omnium piorum precibus ac votis expetitus fuit; tùm activè, quia ipse est, qui DEUM Patrem perfectè invocare potuit, & omnes piorum preces, suo merito & intercessione, Deo gratas efficit &c. Præter hæc, *Johannes Baptista*, dicitur
c Elias. *Elias Propheta*, Mal. 4: 5. explicante ipso Christo, Matth. 11: 14. cap. 11. ℣s. 12, 13. Vide Grammat. Sac. p. 877. Aliæ personæ, cultus divini exercitio deputatæ, infrà recensebuntur.

Cæterum, ut à personis typicis quædam desumta, Christo attribuuntur: Ita vicissim à Christo ipso quædam translationes fiunt ad Ecclesiam & quæ eam attinent. Ipsa Eccle-
d Christus. sia *Christus* vocatur, 1 Corint. 12: 12. quod ad metonymiam subjecti suprà relatum est, cap. 3. § 3. A *Christi conceptione & formatione*, ad doctrinæ fidei, de Christo solo Salvatore, repurgationem, instaurationem, & iteratam in corda hominum implantationem, metaphora ducitur, Gal. 4: 19. *A Christi ætatis accremento*, ad spiritualem in fide & pietate profectum, metaphorica fit translatio; Eph. 4: 13. *Donec perveniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii DEI, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenè adultæ Christi*, ℣s. 14. *ut non amplius simus pueri* &c. hoc est, ut Christus profecit ætate Luc. 2: 40, 52. usque dum in virili ætate cursum officii suum in terris peregit; sic in fidei & pietatis sanctitatisque studio credentes jugiter proficere debent. Complementum autem hujus absolutè in futuro seculo fiet: A *crucifixione, morte & sepultura Christi* pulcerrimæ fiunt translationes, ad renovandos credentes, Rom. 6: 4, 5, 6. Gal. 2: 20. Col. 2: 12. De quo quædam dicta sunt in Exeg. Epist. Domin. 6. Trinit.. *Affixisse cruci chirographum nobis contrarium*, Christus dicitur Col. 2: 14. cum plenam pro peccatis nostris satisfactionem præstitit, & legem maledicentem credentibus irritam fecit. Vide suprà chirographum, c. 12. *Crucifigere carnem*, Gal. 5: 24. est, concupiscentias carnis edomare, & Spiritui subjicere, quod non absque acerbo veteris hominis dolore fit, ac si cruci affigeretur. *Mundum sibi crucifixum esse, seque mundo*, Paulus asserit Gal. 6: 14. in quæ verba pulcrè Lutherus, in comment. h. l. *Phrasis est Paulina, mundus est mihi crucifixus, id est, ego judico mundum esse damnatum: Et ego mundo sum crucifixus, hoc est, mundus vicissim me judicat damnatum. Sic invicem nos crucifigimus & damnamus. Ego execror omnem doctrinam, justitiam, & opera mundi, tanquam venenum Diaboli. Mundus vicissim execratur doctrinam & facta mea; judicat me esse pestiferum hominem, hæreticum, seditiosum &c. Testatur Paulus his verbis, se perfecto odio Spiritus sancti odisse mundum, & vicissim mundum perfecto odio Spiritus maligni odisse se, q. d. impossibile est, ullam concordiam coire inter me & mundum* &c. Ipsa vox σαυρȣ̃, *crucis*, ad notandas δοκιμασίας & afflictiones credentium, quibus Deus fidem eorum explorat, & in bono eos conservat, crebrò transfertur, Matth. 10. vs. 38. cap. 16: 24. Marc. 8: 34. cap. 10: 21. Luc. 9: 23. cap. 14: 27. Joh. 19: 17. Gal. 6: 12. Quo ipso conformitas credentium cum Christo innuitur.

A personis singulis ad totum populum transimus, metaphoricè acceptum. Is verò *populus Israël & Juda* est, qui percrebrò, in utriusque Testamenti scriptis pro Ecclesia Christiana in N. T. Apostolorum doctrina collecta, & ad finem mundi duraturâ, accipitur, & quæ de illo dicta sunt, ad hanc applicantur. Vide Gen. 22. vers. 17. Jer. 23. vers. 6. cap. 30: 10. cap. 33. vers. 14, 16. Ezech. 37. vers. 23: 28. Luc. 1: 33. Rom. 4. vers. 13, 17. Gal. 4. 28, 31. 1 Pet. 2. vers. 9. &c. Ratio denominationis in divino fœdere cum populo illo inito, in sanctificationis per verbum beneficio, in politiæ & regni Judæ & Davidis constitutione

stitutione (quod regni Messiæ spiritualis typus fuit) & aliis quibusdam quærenda est.

## *A locis, Deo sacris, desumtæ metaphoræ.*

*Terra Canaan*, quam inhabitaverunt Israëlitæ, uti & fertilitas ejus & pacatus rerum status, ad denotandam Ecclesiam Christi, non rarò transfertur. Vide Esa.26. vers.1. cap.35. ℣s.1,2. cap.57:13. cap.60. vers.13. c.65. vers.9,10 Ezech.37.vers.25. Joel.3:23. Amos.9. vers.13,14,15. Mich.4. v.4. Zach.3. vers.10. Quò pertinet, quòd aggregatio gentium ad spirituale Christi regnum consortiumque in toto orbe dispersa, per adductionem, accessum & properationem ad Judæorum terram, & divini cultus locum, describitur, Psal.22. vers.28,29,32. Psal.47.v.10. Psal.87.vers.4,5,6. Esa.2.vers.2,3. cap.49 vers.12,18,19,20,21,22,23. c.60.vers.4,5,6,7,8,9,11,14. cap.62. vers.10,12.cap.66. vers.20. Ezech.36. vers.8. & seqq. per totum caput, Mich.4. vers.1,2,6,7. Zachar.14:16. seqq. D.Brent. in Esa.62. v.10,11. *Jesus Christus, verus Deus ac Dominus noster, divulgavit Euangelion suum ad extrema terræ, quâ prædicatione gentes ita excitatæ sunt, ut susceperint profectionem ad urbem Hierusalem maximâ frequentiâ. Hæc autem profectio non fit corporalibus pedibus, sed fide. Quotquot enim accedunt in suis locis, sive in Scythia, sive in India, ad audiendum Euangelium Christi, & credunt in Christum, hi dicuntur ad Hierusalem proficisci, & sese cum Israelitis conjungere. Quin potiùs soli hi sunt veri cives Hierusalem, & veri Israëlitæ, & fruentur etiam omnibus iis beneficiis, quæ Deus electo suo populo jam inde ab initio promisit.* Confer Zeph.2.vers.11. Joh.4. vs.21,23.

In specie [a] *Jerusalem*, Judææ metropolis, sæpè Ecclesiam Christi metaphoricè significat, cùm in ea peculiariter se Deus revelaverit, & promissiones de Messia subinde redintegrarit. Esa.4:3. cap.40.2,9. cap.52:1,2 Zach.9. vers.9. cap.12.vers.2. Gal.4:26. Hebr.12. vers.22. *Jerusalem nova*, Ecclesia in cœlis triumphans est, Apocal.21:2,10. &c. Eadem significatio in [b] *Zionis* nomine sæpiùs videre est, qui fuit mons in Jerusalem, in quo Regia Davidis sita: qui & κατ᾽ ἐξοχὴν quandoque *mons Domini*, *mons sanctus* &c. vocatur. Is, inquam, ut Ecclesiæ Christi in Nov. Test. symbolum proponitur, Psal.2. vers.6. Psal.68.vers.16,17. Psal.87. vers.1,2,5. Psalm.132. vers.13, 14. Esa.4. vers.4,5. cap.11. vers.9. cap.28:16. cap.40. vers.9. cap.49. vers.14. cap.56. vers.7. cap.59. vers.20. c.62. vers.11. cap.65:25. Zach.9. vs.9. Heb.12. vers.22. Ecclesiam in cœlis triumphantem notat Psal.15:1. Psal.24. v.3. Esa.35. v.10. cap.51:11. Eadem *Zion*, & Regia Davidis arx, ob humilem statum, & devastationem per varios hostes illatam, *tugurium Davidis collapsum* dicitur Amos.9. vers.11. cujus restauratio ibi promittitur à Deo; & hoc omne metaphoricè de regno Christi, & Ecclesia ex gentibus collectâ, intelligendum esse tùm ex sequenti v.12. tùm ex allegatione Jacobi patet, Actor.15. v.14,15,16,17. Confer Esa.16:5.

*Templum*, quod unicum in populo Dei fuit primùm quidem portatile, in deserto constructum, posteà verò solidè magnificeque à Salomone Hierosolymis exstructum, quod Dei habitaculum & domus crebrò dicitur; id, inquam, metaphoricè sumitur, tùm *pro cœlo gloriæ Dei*, in quo lucem habitat inaccessam, Psal.11:4. Micch.1:2. Tùm *pro cœtu Deum colente*, & ipsi serviente in sanctitate verâ, qui Ecclesia dicitur, Psal.26:8. Psal.27:4. Psal.29:9. Psal.48:10. Psal.84:2,3,5. Esa.56:7. Eph.2:21. 1 Cor.3:16.17. cap.6:19. 2 Cor.6:16. Heb.3. vers.6. cap.10:21. De *vita æterna*, & Ecclesia triumphante in cœlis, dum sermo est, Deus dicitur electis glorificatis fore *Templum*, Apoc.21. vers.22. de quo suprà cap.8. dictum. Confer cap.11. vers.19. Tùm demum *pro corpore Christi*, in unitatem personæ τȣ̃ λόγȣ assumto, Joh.2:19,21. quia *in illa inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter* Col.2:9. hoc est, verissimè, perfectissimè, & immutabiliter, non verò umbratiliter & typicè, ut in Templo Hierosolymitano &c. In Epistola ad Hebræos [c] σκηνὴ, *tabernaculum*, & τὰ ἅγια, *sanctuarium*, transferuntur ad denotandam tùm veram Christi humanitatem, cap.9:11. (quæ etiam καταπετάσματος, *velamenti*, nomine venit, cap.10:20.) tùm ipsum cœlum & bona cœlestia, merito Christi parata & acquisita cap.8:2. c.10:19. Confer cap.9:24. cap.6:19,20.

*Altare*, ad totum Christi mediatoris mysterium denotandum, adhibetur Heb.13. v.10. ubi per synecdochen *altare*, cum oblatione & victima, accipiendum, Fit enim oppositio cum altari & sacrificiis V. T. Sensus est: Israël juxta carnem, victimarum in altari oblatarum partem comedunt, 1 Cor.10. vers.18. & qui sacra in templo olim tractabant, de sacro vivebant; altari inservientes, altari comparticipabant. 1 Cor.9. vers.13. Atqui, exhibito Messiâ, adhuc deserviunt tabernaculo, hoc est, qui adhuc adhærent ceremoniis legis, atque

[c] σκηνὴ tabernaculum fœderis.

[a] Jerusalem.

[b] Zion.

atque in illis suam coram Deo Justitiam quærunt, illi non possunt edere de hoc altari spirituali hoc est, non possunt reddi participes sacrificii & beneficiorum, per Christi mortem partorum. Confer vers. 9. *Altare & statua* cultum divinum in N. T. Deo exhibendum notant, Esa. 19:19. ex ritu veteris Ecclesiæ deductâ similitudine. In illa enim potissimus sacrificiorum cultus, in altari præstabatur: Extraordinariè verò statuæ & monumenta ponebantur, in beneficiorum divinorum, & cultus Deo debiti μνημόσυνον, Gen. 28:18. Jos. 3:5, 6, 20. &c.

*Propitiatorium*, ἱλαστήριον, vocatur [a] Christus Rom. 3:25. quo nomine LXX. interpretes utuntur, pro Hebr. כפרת *tectorium sive operculum arcæ fœderis* (ex significatione nimirum verbi כפר, quâ *expiare seu remittere* notat.) Respectu igitur ipsius *appellationis* satisfactio Christi pro peccatis nostris denotatur, unde & ἱλασμὸς vocatur, 1 Joh. 2:2. Respectu autem *typi*, ad quem alludit Apostolus, alia etiam innuuntur comparationis membra. Sicut Deus promiserat, se præsentem fore in propitiatorio: Ita in Christo solo quæri, agnosci, & invocari vult, utpote in quo tota plenitudo Deitatis habitat. Ut propitiatorium divinorum oraculorum sedes erat: Ita Filius Dei, qui est in sinu Patris, voluntatem Dei de salute nostra nobis revelavit, Joh. 1. vers. 18. Ut propitiatorium tabulas legis in arca obtegebat: sic Christus peccatorum nostrorum, contra legem commissorum, multitudinem ac magnitudinem, itemque maledictionem legis, suâ obedientiâ & merito operit atque tegit, ne in Dei conspectum peccata ea veniant, Ps. 32. vers. 1. Ut propitiatorium arcam fœderis tegebat: Ita Christus umbrâ alarum suarum Ecclesiam protegit. Ut propitiatorium Cherubim continebat: Sic in Christo & propter Christum angeli nobis adsunt, & nos custodiunt, Joh. 1:52. ut propitiatorium collocabatur in interiori sacrario: Sic Christus verâ fide reponendus in interiori cordis sacrario, ut ita gratia & bonitas Dei gustetur &c.

*Columna & firmamentum veritatis*, dicitur Ecclesia Christi, [b] 1 Tim. 3:15. metaphorá, ut videtur, *à columnis duabus* sumtâ, quæ in Templo Solomonæo exstructæ erant, 1 Reg. 7:21. 2 Par. 3:17. Mira & pulcra iis indita fuerant nomina: alteri יָכִין *confirmabit, stabiliet*: alteri בֹּעַז *in eo robur est*. Quibus nominibus ad Messiæ regnum, & Ecclesiæ ejus firmitatem stabilitatemque, Regem sapientissimum spiritu respexisse, omnino verisimile est. Paulus igitur nomina ista ἑδραιώματος, *firmamenti* voce expressit, addens *columnæ* vocem, ut ad typicas illas columnas alludi à se, ostendat. Unde & *domus Dei*, hoc est, Templi mentio præcedit, per quam *Ecclesiam Dei viventis* intelligere se, asserit. Pergamus etiam ulterius. In [c] vers. 16. *citra controversiam magnum pietatis mysterium* subjicit. At illud quodnam est? Descriptio sequitur, allusiva ad Templum Hierosolymis exstructum. In templo illo veteri Deus *apparebat in nube & caligine*, 1 Reg. 8:10, 11, 12. Paulus verò de veritate Nov. Test. dicit: *Deus est manifestatus in carne*. Quæ illustris patefactio per obscuriorem illam adumbrabatur. In templo veteri positum erat *propitiatorium* supra arca fœderis, in sancto sanctorum. De Christo verò Paulus ait: *Justificatus est spiritu*, dum scilicet à mortuis resurrexit, & sic verum ἱλαστήριον seu propitiatorium, præstitâ satisfactione pro peccatis mundi, & perfecta legis divinæ (cujus tabulæ in arca fœderis continebantur) impletione, se declaravit, Rom. 4. ult. In templo veteri erant *Cherubim* super propitiatorio, 1 Reg. 8:6, 7. Hebr. 9:5. De Christo Paulus dicit: *Conspectus est angelis*, qui scilicet gloriosi & veraces resurrectionis ac gloriæ ejus testes αὐτόπται fuerunt, Matt. 28:2. seqq. Confer 1 Petr. 1 vers. 12. In veteri Templo docebatur de futura Messia populus Israel. De Christo verò ait Paulus; *Prædicatus est gentibus* (non Judæis solùm) *creditus est in mundo* (in omnem terram exivit sonus Apostolorum, Rom. 10. vers. 18. & à credentibus in mundo hæc doctrina accepta per veram fidem fuit, Coloss. 1. vers. 5, 6.) In veteri templo visibilis Dei apparitio non erat ordinaria, stata & perpetua, & ipsum templum tandem funditus periit. At de Christo, in terris se manifestante, dicit Paulus: *Assumtus est in gloria*, q. d. visibilem quidem præsentiam Ecclesiæ suæ subtraxit, attamen gloriosè, verè, & invisibiliter (id enim est *in gloria esse assumtum*, videlicet ad dexteram Dei Patris) ei præsens est usque ad finem seculi, Matth. 28:20. Eph. 1. vers. 20, 21, 22, 23. &c. Sic igitur ad typicum Templum respici hoc loco, non improbabili conjectura patet, ex quo ulterius colligitur, ob totius & partis ὁμογένειαν, à columnis etiam in Templo illo positis, honorificam illam appellationem in vers. 15. Apostolum desumsisse. Quid verò est, quod τῆς ἀληθείας, *veritatis*, additur! quid *columna & firmamentum* [d] *veritatis* notat? Respond. Vel in *concreto* vox illa explicanda, ut sit idem atque ἀληθὲς *verum*, opponiturque *typico & umbratili* columnis illis in Templo Salomonis, quæ non veritas, sed tantùm umbra & typus futurorum fuerunt) veluti Johan. 1:17. cap. 6:32. cap.

[c] v. 16. magnum pietatis mysterium.

[a] Christus propitiatorium nostrum.

[d] Epitheton veritatis quomodo explicandum.

[b] 1 Tim. 3:15. columna & firmamentum veritatis &c.

cap. 15:1. Hebr. 8:2. cap. 9:24. vox ea accipitur. Eadem constructione dicitur Actor. 26:25. ῥήματα ἀληθείας hoc est, ἀληθῆ. Eph. 4:24. ὁσιότης τῆς ἀληθείας hoc est, ἀληθής. Vel in *Abstracto* vox ἀληθείας retinenda, ut doctrinam fidei salvificæ notet, uti accipitur 2 Thess. 2. v:10,13. 1 Tim. 2. vers. 4. cap. 6:5. 2 Tim. 2. vers. 18. Heb. 10. vers. 26. Jac. 1. vers. 18. &c. Hoc sensu genitivus ille causam efficientem notat, quâ fit, ut Ecclesia fit ςύλος καὶ ἑδραίωμα, *columna & firmamentum*, hoc est, firma & stabilis, super Christo vera petra. Causa nimirum hujus est, veritas cœlestis, seu verbum veritatis: Sicut Paulus jubet Corinthios, 1. cap. 15. vers. 58. ut fint ἑδραῖοι, ἀμετακίνητοι, *firmi & immobiles*, in quo? *in Euangelica veritate* à se prædicata, & scripto exhibita, vers. 1,2,3. quæ firmitatis illius cœlestis causa efficiens & organon est, Act. 20:32. Rom. 1:6. Et idem Apostolus permanere vult Colossenses suos τεθεμελιωμένυς καὶ ἑδραίυς, *fundatos ac firmos*, Coloss. 1. vers. 23. nimirum τῇ πίςει *fide* (quæ est πίςις τῆς ἀληθείας 2Th. 2:13.) *nec dimoveri à spe Euangelii, auditi ab ipsis, & prædicati apud universam creaturam;* ut ibidem sequitur. Atque ita idem sermone suprà dicto denotatur, quod Christus Joh. 17. vers. 17. ait, *sanctificari credentes per veritatem sermonis divini*. Sanctificatio enim non est nisi confirmatio illa, de qua Apostolus loquitur. Conf. 1 Thess. 5. vers. 23. Genitivum autem ἀληθείας, commodè de causa efficiente explicari posse, similia exempla edocent, de quibus in Grammat. sacra p. 102. seqq. Ex 2 Tim. 3:15, 16, 17. (ubi de sacræ Scripturæ usu & perfectione sermo est) collatione, optima interpretatio loci hujus 1 Tim. 3:15. dari potest. Quod in hoc est ἀλήθεια, *veritas*, id in illo est ἱερὰ γράμματα, τὰ δυνάμενα σοφίσαι, *sacra literæ, quæ possunt sapientes efficere &c.* Quod in hoc vicissim est, ἄρτιος, *perfectus*, vers. 17. id in illo est, ςύλος καὶ ἑδραίωμα, *Columna & firmamentum.* Quod metaphoricè hîc dicitur, id propria locutione ibi effertur. Quæ autem ratio membrorum Ecclesiæ, eadem ipsius Ecclesiæ est. Utrobique si verbo Dei scripto inhæreatur, veritati locus datur; sin discessio ab eo fiat, etiam hæc perditur. D. D. Gerh. Conf. Cath. part. 1. pag. 539. postquam Jacobi Fabri Stapul. in com. h. l. verba adduxisset (*Fundamentum aliud nullus potest ponere, præter id, quod positum est, qui est Jesus Christus. Nam hoc Christo convenit non Ecclesiæ quæ est fundata & superædificata, non fundamentum. Christus autem est Ecclesiæ Fundamentum. Spiritualium autem fundamenta sursum sunt* (instar columnæ) *non terrenorum more deorsum.*) Posteà sic loquitur: *E. Ecclesia non est fundamentum veritatis, sed veritas est fundamentum Ecclesiæ, Eph. 2:20. Ecclesia autem est* ἑδραίωμα, *repositorium sive sedes* (respicit ad originem vocis, ἕδρα *Sedes, Sella,*) *non absolutè, quasi quicquid Ecclesia statuit, sit verum: sed conditionatè, quatenus sequitur vocem Christi in Scripturis sonantem. Nimirum firmamenti nomen non debet sumi activè, sed passivè, ut firmamentum veritatis sit, quod à veritate firmatur, ut fundamentum Dei, 2 Tim. 2:19. quod à Deo positum est, non super quod Deus fundatur: Et* πλήρωμα τῦ θεῦ, *Eph. 3:19. non quod Deum complet, sed quod à Deo completur. Sic Ecclesia est columna &* ἑδραίωμα *veritatis, id est, sustentata à veritate, non primò & absolutè sustentans veritatem.* Chrysost. in h. l. *Veritas est Ecclesiæ columna & firmamentum.* Placet etiam Jurisconsulti pii, Hieronym. Schurffii verba adscribere, Cent. 1. Consil. 51. pag. 191. *Non potest contra institutum Christi Ecclesia statuere, videlicet heresin esse, sub utraque specie Eucharistiam sumere, cùm Christus & verbum ejus non habeant autoritatem ab Ecclesia, sed è contra Ecclesia pendet ex verbo DEI,* (NB.) *Est enim, ut Paulus inquit, columna & sedes veritatis; nec concedit Euangelium libertatem docendi contra mandata Dei, seu prohibendi ullam partem mandati divini, quod ad Ecclesiam pertinet, sed maxime præcipit conservari ministerium, quod consistit in doctrina & administratione Sacramentorum &c.* Quidam notari genitivo illo dicunt subjectum circa quod. Est Ecclesia *firmamentum* (& *columna* quidem) *veritatis*, quia doctrinam cœlestem in verbo Scripturæ sacræ traditam, confitetur, publicat, custodit, retinet &c. Sicut ejusmodi usum obtinebant columnæ Templi Salomonæi, quibus Prophetæ visiones suas procul dubio affixêre, & ad eas sacra sua Sacerdotes in conspectu populi peregêre, ut ita cœlestis veritas cultusque propagari & conservari potuerit. Confer jam, quæ à Clarissimo Theologo, & parente nostro in Christo maximè venerando, Dn. D. Johan. Majore, in libro contra Valerianum Magnum, Capuccinum monachum, pag. 76. eruditè disseruntur. Breviter & benè Gerhardus d. l. pag. 540. *Veritatem stabilire* dupliciter accipitur. Primò pro producere veritatem, ipsi vim & efficaciam tribuere: sic solus Deus eam stabilit. Secundò pro ipsam confiteri; ipsi tum verbis, tum facto, testimonium reddere. Sic Ecclesia stabilit veritatem. Anshelmus in h. l. *Ecclesia est firmamentum veritatis, quia verbis & exemplis firmat in cordibus infirmiorum veritatem fidei & mandatorum Dei.* Cæterùm, quam de hoc loco Paulino expo-

positionem anteà tradidi, eandem non sine animi gaudio (ob viri tanti ὁμοψηφίαν & consensum) reperi postmodum in dictionario Hebr.
1. D. Forsteri, his verbis, p. 373. יכין *una columnarum templi Dei Hierosolymitani, hoc nomine à Salomone dicta; altera* בעז *1. Regum 7. Ad quas haut dubio Paulus Apostolus allusit, 1. Tim. 3. ubi Ecclesiam vocat columnam & firmamentum veritatis. Et quòd veritatis, addit, vult datâ operâ distinguere columnas Ecclesiæ Christi, à columnis veteris Testamenti, quæ fuerunt tantùm umbra, non veritas.*

## *A ritibus sacris desumtæ metaphoræ.*

In Philologiæ sacræ lib. 1. pag. 145. hic traditus fuit canon: *Prophetis est in more positum, de rebus & cultu N.T. uti phrasibus sui temporis, seu quæ ex Vet. Test. conditione, cultu & ritu de-*
2. *sumuntur*, Metaphoricum hoc loquendi genus esse, & non in Prophetis tantùm, sed & universâ scripturâ, V. & N.T. obvium, abundè demonstrari potest. Hactenus quædam exempla, in hoc capite, tradita sunt, nunc uberius de eo, ex *ritibus actibusque sacris*, tractandum. Primâ divisione hos ita dispescimus, quòd sint vel ἄμεσοι, vel ἔμμεσοι. *Illos* voco, ritus & actus sacrosanctos, ipsi DEO immediatè agenti, adscribendos: *Hos* verò, hominibus à DEO, cultûs sacri ergò, præscriptos & imperatos. Ad *priorem* classem pertinet, quòd visiones & somnia DEUS hominibus, doctrinæ & informationis secretioris causâ, immisit. Tale est a somnium Jacobo Patriarchæ oblatum, Gen. 28:12, 13. *de scala erecta super terram, & capite ejus attingente cœlum, & angelis DEI ascendentibus & descendentibus in eâ* &c. Eam visionem ad se applicat Salvator, & metaphoris ab ea deductis, de se utitur, Joh. 1:52. *Amen, amen, dico vobis, posthac videbitis cœlum apertum, & angelos DEI ascendentes & descendentes super filium hominis*, q. d. posthac magis magisque intelligetis, & solidè demonstratum comprehendetis, me esse illum ipsum, qui præfiguratus est in visione scalæ Jacobææ 1 *Cœlum apertum esse*, metaphoricè dicitur, allusione ad prædictam scalam factâ. In terra consistens ea, ad cœlum usque pertingebat, & in summitate ejus, coelo velut aperto, promissa DEUS Jacobo dabat illustria. Sic per Christum spiritualiter coelum apertum fuit, dum merito suo DEUM nobis peccatoribus reconciliavit, & coelestis regni hæreditatem, fide verâ possidendam acquisivit, Hebr. 10: 20. &c. 2. *Angelos DEI ascendere ac descendere super filium hominis*, itidem per allegoriam dicitur, respectu ad prænominatum scalæ mysterium habito. Significatur autem hac phrasi, *tum* Christi majestas divina, cùm in eo, utpote vero DEI Filio, & angeli, & *omnes creaturæ consistant*, Col. 1:17. & *verbo potentiæ ejus sustineantur*, Hab. 1: 3. Sicut in scala consistunt & sustinentur ascendentes descendentesque, ne deorsum collabantur; (Vel etiam, uti Erasmus in Paraph. applicationem instituit: *Quòd Nathanael, ceu magnifico titulo volens honorificare JESUM, appellavit illum Regem Israel, v. 50. significat eum adhuc de terreno regno somniasse. Terrenum autem est, & humile quiddam, regnum habere in mundo. Sed longè sublimius est, Regem esse totius urbis atque etiam angelorum: Id innuit, uti ait, angelos veluti sedulos ministros, obsequii studio, sursum ac deorsum commeaturos super filium hominis.*) *Tum* personalis divinæ & humanæ naturæ unio. Lutherus in comm. Gen. 28. *Angeli non possunt satis letari & admirari illam ineffabilem conjunctionem & unitatem diversissimarum naturarum quam non attingunt, neque ascendendo neque descendendo. Si sursum oculos erigunt, vident incomprehensibilem DEI majestatem supra se, si infrà respiciunt, vident DEUM & divinam majestatem* (in assumta & personaliter unita humanitate) *subjectam dæmonibus & omni creaturæ.* (Ipsa *una scala, cœlum & terram simul attingens*, utramque naturam, divinam & humanam, clarè præfigurabat. Angelorum igitur in scala illa ascensus & descensus, quid nisi coelestis hujus mysterii consideratio est & admiratio? 1 Petr. 1:12. 1 Tim. 3:16.) *Tum* insigne meriti ejus beneficium. Angeli DEI descendunt ex coelo, ad ministerium & custodiam credentium, Psal. 34: 8. & ascendunt iterum, *deportantes animas eorum in sinum Abrahæ*, Luc. 16:22. idque propter Christum, in quo, tanquam, scala coelesti, Angeli ascendunt ac descendunt, hoc est, ex quo solo beneficium ante dictum nobis præstatur, Eph. 1: 10. Coloss. 1:19, 20. &c. Confer Philol. Sacr. lib. 2. p. 207. Tantùm de visione & somnio Jacobæo. In genere à b divinis *prophetiis, somniis & visionibus* metaphora ducitur, Joel. 2: 28. ubi Spiritus sancti, mirabiliter Apostolis aliisque fidelibus dati, varia χαρίσματα vel ἐνεργήματα, præsertim verò doctrinæ coelestis lumen & revelatio illustris, iis notantur, uti ex Act. 2: 16, 17. patet. Flacius: *Hæc congeries verborum id propriè vult, quòd tempore Christi erit ingens copia & lumen veræ doctrinæ passim per orbem terrarum.* c *Manna* panis coelitùs depluti, concessio, in deserto facta. itidem huc referenda. Exod. 6. Num. 11. Eam latè

a Somnium Jacobæum de Scala &c. Gen. 28. Joh. 1.

b Divina somnia & visiones.

c Manna.

- latè sibi applicat Christus, cœlestis vitæ autor, & appellatione ejus seipsum vocat, *tùm* generali, quâ *panis de cœlo* dicitur, Joh. 6: 31, 32, 33. seqq. *tùm* speciali, quâ *Manna*, Apoc. 2: 17. & hic quidem, metaphorâ isthac Christus seipsum credentibus perseveranter promittit, cum largissimo beneficiorum suorum fœnore, in vita æterna explicando: *Vincenti*, inquit, *dabo edere ex Manna abscondito.* Haymo in h. l. *Manna, quod hic promittitur fidelibus, nunc quidem accipitur per fidem, aliquando autem in veritate per speciem percipient, & quod nunc manet absconditum, tunc erit illis manifestum. Qui itaque vicerit proprias cupiditates, & dæmonum tentamenta, dabo illi Manna absconditum, id est, post finitos hujus vitæ labores beatam mei ipsius contemplationem atque visionem, ut nunc vere cum Psalmista dicere possit: satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Comparationis membra videantur exposita in erudito tractatu *de Manna* Dn. D. Waltheri, amici nostri verè fraterni & conjunctissimi, pag. 212. seqq. & pag. 292. seqq.

*Posterioris* generis ritus sacros, ad cultus divinitùs constituti exercitium spectantes ita distinguimus, quòd agant tùm de *personis*, tùm *actionibus*, tùm *temporibus*. ᵃ Personarum alia *dirigens* est & quasi caput: reliquæ *ministrantes* & subditæ. Dirigens est *Summus Sacerdos*, qui præter Aaronem (qui primus sacerdotum princeps, à Deo per Mosen constitutus est) fuit maximus natu ex posteris Aaronis, habens perpetuum regimen totius ministerii Ecclesiastici. Exod. 28: 1: seqq. Hag. 1: 1, 12. c. 2: 3. Zach. 3: 1, 8. cujus & *nomen & officium* Epistola ad Hebræos, mysticè in Christum transfert, unde tam sæpè ἀρχιερέα vocat, Heb. 2: 17. c. 3: 1. c. 4: 14, 15. c. 5: 5, 10. c. 6: 20. c. 7: 26. c. 8: 1. c. 9: 11. Et ἱερέα μέγαν, c. 10: 21. (conferatur Zach. 6: 12, 13.) Membra comparationis constituit, in divina & immediata vocatione, cap. 5 vers. 4, 5, 6. in naturæ humanæ participatione, cap. 2. vers. 16, 17. cap. 5: 1, 2. in precum effusione, cap. 5: 7. in sacrificii oblatione, per ingressum in sancta cap. 9: 6. seqq. usque ad finem capitis, & c. 10. prioribus versibus. Differentiæ etiam & ἀντιθέσεως membra aliquot constituit, de quibus in Epistolæ hujus planè divinæ explicatione fusior declaratio. Proximum post ἀρχιερέα locum obtinent reliqui ᵇ *Sacerdotes*, qui ex posteritate Aaronis oriundi, sub summi Sacerdotis regimine versabantur, & in oblationibus populi in loco sancto, tùm & informatione ejus ex verbo DEI revelato, occupati erant. Horum appellatio metaphoricè tribuitur credentibus in Christum, Psal. 2. v. 9, 16. Esa. 61: 6. 1. Petr. 2: 5, 9. Apocal. 1: 6. c. 5: 10. c. 20. 6. ob spiritualia illa sacrificia, de quibus postmodùm dicetur. Inferior sacerdotibus ordo erat ᶜ *Levitarum*, qui non habebant jus sacrificandi aut suffitum offerendi, sed variâ ratione ipsis ministrabant. Atque horum nomen, ad exprimendum verbi Euangelici ministerium, in N. T. transfertur, Esa. 66. ỳs. 21. Jer. 33: 18, 21, 22. Neque uspiam *sacerdotum* nomen ministris Ecclesiæ Christi tribuitur in N. T. scriptis, quod eò refertur à multis, quòd non sacrificii publici, propriè sic dicti, continua oblatio, sed tantùm unici illius sacrificii, in passione & morte Christi semel oblati pro peccatis nostris, per verbum & Sacramenta dispensatio, ipsi injuncta sit. Dicitur quidem Paulus ἱερουργεῖν, *sacra operari*, & quasi sacerdotio fungi, Rom. 15: 16. sed additur: *Evangelium DEI.* Igitur metaphoricè ad verbi vitæ de Christo prædicationem id referendum, quod & apertè sequentia verba, ỳs. 19, 20. ostendunt. Flacius: *Si non ita clarè locutus fuisset Apostolus de metaphorico sacrificio prædicationis, omninò adversarii inde suam missam confirmare conati fuissent.* Cumque Ecclesia Christiana *Sacerdotum* nomine gaudet; ministri verò ejus, *Levitarum*; quid aliud innui dicemus, quàm quod asseritur 1 Cor. 3: 21. *Ne quis glorietur in hominibus: omnia namque vestra sunt. v. 22. sive Paulus, sive Apollos &c. omnia* (inquam) *vestra sunt.* vers. 23. *Vos autem Christi.* Hoc demum addendum: *Levi* nomen ab *adhærendo* deducitur, quod Doctoribus verbi pulcrè convenire certè debet. Domino quippe & ejus cultui sacro arctè adhærere, lectione, meditatione, oratione, sanctâ conversatione, illi debent. Confer 1 Tim. 4: 12, 16.

Actiones sacræ vel *DEUM*, vel *homines* pro objecto immediatè habent. *Prioris* generis *sacrificia* sunt, in honorem DEI, secundùm verbum ejus oblata. Et hoc nomen primò & κατ' ἐξοχὴν obtinet, satisfactio Christi, totâ obœdientiâ, passione & morte ejus, pro peccatis mundi præstita, Ephes. 5: 2. Hebr. 9: 23, 26, 28. cap. 10: 10, 12, 14. cujus typi & umbræ prisca illa sacrificia fuerunt, ut passim in allegata ad Hebræos Epistola explicatur. Deinde *sacrificium* vocatur totus Christianorum cultus, Esa. 19: 21. cap. 56: 7. cap. 60: 7. 1 Pet. 2: 5. Hieron. in Esa. 19. ỳs. 21. *Respondeant Judæi: Lege præceptum est, ut altare non fiat, nisi in loco uno, quem elegerit Dominus DEUS; & hostia tantùm à sacerdotibus Levitici generis immolentur. Ecce Esaias apertè docet, quòd Aegyptii cognoscant Dominum, & colant eum, & hostias, & munera offerant, & vota voveant* atque

ᵃ 1. Personæ. Summus Sacerdos.

ᵇ Sacerdotes.

ᶜ Levitæ.

*atque persolvant. Si Ægyptii sacerdotium habent, impletur & in illis Pauli testimonium, dicentis: Translato sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat*, *Heb.* 7: 12. Specialiter *sacrificii* nomine veniunt, seria cordis contritio, Psal. 15: 19. Fides in Christum, & sanctificatio spiritus per verbum, Mal. 1: 11. Rom. 15. ℣s. 16, 18. (confer cap. 1: 5.) Phil. 2: 17. Nova obœdientia & mortificatio carnis, Rom. 12. ℣s. 1. Quò pertinet, quòd Psal. 4: 6. dicitur: *Sacrificate sacrificiu justitiæ*: id à Chaldæo interprete ita transferri: *Edomate concupiscentiam vestram, & reputabitur vobis in sacrificium justitiæ.* Etsi satius est, totum spiritualem cultum, & fidem cum fructibus suis, hîc intelligere. Specialiùs adhuc ad novæ obœdientiæ sacrificia pertinent, atque ita vocantur, devota precatio, Psal. 141: 2. Es. 56: 7. DEI glorificatio, Psal. 50: 14. Psal. 107: 22. Hos. 14: 3. Heb. 13: 15. proximi sublevatio, ipsique exhibita beneficentia, Phil. 4: 18. Heb. 13: 16. verbi demum divini per mortem testificatio, Phil. 2: 17. 2 Tim. 4: 6. De analogia & comparatione videantur quædam in Exeg. Ev. & Epist. part. 1. pag. 1058. seqq. Pulcerrima est Erasmi in Rom. 12: 1. paraphrasis: *Hactenus indulsisse (sat est crassis istiusmodi sacrificiis* (in Mosaica lege præscriptis) *posthac longe alios ritus, alium cultum, alias victimas Deus à vobis requirit, nimirum ut offeratis illi vestra ipsorum corpora: non mutilandis membris, sed subigendis malis affectibus: hoc est, non mortuas pecudes, sed viventem hostiam, vere puram ac sanctam, Deo gratam & acceptam, sacrificium rationale, victimam animi, non brutæ pecudis. Dum lex durabat carnalis, patiebatur Deus sibi corporeas immolari pecudes. Posteaquam lex cœpit esse spiritualis, spiritualibus illi victimis litandum est. Pro vitulo immola superbiæ affectum, pro ariete iram effervescentem jugula, pro hirco exure libidinem, pro columbis & turturibus lascivas ac lubricas animi cogitationes Deo sacrifica. Hæc demum sunt Christianis digna sacra, hæ Christo gratæ victimæ. DEUS est animus, & animi donariis conciliatur. Nec ceremoniis, sed affectibus puris coli postulat. Pro præputio, ab animo supervacaneos & indecoros affectus reseca. Sabbatismus tibi sit, mens à tumultu perturbationum vacans. Christus semetipsum obtulit pro nobis: par est, ut ipsi nosmet illi vicissim immolemus, &c.* Porrò vindicta Dei gravis adversùs hostes Ecclesiæ suæ, *sacrificium* metaphoricè secundùm quosdam vocatur, Esa. 43. ℣s. 6. ubi & *sanguinis & adipis consumendi* mentio additur (quibus cum impii comparantur) quo plenaria deletio intelligitur, sicut illa duo olim in sacrificiis comburi Jehovæ solebant, Lev. 3. ℣s. 16, 17. Eâdem similitudine declarat, quàm gratum sibi futurum sit (judiciariâ & consequente voluntate) cùm inimicos Ecclesiæ pessundabit: perinde ut olim odora sibi & grata fuerunt sacrificia, in populo DEI oblata &c. Confer Exod. 32: 27, 29. Jerem. 12: 3. &c. Denique Rex Babylonis, crudeliter Judæam infestans, *sacrificare sagenæ suæ, & suffitum facere reti suo* dicitur, Hab. 1: 16: hoc est, suis viribus & copiis, suæque potentiæ propriæ (ea enim *sagenæ & retis* metaphorâ exprimuntur) omnes victorias & prædationes adscribere, atque ex his arroganter ut Deum terrestrem se venditare. Confer Esa. 37: 24, 25.

Primitiæ. 4. *A primitiarum oblatione*, de qua Lev. 23. 9, 10. Num. 15: 20, 21. Deut. 26: 2. seqq. aliquot modis metaphora ducitur; 1. ad Christum, qui ἀπαρχὴ *primitiæ eorum, qui obdormierunt seu mortui sunt*, dicitur; 1 Cor. 15. ℣s. 20. Intelliguntur autem mortui, ex morte iterum resurgentes, ut ex ℣s. 23. patet. Quemadmodum Deo ita disponente, oblationem primitiarum insequebatur plena & abundans messis, cujus fructus oblatis illis primitiis quasi sanctificabantur: Ita resurrectionem Christi, tanquam primitiarum verarum mysticarumque oblationem, insequetur plenissima resurrectionis universalis credentium ad vitam æternam messis, cujus sanctificatio, in primitiis illis, qui Christus est, efficacissima præcessit. Observant aliqui ex Lev. 23. vers. 11. primitias frugum Domino oblatas fuisse, die Sabbatum sequente, hoc est, ut nos loqui solemus, die Solis: & anno eo, quo Christus passus est, diem illum primitiarum incidisse in ipsum diem, quo Dominus noster ex mortuis resurrexit: ut ita perquàm congruè hac allusivâ metaphorâ Paulus fuerit usus. 2. Ad credentes, Jac. 1: 18. *regeniti hi* dicuntur *à Deo, ut essent* ἀπαρχὴ *primitiæ quædam creaturarum ejus*, hoc est, ex toto hominum cœtu selecti, ad adoptionem filiorum Dei, & ipsi consecrati, sicut olim primitiæ à reliquis separatæ fructibus, Deo offerebantur consecrabanturque. Apoc. 14: 4. *electi* etiam glorificati in æternitate beata, hoc nomine vocantur, Rom. 8. ℣s. 23. credentes dicuntur *primitias Spiritus habere.* Quemadmodum Israelitæ ex primitiarum oblatione spem concipiebant reliquarum frugum suo tempore, benedictione Dei abundè accipiendarum: Ita credentes ex donis Spiritus Sancti, quorum parte aliqua in hoc mundo donantur, concipiunt spem plenitudinis gaudiorum cœlestium, & messis illius gloriosæ &c. Quidam de solis Apostolis hoc intelligunt, qui *primitias*, hoc est,

pri-

primos fructus Spiritus Sancti acceperunt, seu in quos primùm omnium effusus est Spiritus Sanctus miraculosè, Act. 2. in iisque virtute singulari, & donis eximiis se exeruit. Sed prior explicatio simplicior, & scopo atque ἀντιθέσει Apostoli, conformior est. 3 Ad Judæorum populum, Jerem. 2: 3. *Sanctitas fuit Israel Jehovæ, primitiæ proventus ejus*, hoc est, consecratus ipsi & selectus ex omnibus mundi populis, ut primitiæ ex omnibus fructibus agri sunt sanctæ. Ibidem metaphora continuatur: *Quotquot comedebant illum, rei efficiebantur, malum eveniebat eis*, hoc est, quemadmodum, qui primitias Deo oblatas, & sacrum proventum intervertit, reus est, & pœnas luit, ex lege, Lev. 5. v. 15, 21. ita rei peracti sunt & pœnas pependerunt inimici populi Israelis, ut Ægyptii, Amalekitæ, Sihon, Og, Midianitæ, Cananæi &c. qui sanctas illas Dei primitias comedere, hoc est, populum ejus perdere ac pessundare non sunt veriti Rom. 11: 16 *Si primitiæ sunt sanctæ, sancta est & massa: & si radix sancta, sancti erunt & rami.* Constitutionem divinam de primitiis conspersionis sive massæ, Num. 15: 21. ita applicat Apostolus: Quemadmodum primitiis secundum legem oblatis, tota massa erat sancta: Ita cùm Patriarchæ & majores Judæorum, populus Deo sanctus, seu peculiariter ei segregatus ex omnibus terræ populis, fuerint, prærogativa isthæc non exspirabit in illorum posteris, sed & hi regni cœlestis jure atque aditu fruentur, si nimirum fide promissionem Evangelicam amplectantur. Neque enim de spirituali, sed legali sanctitate Apostolus loquitur.

Posterioris generis sacræ actiones, quæ homines immediatè pro objecto habent (etsi in Dei cultum primariò directæ fuerunt) sunt hæ. *Circumcisio*, quæ quia populi Dei character peculiaris, & regenerationis medium atque organum divinitùs institutum fuit, ad notandam Spiritus sancti regenerationem, & renovationem, transfertur, & *cordis circumcisio* vocatur, Deut. 10. ℣ſ. 16. cap. 30 ℣ſ. 6. Rom. 2, ſ. 28. Pulcra ejus periphrasis exstat Col. 2. ℣. 11. *In quo* (Christo Jesu) *circumcisi estis, circumcisione ἀχειροποιήτῳ, quæ fit sine manibus, in exutione corporis* (depositione) *peccatorum carnis, in circumcisione Christi.* Et ℣ſ. 12. medium renovationis primum, quod *baptismus* est, statim subjicitur. Cùm verò metonymicè Judæi περιτομή, *circumcisio*, dici soleant, ut suo loco dictum, igitur metaphoricè ea vox ad credentes Christianos transfertur, Phil. 3: 3. ob paulò antè memoratam cordis circumcisionem, quâ ipsi pollent. Contrà

*b præputium, & incircumcisum esse* (corde & auribus,) metaphoricè de incredulis impiis & profanis hominibus dicitur, Lev. 26: 41. Esa. 52: 1. Jer. 4: 4. cap. 6: 10. cap. 9: 26. Ezech. 44: 9. Actor. 7: 51. Col. 2: 13. Præter spiritualia autem isthæc, ad alia etiam transfertur. Dicitur enim Moses *præputiatus seu incircumcisus labiis*, Exod. 6: 12, 30. hoc est, *gravis loquelâ*, ut Chaldæus vertit, seu balbus; ut ita præputium pro quavis re superflua & objectione digna accipiatur: Solent quippe & balbis multæ superfluæ syllabæ excidere, quæ velut præputium amputandæ essent, ut purus efficeretur sermo. Lev. 19: 23. *arborum præputium* memoratur, de quo suprà cap. 9. §. 3. dictum. b Præputium.

*c Aspersio*, quæ super populum fiebat vel sanguine, Exod. 24: 9. cap. 29: 21. Lev. 14: ℣ſ. 7. &c. vel aquâ cineri vaccæ rufæ mixtâ, Num. 19. Heb. 9. ℣ſ. 13. &c. quia typus fuit mundationis per sanguinem Christi spiritualis à peccatis, igitur metaphoricè pro ea quandoque ponitur. Esa. 52: 15. Heb. 10. 22. cap. 12: 24. 1 Pet. 1: 2. Tria igitur hic concurrunt. (1.) Christi satisfactio & meritum, unde *sanguis aspersionis* Heb. 12: 24. nominatur. Confer collationem Apostolicam à minori, Hebr. 9: 13, 14. (2.) Verbum Evangelicum de Christo, quod quasi אזוב *hyssopus* & aspergillum est, quo sanguis Christi, ad emundationem hominis, animæ & cordi adspergitur, hoc est, nostræ justificationis medium & organum est. Psal. 51: 9. *Expia me hyssopo, & mundabor, lava me, & præ nive dealbabor.* Chald. *Asperge super me sicut Sacerdos, qui aspergit hyssopo super immundum, aquas aspersionis, ex cinere vaccæ* &c. Quænam illa hyssopus sacra & aspergillum? In antecedenti & consequenti versu id explicatur, vers. 8. *Ecce veritate delectaris, in abscondito, & quæ in abstruso est, sapientiam scire facis me.* Hæc est veritas & sapientia verbi Evangelici de Christo, Rom. 16: 25, 26. &c. Sequitur v. 10. *Audire fac me gaudium & lætitiam* &c. nimirum ex ἀκοῇ πίστεως, Gal. 3: 2, 5. &c. (3.) Vera fides, quæ ipsa sanguinis Christi aspersio est, à Spiritu sancto facta, seu, meriti & satisfactionis Christi sufficientissimæ fidelis acceptatio atque applicatio: Unde immediato nexu conjunguntur Heb 10: 22. c Aspersio. a Circumcisio.

*d Unctio*, quia obtingebat futuro Regi populi Dei, sacerdoti summo, & interdum Prophetæ (de unctione *Regum* 1 Sam. 10 v. 1. cap. 16: 13. 1 Reg. 19. v. 16. *Sacerdotis summi*, Exod. 40. v. 12. seqq. *Prophetæ*, 1 Reg. 19. v. 26.) inde metaphoricè quoscunque à Deo singulariter vocatos, eique consecratos, Scriptura d Unctio.

ptura sacra משיחים, *unctos* vocat, Ps. 105. 15. Es. 45. vers. 1. Per excellentiam autem משיח *Messias*, *χριστὸς*, *unctus*, dicitur noster summus Rex, Sacerdos, & Propheta, benedictus in secula, Dan. 9. v. 24. Psal. 2. v. 2. Joh. 1:42. cap. 4. v. 25. Unde vulgatissimum in N. T. Christi, hoc est, *Uncti* nomen, Matth. 1. v. 16, 17. c. 2. v. 4. c. 11. v. 16. c. 22. v. 42. Luc. 2. v. 11, 26. Unctionis ejus mysticæ & cœlestis fit mentio Psal. 2. v. 6. Ps. 45:8. Es. 61. v. 1. Dan. 9. v. 25. Luc. 4. v. 18. Actor. 10. v. 38. Heb. 1. v. 9. Ex quorum locorum collatione patet unctionem in Christo nihil aliud esse, quàm plenitudinem donorum Spir. sancti, imò totius divinitatis, quæ in humana natura, in ὑπόστασιν λόγȣ assumta, personaliter habitat, & ad divinum redemtionis officium expediendum, idoneam eam effecit (Col. 2. vers. 9. Confer Joh. 3. v. 34, 35.) Ut ipse Christus sit Sacerdos summus, Rex & Propheta noster, modo cœlesti & eminentissimo: redimens, defendens, & docens nos, ad vitam sempiternam. A *Christo* nostro *Christiani* dicimur, qui in eum credimus, Act. 11. v. 26. hoc est, unctionis sanctæ μέτοχοι, Heb. 1. v. 9. 1 Joh. 2. v. 20. *unde facti à Christo reges & sacerdotes Deo & Patri* credentes vocantur, Apoc. 1:6. sicut ipse Christus, caput nostrum, summus Rex, idemque Sacerdos, per suam abundantissimam unctionem, factus est. Confer Es. 61. vers. 3. 2 Cor. 1. vers. 21, 22. Rom. 5:5. &c.

a 3. Tempora. Sabbathum.

Actiones sacras insequuntur *sacrati dies & tempora*. Inter quæ eminet *a Sabbathum*, dies quietis, septima in hebdomade, cum creationis completo opere instituta à Deo, Gen. 2:3. & exactissimè in populo Israelitico observata mandato Dei. Ad exprimendum Nov. Test. cultum ea transfertur Es. 56: 4. & denotandam vitæ æternæ quietem, Esa. 66. v. 23. (ubi & *novilunii* mentio, eôdem sensu, exstat, qui & ipse dies festus Judæis erat.) Atque ita *Sabbatismus populo Dei relictus* memoratur Heb. 4. v. 9. A *b Paschatis* Judaico festo, cui *dies azymorum* conjuncti erant, pulcerrimam exhortationem allegoricam desumit Apostolus, 1 Cor 5:7, 8. ubi & *Christus Pascha nostrum* vocatur, cùm pro nobis immolatus & occisus fuerit, uti in Vet. Test. agni Paschales (qui fuerunt typi Messiæ) jugulabantur. Sed de hoc textu plura vide in Exeg. Epist. festo Paschatis. *c Festum tabernaculorum* pro toto Nov. Test. cultu spirituali Zach. 14. ℣s. 16, 18, 19. usurpatur. Hujus autem, & non reliquorum, Prophetam meminisse volunt, quòd vitæ humanæ, quam corrigendam esse monet, conditionem satis benè adumbraret. Omnes Christiani, dum peregrinantur hic à Domino, jugiter festum tabernaculorum celebrant, dum ut hospites & peregrini in mundo versantes, ad civitatem cœlestem adspirant, properantque non pede corporis, sed affectu cordis, & profectu pietatis & effectu boni operis. Confer Genes. 47. ℣s. 9. Psal. 39. ℣s. 13. Psal. 119: ℣s. 19. 2 Corint. 5. ℣s. 4, 5, 6, 8. Heb. 11:13 14. August. *Utere mundo, non te capiat mundus. Quod intrasti, iter agis, exiturus venisti, non remansurus. Iter agis, diversorium est hæc vita, utere mundo, quomodo viator in diversorio utitur mensâ, calice, urceo, lectulo, dimissurus, non permansurus.*

a N.T. Sacramenta. e Baptismus & baptizare.

Quæ hactenus dicta sunt, Vet. Test. concernunt. In *a* Nov. Test. ritus sacrosancti, divinitus instituti, sunt duo Sacramenta, *e Baptismus, & Cœna Domini. Baptisma & baptizare*, usurpantur metaphoricè, 1. pro miraculosa Spiritus sancti effusione super Apostolos & alios credentes, in primitiva Ecclesia facta: & tùm Spiritui sancto *ignis* quandoque additur, quod externum manifestationis ipsius symbolum fuisse, ex Act. 2: 3. patet. Matth. 3: 11. Marc. 1:8. Luc. 3:16. Joh 1:33. Act. 1:5. cap. 11:16. Rationem appellationis quidam in analogica *immersione* (id enim βαπτίζειν significat) ponunt, quia scil. domus, in qua Spiritus S. super Apostolos venit, fuit ipso repleta, ut in eam, tanquam in κολυμβήθραν quandam Apostoli demersi videantur. Scholia Græca ad Act. 2: 2. ἐπλήρωσε τὸν ὅλον οἶκον ἡ πνοή, κολυμβήθρας τάξιν ἀναπληρȣ̃σα, ἐπεὶ καὶ ἐπήγγελτο αὐτοῖς ἐν πνεύματι βαπτισθήσεσθαι. Rectiùs autem *tùm* in donorum illorum copiâ appellationis ratio ponitur, sicut copiosè baptizatis olim affundebatur aqua, vel in hanc illi planè immergebantur: *tùm* in Spiritus Sancti efficacia, quòd instar aquæ vivæ in æstu reficit, sordes abluit, purificat &c. 2. Pro calamitatibus & afflictionibus, Christi cumprimis Matth. 20: 22. 23. Marc. 10. v. 38, 39. Luc. 12. vers. 50. Ratio metaphoræ itidem à multitudine & abundantiâ petenda est, uti & aliàs *aquis multis & profundis* calamitates conferuntur, Ps. 18: 17. Ps. 32:6. Psal. 69: 1, 2. &c. 3. Pro miraculoso transitu Israelitarum per mare rubrum, 1 Cor. 10: 2. qui typus baptismi aquæ in N. T. instituti fuit. Sed de hoc loco plura dicuntur in Exeg. Epistol. Domin. Septuages. Erasmus in paraph. *Nos autore Christo baptismus eximit à vitiorum tyrannide: illi dum ductu Mosis, tecti nube, mare, quod ad ictum Mosaicæ virgæ dissilit, transeunt, suo quodam modo baptizati sunt, nostrum baptismum adumbrantes.*

b Pascha. c Festum tabernaculorum.

A Sa-

[a] A *Sacra cœna* parte substantiali altera, quæ *panis* est, metaphoram desumi quidam putant. 1 Cor. 10: 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus* &c. Erasmus in annot h. l. *Putant Græci, nos intelligi per panem illum, qui est corpus Domini: quandoquidem omnes Christiani membra Christi sunt, quasi correxerit, quod priùs dixerat, participamus: plus enim est, unum & idem esse, quam participem esse.* In paraphrasi ita: *Nos cùm ejusdem panis participes simus omnes, declaramus nos, quamlibet multi simus numero, tamen animorum consensu unum panem, & unum esse corpus.* Sed rectiùs alii propriè *panis* vocem accipiunt, ut sit ellipsis verbi substantivi, hoc sensu: *Unus est panis* (in S. Eucharistia: Et ita etiam) *unum corpus multi sumus.* Id Syrus clarè expressit: איכנא הכיל דחד הו לחמא הו, *Ut igitur unus est panis ille: ita omnes nos unum sumus corpus: omnes enim ex illo eodem pane accipimus.* Est autem unitas illa panis in sacra cœna intelligenda, ratione usus sacramentalis ejusdem, uti & ratione ὁμογενείας & materiæ &c. [a] S. Cœna.

# CAPUT XIV.

## DE

# SYNECDOCHE GENERIS.

SYnecdoche est tropus, quo totum pro parte, & contra, ponitur. Cumque totum vel sit *genus*, vel *integrum*; pars vel sit *species* vel *membrum*: Igitur de quatuor, qui vulgò constituuntur, Synecdoches modis ut ordine agatur, necessum est. Est igitur *Synecdoche generis*, cùm genus pro specie, vel universale pro particulari accipitur. Potest ita commodè distingui, quod conspicua sit, tùm in ipsis universalitatis notandæ signis, qualia sunt, *omnis, quicunque, nullus, nemo, nihil, non*: Tùm in vocabulis, quandam universalitatem pluralitatemve significatu suo exprimentibus. *Prioris* generis hæc sunt commemoratu digna.

[b] Omnis de *majori parte* sæpiùs dicitur, ita ut *omnes* sunt pro *plerisque* seu *multis*. Quidam sic enunciant: *Universalis affirmativa locutio crebrò accipitur, non simpliciter pro singulis rebus termini universaliter indicati, sed ad speciem, cui propriè competit, est restringenda.* Huc pertinet regula juris: *Omnes videntur facere, quod facit major pars*, quæ exstat in Pandectis, §. quod major. Et πολυθρύλλητον illud: *Verba sunt intelligenda secundùm subjectam materiam.* Monendum verò hîc, restrictionem universalis particulæ non pro arbitrio, sed ex accurata textus consideratione constituendam esse. [c] Exempla in Vet. Test. hæc sunto: Exod. 9: 6. *Et mortuum est omne pecus Ægypti.* Omne, scil. *quod in agro erat*, ut dicitur ℣. 3. atque ita permulta quidem animalia fuêre occisa, non tamen penitus omnia: pars enim in aliud judicium DEI super Ægyptios fuit reservata, de quo ℣. 19. cap. 14: 26, 28. in eodem cap. 9: 25. *Omnem herbam agri læsit illa grando, & omnem arborem agri fregit*, hoc est maximam earum partem, ut ex c. 10: 5. constat. Exod. 32: 3. *Omnis populus abruperunt inaures suas, & attulerunt ad Aaronem*, hoc est, maxima populi pars, ut ex ℣. 26. patet: unde particulari voce utitur Paulus, & τινὰς, *quosdam* 1 Cor. 10: 7. vocat. In eodem cap. 32: 26. *Et aggregati sunt ad Mosen omnes filii Levi.* Non simpliciter de omnibus Levitis hoc accipiendum, nam ex iis multi Aaroni in idololatria instituenda adhæserant, ut ex ℣. 29. & Deut. 33: 9. conspicitur. Omnes quidem, qui Mosi aggregati fuerunt, Levitæ erant, nec alterius tribus; sed non omnes Levitæ, sed potior hujus tribus pars. Esai. 2: 2. *Et confluent ad eum* (Messiam) *omnes gentes.* Subjicitur ℣. 3. *Et ibunt populi multi* &c. Conf. Mich. 4: 1. ubi universalitatis nota omittitur. Alia exempla occurrunt Deut. 28: 64. 2 Sam. 16: 22. cap. 17: 14. 1 Par. 14: 17. Psal. 22: 8, 30. Psal. 42: 8. Ps. 118: 10. Jer. 26: 9, 16. (Confer ℣. 17.) Hos. 7: 4. Hag. 2: 8. [d] In N. T. hæc notentur: Matth. 3: 5. *Tunc egrediebatur ad illum Hierosolyma, & omnis Judæa, omnisque regio undique finitima Jordani*, hoc est, multi eorum locorum homines. Ubi simul metonymia subjecti seu continentis est, uti & c. 8: 34. Marc. 1: 33. &c. Marc. 9: 23. *Omnia possibilia sunt credenti*, videl. quæ divinis promissionibus nituntur. Brentius:

[b] Universalitatis notanda signa. 1. Affirmativa.

[c] V. T.

[d] Nota. N. T.

tius: *Dicitur, credenti, non cogitanti, somnianti, aut præsumenti, sed credenti. Credens autem est, qui habet certum verbum* DEI, *certam promissionem Dei, cui innitatur. Fides, inquit Paulus, ex auditu est: auditus autem per verbum DEI. Quare ubi non est promissio DEI, ibi non est fides. Deinde dicitur, omnia, non autem indiscriminatim omnia, sed quæ in promissione comprehenduntur.* Joh. 1: 16. *De plenitudine ejus omnes nos accepimus, gratiam pro gratia.* Omnes nos, videl. qui accepimus gratiam à DEO, accepimus eam ex Christo, & propter Christum: neque enim in alio quoquam salus &c. [a] Joh. 10: 8. *Omnes quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones.* Ad id, de quo agitur, hoc universale pronunciatum est accommodandum. Christus vers. 7. dicit, *se esse ostium*, quo alios omnes à participatione hujus attributi excludit. Fures igitur & latrones vocat omnes eos, qui ostii salutis, & Messiæ nomen sibi vendicârunt. Atqui nullus unquam ex sanctis, nec Moses, nec Prophetæ, se dixerunt esse *ostium* illud principale, sed Christum potiùs pro ostio illo ovibus ostenderunt. Igitur ad hos non pertinet dictum Christi. Theophylactus in *veniendi* vocabulo emphasin quærit: πρόσχες καὶ τῇ ἀκριβείᾳ τῆς λέξεως ὅσοι ἦλθον, φησὶν, ἀλλ' οὐχ ὅσοι ἀπεστάλησαν, hoc est, *diligenter attende ad exquisitam proprietatem hujus voculæ: Quicunque venerunt, inquit, non, quicunque missi sunt.* Aliorum interpretationes, quæ ex parte coactæ sunt, non addo. Actor. 2: 5. *Erant autem Hierosolymis habitantes Judæi, viri religiosi, ex OMNI natione, quæ sub cœlo est*, hoc est, ex multis seu variis regionibus. Erasmus in annot. *Lubens rogârim istos, qui non recipiunt hyperbolem* (ita hunc synecdoches modum vocat) *in sacris voluminibus, an in hoc conventu fuerint etiam Angli aut Scoti?* Eph. 1: 11. *DEUS omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ.* Omnia, scilicet quæ ad salutis & electionis mysterium spectant, de quo h. l. agitur. D. Hunnius: *In toto hoc capite nil quicquam continetur de rejectione seu damnatione reproborum, sed tantùm de beneficio, quod salvandis obtingit, id quod totum administrari decreti divini, Apostoli mens est. Quin nisi Deus decrevisset salvare genus humanum, nihil omnium eorum esset factum, quæ ad procurandam salutem nostram suscepta sunt.* Phil. 2: 21. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt*, hoc est, maxima pars. Phil. 4: 13. *Omnia possum per Christum, qui me corroborat.* Non de impletione legis sermo hîc est, sed de tolerantia, in quavis fortuna, ut antecedentia ostendunt. Alia exempla occurrunt Matth. 10: 22. cap. 16: 19. cap. 18: 18. cap. 21: 26. cap. 24: 9. Luc. 15: 1. 1 Cor. 6: 2. cap. 9: 19, 22. c. 13: 7. Col. 1: 28. Hebr. 6: 16.

[a] Joh. 10: 8. Omnes quotquot ante me venerunt &c.

Conforme præcedenti est, quòd *universalis affirmativa quandoque intelligenda est, non de omnibus individuis, sed de quibuslibet speciebus.* Quod aliqui sic efferunt: Vocula *omnis* quandoque accipitur non de singulis generum, sed de generibus singulorum. Gen. 2: 16. *Ex omni arbore horti comedes*, hoc est, ex omnis generis arborum fructu. Gen. 24: 10. *Et omnia bona Domini sui in manu ejus*, hoc est, omnis generis bona. Confer vers. 52, 53. Ita & 2 Reg. 8: 9. &c. Joel. 2: 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem &c.* hoc est, omnis generis homines, ex omni populo. Ostenditur enim in Nov. Test. sublatum esse discrimen personarum, ibi nullum esse Judæum aut Græcum, neque servum neque liberum, neque marem neque fœminam, Galat. 3: 28. non jam amplius ex tribu certa electum iri sacerdotes, sed omnes fore sacerdotes spirituales, 1 Pet. 2: 9. Confer Actor. 2: 17. ubi dictum Prophetæ repetitur Zeph. 2. vers. 14. *Cubabunt in eâ omnes bestiæ gentium*, hoc est, omnis generis. Matth. 4. vers. 23. *Sanans omnem morbum, & omnem languorem in populo*; hoc est, omnis generis morbos & languores. Luc. 11: 42. *Decimatis omne olus*, hoc est, omne oleris genus &c. Actor. 10: 12. *In quo erant omnia quadrupedia terræ*, hoc est, omnis generis animantia. Heb. 13: 4. *Honorabile est conjugium in omnibus, seu inter omnes*, hoc est, inter cujusve ordinis vel conditionis homines in Ecclesia. Calvini hæc referunt dicta, in quibus, DEUM *omnes homines salvari velle*, declaratur, quæ particulariter ad electos solos restringunt, 1 Tim. 2: 4. &c. Sed malè & perperam. Non affirmativa solùm 2 Pet. 3: 9. ponitur, *DEUM omnes velle ad pœnitentiam venire*, sed & contraria negativa, *non velle ullos perire.* Sed de hoc plura in Theologorum scriptis, hunc de prædestinatione articulum tractantibus.

[b] 2. Negativa.

[b] *Universalis negativa* itidem quandoque restringenda, & particulariter eam negare, intelligendum est. Exod. 20: 10. *Nullum opus faciendum in Sabbato*, scilicet servile & mechanicum, ut ex Lev. 23: 7, 8. Num. 28: 18. patet. Judæi hoc non observantes, permulta, de quiete Sabbati, aliarumque festivitatum, futilia comminiscuntur & observant. Ex quibus, recensente Münstero, in enumerat. præcept. negat. hæc sunt: [c] *Poma sabbato decerpta comedi non debent, præsertim si circa eandem pomi aut pyri aliquid arboris remanserit. Vestis vino aut oleo madefacta exprimi non debet. Sinapi die sabbati non commiscendum aqua aut vino.* Nec

[c] Judæis prohibita in Sabbato.

ponendum pomum ad ignem, ut illud assos. Sabbato neq manus lavari debent. Non venandus pulex, quando hinc inde saltat, secus si depungat. Reptilia, quæ ex coitu nascuntur, ut sunt pulices, non possunt occidi, æquè ut jumenta, pediculi verò, qui ex sudore generantur, interfici possunt. Reptilia quæ mordent & interficiunt, ut sunt crabrones, scorpiones, serpentes, canes furiosi, sabbata occidi possunt, præsertim si ferantur in hominem; secùs si quieti sedeant, aut fugiant hominem. Si incendium Sabbato incidat in atrium, nihil eripiendum est præter cibum, qui eo die necessarius est, & præter vasa atque vestes, quibus Sabbato opus habuerint; potest & theca auferri, in quo sacer liber est, nec curandum, si etiam in eâdem thecâ pecunia fuerit, & illam simul asportaveris. Curru Sabbato vehi prohiberis, non obstante, quod gentilis agit jumentum. Dare poteris cibum gentili & cani, sed non porco. Prohibitum est auferre sellam ab equo vel asino, sed solvere poteris cinctoriam, & si tunc abjecerit sellam, tuâ non interest. Si gallina edat in die solenni ovum, non licet comedere illud eo die. Ob periculosas infirmitates licet violare Sabbatum. Prohibitus est omnis lusus instrumentorum, quin & non licet percutere tabulam, aut ludere cum nuce, aut tinnire cum nolâ, ut vel puerum à fletu compescas. Lectus Sabbato non est sternendus. Non numerandum, non mensurandum, non judicandum, non matrimonium initiandum, ne scil. scribere cogaris. Si pecus in foveam ceciderit, manibus educi non debet, sed pasce illud ibi, donec transierit Sabbatum. Non eliciendus ignis ex ligno, aut lapide, aut metallo, sed à præexistente igne accendi potest. Nec extinguendum incendium, ut eripias substantiam bonorum. Non scindenda ligna, nec obstetricatione jumentis succurrendum, in die solenni, sed applicari possunt manus, ne fœtus cadat in terram, & potest illi mamma in os dari &c. O vanitas abominanda! ô cæcitas stupenda! Pergamus autem ad alia regulæ hujus exempla. 1 Sam. 20:26. *Non est locutus Saul quicquam eâ die*, videlicet de Davidis absentiâ. 1 Reg. 19:11, 12. *Non erat Dominus in vento, commotione, igne;* scilicet peculiari quodam revelationis modo, quem Eliæ exhibebat. Jer. 8:6. *Non est qui rectum loquatur, non est quisquam, quem pœniteat mali sui*, hoc est, plerique mali sunt & impœnitentes, paucissimi verò credentes & pii, Matth. 5:34. *Non juretis omninò*, scilicet temere & leviter. Præceptum enim de juramento sic intelligebant Pharisæi, quòd perjurium duntaxat in eo prohiberatur, interim temeraria juramenta in vita communi permittebant. Sed Christus opponit veram legis explicationem. Matth. 10:26. *Nihil est opertum, quod non sit retegendum, & nihil occultum, quod non sit cognoscendum.* Nihil, scilicet doctrinæ cœlestis. Quamvis veritas Euangelii per hominum malitiam ad tempus prematur & obscuretur, ne publicè annuncietur, tamen in claram lucem erumpit tandem. Luc. 7:28. *Non surrexit major Johanne Baptista*, scilicet inter eos, qui vulgari modo sunt nati. Joh. 1:31. *Et ego non noveram illum*, scilicet penitus, & ut debebam: non noveram, ratione officii. Aliàs autem non ignarus omninò Messiæ erat Johannes. Ita sensim & κατὰ προκοπήν ad Domini & sanctissimi ejus officii cognitionem Johannes pervenit, uti & Apostoli. Joh. 3:23. *Testimonium ejus nemo accipit*, hoc est, plerique illud repudiant, perpauci accipiunt & credunt, ut ex vers. 33. constat. Johan. 15:5. *Sine me non potestis facere quicquam*; nihil, scilicet boni in rebus, animæ salutem concernentibus, quod DEO placeat. Joh. 18:20. *Nihil in occulto locutus sum*, videl. quod non etiam palam & publicè prolocutus fuerim. Seditionis crimen, & occultæ conspirationis adversùs magistratum, hac ratione Christus à se amolitur. Actor. 27:33. *Dies hic decimus quartus est, quod jejuni permanetis nihil accipientes*, hoc est, parum omninò. Nam absque omni cibo vita tam diu perdurare non potuisset. Justo autem convivio, per illud tempus nunquam refecti fuerant, ut qui mœrore agebantur, ferè ad cibi nauseam. 2 Thess. 3:11. *Audimus quosdam inter vos ambulantes inordinatè, nihil operantes*, scilicet utile & necessarium. 1 Timoth. 6 vers. 4. *Nihil sciens*, scil. ὑγιὲς, sanum & utile.

Tantum de vocibus universalitatem denotantibus, quò etiam referri possunt, quando πανταχοῦ, *ubique*, pro, *passim*, accipitur, Marc. 16:20. Actor. 28:22. 1 Cor. 4:17. Et *semper* pro *sæpè vel frequenter*. Luc. 18:1. cap. 24:53. Conf. Grammat. sacr. p. 438.

a *Posterioris* generis hæc observata sunt. *Nomina latiora pro angustioribus, universaliora pro specialioribus usurpantur. Aromata*, בשמים, pro *nardo*, Exod. 30:34. bis ea vox ibi ponitur, priori loco genus ipsum notat, posteriori speciem. Junius & Tremellius in notis *Nardus, teste Plinio lib. 12. natur. hist. cap. 12. præcipuus est in unguentis odoratis, ideoque generis nomen κατ' ἐξοχὴν obtinet. Obtinet autem in plurali, quia non tantum spicâ suâ, sed etiam foliis celebratur, geminâ dote, ut idem loquitur. Caro* pro homine, unde *omnis caro* pro omni homine accipitur. Gen. 6:12. Psalm. 145:21. Esa. 40:5. cap. 66:23. Matth. 24. vers. 22. Luc. 3:6. Rom. 3:20. Estque in hoc synecdoche etiam membri; *caro* enim pro corpore, *corpus* pro toto

a Voces universalitatem exprimentes suo significatu 1. Nomina latiora pro angustioribus.

toto animali, *animal* autem pro homine sumitur. *Creatura* pro homine, Marc. 16: 15. Col. 1:23. Confer Matth. 28:19. Luc. 24:47. Aliter ἀνθρωπίνη κτίσις, *humana creatura*, accipitur 1 Pet. 2:13. pro ordinatione scil. ut & à Plutarcho in Repub. accipitur, ubi de Bruto, exactis regibus, novam formam reipublicæ constituente narrat Et Latini etiam *creare*, pro constituere magistratum dicunt. *Humana* autem creatura sive ordinatio dicitur, quia homines eam potestatem gerunt. Confer Rom. 13: 1. &c. *Domicilium* ι οἴκημα, pro carcere, Act. 12:7. Et ita carcerem Athenis etiam vocatum esse, ut honestiore vocabulo, testatur Plutarchus in vita Solonis. *Domus* pro templo, Luc. 11:51. *Homo* pro viro, Matth. 19: 10. ubi Syrus habet גברא *vir. Lingua* pro lingua mala, vel (metonymicè simul) obtrectatione & calumnia, Ps. 140: 12. Unde verbum לשן *obtrectare, detrahere*, Ps. 101. ℣s. 5. Prov. 30. v. 10. Chaldæi id dicunt, loqui לשן תליתי *lingua tertia*, hoc est, tribus linguis quod, uti quidam explicant, calumniator tribus personis eadem opera noceat: delato, quem injuriâ afficit: auditori, quem veritate privat: & sibi ipsi, dum conscientiam graviter sauciat. Exstat autem in Chaldæa paraphrasi illa locutio, Ps. 101: 5. Ps. 140: 12. Job. 36: 33. Eccl. 10: 11. &c. *Mutatio* pro morte, quæ mutatio hominis maxima omnium & evidentissima est, Job. 14: 14. Prov. 31: 8. ubi *filii mutationis* sunt rei mortis, & interficiendi. *Quadrupedia animalia*, τετράποδα, pro domesticis, & quæ ad communem hominum usum ali solent, Act. 10: 12. ideò adjungitur, τὰ θηρία, *bestiæ seu feræ. Resurrectio*, pro resurrectione ad vitam æternam. Luc. 20: 36. Drusius 3. præter. *ἀναστάσεως hic positum videtur pro ἀναβιώσεως, quæ propriè resurrectio est ad vitam: hujus resurrectionis non sunt participes improbi, qui resurgent quidem, sed in æternum exitium. Hæc* תחיה; *illa verò* תקומה *dicitur. Spiritus*, pro anima hominis. Ps. 31. v. 6 Ps. 146. v. 4. Eccl. 4. 21. cap. 8. v. 8. c. 21. v. 7. Esa. 42. v. 5. Zachar. 12. v. 5. Luc. 8. vs. 55. Luc. 23. 46. Actor. 7. v. 59. 1 Cor. 5. vers. 5. Heb. 12:23. Et pro animæ sanctificatæ facultate, qua homo virtute Spiritus sancti Deo unitur, Luc. 1:47. Roman. 8. v. 16. 1 Thess. 5. v. 23. Heb. 4. vs. 12. &c. *Statutum*, חק, pro cibo ordinario, necessario & quasi demenso, Gen. 47: 22. Ezech. 16: 27. Confer Prov. 30: 8. Huc quidam referunt Job. 23: 12. מחקי *præ demenso meo, observavi eloquia oris ejus*, hoc est, magis quam omnem cibum potumque. Potest verò commodè etiam exponi: *Ex instituto meo &c.* q. d. certò mihi hoc ipsum propositui. *Viscera* pro corde, viscerum præcipuo, Psal. 40: 9. Vatabl. in h. l. *Lex tua in medio viscerum meorum est.* מעי *intestinorum* (vel *præcordiorum*) *meorum. Vox Hebræa* מעי *dualis est numeri, quod superiora viscera significat, nempè cor & pulmonem, quæ à visceribus inferioribus, jecore, liene, & renibus separantur diaphragmate, sive septo transverso. Unde & pro corde accipitur, q. d. legem tuam vehementer amplector.* Confer v. 11. *Viventes* pro hominibus, Gen. 3: 20. Psal. 143: 2.

a 2. Nomen commune pro proprio.

[a] Conforme huic est, quando *nomen commune pro proprio*, κατ' ἐξοχὴν, *per excellentiam* ponitur, quòd *antonomasiam* alii appellant. Sic Deus sæpe dicitur אל *fortis, potens*, Genes. 14: 22. c. 21. v. 33. Psal. 5. v. 5. Psal. 22: 2. &c. *per antonomasian*) verba sunt D. Forsteri in Dictionar. pagin 32.) *proptereà quòd Deus omnia potest; cui nihil est impossibile, sed cujus potentia, potestas, majestas & facultas extendit se ad & super omnes creaturas, & à cujus majestate & potentia dependent universa in cœlo & in terra, quæ habent aliquam potentiam, potestatem, facultatem & virtutem, & propter hæc dona & beneficia, quæ ab ipso acceperunt & habent, ipsi tanquam juramento astricti sunt, illi præstare cultum & obedientiam.* Sic Christus sæpè *Dominus* vocatur, Matt. 21: 3. Joh. 11: 3, 12. &c. Et *præceptor*, Joh. 11: 28. Matt. 22: 24. Et *filius hominis*, Matt. 8: 20. c. 9: 6. c. 10: 23. c. 11: 19. c. 12: 8. &c. Et *Angelus*, Gen. 48: 16. Ex. 23: 20. *Angelus Domini*, Ex 3: 2. Jud. 6: 11. Quò & aliæ appellationes ejusdem generales pertinent: ut quòd *semen mulieris, Messias, servus Dei, Propheta &c.* dicitur. Moses *Propheta* vocatur, Hos. 12: 14. quia maximè insignis inter Prophetas est, Deut. 34: 10, 11, 12. &c. Euphrates *flumen* vocatur, κατ' ἐξοχὴν ob magnitudinem, Genes. 31: 21. Jos. 24. v. 2. Ps. 80: 12. Ps. 72: 8. Mich. 7: 12.

b Domini vox Impp. tributa.

[b] Nero Imperator Romanus, vocatur *Dominus* Act. 25. v. 26. quam appellationem, ab adulatoribus ortam, Tyrannos primùm affectâsse, deinde nec bonos principes recusâsse, ex Plinii ad Trajanum epistolis quidam deducunt. D. Bremius de hoc loco sic loquitur: *Eo tempore, quo monarchæ potentiores fuerunt, eò minùs honorificentiora & arrogantiora epitheta habuerunt. Et quod magis admireris, Domini quoque epitheton Neronis tempore adhuc novum fuit. Nam, ut Cæsarum historiæ testantur, Octavius Augustus Domini appellationem, ut maledictum & opprobrium, semper exhorruit. Ac cum spectante eo ludos, pronunciatum esset à Mimo: ô Dominum æquum & bonum, & universi quasi de ipso dictum exultantes comprobâssent, statim manu vultuque indecoras adulationes repressit.*

Et

*Et in sequenti die gravissimè corripuit edicto, Dominumque se posthac appellari, nec à liberis quidem aut nepotibus suis, vel seriò vel joco, passus est, atque hujusmodi blanditias etiam inter ipsos prohibuit. Tiberius quoque Cæsar, hujus Octavii successor, Dominus à quodam appellatus, denunciavit, ne se ampliùs contumeliæ causâ nominaret &c.* Vossius lib. 4. instit. orat. cap. 2. *Domini vox est correlatum servi; quam ob causam Augustus & Tiberius tantoperè nomen illud sunt aversati, ut discimus ex Suetonio, in Aug. cap. 53. & in Tiber. cap. 27.* Denique huc referre placet, quod *Abraham*, *Isaac*, & *Jacob*, à Judæis olim יְשָׁרִים, οἱ εὐθεῖς, fuerunt vocati. Unde *liber Geneseos* nomen invenit, ut diceretur ספר הישר, *a liber εὐθέων, rectorum & justorum*, quia de his tribus patriarchis, & eorum generatione potissimùm in illo libro tractatur. Hieron. lib. 6. in Ezech. 18. *Illud, quod à Balaam dicitur* (Num. 23:10.) *moriatur anima mea in animabus justorum: hunc habet sensum, ut cupiat mori seculo atque peccato, ac vivere cum justorum animabus, quorum vita Christus est. Et si Balaam, vanum populum sonat, perspicuum est, quòd vanus prius gentium populus desiderârit habere consortium cum animabus justorum, Abraham, Isaac, & Jacob, qui εὐθεῖς, id est, recti ac justi nuncupantur, unde & Geneseos liber ex eorum vocabulo nomen accepit &c.* Profluxit hæc opinio ex Rabbinorum placitis, qui verba 2. Samuel. 1: 18. *Ecce scripta est* על ספר הישר *in libro recti*, de Geneseos libro explicant. Targum certè vertit: *Ecce scripta est ea in libro legis.* Ubi R. Jeschajah annotat, היא ברכת יעקב *hac est benedictio Jacobi* (Genes. 49.) R. Salomo autem ita verba textus Hebræi παραφράζει: *Annon id scriptum est in libro Bereschith* (Geneseos) *qui ipse est liber justorum, Abraham, Isaac, & Jacob.* Quid autem ex sententia ipsorum, in libro Geneseos scriptum est, ad locum 2 Samuel. 1. v. 18. pertinens? De eo R. Kimchi his verbis exegeticis disserit: *Et dixit David docere filios Juda arcum* (ut v 18. dicitur) *antequàm inciperet lugere ipsos* (Saulum & Jonathanem) *dixit ad viros suos: ne desperetis de bono, & ne mollescat cor vestrum, dum mortuus est Saul & Jonathan: Quia arcus belli in manu filiorum Juda est, & ipsorum est fortitudo: & ecce, hoc scriptum est in libro recti, & iste est liber legis, ut Jonathan transfulit, quia in illo scriptum est* (Genes 49. ℣s. 8) *manus tua in cervice inimicorum tuorum. Item* (vers. 9.) *incurva se demisit, cubuit sicut leo, scilicet Juda. Et sic in benedictione Mose Doctoris nostri* (Deut. 33 ℣s 7.) *manibus ejus satis sit ei, & auxilium ab hostibus ejus fit. Et certè manibus eorum* (filiorum Juda) *devicti sunt Philistæi, uti legimus de Davide & Josia & Ezechia* &c. Hæc Kimchi d. l. ubi & Thalmudistarum sententiam addit, quòd David illa ipsa verba Genes. 49 ℣s. 8. *manus tua in cervice inimicorum tuorum*, vocat *arcum* h. l. *Et hic* (arcus) *scriptus est in libro recti, hoc est, in libro Bereschith, qui est liber Abraham, Isaac & Jacob, qui dicuntur recti* &c. In tractatu Talmudico, qui de cultu alieno tractat, fol. 25, 1. *Quis liber recti? dicit R. Haza filius Abba, dicit R. Johannes, iste est liber Abraham, Isaac, & Jacob, qui recti vocantur, juxta id quod dicitur* (Num. 25. ℣s. 14.) *moriatur anima mea morte rectorum.* Hoc obscurius dictum ita glossa elucidat: *Iste est liber Bereschith, in quo gesta patrum descripta.* Hæc Talmud, allegante Druso lib. 8. observ. cap. 4. Quid autem fiet alteri loco, Jos. 10. ℣s. 13. ubi de Sole, tempore Josuæ, ad preces ejus, in cœlo consistente, sic legitur: *Substitit ergo Sol, & Luna stetit, donec vindicata esset gens* (Israëlitica) *ab hostibus suis. Nonne hoc scriptum est in libro recti?* Ubi hoc *in libro Geneseos*, inquam, scriptum exstat? Respondet R. Salomo in comment. h. l. *Hæc res scripta exstat in lege, cum dixit Jacob ad Josephum* (Genes. 48. ℣s. 19.) *semen ejus, Ephraimi scilicet, erit plenitudo gentium: Quia in die, quo stetit Sol ad preces Josue, impletus est totus mundus famâ Josuæ* (qui scilicet fuit de tribu Ephraim, Num. 13: 8.) R. Kimchi autem ad Exod 34. ℣s. 10. nos ablegat, *ubi DEUS Benedictus ait ad Mosen: Coram toto populo tuo facturus sum mirabilia* &c. *Quia duo* (ex mente Joseph Kimhi) *miracula in versu illo Mosi promittit DEUS, 1. radiationem faciei ejus, de quo loquuntur verba, quia reverendum erit, quod ego facturus sum tibi; 2. stationem Solis tempore Josuæ, de quo loquuntur verba: coram toto populo faciam mirabilia. Et dedit ipsi miraculum propinquius, ut crederet remotius.* Hæc ille. Sed quam aliena, contorta, & incerta hæc sint, quivis cordatus videt. Quanto rectiùs R. Levi in 2 Sam. 1. ait, *librum illum recti fuisse nomen libri apud Judæos* מפורסם *publici.* Et in Jos 10. *librum justorum fuisse sic vocatum certum librum, qui in captivitate perierit.* Fuerunt libri forensium annalium sive actuum publicorum, qui intercidêre, ut alii multi forenses, quorum hinc inde Scriptura meminit. Neque tamen propterea canon SS. Scripturæ ullâ ratione diminutus fuit, cùm libri illi annalium publicorum deperditi, non fuerint Deo autore Ecclesiæ traditi, & ad corpus Scripturæ sacræ relati. Sed hac occasione appellationis *justorum* annotasse hîc sufficit.

a Liber. εὐθέων, rectorum.

a 3. Pluralis numerus pro singulari. *a Pluralis numerus* quàndo pro *singulari* ponitur, ad hunc synecdoches modum referunt. Ille enim, utpote in genere multos complectens, ac de multis loquens, huic, utpote rem unam & singularem continenti & notanti, collatus, generis quasi vicem obtinet. Genes. cap 21. ℣s. 7. *Quis fuisset dicturus Abrahamo: lactabit filios Sara?* hoc est, filium, ut statim sequitur. Genes. 46. ℣s. 7. dicuntur cum Jacobo in Ægyptum descendisse *filiæ ejus, & filiæ filiorum ejus*, cùm tamen unam tantùm filiam, & unam neptem habuerit, ℣s. 15, 17. Ibidem vers. 23. *Filii Dan, Chusim*; qui *Schuchom* Num. 26. vers. 42. dicitur. Quidam explicant, quod ex pluribus solus hic manserit superstes. Et sic Gellius lib. 2. noctium Attic. cap. 13. ostendit, *liberos in multitudinis numero, etiam unum filium filiamve veteres dixisse*. Herennius Jurisconsultus, libro digestorum 50. idem confirmat, notante Lud. Vive comm. in Augustini lib. 16. de C. D. c. 40. Jud. 12:7. *Et sepultus est* (Jephte) *in civitatibus Gilead*, hoc est, in una civitate ejus regionis. Ignoratio hujus synecdoches monstrosæ opinionis origo exstitit. *Sunt enim qui ajunt* (annotante Münstero in annot. h. l.) *Jephtaeb propter erronei voti persolutionem, à Domino percussum gravi ulcere, ut membratim de civitate in civitatem corpus ejus collaberetur, & ferè in singulis civitatibus membrum unum sepultum fuerit.* Alii verò dicunt, quod ob memoriam insignis liberationis, quam ipse cum Dei auxilio fecit, corpus ejus fuerit frustatim divisum, atque in singulis civitatibus Gilead membrum unum sepultum, ut sc. memoriam haberet in locis illis, quòd liberâsset eos de manu Regis Amorrhæorum &c. 1 Par. 1: 41. *Filii Ana Dison*. cap. 2:7. *Et filii Charmi Achar, turbator Israël.* vers. 8. *Et filii Ethan, Azaria.* vers. 31. *Et filii Appaim Ischi: & filii Ischi Scheschan: Et filii Scheschanis, Achlai*, hoc est, filia; q. d. quicquid habuit liberorum, unica fuit filia, Achlai. Sequitur v. 34: *Non fuerunt autem Scheschani filii, sed filiæ*, hoc est, unica filia, nimirum Achlai, quæ nupsit *Jarchucho*, ut ℣s. 35. asseritur. 1 Par. 7:12. *Husim filii Acher*, hoc est, filius. 2 Par. 24. ℣s. 25. *Propter cædes filiorum Jojadæ Sacerdotis*, hoc est, filii, nempe Zachariæ occisi, vers. 20, 21. Quidam excellentiæ causâ pluralem poni putant, quòd Zacharias ille instar multorum filiorum Jojadæ esset. Act. 13:40. *Quod dictum est in Prophetis*, hoc est, uno Prophetarum, Habacuco scil. cap. 1: 5. Cùm olim unus Prophetarum, & præcipuè minorum, fuerit liber, in plurali *Propheta* citantur, pro uno ex eis. Sic & Matth. 2. ℣s. 23. Marc. 1. ℣s. 2. Joh. 6. ℣s. 45. *Liber Prophetarum* dicitur Act. 7:42. Alia de *plurali nomine, loco singularis* posito, vide in Gramm. sacra p. 88. seqq. *De verbo autem plurali pro singulari* pag. 391. 398.

b 4. Verba generalia pro specialibus. *b Verba* quædam *generalia pro specialibus* accipiuntur. *Abduci*, ἀπάγεσθαι, pro duci seu rapi ad supplicium, Act. 12:19. Sic Joseph. l. 7. antiq. Jud. cap. 1. de Davide: *Duci hominem mandavit*; (respicit ad locum 2 Sam. 1. vers. 15.) *Accipere*, לקח, pro emere seu comparare, 1 Sam. 4. vers. 6. 1 Reg. 10. vers. 28. Neh. 10. ℣s. 31. Prov. 31. ℣s. 16. Esa. 52. ℣s. 5. Confer ℣s. 3. Et pro accipere seu ducere in uxorem, 1 Par. 2. ℣s. 19, 21. Et pro discere, (quæ specialis quædam, mentis nimirum cordisque, acceptio est) vide Gramm. sacr. pag. 274. Quò pertinet Græcum δέχεσθαι, λαμβάνειν, *accipere, recipere*, quo receptio doctrinæ coelitus patefactæ, & obedientia fidelis ei præstita, innuitur, Matth. 10. ℣s. 40, 41. (Confer Luc. 10. ℣s. 16.) cap. 11. ℣s. 14. Joh. 1. ℣s. 11, 12. 1 Cor. 2. ℣s. 14. Quod ex Chaldaismo & Syrismo procul dubio fluit, in quo קבל *accipere*, idem ac audire & obedire est. (Sic vice versâ *Dare* pro docere est, vide Gram. sacram pag. 273.) *Affligere*, ענה, pro constuprare & comprimere mulierem, Jud. 19: 24. cap. 20: 5. 2 Sam. 13. ℣s. 14. Ezech. 22. ℣s. 10, 11. &c. Et *animæ* additum, pro jejunare, Lev. 16. ℣s. 29. Confer Psal. 35. ℣s. 13. *Aperire*, פתח, pro arare & terram colere, Esa. 28. ℣s. 24. Et pro sculpere, in gemmis, ære, lapide &c. Exod. 28. ℣s. 9. 1 Reg 17. ℣s. 36. Zach. 3. ℣s. 9. utrumque enim aperiendo fit. *Convenire*, συνελθεῖν, pro conjugialiter consuescere, Matth. 1: 18. (convenit cum phrasi Hebræa, *ingredi ad mulierem*, Gen. 6. ℣s. 4. cap. 16. ℣. 2, 4. &c.) Confer 1 Cor. 7: ℣s. 5. *Dicere*, pro jubere vel monere, Rom. 12. ℣s. 3. *Esse*, pro vivere. Matth. 2. ℣s. 18. ὅτι οὐκ εἰσί, *quia non sunt*, hoc est, peremti sunt, desierunt vivere. Respondet Hebræo אינו *non sunt ipsi*, Jerem. 31. ℣s. 15. Confer Psalm. 39. ℣s. 14. Jerem. 49. ℣s. 10. Sic in Euripide, οὐκ ἔτ' εἰμὶ ἐγώ, *non sum ego amplius*, præcedit, *discedam ex hac vita moriens*. Et *esse* pro habitare, Ruth. 1. ℣s. 2. Confer ℣s. 4. Et pro exsistere in honore & existimatione, Dan. 1. ℣s. 21. *Facere* pro parare in cibum, Gen. 18. ℣s. 7, 8. Exod. 12. ℣s. 16. In sacrificium, Psal. 66. ℣s. 15. Jer. 31. ℣s. 16. *Loqui seu dicere*, pro stipulari seu promittere, Deut. 26. ℣s. 17. Jos. 23. ℣s. 5. Luc. 1. ℣s. 55. &c. Et pro decernere, Genes. 24: 51. Et pro præcipere, Luc. 10 ℣s. 40. Rom. 12. ℣s. 3: Et pro consolari; quò pertinet

net phrasis *loqui ad cor alicujus*, hoc est, παραμυθεῖσθαι ἢ παρηγορεῖν, *consolari*, Jud. 19. v. 3. Esa. 40. ℣s. 2. Hos. 2. ℣s. 14. Sic quod Joh. 11. ℣s. 19. dicitur. *Multi ex Judæis venerant ad Martham & Mariam*, ἵνα παραμυθήσωνται αὐτὰς, *ut consolarentur eas*; id Syrus expressit ונמלון בלבהין *ut loquerentur cum corde ipsarum*. M. Varro l. 5. de ling. Lat. *Hinc adlocutum mulieres ire ajunt, cum eunt ad aliquem locum consolandi causâ* &c. *Operari*, ἐργάζεσθαι, pro παρασκευάζειν, *parare*, Johan. 6: 27. Sicut Hebræis בעל pro יכן quandoque est, Psal. 7. vers. 14. ubi LXX. Græci: τὰ βέλη αὐτοῦ ἐξειργάσατο. *Posse*, יכל, pro prævalere, Gen. 30. ℣s. 8. cap. 32. vers. 28. Jud. 16. vers. 5. Psal. 139. vers. 9. Hos. 12. vers. 5. *Possidere*, קנה, pro acquirere & possidere generando, Gen. 4. ℣s. 2. Prov. 8. ℣s. 22. &, ut quidam cum LXX. interpretibus volunt, Zachar. 13. ℣s. 5. *Testari*, μαρτυρεῖν, pro commendare, laudare & celebrare, Luc. 4. vers. 22. Actor. 6. vers. 3. cap. 10. vers. 22. cap. 22. vers. 12. &c.

---

# CAPUT XV.

## DE

# SYNECDOCHE SPECIEI.

Synecdoche speciei est, cùm species pro genere, vel particulare pro universali ponitur. Distinctio ejus præcedenti synecdoches modo conformari potest, quòd conspicua sit tùm in particularitatis notandæ signis: tùm in vocibus particularitatem aliquam significatione exprimentibus. [a] *Prioris* generis hoc unum observare licet, quòd vox *multis*, συμπληρωματικῶς pro *omnibus* accipitur. Dan. 12: 2. *Multi è dormientibus terræ expergiscentur* &c. hoc est, omnes omninò homines mortui, uti à Christo Joh. 5. vers. 28. explicatur. Esa. 53: 12. *Et ipse* (Messias) *peccatum multorum tulit*, hoc est, omnium omninò hominum, ut ℣s. 6. & 2 Cor. 5: 15. explicatio habetur. Vide etiam Matth. 20: 16, 28. cap. 26: 28. Rom. 5: 15, 18, 19. cap. 8: 29. &c. August. l. 20. de C. D. cap. 23. huc refert, quod Abrahæ dictum est, *patrem multarum gentium posui te*, Gen. 17: 5. cui tamen & alio loco: *In semine tuo*, inquit, *benedicentur omnes gentes*. Gen. 22: 18. Verùm invertendum potiùs hoc videtur, ut *Omnes* in posteriori loco, pro *multis* sumatur, ut in priori est; & conveniat cum illo Esa. 2: 2. *Confluent ad eum omnes gentes*; quod suprà cap. 14. §. Omnis de majori parte &c. adductum. Conf. Rom. 4: 11, 12, 17. &c. Referatur insuper huc, quòd τὶς, *quidam*, pro *quicunque* accipitur. Joh. 6: 50. *Hic est panis de cœlo descendens, ut ex ipso comedat aliquis, & non moriatur*, hoc est, ut quicunque ex eo comederit, non moriatur, &c. *Posterioris* generis plura sunt. Potiora recensebo, eodem cum præcedenti capite observato ferè ordine.

[a] Multus pro omnibus.

[b] *Nomina augustiora pro latioribus, specialiora pro universalioribus usurpantur*. Est enim hominis specialis sexus, איש, *vir*, pro quovis homine, Psal. 1: 1. Psal. 32: 1. Psal. 112: 1. Jer. 17: 5, 7. Joel. 2: 7. &c. In *relativis* nominibus cumprimis hæc synedoche conspicitur. *Patres* pro quibusvis majoribus, Psal. 22: 5. Psal. 106: 6. &c. (Inde & *Pater* pro avo, 2 Sam. 9: 7. cap. 19: 28. Dan. 5: 11, 18. *Mater* pro avia, 1 Reg. 15: 10, 13. Confer v. 2. seqq.) *Fratres* pro cognatis & consanguineis, Jud. 9: 1. 1 Paral. 12: 29. Matth. 12: 46, 47. (Hieronymus quatuor fratrum genera recenset: *Naturâ*, Gen. 27: 11. *Gente*, Deut. 15: 3. *Cognatione*, Gen. 13: 8. *Affectu sive mente*, Psal. 133: 2. quò pertinet fraternitas fidei unius in Christo, Rom. 14: 10. 1 Pet. 2: 17. &c.) *Filii & filiæ* pro posteris, Exod. 1: 7. Jer. 31: ℣s. 29. Inde & singulari numero, *filius* pro nepote, & *filia* pro nepte, Gen. 29: 5. *Laban filius Nabor*, hoc est, nepos. Parens enim Bethuel fuit. Sic cap. 24: 48. *Rebecca filia fratris Abrahami* dicitur, hoc est, Nachoris, cùm esset filia Bethuelis, & Nachoris neptis. 2 Sam. 19: 24. *Mephiboseth dicitur filius Saulis*, cùm fuerit filius Jonathan filii Saulis. *Filius* pro pronepore, Jos. 7: 24. *Achan* dicitur *filius Serah*, cujus fuit pronepos, ℣s. 1. *Filius* pro quovis ex posteris, etiam remotioribus. Sic *Christus* dicitur *filius Abrahami & Davidis*, Matth. 1: 1. Et *filius Davidis* aliquoties; Matth.

[b] Nomina angustiora pro latioribus.

Matth. 9:27. cap. 12:23. cap. 15:22. cap. 20. 30, 31. cap. 21: 9, 15. cap. 22: 42. Marc. 2. ℣s. 35. Luc. 18: 38, 39. Confer Rom. 1: 3. 2 Tim. 2: 8. Apoc. 22, 16. Unde & *David Pater ipsius* dicitur, Luc. 1: 32. *Zachaeus filius Abraham* vocatur Luc. 19: 9. Et mulier quædam à Christo sanata, *filia Abrahami* Luc. 13. ℣s. 16. Sicut vice versâ percrebra in populo Judaico fuit *Patris Abrahami* appellatio, Luc. 1: 73. Joh 8: 39, 56. Act. 7: 2. Rom. 4: 1. &c. Ἕλληνες, *Græci*, eodem hoc tropo, pro quibusvis gentibus accipiuntur, in oppositione Judæorum, Act. 16: 1, 3. Rom. 1: 16. cap. 2: 9. 1 Cor. 1: 22, 23. Gal. 3: 28. Col. 3: 11. (quibus locis Syrus Interpres ארמיא, *Aramæorum* sive *Syrorum* nomine, eodem significato, utitur, propterea quòd Judæi viciniores gentiles & idololatras non habebant, quàm Syros.) Unde & Cananæa mulier dicitur ἑλληνὶς, *Græca*, Marc. 7. vers. 26. hoc est, gentilis, & religio profana. Hanc verò loquendi consuetudinem ex eo ortam putant, quòd olim maxima pars Orientis Græcè loqueretur. Huic conforme est, quòd in V. T. cùm de conversione gentium ad regnum Christi agitur, synecdochicè pro omnibus gentilibus adhibentur *Ægyptii*, Esa. 29: 18. seqq. & unà *Assyrii*, ℣s. 23, 24, 25.

a 2. Nomen proprium pro communi.

ᵃ *Nomen proprium* quando pro *communi*, & individua pro universalibus ponuntur, huc pertinent, Esa. 63: 16. *Abraham nescit nos, & Israel non novit nos.* Hi duo pro quibusvis piè defunctis Patribus seu Patriarchis ponuntur. 1 Cor. 3: 6. *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed DEUS dedit incrementum.* Hi duo pro hominibus verbi divini ministris fidelibus ponuntur. Huc pertinent ἀποστροφαί, qua allocutio ad unum hominem dirigitur, & tota eorum, quibuscum sermo est, universitas intelligitur. Rom. 2: 17. *Ecce tu Judæus cognominaris* &c. cap. 9: 19. *Dices ergò mihi* &c. ℣s. 20. *O homo, tu quis es, qui ex adverso responsas DEO?* 1 Cor. 7: 16. *Qui scis, mulier, an maritum sis servaturu?* Gal. 4: 7. *Itaque jam non es servus, sed filius &c.*

b 3. Species rei pro genere.

ᵇ *Species rei pro genere* usurpatur. *Arcus & hastæ*, pro omni armorum genere, Psal. 44: 7. Psal. 46: 10. Zach. 10: 4. quia his maximè utebantur veteres. *Asinus* pro quovis jumento sacrificiis inepto, Ex. 13: 13. nominatur autem hæc species, quia major ejus, quàm aliarum, copia illis regionibus erat. *Aurum* pro quolibet munere, Psalm. 72: 25. Esa. 60: 6. quia preciosissima sunt auri munera. *Lapis* pro quolibet noxio agri, Job. 5: 23. ubi sensus est, DEUM effecturum, ne quicquam vel homini, vel pecudibus, vel agris obsit.

*Leo* pro quavis immani bellua, Esai. 15: 9. *Mandatum*, ἐντολή, pro quavis doctrina cœlesti, 2 Pet. 2: 21. c. 3: 2. Respondet Hebræo מצוה quod sic usurpatur Psal. 119: 6. & alibi sæpissimè. *Mel* pro quavis re dulci & delectabili, Exod. 3: 8, 17. c. 13: 5. c. 33: 3. Lev. 20: 24. Num. 13. 27. c. 14: 8. c. 16: 13. Deut. 6: 3. cap. 11: 9. cap. 26: 9, 15. cap. 27: 3. cap. 31: 20. Jos. 5: 6. Jer. 11: 5. cap. 32: 22, Ezech. 20: 6, 15. quibus locis *terra fluens lacte & melle*, est abundans quibusvis rebus optimis & suavissimis. Et per hyperbolen quandam ita dicitur: copia enim lactis & mellis, omninò arguit regionem irriguam, fœcundam, & lætis pascuis floribusque abundantem, ex quibus cùm armenta & greges ubera lacte, tum apes cellulas suas liquido nectare (ut Virgil. 4. Georg. ait) distendere possint. Alludit ad hanc terræ Syriacæ vel Judaicæ fertilitatem Eurip. in Bach. his verbis: ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον, ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν νέκταρι, Συρίας δ' ὡς λιβάνου καπνός, hoc est, *campus fluit etiam lacte, fluit etiam vino, fluit & apum nectare, fumus autem inde spirat, tanquam thuris Syriaci.* Aliàs melli *oleum* etiam, & quandoque *ficus* additur, Deut. 8: 8. cap. 32: 19. 2 Reg. 18: 32. Ezech. 16: 13, 19. Item *butyrum*, Job. 20: 17. *Panis* pro quibusvis ad vitam sustentandam necessariis, præcipuè autem iis, quæ comedimus, in quibus etiam caro est, Genes. 3: 19. cap. 18: 5. cap. 39: 6. c. 43: 31. c. 49: 20. Lev. 3: 11. cap. 21: 6, 8. Num. 28: 2. Jud. 13: 16. 1 Sam. 14: 24. c. 20: 27. c. 28. 20. Job. 6: 7. cap. 20: 14. Psal. 41: 10. Psal. 102: 5. Psal. 136: 25. Psal. 147: 7. Eccl. 10: 19. cap. 9: 11. Esai. 3: 7. cap. 58: 7. Jer. 52: 33. Dan. 5: 1. Dan 5: 1. Hos. 9: 4. Mal. 1: 7. Matth. 6: 11. cap. 15: 2. Luc. 14: 1. &c. Interdum *aqua* pani additur, & pro omnibus ad vitam necessariis (inter quæ præcipuum sunt cibus & potus) accipitur, Esai. 3: 1. c. 33: 16. *Aqua* sola, eodem significatu ponitur Neh. 4: 23. *Cuique gladius suus & aqua*, scil. esto, hoc est, singuli armis & cibario instructi comparento. *Pax*, bonorum illud præcipuum, pro felicitate omnigenâ, præsertim in salutationibus & benedictionibus, usurpatur, Gen. 43: 23 Numer. 6: 26. Ps. 119: 165. Rom. 2: 10. Jac. 3: 18. &c. Cumprimis verò beneficiorum cœlestium, merito Christi partorum, plenitudinem significat, Esa. 57. 19. Joh. 14: 27. cap. 20: 19: 21, 26. Rom. 1: 7. cap. 5: 1. cap. 14: 17. Phil. 4: 7. &c. *Rapina*, טרף (quâ feræ vivunt) pro quavis esca seu cibo. Psal. 111: 5. Prov. 31: 15. Mal. 3: 10. &c. (sicut contrà *panis* de pabulo & alimento animalium seu ferarum quarumvis, accipitur, Psal. 147: 9. Es. 65: 25.) *Sanguines*,

uines, דמים (quâ voce *homicidia seu cædes cruentæ* in scripturis denotantur, Deut. 19. vers 12. Psal. 9: 13. Hos. 1. vers. 4. cap. 4. v. 2. Matt. 23: 35. c. 27: 24. Heb. 12: 4. Item *reatus* ac pœna sanguinis injustè effusi, Lev. 20: 9. seqq. Deutern. 19: 10. cap. 21. ℣s. 8, 9. 2 Reg. 24: 6. per metonymiam effecti) pro omnibus gravioribus peccatis. Ps. 51: 16. Esa. 1: 15. &c. *Vestis* pro quibusvis necessariis, Esa. 3. v 6, 7. *Vidua & Orphanus* pro quibusvis afflictis & ærumnosis, Exod. 22. v. 21. Deut. 10. ℣s. 18. cap. 27. ℣s. 19 Psal. 146. vers. 9. Proverb. 23. vers. 10. Esa. 1. ℣s. 17, 23. Jer. 7: 6. cap. 22: 3. Ezech. 22. v. 7. Jac. 1: 27. &c.

[a] *Species numeri certa, pro multitudine indeterminatâ* ponitur. *Duplicia vel duplum*, pro multo, ac eo, quod plus satis est. Esa. 40. 2. cap. 61: 7. Jerem. 16: 18. Zach. 9: 12. Apoc. 18: 6. *Bis*, pro aliquoties. Psal. 62: 12. *Semel locutus est DEUS, bis hoc audivi*, hoc est, quod semel & constanter DEUS promisit (confer de particula *Semel*. Gram. sac. p. 461.) id sæpè mecum repeto, meditor, & cor meum hac promissione divinâ confirmo. *Quinque* verba pro paucis, indefinitè, 1 Cor. 14: 19. quibus opponuntur *decem millia verborum*, pro permultis, seu prolixo admodum sermone. *Septenarius* in hac synecdoche frequenter usurpatur de indefinita multitudine. Kimchi in commentario Esa. 4: 1. *Mos est scripturæ, septenarium numerum pro multis usurpare, proptereà quod omnes dies seculi in septimanas distribuuntur.* Exempla sunt, Lev. 26: 18, 21, 24, 28. 1 Sam. 2: 5. Ruth. 4: 15. Proverb. 26: 25. Esa. 4. vs. 1. Jer. 15. vers. 9. Ezech. 39. vers. 9. 12. Zachar. 3. vers. 9. Matth. 12: 45. Septenarius item divisus, Amos. 1. vers. 3, 6, 9, 11, 13. cap. 2: 1, 4, 6. Et septenario *octonarius* additus, pro multo & sufficienti, Eccl. 11. vers. 2. Mich. 5. vers. 5. Sic *septies* adverbialiter, pro sæpè, crebrò. Gen. 4. vers. 15, 24. Psal. 12. v. 7. Psal. 119. vers. 164. Proverb: 24. vers. 16. De septenarii mystico numero videatur Augustinus lib. 11. de C. D. cap. 31. Ut autem septenario multitudo significatur, ita *septuplicatio* pro ingenti numero indefinitè accipitur, Gen. 4. vers. 24. Matth. 18. vers. 22. &c. *Decem* pro multis ponitur, Gen. 31: 7. Num. 14: 22. Lev. 26: 26. Neh. 4. v. 12. Job. 19. vers. 3. Eccles. 7. vers. 20. Zachar. 8. vers. 23. Et pro paucis aliquot, indefinitè, Esa. 6. vers. 13. Amos 5. vers. 3. Apoc. 2. vers. 10. *Centum* pro multis, indeterminatè, Eccles. 6. vers. 3. cap. 8. vers. 12. Proverb. 17. vers. 10. 1 Par. 21 vs. 3. Matth. 19. vers. 19. Luc. 8. vers. 8. *Millia* pro permultis, Exod. 20. vers. 6. cap. 34. vers. 7. Deuter. 1. vers. 11. 1 Sam. 18. vers. 7. Psalm. 119. vers. 72. *Decem millia seu myriades*, pro maximo numero, 1 Sam. 18. vers. 7. Psal. 3. v. 6. *millia millium vel myriadum*, itidem pro maximo omnium numero, Genes. 24. vers. 60. Num. 10: 36. Dan. 7: 10. Apoc. 5. v. 11. &c.

[b] *Singularis numerus pro plurali* ponitur tum in nominibus; cùm collecta multitudo, vel species tota denotatur, cujus exempla videantur in Grammat. sacr. p. 84. & addantur, Gen. 32. vers. 5. Exod. 10. vers. 12. Jud. 4. vers. 5. Job. 14. vers. 1. Esa. 1. vers. 3. cap. 16. vs. 1. Jer. 8. vers. 7. Joël. 1. vers. 4. Matth. 6. v. 17. Rom. 3. vers. 28. &c. Tùm in nominibus patronymicis; Gen. 10. vers. 16, 17, 18. 2 Sam. 8. vers. 18. cap. 15. vers. 18. Psal. 87. 4. &c. Hucusque de nominibus.

b 5. Singularis numerus pro plurali.

[c] *Verba* etiam quædam *specialia pro generalioribus* usurpantur. *Ascendere*, pro venire seu incedere, cùm de mentis cogitationibus accipitur, 2 Reg. 12. vers. 5. Jerem. 7. vers. 31. Ezech. 38. vers. 10. 1 Cor. 2. vers. 9. *Facere*, ποιεῖν, pro commorari in loco aliquo, Actor. 15. vs. 33. cap. 18. vers. 23. cap. 20: 3. 2 Cor. 11: 25. Jac. 4: 13. Casaubonus: ποιεῖν pro διατρίβειν & *alicubi commorari*, ut insolens est & inauditum Græcis disertioribus loquendi genus, ita apud recentiores scriptores, quorum oratio λατινίζει sæpè magis, quàm ἑλληνίζει, passim occurrit &c. *Ingredi & egredi*, pro vitæ & officii actionibus, seu pro vitæ curriculo in genere, Numer. 27. vers. 17, 21. 2 Par. 1. vers. 10. Psal. 121. vers. 8. Esa. 37. vers 28. Actor. 1: 21. &c. *Invenire* pro consequi & potiri, Gen. 6: 8. c. 26: 12. Luc. 1: 30. Rom. 4: 1. c. 7: 18. Hebr: 9: 12. *Inveniri* pro existere, 1 Sam. 13: 15. Luc. 9. 36. Phil. 2: 8. cap. 3: 9. Heb. 11: 5. &c. *Invocare Deum* pro cultum divinum ipsi exhibere, Gen. 4: 26. Esa. 43: 22. Johan. 4: 23, 24. *Obviare*, καταντῆσαι, pro pervenire seu pertingere, tanquam ad optatam metam, Actor. 16: 1. Eph. 4: 13. Phil. 3: 11. *Pernoctare*, pro permanere, Psal. 49: 13. Esa. 1. vers. 21. &c. *Ponere*, pro efficere, Rom. 4. vers. 17. Hebr. 1. vers 2. *Potum præbere*, ποτίζειν, pro alere, ita ut & cibationem includat, 1 Cor. 3: 2. γάλα ὑμᾶς ἐπότισα, καὶ οὐ βρῶμα, *lac vobis potum dedi, & non cibum*, hoc est, lacte vos alui, & non cibo solidiori. Sic *edere* generalius ab Homero sumitur, ut & potum includat: οἶνον καὶ σῖτον ἔδοντες Idem: ἔδουσι δὲ πίονα, μῆλα, οἶνόν τ' ἔξαιτον μελιηδέα &c. *Respondere*, pro loqui, Job. 3. vers. 1. Psalm. 119. vers. 172. Et in Novo Testamento frequentissime, Matth. 11: 25. Mar. 11. vs. 14. Luc. 7. vers. 40. &c. *Sedere*, pro constitutum esse, seu versari alicubi, Matth. 4: 16. Actor. 18: 11. *Sedere & surgere*, pro qui-

a 4. Species numeri pro multitudine in genere.

c 6. Verba specialia pro generalibus.

quibusvis vitæ humanæ actis, Psal. 139:2. *Venire*, בוא, ἔρχεσθαι, pro vadere, Jon. 1:3. Joh. 6:17. c. 11. vers 29. Act. 28:14. Et ita Joh. 20:1. Maria dicitur *venisse ad monumentum*, *cùm adhuc tenebræ essent*, hoc est, vadere seu ire cœpisse: venit enim eò, exorto jam Sole, quod Marc. 16. vers. 2. dicitur.

Quidam etiam hunc de synecdoche canonem formant, quem seorsum proponere placet, etsi ad superiora etiam referri pleraque possunt:

47. Generale illustri specie quadam proponitur.

*Scriptura, quod generale est, illustri aliquâ specie proponere solet, evidentiæ causâ.* Idque fit (1.) In actionibus hominum, Deutern. 19:5. exemplum *securis è manubrio exsilentis, & hominem fortuito occidentis*, ad omnia homicidia involuntaria pertinet. Psalm. 112:5. de justo ac probo homine dicitur, *quod misereatur & mutuo det, moderetur que verba sua in judicio*; quibus actionibus totum pietatis charitatisque proximo debitæ curriculum designatur. Prov. 20. vers. 10. *diversum pondus & diversum epha* (mensuram) *habere, iisque dolosè uti*, pro quavis injustitia in communi vitæ societate ponitur. Proverb. 27. vers. 14. *crebra benedictio seu collaudatio*, quamvis assentationem fallacem synecdochicè notat; Jerem. 15. vers 10. *non mutuum dare neque mutuo accipere* synecdochicè est, ab omni contractu vel negocio, quæ occasio litis esse potest, abstinere. Dan. 8. vers. 11. & cap. 11. vers. 31. de Antiocho dicitur, *quòd ablaturus sit juge sacrificium*, hoc est, totum cultum Leviticum abrogaturus, & in superstitiones ethnicas commutaturus: quod fecisse eum, Maccabæorum historia ostendit. Zach. 5:3. *per furtum & perjurium* omnis generis crimina & nequitiæ intelliguntur. Matth. 5. v. 22. phrasi, *dicere racha fratri suo, & stultum eum vocare*, omnis generis indicia malevoli ac irati animi, & calumniæ intelliguntur. Vide D. Frantzium de interpret. script. orac. 129. Matt. 6. v. 1. Per *eleëmosynam facere*, omnia officia proximo ex charitate exhibenda; v. 5. per *orationem* totus cultus Deo debitus; v. 16. per *jejunium*, omnia exercitia, quibus caro refractaria edomatur, intelliguntur, Jes. 58:3. Marc. 11:23. per *montium transitionem*, quam credentibus promittit Christus, quævis res ardua, ac difficilis, adeoque humanæ rationi impossibilis visa, intelligitur: unde Luc. 17:6. in specie exprimitur *sycaminus*: Et Matth. 17. v. 20. generalis additur clausula: *nihil impossibile erit vobis*. Videtur tùm temporis fuisse proverbialis locutio, ut si quis de re per naturam impossibili verba facere vellet, translationem montium exempli loco adduceret. Confer 1 Cor. 13:2. & Job. 9:5. ubi ut potentiæ divinæ signum adducitur. Huc referri potest Heb. 13:9. *bonum est, gratiâ constabiliri cor, non cibis, quibus non sunt adjuti, qui in ipsis versati sunt.* Ex una specie, mundorum sc. & immundorum ciborum discrimine, synecdochicè intelligitur omnis cultus ceremonialis, cultui spirituali in regno Christi, & gratiæ in ipso exhibitæ oppositus &c. (2.) In præceptis & monitis divinis ad homines. Exod. 20:12. *Honora patrem tuum & matrem tuam &c.* quivis superiores denotantur, uti explicatio catechetica edocet. Atque ita reliqua etiam Decalogi præcepta, concisè brevissimeque proposita á Deo sunt & multa omninò comprehendunt, uti alibi docetur latius. Exod 22:22. *Viduam & pupillum non affligatis.* Intelligitur quivis invalidus, & injuriis hominum expositus, ut cumprimis sunt viduæ atque orphani. Ibidem v. 26. *Si pignore ullo acceperis vestem proximi tui, dum inclinat Sol, restituito illam ei &c.* D. Frantz. lib. de interp. script. orac. 152. *Pro perpetuo more suo divinissimus legislator Moses, vel potiùs ipse Spiritus sanctus, speciem ponit loco generis, & ex uno casu monstrat dijudicationem infinitorum casuum similium, ideoque exempli gratiâ nominat vestem, ut paucitate legum divinissimarum omnibus statibus viam vitæ sanctæ in populo suo faciliorem præscriberet, & omnem ignorantiæ palliationem præciperet, & cujuscunque conditionis judicibus ex uno exemplo monstraret rationem decidendi infinita alia. Ideoque exempli gratiâ nominat vestem, quâ pauper tegitur, vel in qua dormit, item molam inferiorem & superiorem* (Deutern. 24:6.) *per quam conjunctam, homo sibi, labore suo interveniente, sustentationem vitæ conquirit, interim prohibens, ne creditor à debitore accipiat quæcunque vestimenta, quæcunque instrumenta, arma vasa, lia, libraria, χειμωτικὰ, nautica, rustica, vestiaria, fabrilia, in quocunque genere, statu, loco, sine quibus pauper aliquis necessaria alimenta sibi suisque procurare & prospicere nullo modo potest &c.* Exod. 23. v. 4. 5. generale præceptum & doctrina de diligendis inimicis, particulari exemplo, *de sublevando inimici bove ac asino collapso*, proponitur. Conf. Deut. 22:3. &c. Levit. 19:14. *Cæco non pones offendiculum*, hoc est, ne sis molestus ullis imbecillibus ac miseris. Proverb. 25:21. & Rom. 12. v. 20. *de cibatione & potatione inimici esurientis sitientisque* præcipitur, quod de quarumvis rerum necessariarum subministratione intelligendum. Luc. 3:11. doctrina generalis de dilectione proximi, uno atque altero, *de vestimentis scilicet atque cibis*, exemplo proponitur, quia hæc omnibus omninò necessaria sunt, 1 Timoth. 6. v. 8. Confer & Jac. 2. vers. 15. 1 Johan. 3. vers. 17. &c. Luc 14. vers. 8. seqq. doctrina specialis

cialis, à Christo proponitur, *de non eligenda πρωτοκλισίᾳ*, & generaliter humilitatis exercitium in quibuscunque actibus vitæ intelligitur. Johan. 13. vers. 14. inquit Christus: *Debetis alii aliorum pedes lavare*, hoc est, ex vera & sincera charitate atque humilitate alii aliis servire, modis quibuscunque. Confer 1 Sam. 25 vers. 41. 1 Tim. 5. vers. 10.

# CAPUT. XVI.

## DE

# SYNECDOCHE TOTIUS SEU INTEGRI.

S*Ynecdoche integri* est, cum integrum pro membro, seu totum (specialiter sic dictum) pro parte ponitur. Ubi primò omnium, ὡς ἐν παρόδῳ, nota, (ad Rhetoricam enim propriè non spectat,) totum *universale* quandoque sumi pro *integrali*: seu τὸ OMNIS, idem notare, ac TOTUS. Utrumque enim vox Hebræa כֹּל significat; cùm à כלל *perficere absolvere*, deducatur, quod & integralis, & universalis perfectionis notionem obtinet. Numer. 16: 3. כֻּלָּם *omnis hic cœtus Sanctus est*, h. totus 1 Reg. 6. vers. 12. וְאֶת־כָּל־ *& omnem domum obduxit auro*, hoc est, totam. In Novo Testamento huc referunt Matth. 3: 5. πᾶσα *omnis Judæa & omnis regio undique finitima Jordani*, h. e. tota Judæa, tota regio. Sic Marc. 1. v. 5, Sed hic alia videtur inesse troporum ἐμπλοκή (2.) Judæa pro Judæis, per metonymiam continentis. (3.) Omnes Judæi pro magna Judæorum parte, vel pro multis Judæis, per synecdochen generis pro specie, de quo suprà. Rectiùs referuntur huc sequentia. Matth. 27. v. 45. *A sexta hora tenebræ factæ sunt ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, super omnem terram*, hoc est, super ὅλην totam terram, ut explicatur Marc. 15. v. 33. Sic Ephes. 2. vers. 21. *In quo (Christo) πᾶσα, omnis structura coagmentata crescit &c.* h. e. tota structura. cap. 4. v. πᾶν σῶμα *omne corpus*, hoc est, totum; sermo est de mystico Christi corpore, i. e. Ecclesiâ. Ephes. 3. v. 15. *Ex quo* (Christo JESU) πᾶσα πατριὰ *omnis cognatio in cœlis & in terra nominatur*, h. e. tota cognatio seu familia, πατριὰ enim id significat, Luc. 2: 4. Actor. 25. (Intelligitur sancta Dei familia, ex Judæis & gentibus, ad regnum Christi conversis, constans, de qua Ephes. 2: 13. seqq. nec viventes solùm, sed & beatè mortui, unde, *in cœlis & in terra* additur. c. 1. v. 10. Ὀνομάζεται, *nominatur* illa familia *ex Christo*; nomine videl. Christianorum, vel filiorum Dei, & hæredum vitæ æternæ, per fidem in ipsum. Rom. 8. 16, 17. &c.) Col. 2. v. 9. *In ipso* (Christo) *inhabitat πᾶν τὸ πλήρωμα, omnis plenitudo deitatis corporaliter*, hoc est, tota plenitudo. 2 Timoth. 3. v, 16. *πᾶσα γραφὴ, omnis scriptura, divinitus inspirata, utilis est &c.* hoc est, tota scriptura. Intelligitur totum Scripturæ systema, cui, quæ antecedunt & sequuntur, prædicata augusta competunt, non verò singulis vel libris, vel dictis. Subjecti modulum monstrat mensura tributi. Confer D. Gerh. Confess. Cathol. part. 1. p. 45. ubi & Estii adducit sententiam, *non id velle Apostolum, quod unaquaque pars Scripturæ sit utilis ad omnia ista, hic enim sensus liquidò falsus esset, sed quòd in universa Scriptura hæ quatuor utilitates reperiantur.* Confer Rivetum in Isag. ad Scripturam Sacram cap. 25. §. 16. Notandum autem hoc propter Bellarmini, quem circa hunc locum facit, lusum, lib. 4. de V. D. cap. 10 &c. Alia exempla acceptionis τῦ πᾶς pro ὅλος, *omnis*, pro *totus*, sunt, Act. 1. v: 8. c. 4. v. 10. Rom. 4. v. 16. 2 Thess. 1. ŷs. 11. Sic in Vulgata versione *Omnis* usurpatur pro eo, quod in Græco ὅλος, *totus* est. Matth. 26: 59. Marc. 1. v. 33: c. 14. v. 55. Act. 2: 47. c. 7. v. 10. c. 15. v. 22. Phil. 1. v. 13. Ex Cicerone similem vocis *Omnis* usum proferunt. In orat. pro Lig. *Omissa controversia, omnis oratio ad misericordiam tuam conferenda est.* L. 2. de fin. *Omne cœlum totamque terram cum universo mari.* De orat. *Tota mente atque omni animo intueri aliquem.* L. 2. Tuscul. *Corpus omne in profunda voce intenditur.* Sic in communi sermone: *Omnis plebs vel exercitus*; pro tota & universa, &c. Sed, ut dixi, hæc propriè huc non pertinent. Veniamus ad ipsam synecdochen integri; quæ ita distingui potest, quòd conspicua sit in nominibus, 1. personam & homines, 2. res aliquas, 3. loca, 4. tempus denotantibus.

[a] Omnis pro totus.

[b] *Persona integra pro parte ejus* ponitur. *Homo*, pro anima. Luc. 16. v. 23. *Dives apud inferos sublatis oculis suis vidit Abrahamum procul, & Lazarum in sinu ejus.* Ubi *dives*, *Lazarus*,

[b] 1. Persona pro parte ejus essentiali.

*zarus*, *Abraham*, pro horumdem animabus ponuntur, quarum statum per prosopopœiam Christus describit. Luc. 23: 43. *Et dixit Jesus ad latronem in cruce: Hodiè mecum eris in paradiso*, h. e. anima tua mecum erit. *Homo*, pro corpore, Gen. 3: 19. *Donec revertaris in terram, nam ex ea sumtus es: pulvis enim tu es, & in pulverem reverteris.* Non de anima, sed solo corpore hominis hoc intelligendum esse, resipsa declarat. Confer Eccl. 12: 7. &c. Gen. 23: 19. *Et sepelivit Abraham uxorem suam Saram &c.* hoc est, corpus seu cadaver ejus. Sic & cap. 25: 10. cap. 35: 19. c. 50: 13. Joh. 11: 34. &c. Jesus seu *Dominus* pro corpore ejus mortuo est, Joh. 19: 42. c. 20: 2, 13. confer. v. 12. & Luc. 24: 3.

a In hominum conjunctione.

[a] In hominibus certâ ratione conjunctis, ac si unum totum constituerent, hæc synecdoche occurrit, *cùm aliquid dicitur de multis conjunctim, quod tamen non spectat ad singulos præcisè.* Gen. 35. v. 26. *Hi sunt filii Jacob, qui nati sunt ipsi in Mesopotamia.* Hoc non pertinet ad Benjamin, qui reliquis vers. 24. annumeratur: natus enim fuit in via prope Ephratum, v. 16. seqq. Matth. 19: 28. ad duodecim Apostolos Christus inquit: *In παλιγγενεσίᾳ sedebitis super duodecim thronis, judicantes tribus Israel.* Id Judæ Iscarioti non convenit, quem tamen includi, numerus duodenarius ostendit. Respicit Christus ad dodecada hanc divinitùs ordinatam: Etsi enim Judas interiit, alius tamen in locum surrogatus fuit, ut Act. 1: 26. commemoratur. 1 Cor. 1: 2, 5. de Corinthiorum Ecclesia dicitur, *quòd sint sanctificati per Christum Jesum, vocati sancti, ditati in omni verbo & omni cognitione;* & tamen in sequentibus capitibus de multis in illa Ecclesia hypocritis, imò notoriis peccatoribus, querimonia instituitur. Augustinus Epist. 59. ad Paulinum tom. 2. oper. col. 301. *Scripturæ mos est: ita loqui de parte, tanquam de toto: sicut Corinthios in primis suæ epistolæ partibus ita laudat, tanquam omnes tales sint, cùm essent laudabiles quidam eorum: & posteà, in nonnullis Epistolæ ipsius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam, qui tales erant. Istam divinarum scripturarum consuetudinem per omne corpus literarum ejus creberrimè sparsam, quisquis diligenter advertit, multa dissolvit, quæ inter se videntur esse contraria &c.* His Augustini verbis commodè D. Mentzerus in Exeg. August. Confess. art. 7. subjicit: *Quare perinde hîc est, ac si quis agrum egregiis epithetis ornet, propter triticum, cui tamen multa mixta sint zizania: vel urbem propter egregios cives, quibus tamen mali & perversi sint commixti: vel Academiam propter insignes & eruditos studiosos, quibus tamen intermixti sint rudes & ignavi fuci. Est enim Ecclesia corpus ex multis aggregatum, qui non sunt omnes ejusdem generis, quantum ad veram & vivam fidem in Christum, & sinceram charitatem attinet; sed tamen in externa fidei professione consentiunt &c.* Referatur ad hanc classem & illud Hebræor. 11: 13. ubi cùm Apostolus multos sanctos enumerasset, & inter illos *Enochum*, ℣s. 5. subjungit generaliter: *Fide mortui sunt isti omnes, non acceptis promissionibus.* Et tamen Enoch mortuus non est, sed vivus in cœlum translatus &c. Refer etiam huc, quando sancti Dei amanuenses, Prophetæ & Apostoli, in increpationibus, vel aliàs, seipsos iis admiscent, de quibus & ad quos loquuntur. De quo vide in Grammat. sacr. pag. 389.

b Res tota pro parte.

[b] *Res tota pro parte ejus* ponitur. Gen. 8: 13. *Et removit Noa operculum arcæ*, hoc est, unum aut alterum tabulatum operculi removit, aperturam in tecto faciens, ut è summo faciliùs huc illuc circumspiceret. Exod. 22: 13. *Si discerptum fuerit* (jumentum) *adducet illud in testimonium*, hoc est, aliquid illius. 1 Sam. 5: 4. *Caput Dagonis & ambæ manuum ejus abscissæ erant in limine, tantum Dagon remanserat in eo.* Hic *Dagon* pro parte ejus idoli sumitur. Chaldæus: גופיה *corpus ejus*. Luther. Der Strumpf.

c Dagon idolum Philistinorum.

R. Kimchi: *Ajunt, Dagonem ab umbilico suo & inferius fuisse figuram* דג *piscis, proptereaque Dagon fuisse appellatum: & ab umbilico suo & superiùs fuisse figuram hominis, sicut in textu dicitur: Et duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant in ipso limine. Et hæc est interpretatio eorum verborum: Tantùm Dagon remanserat in eo, id est, figura piscis remansit in eo.* Junius & Tremellius vertunt: *Tantùm, quod referebat piscem, remanserat in eo.* Dagon autem fuisse Tritonem, maritimarum gentium (quales erant Philistini) idolum, iidem ad Jud. 16. ℣s. 23. tradunt. Antonius Nebrissensis in quinquagena locorum script. cap. 6. Dagonem Deam fuisse dicit, & eam esse asserit, quæ alio nomine *Dercetus*; à Strabone verò, Plinio & Macrobio, tùm Ἀθάρα, tùm Ἀτεργάτης vocatur. Et ex Diodoro Siculo, Biblioth. l. 3. narrat, fuisse non longè ab Ascalone, urbe Syriæ clarissimâ, stagnum piscibus refertum, atque juxta illud insigne templum Dercetus, facie hominis, ac reliqua corporis parte piscis effigie &c. Latè de hoc Deastro disserentem vide sis Seldenum de Diis Syrorum Syntag. 2. cap. 3. Hanc ad synecdochen pertinet, cùm *caro* pro pudendo hominis sumitur, Genes. 17. vers. 11, 14, 23. Levitic. 15. vers. 2, 3, 19. Ezech. 16. vers. 26. cap. 23. vers. 20. Et *caro* pro cute hominis, quæ carnis pars quasi homo-

& homogenea est. Magirus in Phys. pag. 386. *Cutis inter carnem & nervum quasi mediam consecuta est naturam &c.* Psalm. 102. ꝟs. 6. *adhæsit os meum carni meæ.* Hoc est, ossa mea cuti meæ adhæserunt, quæ descriptio maciei extrema est, sicut Comicus dicit: *Ossa atque cutis sum, miser.* Confer Thren. 4: 8. Hactenus substantiva nomina. a In *adjectivis* eadem synecdoche occurrit. *Nudus* pro partiali nuditate accipitur 1 Sam. 19: 24. ubi nuditas Saulis de militaris habitus exuitione intelligenda. Esa. 20: 2, 3. Esaias dicitur *nudus*, mandato DEI, ambulasse, non quòd omnimodò exutus fuerit vestibus, sed quòd deposuerit extimam vestem propheticam, sicque exutâ togâ indusiatus incesserit, ad eum modum compositus, quo solent esse, qui in captivitatem rapiuntur, ut ita rei cum signo conveniat. Vide & Mich. 1: 8. Joh. 21. vers. 7. ubi vox ἐπενδύτης indicat, non fuisse Petrum omnino nudum, notat enim ea vestem, non quamvis, sed eam, quæ super alias inducitur, quale pallium est vel toga. Vocatur & *nudus*, qui malè vestitus est, Job. 22: 6. c. 24: 10. Matth. 25: 36, 42. Jac. 2: 15. Ut & verbum γυμνητεύειν *nudum esse*, hoc est, malè vestitum esse, & parùm à veste tectum contra hyemis asperitatem. 1 Cor. 4: 11 Α'σιτος, *jejunus*, de partiali, non de totali à cibo abstinentia accipiendum esse, Act. 27: 33. supra est monitum cap. 13.

b *Locus pro parte loci* accipitur. *Mundus* pro terra, quæ pars mundi est 2 Pet. 3. vers. 6. *quamobrem is, qui tum erat mundus, aquâ inundatus periit.* Ubi simul metonymia subjecti est. Intelligitur enim tùm aspectabilis iste terræ decor, tùm & potissimum quæcunque animantia in terra. Atque ita per *mundum* quandoque plurima hominum in terra viventium pars intelligitur. Joh 12: 19. Rom. 1. ꝟs. 8. 1 Joh. 5: 19. Vide suprà cap. 3. §. 2. *Mundus* etiam pro parte mundi primaria, & à DEO singulariter in peculium populi sui electâ, terra nimirum Canaan, accipitur, Rom. 4: 13. *Non enim per legem promissio obtigit Abrahæ, aut semini ejus, illum hæredem fore mundi, sed per justitiam fidei.* Quo cum conferri potest, quod Num. 23. ꝟs. 13. in Chaldaica paraphasi, populus Israeliticus dicitur חסן עלם *hæreditare mundum* Hujus autem temporalis boni fit mentio, quia promissis bonis spiritualibus arctè in sermone DEI adhæret, & eorum typus est &c. *Orbis terræ*, תֵּבֵל οἰκουμένη, quandoque pro magna ejus parte ponitur, Esa. 13: 11. (confer ꝟs. 1.) cap. 14. ꝟs. 17. Luc. 2: 1. &c. Ut & *omnis terra*, pro magna incolarum terræ parte (ubi simul metonymia est) Gen 41: 57. 2 Sam. 15: 23. Et specialiter, pro terra Chaldæorum, Esa. 13. ꝟs. 5. ubi Hieronymus notat: *Idioma est sanctæ Scripturæ, ut omnem terram illius significet provinciæ, de qua sermo est: quod quidam non intelligentes, ad omnium terrarum subversionem trahunt. Terra*, pro Judæa, Hos. 1: 2. cap. 4: 1. Joel. 1: 2. Et pro civitate illius certa, Matth. 2: 6. *Et tu Bethlehem*, γῆ, *terra Judæ*, h. est, urbs Judææ. Sic apud Euripidem in Oreste: θανεῖν Ὀρέστην κἀμ' ἔδοξε τῇ δὲ γῇ, *mori Orestem & me, decretum est huic terræ*, hoc est, urbi &c. d *Plaga mundi*, pro certa regione ejus plagæ, ejusque incolis ponitur. Ut *Oriens*, pro Persis, Medis, aliisque ad orientem Judææ habitantibus, Ezech. 25: 4. 1 Reg. 4: 30. Esa. 2: 6. Matth. 2: 1. *Auster*, pro Ægypto, respectu Judææ. Jer. 13: 19. *Civitates Austri occludentur, ut nullus aperire possit*, hoc est, civitates Ægypti, quò vos confugituros confiditis, non recipient vos, sed occlusæ permanebunt, Chaldæorum metu. Sic Dan. 11. ꝟs. 5. Quandoque Judæa ita dicitur, respectu Babylonis, Ezechiel. 20: 26, 47. Confer cap. 21: 2. &c. *Septentrio*, pro Chaldæa, & ejus primariâ urbe, Babylone, respectu Judææ. Jer. 1: 13, 14, 15. cap. 13: 20. cap. 47: 2. Zeph. 2: 13. Media item Persiaque, respectu Babelis, Jer. 50: 3, 41. &c. Huc demum referatur, quòd *Templum* pro synagoga primaria, Templo Hierosolymitano vicinâ, & ipso exteriori templi ambitu comprehensâ, accipitur, Luc. 2: 46. Confer Joh. 18: 20.

a Adjectiva quædam.

d Plaga mundi pro ejus certa regione.

b 3. Locus pro parte ejus.

e *Tempus* etiam *pro temporis parte* accipi quandoque dictum est. Huc verò reduci potest, quod in Grammatica sacra pag. 546. habetur. Et quando עוֹלָם *perpetuum tempus*, de parte quasi quâdam, subjectæ materiæ convenienti, dicitur. Gen. 6: 4. gigantes dicuntur מֵעוֹלָם *à seculo viri celeberrimi*, hoc est, jam olim, nempè inde à Kaini & Lamechi tempore. Gen. 17: 8. *Dabo tibi & semini tuo post te terram Canaan in possessionem* עוֹלָם *perpetuam*, scilicet quamdiu politia Judaica futura est, ad adventum usque Messiæ, Gen. 49: 10. &c. Exod. 21: 6. *Serviet ei* לְעוֹלָם *in seculum*, hoc est, usque ad Jubilæum annum, Lev. 25: 9, 10. quam expositionem *ex Midras Elle haddebarim, hoc est, expositione Deuteronomii, itemque libro Kidduschim, hoc est, sponsaliorum, R. Solomone & Kimchi*, Galatinus probat lib. 11. cap. 5. Similis phrasis in Epistola ad Philemonem vers. 15. occurrit. Vide etiam Levit. 25. vers. 46. Deut. 15: 17. Galatinus d. l. עוֹלָם in locis illis, quæ de ceremonialibus Judæorum agunt, ait significare *continuum*, quodque pro rei alicujus seculo sive

e 4. Tempus pro parte ejus. עולם perpetuum.

c Rom. 4: 13. Abraham hæres mundi.

ætate, sine interruptione durat: Et sic *perpetuum* ait idem propriè esse, quod *continuum*, juxta illud Ovidii: *Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.* Hinc *perpetua oratio* dicitur, quæ continua & absque interruptione est. Et *perpetuus consul*, *censor*, *Imperator*, dicitur, qui semper & continuò dum vixit, talis exstitit, quo tamen defuncto, alius suffectus est. Sic circumcisio, sic & alia ceremonialia, *in fœdus Olam*, hoc est, perpetuum, servanda Judæis data fuerunt, hoc est, semper & continuò, donec servanda essent: & non ulteriùs &c. 1 Sam. 1: 22. *Et adducam eum, & apparebit in conspectu DEI, & morabitur ibi* עַד עוֹלָם *usque in perpetuum.* In quem locum R. Salamo ait: *Usque in seculum Levitarum, nempe quinquaginta annos, sicut dictum est* (Num: 8: 25.) *Et à filio quinquaginta annorum revertetur à ministerio serviendi &c.* Cujus expositionis, ex traditione Rabinorum, Kimchi etiam mentionem facit: Ipse verò explicat: *Omnibus diebus vitæ, seu quamdiu vivit.* Similis locus est 1 Par. 15: 2. Sic & 2 Sam. 12: 10. *Non amovebitur gladius à domo tua* עַד עוֹלָם *usque in seculum*, hoc est, quamdiu vivis &c. Jer. 5: 15. Babylonii dicuntur גוֹי מֵעוֹלָם *gens à seculo*, hoc est, antiquissima, cujus monarchia & respublica jam olim fuit aliarum princeps, Genes. 10: 10. &c. Jer. 17: 4. cap. 25. vers. 9, 10. quod עוֹלָם dicitur, in vers. 11. ad *septuaginta annorum* spacium determinatur. Dan. 2: 4. *Rex* לְעָלְמִין *in æternum vive*, hoc est, precamur tibi longævam vitam. Sic cap. 6. vers. 21. Quidam precationis hac formulâ Chaldæos impiè id Regi exoptare putant, quod DEI unius est, ut hac ratione benevolentiam ejus captent. Sed id posteriori loco (ubi Daniel loquitur) non convenit. Hæc de voce עוֹלָם, de qua R. Kimchi ad Psal. 9: 6. *Significatio est tempus longum, magis quàm seculum.* Tempus, χρόνος, pro *anno* accipi quidam volunt, Luc. 20: 9. *Et ipse peregrè absuit* χρόνες ἱκανὲς. Ubi Casaubonus: *Vetus interpres* (inquit) *vertit, multis temporibus. Puto, verti posse, annos aliquot. Nam apud recentiores Græcos* χρόνοι *sunt anni, &* χρόνος εἷς, *annus unus: cujus significationis apud Græcos Jurisconsultos exempla sunt passim obvia.*

---

# CAPUT XVII.

## DE

# SYNECDOCHE PARTIS SEU MEMBRI.

SYnecdoche *membri* est, cùm membrum pro integro, seu pars (specialiter sic dicta) pro toto ponitur. Distinctionem hujus sequemur istam, quòd concernat vel *homines*, vel *res alias*, vel demum commune rerum accidens, *tempus*. I Homines quidem vel singulos, vel certâ ratione conjunctos, ac si unum totum constituerent.

a I. Pars hominis pro toto homine. b Anima. c Corpus.

a In hominibus singulis, *partes essentiales* pro toto homine ponuntur. b *Anima*, נפש, pro homine, Gen. 12: 5. c. 14: 21. c. 17: 14. c. 46: 15, 27. Exod. 12: 19. Lev. 2: 1. cap. 5: 2, 4. Psal. 3: 2. Psal. 11: 1. Psal. 25: 13. Psal. 35: 13. Esa. 58: 5. Ezech. 18: 4, 20. Luc. 6: 9. Act. 2: 41: 43. cap. 7: 14. Rom. 13: 1. c. 16: 4. 1 Pet. 1: 9. cap. 3: 20. In aliquibus locis *mors & occisio* de anima prædicatur, Num. 23. vs. 10. Jos. cap. 20: 3. Jud. 16: 32. Job. 36. vs. 14 Jon. 4, vs. 8. quam certum est totius compositi esse. Ex Polybio hoc significatum quoque adfertur, lib. 16. ψυχῆς ἐςὶ ἀπηλγηκυίας, *hominis est deplorati.* Et Euripide in Hercule fur. ὦ τῆς ταλαίνης τῆς ἐμῆς ψυχῆς φονεύς, *aut quis misera mea anima occisor*, hoc est, meiipsius. Et Heraclito, αὔη ψυχὴ σοφωτάτη, *anima sicca sapientissima*, hoc est, homo sobrius. Et Horatio 1. sat. 5. *Animæ quales candidiores Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter*, hoc est, homines &c. Ratio etiam additur hujus synecdoches, ex somnio Scipionis: *Non homo is est, quem forma ista declarat, sed mens cujusque is est quisque, non ea figura, quæ digito monstrari potest &c.* Generaliùs adhuc, pro quovis animali bruto *anima* accipitur, Gen. 1. vs. 24. &c. c *Corpus* pro homine toto. Exod. 21: 3. *Si cum corpore suo venit, cum corpore suo exibit*, hoc est, si ipse solus venit, solus etiam, sine uxore, *exibit*, hoc est, libertatis jure donabitur, quod *exeundi* voce hic notatur; ad cohabitationis autem jus hæc lex haudquaquam pertinet, quod integrum mansit marito, libertate donato, erga servam uxorem.

Confer D. Frantz de interp. script. orac, 141. Alia significationis τοῦ σώματος, *corporis*, pro oto homine exempla vide Rom. 12: 1. 1 Cor. 5:15: Jac. 3: 6.

[a] *Partes hominis integrales* pro ipso homine el ejus corpore sumuntur, & quidem tàm *similares*, quàm *dissimilares*. Ex similaribus, *Caro* pro corpore est, Gen. 17: 13. *Erit pactum meum in carne vestra*, hoc est, in corpore estro. Psal. 16: 9. *Caro mea habitat securè*, oc est, corpus meum, in sepulcro jacens. Conf. Actor. 2: 26, 31. &c. Proverb. 14: 30. *Vita carnium est cor sanans*, hoc est, vir animo humano & benefico præditus, toto corpore enè habet, & lætus vitam transigit. Johan. :51. *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita*, hoc est, corpus meum, uti Luc. 22: 19. exponitur. 2 Cor. 7: 1. *urgemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus*, hoc est, corporis & animæ. *Caro* pro oto homine est, Gen. 6: 12. Psalm. 56: ℣. 5. confer ℣. 12.) Psal. 65: 3. Psal. 145: 21. sa 40: 6. (Conf. Luc. 3: 6. 1 Pet. 1: 24.) om. 3: 20. 1 Cor. 1: 29. De Filio DEI incarna- usurpata, integram & veram humanitatem, oprià ὑποστάσει destitutam, & τῷ Λόγῳ personaliter unitam, significat, Joh. 1: 14. 1 Tim. 3: . Hebr. 2: 14. 1 Pet. 3: 18. cap. 4: 1. 1 Joh. 2. *Caro*, pro omni animali vivente, Gen. 13, 17. Psal 136: 25. [b] *Sanguis* etiam pro hoine est, Psal. 94: 21. sanguinem innocentem ndemnant, hoc est, hominem. Sic etiam overb. 1: 11. Matth. 27: 4. Act. 17: 26. uandoque *sanguis cum carne* conjungitur, & elligitur vel corpus hominis, ut animale corruptibile est, 1 Cor. 15: 50. Confer ℣. . seqq. Vel totus homo, ut in se est, & EO seu divinæ vitæ opponitur, Matth. 16. . Gal. 1: 16. Ad hominis fragilitatem & becillitatem respectum simul haberi, ex ac. 14: 19. Eph. 6: 12. apparet.

Ex dissimilaribus, *caput* pro homine ipso nitur, Jud. 5: 30. *puella, duæ puellæ capiti*, hoc est, singulis viris dabuntur una aut æ puellæ, 2 Reg. 2: 3. *annon nôsti, quòd bova tollet dominum tuum a capite tuo*, hoc , à te. Sic & Psal. 3: 4. Psal. 7. ℣. 17. . 66: 12. Prov. 10: 6. Esa. 35: 10. Et in phra- *sanguinem esse super caput alicujus*, hoc est, summet pœnam sui peccati luere, 2 Sam. 16. 1 Reg. 2: 37. Ezech. 33: 4. Act. 18: 6. onfer Matth. 27: 25. [d] Ponitur & *cranium*, rs capitis, pro homine, Exod. 16: 16. &c. *cies*, pro homine est, Gen. 19: 21. c. 32: 20. am. 17. ℣. 11. 1 Reg. 2: 20. cap. 10: 24. . 11: 19. Psal. 42: 12. Psal. 132: 10. Prov. 21. Eccl. 6: 1. Esa. 3: 15. c. 36: 9. Thr. 5:

12. *Oculus*, pro homine est, respectu visionis, vel internæ, vel externæ, considerato, Matth. 13: 16. Luc. 10: 23. 1 Cor. 2. ℣. 9. &c. Et *oculi elati* pro hominibus superbis, Psal. 18: 28. Prov. 6: 17. *Os*, pro homine respectu loquelæ considerato, Prov. 8: 13. *Os perversitatum odi*, hoc est, hominem oris perversi. *Venter* pro homine est, Tit. 1: 12. ubi Cretenses vocantur γαστέρες ἀργαὶ, *ventres pigri*, hoc est, homines simul ignavi & heluatores: *quorum DEUS venter est*, Phil. 3: 19. *& qui non nisi ventri suo serviunt*, Rom. 16: 18. &c. *Uterus* רחם, pro fœmina, seu puella, quæ fœtus gratiâ tenetur, Jud. 5: 30. Quidam dici ita ajunt לדרך בזיון *modo contemtibili*, ut & Germani de scortis contemtim loqui solent. *Cor*, pro homine, Gen. 31: 26. *Quid fecisti. ותגנב את־לבבי quòd furatus es cor meum*: quod ℣. 27. est, ותגנב אתי *furatus es me*. Chald. utrobique vertit וכסיתא מני *& occultâsti te à me*. Videtur autem quædam in hac phrasi esse hypallage: *Furari aliquem*, hoc est, *furari se ab aliquo*, quod est, clam eo se subducere, per metaphoram. Ponitur etiam *cor* pro homine Luc. 21: 34. *Cavete vobis, ne graventur corda vestra crapulâ & ebrietate, & curis seculi*, hoc est, ne vosmet gravemini &c. *Pedes*, pro homine, respectu studii & festinationis ad aliquid, considerato, Prov. 1 ℣. 16. cap. 6. v. 18. (ubi conjunctim *oculi sublimes, lingua fallax, manus effundentes sanguinem innocentem*, ℣. 17. *cor fabricans cogitationes malas, pedes festinantes currere ad malum*, ℣. 18. ponuntur, & ipsi homines taliter affecti intelliguntur. ut ex ℣. 19 patet) Esa. 59: 7. Rom. 3: 15. &c. Sic explicari posset illud Esa. 52: 7. Rom. 10: 15. *Quàm speciosi sunt pedes super montes evangelizantis &c.* quod de ipsis hominibus à DEO ad consolandum & docendum missis intelligendum. Sed hoc suprà in metaphora etiam relatum est.

[e] In hominibus certâ ratione conjunctis, ac si unum totum constituerent, hæc synecdoche, vel analogon ejus, itidem conspicitur. [f] Exod. 12: 40. *Incolatus autem filiorum Israël, quo commorati sunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*. Hîc *filiorum Israël* seu Israëlitarum appellatione, simul pater, qui *Jacob* est, & avus, qui *Isaac* est, & proavus, qui *Abraham* est, comprehenduntur. Consideratur enim stirps cum posteris, ut unum quoddam integrum: Dum igitur mentione posterorum factâ, stirps ipsa simul intelligenda, synecdochicè id fieri planum est. Et hoc ita se habere, supputatio chronologica ostendit. Incipit enim ea (430. annos denominatos quod spectat) ab Abrahamo, ex quo Ure Chal-

dæo-

[a] Caro.
[b] Sanguis.
[c] Caput.
[d] Alia membra.
[e] In hominum conjunctione.
[f] Exod. 12. v. 40. De 430. annis &c.

dæorum vocatus est. Confer Galat. 3:16, 17. Simili ratione (quod ad subsequens synecdoches membrum pertinet) per *Ægyptum* totus ille tractus, & omnes illi loci intelliguntur, in quibus peregrinati fuerunt Abraham, Isaac, & Jacob, cum populo Israelitico: unde generaliùs per *terram non suam*, seu alienam, Gen. 15: 13. hoc exponitur. Utrumque pulcrè expresserunt LXX. Interpretes, hunc versum in Exodo sic convertentes: ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ισραήλ, ἣν κατῴκησαν αὐτοὶ, καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν, ἐν γῇ αἰγύπτυ, καὶ ἐν γῇ χαναὰν, αὐτοὶ καὶ πατέρες αὐτῶν, τετρακόσια τριάκοντα ἔτη. Genes. 15: 13. DEUS Abrahamo hoc ipsum prædicans, *quadringentorum annorum* mentionem facit, omissis *tringinta* reliquis. Sed ibi numerus incipit à nato Isaaco, ex quo Abraham consecutus est promissionis semen, & sic præcisè idem numerus impletur, cùm Israelitæ ex Ægypto educuntur. Alii id ita conciliant, quòd tempus non semper exactè supputetur, sed aliquando definitè, aliquando indefinitè. Confer Dn. D. Waltherum in Harm. scrip. pag. 133, 173. Subjiciamus synecdoches hujus, in hominibus conjunctis, exempla alia, Deut. 33. vers. 7. *Et hoc idem Juda* (precatus est) *& dixit &c. Juda* nominatur, & unà *Simeon* intelligitur, cujus tribus tribui Judaicæ accensita erat, & possessio ejus per hanc diffusa, Jos. 19. vers. 1. unde factum est, ut expeditiones bellicæ inter has tribus essent communes Jud. 1: 3. &c. 1. Reg. 8: 67. *Abierunt in tentoria sua læti & hilares corde* (Israëlitæ) *de toto illo bono, quo affecerat Jehova Davidem servum suum. David* nominatur, & *Salomo* filius, qui festum illud eucharisticum instituerat, unà intelligitur, unde & 2 Par. 7. vers. 10. expressè additur, 1 Reg. 10: 11. *Etiamque classis Hirami, quæ afferebat aurum &c.* subintelligatur, *& Salomonis*, ut ex cap. 9. vers. 26, 27. conspicitur. 1 Reg. 11. vers. 32. *Et tribus una erit ejus* (Salomonis) *propter servum meum Davidem &c.* Per hanc unam, intelligitur tribus Juda integra, simul tamen cum *Simeonis tribu*, quæ permixta fuit tribui Judæ, & proinde synecdochicè includitur (exceptis illis, regno Israelis finitimis, qui defecisse à regno Judæ memorantur 2 Par. 15: 9.) Ex *Benjamine* autem tantùm pars penes familiam Salomonis mansit, cujus sors conjuncta Judæ fuit: Et prætereà *Levitæ*, cum quibusdam ex reliquo populo, 1 Reg. 12: 23. 2 Paral. 11. vers. 13. Hi omnes igitur sub memorata tribu Judæ d. l. & cap. 12: 20. synecdochicè comprehenduntur &c. 2 Reg. 17: 18. *Et iratus Jehova valdè in Israëlem, amovit eos a facie suâ; non reliqua fuit, nisi tribus Judæ sola.* Subintelligatur, cum adhærentibus Levitis, & Benjaminitarum reliquis. Job. 32: 4. *Elihu autem præstolatus fuerat Jobum in verbis &c.* Jobus memoratur, & amici ejus unà intelliguntur: sequitur enim, *quia seniores essent ipso ætate:* confer etiam vers. 5, 6, 7, 11. Jobum autem solum ponit, quia is postremo loco fuerat locutus, inde à cap. 26. & quia principaliter is erat, de cujus causâ quærebatur ac disceptabatur inter eum & amicos &c.

Insuper hùc referantur ista, *Ephraim* (tribus) pro Israelitico populo integro, seu decem tribubus accipitur, Esai. 7: 2, 5, 8, 9. cap. 9: 9. cujus ratio est, quia in illa tribu sedes regia erat, nempe Samaria, & quia ex ea tribu ortus fuit Jerobam, qui primus omnium regnum istud obtinuit. *Joseph* (ex quo Ephraim) itidem pro toto populo Israelitico accipitur, Psalm. 80: 2. Psalm. 81: 6. Et pro decem tribubus, aut regno Israelitico specialiter sic dicto, Amos 5: 15. cap. 6: 6. *Benjaminitæ*, pro Judæis omnibus, Jer. 6: 1. Horum autem appellatione ad scelus Gibeoniticum alludi videtur, de quo Jud. 19. seqq. Hos. 9: 9. cap. 10. ℣. 9. *Imperator*, pars exercitus primaria, ejusque caput, pro toto exercitu accipitur, Exod. 17: 13. Jos. 10: 28, 40, 1 Sam. 18. ℣. 7. Tantùm de hominibus.

a Pars rei pro re integra.

a 2. *Pars rei pro integra re* ponitur. *Ager*, שדה, pro terra vel regione, Gen. 14. ℣. 7. 1 Sam. 27. ℣. 7. *Angulus*, pro arce seu turri oppugnatoria, Zeph. 1. ℣. 16. cap. 3: 6. Zach. cap. 10. ℣. 4. (ubi de turre expugnatoria agitur, quam in urbe expugnanda Nebucadnezar, DEO permittente, & quasi armante, adhibuit.) Ita autem dicitur, quia angulis robustis constat. *Baptismus Johannis* pro toto ejus ministerio accipitur, Actor. 1: 22 cap. 10. 37. cap. 18: 25. &c. *Clavus*, pro tentoriis militaribus, quæ clavis panguntur & affiguntur, Zach. 10: 4. *Ezob seu hyssopus*, אזוב (exiguus humilisque fruticulus, 1 Reg. 4: 33. muscum quidam fuisse volunt, ex quo aspergillum seu aspersorium fiebat) pro ipso toto aspergillo, Lev. 14. 4. cap. 19: 18. Psalm. 51: 9. Joh. 19. ℣. 29. Heb. 9: 19. *Lapides*, pro structura redintegrata, Psalm. 102: 15. *Murus*, pro urbe seu civitate, Amos 1. vers. 7, 10, 14. confer v. 12. cap. 2. vers. 2. 5. &c. *Porta*, pro urbe, Gen. 22. vers. 17. Deut. 12. vers. 12. cap. 14. vers. 27. cap. 16. vers. 5, 18. &c. Exod. 20. v. 10. Psal. 87. vers. 2. Jer. 15. vers. 7. &c. Et pro urbis incolis, qui per portas ingrediuntur & egrediuntur, Ruth. 3. vers. 11. cap. 4. vers. 10, ubi simul metonymia subjecti est. Ita & Esa. 14. vers. 31. *Tignum*, pro tecto, & con-

se-

frequenter pro domo; Gen. 19. vers. 8. &c. Insigne cumprimis & sacrosanctum hujus synecdoches exemplum in Salvatore nostro occurrit, cujus satisfactio pro peccatis perfectissima, in passione & morte ejus præstita, crebrò *sanguinis* ejusdem mentione enunciatur, Rom. 3. v. 25. cap. 5. vers. 9. Ephes. 1. vers. 7. cap. 2. vs. 13. Col. 1: 14, 20. Hebr. 9: 14. cap. 10: 19. cap. 12: 24. 1 Pet. 1: 2, 19. 1 Joh. 1: 7. Apoc. 1: 5. &c. Et *crucis*, sive crucifixionis (per metonymiam subjecti, 1 Pet. 2: 24.) 1 Cor. 1: 17, 18. cap. 2: 2. Gal. 6: 14. Eph. 2: 16. Col. 1: 20. cap. 2: 14. &c. Et *mortis*, Rom. 5: 10. 1 Corinth. 11: 26. Col. 1: 22. Hebr. 2: 14. &c.

a 3. *Pars temporis pro tempore* ponitur, vel indefinito, vel certo. *Annus*, pro tempore, Esa. 61: 2. cap. 63: 4. Jer. 11: 23. *Dies*, pro tempore, Gen. 8: 22. 2 Reg. 20: 1. Psl. 18: 19. Psl. 102: 12. Psal. 103: 5. Esa 4: 1. cap. 9: 4. Hos. 9: 9. Matth. 2: 1. Act. 5: 36. &c. *Dies*, pro anno, quando videlicet ימים *dies*, sine addita voce numerali ponitur, Gen. 40: 4. Exod. 13: 10. 1 Sam. 1: 3. (confer v. 7.) Lev. 25: 29. Jud. 17: 10. 1 Samuel. 27: 7. Quandoque etiam vox numerabilis additur: Amos 4: 4. *Afferte mane quoque mane sacrificia vestra*: ימים ... לשלשת *ribus diebus decimas vestras*, hoc est tertio quoque anno; respectus enim habetur ad legem Deut. 14: 28. *a fine trium annorum depromito omnes decimas proventus tui &c.* Quam Israelitæ in suo impuro cultu imitabantur. Annus autem sic dicitur, quia velut orbis quidam ac circulus dierum est. *Sabbatum* pro tota hebdomade ponitur Luc. 18: 12, Confer Grammat. sacr. pag. 94. *Manè*, pro continuo tempore, Psalm. 73: 14. Esa. 33: 2. Psalm. 101: 8. Eccles. 11: 6. Thren. 3: 23. *Vespera & manè*, pro νυχθημέρῳ seu totâ nocte & die, Gen. 1: 5, 9, 13, 19, 23, 31. *Hora*, pro tempore, Joh. 4: 23. cap. 5: 35. cap. 16: 2. cap. 17: 1. August. tom. 2. epist. 80. ad Hesych. in illud 1 Joh. 2: 18. *Novissima hora est: Ecce ista hora*, (inquit) *quàm longa est, nec tamen est ille mentitus, sed utique intelligendus est horam pro tempore posuisse.* Sic apud Platonem, καί μοι ὥρα ἀπιέναι, *jam abeundi tempus est.* Et pro pauco temporis spacio indefinitè; Galat. 2: 5. 1 Thess. 2: 17. Philem. 15.

a 3. Pars temporis pro tempore ipso.

b Huc refero, cùm in Chronologia, *pars temporis major pro toto tempore* ponitur. 1 Reg. 2: 11. David, *septem annis regnâsse* dicitur in Hebron. Ubi *sex menses* simul intelligendi, qui 2 Sam. 2: 11. ponuntur. 2 Reg. 24: 8. *natus octodecim annos Jehojacin, cùm regnaret, tribus mensibus regnârat Hierosolymis.* Hic addendi *decem dies*, qui 2 Paral. 36: 9. exprimuntur &c.

b Chronologicum.

# CAPUT XVIII.

## DE

# CATACHRESI.

TRoporum species justâ ἐργασίᾳ hactenus vidimus expositas; nunc de eorundem *affectionibus* quædam etiam monenda. Tres earum numerant: *Catachresin*, *hyperbolen*, & *allegoriam*; vel, ut alii Latinè vertunt, *duritiem*, *audaciam*, & *continuationem*. Κατάχρησις, *abusio*, vocatur, non ac si Scriptura vocibus abuteretur, sed quia à communi troporum loquendi consuetudine ea, quæ catachrestica sunt, aliquantùm discedunt, & duriùs feruntur vel cohærent. Sanctissimus interim purissimus ab omni vitii labe, sermonis divini in Scripturis character est. Dabimus exempla triplicis generis.

1. *Catachrestica vocum acceptionis* seu significationis. Lev. 26: 30. *fragmenta simulacrorum* dicuntur *cadavera*, per metaphoram duriorem, alluditur autem ad cadavera hominum, quorum mentio præcedit. Num. 9: 18. *Os Jehovæ* pro ejus *præstituto*, quod non manifestâ locutione, sed signo nubis testatum dabatur. Deut. 16: 7. בשל *coquere*, pro *assare* accipitur, de agno paschali, qui non coquendus, sed assandus ex mandato DEI erat, Exod. 12: 9. &c. 1 Sam. 2: 15. *caro viva* pro *cruda*, nondum cocta, accipitur, cùm tamen omni vita post mactationem careat. (Eodem significatu, metaphoricè *carnium vivarum*, hoc est, *crudarum devorationem* ad hominum internecionem transferri Psal. 124: 3. Prov. 1: 12.

Drusius observ. l. 1. cap. 21. existimant) 2 Sam. 23: 17. *an sanguinem istorum hominum, qui abiverunt pro animabus suis, biberem?* Aqua, quam cum periculo mortis tres Davidis heroes attulerunt, *sanguis eorum* vocatur per metonymiam duriorem. Job. 4: 12. *Et ad me verbum* יְגֻנָּב *furto allatum est.* Oraculum angelicum, quod ad Eliphazum clanculum pervenit, *furandi* voce effertur, metaphorâ duriusculâ. Psal. 88: 6. חָפְשִׁי *liber seu libertate donatus*, pro *deserto* accipitur, & omni auxilio destituto &c. Matt. 12: 5. *Sabbatis sacerdotes in templo Sabbatum* βεβηλȣ̃σι *profanant, & crimine vacant. Profanare sabbatum*, pro operari manibus in sabbato, καταχρηστικῶς accipitur. Ita autem loquitur Christus ob Pharisæorum opinionem, non licere quicquam in Sabbato agere, aliàs illud profanari ac violari. Rom. 7: 23. *Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captivantem me legi peccati, quæ est in membris meis.* Peccatum inhabitans vocatur *Lex*, quia instar legis cujusdam inevitabiliter homini imperat, eumque constringit, quamdiu hic vivit: per metaphoram duriorem, alluditurque ad legem divinam, peccato contrariam, de qua versu antecedente. *Membra* autem *sua* Apostolus ponit pro se toto, quatenus carnalis est, ỳs. 14. neque enim in corpore solùm, sed potissimum in anima, peccatum inhæret: per synecdochen duriorem. Vicissim, *lex mentis*, pro fidelis animæ ad obedientiam divinæ legis propensione accipitur; itidem per metaphoram. 1 Cor. 11: 10. *velamen* capitis mulieris dicitur ἐξȣσία *potestas*, quia signum & testimonium potestatis est, non activè, sed passivè acceptæ; comprobat nimirum eo signo, se sub viri potestate esse: per metonymiam catachresticam. Coloss. 3: 5. peccata conscientiam vastantia, & quævis pravæ concupiscentiæ dicuntur μέλη, *membra, quæ sunt in terra*: per metaphoram duriorem. Sicut enim vitiositatem naturæ vocavit corpus peccatorum, cap. 2: 11. sic cupiditates & peccata inde pullulantia vocat membra. Dicuntur autem hæc in terra esse, quia terrena sapiunt, non coelestia &c.

2. *Catachrestica vocum combinationis:* conjunguntur enim quandoque, præsertim in metaphora, quæ respondere sibi invicem non videntur. Exod. 5: 21. *Fœtere fecistis odorem nostrum in oculis Pharaonis.* Fœtor & oculi conjunguntur, cùm *naribus* meliùs is respondeat. Metaphoricè aversatio summa denotatur. Exod. 20: 18. *Et omnis populus videbant voces, & fulgetra, & sonum tubæ. Visio* conjunctim *fulgetro & tonitrue* tribuitur, quæ tantùm ad fulgetra pertinet, tonitrua enim audiebantur. Marc. 7: 21, 22. *Ex corde exit malus oculus.* Duriùs videntur cohærere, *cor & oculus ex eo egrediens.* Sed per *oculum malum* denotatur invidia, per metonymiam signi, quia hic affectus per oculos se ut plurimum prodit, unde & Græci βασκαίνειν dicunt τὸ φθονεῖν, *invidere*, quia videantur homines invidi τοῖς φάεσι καίνειν, oculis nocere atque occidere. Confer Matth. 20: 15. &c. Sic referri huc posset, quod ἀποθησαυρίζειν, *in thesaurum reponere*, cum *fundamenti* voce conjungitur 1 Tim. 6: 19. & ἐπενδύσασθαι *superindui*, cum *domicilio non manufacto in cœlis*, 2 Cor. 5: 2. & *sobrium fieri*, cum *laqueorum* voce, 2 Timoth. 2: 19. pro liberari seu exsolvi. Apoc. 1: 12. *Et conversus sum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum. Videre* voci non satis convenit. Vel igitur per vocem ejus autor intelligitur; vel *videre* pro exactiùs considerare seu expendere accipitur &c.

[a] 3. *Catachrestica vocum permutationis.* Attinet hæc N. T. scripta, & linguam hellenisticam, in qua vox aliqua, ad significandum diversum quid, adhibetur, quia scilicet utrumque Hebræa vox una eademque (unde deductus is sermo est) significare potest. Flacius ita hoc proponit, clav. Script. part. 2 col. 287. *Sepè Nov. Test. scriptores aliquas Hebræas πολυσήμȣς, seu plurium significationum voces reddituri aut expressuri, vel necessitate coacti, vel aliquâ commoditate allecti, vel etiam consuetudine Hebrææ linguæ occupati, earum maximè obviâ significatione pro aliis utuntur.* Sixtinus Amama sic, in Antibarbaro Biblico lib. 3. p. 916. *Interpretamentum significationis unius sæpè adhibetur pro interpretamento significationis alterius, apud priscos S. literarum interpretes &c.* Exempla notentur hæcce, quorum aliqua in superioribus etiam relata sunt. Αἰῶνες, *secula*, pro *mundo*, Heb. 1: 2. ex Hebræo עוֹלָם, quod & *secula & mundum* significat, Eccles. 3: 11. (superiùs cap. 4. ad metonymiam adjuncti, §. 3. hoc relatum est,) Δωρεὰν, *gratis*, pro μάτην, *frustrà* sine adeptione finis, Galat. 2: 21. ex Hebræo חִנָּם quod & *gratis*, prout opponitur merito, precio, mercedi; & *frustrà*, uti sperato affectui vel eventui contra distinguitur, significat, Ps. 109: 3. ubi itidem LXX. Interpretes δωρεὰν verterunt. Θυμὸς, *excandescentia*, pro *veneno*, Apoc. 14: 8. cap. 18: 3. ἐκ οἴνȣ θυμȣ̃, *ex vino veneni*, hoc est, venenato, ex Hebræo חֵמָה quod utrumque significat; unde Job. 6: 4. חֲמָתָם *venenum*, θυμὸς à LXX. vertitur. Κακία, *malitia*, pro κακώσει, *afflictione*, Matth. 6: 34. ex Hebræo רָעָה quod utrumque denotat, unde

[a] Notabili.

unde Amos 3:6. eodem modò à Græcis redditur. Νῖκος, *victoria*, pro, *perpetuum*. 1 Cor. 15: 54. *absorpta est mors εἰς νῖκος*, h. e. *εἰς αἰῶνα*, *in perpetuum*. Ex Hebræo נצח quod & *victoriam* significat, & *perpetuitatem*, præsertim quando ante se ל præfixum habet, ut Esa. 25. unde לנצח *perpetuò*, LXX. vertunt, *εἰς νῖκος*, Amos 1: 11. uti & Aquila, Symmachus & Theodotio, Psal 13: 2. Prov. 21. 28. Ξύλον, *lignum*, pro *arbore*, δένδρον, Apoc. 2: 7. cap. 22: 2, 14. ex Hebræo עץ quod utrumque significat, unde à LXX. creberrimè ξύλον vertitur (Posset hoc ad synecdochen partis referri, arboribus enim pars lignum est.) Ὅσια, *sancta*, pro *benignitatibus* seu promissionibus ex gratia factis, Esa. 55: 3. ex Hebræo חסדים, quod utrumque significat. Πόρνη, *meretrix*, pro *cauponâ*, *hospitâ*, *xenodochâ* (ut quidam volunt) Hebr. 11: 31. Jacob. 2: 25. ex Hebræo זונה quod utrumque denotat: Confer Flacium in clave part. 1. pag. 647. (Nota, quòd Πόρνη à πέρνημι, *vendo*, deducitur. Unde ratione etymi, *cauponam*, quæ cibos ac potum vendit, congruè notare potest: etsi usus obtinuit, ut per synecdochen generis pro specie, eam denotet, quæ corpus suum prostituit, & veluti vendit.) Τέλειος, *perfectus*, pro *integro*, *infucato*, *sincero*, 1 Cor. 2: 6. cap. 14: 20. Col. 3: 14. cap. 4: 12. 1 Joh. 4: 18. &c. ex Hebræo תמים quod utrumque denotat, unde & ita vertitur à LXX. Græcis, Jud. 9: 16. Proverb. 11: 3. &c. Huc referunt, Matth. 24: 29. δυνάμεις. Vulg. *virtutes*, pro στρατιά *exercitus*, quia חיל utrumque notat: Luc. 1: 37. ῥῆμα, *verbum*, pro πρᾶγμα, *res*; quia utrumque דבר significat. Matth. 8: ℣. 6. Actor. 4: 27. παῖς, *puer*, pro δοῦλος, *servus*; quia עבד utrumque notat. Rom. 3: 27 νόμος, *lex*, pro διδαχή, *doctrina*; תורה utriusque notionem habet. Galat. 2. ℣. 15. εἰ μὴ, *nisi* pro ἀλλὰ, *sed*; quia utrumque אם לא designat.

## CAPUT XIX.

## DE

# HYPERBOLE.

Ὑπερβολή, *superlatio*, est ea tropi affectio, *quâ voces insolentius & audacius, rerum amplificandarum aut extenuandarum gratiâ, à nativa significatione in aliam traducuntur*. August. lib. 16. de Civit. DEI cap. 21. *Hoc modo (hyperbole) ut cæteris tropis, uti solere Scripturam, nullus, qui eam didicit, ambigit. Iste autem tropus, id est, modus locutionis fit, quando id, quod dicitur, longè est amplius, quam quod eo dicto significatur.* Ne verò hyperbole ex Scriptura sacra, hoc prætextu eliminetur, quòd mendacii species esse videatur, magis rem extollens deprimensve, quàm in rei veritate est; observandum hic venit, quòd in locutionibus ejusmodi non τὸ ῥητὸν, sed διάνοια spectetur, perinde ut in tropis; quodque nullum insit fallendi propositum, nec dicendi falsum voluntas; in veracissimo verbi cœlestis autore: quòd demum non sit difformitas mentis & dictionis vel sermonis, quod ad mendacium proferendum requiritur. Etsi autem verum est, [a] duplicem dari hyperbolen, *Rhetoricam & Logicam*; quarum illa vocum ipsarum insolentior audaciorque translatio est, ad tropos superiùs expositos pertinens; *hæc* verò audacior atque veritate simplici alienior comparatio, verbis propriis concepta & expressa: placet tamen doctrinam hanc semel integram proponere, & utriusque exempla certis classibus distinctè producere. Duplex autem hyperboles species constitui potest; αὔξησις καὶ μείωσις, seu *amplificatio & extenuatio*. Auxeseos duplicia exempla dari possunt, secundùm distinctionem paulò antè indigitatam. Quædam *Rhetoricam* hyperbolen attinent, quædam verò *Logicam*. Prioris generis sunt *tùm* in singulis verbis, *tùm* in phrasi conjuncta. Ad *voces singulas* hæc pertinent:

[a] Duplex hyperbole.

[b] *Bellum* pro quavis rixa privata ponitur, Jac. 4: 1. respondet Hebræo מלחמה quod itidem hoc significatu accipitur Jer. 1: 19. cap. 15: 20. *Cælum*, pro maximâ altitudine: & contrà *abyssus vel infernus*, pro magna profunditate seu dejectione. Gen. 11: 4. *Exstruemus nobis urbem & turrem, cujus caput* (fastigium) *ad cœlos*, scil. assurgat. h. e. omnium altissimum. Confer Deut. 1: 28. cap. 9: 1. &c. Psal. 107: 26. *Ascendunt ad cœlos, descendunt ad abyssos* No-

[b] In vocibus singulis.

tatur vehemens in mari fluctuatio. Esa. 57: 9. *Mittis legatos tuos in longinquum usque, & demittis te usque in infernum*, hoc est omnium abjectissimè. Loquitur de regno Judæ, Assyriis, obtinendarum suppetiarum causa, se submittente, per Regem suum Achaz, 2 Reg. 16: 7. &c. Matth. 11: 23. *Et tu Capernaum, quæ usque ad cœlum exaltata es, usque ad inferos detraberis*, hoc est, quæ summè es exaltata, infimè humiliaberis. Thren. 2: 1. *Projecit e cœlo in terram ornatum Israelis.* Denotatur gravissimus casus in adversa & calamitates. Conformè phrasi illi est, illud Christi, Luc. 10: 18. *videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Euangelii promulgatio & in fideli corde receptio, est Satanæ ejusque potentiæ ruina: fulgur autem celeritatem ejus ruinæ denotat. Sic & alias, *usque ad cœlos aliquid pervenire*, rei magnitudinis descriptio est, 1 Sam. 5: 12. 2 Paral. 28: 9. Esdr. 9: 6. Jerem. 51: 9. Apoc. 18: 5. *In cœlum ascendere*, superbiam insignem notat, Esa. 14: 13. Jer. 51: 53. &c. *Deserere*, pro posthabere, Gen. 2: 24. Matth. 19: 5. Non enim ibi amor erga parentes exterminatur, sed amori conjugali subordinatur, ut scilicet præcedat affectus conjugi debitus, subsequatur paternus, tertium locum retineat is, qui est erga parentes. *Evomere*, pro compensare, quæ comederis. Prov. 23: 8. *Buccellam tuam, quam comederis, ipsam evomito &c.* hoc est, quàm celerrimè compensato, & deinceps ab illa velut infesta & infausta abstineto. Loquitur de cibo & beneficio, ab illiberali præstito, qui cavendus. Sequitur: *Ubi corruperis, verba tua* (res tuæ) *amœnissima erunt*, hoc est, simul ac depuleris à te istum convictum & conversationem, carebis isto tædio, & vives lætissimè: metaphora à re medica, in qua usus est ἐμετικῶν, id est, vomitum concitantium, ad levandum stomachum, Junius. Εὐνουχίζειν ἑαυτὸν, *castrare seipsum*, pro, supprimere libidinem, ut non erumpat, atque ita propositum habere firmum non ducendi uxorem, Matth. 19: 12. Sunt autem ii, quibus singulari dono DEI hoc contigit, ut ibidem asseritur: Metaphorâ hyperbolicâ, κατ' ἀντανάκλασιν à Christo usurpatâ &c. *Fovea*, pro mortis periculo. Ps. 107: 20. *mittens verbum suum curavit eos, & liberavit* משחיתותם *à foveis ipsorum*, hoc est, à morte præsentissima, & sepulcro ipsis jam comparato. *Lassitudo*, pro summa contentione. Dan. 9: 21. *Vir ille Gabriel, quem videram in illa visione principiò, jussus advolare*, ביעף *cum lassitudine*, hoc est, contentissimè. In sanctos illos spiritus lassitudo propriè non cadit. *Mundus*, pro re plena. Jac. 3: 6. *Lingua ignis est, mundus iniquitatis*, hoc est, res plenissima malorum, sicut mundus plurimis rebus repletus est. *Nubes*, pro magna altitudine. Jer. 4: 29. *Venient* בעבים *in ipsas nubes*, hoc est, in loca prælata & ardua, ut consulant vitæ suæ. Kimchi, Junius. Alii tamen *densitates* seu *perplexas sylvas* interpretantur, ut sit ab עבה *densus fuit*. *Odisse*, pro posthabere, & non curare ita singulariter, Genes. 29: 31. Luc. 14: 26. Conf. Grammat. sacr. p. 284. *Perdere*, pro damnum quoddam pati. [a] Ruth. 4: 6. *Et dixit propinquus: non potero redimere mihi* (Ruth in uxorem ducere, unà cum agro comparato) *ne* אשחית *corrumpam vel perdam hæreditatem meam.* Lyranus in h. l. *Hoc exponunt aliqui Hebræi de posteritate egressura de Ruth, si eam acciperet, eò quòd scribitur Deut. 23: 3. Moabitæ & Ammonitæ non intrabunt in Ecclesiam Domini etiam. Sed si ille hanc causam allegavit, falsum dicit, quòd illa pœna non cadit super mulieres, nec per consequens super prolem earum de viro Israëlita. Et ideò aliter exponitur, videlicet de prole, quam jam habebat de alia uxore, quòd si accepisset Ruth, oportuisset eum intendere educationi & provisioni prolis nasciture de ipsâ, & per consequens minus posset intendere provisioni prolis jam habitæ de alia. Et istud vocat delectionem, secundùm communem modum loquendi, quo dicitur ab aliquo, si habeat aliquod damnum notabile: destructum est vel deletum.* Chaldæus autem ita vertit: *Non isto colore ego possum vindicare mihi, propterea quòd mihi uxor est, non mihi licitum est accipere aliam ad ipsam, ne sit mihi jurgio in domo mea; & ita perdam hæreditatem meam &c.* *Prædari*, pro accipere ab aliquo, 2 Cor. 11: 8. *Cæteras Ecclesias ἐσύλησα deprædatus sum, accepto ab aliis stipendio, quo vobis inservirem, &c.* Grandi auxesi, salarii debitam moderatamque acceptionem, nominat *deprædationem*. *Rivi olei* pro omnium rerum bonarum abundantiâ, Job. 29: 6. Confer cap. 20: 17. Mich. 6: 7. ubi illustrior exaggeratio est: *myriades torrentium olei*. *Tonitru*, pro forti hinnitu equi, Job. 39: 19. *Turris*, pro loco editiori seu suggesto, Neh. 8: 4. &c.

[b] In *phrasi conjuncta* hæ occurrunt hyperbolæ. Gen. 41: 47. *Et fecit* (produxit) *terra septem illis annis saturitatis* לקמצים *ad manipulos, seu manipulatim*, q. d. ex uno grano integer manipulus colligebatur. Hyperbolicè maximus proventus indicatur, confer 49. &c. Gen. 42: 28. *Et exiit cor eorum*, hoc est, animus eorum defecit, & nimis consternatus est. Exod. 8: 17. *Omnis pulvis terræ erant pediculi in omni terra Ægypti*, hoc est, ubique in ea terra pediculi erant pulveri terræ commixti. Jud. 5: 4. *Jehova, cum procederes è Sehire, ex*

gradu

[a] Ruth. 4: v. 6. ne perdam hæreditatem meam.

[b] In Phrasi conjuncta.

*grederetis ab agro Edomæorum* (populum scilicet inde in terram promissam deducendo. Num. 20.) *terra mota est, etiam cœli stillaverunt* &c. v. 5. *Montes diffluxerunt à præsentia Jehovæ: ipse Sinai à præsentia Jehovæ DEI Israëlis*, hoc est, omnia suæ majestatis plenâ præsentia tuô-re perculsa, etiam quæ procul à terra relinquebas, ut erat mons Sinai. Elegans divinæ majestatis sese manifestantis descriptio per hyperbolen. Jud. 20:16. *Istorum quisque fundâ mittens lapidem ad capillum, sine frustratione mittebat*, hoc est, tanta eorum peritia erat in jaculando, ut rem quantumvis parvam tenuemque attingerent. 1 Sam. 7:6. *Et congregati sunt* (filii Israel) *in Mizpa, & hauserunt aquam, & effuderunt coram Domino* &c. Quidam hyperbolicam descriptionem ingentis lamentationis esse volunt, q. d. eos lacrymarum rivos ex intimo fonte cordis haustos, oculis coram Domino profudisse. Similis lacrymarum copiosarum descriptio occurrit Psalm. 6: v. 7. Psalm. 119: 136. Jer. 9: 1. Thren. 3: 4, 8, 49. &c. Chaldæus ita d. l. transfert: *Et effuderunt cor suum in pœnitentia, sicut aquas, coram Jehova*. R. Salomo autem propriè accipit, de signo pœnitentiæ & humiliationis externo, ac si dicere Israelitæ vellent: *nos coram te* (ô Jehova) *sicut aqua ista sumus, quæ effunditur* &c. Sicut & aliàs terram capitibus imposuerunt, testandæ contritionis causâ. Jos. 7:6. Neh. 9: 1. &c. 1 Sam. 25:37. *Mortuum est cor ejus* (Nabalis) *in eo, & ipse fuit in lapidem*, hoc est, terrefactus est vehementissimè. 1 Reg. 1:40. *lætabantur lætitia magnâ, adeò ut finderetur terra præ voce eorum*. Eximiæ jubilationis & tripudii descriptio hyperbolica, q. d. rumpi videbatur terra à strepitu eorum & clamore. 1 Reg. 10:5. *Non erat ampliùs in ea spiritus*, hoc est, præ stupore fere exanimabatur. Summæ admirationis, cum stupore mentis conjunctæ, descriptio. Esa. 5:25. *Et extendit* (DEUS) *manum suam, super eum* (populum) *& percussit eum, & contremuerunt montes, & fuit morticinium eorum sicut stercus in plateis*. Hieronymus in comment. h. l. *Nos hyperbolicè hoc dictum putamus, quòd pro magnitudine malorum imminentium, etiam montes commoveantur, & cadaveribus mortuorum repleantur omnes plateæ urbium* Esa. 42:15. *Desolabo montes & colles, & omnem herbam eorum exsiccabo, & ponam flumina in insulas, & stagna siccabo*. Hyperbolicâ metaphorâ extremum exitium, hostibus populi sui à DEO inferendum, notatur. Loquitur enim de divina ultione, ut de igne omnium gravissimo, qui omnia consumit, vastat, exsiccat. Et videtur ad locum Deut. 32: 22. respectus haberi. Thren. 2:11. *effusum est in terram jecur meum*, hoc est, sanguis velut è jecore totus diffugit, profususque quasi in terram. Hyperbolica summi doloris & terroris descriptio. Ezech. 27:28. *Ad vocem clamoris gubernatorum tuorum commoti sunt* מגרשות *fluctus jactati*, q. d. tantus fuit clamor Tyriorum pereuntium, ut mare ipsum quasi exhorruerit, & fuerint excitati fluctus. Vox Hebræa à גרש est, quod Esa. 57:24. de mari perturbato & fluctus ejiciente usurpatur, unde convenienter formatum inde nomen, per *fluctus propulsos vel jactatos*, redditur. Chaldæus & Hebræi explicant *suburbia*, uti Ezech. 45:2. & alibi usurpatur, sensu eo, quòd suburbia Tyri commota fuerint præ clamore illo &c. Alia αὐξήσεως exempla vide & expende, 2 Sam. 17: v. 13. 2 Reg. 19:24. Job. 29:6. cap. 40:18. Esa. 13:13. c. 14:14. c. 34:3, 4, 7. Ezech. 26:4. c. 32:5, 6, 7, 8. c. 39:9, 10. Amos 9:13. Nah. 2:3, 4. Gal. 4:15.

a Fletus descriptio hyperbolica.

b Quæ ad hyperbolen *Logicam* pertinent, a propriis verbis efferuntur, occurrunt (1.) *in hyperbolicis comparationibus*, quando instituitur comparatio rei unius cum altera, cujus tamen rationem haut quaquam attingit. Gen. 13:16. *Et ponam semen tuum, sicut est pulvis terræ, quem si poterit quisquam numerare, pulverem inquam terræ, etiam numerare poterit semen tuum*. Sensus est, maximam omninò multitudinem fore seminis Abrahami, quæ multitudo ab innumerabilitate declaratur. Dum igitur multitudini pulveris terræ illa confertur, hyperbolicum id esse, quivis videt. Augustinus lib. 16. de Civ. DEI cap. 21. *Quis non videat, quàm sit incomparabiliter amplior arenæ* (pulveris) *numerus, quàm potest esse omnium hominum ab ipso Adam usque ad terminum seculi? quantò ergò magis, quàm semen Abrahæ, non solum quod pertinet ad Israeliticam gentem, verùm etiam quod est, & futurum est, secundum imitationem fidei toto orbe terrarum in omnibus gentibus?* Occurrit eadem comparatio cum *arena maris, & pulvere terræ*, Gen. 22: 17. cap. 28:14. Jud. 7:12. 1 Samuel. 13:5. 1 Reg. 4:20, 29. 2 Par. 1:9. Job. 29:18. Psalm. 78:27. Esa. 29:5. Jer. 15:8. Heb. 11:12. &c. Videamus etiam comparationes cum rebus aliis. 2 Sam. 1:23. *Præ aquilis veloces fuerunt*, scilicet Saul & Jonathan. Sic & Jer. 4:13. Thren. 4:19. maxima velocitas notatur. 1 Reg. 10:27. *Et reddidit Rex argentum in Jerusalem, ut lapides*. Hyperbolicâ comparatione copia argenti evidens designatur, quo etiam spectant verba v. 21. *non æstimabatur argentum temporibus Salomonis ullius pretii*. Sic 2 Paral. 1:15. cap. 9:20. &c. Job. 6:3. *arenâ maris gravior, Jobi dolor* dicitur. Job. 41:9. *Sternutationibus ejus splen-*

b Hyperbole Logica. In comparationibus.

*splendet lux, & quidem oculorum ejus, velut palpebra auroræ*. Loquitur de balæna, quæ cùm natans anhelat, & obviarum undarum turbines volvit, tùm retecti oculi illius ferè emicant. Frequens hyperbole in versibus etiam sequentibus est. Hab. 2. v. 5. *Qui dilatavit sicut infernus animam suam, & est veluti mors, & non saturabitur*. Maxima rapacitas atque avaritia denotatur. Vide etiam Thren. 4: 7, 8. &c. (2.) [a] *In hypotheticis quibusdam*, ubi emphaseos gratiâ ita magis exaggeratur, ac revera est, vel esse potest. Psal. 139. v. 8. *Si ascendero in cœlum, ibi tu es; si stratum fecero in inferno, ecce ades*. v. 9. *Si assumsero pennas auroræ, habitavero in novissimo maris*, v. 10. *etiam ibi manus tua ducet me, & tenebit me dextra tua &c.* Nullus homo vivens ascendere in coelum, aut ad infernum descendere, aut similis alis, auroræ instar, velocissimè avolare potest. Sed per fictionem hyperbolicam hæc ita commemorantur, ad illustrandam DEI infinitatem & omnipræsentiam, quam effugere nemo potest. Prov. 27: 22. *Si contuderis stultum in mortario, in medio farris contusi, pistillo, non recedet ab eo stultitia ejus*. Hyperbolicâ hac hypothesi docetur, inanem esse omnem operam, quæ erudiendis vel castigandis hominibus, in stoliditate obduratis, impenditur. Antiquum enim eos obtinere, quantumvis præceptionibus plagisque vel obrutos. Obad. v. 4. *Si exultaveris ut aquila* (locum tuum) *& si inter stellas posueris nidum tuum, inde descendere faciam te, dixit Dominus*. Certitudo judicii divini adversus Edomitas hac hypothesi innuitur. Confer Jer. 49: 16. &c. Matth. 16: 26. *Quid prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animæ verò suæ jacturam fecerit?* Voce *mundi* metonymicè, omnis hujus mundi potestas, opulentia, voluptas, & preciositas in unum conferta intelligitur; & hypotheticâ hac hyperbole amissionis salutis æternæ atrocitas summa notatur. Ita & Marc. 8: 36. Luc. 9: 25. ubi elegans est oppositio: *Si lucrando acquireret totum mundum, & amitteret seipsam &c.* 1 Cor. 4: 15. *Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, non multos tamen patres*. Tùm temporis pauci crediderunt apud Corinthios, unde fieri non potuit, ut tot præceptores haberent. Sed hac hypotheticâ oppositione, sui & affectus & in officio successus præstantiam denotare Apostolus voluit. Pædagogi servi erant, quibus patres liberorum moderandorum curam mandabant. Multum autem interest inter pædagogum & patrem: Ille suo imperio sævit, hic vitam etiam, si necesse sit, impendit. Ambitiosos igitur Corinthiorum doctores plagosis præceptoribus confert, se verò benevolo patri, ut sequentia verba declarant. 1 Cor. 13: 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens*, q. d. Si linguæ essent aliquæ Angelorum, & ego eas tenerem, neque illis uterer ad commodum proximi, id verò nihil aliud esset, quàm inanis & obstreperu loquacitas. Sic v. 2. *Et si habeam prophetiam, & noverim mysteria omnia, omnemque scientiam &c.* Nulli hominum, excepto Christo, datum est nosse mysteria omnia, imò nec Angelorum cuiquam: sed hac hypothesi τῆς ὑπεροχῆς charitatis Christianæ præcellentiam demonstrare voluit. Gal. 1: 8. *Si nos, aut Angelus è cœlo evangelizaverit vobis, præter id, quod evangelizavimus vobis, anathema sit*. In Angelos bonos (malos enim non intelligi, ex ipso sermonis habitu apparet) non cadit, vel prædicare falsa, vel anathematis exsecratio. Verùm hac hyperbolica hypothesi, doctrinæ Evangelicæ, per Apostolos prædicatæ, veritatem divinam & constantiam summam exprimit. (3.) [b] *In quibusdam aliis*. 1 Reg. 20. v. 10. Thrasonica Benhadadi Regis Syriæ verba exstant ad Regem Israelis: *Non sufficeret pulvis Samariæ pugillis toti populo huic, qui sequitur vestigia mea*. Ingens hyperbole & jactantia! q. d. tota terra vestra auferetur pugillo à meis, imò non sufficiet portantium numero: quantò magis vos certò mihi manus victori dabitis? Hos. 2: 17. *Et removebo nomina Baalim de ore ejus, & non in recordatione erunt amplius nominibus suis*. Desumtum hoc ex lege divina Exod. 23: 13. impossibile est omni memoriâ hominum quid excidere. Sed ita loquitur divina majestas, ad ostendendam idololatriæ coram se turpitudinem. Non erunt in recordatione nominibus suis idola, ita ut invocentur, vel cum reverentia quadam usurpentur; aliàs enim recitativè nomen *Baal* repetit Paulus, Rom. 11. v. 4. Conf. Act. 7. v. 43. &c. [c] Matth. 5: 29. *Si oculus tuus dexter scandalizet te, erue illum, & abjice abs te &c.* v. 30. *Et si dextera tua manus scandalizet te, amputa eam & projice abs te &c.* Non vult Christus mutilari corpus nostrum, sed hac hyperbolicâ præceptione, scandali atrocitatem maximumque periculum innuit. D. Calixtus in Harm. p. 266. *Non video, quo minus quasi per exaggerationem dicta, simpliciter & literaliter accipi possint verba ipsa, si scandalum aliter effugere non posses, nisi erueres tibi oculum, potiùs quàm scandalum incurreres, procedendum esset ad effossionem oculi: subintelligit tamen, si licita foret, neque scandalo aliter occurrere posses: sed & hoc potes, & illa licita non est*. Junius: *Καλῶς τὸ hoc dictum: sic animo tuo tempera-*

a In hypothesibus.

b In aliis quibusdam.

c Matt. 5. vers. 29. De oculi erutione, dextræ amputatione &c.

*paratus esto, ut potius oculum dextrum abjicias ultrò, quàm sanctificationem tuam.* a Matth. 24: 2. *Non relinquetur hîc* (in Jerusalem) *lapis super lapidem, qui non destruatur.* Luc. 19: 44. *Non relinquent in te lapidem super lapidem. Hyperbolicè significatur* (verba sunt Jansenii cap. 110. Harmon. Euangelicæ) *maxima & extrema destructio; neque enim verisimile est, tàm curiosos fuisse, aut potiùs otiosos Romanos, ut eis vel vacaverit vel libuerit singulos lapides ab invicem avellere: & alioqui aliquot turres relictas à Tito, testatur Josephus, qui lib. 7. cap. 18. sic maximam civitatis desolationem describit, ut ex eo intelligere liceat, quàm verè à Domino hæc sint prædicta &c.* Hag. 2: 16. *Ponere lapidem super lapidem*, significat ædificare. Ergò, *non relinquere lapidem super lapidem*; è contrario significat funditùs destruere. Mich. 1: 6. similis ferè extremæ destructionis exstat hyperbolica descriptio. Scalig. in animadverſ. Chron. Euseb. 194. 1. *Hierosolyma funditus à Vespasiano, diruta fuêre, ut ne vestigium quidem urbis appareret; teste Josepho, juxta Christi vaticinium: Non remanebit lapis super lapide. Itaque & posteà aratrum illi impressum est à Musonio Tyrrheno, præfecto munitionum, ut non solùm urbs esse desierit, sed & inposterum nemini licuerit illi solo aliquid inmoliri, ædificare, superstruere. Nam Jureconsultus l. 21. D. quibus modis usufr. ait, civitatem esse desisse eam, cui aratrum inductum sit: & capitale est in illo solo vel casam, aut simile superficium struere. Servius; Nam ideo ad exaugurandas vel diruendas civitates aratrum adhibitum, ut eodem ritu, quo conditæ, subverterentur. Horat. Inprimeretque muris hostile aratrum &c.* Confer P. Greg. Tholosanum, lib. 2. de Repub. c. 3. n. 8. Si observentur ea, quæ à Ruffino lib. 1. Histor. Eccleſ. cap. 37: 38, 39. & Socrate lib. 3. cap. 17. traduntur, palàm fiet, exactissimè temporibus, primam devastationem Hierosolymorum insecutis, Christi de Hierosolymis vaticinium impletum esse, *quòd non relinquendus in iis sit lapis super lapide &c.* Luc. 10: 4. *Et neminem per viam salutaveritis.* Hyperbolica Hebræorum locutio, quâ utuntur, cum aliquid celeriter, & nullâ interjectâ morâ peragi præcipiunt. Alioquin comes salutationes Christianæ charitatis adnumerantur officiis, & tamen nemini obstaculo esse debent, quò minùs celeriter ea, quæ à Christo injuncta sunt, peragantur. Suprà ad metonymiam signi idem hoc relatum est, b Joh. 21: 25. *Sunt & alia multa, quæ fecit JESUS, quæ si scriberentur per singula, nec ipsum, arbitror, mundum capere posse eos, qui scribendi essent, libros.* Quidam de capacitate intellectus hoc explicant (unde Theophylactus χωρῆσαι per νοῆσαι exponit, veluti χωρεῖν Matth. 19 ℣ſ. 11: 12. accipitur) ut sit sensus: non esset futurus in mundo quisquam, qui ea omnia animo capere, & mente complecti posset, præ varietate rerum gestarum ac multitudine; ut *mundus* metonymicé pro hominibus, & *libri* pro librorum contentis sumantur. Quidam verò de capacitate locali, propriè sic dictâ, explicant, quòd ne totus quidem mundus capere posset libros, si per singulas circumstantias, & omnia omninò Christi dicta & facta conscriberentur. Cui expositioni additum *mundo* pronomen αὐτὸς favet: *ne ipsum quidem mundum*, hoc est, totam mundi compagem, capere libros illos posse arbitror. Utrovis autem modo accipiatur, hyperbolica locutio plana est, præsertim sensu posteriore. Quidam conferunt locum Amos. 7: 10. *Non posset hæc terra* לְהָכִיל, *sustinere omnia verba ejus.* Quanquam aliud vox ea notat, quàm χωρῆσαι, unde à LXX. ὑπενέγκαι redditur &c. c Rom. 9: 3. *Optarim enim ego ipse, anathema esse à Christo pro fratribus meis secundùm carnem.* Per voti hyperbolen, immensum suum erga Israëlitas amorem demonstrat. Conditionaliter igitur id intelligendum, & hoc moderamine sensui Apostoli accommodandum est, si id salvâ pietate liceat. Alioquin unius peccatricis animæ devotione, pro innumeris aliis expiationem velle facere, absonum nimis foret, quin & ignominiosum in Christum; qui solus κατάρα & anathema pro nobis factus est; Gal. 3: 13, 14. Sed *affectus amantium, cùm inn deficit, procedit etiam ad impossibilia*, uti Lutherus piè sentit. Jud. Epist. ℣ſ. 23. *Odio habete etiam eam tunicam, quæ à carne maculata est.* Hyperbolica prohibitio, ab interdictis pollutionum legalium sumta, q. d. volo, quod sceleratos illos attinet, vos ab illorum congressu omni modo abstinere, adeò, ut vel quodammodò, quicquid illi contigerunt, tanquam pollutum exsecremini.

a Matt. 24. verſ. 2. Non relinquetur hic lapis super lapidem &c.

c Rom. 9. v. 3.

## Μειώσεως seu extenuationis exempla.

d Ad μείωσιν Rhetoricam proximè pertinent, quæ causâ extenuandi tropo aliquo affecta sunt. Ut Gen. 18: 27. *Ecce nunc cœperam alloqui Dominum; tametsi ego sim pulvis & cinis*, hoc est, homo vilissimus, & creatura abjectissima. Vel metaphora est, vel metonymia, ut ad primam hominis creationem ex terra alludatur. Sic *ex pulvere exaltare*, est ex infima hominum sorte evehere ad honorem, 1 Reg. 16: 2. Psal. 113: 7. &c. 1 Sam. 24: 15. *Persequeris canem mortuum, persequeris pulicem unum*, q. d. facis,

d Μείωσις Rhetorica.

b Joh. 21. v. 25.

cis, quod est tanto Rege indignum, dum me tenuissimum, infimum & infirmissimum tanto comitatu prosequeris. Psal. 22: 7. *At ego sum vermis, ac non vir*, hoc est, homo afflictissimus, instar vermis pedibus conculcati &c. Sic Job. 25. ℣s. 6. Esa. 41: 14. Sic in synecdoche. Esdr. 9: 8. *Et nunc minimo momento fugit gratia à Jehova DEO nostro &c.* hoc est, à parvo hactenus tempore. Ibidem ad μείωσιν facit *paxilli sive clavi in loco sancto, & vitæ modicæ* mentio. Faciunt autem hæc è contrario ad peccatorum populi illius exaggerationem, ℣s. 6, 7. &c. [a] Est verò & μείωσις *Logica*, quando extenuationis gratiâ instituitur cum re minima comparatio. Num. 13: 34. *Vidimus viros, & eramus sicut locustæ coram eis*, hoc est, staturâ parvâ nimis, in comparatione istorum gigantum. Confer Esa. 40: 15, 17. Psal. 144. ℣s. 4. [b] Demum & *Grammaticam lexicamque* μείωσιν subjicimus, quæ (1.) *ratione formationis*, in ὑποκορισμῷ & diminutivis apparet. 2 Reg. 18: 4. *Et vocavit eum* נְחֻשְׁתָּן hoc est, *parvum æs*, seu *æneulum*, ut Pagninus reddit, lib. 2. Instit. Hebr. cap. 8. De æneo serpente, in abusum idololatricum converso, contemtus causâ id nominis prædicatur. Confer Lutherum in marginali notâ. Hujus formæ volunt etiam esse צַוְּרֹן *collulum*, Cantic. 4: 9. *Rapis animum meum uno (aspectu) oculorum tuorum, uno torque à collulis, seu faucibus tuis &c.* Pagninus d. l. addit, אֲמִינוֹן *Aminonulus*, 2 Sam. 13: 20. De quo vide Grammat. sacr. p. 766. ) Et אִישׁוֹן *pupilla*, Psal. 17. ℣s. 8. quasi vir parvus, quòd in oculo parva quædam imago viri conspiciatur, (de quo idem pag. 136.) Et שַׁבָּתוֹן *Sabbatulum*, Exod. 16: 23. velut in Vatabli Bibliis vertitur, *cessatiuncula*. Verùm diminutivi hic nulla ratio compareat. Formæ illud est זִכָּרוֹן *memoria*. Cornel. à Lapide Jesuita in comment. Mal. 4: 2. hujus formæ esse putat nomen *Simson*, שִׁמְשׁוֹן, ut significet *Soliculum* seu solem parvum, à שֶׁמֶשׁ *Sol*: q. d. Israëli in tenebris, mœrore & servitute constituto, ortus est Soliculus, id est, parvus novusque Sol, puta *Samson*, judex & vindex, qui tenebras hasce dispellat, & Judæos nova luce, libertate ac lætitia perfundat & recreet. Hæc ille, sed absque ratione solida. [c] Quidam etiam אֱלִילִים *idola*, Lev. 26: 1. Psal. 96: 5. diminutivum esse volunt, ab אֵל *Deus*, q. d. deunculi. Alii verò vel ab אֱלִיל *nihilum*, deducunt, quod, dicente Apostolo 1 Cor. 8: 4. *idolum nihil est in mundo* (in hominum enim opinione falsa tantum existentiæ vanam speciem obtinet) vel dici ajunt quasi אַל אֱלִים *non dii*. Jonas cap. 2: 9. vocat הַבְלֵי שָׁוְא *vanitates mendacii*, q. d. vanissimas & mendacissimas vanitates. Clemens Alexandr. in protrep. τὰς οὐκ ὄντας ὡς ὄντας νομίζοντες, καὶ Θεὰς τούτους ὀνομάζοντες, τοὺς οὐκ ὄντως ὄντας, μᾶλλον δὲ οὐδὲ ὄντας, μόνου δὲ τοῦ ὀνόματος τετυχηκότας, hoc est, *eos, qui non sunt, eo loco habent, ac si essent, & Deos vocant, qui verè non sunt, vel magis, qui non sunt omnino, sed tantùm nomen obtinent.* (2.) *Ratione significationis*, in quibusdam nominibus & verbis, quæ quidem ex instituto, extenuandi scopo & fine, non sunt posita, minus tamen dicunt, quàm reverà significant; seu, *usurpantur nomina vel verba leniora, pro vehementioribus.* Quod genus Rhetores aliàs ταπείνωσιν vocant. [d] Ex *nominibus* huc pertinet, אֶחָד, *unus*, quod in plurali pro paucis aliquibus accipitur. Gen. 27: 44. cap. 29: 20. *Aliqui* dicuntur esse, quorum magna copia est. Rom. 3: 3. 1 Tim. 4: 1. *Aliquis* pro eximio quodam seu magno. Act. 5: 36. *Ante hæc tempora exortus est Theudas, dicens:* εἶναί τινα ἑαυτόν, *se aliquem esse*, hoc est, magnum quempiam, ut Act. 8: 9. explicatur. Atque ita τίς, pro μέγας, ab aliis etiam scriptoribus accipitur, ut in illo Pindari: τί δέ τις; τί δὲ οὐδείς; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, hoc est, *quid est aliquis? quid est nullus? umbræ somnium homo est.* Sic in illo Juvenalis sat. 1. *Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum, si vis esse aliquis.* Ita etiam neutrum, *aliquid*, accipitur Gal. 2: 6. c. 6: 3. &c. *Infirmus*, ἀσθενής, pro planè mortuo in peccatis, seu desperatè ægroto spiritualiter. Rom. 5: 6. Unde ibidem, qui *infirmi* dicuntur, statim nominantur ἀσεβεῖς *impii*, & ἁμαρτωλοὶ, *peccatores*, ℣s. 8. & ἐχθροὶ *inimici*, ℣s. 10. 2 Cor. 2: 6. ἐπιτιμία, *objurgatio*, dicitur gravissima pœna excommunicationis. [e] Ex *verbis* huc pertinent: *Accipere gladium*, pro temerè ac suo arbitratu usurpare, non datum ac oblatum à DEO & legibus, Matth. 26: 52. *Aperire os*, pro eximium quid loqui, vel liberè & apertè loqui, Jud. 11: 35, 36. Psal. 78: 2. Prov. 8: 6. cap. 24: 7. Matth. 5: 2. cap. 13: 35. Eph. 6: 19. &c. *Gustare vinum*, pro vini potationi egregiè indulgere, Dan. 5: 2. quo sensu & *bibere vinum*, Prov. 31: 4. accipitur. *Non esse*, pro abjectum & vilem esse: & vicissim, *esse*, pro haberi in precio. 1 Cor. 1. ℣s. 28. *Ea, quæ non sunt, elegit DEUS, ut ea, quæ sunt, confundat.* Eadem ferè locutio 2 Sam. 19: 7. occurrit: *Quia indicâsti hodie*, כִּי אֵין לְךָ *quod non sint tibi Principes, aut servi &c.* hoc est, quòd despecti apud te sint, seu quòd non ullo sint in precio velut tibi. *Permittere*, pro vires præbere, & adjuvare, Heb. 6: 3. *Et hoc faciemus, si* qui-

[a] Μείωσις Logica.
[b] Μείωσις Grammatica.
[c] אֱלִילִים Idola.
[d] Nomina.
[e] Verba.

*quidem* ἐπιτρέπῃ, *permiserit* DEUS, hoc est, vires largitus, & potenter id operatus fuerit. *Quærere*, pro nimis solicitè, & primo summoque loco, posthabito DEO & salutis ratione, idque non sine diffidentia, in aliquid intentum esse, Matth. 6: 32: Luc. 12: 30. *Salutare*, pro invisere & familiariter ac pleniùs colloqui, Act. 8: 22. c. 20: 1. c. 21: 7, 29. c. 25: 13. Ita etiam quidam accipiunt, quæ de prohibitione salutationis habentur 2 Reg. 4: 19. Luc. 10: 4. &c. Et quod Johannes prohibet, *seductoribus ave dicere*, 2 Epist. ℣s. 10, 11. Vide Flacium col. 1072. *Tangere*, pro violentiùs attrectare, lædere, aut quacunque ratione injuriam inferre, Gen. 26: 29. Ruth. 2: 9. Job. 1: 11. cap. 2: 5. cap. 19: 21. Psal. 105: 15. Jer. 12: 14. Ezech. 17: 10. Zach. 2: 8. Heb. 11: 28. 1 Joh. 5: 18. Et pro conjugali, aliave illicita consuetudine, Gen. 20: 6. Prov. 6: 29. 1 Cor. 7: 1 Et pro diuturniori complexu, ac detentione, Johan. 20: 17. Confer 2 Reg. 4. 27. *Venire*, pro adesse, & totum illud exsequi, cujus gratiâ quis venit. Hac ampliori significatione verbum id intelligitur, cùm *de Christo adveniente* sermo est, Matth. 11: 3. 1 Joh. 4. ℣s. 2, 3. cap. 5: 6. Vide Grammat. sacram p. 527. *Videre se invicem*, pro inire prælium, & bello confligere. 2 Reg. 14: 8, 11. cap. 23: 29. &c. [a] Possunt etiam hûc referri quædam ex illis, quæ in Grammat. sacra tract. 3. de verbo, can. 14. enumerantur. Itemque can. 20. *cùm verba negantia pro contrariis affirmantibus, per quandam μείωσιν ponuntur.* (Confer tract. 5. de adverbio, can. 20.) Quibus addantur & hæc: Gen. 20: 11. *Duntaxat non est reverentia DEI in loco isto.* Abraham Abimelecho ita loquens, non id solùm voluit, nullam ibi esse reverentiam numinis, sed etiam puram putam impietatem esse, quam tamen κατὰ μείωσιν Regi exponit. Psal. 3: 3. *Multi dicunt animæ meæ, non est salus ei in DEO.* Contrarium simul intelligitur; sed mera perditio & ira ipsi metuenda. Psal. 51. ℣s. 19. *Cor contritum & confractum, DEUS, non despicies*, hoc est, maximè probas, & acceptum habes; confer Esa. 66: 2. &c. Expende & hæc: Ezech. 7: 13. *Visio ad omnem multitudinem ejus non revertetur*, hoc est, judicium illud, divinâ mihi visione ostensum, non repetetur aut iterabitur, sed uno eodemque tempore consummabitur. Nah. 1: 9. *Non surget bis angustia*, hoc est, primâ clade planè perdemini, ita vos unâ affliget plagâ, ut non sit opus iteratione. Heb. 13: 17. *Id inutile est vobis*, hoc est, maximè perniciosum noxiumque. In Græco negativa in ipsa voce continetur, ἀλυσιτελὲς, *inutile &c.* Rom. 1: 16. *Non me pudet Euangelii Christi*, hoc est, non solùm non pudet me, sed summæ etiam gloriæ mihi duco, illius præconem esse; maximeque de eo glorior, Galat. 6: 14. Ephes. 3: 8. &c.

[a] Auctarium Grammat. sacræ.

---

# CAPUT XX.

## DE

# ALLEGORIA.

Ἀλληγορία, ratione etymi id notat, *quod aliter dicitur, quàm intelligitur.* Unde ὑπονοίας olim vocari solitas, quæ nunc vocantur allegoriæ, Plutarchus de audiendis poetis scribit, quòd allegoricæ locutiones sententiam abstrusam ac reconditam, adeoque aliam, quàm vocum nativa significatio præ se ferat, contineant. Duplicem autem allegoriam esse, *verborum & rerum*, in Philol. sacr. lib. 2. pag. 186. dictum fuit. Quarum *prior* hîc attenditur, nihilque aliud, quàm *tropi continuatio* est, & præsertim *metaphora*. Etsi enim *metonymiæ, ironiæ, & synecdochæ* etiam continuantur, non tamen tàm crebrò id fit, nec tantâ cum emphasi, ut in florentissimo illo reliquorum tropo, unde & peculiari capite ut de continuata hac metaphora tractetur, necessitas flagitat: non tàm, ut fontes, unde desumuntur allegoriæ, monstrentur, (id enim suprà in tractatione de metaphoris abundè satis, ut puto, præstitum) quàm ut difficiliora quædam in iis declarentur, & singularis earum conditio ostendatur. Id ut commodè fiat, [b] duplicem statuo allegoriam: *Simplicem & allusivam. Illam* voco, quæ à rebus quibuscunque naturalibus desumta est: *Hanc*, quæ ad alia;

[b] Duplex allegoria.

alia, sive dicta, sive facta, respicit, atque inde translatitiam descriptionem deducit. *Illius* exempla aliqua verbotenus adscribere, & brevibus elucidare, reliqua verò nudè allegare visum est.

b De phrasi: Conterere caput.

a Prima Euangelica promissionis, διασάφησις Rhetorica.

Genes. 3. ℣s. 15. a Prima omnium promissio Euangelica, totum redemtionis per Christum futuræ mysterium explicans, allegoriâ efformata, à DEO ipso proponitur: *Et inimicitiam ponam inter te* (ô serpens) *& inter mulierem, & inter semen tuum, & inter semen ejus: ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.* Omnes ferè tropi his in verbis occurrunt, præsertim verò continuatio metaphoræ. Dum *serpentem* alloquitur Jehova, & *Diabolum* intelligit, in eo vel *metonymia* est, quia in serpente Satanas latuerat, & per eum fuerat ad Evam locutus; vel *metaphora*, quia maledictus nunc verbo DEI serpens naturalis, ℣s. 14. & abominabilis hominum generi factus, figuram Diaboli gerebat, unde & aliàs *Serpentis & Draconis* nominibus is designatur, Apoc. 12: 7, 8. &c. *Mulieris* mentionem dum facit Jehova, *synecdochicè* Adamum subintelligit, quin & humanum genus, ex his protoplastis (& ex hac *omnium viventium matre*, vers. 20.) oriturum. *Inter illud & Diabolum*, inimicitia à DEO ponitur ac denunciatur, quæ seria DEI voluntas est, de hominum ex potestate Diabolica ereptione, & ad DEUM à potestate Satanæ conversione. Confer Actor. 17. ℣s. 26, 27, 30, 31. cap. 26. ℣s. 18. Mulieris autem solius meminit, *tùm*, quia immediatè illam Satanas in serpente adortus erat, ac seduxerat, uti confessio Evæ v. 13. innuit: *tùm*, ut superbo spiritui, victæ hujus miseræ, in victricem ejus, constitutione, ægriùs fieret &c. Per *semen serpentis*, *metaphoricè* tota Diabolorum caterva, quæ Messiæ interitum machinatura omni virulentiâ erat, intelligitur. Per *semen* verò mulieris, κατ᾽ ἐξοχὴν Messias, Filius ille hominis (per *metonymiam*) qui machinanti Diabolorum catervæ toti conficiendæ, solus par futurus, eique se oppositurus erat. Antanaclasis igitur unius vocis, *seminis*, diversimodè acceptæ, hic est. Solum autem Christum, per *semen hoc mulieris*, intelligendum certò esse, demonstratum vide in Grammat. sacra. p. 894. seqq. *Inter illum & serpentis semen*, inimicitia à DEO ponitur, & velut sacrum canitur classicum, quæ seria DEI voluntas, & decretum immutabile est, de mittendo in mundum Messia θεανθρώπῳ, & toto humano genere, per satisfactionem ejus, ex potestate Satanæ redimendo: quod prioris illius inimicitiæ, inter *mulierem* (genus humanum) & *Diabolum* positæ, fundamentum est. b Demum *metaphora* continuata seu *allegoria* in illis verbis est: הוּא *ipsum* (*semen* זֶרַע mulieris videlicet semen, cujus mentio præcedit immediatè) *conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.* *Prior* phrasis meriti & satisfactionis Christi effectum *metaphoricè* declarat, qui est Diabolicæ potentiæ, sævitiæ, & regni infernalis enervatio, destructio, & humani generis ex illo liberatio, cum justitiæ & vitæ æternæ reparatione. Sicut enim contrito serpentis venenati truculentique capite, nihil ipsi roboris vel vitæ superest: Ita potentiâ Diabolorum & potestate, quam propter peccatum in homines gerebat, merito Christi sublatâ nihil ipsi in homines (qui verâ fide meritum illud sibi applicant) juris ampliùs vel roboris est. Κατ᾽ εἶδος & speciatim, per *caput serpentis* tùm peccatum, tùm mors intelligitur: *Illud*, quia in capite serpentis venenum ejus, & mordendi vis latet. Venenum autem Diabolicum est peccatum, quod totum hominem inficit & interficit, unde meritò *virus Draconum & venenum aspidum* Deuter. 32: 33. vocatur; ubi nota, in Hebræo רֹאשׁ *caput*, pro veneno esse, & epitheton אַכְזָר *crudelis*, addi, ac si datâ operâ, *ad caput serpentis crudelissimi*, Gen. 3. v. 15. allusio fieret. Peccatum igitur dum abolet, & pro eo satisfactionem justitiæ DEI sufficientissimam præstat Christus, caput serpentis infernalis conterit. Confer 1 Joh. 3: 8. *Hæc* verò, quia in capite serpentis, vita ejus & robur consistit, & quia *caput*, cùm in corpore animalis supremum & nobilissimum membrum sit, cujus virtute ac influxu totum corpus gubernatur, pro *potentia*, *dominio ac superioritate* crebrò accipitur, Deut. 28: 13, 44. Thren. 1: 5. &c. Potentia autem, robur & dominium Diaboli in homines, *in morte* situm est, Hebr. 2: 14. Mortem igitur dum abolet, & jus vitæ æternæ merito sacrosancto suo reparat Christus, caput serpentis infernalis conterit. Confer 1 Cor. 15: 54 seqq. c *Posterior* phrasis meriti & satisfactionis Christi modum mediumque *metaphoricè* declarat, qui est passio & mors acerbissima. Messiam ut magnificum heroa proposuit vox cœlestis, qui pedibus serpentem infernalem quasi calcat, & caput ipsi conterit confringitque. Sicut autem serpens pedibus hominis calcatus, donec penitùs intereat, omni vi reluctatur, se contorquet, hostique suo perniciem ictu ac veneno suo intentat: Ita Diabolum suo modo facturum, Jehova innuit. *Et tu conteres ei calcaneum*, inquit: q. d. defendes te omni vi, omnes nervos, omnem, quâ polles, potentiam adhibebis, ad perdendum exterminandumque hostem tuum, Mes-

c De phrasi: Conterere calcaneum.

Messiam, nec carebit conatus (me in salutem humani generis, & ut justitiæ meæ pro peccatis ejus satisfiat, id tibi indulgente) aliquo eventu: neque enim illæsum dimittes in pugna cruenta, sed in acerbissima παθήματα, & mortis ignominiosissimum supplicium in cruce, per organa tua, perduces: verùm nihil tibi hoc proderit, non enim caput attingere ipsi poteris, illique nocere, sed *calcaneo* tantum alteri, parti minus principali, noxam quasi inferes, ita ut plaga sanari facilè divinâ meâ omnipotentiâ possit, ex morte gloriosè ipsum resuscitando, & victorem Dominumque inferni, toti mundo per Euangelium declarando; cùm tibi interim penitùs succumbendum & pereundum sit, contrito tuo non calcaneo solùm, sed ipso capite. In specie & hic emphatica quædam observari queunt. Duæ phraseos hujus voces sunt. Prima, תְּשׁוּפֶנּוּ *conteres illum*, quæ eadem vox de Messia, in phrasi antecedente, usurpata est. Hac verò (actionem vehementissimam exprimente) innuitur *tùm* Satanæ intentio, quæ fuit, ut virulentissimè Messiæ faceret, quod sibi ab ipso factum, videlicet, ut eum pessundaret, everteret, penitùs contereret, (Confer Ps. 69:5. ubi Messias ita loquitur: *Roboratisunt* מַצְמִיתַי *exscindentes me*, vel ut Ariæm. vertit, *conterentes me*, hoc est, machinantes mihi interitum & excisionem omnimodam &c.) *tùm* passionum Christi magnitudo, cùm enim idem verbum usurpetur de Satana infestante Christum, quod de Christo expugnante Diabolum, certè non levis, sed omnium gravissima læsio innuitur. Conferri Jobi παθήματα possunt, à Satana inflicta c. 2:7. de quarum acerbitate & gravitate c. 5:1,2,3,4 c. 7:15. & alibi sæpiùs conqueritur, & quæ ejusdem verbi שׁוּף *contrivit*, (DEO tamen, non Satanæ tributi) usurpatione exprimit, c. 9:17. quæ tamen ne millesimam partem attingunt passionum Christi, quæ satisfactoriæ pro totius mundi peccatis fuerunt &c. Altera vox, עָקֵב *calcaneum*, exprimit *tùm* eventus disparitatem; sicut serpenti caput omnimodò contritum est, ita femini mulieris calcaneum modò unum, & ita quidem, ut sanari potuerit plaga, & sanata reverà sit, in resuscitatione Christi gloriosâ & victoriosâ: *Tùm* triumphi hujus Christi majestatem, quæ ex proposita his verbis icone elucet. Serpens quasi depingitur sub pedibus jacens, & conculcatus ac contritus; Christus autem, ut heros magnificus, serpentem conterens pede, & calcaneo quidem ab ipso læsus, sed non occisus vel perditus. Hæc de pulcerrimo illo oraculo, omnium propheticorum de Messia vaticiniorum fonte, & omnis consolationis fulcro, paulo meditatiùs fusiusque proponere placuit, quod Lectori pio non ingratum fore confido.

a Gen. 49. in ultimis patriarchæ Jocobi verbis multa dicuntur per allegoriam, v. 9, 10, 11, 12, 14, 15, 17, 22, 23, 24, 27. Cumprimis verò emphatica sunt, quæ in benedictione Judæ dicuntur v. 11. *Ligans ad vitem pullum suum, & ad vitem optimam filium asinæ suæ: Lavat in vino vestimentum suum, & in sanguine uvarum operimentum suum.* v. 12. *Rubicundior oculis vino, & candidior dentibus lacte.* Rabini, & Christianorum quidam, de tribus Judæ terrenâ hæreditate hæc intelligunt, & vitium vinique copiam ac præstantiam hyperbolicè notari volunt, quòd scil. tanta vitium selectissimarum sit futura ibi abundantia, ut communiter in sepibus prostent, non secus atque alibi dumi aut vepreta alia infrugifera, ad quæ asini alligantur aliaque jumenta: quodque tanta vini sit futura copia, ut eo pro aqua uti possint homines, si velint, ad lavandas vestes; confer Job. 29. vers. 6. Quod demum ex vino, ob abundantiam immoderatiùs & continuè potato, rubicundi oculis sint futuri homines; confer Prov. 23: 29. (ita enim vertunt: *rubicundus oculis* מִיַּיִן *ex vino*, non *præ vino*: ut efficiens, non comparationis terminus innuatur) Cui demum descriptio bonorum pascuorum subjiciatur: *Et albus dentibus ex lacte*, hoc est, abundabit quoque bonis pascuis, ac proinde copia lactis affluet. Lacticiniorum enim frequens usus dentes albos facit &c. Hæc illi, sed quæ minùs dextrè mentem sancti patriarchæ attingere vel exprimere videntur. Immediatè antè, in v: 10. de *Siloh seu Messia* ex Judæ prosapia nasciturо, vaticinium prælustre edidit: A quo omnium præstantissimo subjecto, animum vatis divini, ad terrena, ludicra, quin & prava (uti mox dicam) aversum ac delapsum fuisse, vero hautquaquam simile est. Cumprimis verò, quod *de rubedine oculorum ex vino* adfertur, spirituale gratiæ DEI vinum non sapit. In turpibus & malis ea ponitur, Prov. 23; 29. ecqui igitur in laude eam & benedictione poneret Israël patriarcha? Qui alia crassa in filiis peccata & flagitia taxarat, v. 3, 5. 7. ebrietatem & crapulam num commendaret? vel certè ex mentione ejus benedictionem promulgando, vitii & peccati ejus (quod ex regno cœlorum excludit absque dubio, 1 Cor. 6. vs. 10. Gal. 5:21.) extenuandi ansam præberet? Alia jam mitto, & eorum, qui de Messia ejusque regno verba allata (in quibus *allegoria*, non hyperbole est) explicant, sententiam, veritati mentique Spiritus sancti in patriarcha loquentis, appri-

a Gen 49. v. 11 12. allegorica de Messia verba explicantur.

mè conformem esse, omninò existimo. Etsi verò in allegorico hoc sermone ritè explicando, & ad perspicuam sermonis proprietatem reducendo, quædam inter Christianos Interpretes occurrit discrepantia (de qua multa dicere non necessum jam est) ob eam tamen à scopo illo principali, quem connexio v. 10, 11. apertè comprobat, animus avelli nunquam debet, sed, quæ commodior reliquis visa fuerit allegoriæ expositio, amplexanda, & de Christo, Siloh illo fortunatissimo, piè cogitandum hîc est. Ex multis D. Brentii lubet adscribere verba exegetica, quæ, si vult, mecum lector probet: *Ligans ad vitem &c.* Descriptio pacis & tranquillitatis in regno Christi. Sicut & Jer. 23:7. *In diebus illis salvabitur Juda, & Israël habitabit confidenter.* Et Zach. 3:10. *In die illa, dicit Dominus Zebaoth, vocabit vir amicum suum subter vineam, & subter ficum.* In bellis enim non ligantur pulli & asinæ ad vites: non licet habitare sub ficu & vite suâ; sed vineæ, agri, domus & villæ vastantur. Significatur igitur h.l. Christum administraturum regnum suum in summa tranquillitate. Sicut & Esa. 9:5. dicitur. *Omnis violenta prædatio cum tumultu &c.* Hoc autem non est intelligendum de externa tranquillitate, sed partim, quòd Christus proferat regnum suum absque armis bellicis, ac solâ prædicatione Euangelii; partim, quòd adferat summam pacem & tranquillitatem conscientiæ. *Lavabit in vino &c.* Descriptio abundantiæ & vilitatis rerum in regno Christi. Vinum tantâ abundantià crescet, ut posset eo, tanquam aquâ ad abluendas vestes uti. Hæc enim sunt duo magna beneficia regnorum, tranquillitas & rerum abundantia. Intelligamus autem abundantiam rerum spiritualium, videlicet remissionem peccatorum, justitiam, & reliqua. Hæc si quis habuerit, consequenter etiam rerum necessariam in hoc seculo sufficientiam, Matth. 6. vs. 33. *Pulcriores sunt oculi &c.* Er wird schen / wie Milch und Blut. Pro *oculis* intelligenda est tota hominis facies: & est descriptio pulcritudinis Christi: *Facies ejus erit rubicunda, sicut vinum rubeum & pellucidum. Dentes ejus erunt candidiores lacte:* hoc est, Christus est omnium pulcerrimus. Non loquitur autem de externa pulcritudine: etsi enim fuit mediocri venustate corporis, tamen hîc fit sermo de pulcritudine spirituali, Psalm. 45:3. Christus enim ornatus est primùm divinitate, quâ formâ quid venustius? Deinde omni virtutum genere. Nec fruitur iis solus, sed vult eas communes cum universa sua Ecclesia habere, Rom. 8:32. &c. Hactenus Brentii verba. Quidam propiùs ad Christi passionem, ejusque fructum, exegetica sua meletemata dirigunt: *Vinea Christi* est Ecclesia, Esa. 5:1. c. 27:2. c. 65. v. 21. Matth. 20: 1. Christus est *vera illa & pretiosa vitis*, cui credentes, ut palmites, inseruntur, Joh. 15: 1, 4, 5. Est igitur sensus: Christus Ecclesiam suam (quam propter simplicitatem, & humilitatem; atque onera ærumnarum, quas ferre in mundo cogitur, *asino* comparat) verbo Euangelii sui, per efficaciam Spiritus sancti, quasi uvis dulcissimis pascet, & lætitiâ spirituali, ceu suavi vino, inebriabit, ut inde animosa reddita, mortem, Diabolum, infernum, & mundi persecutiones rideat & contemnat. Idque inde eveniet, quia Christus *lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*, h.e. carnem suam, quam Deitas induit velut vestimentum; perfundet preciosissimo suo sanguine, qui posteà erit vinum præstantissimum recreandis & reficiendis fidelibus. Inde *rubicundiores oculi ejus vino*, h.e. rubent oculi ejus in passione, tùm enim non erat ei species neque decor, Esa. 53:2. præcipuè cùm flagellatum, consputum, & coronam spineam gestantem Pilatus produceret. Sic autem deformatus est propter aliorum peccata, cùm tamen in ipso nulla esset peccati macula, & *dentes ejus lacte sint candidiores*, hoc est, dolus non est inventus in ore ejus, 1 Petr. 2:22. *Candor* enim significat puritatem & innocentiam. Quidam cum eo, quod *de vestimento Messiæ* dicitur, pulcrè conferunt. Esa. 63:1, 2, 3. &c.

a Senectutis descriptio, & mortis.

a Eccl. 12. allegorica *senectutis & mortis* descriptio exstat v. 2. *Obtenebratio Solis, lucis, lunæ & stellarum*, interioris animi vigoris, intelligentiæ, judicandi acuminis, consulendi δυνάμεως, debilitationem notat, id quod vulgò dici solet: *bis pueri senes*; *Reversio nubium post pluviam*, turbidum senectutis tempus, cujus ne minimum ferè momentum est absque calamitate calamitatem trudente v. 3. *Commoti custodes domus, & curvatio* אַנְשֵׁי *virorum roboris*, sunt manus remissæ, & genua labantia (Esa. 35:3.) manus enim & brachia universum corpus, instar custodum domui additorum, custodiunt, & quævis noxia propulsant: In genibus vero cruribusque robur corporis maximè, sustentatione totius corporis, se exserit. *Cessatio molentium ob diminutionem*, dentes denotat, partim imminutos, partim in mandendo hebetes ac tardos. *Obtenebratio videntium per fenestras*, oculorum caligationem, & facultatem visus imminutam significat, ob quam adscititiis fenestellis, seu perspicillis, opus est senibus. vs. 4. *Occlusio ostiorum in platea*, labiorum, quæ instar

ftar ostiorum cordis sunt, contractio est, & in loquendo tædium. *Humilitas vocis molæ*, idem hoc significat: os senum, quod quasi mola panaria est, non est sonorum; vox eorum debilis est. *Surrectio ad vocem volucris*, somni raritatem notat; senes vix dimidiam noctis partem dormiunt, maturè & facilè galli cantu excitantur. *Incurvatio filiarum cantici*, aures, quibus conciones judicantur, ingravescentes, & obtusas notat, (conf. 2 Sam. 19: 35.) ob quod incurvatione aurium ad os loquentis, senibus opus est, si quicquam inaudire velint. ℣. 5. *Metus ab excelso loco, & pavor in via*, ambulationis difficultas est. *Flos amygdali* caniciem designat, instar floris albescentem. *Oneratio locustæ*, est spinæ dorsi inflexio, scapulis exstantibus. Locustæ autem spina dorsi comparatur, ob multos σπονδύλους seu vertebras, quæ in utroque apparent. Inflexio verò illa seu incurvatio, quædam velut oneris impositio est. *Dissipatio cupiditatis*, est appetitus cibi aliarumque rerum abolitio. Ist verdrossen/ und hat nirgends zu Lust/ (2 Sam. 19: 35. exemplum Barzillai hoc ipsum comprobat.) Sequitur descriptio *mortis*, quæ per *abitum hominis ad domum seculi sui* intelligitur, hoc est, exitum ratione animæ, ad æternitatis statum; vel beatum in cœlo, vel infelicissimum in inferno. Additur *circuitus plangentium in platea*, hoc est, deductio funeris per amicos plangentes facta. Ejusdem sensus est, quod ℣. 6. subjicitur, *de dissolutione funis argentei; contractione lenticulæ aureæ; contritione hydriæ ad scaturiginem; confractione rotæ ad cisternam.* De vita enim, ut de fonte loquitur, qui hydriâ de catena pendente hauritur. Ejus dissolutio & confractio, vitam cessantem seu mortem & interitum significat. Sicut & proverbialiter dicere solemus: *Hydria tantisper ad fontem commeat, donec frangatur*, hoc est, nihil est tàm diuturnum, quod non aliquando finem habeat. *Argentei* verò & *aurei* epitheta, vitæ preciositatem notant. Tandem verbis propriis, ℣. 7. *de versione pulveris in terram, & spiritus vel animæ ad Deum*, subjungitur; quo corporis corruptibilitas, ac animæ immortalitas (ut quæ post mortem Dei judicio sistitur vel beanda, vel damnanda) clarè exprimitur.

a *Canticum Canticorum* permultis continuatis metaphoris seu allegoriis constat, iisque maximè emphaticis, subobscuris tamen, nec cujusvis intelligentiæ vel δυνάμει ἑρμηνευτικῇ pervii. Munsterus de eo sic loquitur in præfat. *Edidit Solomo multa Cantica, nempe 1005. ut habetur 1 Reg. 4. sed quia istud canticum cæteris omnibus est משבחה & מעולה id est, excellentius & gloriosius, vocatur Canticum canticorum, continetque sub metaphora sponsi & sponsæ, arcana mysteria, & inæstimabilem Dei ad populum suum dignationem. Et is loquendi modus frequens quoque est apud Prophetas, Hos. 2. Ezech. 16. Cave igitur, ne putes, hunc librum cantilenam esse obscœnam, sicut & Hebræi hîc dicunt: Absit, absit, ut sit Canticum canticorum de rebus obscœnis, sed est metaphora quædam, alioquin nisi magnæ esset dignitatis, non scriberetur in catalogo sanctarum Scripturarum &c. Catholici universa mysteria Christi & Ecclesiæ, hoc divino carmine asserunt contineri.* Hæc Munsterus. B. Lutherus pro encomio politiæ, quæ temporibus Salomonis in pulcerrima pace floruit, hunc librum habet, & ad scopum illum interpretationem suam accommodat, quæ tom. 4. Lat. Jenens. fol. 270. seqq. continetur. Sequitur eum D. Brentius, qui Hom. 32. in primum Samuelis p. 407. vocat Canticum hoc *carmen encomiasticum, quod de laude regni & politia sua Salomon conscripsit.* Negari tamen non potest, in præcipuis & potioribus, commodam ad Christum & Ecclesiam fieri applicationem posse, ut non incongruè quidam Cantici hujus periochen esse statuant, quòd sit poëma spirituale, de amore inter Christum & Ecclesiam, seu cœtum fidelium; item de fidelium statu in hac vita, de illorum virtutibus, atque etiam defectibus & infirmitatibus, deque illorum officio: nec non de virtutibus & gloria Christi, deque beneficiis ejus erga fideles, quodque hæc omnia proponantur in forma colloquii, in quo Christus tanquam sponsus, Ecclesia verò, seu cœtus fidelium, tanquam illius sponsa, quàm amantissimè suavissimeque colloquuntur. In interpretatione clavum rectum illi tenent, qui veram clavem adhibent; ea verò est scripturarum aliarum prudens collatio, & naturæ rerum, ex quibus metaphoræ ducuntur, diligens indagatio. Quorum utrumque insigniter & incredibili cum studio observavit, atque in libri hujus verè Christiana explicatione, pari cum judicii dexteritate, & utilitate, πρὸς οἰκοδομὴν τῆς πίστεως, versatus est vir, omnium calculo, in Theosophia καὶ θεοσεβείᾳ maximus, præceptor & in Christo pater meus observantiâ summâ colendus, Dn. D. Johannes Gerhardus, in *Postilla Salomonæa*, qua potiores Cantici canticorum textus cum Euangeliis Dominicalibus confert, & simul viam aperit, ad reliqua, quæ ex professo exposita non sunt, facilè penetrandi. a De Cantico Canticorum.

b Esai. 28: 20. subobscurior allegoria est: *Nam brevius erit stratum, quàm ut protendat se, & operimentum angustum, cùm colliget se* b Duo loci Prophetici. Esa. 28: 20. & Am. 4: 12.

(cubant.) Variè hîc interpretes se torquent, sed omnium simplicissimè metaphora ducta esse videtur ab iis, qui præ metu nocturno sub integumento lecti colligendo se, id est, corpus in arctum contrahendo, se occulunt, atque ita tutos se satis esse arbitrantur. Loquitur enim Propheta de divinis pœnis, quas nulla ratione effugere posse peccatores, innuit. Commodè conferri potest, quod Amos. 3: 12. dicitur: *Sicut eruit pastor de ore leonis duo crura, aut extremam auris particulam:* (quæ scilicet in testimonium ovis discerptæ, afferat suo Domino, ne rependere cogatur, Exod. 22: 13. Genes. 31: 39.) *Ita eruentur filii Israel habitantes in Samaria* (reliquiæ scilicet ab hostium injuriis remanentes, infirmæ & derelictæ. Eruentur autem, velut) *in angulo lecti, & in angulo seu latere sponda* (in Hebr. דְמֶשֶׁק est, *angulus seu latus*, non דַּמֶּשֶׂק *Damascus*, ut cap. 1: 3.) hoc est, instar illorum, qui contracto corpore in quadam lecti extremitate se occulunt, & vix ac ne vix quidem latere, & effugere externas injurias possunt.

Esai. 38: 12. à textoribus ducitur & continuatur metaphora: *Pracidi, ut textor* (stamen) *vitam meam, à peniculamento resecturus est me*, hoc est, quemadmodum textor eò usque perducit telam, donec sit tempus staminis præcidendi, quod involutum est jugo: sic ego pertexui vitam meam, & jam advenit tempus, quo Deus à peniculamento suo dissecturus est telam vitæ meæ, id est, finem illius effecturus: sunt enim *peniculi sive peniculamenta* telæ extrema stamina, quæ textor circumvolvit jugo, nec potest cum reliqua tela propter brevitatem staminis reliqui percurrere, ac propterea ab ea solet resecare. Ita Junius & Tremellius, qui ad continuationem hujus metaphoræ etiam referunt, quod ℣. 14. sequitur: *Domine oppressio sit mihi*, עָרְבֵנִי *pertexe me*, q. d. hic morbus me conficit, & intempestivè opprimit, antequam decurrerim stadium vitæ meæ, & ita intricat, quodammodo, ut tela vitæ meæ (quæ adhuc superest pertexenda) nequeat perfici, quamobrem *tu ipse pertexe me*, id est, effice, ut justum vitæ spacium percurram, fretus potentiâ tuâ. Hanc autem significationem verbi ערב ex nomine conjugato עֵרֶב arcessunt, quo *subtegmen sive trama* significatur, quæ stamini ex transverso intexitur & immiscetur, Levit. 13. vers. 52. Pertinebit igitur ad illa, quæ in Grammat. sacr. p. 327. seqq. recensentur.

Jer. 11: 16. *Olivam virentem, pulcram fructu forma, vocavit Dominus nomen tuum: ad sonum* הֲמוּלָּה *conflictus procellarum maximi incendet ignem prætereà, cum fregerint propagines ejus.* ℣. 17. *Et Dominus exercituum, qui plantaverat te, elocutus est contra te malum &c.* Allegoricè antegressa populi Israëlitici dignitas, & secutura ob peccata calamitas figuratur: Illa olivæ, post factum singularem a Jehova plantationem pulcerrimè efflorescentis, similitudine: hæc verò florum olivæ, per concursantes ventorum procellas, decussione, ramorum perfractione, & arboris trunci per ignem consumtione: Quæ quomodo propriè impleta sint, ultima cap. lib. Regum, Paralipom. & Jeremiæ ostendunt.

Jer. 12: 5. *Quando cum peditibus curris, defatigant te, quomodo ergò misceres te cum equis? etiam in terra amica* (in qua) *tu confides* (defatigant te,) *quomodo ergo te geres apud elatum Jordanem?* Verba allegorica Jehovæ ad Jeremiam, quibus eum hortatur ad constantiam, ne per malitiam & contumaciam popularium suorum patiatur se deterreri à fungendo probè officio suo. Comparat autem populares ejus, cives Anathot, *peditibus*; Hierosolymitanos verò *equitibus*, & *Jordani exundanti*, ut significet, hos illis contumaciores & ferociores fore.

Ezech. 16: 3. & sequentibus, allegoriâ prolixâ, Dei administratio exprimitur erga Judæos & Jerusalem: & initiò narratur gentis illius historia, specie infantis puellæ expositæ, & in morte versantis, donèc Deus ipse misertus curavit, educavit, duxit, purgavit & ornavit eam: Deinde ingratissimi animi crimina exprobrantur, scortationis cum idolis gentibusque exteris, ac inhumanissimæ τεκνοφονίας: postremò sententia fertur in eam, tanquam homicidam & adulteram, mortis opprobriique æterni &c. Et hic sensus illius capitis literalis est (licet tropicus & allegoricus.) At si de Ecclesia credentium, in peccatis per naturam perdita, & gratiâ Christi Redemtoris adoptatâ, justificatâ, renovatâ, sanctificata & salvata, *prior* capitis pars explicetur (uti à quibusdam fieri video) allegoria ea, non verborum, sed rerum est, & pro accommodatione textus non incongruâ, nequaquam verò pro ipso Spiritus sancti sensu, id habendum est: pertinetque ad illam allegoriarum classem, de qua in Philologiæ sacræ lib. 2. pag. 188. seqq. actum fuit.

a Hos. 13: 15. allegoria subobscurior.

a Hos. 13. promissum Filii Dei evidentissimum eminentissimumque (℣. 14. *Ex inferno redimam eos, à morte redimam eos: ero pestis tua, mors; ero excisio tua, inferne; pœnitentia abscon sa erit ab oculis meis.*) verba excipiunt intricatiora, & variis interpretum explicationibus obnoxia. Ex sententia autem

Tarno-

Tarnovii, qui textus distinctionem omnium optimè attendit, ita commodissimè intelliguntur: ỳſ. 15. כִּי הוּא quia hoc (hoc cùm ita sit, ut audivistis, ex ipsius Salvatoris verbis; sunt enim hæc verba Prophetæ,) *inter fratres* יַפְרִיא *faciet fructificare* (fœcundum reddet ipse Redemtor Ephraimum suum, seu Israëlem spiritualem: reliquis suis fratribus Christus multos alios Euangelii præconio adjunget denuò, Psal. 22: 23. Joh. 20: 17. Heb. 2: 10, 11, 12. qui fructum ferunt multiplicem in Ecclesia, Johan. 15: 2, 8, 16. & Hos. 14: 5, 6, 7. At nonne multa mala ventura esse dixisti? his videtur illa promissio tolli! Non ita; etiam mediis in malis sustentatur & augetur Ecclesia, quod allegoricè proponit nunc:) יָבוֹא *veniat Eurus, ventus Jehovæ*, (veniat ex decreto Dei hostis crudelis & impetuosus, Assyrius, qui velut turbo omnia vertit, ac velut Eurus ille sonorus atque vehemens omnia prosternit) *è deserto ascendens* (in quo ventus plerumque major & crebrior, quique cum nullis rebus obviis retardatur, majori vi flare solet,) *& exarescat scaturigo ejus* (nempe afflicti populi Judaici; relativo pro antecedenti posito, ut Thren. 1:1.) *& exsiccetur fons ejus* (in temporalibus bonis omnis felicitas & abundantia pereat, & non florere possit Ephraim, qui velut arbor ad aquas est, confer Ezech. 19: 12. Tamen ille Ephraim & populus Dei per Christum in omnibus malis evadet non modo victor, Rom. 8: 37. 1 Cor. 15: 57. 1 Joh. 5: 4, 5. sed etiam) *diripiet thesaurum omnium vasorum desiderabilium* (seu instrumentorum preciosorum, quâ phrasi & similibus indicatur, quòd Ecclesia verbo Dei convertens gentes infideles, & armis divinitùs validis evertens seu destruens munitiones, 2 Cor. 10: 4, 5. ipsa ditetur, & quæcunque lucratur, Deo devoveat &c. Huic versui cohærent cap. 14: 1. quæ ab aliquibus capiti 13. annectuntur) *desoletur Samaria, quia rebellavit contra Deum suum &c.* (q.d. pereat igitur mundus ille infidelis; fideles Deus semper proteget: ac tandem salvabit. Per *Samariam* synecdochicè reliquæ urbes & oppida regionis intelliguntur &c.) Ut ita Propheta minas, quæ sæpiùs proposuit, hac gravi denunciatione concludat, quò terreat, & aculeos in animis auditorum relinquat, si quo modo pœnæ magnitudine territi, ad frugem redire velint &c.

a Zachar. 14: 3, 4, 5. pulcra allegoria est, Nov. Test. statum concernens, de qua Munsteri verba ἐξηγητικὰ adscribere placet: *Pugnabit contra gentes illas &c.* Hæc pugna videtur fuisse prædicatio Euangelii, qua Apostoli & successores eorum Roman. imperium & ferè omnes gentes (spiritualiter, vi verbi, & miraculorum potentiâ) expugnaverunt. Et hoc prælium incipit *à monte olivarum, super quo pedes Christi steterunt*, cùm in cœlum ascenderet, & diceret, ite in universum orbem, & prædicate &c. *Et tunc scissus fuit mons olivarum*, hoc est, Ecclesia Christi in monte illo collecta, divisa est in quatuor mundi plagas, ut prædicaret verbum Christi omni creaturæ. Sicut enim in superioribus Ecclesia significatur *per Jerusalem & Zion*, sic quoque hîc intelligitur *per montem olivarum*. Ex hac autem dispersione Apostolorum *relictus est hiatus magnus*, infelix scil. Judæa, deserta & derelicta, à qua fugerunt Judæi quique Christiani facti, ne & ipsos apprehendat ultio divina, in perfidos Judæos sæviens &c. Huic allegoriæ duæ aliæ subjiciuntur: una, *à die & luce æquabili*; altera, *ab aquis perpetim fluentibus* desumta, v. 6. 7, 8. quibus Ecclesiæ Christi splendor & salvifica verbi cognitio, tùm & beneficia divinitùs ipsi præstita denotantur &c. Actum de hoc Zachariæ loco latiùs in Postilla nostra prophetica part. 1. festo Ascensionis Christi. a Zachr. 14: 3, 4, 5. De monte Olivarum.

Aliæ ex Vet. Test. allegoriæ videri possunt, Deut. 32. v. 13, 15, 22, 32, 33, 41, 42. cap. 33. vs. 19, 20. 24, 25. Jud. 8. vs. 2. cap. 14. vs. 18. 1 Reg. 12. v. 11, 14. 2 Reg. 19. v. 3. Job. 4. v. 10, 11. cap. 20. v. 12. seqq. cap. 27. v. 20. seqq. cap. 29. v. 14. seqq. cap. 38. v. 9, 10. Psal. 23. v. 1. seqq. Psal. 51. v. 9. Psal. 69: 2, 3. Psal. 75. v. 9. Psalm. 80. v. 9. seqq. Psalm. 110. v. 3. Psal. 129: 3. Prov. 3. v. 8. cap. 9. v. 1. seqq. Eccles. 11. v. 1. seqq. Esa. 1. v. 5, 6, 7, 22. cap. 5. ult. cap. 11. v. 6, 7. cap. 14. v. 29. cap. 30. v. 33. cap. 32. v. 20. cap. 36. v. 6. cap. 42. v. 3. cap. 45. v. 8. cap. 54. v. 11, 12. cap. 55. v. 1, 2, 12, 13. cap. 59. vs. 5, 6. Jerem. 4. vs. 11, 12. cap. 5. v. 6. cap. 6. vs. 28. 29, 30. cap. 12, vs. 9. cap. 50. vs. 17. Ezech. 13. vs. 10. seqq. cap. 17. v. 3. seqq. cap. 21. v. 19. seqq. cap. 23. v. 2. seqq. cap. 29. v. 3. seqq. cap. 31. v. 3. seqq. cap. 32. vs. 3. seqq. cap. 34. vs. 2. seqq. In Nov. Test. Matth. 3. vs. 10, 12. cap. 5. vs. 13. cap. 7. v. 3, 4, 5, 6. cap. 9. v. 15. seqq. cap. 12. v. 43. seqq. cap. 15. v. 13. Lucæ. 9. vs. 62. Roman. 11. v. 16, 17, 18. seqq. cap. 13. v. 11, 12. 1 Corinth. 3: 6, 7, 8, 9. seqq. cap. 5. v. 7, 8. cap. 9: 26, 27. 2 Corinth. 3. v. 2, 3. cap. 5. v. 1. seqq. cap. 10. v. 3. 4, 5, 6. cap. 11. v. 2. Galat. 4. v. 19. cap. 5. v. 15. cap. 6. v. 8, 9. Ephes. 6. v. 11. seqq. quorum explicatio, majori parte, ex metaphoræ superiori tractatione desumi potest, ut actum hîc agere necesse non sit.

## *Allegoriæ allusivæ exempla.*

Psal. 11:6. *Depluet super impios, prunas, ignem & sulphur, & spiritum terrorum partem calicis eorum.* De gravitate suppliciorum Dei, improbis inflictorum, allegoricè loquitur, allusione ad excidii Sodomitici modum facta: uti & Esa. 34:9, 10. &c. Psal. 20:4. *Recordetur* (Dominus) *omnium oblationum tuarum, & holocaustum tuum in cinerem redigat*, hoc est, te & preces tuas gratiosè accipiat. Allegoricè ad sacrificiorum oblationem alluditur, quibus ignem de cœlo quandoque misit Deus, & comburendo in cinerem convertit, eoque grata sibi esse declaravit. Ps. 50:3. in descriptione majestatis Dei, ad judicium adventantis, allusio fit ad tempus promulgationis legis in monte Sinai, Exod. 19:16. 18. &c. Psalm. 55:10. *Perde, Domine, divide linguam eorum.* Consiliorum hostilium disturbatio intelligitur, quam allusione allegoricâ, ad Babelis exstructores factâ, exprimit, uti & v. 16. de interitu hostium, ut de supplicio Dathanis & Abirami, terrâ absorptorum, loquitur, Num. 16. &c. Psal. 59:12. ad *Caini poenam* Genes. 4:11, 12. in imprecatione hostibus factâ respicitur. Esa. 10. ad baculum Mosis, quo miracula parata, & mare rubrum descissum fuit, alluditur, tàm *in bonum*, & in promissione gratiæ, v. 24. *Ne timeas: popule mi, habitator Zion, ab Assur, virga percutiet te; sed baculum suum efferet pro te, ratione Ægypti*, hoc est, Jehova defendet & liberabit te, sicut olim in ingressu Israëlitarum ex Ægypto, Moses jussus est protendere baculum suum ad secandum mare, & transitum populo præstandum, Exod. 14. ℣s. 16. Quam *in malum*, & in comminatione iræ, vers. 26. *Suscitabit super eum* (Assyrium) *Dominus exercituum flagellum, juxta plagam Midian, in petra Horeb: & baculum suum super mare, & elevabit eum ratione Ægypti*, hoc est, momento illos ita perdet per noctis unius spacium, ut Midianitas olim, & Ægyptios, cùm baculum protendi versus mare imperaret DEUS &c. Esaiæ 24. ℣s. 18. ad diluvium universale, Genes. 7. ℣s. 11. fit allusio, & ex eo descriptio poenarum divinarum sumitur: *Quia cataractæ de excelso aperientur, & concutientur fundamenta terræ*, quasi dicat, communis erit cœli & terræ conspiratio ad efficienda judicia Dei. Posteriora verba ex Psal. 18. vs. 8. desumta sunt. Esa. 26. v. 14 ad Pharaonis cum toto exercitu plenariam internecionem alluditur: *Mortui* (hi) *non reviviscent, expertes vitæ non resurgent; propterea visitasti perdidisti eos, & profligasti omnem memoriam eorum*, hoc est, domini isti & tyranni (vers. 13.) non amplius impedient nos, quin celebremus te; tandemque planè ab ira tua consumentur, sicut olim Ægyptii in mari rubro, de quibus dicitur à Mose Exod. 14. ℣s. 13. *Quos vidistis Ægyptios hodiè, non estis visuri ultrà in seculum.* ℣s. 31. *Et vidit Israel Ægyptios mortuos juxta littus maris &c.* Esaiæ 30. ℣s. 32. ad usum veterum alluditur, quo post victoriam tripudia publica cum tympanis & citharis instituebantur, cujus exempla, Ex. 15. ℣s. 20. 1 Sam. 18. ℣s. 5. Psal. 68:26 habentur: *Et erit omnis locus, quà transibit virga fundatissima, cui imposuerit Jehova eam, cum tympanis & cum citharis &c.* hoc est, lætissima erunt & exhilarabuntur omnia, ob liberationem Dei. Esaiæ 34. ℣s. 11. ad *primam terræ vastitatem*, de qua Genes. 1. ℣s. 2. alluditur, uti & Jerem. 4. ℣s. 23. dum de ejus desolatione per hostes efficienda sermo est. Esa. 43. ℣s. 19, 20. ad historiam exitus ex Ægypto, & beneficia miraculosa Dei, populo tùm exhibita, alluditur, in promissione liberationis ex Babylonica captivitate: *Disponam in deserto viam, in solitudine flumina: honorabit me bestia agri, dracones & ululæ, cùm posuero in deserto aquas, flumina in solitudine, ad præbendum potum populo meo, electo meo;* hoc est, similia illis jam præstabo benefacta, & nulla bestia vel aliud quicquam noxam meis inferet, sicut olim in deserto animalia noxia populo cesserunt, Deuter. 8. ℣s. 15. alia verò fuerunt cibo, Exod. 16. ℣s. 14. &c. Esa. 66. ℣s. 17. impietas Deo abominabilis, *ab esu animalium immundorum*, & lege Dei prohibitorum, Levit. 11. ℣s. 7, 29. describitur. August. libro 20. de Civ. Dei cap. 21. *Breviter commemoratis iis, qui per judicium consumentur, sub figura ciborum in lege veteri vetitorum, à quibus se non abstinuerunt: peccatores impiosque significans.* Vide etiam de hoc loco Seldenum de diis Syrorum, Synt. 1. pag. 88. Mich. 7. ℣s. 17. ad poenam serpenti inflictam, Genes. 3. v. 14. alluditur: *Lingent pulverem sicut serpens*, hoc est, humiliabuntur, & quasi in terram prostrati jacebunt adversarii Ecclesiæ, videntes ejus felicitatem. Ita Flacius: commodiùs verò ad metonymiam refertur hoc, ut suprà cap. 4. § 4. In Novo Testamento Matth 5. v. 22. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Alludit Christus ad formam civilium judiciorum apud Judæos, & ad poenas fontibus

In N. Test.

bus irrogari ab iis solitos. Intelligit autem ipse pœnas æternas, & distinctos horum gradus, ratione diversorum in peccatis graduum. Scribæ & Pharisæi quædam delicta pro nullis habebant, illa ostendit Christus tanta esse, ut pœnas commereantur, & quidem tantas, quantas illi grandioribus delictis irrogabant. Bellarminus, allusionem non attendens, perperam hæc Christi verba exponit, lib. 1. de amiss. grat. capit. 9. &c. Matth. 6. v. 17. *Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava.* Alludit Christus ad hypocriticas Pharisæorum deformationes faciei in jejunio, vers. 16. Illique opponit ritum illius temporis, quo soliti fuêre uti unctionibus in lætitia, Psalm. 23. vers. 5. Ruth. 3. vers. 3. Amos 6. vers. 6. Lucæ 7 vers. 46. Et sensus verborum est: Debes procul à cultu isto Pharisaico abesse & potiùs lætitiam in jejunio ostendere, ne videaris hominibus jejunans, sed Deo, vers. 18.

In specie monendum hic iterum est, *de Novi Testamenti actis & cultu, in Ecclesia Christi Deo præstanda, non raro allusiones fieri allegoricas, ad ea, quæ Veteris Testamenti propria sunt, & ab his illorum descriptiones sumi*: quod & suprà cap. 13. de metaphora dictum fuit, & exemplis probatum. Esa. 4. v. 5. *Et creabit Dominus super unumquodque habitaculum montis Zionis, & super convocationes ejus, nubem interdiu, & fumum ac splendorem ignis flammæ noctu: nam super totam gloriam erit protectio.* vers 6. *Et tugurium erit umbraculo interdiu ab æstu, & receptui atque latibulo ab inundatione & à pluvia.* Divina Ecclesiæ Christi & credentium protectio allegoricè describitur, allusione facta, tùm ad columnam nubis & ignis, quo aspectabili signo præsentiam suam populo proficiscenti ex Ægypto Deus exhibuit, Exod. 13. v. 21. tùm ad tegmina, quibus totum opus tabernaculi contectum erat, & ab omnibus cœli injuriis assertum. Esa. 11. v. 14. *Et involabunt in humerum Philistinorum ad occidentem, simul diripient populos orientis; in Edomitas & Moabitas erit immissio manus eorum, & Ammonitæ obedientiam iis præstabunt.* De regno Christi, & spirituali hominum subjugatione ad illius κοινωνίαν, allegoricè loquitur, respiciendo ad populum Israeliticum, qui mutuas sibi operas præstabant in debellando hostiles populos. Confer etiam versic. 15, 16. ubi similibus allegoriis & allusionibus ad acta prisca, indicatur, nihil electo Christi populo obstiturum, quò minùs in libertate spiritus tutò ambulet, & ad salutem æternam perveniat, Esaiæ 52. v. 11. per allusionem metaphoricam Christiani dicuntur *portantes vasa Jehovæ*, hoc est, spirituales Levitæ seu sacerdotes, qui hostias spiritus Deo acceptas per Christum offerunt &c. Ibidemque pietas & sanctimoniæ studium, *per fugam contactus immundorum*, allusivè exprimitur, qui in lege Mosaica prohibitus erat. Quæ verba Prophetæ 2 Corinth. 6. v. 17. allegantur, sensu eodem &c. Esaiæ 54. de Ecclesia Christi in Nov. Test. per Apostolorum præconium ex omnibus gentibus collecto, fit allusio allegorica *ad synagogam seu Ecclesiam veterem Judaicam*, quæ usque ad tempora Christi fuerat conjugata Deo, & filios secundùm carnem genuerat, vers. 1, 4, 5, 6. Confer Gal. 4. v. 26, 27. Immiscentur verò & aliæ allegoriæ: *à tentoriorum dilatatione*, vers. 2. qua Ecclesiæ singularis Judææ, in Catholicam seu universalem commutatio indicatur, vers. 3, 5. *ab ædificio magnificentissimè exstructo*, v. 11, 12. (ubi simul hyperbole est) quo spiritualis ædificatio Ecclesiæ super Christum intelligitur, de qua Matth. 16, 18. Eph. 2: 20, 21. *ab instrumentorum hostilium lædentiumque, abolitione*, v. 16, 17. qua divina defensio & custodia à malo innuitur, Esai. 61: 6, 7, 8, 9. iterum *ad Levitas eorumque ministerium* alluditur, dum de beneficiis Ecclesiæ Christi præstandis, salute ab omnibus inimicis, vita & gloria æterna, sermo est. Vide etiam Hos. 2: 15. Amos 9: 13, 14, 15. Zach. 14: 10, 11. ubi Ecclesiæ Nov. Test. amplitudo ex situ terminisque Hierosolymorum urbis describitur, &c. [a] 2 Cor. 3. v. 13. historia Mosis, velamen faciei suæ divinitùs splendenti imponentis, succinctè recensetur, (uti & v. 7.) & postmodùm insigni allegoria, in descriptione rerum Nov. Test. ad eandem alluditur: *Tum directè*, ad Judæos, Mosis discipulos (Joh. 9: 28.) respiciendo. Dicitur enim v. 13. impositionem illam velaminis ideò divina providentia factam esse, *ne intenderent filii Israel in finem ejus, quod abolebatur*, hoc est, ut innueretur, Judæos carnales & excœcatos hautquaquam intendere fideli animo in Christum, finem legis, quæ aboletur, Rom. 10: 4. (Ἐκβατικῶς enim, non αἰτιολογικῶς ea verba accipienda sunt. Confer Grammat. sacr. p. 618, 622.) Mox metaphoricè phrasis dicta usurpatur de excœcatione Judæorum, atque ἀγνωσίᾳ in intelligendo ritè scripta Mosaica: v. 14. *Sed obcæcati sunt sensus illorum: nam usque ad diem hodiernum, idem velamen in lectione veteris Testamenti manet: nec tollitur velamen, quod per Christum aboletur*, v. 15. *sed ad hunc usque diem, cùm legitur Moses, velamen cordibus illorum impositum est.* v. 16. *at ubi conversi fuerint ad Dominum, tolletur velamen &c.* Sensus

[a] 2 Cor. 3. 13. velamen Mosis, &c.

sus est: Ut ipsum Mosaicæ faciei splendorem Israelitæ non viderunt, ob impositum velamen; sic carnales Judæi, χριςομάχοι, spiritualem Mosis splendorem, hoc est, scriptorum ejus summum finem atque scopum, qui Christus Jesus Salvator est, non intelligunt, ob sponte attractam mentis cœcitatem, quæ instar velaminis est, inter corda eorum, & verum legis intellectum, quasi obducti: neque hoc tolli potest, nisi per veram conversionem ad Dominum &c. *Tum indirectè* & per antithesin, ad Christi discipulos & Apostolos respiciendo. v. 18. *Nos autem omnes retectâ facie ad gloriam Domini in speculo contemplantes, ad eandem imaginem transformamur* &c. De quibus verbis suprà actum. Barradius: *Alludit Apostolus ad vultum Mosis, qui ex consortio sermonis Domini splendorem concepit: eundem in modum ait, Christianos ex contemplatione gloria Christi, ejusdem gloria imaginem claritatemque recipere.* Adde his antithesin Apostoli ex v. 7, 8, 9, 13, 18. Gloria faciei Mosis ob terrorem, quem contuentibus afferebat, obvelabatur: at gloria Christi ex verbo Euangelico cogniti, contuentibus jucundissima, non obvelatur, non obscura est, sed in aperta & clarissima luce posita, ita ut Apostoli eâ collustrati, alios etiam permultos in ejusdem gloriæ salvificam cognitionem perducere possint, id quod *speculi resplendescentis* metaphora pulcrè innuit. Tantum de hoc loco. Galat. 4: 28, 31. credentes in Christum, dicuntur *promissionis filii* (Abrahæ filii, secundùm promissionem) *instar Isaaci*; & *filii liberæ, non ancillæ* (filii Saræ, non Hagaris) allusione facta ad historiam Abrahæ, quæ v. 22, 23. recensetur, & v. 24. seqq. per allegoriam exponitur. Confer, quæ de h. l. dicta sunt in Exeg. Epist. Dominica Lætare. Apocal. 7. vers. 15. *Serviunt ei* (electi Deo) *die ac nocte in Templo ejus*. Alluditur ad ministeria Levitarum in Templo Vet. Testam. quæ nocte dieque fiebant, Psalm. 134. v. 1. & his æterna Jehovæ, in vita æterna, celebratio innuitur.

---

# CAPUT XXI.

## DE

# PAROEMIA SEU PROVERBIO.

TRopi in sermone continuatio dupliciter considerari potest, *in genere & in specie*. Generica consideratio capite præcedenti extat. In *speciali* respectus habetur, vel ad vulgarem usum, & sic dicitur *paræmia, proverbium vel adagium*: vel ad singularem obscuritatem, & dicitur *ænigma*. a *Proverbium* Hebraicè מָשָׁל dicitur, Ezech. 16: 44. cap. 18: 2. à radice מָשַׁל quæ *& comparandi & dominandi* significationem obtinet: ut ita מָשָׁל *proverbium* sit, vel *sermo comparativus* seu similitudo, quæ proverbiis inesse solet; vel quasi κυρία γνώμη, *dominans sententia*, quòd principem locum in oratione obtineat, eamque gravitate sua illustriorem reddat. Quæ verò aliæ vocis ejus sint acceptiones, videatur in Philol. sacræ libr. 2. pag. 217. Respondet ei, sensu illo, quem attendimus, b exactissimè vox παροιμία, 2 Pet. 2: 2. quam dici putant, παρὰ τὸ οἶμος, *à via*, quòd ex triviis, id est, publica loquendi consuetudine, quæ vulgo etiam non ignota sit, petatur: vel ut alii volunt, ut sit quasi παρὰ οἶμον, hoc est, *præter vel juxta primum verbum*; (οἶμος enim *verbum* quoque notat,) & ab ejus sensu veluti alterum verbum, & sensus alter, sicut & *proverbium* dicitur, quòd ipsum primum verbum pro alio verbo, hoc est, sensu ponitur, ut hæc apud Salmeronem tom. 7. p. 6. habentur. c De *adagii* voce, ex Varrone lib. 6. de ling. Latinæ, proferunt, olim *abagia & abagiones*, à Latinis vetustioribus fuisse dicta, quasi *ambagiones*, quòd ambirent orationem, neque in una aliqua re sola consisterent; inde verò mutata litera *in adagia vel adagiones*, mutationem esse factam. Alii rectiùs ab *adigendo* deducunt, seu adducendo, daß man die Wort/ die sich sonst ratione dictionis, gar nicht zum Handel / davon wir reden / reimen / doch darauff zeucht. Salmeron & Scaliger: *quòd è prima & propriâ significatione, ad aliud indicandum agantur*. Cæterùm proverbia vel propriè acceptis verbis enunciantur, vel tropo aliquo affectis (quæ sola proximè huc pertinent: interim & illorum quædam adducentur, ut tractatio sit integra,) atque utraque

a מָשָׁל

c Adagium.

b παροιμία.

quæ vel *integræ sententiæ* sunt, vel *phrases proverbiales*, quæ ex communi usu desumtæ in sententia adhibentur.

a Sententiæ integræ proverbiales exstant, Genes. 10. ℣s. 9. cap. 22: 14. Num. 21. ℣s. 27. 1 Sam. 10. ℣s. 12. cap. 24. ℣s. 14. 2 Sam. 5. ℣s. 8. c. 20. ℣s. 18. Jer. 31. ℣s. 29. Ezech. 16. ℣s. 44. c. 18. ℣s. 2. Luc. 4. ℣s. 23. Joh. 4. ℣s. 37. 2 Petr. 2. ℣s. 22. quibus locis Spiritus sanctus expressè affirmat, sententias eas in *proverbia* abiisse. Sunt verò & aliæ κυρίαι γνῶμαι, quæ licet proverbiorum titulum nequaquam adjectum habeant, illorum tamen formam & usum ferè obtinuerunt, vel ob insignem reconditamque emphasin, usurpari sacrorum adagiorum loco possunt; qualia exstant Deuter. 25. ℣s. 4. 1 Reg. 8. ℣s. 46. c. 20. ℣s. 11. 2 Paral. 25: 9. Job. 6: 5. c. 14. ℣s. 19. c. 27: 19. cap. 28. ℣s. 18. Psal. 42. ℣s. 8. Psalm 62. ℣s. 10. Qualis item est celebris illa sententia, *timor Domini principium sapientiæ est*, Psalm 111: 10. Prov. 1: 7. cap. 9: 10. Sirac. 1: 16. quam primis parentibus, recens jam conditis, commendatam à Deo creatore fuisse, ex Job 28: 25, 28. patet. Multa item in libro, qui משלי *proverbiorum Salomonis* titulum præfert, ut cap. 1. ℣s. 17. 32. cap. 3. ℣s. 12. cap. 6: 6, 27. cap. 10: ℣s. 5, 13, 19, 25. cap. 11: 15, 22, 27. cap. 12: 11, 15. cap. 15. ℣s. 2, 33. cap. 17: 1, 10, 19, 28. cap. 19: 2, 24. cap. 20: 4, 11, 14, 21, 25. cap. 22: 6, 13. cap. 25: 11, 16, 27. cap. 26: 4, 10, 11, 14, 17, 28. cap. 27: 6, 7, 8, 10, 14, 17, 22. cap. 28. ℣s. 21. cap. 30. ℣s. 15. &c. Uti & in Ecclesiaste, Salomonis libro, cap. 1. v. 15, 18. cap. 4. v. 5, 12. cap. 5. vs. 2, 6, 8, 9, 10. c. 6. v. 9. cap. 7. v. 17. cap. 9. v. 4, 18. cap. 10. vs. 1, 2, 8, 9, 15, 19, 20. cap. 11. vs. 3, 4. 6, 7. c. 12. v. 12. Et in prophetis, Jerem. 13. v. 23. cap. 23. v. 28. Ezech. 7. v. 5. Mich. 7. v. 5, 6. Habac. 2. vs. 6. Malach. 2. vs. 10. &c. Et in Novo Testamento, Matth. 5. vs. 13, 14, 15. cap. 6. v. 3, 21, 24, 34. cap. 7. v. 2, 5, 16. cap. 9. v. 12, 16. cap. 10. v. 10, 22, 24, 26. cap. 12. v. 34. cap. 13. v. 12, 57. c. 15, 14. c. 23: 23. c. 24. v. 28. Marc. 9. v. 50. Luc. 9. v. 62. cap. 12. v. 48. cap. 23. v. 31. Act. 9: 5. cap. 20. vs. 35. 1 Corinth. 5. v. 6. cap. 10. v. 12. cap. 15. v. 33. 2 Corinth. 9. vs. 6, 7. 2 Thess. 3. v. 10. Tit. 1. v. 15. b Ubi notandum, in Nov. Testamento à Christo & Apostolis quædam usurpata esse, quæ in Judæorum libris priscis, ac vulgari loquendi apud eos usu, proverbiorum instar fuerunt, & etiamnum in Thalmud continentur. Quale illud est Matth. 7. v. 2. Marc. 4. v. 24. Luc. 6. vs. 38. *Eâdem mensurâ, quâ mensi fueritis, alii remetientur vobis.* Quod in Thalmud, tract. Sanhedrin, exstare quidam annotant, his verbis: במדה שאדם מודד בה מודדין לו *mensurâ illâ, quâ homo metitur, eadem metientur illi.* Exstat autem evidentissimè in Targum Hierosolymitano Gen. 38. his verbis: *Quâ mensura homo metitur, eâdem metientur ei alii, quoad mensuram bonam, & quoad mensuram malam.* Matth. 19: 24. *Facilius est camelum per foramen acus transire.* &c. Quam sententiam his verbis in Thalmud exstare, Ang. Caninius ait: *Non potest elephantus per foramen acus ingredi*: Christum autem pro *elephanto*, quem pauci viderunt, *camelum*, bestiam Syriæ notissimam dixisse. Et Lucæ 6: 42. *Hypocrita, ejice primùm trabem ex oculo tuo.* &c. Quod in Thalmud etiam legi, Buxtorf. tradit: & in glossatore Thalmudico: *Prius colligito stipulam ex oculo tuo, deinde stramen ex oculo alterius.* Et 2 Thess. 3. v. 10. *Si quis non vult operari, nec comedat.* De quo ita Drusius, 2. observ. 1. In Genesi magna (Bereschith Rabba tract. Thalmudico) ita scriptum est, דאי לא לעי לא נגים hoc est, *qui non operatur, non edit.* Neque dubito, quin Apostolus noster inde acceperit. Citatur in lexico juris Hebræo, & in libro Synonymorum, quem edidit Salomo Abrahamides, domo Urbinas &c. Insuper sunt quædam παροιμιώδη, non proba sensu, & per mimesin adducta, Prov. 9. v. 17. Esaiæ 9. v. 10. c. 22. v. 13. Ezech. 12. v. 22, 23. 1 Cor. 15. v. 32. &c. De quibus omnibus, hactenus enumeratis, consuli atque legi potest, liber adagiorum sacrorum, ex universo Bibliorum codice, in quinque centurias congestus, à Theologo Clarissimo, Dom. M. Joachimo Zehnero &c. De compluribus etiam, ex superiùs dictis in capite de metaphora, judicari potest.

c Phrases proverbiales, quæ ex communiori usu desumtæ videntur, & in sententia adhibitæ emphasin ei addunt, adducemus paucas. Exod. 11: 7. *At contra omnes filios Israelis non movebit canis linguam suam, contra ullum hominem aut jumentum.* Phrasis, *canem non movere linguam*, proverbialis est, summam tranquillitatem denotans, q. d. tanta erit quies in loco isto, ut ne canis quidem, qui minimo alioqui strepitu excitari solet, sit cuiquam oblatraturus. Aliàs ad μείωσιν hoc referri posset, ex synecdoche speciei deductam &c. 1 Samuel. 25. vs. 22, 34. 1 Reg. 14. vs. 10. cap. 16. vs. 11. 2 Reg. 9. v. 8. *ne mingentem quidem ad parietem relinquere, & exscindere mingentem ad parietem*, phrasi proverbiali dicitur, ad notandam extremam internecionem, ubi ne vilissimo animali, nedum hominibus ullis parcitur. Est enim d *mingens ad parietem*, Hebræâ paraphrasi, canis,

a Sententiæ proverbiales.

b In Nov. Test. desumta ex Judæorum libris proverbia.

c Phrases proverbiales.

d Mingens ad parietem.

nis, propterea quòd altero pede sublato parietes permingere soleat. Eodem proverbio Aurelianus Imperator aliquando usus fuisse, â Fl. Vopisco Syracusio, in ejus vita, commemoratur, nisi quod paulò post poenitentiâ ductus, mitiorem interpretationem subjecit. Ita autem verba ejus habent: *Cum Tyanam venisset, eamque occlusam reperisset, iratus dixisse fertur: canem in hoc oppido non relinquam. Tunc & militibus acriùs incumbentibus spe prædæ, & Heraclemmone quodam, timore ne inter cæteros occideretur, patriam suam prodente, civitas capta est. Sed Aurelianus duo statim præcipua, quorum unum severitatem ostenderet, alterum lenitatem, ex imperatoria mente monstravit. Nam & Heraclemmonem, proditorem patriæ suæ, sapiens victor occidit: & cum milites juxta illud dictum: quo canem se relicturum apud Tyaneos negaret, eversionem urbis exposcerent, respondet iis: Canem, inquit, negavi in hac urbe me relicturum: canes omnes occidite. Grande principis dictum, grandius militum votum: nam dictum principis, quo præda negabatur, civitas servabatur, totus exercitus ita, quasi ditaretur, excepit, &c.* Sunt tamen, qui de periphrasi illa *mingentis ad parietem*, aliter sentiunt. Benedictus Arias Montanus in libr. de arcano sermone p. 51. *Paries*, inquit, *mingentibus commodus est viris ad turpitudinem occultandam. Quamobrem velut proverbiali oratione Hebræis usurpatum est, mingere ad parietem, ad eam ætatem significandam, quâ turpis & honesti cognoscendi homo compos jam factus est* &c. Convenit hoc cum translatione Targumica, quæ habet: מַדַּע יָדַע *scientem, scientiam*, seu filium intelligentem, &c. 1. Reg. 14: 10. cap. 21: 21. 2 Reg. 14: 26. ᵃ עָצוּר וְעָזוּב *clausus & derelictus*, proverbiali quadam locutione, ultimas populi reliquias denotat. Nam cùm reliqui ab hostibus abducuntur, remanent pauci aliqui, vel in locis munitis clausi, vel in latibulis & solitudinibus relicti, quos hostis perscrutari non potuit. Confer Deuter. 7. v. 20. Quidam captivos, & eos, qui hostium manus evaserant, intelligunt. Occurrit & in Mose hæc phrasis Deuter. 32: 36. &c. Esther. 1. v. 22. *Ut esset quisque vir dominator domi suæ*, וּמְדַבֵּר כִּלְשׁוֹן עַמּוֹ *& loquens secundùm linguam populi sui*. Hic Drusius obs. 11: 10. proverbialem phrasin agnoscit, ut sit pro eo, *vivat more patrio*, *& servet consuetudinem gentis suæ*. Nam apud Persas imperium semper penes virum fuit. Citatque scholiasten Hebræum, sic scribentem: *Loquatur secundùm linguam populi sui. Sensus est, ne mutet morem receptum apud populares suos, ne quidem in sermone, ut utatur linguâ peregrinâ &c.* Communiter ad mandati Regii præcones

ᵃ Clausus & derelictus.

refertur, qui linguâ cujusque populi vernaculâ, mandatum illud promulgârunt. Job. 16: v. 10. κολαφισμὸς seu *percussio in maxillas*, proverbiali locutione, graves denotat injurias. Neque enim credibile, propriè loquendo in maxillas fuisse Jobum ab inimicis percussum. Ita & Psal. 3. v. 8. (ubi *dentium confractio seu excussio*, alapæ divinitùs inflictæ, hoc est, supplicii improborum gravitatem ac magnitudinem notare videtur, quod Drusius observavit, 3. observ. 5.) Thren. 3. v. 30. Mich. 4. v. 14. Conferri etiam possunt Esa. 3. vs. 15. 2 Cor. 11. v. 20. cap. 12: 7. Sic Christus Matth. 5. 39. Luc. 6: 29. hac proverbiali phrasi pro quavis illata injuria utitur, ad inculcandam Christianam erga hostes mansuetudinem. Desumtum autem proverbium à more vulgari, quo viliorum hominum maxillæ, à potentioribus, aut eorum imperio ab ignobilioribus, cædi solebant, uti exempla Michæ, ipsius Salvatoris Christi, & Pauli ostendunt, 1 Reg. 22: 24. Joh. 18: 22. Actor. 23: 2. 1 Cor. 4: 11. Forsan & extensio manus Jeroboami huc pertinet, 1 Reg. 13. vs. 4. &c. Prov. 6. 10. cap. 24: 32. Eccl. 4: 5. *complicare manus*, proverbiali phrasi, de ignavis, & qui ocio tantùm indulgent, usurpatur: ii enim manuum hoc gestu somnum conciliare sibi solent. Convenit illud Livii, *compressis manibus sedere*: & Lucani, *compressas tenuisse manus*: & Theocriti, ὑπὸ κόλπῳ χεῖρας ἔχειν: & Germanorum nostratium, die Hände in den Schoos legen. Prov. 26: 17. *Prehendit aures canis, qui transiens se immiscet liti non suæ. Prehendere aures canis*, proverbialis locutio est, ut in illo Græcorum, τῶν ὤτων κρατεῖ τὸν λύκον, *auribus lupum tenet*. Significat autem temerariam in pericula incursionem. Prov. 28: 21. *Pro buccella panis prævaricabitur vir*. Proverbiali hac phrasi judices injusti perstringuntur, qui muneribus corrupti, jus pervertunt. Ez. 13: 19. eadem loquela de Pseudoprophetis dicitur, qui ob quodcunque lucrum impiis blandiebantur. Convenit cum illo Catonis apud Gellium: *Frusto panis conduci potest, vel ut taceat, vel ut loquatur*. Quidam à canibus metaphoram desumtam esse volunt, qui panis frusto objecto placantur, ne obvios allatrent. Matth. 3: 11. *Soleas seu calceos gestare*, proverbiale dicendi genus est, quo vilissimum ministerium synecdochicè significatur. Ortum sumit à consuetudine Judæorum, qui hospitum advenientium pedes lavare consueverant. Sic Joh. 1: 27. *solvere corrigiam calceamenti*, eodem sensu. Matth. 23: 24. *excolantes culicem, & deglutientes camelum*. Proverbialis phrasis est de iis, qui in rebus minimis superstitiosi & curiosi;

curiosi; in maximis verò negligentes & securi sunt. Metaphora hyperbolica desumta à liquidis, quæ culice illapso denuò percolantur, ut impuritate demtâ bibi possint. Quidam ita *παραφράζει* verba Christi, & applicat: Vos estis iis similes, qui si fortè culex in vinum illorum inciderit, excolant vinum, ne cum vino animalculum illud haurientes strangulentur; intereà camelum animal crassum & immane non modò comedunt, sed ne deglutire quidem dubitant. Sic exprimitur putida in rebus minutis hypocritarum anxietas. Tales sunt, qui in abstinentia carnium, confessione auriculari, & hujusmodi nugis, maximi sunt observatores, in charitate verò & bona conscientia nullam Dei rationem habent. Erasmus non minùs benè, adag. 3: 10, 91. *In superstitiosos præpostere meticulosos hoc dictum est, qui vel ignorantes vel dissimulantes, quibus in rebus sita sit vera Christianaque pietas, in nugis sibi nunc placent, nunc trepidant, in maximis securi, pleni Judaicarum superstitionum, verâ charitate vacui.* [a] Actor. 9. vers. 5. cap. 26: 14. *Durum est tibi contra stimulum calcitrare:* hoc est, dum me in membris meis persequeris, teipsum exitio maximo involves, nisi desistas. *Contra stimulum calcitrare*, Proverbialis locutio est in illos, qui potentioribus se, & cumprimis Deo potentissimo, frustrà & magno suo malo reluctantur, quos *θεομάχους adversus Deum pugnantes*, Gamaliel vocat, Act. 5: 39. Conf. c. 23: 9. Metaph. desumta est à bobus aratoribus, qui cùm *βουκέντροις* aut stimulis admotis recalcitrant, non stimulos, sed seipsos lædunt. Eadem phrasis apud prophanos quoque scriptores legitur: Eurip. Bach. 794. *θυμούμενος πρὸς κέντρα λακτίζοιμι θνητὸς ὢν θεῷ*, hoc est, *mortalis irâ percitus contra Deum, stimulos ferirem calcibus.* Pindar. Pyth. od. 2. *χρὴ δὲ πρὸς θεὸν οὐκ ἐρίζειν. Φέρειν δ' ἐλαφρῶς ἐπιαυχένιον λαβόντα ζυγὸν ἀρήγει. Ποτὶ κέντρα δέτοι λακτιζέμεν, τελέθει ὀλισθηρὸς οἶμος*, hoc est, *adversus Deum non oportet contendere. Jugum autem, quod sumpserit super cervicem, leviter ferre prodest. At contra stimulum calcitrare, lubrica est via.* In Æschyli Prometheo, *πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖν*, *membra contra stimulos extendere*, eodem sensu dicitur. Ter. Phorm. 1, 2. *Inscitia est, adversum stimulum calces scilicet jactare*, Paulò aliter apud Plautum, in Trucul. 4, 2. *Si stimulos pugnis cædas, manibus plus dolet.* Quod in Casin. 2, 4. propriis verbis dixit: *Stultia est, te ei esse tristem, cujus potestas plus potest,* &c. 1 Corinth. 3. vs. 15. [b] *Ipse autem salvabitur, tanquam per ignem.* Proverbialis locutio est, *tanquam ex igne seu incendio evadere & servari*, hoc est, vix ac ne vix quidem ex mortis periculo liberari & velut ex medio incendio, singulari Numinis clementiâ rapi. Sensus igitur est: *Talis Doctor* (verba Flacii sunt in clave script. col. 870.) *est una cum illis suis stipulis, in medio terribilis incendii: & illa quidem judicio Dei damnata peribunt, sed ipse ægrè ac vix servabitur, veluti singulari ac raro beneficio Dei inde ereptus.* Cicero perinde fere loquitur, in libr. de consol. *Non nasci longe optimum, nec in hos scopulos incidere vitæ; proximum autem, si natus sis, quam primum tanquam ex incendio effugere fortunæ.* Scaliger. in annot. ad h. l. *σώζεσθαι* ait respondere Hebræo הִפָּלֵט & הִנָּצֵל, uti & Act. 2: 40. Confer Zach. 3: 2. Amos. 4. 11. Explicationemque verborum hanc tradit: *In magno die judicii, si quis opus inutile fundamento superstruxerit, ille omnino eo opere multabitur. Comburetur enim opus, quia superfluum erit, & inutile. Ipse vero evadet incendium, quia permanserit in fide: ita tamen evadet, ut præclare secum agi putet, quod non una cum opere suo concrematus sit, sed ejus amissione periculo æternæ mortis defunctus sit.* *ζημιωθήσεται* est verbum juris; *multabitur opere suo, amissionem operis sui patietur, non autem vitâ æterna &c.* 1 Corinth. 13: 2. *Et si habeam omnem fidem, adeo ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Montes transferre* (verba sunt Flacii col. 671.) *videtur apud Judæos fuisse proverbialis locutio, de re hominibus prorsus impossibili. Quare Dei potentia hoc modo declaratur,* Job. 9: 5. Psal. 18: 8. *quod montes transferat. Et Christus* Matth. 17: 20. *Et Paulus* 1 Cor. 13: 2. *ad ostendendam fidei efficaciam, sumit locutionem & amplificationem à re inusitata & impossibili, quod ea etiam ipsos montes transferre queat. Aliqui curiose hæc dicta de fide ad rem applicantes dicunt, montes esse potentes adversarios &c. Sed nihil tali applicatione opus est, cum verissimum sit, esse amplificationem a re impossibili sumtam, qua ostenditur, credenti omnia esse possibilia.*

[b] 1 Cor. 3: 15. Salvabitur tanquam per ignem.

[a] Contra stimulum calcitrare.

# CAPUT XXII.

## DE ÆNIGMATE.

IN continuato Tropo si obscuritas singularis insit, αἴνιγμα id dicitur, quod nomen *quæstionem obscuram*, *sermonem nodosum*, & *involutum* reddunt. August. lib. 15. de Trin. cap. 9. *Ænigma est, ut breviter exponam; obscura allegoria, sicuti est: Sanguisugæ erant duæ filiæ &c.* Dicitur ab αἰνίττεσθαι quod est *obscure innuere, ac rem involucris tegere.* Id verò est ab αἶνος, quod inter alia non tantùm *laudem*, sed & *dictum laude atque admiratione dignum notat*, videlicet quòd rem symbolicè & sinuosè efferat. Latinos olim *scirpos* vocasse ænigmata, ex Gellio patet libr. 12. cap. 6. Vel per antiphrasin, ut Mosellano placet; scirpus enim nodulis caret, ut ex adagio constat, *nodum in scirpo quærere;* Vel per metaphoram, à *nassis* deductam, quæ *scirpi* sive *sirpi* vocatæ, quia è sirpis, hoc est, juncis fiebant, ut ex Cœlio Calcagnino, lib. 3. epist. quæst. & Joseph. Scaligero, conject. in Varr. Gerhard. Vossius monet, libr. 4. instit. orat. cap. 11. Hæbræis חידה dicitur, quæ vox tamen latiùs patet, & ad quævis acutè & utiliter dicta applicatur: (convenientiam enim quandam habet cum חדד *acutum esse*, q. d. *acumen*, *acutè dictum*, sicut à שנן *acuere*, dicitur שְׁנִינָה *dicterium, acutum dictum*, Deut. 28:37.) 1 Reg. cap. 10:1. de Regina Sabæ dicitur, quod venerit ad Salomonem Regem sapientissimum, ad tentandum eum בְּחִידוֹת *ænigmatibus*. In quem locum D. Brentius: *non reor*, inquit, *sphingis ænigmata fuisse, non aniles fabulas; sed talia, quæ unicuique maxime cordi sunt, ad quæ cognoscenda mens humana noctes atque dies festinat, ad quæ perdiscenda veteres Philosophi multas regiones peragrârunt &c. Præcipuè igitur scienda appetuntur, num anima immortalis sit? num alia sit vita post hanc vitam? quis verus sit Dei cultus? quâ religione ad Deum verum perveniatur? quæ justitia? quæ justificanda vera ratio? hæc fortè illa ænigmata sunt, quæ Salomoni proposuit regina Saba.* Hæc ille.

1. *a* Ænigma Simsonis Jud. 14: 14.

2. *b* Locus Psal 49.6. expenditur.

Ezech. 17:2. חִידָה *parabolam & similitudinem* denotat, quam Propheta in verbis sequentibus edisserit, statum regni & regis Judæorum figurantem, ita tamen involutam, ut *ænigmatis* nomen meritò sortiatur. Psalm. 79: 2. eadem vox *documenta & exempla* ad cultum Dei verum spectantia, significat. Psal. 94:5. ad doctrinam, de temporalium vanitate, divitiarum abusu, & impiorum divitum infelici eventu, notandam adhibetur. *Aperire* se dicit Psaltes *suum ænigma*, quo difficultas hujus doctrinæ, rationem & exteriorem sensum si respiciamus, innuitur. Confer Psalm. 73: 16, 17. &c. Cæterùm strictè ita vocatum *a ænigma*, vix unum affertur in scripturis sanctis, ex Jud. 14:14. ubi Simson ita ad hospites suos gamicos: *De comedente exivit cibus, & de forti egressu est dulcedo.* Est autem continuatio synecdoches, cum addita metonymia. Per *comedentem* enim & *fortem* leo intelligitur, per synecdochen generis: per *cibum* mel, eodem tropo: per *dulcedinem*, mel dulce, per metonymiam adjuncti; ut vs. 18. explicatio subjungitur. (De hoc Simsonis effato ita Vossius loquitur, postquam *ænigma* id vocâsset, lib. 4. instit. orat. cap. 11. *Quanquam, ut ingenuè quod res est, dicam: si pressè sumamus ænigmatis vocem, id quod Samson proposuerat, ænigma non erat, quia ignotum erat Philistæis, leonem à Samsone interemtum esse, aut mel exceptum esse è leonis cadavere; ut quorum neutrum ulli mortalium, atque adeo ne parentibus quidem suis indicârat, ut cognoscere est ex cap. 14. vers. 7, 10, 17. Ænigma autem propriè esse videtur, oratio obscuritate allegoriæ rem notam significans.*) Ænigma quoque cælitus datum (vel αἰνιγματώδης sermo) est sententiola illa, angelica manu in pariete Regis Chaldæorum exarata, Dan. 5:25. מְנֵא מְנֵא תְּקֵל וּפַרְסִין *Mene, Mene, Tekel, Upharsin*, quod solus Daniel divinitus illuminatus explicare Regi potuit, ut in textu videre est. Insuper in ultima voce פַּרְסִין ὑπαίνιξις occurrit, non enim *dividendi* solùm significatum obtinet, sed & ad *Persas*, excidii Babylonici executores acutissimè alludit, quale est, quod inferiùs ex Gen. 48:22. adducitur. Quòd si verò latius *ænigmatis* voce, obscuriores & insigniores simul parabolæ ac allegoriæ denotentur, plura in scripturis ænigmata esse dubium non est. *b* In

loco

loco, qui ante allegatus, Pſ. 49: 6. voci חִידָה *ænigma*, ſubjiciuntur verba, quæ ænigmati propter obſcuritatem non diſſimilia ſunt. *Quare*, inquit Pſaltes, *timebo in die mala? peccatum calcaneorum meorum circumdabit me.* Quid hic *dies mala*? quid *peccatum calcaneorum*? *Prius* quod attinet, R. Aben Ezra per *diem malam* ſenectutis tempus intelligit, collatione factâ cum Eccleſ. 12: 1. ſenſu eo: *Quid me fatigarem curis ſeculi & opum terrenarum, ex metu & ſolicitudine de tempore ſenectutis?* R. Kimchi autem, dies ſeculi hujus, qui mali ſunt omnibus, qui in ejus curis ſolicite occupantur, ut ſit ſenſus: *quid timerem vel ſolicitus eſſem de divitiis & poſſeſſionibus, quæ ſunt gloria hujus mundi.* *Poſterius* quod ſpectat, R. Salomo cum ſequenti ℣ſ. 7. hoc connectit, & ita explicat: *Peccata quæ ego calcaneis meis quaſi conculco, & quæ leves tranſgreſſiones æſtimo, attamen illa in judicio Dei me condemnant. Quantò magis divites* (℣ſ. 7.) *qui confidunt opibus ſuis*, ſcil. condemnabuntur? R. Aben Ezra è contrario, verſum ſequentem, ut initium ſermonis accipit: verba autem hæc in ℣ſ. 6. de metu & fuga peccatorum commode explicat, & עָקֵב. *calcaneum* metonymice pro via, quæ calcaneo teritur, accipit, hoc ſenſu: *Si divitiis corradendis vacarem, fortean neceſſum haberem corradere illas hac viâ & ratione, quâ obveniret mihi peccatum, hoc eſt, ut in via non bona ambularem, & hoc peccatum perpetuò me circumdaret.* R. Kimchi eodem fere ſenſu, niſi quod עקב metaphorice pro *fine ſeu extremitate* accipit; *Vult dicere*, inquit, *ſi ſolicitus eſſem de bonis hujus ſeculi, obveniret mihi peccatum; & dicit* עקב *quaſi diceret, in fine actionum mearum deprehenderet me peccatum: Si gauderem de bonis ſeculi in principio, in fine eorum cruciarer. Quia enim calcaneum eſt extremum corporis, igitur omnis rei finis ſeu extremitas dicitur* עקב *calcaneum.* Addit, poſſe etiam עקב pro *mercede* accipi, quæ actiones hominum conſequitur, & earum extremum eſt, (uti Pſal. 119: 33.) *ut ſignificetur ſeculum futurum, quod eſt ſeculum mercedis ſeu retributionis & ſupplicii, & quod finis eſt actionum humanarum, ſecundum illud* Eccl. 9: ℣ſ. 10. *ſenſu nimirum eo; Etiamſi lætarer in bonis ſeculi hujus omnibus diebus vitæ, uſque ad diem mortis, tamen non lætaturus eſſem in ſeculo futuro poſt mortem: ibi circumdaturum eſſet me peccatum, hoc eſt, pœna factorum meorum (in ſolicitudine & gaudio ob terrena bona) perſecutura eſſet me poſtmodum: quare non conſultum eſt, huic viæ inſiſtere, ſicut faciunt ii* (℣ſ. 7.) *qui confidunt opibus ſuis* &c. Hæc illi. Muſculus in comment. eodem fere ſenſu: *Videtur hoc dicere*, inquit; *cur in hac vita propter acquirenda temporalia, ſive honorem, ſive potentiam, vel divitias, faciam & committam, ut metuendum mihi ſit, ne quando in diebus malis, id eſt, tempore vindictæ judiciique divini, ſequatur & apprehendat me commiſſorum iniquitas, meque ſupplicio efficiat?* Si Lutheri interpretatio acceptanda עָקֵב. non abſtractive pro *calcaneis*, ſed concretivè pro *calcantibus*; *ſupplantantibus & defraudantibus* (metaphoricè ſic dictis) accipiendum. Poteſt enim eſſe nomen Toar, formæ אַבִּיר *Ingens*, גָּדֵל *grandeſcens*, יָשֵׁן *dormiens*, vide Gramm. ſacram pag. 406. Atque hoc ſenſu deſcriptio ſupplantatorum illorum in verſ. 7. ſubjungitur: qui verſus juxta antecedentem explicationem, novam periodum incipit &c. Tantum de hoc loco pſaltis. In libris Salomonis, nimirum *Proverbiorum*, *Eccleſiaſtis & Cantici canticorum*, aliqua occurrunt, ſingulari obſcuritati involuta, & *αἰνιγματώδη*. [a]Videamus unicum, Prov 26. vſ. 10. quo verſu (ob homonymiam omnium fere vocum) magna tùm tranſlationum, tùm expoſitionum varietas eſt. Aliter Chaldæus, aliter Græci, aliter Latini, aliter Lutherus in Germanica lingua, vertunt; quarum verſionum nulla ferè cum altera congruit, ut non immeritò ſacri ænigmatis loco proponi hic verſus doctioribus poſſit, ad verſionum iſtarum diverſam rationem, quomodo videlicet ex Hebræo textu erutæ ſint, inveſtigandam. Hebræa verba ita habent: רַב מְחוֹלֵל־כֹּל וְשֹׂכֵר כְּסִיל וְשֹׂכֵר עֹבְרִים Nota hic, רב *magiſtrum* notat, & *magnatem*, & adverbialiter, *multum*: חולל *formandi*, & *dolore afficiendi* ſignificatum obtinet: שכר *incudere* ſignificat, & *mercede conducere*, *mercedem item dare*: כְּסִיל *ſtultus* eſt, itemque *ſtella orionis*: עבר tàm *localem tranſitionem*, quàm *legis tranſgreſſionem* ſeu peccatum, itemque *indignationem* denotat. Hinc varietas verſionum (quarum tamen exacta in ſingulis ratio dari non poteſt) uti & ipſarum expoſitionum. Chaldæus transfert (uti in opere Regio vertitur) *multùm dolet caro ſtulti, & ebrius tranſit mare.* LXX. Interpretes: πολλὰ χειμάζεται πᾶσα σὰρξ ἀφρόνων, συντρίβεται γὰρ ἡ ἔκστασις αὐτῶν, hoc eſt, *multum friget* (in opere regio redditur, *æſtuat*, ſenſu contrario) *omnis caro ſtultorum, conteritur enim ſtupor eorum.* Vulgatus interpres Latinus: *Judicium determinat cauſas qui impoſuit ſtulto ſilentium, iras mitigat.* (In priori parte ſignificatione τοῦ רב ferè acceptum fuit, quod *litigare*, *judicare* ſignificat: poſterior pars ex Theodotionis verſione fluxit, quæ habet: Φιμῶν ἄφρονα, Φιμοῖ χολάς.) Pagninus: *Magnus Dominus creat omnia, & mercedem dat ſtulto, & mercedem dat*

[a] Locus perplexus. Proverb. 26: 10.

*dat transgressoribus.* Eodem modo Ariæ montanus, nisi quod verba in participia convertit. Munsterus: *Magnus qui formavit omnia, remunerat stultos, & remunerat transgressores: hoc est*, inquit, *Deus reddit unicuique juxta opera sua.* De Junio & Tremellio infrà. Osiander, qui Lat. versionem correxit: *Magister facit unumquodque, qui autem locat stulto, locat illud superficiario.* Forsterus in Lexico: *Magister format omnia, at conducens mercede stultum, conducit etiam transitores.* Et alibi: *Magister præstat omnia, secus si quis conducit ignavum & prateritores, id est, qui obiter & transeunter aliquid faciunt.* Quo cum convenit Lutheri versio: Ein guter Meister macht ein Ding recht / aber wer einen Hümpler dingt / dem wirds verderbt. Interpretes quod attinet, quidam per רַב *magistrum*, intelligunt ipsum Deum, κατ' ἐξοχὴν sic dictum, ut sit sensus, *magister format omnia*, hoc est, Deus benedictus creavit omnia &c. Juxta R. Salomonem & R. Kimchi, quos Pagninus, Ariæmontanus & Munsterus, uti dictum, sequuntur, sed diversâ ratione. Hebræi ex cohæsione versus præcedentis sensum deducunt, hoc modo: ℣f. 9. *Spina venit in manum ebrii: ita & parabola* (sententia) *in ore stultorum*, hoc est, (inquit R. Salomo) *sicut spina adhærens manui ebrii, ita & parabola seu sententia, quæ mox sequitur, adhærens ori stultorum; subintell. est ipsis spina pungens & dolorifica. Et quænam est illa parabola seu sententia? quæ vers. 10. subjicitur: Magister format omnia &c. hoc est, sanctus benedictus Deus creavit omnes, & alit sustentatque omnes homines, tàm stultos, quàm sapientes: quare non opus habemus sapientiam sectari: Et is mercedem dat stulto, non ut caro & sanguis seu homines, qui non dant mercedem nisi operatoribus exploratis, & iis, qui diligenter labori suo incumbunt: Sed Deus benedictus mercedem dat stultis, & mercedem dat transgressoribus viæ, qui ignavè ab omni opere abstinent &c.* Sine cohæsione autem cum versu antecedenti accipiunt, Pagninus, Ariæmontan. & Munsterus, de cujus translatione nota, aliud ab ea dicere additam expositionem, nisi τὸ *remunerare* per catachresin pro rependere quovis modo, etiam in malum & respectu pœnæ, accipiatur. Aliam interpretationem indigitat R. Salomo, eorum, qui כְּסִיל pro *stella Orionis* (uti Amos 5. ℣f. 8. Esa. 13: 10.) & שֹׂכֵר significatu *includendi* (uti Genes. 8. ℣f. 2. & Esa. 19. ℣f. 10.) accipiunt, hoc sensu: *Sanctus benedictus Deus includit stellam Orientem, quæ servit seu lucet in diebus solis inde à mense Thisri & ulterius; & inde concludit omnes transeuntes mare, ut in eo navigare hautquaquam possint usque ad paschatis tempus.* Alii interpretes non de Deo hæc verba accipiunt, verùm & hi in diversum abeunt. Quidam ad principem populi referunt, hoc sensu: רַב *qui princeps magnus est in populo, is format omnia, & dominatur, & dat mercedem stulto, adigitque illum ad opus suum, & sic etiam mercedem debitam dat transgressoribus seu rebellibus*, quæ verba Aben Ezra sunt. R. Levi Ben Gersom ita: רב *princeps rixis & dissensionibus deditus, occidit omnes, & perdit eos* (bonos videlicet) *verum idem benefacit stulto, & transgressoribus seu impiis, ut consocientur sibi &c.* (מחולל *confodiendi* significatu accipit.) Munsterus hanc expositionem ita enunciat: *Fit sæpè, ut quis omnibus sit infestus, stultis autem se adjungat, & illis præbeat munera.* Vatablus & hæc addit: *Magnus* (videl. in populo, sive princeps) *conterit omnia, & obstruit os stulto & transgressoribus.* Item: *Egregius aliquis ac magnus vir conficit per se omnia: stultus autem mercede conducit transgressores.* Junius & Tremell cum præcedenti versu, hac ratione, hunc connectunt: *Ut plurimùm* (רב adverbialiter sumto) *dolore afficit omnes* (ebrius) *ita mercedem dans* (sibi) *stolidus, etiam mercedem dat transeuntibus*, hoc est, plagas, quæ præmia sunt stultitiæ suæ, non tantùm sibi ipsi infligit, sed etiam eadem præmia cum aliis communicare cupit, quamvis immerentibus, ac nihil tale cogitantibus. In posteriori editione Junius aliter: *Plurimum dolore afficit omnes, & mercedem dans stolido, & mercedem dans transeuntibus;* hoc est, plagas infert, & damnosus est publico, in Rempub. injurius, qui præmia confert hominibus de publico malè meritis, aut nihil: nam malè merentur stolidi; viatores nihil merentur de Republica. Superest B. Lutheri translatio, gnomam exhibens œconomicam, ut si quid probè elaboratum comparare nobis velimus, peritos adeamus artifices; cùm reliqui, qui artem vel opificium suum non rectè didicerunt, nihil solidi fabricentur, sed obiter, superficiariâ opera, & quasi in transitu agant, quod agendum iis concreditur &c. Satis & de hac Salomonis sententia, quà & aliis quibusdam obscurioribus, Spiritus sanctus *fastidium lectoris* Scripturarum industrii *detergere* voluit, *sicut locis apertioribus fami occurrit, atque ita magnificè salubriterque scripturas modificavit*, ut August. lib. 2. de doctrin. Christiana cap. 6. loquitur. *Manifestis pascimur, obscuris exercemur*, ut idem inquit tract. 45. in Joh. in Nov. Test. Erasmus *ænigma* vocat illam Christi sententiam παραβολὴν, * Matth. 12. ℣f. 43.

℣ſ. 43, 44, 45. Luc. 11. ℣ſ. 24, 25, 26. *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arentia, quærens requiem* &c. Quam in paraphraſi ſuâ congruè explicat: *Ænigmate hoc ſignificavit, gravius damnandos eos, qui aliquò uſque progreſſi ad juſtitiam, relaberentur ad priſtina flagitia, quàm qui nunquam cognitâ luce veritatis Evangelicæ perſeveraſſent in caligine vitiorum ſuorum. Populus enim Judaicus per legem ſegregatus eſt ab idololatris gentibus, ſed ſubinde relapſus ad priora crimina, tandem huc devenit impietatis, ut quicquid majores peccaſſent, occidendis Prophetis, conſpirando adverſus Moſen, id ſeptuplo ſceleratius renovarent in filium Dei, & hujus diſcipulos. Quanquam hæc parabola & ad unumquemvis hominem pertinet, qui ſemel baptiſmo ablutus à peccatis priſtinis, ſemel Evangelico ſermone liberatus à ſpiritu malo hujus mundi, negligenter habet donum Dei, nec curat ſemper ad perfectiora progredi. Huic ad priſtinam vitam revoluto, ad nihil aliud proderit baptiſmus ac cognitio ſacræ doctrinæ, niſi ut graviorem damnationem ſibi accerſat in die judicii, videl. ad priſtinos errores ingratitudinem etiam ac malitiam adjungens.* Ibidem de *domo ſcopis mundata atque ornata, in quam malus ſpiritus ſeptem cum aliis nequioribus commigrat,* bellâ ad regnum Papale facta alluſione, ſic loquitur: *Ornamenta ceremoniarum præbent quidem ſpeciem pietatis, ſed quoniam, ſi nihil accedat, inania quadam rerum ſimulacra ſunt, non arcent impiorum ſpirituum aſſultum, ſed occaſio ſunt majoris impietatis.*

*b* Coronidis loco Franciſci Junii ſententiam de *ænigmate* placet ſubjungere, lib. 1. parall. 8. declaratam. *Ænigma*, inquit, *nihil aliud eſt ut Auguſtinus loquitur lib. 15. de Trin. cap. 9. in Pſal. 48.) quàm obſcura parabola ſeu allegoria, quæ difficiliùs intelligitur. Ex quo fit, ut non omnis parabola aut allegoria pro ænigmate habeatur; ſed omne ænigma ſit allegoria. Cum primis igitur prophetias de Chriſto & regno ipſius in Vet. Teſt. fuiſſe ænigmaticas, quales ſunt Gen. 49. verſ. 10. Eſa. 11:1. Duo autem*, ait, *eſſe genera ænigmatum: unum majus, quod totam ſententiam complectitur, eamque obſcurat vocibus compluribus, alterum minus, ſive anguſtius, quod ſententiam quidem integram obſcurat, ſed obſcurâ vocis unius tantùm aut alterius tranſlatione.* Illud ſimpliciter *ænigma* vocat, hoc vero ὑπαίνιγμα ſive ὑπαίνιξιν. Citat de poſteriori genere Hermogenem, ita de eo loquentem: *Alterum præter hoc ſive acumen ſive acrimoniam dixeris; genus eſt acuminis, de quo eſt difficile ſtatuere, utrum in dictione verſetur, an verò in ſenſu. Nam conſideratur quidem in diſtinctione acumen illud vel acrimonia, ſed illa ipſa dictio, quæ acumen habet, nihil per ſeipſam habet acuminis, ſi quis illam ab ea ſententia, ubi eſt, ſubduxerit, aut ab iis rebus, quæ antè dicta fuerint* &c. Ad ſacram igitur ὑπαίνιξιν refert, quòd Eſa. 21. verſ. 11. *Edomæa* clamoſa, & verbo populoque Dei illudens, appellatur *Duma*, quaſi ſilentem dicas (per parecheſin ſeu paronomaſiam) quo pronuncietur tacitè, pro eo, quod clamoſa fuerint inſolentiſſimè, irruente judicio Dei ſilentem fore. Quod Jerem. 25. ℣ſ. 26. cap. 51. ℣ſ. 41. *Babel* vocatur *Seſac*, ad exponendam præcipitem ipſius caſum, quo tempore celebrandis diebus feſtis incumbebat. *Seſac* enim vocabulum eſſe ortu Babylonicum, quo diem illum Babyloniorum feſtum præſignificaverit Propheta, qui Babyloniis omnibus repentè funeſtus à Deo effectus eſt, prout deſcribit Daniel cap. 5. (Vide Gramm. ſacr. pag. 830.) item in re ſeria & gravi (antecedentia enim ironica ſunt) quod Jacob Geneſ. 48. verſ. 22. nomine appellativo שְׁכֶם *partem ſeu portionem* ſignificante, ipſum *agrum Sichem* ὑπαινίττει, quam Joſepho aſſignat. Quòd Eſa. 21. ℣ſ. 1. Babylonia *deſertum maris* dicitur (quo præſignificetur, deſolandam ipſam omnimodò fore;) Judæa verò *vallis viſionis*, cap. 22:1. (quia, etſi montoſa maximè fuerit, inſtar vallis deprimenda judicio divino fuerit &c. Id enim Junium hîc, & in præcedenti, innuere exiſtimo.) Quòd Mich. 7 verſ. 12. Ægyptus vocetur מָצוֹר *munitio*, alluſione ad nomen ejus מִצְרַיִם facta &c. Et præſertim huc refert ea loca, quibus Chriſtus dicitur נֵצֶר *ſurculus*, Eſaiæ. 11. verſ. 1. cap. 60. verſ. 21. (ac voce ſynonymâ צֶמַח *germen*, Zachar. 6. v. 12. &c.) quâ voce per ὑπαίνιξιν locum educationis Chriſti, *Nezareth*, prænotatum fuiſſe ait, atque huc reſpexiſſe Matthæum, qui c. 2:23. de loco illo, in quo habitavit Chriſtus, loquens, *in Prophetis ſcriptum extare* aſſerit: *Nazarenus vocabitur.* Hæc ille. Si placet, referantur ad hoc genus ὑπαινίξεως & iſta, *c* Pſal. 7. ℣ſ. 1. *Propter verba* כּוּשׁ *Chus filii Jemini. Æthiopem* hæc vox propriè accepta notat (à filio Chami Chus, Gen. 10. verſ. 6.) Per hunc autem *Saulum Regem* intelligi, quidam cum Chaldæo interprete & Hieronymo non ineptè ſtatuunt: cùm is *Benjaminita* fuerit, & malè de Davide fuerit locutus, quaſi inſidias vitæ Regis strueret. 1 Sam. 22. ℣ſ. 7, 8. quod crimen objectum in hoc pſalmo diluit Propheta Regius, & talia profert, quæ Sauli potiùs, quàm cuivis alii competunt, ut quòd *leoni laceranti* ipſum comparat, ℣ſ. 3. & *anguſtantem ſe immeritò, eruiſſe ex comitum manu* ait, ℣ſ. 5. (1 Sam. 24. verſ. 5, 6, 7.) & *de malo in autorem ſuum redituro*, verſ 16, 17. vaticinatur, quod impletum fuit, cùm Saul morte

*a* Matth. 12:43. &c. Cùm immundus ſpiritus exierit. &c.

*b* Diſtinctio Junii.

*c* Pſal. 7:1. Propter verba Chuſi &c.

violentâ, quam Davidi intentabat, ipse periit. 1 Sam. 31. כּוּשׁ igitur vocatur Saul, καθ' ὑπαίνιξιν, vel quia filius קִישׁ fuit, quæ vox per paronomasiam in כּוּשׁ conversa, vel quod malum & inimicum animum (juxta illud: *absentem qui rodit amicum, hic niger est*) hautquaquam mutârit, sicut colorem non mutat Æthiops; Jerem. 13. vers. 23. &c. Esaiæ 30: 6. *terra* צָרָה *angustiæ* dicitur, quâ Ægyptus denotatur, (מִצְרַיִם dicta &c. quod nomen ℣s.7. sequitur) ita dicta, quòd non auxilium speratum, sed angustias tantùm & oppressionem, Dei judicio, Judæis allatura erat: Jerem. 4. ℣s.16. per נֹצְרִים *observatores*, è terra longinqua venientes, tacita ὑπαινίζει, exercitus *Nebucadnezaris* (cujus nominis posterior pars ab eadem radice נצר est) indicatur, ut ex R. Kimchi Munsterus annotavit, Jerem. 13. ℣s. 19. *deportabitur* שְׁלוֹמִים *pacatorum* scilicet civitas. Ubi ad nomen *Jerusalem* (à שָׁלוֹם, *pax*, derivatum) tacitè alluditur, quæ sic dicitur, quia pace & prosperitate perpetuâ in ea se usuros Judæi præsidebant. [a] Ezech. 7. 10. *Eccè diem illum ecce adveniens, prodiit matutinum illud, effloruit* הַמַּטֶּה *virga ista, germinavit superbiam.* ℣s.11. *Ipsa violentia assurrexit* לְמַטֵּה *ad virgam* (sive tribum) *improbitatis* &c. De hoc loco ita Junius in comment. h. l. *Tota gens Israelitarum cum arbore comparatur; Judæi cum surculo aut ramo ad arborem illam pertinente. Tempus judiciorum Dei, quæ hoc loco Propheta prænunciavit, comparatur cum die primùm oriente sive cum diluculo, quo tempore res per noctem alioqui obscura internosci possunt: Illa autem judicia, quæ matutino uno per voluntatem Dei erupturа sunt, comparantur cum flore, germine, fructu, quæ ille ipse surculus, gentem Judæorum figurans, produxit in pernicien suam. Hoc autem eò fit elegantiùs, quòd Prophetica quadam* ὑπαινίζει (in annot. τὸ δεινόν, ex Hermogene, vocat) *Propheta utitur, cùm vocem ambiguam adhibet ad populum Judæorum significandum. Nam secundùm allegoriam gens Judæorum appellatur* מַטֶּה *i.e. tribus, metonymicè: secundùm proprium verò sensum, surculus aut virgula in arbore nascens, appellatur* מַטֶּה, *eodem nomine. Tota igitur* ὑπαινίξεως *gratia consistit in hujus vocis homonymæ intelligentia. Nam ut surculus in arbore floret, germinat, fructum edit? Sic tribus Juda floruisse, germinasse, & fructum suum attulisse dicitur, &c.* Phil. 3: 2. βλέπετε τὴν κατατομὴν *cavete concisionem:* Per ὑπαίνιξιν ita vocat circumcisos Judæos, qui circumcisionis (aliarumque legum Mosaicarum, necessitatem, ad salutem acquirendam, promerendamque, urgebant: in rei veritate autem κατατομὴ *concisio* erant, hoc est, (per metonymiam) κατατέμνοντες *conscindentes* Ecclesiam, hâcque ratione tùm alios, tùm se ipsos, a Christo *abscindentes*. Confer Galat. 5. ℣s. 2, 3, 12. Ad circumcisionem autem Judaicam voce κατατομῆς alludi, patet ex ℣s. 3. ubi circumcisionem spiritualem & veram, illi carnali & externæ opponit, &c.

[a] Ezech. 7. v. 10. מַטֶּה

Tantum de doctrina TROPORUM.

Auri[a] sacra[b] fames[c] *mortalia* pectora[d] *perdit.*
Αὐτάρκης *vita sit* τρόπος *usque tua.*

*a* Metonymia, *aurum* pro aureis nummis
*b* Ironia seu antiphrasis, *sacrum* pro execrando.
*c* Metaphora, *fames* pro desiderio.
*d* Synecdoche, *pectus* pro homine.

Hebr. 13. ℣s. 5.
Ἀφιλάργυρος ὁ τρόπος: ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσι.

RHE-

# RHETORICES SACRÆ
## TRACTATUS II.
## DE
# SCHEMATIBUS
## SEU
# FIGURIS.

## CAPUT I.
## DE
## FIGURIS DICTIONIS.

Σχήματος vox inter alia præcipuè significat *habitum*, *vestitum & ornatum corporis*; per metaphoram autem *ad habitum ornatumque orationis* significandum traducta est, uti & ab Aristot. lib. 3. Rhet. cap. 8. Cicer. in Bruto & in orat. perfect. usurpatur. Latinos nomen σχήματος reddidisse *figuræ* nomine, & ad orationis ornatum retulisse, quidam volunt, quòd olim histriones in scena variis vestimenti generibus, quæ *figura* propriè dicuntur, varia orationis genera exhibuerunt. Quicquid sit, retineamus consueta vocabula, & iis ad cognoscenda atque distinguenda orationis sacrosanctæ, quæ spiritus altissimi in verbo suo scripto adhibet, lumina, atque ornamenta Rhetorica, utamur. a Sunt igitur *schemata seu figuræ* (quæ sensum verborum per se non immutant, ut tropi, sed sermoni tantùm habitudinem quandam notabilem ac ornatum conferunt) duplicis generis, ut à plerisque statuuntur: τῆς λέξεως καὶ διανοίας, *dictionis & sententiæ*. *Illa* ad materiam ac veluti corpus orationis pertinent: *hæ* verò ad formam & quasi animam, hoc est, ad sententiam. *Figuræ dictionis* sunt, cùm sermo figuratur dictionibus, quæ vel ipsæmet certo ordine repetuntur, vel sono sibi propè & concinnè respondent, utrumque emphaseos, simul & ornatus gratiâ. *Figuræ sententiæ* sunt, quæ non in verbis, sed rebus ipsis consistunt; ex earumque habitu, sancto sermoni pondus & δείνωσιν conferunt. Differre igitur *schemata verborum & sententiæ* optimè Vossius dicit, quòd *illa* pereant, variato verborum ordine, aut voce aliquâ, ejusdem significationis substitutâ: at *hæc* non exstinguantur verborum immutatione. Cicero 3. de orat. *Sed inter conformationem verborum & sententiarum hoc interest, quòd verborum tollitur, si verba mutâris; sententiarum permanet, quibuscunque verbis uti velis.* Hæc Vossibus lib. 5. instit. orat. cap. 1. ubi etiam annotat, cùm *schema* propriè duo significet, nimirum *vestem exteriorem, & gestus corporis*, ac inprimis saltatorum, respondentes Musicorum instrumentorum modulis; *verborum* quidem schemata similia esse habitui ac vestimentis, queis sine oratio sit velut nuda: schemata autem *sententiarum* respondere gestibus artificiosis, queis sine oratio similis sit homini, qui naturali solùm motu incedat, moveaturque. *Figuras dictionis*, ut vulgò eas numerant, brevi stylo enarrabimus.

a Divisio in figuras dictionis & sententiæ.

EPIZEUXIS, *subjunctio* Latinè, est, quâ ejusdem continuè, in eâdem sententiâ, fit repe-

repetitio. *Ejusdem*, inquam, vel *vocis unius*. Exod. 43:6. *Jehova, Jehova, Deus misericors & clemens &c.* Deuter. 28. v. 43 *Peregrinus, qui est in medio tui, ascendet super te* מַעְלָה מָעְלָה *supernè supernè, & tu descendes,* מַטָּה מָּטָּה *infernè, infernè.* Notatur, servos Israelitarum peccantium, perquàm supernè supra eos elatum: Israelitas autem perquàm infime infra servos depressum iri. 2 Reg. 4. vers. 19. *Et dixit* (Sunamitidis filius, in agro ægrotare incipiens) *ad patrem suum,* ראשי ראשי *caput meum, caput meum!* q. d. gravissimè caput mihi dolet. Ps. 22:1. אלי אלי *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti!* Ingentis doloris, & dolorem sequentis exclamationis signum hæc repetitio est, unde Marc. 15:34. *magno clamore ingeminâsse hanc vocem* Salvator dicitur.
3. Ps. 137:7. *Recordare Domine filiorum Edem, diei Jerusalem, dicentium,* ערו ערו *discooperite, discooperite, usque ad fundamentum, in ea.* Hostium crudelitatem nimiam, & tristissimam Israelitarum in Babylonica captivitate conditionem, hæc repetitio denotat. Esaiæ 6:3. *Sanctus, sanctus, sanctus, Jehova Zebaoth.* Trinitatis personarum in una essentia divinâ mysterium, hæc trina repetitio innuit. Videantur etiam Jerem. 22:29. Ezech. 21. v. 27. Matth. 23:37. Luc. 22:31. cap. 23:21. Joh. 5:24. Actor. 9:4. Apoc. 18:2. Et omninò, quid hæc epizeuxis seu iteratio vocum sibi velit, in Grammat. sacra pag. 16:54, 432. &c. expositum vide: actum hic agere opus non est. Vel *duarum pluriumve vocum conjunctarum*, Levit. 24:8. *In die Sabbati, in die Sabbati ordinabit illos.* De panibus facierum, earumque continuâ ordinatione, diebus Sabbati singulis (ea enim repetitionis hujus vocum vis est) loquitur. 2 Samuel. 18:33. *Et conturbatus est Rex, & ascendit super cœnaculum portæ, & flevit, & sic dicebat eundo: Fili mi, Absolom, fili mi, Absolom, utinam ego mortuus essem pro te, Absolom fili mi, fili mi.* Evidens signum vehementissimi affectus Davidis erga rebellem filium, & acerbissimi doloris, quem ex mortis filii nuncio perceperat. Esaiæ 28:10. illustre etiam hujus epizeuxeos exemplum est &c. Huc referunt, cùm inter vocem continuè repetendam
4. interponitur vel parenthesis, vel quædam dictio alia. Hos. 2:21. *Exaudiam dicit Jehova, exaudiam cœlos.* Ezech. 34:17. *Ecce ego judico* בין שה לשה *inter pecus & pecus &c.*

ANADIPLOSIS, *reduplicatio* Latinè, est, quâ eadem vox repetitur in fine præcedentis, & principio sequentis sententiæ, vel partis etiam ejusdem. Ps. 121:1. *Levo oculos meos ad montes, unde venit* עזרי *auxilium meum.* v. 2. עזרי *auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Ps. 122:2. *Stabunt pedes nostri in portis tuis, Jerusalem.* v. 3. *Jerusalem, quæ ædificata est* &c. Psal. 98:4. *Jubilate Domino omnis terra, vociferate, & dicite præconia,* זמרו *& canite.* v. 5. זמרו *canite Domino* בכנור *in citharâ;* בכנור *in cithara & voce cantus.* Rom. 8:17. *Quòd si filii sumus, ergò & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Sic Ps. 115:12. Rom. 9:30. c. 20:17. Phil. 2:8. Jacob. 1:3. Duarum vocum per anadiplosin fit repetitio Ps. 113:8. *Ut faciat sedere* (tenuem & egenum) עם נדיבים *cum magnificis:* עם נדיבי *cum magnificis populi sui.* Cujus generis forsan plura observari possunt. Facit autem hæc dictionis figura, ut expositis exemplis constat, ad rei explicationem & evidentiam.

CLIMAX, *scala, gradus, gradatio* Latinè, est anadiplosis pluribus gradibus ita continuata, ut antecedentis sententiæ ultimum sive verbum sive membrum, in principio sequentis sæpiùs repetatur. Hos. 2:21. *Tùm exaudiam cœlos, & ipsi* (cœli) *exaudient terram,* vers. 22. *& terra exaudiet frumentum & mustum, & oleum: & ista* (frumentum & mustum & oleum) *exaudient Iizreel.* Hæc gradatio non absonè *Physices Theologicæ epitome* vocari posset, cùm omnes conservationis tàm totius naturæ, quàm in specie ipsius hominis, causas pulcerrimâ prosopopœia enumeret. De quo suprà cap 9. pluribus actum, Johan. 1:1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* v. 2. *Hoc* (verbum) *in principio erat apud Deum.* Pulcerrimè Jesu Christi & vera divinitas, & distincta à Patre hypostasis, hac gradatione exprimitur: quæ ut sibi constaret, in tertia propositione fit terminorum inversio: *Deus erat verbum*, pro *verbum erat Deus.* De Officio & beneficiis ejusdem similis climax subjungitur, vers. 4. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum,* v. 5. *& lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Vide etiam Joël. 1:3, 4. Sapient. 6. v. 18, 19, 20. Rom. 5. v. 3, 4, 5. cap. 8. v. 29, 30. cap. 10. vs. 14, 15. 1 Cor. 11:33. Jacob. 1:24 25. 2 Petr. 1. vers. 5, 6, 7.

ANAPHORA, *relatio* Latine, est, qua dictio eadem (vel plures etiam) iteratur in principiis clausularum. Deut. 28:3. *Benedictus eris in civitate, & benedictus in agro.* v. 4. *Benedictus erit fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, & fructus animalis tui* &c. vers. 5. *Benedictus erit canistrum tuum, & massarium tuum.* vers. 6. *Benedictus eris in intrando, & benedictus in egrediendo.* De maledictione in improbos & rebelles Deo vibratâ, similis anaphora.

phora verf. 16, 17, 18, 19. occurrit. Et omninò crebra est in Scripturis sanctis hæc figura. Ex multis pauca hæc vide: Psalm. 3. v. 2, 3. Psal. 29: 3. seqq. Psalm. 67: 6, 7, 8. Psalm. 115: 12, 13. Psal. 118: 8, 9, 15, 16. Psal. 148: 1. seqq. Psalm. 150: 1. seqq. Esa. 2: 7, 8. Jerem. 4: 23, 24, 25, 26. cap. 5: 17. cap. 50: 35, 36, 37. cap. 51: 20, 21, 22, 23. Mich. 5: 9, 10, 11, 12. c. 7: 11, 12. Zeph. 1: 2, 3. 1 Cor. 13: 4, 7, 11. cap. 12: 8, 9, 10. 2 Cor. 11: 26. Et in repetitione pronominum ac particularum, Psalm. 94: 5. Rom. 8: 35, 38, 39. 2 Cor. 7: 11. Phil. 4: 8. &c. Pertinet igitur huc *polisyntheton*, quo conjunctio copulativa sæpiùs in principiis commatum iteratur. Vide Grammat. sacram pag. 588.

EPISTROPHE, *conversio* Latinè, est, quâ eadem vox, vel phrasis etiam, in fine sententiarum, vel clausularum partiumque ejus repetitur. Repetitionis vocum singularum (inter quas & affixa Hebræa sunt) exempla occurrunt, Deuter. 32: 10. ubi הוּ *ipsum*, aliquoties repetitur, Ezech. 36: 23, 24, 25, 26, 27. ubi כֶם *vos*, *vester*, sæpiùs iteratur. Rom. 8: 31. εἰ ὁ θεὸς ὑπὲρ ἡμῶν, τίς καθ' ἡμῶν; *Si DEUS pro nobis, quis contra nos?* 2 Cor. 11: 22. *Hebræi sunt?* κἀγὼ, *& ego. Israëlitæ sunt? & ego. Semen Abrahæ sunt? & ego.* ℣ſ. 13. *ministri Christi sunt* (*ut minùs sapiens dico*) *excellentiùs ego.* Repetitionis integræ phraseos vel sententiolæ, exempla obvia sunt, Psalm. 115. ℣ſ. 9, 10, 11. ubi aliquoties repetitur: *auxilium eorum & clypeus eorum ipse* (Deus) *est.* Psalm. 136. ℣ſ. 1. seqq. ubi sæpiùs repetitur: *Quoniam in seculum misericordia ejus.* Vide & Deuteron. 27. ℣ſ. 15. seqq. Psalm. 24. ℣ſ. 10. Huc pertinet κυκλοειδὲς, de quo in Grammat. sacra p. 30.

SYMPLOCE, *complicatio* Latinè, est quâ eadem vox vel phrasis, in initio simul & in fine clausularum repetitur, adeoque est anaphoræ cum epistrophe connexio. Exempla sunt, Psalm. 118. ℣ſ. 2, 3, 4. ubi in principiis versuum repetitur, *dicat, & dicant;* in fine verò: *quoniam in seculum misericordia ejus.* Sic & Psalm. 136: 1, 2, 3. ubi in initiis repetitur, הוֹדוּ *confitemini;* in fine, eadem, quæ ... m posita est, laudis divinæ sententiola. Vide insuper Jerem. 9. ℣ſ. 23. ubi in initiis repetitur, אַל יִתְהַלֵּל *ne jactet se:* in fine verò particula affixa וֹ, *suâ.* 1 Cor. 12: 4, 5, 6. c. 14: 15. 2 Cor. 9: 6. &c.

EPANALEPSIS, *resumtio* Latinè, est, quâ eadem vox in principio & fine sententiæ repetitur, Psalm. 53: 3. אֱלֹהִים *DEUS è cœlis prospexit, super filios hominum, ut videret, an sit intelligens, requirens* אֱלֹהִים *DEUM.* Eccl. 1: 2. הֲבֵל *vanitas vanitatum, omnia* הֲבֵל *vanitas* Eccl. 7: 2. טוֹב שֵׁם מִשֶּׁמֶן טוֹב *bonum est nomen præ oleo bono.* Rom. 8: 24. *Spes autem, quæ cernitur, non est spes.* Phil. 4: 4. *Gaudete in Domino semper, & iterum dico, gaudete.* Sic Christus Marc. 13: 35, 37. parænesin suam exorditur & finit eodem verbo, γρηγορεῖτε, *vigilate.* Huc referendum, cùm integra sententia, in principio & fine totius sermonis repetitur. Ut quòd Psal. 8: 2. incipit, & ℣ſ. 19. finit his verbis: *Domine Domine noster, quàm illustre est nomen tuum in universa terra.* Psal. 103: 1. incipit, & ℣ſ. 22. finit, hac apostrophe: *Benedic anima mea Domino.*

EPANODOS, *regressio* Latinè, est, quâ eadem dictio in principio & medio, vel in medio & fine repetitur. Clariùs potest dici, quòd sit, cùm eædem voces ita repetuntur, ut earum fiat inversio. Vossius lib. 5. inst. orat. c. 3. *Epanodos est, cùm per eadem recurrimus, verba ordine inverso relegentes; ut illo Hieronymi Vidæ: Nec sine Sole suo lux, nec sine luce sua Sol. Quem versum Julius Scaliger in hypercritico suo ingeniosissimum vocat. Item illo ipsius Cæs. Scaligeri versu, sine arte nato, sed quovis artificiosissimo operosiori. Nox brevis nimis, ab nimis brevis nox.* Hæc ille. In sacris scripturis exempla sunt, Esa. 5: 20. *Væ dicentibus malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum dulce, & dulce amarum.* Ezech. 7: 6. *Finis venit, venit finis, evigilavit adversum te, ecce venit.* ℣ſ. 7. *venit matutinum illud &c.* Gal. 2: 16. *Quoniam scimus, non justificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem JESU CHRISTI, & nos in Christum Jesum credimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis.* Ubi in conjunctis vocibus hæc figura est.

POLYPTOTON, *casuum varietas* Latinè, est, quo voces ejusdem thematis seu originis, aliâ atque aliâ terminatione repetuntur. Per *casus enim* hîc non intelliguntur tantùm casus nominum, sed quæcunque deflexiones, quarum in Grammatica usus hinc inde est. Psalm 68. *Mons DEI, mons Basan, mons gibborum, mons Basan,* ℣ſ. 17. *ut quid saltatis montes gibbosi, montem hunc desideravit DEUS* &c. Sic Esa. 24: 16. Hos. 10: 1. Mich. 2: 4. Rom. 2: 21, 22, 23. c. 4: 18. 2 Cor. 9: 8. c. 10: 12. Gal. 2: 19, 20. Ephes. 1: 3. &c. Elegans etiam in προσφωνήσει illa Pici Mirandulæ ad DEUM, est polyptoton:

*Namque tua est nostris major clementia culpis,*
*Et dare non dignis res magè digna DEI.*
*Quanquam sat digni, si quos dignatur amare,*
*Qui quos non dignos invenit, ipse facit.*

Sed revertamur ab hoc Mirandulæ ad Scripturæ DEI admirandæ exempla. Pertinent ad polyptoton, cùm substantivum seipsum in genitivo casu regit, ad superlativum indicandum, ut est in Grammat. sacr. p. 56. Et cùm verba regunt nomen conjugatum, emphaseos vel notandi effectus, & objecti actionis, causa, ibidem p. 335. Et cùm verbum finitum cum suo infinitivo construitur, ad majorem certitudinem & evidentiam exprimendam, ibidem pag. 349. Et cùm conjugatæ, simul & synonymæ voces, emphaticè conjunguntur. Thren. 2:5. *Multiplicavit Dominus in filia Juda* תַּאֲנִיָּה וַאֲנִיָּה *mærorem & mæstitiam*: Emphaticè luctus multitudo & magnitudo innuitur, q. d. Luctus ubique, pavor, & plurima mortis imago est. Nah. 2. ℣s. 11. בּוּקָה וּמְבוּקָה *vacuitas & evacuatio*, hoc est, vacuitas maxima. Zeph. 1:15. *Dies* שֹׁאָה וּמְשׁוֹאָה *tumultus & tumultuationis; seu vastitatis & vastationis*, hoc est, vastitatis omnium maximæ. LXX. θορύβου καὶ θορυβήματος. Denotatur dies omnium calamitosissima & malorum plenissima. Ex his exemplis patet, cùm *paronomasia* hanc figuram habere cognationem evidentem; ad quam nunc sine mora ulteriori progrediemur, deque ea, ut & figura ipsi ὁμογενεῖ, *Antanaclasi* videlicet, cujus utriusque insignis usus, & jucunda utilisque consideratio in Scripturis est, distinctis capitibus duobus porrò tractabimus.

---

# CAPUT. II.

## DE

# PARONOMASIA.

ΠΑρονομασία, *agnominatio* Latinè, est, quâ dictio commutatione vel literæ, vel syllabæ, simul significationem mutat. Vel clariùs, cum dictiones diversæ vel literis vel syllabis, jucundâ quadam allusione inter se conveniunt. Quintilianus προσονομασίαν, Hermogenes παρήχησιν vocat, q. d. *adsonationem, vel soni adæquationem*. Hebræi vocant לשון נופל על הלשון *vocabulum cadens super vocabulum alterum*, nimirum ratione soni uniformis, ut ex R. Kimchi patet, in comment. Esa. 57:9. c. 65:12. In genere etiam appellant צחות הלשון *linguæ politiem* &c. Ex multis annotabo pauca exempla. Gen. 18:27. Abraham de se dicit, quòd sit עָפָר וָאֵפֶר *pulvis & cinis*. Exod. 25:27. *annuli* לְבָתִּים לְבַדִּים *ad domos seu receptacula vectium*. Ex. 32. ℣s. 18. non *est vox* עֲנוֹת *clamandi fortitudinem*, *neque vox* עֲנוֹת *clamandi debilitatem* (hoc est, illorum, qui vel ob victoriam jubilant, vel ob fugam cædemque ejulant) *vocem* עַנּוֹת *cantandi ego audio*. 1 Sam. 13:7. וְעִבְרִים עָבְרוּ *& Ebræi trajiciebant Jordanem* &c. Ob paronomasian cum verbo, vocat eos *Ebræos*, quos v. 6. *Israëlitas* dixerat (uti etiam vocantur v. 3. c. 14:11, 12.) Subintelligitur autem vox, alii: *Ebræi alii*, scil. à prioribus, trajiciebant Jordanem. Ps. 69:31. *Laudabo nomen DEI* בְּשִׁיר *cantico* & vers. 23. *Et melius placebit Domino* מִשּׁוֹר *quam bos* &c. Es. 5:7. *Expectavit DEUS* מִשְׁפָּט *judicium, & ecce* מִשְׂפָּח *pertinacia*; צְדָקָה *justitiam, & ecce* צְעָקָה *clamor* (malus ille, Eph. 4:31.) scil. adest, seu profertur, videl. loco bonorum fructuum exspectatorum. Esa. 13. vers. 6. & Joël. 1. vers. 15. כְּשֹׁד מִשַּׁדַּי *ut vastatio ab omnipotente veniet*. Jer. 1. vers. 11. dicit Jehova; *quid vides, Jeremia? cui dixi, baculum* שָׁקֵד *amygdali video. vers. 12. Et dixit Jehova ad me: benè vidisti: nam* שֹׁקֵד *festinabo ego in verbum meum, ut efficiam ipsum*. Junius & Tremellius eleganter significationem verbi ex conjugato nomine desumentes, vertunt: *Ut citò amygdalus floret, incubiturus sum in verbum meum*: q. d. amygdalaturus sum. De *amygdalo* ex Plin. lib. 16. c. 25. constat, *quod hyeme concipiat exoriente Aquilone, floreat primo omnium mense Januario, Martio verò pomum maturet*: Unde illam à *maturandi celeritate* Hebræi nominârunt. Jerem. 48. vers. 43. פַּחַד וָפַחַת וָפָח *pavor, & fossa, ac laqueus super te venit, ô incola Moabi* &c. Eadem sententia Esa. 24:17. occurrit. Ezech. 15:16. *Ecce*

*ego extendens manum meam contra Pelistæos,* והכרתי את כרתים *& exscindam Cerethæos.* Ita Philistæos vocat, ut ad verbum *exscindendi* alludat. Vocantur autem eo etiam nomine 1 Sam. 30: 14. (Confer v. 16.) & Zeph. 2: 5. &c. Dan. 13: 54, 55, 57, 58. (in historia Susannæ apocryphâ) ad nomina arborum quarundam, fit allusio in verbis: *σχῖνος lentiscus, σχίσει dissecabit: πρῖνος, ilex, πρίσαι discindere* Lutherus in German. vers. utcunque etiam paronomasian expressit: Linde/ finden; Eichen/ zeichen.) Quod pro argumento Hieronymus adducit, in procem. ad Dan. *historiam illam Susannæ non Hebræâ., cui talis allusio non convenit, sed Græcâ linguâ scriptam, atque sic nequaquam canonicam esse.* Rom. 1: 29. *repleti omni injustitiâ, πορνείᾳ, πονηρίᾳ, scortatione, versutiâ &c. pleni φθόνε, φόνε, cæde, contentione* &c. ℣s. 31. ἀσυνέτους, ἀσυνθέτους, *expertes intelligentiæ, pactorum haut quaquam tenaces* &c. Rom. 2: 1. *in quo κρίνεις judicas alterum, teipsum κατακρίνεις condemnas.* Alia exempla videri possunt Genes. 9: 6. Psalm. 40: 4. Esai. 7: 9. cap. 24: 3, 4. cap. 25: 6. cap. 37: 7. cap. 57: 6. cap. 91: 3. Jerem. 51: 20. Hos. 4. ℣s. 18. cap. 8: 7. Am. 8: 2. Nah. 2: 11. Zach. 1: 3, 5. Luc. 12: 11. Act. 8: 30. Rom. 5: 19. cap. 12: 3. 2 Cor. 4: 8. 2 Thess. 3: 11. 1 Tim. 9. &c. Hæc in genere de paronomasia.

*a In specie* digna consideratione est, quæ occurrit *in nominibus propriis*, iisque additis vocibus conjugatis. Et hoc non tantùm *in impositionis ratione*, ut Gen. 4: 25. *Vocavit nomen ejus* שֵׁת *Seth, quia* שָׁת *posuit mihi DEUS semen aliud.* Vide & cap. 5: 29. cap. 11: 9. &c. Sed & in *Prophetica prædictione*, tàm in bono, quàm in malo. *b* Genes. 9: 27. יַפְתְּ אֱלֹהִים לְיֶ *dilatet DEUS Japheto*, scilicet locum, hoc est, amplissimam ipsi ejusque posteris regionem habitandam largiatur. Hanc quippe *dilatandi* significationem h. l. præferendam esse alteri, *alliciendi persuadendique*, quæ aliquibus Interpretibus placet, pulcrè ex phrasi & reipsa comprobatur à Fullero, lib. miscel. sacr. cap. 4. ubi *præter Europam, maximam Asiæ partem, totum denique novum orbem, veluti immensæ magnitudinis auctarium, Japheto posterisque ejus in perpetuam possessionem obtigisse*, declarat. De conversione autem Japhitarum ad regnum Christi, interpretes intelligunt verba sequentia: *Et habitet* (Japhet) *in tabernaculis Semi* (quibus *vel* unionem gentilium & Judæorum, ex Semo progenitorum, in Christi regno futuram, Eph. 2. ℣s. 13, 14, 15, 26. *vel* gentilium in locum populi Judaici, ob incredulitatem abjecti, cooptationem gratuitam assumtionemque, intelligi, ajunt.) Quæ tamen verba Chaldæus interpres non ad Japhetum, sed ad אֱלֹהִים Deum, cujus mentio præcedit, refert, ita παραφράζων יַפְתְּ *dilatabit* (יַרְחִיב ut R. Salomo explicat) *Jehova Japheto, & habitabit gloria seu divinitas ejus in tabernaculo Semi.* Quod ita R. Salomo exponit: *Habitabit divinitas ejus* (Jehovæ) *in Israël, & in synagoga sapientum: Etiamsi Deus Japheto dilataverit, quia Cyrus, qui fuit de filiis Japheti, templum secundum ædificavit, tamen non habitabit in ipso divinitas, sed habitabit in templo primo, quod ædificavit Salomo, qui est de filiis Sem.* Hoc quam dilutum sit, cuivis patet. Si omninò verba illa; *ut habitet in tentoriis Semi*; ad Jehovam referenda essent, magis arrideret Fulleri sententia d. l. qui Chaldæum secutus Interpretem, ita hunc textum explicat: *Dilatabit quidem Deus Japheto* (habitandi locum,) *sed habitabit* (DEUS) *in tentoriis Sem*; hoc est, soli Semo, in ipsius posteris Israëlitis, eximium hunc honorem, & dignitatem multo amplissimam largietur, Jehova, unigenitus DEI Filius, verus Deus, ut eos populum sibi peculiarem deligere velit, ac tandem in eorum carne, patefieri & cum illis familiariter versari. In Hebræo est יִשְׁכֹּן *habitabit*, à quo verbo esse videtur σκηνή, & σκηνόω, quod Johan. 1: 14. de λόγῳ incarnato usurpatur. Hæc ille, quibus conformia ex Theodoreto Lyrano, Burgensi & Tostato, adfert Pererius in comment. Genes. lib. 14. pag. 390. Sed pergamus ad alia. Genes. 49. v. 8. יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ *Jehuda tu, laudabunt te fratres tui* &c. In verbo *laudandi* allusio est ad nomen *Juda*, dum bona huic tribui vaticinatur Israël. Nomen Juda obtinuit à matre, quod materia esset laudandi Dei, c. 29. v. 35. aliâ autem ratione ad hoc alludit pater, quòd celebre & splendidum ejus nomen inter fratres futurum sit, ut ab omnibus instar primogeniti colatur. Similia exempla in hoc capite sunt, v. 16. & 19. &c. 1 Par. 22. v. 9. שְׁלֹמֹה *Salomo erit nomen ejus; nam* שָׁלוֹם *pacem & tranquillitatem ponam in Israële diebus ejus.* * Esa. 15. vers. 9. *quia aquæ* דִּימוֹן *Dimonis plenæ futuræ sunt* דָּם *sanguine.* *Dimon* videtur nomen esse rivi illius, de quo 2 Regum 3. impositum ex eo, quòd totus rivus eodem die sanguine Moabitarum infectus sit, & sanguineus antè Moabitis visus. Sensus est: quemadmodum temporibus Josaphati rivus ille, qui à via Edomæa influere tum primùm cœpit in agrum Moabitarum, non tantùm sanguinis specie rubuit, quâ Moabitæ decepti sunt, verùm etiam ipsorum sanguine auctus est, ita quoque deinceps

*a* Paronomasia in nominibus propriis.

*b* Gen. 9: 27. dilatet Deus Japheto. &c.

ceps facturus sum, & eò ampliùs. Additur enim in textu: *quia disponam in Dimon additamenta*, hoc est, pergam sanguinem Moabitarum fundere, & ampliùs fundam &c. Jerem. 6:1. בִּתְקוֹעַ תִּקְעוּ *in Thecoa clangite buccinâ*. Continetur hic prophetia de calamitatibus bellicis Judæos superventuris. Jerem. 48:2. בְּחֶשְׁבּוֹן חָשְׁבוּ *De Chesbone cogitabunt contra eam malum*. Ibidem: *Etiam* מַדְמֵן *Madmen*, תִּדֹּמִּי *exscinderis* &c. Vide etiam Amos. 5. ℣s. 5. Mich. 1. ℣s. 10, 12, 14, 15. Zeph. 2. v. 4. &c. Insuper & ob quamcunque rationem aliam hæc paronomasia & allusio fit in propriis nominibus. Num. 18. ℣s. 2. *Etiam fratres tuos, tribum* לֵוִי *Levi adjunge tibi*, וְיִלָּווּ *& adhærebunt tibi, & ministrabunt*
a Esa. 65. 11. Gad. Meni. *tibi*. [a] Esa. 65:11. *Quia paratis Gado mensam, & impletis* לַמְנִי *Meni libamen*, v. 12. וּמָנִיתִי *Et numerabo vos gladio & omnes vos jugulationi* &c. Per *Gad*, quidam *fortunam Deam*, quidam *Jovem*, quidam *Martem* intelligunt: Fullerus lib. 5. miscell. sacr. cap. 17. *Solem* intelligit (ex Aquilæ versione, qui εὔζωνον reddidit, *strenuum illum, aut expeditum*, omnium corporum cœlestium coryphæum, & choragum, Psal. 19. ℣s. 6. quem divinis honoribus vicini Judæis Tyrii, & alii gentiles affecerunt, & *Herculem* appellârunt,) & per מְנִי *Meni*, quæ vox *numerum* significat, *copias cœlestes, exercitum cœli, seu turbam stellarum numerosissimam*, quæ deorum loco & habebantur olim, & ubique colebantur. Dan. 5. ℣s. 25, 28. in arcana scriptura super pariete, Balsatzari Regi Babyloniæ oblata, ad ipsum *Persarum* (hostium Babylonici Regni, ejusque devictorum) nomen fit allusio, in voce פַּרְסִין *dividunt* & פְּרֵס *divisit*. In epist. ad Philem. ℣s. 10. Paulus nomen Ὀνήσιμον ponit, & ℣s 20. ad illud alludit: *Ita frater*, ἐγώ σου ὀναίμην ἐν κυρίῳ, *ego te fruar in Domino*. Rogat autem ut fugitivus ille, jam conversus recipiatur. Evidens cumprimis paronomasiæ hujusmodi exemplum est,
b Matth. 16: 18. Petrus Petra, [b] Matth. 16:18. ubi Christus, post editam de se confessionem, quæ à Petro nomine omnium facta erat, ita ad nomen ejus (quod ei indiderat, Joh. 1:43.) alludens loquitur: *Tu es* Πέτρος *& super hac* Πέτρᾳ *ædificabo Ecclesiam meam* &c. Ad Petri, inquam, nomen fit allusio, de se autem Christus loquitur, prout in confessione Petri celebratus pro Christo filio Dei viventis fuerat, ipso Petro interprete 1. epist. cap. 2:4, 5, 6. Quod idem ex connexione textus clarè patet. Dixerat Petrus ℣s. 16. *Tu es Christus, ille filius Dei viventis*. Respondit ei Jesus ℣s. 18. κἀγὼ δέ σοι λέγω, *& ego verò tibi dico, tu es Petrus, & super hâc Petrâ* &c. q. d. non frustrà impositum tibi à me nomen geris, sed conformen te ei modò præstitisti, dum in confessione tuâ veram petram expressisti, cui & tu, & omnes credentes firmiter superædificamini. Erasmus in paraph. *Ego vicissim, ne gratis me tàm magnifico testimonio ornaveris, illud affirmo, te verè Petrum esse, hoc est, solidum lapidem, non huc aut illuc vacillantem variis opinionibus vulgi; & huic saxo tuæ professionis superstruam Ecclesiam meam, h. e. domum & palatium meum, quam ita communiam, innixam immobili fundamento, ut nullæ vires regni tartarei valeant illam expugnare. Multis machinis vos impetet Satanas, concitabit in vos impiorum spirituum cohortem; sed meo præsidio stabit ædificium meum inexpugnabile, tantùm maneat ista solida professio. Regnum cœleste est Ecclesia; regnum Diaboli est mundus. Ab hoc non est, quod quisquam sibi metuat, modò Petrus sit, hoc est, tui similis.* Atque hæc in syllabis paronomasia est in Græco textu: In Syriaco verò (quâ lingua Christus fuit locutus) eadem vox est כֵּיפָא quæ & *Petrum*, nomine proprio, & *petram*, appellativo nomine, significat. Habemus igitur quod volumus, clamat Pontificius, Petrum sc. esse petram illam, de qua Christus loquitur. *Si Augustinus advertisset*, inquit Bellarminus l. 1. de Pont. Rom. cap. 10. *Cepham nihil aliud significare, quàm Petram, & Dominum dixisse, Tu es petra, & super hanc petram &c. nihil dubitâsset de veritate nostræ sententiæ.* Verùm nihil ex hoc Jesuita lucratur. Nil quicquam enim ex eo τῇ χαριεντισμῷ & allusioni perit, כֵּיפָא ut nomen proprium est, aliud sine dubio significat, quàm ut nomen est appellativum. Sicut *Abel*, *Debora*, *Rachel*, *Jona* &c. aliud significant, cum nomina propria sunt, quàm dum appellativa sunt, licet in ipsa denominatione nihil mutetur. Ut igitur denominativa hæc sunt, à suis primitivis dicta; ita denominativum *Cepha* est, quá personam Petri designat, & non petram ipsam significat, sed qui petram, à qua denominatur, certâ ratione attinet. Attendit hoc ipsum Syrus interpres, qui כֵּיפָא priori masculinum הוּ *ipse*, præponit: כֵּיפָא autem posteriori, fœmininum הָדָא *hæc* (& fœminini generis esse, quando *lapidem* significat, ex 1 Corinth. 10. vers. 4. Matth. 23. vers. 42. Marc. 16. vers. 4. patet.) Quâ ratione procul dubio etiam Christus fuit locutus. Fidelissime igitur Matthæus, Græcâ linguâ scribens, verba Christi expressit; cujus scriptioni, ut in Ecclesia authentica, unice attendendum. Quin certò credendum, Spiritum sanctum consultò voluisse in Græco authentico textu, sermonem mutare, perspicuitatis causâ, ne quis per errorem ad Petrum referret, quod de doctrina & confessione Christi, vel ipsomet Christo, in con-

in confessione illa proposito, intelligendum.

[a] Quandoque vocum παρήχησις & allusio, in alia lingua, quàm ea, quâ scripsit autor sanctus, quærenda est, ut in illo Christi, Matth. 11. vers. 17. puerorum ludentium sermonem referentis: *Cecinimus vobis & non ὠρχήσασθε, saltâstis: lamentavimus & non ἐκόψασθε planxistis.* in lingua Syriaca, quâ Christus locutus fuit, allusio pulcra est, in duabus vocibus, *saltâstis & planxistis:* ambæ enim ejusdem radicis sunt, & sola conjugatione differunt, רַקֶּדְתּוּן *saltâstis:* אַרְקֶדְתּוּן *planxistis.* Talia etiam in Johanne observavit acutissimus Heinsius, qui in Aristarcho suo sacro, sive exercitat. super Nonni paraphrasin, non semel ostendit, *Johannem hellenisticâ lingua scripsisse, sed in Syriaca ea, quæ scripsit, concepisse.* Ut c. 1: 5. καὶ τὸ Φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ Φαίνει καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ ȣ̓ κατέλαβεν. Quod si Chaldaicè aut Syriacè efferas, suavissimam allusionem, quam nec Græca, nec hellenistica admittit lingua, protinus agnosces. Nam קַבֵּל est καταλαμβάνειν: קְבַל autem τὸ σκότος, (interpres Syrus aliis vocibus utitur.) Sic cap. 10. ℣s. 1. quod legitur; ὁ μὴ εἰσερχόμενος διὰ τῆς θύρας εἰς τὴν αὐλὴν, Syri suavissimè exprimunt, qui מן תרעא לטירא dicunt &c. Tandem annotare hic placet, quæ de allusione quadam [b] 1 Cor. 1. ℣s. 23, 24. ex dictionario, Bibliis Toletanæ editionis annexo, D. Forsterus in lex pag. 848. tradit: *Scribit autor ille, verbum* שכל *inter alia etiam significare, superponere in modum crucis* (Gen. 48: 14. De quo suprà actum, cap. 9: §. 1.) *nomen* מִשְׂכָּל *tàm Chaldæorum, quam Indorum linguâ significare crucem, aitque, à se Indum quendam Christiacolam, qui crucem in manu semper gestaret, interrogatum, quo illam nomine linguâ appellaret, respondisse,* מִשְׂכָּל *inde colligens, Paulum Apostolum ad hanc vocem allusisse* 1 Cor. 1. *ita scribentem: Nos prædicamus Christum* Crucifixum, *Judæis quidem* Scandalum, *gentibus autem* Stultitiam, *sed iisdem vocatis, Judæis pariter & Græcis, Dei potentiam ac Dei* Sapientiam &c. *siquidem hæc vox, commutatis tantùm literis symbolicis, crucem, scandalum, stultitiam & sapientiam significet* (משכל *crux,* מִכְשׁוֹל *offendiculum seu scandalum:* כסל *stultus stultitia:* שכל *sapientia, &c.*) Posset his addi, quòd השכיל etiam prosperitatem & potentiam in agendo significet, ut ad illud alludendo Paulus d. l. Christum quoque appellarit *Dei potentiam.*

[a] Paronomasia in alia lingua quærenda.
[b] 1 Cor. 1. v. 23, 24.

---

## CAPUT III.

### *DE*

# ANTANACLASI.

Ἀντανάκλασις, *refractio seu reciprocatio* Latinè, est, cùm eadem vox in vicinia repetitur, diversâ significatione. *Dilogiam* à Pediano vocari, Vossius monet lib. 5. instit orat. cap. 2. Exempla sunt, Jud. 15. ℣s. 16. *Cum maxilla* חֲמוֹר *asini* חֲמוֹר חֲמֹרָתָיִם *acervum acervorum duorum; cum maxilla* הַחֲמוֹר *asini, percussi mille viros.* Eadem vox *& asinum & acervum* significat, unde ab Hebræis צבור *acervus* redditur & à Chaldæo דגור. Sensus est, maxillâ asini acervatim prostravi hostes hîc & illic. 1 Sam. 1: 24. וְהַנַּעַר נָעַר *& puer erat puer.* Priori loco vox *puer* posita, ipsum hominem, Samuelem, per synecdochen generis, denotat; posteriori, teneram ejus ætatem, ut sit sensus: Erat adhuc Samuel tenerâ ætate. Psal 141: 5. *Retundat me justus, benignitas erit; & corripiat me, oleum* ראש *præcipuum erit (ne irritum faciat* רֹאשִׁי *à capite meo* &c. Eccl. 7. ℣s. 7. *Sicut vox* הַסִּירִים תַּחַת הַסִּיר *spinarum sub olla, ita est risus stolidi.* Loquitur de gaudii stolidorum vanitate & momentanea duratione, sicut celerrimè ignis spinas absumit. Confer Psal 58. vs. 10. &c. Esa. 37: 18. *Verum est, Jehova, vastaverunt Reges Assyriæ omnes* הָאֲרָצוֹת וְאֶת אַרְצָם *terras illas, & terram illorum.* Priori loco *terræ* vox, regionum incolas metonymicè significat; posteriori, ipsam terram seu regionem illorum; unde 2 Reg 19. ℣s. 17. in eadem historia ita verba ea exprimuntur: *vastaverunt Reges Assyriæ* אֶת הַגּוֹיִם *gentes, & terram ipsarum* Esa. 58: 10. *Si depromseris famelico* נַפְשְׁךָ *animam tuam,* וְנֶפֶשׁ *& animam afflictam satiaveris. Anima* vox priori loco, liberale donum

 seu

ſeu beneficentiam ex hilari animo profectam, metonymicè ſignificat; poſteriori verò hominem, ſynecdochicè. Eſ. 66:3. *Etiam iſti* בָּחֲרוּ *eligunt vias ſuas* &c. ℣ſ. 4. *Etiam ego* אֶבְחַר *eligam propter facinora eorum, & inducam, quæ formidant, eis.* Priori loco electio & conſtitutio ἐθελοσθρηκειῶν intelligitur: poſteriori, ἀνθρωποπαθῶς, exquiſitarum pœnarum immiſſio. Jer. 7. ℣ſ. 18. *Ad libandum libamina diis alienis* לְמַעַן הַכְעִסֵנִי *ut irritent me.* ℣ſ. 19. *An me ipſi* מַכְעִסִים *irritant, & non ſeipſos?* Prius *irritare* de culpa Judæorum & cauſa exitii eorum accipitur, concitatâ ſcilicet irâ Dei: poſterius metonymicè de ipſa pœna, & iræ divinæ effectu, ut ſit ſenſus: annon ſibi ipſi, & non mihi, pravis ſuis factis, malè faciunt? q. d. omninò ita eſt. Verſus ſequens hanc expoſitionem confirmat. Jerem. 8. ℣ſ. 4. *Sic ait Jehova, an ita cadunt, ut non poſſint reſurgere?* אִם יָשׁוּב וְלֹא יָשׁוּב *ſi converteretur, an non reverteretur*, ſc. Deus. Prius שׁוּב veram ad Deum pœnitentiam; poſterius gratiæ divinæ exhibitionem ἀνθρωποπαθῶς ſignificat. Jerem. 8:14 *Quorſum nos deſidemus? congregamini, & ingrediamur civitates munitas,* וְנִדְּמָה *& quieſcemus ibi.* Hæc populi contumacis verba μιμητικῶς poſita, excipit Prophetæ reſponſum κατ᾽ ἀντανάκλασιν: *At Jehova Deus noſter* הֲדִמָּנוּ *quietos reddet nos, cùm dederit bibendum nobis ſuccum cicutæ, quia peccavimus Jehovæ.* Prius *quieſcere* in bonum ſumitur, de ſecuritate & immunitate adverſus hoſtes: poſterius in malum, de pœna divina, & violenta morte, quod phraſis innuit, *dare bibendum cicutæ ſuccum*, videl. ſoporiferum & lethiferum &c. Jer. 34:17. *Sic ait Jehova, vos non audiviſtis me, promulgando* דְּרוֹר *libertatem, quiſque fratri ſuo, & quiſque amico ſuo: Ecce ego promulgabo contra vos* דְּרוֹר *libertatem, dicit Dominus gladio, peſti & fami* &c. *Libertas* priori loco propriè accipitur, pro manumiſſione ſervorum, verſ. 9. poſteriori verò tranſlatitiè, pro libera facultate invadendi, gladio hoſtili, peſti & fami quaſi conceſſâ, ad internecionem populi: id quod libertati veræ διαῤῥήδεν repugnat. Ita autem παρηχεῖν per antiphraſin divinæ majeſtati placuit. Simile exemplum eſt Ezech. 20:24. *Eo quod* חֻקּוֹתַי *ſtatuta mea ſpernerent* &c. (quæ dederam eis, verſ. 11.) verſ. 25. *& ego etiam dedi eis* חֻקִּים *ſtatuta non bona* &c. Priori loco *ſtatuta Dei*, ipſius divinum verbum eſt; poſteriori, divinæ pœnæ, per alluſionem quandam ad prius illud, ſic dictæ. Ezech. 41:24. דְּלָתוֹת mox repetitum & *valvas* (per ſynecdochen) & *integras fores* ſignificat. Matth. 9:22. *Sequere me, & ſine mortuos ſepelire ſuos mortuos.* Priori loco vox *mortuorum* impios notat, ſpiritualiter in peccatis mortuos; poſteriori, propriè ſic dictos mortuos, hac vitâ defunctos. Juſtinus in quæſt. & reſponſ. ad orthod q. 28. *Quemadmodum per divortium animæ à corpore, mortuum, fœtidum & immundum eſt corpus: ita ſi ab anima ſecedat Dei timor, exſanguis eſt, & malè olens & impura anima.* Matth. 26; 29. *Non bibam à modò de hoc genimine vitis uſque in diem illum, quando illud bibam vobiſcum novum, in regno Patris mei.* *Bibere* priori loco propriam ſignificationem obtinet; poſteriori metaphoricam, de cœleſtis gaudii κοινωνίᾳ & communione. Joh. 1. v. 10. *Mundus per ipſum* (τὸν λόγον) *factus eſt, & mundus ipſum non cognovit.* *Mundus* priori loco totam rerum univerſitatem notat; poſteriori verò homines infideles &c. Joh. 2:23. *Multi crediderunt in nomen ejus* &c. v. 24. *Ipſe autem Jeſus non credebat ſemet ipſum eis.* Prius πιςεύειν ſeu *credere*, profeſſionem fidei externam, vel aſſenſum Chriſti doctrinæ, ex miraculorum aſpectu præbitum, notat. Poſterius πιςεύειν idem eſt ac concredere, ſeu fidei alicujus, ut ſinceri amici, committere. Joh. 4. verſ. 31, 32. *edere cibum*, primò propriè accipitur, à diſcipulis; deinde metaphoricè à diſcipulis; deinde metaphoricè à Chriſto, pro, voluntatem Patris cœleſtis promtè exequi: confer verſ. 34. Rom. 2:26. *Si præputium juſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur?* Priori loco *præputium* ſignificat Ethnicos; poſteriori ſtatum eorum, quòd circumſione & aliis ceremoniis Moſaicis carent. Sic & verſ. 28, 29. &c. Rom. 3. v. 21. *Nunc autem ſine lege juſtitia Dei manifeſtata eſt teſtimonio, comprobata à Lege & Prophetis.* *Lex* priori loco poſita ipſam moralem legem denotat, prout Euangelio opponitur, poſteriori libros legales ſeu Moſaicos, in quibus etiam teſtimonia de Chriſto, & oracula plane Euangelica continentur. Rom. 3: 27. *Ubi igitur eſt gloriatio? excluſa eſt. Per quam legem? factorum? non, ſed per legem fidei.* *Lex factorum* proprie accipitur de lege divina: *Lex fidei* eſt Euangelium de ſalute per Chriſtum obtinenda. Rom. 7:23. *Video aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ eſt in membris meis.* diverſa hîc ſignificat, ut ſuprà cap. 18. §. 1. declaratum eſt Rom. 9:6. *Non omnes qui ex Iſraël, ſunt Iſraël*, hoc eſt, non omnes, qui ex Iſraële ſecundùm carnem progeniti ſunt, etiam veri, & ſecundùm ſpiritum, Iſraëlitæ ſunt, Rom. 12:13. τὴν φιλοξενίαν διώκοντες v. 4. εὐλογεῖτε τὲς διώκοντας ὑμᾶς. Prius διώκειν ſectari eſt, ſeu ſtudio obtinendi rem amice perſequi; poſterius hoſtiliter perſequi homi-

hominem, animo lædendi. 1 Cor 11. v. 14. *Et gratias agens fregit* (panem) *& dixit: accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Fractio* priori loco posita, proprie significat; posteriori, metaphorice cruciatus passionis, quos Christus in corpore suo pro nobis sustinuit, ut ex collatione Lucæ patet cap. 22:19. Eandem significationem obtinet Esa. 33:13. &c. [a] 1 Cor. 15:28. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subjicietur ei, qui ei subjecit omnia. Subjectio prior*, Christo à Patre facta, hostium universorum abolitionem significat, ut ex Psalm. 110. vers. 1. à Paulo allegato & explicato vers. 25, 26, 27. patet. *Subjectio posterior*, quâ filius subjicitur Patri, planè contrarium significat: non scil. ullàm infelicitatem & interitum, sed summam beatitudinem, quæ iis obtingit, qui DEO subjecti, pro benevolo & gloriosissimo Rege eum agnoscunt, & in lumine ejus, ut beati ejus regni subditi, ambulant. Quod autem *de filii DEI subjectione* h. l. dicitur, de corpore ejus mystico, credentibus & electis, intelligendum, quorum gloria per κοινοποίησιν, capiti Christo, adscribitur, (sicut & passiones credentium in hac vitâ sibi Christus appropriat, Matth. 25:35. Act. 9:4.) Et huc pertinent verba quæ sequuntur: *Ut sit DEUS omnia in omnibus*, scil. electis glorificatis, qui in Christo capite suo æternùm triumphant. 2 Cor. 5:21. *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis* (DEUS) *peccatum fecit.* Priori loco *peccati* vox propriè accipitur, posteriori metonymicè, ut superiori tractatu c. 3. §. 4. dictum. 1 Tim. 6:5. de Pseudochristianis dicitur, *quòd æstiment* πορισμὸν *negociationem sive quæstum esse pietatem*, quia scil. sub specie professionis fidei Christianæ sua commoda temporalia ac terrena quærunt (Tit. 1:11. 2 Pet. 2:3. Rom. 26. 18. Phil. 5:18, 19. Nazianzenus, χριςοκαπήλȣς, κὰι χριςεμπόρȣς vocat.) Huic per allusivam antanaclasin subjicitur, v. 6. *Est autem* πορισμὸς *quæstus magnus, pietas cum animo suâ sorte contento.* Beza: *Venustè detorquet nomen quæstus, confitens, pietatem esse maximum lucrum, sed diversâ prorsus ratione, quoniam videlicet veram sufficientiam adfert.*

[b] Quandoque diversa illa unius vocis significatio, ex allusione ad sermonem aliorum, oritur. Matth. 5:19. *Qui solverit unum ex mandatis his minimis &c. minimus vocabitur in regno cœlorum.* Prior vox, *minimis*, sententiam Pharisæorum exprimit, qui quædam præcepta DEI vocabant minima: Posterior verò, *minimus*, ad priorem alludens, idem significat ac nullus. Sensus enim est: nullus erit in cœlis, vel non ingredietur regnum cœlorum. *In cœlo enim non nisi magnum est*, ut Augustinus inquit. Matth. 18:1. discipuli dicebant ad JESUM: *Qui maximus est in regno cœlorum?* v. 4 Christus respondet: *Quicunque humiliaverit seipsum, sicut parvulus iste, hic est maximus in regno cœlorum.* Prior vox, *maximus*, ex sententiâ discipulorum, proprè significat illum, qui reliquis ut inferioribus præeminet: Posterior verò, ad priorem alludens, eum significat, qui regni DEI est particeps, sine respectu ad inferiores alios habito. Sensus enim est: Qui se humiliat, erit regni cœlorum particeps &c. Matth. 19:16. legisperitus ad Christum dicit: *Magister bone* &c. v. 17. Christus respondet: *quid me vocas bonum? nemo bonus est, nisi solus DEUS.* Prior vox, *bonus*, participatam à DEO bonitatem qualemcunque denotat, qualis in ψιλανθρώπῳ seu homine mero est (talem enim νομικὸς ille Christum judicabat:) posterior, ad priorem alludens, essentialem bonitatem in DEO, quæ omnis bonitatis creaturarum fons & scaturigo est, exprimit. Sensus igitur verborum Christi est: Aut me bonum non voca, aut me verum DEUM & θεάνθρωπον esse crede, Joh. 4:31. *Intereà rogabant eum* (JESUM) *discipuli, dicentes: Rabbi, comede.* v. 32. *Ille autem dixit eis: ego cibum habeo ad comedendum, quem vos nescitis.* Vox *comedendi* in sermone discipulorum propriè accipitur: in Christi verò sermone allusivo, metaphoricè. Intelligit enim Christus muneris sui divini exsecutionem, Samaritanorum videlicet conversionem, quam tunc meditabatur, & multò ardentius desiderabat, quàm corporalem cibum. Joh. 6. vers. 28. *Dixerunt ergò* (Judæi) *ad eum: quid faciemus, ut operemur opera DEI?* vers. 29. *Respondit Jesus; hoc est opus DEI, ut credatis in eum, quem misit ille.* Vox *operum* in sermone Judæorum propriè accipitur; in sermone verò Christi, ad priorem alludente, metonymicè pro cultu illo; qui omnium DEO verè placentium, bonorumque operum causa, basis, & fundamentum est, fide scil. in Christum. Act. 26. v. 28. *Agrippa autem ad Paulum ait:* ἐν ὀλίγῳ *in pauco (seu propemodùm) persuades mihi, ut fiam Christianus;* v. 29. *Paulus autem ait: optârim* κὰι ἐν ὀλίγῳ, κὰι ἐν πολλῷ, *& propemodùm & admodùm (in pauco & in multo*, id est, omninò, vel omni ex parte) *non te modo, sed omnes etiam, qui me audiunt hodiè, esse tales, qualis ego sum, exceptis vinculis his.* Usus est hac locutione Paulus, ut modestè ad Agrippæ dictum alluderet.

[c] Quandoque etiam vox posterior per ellipsin omissa est, unde ex antecedenti supplenda, & pro ratione prædicati explicanda est. 2 Paral.

[a] 1 Cor. 15:28. Filius subjicietur patri, &c.

[b] Allusio ad sermonem aliorum.

[c] Ellipsis in antanaclasi.

ral. 31:8. *Et venerunt Ezechias & principes, & viderunt acervos*; וַיְבָרְכוּ *& benedixerunt Domino, & populo ejus Israël.* Duplex hic est propositio, 1. *benedixerunt Domino*, hoc est, gratias egerunt, & devotè celebrârunt; 2 *benedixerunt populo Israëlis*, hoc est, omnia felicia ipsi precari sunt in nomine Domini. Joël. 2. v. 13. קִרְעוּ *Lacerate corda vestra, & non vestes vestras.* Duplex propositio, in quarum alterâ verbum, קִרְעוּ, repetendum. 1. *lacerate corda vestra*, 2. *non lacerate vestes vestras.* Prius *lacerare* metaphoricum est, cordis seriam contritionem significans; posterius proprium. Goclenius part. 1. miscell. p. 111. ejusdem formæ statuit esse propositionem Christi, Matth. 26:26. *Edite, hoc est corpus meum*: ut *edere* & oralem manducationem, ratione panis; & spiritualem, ratione corporis Christi, denotet. Sed fallitur: una enim & simplex hæc propositio est, in quâ unum verbum non nisi significationem unam habere potest.

a Jud 7: 13. panis gladium notat.

Demum addendum hîc, quod Sanctius in Esa. 14: p. 172 non absurde conjicit ex hoc amphibolias vocum lusu explicari posse, cur a Jud. 7: 13. *ex subcinericio pane*, quem per quietem viderat Midianita, conjectaverit ipsius socius, venturum esse in castra Midianitarum Gideonis *gladium*. Nam si rerum naturas spectes, nihil commune est pani cum gladio, imò potiùs omnia videntur in iis esse contraria. Conjectavit autem optimè ex ambiguâ nominis ratione. Nam לחם significat *panem & bellum*, ex ea conjunctione non naturæ, sed significationis vocum, conjectavit, in *pane* significari aut gladium aut bellum, quòd à Gideone castris Midianitarum imminebat, &c.

---

# CAPUT. IV.

## DE

# FIGURIS SENTENTIÆ IN LOGISMO.

Figuræ sententiæ quid sint, suprà dictum est. Distinguuntur ita, quòd vel in *logismo*, versentur, vel in *dialogismo*. Illas vocant, cùm sine collocutione sententia figuratur. Sunt autem hæ quinque.

b 1. Exclamatio.

b Ἐκφώνησις vel EXCLAMATIO, quæ fit per varias interjectiones, ut affectuum notas, easque vel expressas, vel intellectas. Adhibetur I. in admiratione. Psalm. 84 v. 2. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine exercituum!* Ps. 133:1. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare etiam fratres simul!* Rom. 11:33. *O profunditatem divitiarum & sapientiæ & cognitionis DEI! quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & impervestigabiles viæ ejus!* II. In voto vel optatione. 1 Par. 11:17. *Utinam quispiam propinaret mihi aquas de cisterna Bethlehem, quæ est in portâ!* Psal. 14:7. *O si quis det ex Zione salutem Israël!* Ps. 42. 3. *Sitit anima mea ad DEUM vivum; quando veniam & apparebo coram DEO!* Esa. 64: 1. *Utinam disrumperes cœlos, descenderes, à facie tuâ montes defluerent!* Rom. 7: 24. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus!* Gal. 5: 12. *utinam & abscindantur, qui vos conturbant!* III. In laudatione. Matth. 15: 28. *O mulier, magna est fides tua!* c. 25: 21, 23. *Euge serve bone & fidelis!* IV. In dolore & conquestione. Psal. 22: 2. Matth. 27: 46. *DEUS meus, DEUS meus, quare me dereliquisti!* Esa. 6: 5. *Heu mihi, quòd exscindor!* V. In commiseratione, Jos. 7: 7. *Ah Domine DEUS, ut quid traduxisti populum hunc Jordanem, ut traderes nos in manum Emorrhæi, ut perdat nos!* Ezechiel. 9: 8. *Ah Domine DEUS, an perdes omne residuum Israëlis, dum effundis furorem tuum super Jerusalem!* VI. In indignatione, detestatione & objurgatione. Es. 1: 4. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini malignantium, filiis corruptoribus!* Ezech. 16: 23. *Et fuit post totam malitiam tuam, væ væ tibi! dicit Dominus DEUS*, v. 24. *ut exstrueres tibi fornicem* &c. Matth. 11: 21. *Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida* &c. c. 17: 17. *O generatio incredula & distorta, quousque tandem ero apud vos!* Luc. 24: 25. *O stulti & tardi corde ad credendum omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ!* Actor. 13. v. 10. *O plene omni dolo, & omni versutia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desines invertere vias Domini rectas!* cap. 7. v. 51. *Duri cervice, & incircumcisi corde & auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, ita & vos!* Rom. 9: 20. *O homo, tu quis es, qui ex adverso responsas Deo!* VII. In gaudio & exultatione. Ps. 57: 8. *Paratum*

*ratum est cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo & canam*! Pf.135: 21. *Benedictus sit Dominus ex Zion, qui habitat in Jerusalem, Hallelujah*! VIII. In observatione. Psalm. 118:25. *Obsecro Jehova, salva quaso: obsecro Jehova, prospera quaso!* O Herr hilff/ o Herr/ laß wohl gelingen! Apoc. 22. v. 20. *vai, obsecro veni Domine Jesu!* Exclamationi ut species quædam subjungi solet [a] *Epiphonema*; & est, cùm post expositam rem, clausula seu sententia congrua additur, emphasin & δείνωσιν quandam concisâ brevitate exhibens. Psal. 2: 12. *Beati omnes, qui sperant in eo?* Psal. 3. v. 9. *Domini est salus, super populum tuum benedictio tua, Selah!* Matth. 22:14. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Patet tamen ex ultima hac gnome, & quibusdam aliis, epiphonema non semper cum exclamatione formari.

[b] Ἐπανόρθωσις vel Correctio, est sui ipsius quasi revocatio, quâ id, quod dictum est, è vestigio corrigitur. Triplex ejus modus statuitur. I. Cùm simpliciter tollitur & corrigitur id, quod dictum erat, & ejus loco commodius, magis proprium, & significantius ponitur. Marc. 9. ℣. 24 pater filii, habentis spiritum mutum, Christo fidem postulanti respondet: *Credo Domine*; Mox verò, memor infirmitatis suæ, corrigit suam confessionem, dicens: *Succurre meæ incredulitati.* Johan. 12. ℣. 27. Christus mortem suam deprecatur, his verbis: *Pater, serva me ex hac horâ.* Mox tamen deprecationem istam, quam humanitùs mortem expavescenti natura expresserat, corrigit, inquiens: *Sed propterea veni in horam hanc* (Confer Matth. 26: 39.) Rom. 14. ℣. 4. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? proprio Domino stat aut cadit.* q. d. unus est omnium Dominus, Christus Jesus, illi stat, si firmus est fide; illi cadit, si quid peccat, ut tu suspicaris, ille judicandi potestatem in ipsum habet, non tu &c. cæterùm, quia lapsus mentionem fecerat, correctionem illicò addit: *Stabilietur autem: potens enim est DEUS stabilire ipsum:* ominis nimirum mali suspicionem amoliturus. Sic in illis, quibus affirmativæ negatio subjungitur; ubi tamen negatio comparativè potiùs intelligenda, vel respectivè. E. G. Joh. 16. ℣. 32. *Ecce instat tempus, & jam venit, ut dispergamini unusquisque in sua, méque solum relinquatis.* Subjungitur epanorthosis: *Attamen non sum solus, quia pater mecum est.* Solus erat Christus, respectu hominum, sed non Dei. 1 Corinth. 7. ℣. 10. *At conjugatis præcipio:* sequitur correctio: *non ego, imò Dominus* (id præcipit) *ut uxor à viro non separetur.* Præcipiebat & Dominus & Paulus; ille ut causa princeps; hæc ut administra. 1 Corinth. 15. ℣. 10. *Copiosiùs quàm illi omnes laboravi*: Sequitur correctio sermonis, ne arrogare sibi videatur, quod Dei est: *Non ego tamen, sed gratia Dei, quæ mihi adest.* Laborabat Paulus, ut gratiæ divinæ organon: at hæc omnis laboris, ejusque successus, primaria causa erat. Galat. 2. ℣. 20. *Vivo autem* (imò) *non jam ego, sed vivit in me Christus.* Spirituali de vita loquitur, quam sibi attribuit, magis autem Christo vitæ principi. Quòd autem sibi non planè eam deroget tanquam subjecto & organo, in quo operatur Christus, patet ex subsequentibus: *Quod autem nunc vivo in carne, per fidem vivo filii Dei* &c. Quandoque tamen particula, *non*, excludit planè. Galat. 1. ℣. 6. *Miror, tàm citò transferri vos ab eo, qui vocavit vos in gratiam Christi, in aliud Euangelium.* Ne autem plura videatur Euangelia statuere, corrigit sermonem: *Quod non est aliud:* Revocationem autem explicat ita: *Nisi quòd quidam sunt, qui turbant vos, & volunt invertere Euangelium Christi.* q. d. unum duntaxat Euangelium est, à quo si quis diversum docet, non aliud Euangelium proponit, sed veritatem Euangelii illius unici pessimè corrumpit. II. Cùm verbum præcedens per expressam minorum comparationem corrigitur, ac tanquam illustriori ac significantiori voce amplificatur & illustratur. Prov. 6: 16. *Sex ista odit Dominus, imò septem abominatio sunt animæ ejus.* Vide Grammat. sacram pag. 589. Rom. 8: 34. *Quis est, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est in dextra Dei, qui & intercedit pro nobis.* Galat. 4. ℣. 9. *At nunc posteaquam cognovistis Deum, imò potiùs cogniti estis à Deo* &c. 2 Timoth. 4. ℣. 8. *Quod superest, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die, qui est justus judex.* Ne vero Paulus coronam justitiæ sibi soli vendicare videatur, istud, *mihi*, corrigit, vel ampliat potiùs: *Non solùm autem mihi, sed & omnibus, qui diligunt apparitionem ejus.* 1 Joh. 2: 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Quod dicit, statim corrigit & amplificat: *Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* III. Cùm antecedens quiddam positum & affirmatum, per conjunctionem *Si*, corrigitur. Quod Ciceroni persamiliare esse tradunt, ut Verr. 5. *Hanc excogitavit rationem; si hæc ratio potiùs, quàm amentia putanda est.* Item pro Mill. *An verò, Judices, vos soli ignoratis, &c. quas ille leges, si leges nominandæ sunt, ac non faces urbis, & pestes Reipub., fuerit impositurus nobis omnibus*

[a] Epiphonema.

[b] 2. Epanorthosis.

*atque inusturus?* Tale in sacris literis est Gal. 3, 4. *Tam multa passi estis frustrà? si modò frustrà*, q. d. non tantùm frustrà passi estis, sed etiam cum damno & detrimento. Beza in h. l. *Addit pondus increpationi. Nam frustrà fieri dicitur, ex quo nullus percipitur fructus. At Galatæ à sana doctrina desciscentes, non modò nullum fructum percepissent ex ærumnis, quas ejus doctrinæ causâ pertulerant, sed etiam magnam jacturam fecissent. Plus est autem lædi, quàm non juvari.*

a 3. Aposiopesis. a Ἀποσιώπησις vel Reticentia, quâ orationis cursus ita abrumpitur, ut pars ejus aliqua, ferè principalis, reticeatur. Videre ea est I. In promissione. 2 Samuel. 5. ℣ſ. 8. *Dixitque David in die illa: Quicunque percusserit Jebusæum* &c. Subintelligendum; *is erit caput & princeps populi*, quod 1 Paral. 11. ℣ſ. 6. dicitur. Sic in voto Deo facto 1 Paral. 4. ℣ſ. 10. *Si benedicendo benedixeris mihi* &c. Subintellige: hoc vel illo modo gratitudinem pectoris mei declarabo. Luc. 13: 9. *Et siquidem fecerit fructum*; subintellige, bene est; vel, sinas eam, non exscindatur, ficus nimirum infrugifera &c. Similis sermo in oppositione Exod. 32. ℣ſ. 32. Dan. 3: 15. occurrit. II. In ira & comminatione. Gen. 3: 22. *Nunc ergò, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de arbore vitæ, & comedat, vivatque in seculum.* In his verbis Jehovæ, succensentis homini ob peccatum commissum, & violatam divinam legem, subintelligendum est, quod per aposiopesin omittitur: Exturbabo hominem de horto, aditumque in eum prohibebo. Quod ita factum esse, verba statim sequentia declarant. Ezech. 34. ℣ſ. 8. *Vivo ego, dictum Domini Dei*, אִם לֹא *si non, eo quod grex meus est dispersioni &c.* Per reticentiam deest posterius sermonis membrum, quod comminationis summam continere debebat: Potest autem id ex ℣ſ. 10. seqq. erui. Quandoque in comminatoriis Dei denunciationibus per reticentiam abest conditio, quæ necessariò subintelligenda. Genes. 20. ℣ſ. 3. *Ecce tu illico moriturus es propter mulierem, quam accepisti:* scilicet, si eam non restituas, ut ex ℣ſ. 7. colligitur. 2 Regum 20. vers. 1. Esaias ad Hizkiam Regem à Domino Deo missus, ita eum alloquitur: *Præcipe domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Subintelligenda hic conditio; nisi orando à Deo singulariter prorogationem vitæ impetraveris. Vide etiam Jud. 10: 13. Jon. 3: 4. Huc pertinet illud Jac. 3: 1. *Ne multi doctores estote, fratres mei, scientes, quòd majus judicium accepturi sumus*, subintell. nisi ab ista censoria & arrogantiæ plenâ reprehensione aliorum destiterimus, Matth. 7: 2. III. In dolore & querimonia. Gen. 25. vers. 22. *Et dixit Rebecca: Si sic, cur hoc mihi?* Sunt verba dolentis & conquerentis, q. d. gravida sum, uti persuasum hactenus & marito & mihi fuit, cur jam hoc mihi evenit, ut scil. intus ita concutiar? nam hæc mihi potiùs male habentis uteri, quàm fœtum gestantis videntur esse. Quare Jehovam consulit, & responsum impetrat. Psal. 6. vers. 4. *Et anima mea conturbata est valdè: sed tu Domine, quousque?* scil. aversus à me manes? vel auxilium tuum differs? Luc. 19. vers. 42. *Si cognovisses & tu, vel in hac die tua, quæ ad pacem tuam*, scil. pertinent. Subintelligendum; quam felix esses ac beata! vel, quæreres ea, curares amplecti ea: vel etiam, per pœnitentiam veram mala impendentia declinares, & ita cœlestia tibi comparares bona &c. IV. In b juramento. Solet enim membrum illud orationis conditionalis, quod mali imprecationem continet, si jurans studio fallat, reticeri. Cujus causam dant quidam hanc, quòd infausta vox ea sit, à qua natura ipsa abhorret. Alii, quòd Dei judicio illud committatur. Exempla videri possunt in Grammat. sacra pag. 595. Eadem verò reticentia in juramento etiam Dei occurrit, 1 Sam. 3. ℣ſ. 14. Psal. 89. ℣ſ. 36. Esa. 14. ℣ſ. 24. cap. 62. ℣ſ. 8. ubi quidam dicunt, Deum sibi reservare, quid futurum sit, si aliter fecerit, ac promiserit. Quòd si quando ἀποσιώπησις καὶ ἔλλειψις illa suppletur, sanctissimè tamen id fit & honestissimè. In juramento divino *vita Dei* interponitur, hoc est, immortalis & æterna ipsius gloria, majestas, potentia, veritas. Innuit igitur Jehova, se potiùs non futurum Deum, quàm ut verbum à se prolatum non compleat. Quæ asseveratio, ἐκ τοῦ ἀδυνάτου ducta, omnium omninò maxima & certissima est, de qua meritò usurpamus illud Tertulliani, lib. de pœnitentia: *O beatos nos, quorum causâ jurat DEUS! ò miserrimos, si nec Deo juranti credimus!* Exempla hujusmodi juramenti divini sunt Numer. 14. ℣ſ. 21. Ez. 5. ℣ſ 11. cap. 33: 11. c. 34: 8. &c. In juramento humano vel *vita Dei* allegatur, eodem cum superiori sensu. 1 Sam. 14. vſ. 35. 1 Reg. 17: 1. (Quòd si *vita hominis* mentio addatur, ut in illo 1 Sam. 20: 3. *Vivit Dominus, & vivit anima tua, si* &c. 2 Sam. 15: 21. *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex* &c. per mutuam relationem inter Deum vitæ hominis autorem, & hominem viventem ex Dei creatoris gratiâ, id explicandum, ut exponitur Jer. 38: 16. *Vivit Dominus, qui fecit nobis animam hanc, si occidero te* &c. Sensus igitur in talibus videtur esse, tàm verum certumque esse, quod asseri-

b Juramenti formulæ.

feritur, quàm certum est, & Deum vivere, & ab ipso vitam terrenam accepisse hominem, & cœlestem sempiternamque exspectare) Vel honeste imprecatio circumscribitur. 2 Sam. 19:13. & 2 Reg. 6:31. *Sic faciat mihi Deus, & sic addat, si* &c. Quidam putant multa priùs malorum genera jurantes recensuisse, & posteà addidisse: *Hac faciat mihi Deus* &c. Sed hoc versimile non est. 1 Sam. 25:22. imprecatio mali in juramento à Davide ad hostes, eadem periphrasi, transfertur. Ex quo, primâ fronte, illam imprecationem mali hostibus seriò & temerè factam fuisse, colligi videtur: sed ita non est: quin contrarium potiùs ex eo eruitur, Davidem noluisse, ut inimicis suis malè sit, cùm in juramento ea incommoda & mala interponi soleant, quæ fieri nec volumus, nec exoptamus &c. Eadem formula adhibetur in *secunda persona*, si obtestatio & adjuratio alterius fiat. 1 Sam. 3:17. *Sic faciat tibi Deus, & sic addat, si absconderis à me verbum.* Sensus est: adjuro te, seu juramento obstringo (cujus violatio pœnas divinas tibi accersat) ut ne quicquam hujus à me abscondas, vel me celes. Plura de aposiopesi in juramentis, videri possunt in Thesauro Grammatico Buxtorfii, lib. 2. cap. 21.

[a] Ἀποστροφὴ, vel Aversio, est, quâ oratio ad aliam personam vel rem, quàm instituta oratio requirit, convertitur. Dicitur & προσφώνησις. Et fit I. ad DEUM. Neh. 4. vers. 4. in medio cursu sermonis, de cœpta urbis instauratione ad Deum Nehemias convertitur: *Audi ô Deus noster, nos esse contemtui* &c. Item in alia narratione, cap. 6:9. *Nunc itaque* (ô Deus mi) חזק *confirma manus meas.* Psam. 33. de Deo, ejusque operibus & attributis, in tertia persona Psaltes loquitur, tandemque ℣. 22. apostrophe ad Deum directâ concludit: *Sit misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speramus in te.* Ita & Psam. 82: 8. Psal. 109:21. Jerem. 11:18. & alibi sæpius. Sunt autem hæ apostrophæ non nisi mentis fidelis suspiria ad Deum. II. Ad homines tàm vivos, quàm mortuos, 2 Sam. 1:24. ad filias Israëlis, & ℣. 26. ad Jonathanem defunctum fit ἀποστροφὴ: in planctu & epicedio Davidis 2 Sam. 7:23. emphatica est apostrophe à Deo ad populum Israël. *Quæ sicut populus tuus, sicut Israël, gens ulla in terra est? ad quam redimendam sibi in populum iverit Deus, & ad comparandum sibi nomen, & ad præstandum* לכם *vobis* (ô Israelitæ, popule Dei) *has res maximas* &c. Psal. 2. post expositam regni Messiæ, ejusque hostium conditionem, apostrophe fit ad reges & principes, ℣. 10, 11, 12. *Et nunc reges intelligite, erudimini principes terræ* &c. Esa. 7:14. in promissione exhibendi in carne Messiæ, ad ipsam virginem matrem fit apostrophe elegantissima: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium:* וקראת *& vocabis* (ô virgo) *nomen Immanuel*, hoc est, talem reverà esse agnosces, & prædicabis. Allegatur hic locus Matth. 2:23. ubi quidam codices legunt, καλέσεις, *vocabis:* quidam v. καλέσουσι, *vocabunt.* Alia exempla sunt, Psal. 6:9. Psal. 103: 24. Esa. 1: 5. Jerem. 5: 10. Rom. 11:13. Quandoque ad secundam aliquam, incertam tamen, personam aversio fit, sub qua, per synecdochen speciei, quævis intelligitur. Ps. 27: 14. Ps. 34: 12, 14. Rom. 2: 17. c. 9:19, 20. c. 12: 20. c. 13: 3. c. 14: 4, 10. 1 Cor. 7: 16. Gal 4: 7. c. 6: 1. Huc pertinet etiam, quando *ad integras urbes* sermo dirigitur: metonymicè enim incolæ earum intelliguntur, Matth. 11: 21, 23. Et quando apostrophe fit *ad propriam animam*, Ps. 42:6, 16. Ps. 43: 5. Ps. 103: 1. &c. Ps. 104: 1. Ps. 146: 1. &c. [b] Specialiùs observandum, quòd apostrophe imperativa vel exhortatoria, quandoque solùm sit indicativa & vaticinatoria, quid futurum sit? seu, quod idem est, quòd futura quandoque prænuncientur à Prophetis formà imperandi. Esa. 6: ℣. 9, 10. (Confer Matth. 13: 14. Act. 28. 26, 27.) c. 47: 1, 5. c. 23: 16. *Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita.* In quem locum Musculus: *Per formam apostrophæ, studium restitutæ Tyri exprimit. Non hortatur eam ut hoc faciat, sed sub hac figura prædicit, quid sit factura, ubi post annos septuaginta restaurationem nacta fuerit. Perinde, inquit, faciet, atque meretrix, quæ aliquandiu desolata, tandem ubi ad se nonnihil reversa est, confestim ad artes suas meretricias, & illecebras, quibus adolescentes ad se pertrahat, tota revertitur: accipit citharam (sic erant earum regionum meretrices in lenociniis musicis instituta) circuit civitate, suaviter modulatur fidibus, & addit dulcedinem vocis cantando, quò sese rursus animis adolescentum insinuet. Ita restituta Tyrus ad artes mercatorias, quibus usa fuerat, ante vastationem, studiosissimè redibit* &c. Vide etiam Jer. 6: 1, 6, 26. Analogum huic Prophetarum mori est, quod & aliàs *imperativus pro futuro indicativi*, ponitur, ut in Grammatica sacra exponitur p. 357. III. Ad animantia bruta & ratione carentia. Joël. 2: 22. *Ne timeatis animalia agri, quia germinaverunt pascua deserti* &c. Jer. 12. ℣. 9. similis videtur esse apostrophe, sed ibi metaphorice Chaldæi intelliguntur, ut suprà suo loco dictum. Pertinet autem huc psalmica ad laudem Dei exhortatio, ad creaturas omnes, inter

[a] 4. Apostrophe.

[b] Mos Prophetiæ quidam.

inter quas bestiæ etiam sunt, instituta, Ps. 148:10. IV. Ad res mutas, omnique sensu destitutas, ubi per prosopopœjam metaphoricè persona iis tribuitur. a 2Sam. 1. ℣s. 21. *Montes Gilboa, ne sit ros neque pluvia super vos; & agri elevationum: quia ibi projectus est clypeus Saul* &c. In quem locum ita D. Brentius: *Est prosopopœja, indignabundis admodùm familiaris. Nam quemadmodum fugentibus arma fiunt, quæcunque arripuerint, sive cantharus, sive scabellum, sive vitrum: ita dolentibus quævis obvia, adversæ fortunæ causa videntur, etiam insensibilia aut impertinentia. Sic Hiob dolens, maledicit diem nativitatis suæ, & noctem in qua dictum est, natus est homo. Quid dies, quid nox commeruerunt? nihil planè: sed his maledictionibus ingens afflicti dolor exprimitur. Ita maledicuntur à Davide montana Gilboë. Quid verò ipsa commiserunt? nihil prorsus. Cur enim Saul non domi mansit, aut piè vixit, quò in tantum discrimen non venisset? Sed hac prosopopœja manifestatur affectus dolentis, qui cupiat omnia perdita, modò is qui amatur, salvus foret.* Alia exempla sunt 1 Reg. 13: 2. Psalm. 114:5,6. Psal. 148:3. seqq. Jer. 46:6. Ezech. 13:11. (in Hebræo) cap. 21. ℣s. 16. cap. 36. ℣s. 1,4,8. seqq. Joël. 2:21. Mich. 6. ℣s. 2. Zach. 11. ℣s. 1, 2. Hos. 10. ℣s. 8. Luc. 23. ℣s. 30. 1Cor. 15. ℣s. 55. b In specie ἀποστροφή quandoque fit *ad cælos*, uti & *terram*, Deut. 32:1. Esa. 1:2. Jerem. 2. vers. 12,13. cap. 22. vers. 29. De quo ita Arias Montanus in libro Joseph. c. 6. *Cœli aliquando testes à DEO appellari solent, autoritatis, & integritatis & certitudinis causâ. Nulla enim ex iis, quæ in terrâ fiunt, rebus cœli conspectum latere potest, quod motu suo omnia quotidiè perlustrat. Vivit autem cœlum, sentit, audit & videt, DEO, cui omnia vivunt* &c. Ad evincendam, detestandamque hominum (quorum erat, DEUM, benignissimè verbo suo vocantem, audire, eique obsequi) infidelium & improborum malitiam, contumaciam & ingratitudinem, hanc ἀποστροφήν fieri, ex ipso textu, uti & phrasibus parallelis, Deut. 30:19. Ps. 50: 1,4. Roman. 8:20,22. patet. Hieron. in comm. Esa. 1. vers. 2. *Quia per Moysen testes vocaverat Dominus cœlum & terram, dans populo Israel legem suam* (Deut. 32:1.) *post prævaricationem populi, eosdem rursum in testimonium vocat, ut cuncta elementa cognoscant, juste Dominum in ultionem mandatorum suorum ad iracundiam concitatum.* Sensus igitur est: Si intelligentiam & rationem haberent cœlum & terra, accusaturi certò essent populi hujus impietatem: Cùm illa, & omnia, quæ iis continentur, eum finem, ad quem sunt condita, solicitè observent: Soli autem homines, propter quos universa condita sunt, DEO reluctentur.

a 2Sam. 1. 2. montes Gilboæ &c.

c Prosopopœja.

d Divisio prosopopœjæ

b Apostrophe ad cœlos & terram.

c Προσωποποιΐα vel PERSONÆ EFFICTIO est, quâ in oratione vel alia persona loquens, vel res inanimata, ut persona loquens introducitur. Tradita & suprà fuit, atque in metaphorarum censum relata est *prosopopœja*, tract. 1. c 9. Differt autem ea à figurâ præsenti, *tùm* ratione subjecti; *illa* enim res inanimatas, & alia quædam, quæ non sunt personæ, concernit; *hæc* verò etiam homines: *Tùm* ratione prædicati & attributorum: *in illâ* enim cujuscunque generis attributa à rebus animatis, & cumprimis ab hominibus, ad res inanimatas translata, attenduntur; *in hac* verò tantùm sermo seu loquela: dumque sermonis rebus inanimatis tribuiti, *in illâ*, fit mentio, ejus tantummodò actus attenditur: *in hac* verò sermonis simul formale, sive verba sermone prolata &c. d Cæterùm figuram hanc quidam ita distinguunt, quòd sit vel *imperfecta*, vel *perfecta*. *Imperfectam* vocant, quâ alienæ personæ sermo leviter & obliquè tantùm repræsentatur, seu cùm quis suo sermone, quid alia aliqua persona dixerit, narrat & exponit. *Perfectam*, cùm personâ propriâ velut omninò depositâ, alia vel persona vel res, ut loquens introducitur, seu, cùm ipsa introductæ personæ verba formalia recensentur: Quam ex Platone de Repub. 3. & Aristotele de Poët. μίμησιν seu *imitationem* vocant, & in eâ tria distincta occurrere docant: præ[illegible], seu accessum, hoc est, præfatiuncul[illegible]r alterius sermo futurus: deind[illegible] personæ vel rei inductæ sermonem: tand[illegible]ssum seu clausulam, quâ indicatur sermo [illegible]itus. Ubi tamen monent, primum & u[illegible]num aliquando per κρύψιν omitti, ut ita auditoris animus repente ad alienam personam cogitandam rapiatur &c. Alii ita distinguunt, quòd prosopopœja sit vel *continens*, quæ constat perpetuâ & non interruptâ sermonis continuatione. Vel *interrupta*, quæ ficta personarum inter se colloquentium inductio est, sermocinatio & dialogismus appellata. Vel *obliqua*, quâ ea, quæ à nobis vel ab aliis sunt dicta, cum quadam imitatione repræsentamus. Gerh. Vossius lib. 5. instit. orat. c. 7. *duos* duntaxat προσωποποιΐας modos esse ait: *Unum*, quo è non persona facimus personam, sive rei mutæ sermonem attribuendo, sive rei brutæ adfingendo sensum, sive alloquendo rem brutam, quasi intelligat: *alterum*, quo mortuos loqui fingimus, qui modus *idolopœja* à quibusdam dicitur. A prosopopœja distinguit διαλογισμὸν, cùm

cùm in narratione certus attribuitur ſermo perſonæ veræ, ac quæ ſit præſentis argumenti. Etſi autem certum eſt, non omnem perſonæ loquentis introductionem, etiam in hiſtorica recenſione, ad figuræ προσωποποιΐας (quæ ſermonis ornatus quidam eſt) cenſum pertinere: nos tamen, ſcripturæ interpretationem pro ſcopo habentes, integram de perſonis loquentibus, rebuſque ut loquentibus introductis, materiam, paulò uberiùs hac occaſione tractabimus. Ita igitur diſtinguendo progredimur: In ſcriptura ſacra vel *vere perſona* loquens introducitur; vel *res inanimata*. Prius illud vel *apertè* fit, vel *tectè*. *Apertè*, cùm dicendi verbum præmittitur, & loqui aliam quandam perſonam, clarè indicatur. *Tecte*, cum *dicendi* verbum omiſſum eſt. In aperta proſopopœja *vel* reipsâ prolatus ſermo eſt, *vel* ad aliud ſignificandum prudenter fictus & efformatus. Et prior quidem ille, vel *bonus* & verus; vel *malus*, ac falſus. Nunc ad Exempla ordine progrediemur. I. Bonus veruſque ſermo aliorum toties proponitur à ſacris ſcriptoribus, quoties vel DEI ipſius, & Salvatoris Chriſti, vel ſanctorum Angelorum, vel credentium hominum, vel alioquin rectè ſentientium, verba exprimuntur, quæ prolocuti illi ſunt. Pſal. 2:7. *Dominus dixit ad me* (inquit Meſſias) *Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* v. 8. *Poſtula à me, & gentes dabo hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam fines terræ.* v. 9. *Conteres eas virgâ ferreâ, ficut vas figuli confringes eos.* [illegible] *Et impio dixit DEUS: Quid* [illegible] *ras ſtatuta mea, & aſſumis* [illegible] *per os tuum.* verſ. 17. *Et tu odiſti d*[illegible] *&c.* Eſa. 66. verſ. 1. *Sic dixit Domi*[illegible] *Cæli ſolium meum, & terra ſcabellum pe*[illegible] *meorum &c.* Et ſic creberrimè DEUM ipſum loquentem faciunt Prophetæ, non ut oratio tantum majorem autoritatem habeat, ſed & potiſſimum, quia, ut 2 Pet. 1:21. dicitur, *non hominis voluntate allata eſt olim prophetia, ſed à Spiritu ſancto impulſi, locuti ſunt ſancti DEI homines.* Ex hac de cauſa non immeritò dubito, an genus hoc ſermonis, accuratè loquendo, ad Rhetoricam hanc proſopopœjam referri debeat (quod ab aliis fit) cum DEUS ipſe Scripturæ autor ſit, & per Prophetas, ut miniſtros & amanuenſes ſuos, immediatè fuerit locutus & ſcripſerit. Non homines DEUM loquentem introducunt, ſed DEUS per illos θεόπνευςως ſeipſum. Confer Heb. 1:1. Hæc de ſermone DEI. De angelorum verò bonorum, credentium hominum, vel alioquin rectè ſentientium loquelà, non opus eſt exempla cumulari, cum Scripturæ ſacræ lectio ea abundè ſuppeditet. [a] Prudenter autem ſingulorum textuum περιστάσεις conſiderandæ, & quæ cuilibet loquenti competant, obſervandum eſt, [a] Obſervatio.
ut compoſitionis fallacia evitetur. Jerem. 26:17, 18, 19. Seniores quidam Judææ, loquentes pro Jeremia introducuntur. Quòd ſi ℣ſ. 20, 21, 22, 23. iiſdem loquentibus attribuere quis velit, & dicentium illorum, & ipſius textus prophetici ſcopo contraibit. Cohærent igitur illi verſus cum ultimo, & recenſionem hiſtoricam continuant, de exſecutione ſententiæ, & liberato per juſtum judicium Jeremiâ, contra illegitimam Regis violentiam: cujus exemplum quatuor illis verſibus continetur. Connexio talis eſt: *Et quamvis etiam quidam prophetans nomine Jehova, Uria filius Semajæ &c.* (etſi Rex Jojakim hanc tyrannidem in virum DEI Uriam exercuerat, prout his verſibus enarratur, quod ipſum Jeremiæ obtingere potuiſſet,) ℣ſ. 24. *Attamen manus Achikami filii Schaphanis adfuit Jeremiæ, ut non traderet eum in manum populi,* 1.
*ad morte afficiendum ipſum.* Contrà Actor. 19:4, 5. verba Pauli loquentis ritè conjungenda ſunt, ut erroris anſa præcidatur. De quo vide Grammat. ſacr. p. 609. II. Malus & falſus ſermo proponitur, quando Diaboli & homines impii loquentes inducuntur. II.
Pſalm. 3:3. *Multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ei in DEO.* Pſal. 12:5. *Qui dicunt, linguam noſtram roborabimus, labia noſtra nobiſcum, quis eſt Dominus nobis?* Eſa. 14:13. *Et tu dixiſti in corde tuo: cœlum aſcendam, ſupra ſtellas DEI exaltabo ſolium meum &c.* Matth. 23:16. *Væ vobis duces cœci, qui dicitis: quicunque juraverit per templum, nihil eſt; qui autem juraverit per aurum templi, obnoxius eſt &c.* [b] De hoc ſermonis genere utiliter obſervari poſſunt iſta: 1. *Hiſtorica narratio, quamvis veriſſima ſit, non tamen omnia, quæ ibi dicuntur, vera eſſe creduntur.* Proponit hoc Au- [b] Obſervationes. 1.
guſtinus lib. contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas, cap. 9. & his exemplis declarat: *Multa à Judæis falſa & impia dicta eſſe, verax Euangelii ſcriptura teſtatur. Ut in libro Job, ubi multæ perſonæ locutæ eſſe narrantur, non ſolùm quid dicatur, ſed à quo etiam dicatur, conſiderandum eſt, ne paſſim, quæ in ſancto libro quolibet ſcripta ſunt, recipientes, cogamur fateri, quòd abſit, vera & juſta fuiſſe, quæ marito ſancto mulier inſipiens ſuggerebat* (c. 2, 9.) *ut aliquid adverſus DEUM loquens, ab illa intolerabili pœna moriendo liberaretur &c. Sic dictum eſt a Judæis, Domino Chriſto* (Joh 8:48.) *nonne verum dicimus, quia Samaritanus es, & Dæmonium habes? quam vocem tantò amplius deteſtamur, quantò nobis Chriſtus eſt charior:*

*Emissam tamen esse à Judæis dubitare non possumus, qui Euangelicam narrationem verissimam credimus. Ita nec Euangelistæ derogamus fidem scribenti; & Judæi vocem blasphemantis exsecramur. Nec solùm impiis & nefandis hominibus, sed nec ipsis in fide parvulis, atque adhuc rudibus & indoctis, qui fortè ibi loquentes commemorantur, tanquam canonicæ autoritati, accommodamus fidem. Neque enim quia ille, cujus cæci nati oculos Dominus aperuerat, ait* (Joh. 9:31.) *Scimus, quia peccatores DEUS non exaudit, ideò istam sententiam pro Euangelica autoritate sic debemus accipere, ut ipsis in Euangelio verbis Domini resistamus, qui illum* (Luc. 18:13, 14.) *qui dixit, Domine, propitius esto mihi peccatori, magis justificatum descendisse de templo, quàm Pharisæum, justitias suas commemorantem atque jactantem, divinâ voce firmavit.* Sanctius in comment. Actor. 7. num. 44. *Sæpè à scriptore canonico traditur aliquid, quod ab iis dictum est, minùs sapienter ac verè; & tunc scriptor non probat dicta, sed tantùm refert. Sic Jephthe Jud. 11. v. 26. trecentos annos dicit terram ab Hebræis possessam, cùm tamen verum non sit. Sic, si Hieronymo credimus, Matthæus cap. 2: 6. verba retulit, non ut erant à Michea scripta, sed ut à scribis recitata: Et tu Bethlehem in terra Juda &c.* Quidam ita distinguunt: In Scripturis sacris rès duplices continentur: quædam dicuntur ἱστορικῶς, *recitativè*; quædam verò ἐξηγητικῶς, *assertivè & approbativè. Posterioris* generis narrata semper vera sunt; non autem *prioris*. Ubi iterum disting. inter ipsam historiam, & sermonem dicentis in historia introducti. *Illa* vera est, *hic* verò non semper &c. 2. Cùm sermo aliorum malus falsusque refertur, vera Spiritus sancti sententia ei quandoque interseritur, uno atque altero verbo. 1 Reg. 21:10. verba, quæ Isabel ad cives Jizreëlis scripsit, ita referuntur: *Et collocate duos homines, filios Belial, ex adverso ejus, qui testificentur contra eum &c.* Voces illæ, *filii Belial*, non Isabelis sunt, quæ sub specie recti, & prætextu juris, hoc opus perfici desiderabat; sed sunt Spiritus sancti, & autoris libri hujus, quibus exegeticè & κατ' ἀλήθειαν testes ab Isabele submissos describit, uti & ℣ſ.13. &c. Esa. 28:15. *Quoniam dicitis, pepigimus fœdus cum morte, & cum sepulchro fecimus pactum: flagellum inundans cùm transierit, non obveniet nobis: quia posuimus mendacium spem nostram, & in falsitate abscondimus nos.* R. Kimchi in h. l. *Ipsi non appellârunt mendacium & falsitatem, sed Propheta appellat ita spem illam. Intelliguntur autem verba falsorum Prophetarum, qui mendaciter benè sperare eos jusserunt.* Esa. 30. ℣ſ. 10. *Qui dicunt videntibus, ne videatis; & prudentibus, ne provideatis nobis recta; loquimini nobis blanda, providete illusiones.* ℣ſ. 11. *Recedite à via, deducite ab itinere, facite ut cesset à facie nostra sanctus Israëlis.* Non infideles illi, sed Spiritus sanctus *illusiones* vocat, quas illi expetebant, visiones: tales enim reverâ erant. Expetebant sibi prophetias edi de pace, instar pseudoprophetarum: Spiritus autem Dei per prophetam appellat hoc illusionem, à via recta secessionem, quin Dei ipsius abjectionem. Confer 2 Sam. 5. vers. 6. cum annot. marginali Lutheri, D. Brentius in comm. Esa. 44. pag. 360. de hac Scripturæ consuetudine ita loquitur, & plura exempla ejus adducit: *Usitatum est, quòd ingeniosi homines pingant impietatem verborum coloribus, & obtrudant eam hominibus pro vera pietate. Spiritus sanctus autem non agnoscit ea, quæ homines ad tegendam aut excusandam suam impietatem excogitant & prætexunt; sed videt, ut est oculatissimus, ea, quæ latent in recessibus animorum, & judicat secundùm ea, quæ sunt in latebris cordis. In Deuteronomio* (cap. 29. ℣ſ. 19.) *benedicit sibi impius in corde suo, & ait: Pax erit mihi, & ambulabo in pravitate cordis mei. Quis autem tàm impudens esset, qui palàm diceret, suas vias esse pravas, & se in hac pravitate perseveraturam? In Psalmo* (14:1.) *dicit insipiens in corde suo: non est Deus. Quis autem videri vult se hoc sentire? Ne Epicurus quidam dicere voluit: Non est Deus. In Esaia* (cap. 28: 15.) *dicunt impii: posuimus mendacium spem nostram. At quis unquam potuit ab impiis, adhuc felicibus, extorquere, ut faterentur, spem suam esse mendacium. Sic & hoc loco* (Es. 45; 17.) *idololatra dicit ad simulacrum: Libera me, quia Deus meus es tu. At idololatra nihil minus videri volunt, quàm quòd colant truncum ligneum pro vero Deo. Quare Spiritus sanctus recitat ea impiorum dicta, non quæ externis verbis loquuntur, sed quæ videt, in recessibus cordium eorum latere. Certissimum autem est, quòd idololatra, etsi vociferatur, se adoratione sua coram simulacro non colere lignum, sed verum Deum in cœlo; tamen in recessu cordis sui dicit ad lignum; Tu es Deus meus. Quod dictum ipse quidem non audit, nec cogitare videtur, res autem ipsa docet, quòd hæc sit prorsus animi sui sententia &c.* Et in comm. Jer. 18:12. ad verba; *Et dixerunt: desperatum est, siquidem, post cogitationes nostras ibimus, & unus quisque obstinationem cordis sui mali faciemus,* in annotat: *Spiritus recitat impiorum verba, non oris, sed cordis. Non enim vocant impii sua studia, mala: sed cùm reverà mala sint, Spiritus pro sua sententia pronunciat.* Apoc. 2. ℣ſ. 24. *Qui-*

*cunque non tenent doctrinam hanc, & qui non approbant profunditates Satanæ, ut ajunt &c.* Hæretici illi doctrinam suam vocabant *profunditates*, seu profunda mysteria, quasi profundissimam rerum divinarum cognitionem complecteretur: sed Johannes addit *Satanæ* nomen, *profunditates Satanæ* vocans, uti reverà erant. (Idem, ut & hoc ob materiæ conformitatem addam, in historica relatione vera ac simplici quandoque videre est. Matt. 1: 18. *Cum esset desponsata mater ejus Josepho, antequam convenirent, inventa est in utero habens, de spiritu sancto.* Posteriora hæc verba, *de Spiritu sancto*, non respectu Josephi, de quo narratio instituitur, dicuntur, is enim ignorabat, Mariam concepisse Spiritus sancti miraculosâ operatione; sed ab Euangelista sunt addita, ad declarandam ipsam rei veritatem, ab Angelo patefactam, vers. 20. quæ priùs in opinione Josephi longè aliter se habebat.) 3. Non omnia, quæ Diaboli & infideles prolocuti esse commemorantur, in se mala & falsa sunt, licet animo fallaci & fraudulento ea protulerint. Patet hoc inter alia ex verbis Dæmoniorum, Marc. 1. vers. 24. Luc. 4. vers. 43. Actor. 16. vers. 16, 17. Caiphæ pontificis Judæorum, Johan. 11. vers. 49, 50. &c. Id ut porrò illustretur, notandum est, eorum, quæ in sacris literis dicuntur, discrimen, à Gregorio lib. 23. moral. cap. 3. traditum: [a] *Omne, quod dicitur in sacris literis, quadripartitâ potest qualitate distingui. Aut enim mala malè, aut bona benè, aut mala benè, aut bona malè dicuntur. Mala malè dicuntur, cùm res perversa suadetur, sicut scriptum est* (Job. 2: 9.) *benedic Deo & morere. Bonum benè dicitur, cùm recta prædicantur, sicut Johannes ait* (Matth. 3: 2.) *pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. Malum benè dicitur, quando per os dicentis idcircò vitium exprimitur, ut reprobetur &c. Male autem bonum dicitur, cùm rectum aliquid recto studio non profertur: sicut illuminato cœco, Pharisæi dixisse perhibentur* (Joh. 9 v. 28.) *tu sis discipulus ejus: quod maledictionis utique dixerunt studio, non orationis voto. Vel sicut Caiphas ait: Expedit unum mori pro populo, ut non tota gens pereat. Bonum quippe, sed non bene locutus est, quia dum crudelitatem necis Christi appetit, redemtionis gratiam insciens prophetavit &c.* III. Sermo ad aliud significandum prudenter fictus & efformatus, *in parabolis*, quarum benè multæ in scriptura sacra, præsertim scriptis Euangelistarum, occurrunt, videre est. De iis vide lib. 2. Philolog. sacræ pag. 216. seqq. [b] Pertinet etiam hùc, quando sermo personis tributus, ipsius rerum statûs signum est, qui *ut signatum* per sermonem illum figuratur quasi & innuitur. Esa. 3. vs. 6. *Quia apprehendet vir fratrem suum, domus patris sui* (dicendo;) *vestimentum tibi est, gubernator esto nobis, & ruina hæc sub manu tua sit*; v. 7. *Jurabit in die illa, dicens: Non ero alligans, & in domo mea non est panis, nec vestimentum: ne constituatis me gubernatorem populi.* Gubernatorum facultate pollentium raritas, hoc dialogismo, & sermone efficto innuitur prædiciturque Esa. 4: 1. *Et apprehendent septem mulieres virum unum, in die illa, dicendo: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris induemur, tantùm invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Futura virorum, ob crebras cædes, penuria, ac mulierum desolatio prædicitur &c. Ejusdem ferè argumenti canon est, ex Ribera propositus in Philol. sacrâ lib. 1 pag. 143. [c] Referatur 3.
huc illud Christi Matth. 23: 39. ad Judæos impios prolatum: *Dico enim vobis; hautquaquam me videbitis posthac, donec dicatis; benedictus, qui venit in nomine Domini.* Ipse adventus Christi gloriosus ad judicium, sermone hoc impiis Judæis attributo, innuitur. Maldonatus in h. l. *Sic mihi loqui videtur Christus, ac si Rex alicui se pro Rege non agnoscenti diceret: Suspendam te, & tunc dices, me esse Regem: non enim significat, eum verbis dicturum, sed reipsâ experturum esse.* Alludit autem ad superiùs acta cap. 21, 15, 16. ubi blasphemare putabant pueros, quòd Christo canerent: *Hosanna filio David &c.* IV. Hactenus de eo, cùm *apertè* persona loquens introducitur, & verbum *dicendi* præmittitur. *Tectè* idem fit, verbo *dicendi* omisso: [d] quem modum μίμησιν, *mimesin*, hoc est, *imitationem*, appellitare lubet. Estque vel *simplex*, vel *connexa*. Simplex, quæ sine collocutione fit, Esa. 21: 3. *Proptereà repleti sunt lumbi mei dolore, tormina apprehenderunt me, sicut tormina parturientis, incurvatus sum ab auditu, consternatus sum à visu.* ℣s. 4. *Errat cor meum, horror terret me: noctem amabilem posuit mihi in terrorem.* Post oraculum Dei, de exterminio Babylonis per Persas & Medos, mimesis hæc Regis Babyloniæ subjungitur, qua ejus anxietatem & terrorem perinde exprimit, ac si res ipsa tunc gereretur. Confer complementum, quod Dan. 5: 6, 9, 10, 30. describitur. Jerem. 49. ℣s. 10. *Vastabitur semen ejus, fratresque ejus, & vicini ejus, adeò ut nullus sit* (qui dicat) ℣s. 11. *Relinque pupillos tuos, ego in vita conservabo; & viduas tuas: mihi confiditote.* Vide & ℣s. 14. Alia exempla sunt Psal. 2: 3. Psal. 82: 9. Psal. 89: 4. Eccles. 4: 8. Prov. 23: 35. Esa. 14: 16. cap. 22: 13. cap. 33: 18. cap. 56. ℣s. 12. cap. 58. ℣s. 3. Jer. 3. ℣s. 17.

[c] Matt. 23. 39. Non videbitis me posthac donec dicatis. benedictus, &c.

IV.

[a] Distinctio eorum, quæ dicuntur.

[d] Mimesis.

III.

[b] Sermo status rei ipsius nota & index.

17. cap. 6. ℣s. 4, 5, 6. cap. 8: 14. c. 11: 19. cap. 20. ℣s. 10. cap. 30. ℣s. 17. cap. 31. ℣s. 3. Thren. 3. vs. 42. cap. 2. vs. 15. Mich. 2. vs. 11. Act. 1: 4, 5. cap. 15: 5. cap. 17: 3. 1 Cor. 15: 32. Colos. 2: 21. &c. Confer Grammat. sacram lib. 4. tract. 2. observ. 9. ubi locus 1 Reg. 20: 24. ponitur. V. [a] *Connexa mimesis* est, quæ cum dialogismo seu sermocinatione fit. Psal. 118: 19. seqq. insigne exemplum hujus est, quod verbis Junii exegeticis Parall. 1: 37. proponere placet: *Aperite mihi* (inquit pius) *portas justitiæ, ingressus per eas celebrabo Jah.* Huic petitioni subjicitur sua responsio, tanquam si Ecclesia mater singulos suos filios institueret de causis salutis ipsorum. *Portas*, inquit Ecclesia, *desideras?* vs. 20. *Hac illa est porta Jehovæ, quâ justi ingressuri sunt, nimirum Christus, qui via est, veritas & vita.* Hoc aditu explicato, gratulantur pii, dicentes, vers. 21. *Celebrabo te &c.* tanquam si dicerent: Cùm aditum hunc, quem nobis patefecit Deus, aspicimus, quo testatur nobis, fore ut nos porrò exaudiat, & salute donet, non possumus non prædicare singularem ipsius beneficentiam: præsertim cùm omnia divinitùs data & oblata esse animadvertamus generi humano quicquam ejusmodi ne per somnium quidem cogitanti. Nam quæ est hæc porta, obsecro? vs. 22. *Lapis est, quem reprobaverunt ædificantes; ea facta est ἀκρογωνιαία ansam ædificii & portam ipsam constituens: deinde idem lapis & columen est ædificii, & aditus in ædificium. Quam rem omnino necesse est,* (vers. 23) *fateamur, à Jehova factam esse*, non autem ab ullo homine proficisci, cùm mentis captum superat, quantò magis hominis artificium? Deinde, quanto tempore? vs. 24. *hoc die fecit Jehova, non diuturno labore aut artificio.* Quapropter æquum est, ut gaudium, lætitiamque nostram in ipso uno statuamus, & gloriantes certâ fiduciâ & liberatione nostra, in hoc ipsius aditu proclamemus, vs. 25. *Obsecro Jehova, serva nunc &c.* id est, plenam salutem dato membris Ecclesiæ tuæ, & secundato viam Christi tui: quam excipimus omnes hac faustâ acclamatione. vers. 26. *benedictus est, qui venit in nomine Domini: neque solum in seipso, aut personâ suâ benedictus, sed voce Evangelii benedictionem divinam in eos transfundens, qui credunt verbo ipsius, dicentis: benedicimus vobis è domo Jehovæ*, id est, è cœlis, sive à locis altissimis, ut in Scriptura passim *domus Jehovæ* definitur. Hæc Junius, cujus verba, quia textum arctè cohærentem explicant pulcerrimè, integra adscribere volui. Pertinet huc *Canticum canticorum*, quod continuatus est dialogismus; & caput 63. Esaiæ, in quo collocutio instituitur inter Christum & Ecclesiam, de glorioso Christi per passionem & mortem triumpho, in resurrectione manifestando. Item Jerem. 47. vers. 6, 7. VI. [b] Hactenus de vera persona loquente: Insuper verò & *rei mutæ ac inanimatæ* sermo tribuitur, ut Jud. 9: 8. seqq. ubi *arbores*, ut personæ loquentes, & inter se sermocinantes, in parabola Jothami, introducuntur, uti & 2 Reg. 14. vs. 9. Eâdem ratione loquela & certa verba attribuuntur *perditioni & morti*, Job. 28: 22. *abietibus*, Esa. 14: 8. *de mortuis*, ibidem ℣. 10. & Ezech. 32. vers. 21. *Justitiæ fidei*, Rom. 10. vers. 6, 7, 8. Vide etiam Rom. 9. vers. 20. 1 Cor. 12: 15, 16. &c. Quidam hûc referunt Prov. 1: 20. seqq. cap. 8: 1. seqq. usque ad cap. 9: 7. ubi *sapientia* seipsam commendans & homines ad participationem sui vocans, introducitur. Sed rectè saniores Theologi per *sapientiam*, Christum Jesum intelligunt, qui cap. 1: 20. cap. 9: 1. in plurali חָכְמוֹת excellentiæ causâ dicitur, q. d. ipsissima Dei sapientia, & omnis sapientiæ autor. cap. 8: 14. *consilium, robur & prudentiam* sibi attribuit. vers. 17. *amantes sui redamare*, vers. 24, 25. *genita seu nata esse*, vers. 22, 27, 30. *apud Deum ante creationem exstitisse*, v 23. *inuncta seu constituta fuisse*, nimirum in Regem & gubernatorem, vers. 30. *ludere coram Deo in orbe terrarum &c.* dicitur, quæ & alia, ibidem exstantia, personæ veræ attributa esse patet. Confer Matth. 11: 19. Luc. 7: 35. cap. 11: 49. (conf. Matth. 23: 34.) 1 Cor. 1. ℣s. 24, 30. Col. 2: 3. Non igitur ad hanc ultimam, sed ad primam τῆς προσωποποιΐας classem, loca illa ex Proverbiorum libro allegata, pertinent.

V. [a] Dialogismus.

VI. [b] Rei mutæ & inanimatæ sermo tributus.

CAP.

# CAPUT. V.

## DE

# Ἐρωτήσει SEU INTERROGATIONE.

PRæcedentibus quinque, rectè additur sexta in logismo figura, ἐρώτησις seu *interrogatio*, cujus cum singularis in Hebraismo & hellenismo sancto sit ratio, placet eam seorsim hoc capite pertractare, & quidem 1. quoad ejus vim ac emphasin peculiarem; 2. quoad ejus usum. *Prius* considerari ritè potest, secundum ordinem interrogativarum vocum.

[a] *Quis*, interrogatione positum (præter ordinariam vim Grammaticam, quâ simpliciter & affirmativè quærit, Psalm. 15. vers. 11. Psalm. 24: 3. Esa. 42: 24. cap. 63: 1. &c.) absolutè negare solet, dum de personis sermo est. Psalm. 94. vers. 16. *Quis surrecturus fuisset pro me contra maleficos? quis se stitisset pro me contra eos, qui operam dant iniquitati?* q. d. nemo hominum mihi succurrere potuisset, ita actum de me erat. Solus autem Jehova mihi opitulari potuit, ut vers. 17. subjungitur. Psalm. 106. vers. 2. *Quis eloquitur summam potentiam Jehovæ? efferat totam laudem ejus?* hoc est, nemo hoc præstare potest. (At Psam. 9. vers. 15. dicit David; *ut enarrem universam laudem tuam in portis filiæ Zionis.* R. Kimchi hæc ita conciliat, quòd in *priori* loco intelligatur laus Dei, ob ea, quæ fecit universo populo suo: In *posteriori* ob ea, quæ Davidi seorsim exhibuit. Potest & dici, in *priori* loco de laude Jehovæ perfectissima, & mirificis ejus operibus beneficiisque exactè correspondente: In *posteriori* verò de conatu sincero DEUM laudandi sermonem esse. Confer Psalm. 40. vers. 6.) Psalm. 113. vers. 5. *Quis est sicut Dominus Deus noster?* hoc est, nemo quisquam est. Esa. 51: 19. *duo ista obvenerunt tibi: quis condoleret tibi? vastatio, & contritio, & fames & gladius: per quem consolarer te?* hoc est, nemo inter homines fuit, qui & verè condolere, & fortiter auxiliari tibi potuerit. Potuit autem & voluit Deus, qui hîc loquitur, & promissum gratiæ & auxilii in sequentibus profert. Esa. 53 v. 8. *Generationem ejus quis enarrare poterit?* hoc est, nemo potest, quia æterna est. Hebr. 1: 5. *Cui unquam dixit Angelorum; filius meus es tu? &c.* vers. 13. *Ad quem angelorum dixit unquam: sede à dextris meis? &c.* hoc est, ad neminem angelorum ita dixit. Vide & Esa. 40: 13, 14. Luc. 14: 5. Joh. 8: 46. Rom. 8: 31, 33: 34, 35. cap. 11: 34, 35. 1 Cor. 9: 7. &c. [b] Quandoque non absolute negat, sed restrictè, ita ut *quis*, respondeat Latinorum illi, *quotusquisque*, & paucitas innuatur. Psal. 90: 11. *Quis agnoscit robur iræ tuæ?* hoc est, quotusquisque est, qui agnoscat; seu, quàm omninò pauci sunt, qui agnoscunt: servi sc. Domini, de quibus vers. 13, 16. Ita etiam Esa. 53: 1. Hos. 14: 10. &c. Quandoque difficultatem ejus, de quo interrogatio loquitur, innuit. 1 Sam. 2: 25. *Si in Dominum peccaverit quis, quis intercedet pro eo*: hoc est, quàm difficile est, Deum ob peccata iratum reddere placatum. Prov. 31: 10. *Mulierem strenuam quis inveniet?* Non hoc ait, mulierem hujusmodi inveniri nullo modo posse, sed difficulter inveniri posse, seu raram esse inventu. Vide & Matth. 19: 25, 26. Mar. 10: vers. 26. & confer Marc. 10. ℣s. 23. Insuper *optantis* votum, hoc interrogativo pronomine effertur, de quo videatur Grammat. sacra pag. 368.

[b] Quis pro quotusquisque.

[a] Interrogativum personæ.

[c] Interrogativum rei seu facti.

[c] *An, nunquid*, in interrogatione positum (præter ordinariam vim, quâ simpliciter & affirmative quærit, Gen. 18: 21. Num. 13: 19. Rom. 3: 3, 5, 6. &c.) absolute negare solet, dum de re sermo est. Gen. 18: 14. *An difficile erit Domino verbum?* hoc est, minimè erit difficile. Ibidem v. 17. *Occultemne ego ab Abrahamo, quod sum facturus?* hoc est, minimè occultabo. Gen. 30: 2. *An loco Dei ego sum? qui prohibuit à te fructum ventris*; q. d. possemne ego mihi arrogare, quod solius Dei est? (hoc est, non sum, non possum) ipse te sterilem reddidit, & solus fœcundare potest. Eadem phrasis in sermone Josephi ad fratres est, Gen. 50: 19. *Ne timeatis: nam an loco Dei sum ego?* q. d. num possum mutare divinum decretum, & vobis nocere, quibus Deus per me prodesse voluit? hoc est, non possum hoc facere, nec vobis ulla ratione nocebo. Vide etiam Job. 40: 20. seqq. Joel. 1: 2. præter ea exempla, quæ in Grammat. sacr. p. 645. seqq. habentur. Contrà, ut ibidem dicitur, interrogativa illa ne-

*a Interrogatio negans.*

negans, *a nonne*, *annon*, affirmativum sensum gignit. Gen. 13:9. *Annon universa hæc terra tibi est exposita?* hoc est, omninò est. Junius: *Hæ interrogationes Hebrææ vehementissimam efficiunt affirmationem, tanquam si auditor coram in rem præsentem duceretur manu, & ad oculi jactum assensurus esset.* Gen. 37:13. *Et dixit Israël ad Joseph: Nonne fratres tui pascunt in Sichem?* h. e. omninò pascunt. Exod. 4:14. *Et dixit DEUS: annon Aharonem fratrem tuum scio omninò valere eloquio?* hoc est, scio ipsum valere eloquio. Vide etiam Deuter. 11:30. Jos. 10:13. Ruth. 2:9. c. 3:1. 1 Par. 21:17. (conf. 2 Sam. 24:17.) Job 7:1. Psal. 56:9, 14. Eccl. 6:6. Esa. 50:2. (conf. c 59 1.) Jerem. 23:24. Joël. 1:16. Amos 2:11. c. 5:20. Obad. v. 5, 8, 9. Jon. 4:11. Matt. 7:22. Marc. 12:24. (conf. Matt. 22:29.) Joh. 4:35. c. 6:70. c. 11:9. 1 Cor. 10:16. Heb. 1:14. &c.

*d Jer 23: 23. An DEUS de propinquo ego sum &c.*

*b Observatio.*

[b] Specialiter hîc notandum, esse quædam loca, affirmativè ἐρωτητικὰ, in quibus vel affirmativus etiam sensus est, vel particula negandi, *non*, subintelligenda est. 2 Sam. 15:27. *Et dixit Rex Zadock sacerdoti* הֲרוֹאֶה *an vides tu?* q. d. omninò vides, quid rerum agatur: Quasi per ellipsin dictum esset, pro *annon vides?* (Confer Ezech. 8:6.) Chaldæus loco interrogativæ legit ה emphaticum, ac si esset הָרֹאֶה Transfert enim, כָּהֲנָא חָזֵא אַתְּ *Sacerdos videns, seu Propheta, tu es.* Et ita Junius in duobus manuscriptis exemplaribus Hebræis haberi testatur, sensumque tradit hunc: Munus tuum non est, me privatâ conditione fugientem sequi, sed Reipubl. in rebus sacris inservire, & in statione tuâ residere, cum scil. Propheta sis. Lutherus etiam hanc lectionem sequitur, in vocativo vertens: O du Seher &c. 1 Sam. 2:27. הֲנִגְלֹה *an manifestando manifestavi me domui patris tui &c.* hoc est, omninò manifestavi me. Pagninus & Junius negativam hic supplent. Chaldæus affirmativè effert sine interrogatione, uti & Lutherus. 1 Reg. 16:31. *Fuit enim* (הֲנָקֵל *an leve fuit, ipsum ire in peccatis Jerobeam filii Nabat?*) *ut acciperet uxorem Iezebelem &c.* hoc est, leve fuit seu habitum est ei. Ariæmontanus & Junius hic quoque negativam supplent; *nonne leve fuit*, vel *habebatur &c.* Chaldæus, Pagninus, Lutherus, simpliciter affirmativè vertunt. Sensus est: quàm parvi fecit iste peccata priorum, qui novis illa cumulavit! [c] Jer. 31:20. הֲבֵן *num filius preciosus est mihi Ephraim?* אִם *an puer delectabilis?* hoc est, certè filius preciosus est mihi Ephraim, & filius delectabilis. Pagninus & Lutherus negativam supplent. Quidam verò secundum superiorem idiotismum affirmativam hanc interrogationem, negativum habere sensum astruunt, hoc modo: num in his malis, quibus Ephraim seu populus Israël in captivitate Babylonica obruitur, statuere quisquam posset, filium preciosum & delectabilem eum esse mihi? q. d. nullo modo. Sequitur: כִּי *attamen, ex quo loquor contra ipsum* (ad castigandum eum propter peccata) *recordando recordabor ejus adhuc* (כִּי pro *attamen*, usurpatur quoque Esa. 39:8. c. 66:8.)

*c Interrogativum modi.*

*e Jer. 31: 20. an filius preciosus est mihi Ephraim.*

[d] Jer. 23:23. הַאֱלֹהֵי *an DEUS de propinquo ego sum, dicit Dominus, & non DEUS de longinquo?* h. e. sum DEUS de propinquo, & non DEUS de longinquo. *De propinquo*, hoc est, omnipræsens & omniscius. *Non de longinquo*, hoc est, absens, & rerum humanarum inscius & incuriosus. LXX. Θεὸς ἐγγίζων ἐγώ εἰμι, λέγει κύριος, καὶ οὐχὶ Θεὸς πόῤῥωθεν. Lutherus negativam supplet: Bin ich nicht ein Gott der nahe ist &c. q. d. omninò talis sum. Alii contrà interrogationem affimativam retinent, & negativum sensum sequuntur. R. Kimchi cum Deut. 32:17. collationem instituit, ubi Dii alieni dicuntur חֲדָשִׁים מִקָּרֹב בָּאוּ *novi, qui è propinquo advenerunt;* & sic explicat: *Num instar Deorum alienorum, de quibus Moses d. l. loquitur, ego sum? & annon sum DEUS è longinquo? an non à prima usque mundi creatione noverunt me homines, quòd sim DEUS universi hujus? Et non sum ego sicut Dii novi isti, qui non vident, nec audiunt: quia ego video opera filiorum hominis, & audio verba eorum, audio etiam verba pseudoprophetarum in nomine meo falsò vaticinantium &c.* Vatablus: *De propinquo*, scilicet tempore. *An sum DEUS novus & recens, & non potiùs DEUS æternus? non sum similis idolis nuper inventis.* (Ita ferè מִקָּרוֹב *de propinquo* usurpatur Job 20:5. *Quod cantus improborum de propinquo est*, hoc est, quod eorum prosperitas modò tantùm & recens cœpit, ac mox desinit.) Ita etiam Bened. Arias Montanus in lib. de idiotismis Hebr. & Flacius in clave Script. parte 1. p. 974. &c. R. Salamo sic exponit: *Num DEUS è propinquo ego sum? qui scilicet non videam, nisi ea, quæ mihi conjuncta sunt? & non sit in me virtus judicandi inferiora, quæ à me remota sunt, & nesciam eorum facta?* Tantum etiam de his, progrediamur ad alia.

[e] *Quomodo*, πῶς, in interrogatione positum, itidem absolutè quandoque negat. Flacius parte 2. clavis col. 364. *Est & aliud quoddam interrogationum genus, quod videtur modum ac formam rei quærere, cùm simpliciter negat rem totam. Huc pertinet vocula, quomodo, quæ non quærit de modo agendi, aut etiam acta rei, sed sim-*

*ſimpliciter negat, aut falſitatis arguit ſermonem alicujus.* Ex.6:2. *Ecce filii Iſraël non audiverunt me,* וְאֵיךְ *& quomodo audiet me Pharao?* hoc e. nequaquam me audiet. Idem v. 30. repetitur. Vide etiam Deut.7.v.17. Jud.16.v.15. Pſal.73:11. Pſalm.137:4. Matth.12:26,34. c.23:33. Marc.4:13. Luc.6:42. Rom.10:14,15. 1 Cor.14:7,9,16. 1 Tim.3:5. Heb. 2:3. &c.

[a] *Cur, quare,* לָמָּה in prohibitione non rarò adhibetur. Gen.27.43. *Fili mi, fuge tibi ad Laban fratrem meum, donec conquieſcat furor fratris tui &c. quare orbarer utroque veſtrùm die uno?* h.e. ne orber utroque. 1 Sam.19:17. *Dixit Michal Sauli: Ipſe dixit ad me, demitte me, quare te interficiam?* h.e. ne te interficiam. Sic etiam 2 Sam.2:22. 2 Par.25:16. Pſalm. 79:10. Eccl.5:5. c.7:17,18. Jer.27:13,17. c.40:15. Ezech.33:11. Dan.1:10. Hactenus de priori membro, ſequitur *poſterius*, ratione uſus.

[b] *Uſus* interrogationis varius eſt, & cuicunque propemodum affectui illa ſervit. Potiora quædam enumerabimus ſecundum literarum ſeriem. Eſt interrogatio, ABOMINATIONIS ſeu abſurditatis declarandæ, Joh.3.v.4. *Quomodo poteſt homo naſci, cùm ſit ſenex? numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterum introire & naſci?* q.d. abſurdum hoc eſt, & meo judicio fieri non poteſt. c.6:52. *quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam?* q.d. abſurdiſſimum hoc eſt. Confer v.60. Sic & c.12:34. ADMIRATIONIS. Gen.17:17. *Dixit Abraham in corde ſuo: an nato centum annos naſcetur? an etiam Sara? an nata nonaginta annos pariet?* Eſt interrogatio, divinam potentiam cum ſua & uxoris impotentiâ comparantis, admirantis & ſuſpicientis, uti Rom. 4:19,20,21. oſtenditur. Gen.27:20. *Quid hoc? feſtinaſti invenire* (feram) *fili mi?* hoc eſt, miror te tàm citò reperiſſe & cepiſſe. Gen. 42:28. *Quid hoc fecit DEUS nobis?* q.d. mirum eſt, quid hoc ſibi velit, & cur DEUS reſtitui nobis pecuniam noſtram curaverit? num portendat boni aliquid vel mali? Videantur quoque Cant.3:6. Pſ.133:1. Eſa.1:21. c.63:1. Ezech.16:30. &c. Matth.21:20. *Et videntes diſcipuli mirati ſunt, dicentes: πῶς ut confeſtim exaruit ficus?* hoc eſt quam mira res eſt, tàm citò exaruiſſe! Marc.6:37. *Num profecti emerimus ducentis denariis panes, & dedemus eis, quò veſcantur;* Interrogatio eſt cum admiratione & ironiâ quâdam conjuncta, quâ utuntur, qui indignantes tacite negant, ſe aliquid facturos. AFFIRMATIONIS, de qua in præcedentibus. DEMONSTATIONIS, certi nimirum ſubjecti, de quo aliquid affirmatur vel prædicatur. Ezech.8:6. *Fili hominis, videſne quid iſti faciant?* q.d. en te αὐτόπτην impietatis horum & idolomanias teſtem! Matth.11:7,8,9. interrogationes quædam Salvatoris proponuntur, quorum ſcopus eſt, Johannem oſtendere, & de eo quædam negare & affirmare, in ipſius commendationem.

[c] Atque in hoc genere, quandoque interrogatio, & ſubjecta reſponſio, conjunguntur, & utræque æquipollent *enunciato connexivo*, cujus *antecedens* ex interrogatione, *conſequens* ex reſponſione ſumitur. Pſal.25:12. *Quis iſte vir qui timet Dominum? Docebit eum in via, quam eligat*, v.13. *anima ejus in bono commorabitur, & ſemen ejus accipiet hæreditate terram*, hoc eſt, ei, qui timet Dominum, hæc obtingent. Sic Pſ.34:13,14. Pſ.107:43. Jer.9. ✝ſ.12. Hoſ.14:10. Enunciatur etiam interrogatio quandoque ita: Prov.22:29. *Vidiſti virum diligentem in opere ſuo? ante Reges conſiſtet, non conſiſtet ante obſcuros*, hoc eſt, qui diligens in opere ſuo fuerit, is ante Reges conſiſtet &c. confer. cap.29. ✝ſ.20. DUBITATIONIS. Gen.18.v.12. *Ridebat Sara, ſecum dicendo: poſtquam vetula facta ſum, foret mihi voluptas?* Sunt verba diffidentis & dubitantis, imò & ceu abſurdum hoc judicantis, quod promittebatur; uti ex ſubjecto Domini ſermone patet. Rom.10. verſ.6. *Quæ autem ex fide eſt juſtitia, ſic dicit: ne dicas in corde tuo, quis aſcendet in cœlum?* v.7. *quis deſcenderet in abyſſum?* Dubitationis hæ interrogationes ſunt, ex incertitudine operum juſtitiæ enatæ, quas juſtitia ex fide omnes eximit. Referantur hûc, quæ de addubitatione in capite ſequenti dicuntur. EXALTATIONIS & *extenuationis*. R. Kimchi In comment. Jer.22.vſ.23. : מַה יִמְצָא לְשְׁנֵי פָּנִים לְמַעֲלַת הַדָּבָר וּלְחֶסְרוֹנוֹ *particula interrogativa* מַה *quid, vel quam? reperitur duplici ſignificatu, exaltationis rei, ejuſque extenuationis.* Aben Ezra in Pſ.3. מַה בִּלְשׁוֹן הַקֹּדֶשׁ נֹפֵל עַל דָּבָר נִכְבָּר וְנִבְזֶה *Particula* מַה *interrogativa in ſancta lingua dicitur de re honorata & deſpecta* (h. e. ad rem vel extollendam vel extenuandam.) *Prioris* exempla ſunt, Pſal.31:21. *Quam multa eſt bonitas tua?* Pſalm.139.v.17. *Et mihi quàm precioſæ ſunt cogitationes tuæ, ò DEUS?* *Poſterioris* exempla ſunt Pſalm.8. ✝ſ.5. *Quid eſt homo quòd memor es ejus?* q.d. quàm exilis & indignus tuâ curâ & amore eſt? Sic eſt Pſ. 144:3. Quo cum ferè convenit illud Eſa.2:22. *Deſinite vobis ab homine* (nolite fiduciam in homine ullo, etiam altiſſimo, ponere, ✝ſ.11. ſeqq.) *cujus anima in naſo ejus eſt* (eximia μείωσις, *anima hominis velut in naſo eſt;* tàm facilè nimirum efflari illa, & homo emori poteſt,

Deo

a Interrogativum cauſæ.

c Obſervatio.

b Interrogationum uſus.

Deo vel nutu solo volente, confer Psal. 146. ℣s. 3, 4.) כִּי־בַמֶּה נֶחְשָׁב הוּא *nam quâ in re ipse æstimandus esset?* hoc est, quàm nihili est, ipse, & omnia quæ ejus sunt! Item in illo interrogationis genere; 1 Sam. 9: 21. *Et dixit Saul; an non Benjaminita sum, minimus è tribubus Israëlis, & familia mea infima est omnium familiarum in tribubus Benjaminis?* sequitur interrogatio admirationis: *Et quamobrem allocutus es me sermone hujusmodi?* 2 Sam. 7: 18. *Quis ego? Domine Deus, & quæ est familia mea? quòd deducis me eò usque.* In quibus, ut & præcedentibus, admirationis affectus simul est. Alia extenuatoria interrogationis exempla vide Gen. 23: 15. Exod. 3: 11. 1 Reg. 9: 13. &c. EXPOSTULATIONIS, *accusationis & exprobrationis.* Genes. 12: 18. Pharao interrogando cum Abrahamo expostulat, eumque increpat: *Quid hoc fecisti mihi? cur non indicâsti mihi? quòd uxor tua ipsa sit?* ℣s. 19. *Cur dixisti, soror mea ipsa est?* Ita & Gen. 31: 26, 27, 30. cap. 44: 4. 15. Sunt & exempla alia Psal. 11: 1. Psal. 50: 16. Esa. 5: 4. cap. 58: 3. Ezech. 12: 22. Dan. 3. ℣s. 14. &c. INDIGNATIONIS. Ps. 2: 1. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* Indignantis verba esse, ex vs. 5. patet. Matth. 17. v. 17. *O generatio incredula & perversa, quousque ero vobiscum? quousque tolerabo vos?* Dura & indignabunda hæc est ad Apostolos ἀποστροφὴ, ut ex vers. 20. constat. INSULTATIONIS & *ironiæ.* Psal. 42: 4. *Dum dicitur mihi quotidiè, ubi est Deus tuus?* Sic Psal. 79: 10. &c. Jer. 22: 23. *O quæ desides in Libano, quæ nidificas in cedris;* מַה־נֵּחַנְתְּ *quàm gratiosa eris* (quidam: *quam gratulaberis tibi*) *cùm invadent te tormina, dolor tanquam parturientis?* ubi manifesta ironia Jehovæ est, in contumacem populum. Jer. 23: 33. *Cùm rogabit te populus hic, aut aliquis Propheta, aut sacerdos, dicendo: quod est onus Jehovæ?* Ironica hæc interrogatio est, quâ Judæi præfracti, & minas Dei habentes pro fabulis, exagitabant Prophetas ejus. Huic vers. 35. seriò Deum consulendi modus subjungitur. v. 36. *Onus autem Jehovæ ne commemorate ampliùs; nam ipsum onus futurum est cuique verbum suum,* hoc est, sermo iste ironicus, quo Jehovam & verbum ipsius ludificabitur &c. Joh. 18: 38. Pilati illud; *Quid est veritas?* huc quidam referunt: sed ad extenuationem potiùs pertinere, tract. 1. cap. 5. dictum est. LAMENTATIONIS. Psal. 3: 2. *Domine, quàm multi sunt hostes mei?* Psalm. 22: 2. *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti?* Thren. 2: 20. *An comedent mulieres fructum suum, parvulos qui educantur?* q. d. miserabile est, eò rem pervenisse, ut tàm atrocia contingant, cap. 4: 10. Vide & Psalm. 77: 8, 9, 10. Hab. 1: 17. MISERATIONIS. Thren. 1: 1. *Quomodo sedet solitaria, civitas amplissima populo?* cap. 2: 1. *quomodo densâ obtegit nube ira sua Dominus filiam Sionis &c.* Et ita sæpè in Threnorum libro: Etsi hæc cum antecedenti ferè idem sint. NEGATIONIS. De quo vide paulò ante, cùm de emphasi interrogationis dictum. OPTATIONIS. 2 Sam. 23: 15. *Quis bibere faciet me aquas de puteo Bethlehemi?* hoc est, ô utinam, quis bibendum mihi daret, &c. Rom. 7: 24. *Quis me eripiet ex isto corpore mortis?* Suspirantis & optantis vox. Confer Grammat. sacram. p. 368. PROHIBITIONIS *vel dehortationis.* De quo vide in antecedenti membro §. 4. REJECTIONIS *& recusationis.* Num. 23: 8. *Quid maledicam ei, cui non maledicit DEUS? & quid detestabor eum, quem non detestatur Dominus?* q. d. nequaquam hoc ausim possimve facere. Jud. 11, ℣s. 12. *Quid mihi & tibi, quòd venisti ad me oppugnandum in terra mea?* q. d. nihil mihi tecum negotii aut litis est. Sic 2 Sam. 16. ℣s. 10. 1 Regum 17. vers. 18. 2 Reg. 3: 13. Hos. 14: 9. Joel. 3: 9. Matt. 8: 29. Marc. 5: 7. Luc. 8: 28. Joh. 2: 4.

---

# CAPUT VI.

## DE

# FIGURIS SENTENTIÆ IN DIALOGISMO.

Figuræ *in dialogismo*, quarum descriptio superiùs est tradita, numerantur quinque, quas paucis exponere, & exemplis illustrare visum est.

Adda-

*a Addubitatio*, ἀπορία vel διαπόρησις, definitur, cùm ipsi nobiscum de rebus aut dicendis, aut faciendis, deliberamus & disquirimus. Ps. 139. ꝟs. 7. *Quo ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? si ascendero cœlos, illic es: si stratum posuero in inferno, ecce ades.* Conferantur etiam sequentes quatuor versus. Alia exempla sunt Thr. 2: 13. Luc. 16: 3, 4. 1 Cor. 11: 21. Phil. 1: 22, 23, 24.

*b Communicatio*, ἀνακοίνωσις est deliberatio cum iis ipsis, apud aut contra quos dicimus, judiciique iis facta oblatio. Esa. 5: 3. *Nunc autem, habitatores Jerusalem, & viri Juda, judicate, quæso, inter me & vineam meam &c.* Sic Luc. 11: 19. Actor. 4: 19. 1 Corint. 4: 21. cap. 10: 15, 16. cap. 11: 13, 14. Gal. 3: 1, 2, 5. c. 4: 21. seqq.

*c Occupatio*, πρόληψις est, cùm id, quod objici potest, anticipatur & diluitur. Alio nomine προκατάληψις dicitur. Eam duplicem statuunt: *tectam, & apertam. Tecta* est, cùm tectè, objectione dissimulatâ, sola responsio ponitur. Rom. 9: 6. *Fieri non potest, ut exciderit sermo Dei: Non enim omnes, qui sunt ex Israël, Israëlitæ sunt &c.* Occurrit objectioni tali: Si Israel rejectus, ergò excidit DEI verbum: ero Deus tuus & seminis tui &c. *Aperta* est, cum objectio apertè ponitur, & diluitur; & conjunctam ea non raro habet prosopopœjam. Sunt autem duæ ejus partes: ὑποφορὰ & ἀνθυποφορὰ, quarum *illa* adversarii ratio vel objectio est; *hæc*, rationis illius vel objectionis solutio. Exempla sunt, Esa. 49: 14. *Et dixit Zion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei.* Sequitur responsio hujus objecti, vers. 15. *Nunquid obliviscetur mulier &c.* Videantur alia Matth. 3: 9. Rom. 3: 1, 2, 3, 4, 27, 29, 31. cap. 4: 1, 2, 3. cap. 6. vers. 1, 2. cap. 7: 7. cap. 9. v. 14, 19, 20. cap. 10: 18, 19. cap. 11: 1, 11, 19, 20. 1 Cor. 15. vs. 35, 36. &c.

*d Permissio*, ἐπιτροπὴ est, cùm rei alicujus potestas vel laus conceditur: idque tùm *seriò & simpliciter.* Rom. 2. v. 17. *Ecce tu Judæus cognominaris, & acquiescis in lege, & glorîaris in Deo*, vers. 18. *& nôsti voluntatem ejus &c.* q. d. concedo hæc tibi, at cur professioni illi externæ vita tantopere contraria est? vers. 20. seqq. Vide etiam Rom. 9: 4, 5. Gal. 4: 14, 15, 16. Tùm *ironicè*, cum videtur permissio esse, quæ tamen ex contrario summa potius prohibitio est. Flacius in clave Script. part. 2. col. 302. *Permissionis species est, cùm injusti aliquid concedimus alicui, non quidem ex nostro judicio, sed ejus obstinatæ malitiæ & quasi furori id dantes. Sicut solent irati patres perditis filiis dicere: Video te tuis sceleribus perire, aut omnia tua perdere velle: age, perge, & propera sanè ad exitium &c.* Exempla hujus permissionis ironicæ sunt, Jud. 10: 14. *abite & inclamate Deos istos, quos elegistis &c.* Prov. 6: 32. *adulterans mulierem, est demens; perditurus seipsum, ipse faciat istud.* Sic 1 Reg. 22: 15. Eccles. 11: 9. Esa. 29: 1. Jer. 2: 28. c. 7: 21. Thren. 4: 21. Ezech. 20: 39. Amos. 4. v. 4, 5. Matth. 23: 32. cap. 26: 45. Joh. 2: 19. cap. 13: 27. 2 Cor. 15: 32. 2 Cor. 11: 19. Apoc. 22: 11.

*e Concessio*, συγχώρησις est, cum dictum aliquod conceditur, & inutile tamen id esse, subjungitur. Jac. 2: 19. *Tu credis, quòd Deus unus sit. Rectè facis: & Dæmones credunt, ac contremiscunt.* Vide & Rom. 11: 19, 20. &c. Est & hæc cùm Ironia alicubi conjuncta. 1 Cor. 4: 8. *Jam saturati estis, jam divites facti estis, sine nobis regnum adepti estis.* Hactenus concessio, sequitur correctio. *Atque utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus.* 2 Cor. 10: 1. *Precor ego vos Paulus, qui coram quidem sum humilis inter vos, absens verò apud vos sum confidens.* Concessionem ironicam hîc subesse, apparet ex vers. 2: 11. 2 Cor. 12. vers. 16. *Sed esto, non gravavi vos, sed cum essem callidus, dolo vos cepi*, hoc est, per alios vos emunxi & expilavi. Hactenus concessio; sequitur correctio: *Num per quemquam, quos misi ad vos, expilavi vos?* Tantum etiam de istis.

a 1. Addubitatio.
b 2. Communicatio.
c 3. Occupatio.
e 5. Concessio.
d 4. Permissio.

# CAPUT VII.

## DE
## ALIIS SENTENTIARUM
## & Amplificationum ſchematibus.

PRæter ſchemata hactenus expoſita, in Rhetorum profanorum ſcriptis multa etiam alia commemorantur, orationem partim *exornantia*: partim *amplificantia*, ex quibus non pauca ad characterem divinarum ſcripturarum à nonnullis accommodantur. Ea ita comparata ſunt, ut ad claſſes locorum Dialecticorum potius, quâm ad Rhetorum ſcholas, quædam pertineant; quædam verò ad ſuperius tradita reduci haud difficulter poſſint; aliqua etiam tanti non ſint, ut peculiaria figurarum nomina iis dari, earundemque adeò numerum præter neceſſitatem augeri neceſſum ſit. Quædam verò, cùm inter figuras amplificationum (ut vocant) congruè referantur, ex iiſque de ſtilo S. literarum judicium fieri aliquantum poſſit, viſum eſt, potiora eorum omnium, in ultimum hoc caput conjicere, deque iis conjunctim, breviter tamen, diſſerere, atque ita portum tandem reſpicere, & Rhetoricæ ſacræ, in nomine Altiſſimi, finem imponere. Ordo eſto ille, qui in locorum Dialecticorum ſerie obſervari ſolet.

### *Ex cauſis deſumta ſchemata.*

*Αἰτιολογία cauſæ redditio*, eſt, cum ratio & cauſa indicatur dicti aut facti alicujus. Rom. 1: 13, 14. *Volui venire, ut doceam vos Romanos: quia omnibus id officii debeo, Græcis & Barbaris.* v. 15, 16. *Paratus ſum vobis euangelizare: non enim pudet me Euangelii, nam eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* Rom. 3: 20. *ex operibus legis nemo juſtificabitur: per legem enim agnitio peccati.* c. 4: 14, 15. *Si ex lege eſt hæreditas, inanis facta eſt promiſſio: nam lex iram operatur &c.* Ex hoc ſtyli ſacrarum literarum efficacia declarata fuit in Philol. ſacræ l 1. p. 127.

Μετάστασις, *translatio*, eſt, cùm cauſa vel culpa ab alio in aliud transfertur. Rom. 7: 8. cùm Paulus dixiſſet, *legem augere peccatum:* poſteà v. 14. ſeqq. oſtendit, *id vitio noſtræ corruptæ naturæ fieri.* Sic Rom. 8: 3. cùm dicit, *legem non poſſe juſtificare &c.* Si placet, referatur hûc, quod Aretius tradit, in commen. 1 Corinth. 4: 6. *Hæc autem, fratres, in me & Apollum transtuli propter vos.* Ubi ſic loquitur: *Vocant oratores ὑποσιώπησιν, quando in ſe orator transfert partem culpæ, objurgaturus alios. Sic Prophetæ peccatoribus ſe conjungunt, quos objurgaturi ſunt. Interdum fictione utuntur incertæ perſonæ, de qua narrant indignum facinus, ut confeſſionem impetrent ab auditore. Sic Nathan apud Davidem narrat indignum facinus cujuſdam divitis, qui rapuerit unicam oviculam perdilectam ex ſinu pauperis: quod cum David audit, indignitate narrationis damnat talem hominem. Hinc demum inſurgit Nathan contra flagitia Davidis. Sic Apoſtolus loquitur de Corinthiis doctoribus, qui ſectas inſtituebant ex ſuis nominibus. Interim ſui & Apolli ſæpè meminit. Quis eſt Paulus? quis Apollo? &c. quaſi dicat, illorum nominibus peperci, meumque & Apollo poſui, cùm nos ſectarum autores non ſumus. Cauſa addita eſt, propter vos, hoc eſt, veſtro bono hoc factum eſt; loquitur autem cum auditoribus, quaſi dicat, veſtri habita eſt ratio, non illorum. Mox ſequitur cauſæ explicatio, ut in nobis diſceretis, τὸ μὴ φρονεῖν, hoc eſt, non ſuperbire. Habet enim argumentum à majore ad minus: Ex Pauli nomine non eſt inſtituenda ſecta in Eccleſia Chriſti. Ergò multo minùs ex alterius, qui inferior eſt, inſtitui debet ſecta. Suo igitur exemplo voluit docere modeſtiam miniſtros & auditores.*

### *EX ADJUNCTIS ET CIRCUMSTANTIIS deſumta ſchemata.*

Τοπογραφία, *loci deſcriptio*, eſt, cum accuratius deſcribitur locus, & oculis quaſi videndus exhibetur. Quò pertinet deſcriptio inferni Eſa. 30: 33. Luc. 16: 24. ſeqq. *Et cœli novi ac novæ terræ*, in quo electi in æternum glorificabuntur, Eſa. 65: 17. ſeqq. Apocal. 21: 1. ſeqq. *Et Zionis ſeu Eccleſiæ, latiſſimis fluviis* cir-

circumdata Esa: 33:20. seqq. quâ descriptione incolumitas ejus, & defensio divina ab hostibus innuitur. [a] *Templi novi & admirandæ urbis*, Ezech. 40. seqq. quàm accurata & operosa incognita tamen in quàm multis, ob mysteriorum profunditatem, descriptio! De regno Christi seu Ecclesia Novi Test. ejusque conditione & statu, donec in his terris militat, à Propheta agi, atque descriptionem ex Veteris Test. personis, locis, ritibusque sacris, μεταφορικῶς desumi, nobis qui Christum sincerè colimus, certum est. Explicantem singula perspicuè ac succinctè, vide Dn. M. Saubertum Theologum laudatissimum, in præfatione capitis 40. Ezechielis, in Bibliis sacris à se editis, præfixa. De eadem descriptione ita P. Cunæus de Republ. Hebr. lib. 1. c. 17. *Omnia ea, quæ de modo ædificii, deque partibus ejus dicta illic sunt, occultiorem sensum habent* (& quidem Messiæ regnum attinentem, ut in præcedentibus tanquam verum certumque præsupponit,) *singula autem quid significent, aut quo pacto sint explicanda, difficile dictu est. Ego hercle, quod Xenophanes Colophonius apud Marcum Terentium Varronem ait, id omnibus hîc suadeo, uti quid putet quisque, non quid contendat, ponat: hominis enim est hæc opinari, Dei scire. Utique Judæi, cùm* גנוזי *appellent quasdam Biblici codicis partes, quarum interdicta lectio adolescentibus juvenibusque est, in earum numero illa ponunt, quæ vaticinatus in fine libri sui Ezechiel est. Neque id injuriâ illos statuisse existimo. Est enim omnis sermo ille numero Platonis obscurior. Advocent industriam suam omnes, qui se divinæ sapientiæ consultos videri postulant: sudabunt satis, antequam minimum quiddam earum rerum, illic quæ recondita sunt, aperiant. Benè qui conjiciet, vatem hunc perhibebo optimum. Sed multa conjectanti, opinor, nihil procedet. Pro certo constat, hæc & alia hujus generis quædam esse, quæ adiri bom. animis summus Deus noluit. Etsi enim in hac Evangelii luce ingens progressio facta ad cognitionem scientiamque sit, aliquid tamen relictum admirationi est. Quare in his oraculorum arcanis ultra id tendere, quod in expedito Sp. sacer posuit, stolidæ audaciæ sit.* Munsterus, postquam aliqua in hunc textum attulisset, ita concludit: *Porrò omnium significationem quære apud alios: nos in tanta rerum obscuritate nihil præstare possumus. Neque pudet hujus inscitiæ, cùm sanctuarium illud imago sit, secundùm nostros, futuri & consummati regni Christi, cujus principia juxta primitias Sp. modò experimur &c.* Pertinet huc, cùm res aliqua vel factum, à loco describitur emphaticè. [b] Ps. 42: 7. *Recordor tui, Deus, de terra Jordanis, & Hermonim; de monte parvo.* In quæ verba ita D. Hafenreff. *His verbis tres extremitates terræ Israëliticæ describuntur. Nam per terram Jordanis intelligit David latus seu terminum orientalem: per montes Hermonim intelligit latus sive terminum Aquilonarem: per montem modicum montana deserti, quibus terra Israëlitica à deserto Ægypti disterminabatur, adeoque latus Australe intelligit, ut hic sit sensus: In quibuscunque terræ Israëliticæ extremitatibus exul ego miser latitem, sive ad ortum, sive ad septentrionem, sive meridiem vagabundus oberrem, tui tamen memoria animo meo nunquam elabitur. Dicuntur autem montana illa deserti mons parvus, per comparationem ad montem Hermonim, qui propter summam celsitatem ubique in scripturis celebratur, quorum respectu montana illa versus Austrum vix depressus colliculus æstimari poterant.* Ps. 60: 8. seqq. illustre topographiæ exemplum est, cujus summa est, Jehovæ celebratio, pro dilatati regni, secundùm promissionem verissimam, beneficio. Ps. 89. vs. 13. *Aquilonem & meridiem tu creâsti: Tabor & Hermon in nomine tuo cantant.* Quod v. 12. dixerat, *orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundâsti*, id per partes deducit, & quatuor terræ climata expresse designat: *Aquilonem; meridiem; Tabor*, hoc est, occidentem; & *Hermon*, hoc est, orientem. Sunt enim *Tabor & Hermon* duo Montes Galilææ, quorum alter *occidentem*, alter *orientem* (in deflexione tamen ad septentrionem, Nordost) designat, fœcunditate & amœnitate percelebres. Unde & hoc loco dicuntur *in nomine Dei cantare seu exultare*, propterea quòd à Deo ita sunt creati, ut amœnitate & pascuis suis tam homines, quàm jumenta exhilarent, & laudis divinæ materiam abundè præbeant. Esa. 10. vs. 28. seqq. expeditio Regis Assyriorum bellica in Judæam, topographiâ insigni describitur, & judicii divini adversus ipsum exercendi mentio subjungitur. Alia hujus generis hinc inde observare licet. [c] Obiter notetur hîc, quòd climata seu plagæ orbis, ut *Oriens*, *Occidens*, *Meridies*, *Septentrio*, in Scripturis plerunque intelligendæ sint juxta situm Judææ, Jerusalem, & Templi, cùm Judæis, terram suam divinitùs traditam incolentibus, Prophetæ scripserint. Excipienda tamen quædam in Ezechiele, qui in Babylonia vixit scripsitque: Notandum & hoc, quòd *Mare* occidentem significet; mare scilicet magnum sive mediterraneum, quod Judæam habitantibus in occasu est; Numer. 2: 18. Jos. 16: 3. Ezech. 42: 19. &c. Hieronymus in Ezech. 46: *Hanc habet Scriptura consuetudinem, ut pro situ terræ Judææ semper mare occidentem vocet.* Idem in traditio-

[a] Novi templi Ezech. descriptio.

[b] Psal. 42. 7. De terra Jordanis, & Hermonim, de monte parvo.

[c] Observatio de climatibus.

ditionibus seu quæstionibus Hebræor: in Genesin. tom. 4. fol. 94. b. *Quod in omnibus Scripturæ locis legitur, hîc semel dixisse sufficiat, mare semper pro occidente poni, ab eo, quod Palæstinæ regio ita sita sit, ut mare in occidentis plaga habeat.* Excipitur tamen locus Psalm. 107: 3. ubi *mare* meridiem significat, & intelligendum mare rubrum, quod ad meridiem terræ Judææ situm est. Confer Psalm. 72: 8. Exod. 23: 31. &c.

Χρονογραφία *temporis descriptio*; πραγματογραφία, *rei aut actionis descriptio*; & προσωπογραφία, *personæ descriptio*, non tàm schemata sunt, quàm sermonis historici simpliciter instituti περιστάσεις seu circumstantiæ. Inter schemata tamen à nonnullis referuntur.

Ὑποτύπωσις, *repræsentatio*, est cùm res ita oculis subjicitur, ut non narrari, sed geri videatur. Qualis est in descriptione horrendæ terræ desolationis, Es. 1: 6. seqq. c. 34. per totum. Jerem. 4: 19, 20, 21, 23, 24, 25, 26, 31. Idolorum, Esa. 44. v. 9 c. 46: 6. Baruch. 6: 3. seqq. Exinanitionis & passionis Christi, Es. 53. Inediæ & famis. Thren. 4: 8, 9. Triumphi Christi, Colos. 2: 14, 15. &c. Nec solùm verbales, sed reales etiam hypotyposes Spiritus sanctus exhibet, quæ actiones propheticæ sunt, quibus futura mala populo fuere depicta. Vide Philolog. sacr. lib. 2. pag. 206. [a] Hûc à quibusdam refertur εἰκών, *imago*, cùm illustri quadam & gloriosâ picturâ aut specie, persona quæpiam aut res producitur. Ut cùm Christus sub imagine *Solis* producitur, Mal. 4: 2. Cùm Deus atrociter impios puniens, per imaginem *ebrii gigantis*, subitoque ex nondum edormita crapula excitati, & in quosvis obvios sævientis, proponitur, Psal. 78: 66, 67. Cùm Christus per *sponsum*, & simul *Regem bellatorem*, exprimitur, Psal. 45. Cùm impius prosperâ fortunâ utens, in imagine *lauri virentis* proponitur, Psal 37: 35, 36. Est igitur εἰκών sive εἰκασία non nisi similitudo seu assimilatio illustris.

[a] Epistolæ Pauli.
[a] εἰκών, Imago.

Παθοποιία, *affectus expressio*, est, cùm affectus dilucido sermone luculentè exprimuntur: qualis de Deo ocurrit Esaiæ 49: 15. Jer. 31: 20. Hos. 11: 7, 8. De Paulo, 1 Cor. 4: 14, 15. 2 Cor. 2: 4. Galat. 4: 19, 20. De affectu doloris & aversationis exemplum insigne est Jerem. 9. ℣s. 1, 2. cap. 23: 9, 10. [b] Hûc referunt ἠθοποιίαν, *morum expressionem*, cùm externo aliquo indicio, aut moribus, interni affectus indicantur. Ut cùm per demissum vultum, & consistentiam in loco remoto, publicani contritus animus: in Pharisæo autem contrarius affectus pingitur, Lucæ 18. Sic mulierum Judaicarum superbia indicatur per *extensum collum*, & *elatam faciem*, & *plausum pedum*, Esaiæ 3: 16, 17. Sic luctum Moabitarum, pervadentem ab uno termino ad alterum, eleganti ethopœiâ describit Jeremias cap 48: 3. seqq.

[b] ἠθοποιία.

Συλλογισμός, *ratiocinatio*, specialiter ita dicta (quæ & ἔμφασις dicitur) est, cùm à signo aliquo rei magnitudo ostenditur. Ut cùm *ab armorum magnitudine* statura & robur Goliathi indicatur, 1 Sam. 17: 3. seqq. cum Rehabeam filius Salomonis, *suum minimum digitum* dicit *crassiorem futurum lumbis patris sui*, 1 Reg. 12. ℣s. 10. quo onerum populo imponendorum gravitas & difficultas innuitur. Cum per externæ pacis signa, indicatur pacis spiritualis & internæ amplitudo, Esa. 2. ℣s. 4. Conferantur etiam Esa. 4: 1. cap. 49: 20. Matth. 10: 30. cap. 24: 20, Luc. 7: 44. &c. Accuratiùs loquendo, vel ad simplicem narrationem historicam talia pertinent, vel ad superius enumeratos tropos, eorumque affectiones.

## *EX DIVERSIS seu disparatis desumta schemata.*

Παρέκβασις, *digressio*, est, cum præter propositum aliquid additur, & ab instituta narratione exceditur, Gen. 2: 8. usque ad ℣s. 15 παρέκβασις est, exponens hominis creati domicilium à Deo conditum. Gen. 38. totum παρεκβατικόν est. Uti & cap. 36. [c] In Epistolis Pauli παρεκβάσεως hujus insigne artificium conspici datur. Sæpè enim is ex alio in aliud ita paulatim labitur, ut tamen nihil alienum à proposito tractet, sed omnia ad præsentem scopum, licèt diversâ ratione, faciat: tandemque quasi circulo sententiarum facto, ad principalem scopum regreditur. Exempli vice sit Rom. 1: 1. usque 8. Summa totius inscriptionis ibi talis est: *Paul. Apostolus Romanis salutem.* Sed Apostolus primum à nomine suo labitur ad vocationis suæ descriptionem, ℣s. 1. Deinde ad Euangelii definitionem, v. 2. mox ad descriptionem Christi, ℣s. 3, 4. rursus delabitur ad suam vocationem, ℣s. 5. tandem Romanis salutem Dei precatur, & sic circulum suum quasi absolvit. Et fiunt hæc per occasionem ultimarum vocum in sententiis: *Paulus gentium Apostolus, segregatus in Euangelium*, ℣s. 1. *Euangelium est doctrina de Filio Dei*, ℣s. 1, 2, 3. *Filius Dei est verus Deus & homo*, ℣s. 3, 4. *Ab hoc vero DEO & homine Paulus ad Apostolatum vocatus fuit, ad prædicandum inter gentes*, ℣s. 5. *Inter gentes etiam sunt Romani*, ℣s. 6. *Romanis igitur gratia sit & pax à Deo Patre & Domino Jesu Christo*, ℣s. 7. Vide & 1 Cor. 1: 13. seqq. Eph. 3: 1. seqq. Col. 1. vers. 3. usque ad finem. In Epistolis

Petri,

Petri, ejusdemque concionibus, uti in Actis à Luca describuntur, idem videre est, in quibus omnia inter se tàm apertè connectuntur, ut vix distinctæ videri periodi possint, quod genus loquendi Græci πτωτικὸν vocant, notante Bezâ.

Μετάβασις, *transitio*, est, cum breviter monetur, quid dictum sit & quid porrò dicendum sit. Quale illud Pauli est 1 Corinth. 12. vers. 31. *æmulamini autem charismata meliora: & adhuc excellentiorem viam vobis ostendam. Prius* membrum ad præcedentia respicit, & eorum quasi ἀνακεφαλαίωσις est: *posterius* ad tractationem sequentem viam parat. In sacris literis rarius ea transitio apertis verbis fit. Eidem autem Apostolo moris est, ut ad aliam transiens materiam, exordiolum quoddam adhibeat, quo ad sequentia quasi lectorem parat. Ut 1 Cor. 15. refutaturus Corinthiorum errorem de resurrectione mortuorum, præfatur de doctrina, ipsis ab initio tradita, admonetque eos, ut recordentur, quidnam ab eo didicerint, ℣ſ. 1, 2. Sic cap. 11. reprehensurus eos, de ἀταξίᾳ in sacræ cœnæ celebratione, cum aliquo exordiolo ad eam materiam transit, ℣ſ. 17.

## *EX OPPOSITIS & contrariis desumta schemata.*

Ἀντίθεσις, *contentio*, est, cum opposito contrario res illustratur. Ut cum fortuna impii opponitur fortunæ pii hominis, Psal. 1. & 37. Vide etiam Esa. 1: 21. cap. 53. cap. 43. vers. 22. seqq. cap. 59. ℣ſ 9. Thren. 1: 1. Ezech. 16. ℣ſ. 33, 34. Roman. 5. vers. 6, 7, 8. cap. 8. ℣ſ. 13, 15. 2 Cor. 4. ℣ſ. 17, 18. Phil. 3. ℣ſ. 7, 8, 9, 14. 2 Petr. 2: 19. &c. August. libr. 11. de Civit. Dei cap. 18. *Antitheta quæ appellantur, in ornamentis elocutionis sunt decentissima, quæ Latinè appellantur opposita; vel, quod expressiùs dicitur, contraposita.* Ibidem exemplum adfert ex 2 Corinth. 6, 7, 8, 9, 10. *Per arma justitiæ à dextris & à sinistris; per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut seductores, & veraces: ut qui ignoramur, & cognoscimur: quasi morientes, & ecce vivimus: ut coerciti, & non mortificati: ut tristes, semper autem gaudentes: sicut egeni, multos autem ditantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidemus.* Pòst ad mundi ordinem à DEO institutum hoc schema pulcrè refert: *Sicut ergò ista contraria contrariis opposita sermonibus pulcritudinem reddunt: ita quoque non verborum sed rerum eloquentia contrariorum oppositione seculi pulchritudo componitur. Apertissimè hoc positum est in libro Ecclesiastico* (cap. 30.) *hoc modo: Contra malum bonum est, & contra mortem vita: sic contra pium peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi, bina & bina, unum contra unum.* Sicut & initio capitis dixerat: *Neque enim Deus ullum, non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret, atque ita ordinem seculorum, tanquam pulcerrimum carmen, etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret,*

Ἀντιμεταβολή, *commutatio*, est lepida quædam contrariorum inter se permutatio. Marc. 2: 27. *Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum.* Joh. 15: 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut fructum feratis*, Rom. 4: 1, 2, 3. sententia hæc est: *Non lex aut opera Abrahamum fecêre justum; sed justus per fidem Abrahamus fecit opera Deo grata*; quod Augustinus sic exprimit: *Bona opera non præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum.* Convenit hæc figura cum *Epanodo*, de qua supra cap. 1.

Ἀντικατηγορία, *accusatio adversa, vel translatio in adversarium*, est, cum ipsimet adversario impingitur, quod ab eo suspicando, vel accusando adferebatur. Exemplum videre est Ezech. 18: 29. cap. 33: 17.

Ἀντιστροφή, *inversio*, est, cùm positum quippiam retorquemus in contrarium. Vocatur & βίαιον, *violentum*. Exemplum habetur in responsione Cananitidis ad Christum, Matth. 15. vers. 29, 27. *Quia canis es*, ait Christus, *non convenit tibi panem porrigi. Imo vero*, inquit illa, *quia canis sum, non denegabis mihi micas de mensa decidentes.*

Ὀξύμωρον, q. d. *acutifatuum*, est, quo contraria acutè & sapienter conjunguntur, unde fit, ut primâ facie fatue dictum videatur, quod posteà insigni acumine occultatum cognoscitur. Job. 22: 6. *Nudos spoliare vestibus.* Qui nudus est, vestes non habet, ideoque iis spoliari non potest. Verùm *nudus* hic συνεκδοχικῶς male vestitum significat. Jerem. 22: 19. *Sepultura asini sepelietur*, hoc est, *insepultâ sepulturâ*, ut Cicero in Philip. 1. vocat. Sequitur: *trahendo & projiciendo ultra portas Jerusalem.* Sepeliri, & instar asini insepultum projici, contraria sunt, & tamen hic conjunguntur, ut frustratio spei Regis Jehojakimi, de obtinenda Regia sepultura & exsequiis, innuatur. Impletum autem hoc fuit à Nebucadnezare, qui Hierosolyma ingressus, Jehojakimum catenis constrinxit, ut eum Babylonem abduceret, 2 Paral. 36: 6. sed posteà, mutato consilio, eundem interfecit, & inhu-

matum extra muros projici jussit, ut Josephus libr. 10. antiq cap. 8. commemorat. Actor. 5. ℣. 41. *Illi ibant gaudentes à conspectu synedrii, quod pro Christi nomine κατηξιώθησαν ἀτιμασθῆναι: digni habiti essent contumelia affici.* Ἀξιοῦσθαι & ἀτιμάζεσθαι contraria sunt; at in Apostolis per elegantissimum oxymorum combinantur. Summa nimirum dignitas est, indigne propter Christum tractari: Ignominia piorum in hoc mundo, est eorum gloria coràm Deo. 2 Cor. 8: 2. *Profunda paupertas illorum exundavit in divitias simplicitatis ipsorum*, Elegantissimum ὀξύμωρον. Cùm paupertas in se neminem facere possit divitem, hic tamen significatur, quòd paupertas Macedonum alios fecerit divites, quia in simplicitate erogârunt, quantum potuerunt, nihil curantes, an ipsi propterea defectum aliquem passuri sint, vel inde compensationem aliquam adepturi. Hac ratione & alios ditârunt, & ipsi in simplicitate sua divites fuerunt. 1 Tim. 5: 6. *Quæ vidua deliciatur*, ζῶσα τέθνηκε *vivens mortua est.* Prius *vivere* hanc temporalem concernit vitam: posterius *mori*, spiritualem animæ mortem in peccatis. Apud profanos talia sunt, in una quidem voce, θρασύδειλος, *timidus audaciæ ostentator*, πτωχοπλούσιος, *dives mendicus* (avarus) γλυκύπικρον *dulce amarum* (quale in conjugio est;) Μωρόσοφος, *sapiens stultus*; qui sapere sibi egregiè videtur: In duabus verò vel pluribus vocibus, ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, *dona hostium non sunt dona*, apud Sophoclem: ἀβίωτος βίος, *vita minimè vitalis*: *Vivum cadaver*. Et cum Epiphanius de Josepho ait, ἄνανδρος ἀνὴρ τῆς Μαρίας, *vir Mariæ non vir*. Cicero: *Si tacent, satis dicunt*. Item: *Cum ratione insanit*. *Nihil cùm est, nihil deest tamen*. *Medius inter opes inops*. Ita Scipio Africanus dicebat: *nunquam se minùs otiosum esse, quàm cùm otiosus; nec minùs solum, quàm cùm solus esset &c.* Et ex Platonis lib. 5. de Repub. Ludovicus Vives in comment. August. lib. 7. de Civit. Dei cap. 25. hoc ænigma profert: *Homo non homo, videns non videns, percussit non percussit, lapide non lapide, avem non avem, super arbore non arbore*; id est: Eunuchus luscus percussit (leviter) pumice vespertilionem super Sambuco. Imò in ipsa ὀξυμώρῳ voce (inquit Vossius) ὀξύμωρον habes, quia prima facie repugnant, *acutè & fatuè dici*.

Ἀποδίωξις, *rejectio seu detestatio*, est, cùm aliquid cum indignatione repellitur, tanquam extremè absurdum, & nequaquam ferendum. Ps. 50: 16. seqq. DEUS ita repellit impium, exteriùs verbum suum tractantem. Matth. 16: 23. Christus Petrum sibi in passionis mysterio obnitentem repellit: *Vade post me Satan, quia non sapis ea, quæ DEI sunt, sed ea, quæ hominum.* Lucæ 9: 55. repellit discipulos, de immittendo Samaritanis cœlitùs igne quærentes: *Nescitis, cujus spiritus estis*, quasi dicat, non consideratis, unde iracundus ille animus vobis obveniat, videlicet, non à Spiritu sancto, cujus impulsu Elias fecit ignem è cœlo descendere; sed ex impatientia & vindictæ cupiditate &c. Actor. 8: 20 Petrus Simonem Magum pecuniam offerentem pro impetrandis Spiritus sancti donis, vehementissimè repellit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem &c.* Confer etiam Matth. 4: 10.

Ἀνθυποφορὰ, *contraria illatio*, est, cum objectio refutatur per contrariæ sententiæ oppositionem. Dicitur & ἀντεισαγωγὴ, ἀντικατάλεξις, *compensatio*, quia tollit quæstionem, opposito argumento firmiori. Exemplum est Matth. 21: 23. seqq. ubi Christus Pharisæis quærentibus, *quâ potestate hoc facis?* respondet: *Interrogabo & ego vos quiddam, Baptismus Joannis unde erat? an ex cœlo, an ex hominibus?* differt hæc ἀνθυποφορὰ ab altera, de qua cap. 6. ea enim ad tacitam objectionem; hæc verò ad expressam adversarii orationem est responsio.

## *EX COMPARATIS desumta schemata.*

Σύγκρισις, παράθεσις, *comparatio*, est, amplificatio sermonis sacrosancti, collatione similium aut dissimilium, majorum aut minorum, facta. Hæc in scripturis percrebrò & eleganter adhibetur. Estque vel *perfecta*, constans προτάσει καὶ ἀποδόσει, *seu propositione & redditione*: vel *imperfecta*, solam πρότασιν exhibens, ἀπόδοσιν verò eliciendam relinquens, cujus generis multæ parabolæ Salvatoris sunt in Euangelistarum scriptis recensitæ. Alii distinguunt, quòd vel *explicita* sit, vel *implicita* seu contracta: quarum *illa* integrè utrumque comparationis membrum ponit: *hæc* prius membrum unâ vel pluribus vocibus innuit. Vide de hoc quædam in Gramm. sac. p. 514. 515. seqq. Exempla (quæ juxta seriem metaphorarum, superiùs propositam, distingui ac recenseri possent, cùm metaphora non nisi ad unam vocem contracta similitudo sit) singulatim addere jam nolo; amplissimus eorum campus per totam Scripturam patet: in quo si quis Theosophiæ & linguarum sanctarum peritus, decurrere sedulò, & COMPARATA SACRA, unâ σωματοποιήσει comprehensa, proponere solideque exponere vellet, operæ vel maximè

axime precium is facturus, & insignem facum, ad permulta Scripturæ loca rectè intelligenda, allaturus esset. Neque enim à verò oludit illud R. Mosis Majemon. in præfat. bri מורה נבוכים seu *Doctoris perplexorum* ocati: *Scito, clavem intelligentiæ & scientiæ ritatis omnium eorum, quæ à Prophetis dicta nt, esse intelligentiam sensus & verborum Paholarum.* Legantur interim, quæ Flacius abet part 2. clavis tract. 4. tit. *de similitudibus.*

## EX DIVISIONE desumta schemata.

Μερισμὸς, *distributio*, est, cùm totum aliuod, diducendo per partes (vel propriè vel αλόγως sic dictas) latiùs explicatur. Esa. 4:1. *Ecce Jehova exhausturus est terram, & spersurus habitores ejus*, v.2. *Eritque perinde pulo ac præsidi, perinde servo ac Domino suo, rinde ancillæ ac heræ suæ, perinde emtori ac nditori, perinde mutuò danti ac mutuò accienti, perinde fœnore accipienti, ac ei, qui fœrat ipse.* vers. 3. *Planè exhaurietur terra, & anè diripietur, quia Jehova elocutus est sermoem hunc.* Ezech. 36: 4. *Sic dicit Dominus ontibus, & collibus, torrentibus & vallibus, esertis desolatis, & urbibus derelictis &c.* Vie & Roman. 2: 6, 7, 8. Joh. 5: 28, 29.

Συναθροισμὸς, *congeries*, est, cùm plures species coacervantur. Esa. 1: 11. *Ut quid mihi ultitudo victimarum vestrarum, dicit Dominus? satur sum holocaustis arietum, & adipe inguium: & sanguinem juvencorum & agnorum, hircorum non volui.* v. 13. *Ne addatis afferre munus mendacii: Suffimentum abominatio mihi est.* Uno verbo potuisset dicere: *Sacrificia ibi vestra non placent.* Sed recensentur per συναθροισμὸν sacrificiorum species, evidentiæ ausâ. Similiter & de festivitatib. vs. 13, 14. oquitur. Et cap. 3: 16. seqq. *ornamenta mulierum superbarum & luxuriosarum*, per multas pecies, recensentur, cùm uno verbo potuisset icere, Dominum ulturum superbiam mulieum, & luxum in vestibus, Rom. 1: 29, 30. Gal. 5: 19, 20 21, 22. alia exempla habentur, a vitiorum & virtutum recensione.

Ἀνάβασις, *incrementum*, est, cùm per gradus ab infimis ad summa oratio ascendit: seu, cùm congeruntur voces, ita ut semper posteiores sint vehementiores, atque ita quasi crecat vel grandescat oratio. Vocatur etiam αὔξησις & κλίμαξ, diversâ tamen acceptione, uam superius hæc vocabula sumta sunt. Reiciamus autem exempla quædam. Psal. 1: 1. *Beatus vir, qui non ambulat in consilio impiorum, & in via peccatorum non consistit, & in cathedra derisorum non sedet.* Triplex hic ἀνάβασις seu climax est, 1. Personarum, quarum primus gradus est רשעים *impiorum*, seu eorum, qui improbo sunt animo: secundus חטאים *peccatorum*, qui, quod animo nefarie cogitarunt, opere ipso secure adimplent: Tertius לצים *irrisorum*, qui in sua insuper gloriantur malitia, & omnes admonitiones, omnem religionem, pietatem & justitiam contemtim subsannant ac deludunt. 2. Vitæ institutorum. Improbis enim *consilium* tribuitur, hoc est, malitiosæ & inquietæ cogitationes machinationesque: Peccatoribus assignatur *via*, hoc est, in impietate progressus & consuetudo prava: Illusoribus denique datur *cathedra seu sedes*, hoc est, obstinatio in malitia exsultans ac regnans. 3. Actionem. Improbi *ambulant in consilio suo*, hoc est, ita sua consilia instituunt, ut finem suum per fasque nefasque obtineant. Peccatores *in via sua pessima consistunt*, hoc est, perseveranter permanent. Illusores *in cathedra sua planè consident*, hoc est, in malitia animi sui plane ἀπηλγηκότες sunt &c. Ab his igitur qui animo & vitâ alieni sunt, pro credentibus & vere piis, juxta mentem Psaltis, imò Spiritus Dei, habendi sunt. Psal. 2: 1, 2, 3. incrementum est, *tùm* ratione personarum, quæ sunt *gentes profanæ*, v. 1. deinde ii, qui se *pro populo Dei* falso venditant. v. 1. inde *Reges & principes* v. 2. tandem *omnes illi unà conspirantes* v. 3. (conf. Actor. 5: 25, 26, 27.) *Tùm* ratione factorum, quæ sunt, *tumultuari* seu irrequieto corde esse, v. 1. *meditari, consilia inire, consusurrare malignè*, v. 1. *in consilio malè cœpto obfirmari*, v. 2. *in hac rabie fundari firmissime, aliosque sibi associare*, v. 2. tandem *ad rebellionem se invicem excitare*, & ad arma quasi conclamare, v. 3. Esa. 1: 2. Hebræi vocantur *gens peccatrix*; *populus onustus iniquitate*; *semen malignorum* (non tàm consuetudine, quàm hæreditate depravatissimi) *filii corruptores* (qui non modò ipsi malitiosi sunt, sed alios etiam ad flagitia invitent.) *Peccatorem esse*, humanum est: *onustum peccatis esse*, fœdum est: gravius utroquè est, *naturâ malitiosum esse*: summus improbitatis gradus est, *in alios malitiæ suæ virus spargere.* Vide etiam Ps. 7: 6. Ps. 18: 38, 39. Ezech. 2: 6. Dan. 9: 5. Hab. 1: 5. Zach. 7: 11, 12. 1 Cor. 4: 8. 1 Johan. 1: 1. &c. Contrà à summis ad infima progressus, & quædam quasi κατάβασις est Ezech. 22: 18. in metallorum nominibus. Quo referri posset Phil. 2: 6, 7, 8.

EX

## EX DEFINITIONE desumta schemata.

Ἐπεξήγησις, *interpretatio*, *est*, cum verba idem significantia, ad sententiam illustrandam conjunguntur. Dicitur & ἐξεργασία, *expolitio*. Psal. 17:1. *Audi Domine, justitiam, adverte clamorem meum, & ausculta orationi meæ*. Ps. 35:1,2,3. Psal. 18:2,3. Jon. 2:3,4. Zach. 6:12,13. & aliàs sæpissimè hæc ἐξεργασία occurrit. ᵃ Ad eam referunt ἐπιμονὴν, *commorationem*, cum in eodem persistit oratio, commutatis tantum verbis vel sententiis, Matth. 7:21,22,23. cap. 12:31,32. Col. 2:13,14,15. 1 Cor. 9:36,37. &c. Quando ea, quæ prius obscurius dicta erant, clarius eâdem sententiâ exponuntur, ᵇ ἑρμηνείαν, *interpretationem* id vocant. Esa. 1:22. *Argentum tuum redactum est in scoriam*. v. 23. *Principes tui sunt perversi &c.* Quòd si immodicè aut sine causa utatur quis συνωνυμίᾳ aut ἐξεργασίᾳ, ᶜ βαττολογία id nuncupatur, unde βαττολογεῖν Matth. 6. vers. 7. cujus vocis originem à *Batto* quodam ducunt, qui poëticas audiunt fabulas: omninò autem est à βάττος, quod est τραυλόφωνος, ἰσχνόφωνος, ut optimè exponit Hesychius. Est autem βάττος, κατ' ὀνοματοποιΐαν à *ba*, vel *bat*; quæ syllaba crebrò infantibus in ore, unde & βάβαξ, ὁ φλαρὸς, ut idem exponit Grammaticus. Nævii quoque *butabata*, quòd e quatuor vocibus factum, hinc tertiam accipit syllabam. Hæc ex Vossio lib. 5. inst. orat. cap. 2. visum adscribere ob locum ᵈ Matth. 6:7. Absit autem, ut in sacris literis ulla βαττολογία sit, vel ταυτολογία vana, de quo vide plura in Gramm. sacr. pag. 727. seqq.

ᵃ ἐπιμονή.
ᵇ ἑρμηνεία.
ᶜ βαττολογία.
ᵈ Matt. 6:7.

Περίφρασις, *circumlocutio*, est, cum pluribus verbis aliquid enunciatur & describitur. Adhiberi eam quidam dicunt, vel ut splendidiùs veritas proferatur, vel ut fœditas evitetur, quorum utrumque ex subjunctis etiam Scripturæ exemplis patebit. Occurrit autem *tùm* in nominibus propriis, *tùm* appellativis, uti & quibusdam verbis. *Prioris* exempla sunt in Grammatica sacra pag. 787. *Posterioris* hæc notentur, ᵉ Genes. 20:16. secundum interpretes quosdam periphrasis mariti est, quòd is dicitur *operimentum oculorum uxoris*, tùm à jure, quod in uxorem habet, & ab officio illius protegendæ (quò pertinet phrasis, officium mariti exprimens, Ruth 3. ℣. 9. *expandere alam vestimenti super aliquam*, hoc est, in suum patrocinium maritaliter recipere) tùm ab officio uxorum in viros, ut eos revereantur, iisque subjectæ sint: in subjectionis enim signum velatur uxor, Genes. 24:65. 1 Corinth. 11:5. seqq. Verba Abimelechi integra ad Saram ita habent: *Ecce dedi mille siclos argenteos fratri tuo: ecce ipse tibi est operimentum oculorum apud omnes, qui tecum sunt: sit etiam apud quoscunque, & esto erudita*; q. d. dixisti Abrahamum fratrem tuum, huic tùm falsò nominato fratri, dedi munus mille argenteorum, in doloris levamen: At non frater tuus est, sed maritus, & talis ab omnibus tuis familiaribus agnoscitur: verùm fac, ut talis etiam apud quoscunque exteros agnoscatur, & erudiat te hoc periculum, in quod tuâ culpâ modò pervenisti, ut inposterum caveas dissimulare hunc tuum maritum. *Sic Abrahamo* (inquit Junius) *qui ex factione emendaverat hanc imprudentiam suam anteacti periculi experientiâ*, Genes. 12:8. *Deus infidelem præceptorem & doctorem veritatis obtulit.* Hæc de isto loco. Gen. 38. vers. 14. periphrasis *bivii* est, quod vocatur פֶּתַח עֵינַיִם *porta oculorum*: bivio enim oculis quodammodò aperitur janua, ut illorum intuitus huc illuc ferri possit. In vers. 21. simpliciter עֵינַיִם est, unde pro loci nomine ab aliis hæc vox habetur. Jud. 3:4. ᶠ 1 Sam. 24:4. *tegere pedes*, per periphrasin dicitur (verba sunt Cl. Vossii lib. 4. inst. orat. cap. 13.) in mentione τῶν περὶ κοιλολυσίαν ὄντων, quia nempe non, ut nos, braccis utebantur Hebræi, uti nec Romani aut Græci, sed tunicis, quibus conquiniscentium pedes contegebantur. Jud. 5:10. *Equitantes asinas nitidas, residentes in judicio, & qui proficiscimini per viam*, hoc est, viri principes, judices, ac mercatores. 2 Sam. 3:29. periphrasis claudi est, quod is dicitur מַחֲזִיק בַּפֶּלֶךְ *apprehendens scipionem seu baculum*. 2 Reg. 18:37. Esa. 36:12. *urina* periphrasis est, non quidem in textu ipso sacro, sed in nota Masorethica, quòd *aqua pedum* appellatur. Vide lib. 1. Philolog. sacræ pag. 5. ᵍ 2 Paral. 26:5. *In diebus Zachariæ* הַמֵּבִין בִּרְאֹת הָאֱלֹהִים *intelligentis in visionibus Dei*, hoc est, Prophetæ, ut R. Kimchi explicat. Junius & Tremellius vertunt *informantis in timoribus Dei*, hoc est, in rebus pertinentibus ad timorem Dei. Quod ex diversa lectione est. Pro בִּרְאֹת enim, quod in nostris codicibus est, ipsi in antiquo codice manuscripto Heidelbergensi scriptum repererunt בְּיִרְאֹת *in timoribus*. Quæ quidem lectio, pluralem quod attinet, Drusio non probatur, tùm quòd nulla ejus in Criticis Hebræorum mentio; tùm quòd יִרְאָה *timor*, in plurali nuspiam alibi usurpetur. Ipse tamen suspicatur, olim lectum fuisse in singulari בְּיִרְאַת *in timore*: cùm Græci vertant: τοῦ συνιόντος ἐν φόβῳ κυρίου: cumque R. Salomo in commentario ita legat, uti

ᵉ Gen. 20:16. Operimentum oculorum &c.
ᶠ Tegere pedes.
ᵍ 2 Par. 26:5. intelligentis in visionibus Dei.

i & R. Kimchi in præfat. super Esaiam, ii tamen in ipso textu legit, prout libri editi nnes habent, בְּרָאוֹת *in visionibus*. Hæc Drus lib. 14. observ. cap. 25. Buxtorff. addit teres Thalmudicos etiam legere בירואת *in tiore*. Cod. Sota cap. 9. fol. 48. &c. Pergaus autem ad alia. 2 Paral. 32:21. periphrafiliorum est: מִיצִיאֵי *egressiones viscerum ejus* Sanherib, seu, qui ex ipsius visceribus egressi ant,) *ibi interemerunt eum gladio*. Conf. 2. eg. 19:37. ubi nomina parricidarum fratrum nuntur. Job. 4:19. periphrasis est Spiritus ominum, seu animæ, in corpore commontis, secundùm Junium & Tremell. *Quanminùs inhabitantibus domos argillaceas* (id :, spiritibus humanis, inhabitantibus corpo-, quæ domus luteæ per circumlocutionem cuntur, ut 2 Cor. 5:1.) *quibus* (domibus) *isto pulvere est fundamentum suum*, (id est, ıæ corpora sunt caducissima, & velut arenæ stabili superstructa) *qui* (mortales) *contentur, antequam tinea* (id est, citissimè, & inore negotio, quàm tinea conteritur, quæ lo attritu est friabilis) Job. 10:21. [a] *mortis sepulcri* hæc periphrastica exstant: *Cùm nonm abiero, unde non sum rediturus, in terram nebrosam & umbra lethalis*, v. 22. *terram obrissimam, similem caligini umbræ lethalis, & pertem vicissitudinum, cùm* (maximè) *splent, similem caligini*. Vide & cap. 16:22. Sic p. 18:14. mors dicitur מֶלֶךְ בַּלָּהוֹת *Rex terrum*, hoc est, qui improbos terret: uti & 13. *primogenitus mortis* vocatur, hoc est, uentissima ac funestissima mors; metaphora primogenitorum jure sumta, qui duplam pornem & alias prærogativas accipiebant: & his, quicquid in suo genere excellens & sumım est, primogenitum Hebræis dicitur. (As mortis periphrases vide Genes. 15:15. cap. :8. cap. 42:38. 2 Reg. 22:20. Psal. 94:17. al. 115:17. Esa. 14:15. cap. 38:10. 2 Cor. 1. Phil. 1:23. 2 Pet. 1:13, 14. &c.) Job. . ℣s. 13. *balæna* vocatur נָחָשׁ בָּרִיחַ *serpens lis, seu oblongus*; ob immensam longitudin. Psal. 4:8. messis & vindemiæ hæc extat iphrasis: *Dedisti lætitiam in corde meo* (mam) *quàm* (quæ est) *tempore* (quo) *frumtum eorum & vinum eorum multiplicantur*; : est, in messe & vindemiâ. Eccl. 12:1, 2. q. aliquot periphrases extant allegoricæ & γματώδεις, quæ conjunctim *senectutis & tis* periphrasin exhibent, ut supra suo loco tum. Prov. 30:31. זַרְזִיר מָתְנַיִם *accinctus bis*, periphrasis *equi* est, ornatu bellico cti, tecti & muniti, adversus tela & vim silem, quem *cataphractum* vocat. Vide ssum & Tremell. in notis, uti & Fuller. in

miscell. sacris lib. 5. cap. 12. Quidam *canem venaticum* notari putant, notante Kimchi, quos Luth. sequitur, vertens: Ein Wind (Windhund) von guten Lenden. De qua sententia, ut & aliorum, qui *gallum*, vel *apem* intelligi putant, in eodem capite Full. tract. Jer. 21:13. periphrasis *propugnaculi Zionis* est (quod appellatur *civitas Davidis*, 2 Sam. 5:9.) *Ecce me contra te, ô quæ insides isti convalli, rupes ejus planitiei, dicit Jehova*. Intelligitur autem convallis Rephaim & vallis Hinnomi, quæ continentes erant, Jos. 15:8. Sequitur apostrophe ad ipsos incolas: *qui dicitis, quis confringet nos? aut quis intrabit in habitacula nostra?* quo sermone præsidentium naturæ loci & munitionibus, ad Jebusæos, ejusdem propugnaculi quondam possessores, 2 Sam. 5:6. alluditur. Ezech. 1:22. *Similitudo expansi erat supra capita animalium, quasi specie* הַקֶּרַח הַנּוֹרָא *glaciei formidabilis, seu vehementissimæ*. Periphrasis *crystalli* hæc est, Ezech. 24:16, 21, 25. *uxor* περιφραστικῶς vocatur *desiderium oculorum mariti*, ut ex v. 18. patet. Ezech. 26:9. *aries, helepolis* (machina bellica ad evertendos muros) dicitur מְחִי קָבָלוֹ *percussio adversi sui, seu delens quod adversum sibi est*. [b]Ezech. 28:14. in medio אַבְנֵי אֵשׁ *lapidum ignis, seu ignitorum, ambulabas*. Periphrasis vel *gemmarum*, igneum quendam fulgorem edentium, quales sunt carbunculus, rubinus, chrysolitus, pyropus &c ut sit sensus: præclarè ornatus & ditatus fuisti, veluti si preciosis lapidibus non solùm esses indutus, uti v. 13. dicitur, sed & in pavimento ejusmodi lapidibus strato ambulares. Vel *fulminum & fulgurum*, sensu eo: putabas te, ut Deum, imperium habere in ipsa fulmina cum fulguribus emissa. Aliè autem à quibusdam, vel *Seraphim* intelliguntur; vel *Israelitæ*, quibus conjunctus fuit fœdere Rex Tyriorum, Hiram &c. Ezech. 31:14. Omnes שֹׁתֵי מָיִם *potantes aquam*, hoc est, arbores riguæ, sic dictæ, quia humore gaudent. Mich. 7. ℣s. 5. *à cubante in sinu tuo observa fores oris tui*. Duplex hîc periphrasis est, *conjugis, & labiorum* metonymicè pro *sermone* acceptorum. [c]Zeph. 1:9. *Et visitabo super omnem* הַדּוֹלֵג עַל־הַמִּפְתָּן *insilientem in limen*. Periphrasis administrorum, qui à magnatibus ad diripiendum tenuiorum bona emittebantur: hi enim alienas domos audacter invadebant, & bona occupabant. Confirmant hanc expositionem verba sequentia: *Implentes domum dominorum suorum rapinâ & dolo*. Alii Chaldæum secuti, Periphrasin *Philistinorum* hîc statuunt, Dagonis cultorum, de quibus 1 Samuel. 5:5. dicitur, quòd peculiari de causa li-

[a] Mortis periphrasis.

[b] Ezech. 28:14. lapides ignis.

[c] Zeph. 1:9. insilientes limen.

men non calcârint. Sed alienum hoc tùm à scopo, tùm à prophetica phrasi videtur esse. Non de idololatria, sed injustitiâ & rapinâ hic agitur: & verbum דלג, non significat, ex metu non audere tangere (ut illi sacrificuli faciebant) sed *præ lætitia subsilire*, & cum fiducia potentiaque, uti ex usu hujus vocis patet, 2 Sam. 22: 30. Psal. 18: 30. Cant. 2: 8. Esa. 35: 6. [a] Exempla Nov. Test. Matth. 11: 11. *homines* vocantur γεννητοὶ γυναικῶν, *nati mulierum* Luc. 21: 35. iidem dicuntur, *habitantes super facie terræ*. Joh. 1: 9. *venientes in hunc mundum*; sicut Hebræi, בָּאֵי עוֹלָם eos vocant. Luc. 2: 23. *Omnis masculus, adaperiens matricem*, hoc est, primogenitus. 1 Thess 5: 3. ἐν γαστρὶ ἔχουσα *in utero habens*, hoc est, prægnans. Quæ periphrasis etiam Matth. 1: 18, 23. cap. 24: 19. Marc. 13: 17. Luc. 1: 31. c. 21: 23. Apoc. 12: 2. occurrit. [b] De periphrasi observari volunt quidam, eam quandoque ab adjunctis sumi, quæ tamen non sint κατὰ παντός, & perpetuò eadem, ideòque non tàm verba, quam sensum attendendum esse. Psal 105: 18. periphrasis captivitatis exstat isthæc: *Cujus* (Josephi) *pedes afflixerunt compede, ferrum subivit anima ipsius*. Sensus est; captivus fuit Joseph. Et hic sensus respiciendus, non ipsa exactè verba; si enim compedibus & catenis (& quidem usque ad liberationis ipsius tempus, ut ℣s. 19, 20. sequitur) vinctus fuisset, non potuisset in carcere ministrare, & negocia carceris expedire, quod de eo Gen. 39: 21, 22, 23. c. 41: 12. refertur. Quidam ipsa verba attendentes, de captivitatis initio ea interpretantur, quod durissimum fuit, uti ex Gen. 39. ℣s. 20. colligitur. Sic Psalm. 132: 3, 4. quietis hæc exstat periphrasis: *Non ingrediar tentorium domus meæ; non conscendam spondam stratorum meorum; non dabo somnum oculis meis, palpebris meis dormitationem*, vs. 5. *donec invenero locum pro Jehova, locum tabernaculorum pro forti Israelis*. Sensus est, non conquiescam, donec id fiat &c. Et hic sensus attendendus, non præcisè verba periphraseos, aliàs quippe David insigniter temerarius fuisset. Simili sensu Germani nostri dicunt: Ich wil mein Haupt nicht sanfft legen / biß ich diß vollbracht habe / hoc est, non conquiescam, donec hoc perfecero: omnem igitur movebo lapidem, omnem adhibebo operam ac diligentiam, ut perficiam. Sunt tamen, qui verba ea Psaltis, respectu certi loci explicant, nempe novi domicilii, quod sibi ædificavit David. 2 Sam. 5: 9. 1 Paral. 15: 1. ut sit sensus, quod religio sibi sit, migrare in novum domicilium suum, ibique cubare & requiescere, nisi Deus prius ibidem sedem suæ gloriæ constituisset &c.

[a] Exempla N. Test.

[c] Gnome. Chria. Noëma.

[b] Observatio.

[d] Gnome sacrarum literarum.

## EX TESTIMONIO desumta schemata.

[c] Γνώμη, *sententia*, est dictum aliquod generale, breve, oportunum, de moribus aut aliis hujus vitæ rebus; idque sine autoris allegatione, (Prov. 1: 2. dicuntur אִמְרֵי בִינָה *verba prudentiæ*. In præfat. libri Siracidis, λόγοι φρονήσεως.) Quòd si autor allegetur, χρεία, *chria* (q. d. utile dictum; est enim χρεία, *usus, commodum*) id dicitur. E. G. *Seneca ait, ita vivendum esse cum hominibus, tanquam Deus videat; sic loquendum cum Deo, tanquam homines audiant*. Apud Xenophontem Crœsus inquit: Τέχναι πηγαὶ τῶν καλῶν, *artes fontes sunt bonorum*. Domosth. dixit: Πόλεως ψυχὴν εἶναι τοὺς νόμους, *civitatis animam esse leges &c.* Quòd si ad sententiam sive celebre aliquod dictum, allusio modò fiat: vel ejus ad certam personam accommodatio, νόημα, *nomen*, h. e. *cogitatio*, id dicitur, de quibus multa in profanorum Rhetorum scriptis. [d] Sacras literas quod attinet, in iis non tàm γνῶμαι, *sententiæ*, quærendæ, quàm pro uberrimo optimoque γνωμῶν sententiarumque utilissimarum, jucundissimarum, quid? salvificarum ταμείῳ & promtuario illæ habendæ sunt, semperque Petrinum illud bonis ac θεοδιδάκτοις Christianis ingeminandum: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*, Joh. 6: 68. Pulcra de hoc exstant verba Eccl. 12: 11. *Verba sapientum, tanquam stimuli* (quibus exstimulantur homines ad faciendum officium, sicut boves stimulis adiguntur ad progrediendum, vel ad laborem) *& tanquam clavi* (quibus homines in officio continentur, sicut asseres continentur, infixo clavo) *plantata à magistris collectionum* (metaphoricè de sermone divino loquitur, uti 1 Cor. 3. v. 6. Jac. 1: 21. Sunt autem *magistri collectionum*, qui collegia instituunt, seu in publico Ecclesiæ cœtu verbum Dei docent, quales Prophetæ & Sacerdotes in Vet. Test. erant) *data sunt à pastore uno*, videl. à Deo, populi sui pastore unico Ps. 23: 1. hoc est, gubernatore & protectore benignissimo. Is solus verbi sui scripti autor est, immediatè in Prophetis suis loquens &c. Flac. in clave script. part. 2. col. 303. *In prophanis scriptoribus ideò faciliùs judicari possunt gnomæ, quàm in sacris, quia rariores sunt, & fermè tantum ornatus gratiâ adhibentur. At sacræ literæ sunt adeò prægnantes optimis rebus, ut sint quasi perpetuæ*

*petua quadam sententiæ, vel propalàm tali formâ proposita, vel, quæ licet sint circumstantiis convestita, & quasi ad individua applicata, facilè tamen ad generale dogma perduci queant. Commodissimè eas distinguere possemus, si diceremus, alias esse legales, alias Euangelicas, denique alias de communi vita, moribus aut rebus: quæ possent subdividi in politicas & œconomicas.* Hæc in genere de sacra gnome.

a In specie, & per analogiam valdè concinnam, agi hic potest de allegatione oraculorum Vet. Testamenti, in Novo factâ ab Euangelistis & Apostolis, de qua utiliter quædam observari queunt, concernentia tùm *formam internam*, quæ sensus oraculorum Scripturæ est; tùm *formam externam*, quæ genus loquendi, seu characterdicendi, & modus allegandi est.

b Quoad *formam internam*, allegatio fit, *vel* in sensu ipso à Spiritu sancto intento; *vel* in analogica accommodatione. I. Sensus ipse à Spiritu sancto intentus tùm *literalis* est, tùm *typicus* & mysticus. 1. *Sensu literali* immediato, allegatio in plerisque fit (ut alia jam non attingamus, quorum multa sunt) quæ Christum attinent, de quo Prophetæ multoties prædixerunt κατὰ τὸ ῥητόν. Ut, quod Esa. 7: 14. dicitur: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabis nomen ejus Immanuel*; in sensu proximo proprioque allegatur, & de Christo exponitur Matth. 1:23. Conf. etiam Deut. 18:5. cum Actor. 3:22. Et Psal. 2:7. cum Actor. 13: 33. Heb. 1:5, c. 5:5. Et Psa. 8:9. cum Matth. 21:16. Et Psal. 23:19, cum Matth. 27: 35. Joh. 19:24. Et Psal. 40:7, 8, 9. cum Hebr. 10:5. seqq. Et Psal. 45:7, 8. cum Hebr. 1:8, 9. Et Psal. 68:19. cum Eph. 4:8. Et Psalm. 69:11, 22. cum Johan. 20:17. c. 19:28. Rom. 15:3: Et Psalm. 102:26 cum Hebr. 1:10. Et Psal. 110:1. cum Matth. 22:43, 44, 45. Luc. 20:42, 43, 44. Actor. 2:34. 35. 1 Cor. 15:25. Hebr. 1. 13: Et Psal. 110:4. cum Hebr. 5:6. cap. 7:17. Et Ps. 118:22. cum Matt. 21:42. Marc. 12:10. Act. 4. 11. 1 Petr. 2:7. Et Esa. 11:10. cum Rom. 15:12. Et Esa. 28:16. cum. 1 Petr. 2:6. Et Esa. 42:1. seqq. cum Matth. 12:17. seqq. Et Esa. 45:23. cum Rom. 14: 11. Et Esa. 61:1. cum Luc. 4. vs. 18. 21. Et Amos. 9:11. cum Actor. 15:15. 16. Et Mich. 5:2. cum Matth. 2:6. Et Zach. 9. vs. 9. cum Matth. 21:5. Joh. 12:14. 15. Et Zach. 11:12. cum Matth. 27:9. Et Zach. 12:10. cum Joh. 19:37. Et Zach. 13:7. cum Matth. 25:31. Et Malach. 3:1. cum Matth. 11:10. Marc. 1:2. &c. Tremellius & Junius, uti & Tarnovius & Rivetus, huc referunt Hos. 11:1. *Ex Ægypto vocavi filium meum*: quod Matth. 2:15. de Christo allegatur & intelligitur. Id in sensu literali proximo ita se habere, illi asserunt, licèt (textus verborum connexionem, quod attinet) diversâ ratione. Alii autem ad sequens membrum referunt; In quo explicando multus est in commentario super Hoseam Tarnovius, quem vide. 2. *Sensu typico* mediato fit allegatio, itidem in iis, quæ Christum, ejusque corpus mysticum, Ecclesiam attinent, quando videl. allegatus V. Test. locus typum futurorum continet. Ut quod Exod 12:46. *de non frangendo osse in agno paschali* habetur, typum Christi passuri & crucifigendi obtinuit, quod ex allegatione eorum verborum & ad Christum facta applicatione, Joh. 19:26. conspicitur. Quod *de aneo serpente* in medelam & salutem populi Israelitici corporalem, in deserto erecto, Num. 21:8, 9. refertus, typus Christi in cruce exaltandi, in salutem populi sui spiritualem & æternam, fuit; uti ex allegatione Christi & applicatione ad se factâ, Joh. 3:14, 15. patet. Par ratio typi *Prophetæ Jonæ* est, Jon. 2. ℣s. 1, 11. Matth. 12:39. *Adami & Evæ* divinitus in unam carnem consociatorum, Gen. 2:23, 24. respectu Christi & Ecclesiæ, mysticè in unum spiritum conjunctorum, Eph. 5:31, 32. &c. Huc pertinent allegationes, quæ allegorice sensus explicationem continent, de quibus vide libr. 2. Philolog. sacræ pag. 187. 188. II. Analogica accommodatio (quam Cajetanus *sensum transsumtivum* appellavit) est, quando verba Scripturæ V. Test. usurpantur in N. Test. accommodanturque eventui; aut personæ vel rei alicui, propter convenientiam & similitudinem, tribuuntur, factâ ad eam rem extensione, quàm proximè scriptor sanctus non intellexit vel significavit. Atque hoc cum *noëmate* Rhetorum, de quo superiùs, aliquantùm convenit. c Matth. 13: 35. ad Christum parabolis utentem accommodatur dictum Psal. 78:2. *aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi*: quod impletum in Christo dicitur, nimirum κατ' ἀναλογίαν ejusmodi: Quâ ratione Deus Pater per Prophetas suos omni tempore populo mysteria regni cœlorum enunciavit, parabolicâ nimirum; eâdem Christum τὸν Λόγον Patris ὑποςατικὸν, uti, conveniens erat. Hoc tantùm interest, quod in Psalmo 78. vera exempla adducuntur, à Christo autem narrationes fictæ, μυθώδεις καὶ ἀλληγορικαὶ: quæ tamen communem rationem obtinent in eo, quòd utraque *parabola* appellantur, hoc est, similitudines, quales sunt, tum quæ à Christo adducuntur, tùm quæ à Psalte exempla recensentur, conferendi nimirum gratiâ, ut ex illorum similitudine & ex collatione admoneatur

a De allegatione oraculorum V. T. facta in N. T.

b I. Quoad formam internam.

c Matth. 13:35. de allegatione Psa. 78:2.

populus, quid & sibi à Deo sit exspectandum, sive illi adhæreat per fidem, sive perfidè reluctetur. Conf. 1 Cor. 10: 6, 11. Luth. tom. 4. Lat. Jen. fol 341. b. postquam de allegatione hac Matthæi, incommodâ quibusdam visâ, sibi objecisset, ita subjicit: *Si hic nihil possumus respondere pro nostro captu, cedendum est magisterium Spiritui sancto, si fortè in uno aliquo loco vellet nos tentare, & stultos facere, cum in cæteris omnibus fuerit tam clarus. Nam verè difficile est Abraha, postquam omnia credidisset, tandem etiam pugnantia credere, i. e. filium promissionis occidendum esse. Tutius est igitur, fateri ignorantiam, quàm velle nihil non intelligere. Ita & hic locus, quamvis sit non necessarius (ut videtur) tamen spiritus novit, quare allegaverit eum. Meo sensu Matthæus generalem sententiam applicavit particulari, h. e. ut Psalmus canit de historiis Patrum, quæ omnes significant multa: Ita & Christus velit dicere multa, velut historica, quæ tamen significent multa in toto orbe futura &c.* Vide ibid. plura hanc ad rem pertinentia. [a] Pergamus ad alia exempla. Matth. 8: 17. allegantur verba Esaiæ cap. 53: 4. *Hic infirmitates nostras suscepit, & morbos portavit.* Si personam & adæquatum subjectum, de quo Propheta loquitur, attendas, allegatio fit κατὰ τὸ ῥητὸν; at si rem, de qua à Matthæo tractatur, per analogiam & accommodationem. Agitur enim de Christo varios sanante morbos, & in eo dicitur impletum fuisse Esaiæ oraculum, in quo, sensu literali, de spirituali peccatorum nostrorum portatione agitur, quæ in passione & morte Christi facta est, explicante Petro, dum ex illo textu verba mutuatur, ad explanandum redemtionis nostræ mysterium, 1. Epist. 2: 24, 25. Percommodè autem commodatio illa ab Euangelistis fit ob analogiam tùm *objecti*, peccatorum enim effectus & pœnæ, inter alia, morbi corporales sunt: tùm *actionis*, quia, ut Chrysost. hom. 28. loquitur, *sanatio corporalis, ægrotis à Christo præstita, fuit typus sanationis spiritualis ab ipso exspectandæ.* Beza: *Spiritualium beneficiorum Christus specimen quoddam edidit in sanandis ægrotis.* [b] Rom. 10: 6. seqq. in descriptione justitiæ fidei, mutuatur Paulus verba Mosis, Deut 30: 11. seqq. & alludit ad ea, quibus ille promtam & in propatulo expositam omnibus veram religionem esse testatur. Analogicam autem tantummodò applicationem allusionemque fieri, non verò confirmatoriam allegationem, non ex scopi solùm diversitate patet, sed ex ipso etiam verborum Pauli tenore, dum non Scripturam, sed *fidei justitiam* sic loqui asserit, hanc quasi προσωποποιῶν. Luth. tom. 2. Jen. Lat. fol. 155. dicit, *Paulum abundante spiritu, ex Mose occasionem accepisse adversus justitiarios, velut novum & proprium textum componendi.* De scopo autem Mosis in Deuteronomio, à scopo Pauli diverso, sic loquitur fol. 196. *Vult Moses, sese suo officio, seu fidelem legislatorem, esse perfunctum egregiè, ut per quem non stet, quò minus omnia sciant & habeant coràm posita præcepta, nec locum eis relictum excusandi, quòd ignorent, vel non habeant præcepta, aut aliundè petenda eis sint, ut si non servârint ea, culpa nec sit legis, nec legislatoris: sed ipsorum, cùm lex adsit, legislator docuerit, ut nulla ignorantiæ excusatio reliqua sit, sola accusatio negligentiæ & inobedientiæ &c.* Apoc. 21: 5. *Et dixit, qui sedebat in throno, ecce nova facio omnia.* Alluditur ad verba Esaiæ. cap. 43. vs. 19. ubi hæc verba de restauratione mundi per Christum, sanctissimo ejus merito facta, à Deo proferuntur (quo sensu allegantur 2 Cor. 5: 17.) in Apocalypsi autem ad futurum æternitatis beatæ statum referuntur. Conferantur item Matt. 2: 17, 18. cum Jer. 31: 15. (Chemnitium adi Harm. Euang. part. 1. pag. 262.) Et Matth. 13: 14. cum Esa. 6: 9. Et Matth. 15: 8. cum Esa. 29: 13. Et Luc. 23: 30. Apoc. 6: 16. cum Hos. 10: 8. Et Act. 13: 40. 41. cum Hab. 1: 5. Et Roman. 9. vers. 27, 28. cum Esa. 10: 22. Et Rom. 9: 29. cum Esa. 1: 9. Et 1 Corinth. 1: 19, 20. cum Esa. 29: 14. cap. 33: 18. Et Apoc. 1: 7. cum Zach. 12: 10. Et Apoc. 11: 4. cum Zach. 4: 14. &c.

[a] Matth. 8. 17. de allegatione Es. 53: 4.

[b] Rom. 10: 6. de allegatione Deut. 30: 11.

[c] Quoad *formam externam*, seu genus dicendi, & modum allegandi, de hoc observentur sequentia.

[c] 2. Quoad formam externam Allegatio ex LXX. Interpp.

I. Allegatio frequentissimè fit ex LXX. Interpretum (uti vocant vulgò) versione Græcâ. Hieronymus in quæst. Hebr. super Gen. tom. 4. fol. 102. *Hoc generaliter observandum, quod ubicunque sancti Apostoli aut Apostolici viri loquantur ad populos, his plerunque testimoniis abutantur, quæ* (per translationem LXX. Interpretum) *jam fuerat in gentibus divulgata.* Et hoc ipsum quidem, in iis etiam, ubi discrepantia in Græco manifestissima est ab Hebræo fonte, uti ex collatione patet. Luc. 3: 36. in genealogia Christi nomen *Kainan* secundò adductum, in Hebr. textu Gen. 11. non habetur, sed in versione LXX. Interpretum, de quo videatur Philol. sacræ lib. 1. pag. 104. seqq. Luc. 4: 18. illa verba, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, in Hebr. Esa. 61: 1. non exstant, sed apud Septuaginta. Conferantur etiam Zach. 9: 9. cum Matth. 21: 8. & Psalm. 8: 3. cum Matth. 21: 16. &c. De causa hujus instituti ita Flac. part. 2. clavis Scripturæ pag. 103. *In LXX. Interpretum versione citandâ notandum*

*um est, Apostolos in Nov. Test. non immeritò liquid dedisse imbecillitati Christianorum, & mmuni consuetudini, quòd non aliter aliquoties icta Scripturæ citaverint, quàm sicut jamdudum bud vulgus ex illa versione innotuerant. Sic nim illi pusillis Christi lac præbentes, ac ad eo-im captum sese accommodantes, loqui non sunt dignati. Sic videmus etiam parentes aliquan-o cum infantibus balbutire.* Rivetus Isagog. cript. cap. 10. pag. 156. *Hanc interpretatio-em secuti sunt* (Novi Test. scriptores sacri) *iis solùm rebus, quæ nihil per se de veritate dei derogabant; præsertim cum discessionem à re-pta inter hellenistas editione periculosam, & ne fructu Ecclesiæ futuram, animadverterent.* t p. p. *Versione illâ usi sunt Apostoli & Aposto-ci viri per indulgentiam, ut se accommodarent, tantum fieri posset, receptæ quidem communiter rsioni, sed non ex omni parte perfectæ.* [a] No-ndum verò probè, non semper Græcâ illa anslatione usos fuisse Apostolos, uti ex mul-s locis inter se collatis patet. Esa. 25. 8. לנצח *sempiternum*, LXX. habent ἰσχύσας, *præ-lens aut vincens*. Paulus autem 1 Cor. 15: 4. εἰς νῖκος transtulit. Nominatim de Mat-æo & Johanne testatur Hieronym. in comm. sa. 6. *quod testimonia sua de Hebræo proferant.* Ubi contrà de Luca Euangelistá, ex tradi-one veterum Ecclesiæ doctorum refert, *ipsum edicæ artis fuisse scientissimum, & magis Græ-s literas scisse, quam Hebræas: ideoque sermo-m ejus tàm in Euangelio, quàm in actis A-stolorum, comtiorem esse, & secularem redo-e eloquentiam; magisque testimoniis Græcis uti, àm Hebrais.*) Exempla ex Joanne & Mat-æo sunto hæc Zach. 12: 10. LXX. legunt: ιβλέψονται πρός με, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο, *spicient in me, pro eo, quòd insultaverunt.* Pro דקרו *transfixerunt*, ipsi, conjiciente Hie-nymo, legerunt per literarum μεταβολὴν, רקד, à רקד, *gestiit, subsiliit*,) Joannes autem p. 19: 37. ex Hebræo citat: ὄψονται εἰς ὃν εκέντησαν, *videbunt in quem pupugerunt* Hos. : 1. LXX. legunt ἐξ αἰγύπτου μετεκάλεσα ι τέκνα αὐτοῦ, *ex Ægypto vocavi filios ejus* Israelis.) Matthæus autem cap. 2. 15. citat, in Hebræo est: ἐξ αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν ου, *ex Ægypto vocavi filium meum*, Mich. 4: 1. XX. legunt: καὶ σὺ βηθλεὲμ ὁ οἶκος εὐφραθᾶ, ιγοςὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα, ἐκ σοῦ μοι ἐξ-ύσεται τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ Ισραήλ. In atthæo autem cap. 2: 6. ita verba Prophetæ tantur: καὶ σὺ βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλα-ςη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα, ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύ-ται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ισ-ήλ. Esa. 42. prophetia de Christo exstat, quam XX. de *Jacobo & Israele* intelligunt, & ita transferunt. v. 1. Ἰακὼβ ὁ παῖς μου, ἀντιλήψομαι αὐτοῦ, Ισραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου, προσεδέξατο αὐτὸν ἡ ψυχή μου, ἔδωκα τὸ πνεῦμά μου ἐπ' αὐτὸν, κρί-σιν τοῖς ἔθνεσιν ἐξοίσει. v. 2. οὐ κεκράξεται, οὐδὲ ἀνήσει, οὐδὲ ἀκουσθήσεται ἔξω ἡ φωνὴ αὐτοῦ v. 3. κάλαμον συντεθλασμένον οὐ συντρίψει, καὶ λίνον καπνιζόμενον οὐ σβέσει, ἀλλὰ εἰς ἀλήθειαν ἐξοίσει κρί-σιν. v. 4. ἀναλάμψει, καὶ οὐ θραυσθήσεται, ἕως ἂν θήσει ἐπὶ τῆς γῆς κρίσιν, καὶ ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσιν. Conferatur nunc allega-tio Matthæi quæ & ratione scopi subjectique principalis (qui Christus Jesus est) & ratione verborum phrasiumque, omnimodò à LXX. versione discedit. Ita enim ejus verba habent, cap. 12: 18. Ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ὃν ἡρέτισα, ὁ ἀγα-πητός μου, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. Θήσω τὸ πνεῦμά μου ἐπ' αὐτὸν, καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ. v. 19. οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κραυγάσει (LXX. habent, ἀνήσει, demittes) οὐδὲ ἀκού-σει τὶς ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ. v. 20. κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει, καὶ λίνον τυφόμενον οὐ σβέσει, ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν v. 21. καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι. Atque hæc & alia opponenda iis sunt, qui Græcam illam versionem Vet. Test. nimis altè tollunt, & divinam authenticamque illi auto-ritatem tribuere satagunt, propterea quòd eâ sint Euangelistæ & Apostoli usi: Specimen ha-beret hæc ratio, si semper versione illa fuissent sacri Nov. Test. scriptores usi, atque ita, ut mordicus ei adhæserint. Non autem hoc ita esse, Sole meridiano clariùs patet. Cur au-tem aliquando fuerint: anteà fuit dictum.

[a] Non semper fit allegatio ex LXX. Interpp.

II. [b] Testimonia & vaticinia V. Test. in no-vo allegantur & producuntur, non semper se-cundùm literam & verba singula, sed & sæpè verbis variâ ratione immutatis. Hieron. ad Pammach. de optimo genere interp. tom. 3. fol. 168. *Perspicuum est, Apostolos & Euange-listas, in interpretatione veterum scripturarum, sensum quæsisse non verba, nec magnoperè de or-dine sermonibusque curâsse, dum intellectui res pateret.* Idem in comm. Esa. 29. *In hoc no-tare debemus illud, quod plerumque admonuimus: Euangelistas & Apostolos non verbum interpreta-tos esse de verbo: nec LXX. Interpretum aucto-ritatem secutos, quorum editio illo jam tempore legebatur, sed quasi Hebræos, & instructos in le-ge, absque damno sensuum, suis usos esse sermo-nibus.* Et paulò post: *Observanda est regula: Euangelistas & Apostolos absque damno sensuum, interpretatos in Græcum ex Hebræo, ut sibi visum fuerit.* Flac. part. 2. clav. pag. 103. de eo sic loquitur percommodè: *Id nemini mirum aut te-merarium videbitur, qui sibi persuaserit (quod res ipsa evincit) eundem spiritum ore Euangeli-starum locutum esse, qui aperuerit os Propheta-rum.*

[b] Allegatio fit secundum sensum, non semper secundum singula verba.

*rum. Deinde Prophetarum munus fuisse, quod futurum esset, prædicere: Euangelistarum verò, quid sit factum, narrare. Itaque cum spiritus Dei illorum oracula in Nov. Testam. non exscribat, sed interpretetur, minimè certè debuit itidem enumerandis vocabulis astringi.* Fr. Junius paral. 1: 5. *Quæ mutationes sunt à scriptoribus authenticis, etsi non ex iisdem causis, tamen duce Spiritu Dei fiunt: qui prout est liberrimus, eâdem veritate semper & ubique ἀναντιῤῥήτως utitur, ac non iisdem verbis adstringitur. Ex quo sequitur primum, harum probationum nullam vitiosam esse: Deinde omninò illis haberi fidem oportere, & deponenda nobis esse judicia nostra, ut acquiescamus divino verbo, & Spiritus sancti testimonio.* Hæc ille, qui in antecedentibus rectè opponit *alterum mutationum genus, à personis sermocinantibus factorum, vel ex incuria, vel certo consilio. Et has*, inquit, *boni quique autores & fideles historici servant diligentissimè, propter legitimam narrationum suarum veritatem. Duas autem leges in his teneri à piis debere* monet. *Una est, probationum, quæ ex Vet. Test. hoc modo adducuntur, mutationes alias puras ab omni vitio & integras esse, ut sunt eæ, quæ ab Angelis hominibusque sanctis afferuntur: alias vitiosas & corruptas, ut sunt argumentationes Satanæ & Pharisæorum, Matth. 4: 5. Altera, judicium priùs debere adhiberi, quam fidem, ut probatione ejusmodi sanctè explorentur, quia omninò bruti hominis est, si quis testimonia & probationes, à quovis homine prolatas, temerè & promiscuè amplectitur, nec scrutatur, an res ita se habeat, ut Berroënsium exemplo ostendit Lucas Act. 17: 11.* Usum quendam observationis, de causa mutationum in N. Test. factarum, ponit August. Justinian. in annotat. ad Psal. 18: 12. Psalterio quinquelingui, ubi confert textus duos V. Test. 2 Sam. 22. & Psal. 18. atque hoc ad N. Test. scriptores applicat. *Superstitiosi Hebræorum (inquiens) incessantes carpunt invehunturque in autores N. Test. quòd non allegent testimonia veteris sacræ scripturæ, ea serie eoque ordine, quo leguntur in libris Prophetarum, insimulantque eos corruptionis scripturarum: Et cùm dicitur ad excusandos autores nostros, satis fuisse, quòd viri Dei Spiritu acti, inseruerint suis scriptis sensa legis & Prophetarum, non etiam verba; non admittunt hoc pervicaces & duræ cervicis Judæi: minimè animadvertentes, idem fecisse autores veteris instrumenti, quòd tamen male à nostris factum prædicant. Quæ res maxime ex hoc Psalmo 88 patet: si enim diligenter legatur hic Psalmus, apud Samuelem Prophetam. 2 Reg. 22. deprehendetur, Hebræam Samuelis literam in locis quadraginta novem à litera Davidis differre. Possumus itaque Hebræis respondere, ubi in nostros insurgant, ea, quæ à scriptoribus novæ legis edita sunt, non solum divina institione, & magnâ sapientiâ elucubrata fuisse, sed etiam datâ operâ ita edita, ad imitationem eorum, qui veterem scripserunt legem.* Veniamus autem ad exempla. Ab allegantibus oracula V. Test. fit quandoque verborum. a 1. *Detractio*: eorum scilicet, quæ nihil ad institutum præsens facere videbantur, uti patet ex collatione Deut. 24: vers. 1. cum Matt. 5: 31. Et Deut. 25: 5. cum Matth. 22: 24. & Esa. 9: 1. cum Matth. 4: 15. & Esa. 42: 4. cum Matth. 12: 21. Specialiter observant quidam, quòd in allegatione, sacri scriptores, brevitatis & perspicuitatis causâ, *prima & extrema adducere verba soleant, media verò resecare.* Patet hoc ex collatione Esa. 28: 11, 12. cum 1 Cor. 14: 21. & Esa. 40: 67, 68. cum 1 Pet. 1: 24. 25. & Zach. 9: 9. cum Matth. 21: 5. &c. b 2. *Adjectio*, eorum quæ illustrare locum præsentem poterant. Patet hoc ex collatione Genes. 2: 24. cum Matth. 19: 5. ubi vocula, οἱ δύο, emphaticè additur: *Et erunt duo in carnem unam.* Et Deut. 6: 13. cum Matth. 4: 10. ubi vox exclusiva, evidentiâ cum magnâ additur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et Es. 64: 4. cum 1 Cor. 2: 9. ubi hæc verba adduntur: *Et in cor hominis non ascenderunt.* c 3. *Transpositio* vocum, quâ tamen sensui nihil decedit. Patet hoc ex eod. loco Esa. 64: 4. collato cum 1 Cor. 2: 9. ubi *auditionis auris & visionis oculi* fit μετάθεσις. Et 1 Reg. 19: 14. cum Rom. 11: 2. ubi *altarium diruti* & *Prophetarum occisio* transponitur. d 4. *Mutatio*, & quidem tùm *ipsarum vocum*, tum *accidentium earundem.* Vocum ipsarum mutatio contingit, (1.) Ex diversa lectione in Hebræo textu, præsertim quando ex Græca LXX. versione fit allegatio, qui, quia Bibliis minùs punctatis usi fuere, sæpissimè aliter legerunt, ac in Hebræo est. Gen. 47: 30. *Et incurvavit se* (seu adoravit) *Israel super caput* הַמִּטָּה *lecti*, adoravit Dominum Deum, ita ut ad caput lecti sui se reclinaret.) At LXX. habent: καὶ προσεκύνησεν Ἰσραὴλ ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ, *& adoravit Israël super summitatem virgæ ejus.* Legerunt quippe, ac si esset הַמַּטֶּה, quòd *virgæ seu baculi* significationem obtinet. Hanc versionem exactè tenet Apostolus e Hebr. 11: 21. Cum verò diversa etiam in Græco sit lectio, αὐτοῦ, *ejus*; pro quo alii αὑτοῦ, *suus*, legunt; igitur dupliciter hoc explicatur: vel quòd Jacob in lecto propter senium innixus fuerit baculo, & Deo pro impetrata sepultura gratias egerit, unde Hasenrefferus, Erasmi versionem corrigens, substituit hanc; *Et inclinavit se baculo suo innixus*:. Vel quòd incurvaverit se ad sce-

a 1. Detractio.

b 2. Adjectio.

c 3. Transpositio.

d 4. Mutatio in ipsis vocibus Ex diversa lectione.

e Hebr. 11: 21. & adoravit Israel ad summitatem virgæ ejus.

sceptrum, quod tenuit Joseph in manu, & honorarit filium in officio, ut impleretur somnium illud, quod habebat Joseph, de inclinatione Solis & Lunæ, Gen. 37:9. quod vulgata versio, & Erasmi, sibi vult; *Et adoravit fastigium virgæ illius*. Utramque interpretationem August. quæst. 162. in Genes. & Theophyl. in Hebr. 11. habent. De eo vero, cur Apostolus Græcam potiùs interpretationem, quàm Hebræam veritatem secutus fuerit, Hebræis scribens? ita D. Gesnerus in comm. Gen. 47. *Satis fuit ipsi ostendere, Jacobum verâ in venturum Messiam fide præditum fuisse, atque ea vitam feliciter finiisse, de reliquo, utrum virgam Josephi attingens, aut suo baculo innixus, an denique ad culcitram verticemque lecti conversus DEUM adoraverit, non magnoperè laborans.* Jun. in parall. l. 3. ubi h. l. explicat, *utrumque de Jacobo verum esse asserit*, ac verisimiliter probat, *tum pium hunc senem adoravisse incumbentem quodammodo cervicali lecti sui, ut quasi ex dimidio staret: tùm etiam inter adorandum scipionem manu tenuisse, ut commodiùs, cùm opus esset, infirmum corpus suum surrigeret, aut flecteret, arbitratu suo* &c. Sed in Hebræa voce, punctis suis convestita, prius tantùm exprimitur, uti patet. Posterius igitur non ex mente Mosis scribentis est, sed ex versione Græcorum &c. Aliud exemplum est Psal. 40:7. אָזְנַיִם כָּרִיתָ לִּי *aures fodisti mihi* (qua de metaphora, Messiæ tributa, supra aliquid dictum, tract. 1. cap. 7.) At LXX. habent: σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. *corpus autem compegisti vel aptâsti mihi.* Pro אָזְנַיִם legisse eos עֶצֶם quæ *corpus* quandoque significat [vel etiam, ut alii conjiciunt, per *aures* synecdochicè corpus intellexisse] & verbum כָּרָה aliâ significatione, quâ *parare* notat, sumsisse probabile est. Hanc versionem, exactè tenet Apostolus Hebr. 10:5. Duobus autem modis & hæc lectio explicari potest. Uno, si *corpus Christi humanum* intelligatur, unde Petrus eleganter vertit: פגרא דין אלבשתני *corpore vero induisti me*: atque ita optime convenit versio cum Hebræo fonte: Quia corpus mihi aptâsti, ideò etiam obsequentem servum me fecisti, [quod *aurium fossione* symbolicè notatur] ut idem illud corpus pro peccatis humani generis in sacrificium tibi offerrem. Altero, ut *corpus*, *figura & umbris oppositum*, intelligatur, ut Westhemerus in lib. de tropis sacr. Scriptur. p. 148. *Sacrificium & oblationem noluisti, i. e. ceremonias illas V. Test. repudiâsti, sed corpus aptâsti mihi, i. e. veritatem, cujus illa sacrificia tantum umbra erant, coaptâsti mihi; figuram amplius noluisti, vertente tempore, in quo corpus, i. e. res ipsa & veritas propalanda erat.* Coloss. 2:9,17. B. Hunnius in comm. & hoc priori, optima ratione conjungit, verba hæc ex Græca translatione desumta, & ab Apostolo retenta esse, asserens, *ut corpus illud Christo aptatum, seu in incarnatione assumtum, tanquam rem adumbratam & veram propitiatoriam victimam opponeret sacris V. Test. quæ umbram tantùm, non absolutam imaginem seu substantiam rerum continebant.* Alia poterant exempla addi, sed sufficiant hæc modò (2.) [b] Illationis & ἐξηγήσεως causâ. Ps. 68:19. לָקַחְתָּ *accepisti dona inter homines*, Id Eph. 4:8. ita enunciatur: καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις, *& dedit dona hominibus.* Utrumque verum est, & unum alterius est ἐξήγησις. Vide Grammat. sacr. pag. 232. Esa. 1:9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis* שָׂרִיד *reliquum.* Rom. 9:29. pro eo est, σπέρμα, *semen*: uti & apud LXX. interpretes. Esa. 10:22. *si fuerit* עַמְּךָ *populus tuus, sicut arena maris* &c. Rom. 9:27. *si fuerit* ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, *numerus filiorum* &c. Esa. 28:16. *Qui credit*, לֹא יָחִישׁ *non festinabit.* Rom. 9:33. 1 Pet. 2:6. ex LXX. ita allegatur: *Omnis, qui credit in eum*, οὐ καταισχυνθήσεται, & οὐ μὴ καταισχυνθῇ, *non erubescet, seu non confundetur.* Posterius ex priori sequitur: Qui credit, non festinat, sed patienter exspectabit impletionem divinarum promissionum, & hac ratione earum certè reddetur particeps, unde consequens est, quòd non pudefiat. Amos 5:27. *migrare vos faciam trans Damascum.* Actor. 7:43. id ita effertur: *transferam vos ultra Babylonem.* Utrumque est impletum; neque enim in Syriam tantùm, cujus metropolis Damascus est, sed etiam trans Babylonem, in Persiam & Caspiam Israëlitæ fuere abducti, ut ex Esd. 8:17. constat. Mich. 5:2. *Et tu Betehlem Ephrata: parvula es, ad existendum in millibus Juda: ex te mihi egredietur, ut sit dominator in Israel.* Hæc ita proferuntur Matth. 2:6. *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es inter principes Juda: ex te enim prodibit Dux, qui pascet populum meum Israel.* Ibi Bethlehem *Ephrata* dicitur, de quo etiam Genes. 35:16, 19. c. 48:7. Hic verò *terra Judæ* nominatur, synecdochicè, pro urbe in terra Judæ sitâ. Erat autem epitheton Judæ, tempore illo usitatius, & ipsi quoque Herodi notius, quàm cognomen Ephrata, quod forsan tunc exoleverat, aut minùs vulgo notum erat. Ibi *parvula* vocatur Bethlehem, nimirum ratione externi splendoris & eminentiæ: Hic vero *nequaquam minima* dicitur, ob singularem videl. honorem, quem nativitas Messiæ ei conciliaverat. (Confer tamen, quæ in Grammat. sacra pag. 480. dicuntur.) Ibi exstat, *in millibus Juda*: hîc verò *inter principes Juda*; de

[a] Hebr. 10:5. corpus aptasti mihi.

[b] Mutatio vocum, quæ fit ἐξηγήσεως causâ.

de qua discrepantia suprà tract. 1. c. 3. §. 3. aliquid dictum. Ibi *dominator in Israel* vocatur Mesias: hìc verò *Dux, qui pascet populum Israel:* quæ metaphora insignis alibi etiam ad officii descriptionem adhibetur. Hactenus mutatio in ipsis vocibus. *a* Eadem fit in harum accidentibus, qualia sunt. 1. *Numerus.* Ut quod Pf. 32: 1. in singulari dicitur, *Beatus, cui dimittitur prævaricatio, cui tegitur peccatum:* id Rom. 4:7. in plurali effertur, *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum obtecta sunt peccata.* Esa. 52:7. *Quam decori sunt super montes pedes Euangelizantis* &c. Rom. 10:15. *Quam speciosi pedes Euangelizantium* &c. Utrobique autem in utroque idem sensus est: ponitur enim singularis pro plurali synecdochicè. Confer etiam Deut. 6:16. cum Matth. 4:7. &c. 2. *Persona.* Hujus exempla aliqua vide in Gramm. sacra pag. 735. 3. *Modus & tempus*, cujus evidens exemplum est in allegatione Esa. 6:10. quæ fit Matth. 13:14,15. Joh. 12:40. Act. 28:26,27. ubi imperativi in indicativum, & præsentis conjunctivi in futurum indicativi, emphatica fit mutatio. *b* Antequam verò ad alia transeamus, monendum & hoc, mutationem quandoque fieri ejusmodi in allegatione, ut non satis apertè cognosci possit, ex quo V. Test. loco desumta sit sententia. Ut quod Eph. 5:14. dicitur: *Quapropter dicit*, *expergiscere, qui dormis, & surge à mortuis, & illucescet tibi Christus.* Ubi ad Esa. 60:1. quidam nos remittunt: alii ad Esa. 26:19,21. Prior autem locus ob consimilem scopum magis quadrat. Alia gnome sacra, dubiæ originis, occurrit Jacob. 4:5. *An putatis, quod inaniter Scriptura dicat: Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in nobis?* Quæ verba quidam deducta esse arbitrantur ex Genes. 8:21. ubi dicitur, *figmentum cordis humani esse malum à pueritia.* Commodiùs alii, ex Num. 11:29. *Dixit autem Moses illi, an invides meâ causâ? ô si daretur totum populum Jehovæ Prophetas esse!* q. d. communis est ille Spiritus, qui in utroque nostrum & in aliis Dei servis habitat: immeritò igitur illis prophetantibus (Eldad & Medad) invides. Quia sine omni invidentia ego expeto, ut omnes & singuli in populo, Spiritu Dei instructi prophetare possint. Ab hypothesi igitur ad thesin progreditur Apostolus, & erotematicè ait: *Ad invidiam concupiscit spiritus, qui habitat in nobis?* qui interrogatione idem sensu exprimitur, quod in paraphrasi verbi Mosis dictum modò est. Subjicit autem Jacobus ℣. 6. *Majorem autem dat gratiam.* Quæ non ad allegatum oraculum pertinent; sed distinctam propositionem constituunt, cujus sensus, si per ἀντίθεσιν antecedenti subjiciatur, hic est: Tantum abest, ut ad invidentiam concupiscat, eave delectetur, ille Spiritus, in nobis habitans, ut contrà majorem det gratiam, nimirum modestis & humilibus, ἀφθόνως proximum diligentibus. Id quod mox hac ratione illustrat: *Propterea dicit:* [Scriptura sacra] *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quod ex Prov. 3:34. desumtum, secundùm LXX. translationem, & 1 Pet. 5:5. etiam allegatum habetur.

*a* Mutatio in vocum accidentibus.

*b* Mutatio ita evidens, ut locus V. Test. certe sciri non possit. Jac. 4:5.

*c* III. Solent scriptores N. Test. ex duobus vel pluribus allegatis testimoniis, unum contexere, vel, ut Salmeron loquitur, tom. 1. pag. 109. *proferre testimonium aliquod, ex diversis prophetarum locis compositum & coagmentatum.* Matth. 21:4. *Hoc autem totum factum est, ut impleretur, quod dictum est per Prophetam, dicentem* v. 5. *Dicite filiæ Zion, ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super asinam* &c. Prior pars, *dicite filiæ Zion*, ex Esa. 62:11. posterior ex Zach. 9:9. desumta est. *Prophetam* autem in singulari vocat, ut pulcerrimam vaticiniorum Propheticorum harmoniam insinuet, & uno spiritu omnes locutos fuisse Prophetas, ostendat. Matth. 21:13. *Scriptum est, domus mea domus precationis vocabitur: at vos illam fecistis speluncam latronum.* Prior pars ex Esa. 56:7. posterior ex Jer. 7:11. desumta est. Marc. 1:2. *Sicut scriptum est in Prophetis: Ecce ego mitto nuncium meum* &c. v. 3. *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini &c.* Prior pars Malach. 3:1. posterior Esa. 40:3. exstat. Actor. 1:20. *Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio ejus deserta, & non sit qui inhabitet in ea. Et Episcopatum ejus accipiat alter.* Prior pars Psal. 69:26. posterior Psal. 109:8. habetur. Rom. 3:19. seqq. diversa testimonia in unum coagmentantur: v. 10. *Sicut scriptum est, non est justus, ne unus quidem.* v. 11. *Non est, qui intelligat, non est, qui exquirat Deum.* v. 12. *Omnes deflexerunt; simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* [Exstant hæc Psal. 14:2,3. & Psal. 53:3,4.] ℣. 13. *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis ad dolum usi sunt* [habetur hoc Psal. 5:10.] *venenum aspidum sub labiis eorum* [exstat hoc Psal. 140:4.] ℣. 14. *Quorum os exsecratione & amarulentiâ plenum est*, [desumtum hoc ex Psal. 10:7.] ℣. 15. *Veloces pedes illorum ad effundendum sanguinem*, ℣. 16. *contritio & calamitas in viis eorum*, ℣. 17. *& viam pacis non cognoverunt*, [exstant hæc Esa. 59:7,8.] ℣. 18. *Non est timor Dei coram oculis eorum* [habetur hoc Psal. 36:2.] Rom. 9:33. *Quemadmodum scriptum est: Ecce pono in Zion lapidem offendiculi, & petram scandali, & omnis,*

*c* Duo vel plura oracula in unum connexa.

*qui credit in eum non pudefiet.* Principium & finis ex Esa. 28:16. medium verò ex Esa. 8:14. profluit. Rom. 11:26. *Sicut scriptum est: Veniet ex Zion liberator, & avertet impietates à Jacob.* ℣ſ 27. *Et hoc illis à me testamentum, cùm abstulero peccata ipsorum.* Prior pars ex Esa. 59:20. Posterior, *cùm abstulero peccata ipsorum*, vel ex Esa. 27:9. vel Esa. 4:4. vel Jerem. 31:34. desumta est. 1 Cor. 15:54. *Tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoriam.* ℣ſ. 55. *Ubi tuus, mors, stimulus? Ubi tua, inferne, victoria?* Prior pars ex Esa. 25:8. posterior ex Os. 13:14. deducta est. 1 Pet. 2:7. *Iis qui non credunt, lapis, quem reprobarunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali.* Prior pars Psal. 118:22. posterior Esa. 8:14. exstat. [a] Heb. 9:19, 20. partem potiorem ex Exod. 24:6, 7, 8. illud autem, *de lana coccinea & hyssopo*, ex Num. 19:6. Apostolus allegat. De *aqua*, cujus mentio fit, itidem Num. 19:9. habetur. Respicitur enim non modò ad adspersionem Exod. 24. descriptam, quæ propriè hujus loci est, sed etiam ad alias purificationes, quæ in V. T. usitatæ fuerunt. Placet autem & D. Frantzii de h.l. Epistolæ ad Hebræos, sententiam adscribere: *Moses Exod. 24.* (inquit) *nihil habet de hircis, nihil de aqua, nihil de lana coccinea, nihil de hyssopo, nihil de libro consperso. Sed hæc ex aliis libris Judaicis legit, ex quibus etiam Paulus 2 Tim. 3:8. nominat duos magos Pharaonis: Judas v. 9. altercationem Archangeli cum diabolo, super corpore Mosis: Et ex quibus Christus tùm alia plurima, tùm aliquot parabolas mutuatus, hominibus plus stuporis inferre voluisse, ab eruditis existimatur, quomodo ipse illiteratus ex profundis voluminibus Hebræorum talia posset proferre.* Hæc ille disp. 15. sacrif. §. 90. Tandem ad hanc tertiam observationem, de allegatis sacris, referantur, quæ Philol. sacræ l. 1. p. 101. seqq. dicta sunt. Plura autem in universum de citatione sententiarum V. Test. in N. Test. facta, qui sciri desiderat, videat Fr. Junii, viri profundè docti, & de schola Philologica sacra optimè meriti, parallelorum libros, primo operum ejus tomo insertos, quibus attentè perlectis & relectis, habebit, quod de progressu in studio sancto gaudere secum possit.

[b] Non solùm autem ex V. Test. scripturis, sed & ex Veterum Rabbinorum libris, quædam in N. Test. desumpta haberi, ex Dn. Frantzio modò audivimus, & suprà tract. 1. cap. 21. in specie quædam hujus generis adducta sunt. De *Janne & Jambre*, quorum 2 Tim. 3:8. fit mentio, ita Clariss. Schikardus, in præf. Bechinath. Happeruschim: *Hæc nomina Magorum Ægypti nuspiam in scripturis, at in Targum Jonathæ Ben-Uzielis, super Exod. 7:11. expressa reperiuntur. Paulus igitur hunc celebrem legis paraphrastem legit.* (Etsi alii Jonathanis Targum, quod hoc nomine vulgò se offert, recentius esse statuunt, quàm ut à Paulo legi potuerit, tàm styli, quàm rerum ipsarum consideratione ducti: Ex traditione verò vel vetustis Judæorum scriptis, & Paulum, & Chaldaicæ illius paraphraseos autorem, hausisse majorum illa nomina existimant.) In Talmud etiam, tract. Sanhedrin, nominibus *Jubani & Mambri* eos exprimi, Schindl. p. 680. affirmat. Plinius non valdè dissimilia nomina refert, sed perperam factioni eorum Mosen ipsum immiscet. Ita enim lib. 30. hist. natur. cap. 1. loquitur: *Est & alia magices factio, à Moyse & Janne & Jotape Judæis pendens, sed multis millibus annorum post Zoroastrem.* Quòd *pro Judæis* hos duos Plin. habet, convenit aliquantùm cum Aretii in comm. h.l. sententiâ, qui *per Jannem & Jambrem* mavult intelligere *Judæos, Mosi resistentes, quales fuêre Dathan & Abiram: cùm nimir. in h.l. Pauli sermo sit de hostibus domesticis & hypocriticis, qui Christiani & esse & haberi volebant, imò Doctores inter Christianos haberi: Magi autem Ægyptii, quamvis se opposuerint Mosi, fecerunt tamen id tanquam aperti hostes, & professione religionis, & genere vitæ ac studiorum ab eo dissidentes.* Quod de allegatione ex scriptis Rabbinorum veterum dictum fuit, ad eandem originem reduci posse videntur, quæ in Epistola Judæ, [c] tùm *de certamine Michaëlis Archangeli adversus diabolum, ob corpus Mosis*, ℣ſ. 9. tùm *de Prophetia Enochi, adventum Domini ad judicium concernente*, ℣ſ. 14, 15. dicuntur, etsi prioris loci originem Junius statuit Zach. 3:1, 2. ubi etiam expressè illa increpatio divina legitur. Per *Michaelem*, Christum intelligi, *Archangelum* vocatum, quia Angelorum Princeps sit. Conf. Dan. 12:1. *Corpus* autem *Mosis* non propriè, sed figuratè accipi, de veritate & complemento legis à Mose datæ (Conf. Col. 2:17.) cujus complementi, quod est in Christo, typus fuit *Josua sacerdos ille maximus, ad cujus dexteram stetit Satan, ut adversaretur ei*, Zach. 3:1. &c. Supersunt allegata *ex scriptis profanorum*, quorum tria in Apostolo Paulo sunt. [d] I. Act. 17:18. *In ipso enim* (Domino Deo) *vivimus & movemur, & sumus, sicut & quidam vestratium Poetarum dixerunt:* τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν. *nam hujus progenies etiam sumus.* Id hemistichium *ex Arato in phænomenis* transsumtum esse, testatur Clemens Alexandrinus V. stromat.

[a] Heb. 9. 19, 20.

[b] Allegata ex priscis Rabbinis. 2 Tim 3: 8. Jannes & Jambres.

[c] Epist. Jud. v. 9. De certamine Michaelis cum Diabolo.

[d] Allegata ex scriptis profanorum. Act. 17:18. ex Arato.

ſtromat. fol. 123. qui integrum locum Arati, aliquot verſibus conſtantem adducit; In Arato verò tribuitur hoc hemiſtichium *Jovi*, quod Paulus animadvertens, Jovi perverſè & omninò injuſtè attribui, ipſe vero Deo juſtiſſimè reſtituit. Claruit autem Aratus tempore Ptolomæi Philadelphi, vixitque illuſtris in regia Antigoni, Demetrii filii, qui imperium Macedonum ſuſcepit Olymp. 105. 2 Macc. 1. Vide Sixt. Senenſ. lib. 2. Biblioth. ſanctæ, tit. *Aratus*. In aureis Pythagoræ carmin. ✝ſ. 63. ſimile exſtat hemiſtichium: θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσι. II. a 1 Cor. 15: 33. *Ne decipiamini*, Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαὶ, *mores bonos colloquia* (vel *conſortia*) *corrumpunt mala*. Hanc gnomen, ſenario Jambico conſtantem, *Menandro* quidam tribuunt, ſecuti Hieronymum, Epiſt. ad Magnum oratorem. Alii *Euripidi* tribuunt. Quicquid ſit, *ſanctificatum hunc verſum per Apoſtolum eſſe*, rectè aſſerit Tertullian. lib. 1. ad uxorem cap. 5. Et vox ὁμιλιῶν per *colloquia* quidem vulgò vertitur, ſed ad omnia omninò conſortia ſive *congreſſus* (ut d. l. Tertull. vertit) cum impiis & luxurioſis pertinere, *tùm* ipſa vocis proprietas denotat, ὁμιλία enim *converſatio*, *congreſſus*, *conſuetudo* eſt, ab ὅμιλος *cœtus*; q. d. ipſa actio verſandi inter homines; *tùm* ſcopus Apoſtoli, qui eſt, à conſuetudine cum hominibus luxui & voluptati carnali deditis ſeriò dehortari, quorum mores & vivendi rationem, pulcrâ μιμήσει ex Eſa. 22: 13. deductâ, exprimit. Conf. Lutheri marginale ſcholion. III. b Tit. 1: 12. *Dixit quidam ex iſtis, proprius ipſorum Propheta*: Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαὶ, *Cretenſes ſemper mendaces, mala beſtiæ, ventres pigri. v.* 13. *Teſtimonium hoc eſt verum.* Elegantiſſimum ὀξύμωρον in his Pauli verbis eſt: Cretenſes mendaces ſunt. At qui hoc dixit, Cretenſis fuit. Igitur (concludi poſſet) mendax fuit: Attamen (inquit Paulus) teſtimonium ejus verum eſt: unde & *Prophetam* forſan vocavit. Ipſum Græcum quod verſum attinet (qui Latino hoc verſu à quibuſdam effertur: *Cres ſemper mendax, mala beſtia, venter iners eſt*,) de eo ita Eraſm. adag. 1, 2, 29. *Div. Hieronymus in commentariis, quos in hanc ſcripſit Epiſtolam, indicat, hunc verſiculum repertum in opere Epimenidis, cui titulum fecit, De oraculis. Unde & Paulus Prophetam vocat, ſive per jocum, ſive ob argumentum. Hujus autem carminis initium*, κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, *uſurpavit Callimachus Poëta Cyrenenſis, in hymno, ſcribens adverſus Cretenſes in laudem Jovis, ac vanitatis eos arguens, quod jactitarent, illius ſepulcrum eſſe apud ſe, cùm is eſſet immortalis. Quo reſpiciens Ovidius: Nec fingunt, inquit, omnia Cretes. Unde* κρητίζειν *Græci pro mentiri dicunt.* Ex iis, quæ in Sixto Senenſi lib. 2. Bibl. ſanct. tit. *Epimenides*, leguntur, hæc erunt clariora: *Chryſoſt. ſer.* 3. *in hanc Epiſtolam: Quis ille & unde fuerit, qui hoc dixerit, neceſſario ad vos dicendum eſt. Epimenides hic eſt, qui hoc protulit. Cretenſis & ipſe. Ea eſt autem hujus dicti occaſio, Cretenſes ſepulcrum habebant ita inſcriptum*: Ἐνθάδε κεῖται, ὃν Δία κικλήσκουσι, *h. e. hic jacet, quem Jovem appellant. Propter hanc igitur inſcriptionem Poëta eos mendacii perſtringens, ait*: κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί: Τάφον, Ἄνα, σεῖο κρῆτες ἐτεκτήναντο: Σὺ δὲ οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί, *h. e. Cretenſes ſemper mendaces, mala beſtiæ, ventres pigri. Etenim ſepulcrum, ô Rex, Cretenſes fabricati ſunt tuum: Tu autem minimè obiiſti, ſemper enim vivis.* De modo allegationis Paulinæ ita Rivetus, Iſag. in Script. ſacr. cap. 16. *Accommodatio* (ſententiarum) *efficacior eſt, ſi ad poſteros referantur, quæ de majoribus dicta ſunt, & quaſi hæreditaria quadam propagatione in filios derivata. Sic Apoſtol. Tit. 1. Epimenidis dictum in Cretenſes longe ante contortum, Cretenſibus ſui temporis accommodat, qui nativum illud gentis vitium potiùs auxerunt, quàm correxerant.* Tribus his expoſitis, ex ſcriptis gentilium, allegationibus, addatur appendicis loco IV. c expoſita à Paulo, & commodiſſimè applicata, aræ gentilitiæ inſcriptio, de qua ita ad Athenienſes diſſerit, uti Act. 17. refertur: v. 22. *Viri Athenienſes, per omnia ferè ſuperſtitioſiores vos video: v. 23. Præteriens enim & contemplans ea, quæ veneramini, inveni & aram, in qua inſcriptum erat*: ἀγνώστῳ Θεῷ, Ignoto Deo. *Quem ergò ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis &c.* De quo Pauli inſtituto pulcerrimè Hieronym. Epiſt. ad Magnum Oratorem Roman. tom. 3. oper. fol. 148. poſtquàm antè adducta ſapientum Ethnicorum effata, à D. Apoſtolo allegata, commemoràſſet, *Ductor*, inquit, *Chriſtiani exercitus, & Orator invictus, pro Chriſto cauſam agens, etiam inſcriptionem fortuitam arte torquet in argumentum fidei. Didicerat enim à vero David extorquere de manibus hoſtium gladium, & Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncare.* De ipſa aræ ἐπιγραφῇ ita Ludov. Vives in lib. 7. de civ. Dei cap. 17. *Erant in agro Attico multæ diis ignotis ſacræ aræ, ut Lucas attingit in Actis, cap. 17. & apud Pauſaniam in Attica* θεῶν ἀγνώστων βωμοὶ, *quæ aræ invento Epimenidis Cretenſis ſunt erectæ; nam cùm regio peſtilentiâ laboraret, conſultaque Pythia reſpondiſſet, expiari oportere urbem & agros, nec, cui Deo ſacrum fieri oporteret, dixiſſet; Epimenides, qui tùm Athenis erat, juſſit dimitti beſtias*

a 1 Cor. 15: 33. ex Menandro.

c Act. 17: 22. Ignoto Deo.

b Tit. 1: 12. ex Epimenide.

*ostias per agros, sequique eas sacrificos, & suo in loco quæque constitisset, ibi mactari eam, immolarique Deo ignoto propitio. Itaque ex eo tempore, etiam ad ætatem Laërtii Diogenis, frequentes visebantur, per pagos Atticæ terræ, sacra aræ sine nomine.* D. Brent. in comm. h. l. *Sunt, qui testantur, scriptum fuisse; Diis Asiæ, Europæ & Aphricæ, diis ignotis & peregrinis. Quod si verum est, hautquaquam tamen Paulus mendacii arguendus est. Si enim altare pluribus diis ignotis dedicatum fuit, cur non & uni ignoto Deo dicatum diceretur? Et fortassis Paulus Græcam loquendi formam ad phrasin Hebraici sermonis interpretatus est. Nam Hebræis Elohim plurali numero interdum unum tantùm DEUM singulariter significat.* Sed vero similius est, in singulari inscriptionem illam aræ formatam fuisse; si enim secùs esset, procul dubio Paul. occasionem inde sumsisset, πολυθείαν gentilium prius perstringendi, quam de uno vero Deo sermonem fecisset. Et nimis clara sunt verba Pauli: *Quem* (non quos) *ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis:* quæ propositio ex plurali appellatione, non ita directè & immediatè elici potuisset. Ad Hebræum autem idiotismum, apud gentiles, hujus rei omnimodò ignaros, respexisse haud quaquam probabile: Plura de hac inscriptione videri & legi possunt apud Sixtum Senens. lib. 2. biblioth. tit. *Ara Atheniensis inscriptio.* Quædam etiam [licet incerta] exstant apud Wolfium, tom. 1. lectionum memorabil. pag. 4. &c.

Tantum etiam de doctrina SCHEMATUM.

*Schema* hujus mundi citius prolabitur undis;

In { JESU / cœlo } solo spes rata, firma quies.

1 Cor. 7. v. 31.
παράγει τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου.

# MANTISSA
## AD
# PHILOLOGIÆ SACRÆ
## LIBROS.



EDIDIT ante quadriennium Bartholdus Nihusius Apostata libellum, *Hypodigma* vocatum, *quo diluuntur nonulla* [ita inscriptio habet] *Contra Catholicos disputata in Cornelii Martini tractatu de analysi logica; Impertitum ejus libelli commendatoriis, Georgio Calixto, Conrado Hornejo, cæterisque.*

Libellus iste scommatum, sannarum scurrilium, εὐτραπελίας, τῶν μὴ ἀνηκόντων, quibus non viros solùm optimè & de Ecclesia, & de ipsomet meritos, sed & personas illustres, principesque laude & honore dignos, mordaci stylo impetit & infestat, adeò plenus est, ut vix dignus videri possit viri honesti responso. Dignus autem autor quam maxime sit miseratione, quòd orbi Christiano & erudito mentis suæ morbum tam in propatulo exponere non fuit veritus: quin & apprimè indigus ad- Eph. 5: 4

 monitio-

monitionis piæ, si diutiùs eum vivere contingat, imposterum ut ab hoc cacoethe pessimo abstineat, & se gerat modestiùs, ne divina eum tandem comprehendat prematque nemesis, secundùm Servatoris effatum, Matth. 12. v. 35, 36, 37.

Cæterùm cùm nec mihi meæque famæ pepercerit, atque labem ei adspergere qualemcunque, insuper & loca quædam, in Philologico hoc opere occurrentia, tangere & refellere voluerit, non potui non, oblatâ hac occasione, responsum ipsi breve & modestum reponere.

## *I. De duobus locis in Grammatica sacra.*

a Locus Joh. 21. si volo eum manere &c. a In Grammat. sacræ libro priore, tract. 7. de conjunct. conditionali, can. 6. declaratus est locus Joh. 21:22, 23. *Si volo eum manere, donec veniam, quid ad te?* demonstratumque contra Gordonum Huntlæum Jesuitam, malè & mendosè vulgatam versionem Latinam pro *si*, legere *sic*. Hîc Nihusius, hypodig. sui sect. 38. magnum quid pro Pontificiâ religione, ad quam descivit, præstitisse ratus, hanc de sphalmate illo quæstionem denuò movit, & pro palliando eo (Gordono, inter alia, adversus meas assertiones, suppetias ferens) mirè se torsit. Succinctè dicendo, ad duo reduci omnia queunt. *Prius* voculam ἐὰν, *si*, spectat; *Posterius* verbum ἔρχομαι, *venio*.

De conditionali, ἐὰν, *si*, inquit, esse quandoque, testibus Grammaticis, assertivam simul, ut in illo: *si me amas, invise me quantocyùs:* quod idem est: ac; *si me amas, sicuti facis absque dubio &c.* Ita hîc in Johanne: *si volo eum manere* (scil. uti hoc ipsum volo) *donec veniam, quid ad te?* atque hanc assertivam, conditionali innexam, vulgatum Interpretem expressisse clariùs voculâ *sic*. Respond. 1. Respiciendus est scopus, quem intendi. Gordonus Jesuita τὸ ἐὰν, *si*, directè hoc loco idem notare scripsit, ac, *verè, utique, certè*, (quod Latinum interpretem per *sic* exprimere voluisse, ait,) exemplis etiam quibusdam, similibus sibi visis, ex V. T. adductis. Negavi hoc, ratione cùm cæterorum, tùm hujus ipsius loci, & in contrarium notabilia quædam attuli. Hâc igitur incedere orbitâ Nihusium decuisset. Verùm libuit ei rem aliâ aggredi viâ, & Grammaticorum illud, de particulæ *si* diverso usu, assertum, incrustandi errori obducere. 2. Quicquid autem sit, in propositione dictâ: *si me amas* &c. non expirat, ob subintellectam affirmationem conditionalis particulæ vis, ut nec in illâ: *si sol ortus est* (subintellige, uti jam ortus est) *dies est. Si Christus est Mediator noster* (subintellige, uti certè est,) *est* θεάνθρωπος. Implicitè in talibus est syllogismus compositus, κατὰ μετάληψιν: *Si sol ortus est, dies est. Atqui sol ortus est. Ergo dies est.* Sic in reliquis. Hoc autem quid ad translationem vulgatam, quæ τὸ *si*, in *sic* commutavit? quid ad Gordonum, qui pro *si*, τὸ *verè* supponit! quâ utrâque ratione conditionis vis planè expirat. Applica versioni illi vulgatæ exempla posita, & videbis, Latini sermonis indoli haud ea convenire: *sic me amas, invise me quantocyus. Sic sol ortus est, dies est. Sic Christus noster mediator est, est* θεάνθρωπος. Perinde in illo, de quo nobis sermo est: *Sic volo eum manere, quid ad te.* 3 Repetendum hîc, quædam exemplaria antiqua, ut &, quod in Bibliis Regiis est, (ex notâ Lovaniensium, edit. Anno 1580.) habere, *si*; quæ lectio Græco textui exactè conformis est. Unde facilior longè conjectura (quid? veritas ipsa) est, per mendum irrepsisse literam *c*, quàm de industriâ interpretem *si* per *sic* reddidisse. Quod ipsum etiam, præter alios, Maldonatus fatetur: *Locum hunc, incredibili scriptorum negligentiâ, esse contaminatum.* Et Jansenius: *Corruptionem adeò certam esse, ut protervus esse videatur, qui inveteratum errorem agnoscere nolit.* Tales & aliæ, & sat multæ quidem, in illâ versione, occurrunt mendæ. E. G. Gen. 3:15. *Ipsa conteret tibi caput*; pro, *ipsum*, sc. semen. Ps. 132:15. *Viduam ejus benedicam*; pro, *victum ejus*. Esa. 15:1. *Vetulam consternantem*, pro, *conternantem* (ex ternario deducto verbo) Matth 26:67. *palmas in facies ejus dederunt*, pro, *alapas*. Marc. 8:38. *Qui me confessus fuerit &c. & filius hominis confundetur eum*; pro; *confessus fuerit, confitebitur*. Luc. 15:8. *Evertit domum*, pro, *everrit*. 1 Cor. 9:6. *Aut ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?* pro, *non operandi*. cap. 14:38, *Si quis autem ignorat, ignorabitur*, pro, *ignoret*, Hebr. 11:34. *effugaverunt aciem gladii*; pro, *effugerunt*. 1 Petr. 2:23. *Tradebat autem* (Christus) *judicanti se injustè* Deo;) pro, *justè*. 1 Pet. 2:25. *Superadificamini, domos spirituales*, pro, *domus spiritualis*. 2 Petr. 1:16. *Christi virtutem & præscientiam*, pro, *præsentiam* &c. Plura videantur Philol. sacræ lib. 1. tract. 2. pag. 90. seqq. 4. Particulam, ἐὰν, quod spectat, non fuisset opus tàm operosâ, quæ in Nihusiano discursu animadvertitur, torsione. Planius potuisset rem conficere, si eam pro conjunctione causali, *Cùm*, seu, *quandoquidem*, usurpari dixisset, & exemplis illis, quæ in hoc ipso canone 6. §. 3. allata sunt,

unt, locum hunc accensuisset: *si* (id est, quandoquidem) *volo ipsum manere, donec veniam, quid ad te?* Hâc enim ratione non conditionalis est propositio, sed categorica (Simile exemplum occurrit Psal. 63:6. אִם *si cùm*) *recordor tui super strata mea, in vigiliis meditor de te*, Ubi pro *si* itidem *sic*, in vulgata editione legitur: *sic memor fui tui.* At per sphalma *sic* legi, ostendunt Lovanienses, qui in duodecim manuscriptis exemplaribus se reperisse *si*, & hanc lectionem Hebræo ac Chaldaico textui conformem esse, atque ita in opere quoque Regio legi, indicibus suis literis adjectis declarant.) Et sanè textui Johannis satis congrua esset hæc explicatio, nisi obstaret additus temporis προσδιορισμὸς, *donec venio*.

Atque hoc alterum est, propositum nobis membrum. Exponit illud, ἕως ἔρχομαι, *donec venio*, Nihusius, cum additâ paraphrasi vel exegesi: *Donec veniam ad judicium particulare, & animam ejus avocem è corpore, videlicet absque violentâ morte.* Igitur sensus effati Christi secundùm ipsum est: *Si volo, sicuti volo, non eum, perire violenta morte, ut te, Petre, sed manere in terris, donec veniam, & ex hac vita ipsum avocem, quid hoc ad te? quemadmodum & Euangelistam ita deníque obiisse constat.* Atque sic Christum, studio ambiguè locutum, non fuisse rectè intellectum à discipulis aliis, qui putàrint, loqui eum de adventu ultimo ad judicium, unde error iste, discipulum hunc non moriturum, ortum duxit. Resp. Bella sanè expositio, si solido fulta staret tibicine. Contrà verò; 1. quis potestatem homini fecit, verbo, *venio*, tam prolixam adsuendi appendicem, cujus nec vola nec vestigium in textu sacro compareat? Non sufficit dicere, sed ex usu Scripturæ S. id, quod dicitur, probandum est. 2. τὸ ἔρχεσθαι, *venire*, Christo tribuitur (1.) κατ' ἐξοχὴν, ratione triplicis adventus; partim *in carnem*, ad redimendum, Matt. 11:3. cap. 21:9. Joh. 1:11. cap. 3:19, 31. 1 Tim. 1:15. 1 Joh. 4:2, 3. partim *in mentem*, ad sanctificandum, Joh. 14:23. Eph. 2: ℣ſ. 17. 1 Joh. 5:6. partim *in orbem*, ad judicandum, qui ultimus ejus adventus est, Matth. 24:30, 44. cap. 25:13, 31. Marc. 8:38. cap. 14:62. Luc. 11:37, 38, 40, 43. 1 Corinth 4:5. cap. 11:26. 2 Thess 1:10. Heb. 10:37. Jud. ℣ſ. 14. Apoc. 1:7. cap. 3:11. cap. 16. ℣ſ. 15. cap. 22. verſ. 7:12, 17, 20. (2.) Aliâ ratione speciali, ut intelligatur, *vel* abitus ad singulare miraculum, miraculosamve manifestationem, Matth. 16:28. Marc. 9:1. *vel* reditus ad discipulos post mortem, in resurrectione, Joh. 14:18, 28. *vel* exertio judicii singularis adversùs impios, Apoc. 2:5, 16. quò sensu & h. l. usurpari quidam putant, (testante D. Gerhardo, harm. Euang. de resurrectione Christi, cap. 11. p. 406.) *donec veniam*, scilicet contra Judæos, percutiendo eos per Romanos; sed coactè & absque ratione solidâ. *Vel* demum gratiosa præsentia, ad assumendum Apostolos, per mortem, sive naturalem, sive violentam, in cœleste regnum, à se iis paratum, Johan. 14:3. At, ut pro singulari istiusmodi adventu, quem Nihusius cum aliquibus statuit sumatur, non poterit ullum proferri exemplum. Dum Apostoli cæteri violentâ morte abrepti sunt, annon Christus ad eos *venit?* adserit certè hoc ipsemet, uti dictum, Joh. 14:3. Ecqui igitur τὸ ἔρχεσθαι, *venire*, de solâ morte naturali, violentæ illi oppositâ, usurpasse dicendus esset? Ait quidem Nihusius, studio voluisse Christum sic ambiguè loqui. Id verò quis sanctissimo vitæ cœlestis Doctori impingere ausit? Et posito, sic esse, quis, Christum appendicem illam, ad verbum, *venio*, in mente habuisse, Nihusio aperuit? At eventus, inquit hanc ipsam sententiam stabilit. Non (ajo ego) sequitur: Johannes naturali morte, non violentâ, obiit: Ergo id verbis, *donec venio*, continetur; ob ea quæ dicta sunt, 3. Optime autem textus fluit, si ultimus Christi ad judicium adventus intelligatur (ut plerunque in supra allegatis dictis accipitur, quando absque aliquâ determinatione, τὸ ἔρχεσθαι, ponitur.) & ἐὰν, *si*, naturali significatione, quæ conditionalis est, sumatur sensu hoc: *si volo* (seu vellem) *eum manere* (in vitâ, seu vivere) *donec veniam* (revertar in extremo die) *quid ad te*, Petre? q. d. respice tu teipsum, & quæ te spectant, cura; de aliis autem quid velim fieri, nihil refert scire; Möchte ich ihn doch / so ich wolte / biß am Jüngsten Tag leben lassen / was gieng es dich an? Quam conditionalem, quia pro Categorica acceperunt discipuli, errârunt, & proinde à Johanne correcti sunt &c.

a Secundus locus scripturæ extat tract. 7. de conjunct. can. 14. de particulis, μὲν & δὲ in verbis Apostoli Pauli, ad ignaros quosdam Johannis discipulos prolatis Act. 19:4, 5. quas mutuâ ἀναφορᾷ sibi respondere, & continuati sermonis notas esse, dictum fuit. Atque idem cùm ante me *Lossius*, *Marnixius*, *Beza*, *Aretius*, *Spanhemius* (quos Nihusius nominat) cumprimis autem, quem ego secutus sum, B. Chemnit. in Exam. Concil. Trident. part. 2. de Bapt. p. 234. statuerint, mea tamen primò omnium verba impetere, & post brevem ἀντιλογίαν, sect. 15. subjungere voluit hæc verba: *Quòd*

a Locus Act. 19. de particulis μὲν & δὲ.

*Quòd si tacuerit; causa sua Lutherana desertor proclamabitur à nostris Catholicis.* Obsequendum igitur benè monenti, & quid contra datam expositionem proferat, διὰ βραχέων videndum. Producit.

1. *Versionem vulgatam* ipsam, quæ datæ expositioni adversatur. Resp. Eam verò nos non admittimus, ubi à textu originali discrepat, ut h.l. fit. Petitur igitur principium, pro argumento adducendo id. de quo maximè controvertitur. Quàm sæpissimè in primo Philologiæ sacræ libro ostensum, fontibus ipsis, in Hebræo veteris; & Græco novi Testamenti textu, nihil quicquam versionem istam vulgatam præjudicare.

2. *Versum quartum & quintum puncto finiente diremtos semper fuisse, & sic non esse unam periodum.* Resp. At quid frequentius, quàm, quæ diversis versiculis extant, etiamque punctulis disterminantur, unam constituere & cohærentem sententiam? vide saltem Matth. 23: 16, 17, 18. Luc. 1: 1. usque 14. & caput primum Epistolæ ad Ephesios. Sicut & in V.T. versiculis, per accentus, Silluk & Soph Pasuk distinguuntur quæ necessario conjungenda, Gen. 22: 17, 18. Num. 16: 37: 38. Ps. 95: 7, 8. Jer. 2: 34, 35. c. 33: 10, 11. &c. sive igitur comma ponatur, sive punctum, parum interest. Et sine causa paratragœdiat noster, hyperbole utens hujusmodi: *Fateatur* (Gl.) *dum sublatâ interpunctione finali substituit aliam non finalem, peccatum ab sese in tritum illud Lutheranorum: Maledictus, qui demserit vel adjecerit quidquam.* At non Lutheranorum πρῶτον hoc est, sed ipsius Spiritus S. Apoc. 22: 18, 19. ad quod non *alluditur* à nobis, ut ipse loquitur, sed expressè serioque id inculcatur & urgetur, in negocio fidei & salutis, adversùs heterodoxos. Agit autem non de notis distinctiuncularum potissimùm, sed de rebus ipsis & dogmatibus, præter, extrà & contrà Scripturam in Ecclesiam invectis. Quod cùm ingenti numero fiat in Papatu, hunc ipsum maledictio Apocalyptica ferit. Tales autem textuum diremtiones sunt illicitæ & malæ, quando contra autoritatem fontis, rivulus versionis divellenda conjungit, & conjungenda divellit, atque sic verborum sensum quandoque non leviter immutat; quod aliquoties in vulgatâ translatione, Papistis anthentica, fieri compertum est, E.G. Psalm. 71: 15. *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentiam Domini*; (Dulce profectò pro fratribus ignorantiæ levamen!) pro: *quia non novi numeros* (sc. justitiæ & salutis tuæ, quæ voces præcedunt & versum 15. claudunt) v. 16. *ingredior in fortitudine tuâ, Domine Deus*; (nova planè periodus.) Ps. 101: 3. *Facientes prævaricationes odivi.* v. 4. *Non adhæsit mihi cor pravum: declinantem à me malignum non cognoscebam.* In fonte hæc aliter distinguuntur, hoc modo vers. 3. *Factum declinantium odi, non adhærebit mihi.* v. 4. *Cor perversum recedet à me; malum non agnoscam.* Luc. 16: 22. *Mortuus est autem & dives, & sepultus est in inferno.* v. 23. *Elevans autem oculos suos* &c. Pro, *& sepultus est. Et in inferno elevans oculos suos.* Act. 2: 47. *Dominus autem augebat, qui salvi fierent quotidiè in idipsum,* c. 3: 1. *Petrus autem & Johannes ascendebant in Templum* &c. illud, *in idipsum*, respondet Græco ἐπὶ τὸ αὐτό. At hoc ad initium c. 3. pertinet: ἐπὶ τὸ αὐτὸ, *simul autem Petrus & Johannes ascendebant* &c.

3. μὲν in priori versu idem significare posse, ait, ac μὲν, *utique*; & δὲ in posteriori idem, quod δὴ, *sanè*; ita ut sibi invicem ἀναφορικῶς non respondeant. Resp. Posse id voculas has significare, quod nullibi aliàs significant, gratis dicitur. Et dato hoc, non concesso, à posse ad esse nulla est consequentia. Ἀναφορᾷ pluribus exemplis comprobatæ, & textui conformi, insistimus tamdiu donec probetur contrarium. Neque enim non probandi immunitatem concedere cuiquam possumus, quam tamen sibi suæque Ecclesiæ satis temere vendicat Nihusius eâdem hâc sectione & alibi sæpiùs. *Affirmanti incumbit probatio*, axioma est, omnium, cujuscunque facultatis vel artis, disputationum acroateria & cathedras pervadens & obligans. De novâ autem arte, quam noster hic venatur novimus nihil.

4. Proponit ex meâ assertione syllogismum: *Ubicunque μὲν praecedit, & subsequitur δὲ, ibi debet esse una periodus, ac posteriora verba sunt ejusdem illius, cujus fuerunt priora &c. Hic autem praecedit μὲν in priore, & δὲ in posteriore. Ergò.* Et ad eum respondet: *Nego majorem, nec enim demonstrat nobis eam Glassius, verùm, statuit solùm pro arbitrio, nobisque obtrudere, tanquam Imperator famulis, velit; sed neque demonstrabit, etiamsi fuerit adjutus ope omnium, qui existunt in orbe terrarum, adversariorum fidei Catholicæ.* Resp. Postulatum ἄλογον! Major aut universalis verè est, & sic rectè se habet; aut particularis, ex qua nihil concluditur. Infringitur autem universalitas, & probatur particularitas propositionis, contraria ἐνςάσει. Hanc dari nobis justè postulamus, aut fatendum, propositionem κατὰ παντὸς veram esse: Non autem statuimus quippiam pro arbitrio, sed scripturæ usum in vocabulis attendimus, & ex multis singularibus exemplis, canonem generalem formamus, quod & hîc factum.

5. Alio-

5. *Aliorum in Belgio Grammaticorum seu Philologorum, qui multò eruditiores, quàm ego sim, licet itidem non Catholici*, consensum adducit Resp. non autoritatibus agendum, sed rationibus, & in sacris, autoritate divini codicis. De eruditione cum nemine contendo. Scio meo me metiri modulo ac pede. Alios eruditiores magnifacio, & dona Dei in iis agnosco. Hoc unum addo; Mecum etiam stare viros, qui forsan eruditione aliis minimè cedunt.

## II. *De quibusdam aliis, tàm res ipsas, quàm personas, spectantibus.*

Breviter & hæc, occasione sic ferente, hìc attexemus. 1. *Spanhemium cum Glassio notare vult*, [atque eadem hos facere, non obscurè innuit] quæ scripsit Alardus Vaëccius, Theologus Lutheranus, lib. 2. de uniendis Christianorum animis: *Secundùm præconceptam opinionem sibi aut aliis scripturam divinam legentes, ex suo sensu adulterino faciunt normam, secundùm quam de scriptura judicant; & ideò eum, quoties ejus autoritate urgentur, non interpretantur, sed detorquent ad sensum præconceptum: & ideò Spiritus sancti doctrina illis non est regula fidei, sed præconcepta opinio; &, ut verbo dicam, quantum in se est, ex suo figmento faciunt Spiritus sanct. sententiam, quod cogitatu horrendum est*: sect. 15. p. 143. Resp. Notavi, & observavi, rectissimè habere. Verùm enim verò quinam sint, qui ita se gerunt, porrò expendendum. In dogmatibus fidei, & Scripturæ S. interpretatione, nos literali oraculorum divinorum sensui, in ipsismet obvio, & ex verè parallelis locis, aliisque interpretationis bonæ κριτηρίοις, solidè probato, unicè inhæremus. Præconceptas opiniones styge pejus odimus fugimusque. Sensum non inferre in scripturas sacrosanctas, sed ex iis efferre, in solidum laboramus, benè gnari, eas non esse ἰδίας ἐπιλύσεως, *privatæ interpretationis*, a 2 Petr. 1: 20. ac memores illius, quod Hilarius monet. *Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam expectat, ex dictis potiùs, quàm imponat, & retulerit magis, quàm attulerit; neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumserit intelligendum*: & sic veritatem immotam tenere nos, in præcipuis fidei articulis aliisque, planè confidimus. Fieri autem, quod Vaëccius deplorat, præter alias αἱρέσεις ἀπωλείας, à Papicolis, tàm verum est. quàm solem in meridie lucere, cœlum quando sudum est. Expendantur saltem Concilii Tridentini verba sess. 4. *Sacrosancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus, perspiciens, hanc veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus omnes libros, tàm Veteris quàm novi Testamenti, nec non traditiones illas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam oretenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, & continuâ successione in Ecclesia conservatas, PARI PIETATIS AFFECTU ac reverentia suscipit ac veneratur.* In eadem sessione canone quodam vetat, *contra eum sensum, quem, tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sanctarum scripturarum &c. Scripturam sacram interpretari.* Ipse Nihusius pag. 136. *deliramentum nimis enormiter agreste & putidum vocat, imaginari sibi, verbum Dei esse literam scripturæ, intellectam contra dogmata fidei Catholicæ*, Porro per traditiones non scriptas, contra S. scripturæ literam, & sensum ex ipsamet spontè fluentem, sensus adulterinus toto non modio, sed horreo, invectus deprehenditur, quod ex omnibus fidei Papalis dogmatibus probatum dare facillimum est. Annon igitur hoc ipsum est, *ex suo adulterino sensu facere normam, secundùm quam de scriptura S S. judicandum?* annon est, *ex suo figmento* (Scripturæ verbis planis contrario) *facere Spiritus sancti sententiam, quod cogitatu horrendum?* id quod Vaëccius dixit. Rectè Chemn. in Exam. C. T. ubi de traditionibus agere cœpit, *Hic locus communis Pontificiorum* (inquit) *latissimè patet, complectens in suo sinu, quicquid tradit & servat Pontificia Ecclesia, quod scripturæ testimoniis doceri & probari non potest. Et verè est Pandoræ pyxis, cujus operculo omne genus corruptelarum, abusuum, & superstitionum in Ecclesiam invectum fuit &c.* Et paulò pòst: *Mox attexunt aliud* αἴτημα; *Ea quæ in Ecclesia Romana traduntur & observantur, quæ nullo scripturæ testimonio probari possunt esse illa ipsa, quæ ab Apostolis viva voce sunt tradita, & scriptis non comprehensa. Et hoc dicit Andradius esse principium, ultra quod non sit fas in inquisitione progredi*, &c. Conferantur quæ in Epistolâ dedicatoriâ lib. 1. Phil. sacræ, contra Gordonum Huntlæum Jesuitam, dicta sunt; & in lib. 2. ubi de sensu literali agitur, Can: 2. & 4. ut & de allegoriis art. 6.

a 2 Petr. 1: 20.

II. *Revertitur ad Glassium*, pag. 144. & ejus ad duorum locorum, 2. Chron. 22: 1. & 2 Reg. 8: 26. (de quo Philolog. sacræ lib. 1. pag. 50.) conciliationem, responsum ultimum suggillat *Ut: in vivam aquarum scaturiginem incidens lapillus, ipsam propterea coinquinatam non reddit: ita multò minus dictionis unius in-*

tex-

*texta Hebræa immutatio* [*cujus exacta satis ratio dari nequit*] *fontem divinum coinquinatum & impurum constituet.* Ad hoc ipse respondet, primùm tanquam in scenâ ludendo, ob sphalma typographicum, quo *viam* pro, *vivam*, mendosè exscriptum est, cujus tamen emendatio cujusvis intellectui statim obvia; (& qui sphalma lineâ statim sequente corrigere potuit, *eo inquinatam* pro, coinquinatam; potuisset etiam facilimè in alterô præcedente, nisi futilitate verborum chartam replere maluisset.) Mox, *simile claudicare* ait: *Si enim esset mendum* (*ut hypothesin format Glassius*) *non lapillus, qui sit purus sordium, foret, sed cœnum seu stercus pestilens; textum vitians fœdissima falsitate, cui mederi nemo quisquam ratione ulla posset: perinde atque incorrigibilis est concentus Musicus, ubi interululat sine fine lupus, & qui peccat in uno, reus est omnium, Jac.* 2: 10. Resp. Datæ sunt aliquæ difficultatis hujus solutiones; postea additum ἐκ περισσίας simile illud, verùm moderamine cum duplici, conditionis & dubitationis. *Si* locus iste mendo *forsan* obnoxius esset, ajo. Non igitur affirmo, mendum esse, sed in dubio *inexplicabilem hanc quæstionem* (quod ex Hieronymo additum) relinquo. Hypothesi autem hac data, quòd mendum sit, respectu reliquorum omnium, quæ in Hebræis fontibus integra, pura, & incorrupta extant (id enim libro isto confirmatum datur contra βιβλιομάστιγας) unicum tale, & quidem non in fidei dogmate, sed chronologica περιστάσει, instar lapilli, puram alioquin aquarum scaturiginem haudquaquam vitiantis & immundam efficientis, se habere, rectè pronuncio. Porrò κατ' ἄνθρωπον argumentor sic: Aut corruptelam in horum alterutro loco statuit Nihusius, aut non. Si hoc, det planam & firmam conciliandi rationem, quam bona cum gratia acceptabimus: (Quòd si unam inter positas fuerit amplexus, neque sic refragabimur.) Si illud, fateatur, in vulgatam versionem Latinam eandem, quæ profert, prædicata sordida cadere, ut quæ textui Hebræo conformiter legit. Et sane cadere, non tàm in hoc loco, quàm plurimis aliis, docuerunt ante nos alii, etiam Pontificii, ex quibus Franc. Lucas Brugensis in Matth. 17: 2. *inobitos errores* ei tribuit. Et 8000. *errores in eâ se annotâsse atque emendasse*, affirmat Isidorus Clarius Brixianus, Papista; simul etiam *deplorat miserum squalidumque ejus habitum, hominumque doctorum negligentiam miratur, qui nondum ei errores tantos adimendos curaverint*, quod & lib. 1 Philolog. sacræ, p. 14. adductum. Permulta ejusmodi testimonia profert D. Gerhardus, Confess. Cathol. part. 2. p. 139. seqq. ut & exempla ab ipsis Pontificiis emendata, p. 155. seqq. Conferatur quoque Philolog. sacr. lib. 1. p. 91. suntne hæ *sordes, cœnum, stercus pestilens*, & quæ in myrothecio Nihusiano sequuntur? Quod autem de Masora demum attexit, *Cur*, (inquiens) *obsecro, si jota unum aut unus apex periisset è textu Hebræo, non recurreret Glassius ad Masoram, quam tempore Esdræ confectam ait? vel si non sufficeret Masora, cur adeò tanti fieri eam vult?* ad id breviter respondeo, opus hoc Masoreticum perfectionem obtinere non omnimodam, tantam tamen, ut adhibitum, puritatem Hebræi Codicis, quò norma esse possit debeatque vulgatæ versionis corruptissimæ, plane arguat, qua de re sic satis suo loco.

III. Philologicum docendi modum improbat: *In Philologicis tuis* [inquiens] *sine fine sermocinaris* [at finis certe impositus tandem!] *de variis rebus, ut solent Critici. Non opus est, ut infinitis* [at quomodo infinita, quæ finem sortita sunt] *ita misceas te quæstiunculis.* Resp. Si tales sunt, eccur de iis tam operosè contra me sermocinatur; Majora decebant tantum disputatorem, *qui utut minimus Catholicorum omnium, confidit, parem ei rei* [nimirum *refutationi evidenti ejus, quodcunque quis selegerit, ratiocinii contra Pontificios, quòd divinarum literarum textu suffultum, fortissimumque esse putaverit*] *evincenda se fore, juvante DEO, ubi solùm ad manum fuerit Bibliotheca, quando scriptores adductos adducendosque oportuerit inspicere; quique, juvenis jam tum, publicè ad silentium adigit Werdenbagium, Struvium, nec semel, sed sæpius, Calixtum, posteà Arameum, Gerbardum*, & quos non? ut de seipso p. 71. 72. gloriatur; [cui meritò Augustini illud subjicitur, tract. 41. in Johannem: *O pellis inflata! non est ista magnitudo, sed tumor.*] Existimo autem, longe utiliores magisque necessarias esse observationes nostras, *quæstiunculas* quas vocat, iis, quas Scholastici vestri, multis nihil agendo, tractant. De quibus Erasmus in annot. ad 1 Tim. 1. *Quid nunc loquar de quæstiunculis non solùm supervacaneis, sed penè dixerim impiis, quas movemus de potestate Dei? an Deus possit quodvis malum, etiam odium sui, præcipere, & omne bonum prohibere, etiam amorem & cultum sui? An possit actu infinitum secundùm omnem dimensionem producere? An possit respectum producere sine fundamento & termino? An possit naturam universalem producere & conservare sine singularibus? An potestatem creandi possit communicare creaturæ? An possit ex facto facere infectum, ac per hoc ex meretrice facere virginem? An quælibet persona divina possit quamlibet naturam assumere, quomodo verbum humanam

*nam assumsit? An tres personæ possint simul eandem naturam assumere? An hæc propositio, Deus est Scarabæus, aut cucurbita, tàm possibilis sit, quàm hæc; Deus est homo?* Tædet referre cætera. Ad mea redeo, & pro iis Hieronymum in Epist. ad Lætam, de institut. filiæ, tom. 1. fol. 26. respondere jubeo: *Non sunt contemnenda quasi parva; sine quibus magna constare non possunt.* Quanta sit necessitas & utilitas Philologicorum istiusmodi, in præfatione Grammaticæ sacræ expositum. Certe in his magnum interpretationis Scripturæ momentum esse situm, ᵃ non nisi ἀμαθεῖς (quos Petrus vocat) ignorant. Atque hæc mea aliis etiam perdoctis viris probari (præfiscinè loquor) & lego & audio; quorum judiciis honestis contemtum Nihusii aliorumque compenso.

IV. A parvis ad majora me provocat: *Adfer vel textum unicum, qui refellat fidei nostræ sententiam saltem unicam, & millies plus præstiteris. Ecquid restitas? an metuis arieti tuo vitreo, ne denuò reportet ludibrium?* Resp. Quid verò ais? non unicum, sed benè multa fidei Papalis dogmata in Philologia mea sacra refello, quòd indices, tit. *Pontificii*, declarant. Inquirat loca Nihusius, & respondeat, si quid validi in sapientiæ suæ penu possidet. Etsi autem id mihi nominis non tribuo, quod leviter mihi adfricat pag. 136. *quod videar mihi armatissimus contra fidem Pontificiam pugil, atque victor invictissimus, quo telum torquente succubituri Catholici sine mora, quantumvis eruditi;* (absit longùm vel opinio vel arrogantia talis, & à me, & cordatis quibuscunque confessionis nostræ Theologis! *Mysterium iniquitatis istud abolebitur demum claritate adventus Christi*, divinitus attestante Paulo 2 Thessal. 2. vers. 7, 8. Et justô Dei judiciô, *Deus seculi hujus excæcat sensus incredulorum, ne illucescat illis splendor Evangelii gloriæ Christi*, quod idem Apostolus gravissimè asserit, 2 Corinth. 4. v. 4.) attamen, quia in Philologica materia, quæ magnum in Theologia usum obtinet, versamur, potissimùm remitto eum, cùm ad disputationem de oraculo Protevangelico Gen. 3: 15. adversùs Gordonum Jesuitam habitam, & Grammaticæ sacræ subjunctam; tùm ad totum de puritate Hebræi Codicis tractatum, lib. 1. Philol. sacræ. Excutiat & hæc; videatque, *num vitreus noster aries ludibrium reportet; & num muro civitatis suæ* (quam *sanctam* vocat) *aheneo, illisa sagitta Glassii, quia vitrea, dissiliat*, uti contemtim (reliqua putida non refero) ibidem loqui amat.

V. Ludificationi suæ pudendam miscet animi levitatem, an impietatem? p. 138. *Si de sententia sua* (Glassius, in loco nimirùm Act. 19. de quo supra actum) *necdum decedere voluerit, agè vel demonstret contra nostram thesin id, quod dixi, & statim, una cum Catholicis plurimis, fiam Lutheranus.* Portentosa hæc, inquam, levitas est temeritasque, sed haud miranda valdè in eo, qui tam leviter ac desultoriè Ecclesiam nostram veram deseruit, & ad alteram illam discessit. Attende, quæso, an dignum sit homine Christiano, nedum erudito vel Sacerdote vel Theologo, offerre se ad palinodiam, & religionis [qua nihil in conscientia vividius, fortius, tenacius] mutationem, ob amissam fortè, in quæstione minùs principali, fidei fundamentum non tangente [nedum quæstiuncula, duas voculas, & quinque literulas, μὲν & δὲ, concernente] victoriam? Talis certè est quæstio de baptismi Johannis à baptismo Christi differentia; de qua magnus noster Chemnitius, in Exam. Conc. Tridentini part. 2. p. 233. *Relinquatur hæc quæstio in medio, ut quæ in utramque partem rationes habet; Cùm quidem nostris temporibus ejus usus non sit admodum necessarius. Utram enim quis sententiam amplectatur, vera & necessaria fundamenta retineri possunt.* Longè majora sunt, uti bene nosti, fidei ipsius dogmata, de quibus inter nos & Pontificios controvertitur. In his sine præjudicio & affectuum turbine sudet Nihusius, sique veritatem religionis nostræ, in Scripturâ S. fundatissimæ, cognôrit, (quod faxit Altissimus!) ad nos, cum aliis plurimis, à se perinde edoctis, quod promittit, accedat. Excipiemus accedentes seriò, cum lætitiâ & gratulatione summâ; quin gaudium erit de hoc in cœlo, Luc. 15. v. 7.

ᵃ 2 Petr. 3: 16.

VI. Non satis ei placet, quod D. Gerhardum, τὸν μακαρίτην, in dedicatoriâ Epistolâ Rhetorices sacræ, celebro: *exque indole meâ bonâ, sibi quondam Jenæ notâ, futurum sperat, ut eloquar etiam apertè, amicum mihi quidem esse Gerhardum, sed magis oportere tamen amare ac revereri eum, qui est αὐταλήθεια, imò esse maledictum, qui præ illô confidat in homine.* p. 136. Resp. Postremum hoc longissimè à me facessat. Cætera quod attinet, Gerhardum, Theologum πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, ut Doctorem & Præceptorem meum, quin parentem alterum, gratus veneror, dum Spiritus hos reget artus; [utinam id suis quoque præceptoribus Nihusius præstaret!] De scriptis ejus sentire fas est idem, quin sensit & ipse, quod de suis, idemque Hilarii, Cypriani, Agrippini &c. sentit Augustin. tom. 2. Epist. 48. ad Vincentium: *Hoc genus literarum ab autoritate Canonis distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contrà sentire non liceat, sic ubi*

*fortè aliter sapuerint, quàm veritas postulat.* Et Epist. 111. ad Fortunatianum: *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si fortè invenerimus, quod aliter senserint, quàm veritas habet, divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.* Cæterum quia Gerhardus in cœlestis verbi veritate, à se per totam vitam præclare propugnata, beatus hinc migravit, sequor hîc monitum Apostoli, Hebr. 13. ℣s. 7. *Memores estote* τῶν ἡγουμένων, *ductorum vestrorum, qui locuti sunt vobis sermonem Dei, quorum diligenter intuentes finem conversationis, imitemini fidem.* Ubi & subjicitur vers. 9. *Doctrinis variis ac peregrinis ne circumferamini. Bonum enim est, gratia stabiliri Cor.* Quod & ipsum, verbi cœlestis, in Scripturis sanctis revelati, munimento fretus, sectabor, Dei gratiâ, ad extremum usque vitæ halitum, & per hoc salutis verbum salvum me fore spero scioque.

VII. Aliud profert monitum d. 136. *Principi ERNESTO adest Gota Salomon Glassius, Optem itaque suo isti munifico Patrono is dicat, quæ Moneo de Moysis Pontificatu, asserto etiam in Jenensium nuper Bibliis (quibus forsan & ab ipso aliquid operæ impensum) vel quoque de cunctis cæteris, ad rem spectantibus, ac disputatis hôc opusculô* &c. Resp. Si monitionis indigus esset Princeps meus laudatissimus, qui, ut in aliis, sic in rerum sacrarum scientia necessaria, pari cum pietatis zelo conjuncta, egregiè confirmatus est; quid monere possem aliud, quàm Petri illud, 2. Epist. 3. cap. qui, postquam de iis fuerat locutus, *qui Scripturas ad suam ipsorum perniciem detorquent*, (quod in Papatu heu! nimis quàm frequens,) subjicit v. 17. *Vos igitur, dilecti, posteaquam præmoniti estis, cavete, ne simul cum aliis nefariorum errore abducti, excidatis à propria stabilitate.* v. 18. *Sed crescite in gratia & agnitione Domini nostri Jesu Christi.* Ita, inquam, Principem meum, si opus esset, monerem, quod longè satius foret, quàm cum Nihusio p. 129. *præclaris virtutibus decoratum, familiam suam serenissimam universam exornare insigniter*, dicere [quod quidem meritò fit,] intereaque nescio quam superstitionis labem simul adspergere, in recensione de quodam S. Elisabethæ annulo, his verbis: *Quo diligenter asservato, prosapiam Ducum Saxoniæ, Landgraviorumque Thuringiæ, fore salvam, deperditô autem infelicem, ex agrapha majorum sententia seu traditione asserebat idem Princeps;* p. 132. Sed transeant hæc cum reliquo superstitionum anilium fermento.

VIII. Quod de *Jenensium Bibliis* [quæ ita vocat] *& asserto in iis Mosis Pontificatu*, verbis dictis inseritur, peculiarem meretur commonefactionem. Fateor huic operi Biblico, auspiciis illustrissimi & pientissimi mei Principis, Noribergæ jam quartùm edito, *aliquid operæ à me impensum*, neque forsan minimum. Et ipsius libri Psalmorum, interspersas quod annotatiunculas attinet, auctorem me profiteor. Nego autem, *Mosis Pontificatum in eo assertum esse*, vel, ut in fine sect. 15. loquitur, *de Moysis Sacerdotio supremo testimonium in eo contra Hunnium & reliquos, perhiberi.* Probat Nihusius quod dixit, hunc in modum: *Sentit & Lutherus ipse, unà cum suis, idem, quod nos de Moyse tradidimus, nempe dum verba itidem Psalmi reddit, adeoque ex Hebraico:* Mose und Aaron unter seinen Priestern (*Mose & Aaron inter Sacerdotes ejus*) *post, Mose, distinctionis notam omittens* &c. Posteà: *Jenenses decidarunt interlocutiunculis versionem Bibliorum: Lutheri quidem opera confectam, sed recognitam ab sese, & editam Noribergæ* &c. Tandem; *An Jenenses illi interpretes castigarunt hic versionem Lutheri, aut mutarunt, ut aliàs fecerunt sæpiùs? nullo modo. An igitur non, saltem glossematio quopiam verbulove, adversus Catholicorum sententiam pervulgatissimam, à nostratibus Theologis confirmatam in Colloquio Ratisbonensi, monuerunt, non fuisse Moysen Aarone majorem Sacerdotem existimatum à Davide Rege & Propheta? Neutiquam. Ecquis igitur non judicet omni merito, manifestissima veritate compellente, statuisse in conscientia ipsos nobiscum unum idemque?* An Lutheri versio, quæ fonti Hebræo exactè respondet, Papistico sensui faveat, membro sequenti videbimus. Insertarum autem annotationum auctores quod spectat, in genere priùs monendum, falsum esse, quicquam in versione Lutheri ipsa, uspiam *ab iis mutatum esse*, quod Nihusius dicit, nec vel dictione una probari id potest. Falsum etiam, *ex omissa glossematii additione sequi, manifestissima veritate compellente statuisse in conscientia ipsos* (interpretes) *cum Papistis unum idemque.* Falsum, inquam, hoc pronuncio, qui omnium optimè, quid hîc statuerim statuamque, novi. Noverit verò etiam Nihusius, ex Principis jussu, non fuisse propositum iis, qui notas illas inseruêre, quicquam controversiarum tractare, sed tantummodo sensum Scripturæ S. literalem, simplici filo styloque exponere. Igitur nec controversiola illa, de Mosis sacerdotiò supremo, hic fuit tangenda. Quid? nec tangi meruit, cùm nulla verbis

illis

illis insit probatio, ut post dicetur. In Colloquio quidem Ratisbonensi (quod Nihusius meminit) locus à Gretsero erat allegatus, sed sine nervo, qui stringeret argumentum. Nostri contrà ex Epistola ad Hebræos dilucidè probabant, *Mosen non fuisse summum Pontificem, sed Aaron*: cui solidi repositum nihil. Cur Moses ab Apostolo, ut Pontifex, non fuerit inductus propositusve [quia videl. successoribus in officio caruit] exponere satagebat Gretserus; at thesin ipsam, *fuisse Pontificem*, nullo vel testimonio vel argumento solidè demonstrabat: quin, opinioni huic non parum diffisus: *omitto* [inquiebat] *dicere, quod aliqui putant, Aaronem non fuisse summum Pontificem, sed fratrem ejus Mosen, & illum saltem superiorem &c. Dico quid alii sentiant, ego in priori acquiesco.*

IX. Quæritur nunc tandem, quid de loco Psal. 99:6. ut in Hebræo, & Lutheri versione extat, sit habendum? & an, *Mosen fuisse Pontificem Aarone majorem*, ex eo probatum dari possit? Non quidem hujus loci est ista quæstio, attamen ut de ea aliquid moneam, occasionis me invitat commoditas. Structura probationis Nihusiana pro affirmativa, sect. 9. talis est: David dicit: *Moses & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Hîc illud, *in Sacerdotibus ejus*, non solùm est referendum ad Aaronem, sed & ad Mosen [cùm nulla distinctio adsit, sed continuatè hæ voces sint legendæ] & æquivalet huic: *Sacerdotes ejus.* Quod & sequi ex eo videtur, *quia non Aaroni tantùm, sed & Moysi, contradistinguitur mox posteà Samuel &c. Quod si igitur ad Sacerdotes non pertineret Moyses, accenseri debuisset saltem, ut Samuel, is qui invocant nomen Domini &c.* Porrò, quia præponitur Moyses, ut Sacerdos, Aaroni non Sacerdoti simplici, sed Pontifici, necessum est, & *Sacerdotis* vox à Davide sumta sit pro sacerdote summo, & Moyses fuerit major Aarone Pontifice. Addit: *Ipso sensu nos Catholici, textum Psalmi intelligendum esse, existimamus atque affirmamus.* Resp. Existimatis falsò; affirmatis temerè. [1.] Ecce enim & hic exemplum ejus, quod supra dictum: *Pontificios secundum præconceptas opiniones, ex suo sensu adulterino facere normam, secundum quam Scripturam judicent.* Mosen fuisse verè & propriè dictum Pontificem, est præconcepta eorum opinio. Secundum hanc igitur, ceu normam, de Scripturæ loco præsente judicant. Et ut aliquatenus illi conformetur, primò obliquum casum oportet fieri rectum, *in Sacerdotibus ejus*, hoc est, Sacerdotes ejus. Deinde quia Aaron fuit summus Sacerdos, & Moses præponitur, oportet & *Sacerdotum* nomen non quosvis, sed summos Sacerdotes notare. Verum enim verò, num literâ ipsa textus utrumque hoc in se continent? Nihil minus. Eccur igitur, malum! alienum hunc sensum ei inferunt, & sic τὰς γραφὰς στρεβλῶσι? quod Petrus de ἀστηρίκτοις asseverat, 2. Epist. 3:16. (2.) si illud, בְּכֹהֲנָיו *in Sacerdotibus ejus*, idem est, ac, Sacerdotes ejus; etiam sequens dictio בְּקֹרְאֵי *in invocantibus*, idem erit, ac invocantes: par enim utriusque structura cum præfixo seu præpositione. At hoc falsum, quid enim locutionis: *Samuel est invocantes DEUM?* ipse Nihusius, *Samuelem invocantibus nomen Domini accenseri debere*, ait. Ergò falsum etiam illud. Joh. Lorinus Jesuita in comment. h. l. *Et Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus. Unde perspicitur, itidem fuisse in membro priore, in Sacerdotibus, quod, inter Sacerdotes; utrobique est præpositio* ב *in.* Addo, nullam versionem (ex quibus *Græcam, Latinam, Chaldaicam, Syram, Arabicam*, in fine sect. 9. *Gallicam etiam, Belgicam* &c. sect. 14. adducit) datum sensum peregrinum confirmare. Quò pertinent etiam dicta quorundam veterum, allegata sect. 11. præsertim Brunonis, Carthusianorum Patriarchæ: in Psal. 99. *Moyses & Aaron fuerunt in Sacerdotibus, in numero Sacerdotum ejus* &c. Lirani in h. l. *Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus, hoc est, fuerunt inter Sacerdotes DEUM colentes* &c. Et Ludolphi Saxonis Carthusiani in h. l. *Moyses legislator, & Aaron summus Sacerdos, fuerunt in Sacerdotibus ejus scilicet Christi*, id est, *inter Sacerdotes, vel è numero Sacerdotum* &c. [3.] Rectissimè proinde fluunt verba textus, retentâ naturali vocum singularum significatione, hoc modo: *Mose & Aaron in* [vel cum] *Sacerdotibus ejus* [Jehovæ] *& Samuel in* (cum) *invocantibus nomen ejus; Clamabant ad Jehovum, & ipse exaudivit eos.* Subjectum propositionis est, *Mose, Aaron, Sacerdotes, Samuel, invocantes nomen Domini*, hoc est, timentes Deum. Prædicatum est, *invocare Jehovam, & ab ipso exaudiri.* Huic, inquam, prædicato, ut subjectum, respondent omnes, qui hoc versu exprimuntur; quod & Lorinus in comment. agnoscit: *Nectenda sunt ista superioribus, nempe quod Moyses & Aaron Sacerdotes, & Samuel unus de invocatoribus DEI, invocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos* &c. Quemadmodum enim ad laudem & invocationem Dei Hieropsaltes omnes Israelitas ℣ſ. 5. excitavit: *Extollite Jehovam Deum vestrum, adorate ad scabellum pedum ejus*, (quia) *sanctus ipse* (est.) sic exempla hujus virtutis ℣ſ. 9. in medium statuit, quæ imitanda omnibus: & posteà ℣ſ. 7, 8. de Mose cumprimis & Aarone, clariùs illustrat. Hic verus

rus sensus est, non ex præconceptâ opinione illatus, sed ex ipsis textus erutus visceribus. Quòd autem ב præfixum redditum per *cum*, non aliena, sed naturalis ejus, juxtà cum aliis, est significatio; cujus multa exempla dari queunt, & ipsi loco huic perquam aptè convenit. Vide Grammat. sacr. lib. 4. tract. 1. observ. 5. p. 863. [4] ex dictis igitur patet etiam hoc, non esse contradistincta planè membra, quod Nihusius putat, *in Sacerdotibus ejus*, &, *in invocantibus nomen ejus*; ita ut illud Mosi & Aaroni, non autem Samueli; hoc autem Samueli, non Mosi & Aaroni, competat. Quin utrumque utrisque potiùs reapse convenit. Ut enim Moses & Aaron, *ut invocantes nomen Domini*, in sequentibus mox verbis proponuntur; & Jer. 15:1. *Moses & Samuel*, ut præcipui Dei invocatores, & apud Deum pro populô intercessores, conjunguntur: Sic Samueli etiam competit *Sacerdotis* nomen, utut Nihusius id neget: quod Lorinus in commem. latè ostendit: *Ex his* [inquiens] *colligitur, Samuelem non solùm invocatoris munere, sed Sacerdotis etiam functum esse.* Et postea: *Quare nec error est, Samuelem affirmare Sacerdotem, nec stultitia, dicere functum eô officiô, quamvis non esset de filiis Aaron, nec natus Sacerdos. Dispensatione, inquam, Sacerdos fuit, non progenie, non præsumtor, aut re non concessa utens, sed quod concessum aut injunctum etiam est, faciens; non per alium tantum offerens aut sacrificans, sed etiam per se ipsum* &c. [5.] His igitur ita se habentibus, porrò quæritur, an non Mosen, si non *summum*, at saltem inferioris gradus *Sacerdotem*, propriè sic dictum fuisse, ex Psal. 99: 6. probari possit? Resp. Qui possit? cùm talis non fuerit. Sacerdotes propriè dicti *erant ex posteritate Aaronis* [verba sunt Flacii part. 1. clav. script. voce: *Sacerdos*] *& sub summi Sacerdotis regimine versabantur* [confer. præter alia 1 Paral. 25:1. usque 19.] *Levitarum fuit inferior ordo statusve, qui non habebant jus sacrificandi, aut suffitum offerendi; quique Sacerdotibus subjecti erant, eisque ministrabant.* At Moses non fuit ex posteritate Aaronis, uti patet. Levita autem fuit, Exod. 6:16, 18, 20. & filii ejus Levitis [non Sacerdotibus] annumerati sunt, 1 Par. 23:14. Quod autem Aarone superior erat [nim. ut Propheta, & populi gubernator, Deut. 18:15, 18. c. 33:5] peculiari dispensationi ac vocationi Dei adscribendum, qui *sibi fidelem in domô sua famulum* Hebr. 3:5. sic honorare voluit. Ad textum præsentem quod spectat, quæ, quæso, consequentia: Moses Sacerdotibus adjungitur; Ergo & ipse fuit Sacerdos? Nulla planè. Potest quippè alia dari ratio congrua, cur iis adjungatur, nimirum ut sacri hujus ordinis, divino mandato, institutor ac gubernator; alter autem, Aaron, ut divinitùs vocatus [& omnium quidem primus] Sacerdotum præses princepsque. Henr. Mollerus in comment. h. l. *Numeratur Moses inter Sacerdotes, sicut Samuel inter invocantes; hoc est, principaliter ad cultum respicit vates, quem Moses exhibebat Deo, dum assiduè inter Sacerdotes sacrificantes versaretur, & vera atque assidua invocatione, & observatione rituum externorum, DEUM coleret. Ita enim ille assiduè fuit ad tabernaculum, & inter Sacerdotes, non quidem ut munere Sacerdotis fungeretur* [ordinariè] *sed ut nunquam a cultu divino discederet, sicut Samuel inter invocantes numeratur, qui tamen ipse, ut Sacerdos, etiam sacrificia offerebat.* Do exempla alia. Dominus [Adonai] dicitur esse בָּם *in* [vel cum] *illis*, nempe *curruum Dei myriadibus, multis millibus angelorum*, Psalm. 68:18. an verò angelum esse, ex eo sequitur? Saul dicitur esse בַּנְּבִאִים *in* [cum] *prophetis*, 1 Sam. 10:11, 12. c. 19:24. ergone pro Prophetâ propriè sic dictô ipse habendus? De Christo dicitur, quòd sit *in* (vel cum) *credentibus*, Joh. 17:23. 2 Cor. 13:5. ergone sequitur, quòd sit unus credentium? Fideles dicuntur esse *in* (cum) *pravis & perversis*, Phil. 2:15. ergone ipsos quoque tales esse, inde sequitur? Alia jam prætereo. Ut igitur Deus in angelis vel inter angelos est, non ut angelus, sed ut angelorum Dominus; Saul inter Prophetas, non ut propheta, sed ad tempus inter eos commorans; Christus inter credentes, non ut ipse credens, sed ut credentium caput; fideles inter pravos & perversos, non ut ipsi tales, sed ut iis intermixti: Sic Moses inter Sacerdotes erat, non ut propriè dictus Sacerdos, sed ut eorum institutor gubernatorque Act. 7:35. (6.) Interim non refragamur, quin Moses dici *Sacerdos*, aliquo sensu, possit, propterea quòd ex tribu Levi oriundus, & à Deo singulariter ad gubernandum populum vocatus, extraordinariè quædam Sacerdotis munia (præsertim ante constitutionem Sacerdotii Levitici) Deo dispensante, peregit; perinde ut Samuelem *Sacerdotem* fuisse, certo respectu, ex Lorino antea audivimus. Audiamus etiam tres paulò superiùs adductos, quos Nihusius ipse citat. Bruno d. l. *Notandum autem, Moysen non fuisse Sacerdotem, sed ideò in Sacerdotum numero ponitur, quia pro populo sacrificasse legitur, & orasse, quod ad Sacerdotes quidem attinebant.* Liranus: *Moyses officio Sacerdotali usus est in consecratione Aaron & filiorum ejus.*

Ludol-

udolphus Saxo: *Moyses quidem Sacerdos dicitur, quia si non hostias, vota tamen populi Deo obtulit ac pro populo supplicavit.* (7.) Ita igitur tandem concludimus, si ex Psalm. 99. vers. 6. probari firmiter nequit, Mosen fuisse proprie dictum Sacerdotem; multò minus ipsum proprie dictum ἀρχιερέα fuisse, probatum inde dari poterit. Ratio est, quia ex sacerdotum proprie dictorum ordine summi sacerdotes erant. Atqui verum prius. Ergò & posterius.

Eat nunc Nihusius, optetque: *Utinam resciat jam quoque Celsissimus Saxoniæ Dux Ernestus, cui dedicata eadem hæc à Jenensibus Biblia. Et verò, ut Princeps hic est præclaris decoratus virtutibus &c. ita nec dubitem, quin pronissimis talia sit accepturus auribus, certè occasionem sic nanciscatur, noscendi vel hinc suos penitiùs, crepantes perpetuò Scripturam divinam, & negantes tamen, Moysen fuisse summum Sacerdotem*: Tandem verò de hâc quoque tabulâ manum.

Qui Mosen, Aaron, Samuelem, exaudiit; idem
Et nostras pronâ condat in aure preces!

Αὐτῷ ἡ δόξα καὶ νῦν, καὶ εἰς ἡμέραν αἰῶνος, Ἀμήν.

2 Petr. 3: 18.



# D. SALOMONIS GLASSII, LOGICA SACRA,

Sive

# LOCORUM S. SCRIPTURÆ CONSIDERATIO LOGICA,

*ex MSto edita, & publici juris facta.*

Per

JOH. GOTTFRID. OLEARIUM, Superint. & Consistorial. Arnstad. Schwartzb.



NOn est nostri instituti perfectam Canonum Logicorum, quorum in S. S. Theologiæ studio potest esse usus, proponere διήγησιν. Sed de *præcipuis* tantum agere considerationibus, quæ ad Scripturæ explanationem atque interpretationem possint aliquo modo conducere.

*Ad tria Capita* referemus ea, quæ huc spectant, ut agamus:

1. *De causarum* }
2. - *propositionum* } *doctrinâ,*
3. - *Ordinis s. methodi* }

## Caput I.

## DE CAUSARUM DOCTRINA.

S*Criptura Sacra unum eundemque effectum modò causæ principali, modò causæ instrumentali ac organicæ adscribit, utramque propriè & sine tropo.* Ratio hujus est: Efficiens enim principale & instrumentale non sunt opposita; sed ἐναρμόνως ad unum effectum producendum conspirant, unde fit, ut de utrisque rectè & propriè idem effectus (non tamen παρίσως, sed ἀνίσως & diverso modo) prædicetur. *Quicquid enim influit in esse effectus* (ut loquuntur Scholastici) hoc est, quicquid ad productionem rei unà concurrit, *de eo effectum ipsum meritò enunciatur. Exempla* producemus, partim

*Ex salutis nostræ* }
*Ex aliarum rerum* } *efficientiâ.*

I. De gratiæ & salutis efficientiâ Thomas p. 3. sum. q. 62. a. 1. ita loquitur: *Causa agens duplex dicitur, principalis & instrumentalis. Principalis quidem agit per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus. Sicut ignis suo calore calefacit. Et hoc modo* nihil *potest causare gratiam nisi DEUS: quia gratia nihil est aliud, quàm quædam participata similitudo divinæ naturæ: Causa verò instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solùm per motum, quo movetur à principali agente.* (Notate hoc operis operati defensores). *& hoc modo Sacramenta novæ legis* (& verbum θεόπνευςον) *gratiam causant. Adhibentur enim ex divinâ ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam.*

Calviniani effectum spiritualem *verè & propriè* de Sacramentis (ut causa salutis instrumentali) prædicari posse negant, sed tantùm *figuratè* & *metonymicè*. Piscator in Germ.

Bibl.

Bibl. doctr. 1. ex Act. 7. *Efficacia remittendi peccata & salvandi non consistit in sanctis Sacramentis, sed tantùm in DEO & ipsius gratiâ per Christum partâ & confirmatâ.* Keckerm. Syst. Log. c. 15. *Baptismo atque aliis Sacramentis tribuitur regeneratio & alii ejusmodi effectus spirituales prædicatione impropriâ,* vid. Meisner. p. 1. Philos. S. f. 1. c. 3. q. 7. & D. Gerh. de minist. §. 253. & f. it. §. 251.

*Dicta quibus effectus spirituales verbo DEI attribuuntur.*

*Psal.* 119: 92. *Nisi Lex tua fuisset consolatio mea, periissem &c.* 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum &c.* *Esa.* 55: 10, 11. *Quomodo imber & nix de cœlo descendit &c.*

*Matth.* 13: 23. *Marc.* 4: 20. *Luc.* 8: 15. *Verbum divinum est semen fructificans in cordibus hominum.*

*Joh.* 5: 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini &c.*

-- 8: 51. *Si quis sermonem meum servaverit, non videbit &c.*

-- 17: 20. *Non pro illis tantùm rogo, sed etiam pro eis, qui credituri sunt, per verbum eorum* (Apostolorum) *in me.*

*Rom.* 1: 16. *Non me pudet Euangelii, est enim potentia &c.*

-- 10: 17. *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum DEI.*

-- 15: 4. *Quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam &c.*

1 *Cor.* 1: 21. *Postquam mundus per suam sapientiam &c.*

--- 18. *Verbum enim crucis* (de cruce id est, de Christo crucifixo) *pereuntibus quidem stultitia est, nobis autem virtus DEI.*

*Eph.* 1: 13. *Cum audissetis verbum veritatis &c.*

*Coloss.* 1: 5, 6. *Verbum veritatis Euangelii in universo mundo &c.*

2 *Tim.* 3: 15. *S. literæ possunt te σοφίσαι,* f. 16. *O. Scriptura &c.*

*Hebr.* 4: 12. *Vivus sermo DEI & efficax, &c.*

*Jac.* 1: 18. *Genuit nos voluntariè verbo veritatis, ut simus &c.*

-- 21. *Suscipite verbum ἔμφυτον, quod potest salvare &c.*

1 *Petr.* 1: 23. *Renati sumus non ex semine corruptibili &c.*

a *Dicta, quibus ministris verbi Spirituales & divini effectus tribuuntur, quatenus sc. in prædicatione verbi & administratione Sacramentorum agunt organicè ad hominum conversionem & salutem.*

*Dan.* 12: 3. *Qui ad justitiam erudiunt multos &c.*

*Luc.* 1: 77. De Johanne prædicitur, quod *daturus sit scientiam salutis plebi Israëliticæ in remissionem peccatorum.*

*Joh.* 1: 7. *Hic venit in testimonium, ut testificaretur &c.*

*Rom.* 11: 13, 14. *Glorificabo meum ministerium, ut aliquos &c.*

1 *Cor.* 3: 9. *DEI συνεργοί.*

1 *Cor.* 4: 15. *Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, tamen non multos patres, nam in Christo Jesu &c.*

*Gal.* 4: 19. *Filioli mei, quos iterum parturio &c.*

1 *Tim.* 4: 16. *Hæc faciens teipsum &c.*

*Philem.* v. 10. *Obsecro te pro filio, quem &c.*

*Dicta quæ Sacramentis, & primò quidem Baptismo, effectus Spirituales attribuunt.*

*Marc.* 1: 4. *Fuit Johannes in deserto baptizans &c.*

-- 16: 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.*

*Joh.* 3: 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ &c.*

*Act.* 2: 38. *Baptizetur unusquisque &c.*

-- 22: 16. *Exurge & baptizare & ablue &c.*

1 *Cor.* 6: 11. *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis* (in Baptismo) sc. justificati estis.

1 *Cor.* 12: 13. *In uno Spiritu omnes &c.*

*Gal.* 3: 27. *Quicunque in Christum baptizati estis &c.*

*Eph.* 5: 26. *Christus mundat suam Ecclesiam lavacro aquæ.*

*Tit.* 3: 5. *DEUS salvos nos fecit per lavacrum &c.*

1 *Pet.* 3: 21. Baptisma nos salvat (quod est ἐπερώτημα συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς θεόν.)

*De effectis S. Cœnæ vid. c. 6. Joh. & D. Gerh. de Eucharist. §. 212.*

*Ubi fidei salus, justificatio tribuitur,* exempla sunt ubivis obvia in scripturis.

II. *De aliarum rerum efficientiâ exempla dari possunt:*

*Exod.* 14: 16. Deus inquit ad Mosen, *Divide mare.* Id agebat Moses *instrumentaliter:* DEUS enim removit aquas, sive stare fecit instar muri, ut sequitur. ℣. 21.

*Jud.* 6: 14. *Vade in istâ tuâ fortitudine, & libera Israëlem:* Gideon id præstat *organicè,* DEUS *principaliter.*

*Joh.* 14: 12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet,* Christus ea agit per credentes, ut per organa. a vid Phil. S. l. 3. tr. 3. p. 376. b.

*Ex præcedenti Regula sequitur ista:*

b *Causæ subordinatæ non sunt sibi invicem opponendæ, seu.* b Conf. Grammat. S. p. 468. a. b.

Cum

Cum plures ac variæ causæ in omni re concurrant, alia de alia agitur aut pronunciatur, quod non derogat aliis silentio præteritis. Flac. part. 2. clav. p. 368. Ut aliàs fide, aliàs Sacramentis, gratiæ DEI, merito Christi justificari dicimur.

Id patet ex iis Scripturæ dictis, quæ *subordinationem causarum principalium & organicarum* in salutis negotio subindicant. & in quibus utrique causæ idem effectus adscribitur.

*Matth.* 10: 20. *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui in vobis loquitur.*

*Marc.* 16: 20. *Apostoli egressi prædicarunt ubique Domino cooperante.*

*Act.* 11: 14. Dicit Angelus Domini de Petro Apostolo ad Cornelium: *Is dicet tibi verba, per quæ salvaberis & tu & domus tua.*

*Ibid.* v. 23. *Barnabas hortabatur omnes, ut proposito cordis permanerent in Domino.* v. 24. *quia erat vir bonus & plenus Sp. S. & fide, & apposita est multa turba Domino.*

*Rom.* 15: 18. *Non ausim loqui quicquam eorum, &c.*

2 *Cor.* 13: 3. *Siquidem experimentum quæritis, in me loquentis Christi.*

*Tit.* 3: 5. *DEUS salvos nos fecit per lavacrum regenerationis &c.*

*Eph.* 5: 26. *Christus mundat Ecclesiam suam lavacro &c.*

Et ista.

*Cum uni causæ (inter subordinatas, tribuitur particula sola, non excludit ea prorsus alias causas, nisi tantum ex suo loco, ubi ea sola regnat. Flac. part. 2. p. 368, &c.*

a Conf. Grammat. S. tr. 3. c. 21. p. 375. a. b. & f. a Effectus non semper adscribitur causæ veræ sive principali sive instrumentali, sed quandoque illi rei, quæ quoquo modo ad effectum illum pertinet. Adscribitur enim. 1. Quandoque causæ per accidens. 2: Quandoque occasioni, seu occasionem effectui subministranti. 3. Quandoque signo.

I. *Conjunguntur interdum aliqua ut causa & effectus, quæ propriè naturaliterque non sunt conjuncta, sed tantum per accidens ita coinciderunt. Flac. part. 2. p. 366.*

*Id evenit vel in causâ Efficiente, vel Finali.*

*In Efficiente.*

*Matth* 10: 34. *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Id per accidens evenit.

*Luc.* 2: 34. *Christus positus in ruinam*, sc. *per accidens*, cùm ad salutem *propriè* sit datus.

2 *Cor.* 2: 16. *Evangelium & ministri ejus sunt odor mortis ad mortem.* Id contingit per accidens. Sic *Luc.* 16: 9. *Pauperes recipiunt benefactores in æterna tabernacula.* Quod opus solius DEI est propter filii meritum nos adoptantis. Pauperibus autem tribuitur ut causæ per accidens.

1 *Cor.* 6: 2, 3. *Christiani judicabunt mundum & Angelos.* Christo propriè, piis accidentali aliquâ ratione tribuitur.

*In causâ finali.*

*Possunt huc quoque paulò ante, posita exempla quædam referri:* quibus adde:

*Quando particula UT causam finalem naturâ suâ denotans, non causaliter, sed eventualiter est exponenda.* vid. Grammat. S.

Consimile est istud:

*Cum quid alicujus actionem secutum est, illo nihil tale, cogitante aut moliente, aut etiam sciente, tribuitur ei nihilominus quandoque ac si ipsemet fuisset.* Flac part. 2. clav. p. 369.

*Exod.* 11: 9. *Non audiet vos Pharao, ut multiplicentur portenta mea in Ægypto.* Pharao id non intendit, sed tamen id ultrò consecutum fuit.

*Matth.* 23: 31. *Testificamini vobis ipsis, qui filii sitis eorum, qui Prophetas occiderunt.* Ipsi quidem hoc facere nolebant, sed tamen hoc ultrò ex ipsorum ædificationibus sepulchrorum sequebatur, Conf. etiam v. 34. & 35.

*Act.* 13: 46. *Quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternâ vitâ, ecce convertimur ad gentes.* Ipsi se non judicabant indignos vitâ æternâ: sed ex ipsorum impio facto id secutum fuit, quod visi fuerunt seipsos privare.

2 *Cor.* 3: 13. *Moses imponebat faciei velamen* πρὸς τὸ μὴ ἀτενίσαι, *ut non intenderent filii Israël.* Id pravi consilii Moses non habuit, sed alia causa impositionis istius narratur; Ex. 43: 30. 33. Secutus autem fuit ille effectus.

II. *Conjunguntur aliquando, ut causa & effectus, quæ tantùm occasionaliter concurrunt.* Seu: *Aliquando tribuitur aliquis effectus soli occasioni alicui, seu occasionem danti.*

Sic vulgus etiam antecedentem occasionem causam vocat, ut in illo: *Blanda Patrum segnes facit indulgentia natos.*

1 *Cor.* 7: 16. *Quid scis mulier, si servabis virum*, i. e. præbebis aliquam occasionem tanto bono, honestate vitæ & fideli persuasione.

1 *Pet.* 3: 1. Aliqui dicuntur *lucrifieri per honestam conversationem uxorum sine verbo*, quod de *primâ tantùm occasione conversionis* explicandum.

III. *Conjunguntur ut causa & effectus, quæ revera sunt sibi invicem signa.* Flac. part. 2. clav. p. 368. *Jud.* 16: 17. *Capillo Simsonis* illud mirabile robur tribuitur, cum id tantum voluerit Dominus *notam* quandam esse *suæ præsentiæ* eum *roborantis.* 2 *Reg*, 13: 19. Elisæus irascitur Joaso Regi, qui *non sæpius percusserit terram sagittâ, quia si quinquies aut sexies percussisset, tum plenè delevisset regnum Syriacum.* Quasi illud fuerit *causa* tanti boni, cum tantùm *signum* quoddam divinitus datum fuerit.

*Ad hunc locum de causarum doctrinâ reducuntur etiam sequentia.*

a I. *Quando effectus malus DEO tribuitur, non tribuitur ut causæ efficaciter operanti, sed vel permittenti, vel alio modo concurrenti.*

*Sic DEO tribuitur:*

*Ad malum incitatio*, 2 Sam. 12: 11. 1 Reg. 1: 23.
*Mali præceptio.* 1 Reg. 22: 22.
*Spiritus vertiginis missio* seu immissio. Esa. 9: 14.
*Seductio*, Esa. 63: 17. Jer. 20: 7.
*Deceptio*, Ezech. 14: 9.
*In reprobum sensum traditio*, Rom. 1: 28.
*Spiritus compunctionis missio*, Rom 11: 8.
*Erroris efficaciæ missio*, 2 Thess. 2: 11.

*Præsertim autem.*

*Induratio & excæcatio.* Exod. 4: 21. c. 9: 12. c. 10: 27. c. 11: 20. Joh. 11: 40. Esa. 63: 17. Rom. 9: 17, 18.

*Ea non ἐνεργητικῶς DEO tribuuntur, sed*

1. παραχωρητικῶς propter permissionem.
2. ἐγκαταλειπτικῶς propter desertionem.
3. ὑλικῶς, propter mediorum oblationem.
4. μετονυμικῶς, propter declarationem.
5. διατακτικῶς, propter directionem.

vide de hoc Theologos & Meisner. P. 1. Phil. Sobr. pag. 401. seq. conf. Gramm. S. p. 422. b. & seq. a Vid. Gram. S. p. 379. a.

II. *Quandoque verba effectuum exponenda sunt de occasione, facultate, voluntate, conatu, jure, permissione, consuetudine.*

III. *Quando verba Piel, Hiphil &c. præter significationem directæ efficientiæ aliis etiam modis accipiuntur.*

IV. *Quando* particula causalis, *Quia*, *non est αἰτιολογικὴ, sed συλλογιστικὴ.*

*Causa* aliquando dicitur *per sua effecta perfici*, id verò intelligendum *non* à *priori* sive de *perfectione internâ* ac *essentiali*, sed *à posteriori* de perfectione *externâ & accidentali.*

Sic *Jac.* 2: 22. dicitur *fides Abrahæ consummata* per *immolationem filii*, non *à priori*, erat enim ante eam perfectè coram DEO justificatus: sed à *posteriori*, quatenus coram hominibus hoc declaravit, vid. Feurb. Anti-Ostor. p. 36.

# CAPUT II.

# DE PROPOSITIONUM DOCTRINA.

Propositiones considerari possunt vel *separatim* & ἁπλῶς, vel *conjunctim* ἐν συγκρίσει, vel in collatione ad alias. In *priori consideratione* duo possunt de iisdem tractari.

1. Concernit *Partes.* 2 Concernit *Species.* *Partes* sunt vel *materiales*, ut subjectum & prædicatum: vel *formales*, ut ipsa cohæsio, connexio, copulatio, cujus signum in ternariis propositionibus est verbum ὑπαρκτικὸν, sive ipsa copula.

## DE PARTIBUS PROPOSITIONIS.

hæc nota:

I. *Subjectum & prædicatum sæpius transponuntur, ut id quod vicem subjecti habere deberet, verbo postponatur, & vicissim.* Ps. 1: 1. *Beatus vir, qui non abiit.* i. e. Is qui non abiit, beatus est sic. Ps. 32: 1. & 128: 1. Gramm. S. p. 590. b.

Psal. 5: 10. Rom. 3: 13. *Sepulcbrum apertum est guttur eorum*, i. e. guttur eorum est sepulchrum.

Psal, 111: 3. *Decor & magnific.* (est) *opus*

*ejus*, i.e. opus ejus est decorum & laudabile.

Joh. 1: 1. *Et Deus erat illud verbum* i. e. illud verbum erat Deus. De illo enim subjecto & reliqua dicuntur,

Joh. 4: 24. Πνεῦμα ὁ Θεὸς, *Spiritus* (est) *Deus*, i. e. Deus est Spiritus.

Joh. 19: 35. *Et qui vidit, testimonium perhibuit*, i.e. & qui testimonium perhibuit, ille hoc vidit.

Rom. 6: 23. *Gratia DEI vita æterna*, i. e. vita æterna (est) χάρισμα, donum gratuitum DEI.

1 Cor. 12: 3. *Nemo loquens bono Spiritu dicit Jesum anathema*, i. e. nemo dicens Iesum anathema bono spiritu loquitur.

*Prius* ponendum est *signum*, *deinde res significata*, q. d. ex hâc notâ colliges hoc.

Joh. 7: 4. *Nemo in occulto quid facit, & vult ipse propalam esse*, i.e. Qui vult propalam esse, sive innotescere, res suas non in occulto facit.

II. *Dantur in Scripturis propositiones æquipollentes, ubi tamen subjecti & prædicati fit μετάβολή.*

1 Joh. 5: 20. *Christus est verus DEUS*: æquipollet huic: 2 Cor. 5. v. 19. *DEUS erat in Christo.*

Joh. 14: 6. *Ego sum vita*. Joh. 1: 4. *In ipso vita erat.*

Luc. 11: 49. (conf. Matth. 23: 34.) *Christus est sapientia*. Col. 2: 3. *in Christo sunt omnes thesauri &c.*

1 Cor. 10: 16. *Panis communicatio Corporis Christi*: Huic æquipollet ista: *Corpus Christi, In, Cum, sub pane nobis communicatur*, vid. Meisn. Phil. S. part. 1. sect. 1. cap. 5. q. 7. p. 244.

III. *Copula in propositionibus ternariis sæpissimè abest.*

Luc. 22: 20. *Hic Calix* (est) *N.T. in meo sanguine.*

- - - - 21. *Veruntamen ecce manus tradentis meum* (est) *in mensâ.*

## IN SPECIEBUS PROPOSITIONUM

Observanda quæ sequuntur:

Gramm. 2. p. 467. a. I. *Negativæ propositiones sæpè negant non simpliciter, sed secundum quid, ac nonnunquam secundum eorum hypothesin vel cogitationem, ad quos dirigitur sermo*. Flac. p. 2. cl. p. 359.

Joh. 1: 21. Johannes *negat* se *Eliam* vel *Prophetam esse*, sc. talem (& eo modo Eliam) quem volebant, s. de quo quærebant Judæi.

Joh. 5: 22. *Pater non judicat quemquam*, ita sc. ut Judæi arbitrabantur, qui Patrem à Filio *separabant*; cum Pater non nisi per Filium in carne manifestatum omnia agat in hoc mundo.

Joh. 6: 38. *Non veni facere* &c. Item

- - 7: 16. *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me*. Neutrum *simpliciter* hîc asseritur, sed *ex hypothesi & sensu* eorum, qui ipsum à Patre separabant, quique putabant, ipsum *suam* facere *voluntatem*, & *suam quandam spargere doctrinam*, cum reverà *una* sit *Patris & ipsius voluntas ac doctrina.*

Joh. 9: 3. *Neque hic peccavit, neque parentes, hactenus*, sc. ut ab iis peccatis orta sit cœcitas.

Joh. 16: 26. *Non orabo Patrem pro vobis*. Hoc non *simpliciter* negat Christus, sese orare pro suis, sed solùm *taxat* cogitationes discipulorum, qui putabant *sufficere preces Christi, nec* conjungendas esse *preces proprias.*

II. *In certis quibusdam generibus negationum, ubi quid de unâ quadam re negatur, non mox diversum quid affirmatur, etiamsi talem quandam speciem præ se ferre videatur*. Non, inquam, in eis *quicquam ponitur*, sed tantùm *omnia negantur.*

Regula Nazianzeni in Conc. de filio: quam repetit Flac. part. 2 Clav. p. 37. Ut quando dico: *Christus non est traditus in mortem* propter *sua peccata, sed* propter *nostra*. Non ideò ponitur in Christo ullum fuisse peccatum. Sic.

1 Thess. 5: 9. *Non posuit nos DEUS in iram, sed in salutem*. Non valet, E. aliquos posuit in eam. Sicut nec illud:

1 Thess. 4: 7. *Non vocavit vos DEUS ad impuritatem, sed ad sanctificationem*. Non valet: Ergò DEUS aliquos vocat ad impuritatem.

Tit. 3: 5. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*. Non ponit ulla in nobis justa opera, quibus nostra salus tanquam causâ nitatur.

Matth. 12: 32. *Non remittetur ei, neque in hoc, neque in futuro seculo*. Non valet: Igitur alia peccata in futuro seculo remittuntur, cum simpliciter neget & nihil ponat. vid. Mar. 3: 29.

III. *Negatio semel posita, etiam in sequentibus membris est repetenda.*

IV. *Negatio potentius tollit, quàm affirmatio affirmat.*

V. *Negatio vel præposita, vel postposita signo universali non facit particularem propositionem.*

VI. *Sæpè duæ propositiones κατ' ἀντίθεσιν propositæ* (ut una affirmet, altera verò neget) intelli-

intelligi debent comparativè.

VII. *Contra quædam comparativè proposita* ἀντιθετικῶς *debent intelligi.*

VIII *Præcepta negativa & de negativis & de affirmativis intelligenda sunt:*

Exod. 20: 3. *Non erunt tibi Dii alieni coram me.*

- - - - 14. *Non adulterium committes.*

- - - - 15. *Non furaberis* &c. Sensus est: Non solùm illa *fugies*, sed etiam *facies* contraria.

IX. *Ab inclusiva ad exclusivam non V. C.* seu: Cum Scriptura de aliquo affirmat aut negat aliquid, non mox de aliis diversis aut contrariis diversum pronunciare censenda est. *Ratio est*: Potest enim fieri, ut idem prædicatum de diversissimis subjectis rectè prædicetur. Flac. part. 2, Clav. p. 358.

1 Cor. 5: 13. *Eos, qui foris sunt, DEUS judicabit.* Affirmat id de exteris, i. e. Ethnicis, non negat de iis, qui sunt intus. Affirmat de DEO, non negat de Magistratu.

1 Cor. 7: 1. *Bonum est mulierem non attingere.* Non debet ideò malum esse, mulierem attingere.

X. *Categorica interdum ponitur pro conditionali*: Id fit *tripliciter*:

1. *Quando in simplicibus DEI denunciationibus nonnunquam conditio intelligenda est.*

Gen. 20: 3. *Ecce tu morieris propter mulierem, quam accepisti;* sc. si non restitues: ut sequitur ℣. 7.

2 Reg. 20: 1. *Morieris tu, & non vives*, sc. nisi orando à DEO prorogationem impetraveris.

Jon. 3: 4. *Adhuc 40. dies, & Ninive subvertetur*, sc. si non egerit pœnitentiam.

Jud. 10: 13. *Non vobis amplius auxiliabor*, nisi sc. destiteritis ab idolol. & seriò ad me fueritis conversi.

2. *Quando Imperativus pro subjunctivo cum conjunctione, Si, accipitur.*

Alst. *Duæ propositiones Categoricæ per Conjunctionem copulativam connexæ, nonnunquam hypotheticè seu conditionaliter significant.*

Psal. 2: 8. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, i. e. si postulaveris.

Luc. 10: 28. *Hoc fac, & vives.* i. e. si hoc feceris, vives.

3. *Quando negativa particula pro Conditionali ponitur.*

XI. *Verba sunt intelligenda secundum subjectam materiam.* Seu, *Universaliter dicta sæpè ad speciem aut partem, cui propriè competunt, sunt restringenda. Exempla* partim *affirmantia*, partim *negantia* invenies superius.

Huc spectat ille Canon:

*Simpliciter dicta interdum secundum quid sunt intelligenda:*

Psal. 14: 1, 2, 3. Rom. 3: 10, 11, 12. *Non est justus, non est intelligens* &c. Intellige ex *seipsis & propriis* naturæ *viribus*: Quod verò quidam utiles aut justi extiterint, id non *naturæ*, sed *gratiæ* DEI adscribendum est.

Proverb. 26: 4. *Ne respondeas stulto secundum stultitiam suam.* v. 5. Responde stulto. Utrumque secundum quid intelligitur. Respondendum est stulto *ad ipsam rem*, non verò per *convitia.*

Matth. 6: 34. *Nolite soliciti esse de crastino*, sc. inordinatâ solicitudine.

1 Cor. 3: 7. *Neque qui rigat* &c. sc. ex seipso talis nihil est. Licet alioqui DEI gratia sit sapiens architectus. ℣. 10.

1 Tim. 1: 9. *Justis non est Lex posita*, sc. quoad condemnationem.

XII. Huc spectat regula specialior:

*Quod quædam laudentur & vituperentur non simpliciter & ἁπλῶς, sed κατά τι & secundum quid;* vel.

1. *Ob abusum & hominum talem opinionem de re aliquâ.*

*Esa.* 1: 11, 12, 13, 14. *rejicit* & vituperat *DEUS sacrificia Judæorum*;

*Non in se*, ipse enim ea mandavit sibi offerri: *sed propter malum hominum perversorum judicium.*

Esa. 58: 5. *Jejunium vituperatur*, non *simpliciter*, sed propter *abusum* & pravam hominum opinionem.

Luc. 16: 19. c. 17: 27, 28. *Vituperatur edere, bibere*, non *simpliciter*, sed propter pravum *abusum.*

Gal. 5: 2, 3. *Damnatur & rejicitur circumcisio*: non *in se* & simpliciter, sic enim est σφραγὶς δικαιοσύνης, Rom. 4: 11. sed *ob hypocritarum abusum*, qui illam ut necessariam ad salutem urgebant.

Phil. 3: 6, 7, 8. Paulus *sua B. O.* vocat *detrimenta, rejectamenta & stercora*, non *simpliciter*: sic enim sunt θυσία ζῶσα, εὐάρεσος τῷ Θεῷ Rom. 12: 1. & egregius fidei splendor, Gal. 5: 6. sed *ratione justificationis & salutis.*

2. *Ob aliquem respectum, circumstantiam aut conditionem.*

2 Sam. 6: 7. Improbatur *bonum Usæ factum*, imò propter illud Usa à DEO morte afficitur; quia sc. *præter mandatum DEI* suscipiebatur.

Jer. 35: 14. Laudantur *Rechabitæ* ob *religiosam observationem* traditionum paternarum:

 non

non quod *ipsæ traditiones* essent adeò præstantes, aut DEO acceptæ.

Luc. 16:8. Laudatur *villicus infidelis*: non *per se*, sed quia *astute* ac in *tempore* sibi prospexit.

3. *Quia sunt bonarum aut malarum rerum effectus utque signa.*

Laudantur sæpè aliqua aut vituperantur in S. Literis, non quod *suâ naturâ* bona malave sint, sed quia malarum aut bonarum rerum sunt *effectus* aut *signa*.

Talis est *commendatio jejunii* in Scripturis, quatenus sc. est *effectus* & *signum contriti animi*: quando verò non ex contrito corde est, DEO displicet & improbatur. Esa. 58:5. & alibi. Flac. part. 2. clav. p. 527. 2 Reg. 22:19. laudatur *laceratio vestium*. Item Luc. 18:13. *percussio pectoris*: quia ea sunt *signa intus* verè *fracti* & *pœnitentis* animi.

Jer. 36:24. Reprehenditur Rex Jojakim, *quod non laceraverit vestes* suas, cum audiret legi minas DEI in prophetiâ Jeremiæ. Hoc enim erat, *signum impœnitentiæ*.

Luc. 16:19. *Splendidus*, *vestitus* ac *victus*.

Luc. 17:27, 28. *Bibere*, *comedere*, *vendere*, *emere*, *nubere*, &c. improbatur, non quod illa *per se* mala sint, sed quod *nimium horum studium* sit certissimum securitatis & impœnitentiæ *signum*.

Hactenus de iis, quæ *propositiones separatim sumtas* concernunt: Sequitur earundem ἐν συγκρίσει consideratarum σκέψις.

Conferuntur autem partim in { ὁμοφωνία, Διαφωνία.

Ὁμοφωνία est, cum collatio instituitur inter propositiones *extra contrarietatem* vel *contradictionem* positas.

Διαφωνία est, cum collatio instituitur inter propositiones, quæ sibi invicem *contrariari videntur*.

## I. DE Ὁ'ΜΟΦΩΝΙΑ.

notentur hæc:

### I. Allusio.

*Quædam locutiones in S. literis sunt allusivæ*, seu: In quibusdam dictis contingit allusio, cum ad alienum dictum ita respicitur, ut & verba aliqua inde mutuò sumantur. Qui mos Scripturæ diligenter observ. est, ut sciamus, in talibus locis dicta non esse *prorsus ad verbum* accipienda, sed tantùm *quoad sensum*. Flac. part. 2. clav. pag. 289.

Matth. 5:22. *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicii*, &c. Alludit Christus ad pœnas Politicas occasione interpretatiuncularum Pharisaicarum, & intelligit pœnas æternas. Sensus igitur est: *Omnes isti sunt rei æterni exitii*.

Ibid. ℣. 19. *Qui solverit unum ex hisce minimis, minimus vocabitur*. Vocula *minimus* alludit ad *opinionem* Rabbinorum, quædam *præcepta* dicentium, esse *minima*. Sensus autem est: *Is reverâ nullus erit in cælis*, vel non ingredietur regnum coelorum.

Matth. 6:17. *Tu autem cum jejunas, unge* &c. *Alludit* ad *Pharisæorum* hypocriticas *deformationes* faciei in jejunio, ℣. 16. non planè id, quod dicitur ℣. 17. ad verbum urgens. Sensus igitur est: *Debetis procul à cultu isto hypocritico abesse*. Matth. 18:4. *Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est* Μείζων, *major* sive maximus *in R. C.* ubi vox *maximus* traditur ex *præcedenti quæstione* & *contentione Apostolorum*, ℣. 1. quærentium, *quisnam sit maximus in regno cælorum*. Sensus igitur est: *Is erit particeps regni cælorum*, nam omnes salvati non possunt simul esse maximi.

Matth. 23:25, 26. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi*, &c. *Videtur* hîc loqui de eo, quod est *intra poculum*, cum *propriè* loquatur de eo, quod est *intra cor* aut pectus eorum (quasi ipsos jam poculum abusivè vocando) quod est vocabulum ἀκρασίας sive intemperantiæ indicativum *Allusio* igitur hîc tantum est *ad lotionem* illam poculorum *Pharisaicam*. Et sensus est: *Mundate cor potius, quàm vasa externa*, Luc. 11:39.

Matth. 26:29. *Dico vobis: Non bibam à modo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei.* Alludit Christus ad præsentem actionem comestionis agni Paschalis & poculi valedictorii distributi, cum sensus sit: *Se non amplius corporali modo cum discipulis conversaturum*: seu, ut Luth. exponit: *Hic potus erit ultimum Valete hujus temporariæ vitæ*. Ad eandem ultimam Cœnam Paschalem fit allusio Luc. 22:29, 30.

Luc. 16:9. *Facite vobis amicos* &c. Alludit Christus ad præcedentem parabolam, v. 4. & sensus est: *Utimini ritè bonis corporalibus, pauperibus benefacite, ut per fidem* (quam ista benignitas demonstrat) *fiatis participes vitæ æternæ*.

Joh. 6:29. *Hoc est opus DEI, ut credatis* &c. Vocat fidem, *opus*, *alludendo* & respiciendo *ad præced. quæst. Judæorum*, v. 28. *quid faciemus?* &c. Estque quasi *tecta quædam antithesis*, dum Judæi volunt multa opera bona

DEO

)EO præstare, eumque veluti demereri ac bligare sibi: Christus contra jubet nos gratui DEI beneficia aut panem Cœlestem per dem precario mendicare.

Rom. 10:6. In *descriptione Justitiæ f.dei* mutatur Paulus verba Mosis & alludit ad ea, uibus ille promtam & paratam omnibus ye- m religionem esse testatur. Flac. Aliqui punt, hæc verba simpliciter citari, eoque sese Mosen & Paulum miserè excarnificant, dum s concordare conantur.

1 Cor. 11:24. *Hoc est corpus meum*, quod c. Alludit ad præsentem panis tractionem, Corpore Christi, eandem per Metaphoram cens.

## II. Vaticiniorum Completio.

*Vaticinia non semper implentur in personis istis, quas fiunt, sed in posteritate.*

Gen. 25:23. De Jacobo dicitur: *Major ser- minori*: Ipse tamen se nominat *servum E- i*, Gen. 33:5. *Idumæi* autem demum subje- fuerunt *posteris Jacobi* sub regno *Davidis*, am. 8:14.

Gen. 12:7. *Abrahamo promittitur terra Ca- m*, in quâ tamen fuit *peregrinus*, Gen. 20:1. redemerit etiam pretio partem terræ ad se- turam conjugis. cap 23:16. *impleta igitur hæc promissio in posteritate*. Gen. 9:25, 27. *naani maledicit: Japheto benedicit Noah*, quæ m in utriusque *posteris* complementum sor- sunt.

Chrysosto. Tom. 2. hom. 8. in Matth. *Au- o hunc esse Prophetiæ morem, ut multa sæpè liis dicantur quidem, sed in aliis impleantur, llud quod de Simeone & Levi dicitur: Di- ram eos in Israël. Hoc enim non ipsis, sed s etiam factum est, qui de illorum stirpe pro- runt. Et quod in Cham & Noa dictum est, abeonitis posteris ejus impletur.* Prophetia Scriptura dicitur & intelligitur impleri 4. s:

*Quando illud fit, quod Scriptura in loco ato propriè & simpliciter prædixit, & in- i vult*, ut cum Math. 1:23. Angelus di- *Mariam esse gravidam è Spiritu S.* sine ressu viri, ut impleretur illud Esa. 7. *Ec- go concipiet.* Ita vaticinium Mich. 5:2. etum est, cum nasceretur JESUS in lehem, Matth. c. 1:5, 6.

*Quando simile aliquid fit, quod habet co- onem cum re præteritâ*, ut de Rachel *plo- liberos suos*, Matth. 2:18. cap. 13:35. *am in parabolis os meum.*

*Quando Scriptura non de uno aliquo certo facto loquitur, sed tradit doctrinam generalem, illa rectè dicitur toties impleri, quoties & in quibuscunque illud fit, quod Scriptura dicit.* Sic Matth. 15:7. *Rectè de vobis prædixit Esaias: Appropinquat populus*, c. 29:13. Matth. 13:14. *Completur in illis Prophetia Esaiæ, auribus audietis, & non intelligetis.* Hæc enim Prophetia dicitur impleri etiam in aliis auditoribus & alio tempore. Joh. 12:40. Actor. 28:26. Rom. 11:8.

4. *Multæ scripturæ sententiæ loquuntur & de capite & de membris. Rectè igitur dicuntur impleri, quando accommodantur seu ad membra, s. ad caput.* Talis est sententia. Os. 11:1. *Ex Ægypto vocavi filium meum*; quod de membris sive populo DEI loquens dicitur de Christo impleri, Matth. 2:15.

Alii hunc ponunt *quadruplicem impletionis modum*:

1. *In sensu literali*; ita ut vaticinium de nulla alio intelligatur, quàm de illo, ad quem vel ad quod *applicatur* in N. T. ut Esa. 7:14. Matth. 1:23.

2. *In sensu typico*, ita ut vaticinium sive dictum contineat *typum*, qui in N. T. ad antitypum refertur.

Jon. 2:1. Matth. 12:39. Psal. 69:23. Joh. 19:28.

Exod. 12:46. Joh. 19:36. Gen. 25:23. Rom. 9:11, 12.

3. *In sensu analogico*, ut tunc dicatur compleri vaticinium, *quando simile* quid contingit. Jer. 31:15. *Vox in Rama audita est*, dicitur impleri in cæde infantium Bethlehemit. Matth. 2:17, 18.

4. *In sensu Mystico* propter spiritualem capitis *Christi* cum *membris* seu Corpore, nempe Ecclesiæ, *conjunctionem*, ut illud Hos. 11:1. Matth. 2:15. Sicut & ea, quæ Christo competunt, ad membra mystica applicantur.

III. Scripturæ locorum in V. T. in N. T. allegatio.

Apostoli & Euangelistæ frequenter è V. T. testimonia producunt.

1. Propter Christi ut Messiæ & Salvatoris personam & officium demonstrandum.

2. Propter utriusque testamenti & V. & N. autoritatem asserendam. Illius dum ad istud remittimur: hujus dum convenientia ejus cum veteri asseritur.

3. Ad obscuras V. T. tenebras luce Euangelicâ excutiendas & illustrandas. Luth. *N. T. est Sol, à quo Luna V. T. illustratur.* August. in c. 1. super Exod. q. 23. *In V. T. Novum latet; Vetus Test. in N. T. patet.*

4. Ad nos informandos, ut & de divinâ scriptorum V. T. auctoritate auguste sentiamus,

mus., & *ad legem testimoniumque* (ut vocatur Esa. 8: 20.) omnia nostra exigamus, & ex Scripturis omne fidei robur, omnemque consolationis rorem hauriamus. *In testimoniis, quæ ab Apostolis in Euangelio proponuntur, duo sunt studiosè cavenda:*

1. *Ut sibi quisque persuadeat lapsum illum memoriæ in Apostolis & Euangelistis nominandum non esse* (ut Erasm. in Matth. 2. & Canus l. l. 11. LL. CC. faciunt) *si quando aliter citent, quàm Hebræa veritas habet:* Nam uno vel minimo mendacio in Scripturis S. admisso tota illarum sacrosancta autoritas corruat necesse est.

2. *Ne Euangelistas vel Apostolos testimoniis Propheticis abusos fuisse, & quæ citant testimonia præsenti negotio minimè quadrare, quovis modo asseramus:* etsi in hanc sententiam aliqu. Hieron. propendere visus est in c. 2. Joel. circa fin.

*Testimonia & vaticinia V. T. in N. allegantur & producuntur, non semper secundum literam aut verba, sed sæpius duntaxat quoad sensum verbis paulisper immutatis.*

Esa. 1: 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis* שׂריד *reliquum* &c. Paulus Rom. 9: 19. habet σπέρμα, ut & LXX. Interpret.

Esa. 10: 22. *Si fuerit* עמך *populus tuus sicut arena maris, reliquum salvabitur,* Rom. 9: 27. Si fuerit ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ισραὴλ, sicut arena maris.

Es. 28: 16. *Qui credit* לא יחיש *non festinabit* sive non festinet. Rom. 9: 33. 1 Pet. 2: 6. ex LXX. ita allegatur; *Omnis, qui credit in eum*, ὀ καταισχυνθήσεται, & ὀ μὴ καταισχυνθῇ *non erubescet*, s. *non confundetur*.

Es. 64: 4. *Et à seculo non audiverunt, neque auribus perceperunt. Oculus non vidit, DEUS absque te, (quæ) faciet expectanti illum.*

1 Cor. 2: 9. *Quæ oculus non vidit,* &c. LXX. ita reddunt. *A seculo non audivimus, neque oculi nostri viderunt DEUM præter te & opera tua, quæ facies expectantibus misericordiam.*

Amos. 5: 26. *Migrare vos faciam trans Damascum.*

Act. 7: 43. *Transferam vos ultra Babylonem.* Nam qui trans Damascum ducti, ducti quoque sunt in Babylonem, & trans Babylonem, ut Hieron. in h. l. Amos ait. Vide libros parallelorum Fr. Junii.

Hieron. in Ep. 151. ad Algas. *Ubicunque de veteri Instrumento Euangelista & Apostoli testimonia protulerunt, diligentius observandum est, eos non verba secutos esse, sed sensum.* Idem ad Pammach. de opt. genere interpr. *Apostoli & Euang. aliqu. V. T. adducunt testimonia, ut sensum & verba non citent: & tamen sermonum veritas Spiritus unitate concordat; quamvis nec cum LXX. nec cum Hebræis verba conveniant.* August. de blasph. in Sp. S. *Nulla alia causa est, cum Euangelistæ & eadem non eodem modo dicunt, nisi ut inde discamus, res verbis, non rebus verba præponere.*

Flac. p. 2. Clav. p. 103. *Id nemini mirum aut temerarium videbitur, qui sibi persuaserit* (res ipsa evincit) *eundem Spiritum ore Euangelistarum locutum esse, qui aperuerit nobis Prophetarum munus fuisse, quid futurum esset prædicere: Euangelistarum verò quid sit factum, narrare. Itaque cum Spiritus DEI illorum oracula in N. T. non exscribat, sed interpretetur, minimè certè debuit itidem enumerandis vocabulis adstringi.* Chemnit. l. 2. harm. c. 17. *Quando in N. T. sententia aliqua ex V. T. allegatur, non tantùm verba illa, quæ allegantur, considerentur, sed inspiciatur totus locus, ut pars illa diligentius consideretur.*

Mich. 5: 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parum* (es) *ad essendum* (vel quia pervula es) *in millibus Juda. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël.* LXX. Καὶ σὺ οἶκος τοῦ Βηθλεὲμ τοῦ Εὐφραθὰ ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα, ἐκ σοῦ μοί ἐξελεύσεται τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ Ἰσραήλ.

Matth. 2: 6. *Et tu Bethlehem terra Juda neququam minima es in principibus Juda, ex te enim egredietur Dux, qui pascet populum meum Israël.*

Malach. 3: 1. *Ecce ego mitto Angelum meum,* Matth. 11: 10. ita allegatur: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui parabit* &c. Ante faciem tuam: mutavit Dominus in secundam personam, quò faceret Patrem cum Filio loquentem. Et voci viam, absolutè positæ addit Tuam, explicationis gratià.

Zach. 13: 7. *Percute* את *pastorem & dispergentur oves.* Matth. 26: 31. Scriptum est enim πατάξω *percutiam pastorem & dispergentur oves gregis.*

Solent quandoque sacri N. T. Scriptores in allegatione dictorum V. T. brevitatis & perspicuitatis gratiâ *prima* & *extrema* adducere, *media* verò resecare.

Matth. 21: 5. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus & sedens super asinam & pullum filiæ subjugalis.* Zach. 9: 9. in medio additur *justus & Salvator*, quod est omissum d. l.

1 Cor. 2: 16. *Quis enim cognovit sensum Domini, quis instruet eum?*

Esa. 40: 13. additur in medio, *aut quis vir consilii ejus*, (quis Consiliarius ejus faciet ipsum scire) quod d. l. omissum, extat autem Rom. 11: 34.

1 Cor. 14: 21. *In lege enim scriptum est: Quoniam in aliis linguis & labiis aliis loquar populo huic*

*huic ; & nec sic audient me , dicit Dominus*, Esa. 28: 11. Sic habentur: *In subsannationibus labii & in linguâ aliâ loquetur ad populum hunc*, ℣s. 32. *Cui dixit: hæc est requies mea, reficite lassum , & hoc est meum refrigerium; & noluerunt audire.* Media illa verba à Paulo sunt omissa.

1 Petr. 1:24,25. *Omnis caro , ut fœnum , aruit gramen & flos ejus decidit. Verbum DEI autem manet in æternum.* Esa. 40: 7. hæc interponuntur , quæ d. l. sunt omissa : *Quia Spiritus Domini inflat in ea: verè gramen est populus. Exaruit fœnum* sive gramen , *decidit flos.* Deinde sequitur: Et *verbum Domini stabit in æternum.*

E contrà in more habent Euangelistæ , ut interdum ex *duobus* allegatis testimoniis *unum* contexant.

Salmer. T. 1. p. 109. *Solent Sacri Scriptores proferre testimonium aliquod ex diversis Prophetarum locis compositum & coagmentatum.*

Marc. 1: 2, 3. *Sicut scriptum est in Prophetis: Ecce ego mitto* &c. ℣s. 3. *Vox clamantis in deserto , parate* &c. Prior pars extat Mal. 3: 1. posterior Esa. 40: 3.

Act. 1: 20. *Scriptum enim est in libro Psalm. Fiat commoratio ejus deserta , & non sit inhabitans in eâ. Et Episcopatum ejus accipiat alius.* Prior pars extat Ps. 69: 27. Posterior Ps. 109: 8.

Rom. 3: 10. seqq. diversa testimonia in unum coagmentantur; ℣s. 10, 11, 12. desumta sunt è Ps. 14. ℣s. 3, 13. è Ps. 5: 10, 14 è Ps. 140: 3, 15, 16, 17. ex Es. 59: 7, 8, 18. è Ps. 36: 2.

1 Pet. 2: 7. *Non credentibus autem lapis , quem reprobaverunt ædificantes , hic factus est in caput anguli , & lapis offensionis & petra scandali.* Prior pars extat Ps. 118: 22. posterior Es. 8: 14.

[a] Interdum Apostoli in N. T. quæ de Messiâ *apertè & ad literam* concionantur testimonia , solent *sibi ipsis applicare*, quia *quæ capitis sunt, corpori adaptantur.*

Act. 13: 47. *Sic enim præcepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium , ut sis in salutem usque ad extremum terræ.* Extat id testimonium Es. 49: 6. & literaliter de Christo loquitur.

Rom. 10: 15. *Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur ? sicut scriptum est : Quam speciosi* &c. Desumtum est ex Esa. 52: 7 Nah. 1: 15. ubi de Christo Prophetice usurpatur ; hinc in utroque loco singularis est מְבַשֵּׂר Euangelizans.

Sicut è contra , quæ de *membris mysticis* in V. T. agunt , ad *caput Christum* in N. T. *accommodantur* ; quale est illud Hos. 11: 1. Matth. 2: 15.

*Dicta V. T.* frequenter quidem in *sensu literali* : interdum tamen etiam *allegorico* in N. T. citantur & producuntur.

1 Cor. 9: 9. *In Mose enim scriptum est : Non obligabis os &c.* Id quod *allegoricè* ad ministrorum Ecclesiæ sustentationem accommodatur.

Gal. 4: 22. *Scriptum est enim : Quoniam Abraham duos filios habuit , unum de ancillâ , & unum de liberâ* , ℣s. 24. ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα. &c.

Interdum tantùm *allusione quâdam* dicta V. T. producuntur aut citantur.

Rom. 10: 6. Paulus *facilitatem justitiæ Euangelicæ* prædicat , sumtis verbis Mosis in Deuteronom. quæ tamen Moses non *de justitiâ* dicit , sed tantùm *de præsentiâ veræ doctrinæ*, quæ illis in promtu erat. Flac.

Solent Apostoli & Euangelistæ non solùm ex *Hebræis voluminibus* , sed & frequenter ex *LXX. Interpretibus* etiam, ubi ab Hebræo textu discedunt , testimonia Prophetica producere. Salm. T. 1. p. 111.

Hieron. in quæst. super Gen. 4: 46. *Illud generaliter observandum est , quod ubicunque sancti Apostoli aut Apostolici Viri loquantur ad populos , iis plerumque testimoniis utantur , quæ per translationem LXX. Interpret. jam fuerunt in gentibus divulgata.*

Flac. part. 2. Clav. p. 103. *In LXX. versione citanda notandum est , Apostolos in N T. non immeritò aliquid dedisse imbecillitati Christianorum , & communi consuetudini , quæ non aliter aliquoties dicta Scripturæ citaverint , quàm sicut jam dudum apud vulgus ex illâ versione innotuerant. Sic enim illi pusillis Christi lac præbentes , ac ad eorum captum sese accommodantes , loqui non sunt dedignati. Sic videmus etiam parentes aliquando cum infantibus balbutire.*

Nominatim de *Matthæo* testatur Hieron. in ipsius vitâ , quod ubicunque sive ex *personâ suâ* , sive ex personâ *Domini* Salvatoris veteris Scripturæ testimoniis utitur , non sequatur *LXX. Interpret.* autoritatem , sed *Hebraicam.*

[a] Sic & Hebr. 2: 2. Act. 4: 27.

Hactenus de *collatione propositionum* , quæ in ὁμοφωνίᾳ consistit , egimus : Restat ut de συγκρίσει earundem agamus , quæ in διαφωνίᾳ conspicitur. Agendum igitur de ἐναντιοφανείαις , quæ crebrò in Biblicis libris videntur obvenire.

*Canones* huic rei inservientes sunt partim *Generales* , partim *Speciales.*

GENE-

## GENERALES CANONES.

1. *Firmissimè tenendum, in Scripturis S. Canonicis nullam esse veram contradictionem.* Sunt enim illæ à DEO ipsomet immediatè inspiratæ, & virorum θεοπνεύςων manu ceu calamo Sp. S. exaratæ. *DEUS autem non est homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut mutetur.*

Chrysost. in Gen. hom. 1. *Nihil contrarium in Sanctis Scripturis continetur.*

August. q. 66. è *V.T. concordant Sacrosanctæ Scripturæ secundum ea, quæ revelata sunt, impossibile enim est discordare unius spiritus viros.*

Idem. l. 18. de C. D. cap. 41. *Mira est S. literarum concordia.* Flac. part. 2. Clav. p. 38. *Nulla omninò usque est vera contradictio Scripturarum, sicut Quintil. de legib. dicit: Sed quæ pugnare videntur nostra culpa ex ignorantiâ talia esse æstimantur, quia vel res vel sermonem non intelligimus, vel circumstantias non satis expendimus.*

2. *Qui igitur fideliter & integrè sacrorum voluminum colligit sensum, debet ostendere, quomodo ea, quæ videntur esse contraria, non sint verè contraria*, Orig. l. 3. in Epist. ad Rom. 3. Tit. 2.

3. De ἐναντιοφανείαις in *Euangelistarum* scriptis occurrentibus hæc tradit Crysost. in Com. super Math. p. 5. *Sed*, inquies, non est in *Euangelistis veritas, quia in multis inter se diversi inveniuntur ac dissoni: imò hoc ipsum maximum est testimonium veritatis. Si enim ex toto & in omnibus consonarent, & cum nimiâ diligentiâ ac curâ usque ad tempora & loca omnia, usque ad singula æqualiter verba concurrerent, nemo inimicus credidisset unquam, sed eos communi ad decipiendum consilio congregatos quasi ex humanâ quadam compositione Euangelium condidisse. Non enim simplicitatis fuisse tàm solicitam consonantiam judicarent. Nunc verò, quæ videtur ex rebus exiguis dissonantia, ab omni illos suspicione defendit, & satis clarè Scribentium existimationem tuetur.* Gerson (citante D. Chemnit. in præf. harm. cap. 1.) dicit, *potuisse Sp. S. sub uno eodemque penitus & verborum & ordinis contextu tradere gestorum verborumque Christi salutarem historiam, sed non sine magno mysterio placuisse ipsi, sub quâ concordissima* (si ita dici possit) *dissonantia, mentes fidelium excitare ad humiliorem & vigilantiorem veritatis investigationem, quò palàm fieret, quatuor Euangelistas non mutuâ conspiratione, sed divinâ inspiratione fuisse locutos.*

4. *Omnis Conciliatio locorum in eo potissimum sita est, ut monstretur, vel videri tantùm*, non autem *reverà esse contraria ea prædicata, quæ uni tribuantur*, (ad quod conducit imò necessaria est ὁμωνύμων & ambiguorum evolutio) vel *contraria prædicata eidem tribui diversâ ratione & diversis respectibus*, Flac. part. 1. p. 38. Gerh. de Interp. Script. §. 182. *Si qua videtur locis quibusdam inter se collatis intercedere contrarietas, doceatur oppositionem non esse ejusdem rei, sed nominis tantùm, vel non secundum idem, vel non eodem modo, vel non eodem tempore.*

De duarum Propositionum pugnâ vel oppositione judicandum est juxta leges legitimæ oppositionis. Leges istiusmodi sunt quatuor:

1. *Ut sit*, ἀυτὸ, h. e. *idem* in utraque propositione *subjectum* & *prædicatum* sine omni ambiguitate intellectum.

2. Ut sit oppositio κατὰ τὸ ἀυτὸ *secundum idem*, hoc est, *unam eandemque partem.*

3. Ut sit propositio πρὸς τὸ ἀυτὸ, *ad idem* i. e. *eodem respectu.*

4. At sit oppositiò ἐν ἀυτῷ χρόνῳ, *secundum idem tempus.* Non enim est legitima oppositio, si non fiat ἀυτὸ, idem subjectum, sed ἄλλο καὶ ἄλλο: si non fiat κατὰ τὸ ἀυτὸ, sed κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, secundum aliam atque aliam partem: Si non fiat πρός τὸ αὐτὸ, sed πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο, alio atque alio respectu: si denique non fiat ἐν ἀυτῷ χρόνῳ, sed ἐν ἄλλῳ καὶ ἄλλῳ, aliò atque alio tempore.

5. *Optima est conciliandi ratio, si potest ex Scripturâ quasi arbiter dari, videlicet tertius aliquis Scripturæ locus, qui locos pugnantes concordet, aut conciliationem à nobis allatam disertè comprobet.* Sic *renati* sunt *sub peccatum venundati*, Rom. 7:14. & *renatus peccatum non facit*, 1 Joh. 3:9.

Quomodo hæc conciliandа? Respondet Apostolus Rom. 7:22. *Condelector legi DEI, secundum interiorem hominem*, v. 23. *video autem aliam legem*, &c. Sic Legis & Euangelii doctrinæ dicuntur contrariæ, sed Apostolus se arbitrum constituit, Rom. 3:30. Gal. 3:21.

Sic videntur contradictoriæ propositiones: *Circumcisio est observanda* Gen. 17:14. *Circumcisio non est observanda*, Actor. 15:24. Christus se arbitrum constituit, Matth. 11:13. *Lex & prophetæ usque ad Johannem.*

6. *Ad conciliationem Scripturarum primò omnium necesse est, ut tùm sermonem, tùm & res dictorum pugnantium diligenter cognoscamus & examinemus. Sadducæi putabant pugnare dicta Prophetarum de resurrectione & vitâ æternâ, cum Mose præcipiente, ut frater relictus fratris mortui uxorem ducat & cum omnibus aliis mandatis de non possidendo alieno.* Id Christus ex ignorantiâ Scripturarum docet provenire. Matth. 22:29. *Judæi putabant, Doctrinam Pau-*

*li*

*si pugnare cum Mose & aliis Scripturis*, pollicentibus *stabilitatem & perpetuam istius populi ac cultus durationem*. Vide Rom. 9:6. f. Sed non considerabant illas promissiones esse conditionales, non etiam intelligebant, vocem עולם in promissionibus Mosaicis sæpè non significare *illimitatam æternitatem*, sed tantùm *longum* quandoque *tempus*. Summatim: Causa erat Scripturæ ignorantia, 2Cor. 3:14. Flac. part. 2 Clav. tract. 1. p. 38. *Ambiguitas & repugnantia, quæ videtur in S. literis, ex ipsius textus consequentibus & adjunctis tollenda est. Si autem Scripturæ repugnantia, quæ videtur in S. literis, pertractari & discuti non potest, saltem id intelligatur, quod fides sana præscribit.* Aliud est, quod potissimùm Scriptor senserit non dignoscere, aliud autem à regulâ pietatis errare: si utrumque vitetur, perfectè se habet fructus legentis, si vero utrumque vitari non potest, & nisi voluntas Scriptoris incerta sit, sanæ fidei congruam, non inutile est, tenuisse sententiam, August. l. 3. de doctrinâ Chr. cap. 2. de Genes. ad lit. l. 1. c. ult. & contra F. Manich. l. 9. cap. 6. & 7.

7. *Proximum deinceps est, ut antecedentia & consequentia dicta, totusque contextus probè in utroque loco consideretur.* Ea enim ostendunt vel sermonis non esse *eum sensum*, quem externa species præ se ferebat, vel *res* non esse *easdem* utrobique, seu *subjectum*, cui contraria tribuuntur, seu *prædicata*, quæ roti attribuuntur. Huc facit, quod Quintil. monet, *quod si diligenter legem consideraverimus, reperturi simus in ipsis verbis aliquid, quod antinomiam dissolvat, & mentem fuisse autoris aliam ostendat*.

8. *Denique circumstantiarum consideratio plurimum adjumenti huic rei affert.* Salm. T. 1. p. 113. *Pulchre dictum est, distingue tempora & concordabit Scriptura. Ita quoque dicendum: distingue personas vel causas, vel loca, vel voces ambiguas, & omnia conciliabuntur.* Et prudenter JCtus dixit: *Incivile esse, non perspectâ totâ lege judicare*: quia circumstantiæ & antecedentia & subsequentia magnum veritati præcipiendæ lumen ingerant.

Huc pertinet Cyrilli observatio hom. 2. in Joh. *Ante omnia, quando locum Scripturæ rectè intelligere volumus tria diligenter consideranda sunt. Tempus, quando scriptum est, quod dicitur, persona, quæ dixit, vel per quam, aut de quâ scribitur. Sic enim absque errore sensum poterimus verum investigare.*

De his Circumstantiis imposterum in specie agetur.

SPECIALES CANONES.
agunt de Conciliatione ἀντιοφανειῶν:

1. Ex *speciali circumstantiarum consideratione*.
2. Ex *ambiguitatum evolutione* emergentes.

1. *Circumstantiæ sunt* 1. *persona* (quæ loquitur, ad quam, de quâ, coram quâ, loquitur.) 2. *Occasio* (Consilium, finis.) 3. *Tempus*, 4 *Locus*, 5. *Modus*.

*De Circumstantiâ personæ*;
Ad eam pertinent Canones:

1. *Personæ in Scripturis sæpè sunt binomines.*
2. *Distinctæ personæ sæpè sunt uninomines.*
3. *Filiatio est vel naturalis vel legalis.* Illa fit *generatione*, hæc *adoptione*. Sic Lucas in descriptione Genealog. Christi sequitur ordinem naturalem: Matthæus legalem.
4. *De renatis pronunciantur diversa, quia duos quasi in se habent homines, veterem & novum.* *Sic renati dicuntur venundati sub peccatum*, Rom. 7:14 sc. ratione *veteris hominis*. *Renati peccatum non faciunt*, 1 Joh. 3:9. sc. ratione *novi hominis*.
5. *De Christo quædam dicuntur secundum divinam naturam, quædam secundum humanam, quædam secundum utramque.*
6. *Aliter Christus loquitur ad superbos & præfractos Pharisæos: aliter ad cupidos veritatis & contritos peccatores.* Flac. part. 2. p. 32.

*De Circumstantiâ Consilii, Finis & Occasionis.*
Huc pertinet ista regula:

*Intelligentia dictorum sumenda ex causis dicendi.* Hilar. l. 4. de Trinit. Sic Christus Matth. 19:21. Juveni in Scholâ Pharisæorum instituto & de perfectâ legis impletione falsò glorianti, proponit hoc *speciale præceptum*, ut omnia vendat ac pauperibus distribuat; atque hoc modo Christum sequatur. Nimirum voluit Christus hominem convincere, quod primum præceptum de DEO super omnia diligendo non impleverit.

Sic *territis & contritis* proponit Christus Euangelium, sed *Scribam* meritorum opinione turgidum *remittit* ad legem, Luc. 10:26.

Hujus circumstantiæ consideratio tantum monstrare potest, rectè esse utrumque à Paulo factum, & quod Timotheum propter imbecilles Christianos circumciderit; & quod

contra Titum circumcidere noluerit, ne vel ad horam cederet Judaizantibus & Seductoribus, atque veritas Euangelii tanto firmius puriusque remaneret apud Ecclesias. Prius extat Act. 16:3. posterius Gal. 2:3, 4.

## *De Circumstantiâ temporis.*

1. *Distingue tempora & concordabit Scriptura.* August. Serm. 16. de verb. Dom. Nonnunquam aliquid in S. literis ponitur, cujus usus in V. T. floruit, in N. T. exaruit. Sic Apostoli sub initium abrogationis ceremoniarum concesserunt, aut etiam præceperunt *abstinentiam à sanguine & suffocato*, Act. 15:10. quod nunc injungere Ecclesiis impium esset, & restitutionem Judaismi saperet. Sic in primâ illâ Ecclesiâ *multa fuêre miracula*, & DEUS illis credi voluit, quandoquidem Scriptura S. præsertim N. T. nondum apud omnes recepta fuit. Vid. Marc. 16:17. 2 Cor. 12:12. posteà prohibitum est *quærere miracula*, & insuper prædictum fuit, *Antichristum & Spiritus impostores* tales efficacias illusionum allaturos, 2 Thess. 2: 9, 11. vid. etiam Deut. 13:1.

2. *Quædam dicta agunt de tempore exinanitionis, quædam de tempore exaltationis Christi.*

3. *Tempus sumitur vel completè vel incompletè.*

4. *Temporis partes sumuntur vel inclusivè vel exclusivè.* Matth. 17:1. *Sexto vero post die assumit JESUS Petrum* &c. Luc. 9:28. *Factum est autem post hæc verba quasi dies octo.* Matthæus exclusivè ponit tantum *intermedios dies*, qui integri fluxerunt. Lucas *extremos* etiam dies *inclusivè* connumerat.

5. *More solito tanquam præterita narrantur, quæ futura prophetabantur, quoniam quæ ventura erant, jam in prædestinatione & præscientiâ DEI veluti facta erant, quia certa erunt.* August. l. 17. de C. D. c. 18.

6. *Scriptura more suo redit ad tempus, quod jam narratio illa transierat*; August. l. 16. de Civ. Dei, c. 15.

7. *Numerus finitus ponitur aliquando pro infinito.*

Septies in die cadit justus, Septies in die Psallam tibi.

8. *Divina Scriptura solet tempora ita nuncupare, ut quod de summâ perfectione numeri paululum excrescit aut infra est, non computetur.* August. q. 47. in Exod.

Sic Jud. 11:26. dicitur Israel *habitasse in Hesbon* 300. *annos*, cum tamen exacta computatio plures (nempe 305.) offerat. Conf. etiam Gen. 15:13. cum Gal. 3:17. Sic & vulgo dicuntur LXX. Græci Interpr. cum tamen sint LXXII. Jud. 20:46. Cæsi è Benjaminitis 25000. Hic 100. non computantur, ut apparet ex v. 35.

9. *Numero majori & pleniori annumeratur minor.*

Jud. 3:11. *Quiescebat terra omnis annis 40. cum mortuus est Othniel.* Sub hoc numero comprehenduntur omnes anni à morte Josuæ ad mortem Othnielis, & octo anni servitutis sub Syris.

Jud. 3:30. *Terra quievit* 80. *annis.* Hic ab Othnielis morte anni Ehud & Samgar simul connumerantur. Ehud enim 80. annis judex esse non potuit.

Jud. 11:26. *Habitavit Israël in Hesbon & Aroer* 300. *annos.* Ubi annis 300. includuntur anni moræ in deserto.

10. *In supputationibus interregnorum aliquando vocationis anni computantur ad annos eorum qui sequuntur.*

1 Reg. 16:23. *Anno 31. Asa Regis Juda regnavit Amri super Israël* 12. *annos.* Ibid. v. 29. *Ahab filius Amri regnavit super Israël, nempe post mortem patris anno* 38. *Asa Regis Juda.* Hic Amri tribuuntur 8. tantum anni. Conciliatio: Duodecim illi anni complectuntur interregnum præcedens annorum 4. una cum 8. illis, quibus gubernacula ipse obtinuit. Et de his 8. sine interregno connumerato agit v. 29.

11. *In supputationibus sacris propter impietatem Principis vel nomen ejus, vel numerus annorum, quibus malè administravit, omittuntur, quia illud ejus malum regimen fuerit quasi anarchia quædam.*

1 Sam. 13:1. *Saul duobus annis regnavit super Israël*, subaudi *legitime*, vel, ut inquit Lyra, *de jure.*

Math. 1:8. *Joram genuit Hosiam.* Hic propter impietatem tres omittuntur, Achasias, Joas, Amasias.

2 Reg. 8:17. *Joram dicitur fuisse* 32. *annorum: cum regnare cœpit, & regnasse* 8. *annos.* Hic textus loquitur de administratione legitimâ. Sed ex 2 Chron 22. ℣. 1. & 2 Reg. 8. Collatione facta cum ætate Ahasiæ colligitur, annos 20. prætermitti, quibus insuper regnavit, sed impiè.

12. *Rex vel externo bello vel senio, vel morbo impeditus si ProRegem filium vivus constituat; tùm in supputationibus annorum Patris & filii simul regnantium anni regiminis aliquando conjunctim, aliquando separatim sumuntur.*

Hujus regulæ usus est in colligendis Regum Israëliticorum annis.

2 Reg.

3 Reg. 1: 17. *Mortuus est Achasias, & regnavit Joram pro eo anno secundo, Joram filii Josaphat Regis Juda.*

2 Reg. 3: 1. *Joram filius Achab, regnavit anno* 18. *Josaphat*, cap. 8: 16. *Anno* 5. *Joram filii Achab regnare cœpit Joram filius Josaphat: & 8. annis regnavit.*

Conciliatio: Josaphat anno regni 17. constituens regi Achab contra Syros auxilium ferre, Joram filium designat ProRegem. Anno 18. regni sui & filii secundo regnavit Joram filius Achab. Posteà quinto anno hujus Joram filii Achab Josaphat senio confectus, filio suo Joram regnum confirmat, qui dicitur 8. annos regnâsse: quatuor vivente adhuc patre, & 4. solus jam mortuo patre.

Alii ita enumerant; *In supputationibus annorum patris & filii simul administrantium, nonnunquam de communi administratione, nonnunquam de propriâ textus loquitur.*

2 Reg. 15: 30. *Hosea filius Ela percussit Remaliam, ita ut morte afficeret eum, & regnavit pro eo anno* 20. *Jotham filii Usia.*

2 Reg. 15: 33. *Jotham filius Usia natus* 25. *annos erat, cum regnare inciperet, & 16. annos regnavit Hierosolymis.*

Conciliatio: Sedecim annos regnavit solus mortuo patre; regnavit 20. cum Patre, quia vitâ Patris leprosi administrationem iniit, 2 Reg. 15: 5.


13. *Horarum apud Orientales diversa fuit distributio ac distinctio.*

Sic, quod Marc. 15: 25 dicitur, *erat hora tertia, quando crucifixerunt JESUM*, & Joh. 19: 14. *Erat hora quasi sexta, tunc dicit Judais: Ecce Rex vester* &c. id variis modis conciliant. Quidam agnoscunt vitium Græci Scriptoris, qui pro ς pinxerit γ. Quidam distinguunt inter actionis *initium & complementum.* Aug. *Judæi crucifixerunt Christum horâ tertiâ linguâ, horâ 6. milites manibus.* Simplicissima conciliatio videtur esse, quod Orientales variè distinxerint diem artificialem, tum in *horas aquales*, 12. vulgò planetarias; tum etiam in *quadrantes*, (sicut noctem in 4. vigilias) qui ab horâ proximè præcedente denominantur. vid. harm. D. Gerh. de pass.

*Schema distinctionis horarum apud Orientales; ex Alsted. precogn. pag.* 261.

*Orientales distinguebant diem in horas aquales* 12. *quas vulgò dicimus, planetarias, & in* 4. *quadrantes, quos ab horâ proximè præcedenti denominabant. Horas illas* 12. *nominabant minores; quadrantes istos vocant majores.*

Typus hic esto:




Marcus loquitur de hora majori, Johannes de minori.

## De Circumstantiâ Loci.

1. *Urbibus in Scripturâ sæpe duo tribuuntur nomina.* Sic Jerusalem, & Sam unam denotat Urbem.

2. *Distinctis locis sæpe unum tribuitur nomen.* Sic Cana fuit duplex. Sucoth nomen trium locorum, Exod. 12: 37. Jos. 13: 27. 1 Reg. 7: 46.

3. *Scriptores sacri sæpe locum denominant eâ appellatione, quæ fuit usitata eo, quo ipsi vixerunt & scripserunt tempore.*

## De Circumstantiâ Modi.

1. *Quædam dicuntur ἁπλῶς, quædam κατά τι*, vid. sup.

2. *Quædam simpliciter, quædam comparatè. Parentes sunt honorandi*, Exod. 20: 12. & tamen certo respectu sunt *odio habendi*, Luc. 14: 26. id est, autoritas ipsorum est postponenda, si quid contra Patrem cœlestem jubeant.

3. *Dicta specialia derogant generalibus;* sicut & JCti dicunt: *In toto Jure generi derogatur per speciem.*

4. *Moralia præferuntur Ceremonialibus.*

5. *Secunda Legis tabula cedit primæ.*

6. *Quædam loquuntur de rei naturâ per se, quædam vero intelliguntur dicta per accidens.* Sic Christus dicit, *se venisse, non ut pacem mitteret, sed gladium.* vid. Luc. 12: 51. nimirum, quia Satan & impii excitant persecutiones contra Christi doctrinam. Per se autem dicitur, quando idem inquit, *pacem meam do vobis*, Joh. 14: 27.

## II. DE AMBIGUIS seu HOMONYMIS.

Ambiguitas sermonis valdè multas contradictiones apparentes parit, ubi in alterâ contradictoriarum eædem voces aliter accipiuntur, quàm in alterâ. Ambigua igitur evolvenda, & cadet contradictionis species.

Marc. 12: 41. *Divites dicuntur misisse in gazophylacium multa munera, vidua autem parum.* Et mox contradicit Christus ℣f. 43. *illam misisse plus omnibus illis.* Ubi in vocabulo *multum* est ambiguitas. Prius enim multum & parum sumuntur *simpliciter*: posterius *correlative* ad dantium vires & opes.

*DEUS dicitur futurus DEUS Abrahæ & seminis ejus, ipsumque populum dilecturus & beaturus perpetuo*, Gen. 17. Huic contrariari videtur, quòd Prophetæ & Apostoli dicebant, *DEUM esse rejecturum Israëlitas & Judæos, semen Abrahæ.* Sed concordat Paulus in Ep. Rom. c. 4: 9, 11. & Gal. 4. evolutione homonymias in voculâ *Seminis*. 1. *Semen Abrahæ servabitur*, id est, aliquæ parvæ reliquiæ ex posteris, quæ erunt per gratiam electæ. Rom. 11: 2, 4, 5, 6. Rom. 9: 27, 29. 2. Dicit *servabuntur sane posteri Abrahæ, si Messiam & ejus justitiam fuerint amplexi*, sed illi *justitiam legis* sectantes, justitiæ DEI non sunt subjecti &c. Stat igitur nihilominus promissio DEI, Rom. 9: 31, 32. c. 10: 2, 3. & 21. 3. ast servabitur *semen* Abrahæ sc. *spirituale* aut per promissionem, non quod *carnaliter* tantum semen est sive ex Abrahamo & ejus posteritate natum, Rom. 9: 6, 7, 8, 9. Gal. 3: 29. 4. Servabitur *semen* Abrahæ, quia adhuc *aliquando Israëlitæ convertentur.* Rom. 11: 25. f. Ita Apostolus multipliciter hanc contradictionem conciliat. Rom. 1: 3. *Filius DEI est ex semine David secundum carnem.* At 2 Cor. 5: 16. dicit idem Paulus: Et *si noveramus secundum carnem* &c. Ex homonymias evolutione conciliatio sequitur. In priori loco per carnem humana natura, in posteriori *corruptio mortalitasque* carnis intelligitur. Noveramus E. Christum secundum carnem, id est, carnis mortalitatem, antequam resurgeret, sed nunc non novimus, quia, sicut idem dicit Apostolus, Christus resurgens à mortuis jam non moritur amplius, mors ei ultra non dominabitur. August.

## CAPUT III.

## DE METHODI seu ORDINIS DOCTRINA.

IN sacris literis crebra est perturbatio verborum, sententiarum & rerum, quam uno verbo vocamus

*Hysterologiam.*

Contingit ea

1. In *sermone continuo.*
2. In *sermone distincto & disrupto.*

Quæ in *sermone continuo* perspicitur *Hysterologia* sive σύγχυσις, versatur

vel in *vocibus simplicibus*,
vel in *vocibus complexis*,
vel in *tota oratione.*

I. Ad σύγχυσιν in *vocibus simplicibus* occurrentem pertinet.

I. *Hypallage*: de quâ in Rhet. S.
II. *Aliarum vocum transpositio.*

Exod. 5: 16. *Palea non datur servis tuis, & lateres dicunt nobis facite.*

Jer. 14: 1. *Quod fuit verbum ad Jerem.* id est verbum, quod fuit ad &c.

Esa. 23: 12. *Ad Chitim surge transeas*: i. e. surge transeas in Chitim, i. e. in Græciam, vel Italiam.

1 Sam. 22. ult. *Qui quæret animam meam, quæret & tuam.* i. e. qui quærit animam tuam, quæret etiam meam, sensus enim est: Qui insidiatur tibi, eundem vindicabo ac si mihimet ipsi insidiaretur.

1 Cor. 12: 3. *Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi* &c. i. e. nemo potest dicere Jesum Dominum, sc. esse.

II. Ad σύγχυσιν in *complexis vocibus* pertinet

1. *Subjecti & prædicati μεταβολὴ*, vid. supra.
2. *Aliarum vocum conjunctarum μετάθεσις.*

Exod. 22: 20. *Qui immolaverit Diis, occidetur, præterquam Domino soli.*

Psal. 7: 15. *Ecce parturit iniquitatem, & concepit dolorem & peperit mendacium.* Prius parturitio ponitur, quàm conceptio. Sensus autem est, impios concipere, i. e. cogitare & parturire i. e. conari injusta & noxia, & denique irritum fieri ipsorum conatum.

Gen. 15: 13. *Peregrinum semen tuum erit in terrâ non suâ, & in servitutem redigent eos & nocebunt 400. annis.* August. q. 47. super Exod. *Redigendi sunt isti 400. anni non ad servitutem, tanquam per tot annos servitute pressi fuissent, sed ad id, quod dictum est, peregrinum erit semen tuum in terrâ non propriâ: quia sive in terrâ Canaan, s. in Ægypto peregrinum erat illud semen, antequam hæreditate sumerent terram ex promisso DEI.*

III. Συγχύσεως sive ὑστερολογίας *totius Orationis* in *sermone continuo* non minus obvia sunt crebro exempla. *

* Rivius Can. 109. *Hæc recapitulatio adeò frequens in S. literis occurrit, ut ad manum & innumerato semper sit habenda sacrarum literarum Studiosis, alioqui falli eos, atque fallere crebrò, necesse est.*

Gregor. 5. moral. c. 29. *Mos est divinarum literarum, ut, cum aliquid narrant, interpositâ alterius causa sententia ad superiora protinus redeant.*

Gen. 6: 14, 15, 16, 17. Prius narratur de *conficiendâ arcâ*, quàm de *immittendo diluvio*. Cum de diluvio narratio debuisset præcedere, ut Noa scire posset, quâ ex causâ deberet arca construi.

Jos. 2: 15, 16. prius narratur *exploratores* fune *demissos* per fenestram: postea *colloquium eorum & meretricis* pertexitur: quod verisimile est, prius in ædibus fuisse habitum, alioqui res facilè prodi potuisset, si ex fenestrâ clamâsset.

1 Sam. 6: 14, 15. *Conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino. Levitæ autem deposuerunt arcam Domini.* Primum oportuit arcam deponi de curru, posteà currum conscindi in ligna, & superimponi lignis vaccas in sacrificium Domino.

Matth. 26: 29. Itidem talis hysterologia occurrit, verba enim illa de *Calice* non *Eucharistico*, sed *vulgari valedictorio* loquentia (*Dico autem vobis, quod non bibam* &c.) ante S. Cœnæ institutionem pertinent, ut ostendit Lucas cap. 22: 17, 18, 19. Ibid. v. 21, 22, 23. Manifestationem proditoris, (quæ ante institutionem Cœnæ ponitur) Lucas ostendit, post Cœnam esse factam, c. 22: 21. Cujus ordinem comprobat Joh. 13: 30. Marc. 14: 23, 24. narratur prius bibitio Apostolorum è Calice benedicto, antequam verba Christi διαταντικὰ enarrentur. Hæc autem præcedere debere, demonstrat Matth. 26: 27. Luc. 22: 20. 1 Cor. 11: 25.

Luc. 4: 5, 9. *Transponuntur* tentationes Diaboli, quibus Salvatorem infestavit, quas recto ordine proponit Matth. c. 4: 5, 8. ut ostendunt particulæ τάξιν innuentes.

Rom. 13: 9. In enumeratione præceptorum legis moralis *sextum præceptum* præponitur quinto.

1 Tim. 5: 23, 24. Prius interserit Apostolus præceptum privatum de bibendo modico vini, posteà ad rationem redit illius quod v. 22. dixerat. Apoc. 20: 12, 13, 14. Joh. 7: 32, 44.

In *sermone discontinuo & disjuncto* obveniens hysterologia aliàs vocatur *Prolepsis & Anticipatio*. Est ea, *cum posteriori tempore gesta prioribus admiscentur*, vel *cum nomina posteà demùm locis imposita in prioribus historiis usurpantur*, Flac. part. 2. Clav. p. 393.

*Divinæ Scripturæ mos est aliqua per anticipationem narrare, ut sc. antequam facta fuerint, quodammodo & perfunctoriè narrentur, ut posteà suo ordine res quæque gesta latius describatur.* Hæc una regula est ex septem Ticonii, apud August. l. 16. de C. D. c. 15. qui ita hanc regulam proponit: *Scriptura more suo redit ad tempus, quod jam narratio illa transierat*, quam regulam exemplis ibi declarat. Conf. de hoc Ticonio ejusque regulis, Augustin l. 3. de doctr. Christ. c. 30.

*Versatur igitur partim circa res gestas, primum circa nomina.*

Exempla *rerum gestarum.*

Gen. 10: 5, 31. Varietatis linguarum fit mentio, quæ tamen *post turris Babylonicæ exstructionem* demum contigit, ut videre est Gen. 11: 7, 8, 9. Gen 11: 31. Per anticipationem narratur *habitatio Abrahæ* in *Haram*, & *obitus patris Thare*, cum tamen cap. 12: 1. vocatio Abrahæ ex Ur Chaldæorum demum describatur, quæ facta est ante ingressum in Haran, ut testatur Stephanus Act. 7: 2.

Exod. 10: 28, 29. προληπτικῶς narratur *egressus Mosis* à *Pharaone*, cujus occasio narratur c. 11: 4. Conf. v. 8.

Gen. 5: 32. c. 6: 1. ubi prima *generatio* 20. annis posterior est sententiâ DEI de diluvio immittendo, & tamen anteponitur, vid. Lyram, & Dn. Helvici in Chronol.

Luc. 3: 19. *Johannis incarceratio* narratur ante *Baptismum Christi* à Johanne administratum, quæ captivitas, postquam Christus ministerium suum ingressus fuit, secuta est, Matth. 4: 12.

Joh. 11: 2. *Unctionis* Christi à Mariâ ipsi præstitæ fit mentio, cujus integra narratio sequitur, cap. 12: 3. seq.

*Est & hysterologias species, quando res ante hac facta posteà demum post aliarum rerum enumerationem recensentur*; id vel fit *rebus illis* anteà etiam narratis, per quandam ἀνακεφαλαίωσιν, vel *sine tali ἀνακεφαλαιώσει.*

Jud. 1: 8. & seq. denuò narrantur ea, quæ Josuæ temporibus contigerant. vid. Jos. 15: 63. Esa. 38: 22. Hiskia autem dicebat: *Quale signum hoc, quod in domum Domini debeo ingredi?* videtur hic versus ponendus esse ante ℣. 7. Conf. 2 Reg. 20: 8. Joh. 18: 24. *Misit eum Hannas vinctum* ad Caipham Sacerdotem summum, videtur hic versus pertinere ad

℣ſ. 13. August. in Pſ. 77. *Scriptura S. aliquid dicit in quibusdam locis, quod in illa re gestâ, quam videtur commemorare, non invenitur*, ſic multa in Pſ. 77. (78. ℣ſ. 44. ſ.) de plagis illatis Ægyptiis dicuntur, quæ omninò accidiſſe non legimus.

*Exempla nominum.*

Gen. 12: 8. *Bethelis* fit mentio *tempore Abrahami*, quod nomen loco datum *tempore Jacobi*, Gen. 28: 19. ante enim ipſi nomen erat Lus. Gen. 14: 2. Mentio fit urbis *Zoar* (aliàs Bela) quæ hoc nomen accepit poſt aliquod tempus, vid. Gen. 19: 23. Gen. 21: 14. *Berſaba* nominatur, quod nomen poſteà loco impoſitum fuiſſe docet ℣ſ. 31. Num. 13: 24. Et venerunt uſque ad *torrentem Eſcol.* Qui tamen nomen hoc demum ab hoc botro accepit, ℣ſ. 25. Jud. 15: 9. *Lebi* fit mentio, qui locus poſtmodum ab eventu ſic vocatus eſt, ℣ſ. 17. Num. 14. v. ult. *Horma* fit mentio, quo nomine locus poſteà demum inſignitus, vid. Num. 21: 3.

Hieron. in pluribus locis S. Scripturæ interpretes nonnunquam per *prolepſin*, id eſt, *anticipationem* loca quædam aliis nominibus vocant, quæ in ſacris literis habeantur. Et in Ezech. 30. (℣ſ. 14, 15, 16.) *Faciam judicia in Alexandria. Priſtinum*, inquit, *nomen Alexandria habet No, quod Aquila, Symmachus & Theodotio ſicut in Hebræo poſitum eſt tranſtulerunt, pro quo, neſcio quid volentes LXX. dixerunt Dioſpolim, quæ Ægypti parva civitas eſt. Nos autem pro No Alexandriam poſuimus per anticipationem, quæ Græce prolepſis appellatur juxta illud Virgilianum: Lavinaque venit Littora: non quod eo tempore, quo Æneas venit in Latium, Lavina dicerentur, ſed quæ poſteà Lavinia nuncupata ſunt, ut manifeſtior locus fieret lectoris intelligentiæ.*

Ad *nominum* illam *Anticipationem* non incommodè referimus, *quando nomina rebus impoſita manent etiam ceſſante qualitate, nomine & relatione, ob quam ſunt impoſita*; & contra, *quando nomina dantur & rei competunt ante rem ipſam, ob quam iſta nomina imponuntur.*

Alii ita Canonem proponunt:

*In S. literis res nonnunquam denominantur à termino à quo, & tamen intelligendæ ſunt de termino ad quem, & contra.*

Exempla Prioris:

Salmer. T. 1. p. 205. *Mutatis rebus nomina priſtina illarum quandoque aſſervantur.* Hieron. in Matth. 26. ſub init. *Aliquando in Scriptura mutata re priſtinum nomen manet.* Joſ. 6: 22. *Rahab vocatur meretrix*, & tamen *fide ſuſcepiſſe* dicitur latrones, Hebr. 11: 31. Eſa. 43: 20. *Benedicent me beſtiæ agri*, id eſt, gentiles, qui jumenta erant olim, licet nunc jumenta eſſe deſierint. Ita Hieron. in c. 38. Job. Tom. 7. Matth. 11: 5. *Cœci vident, claudi ambulant*, id eſt, qui olim erant cœci & claudi. Alioqui cœci non viderunt. Matth. 26: 6. *Simon Leproſus*, id eſt, qui olim fuit leproſus; permanſit priſtinum nomen, ut virtus curantis appareat. Chryſ. Matth. 27: 53. *Venerunt in ſanctam Civitatem*, id eſt, quæ olim fuerat, jam verò nihil minus quàm ſancta erat. Rom. 4: 5. *Deus juſtificat impium*, ſc. materialiter, non formaliter, non quod adhuc ſit impius, ſed quod talis fuerit, Rom. 11: 13. *Converſi ex gentibus* dicuntur *gentes* ad differentiam *Judæorum.* 1 Cor. 15: 5. *Apoſtoli* vocantur *Duodecim*, cum tunc eſſent undecim, quia ſc. duodecim olim erant. Poteſt tamen hic etiam ad *divinam ordinationem* reſpectus haberi, quæ duodecim illam voluit redintegrare.

Exempla Poſterioris.

*Denominatio rei ſæpe à futuro eventu petitur. Filii Aaronis* vocantur *Sacerdotes*, non *qui tales erant*, ſed quia *tales futuri* erant, ut obſervat Auguſt. Exod. 19: 24.

Gen. 1: 1. *In principio creavit DEUS cœlum & terram*, *chaos* illud vocatur *cœlum* & *terra*, quia fuit in *potentiâ* cœlum & terra, ℣ſ. 8, 9, 10. demum illa nomina imponuntur. Gen. 3: 20. *Adam conjugem ſuam vocat Evam*, eò quod *futura* eſſet mater omnium viventium. Gen. 29: 34. *Filium ſuum Lea vocat Levi*, quià *ſperabat* maritum ſibi ob trium filiorum partum arctiore amore copulatum iri. Gen. 30: 13. *Filium ancillæ vocat Aſer*, quia ab omnibus mulieribus ob πολυτεκνίαν ſeſe benedicendam *ſperabat.* Marc. 3: 17. *Chriſtus Jacobum & Johannem Boanerges*, id eſt, filios tonitrui vocat, quia in miniſterio ſuo tales quondam *futuri* erant. Sic & *Sponſa* vocatur *Uxor* Gen. 29: 21. Deut. 22: 24. Matth. 1: 20. non quod inter ſponſam & uxorem nulla ſit differentia, ſed quia eſt *uxor ſperata, pacta, promiſſa, & futura.* Sic & ipſum matrimonii nomen à ſperato eventu eſt petitum, quia ſc. mater expectatur, cum quâ conjugii jura contrahuntur, vid. D. Gerh. T. 7. de matrim. §. 168.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA!

# INDICES

## NOVI ac LOCUPLETIORES

SUPER OMNES

# PHILOLOGIÆ SACRÆ

LIBROS,

EXHIBENTES

I. DICTA SCRIPTURÆ SACRÆ, cùm *explicata*, tum *vindicata*.

II. RES & VERBA PRÆCIPUA, eaque cùm *Philologica*, tum *Theologica*.

III. VOCES HEBRAICAS.

IV. VOCES GRÆCAS, earumque *significationes* & *emphases*.

# INDEX I.
## LOCORUM SCRIPTURÆ.

Numeri *ante citata Biblica dicta* majusculi, *cujusque libri* caput; minusculi versum capitis *designant.*

Post dicta Scripturæ appositi numeri, hujus novissimæ Editionis paginam, literæ vero a. b. cujuslibet paginæ columnam, ut vulgo dicitur, indicant.

## *VETUS TESTAMENTUM.*

### *GENESIS.*

Loco

7. &

 30. cum

*EXODUS.*

10. fa-

*LEVITICUS.*

48. ſer-

## JOSUA.



## JUDICES.

## RUTH.

I. SAMUELIS.

## II. SAMUELIS.

## I. REGUM.

## II. REGUM.

## I. PARALIPOM.

## II. PARALIPOM.



## EZRA.

PSALMI.

5. &

32. car-

CXII.

*COHELETH.*



*CANTICUM CANTICORUM.*

## ESAIAS.



6. aut

3. &

## *JEREMIAS.*



18. con-

## THRENI JEREMIÆ.

30. in

## DANIEL.



14 22.

## J O E L.



## A M O S.

## OBADIA.



## JONAS.



## MICHA.



## NAHUM.



## HABACUC.

*ZEPHANIAS.*



*HAGGAI.*



*ZACHARIAS.*

# *NOVUM TESTAMENTUM.*

*MATTHÆUS.*

41. qui

11. Elias

36. Gethse-

## *LUCAS.*



26. Ga-

35. omnia

ut

44. fa-

### EPISTOLÆ PAULI ad ROMANOS.

XVI. 4. Sa-

## I. ad CORINTHIOS.

## II. ad CORINTHIOS.



IV. 10.

## ad GALATAS.



## ad EPHESIOS.

## ad PHILIPPENSES.



## ad COLOSSENSES.

15. Rex

## II. ad TIMOTH.



## ad TITUM.



## ad PHILEMONEM.



## I. PETRI.



## II. PETRI.

## *EPIST. JACOBI.*



## *EPIST. JUDÆ.*



## *APOCALYPSIS.*

# INDEX II.

## RERUM & VERBORUM ALPHABETICUS.

### A.



5. rei

Aqua

Au,

Cas-

 *pro*

Can-

## D.



Deo

Enalla-

Fla-

## G.

## H.



He-

## K.



## L.



Levi

## M.

Matte-

N.



Neu-

## O.

Pho-

pers.

## Q.



## R.



quoad

## S.

quodam

Sermo-

Specia-

T.



fluens

## V.



Ve-

W.



Y.



Z.

# INDEX III.

sistens

## *VOCES HEBRAICAS,*

quarum partim SIGNIFICATIO, partim EMPHASIS in hoc opere traditur.



ב proe-

### ב.



### ג



### ד



### ה

ק.



ר.



ש.



ת.

# INDEX IV.

## VOCUM GRÆCARUM,

### earumque tum SIGNIFICATIO tum EMPHASIS.

A.



B



Γ



Δ



E.

## H



## Θ



## I



## K



## Λ



## M



## N



νικᾶς

# SOLI DEO GLORIA.

# ERRATA.

Pag. 24. §. 16. *l.* Job 32: 3.
p. 33. *a. lin.* 14. *l.* Joh.
p. 147. *a. l.* 22. *l.* Esai 45.
p. 150. *b. num.* 5. *l.* Marc. 7: 34.
p. 188. *b. lin.* 26. *l* Gen. 24: 3.
p. 195. *b. lin.* 17. *adde* Num. 10. v. 35.
p. 230. *b. lin.* 18. *l. quoad.*
p. 235. *a. lin.* 31. *pro omnium, lege* nominum.
p. 236. *a. in margine lit.* c. *l.* Prov. 1.
p. 240. *b. linea* 9. *à fine lege* gnarus linguæ.
p. 243. *b. lin.* 2. *à fine lege.* Jerem. 49.
p. 251. *b. linea* 19. *à fine lege.* Num. 5. ℣. 12.
p. 253. *b. linea* 2. *à fine lege.* Jer. 22: 3.
p. 256. *b. lin.* 10. l. laudate.
p. 257. *a. linea* 5. *à fine* l. præsentiæ.
p. 262. *a lin.* 30 *l.* v. 25.
p 275. *a. lin.* 16. *l.* Apoc. 13: 12.
p. 286. *b. lin.* 8. *l.* Matth. 27: 44.
p. 291. *b. à fine lin.* 12. *l.* Psal.
p. 292. *a. lin.* 17. *l.* Luc. 6: 12.
p. 293. *b. à fine lin.* 8. *l.* præpositione.
p. 298. *b. à fine lin* 6 *l.* Prov 18: 24.
p. 299. *b. à fine lin.* 16. *l.* Jud. 12.
p. 304. *b. lin.* 15. *l.* v. 16.
p. 308. *a. à fine lin.* 17. *l.* Luc. 21: 4.
p. 312. *a. à fine lin.* 14. *l.* Gen. 41. v. 1.
p. 314. *a. lin.* 27. *l.* per antiphrasin.
p. 320. *b. lin.* 11. *l.* 1 Cor. 13. 5.
p. 321. *b. à fin. l.* 6. *l.* 1 Joh. 2.
p. 332. *a. l.* 27. *l.* 41: 2.
*b. l.* 30. Matth. 11: 25.
p. 333. *a. l.* 7. *l.* 2 Cor. 5: 19.
p. 335. *a. l.* 8. Mal. 3: 1.
p. 337. *b. à fine l.* 9. *l.* Matt. 13: 38.
p. 350. *b. lin.* 27. *l.* Genes. 38. v. 23.
p. 353. *b. l.* 20. *l.* Joh. 11.
p. 355. *b. l.* 24. Matth. 2. v. 4.
p. 359. *b. l.* 25. *leg.* Deut. 2. v. 28.
p. 372. *a. lin.* 17. *l.* 1 Thess. 5. 13.
p. 377. *a. lin.* 8. *l.* honorifica.
p. 381. *a. à fine lin.* 18. *l.* Hab. 3: 27.
p. 382. *a. l.* 29. *l.* Mar. 9.
p. 396. *b. à fine lin.* 11. *l.* Gen. 28: 19.
p. 398. *a. l.* 13. *l.* Matth. 10.
p. 403. *a. à fine lin.* 10. *l.* Lev. 19.
p. 407. *b. lin.* 2. *l.* 2 Sam. *lin.* 29. *l.* Psal. 72: 2.
p. 430. *b. l* 33. *l.* 1 Cor. 9: 25.
p. 453. *a. à fine lin.* 5. *l.* & ante.
p. 462. *a. l.* 34. *l.* Job 3: 9.
p. 463. *b. l.* 3. *l.* negationem *lin.* 16. *l.* Deut 8.
p. 464. *b. lin.* 10. *l.* Apoc. 18.
p. 467. *b. l.* 11. *l.* Joh. 5. 45.
p. 468. *b. lin.* 25. *l.* 1 Thess. 4. *à fine lin.* 7. *l.* Marc. 9: 37.
p. 470. *b. à fine lin.* 19. *leg.* Gen. 38.
p. 471. *b. à fine lin.* 9. *leg.* Jon. 3.
p. 485. *a. lin. ult. l.* Luc. 21: 23.
p. 489. *a. lit.* 14. *à fine l.* Act. 3: 19.
p. 491. *b. l.* 5. *l.* Rom. 4: 25.
p. 495. *b. à fin. l.* 20. *l.* Ezech. 20.
p. 505. *a. à fine l.* 4. *l.* 1 Cor. 1: 7.
p. 528. *a. t. à fine lin.* 19. *l.* Matth. 1: 18.
p. 535. *a. l.* 17. *l.* vers.
p. 544. *b. l* 4. *l.* ב.
p. 547. *b. à fin. l.* 16. *l.* Exod.
p. 574. *b. l.* 19. *l.* Mar. 1: 6.
p. 578. *a. l.* 17. *l.* Zach. 14: 18.
p. 581. *b. l.* 10. *lege.* cycloides.
p. 585. *a. à fine lin.* 7. *l.* Psal. 106.
p. 593. *b. lin.* 12. *à fin. leg.* Heb. 9: 19.
p. 595. *a. lin.* 20. *l.* Gen. 10. *b. l.* 18. *l.* עד.
p. 598. *b. l.* 13. *l.* Gen. 19: 38.
p. 600. *b. l.* 10. *l.* συμυθεύς.
p. 637. *a. l.* 27. *leg.* Jerem. 44.
p. 642. *b. à fin. lin.* 17. *l.* 1 Paral. 26: 16.
p. 678. *a. lin.* 25. *l.* Rom. 8 v. 31.
p. 694. *b. l.* 7. *l.* Es. 57: 13.
p 695. *a. lin. ult. leg.* ἱλάσκεσθαι.
*b. lin.* 28. *l.* חסד.
p. 701. *a. l.* 13. *l.* יִקְרָא *l.* 26. Es. 20: 5.
p. 707. *b. à fine lin.* 8. *l.* נגן.
p. 720. *b. à fin. l.* 18. *l.* Es. 1.
p. 744. *à fin. l.* 20. *l.* Ps. 21. v. 13.
p. 750. *b. à fin. l.* 6. *l.* columbam.
p. 758. *a. l.* 16. *l.* Es. 30.
p. 762. *b. l.* 3. *leg.* Mat. 6: 3.
p. 767. *b. in margi. l.* venenis.
p. 775. *a. lin.* 18. *l.* Ps. 81: 1.
p. 785. *b. l.* 6. *leg.* cogitationes tu. v. 12.
p. 787. *b. l.* 10. *l.* Cant. 8: 6.
p. 791. *b. l.* 12. *l.* Ps. 81: 1.
p. 792. *a. l.* 19. *l.* Hab. 3: 11.
*b. à fine l.* 11. *l.* niveus.
p 801. *b. l.* 1. *l.* quod.
p. 808. *a. l.* 26. *l.* Luc. 14: 34.
p. 814. *a. lin.* 16. *à fine leg.* propria
p. 823. *a. à fine l.* 7. *l.* θυσία.
p. 829. *a. l.* 25. *l.* 2. Par.
p. 834. *b. l.* 11. *l.* conscientia.
p. 839. *b. l.* 1. *l.* Hab. *l.* 22. sanitas.
p. 841. *b. à fin. l.* 17. *l.* Heb. 5. 14.
p. 842. *a. à fin. l.* 7. *l.* in mysteria.
p. 849. *b. à fin. l.* 4. *l.* vers.
p. 852. *b. l.* 7. *à fin. l.* militare.
p. 854. *a. l.* 3. *l.* פרק
p. 857. *a. lin.* 3. *à fine leg.* Ezech. 13.
p. 858. *b. à fin. l.* 18. *l.* Psalm.
p. 860. *b. à fine l.* 3. *l.* Es. 24.
p. 862. *a. l.* 16. *l.* clypei.
p. 878. *a. à fin. l.* 4. *l.* Es. 34.
p. 888. *a. l.* 27. Es. 19.
p. 904. *a. l.* 37. *l.* Ps. 17. v. 8.
*b. l.* 9. *l.* significationis.
p. 916. *b. l.* 2. *l.* Job. 15.
p. 918. *b. l.* 3. *l.* Ps. 49.
p. 921. *b. l.* 24. *l.* præsignificabat.
p. 930. *a. l.* 2. *à fine l.* Matth. 1.
p 941. *a. à fin. l.* 3. *l.* Hebr. 1.

## Lectori Humanissimo Salutem.

Quandoquidem, Bibliopola Lipsiensis ingenti atque inaudita audacia, Venerandi & Celeberrimi quondam Theologi, Salomonis Glassii, Philologiam Sacram, quæ ob exemplarium penuriam in Belgio nostro summo jure, & citra laesionem alicujus famae & existimationis, eo tempore partim typis excusa erat, labefactare conatus est, quemadmodum ex novissima ejus editione Germanica anni CIↃ IↃ CCV. fusius patet; Operae pretium fuit visum, errores typographicos, prout errare humanum est, in hoc opere commissos, strictim apponere; Veruntamen hac lege, ut desinat modestiam atque innocentiam nostram in posterum lacessere, ne ipse noscat suorum παροραμάτων, ex editione ejus detectorum copiam, quam ceu ἐμμητήριον reservabimus, nisi quiescet, quod sedulo monemus; Quare ut animo ejus hominis morem geramus, Lector humanissimus emendare haud dedignetur hæc sphalmata.

*HARDEROVICI.*

Excudit DANIEL SAS, Academiæ Ducatûs Gelriæ & Comitatûs Zutphaniæ Typographus Ord. CIↃ IↃ CC XI.

